IOANNIS LORINI SOCIETATIS IESV,

COMMENTARIVS IN ECCLESIASTEN.

EDITIO NOVISSIMA: IN QVA ADIECTA non pauca recognito correctóque Commentario.

CVM INDICIBVS LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, ac rerum insigniorum: necnon Hebræarum, Græcarúmque vocum, quæ Latinis nominibus respondent.

EIVSDEM
IN LIBRVM SAPIENTIÆ COMMENTARIVS
auctus & recognitus, suóque duplici Indice locupletatus.

Accessit Refutatio anonymi cuiusdam apologetica, cui separatim respondetur.

In quibus præter literalis sensus accuratam explanationem, variarúmque lectionum cum vulgata collationem, omnigeni mystici sensus ex Patribus tum Græcis, tum Latinis scitissimè eruuntur.



LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.
M. DC. XIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

IOANNES LORINVS
ECCLESIASTI.

ECclesiasti reddo Ecclesiasten. Tuum est, quod noster præscribit Ecclesiastes, vanitatẽ auditores dedocere in cogitatis, dictis, factis, beatitudine; ne meditentur inania [a], ventum pascant [b], quærant mendacium [c], ipsam in vano accipiant animam [d]: sed cogitent quę Domini sunt [e], amplectantur eum qui secundùm doctrinam sanam est, fidelem sermonem [f], sectatores bonorum sint operum [g], apprehendant vitam æternam [h]. Hoc magister doctórque Gentium & fecit ipse, & loqui ac exhortari doctores pastorésque præcepit [i]. Hunc Albinus [k] Magni præceptor Caroli ad Ecclesiastica vocatis munia Oniæ, Candido, Nathanaëli pro magistro à se declaratum obtulit librum. Hæc vanitatis Franciscus contemptor egregius Prædicatores suos annunciare voluit, vitia, virtutes, pœnam, gloriam [l]. Idipsum totidem exegit verbis ab omnibus Ecclesiastis Synodus œcumenica Tridentina [m]. Sapienti occasionem, cui pauca sufficiunt, dedisse, breui Commentario libri à non multis adeò triti, tractatíque, satis mihi fuerit. Longior non sum, ne vanus. Vale.

a Psal. 2. 1.
b Ose. 12. 1.
c Psal. 4. 3.
d Ps. 23. 4.
e 1. Cor. 7. 34.
f Tit. 1. 9.
g Tit. 2. 14.
h 1. Tim. 6. 12.
i Tit. 2. 15.
k præf. in Eccle.
l in reg. c. 9.
m sess. 5. c. 2. de reform.

ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQVE D.D. HIERONYMO DE VILLARS,

Archiepiſcopo & Comiti Viennenſi, Primatum Primati, omnium Galliarum Primati, Regi à conſiliis in ſecretiori conſilio, &c.

HORATIVS CARDON S.

EN tandem (PRÆSVL AMPLISSIME) eius voti, cuius reus eram, nuncupatione me libero: & qua ratione Apollini κουροτρόφῳ, *Diiſque patriis ſoliti antiqui* κόμην κείρειν, ῥέζειν θ' ἱερὴν ἑκατόμβην, *iis gloriæ tuæ prouolutus aris, quibus te tua Gallia non tanquam* θεὸν ἄγνωστον, *ſed veluti præſens numen iamdiu colit, his non incultis primitiis tibi ſacrum facio. Conceptum ſanè illud tibi iamdudum fuerat: nam ab eo tempore, quo virtutis tuæ ſplendor eximius, & (vt ſignificantiùs dicam)* ἀξιοπιστότητος, *nobis illuxit, obſtupui prorſus, gratóque animi ardore, quo iamdudum in Illuſtriſſimi Villariorum nominis honorem deflagro, nihil mihi fuit antiquius, quàm vt quæſito meæ in te obſeruantiæ pignore deuotam tibi mentem, poſteritati, æterno monimento teſtarer. Neptuno perſoluunt tabulam naufragi; at placet vice contraria litationem anteuertere, & hac quaſi tabula tibi meo Dioſcuro muneris omnis noſtri, qualecumque tandem illud futurum eſt, naufragium deprecari: quid enim mihi per te, ſi faues, non tutum? aut quid infidum tuis mihi aſpirantibus fauonius? Cùm ergo ſecundum hunc à priore R.P. Lorini fœtum, Parenti doctiſſimo (noſti enim qualis quantúſque aſſurgat) non abſimilem, germanique Charites & Pithonem præferentem, nòn modò Gallis noſtris, ſed & exteris omnibus expeditum, prælo ereptum vt lucem acciperet edendum cogitarem, non potui tuæ gloriæ patrocinio non eũ concredere, nec ſuſtinui, vt hic Phœnix aliunde, quàm à te ſuo Sole eas flammas mutuaretur, quibus deinceps viuat, doctorúmq; manibus aduolet. Aquilã legitimos fœtus amici cognatíque ſyderis radiis probare ferũt, Germanóſque olim pro ſpuriis eos reieciſſe ex natis, quos in baltheo extenſos Danubij vnda non ſuſtinuiſſet. Sic cognatum tibi doctrinæ affinitate opus, non niſi à te probationem expectat, & fauoris tui ſuſtentaculo, non Rheni, ſed nominis tui fluentibus vbique riuis Gallias non modò transfretare, ſed etiam Oceanum ingredi, téque comitante aureum laudis vellus templis poſteà tuis appendendum reportare confidit. Poterant quidem doctæ paritérque piæ lucubrationes nominis aliquid ſibi comparare, ſed* ὥσπερ οἱ ζωγράφοι τὰ λαμπρὰ τῇ σκιᾷ τρανότερα ποιοῦσι, *ſic ampliorem honoris famæque meſſem tuo influxu ſibi pollicitæ, non niſi te referente Capitolio inſeri, ſacriſque libris, Pontifex digniſſime, annumerari geſtiuerũt. Feliciter enim adeò ceſſit, vt te patronum his Commentariis elegerim, quẽ Auctor ipſe vt non poterat ampliorem, ſic non acceptiorem. neſcio enim qua ſorte factum eſt, vt cuius olim, ſolita humanitate, & beneuolentia, doctiſſimo quaſi contubernio delectabaris, dum vigerent veſtra illa literarum commercia, eius nunc fœtui Lucina præficiaris, vt im-*

mortalitatis

mortalitatis per te indiges, zoilorum longè obtrectationes supergressus, fausto securóque ausu æternam famam tua fama, noménque sempiternum tuo nomine promereatur. Πολλοὶ ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι, *nec omnes qualescumque illi se profiteantur, in templi sui mystas gloria agnoscit. Ut enim is verè victor ex Olympicis athletis, qui Herculem propiùs æquabat: Ita tibi soli similis qui honoris virtutísque fani vnicus idémque Pontifex es, nõ alios nanciscèris collegas, nisi quos laudum tuarum participatione cõspicuos in præmij cõmunicationem vocaueris. Quis enim ille est qui te sine admiratione nouit? aut quis satis miratus est? Etenim quod de alio quidã minùs rectè,* πήχεσι ἐπὶ πᾶσαν σοφίην ἀυξάμενος, *id consecutus es vt multi te æmulari, ad te propiùs accedere pauci possint. Gaudete Viennensis Ecclesiæ sacra olim lumina, nunc cœlestis Soles, gaudete, inquam, beati Genij tali successore, gestiat felix illa Tiara quæ non tam tibi quàm tu illi decus addis. Sed quid me tuarum laudum hymni abripiunt? scilicet id ego dicendo consequi possim, quod vt omnibus, sic nostris impar viribus. Taceo (Antistes dignissime) videbor enim potiùs* ἀκροθίνια τῶν πυγμαίων κολοσσῷ ἐφαρμόζειν, *si quid rudi facundia hîc de te balbutio, eásque deprimere, non attollere. Ad Commentarios nostros redeo, quos à me tibi oblatos eá fronte suscipias oro, qua quicquid politum, quicquid tersum, quicquid non vulgare, quicquid denique te dignum. Grati erunt, scio, gratus quoque sit precor offerentis animus, qui tibi deuotissimus, veluti duobus illis tuis germanis Galliæ nostræ lucidissimis syderibus acceptissimus est, sic se tibi, téque cœlis peroptat. Vale.*

Facultas admodum R.P.N. Generalis Claudij Aquauiua imprimendi hos in Ecclesiasten Commentarios.

CVM *Commentarios in Ecclesiasten, P. I. Lorini, nostræ Societatis Theologi*, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandentur, si iis, ad quos pertinebit, ita videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ xiij. Aprilis, 1605.

CL. AQVAVIVA, Societatis Iesu Præpositus Generalis.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Lugdunensi.

LVDOVICVS Richeomus Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Rege Christianissimo Henrico III. die x. mensis Maij, anni 1583. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque illorum permissione imprimant; permittit HORATIO CARDON Lugdunensi Bibliopolæ, vt *Commentarios in Ecclesiasten auctore Ioanne Lorino eiusdem Societatis*, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni die vndecima Ianuarij, anno 1606.

RICHEOMVS.

HOSCE R.P. Ioannis Lorini è Societate Iesu, *in Ecclesiasten Commentarios*, & pios, & eruditos, dignos censuimus, qui prælo commissi publicæ vtilitatis caussâ in lucem ederentur. Datum Lugduni die 25. Aprilis, anno 1606.

CHALOM V.G. Lugd.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HOC OPERE CITANTVR,

explicantur, illuſtrandis aliis huius operis locis adducuntur.

Numerus ad paginam remittit: litera locum deſignat: vbi cum litera numerus additur, columnam ſecundam denotat.

Ex Prouerbiis.

ratur

Ex Ecclesiaste.

Ex Canticis.

Ex Sapientia.

Ex Ecclesiastico.

dientia,

Ex Esaia.

EX NOVO TESTAMENTO.

Finis Indicis locorum S. Scripturæ.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII
à Christianissimo Galliarum Rege obtenti.

HENRICI IV. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate cautum est, ne quis in suo Regno, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo ac ratione conetur librum, qui inscribitur, *Ioannis Lorini Societatis Iesu, Commentarius in Ecclesiasten*, præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipse concesserit: sub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis quinta die mensis Martij, anno 1606.

De mandato Regis.

Signatum,

DVFOS.

IN

IN ECCLESIASTEN PRÆFATIO.

CAPVT PRIMVM.

An sit liber Canonicus.

NON tam probandum hoc nobis, quoniam constat ab Ecclesia relatum in catalogum sacrorũ librorum, maximè à Tridentino Concilio [a], secuto priorũ Conciliorum exemplum, & tot Patrum sententiam, ex quibus Augustinus [b] monet à Iudæis quoque haberi in sacrarum canone literarũ, & Hieronymus [c] de eo nullam esse ambiguitatẽ; quàm admonendũ, vt caueatur eorum qui negãt hæresis, & occurratur argumentis, quæ retardare possent assensum. Meminit dictæ hæresis Philastrius [d] : cúmque libri auctor voluptuariam vitam laudare videatur in cibo ac potu, respondet, sapientissimum virum Dei testimonio supra omnes mortales, non pecuariam Epicuræorum sequi doctrinam vitamve; solùm tradere, diuitem in hoc seculo bene operatum, nec abusum quam dedit Deus escâ, futuræ quoque vitæ consequi consortium, & cœlestem escam gustare posse. Cæterùm Salomonem ipso libri exordio præfatum, cuncta quæ sunt sub cœlo, esse ipsissimam vanitatẽ, ita vt, si quæ transeunt, pereuntque, bona ducantur, & appetenda, multo magis æterna illa, atque Sanctorum, ac Beatorum propria. Gregorius [e] verò tum illud, tum alia permulta demonstrat ex aliorum vulgari sententia proponi, sed ab Ecclesiaste, siue Concionatore nostro, pronunciante mox orthodoxam sententiam, refutari. Consentit Hieronymus, vel Philippus Presbyter commentario in Iob [f], aliíque. Idipsum nos suis exponemus locis.

Quod autem hic obiectum est, aliter verus Hieronymus [g] cũ aliis declarat, nempe perstringi auaritiam, sordésque eorum quibus affatim abundant, frui vtive nolentium. Augustinus [h] exponit de sacra & mystica esca, probátque ex aliis eiusdem auctoris testimoniis non adeò pingui sensu intelligendum. Qui compositum librũ volunt à resipiscente Rege, non tam ex aliena, quam ex propria, cùm adhuc volutatus iaceret in cœno turpis voluptatis, locutum sententiã respondebunt.

a sess. 4.
b 20. de ciu. Dei. c. 4.
c 1. cont. Pelagian.
d 1. cont. hæres. 87. vel 112.
e 4. dial. c. 4.
f in c. 1.
g in c. 2.
h 17. de ciu. Dei.

A Illud postea perpendendum. Quamquam canonica Scriptura non à scriptore mutuetur auctoritatem, qui bene docet quandoque, viuit autem malè; sed ab Spiritu sancto, qui est præcipuus auctor: sicuti de libro Iob disputans Gregorius [a] monet. Concludere licet hunc locum Hieronymi [b] verbis: [Malè igitur quidam opinantur, nos ex hoc libro ad voluptatem & luxuriam prouocari, cùm è contrario omnia, quæ in mundo cernimus, esse vana doceantur, nec debere ea nos studiosè appetere, quæ dum tenentur, intereant.] Mónet etiam [c], cum hic liber Hebræis oblitterandus videretur, eo quòd vanas Dei creaturas, & totum putaret esse pro nihilo, & cibum, & potum, & delicias transeuntes præferret omnibus, B hinc meruisse auctoritatem, vt in diuinorum voluminum numero poneretur, quòd tam piè opus concluserit. R. Moyses [d] ab iis quoque vindicat, qui propterea reiicerent, quòd in eo mundi tradere videretur æternitatem. Librum istum Lutherus, si quo editus est, diuino Spiritu legisset; intellexisséteque, soccos quos in Cœnobio gestabat, non deposuisset, nec mulierosus apostata [e] scripsisset, auctorẽ Ecclesiastis videri libri ocreis & calcaribus destitutum, equitare tantùm in soccis, quemadmodum ipse soleret, cùm adhuc esset in Cœnobio. C Rectè autem Iacobus de Valentia [f] refellit Iudæos, tam qui librum istum negabant sacrum esse, quam qui à Salomone tantum exscriptum asserebant ex iis quæ à Dauide, aliisve acceperat. Chaldæa paraphrasis in titulo tribuit Salomoni nomen Prophetæ. Quòd si Dorotheus in synopsi dicat, quòd Salomon non prophetauit, præterquàm quòd non est magnæ auctoritatis, intelligi potest, quoniam non numeratur inter quatuor maiores, & duodecim minores. Prophetasse affirmant Origenes [g], Athanasius [h], Augustinus [i], qui [k] etiam ponit inter libros propheticales hunc librum. Lege Sixtum Senensem [l], & D Bellarminum [m].

a præfat. in Iob. c. 1.
b in c. 1.
c in c. 12. Eccle. sub finem
d 2. doctoris dubiorum. c. 29.
e in conuiuialibus sermo. tit. de libris veteris, & noui Testamenti.
f præfat. in Cant. Canticorum.
g in Cant.
h in synopsi.
i l. 17. de ciuit. c. 20.
k 2. de doct.
l 8. Biblioth. hær. 7.
m 1. de verbo Dei. c. 5.

CAP. II.

Quis auctor; vbi de salute Salomonis.

NON legi, præter auctores Thalmud, & Ioan. Sarisb. [n] volẽtes ab Ezechia eiusq; familiaribus

n epist. 172.

editum, necnon Prouerbia, Cantica, Esaiam) qui negaret huius libri auctorẽ Salomonem, sicut & Prouerbiorum, atque Cantici Canticorum: cùm nõ desint præterea, qui de libro Sapientiæ, & Ecclesiastici asserãt [a], necnõ de Iob [b]: qua de re nõnihil in capitis primi expositione. Etsi verò, sicut huius præfationis priore capite notatũ est, nihil refert, aut perparũ, ad astruendam libro sacro auctoritatem, auctoris vita, vel mores, quid tamen de hoc auctores opinati sint, non est alienum cognoscere.

Hieronymus [c] refert, Hebræos sensisse, hunc librum Salomonis esse pœnitentiam agẽtis, quòd in sapientia, diuitiisque confisus, per mulieres offendisset Deum [d]. Habent id Hebræi in libro Seder olam [e]. Sed & ipsemet [f] videtur consentire, atque pœnitentiæ testem illũ ipsũ citare (nõ Hebræorum duntaxat recitans opinionem, quos cùm non refellit, sæpe sequitur) dicentem in Prouerbiis [g], iuxta editionem LXX. *Nouissimè ego egi pœnitentiam, & respexi vt eligerem disciplinam* ὕστερον ἐγὼ μετενόησα: ἐπέβλεψα τοῦ ἐκλέξασθαι παιδείαν. Alibi [h] vocat optimũ Regem vnà cum Dauid, Iosia, Prophetis, ac Patriarchis, qui typum Christi gesserũt, & malis opponit. Is item qui apud ipsum scribit epistolam ad amicum ægrotum [i], nominat sanctissimum. Scribit quidem ad Eustochiũ [k], fortè ob delicias corruisse, nimirum in peccatum, verũ tamen pœnituisse non negat. Imò simul de Dauid lapsũ loquens; Si Dauid, inquit [l], amicus Domini, & Salomon amabilis eius victi sunt quasi homines, vt & ruinæ nobis ad cautionem, & pœnitudinis ad salutem exempla præberent, quis in lubrica via lapsum non timeat? Ambrosius [m] sanctum Salomonem vocat, sicut etiam Athanasius [n], Nazianzenus [o], qui diuinum; item Lactãtius [p] spiritu diuino plenũ; ait quoque [q] Salomonis sancti posteriora graui errore nõ caruisse, indéque multos reuocatos, ne illum pro Christo, ac supra hominẽ haberẽt: præterea nominat beatum præfat. in Psalm. 21. & sanctum in Psal. 43. Nec euades, si locutum dicas pro tempore, quo sanctus erat, quoniam eodem modo & Saul, & Iudas sancti absolute dici possent; aliquãdo enim iusti fuerunt, quod nemo de talibus absque restrictione dicere solet. Præterea scribit Ambrosius, Dauid sancto Bersabee sociatam in mysterio; nempe respexit ad pœnitentiam post adulterium, & ad vitæ exitum, ad quem ex cõmuni vsu loquendi respicimus, quãdo aliquem sanctũ vocamus. Denique comparans Ambrosius [r] Salomonem cũ Dauid, & Paulo, qui peccauerunt, ac mediũ locans inter eos; Ergo, inquit, si errauerũt iusti, errauerũt tanquam homines; sed peccatum suum tanquam iusti agnouerunt. Cyrillus Hierosolymitanus [s] hortatur ad pœnitentiam Salomonis exemplo (sicut Aarõ, Dauid, Manassis, Achab, Ezechiæ, Nabuchodonosor, Petri, Raab) quem pariter pœnituisse probat verbis Scripturæ, quibus Hieronymus vtebatur. Epiphanius [t] inter sanctos Patres, quos visit in limbo Christus per mortem, collocat. & Marcionem reprehendit [u], quòd impie docuisset, Dominum Christum descendisse in infernum, vt saluaret Cain, & Core, & Dathan, & Abiron, & Esau. & omnes gentes, quæ non nouerant Deum Iudæorum: Abel autem, & Enoch, & Noë, & Abraham, & Isaac, & Iacob, Mosem item, Dauid ac Salomonem illic reliquisse, propterea quòd cognouerant Deum Iudæorum esse creatorem, atque

A conditorem, & quòd officia ipsius fecerant, & non Deo inuisibili seipsos addixerant. Irenæus [a] testatur se accepisse à nescio quo, qui Apostolorum auditor fuerat, Salomonem sufficienter à Scriptura increpatum esse; per Christi verò descensum ad inferos, vnà cum aliis Patribus remissam peccatorum accepisse: Hilarius [b] increpitum à Deo sicut Aaron & Dauid, ac plerosque alios, ob fidei meritum veniam obtinuisse. Ponit etiam exemplum Mosis, & Petri, qui omnes maximis, ac pulcherrimis bonitatis operibus gloriam sint cœlestis de se iudicij cõsecuti, non obstante sententia Psalmi: *Non est qui faciat bonum* [c], &c. Nazianzenus [d] munit eandem sententiam, vt
B fatentur aduersarij: sed mihi nõ adeò videtur. Multo minùs Chrysostomus, quem citat pro hac opinione Aluarus Pelagius [e]: quamuis alibi [f] dicat, post cõcupiscentiam rerum sæcularium ad se Salomonẽ reuersum quasi ex vmbrosa quadam abysso ad lumen veræ sapientiæ respexisse, & sublimem tunc illam & cœlis dignam emisisse vocem; *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*. Thaumaturgus in paraphrasi secundi capitis præsentis operis docet, execratum omnem vitam suam, quam in rebus vanis traduxerat, atque consumpserat terrenis laboribus intabescendo, & hinc inde sæpius idẽ indicat. Bachiarius [g] æqualis Augustini Ianuario persuadet inter alia, vt monachũ
C adulterum ad pœnitentiam admittere nõ dubitet: quoniam nec Salomon misericordiæ cœlestis extorris fuerit: nec obstare quòd nusquã eum in canone Scripturarum legamus pœnituisse, quia nõ ad faciẽ populi, sed in secreto cõscientiæ, Deo teste, pœnituit: denique quòd sit veniam cõsecutus hinc effici, quoniam Scriptura sepultũ tradit inter Regum Israëlitarum corpora; quod tamen, inquit, alibi peccatoribus Regibus abnegatum esse cognoscimus, qui vsque in finem vitæ suæ in proposito peruersitate manserunt. Simili argumẽto Martinus Cantapetrensis [h] vtitur, eidem sententiæ adstipulatus. Fulbertus, qui floruit ætate Bernardi, epistola sexagesimaquinta cõsumit in hac re, citans Bachiariũ, & pro cõtraria senten-
D tia Bedam & Rabanum: sed mihi videtur magis propendere in illam sententiam: scribit enim cuidam trepidanti diuina iudicia, hortatus vt in timore perseueret, & diuino pareat præcepto.

Ticonius [i] eiusdẽ temporis Augustiniani scriptor, tametsi Donatistarum errore nonnihil imbutus, quarta regula è septẽ, quæ est de promissis, & lege, putat Deum sua pietate regnum cœleste cõcessisse Salomoni, cui terrenũ, quoad vixit, nec absciderit, nec abstulerit. Vincentius Bellouacẽsis [k] annuere videtur sententiæ, quam Hieronymũ retulisse diximus, de libro Ecclesiastis cõposito in pœnitentiæ signum. Eodem modo loquitur B. Thomas [l], & Bonauentura [m], & Hugo Car-
E dinalis, & Carthusianus, aliique in Ecclesiastẽ [n], & his antiquior Caroli Magni præceptor Albinus: præterea Petrus Comestor in Historia Scholastica [o] ex promisso quod Deus fecit Dauid de stabiliendo throno filij, & quod ei futurus esset in Patrem [p], cõiicit salutẽ Salomonis. Aluarus Pelagius [q] Ambrosium, ac Hieronymum, præter quem ante dixi, Chrysostomum (dicere debuit Bachiarium) atque Hebræos hic in re sequitur. Sed ridicula sunt quæ ex Hebræorum traditione commemorat, Salomonẽ pœnitentiæ nomine quinquies tractum per plateas Ierusalem, & in templum a se ædificatum venisse cum quinque vir-

gis

a apud Bellarminum l. 1 de verb. Dei c. 13. & 14.
b apud Pinedam præfat. in Iob c. 5.
c in c. 1. Eccle.
d 3. Reg. 11.
e c. 15.
f in c. 43. Ezech. & 2. cont. Iouin. fauet.
g c. 24. 32.
h in c. 28. Ezech.
i tomo 9.
k epist. 22.
l epist. 9. ad Saluinam.
m in Psal. 118. lit. 2. vers. 1. & lib. de fide resurrect. vbi citat hũc librum, & præfat. in Lucam.
n dial. 1. de Trinit.
o orat. 35.
p lib. 4. c. 6.
q 1. apolog. Dauid. c. 3.
r 2. apolog. Dauid. c. 3.
s catech. 2.
t orat. de Christi sepul. & descen. ad inferos.
u hær. 42.

a l. 4. c. 45.
b in Psal. 52.
c Psal. 52. 2.
d orat. 2. de Theolog.
e 2. de planct. Eccl. art. 45.
f tom. 5 ser. conc. concubin.
g ep. de recipien. lapsis, tomo 3 biblioth. Pat.
h in hypotyposi reg. 45.
i Sunt hæ regulæ apud Augustinum 3 de doctr. Christ. cap. 31 & Isidor. 1. de sum. bono c. 19. Sed hoc quod recitamus, extat apud Peuardentium cont. hæres. lib. 5.
k specul. histor. lib. 2. c. 84.
l opusc. 20. lib. 3 de regimin. Princip. c. 8.
m in præfat. in Eccle.
n in c. 1. Eccle.
o ex 2. Reg. c. 7.
p Psal. 88.
q 2. de planctu Eccles. art. 45.

gi nudum, sed cùm totidem legis periti verberare nollent eum, ab ipso inuitati, illum in se animaduertisse. Ioannes Ludouicus Viualdus [a] hæc eadem scribit ab Hieronymo recitari cõmentario in libros Machabæorũ, quem non vidi, nec videri puto posse, cùm non extet. Abulens. [b] auctorem eiusdem rei citat Ambrosium, in quo nil extat eiusmodi. Petrus de Natalibus [c], qui non dubitat referre Salomonem in catalogum Sanctorũ, narrat idipsum vt Hebræorum traditionem, sed virgas septem numerat, & verba quæ sunt de Dauid, ad Salomonem detorquet, veluti ab hoc dicta de seipso; *Dominus* [d] *purgauit peccata ipsius*, &c. Hebræi quoque in precibus personam Salomonis interponunt, sicut aliorum Sanctorum suorum. Et in maiore chronologia [e], quam Latinam fecit Genebrardus, habetur, quòd sub senium, propéque mortem habuit spiritum inhabitantem. Glossa noua ad caput 11.3. Regum citat Bedam ex fragmentis in Prouerbia de raptatione per plateas Ierusalem & virgis. Non abhorret ab hac opinione de pœnitentia Salomonis quædam glossa Decreti [e]. Paulus Burgensis [f] disertè hoc tuetur, volens promissa, quæ fecit Deus Dauidi [g] super Salomone, magis, ac præsertim intelligi de regno æterno, ac de beatitudine, quã de bonis externis, ac regno temporali, cùm etiã nominatus sit amabilis Domini [h]; & orationem Dauid pro ipso exauditam, qua precabatur vt cõpleret Deus quæ promittere dignatus erat [i], cõpletam credi conuenıat: & adeò, cùm alibi, tum in libro Ecclesiastici [k] laudetur, & sepultus dicatur cum patribus suis, atque quieuisse in pace, quæ, inquit, vt non inerudıti obseruant, de Regibus Iuda impœnitentibus dici non solent. Ioannes Ludouicus Viualdus [l], quem pridem nominaui, ex professo fauet Salomoni, profértque nõnullos ex citatis auctoribus; præterea in libro de Salomone Ambrosium, Origenem in expositione arcæ Noe, Leonem quodam sermone de Aduentu, Isidorum libro de obitu Sanctorum, & Dantẽ [m] Poëtam celebrem Italum. Sed Origenes ne verbum quidem de hac re, etsi ab aliis quoque citatur sermo de arca Noë. Leonis sermo non extat. Isidorus innuit oppositum. Dantes propendet, sed non absque dubitatione.

La quinta luce che tra noi piu bella
Spira di tal amor, che tutto 'l mondo
La giu n'ha gola di saper nouella.

Asserit idem auctor signa prædestinati Salomonis optimam institutionem in pietate, ac singularem sapientiæ diuinæ amorem: studium diuinorum verborum, ad quod iam enixe hortatur omnes: mundi contemptum, quem in isto saltem libro Ecclesiastæ declarauit: religiosum cultum Dei, benignitatem & misericordiam: postremò præcipua signa prædestinationis ex Canonistis: præter priùs allatã glossam. Consentit Finus Sandæus [n]; verùm quòd se audire scribit Hieronymum in Apologia vocare ipsum sanctum, atque affirmare id a Do uino reuelatum, hoc quidem planè falsũ reor; in alio Ambrosij vice positum Hieronymũ suspicor. Ioannes Arboreus [o] confirmat quoque verbis libri Prouerbiorum [p], cum ait Salomon de seipso sub aliena persona: *Visio, quam locutus est vir cum quo est Deus & qui Deo secum morante confortatus, ait, Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum*; quasi velit innuere: Mecum est Deus per plenitudinem sapientiæ: præterea per plenitudinem potentiæ; agendo tamen pœnitentiam, vt ad se rediret, suam agnoscendo culpam, dixit: *Stultissimus sum virorum*; quamuis crediderim me esse omnium sapientissimum: nulla est insanientium vecordia, & stultitia, quæ meæ, meísque maximis vitiis cùm in carnis petulantia, tum in idolorum cultu conferri possit. Eundem locum eodem pacto Hebræi exponunt, Lyrano teste ibidem. Iacobus [a] de Valentia eiusdem sententiæ, quam sequitur, auctorem citat præter Hieronymum, & Ambrosiũ, etiam Chrysostomum, omnésque sanctissimi titulo Salomonem insignire. Neque Chrysostomus pro hac sententia est, neque sanctissimum Salomonem quisquam nominat, sed sanctum solus Ambrosius. Ioannes Picus Mirandula [b], dum pugnat pro salute Origenis, huc inclinat, & adducit Henrici [c] de Assia testimonium, non sequi, aliquem esse damnatum, quòd Scriptura de peccato meminerit, non de pœnitentia, ne idem cogamur fateri de Adam, & similibus.

Idem iudicium de Alphonso Ciaccono [d], dum Traiani animam liberat ex æternis pœnis: atque sententiam confirmat auctoritate B. Mectildis, quę vixit anno 1300. Scribit verò illa ad hũc modum: [Rogata à quodam fratre, Dominum in oratione requisiui, vbinam essent animæ Samsonis, Salomonis, Origenis, & Traiani. Cui Dominus: Quid pietas mea cum anima Samsonis egerit, volo esse ignotum, vt homines se de inimicis suis vlcisci ampliùs pertimescant: quid misericordia mea cum anima Salomonis fecerit, volo homines latere, quatenus carnalia peccata ab omnibus magis deuitentur: quid verò benignitas mea cum anima Origenis effecerit, volo esse absconditum, vt nullus in scientia sua confidens audeat eleuari: quid verò de anima Traiani liberalitas mea iusserit, volo homines ignorare, quatenus fides Catholica in hoc magis extollatur, quia hic, licèt omnibus polleret virtutibus, Christiana tamen fide, ac baptismo caruit.] Hactenus reuelatio. Quæ indicat misericordiam Dei erga Salomonem. Quamuis autem de salute Adam ex libro Sapientiæ [e] Augustinus [f] probet, qui de peccato scripsit Moyses [g], de pœnitentia verbum nõ facit; sicut is qui peccatũ Gedeon, & Samson, pœnitentiam non item narrauit; sed in Epistola ad Hebræos Apostolus de his duobus satis indicat [h]. Et potuit alius aliquis veteris auctor Testamenti scripsisse, verbi gratiã, Nathan, Addo, Ahias, qui res Salomonis prosecuti sunt [i], quemadmodum Manassis peccatum extat in libris Regum, pœnitentia in Paralipomenis [k]. Fauet non parum quòd laudantur illi Reges, qui ambulauerunt in viis Dauid, & Salomonis [l]. Priusquam etiam pro canonico Sapientiæ liber haberetur, quidam ex citatis opinionem istam sequebantur de Salomone, indicantes non obstare quòd eius pœnitentiam canonicus liber non contineret, cum nec Adam, cuius sibi tamen salutem persuadebant. In eadem sententia præterea est Cosmas Damianus [m], & Martinus Delrius noster [n], & Franciscus Georgius Venetus [o], & Ludouicus Sotomaior [p], & Genebrardus, [q] & Maldonatus [r]. Sed & in manu scripto Vaticano Amodæi Franciscani legitur ipsum ab Angelo super hac quæstione idem responsum tulisse: cur verò post obitum perdurassent idola, causam Angelum reiecisse in vxores, quæ quod fieri Salomon testamẽto diligenter præceperat, illæ omni ope impediuerint.

a præfat. in Cant.
b in apolog. qq. 13. q. 7.
c in c. 3. Genes.
d tract. de Traiano liberato.
e c. 10.
f epist. 99.
g Genes. 3.
h ad Hebr. 11.
i 2. Paral. 9.
k lib. 2. 33.
l 2. Paral. 11. & 17.
m præfat. in Cant.
n præfat. in Cant.
o in problem. script. tom. 5. sectione 3. problem. 78. & 98.
p in Cant. præfat.
q in chr. sua & in chron. Hebr.
r in Matth. c. 1. vers. 10.

In contraria leuiore ſententia conceptis & claris verbis ex antiquis Patribus ſunt perpauci, imò nulli, hoc eſt, quibus exprimant Salomonis infelicem exitum, vel negent pœnituiſſe poſt peccata. Tertullianus [a] ſcribit quòd reiectus eſt, iam à mulieribus alienis poſſeſſus, & idolis Moabitarum, & Sidoniorum mancipatus: & iram Dei acceſſiſſe poſt luxuriam, & idololatriam [b]: amiſiſſe gloriam, quam in Deo habuerat, per mulieres in idololatriam vſque pertractum [c]. Cyprianus [d] illum, vt & Saülem, alióſque multos, quãdiu in viis Domini ambulauerunt, datam ſibi gratiam tenere potuiſſe, recedente ab iis diſciplina Dominica, receſſiſſe & gratiam, excitaſſeque ipſi Dominum Satan. Atqui vtriuſque Interpres Pamelius [e] indefinitam litem ab iis relictam notat, an poſtea iterum per pœnitentiam in gratiam cum Deo Salomon receptus ſit. Auguſtinus [f] quandoque dicit, quod bonis initiis malos exitus habuit, quòd à Deo reprobatus [g]: ſed exitus poſſunt intelligi peccata, quæ grandior commiſit; reprobatio verò ſeparatio regni, ſeu diuiſio [h]: maximè cùm caſum eius comparet cum caſu Adami; vel cùm dicat reprobatum à Deo, & cecidiſſe, ne velle videatur ideo cecidiſſe, quia reprobatus eſt, erit reprobatio non æterna, ſed temporaria, quamdiu nimirum qui cecidit, iacuit. Ex pœna poſt mortem ſecuta, hoc eſt, ex regni ſciſſione, nihil ſequitur: nam poſt remiſſionem peccati ſæpe pœna repetitur. Sic Dauid, quãuis pœnitentis, infantulus mortuus eſt [i]. Docet quidem Auguſtinus [k], nihil Scripturam de pœnitentia eius, vel indulgentia Dei omnino commemorare: tamen nec etiam aſſerit ab eadem Scriptura damnationem eius exprimi; & argumentum ex auctoritate negante ductum infirmum eſt. Hieronymus [l] ipſe, qui priori ſententiæ adeò fauet, nonnunquam valde exaggerat peccatum Salomonis, eumque pro Idida, id eſt, amabili [m] Domini, amatorem mulierum nominatum dicit. Iſidorus, [n] imitatus Auguſtinum, Salomonis principia bona, nouiſſima mala tradit, & ſapientiam perdidiſſe, atque in profundum idololatriæ flenda ruina demerſum. Quamquam alius creditur auctor libri de vita, & obitu Sanctorum, in quo eſt id quod modò recitatum eſt. Baſilius [o], Iuſtinus, [p] Irenæus [q], Origenes [r], aliíque prætereà non pauci agnoſcunt inſipientiſſimam in ſene mulierum amore capto idololatriam. Eodem pacto intelligi poſſet Chryſoſtomus, quando ait cecidiſſe in profundum [ſ], & barathrum malitiæ [t], & commeritum mille mortes, & cùm neſciret pœnitentiam, perdidiſſe gratiã, nempe cùm diu neſciret, & differret: item Theodoretus [u], vbi comparat Salomonem cum Saüle, qui gratia priuatus eſt Dei, & cum Iudæis, qui ſunt modò Prophetis deſtituti. Solent nimirum hi, & alij Patres, vt doceant quæ Iudæi de Salomone prædicta volunt, non de illo intelligi, ſed de Chriſto, vt quæ ſunt in Pſalmo 71. vel ad inculcandum humilitatis documentum, Salomonis caſum proponere cum exaggeratione. Facit id quoque Ambroſius [x], vt demonſtret non eſſe vel Meſſiam, vel Deum. Bernardus [y] ait, ſi Salomon perſeueraſſet, ſapientiam amiſſurum non fuiſſe, ſicut & Samſon fortitudinem. Sed non ſequitur, pœnitentiam non egiſſe; & de Samſonis ſalute vix poteſt dubitari, cùm ponatur in catalogo Sanctorum ab Apoſtolo [z]. Cyrillus Alexandrinus [a] reſpondens Apoſtatæ neganti Salomonẽ ſapientẽ vocari oportere, vel deos a nobis, quod ille fecit, colendos; negat ipſe connumerãdũ inter Prophetas (qui nimirum ſancti habentur omnes quotquot extant in canone Scripturarum) aut Apoſtolos, aut Euangeliſtas: peccatũ quoque eius reprehenſum à Deo, & regni eius diſciſſione punitũ: tamen propter ea quæ ſcripſit, ſapientem dici (dicere potuit etiam Prophetam, pro vt hunc ſanctum quoque eſſe non eſt neceſſe.) Verum inde tantùm fit, Salomonis obſcuram eſſe pœnitẽtiam, ita vt ſanctus canonicè cenſeri non poſſit. Theodoretus [a] peccatum eius exaggerat, propter quod ſpoliatus ſit cura, & prouidentia Dei circa regnum: de impœnitentia, vel damnatione non agit. Eucherius [b] verbis vtens Auguſtini [c] tradit ſolum, Scripturam nihil de pœnitẽtia eius, vel in eum indulgentia Dei omnino commemorare. Idẽ prorſus habet Angelomus [d]. & Beda [e], qui etiam dicit, quòd Salomon nunquã perfectè pœnituit, quia idola quæ ædificauerat, nõ deleuit. Eadẽ ſunt verba Rabani, & gloſſæ ordinariæ [f]. Apud Gregoriũ nil aliud reperitur, quàm luxuria, & perfidia, id eſt, idololatria Salomonis, & quòd in ſapientia non perſeuerauerit [g]. Bernardi verba ſunt [h]: [Sapiens Dauid, ſapientior Salomon fuit: ſed blandientibus nimis ſecundis rebus alter ex parte, alter ex toto deſipuit.] Ex his qui ſunt adhuc allati, ſoli ij magis perſpicue loquũtur, qui negãt perfectam pœnitẽtiam, vel hanc illum neſciſſe. Sed forſitan de eo tẽpore loquũtur, quo diaboli, mulierúmque pedicis intricatus erat, etiãſi ante vitæ exitum reſipuerit; tali tamen tempore, quo nõ licuit ipſi vel ob populi pertinaciã deſtruere idola. Quo pacto nec Manaſſes deſtruxit, de cuius pœnitẽtia cõſtat, nec Ezechias Rex pius, nec Aza, nec Ioſaphat, nec Ioas, nec Amaſias, nec Azarias. Ioſephum [i] proferunt patronum ſententiæ. Verùm non, opinor, diſſentit ab Hebræis contrariũ ſentientibus, vt diximus; ſolùm (quod alij multi) ſcribit indignum rebus antea geſtis vitæ exitum habuiſſe. Omnium apertiſſimè damnationẽ aſtruunt Lyranus [k], & Abulenſis [l], & ex recentioribus Andreas Vega [m], cuius violenta videtur explicatio, vt Ambroſius ſanctum vocet pro eo ſolùm tempore, quo erat in gratia Dei, priuſquàm peccaret. Idem ſentit Bellarminus [n], & B. Ioannes Capiſtranus [o]: ſed argumento vtitur nimis tropologico ex liliis, quæ Chriſtus prætulit gloriæ Salomonis [p] in veſtibus. Rupertus [q] innuit eandem ſententiam, dũ ait, etſi laudatus eſt Salomõ quòd ſapientiam petierit, reprehenſionem tamen meruiſſe quòd non dies æternos, ſummumque bonũ; & ideo in nocte ſapientiam, & per ſomniũ accepiſſe, quaſi non perſeueraturum. Quod vltimũ ex Gregorio [r] videtur tranſcripſiſſe. Gerſon [ſ] item magis inclinat propter communem illam rationẽ, quia Scriptura nõ meminit pœnitẽtiæ ipſius, aitque Doctores dubitare, quòd nulla ſatisfactio pro peccatis memoretur. Pererius [t] in Epiſtolam ad Romanos idem apertè tuetur. Eandẽ ex profeſſo tuetur ſententiã Ioãnes Cognatus [u]. Ex Patribus Proſper diſertè dicit elatum in ſenio fornicatũ mente, & corpore, ac Domino ipſum deſerente malè obiiſſe; metuendũ poſteris exemplũ relinquendo, ne felicitate huius vitæ turbati Chriſtum deſerant, qui eſt ſuorum æterna felicitas. Inclinat Aquinas [x], Brigida [y], Tereſa [z].

Et quidem ſentio ſatius eſſe, ſpirituum ponderatori Deo permittere iudicium, vel expectare

donec

a 2.cont.Marci.
b Tertull.3.cont.Marcio.c.20.
c 5.cont.Marcio.c.9. quem etiam lege de præſcrip c.3.
d lib.1.ep.5. vel ep 7.lib. de vnit.Eccle. longè poſt medium.
e in Tertull. 2.cont.Martio.c.23.
f 17.de ciu.c.20. & 3.de doct. Chriſt.c.21.
g in Pſal.126. circa titulum.
h 3.Reg.12.
i 2.Reg.12.
k lib.22.cõt.Fauſt.c.88.
l p.132.ad Vitalem, & 2.cont.Iouin.
m 2.Reg 12.
n lib.de vita, & obitu Sancto.c.14.
o ep.ad Chilonem.
p cont.Thryphonem.
q lib.4.c.45.
r hom.20. in Num
ſ hom 68.in Matth.
t hom.40. & 66.& 80.ad popu. Antioche.& ep.ad Theodo. lapſum.
u in c.11. Epiſto.ad Roman.
x 2.apol. Dauid.c.4.& in 1.c.3.
y epiſt.119.
z Hebr.11.
a 7.cont.Iulia.

a cont.7.Iulianum.
b in 3 Reg. 9.15.
c in 3.Reg.c.vlt.
d 22.contra Fauſtum. c.88.
e in 3. Reg c.11.& 12.lib.4.c.23.
f tom 2 qq.in 3 Reg.c.6.& tom.4 qq in libros Reg. c.29.
g in 3.Reg. c.11.
h 8.moral.c.17.& lib.2.c.2.& lib.12.c.12.vel 13.
i 2.de conſiderat.c.12.
k 8.Antiq. c.2.vel 7.
l 2.Reg.7. & Prouer.1.30.
m 3.Reg.11. q.vlt.
n 12.in Cõc. Trid.c.2.
o libro 1.de verbo Dei. c.5.hæret.6.
p lib.de auctoritate Papæ.
q Matth.6.29.
r 5 de Trinit.c.2.
ſ 2.moral. c.1.
t 4.p.ſerm. cont.Romantium de Roſa.
u c.8.q.27.
x de proſpe.& exitio Salom.c.18.& ſeq.
y 2.de regimi. Princip.ſub finem.
z lib.4.c.28.& 19 lib.5.interrogat.13.reſp.2.

donec intremus in sanctuariū eius, nihilque definitè de re adeò obscura, incerta, parum necessaria pronuntiare. Id certum est, rem esse dubiam, quod vtriusque sententiæ auctores negare non possunt: quidam verò ita dubitant, neutram vt in partem inclinare velint, sicut Hugo [a] de S. Victore, Hostiensis [b], Panormitanus [c], Innocentius [d], Antonius de Butrio [e], Alexander de Neuo, & Ioannes Imola, & Zabarella [f], Archidiaconus [g], Turrecremata [h], & Hugo Canonista [i], & Ioannes Montolonus [k], & Simancas [l], & Henriques [m], & Barradius [n], quē reperi postquam hæc notassem, præ aliis accuratiùs quæstionem præsentem disputasse, & Feuardentius [o], & Pamelius [p], Alphonsus Villegas [q], qui narrat, Toleti iussu Petri Tenorij Archiepiscopi, in Sacello, vbi pictus est infernus, & Paradisus, Salomonis partē intra illū, & partē intra hūc locatā. Idē Villegas recitat reuelationem de egressu animæ illius ex purgatorio. Scribit quoque Nicetas Choniata [r], quòd scripsit post lapsū. Tamē Nilus Abbas cryptæ ferratæ super hac quæstione respōdens nihil prodesse vtrāuis partem scire, ait, nihil de pœnitentia ipsius in Scriptura prodi, sicut de Manassis. Refert Baronius tomo 10. annal. Idem sentit Pineda [s] noster, quem in recognitione istius operis diu pòst editū legi: itémque de nostris Setarius [t]. Benignior mihi pars, vel hoc nomine, quia benignior, magis placet, tam multis fulta Doctorum suffragiis, qui rem etiam ex instituto perpendunt, ac probant, quod qui pro contraria referuntur sententia non faciunt. Cùm respondisset adultera Christo, se à nemine condemnatam [u]; *nec ego*, ait, *te condēnabo* [x]. Sic ergo quem non condemnant plures, nolo condemnare. Et quemadmodum Christum non condemnare, fuit absoluere; ita quod in me est, Salomonem absoluo.

a homi. 5. in Ecclesi.
b c. ne innitaris. de constit.
c ibidem.
d ibidem.
e ibidem.
f ibidem.
g c. Salomon. 22. q. 4.
h ibidem.
i ibidem.
k in promptuario verb. Salomon. lit. S.
l in cathol. insti tit. 30. n. 6.
m Sum. Theol. moral. lib. 9. c. 16. n. 3. lit. S. & T.
n harmo. Euang. libr. 5. c. 9.
o lib. 1. cont. hæres. inter opera Castro.
p in Tertul. loco suprà citato.
q in flore Sanct.
r in thesau. pag. 318.
s de Salomo.
t opuscu. de hac re.
u Ioan. 8. 11.
x ibidem.

Argumenta ex ratione petita nulla me magnopere mouent, & eorum infirmitatem ingenuè sū fassus, dum obiter illa ponerem cum testimonio auctorum, quos sequor. Quæ causa est, cur patiar etiam præteriri, quod vrgent nonnulli, ambulasse Iudæos, testimonio Scripturæ, in viis Dauid, & Salomonis [y] annis tantùm tribus, quasi approbentur vitæ ipsius post mortem: hoc enim rectè intelligitur de tempore, quo nondum peccauerat. Deinde pollicitatio Dei, quòd à Salomone non auferret misericordiam, sicut à Saüle [z], quem amouit à facie sua; vel de regno temporali exponi potest, vel de spirituali Salomone Christo, vt placuit Augustino [a], aliísque. Adhæc, quia Salomon tam scripsit sapienter, ac diuinitùs multa; Christi verò quoque typus multis in rebus adeò fuit expressus, non persuadeor Salomonis salutem vt credam: contigit enim quibusdam Prophetis, vt essent improbi, qualis Balaam, Caïphas, &c. & Christum adumbrauerunt etiam non probi.

y 2. Paral. 11. 17.
z 2. Paral. 7. 15.
a 17. de ciuit. Dei. c. 8.

CAP. III.

Quo tempore Salomon librum istum composuerit.

HIERONYMVS Bachiarius, Cyrillus Hierosolymitanus, aliíque nōnulli, qui, vt priore capite vidimus, pœnitentiam Salomonis deducunt ex quibusdam testimoniis libri Prouerbiorum, & huius ipsius, multóque magis ex tota isto libro, quem ille vt vadem ac testem pœnitentiæ composuerit, sicut idem Hieronymus de sententia Hebræorum retulit, asserunt, postquam pœnituit Salomonem, editum esse hunc librum, & quidem loco vltimo. Sunt qui saltem contendant, non nisi cùm esset in gratia, seu antequam peccaret, seu post exactam pœnitentiam. Neutri conuincunt. Nō posteriores, quoniam, vt prædixi, gratia sanctificante destitutus, gratis datam potest habere. Nec priores, quia his in libris auctor varias personas induit, neque opus est, vt in sua persona loquatur, quando pœnitentis ritu loquitur, aut si de se ipso loquitur, se ipsum antè etiam quàm caderet considerabat, qualis non quidem erat, sed esse poterat. In historia Regum [a], atque in Ecclesiastico [b], & apud Iosephum [c], dum Salomonis recensentur acta, priùs libri, quàm amores eius narrantur: hoc libro Salomon ipse [d] sapientiam perseuerasse secum testis est. Credibile verò non fit, sapientiæ cœlestis lumen cum tanta cordis deprauatione habitauisse, qua sequeretur deos alienos [e], & ab animo tam molli, & mulieroso tam graues seuerásque sententias prodire potuisse. Postremò capite 2 [f]. istius eiusdem libri enumerat delicias omnes, palatia, piscinas, pomaria, seruos, ancillas, cantica, modulationes, vasa aurea, argentéaque, & huius generis alia permulta: de grege autem tot vxorum, & concubinarum, quæ erant præcipuæ deliciæ, à quibus solis cor emolliri ac deprauari tanta sapientia, & gratia præditum poterat, prorsus non meminit, etsi secus nonnullis videatur, vt dicemus.

a 3. Reg. 4. 33. c. 10. 1.
b c. 47. 17.
c 8. Antiq. c. 2. vel 7.
d c. 2. 9.
e 3. Reg. 11 4.
f vers. 4 & seq.

Res incerta ex ordine narrationis, quæ aliquando, maxime in sacris literis, prolepses habet atque anacephalæoses, anticipationes atque recapitulationes. Est quoque non nemo, qui Canticum Canticorum postremum Salomonis adhuc innocentis opus putet, velut maturioris viri, exercitati, ab animi perturbationibus penitus purgati, ac veluti defæcati. Fauent Canticorum expositores Origenes, Nyssenus, Theodoretus, Gregorius, Augustinus, Anselmus, Ricardus de S. Victore, & alij, necnon quotquot hunc librum commentati sunt, atque Ambrosius [g], & Basilius [h], quando adnotant in libris certis Salomonis, Prouerbiis, Ecclesiaste, Canticis, quandam quasi scalam ad arcem diuinæ sapientiæ sublimem. Nam, inquiunt, liber Prouerbiorum ceu pueros adhuc allicit ad honestatem pulchritudine præmiorum constantium bonis fortunæ; idcirco ab ea indulgentia vocatus est auctor nomine Idida, hoc est, amabilis. Deinde Ecclesiastes, Hebraicè *Coheleth*, omissis blanditiis, adultos, robustósque prouocat ad huiusmodi rerum despicientiam, proposita rerum vanitate. Postremò illum, qui à morali cognitione fit progressus ad naturalem, Canticum promouet ad mysticam, & ad speculationem diuiniorem siue metaphysicam Dei contemplationem, vbi conquiescamus intima pace: vnde tertium nomen auctori, vt Pacificus appelletur. Hic est status hominum triplex, incipientium, proficientium, perfectorum. Hæc via tridui, ad egrediendum ex Ægypto sacrificij causa [i]: hoc triplex Pascha, in Ægypto [k], in deserto [l], in Galgalis trans Iordanem [m]; *triplex funiculus, qui difficilè rumpitur* [n]: triplex osculum, pedum, manuum, oris. Lege Hugonem Cardinalem. [Primi libri titulus (ait Hieronymus) vocat Salomonem, filium Dauid, Regem Israël:

g libro de Isaac. c. 4. & in Psal. 36. in titulo, & in Psal. 118. vers. 1. & præfat. in Lucam.
h homilia in principium Prouerbiorum.
i Exod 8. 27.
k Exod. 12. 1. & seq.
l Num. 9. 3.
m Iosue 5. 10.
n Eccle 4. 12.

secundi, filium Dauid, Regem Ierusalem: in tertio non dicitur Rex, vel filius Dauid, quia plurimi sunt rudes, pauciores metropolitæ: rari qui superna tantùm desiderent: propter primos ac secundos paterna dignitas, regnique proprij auctoritas indicatur: perfectis, quia nó timore eruditur discipulus, sed amore filius, proprium nomen sufficit, & qualis magister est, & nescit se esse Regem.] Qua etiam de causa obseruatú est, nullú toto Canticorum libro Dei nomen exprimi ex iis quæ possunt timorem incutere, sed nomina omnia amoris. Ricardus triplicem illum statum hominum, & scientiarum adaptat tribus Patriarchis, Abraham, Isaac, Iacob. Primus obediés fuit: secundus puteos fodit: tertius scalam, & in ea Angelos vidit. Prior eam comparationem posuerat Ambrosius [a], atque cum triplici puteo abundantiæ [b] seu latitudinis, & visionis [c], & iuramenti [d]. Alij huc accommodant antiqui tabernaculi tres partes, vestibulum, aulam, penetrale: Cassianus [e] triplicem abrenunciationem iniunctam Abrahæ [f], diuitiarum, vitiorum ac morum, & vt amentur inuisibilia. Fateor hunc censeri posse magis ordinem librorum inter se iuxta doctrinæ rationem, quàm temporis; & Hebræi censent cùm esset Salomon adolescens, & necdum Rex, Cantica fudisse: Prouerbia grandem natu: Ecclesiasten in ætate senili. Videntur insinuare, imò id asseuerant eorum nonnulli, canere Salomonem in Canticis laudes vxoris suæ, filiæ Pharaonis: quod meritò consutat Philastrius [g], & Iacobus de Valentia [h], necnon vel hac in re præter morem castus Beza [i], qui hoc nomine Castalionem castigat: & paulo minorem meretur reprehensionem Theodorus Mopsuestiensis, cúcta referens ad nuptias profanas, quod faciunt item Anabaptistæ. Cosmas Damianus [k] Hortolanus arbitratur à Salomone sene pœnitente Cática loco vltimo composita, cùm se repurgandú spiritui sapientiæ præbuisset, & expiandum, vt dignum Deo templum efficeretur. S. Bernardus [l] attendit alium ordinem tropologicum, secúdùm quem primus est liber Ecclesiastis; in eo enim pellitur vanus amor mundi: in Prouerbiis superfluus amor sui: in Canticis præscribitur castus amor Dei: in primo dissuadetur vanitas mundi: in secundo mores informantur: in tertio est perfectio, & consummatio. Ex ordine, quo dispōnútur libri in Bibliis, non potest argumentum certum sumi de ordine temporis, quo scripti sint libri Salomonis, vt patet ex aliis, in quibus non respódet collocationis ordo temporis ordini, vt libro Iob, & similibus: & de Psalmis docet Cassiodorus [m], Ioánes Picus [n], Petrus Bógus [o], verbi gratiá, tertius deberet esse post 50. & 51. ante: siquidem in tertio agitur de persecutione Absalonis, quæ contigit post peccatum Dauid, eiúsque pœnitentiam: in 51. de proditione Doëg Syri, quæ longè antecessit idem peccatum Dauid. Vnde censentur Interpretes L X X. digessisse Psalmorum ordinem non sine mysterio, cùm apud Hebræos absque ordine reperirentur. Placet ergo sententia communior, post lapsum à pœnitente Salomone librum istum esse compositum. Chrysostomus [p] quoque sentit, & Beda in fragmentis, quæ sunt in tomo 7. operum editorum anno 1569. & Aiguanus in Psal. 88. is qui antea Innominatus vocabatur; & Macarius hom. 4. annumerat sanctis Patribus, Prophetísque: vt omittam Titelmannum in commentario ad c. 2. &

a præfat. in Lucam, & lib. de Isaac. c. 4.
b Gen. 26. 33.
c Gen. 16. 14.
d Genes. 21. 31. 32.
e coll. 3. c. 6.
f Gene. 12. 1.
g de hæres.
h præfat. in Cant.
i præfat. in Iosue.
k isagoge in Cant.
l sermon. in Cant.
m in Psal. 26.
n in apolog.
o lib. de myster. numerorum cum de binario.
p hom. 55. ad pop. & hom. contra concub.

A Feuardentium in Esther. [a] Videtur, imitatus patrem, docere post pœnitentiam iniquos vias diuinas [b] voluisse. Quòd fœminarum, quas adeò multas habuerat, nominatim non meminit, spectat ad modestiam, & satis illas innuit, commemorando alia voluptatum genera, dicendóque se à nulla prohibuisse cor suum, nec oculis, quæ desiderassent, negauisse [c]. Præterea sub vocabulis *sagenæ, compedum, laquei*, [d] rem illam eandem indicat, quia sic alibi describit [e] meretrices. Nec obstat, quòd perseuerasse sapientiam secum affirmet [f]; de naturali namque, non de diuina per se infusa, donóque Spiritus sancti loquitur.

a in c. 1.
b Psal. 50. 15.
c c. 2. 10.
d c. 7. 27.
e Prou. 7. 21.
f Eccle. 2. 9.

B

CAP. IV.

De titulo.

ECCLESIASTES, Græcè ἐκκλησιαστής, Hebraicè קהלת *Coheleth*, titulus libri est, quia ipsemet auctor initio libri sic librum nominauit, inquit Athanasius [g]. Duplex tituli ratio passim ab Interpretibus assignatur: vel quòd anima Salomonis (est enim participium Hebræum fœminini generis) scientias in se omnes congregasset, ac sibi comparasset: aut potiùs collectas in eius Deus sinum coniecisset: vel quia populum vocabat in concionem, vt de rebus grauibus haberet sermo-
C nem ad illum, non ad vnum aliquem duntaxat: ita nominatim citatus Athanasius, & Salonius. Gregorius [h], Bonauentura [i], & alij tertiam veluti causam reddunt, quia induit hoc libro Salomon varias personas, nec ex sua duntaxat loquitur. Iacobus de Valentia [k] ad primam causam existimat pertinere verba capitis trigesimi Prouerbiorum: *Verba congregantis filij vomentis*. Quasi dicat, quòd priùs congregauit ab aliis, siue à Spiritu sancto sententias, quas intendit dicere, & postea euomuit, & manifestauit, & eructauit eas, quia omnia illa congregauerat ex dictis Patriarcharú, & maximè ex libro Psalmorum Dauid patris sui. Quamquam [l] alus videtur, non esse parabolas
D capitis trigesimi Salomonis, sed Agur filij Iache, quæ nomina habet textus Græcus, vt propria. Idem sub finem istius libri significat Salomon, quando repetens primam libri sententiam; *Vanitas vanitatú*, &c. ait: *Cumq́; [m] esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat, & inuestigans composuit parabolas multas. Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos: ac veritate plenos. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorú consilium data sunt à pastore vno.*

Quartò Titelmannus obseruat, concionatoris in eo Salomonem partes exequi, quoniam statim à principio thema proponit (*Vanitas vanitatum*, &c.) idipsum subinde repetés & inculcans in ser-
E monis progressu, & circa illud pertexens totum sermonem; & quamuis, quod peritus concionator facit, digrediatur nonnunquam ad alia, eodem recurrit tamen, diligenter ac particulatim demonstrans veritatem primæ propositionis, quá sic bene probatam, vt conclusionem ad extremú, & clausulam reponit. Præterea falsa quæ obstant argumento proposito, refellit, veritatem confirmat, damnat vitia, virtutes laudat, prædicat demum, instat opportunè, importunè, arguit, obsecrat, increpat, pro vt Ephesinum Ecclesiasten Timotheú Paulus [n] vt faciat, obtestatur. Caietanus magis angustam nominis rationé dat à

g in synopsi.
h dial. lib. 4. c. 4.
i præfat. in Eccles.
k præfat. in Cantica.
l vt Iansenio & Rodolpho Bayno in c. illud 30. Prouerb.
m Eccles. 12. 9. 10. 11.
n 2. Tim. 4. 2.

vanis,

…is, atque rationibus vanitatis, quas hic collegerit.

Quinto loco Olympiodorus eo nomine significari notat, in Ecclesia Dei verba sapientiæ custodiri. Et sane ita est: semper enim viguit ab initio mundi Ecclesia, propter hanc vniuersalitatem quoque temporis Catholica, nec extra illam vera, solidáque sapientia reperitur: & Christus tanquam verus Ecclesiastes, ex omnibus gentibus, populisque duobus, ait ille idem Pater, vnam sibi fecit Ecclesiam; quam dicere possumus sextam causam, quæ est etiam Nysseni, & Hieronymi. Septima est eiusdem Nysseni, quòd quamuis in Ecclesia legãtur aliæ Scripturæ; sed nulla tam vtilis: nec enim Ecclesiã adeò curare bella, Principes gentium, vrbium conditores, coloniarum ac regnorum principia, matrimonia: hic explicari, quæ ad solam ciuitatis Ecclesiæ pertinent administrationem, hoc est, per quæ quis rectè & ex virtute vitam instituat. Insinuat eandem rationem Athanasius [a], dum ait, quæ sunt spiritus hoc libro tradi: *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia,* inquit ipsemet Deus apud Esaiam [b].

a in synopsi.
b c.48.17.

Qui naturalium rerum hoc in libro tractationem contineri potiùs, quam moralium volunt, vt præcedente capite vidimus, non satis video quàm aptè nomen *Ecclesiastis* interpretentur pro *concionatore*, cuius profectò est, res potiùs morales persequi, vtpote populo maximè accommodatas, magísque necessarias, quàm naturales.

Sed quid titulus libri Ecclesiastici differt ab Ecclesiaste? Libro illi eum titulum Latini fecerunt: Græcè namque, quo tantùm idiomate præterea scriptus extat, inscribitur, Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιράχ, *Sapientia Iesu filij Sirach;* Hebraicè verò testis est Hieronymus [c] titulum legisse משלי *Misle, Prouerbia.* [Ad imitationem (inquit Iansenius [d]) & simul distinctionem libri Salomonis, qui Ecclesiastes dicitur, eo modo vocatus est liber Ecclesiastici, quòd Ecclesiæ ædificandæ plurimùm vtilis sit, sicut & à Græcis cognominatus est Πανάρετος [e], quòd omnium virtutum, & morum
D doctrinam contineat.] Alius huic libro titulus à nonnullis assignatur, vt meminit Georgius Ederus [f], videlicet Soliloquium Salomonis, quoniã solus in eo loquatur, nunc in persona sapientis, nunc in persona stulti. Est autem notandum, quia Salomon sapientiæ laude excelluit, eáque in omni libro eius insigniter enitescit; sicut absolutè *Sapientis* nomine solet exprimi, libros quoque singulos titulo *Sapientiæ* consuesse nuncupari, quamuis vnus propriè sit, qui Sapientia vocatur, incertum an à Salomone compositus. Hoc pacto nõ solùm in Ecclesiastico officio loquimur, cùm recitamus sacras lectiones ex aliquo Salomonis libro, & Prouerbiorum, &c. aut etiam ex libro
E Ecclesiastici, quem constat non esse scriptum à Salomone; verùm etiam vetusti quidam Patres, qui & propter similitudinem styli, vt Augustinus [g] ait, præter Ecclesiasten, Cantica, Prouerbia, tanquam Salomonis opera citãt Ecclesiasticum, Sapientiamque. Cyprianus [h] quod est in Ecclesiastico, citat vt Sapientiam Salomonis, necnon Hieronymus [i], & quod est in Ecclesiaste Gregorius [k]. Fit quoque plerumque, vt siue memoriæ lapsu, siue nominum similitudine quidam pro Ecclesiaste citent Ecclesiasticum, ac vice versa: & potuit errori dedisse ansam ratio scribendi per compendium, quæ liberum facit vt Ecclesiast. mutile scriptum modò Ecclesiasten, modò quis

c præf.115.
d proœm. in Ecclesiasticũ.
e Hiero. [illegible]
f [illegible] Bibl. [illegible]
g 17. de ciuit. Dei c. 2[illegible].
h libro 3. ad Quirinum. [illegible] & 53. & [illegible]
i [illegible]
k [illegible] Psal. 4. [illegible]

A exprimat Ecclesiasticũ. Imò reperio qui pro vno alium citent librum, pro Ecclesiaste Prouerbia. Sic quidem Origenes [a] sententiam profert quæ est huius libri capite decimo; *Si spiritus potestatem habentis,* &c. tanquam ex Prouerbiis. Idem Origenes [b] videtur vt diuersos citare Ecclesiasten, & Salomonem: & Chrysost. [c] dum affert locum ex Cantico canticorum, nominat Ecclesiasten: eodẽ modo Hieronymus [d], dum recitat ex Prouerbiis: sed & sub Ecclesiastici nomine citat [e] ex hoc nostro libro [f]. Adde, vnum ex principibus membris, in quæ Scripturæ libri diuiduntur, esse, vt quidam dicantur Sapientiales; etsi etiam aut inter parænetieos, aut hagiographos, aut
B poëticos liber iste censeatur.

a hom. 3. in Cant.
b in Catena Barbari in Psal. 8.
c in Psal. 5.
d in Esa. c. 65.
e in Epist. ad Ephes. c. 4.
f c. 10.

Postremò circa nomen Hebræum קֹהֶלֶת *Coheleth,* generis fæminini, obseruã, solere Hebræos huius generis nominibus pro masculinis vti ad exprimendam magis rei præstantiam & elegantiam, ita vt concionatricem Salomon vocare se videatur, vt significet elegãtem concionatorem. Hoc modo, quod legimus in Psalmo [g]; *Dominus dabit verbum euangelizantibus,* Hebraicè est in genere fæminino הַמְבַשְּׂרוֹת *hammisberoth*, vt denoteretur, Deum missurum excellentissimos Euangelij prædicatores. Id quidem placet Riberæ [h], quamuis aliis aliud, qui etiam exponit eodem sensu quod est apud Aggæum [i]: *Nuncius Domini*
C *de nunciis Domini,* vbi Hebraicè est fæmin. בְּמַלְאֲכוּת *bemlachoth.* Lege quæ dicimus capite 7.

g Psal. 67. 13.
h in c. 1. Agg. n. 22.
i c. 1. 13.

CAP. V.

Argumentum libri.

EX dictis de libri titulo satis colligi possunt quæ pertinent ad argumentum, necnon ex iis, quæ disputata sunt cap. 3. Tradunt cæteri Patres cum Origene [k], & Basilio [l], naturalem disciplinam hîc tradi, simul tamen inania ac vana ab vtilibus, necessariísque secerni, monendo
D relinquendam vanitatem, & vtilia, honestáque sectanda, vt timeatur Deus, ciúsque mãdatis pareatur. Itaque studium scientiarum nominatim exploditur capite primo: appetitus deliciarum capite secundo: desiderium longioris vitæ capite tertio: ambitio dominationis capite quarto & quinto: cupiditas diuitiarum capitis quinti posteriore parte, & capite sexto: ars diuinandi, seu præcognitio futurorum capite septimo: venatio laudis ac famæ capite octauo: sectatio fortunæ in medio capitis octaui, & capitis noni: robur corporis in capitis noni parte altera, atque capite decimo: species floridæ iuuentutis capite vndecimo & duodecimo. Lege Ederum [m], Villaui-
E centium [n], Canum [o], Salmeronem [p]. Bonauentura sentit, materiam huius libri esse vanitatem, seu res, pro vt de his demonstratur vanitas, veluti quædam earum pallio, eáque triplex, naturæ, culpæ, miseriæ. Occurrit etiam argumento, quo suadetur de vanitate scientiam esse non posse. Hugo Cardinalis, post Hugonem Victorinum, vanitatem, operis huius subiectum, distinguit in mutabilitatis omnis creaturæ, curiositatis rationalis, mortalitatis animaliũ, siue naturalis, culpabilis, pœnalis, siue eius, quæ est quædam causa peccati, alterius quæ peccatum, tertiæ, quæ pœna: primæ in his, quæ propter homines sunt, quæ ab hominibus facta, quæ in hominibus. Distinctè quoque

k prolog. in Cantica.
l homil. in princ. Prou.
m 2. œconom. Bibli.
n 2. de ratione studio. Theol. c. 16.
o 9 de locis Theol. c. vlt.
p tomo 1. prolegom. 9. quinquag. 1. can. 24.

numerari refutatæ libro isto vanitates decem possint. In capite primo immoderatum sciendi studium: in secundo appetitio deliciarum: in tertio vitæ longioris desiderium: in quarto & quinto ambitio dominij, dignitatísque: in parte quinti, & in sexto toto cupiditas diuitiarum: in septimo diuinandi ars, ac præscientia futurorum: in octauo venatio laudis, & famæ: in nono fortunæ consectatio: in parte noni, & in decimo toto corporis robur: in vndecimo & duodecimo specimen ætatis floridæ.

Moralissima sunt hæc, negari nō potest, si spectentur in se, ac per se; tractandi verò ratio physica magis. Nam, vt ait Hugo Victorinus [a], monens non esse multùm hoc in opere laborandum perquirendis tropologiis, & mysticis allegoriarum sensibus; auctor non tam moribus instituendis, vel mysteriis enarrandis intendit, quàm vt cor humanum ad rerum humanarum contemptum manifesta rationum veritate, atque exhortatione vehementi commoueat. Fatetur tamen Hugo inseri nonnulla mystica, & iuxta spiritualem sensum intelligenda. Iacobus de Valentia [b] contendit esse quoque librum propheticū, continentem mysteria de Christo, & Ecclesia. Augustinus [c] absolutè docet, Salomonem prophetasse in omnibus libris suis, atque in illis, qui propter eloquij nonnullam similitudinem ipsi attribuuntur, hoc est, in Sapientia, & in Ecclesiastico. Et id quidem commune toti Scripturæ, vt mysticum quid contineat, tanquam liber scriptus intus [d], forísque, vt Hugo Cardinalis notat [e], atque Christum aliquo modo resonet. Olympiodorus [f] retinens distinctionem illam trium librorum Salomonis cum rebus quas tractant propriè singuli, [est tamen (inquit) inuenire & in Ecclesiaste moralium interspersam doctrinam, & rerum naturalium in Prouerbiis; sed & in vtrisque ea quę intellectualia sunt.] Agnouit Ambrosius [g] permixtionem istam mysticorum in Prouerbiis, naturalium in Canticis, quamuis de Ecclesiaste nihil dicens, indicare videatur totum, constare solis naturalibus, quemadmodum prior auctor de Canticis asserit sola mystica continere.

Rabbi [h] Moyses ex veterum traditione refert, Salomonem in libris quos edidit, ceu prælongo fune de præcedentium scriptorum puteo sapientiæ profundam, ac frigidam aquam hausisse. Monet nihilominùs [i] nō fuisse sapientiorem Mose, sed hominibus tantùm sui temporis: quod Hieronymus [k] extendit ad eos qui præcesserunt, sed in Ierusalem; nec enim sapientiorem fuisse Mose & Abraham: idémque cum Hieronymo tradit glossa interlinearis [l]; Hugo quoque Cardinalis, Arboreus, aliíque expositores, & Ioannes Ludouicus Viualdus [m], qui excipit Ioannem Baptistā, & Apostolos, & Adamum, Abraham, Mosen; & ex Iosepho [n] probat comparari tantùm cum sapientia Hebræorum, qui tūc viuebant. Lege quæ de hac re dicimus capite primo; quāuis Nazianzenus [o], & quidam alij absolutè loquentes, affirment omnibus sapiētiorem fuisse, & Abulensis [p] præferat etiā Adamo, & omnibus, præter Christum, & beatam Virginem, quam concedit etiam inferiorem fuisse in scientia rerum naturalium. Loquitur autem propriè de scientia habituali, & quidem omni, de qua [q] docet cur omnem Deus dederit, cùm petiisset solùm prudentiam ad regendum.

a præfat. in hunc librum.
b præfat. in Cant.
c 17. de ciu. Dei c. 20.
d Ezech. 2. 9.
e in Ecclesiasten.
f in Ecclesiasten.
g in Ps. 118. vers. 1.
h lib. 1 ductoris dub. in proœmio.
i lib. 3 c. 55.
k in c. 1. Eccles.
l in c. 1. Eccles.
m tract. de magnif. Salomo. c. de sapientia.
n 8. Antiq. c. 2.
o orat. 3. Theol
p 3. Reg. 3. q. 7.
q q. 8. 9 & 10.

A Athanasius [a] vult scopum Salomonis hoc in libro esse, impugnare Græcorū, ac Ægyptiorum errores, philosophando de naturali rerum theoria: propterea compescere inane studium illorum circa inuestigationem naturæ, & istorum circa diuinationes ex hominis natiuitate; cæterùm stabilire diuinam prouidentiam, & æternorum bonorum in nobis curam. Simile quid refert Hugo Cardinalis ex Hebræorum sententia, nempe contra idololatriam potissimùm scribere hîc Salomonem; sed quandoque, ne nimis offendantur Gentiles, obscura quædam dicere, quæ illi ad se detorquere possint. Alij, de quibus Lyranus, tradunt, cùm propter celebritatem sapientiæ Salomonis plurimi audire illum cuperent; præcipua verò quæstio de felicitate agitaretur, de hac

B Salomonem sententiam suam apertè pronunciare voluisse.

Itaque subiecta libri materia censeri potest vel vanitas, vel felicitas, vel rerum vanarum contemptus, cum amore solidæ felicitatis. Refert Ludouicus Viues [b] ex quorundam sentētia, cùm spiritu prophetico præuideret diuisionem regni sui sub Roboam filio suo, adductum in contemptum instabilis vanitatis, librum hunc edidisse. Augustinus [c] totum librum deputari dicit vanitati intimandæ, non vtique ob aliud, nisi vt eam vitam desideremus, quæ vanitatem non habet sub hoc Sole, sed veritatē sub illo, qui fecit hunc Solem. Item [d], quòd copiosissimè in summum

C contemptum omnia ista perducit; & verba illius si attendantur, si pendantur, si discutiantur, multa inueniri pernecessaria iis, qui hunc mundum fugere, & in Deum refugere desiderant. Rupertus [e] intentionem libri in eo esse, vt certam præbeat rationem spei, scilicet in quo non sperare, & in quo spem suam ponere debeat homo rationalis.

Meritò igitur Ambrosius [f] bonum ad omnia magistrum nominat Ecclesiastis librum. Hieronymus [g] testatur se Romæ hunc Blesillæ librum exposuisse, vt eam ad contemptum mundi prouocaret, & omne quod in mundo cerneret, pro nihilo putaret esse. Albinus [h] quoq; ad enarrandum eundem Ecclesiasten adductus est, vt ex-

D tractos è monasterio ad munia Ecclesiastica Oniam Sacerdotem, id est, Episcopum, Candidum Presbyterum, & Nathanaëlem Diaconum, à mundi vanitatibus præmuniret: aitque de vana possessione diuitiarum in huius seculi deliciis penè sapientissimum Salomonem totum composuisse hunc librum; quem hortatur vt semper pro magistro habeant in manibus. Paucis quidem conscriptum sententiis librum hunc Philaster scribit, sed omnem thesaurū cœlestis scientiæ quærentibus continentem. Nyssenus scopum libri ait esse, mentem supra sensum exigere, & vt quiescat efficere, relictis omnibus, quæ magna, & præclara videntur in rebus, ad ea quæ sensus

E comprehensio minimè potest assequi, assurgere, & illorum teneri desiderio, quæ sensus non attingit. Rabbini hunc librum cum Ezechielis libro vocant *ghenuzim*, id est, apocryphos, ob obscuritatem, & mysteria, quæ humana capere non possit infirmitas. Eodem nomine vtitur auctor libri Zohar in Deuteronomio [i].

* * *

a in synopsi.
b in 20. de ciuit. c. 3.
c lib. 20. de ciuit. c. 3.
d de morib. Eccles. c. 21.
e 7. de Trini. c. 9.
f lib. de Tob. c. 13.
g præfat in hunc librū.
h in præfat.
i fol. 141.

COM

COMMENTARIVS
IN ECCLESIASTEN.

SVMMARIVM.

VANITATEM in rebus præsertim humanis demonstrat Ecclesiastes, quia nemo est qui non de suo queratur labore, doleátve minimum se pro eo præmium reportasse: deinde quòd quamlibet in perquirendo diligentiam adhibeas, nihil sub Sole nouum reperias: tum verò quoniam hoc deprehenditur plena omnia esse liuore, auaritia, contentionibus, detractionibus, maledicentia, stultorum quoque turba, quibus obsisti ægrè possit.

CAPVT PRIMVM.

1 VErba Ecclesiastæ, filij Dauid, Regis Ierusalem.

2 Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

3 Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole?

4 Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.

5 Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibíque renascens,

6 Gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.

7 Omnia flumina intrant in mare, & mare nõ redundat: ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant.

8 Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.

9 Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.

10 Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.

11 Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo.

12 Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Ierusalem,

13 Et proposui in animo meo quærere

A & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.

14 Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.

15 Peruersi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.

16 Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem: & mens mea contemplata est multa

B sapienter, & didici.

17 Dedíque cor meum vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroréſque & stultitiam: & agnoui quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus:

18 Eo quòd in multa sapientia, multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem.

C *Vers.* 1. Verba Ecclesiastæ, filij Dauid, Regis Ierusalem.

BONAVENTVRA verba, non parabolas hic poni docet, quoniam in libro Prouerbiorũ res erat cum paruulis & indoctis, quibus conuenit sermo parabolicus (sic solent fabulis instituí pueri) sed apertus: hic autem cum proficientibus, quos decent aperta, simulque propria verba. Hugo Vi-

ftotimus numero multitudinis multiplicem disputationem designari dicit,& ad diuersas deductam sententias, de moribus, studiis, operibus multorum,quorum induit personam,quósque libro extremo cunctos inuitat, vt suam definitam sententiam attendant, quasi vnicum post multa verbum. Prophetæ præfantur interdum eodem pacto,& quidam addunt (*Verbum Domini:*) de qua formula lege Ribetam [a] nostrum, & Prado [b]. [Verba hæc cuncta erudientis nos aspernari vitæ huius vanitatem (inquit Olympiodorus) auditorem conuertunt,atque hortantur ad verbum fidei,quæ est in Christum Dominum nostrum.

a Oseæ 1.n.1. & 2.
b in Ezech. c.1.5.

Ecclesiastes.] Lege præfationis caput quartum, & quæ dicimus capite septimo,& Hieronymum, Salonium, Albinum, atque alios,qui hoc, & alia duo nomina,Idida,& Salomonis,dilecti,ac pacifici,de Christo mystice interpretantur. Ecclesiastis,& concionatoris munus, cum sermo est de rebus Ecclesiasticis, sacrisque, sacrum, & Ecclesiasticum habetur:tamen regiam,& politicam supremam dignitatem maxime decet eloquentia, & in concione concio, seu oratio de virtute ad multitudinem. Docent id sacra æque ac profana tum testimonia,tum exempla, qua de re nonnihil diximus capite duodecimo historiæ Apostolicæ. Collegit Remigius Florentinus militares conciones ex historicis antiquis & recentibus, easque fecit Italicas. Monet etiam nomen hoc officij concionatorem sui, vt omnis eius oratio spectet, prosit omnibus, ad omniū se vtilitatem, necessitatémque attemperet:seruet enim in dicendo,ac docendo ordinem,quem Salomon in Prouerbiis,Ecclesiaste,Canticis;de quo item egimus in præfatione,ne præposterè,ac præcipitanter instruens,destruat,non construat.

Filij Dauid.] In libro quoque Prouerbiorum [c] sic seipsum nominat Salomon, videlicet filium Dauid. Quocirca non est idonea,nec vera caussa, quam Bonauentura recitat, velut Hebræorum nonnullorum, nunc humilem, ac pœnitentem Salomonem ab alio se denominare,ibi non item. [Ad incipientes, & proficientes,ait Hieronymus, cæterique, & paterna dignitas, & regni proprij indicatur auctoritas.] Dignitatem porrò paternam intelligere possumus,non regiam solum,sed ob pietatem,atque sapientiam, quibus de causis pergrata existebat memoria Dauid, & vel propter ipsum non poterat non esse gratus filius, quæque is ex adeò bona institutione depromeret,sicut etiam monet Olympiodorus. Simili de causa possumus affirmare cum Beda [d], Marcum sic exorsum; *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei* Angelum vocasse sponsum Mariæ filiū Dauid [e]: nonnullos Prophetas patrum suorum nomina expressisse, vt obseruant Patres [f], & Rabbini [g]. Facere laudes patrum ad eas quæ filiis tribuuntur,docet Ambrosius [h], vt veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in iis præcellere videatur. Imitator hoc opere patris sui est in agnoscenda, confitendaque culpa. Si verum esset quod ait Rupertus [i], natum Salomonem ex matre sterili,vt ex Sara [k] natus est Isaac, ex Rebecca [l] Esau,& Iacob, ex Rachele [m] Ioseph, & Beniamin, ex sua [n] Samson, ex Anna [o] Samuel, ex Elizabeth [p] Ioannes: prætereà,si quod ait de seipso Salomon [q]: *Ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea*; propriè accipiatur,quasi ex Bethsabea non alium susceperit Dauid, quàm Salomonem,vt sibi persuasit Abulensis [r], & Lyranus [a], & Hebræi, quos hi citant, & Vatablus, licet adoptauerit eos, quos illa genuerat Vriæ primo viro:hæc,inquam, si concedamus,erit cur Salomon se peculiariter Dauid filium, cui & in regno [b], matre deprecante, successit, memori, gratóque animo nominare velit. Cæterum qui recensentur [c] filij Bethsabeæ, præter eum quoque, qui primus natus est, ac statim extinctus [d], liquidò demonstrāt matrem fœcundam, & Scriptura satis præ se fert patrem eorum naturalem Dauidem fuisse:dicit enim natos esse ei [e]. Itaque Salomon vnigenitum se vocat coram matre sua, quia perinde diligebatur ab ipsa, ac si vnigenitus esset, quod indicat modus ille loquendi (*coram matre sua*) & non matri, atque participium ἀγαπώμενος,id est,*dilectus*,quo ibidem vtuntur LXX. Fortasse etiam is, qui post mortem infantis ex adulterio geniti susceptus est per legitimum matrimonium,& secuta in vtroque parente pœnitentia,ideo maximè dilectus est,atque vel a matre ipsa nutritus, vel coram ipsa, cùm alij extra domum, & a nutricibus, ac proinde Dauid eundem summopere dilexit, vtpote recuperata iam gratia ab se genitum, regni successorem, ac de quo prolixè tā multa Deus promiserat; & vicissim Salomō gloriabatur hoc nomine,quod Dauid filius & esset,& diceretur.Salonius [f] ait dictæ appellationis causam fuisse,quòd prior frater vterinus mox mortuus est,quasi qui nunquam fuisset, ac sine nomine ab hac vita discessit. Hoc prior dixit Hieronymus [g]. Lege quæ de *vnigeniti* voce notauimus cōmentatio ad primam Ioannis Epistolam [h], & Iansenium [i], qui refutat priorem illam sententiam Lyrani,& Lyranum sequitur refutantem Raymundi expositionem loci Prouerbiorum ad literam de Christo, quæ fuit quoque Galatini [k] (qui putauit etiam idem quod dicti alij de vnico filio ex Bethsabea) & Carthusiani, & Ioannis Benedicti.Hugo Cardinalis [l] dicit,inter illos filios Simmaa,Sobab,Nathan, Salomonem,hunc poni vltimo loco,quia per ipsum deinceps texitur genealogia, non quia fuerit vltimus.

c c.1.1.
d in c.1. Marc.
e Matth.1.20.
f Basilius in c.1.Esaiæ. Ruffin.in c.1. Amos. Hier. prolog. in Esaiam.
g R. Abraham in c.1.Ioel. R. Dauid Kimhi in Sophon.
h in Luc.c.1.
i libro 1.in Matth.
k Gen.21.2. & seq.
l Genes.25. 21.& seq.
m Gen.29.12. & seq.c.35. 17.& seq.
n Iud.13 & seqq.
o 1.Regum 1 20.& seqq.
p Lucæ 1.7 & seqq.
q Prouer.4.3.
r 1.Paral.3. q.4.

a ibidem, & Prouerb.4
b 3.Reg.1.29. & seqq.
c 1.Par.3.5.
d 2.Reg 12. 18.
e 1.Par.3.5. 2 Reg.5.14.
f in c.4. Prouerb.
g in c.4. Prouerb.
h c.4.9.
i in c.4. Prouerb.
k lib 3 c 5.
l 1. Paral.3.

Regis Ierusalem.] Et hoc spectat ad dignitatem personæ,proindeque non ad vtrumuis referri posse, vel ad Dauidem,vel ad Salomonem,vt sentit Lyranus,Carthusianus,Arboreus,atque Caietanus, sed ad secundum. Nam licet sit verum, Salomonem natum ex Dauide iam Rege in Ierusalem, alios filios in Hebron: Saülem quoque nullam habuisse ciuitatem regiam,sicut ratiocinatur Caietanus, tamen planior sensus est de Ecclesiaste, qui se Regem nominet in Ierusalem, quemadmodum in libro Prouerbiorum [m] Regem Israel. Differentiæ causam in eiusmodi inscriptione reddere solent cum Hieronymo, qui monet etiam superflue in Græcis, & Latinis codicibus additum hic inueniri (*Israel:*) quoniam Prouerbia, quasi rudis institutio, ad duodecim tribus, & ad totum pertinent Israël:contemptus verò mundi, de quo est Ecclesiastes,non nisi metropolitis cōuenit,hoc est,habitatoribus Ierusalem. Hoc dupliciter accipi potest,vel tropologicè cum Bonauentura,de illis, qui suspirant ad cœlestem Ierusalem, profitentes se hic non habere ciuitatem permanentem,sed futuram inquirere [n]: vel simpliciter de incolis terrenæ ciuitatis, vt exponit Gerardus Moringus; quoniam hi studio diuitiarum, honorum,voluptatum,& id genus, inquit, impensiùs quàm cæteri dediti sunt. Non probo

m c.1.1.
n Heb.13.14.

sensum

[illegible]m Caietani, quòd innuatur, scriptũ librum in Ierusalem, quódque is dirigatur tãtùm ad populum fidelem, non ad Ethnicos, nihil credentes de salute animæ post mortem, de inferno, &c. Forsasse in secessu composuit Salomon, nec putandus est voluisse libri fructum restringere ad solos Israëlitas, imò potiùs, vt ante dictum est, Gentilium superstitiones, ac errores hoc opere confutare intendit. Græci codices nostri retinent adhuc lectionem improbatam ab Hieronymo: βασιλέως Ισραὴλ ἐν Ιερουσαλὴμ, *Regis Israël in Ierusalem*; eámque sequitur Olympiodorus auctor Græcus, mysticè de Christo exponens quomodo sit Ecclesiastes Rex videntiũ Deum, & pace fruentium. Constat, vt quondam quidam dicebantur Reges Salem, aliique denominabantur à principe ciuitate Reges; ita posse hîc intelligi esse idẽ dicere, Regem Ierusalem, ac etiam Israël. Energiam notat Olympiodorus in expressione vocabuli *Regis*, quia quo rarius est, vt Rex, Princépsve concionetur, hoc redduntur lectores, vel auditores attentiores ad auidius excipienda illius verba, mentique altiùs imprimenda. Basilius [a] præterea monet, multum referre ad præcepta de moribus, si Rex sit, qui ea præscribit: existimari namque talem hoc nomine dignum quærere vtilitatem communem, non priuatum commodum, quod Tyrãni potiùs esse censetur. Postremò nullus aptiùs, & efficaciùs de mundi contemptu disputat, quàm expertus, nec alteri faciliùs creditur, quàm quę tanti aliquando fecit, eadem postea refutanti; vt hoc loco Nyssenus, vel Thaumaturgus ratiocinatur.

a hom. princ. Prouer.

Hæc porrò descriptio personæ, quam titulus continet, satis designat Salomonem, sicut etiam expressit Chaldaica paraphrasis; quem primum non assentior Caietano [b] nomen operibus suis indidisse. Nam Iosue librum, Samuelis, Iob, illi ipsi, quorum sunt inscripta nomina, vt de posterioribus taceam, Esdra, & Prophetis, composuisse censentur, iuxta non improbabilem sententiam. Quamquam nõ oportet semper, vt ex titulo, qui proprium gerat cuiusquam nomen, inferatur libri auctor, cùm is esse possit, de quo liber sit scriptus. Attamen quod librum istum Salomon ediderit, ostensum est in præfatione [c]. Modestiæ causâ supprimunt quidam nomen; nec vanitatis [illegible]o caruisse Marcus Tullius [d] scribit, qui qui[illegible] libris de gloria contemnenda scripserunt, [illegible] inscripserunt, & in eo ipso in quo prædicationem, nobilitatémque despiciebant, prædicari se ac nominari volebant. Nihilominùs designatio nominis, vt idem Caietanus [e] monet, facit ad libri auctoritatem, quo qui nomine liber caret, habetur apocryphus, imò & suspectus, vt proinde missu Concilij Tridentini [f] debeat exprimi, & patria quoque [illegible] ex decreto Clementis VIII.

b in c. 1. Prouerb.
c [illegible]
d orat. pro Archia.
e in c. 1. Prouerb.
f in regulis indicis.

Ierusalem.] De hac voce lege quæ dixi in capite primo Actuum Apostolicorum [g].

g ver 4. & 8.

Vers. 2.] Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

CHaldæa paraphrasis (*dixit in verbo suo: vanitas vanitatum, seculum hoc: vanitas vanitatum, omne quod laboraui, omnino vanitas.*) Augustinus [h] dicere solet, *vanitas vanitatum*, aut *vanitantium*, & vanitatem esse fallaciam, vanitantes vel falsos, vel fallentes, vel vtrosque, qui tanquam prima sectantur extrema, & omnia, comparatione Dei, nulla esse, quamuis per se considerata, sint ntita, & pulchra: sed in retractationibus [a] monet, se id in multis quidem codicibus legisse, sed Græcum non habere: deprehendisse autem postea Latinos esse veriores, qui habent (*vanitatum*) non (*vanitantium:*) tamen quæ ex huius occasione mendositatis disseruerit, esse vera. Præterea Petrus [b] Damiani secutus eandem lectionẽ, docet quòd vanitas efficit vanitantes, & hi vanitatem; dum & mundus, qui transitorius est, homines, quos decipit, vanos reddit; & homines mundum, quem insanè diligunt, in vanitatem vertunt. Hieronymus notat quosdam Græcè interpretari, ἀτμὸς ἀτμῶν, *vapor fumi, & aura tenuis, quæ cito resoluitur* (הבל *habel* significat etiam *halitum*: & ματαιότης id quod fit μάτην, id est, *frustra*) formulam item hanc valere ad exaggerandam significationem (addit Hugo Victorinus, ad exprimendum affectum, atque admirationem) vt cùm dicitur Canticum canticorum, carmen excellens, Deus deorum, Rex regum, Dominus dominantium, Cœlum cœlorum, Sabbatum sabbatorum, Sanctum sanctorum, Seculum seculorum, Virgo virginũ, Mysterium mysteriorum, seu Sacramentum sacramentorum, Græce apud Dionysium [c], τελετὴ τελετῶν. Legẽ eundem Hieronymum in Epistolam ad Galatas [d]. Chrysostomus [e] notat τὴν ἐξοχὴν in oratione, Nyssenus item hoc loco, vt si, inquit, dicas mortuo magis mortuum. Vim etiam habent abstractæ dictiones, vt si stultissimum dicas esse stultitiam ipsam, sapientissimum, sapientiam. Denique trina repetitio, quo numero cuncta continentur (tria enim sunt omnia [f]) & huius in Scriptura extant exempla, vt cùm Dauid prouocat ad psallendum [g], & cantandum [h], & offerendum [i] Deo. Quare idem Hieronymus [k] vult hac sententia includi etiam cœlos, sicut Origenes exponens caput octauum Epistolæ ad Romanos, & Ambrosius [l] Angelos. Galli quod optimum est, verbi gratiâ, dicunt (*tres-bon*) ter bonum.

h lib. 1. c. 7. & in Psal. 38.
a l. 4. epist. in 15.
b l. 4. epist. in 15.
c cœl. hier. c. 5.
d in c. 1.
e hom. 55. ad populum.
f l. de cœlo. c. 1.
g Psal. 46. 7.
h Psal. 95. 1. 2.
i Psal. 95. 7. & 8. 1. 2.
k lib. 8. in c. 24. Esa. & lib. 14. in c. 51.
l epist. 21.

Caietanus recedere non debuit ab interpretatione vulgata, potiusque velle nos legere (*vanitas, vanitates*, &c.) quamuis verum sit, non agi hoc libro de vna aliqua summa vanitate, sed de variis vanitatibus; quæ tamen ad vnum hominem referuntur. Hoc est, vt diximus, ceu thema paradoxum, & summa totius concionis, & sententia hominis hominem excedentis, inquit Hugo Victorinus, atque præ stupore exclamantis triplicem vanitatem, mutabilitatis in omni creatura, cupiditatis ac peccati in homine, mortalitatis, pœnarúmque pro peccato. Verumtamen quia vniuersitatis quidam veluti finis est homo, vel Philosopho [m] teste, isque a suo deflexit, qui erat Deus, omnis creatura vanitati [n] subiecta est propter ipsum quodammodo; ipse verò non solùm vanitati similis [o] factus, sed etiam vniuersa vanitas [p] (si viuens, multo magis mortuus, inquit Hieronymus) omnium namque rerum in se gradus comprehendit. Nam subit iniurias corruptibilitatis, vt res inanimatæ: necessitatem nutritionis, accretionis, decretionis, mortis cum viuentibus: sensibilium affectionum, & patibilium alterationem qualitatum cum sentientibus: alternationem cogitationum, voluntatum, studiorum, consiliorum cum Angelis; at insuper peccatorũ, quæ nefanda, & cum natura pugnãtia sunt, atro-

m 2. Phys. c. 25.
n Rom. 8. 20.
o Psal. 14.
p Psal. 38. 6.

citatem, vt de morbis, & ærumnis sileam, quibus supra animalia cuncta obnoxius est homo, vt docent Medici, & naturalis historiæ scriptores, & qui deplorant lapsi hominis calamitates [a].

Porro nomine *vanitatis* quæuis mutabilitas cum defectu intelligi potest, & nō sola vera corruptio, aut corruptibilitas: nam nec Angeli, nec animæ nostræ, nec cœli sunt corruptibiles. Vnde quod Chrysostomus [b] docet, elemēta, & cœlum facta corruptibilia propter hominem, qui corruptibilis factus est ob peccatum, ideoque expectare incorruptibilitatem eius, vt & ipsa fiant incorruptibilia; quamuis exponatur de sola subiectione mutationis quantum ad cœlum, quod in se est incorruptibile; tamen absolutè non est verum, quia ante peccatum hominis elementa subiecta erāt veræ corruptioni, & fuissent, quamuis non peccasset: Angeli quoque ministrassent hominibus, ratione quorum Chrysostomus exponit illos expectare reuelationem filiorum Dei. [Vanum est, inquit idem [c], quod vtilitatis est expers, quod habet nomen sine re [d], quod (inquit Gulielmus Parisiensis [e]) nec confert plenitudinem continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti.] Idem dicit Petrus Berchorius [f], docens, vanum & vanitatem semper sumi in malam partem, & distingui in naturalem omnis creaturæ, quæ est ex nihilo, & in id redigi potest: in temporalem bonorū terrenorum: in personalem peccatorū: in criminalem operum malignorum. Nyssenus vanum definit sine re sonum, vt quæ nihil significantia finguntur vocabula: deinde cuius nullus vsus, & scopus certus, licet magno studio fiat, vt in arena [g] ædificium, venatio venti, certamen in vmbram: tertiò, cùm quis frustratur fine.

Primus primorum parentū filius iustus Abel, qui Hebraicè scribitur cum aspiratione, merito nomen id inuenit, nō solùm quia breui euanuit, volebantque parētes ipsius hoc nomine propriæ sibi ipsis mortalitatis memoriam infigere, nec in eo spem ponebāt promissionis factæ de femine, sicut in Cain: sed quoniam optima iustitiæ comparandæ, conseruādæ, augendæ ratio est, res omnes præ Deo vanas ducere, Deum vnum respicere, atque cor tanto bono implere, & vacuitatem, vanitatémque, quæ nobis ex nihilo est, multóque magis ex peccato, nunquam de cogitatione deponere. Cain reprobus à possessione denominatus est, Abel probus, ac Deo probatus, a vacuitate atque vanitate, quòd suæ vanitatis conscius omnia referret in Deum pia mentis affectione, sicut loquitur Ambrosius [h]. Congruit alia nominis *Abel* etymologia, si leniter scribatur pro luctu, quam dant Augustinus [i], & Origenes [k], & Iosephus [l]: quamuis versio Ruffini habeat (*nihil hoc*; non autem πένθος) lugere enim qui vanitatem sibi repræsentat. Nullus melius de multiplici vanitate rerum omnium, quàm Hugo Victorinus [m], Bonauētura [n], Hugo Cardinalis [o], Carthusianus [p], atque ex recentioribus Arboreus, ac Titelmannus: multos verò libros edidit Hispanicè de mundi vanitate Didacus Stella.

Hinc porrò colligit glossa interlinearis, male quod in domum nos his verbis, totius nimirum libri, ad voluptatem luxuriamque prouocari; cùm potius omnia, quæ videmus, vana asserātur. Sentit præterea Hieronymus [q], quòd nonnulli sententia illa qua Salomon vanas æstimat Dei creaturas, mouebantur, vt librum istum oblite-

a lege Bellarm. lib. 6. de amissione gratiæ. c. 8. & seqq.
b in c. 8. Epist. ad Romanos.
c in Ps. 118.
d in Psal 4.
e par. 2. de vniuerso. c. 31.
f verb. vanum.
g Matth. 7. 26. 27.
h l. de Abel, & Cain. c. 1.
i 15 de ciu. Dei. c. 18.
k tract. 26 in Matth.
l 1. Antiq. c. 3.
m hoc loco.
n in proœm.
o hoc loco.
p hoc loco
q in c. 12. sub finem.

randum censerent: cùm tamen cōparatione Dei, qui res in se bonas, & veras fecit, vera sit illa sententia: vel quoniam, vt ait Augustinus [a], subijcere se iis rebus per peccata, quæ nobis per recte facta, diuina lege subiectæ sunt, vanum est, & est res ipsas vanas reddere, hoc est, sine suo frustrare: vel quia, vt docet Athanasius [b], non criminatur creaturas, sed temporariorum desiderium admonet ille vanitatem, res æternas amandas. Idem eodem sensu eleganter declaratur à Gregorio [c]. Sed primum visum Hieronymus [d] alio loco non minus feliciter persequitur, docens hoc modo dixisse Deum de se: *Ego* [e] *sum qui sum*, Esther [f] idola vocasse eos, qui non sunt; Iob [g] diabolum, eum, qui non est: quibus testimoniis adde alia Pauli & Ieremiæ, quæ citat Basilius [h]. Nyssenus [i] quoque docet, hoc loco non damnari creaturas, nec Deum. Clemens Alexandrinus [k] hoc ex loco scribit Epicurum inductum negare prouidentiam, sicut Aristotelem ex Psalmo [l]; *Domine, in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes*, ad Lunam vsque tantùm deducere. Dubito an hi loca ista Scripturarum vnquam viderint. Lege præterea Chrysostomum [m], Hesychium [n], Nazianzenum [o].

Aliud aduersùs non solùm quoslibet dilectores vanitatis, & mendacij, sed Hebræos quoque licet inferre, frustrà & illos insudare rebus vanis, & hos Messiā expectare carnalē, opibus pollentem, omnique genere manium bonorū. Quo magis credendum Christo, & discipulis eius paupertatem professis, quoniam qui prædiues fuit, & sapientissimus, diuitiarum vanitatem tam exaggerate prædicauit. [Non differit Salomon, ait Nyssenus, vt plerique solent, qui non habent in potestate sua illa quæ delectant, vt vel ex eo habeat auctoritatem sermo eius, quòd illa accusat, quæ expertus est. Nos enim nō omnia experientia nostra didicimus, sed sola cogitatione, quorum voluptates experiri prohibet paupertas. Et cùm aliena consilia damus, vt pro nihilo ducat, quę homines in pretio habent, qui ista audit, in promptu habet illud, idcirco nos ista paruipendere, quòd ea non simus experti. Hanc verò totam obiectionem Salomon deleuit, cum dixit; *Vanitas vanitatum* &c.] Obseruatum est idem à Bonauentura [p], & à Chrysostomo [q], Thaumaturgo [r], Olympiodoro [s], & aliis. Infelix quicunque inanes curas admittit, atque superuacaneas sollicitudines: beatus, cuius Deus spes est, nec respicit in vanitates, & insanias falsas [t]: non diligit vanitatem [u], sed ab ea oculos auertit [x]: Ægyptus frustrà & vanè auxiliabitur [y], quippe tanquam baculus arundineus [z], qui ad ludibrium Christo eius Regi inani datus est sceptri loco [a], & quo percussum caput eius [b] tanquam cerebro vacuum, quod significat *raca*, & non qualis Ioannes, sed solidus [c]: vana salus hominis [d], necnon spes, & mendacium, præsertim insensati [e]: vanæ cogitationes hominum [f]: vana pulchritudo, & fallax gratia [g]: vani, in quibus non subest scientia Dei [h]: quique in vacuum gratiam Dei recipiunt [i], nec habent opera plena [k], & accipiunt in vano animam suam [l]: hi enim custodiendo vanitates frustrà [m] (quin enim vel subsint vanitatibus, vel etiam faciant, vitare nō possunt, inquit Hieronymus [n]) misericordiam suam (nimirum Dei) derelinquunt. In nulla re, præter Deum, felicitas nostra est: omnes ex nihilo sunt, & in nihilum redire possunt, si velit Deus:

a lib. de moribus Eccle. c. 21. & de quantitat. c. 33.
b in synopsi
c lib. 4. in lib. 1. Reg c. 12.
d epi. 51. & in c. 24. Esaiæ.
e Exod. 3. 14
f c. 14. 11.
g c. 18. 15.
h 2. cont. Eunom.
i in Eccle.
k 5. Stroma. c. 6.
l Psal 35. 6.
m ho 12 in Epist. ad Ephes.
n in catena in Psal.
o orat in Cæs. frat.
p in proœm.
q tom. 5. ser. de vanita. & breui. vitæ.
r interius in vetium 12.
s ibidem.
t Psal. 39. 5.
u Psal. 4. 3.
x Psal. 118. 37.
y Esa. 30. 7
z Esa. 36. 6.
a Matth 27. 29.
b Matth. 27. 30.
c Matth 11. 7.
d Psa 59. 13.
e Eccli. 34. 1.
f Psa. 93. 11.
g Prouer. vlt. 30.
h Sap. 13. 1.
i 2. Cor. 6. 1.
k Apoc. 3. 2.
l Psal. 23. 4.
m Ionæ 2. 9.
n in Ionam.

respectu

...u Dei nihil sunt, ac nihili æstimantur: ...nt alicui mutationi: rationales verò ei ...n, quæ vergit ad id, quod nihilo naturali minus est, nimirū ad peccatū. Quare omnia vanitas:

a Pers. Satyra 1.

O [a] curas hominum, ô quantum est in rebus inane! Omnia vt Sodomitica poma post deflagrationē: vt præstigiæ, quæ à latmis exiliunt, quales cibi, quos amatori Menippo Lycio Phœnissa parauit [b]. Frequenter in Scripturis vana dicuntur idola, vanitas, fraus, & mendacium: & optimi auctores linguæ Latinæ vanitatem orationis, appellant mendacem, seu falsam.

b Philostrat. in Apollonio lib. 4. cap. 8.

Dixit Ecclesiastes.] De se Salomon, tanquam de tertia persona loquitur, vt significet præcipuum auctorem esse Spiritum sanctum, quomodo Balaam de se dixit, *Auditor sermonū Dei* [c]; & Ioānes, *Hic est Discipulus ille, quem diligebat Iesus, qui testimonium perhibet de his, & scimus quia verum est testimonium eius* [d]: vel humilitatis causâ, qua ratione Paulus de seipso: *Scio*, inquit, *hominem in Christo* [e], &c. vel vt res adeò magnas, vtilésque, ac admirabiles veluti de longinquo ostendat. Sunt hæ omnes rationes Bonauenturæ, quas ab Hugone Victorino mutuatus est. Hic autem acutè declarat quomodo credendum sit Ecclesiastæ, si & ipse vanitas est, quoniam omnia sunt vanitas, imò vniuersa vanitas, tum quod ad corpus attinet, tū quod ad animam. [In eo, ait, quod dixit, non est vanitas, sed veritas, quia contra vanitatem dixit, quod de vanitate dixit: & cōstat quòd cōtrarius vanitati esse nō potuit in eo quod vanitas fuit, & id contra vanitatem non vanè loqui potuit, videlicet pro vt ex veritate viuebat, quæ est Deus, & ipse, qui erat vanitas, arguebat vanitatem, non per vanitatem, sed per veritatem, per quam mēte eleuatus erat supra omnem vanitatem.] Quartam causam reddit Hugo Cardinalis, vt libentiùs audiatur, aut legatur, quoniam non difficilia, obscuráve, more Prophetarum, aut Philosophorū, propositurus sit; sed tanquam popularis concionator obuia, facilia, captui, & intelligentiæ omnium accommodata. Id concionatoribus nostris debet in primis esse curæ, ne philosophari, aut theologari extra scholā, orare extra rostra, disserere extra academiā videantur. De nomine *Ecclesiastæ* dictū priùs, & quomodo iungatur hic nomini fœminino verbum masculinum אָמַר קֹהֶלֶת *amar choheleth.*

c Num. 24. 4.

d Ioan. c. vlt.

e 2. Corint. 12. 2.

Et.] Coniunctionem non habet Hebræus, Græcúsve textus, nec paraphrasis Chaldæa. Non superfluit tamen, vt ait Caietanus, sed expressiorem sensum facit.

Omnia vanitas.] Idem Paraphrastes exponit (*omne quod labor.sui, omnino vanitas.*) Nimis pressè; amplecti namque voluit Ecclesiastes omnem rerum vniuersitatem. Quia verò compendium est homo cunctorum graduum entis, non incommodè quem Dauid appellauit vniuersam vanitatem [f], vt vidimus, per hæc verba potest intelligi (*omnia vanitas.*) Sed & cumulus rerū vanarum facit, vt ipsamet vanitas magis appareat; sicut res per se singulæ cùm conderentur à Deo, bonæ, post complementum omniū, omnes simul valde bonæ Dei iudicio habitæ sūt [g]. Notauit hoc Hugo Victorinus. Affinis de hominibus omnibus in alio Psalmo sententia [h]; *Verumtamen vani filij hominum: mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum*; filij אָדָם *Adam*, & filij אִישׁ *Isch*, tum vulgares ac minores, tum præcipui atque maiores, plus videntur esse quàm sint;

f Psal. 38. 6.

g Gen. 1. 31.

h Psal. 61. 10.

A ideoque vani, mendaces, deceptores sunt, vt reddit Theodoretus, ὡς ῥοπὴ ζυγοῦ, *vt momentum stateræ*. & quam vocant lingulam, qua nihil mobilius, & ad decipiendum facilius: si conniciantur omnes in alteram lancem, & ipsamet in alteram vanitas, deprimetur posterior, ac deprehendentur ita vani, mendacésque homines, quemadmodum obseruauit Caietanus, [a] quod quidam dicto legunt loco, *eleuentur stateræ.*

a ibid.

Atque vt intelligamus huius celebris quanta sanctitas etiam sit sententiæ; simul quam religiosam iuramenti fidem vel cū ipsis barbaris Ethnicísque esse cœleste iubeat Numen, testatur Maffæus [b] noster, cùm in India pro Euangeliis, B Bibliísve, quæ Christiano ritu tangenda erāt, liber prolatus esset, in quo varij generis lusus, & cantica Lusitanico sermone scripta continebantur, nonnullis tamen immistis, vt fit, sententiis moralibus atque diuerbiis, incidisse Christianum, qui iurare debebat in hæc verba: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; tunc diuino correptū horrore, iustum & legitimum id iusiurandum habuisse, acsi pro vulgari eo libro sacrosancta vtriusque Testamenti volumina contigisset.

b lib. 7. Histor. Indic.

Claudamus versum regium Regis alterius, qui & expertus loquebatur, ore repetitum. Is Gilimer Vandalorum Rex fuit, qui ductus in triūphum cum consanguineis, aliisque proceribus à C Belisario, vt in Hippodromo purpuram amictus cōstitit, ac Imperatorem Iustinianū in alta sede constitutum, populúmque astantem conspexit (verbis vtor Procopij [c]) ac demum seipsum in quod fatū peruenisset, considerauit, neque fleuit, neque aliter cōquestus est; tantùm illud Hebræorum voluminum memorauit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Chrysostomus [d] declamans in Eutropium eunuchum patritium, Consulē, præfectúmque cubiculi Arcadij Augusti, cum, offenso Principe, delitesceret sub altari Ecclesiæ, cui ipse antea ius asyli abrogare conatus fuerat, exorditur ad hunc modum: [Si vnquā antea, nunc maxime licet dicere; *Vanitas vanitatum, omnia vanitas.* D Vbi nunc inclytus ille Consulatus splendor? vbi illustres illæ faces? vbi applausus illi, ac choreæ, epulæque, & festi conuentus? &c.] Tum verò comparationem ponens cum foliis decerptis, & arbore radicitùs vacillante, cum somnio nocturno, cū floribus vernis èmarcescētibus exacto vere, cum vmbra, fumo, bullis, araneis (adde quæ sunt in libro Sapientiæ [e], de nuncio prætereunte, naue transeunte, aut transuolante, sagittáque emissâ) hanc subdit sententiam dignā pietate Chrysostomi, perutilem ad pietatis excitandū, fouendúmque studiū, quæ idcirco totidē hic à me verbis, cùm parcissimus esse soleam in trāscribendis auctoribus, recitanda est. [Quapropter E spirituale hoc dictum occinimus, indesinenter dicentes: *Vanitas vanitatum, omnia vanitas.* Hoc enim dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in viis, in fenestris, in ianuis; sed potissimùm in ipsa cuiusque conscientia continenter inscriptum esse oportet, omnique tempore cogitationi obuersari: quandoquidem negotia fraudulenta, & personata, ac inimica veritatis opinionem apud plerosque sibi parauerunt. Hoc dicto in prandio, in cœna, in cœtu hominum quemque proximum suum compellare oportebat, idémque ab illo vicissim audire, nempe quòd *vanitas vanitatum, omnia vanitas*, &c.] Huic dicto Fulgentius adhuc monachus, nondum

c libro 2. de bello Vandalorum.

d homil. in Eutrop. tomo 5.

e c. 5. 8.

Episcopus Ruspensis, quando Romæ spectabat Theodoricum Regem circundatum Romana curia, Senatu, & nobilissima pompa, non se continuit, quin ex intimis efferret similem sententiam, feliciter, vt scribit auctor vitæ [a], ad illã supernam Ierusalem desiderandam vehementer exardescens, præsentésque admonens: [Quàm speciosa potest esse Ierusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc seculo datur tãti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor, & gloria præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem?] Præclarum prorsus in hoc eodem genere documentũ Spiridion Tryphillio aulicũ Constantij apparatum ac maiestatem demiranti edidit [b]; & haud absimilia narrat de Antonio Athanasius, cùm Imperatorum ad eum litteræ delatæ essent, extántque huius vanitatis cognitæ, ac prædicatæ à viris sanctis exempla permulta. Videtur denique Salomon hac sententia velle asserere, in nulla re creata veram reperiri felicitatem posse, vanóque, & casso labore cõsumi, qui eam in vlla quærant. Augustinus [c] quidẽ ait hac in primis sententia, totóque libro sapientissimũ Regem hoc intendisse, vt eam vitam desideraremus, quæ vanitatem non habet sub hoc Sole, sed veritatem sub illo, qui fecit hunc Solẽ, & ne similes facti vanitati [d], vanescamus omnino. Lege eruditam inductionem, qua Ascanius Martinengus [e] mysticè declarans inanitatem ac vacuitatẽ terræ, demõstrat in Imperiis, & in Regibus, eorúmque potẽtia, opibus, deliciis vanitatem; Hieronymũ [f] quoque vide in Esaiam. Verè Pythagoras; ὅτ' Θεῷ νόμῳ, ἀρετὴν εἶναι τὸ ἰσχῦον μόνον, τὰ δ' ἄλλα λῆρον [g]. Sed & ille optimè ratiocinatus, qui nuncium remittens mundo, dixit [h];

Linque coax ranis, cras coruis, vanáque vanis:
Ad logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Recitat Paulus [i] Burgensis Hebræorum glossam in hæc ipsa verba, quæ hactenus exposuimus: Omnis lex quam addiscimus in præsenti tẽpore, vana est respectu legis Messiæ. [Quæ quidẽ glossa, inquit Burgensis, multum continet veritatis. Nam sicut medicina, quæ non confert sanitatẽ, vana dicitur; sic lex vetus, quæ non ducebat ad beatitudinem, vana diceretur, si non superuenisset lex noua, quæ ad beatitudinem inducit.] Dixi suprà, Fulgentium triumphos Romæ ludósve cùm spectaret, appellauisse vanitatem. Hieronymus [k] ait de illa intelligi posse ciuitatem vanitatis, quam prædicit Esaias [l] atterendam. [Si enim, inquit, de cælo, & terra, & de omnibus quæ terrena sunt, dicitur: *Vanitas vanitatum, omnia vanitas*; quanto magis hoc de vna vrbe dicendum est, quę totius orbis pars modica est?] Exponit ibidemde eadem supplicia in Apocalypsi [m] prænunciari.

a apud Suriũ 1. Ianuarij.
b in Actis apud Surium 12. Decembr.
c 20. de ciuit. c. 9. lege etiã lib. 12. c. 6. & 8.
d Psal. 143. 4.
e tom. 1. p. 2. glossæ magnæ in Genesim, pagina 1234. & 1235.
f libr. 11.
g Stob. sermone 1. de virtu.
h in libello, cui titulus; Laudatum conscientiæ.
i Addit. 1. ad Epistol. ad Hebr.
k in c. 24. Esa.
l c. 24.
m c. 17.

Vers. 3.] Quid amplius habet homo de vniuerso suo labore quo laborat sub Sole?

ILlario quædam est ex dictis, vel etiam probatio sentẽtiæ positæ versu priore: [Si enim omnia vanitati subiecta sunt (inquit Hugo Victorinus, piè ac fusè tractans hunc locum) opera hominum à vanitate aliena esse quomodo possunt? si quod Deus creauit, quomodo non multo magis quod homo facit? Laborat omnis homo vel agendo, vel patiendo, & cui dulcis vita est, & cui amara, ille vt delectetur, & maneat in ipsa vita;

A hic vt a miseria liberetur, timénsque ne hinc cito exeat. Non est tamen Sanctorum vanus labor, nisi quatenus transit, quia permanet solidus fructus: vanus quoque censeri potest, pro vt dicitur Deus fingere laborem in præcepto [a], quasi imaginarium, & non verum: quippe *non sunt condignæ passiones huius temporis* [b], &c. Qui tantùm sub Sole laborat, alternãte illo diem, noctémque suo cursu, ideóque nõ continenter viso, iuxta desideriũ, vano labore consumitur, nisi Solem iustitiæ spectet, & in illum, quoad licet, supérque Solem materialem intendat. Præterea qui laborem sub Sole, sine sub tempore suscipiens non respicit ad æternitatem, laborat frustrà, quia pro tempore

B duntaxat, non pro æternitate, & de vanis referre nequit nisi vanitatem, nec valet secum moriens quicquam rerum harũ auferre [c]. Stultus est, qui quæ congregat, nõ cogitat, cùm hac nocte anima repetetur, ad alium peruẽtura [d]: & in terra, quã in cœlo thesaurizare mauult [e]; deprehendet vel serò ab se dilectam vanitatem, quæsitum mendacium [f]: se quoque lassatum esse in via iniquitatis, ac ambulasse vias difficiles [g].] Rectè Thaumaturgus in metaphrasi] :Nõ facilè quis vel vnã aliquam recensebit vtilitatem concinnatam ex omnibus, quæ homines super terram reptantes tanto molimine parturiunt.] Non dispar interpretatio Chaldaici Paraphrastis (*Quid reliquum est*

C *homini postquam mortuus fuerit de omni labore suo, quẽ ipse laborauit sub Sole in hoc seculo?*) Omnis per se labor molestus, & maximè si inanis, & solido vacuus fructu. Nihil adeò stabiles reddit, & immobiles iustos, & abundare facit in opere Domini semper, quàm scire, quòd labor eorum non est inanis in Domino [h]: & audire Spiritum intus dicentem, *vt requiescant à laboribus, quoniam opera eorum*, id est, merita, *sequuntur eos* [i], vt mercedem recipiant, & sabbatismum [k] post sex huius labores vitæ. Lege Origenem [l]. Eadem porrò sententia repetitur capite tertio [m].

Quid habet amplius homo.] Græcè (τίς περισσεία τῷ ἀνθρώπῳ, *quæ abundantia homini*) sicut & Ambro-

D sius [n] legit, id est, quid abundans, excellens, magnum, eximium, vt notat Titelmannus, cõfirmãs duplici alio loco noui Testamenti: *Si* [o] *salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? τί περισσὸν, quid magnum*, &c. cuius vobis gratiã merces debeatur. *Quid amplius? Iudæo est, aut quæ vtilitas circũcisionis? τί περισσὸν*, &c. Rectè Seneca [q]: [O quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit!] Plura, meliúsque eadem de re Basilius [r].

Sub Sole?] In hac terra, vbi lumen Solis accipimus, qui viuentibus, rebúsque cunctis præest, & à quo temporum distinctio potissimùm petitur, vt obseruauit Hugo de S. Victore. Frequens est

E hoc toto libro phrasis ista, & haud scio an vspiã alibi reperiatur in Scripturis. Italis, Gallisque familiare est dicere (*sotto la cappa del cielo, soubs la chappe du ciel*) & Scripturæ vsurpant (*sub cœlo, sub omni cœlo, sub vniuerso cœlo, sub cœlis, sub firmamento.*) Sic vocantur res sublunares, quæ sunt sub cœlis; & quidem magis propriè, quia sub Sole est Luna, Mercurius, Venus. Mũdum hunc ita describit Ecclesiastes inferiorem, quia est locus subsolanus; inquit Ambrosius [s], & Augustinus [t]: supra Solem verò est pax Angelorum, sanctitas cœlestium potestatum: sub Sole iniquitatis præsidet Diabolus, Christus verò virtutibus. [Omnia sub Sole vanitas, proinde super Solem,

a Psa. 93. 20.
b Rom. 8. 18.
c Iob. 27. 19. Psal. 48. 18. 1. Tim. 6. 7.
d Luc 12. 20.
e Matth. 6. 20.
f Psal. 4. 3.
g Sapien. 5. 7.
h 1. Cor. 15. 58.
i Apoc. 14. 13.
k Hebr. 4. 9.
l homil. 23. in Numeros, & 3. in l. sal. 16.
m vers. 9.
n in Psal. 118 octonario 12.
o Matth. 5. 47.
p Rom. 3. 1.
q præfat. ad quæst. natu.
r ho. 9. hexam.
s in Psal. 37.
t de vera relig. c. 21. de morib. Eccl. c. 21. 19 de ciuit. 17. 20.

ait

A ait Paulinus [a], veritas. Ita & qui in veritate consistũt, etsi (pergit ille dicere) intra mundũ viuant habitatione corporea; tamen supra mundũ sunt conuersatione cœlesti, & astrorum choros, vel cœlorum polos euolantes spiritu scandunt, & superuadunt, celsioresque elementis aguũt, non subditi rebus, & vsibus elementorum, sed affixa in Christo vita, superiores mundo fiunt, manentes in eo qui est super omnia Deus benedictus in secula.] Quàm variè laborarint homines circa vltimũ finem, legatur Augustinus [b]. *Labor stultorum affligit eos* [c]: sed beatus, qui labores manuũ suarum comedit [d]; ita tamen vt laborum fructum non hîc, sed super Solem requirat.

a epist. 4.
b 19 de ciuit. c. 1. & 4.
c Eccle. 10.
d Psal. 127. 2.

Vers. 4.] Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.

VAnitatis alia probatio ex vicaria generatione, & corruptione, quæ potissimùm apparet super terrã, cuius est quidam quasi perpetuus idẽ status, tametsi ipsa secundùm partes suas alteretur, & corrumpatur, ac etiam generetur. Nam, vt eleganter quidam dixit;

Mors [e] *etiam saxis nominibúsque venit.*

Elucet adhuc maximè mortalitas in homine, qui potuit, si nõ peccasset [f], esse immortalis. *Vniuersa vanitas est, ac in imagine pertransit* [g]. Mysticos præterea sensus, quòd recedat generatio Iudæorum, succedat generatio de Gentibus cõgregata: quod ante Hieronymum, aliósque post eum expositores dixit Origenes [h], sic id Psalmi accipiens: *Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem* [i]. Itẽ quòd generatio veteris, & noui hominis: laborum, & præmiorum: generatio idololatrarũ, Iudæorum, Tyrannorũ, ac persecutorum, & hæreticorum contra Ecclesiã. Mortalitatem nostram, de qua præter nonnullos Interpretes, intelligit quoque Gregorius [k], perpetuúmque ad interitum cursum omnes loquuntur, cuncti videmus, nec discimus tamen ibi corda figere, vbi vera sunt gaudia; sic per temporalia transire, vt non amittamus æterna [l]; in eo spes nostras collocare, qui semper idem est, nec anni eius vnquam deficiunt [m].

e Ausonius Epig. 34.
f Genes. 3. 6. 22.
g Psal. 38. 7.
h tract. 30. in Matth.
i Psal. 89. 1.
k in Psal. 4. pœnitent.
l Ecclesia in collect. Domi. 3. post Pentecost.
m Psal. 101. 28. Hebr. 1. 12.
n vers. 42.

Generatio.] Varias vocis huius notiones exposui capite secundo [n] Actuum Apostolicorũ. Hîc sumi potest vel pro ipsamet mutatione physica, licèt in acceptione generaliore, non pro substantiali tantùm: vel pro rebus ipsis generabilibus, tũ maximè pro homine. Didymus [o] mysticè hoc interpretatur de Ecclesia, quæ repudiatæ succedat Synagogæ: quod etiam hoc loco tradunt Hieronymus, & Olympiodorus; præterea Ambrosius [p], & Origenes [q].

o in cat. Barb. in Psal. 21.
p in Psal. 118. ser. 12.
q tract. 30. in Matth.

Terra autem in æternum stat.] Non est per se de quiete sermo, quæ motui locali opponitur; sed de quadam quasi incorruptione, quia secundùm se tota non corrumpitur, ac veluti commune receptaculum, siue diuersorium, abeuntes, redeuntésque res generabiles, & corruptibiles excipit. Aduenæ sumus atque peregrini, & hospites in terra [r]: calcamus, & inambulamus eam; at illa in æternum stat, eo modo quẽ diximus, quãuis aliquando reformanda, & in melius cõmutanda [s]; vt notat quoque Salonius. Lege inter alios Rupertũ [t]. Nihilominùs alibi [u] hoc, & similibus testimoniis literarum sanctarum refutauimus opinionem, quòd moueatur terra, cœlũ stet; (quidã, teste Cicerone, [x] Platonis hanc asserebãt esse sententiam, moueri terram, sed obscuriùs) cui veritati non obstant terræmotus, qui nunquam sunt generales, communésve toti terræ. Non disputo verúmne sit quod ingeniosè quidam ætate nostra docent, non fieri super terra motum vilum, quin tota moueatur, propter summũ æquilibriũ centri, quamuis, vt ipsi dicunt, motus machinæ tantæ sit impereeptibilis. Non hinc quidẽ possũt conuinci, quia recurrent ad imperceptibilitatem: sed imperceptibilia ego, vt verum fatear, nõ percipio: & si ea sunt acutie sensus, intellectúsve, vt hunc motum percipiant, cur non illum, quem imperceptibilem ij vocant, qui autumant, cœlo quiescente cieri in orbem terram? Lege Iustum Lipsium de physiologia Stoicorum [a]. Omitto

r Psal. 38. 13. 118. 19. Hebr. 11. 13. 1. Petr. 2. 11.
s Eccli. 16. 30. Matth. 24. 35. 2. Pet. 3. 7. Isa. 65. 17. c. 66. 22. Apoc. c. 21. 1.
t 1. de Trin. c. 28.
u Act. 4. 31.
x 4. Academ. qq.
a pag. 121.

B quoque mysticam significationem *terræ* pro Scriptura, pro arbitrio nostro, pro Ecclesia, & similibus, quas malim legas apud Interpretes. Tropologia Ruperti [b] non abest procul à sensu literali, dementem esse qui laboret in comparatione terræ, cùm tot generationibus prætereuntibus, & aduenientibus, hîc semper terra maneat. Perpetuò fluentes, vicissímque succedentes rerum generationes Virgilius, aut alius bellè contulit in Epigrammate de rosa, cum rosa; quia in roseto quibusdam auulsis, aliæ mox enascuntur. Tale quod prior Homerus [c] cecinerat de foliis inuicem sibi succedentibus in sylua, & ante illum Musæus, vt Clementi placet Alexandrino [d]; & ante hos omnes Esaias [e], & auctor Ecclesiastici [f].

b 7. de Trinit. c. 9.
c Iliad. 6.
d 6. Stro. c. 1.
e c. 64. 6.
f c. 14. 18. 19.

C Franciscus [g] Georgius Venetus docet, terram dici stare in æternũ tanquam centrũ circa quod omnia gyrant; aut alludere Salomonem ad terram viuentium, quæ sit essentia diuina semper stans, & à motu penitus absoluta: cùm quodam modo tamẽ dici possit Deus moueri alia ratione, vt cùm mitti & venire dicuntur ad nos diuinæ personæ, & omnia ab essentia diuina tanquam à primo fonte pullulant; sicut & moueri terra dici potest producendo plantas. Non magis hic repugnat motus stabilitati diuinæ, quàm in eodem Deo numerus vnitati eiusdem. Docet item [h], cùm in Prouerbiis [i] moueri dicitur terra per tria, poni continens pro contento, terram pro habitatoribus. Auctor [k] verò Antikeimenõ, vetustus sanè doctúsque, tritum illum tradit conciliandi modũ, quo pacto stet in æternum terra, & toties tamen, tum in Iob [l], indicetur mutari: nempe terram, cœlúmque per eam quam nunc habet imaginem transire, quod ait Paulus [m], præterire figuram huius mũdi; vt tamen per essentiam sine fine subsistant, non alia condenda, sed renouanda: iuxta illud [n]; *mutabis eos, & mutabuntur.* Indicio esse vltimæ illius mutationis præsentes vicissitudines nostris vsibus seruientes, dum hyeme tellus arescit, viridescit vere, cœlum quotidie caligine noctis obducitur, & diuina claritate renouatur, &c. Hæc ex Gregorio [o] videtur transcripsisse.

g in proble. script. tom. 5. in 90.
h probl. 92.
i c. 30. 21.
k lib. 1.
l c. 14. 14.
m 1. Cor. 7. 31.
n Psal. 101. 28.
o 17. Moral. c. 5.

E *In æternum.* [Hebraicè (לְעוֹלָם *lehholam*) Græcè (*εἰς τὸν αἰῶνα*) Hieronymus (*in seculũ*) qui etiã notat, quòd signãter non est dictũ, *terra in seculis stat*, sed, *in seculo*; quoniam terra cum cœlo transibit [p], quando Euangelium prædicatum fuerit imminente consummatione. Transitus hic intelligendus iuxta allatam priùs expositionem. Indicat Hieronymus, *seculum*, & *æternum* sumi pro longa, sed finita duratione. Quæ vtriusque vocis acceptio vsitata quoque profanis.

Seruiet æternum (inquit Horatius [q]) *qui paruo nesciet vti.*

p Matth. 24. 35.
q libr. 1. epist. 10.

a lib. 1 locut. in Exod. & 1. qq. in Genes. c. 31.

& Augustinus [a] obseruauit, aliquando quod finem nullum habet, aliàs quod cum quidem respicit, sed quando, vel vbi, nescitur, æternum dici. At seculum, etsi centum annorum spatium censetur à multis; vnde ludi seculares, annus secularis, carmen seculare, &c. quasi dicatur à sene, vt ait Varro [b], quòd longissimum senescendo-

b de lingua Latina.

c in 8. Aeneidos.

rum spatium id putarunt: quamuis etiam Galli triginta solùm annos seculo darent, vt Seruius [c] scribit; nihilominus pro longiore, sed non præscripto tempore accipitur apud auctores sacros, & profanos. Quare stare terram in æternum, posset quis intelligere, quamdiu nos ipsi hanc incolemus, & colemus, quamdiu viuent in mundo homines. Olympiodorus exponit, in longinquum tempus.

De voce Hebræa (Græca autem αἰὼν est ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ὤν, vel ὄν, *semper existens*) Hieronymus alio loco [d] docuit, cum ו *vau* significare æternitatē; vbi verò id non est, iubilæum, spatiumque quinquaginta annorum. Galatinus [e] affirmat nunquā reperiri in Scriptura pro propriè dicto æterno, hoc est, cuius nec finis, nec initium sit. Primum non esse perpetuum allatis exemplis demonstrat auctor thesauri linguæ sanctæ: secundum item non esse verum ostenditur omissis aliis, quòd ipsimet Deo velut epithetum attribuitur; *inuocabit ibi nomen Domini Dei* עוֹלָם *hholam*, [f] *æterni*. Quocirca quando Scripturæ post (*in æternum*) addunt (*vltra*) vel exprimunt (*in seculum seculi*, siue *secula seculorum*, quod hîc quoque posuit Chaldæus Paraphrastes) ad ἐπίτασιν, & ἐξήγησιν pertinent hæ formulæ, non quasi absque his vera æternitas significari satis non possit, aut non etiam re ipsa significetur; sicut velle tamen videtur Rabbi [g] Moyses, qui hac ratione conatur iis respondere, qui hoc ex loco Salomonem credebant mundi æternitatem credidisse, ideóque libri huius auctoritati derogabant. Ex Hebræis quidam suspicantur esse Latinum aduerbium, *olim*, tum præteriti, tum futuri temporis.

d in c. 1. Epist. ad Gal.

e lib. 11. c. 5.

f Genes. 21. 33.

g 3. doctoris dubiorum. c. 29.

Stat.] Hebraicè (עֹמָדֶת *hhomadeth Stans*) sic enim Hebræi per participia præsens tempus explicant, quo carent: Græcè (ἕστηκε, *stetit*.) Quæ tādiu stetit, stare adhuc potest. *Standi* antē verbū nō situs est hoc loco, sed consistentiæ, atque durationis. Verbi huius notiones exposui Commentario Actuū Apostolicorum [h]. Nyssenus colligit tropologiam, vt iuxta præceptum Pauli stemus immobiles in bono ac firmi. De re ipsā dictum prius. Lege Gregorium [i]. Xenophanis de immobilitate paradoxam doctrinam refert Aristoteles [k], & Eusebius. [l] De firmitate autem Ecclesiæ Gregorius [m] accipit locum istum: Ambrosius [n] de illo, qui habens abundantiam spiritualem, stet bene fundata radice virtutum, & huiusmodi terram circuiri à Sole iustitiæ salutari. Testatur vero Rabbi [o] Moyses, multos ex Hebræis existimasse propter præsentem locum, Salomonis opinione mundum æternum esse. Sed miratur meritò posse id aliquē de eo suspicari, qui Moysi teneat legem: dicitq; solā terræ colligi perpetuitatē ex istis verbis, licèt ea cœperit aliquādo.

h c. 1. 11.

i in Iob. c. 24.

k 1. de cœlo.

l 15. de præp. c. 54. & 56.

m in Psal. 15. pœnit.

n in Psal. 118. ser. 12.

o 3. ducto. dubi. c. 29.

Vers. 5. & 6.] Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascēs gyrat per meridiē, & flectitur ad Aquilonē: lustrās vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.

A Indicat Sol, vt ait Hieronymus, & Nyssenus, quotidiano ortu, occasuque interitum mundi, ac hominis præteritum, necnō per anni tempestates quas efficit. Cum Hieronymo Hugo Victorinus, Bonauentura, Lyranus, Hugo Cardinalis, Carthusianus, Caietanus, Albinus, Thaumaturgus, Ioannes Arboreus de vtroque cursu interpretantur, tum diurno, tum annuo, etiam prima verba textus, ita vt oriri Sol censeatur, quando per vernale æquinoctium ingrediens, ad nostrū polum consurgit: occidere, quādo exiens per autumnale, ad inferiora descendit: gyrare per meridiem (quæ sunt verba sequētia) quando in hyemalibus signis cōmoratur: flecti ad Aquilonem, quando in æstiuis, quæ polo boreali viciniora

B sunt, circūfertur. Porrò, quia calore suo Sol agit in hæc inferiora, & a nonnullis Philosophis cœli naturæ igneæ habiti sunt, per Solē sumpsit idē Hugo Victorinus ignē; per spiritū, qui deinceps ponitur in textu, aërem, qui pariter agitetur in orbem: sed quia non semper eodem modo, nec prorsus idem, plures velut circulos faciat, dum est vel motus eius concitatior, vel remissior: lustret autē vniuersa, dū mobilitate sua cūctas vbique ceu sordes purgat, & subit omnia. Symmachus in versione, Thaumaturgus in paraphrasi, Bonauētura, & Caietanus in cōmentario sequūtur eandē de aëre, vel vento sententiā. Addit Hugo Victorinus, referri posse ad Solem omnia v-

C sque ad ea verba exclusiuè (*pergit spiritus*) hæc autē ad ignem, vel igneam vim a Sole procedentem, quæ res omnes foueat; vel quocumque nomine vocetur, ad occultam, & insitam cuique rei, cum qua pergat, ac reuertatur per vicariam generationem, incrementúmque, ac perfectionem, & decrementum, seu interitum, atque resolutionē quodammodo circularem. Ego malim totā sententiam de Sole solo intelligi, & cum Chaldæa paraphrasi de motu diurno duntaxat, quo pacto reuerti Sol in circuitus dicetur; quia perficit integra die vno circuitū, qui veluti secatur in partes: vel quia quotidie à diuerso puncto circumit: vel quia decurrit in excentrico, concentrico, de-

D ferente, huius orbis motu, qui vocatur raptus, circumactus ad augim, & ad oppositum augis. Arboreus reiicit Lyranum assignantem præter orbem deferentem, & æquātem, alium epicyclū, eo quòd Sol non habeat istum, sed alij planetæ. Supremus autem orbis, inquit, ex his, quos supra se Sol habet, est mundo concentricus secūdùm superficiem conuexam, id est, eius centrum est centrum mundi, & secundùm concauam est excentricus, id est, eius centrum est aliud à centro mundi: infimus è contrario secūdùm superficiem conuexam est mundo excentricus, concentricus secundùm concauam. Gerardus Moringus huc propendet magis, & Titelmannus.

E De motu Solis illustre testimonium Psalmi 18. [a]. *Exultauit vt Gigas ad currendam viam*, &c. & libri tertij Esdræ [b], quamuis apocryphi; *Velox cursus Solis conuertit in gyro cœlum in locum suum vna die*. Est tamen & alia de cursu annuo sententia probabilis, quam sequitur præterea Theophilus Alexandrinus [c].

a vers. 6.

b c. 4. 34.

c epist. 3. Paschali.

Mysticè iustitiæ Solem explicant omnes, maximè Olympiodorus, qui ait oriri in cordibus fidelium, cùm diligit adhuc proficientes: occidere, quando maius desiderium illis accendit altitudinem inquirentibus sententiarum: præterea oriri Verbū Dei è paterno sinu, occidere per incar-

nationem,

natiuitatem,& mortem,quibus diuinitas eius quodam modo est occultata:oriri ex Deipara secundum carnem:occidere descensu ad inferos,ac denuo exoriri per resurrectionem:item gyrare per meridiem prudentiæ feruentis fidelium : per Aquilonem fortitudinis; est enim hic ventus acer & expeditus:per Lyben temperantiæ voluptates refrigerantis & exsiccantis : per Subsolanum iustitiæ, quæ per omnes commeat , extenditúrque virtutes. Adhæc, istum Solem Verbi incarnati villas & ciuitates ad meridiem constitutas ipsum suis pedibus circuiuisse:per Apostolos Aquilonares plagas:denique Spiritum sanctum Apostolis infusum circuire illos terras omnes fecisse, & Euangelium prædicare , atque etiam eosdem induxisse,vt conuerso itinere redeuntes , eos inuiserent,quos priùs in doctrina fidei erudierant, vt est in historia Apostolica.Volui semel gustum dedisse spiritualis sensus., vt ex hoc de cæteris, qui deinceps eruuntur à Doctoribus isto libro, coniectura fiat.Similia sunt apud Ambrosium [a]; & citat vterque sententiam Christi : *Cum* [b] *exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Item apud Chrysostomum [c] , & hoc loco apud Hieronymum,aliósque permultos.

a in Ps. 118. octon. 12. b Ioan. 12. 32. c tom. 5. ho. de virtute.

Oritur Sol,& occidit.] Hebraicè (*& oritur.*) Item Græcè additur coniunctio:Chaldaicè (*oritur Sol in die ex latere orientis : & ingreditur Sol in latus occidentis in nocte.*)

Ad locum suum reuertitur.] Hebraicè (שׁוֹאֵף *scioeph*) quod Aquila interpretatur εἰσπνεύει, vel εἰσπνεῖ,id est,*aspirat*:Symmachus & Thodotio, *recurrit*; quia videlicet, ait Hieronymus, Sol reuertitur ad locum suum,vt ibi vnde priùs egressus fuerat, aspiret. Chald. (*& ad locum suum anhelat*:) est enim tanquam Gigas currens veloci cursu , vt antè dictum est , & quodam modo aërem attrahit,ventú,seu aërem præ desiderio redeundi ad locum suum.Certè sub ortum Solis frigidior quàm antè sentitur aura. Similis in Virgilio [d] poëtica illa dicendi forma,

d 1. Georg.

Nósque vbi primus equis Oriens afflauit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina Vesper.

Ibique renascens.] Chaldaicè (*& ambulat per viam abyssi*, id est,incognitas nobis vias, vt ait Hieronymus , seu Antipodas , qui nobis sunt oppositi tanquam in profundo , *& oriturus est cras ex loco, vnde ortus est heri.*)

Gyrat per meridiem,& flectitur ad Aquilonem.]Notum ventum , ac Boream ponit Græcus textus LXX. (quoniam sunt quatuor potissimùm in quatuor mundi plagis venti) qui etiam habet simplex verbum πορεύεται , *vadit*, pro,*gyrat*, sicut Hebraicè הוֹלֵךְ *holech* , *vadens* ; Symmachi verò καταντᾷ : sed exponit de vẽto,vt Hieron.testatur.

In circulos suos reuertitur.] Id priùs exposui. Ridiculus autem Empedocles , teste Plutarcho [e], vel alio,cùm ait,enato primùm humano genere, ob Solis segnitiem fuisse diei longitudinẽ,quanta nunc decem mensium:procedente tempore,vt septem.Chald. (*perambulat omne latus meridiei, & redit ad latus Aquilonis per viam abyssi*)pro(*flectitur,* κυκλοῖ) Chaldaicè(*redit.*) Quidam autem vim faciunt in Latino , quia Sol non efficit exactam sphæram;sed potiùs spiram.De hac re Franciscus Vallesius [f] in sua sacra Philosophia disputans contra quosdam Astrologos , necnon aduersùs Beatum Thomam, defendénsque veram in Solis motu deflexionem ad Aquilonem.

e 5. de placi. Philosopho. c. 18. f c. 68.

Lustrãs vniuersa in circuitu pergit spiritus,&c.]Hebraicè

A ergo Victorinus notat sic distingui posse,vt post(*in circuitu*)sint duo puncta;& à(*pergit spiritus*)incipiat aliud membrũ.Ita quidẽ etiam Massoretæ adhibent pũcta.Græcè quoque videtur distinctio statuenda ante(*pergit*)quia participium κυκλῶν generis est masculini,πνεῦμα neutrius.Vtcumque distinguamus,nõ oportet variari sensum;placétque mihi,vt sit de Sole idẽ sermo,non de vento, vel aëre,neque de vi quadã,quę proficiscatur à Sole, vt memini in Commẽtario;neque (vt tamẽ placet Nysseno)de homine, qui totus denominetur à sui parte,id est,ab spiritu.Retenta porrò distinctione,quam habent codices Latini , Græcique, obseruanda est appositio , aut subintelligendum

B aliquid,verbi gratiã : *Lustrans vniuersa* (Sol)*in circuitu,pergit spiritus*(ille ipse Sol qui est spiritus) *& in circulos suos reuertitur.*Profectò hęc vltima verba non ita propriè de aëre,aliáve re,vt de Sole possunt intelligi.

In circuitu.] Notat quodã loco Hieronymus [a], hinc rotũditarẽ cœli colligi à plerisq; & in sphęræ modũ volui cœlũ.Demõstrant hoc Physici,& Astronomi [b].Quamuis ex Patribus Iustinus[c],vel potiùs recentior etiã Origene auctor collocatus in Iustini operibus , Ambrosius [d], Chrysostomus [e],Theodoretus [f] (qui mutauit tamẽ alibi [g] sententiam)Theophylactus [h],Lactãtius [i],Procopius [k],nõnullíque alij id negent tanquã Scriptu-

C ris cõtrariũ, quæ cœlum vocant tabernaculũ, & vt pellem extensum.Sed Paulus [l],qui videtur loqui priore modo,tantùm dicit cœlũ esse fixũ tabernaculũ,nec mutandũ sicut lex vetus mutabilis fuit. Potest quoque locus Psalmi de pelle [m] (quo meminit Damascenus [n] vsos qui hemicycli cœlum figuram obtinere sentiebant)aut Esaiæ [o] iuxta editionem LXX. qui comparat cũ camera, rectè consistere cum figura rotunda, vt Augustinus [p] docet. Sunt etiam qui reliquos Patres,saltem aliquos,vt Chrysostomũ,intelligant de sede Beatorum, quod vocatur cœlũ empyreũ, & existiment esse quadratũ in parte superiore , pro vt de cœlesti Ierusalem [q] dicitur , quòd in quadro

D posita est [r] : quæ tamen sententia mihi non placet , vt nec placere video expositoribus [s] Apoc. multo aliter quadratã interpretantibus figurã.

Spiritus.]Sol spiritus vocatur, quoniã animat, spirat, viget , annuos orbis cursus explet,sydera cætera illuminat , vt Poëtæ hîc testimonio Hieronymus confirmat. Nec existimauit tamen doctissimus Pater,sicut de illo B.Thomas [t] suspicatur,pro Ecclesiaste citans Ecclesiasticũ,nisi error irrepsit,Solẽ,cœlúmvé esse animatũ;solũ id quod dixi,affert,vt explicet quo pacto Sol spiritus per quandã figuram dici possit. Fert quoque cõmunis vsus loquendi notatus à Titelmanno , vt si quis alios præsentia sua, vel sermone exhilaret,

E eorũ illum spiritũ,animámve nominemus. Fortasse nec Hieronymus animã cœlis assistentem negasset,de qua nõ incommodè possunt intelligi nõnulli aliorum Patrũ , qui de his velut de animatis loquuntur. Verùm hoc nunc non agimus. Hieronymus [u] in erroribus Origenis hũc numerat,quòd cœlis tribueret animas rationales. Ita quoque Plinius [x] videtur de Sole sensisse. Scriptura videtur animã cœlis adimere, dũ cauet ne vllus iis à nobis honor habeatur,eo quòd creati sint in ministeriũ cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt [y].Nihilominùs nõ esse apertum errorem, si quis affirmet contrarium,idem S.Thomas docet multis locis . & ex aliis id ipsum colligit,

a in c. 3. Ep. ad Ephe.
b Lege Conimbricenses in 1. de cœlo. c. 4. q. 1. & Clauium in Sphæram.
c q. 130. ad ortho.
d in hexam. lib. 1.
e homil. 14. & 27. in Epist. ad Hebr.
f in c. 8. Epist. ad Hebr.
g q. 20. in Genes.
h in c. 8. Epist. ad Hebr.
i 3. Instit. c. 23.
k in c. 1. Genes.
l Hebr. 8. 2.
m Ps. 103. 2.
n 2. de fide c. 6.
o c. 40.
p 2. Genes. ad lit. c. 9.
q Apoc. 21. 16.
r Indicãt Conimbricenses 2. de cœlo c. 5. q. 2. a. 2.
s vt Riberæ, Viegæ, Petro Bullingero, & alii quos citant.
t 1. p. q. 70. art 3.
u epist. ad Auitum 59. & in lib. 13. in c. 45. Es. & in c. 1. & in Deuter. c. 4.
x 2. lib. 2.
y Deut. 4. 19.

ac probat Claudius Espencæus in proprio tractatu de cœlorum animatione, licèt sentiat ipse non esse animatos cum V. Synodo, & articulis Parisiensibus, quos citat, confutétque Paulum Ricium abutentem præsenti testimonio ad contrariam opinionem. Idem S. Thomas [a] per spiritum hoc loco vult nos intelligere Angelum, qui per operationem, qua mouet cœlum secundùm circulum, dicatur pergere in circuitu, ea ferè ratione, qua Paulus ait Spiritum sanctum interpellare, id est, interpellare facere [b]. Lege Conimbricenses [c], & ipsi quandoque hæc eadem disputauimus.

a opusc. 10. ad ar. 6.

b Rom. 8. 26.

c 2. de cœlo c. 2. q. 1.

Nec improbabilis tamen opinio de vento, quem transtulit hoc loco Symmachus: & in eodem sic docuerunt Thaumaturgus, Hugo Victorinus, Bonauentura, Vatablus, Campensis, Caietanus, alij. Hoc pacto, quod antea dixerat omnia vanitati subiecta, hìc ostendit in vento, seu in aëre; vt paulo pòst in aqua. Ventum Seneca [d] definit fluentem aërem; circa cuius quoque venti assiduam vexationem idē [e] prouidentiam Dei miratur: ex cuius videlicet thesauris produci venti dicuntur [f], & illis ab eo pondus datum [g]: & quorum vim Sapiens sibi perspectam Dei munere gloriatur [h]. Quo autem pacto ventos aptare Spiritus sancti liceat donis, Origenem, ac Hieronymum lege in Ieremiæ c. 10. & quæ diximus in c. 2. Actuum Apostolorum.

d 5. nat. qq. c. 10.

e c. 18.

f Psal. 134. 7. Ierem. 10. 13

g Iob. 28. 25

h Sapien. 7. 17.

Vers. 7.] Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.

QVi vanitatem elementorum exemplo doceri volunt, prioribúsque versibus terræ, ignis, & aëris, vt Hugo Victorinus præsertim, asserunt modò in aqua exemplum poni fluctuante circa terram. Hieronymus, reiecta sententia, quòd aquæ dulces quæ fluunt in mare, vel ardēte Sole consumantur, vel salsugini maris sint pabula, exponit præsentem locum, vt per occultas venas ad capita fontium aquæ regrediantur, & de matrice abysso in sua semper ebulliant principia.

Celebris controuersia est de origine fontium, & fluminum, quam aliàs tractauimus, & de qua satis copiosè Conimbricenses [i]. Sed quod attinet ad præsentem locum, duo dicuntur, omnia flumina intrare in mare, quod ambigi non solet, atque reuerti ad locū vnde exierunt, quod quidam accipiunt de reuersione ad mare, vnde primum exitum originémque sumpserunt. Et quia posteriùs istud membrū indefinitè ponitur, prius cum nota vniuersali, propterea Titelmanus ait ad veritatem posterioris satis esse si quædam flumina habeant initium ex mari, cùm tamen plura, iuxta veram Philosophi [k] sententiam, generentur ex aëre intra poros terræ incluso, ibíque per frigus condensato in aquæ guttas, ex quarū confluxu per occultos meatus fontes erumpant, & ex his flumina, ídque potissimùm in montibus. [Imò miraculum, inquit idem Titelmānus, augetur, si omnia flumina, etiam illa, quæ non oriuntur ex mari, intrent in ipsum, hoc verò non redundet.]

i in libros Meteor. tract. 9.

k lib. 1. Meteor. summa 4. c. 1. & lib. 2. summa 1. c. 2.

Respondet secundò, quamuis membrum secundum vniuersaliter intelligatur, iuxta lectionem Hebræam, pro (*exeunt*) esse (*pergunt*) sensum autem reddi: Omnia flumina intrant in mare, ipsum tamen nō redundat, & omnia hæc flumina sic reuertūtur, vel currunt ad locū, quò pergunt, id est, ad mare, propter hoc vt ampliùs fluāt, quia nisi pelago aquæ illæ absorberentur, sisterent nimiùm excrescentes extra alueos, terrámque implentes. Tertiò, ne verbū (*reuertuntur*) videatur indicare regressum ad principiū, vnde omnia flumina exierint, id est, mare, ait idē valere quod (*proficiscūtur*) sicut quādo cap. vltimo [a] huius libri dicitur quòd spiritus hominis redit ad Deum, qui dedit illū, nempe quādo it in cœlū, vbi tamen priùs nō fuit; sensus est, quòd vadit ad locū sibi deputatū. Ad eundem modū aquæ omnes in mare vt in locū natiuum redire cēsentur (quo pacto partes aliorū elementorum ad loca ipsorum) quādo illuc tendūt, etiamsi priùs ibi nō fuerint, vel inde progenitæ sint. Quartò explicat vocem (*iterum*) quā Hebrǽus textus nō habet, nō cū relatione ad prǽcedentē originem, sed vt sit idē quod (*ampliùs*) & (*adhuc*) id est, vt adhuc fluant, siue in suo fluxu permaneant. Quintò addit iuxta Grǽcā, & Latinā antiquam editionem, quā Hieronymus quoque secutus est, pro fluminibus esse torrentes: hos autem à mari ortū ducere, rursúmque ad id redire, quoniā à mari Sol extrahit vapores, qui cōdensantur in nubē, ac in aquā conuertuntur, & pluēdo in terram decidūt, atque torrentes efficiunt, qui rursum in mare redeūt, sicut aquæ fluminū.

a vers. 7.

Mihi sententia hæc supra alias omnes placet, dūmodo quod quinto dicitur loco, resecetur tāquam aduersarium vulgatæ editioni, necnon & Chaldææ, quæ flumina omnia, omnésque scaturigines aquarū exprimit: rationi præterea Caietani, quia mirū non esset ex fluxu torrentiū mare nō impleri, cùm aquæ torrentium exiguæ valdè sint; sed ex eo, quòd omnia flumina confluūt ad mare. Deinde malo, quod ipsemet mauult in secūdo pronunciato, vt notā vniuersalē (*omnia*) in priore mēbro expressam, intelligamus quoque in posteriore; sic enim cæteri passim intelligunt, & cōtextus ipse satis id indicat. Quæ sunt in dicto secūdo cū tertio & quarto difficultatis solutionem maximè attingunt. Nihilominus cēseo hoc ex loco nihil pro quæstione originis fluminum, fontiúmque colligi; aut si quid colligatur, potiùs aliūde oriri, quàm ex mari. Nā Salomoni satis est probare vanitatē, quā præfatus est esse in rebus omnibus, ex cōtinuo aquarū fluxu, quemadmodū priùs probauerat ex perpetuo Solis motu, &, vt quibusdā videtur, etiā ex aëris. Probatio ducitur ex fluminibus, quæ sunt in omni prouincia, & in plurimis ciuitatibus. Horū perennis fluxus causam ait esse, quòd in mare tēdant, ex quo mari, quia nō redundat, denuò refluunt, vt sic adhuc fluere possint, & reuerti in idipsum mare, & sic deinceps continuare motū quodam modo circulari. Ad hoc non refert vbinam scaturiant flumina, & si quam verba textus innuunt scaturiginē, videntur aliā potiùs innuere, quàm maris; dicuntur enim flumina intrare in mare, & reuerti, vnde exierunt; quod hunc præ se fert sensum, vt existerent flumina priusquàm intrarent in mare, & inde illuc reuertentur, vnde exierunt, quando ad mare defluxerunt, hoc est, ad fontes, vt Hieronymus indicat, quíque illum sequuntur verbis ipsius vsi, Albinus, Hugo Victorinus, & alij.

Iuxta modum istum dicendi verba omnia editionis nostræ cum obuia, & ordinaria sua signi-

ficatione retinentur, & Philosophis sua relinquitur libera, & insoluta quæstio, quorum opiniones præsenti loco necessariæ non sunt; nec si necessariæ sint, plenè satisfacere videntur. Etenim præter ea quæ de Titelmanno dixi, cuius Caietanus dictum quintum, retento nomine *fluminum*, sequitur; generatio fluuiorum ex vaporibus marinis, & fluuialibus, vt retorqueam Caietani argumentū in ipsum, necnon id in Olympiodorum intendam (qui omnia flumina intrare dici vult, quia multa) Lyranum, aliósque sic præsentem locum interpretantes, non tantas aquas efficit, vt earum ratione tanquam quid admirandum pronuncietur, quòd iis mare impleatur, & non redundet. Neque propriè hoc est flumina intrare in mare, aut redire, ratione nimirū aquarum pluuialium, quibus ea intumescant; vel propter vapores excitatos è mari, quibus humescat terra, sicque fontibus, fluminibúsque materia suppeditetur. Sed per se etiam citra pluuias, atque vapores, verum est quòd ipsæ intrant in mare, tanquam in locum natiuum, vt rectè Titelmannus tertio loco philosophabatur: & exitus è mari ob vapores dumtaxat, minùs proprius videtur. Franciscus Vallesius [a] contendit ex hoc loco, & ex cap. 24. Ecclesiastici, Platonis tueri sententiam in Phædone cōtra Aristotelem, cuncta penitùs flumina, fontésque manare ex mari. Sed eius me rationes non conuincunt. In eodem Ecclesiastico [*] est locus difficilior, quòd *omnes aquæ in mare reuertētur, sicut omnia, quæ de terra sunt, in terram reuertentur.* Sed forsan per aquas intelliguntur cōposita, in quibus prædominatur aqua, quæ resoluuntur in mare, id est, in elementum aquæ: significat enim quandoque mare aquarum congeriem. Vel vis comparationis in eo est, vt omnia reuertantur in terram, quemadmodum defluunt aquæ in mare: nō quia perinde sit omnis aquæ de mari origo, vt rerum compositarum de terra. Loquebatur Sapiens de miseria conditionis humanæ vitæ, eámque similem affirmat fluenti aquæ, & in mare præcipitanti. Ea similitudine vsa est Thecuitis de morte disserens cum Dauid [b], valdéque teritur etiam à profanis auctoribus. Pontum dici putant παρὰ τὸ πιτνεῖν, quia sorbeat aquas.

a in sacra Philosophia. c. 63.

* c. 40. 11.

b 2. Reg. 14. 14.

Mysticum sensum si vis, quære apud Hieronymum, Hugonem Victorinum, Olympiodorum, aliósque posteriores Interpretes: præterea apud Ambrosium [c], cum quo consentiunt quæ habet Olympiodorus, Gregorium [d] (cuius mihi Salonius vti verbis videtur) Bernardum [e], Bonauenturam alio vltra istùm loco [f], qui, quod & vulgò multi faciunt, de beata Virgine exponit.

Ambrosius [g] inter alios mysticè de Scriptura sacra explicat, quæ habeat in se sensus profūdos, altitudinem propheticorū ænigmatum, in quod mare plurima introierint flumina, videlicet quicquid profani continerent libri disciplinarum quoque externarum, in diuinarum mari Scripturarum reperitur, ac ex eo magna ex parte promptum, vt sæpiùs obseruat Augustinus [h], & Clemens Romanus [i], & Cassiodorus [k], idémque Ambrosius [l]; etsi quædam minùs necessaria ab iis despecta monet, vt de Geometria, Arithmetica, & similibus: cæterùm in iis esse thesauros sapientiæ & scientiæ diuinæ.

c lib. de Tobia c. 13.
d 30. moral. c. 2. vel 4.
e serm. 13 in Cantica.
f opuscul. de laudib. B. Virginis c. 7.
g epist. 9 edit. Roman. ad Constantium.

h lib. de doctrin. Christ. & de ciuit.
i Constitut. c. 6.
k proœm. in Psal.
l in c. 3. Epist. ad Coloss.
m in probl. script. tom. 5. in 89.

Franciscus Venetus [m] opinionem sequens, omnia flumina omnino à mari oriri, nec illa, fontésve oriri posse ex vaporibus resolutis, ait ea

A re designari effluxum animarum, quæ veniunt à mari magno diuinitatis in hunc mundum inferiorem, vt iterum reuertātur ad mare, & fontem primum; quemadmodum fecit Pater omnium nostrùm Christus, qui dixit [a]: *Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

a Ioa. 16. 28.

Flumina.] Citati modò Patres legunt eodem modo: Hieronymus (*torrentes*) quos etiam significat Græcum nomen χείμαῤῥοι, & Hebraicè נחלים *nechalim*, quod interdum nomen Interpres reddit per *riuos* [b]. Chaldæus hoc loco vertit (*flumina, & scaturigines aquarum.*) Rectè verò noster Interpres dixit *flumina*, quoniam torrentes priùs intrant in flumina, & cum ipsis in mare: & Symmachus in sequenti parte versus ponit ποταμούς.

b Esa. 11. 15.

B *Mare non redundat.*] Græcè (ἡ θάλασσα οὐκ ἔστιν ἐμπιπλαμένη) Symmachus (οὐ πληρμμυρεῖ) Hieronymus (*non impletur*) eodémque modo Chaldæus Paraphrastes. Videlicet non impletur vltra cumulum. Hoc autē de toto verum est, ita vt aquis se præsentibus non exoneret, aliásque denuò capiat, vt fluminibus contingit, quæ sic aquas hac aluei parte contentas eiiciunt, vt mox alias excipiant ex integro. Neque etiam aquis mare summo tenus inflatum super littora effunditur, terrámve totam superstagnat. Attamen æstuans, vel agitatum ventis inundat aliquando, & vrbes, castella, regiones absorbet; vt historiæ testantur [c]. C Suos præstitutos fines mare non egredi produnt etiam vt rem mirabilem sacræ literæ, mari fasciato & intra cunas instar infantis ligato; vel in motem criminosi cōstricto vectibus, portísque [d]. Lucretius [e], Aristoteles [f], aliíque causas varias cur quotidiano fluminum accessu mare non crescat, commenti sunt. Primariæ habentur, quòd radiis Solis exhauriuntur, & exsiccantur influentes aquæ, ac super mare vastissimum, ceu super tabulam superlabentes ac expansæ: vel quoniam maris comparatione, guttæ propemodum instar habent. Sed ignorantiam hac in re Nazianzenus [g] fatetur, quamuis Physici, & sapientes, inquit, inania quædam dicere habeant; qui eùm hæc ipsa credunt se habere cogitatione perce- D pta, reuera mare ipsum cyatho metiuntur. Loquitur eodem Olympiodorus modo. Plures quoque deputant id perpetuo miraculo, vt Basilius [h], Chrysostomus [i], Theodoretus [k], Ambrosius [l], B. Thomas [m], qui vocant virtutem diuinam, frenum, & compedes, intra quam mare contineri cogitur, atenam. Vim autem declarant miraculi, quòd aquam putent terra sublimiorem, nec tamen effunditur super illam. Et fuit eadem de altitudine terræ sententia Lucretij [n], Ciceronis [o], & aliorum. At demonstratur ab Astrologis, Philosophísque terram esse altiorem [p]. Et id indicat fortasse quod phrasi Scripturæ descendere dicimur in mare [q], & ascendere de mari [r]: tametsi E quandoque dicamur etiam ascendere in mare [f] propter situm regionis, ad quam appellimus, vt ex Ægypto ad Arabiæ deserta, & Palæstinam. Denique Græcismus est, quo quæuis profectio maritima vocatur ἀνάβασις, *conscensio*, scilicet in nauem, &c. Itaque mirabilis quidem, sed naturalis lex Dei est, quæ mare coniecit in humiliora loca, & inclinationem deorsum decurrendi dedit: & peculiariter imperauit initio, vt super terram expansæ aquæ congregarentur in locum vnum [t].

c Cato 2. origin. Solinus polyhistor. Fabius Pictor de orig. vrbis. Aug. 18. de ciuit. c. 8. & 10. Isidorus 14. orig. c. 22.
d Iob. 26. 10. c. 38. 9. 10. 11. Ierem. 5. 22. Psal. 32. 7. Psal. 103. 9. Prouer. 8. 27. 29.
e lib. 6.
f 2. Meteor. c. 2.
g in catena Iob 26.

h hom. 4. hexam.
i in catt. Iob.
k in Ps. 103.
l 3. hexa. c. 2. & 3.
m 1. p. q. 69. a. 1 ad 2. & 4. & in c. 6. Iob.
n libr. 6.
o 2 de nat. Deo.
p Clauius in c. 1. Sphæræ. Pererius libro 1 in Gen. Molina 1. p. in opere 3. diei, dispu. 11. Valent. 1. p. q. 3. de opere sex dierū punct. 4. Conimbricenses in lib. 2. de cœlo. q. 4. Pineda etiam in c. 26. Iob. vers. 10.
q Psal. 106.
r Esa. 42. 23.
r Dan. 7. 3. Apocalyp. 13. 1.
f Psal. 105. 7.
t Genes. 1. 9.

Ad locum, vnde exeunt flumina.] Iam monui pro

secundi, filium Dauid, Regem Ierusalem: in tertio non dicitur Rex, vel filius Dauid, quia plurimi sunt rudes, pauciores metropolitæ; rari qui superna tantùm desiderent: propter primos ac secundos paterna dignitas, regníque proprij auctoritas indicatur: perfectis, quia nó timore eruditur discipulus, sed amore filius, proprium nomen sufficit, & qualis magister est, & nescit se esse Regem.] Qua etiam de causa obseruatũ est, nullũ toto Canticorum libro Dei nomen exprimi ex iis quæ possunt timorem incutere, sed nomina omnia amoris. Ricardus triplicem illum statum hominum, & scientiarum adaptat tribus Patriarchis, Abraham, Isaac, Iacob. Primus obediés fuit: secundus puteos fodit: tertius scalam, & in ea Angelos vidit. Prior eam comparationem posuerat Ambrosius [a], atque cum triplici puteo abundantiæ [b] seu latitudinis, & visionis [c], & iuramenti [d]. Alij huc accommodant antiqui tabernaculi tres partes, vestibulum, aulam, penetrale: Cassianus [e] triplicem abrenunciationem iniunctam Abrahæ [f], diuitiarum, vitiorum ac morum, & vt amentur inuisibilia. Fateor hunc censeri posse magis ordinem librorum inter se iuxta doctrinæ rationem, quàm temporis; & Hebræi censent cùm esset Salomon adolescens, & needum Rex, Cantica fudisse: Prouerbia grandem natu: Ecclesiasten in ætate senili. Videntur insinuare, imò id asseuerant eorum nonnulli, canere Salomonem in Canticis laudes vxoris suæ, filiæ Pharaonis: quod meritò confutat Philastrius [g], & Iacobus de Valentia [h], necnon vel hac in re præter morem castus Beza [i], qui hoc nomine Castalionem castigat: & paulo minorem meretur reprehensionem Theodorus Mopsuestiensis, cũcta referens ad nuptias profanas, quod faciunt item Anabaptistæ. Cosmas Damianus [k] Hortolanus arbitratur à Salomone sene pœnitente Cãtica loco vltimo composita, cùm se repurgandũ spiritui sapientiæ præbuisset, & expiandum, vt dignum Deo templum efficeretur. S. Bernardus [l] attendit alium ordinem tropologicum, secũdùm quem primus est liber Ecclesiastis; in eo enim pellitur vanus amor mundi: in Prouerbiis superfluus amor sui: in Canticis præscribitur castus amor Dei: in primo dissuadetur vanitas mundi: in secundo mores informantur: in tertio est perfectio, & consummatio. Ex ordine, quo disponũtur libri in Bibliis, non potest argumentum certum sumi de ordine temporis, quo scripti sint libri Salomonis, vt patet ex aliis, in quibus non respódet collocationis ordo temporis ordini, vt libro Iob, & similibus: & de Psalmis docet Cassiodorus [m], Ioánes Picus [n], Petrus Bógus [o], verbi gratiâ, tertius deberet esse post 50. & 51. antè: siquidem in tertio agitur de persecutione Absalonis, quæ contigit post peccatum Dauid, eiúsque pœnitentiam: in 51. de proditione Doëg Syri, quæ longè antecessit idem peccatum Dauid. Vnde censentur Interpretes LXX. digessisse Psalmorum ordinem non sine mysterio, cùm apud Hebræos absque ordine reperirentur. Placet ergo sententia communior, post lapsum à pœnitente Salomone librum istum esse compositum. Chrysostomus [p] quoque sentit, & Beda in fragmentis, quæ sunt in tomo 7. operum editorum anno 1569. & Aiguanus in Psal. 88. is qui antea Innominatus vocabatur; & Macarius hom. 4. annumerat sanctis Patribus, Prophetísque: vt omittam Titelmannum in commentario ad c. 2. &

a præfat. in Lucam, & lib. de Isaac c.4.
b Gen. 26.33.
c Gen.16.14.
d Genes.21. 31.32.
e coll.3.c.6.
f Gene.12.1.
g de hæres.
h præfat. in Cant.
i præfat. in Iosue.
k isagoge in Cant.
l sermon. in Cant.
m in Psal. 26.
n in apolog.
o lib. de myster. numerorum cùm de binario.
p hom.55. ad pop. & hom. contra con-...ub.

A Feuardentium in Esther. [a] Videtur, imitatus patrem, docere post pœnitentiam iniquos vias diuinas [b] voluisse. Quòd fœminarum, quas adeò multas habuerat, nominatim non meminit, spectat ad modestiam, & satis illas innuit, commemorando alia voluptatum genera, dicendóque se à nulla prohibuisse cor suum, nec oculis, quæ desiderassent, negauisse [c]. Præterea sub vocabulis *sagenæ, compedum, laquei*, [d] rem illam eandem indicat, quia sic alibi describit [e] meretrices. Nec obstat, quòd perseuerasse sapientiam secum affirmet [f]; de naturali namque, non de diuina per se infusa, donóque Spiritus sancti loquitur.

a in c.1.
b Psal.50.15.
c c.2.10.
d c.7.27.
e Prou.7.21.
f Eccle.2.9.

B

CAP. IV.

De titulo.

ECCLESIASTES, Græcè ἐκκλησιαστὴς, Hebraicè קהלת *Coheleth*, titulus libri est, quia ipsemet auctor initio libri sic librum nominauit, inquit Athanasius [g]. Duplex tituli ratio passim ab Interpretibus assignatur: vel quòd anima Salomonis (est enim participium Hebræum fœminini generis) scientias in se omnes congregasset, ac sibi comparasset: aut potiùs collectas in eius Deus sinum coniecisset: vel quia populum vocabat in C concionem, vt de rebus grauibus haberet sermonem ad illum, non ad vnum aliquem duntaxat: ita nominatim citatus Athanasius, & Salonius. Gregorius [h], Bonauentura [i], & alij tertiam veluti causam reddunt, quia induit hoc libro Salomon varias personas, nec ex sua duntaxat loquitur. Iacobus de Valentia [k] ad primam causam existimat pertinere verba capitis trigesimi Prouerbiorum: *Verba congregantis, filij vomentis*. Quasi dicat, quòd priùs congregauit ab aliis, siue à Spiritu sancto sententias, quas intendit dicere, & postea euomuit, & manifestauit, & eructauit eas, quia omnia illa congregauerat ex dictis Patriarcharũ, & maximè ex libro Psalmorum Dauid patris sui. Quamquam [l] aliis videtur, non esse parabolas D capitis trigesimi Salomonis, sed Agur filij Iache, quæ nomina habet textus Græcus, vt propria. Idem sub finem istius libri significat Salomon, quando repetens primam libri sententiam; *Vanitas vanitatũ, &c.* ait: *Cumq; [m] esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat, & inuestigans composuit parabolas multas. Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos: ac veritate plenos. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorũ consilium data sunt à pastore vno.*

Quartò Titelmannus obseruat, concionatoris in eo Salomonem partes exequi, quoniam statim à principio thema proponit (*Vanitas vanitatum, &c.*) idipsum subinde repetẽs & inculcans in sermonis progressu, & circa illud pertexens totum E sermonem; & quamuis, quod peritus concionator facit, digrediatur nonnunquam ad alia, eodem recurrit tamen, diligenter ac particulatim demonstrans veritatem primæ propositionis, quã sic bene probatam, vt conclusionem ad extremũ, & clausulam reponit. Præterea falsa quæ obstant argumento proposito, refellit, veritatem confirmat, damnat vitia, virtutes laudat, prædicat denium, instat opportunè, importunè, arguit, obsecrat, increpat, pro vt Ephesinum Ecclesiasten Timotheũ Paulus [n] vt faciat, obtestatur. Caietanus magis angustam nominis rationẽ dat à

g in synopsi.
h dial. lib.4. c.4.
i præfat. in Eccles.
k præfat. in Cantica.
l vt Iansenio & Rodolpho Bayno in c. illud 30. Prouerb.
m Eccles.12. q.10.11.
n 2.Tim.4.2.

vanis,

[...]tatis, atque rationibus vanitatis, quas hîc colligerit.

Quinto loco Olympiodorus eo nomine significari notat, in Ecclesia Dei verba sapiétiæ custodiri. Et sane ita est: semper enim viguit ab initio mundi Ecclesia, propter hanc vniuersalitatem quoque temporũ Catholica, nec extra illam vera, solidáque sapientia reperitur: & Christus tanquam verus Ecclesiastes, ex omnibus gentibus, populisque duobus, ait ille idem Pater, vnam sibi fecit Ecclesiam; quam dicere possumus sextam causam, quæ est etiam Nysseni, & Hieronymi. Septima est eiusdem Nysseni, quòd quamuis in Ecclesia legãtur aliæ Scripturæ; sed nulla tam vtilis: nec enim Ecclesiã adeò curare bella, Principes gentium, vrbium conditores, coloniarum ac regnorum principia, matrimonia: hîc explicari, quæ ad solam ciuitatis Ecclesiæ pertinent administrationem, hoc est, per quæ quis rectè & ex virtute vitam instituat. Insinuat eandem rationem Athanasius [a], dum ait, quæ sunt spiritus hoc libro tradi: *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia*, inquit ipsemet Deus apud Esaiam [b].

a in synopsi.
b c.48.17.

Qui naturalium rerum hoc in libro tractationem contineri potiùs, quam moralium volunt, vt præcedente capite vidimus, non satis video quàm aptè nomen *Ecclesiastis* interpretentur pro *concionatore*, cuius profectò est, res potiùs morales persequi, vtpote populo maximè accommodatas, magísque necessarias, quam naturales.

Sed quid titulus libri Ecclesiastici differt ab Ecclesiaste? Libro illi eum titulum Latini fecerunt: Græcè namque, quo tantùm idiomate præterea scriptus extat, inscribitur, Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιράχ, *Sapientia Iesu filij Sirach*; Hebraicè verò testis est Hieronymus [c] titulum legisse מִשְׁלֵי *Misle, Prouerbia*. [Ad imitationem (inquit Iansenius [d]) & simul distinctionem libri Salomonis, qui Ecclesiastes dicitur, eo modo vocatus est liber Ecclesiastici, quòd Ecclesiæ ædificandæ plurimùm vtilis sit, sicut & à Græcis cognominatus est Πανάρετος [e], quòd omnium virtutum, & morum doctrinam contineat.] Alius huic libro titulus à nonnullis assignatur, vt meminit Georgius Ederus [f], videlicet Soliloquium Salomonis, quoniã solus in eo loquatur, nunc in persona sapientis, nunc in persona stulti. Est autem notandum, quia Salomon sapientiæ laude excelluit, eáque in omni libro eius insigniter enitescit; sicut absolutè *Sapientis* nomine solet exprimi, libros quoque singulos titulo *Sapientiæ* consuesse nuncupari, quamuis vnus propriè sit, qui Sapientia vocatur, incertum an à Salomone compositus. Hoc pacto nõ solum in Ecclesiastico officio loquimur, cùm recitamus sacras lectiones ex aliquo Salomonis libro, & Prouerbiorum, &c. aut etiam ex libro Ecclesiastici, quem constat non esse scriptum à Salomone; verùm etiam vetusti quidam Patres, qui & propter similitudinem styli, vt Augustinus [g] ait, præter Ecclesiasten, Cantica, Prouerbia, tanquam Salomonis opera citãt Ecclesiasticum, Sapientiamque. Cyprianus [h] quod est in Ecclesiastico, citat vt Sapientiam Salomonis, necnon Hieronymus [i], & quod est in Ecclesiaste Gregorius [k]. Fit quoque plerumque, vt siue memoriæ lapsu, siue nominum similitudine quidam pro Ecclesiaste citent Ecclesiasticum, ac vice versa: & potuit errori dedisse ansam ratio scribendi per compendium, quæ liberum facit vt Ecclesiast. mutile scriptum modò Ecclesiasten, modò quis exprimat Ecclesiasticũ. Imò reperio qui pro vno alium citent librum, pro Ecclesiaste Prouerbia. Sic quidem Origenes [a] sententiam profert quæ est huius libri capite decimo; *Si spiritus potestatem habentis*, &c. tanquam ex Prouerbiis. Idem Origenes [b] videtur vt diuersos citare Ecclesiasten, & Salomonem: & Chrysost. [c] dum affert locum ex Cantico canticorum, nominat Ecclesiasten: eodẽ modo Hieronymus [d], dum recitat ex Prouerbiis: sed & sub Ecclesiastici nomine citat [e] ex hoc nostro libro [f]. Adde, vnum ex principibus membris, in quæ Scripturæ libri diuiduntur, esse, vt quidam dicantur Sapientiales; etsi etiam aut inter paræneticos, aut hagiographos, aut poëticos liber iste censeatur.

c præf. in Salom.
d procem. in Ecclesiasticũ.
e Hiero sup.
f œconom. Biblio lib.1.
g 17. de ciuit. Dei c. 20.
h libro 3. ad Quirinum. c. 10. & 53. & 96.
i contra Pelagianos.
k in Psal. 4. poenit.
a hom 3. in Cant.
b in Catena Barbari in Psal. 8.
c in Psal. 5.
d in Esa c. 65.
e in Epist. ad Ephes. c. 4.
f c. 10.

B Postremò circa nomen Hebræum קֹהֶלֶת *Coheleth*, generis fœminini, obseruã, solere Hebræos huius generis nominibus pro masculinis vti ad exprimendam magis rei præstantiam & elegantiam, ita vt concionatricem Salomon vocare se videatur, vt significet elegãtem concionatorem. Hoc modo, quod legimus in Psalmo [g]; *Dominus dabit verbum euangelizantibus*, Hebraicè est in genere fœminino הַמְבַשְּׂרוֹת *hammibberoth*, vt denoteretur, Deum missurum excellentissimos Euangelij prædicatores. Id quidem placet Riberæ [h], quamuis aliis aliud, qui etiam exponit eodem sensu quod est apud Aggæum [i]: *Nuncius Domini de nunciis Domini*, vbi Hebraicè est fœmin. בְּמַלְאֲכוּת *bemlachoth*. Lege quæ dicimus capite 7.

g Psal. 67. 13.
h in c. 1. Agg. n. 12.
i c. 1. 13.

CAP. V.

Argumentum libri.

EX dictis de libri titulo satis colligi possunt quæ pertinent ad argumentum, necnon ex iis, quæ disputata sunt cap. 3. Tradunt cæteri Patres cum Origene [k], & Basilio [l], naturalem disciplinam hîc tradi, simul tamen inania ac vana ab vtilibus, necessariisque secerni, monendo relinquendam vanitatem, & vtilia, honestáque sectanda, vt timeatur Deus, eiúsque mãdatis pareatur. Itaque studium scientiarum nominatim exploditur capite primo: appetitus deliciarum capite secundo: desiderium longioris vitæ capite tertio: ambitio dominationis capite quarto & quinto: cupiditas diuitiarum capitis quinti posteriore parte, & capite sexto: ars diuinandi, seu præcognitio futurorum capite septimo: venatio laudis ac famæ capite octauo: sectatio fortunæ in medio capitis octaui, & capitis noni: robur corporis in capitis noni parte altera, atque capite decimo: species floridæ iuuentutis capite vndecimo & duodecimo. Lege Ederum [m], Villauicentium [n], Canum [o], Salmeronem [p]. Bonauentura sentit, materiam huius libri esse vanitatem, seu res, pro vt de his demonstratur vanitas, veluti quædam earum passio, eáque triplex, naturæ, culpæ, miseriæ. Occurrit etiam argumento, quo suadetur de vanitate scientiam esse non posse. Hugo Cardinalis, post Hugonem Victorinum, vanitatem, operis huius subiectum, distinguit in mutabilitatis omnis creaturæ, curiositatis rationalis, mortalitatis animaliũ, siue naturalis, culpabilis, pœnalis, siue eius, quæ est quædam causa peccati, alterius quæ peccatum, tertiæ, quæ pœna: primæ in his, quæ propter homines sunt, quæ ab hominibus facta, quæ in hominibus. Distinctè quoque

k prolog. in Cantica.
l homil. in princ. Prou.
m 1 œconom. Bibli.
n 2. de ratione studio. Theol c 16.
o 9 de locis Theol. c. vlt.
p tomo 1. prolegom. 9. quinquag. 1. can. 13.

numerari refutatæ libro isto vanitates decem possent. In capite primo immoderatum sciendi studium:in secundo appetitio deliciarum:in tertio vitæ longioris desiderium:in quarto & quinto ambitio dominij,dignitatisque:in parte quinti,& in sexto toto cupiditas diuitiarum:in septimo diuinandi ars,ac præscientia futurorum : in octauo venatio laudis,& famæ:in nono fortunæ consectatio:in parte noni,& in decimo toto corporis robur : in vndecimo & duodecimo specimen ætatis floridæ.

Moralissima sunt hæc,negari nõ potest,si spectentur in se,ac per se; tractandi verò ratio physica magis. Nam,vt ait Hugo Victorinus [a], monens non esse multùm hoc in opere laborandum perquirendis tropologiis , & mysticis allegoriarum sensibus;auctor non tam moribus instituendis, vel mysteriis enarrandis intendit , quàm vt cor humanum ad rerum humanarum contemptum manifesta rationum veritate,atque exhortatione vehementi commoueat. Fatetur tamen Hugo inseri nonnulla mystica,& iuxta spiritualem sensum intelligenda. Iacobus de Valentia [b] contendit esse quoque librum propheticũ , continentem mysteria de Christo,& Ecclesia. Augustinus [c] absolutè docet, Salomonem prophetasse in omnibus libris suis, atque in illis,qui propter eloquij nonnullam similitudinem ipsi attribuuntur,hoc est,in Sapientia,& in Ecclesiastico. Et id quidem commune toti Scripturæ , vt mysticum quid contineat , tanquam liber scriptus intus [d], forisque , vt Hugo Cardinalis notat [e] , atque Christum aliquo modo resonet. Olympiodorus [f] retinens distinctionem illam trium librorum Salomonis cum rebus quas tractant propriè singuli, [est tamen (inquit) inuenire & in Ecclesiaste moralium interspersam doctrinam, & rerum naturalium in Prouerbiis;sed & in vtrisque ea quę intellectualia sunt.] Agnouit Ambrosius [g] permixtionem istam mysticorum in Prouerbiis, naturalium in Canticis, quamuis de Ecclesiaste nihil dicens, indicare videatur totum constare solis naturalibus, quemadmodum prior auctor de Canticis asseruit sola mystica continere.

Rabbi [h] Moyses ex veterum traditione refert, Salomonem in libris quos edidit,ceu prælongo fune de præcedentium scriptorum puteo sapientiæ profundam,ac frigidam aquam hausisse. Monet nihilominùs [i] nõ fuisse sapientiorem Mose, sed hominibus tantùm sui temporis : quod Hieronymus [k] extendit ad eos qui præcesserunt,sed in Ierusalem; nec enim sapientiorem fuisse Mose & Abraham : idémque cum Hieronymo tradit glossa interlinearis [l] ; Hugo quoque Cardinalis, Arboreus,aliique expositores, & Ioannes Ludouicus Viualdus [m], qui excipit Ioannem Baptistã, & Apostolos,& Adamum, Abraham, Mosen ; & ex Iosepho [n] probat comparari tantùm cum sapientia Hebræorum,qui tũc viuebant. Lege quæ de hac re dicimus capite primo; quãuis Nazianzenus [o],& quidam alij absolutè loquentes,affirment omnibus sapiẽtiorem fuisse,& Abulensis [p] præferat etiã Adamo , & omnibus, præter Christum,& beatam Virginem,quam concedit etiam inferiorem fuisse in scientia rerum naturalium. Loquitur autem propriè de scientia habituali,& quidem omni, de qua [q] docet cur omnem Deus dederit, cùm petiisset solùm prudentiam ad regendum.

a in præfat. in hunc librum.
b præfat. in Cant.
c 17. de ciui. Dei c. 20.
d Ezech. 2. 9.
e in Ecclesiasten.
f in Ecclesiasten.
g in Psal. 118. versu 1.
h lib. 1 ductoris dub. in proœmio.
i lib. 3 c. 55.
k in c. 1. Eccles.
l in c. 1. Eccles.
m tract. de magnif. Salomo. c. de sapientia.
n 8. Antiq. c. 2.
o orat. 2. Theol.
p 3. Reg 3. q. 7.
q q 8. 9 & 10.

A Athanasius [a] vult scopum Salomonis hoc in libro esse, impugnare Græcorũ,ac Ægyptiorum errores, philosophando de naturali rerum theoria:propterea compescere inane studium illorum circa inuestigationem naturæ , & istorum circa diuinationes ex hominis natiuitate;cæterùm stabilire diuinam prouidentiam, & æternorum bonorum in nobis curam. Simile quid refert Hugo Cardinalis ex Hebræorum sententia , nempe contra idololatriam potissimùm scribere hîc Salomonem ; sed quandoque , ne nimis offendantur Gentiles,obscura quædam dicere, quæ illi ad se detorquere possint. Alij , de quibus Lyranus, tradunt,cùm propter celebritatem sapientiæ Salomonis plurimi audire illum cuperent ; præcipua verò quæstio de felicitate agitaretur, de hac B Salomonem sententiam suam apertè pronunciare voluisse.

Itaque subiecta libri materia censeri potest vel vanitas,vel felicitas,vel rerum vanãrum contemptus , cum amore solidæ felicitatis. Refert Ludouicus Viues [b] ex quorundam sentẽtia,cùm spiritu prophetico præuideret diuisionem regni sui sub Roboam filio suo,adductum in contemptum instabilis vanitatis , librum hunc edidisse. Augustinus [c] totum librum deputari dicit vanitati intimandæ, non vtique ob aliud,nisi vt eam vitam desideremus , quæ vanitatem non habet sub hoc Sole,sed veritatẽ sub illo,qui fecit hunc Solem. Item [d], quòd copiosissimè in summum C contemptum omnia ista perducit;& verba illius si attendantur, si pendantur,si discutiantur,multa inueniri pernecessaria iis , qui hunc mundum fugere, & in Deum refugere desiderant. Rupertus [e] intentionem libri in eo esse,vt certam præbeat rationem spei,scilicet in quo non sperare, & in quo spem suam ponere debeat homo rationalis.

Meritò igitur Ambrosius [f] bonum ad omnia magistrum nominat Ecclesiastis librum. Hieronymus [g] testatur se Romæ hunc Blesillæ librum exposuisse,vt eam ad contemptum mundi prouocaret , & omne quod in mundo cerneret, pro nihilo putaret esse. Albinus [h] quoq; ad enarrandum eundem Ecclesiasten adductus est,vt ex- D tractos è monasterio ad munia Ecclesiastica Oniam Sacerdotem,id est, Episcopum, Candidum Presbyterum, & Nathanaëlem Diaconum, à mundi vanitatibus præmuniret : aitque de vana possessione diuitiarum in huius seculi deliciis penè sapientissimum Salomonem totum composuisse hunc librum ; quem hortatur vt semper pro magistro habeant in manibus. Paucis quidem conscriptum sententiis librum hunc Philaster scribit, sed omnem thesaurũ cœlestis scientiæ quærentibus continentem. Nyssenus scopum libri ait esse,mentem supra sensum exigere,& vt quiescat efficere,relictis omnibus,quæ magna,& præclara videntur in rebus , ad ea quæ sensus E comprehensio minimè potest assequi, assurgere, & illorum teneri desiderio , quæ sensus non attingit. Rabbini hunc librum cum Ezechielis libro vocant *ghenuzim* , id est, apocryphos , ob obscuritatem , & mysteria, quæ humana capere non possit infirmitas. Eodem nomine vtitur auctor libri Zohar in Deuteronomio [i].

* * *

a in synopsi.
b in 20. de ciuit. c. 3.
c lib. 20. de ciuit. c. 3.
d de morib. Eccles. c. 21.
e 7. de Trini. c. 9.
f lib. de Tobia c. 13.
g præfat. in hunc librũ.
h in præfat.
i fol. 141.

COM

COMMENTARIVS
IN ECCLESIASTEN.

SVMMARIVM.

VANITATEM in rebus præsertim humanis demonstrat Ecclesiastes, quia nemo est qui non de suo queratur labore, doleátve minimum se prò eo præmium reportasse: deinde quòd quamlibet in perquirendo diligentiam adhibeas, nihil sub Sole nouum reperias: tum verò quoniam hoc deprehenditur plena omnia esse liuore, auaritia, contentionibus, detractionibus, maledicentia, stultorum quoque turba, quibus obsisti ægrè possit.

CAPVT PRIMVM.

1 Verba Ecclesiastæ, filij Dauid, Regis Ierusalem.

2 Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

3 Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole?

4 Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.

5 Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibíque renascens,

6 Gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.

7 Omnia flumina intrant in mare, & mare nō redundat: ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant.

8 Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.

9 Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.

10 Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos.

11 Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo.

12 Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Ierusalem,

13 Et proposui in animo meo quærere

A & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.

14 Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.

15 Peruersi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.

16 Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Ierusalem: & mens mea contemplata est multa

B sapienter, & didici.

17 Dedíque cor meum vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroréssque & stultitiam: & agnoui quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus:

18 Eo quòd in multa sapientia, multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem.

C *Vers.* 1. Verba Ecclesiastæ, filij Dauid, Regis Ierusalem.

BONAVENTVRA verba, non parabolas hîc poni docet, quoniam in libro Prouerbiorū res erat cum paruulis & indoctis, quibus conuenit sermo parabolicus (sic solent fabulis institui pueri) sed apertus: hîc autem cum proficientibus, quos decent aperta, simulque propria verba. Hugo Vi-

ctorinus numero multitudinis multiplicem disputationem designari dicit,& ad diuersas deductam sententias, de moribus, studiis, operibus multorum,quorum induit personam,quosque libro extremo cunctos in unum,vt suam definitam sententiam attendant, quasi vnicum post multa verbum. Prophetæ præfantur interdum eodem pacto,& quidam addunt *(Verbum Domini:)* de qua formula lege Riberam [a] nostrum, & Prado [b]. [Verba hæc cuncta erudientis nos aspernari vitæ huius vanitatem (inquit Olympiodorus) auditorem conuertunt,atque hortantur ad verbum fidei,quæ est in Christum Dominum nostrum.

Ecclesiastæ.] Lege præfationis caput quartum, & quę dicimus capite septimo,& Hieronymum, Salonium, Albinum, atque alios,qui hoc, & alia duo nomina,Idida,& Salomonis,dilecti,ac pacifici,de Christo mystice interpretantur. Ecclesiastis,& concionatoris munus, cum sermo est de rebus Ecclesiasticis, sacrisque, sacrum, & Ecclesiasticum habetur:tamen regiam,& politicam supremam dignitatem maxime decet eloquentia, & in concione concio, seu oratio de virtute ad multitudinem. Docent id sacra æquè ac profana tum testimonia,tum exempla; qua de re nonnihil diximus capite duodecimo historiæ Apostolicæ. Collegit Remigius Florentinus militares conciones ex historicis antiquis & recentibus, easque fecit Italicas. Monet etiam nomen hoc officij concionatorem sui, vt omnes eius oratio spectet, prosit omnibus, ad omnium se vtilitatem, necessitatémque attemperet:seruet enim in dicédo,ac docendo ordinem,quem Salomon in Prouerbiis,Ecclesiaste,Canticis;de quo item egimus in præfatione,ne præposterè,ac præcipitanter instruens,destruat,non construat.

Filij Dauid.] In libro quoque Prouerbiorum [c] sic seipsum nominat Salomon, videlicet filium Dauid. Quocirca non est idonea,nec vera causa, quam Bonauentura recitat, velut Hebræorum nonnullorum, nunc humilem, ac pœnitentem Salomonem ab alio se denominare,ibi non item. [Ad incipientes, & proficiétes,ait Hieronymus, cæterique, & paterna dignitas, & regni proprij indicatur auctoritas.] Dignitatem porrò paternam intelligere possumus,non regiam solum,sed ob pietatem,atque sapientiam, quibus de causis pergrata existebat memoria Dauid, & vel propter ipsum non poterat non esse gratus filius, quæque is ex a... boni instituti ... d ... promeret,sicut etiam ... iet Olympiodorus. Simul ... causæ possumus ... firmare cum Beda [d], Marcum sic exorsum, *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei:* Angelum vocasse sponsum Mariæ filiũ Dauid [e]: nonnullos Prophetas patrum suorum nomina expressisse, vt obseruant Patres [f], & Rabbini [g]. Facere laudes parentum ad eas quæ filiis tribuuntur,docet Ambrosius [h], vt velut transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in iis præcellere videatur. Imitator hoc opere patris sui est in agnoscenda, confitendaque culpa. Si verum esset quod ait Rupertus [i], natum Salomonem ex matre sterili,vt ex Sara [k] natus est Isaac, ex Rebecca [l] ... Iacob, ex Rachele [m] Ioseph, & Beniamin, ex ... [n] Samson, ex Anna [o] Samuel, ex Elizabeth [p] Ioannes: præterea,si quod ait de seipso Salomon [q]: *Ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea;* propriè accipiatur,quasi ex Bethsabea non alium susceperit Dauid, quàm Salomonem,vt sibi persuasit Abulensis [r], & Lyranus [a], & Hebræi, quos hi citant, & Vatablus, licet adoptauerit eos, quos illa genuerat Vriæ primo viro:hæc,inquam, si concedamus,erit cur Salomon se peculiariter Dauid filium, cui & in regno [b], matre deprecante, successit, memori, gratoque animo nominare velit. Cæterum qui recensentur [c] filij Bethsabeæ, præter eum quoque, qui primus natus est, ac statim extinctus [d], liquidò demonstrãt matrem fœcundam, & Scriptura satis præ se fert patrem eorum naturalem Dauidem fuisse:dicit enim natos esse ei [e]. Itaque Salomon vnigenitum se vocat coram matre sua, quia perinde diligebatur ab ipsa, ac si vnigenitus esset, quod indicat modus ille loquendi *(coram matre sua)* & non matri, atque participium ἀγαπώμενος,id est,*dilectus*,quo ibidem vtuntur LXX. Fortasse etiam is, qui post mortem infantis ex adulterio geniti susceptus est per legitimum matrimonium,& secuta in vtroque parente pœnitentia,ideo maxime dilectus est,atque vel a matre ipsa nutritus, vel coram ipsa, cùm alij extra domum, & à nutricibus, ac proinde Dauid eundem summopere dilexit, vtpote recuperata iam gratia ab se genitum, regni successorem, ac de quo prolixe tã multa Deus promiserat; & vicissim Salomõ gloriabatur hoc nomine,quòd Dauid filius & esset,& diceretur. Salonius [f] ait dictæ appellationis causam fuisse,quòd prior frater vterinus mox mortuus est,quasi qui nunquam fuisset, ac sine nomine ab hac vita discessit. Hoc prior dixit Hieronymus [g]. Lege quæ de *vnigeniti* voce notauimus cõmentario ad primam Ioannis Epistolam [h], & Iansenium [i], qui refutat priorem illam sententiam Lyrani,& Lyranum sequitur refutantem Raymundi expositionem loci Prouerbiorum ad literam de Christo, quæ fuit quoque Galatini [k] (qui putauit etiam idem quod dicti alij de vnico filio ex Bethsabea) & Carthusiani, & Ioannis Benedicti. Hugo Cardinalis [l] dicit,inter illos filios Simmaa,Sobab,Nathan, Salomonem,hunc poni vltimo loco,quia per ipsum deinceps texitur genealogia, non quia fuerit vltimus.

a Osee 1.n.1. & 2.
b in Ezech. c.1.

c c.1.1.

d in c.1. Marc.
e Matth.1 20.
f Basilius in c.1. Esaiæ. Ruffin.in c.1. Amos. Hier. prolog. in Esaiam.
g R. Abraham in c.1. Ioel. R. Dauid Kimhi in Sophon.
h in Luc.c.1.
i libro 1.in Matth.
k Gen.21.1. & seq.
l Genes.25. 21.& seq.
m Gen.29.31 & seq.c.35. 17.& seq.
n Iud.13 & seqq.
o 1.Regum 1. 20.& seqq.
p Lucæ 1.7. & seqq.
q Prouе.4.3.
r 1.Paral.3. q.4.

Regis Ierusalem.] Et hoc spectat ad dignitatem personæ,putoque non ad vtrumuis referri posse, vel ad Dauidem,vel ad Salomonem,vt sentit Lyranus,Carthusianus,Arboreus, atque Caietanus, sed ad secundum. Nam licet sit verum, Salomonem natum ex Dauide iam Rege in Ierusalem, ... filios in Hebron: Saülem quoque nullam habuisse ciuitatem regiam,sicut ratiocinatur Caietanus; tamen planior sensus est de Ecclesiaste, qui se Regem nominet in Ierusalem, quemadmodum in libro Prouerbiorum [m] Regem Israël. Differentiæ causam in eiusmodi inscriptione reddere solent cum Hieronymo, qui monet etiam superflue in Græcis, & Latinis codicibus additum hic inueniri *(Israël:)* quoniam Prouerbia, quasi rudis institutio, ad duodecim tribus, & ad totum pertinent Israël:contemptus verò mundi, de quo est Ecclesiastes,non nisi metropolitis cõuenit,hoc est,habitatoribus Ierusalem. Hoc dupliciter accipi potest,vel tropologice cum Bonauentura,de illis, qui suspirant ad cœlestem Ierusalem, profitentes se hic non habere ciuitatem permanentem,sed futuram inquirere [n]: vel simpliciter de incolis terrenæ ciuitatis, vt exponit Gerardus Moringus; quoniam hi studio diuitiarum, honorum,voluptatum,& id genus, inquit, impensiùs quam cæteri dediti sunt. Non probo

a ibidem & Prouerb.4
b 3.Reg.1.29. & seqq.
c 1.Par.3.5.
d 2.Reg 12. 18.
e 1.Par.3.5. 2 Reg.5.14.
f in c.4. Prouerb.
g in c.4. Prouerb.
h c.4.9.
i in c.4. Prouerb.
k lib 3.c 5.
l 1. Paral.3.

m c.1.1.
n Heb.13.14.

sensum

sensum Caietani, quòd innuatur, scriptû librum in Ierusalem, quódque is dirigatur tâtùm ad populum fidelem, non ad Ethnicos, nihil credentes de salute animæ post mortem, de inferno, &c. Porro cùm esse in secessu composuit Salomon, nec putandus est voluisse libri fructum restringere ad solos Israëlitas, imò potiùs, vt ante dictum est, Gentilium superstitiones, ac errores hoc opere confutare intendit. Græci codices nostri retinent hanc lectionem improbatam ab Hieronymo: βασιλέως Ἰσραὴλ ἐν Ἱερουσαλὴμ, *Regis Israel in Ierusalem*; eamque sequitur Olympiodorus auctor Græcus, mystice de Christo exponens quomodo sit Ecclesiastes Rex videntiû Deum, & pace fruentium. Constat, vt quondam quidam dicebantur Reges Salem, aliique denominabantur à principe ciuitate Reges; ita posse hîc intelligi esse idê dicere, Regem Ierusalem, ac etiam Israel. Energiam notat Olympiodorus in expressione vocabuli *Regis*, quia quo rarius est, vt Rex, Princépsve concionetur, hoc redduntur lectores, vel auditores attentiores ad auidiùs excipienda illius verba, mentique altiùs imprimenda. Basilius [a] præterea monet, multum referre ad præcepta de moribus, si Rex sit, qui ea præscribit: existimari namque talem hoc nomine dignum quærere vtilitatem communem, non priuatum commodum, quod Tyrâni potiùs esse censetur. Postremò nullus aptiùs, & efficaciùs de mundi contemptu disputat, quàm expertus; nec alteri faciliùs creditur, quàm quæ tanti aliquando fecit, eadem postea refutanti; vt hoc loco Nyssenus, vel Thaumaturgus ratiocinatur.

[a] ... in princ. Prouer.

Hæc potiùs descriptio personæ, quam titulus continet, satis designat Salomonem, sicut etiam expressit Chaldaica paraphrasis, quem primum non assentior Caietano [b] nomen operibus suis tudidisse. Nam Iosue librum, Samuelis, Iob, illi ipsi, quorum sunt inscripta nomina, vt de posterioribus taceam, Esdra, & Prophetis, composuisse censentur, iuxta non improbabilem sententiam. Quamquam nô oportet semper, vt ex titulo, qui proprium gerat cuiusquam nomen, inferatur libri auctor, cùm is esse possit, de quo liber sit scriptus. Attamen quod librum istum Salomon ediderit, ostensum est in præfatione [c]. Modestiæ causâ supprimunt quidam nomen; nec vanitatis suo cauisse Marcus Tullius [d] scribit, qui quibus in libris de gloria contemnenda scripserunt, suum inscripserunt, & in eo ipso in quo prædicationem, nobilitatemque despiciebant, prædicari se ac nominari volebant. Nihilominùs designatio nominis, vt idem Caietanus [e] monet, facit ad libri auctoritatem, quo qui nomine liber caret, habetur apocryphus, imò & suspectus, vt proinde iussu Concilij Tridentini [f] debeat exprimi, & patria quoque ipsa ex decreto Clementis VIII.

[b] in c. 1. Prouerb.
[c] ...
[d] orat. pro Archia.
[e] in c. 1. Prouerb.
[f] In regulis indicis.

Ierusalem.] De hac voce lege quæ dixi in capite primo Actuum Apostolicorum [g].

[g] ... 4. & 8.

Vers. 2.] Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

CHaldæa paraphrasis (*dixit in verbo suo: Vanitas vanitatum, seculum hoc: vanitas vanitatum omne quod laborant, omnino vanitas.*) Augustinus [h] dicere solet, *vanitas vanitatum*, aut *vanitantium*, & vanitatem esse fallaciam, vanitantes vel falsos, vel fal-

[h] lib. ... de vera ... c. 33. ... c. 21. & ... de mo... Eccles.

A lentes, vel vtrosque, qui tanquam prima sectantur extrema, & omnia, comparatione Dei, nulla esse; quamuis per se considerata, sint mira, & pulchra: sed in retractationibus [a] monet, se id in multis quidem codicibus legisse, sed Græcum non habere: deprehendisse autem postea Latinos esse veriores, qui habent (*vanitatum*) non (*vanitantium:*) tamen quæ ex huius occasione mendositatis disseruerit, esse vera. Præterea Petrus [b] Damiani secutus eandem lectionê, docet quòd vanitas efficit vanitantes, & hi vanitatem; dum & mundus, qui transitorius est, homines, quos decipit, vanos reddit; & homines mundum, quem insane diligunt, in vanitatem vertunt. Hieronymus

[a] lib. 1. c. 7. & in Psal. 38.
[b] l. 4. epist. in 15.

B notat quosdam Græcè interpretari, ἀτμὶς ἀτμῶν, *vapor fumi, & aura tenuis, quæ cito resoluitur* (הבל *habel* significat etiam *halitum*: & ματαιότης id quod fit μάτην, id est, *frustrà*) formulam item hanc valere ad exaggerandam significationem (addit Hugo Victorinus, ad exprimendum affectum, atque admirationem) vt cùm dicitur Canticum canticorum, carmen excellens, Deus deorum, Rex regum, Dominus dominantium, Cœlum cœlorum, Sabbatum sabbatorum, Sanctum sanctorum, Seculum seculorum, Virgo virginû, Mysterium mysteriorum, seu Sacramentum sacramentorum, Græce apud Dionysium [c], τελετὴ τελετῶν. Lege eundem Hieronymum in Episto-

[c] cœl. hier. c. 3.

C lam ad Galatas [d]. Chrysostomus [e] notat τὴν ἐξοχὴν in oratione; Nyssenus item hoc loco, vt si, inquit, dicas mortuo magis mortuum. Vim etiam habent abstractæ dictiones, vt si stultissimum dicas esse stultitiam ipsam, sapientissimum, sapientiam. Denique trina repetitio, quo numero cuncta continentur (tria enim sunt omnia [f]) & huius in Scriptura extant exempla, vt cum Dauid prouocat ad psallendum [g], & cantandum [h], & offerendum [i] Deo. Quare idem Hieronymus [k] vult hac sententia includi etiam cœlos, sicut Origenes exponens caput octauum Epistolæ ad Romanos, & Ambrosius [l] Angelos. Galli quod optimum est, verbi gratiâ, dicunt (*tres-bon*) ter

[d] in c. 1.
[e] hom. 55. ad populum.
[f] 1. de cœlo. c. 1.
[g] Psal. 46. 7.
[h] Psal. 95. 1. 2.
[i] Psal. 95. 7. & 28. 1. 2.
[k] lib. 8. in c. 24. Esa. & lib. 14. in c. 51.
[l] epist. 21.

D bonum.

Caietanus recedere non debuit ab interpretatione vulgata, potiúsque velle nos legere (*vanitas vanitates*, &c.) quamuis verum sit, non agi hoc libro de vna aliqua summa vanitate, sed de varijs vanitatibus; quæ tamen ad vnum hominem referuntur. Hoc est, vt diximus, ceu thema paradoxum, & summa totius concionis, & sententia hominis hominem excedentis, inquit Hugo Victorinus, atque præ stupore exclamantis triplicem vanitatem, mutabilitatis in omni creatura, cupiditatis ac peccati in homine, mortalitatis, pœnarúmque pro peccato. Verumtamen quia vniuer-

E sitatis quidam veluti finis est homo, vel Philosopho [m] teste, isque à suo deflexit, qui erat Deus, omnis creatura vanitati [n] subiecta est propter ipsum quodammodo, ipse verò non solùm vanitati similis [o] factus, sed etiam vniuersa vanitas [p] (si viuens, multo magis mortuus, inquit Hieronymus) omnium namque rerum in se gradus comprehendit. Nam subit iniurias corruptibilitatis, vt res inanimatæ: necessitatem nutritionis, accretionis, decretionis, mortis cum viuentibus: sensibilium affectionum, & patibilium alterationem qualitatum cum sentientibus: alternationem cogitationum, voluntatum, studiorum, consiliorum cum Angelis; at insuper peccatorum, quæ nefanda, & cum natura pugnatia sunt, atro-

[m] 2. Phys. c. 25.
[n] Rom. 8. 20.
[o] Psal. 143.
[p] Psal. 38. 6.

citatem,

citatem, vt de morbis, & ærumnis sileam, quibus supra animalia cuncta obnoxius est homo, vt docent Medici, & naturalis historiæ scriptores, & qui deplorant lapsi hominis calamitates [a].

Porrò nónnunc *vanitatis* quæuis mutabilitas cum defectu intelligi potest, & nō sola vera corruptio, aut corruptibilitas: nam nec Angeli, nec animæ nostræ, nec cœli sunt corruptibiles. Vnde quod Chrysostomus [b] docet, elementa, & cœlum facta corruptibilia propter hominem, qui corruptibilis factus est ob peccatum, ideoque expectare incorruptibilitatem eius, vt & ipsa fiant incorruptibilia; quamuis exponatur de sola subiectione mutationis quantum ad cœlum, quod in se est incorruptibile; tamen absolutè non est verum, quia ante peccatum hominis elementa subiecta erāt veræ corruptioni, & fuissent, quamuis non peccasset: Angeli quoque ministrassent hominibus, ratione quorum Chrysostomus exponit illos expectare reuelationem filiorum Dei. [Vanum est, inquit idem [c], quod vtilitatis est expers, quod habet nomen sine re [d], quod (inquit Gulielmus Parisiensis [e]) nec confert plenitudinem continenti, nec fulcimentum innitenti, nec fructum laboranti.] Idem dicit Petrus Berchorius [f], docens, vanum & vanitatem semper sumi in malam partem, & distingui in naturalem omnis creaturæ, quæ est ex nihilo, & in id redigi potest: in temporalem bonorū terrenorum: in personalem peccatorū: in criminalem operum malignorum. Nyssenus vanum definit sine re sonum, vt quæ nil significantia finguntur vocabula: deinde cuius nullus vsus, & scopus certus, licet magno studio fiat, vt in arena [g] ædificium, venatio venti, certamen in vmbram: tertiò, cum quis frustratur fine.

Primus primorum parentū filius iustus Abel, qui Hebraicè scribitur cum aspiratione, meritò nomen id inuenit, nō solùm quia breui euanuit, volebantque parētes ipsius hoc nomine propriæ sibi ipsis mortalitatis memoriam infigere, nec in eo spem ponebāt promissionis factæ de fœmine, sicut in Cain: sed quoniam optima iustitiæ comparandæ, conseruādæ, augendæ ratio est, res omnes præ Deo vānas ducere, Deum vnum respicere, atque cor tanto bono implere, & vanitatem, vanitatémque, quæ nobis ex nihilo est, multòque magis ex peccato, nunquam à cogitatione deponere. Cain reprobus à possessione denominatus est, Abel probus, ac Deo probatus à vanitate atque vanitate, quod suæ vanitatis conscius omnia referret in Deum pia mentis intentione, sicut loquitur Ambrosius [h]. Congruit alia nominis *Abel* etymologia, si leniter scribatur, pro luctu, quam dant Augustinus [i], & Origenes [k], & Iosephus [l]: quamuis verbo Ruffini habeat *nihil hoc*, non autem πένθος: luget enim qui vanitatem sibi repræsentat. Nullus melius de multiplici vanitate rerum omnium, quàm Hugo Victorinus [m], Bonauētura [n], Hugo Cardinalis [o], Carthusianus [p], atque ex recentioribus Arboreus, ac Titelmannus: multos verò libros edidit Hispanicè de mundi vanitate Didacus Stella.

Hinc porrò colligit glossa interlinearis, malè quosdam opinari, nos his verbis, totius nimirum libri, ad voluptatem luxumque prouocari; cùm potius, omnia, quæ videmus, vana asserātur. Scribit præterea Hieronymus [q], quòd nonnulli sententia illa qua Salomon vanas æstimat Dei creaturas, mouebantur, vt librum istum oblite-

a lege Bellarm. lib. 6. de amissione gratiæ. c. 8. & seqq.
b in c. 8. Epist. ad Romanos.
c in Ps. 118.
d in Psal. 4.
e par. 2. de vniuerso. c. 52.
f verb. vanum.
g Matth. 7. 26. 27.
h l. de Abel, & Cain. c. 1.
i 15 de ciu. Dei. c. 18.
k tract. 26. in Matth.
l 1. Antiq. c. 4.
m hoc loco.
n in proœm.
o hoc loco.
p hoc loco
q in c. 12. sub finem.

A randum censerent: cum tamen cōparatione Dei, qui res in se bonas, & veras fecit, vera sit illa sententia: vel quoniam, vt ait Augustinus [a], subiicere se iis rebus per peccata, quæ nobis per rectè facta, diuina lege subiectæ sunt, vanum est, & est res ipsas vanas reddere, hoc est, sine suo frustrare: vel quia, vt docet Athanasius [b], non criminatur creaturas, sed temporariorum desiderium admonet esse vanitatem, res æternas amandas. Idem eodem sensu eleganter declaratur à Gregorio [c]. Sed primum seculum Hieronymus [d] alio loco non minùs feliciter persequitur, docens hoc modo dixisse Deum de se: *Ego* [e] *sum qui sum*, Esther [f] idola vocasse eos, qui non sunt; Iob [g] diabolum, eum, qui non est: quibus testimoniis adde alia Pauli & Ieremiæ, quæ citat Basilius [h]. Nyssenus [i] quoque docet, hoc loco non damnari B creaturas, nec Deum. Clemens Alexandrinus [k] hoc ex loco scribit Epicurum inductum negare prouidentiam, sicut Aristotelem ex Psalmo [l]; *Domine, in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes*, ad Lunam vsque tantùm deducere. Dubito an hi loca ista Scripturarum vnquam viderint. Lege præterea Chrysostomum [m], Hesychium [n], Nazianzenum [o].

Aliud aduersùs non solùm quoslibet dilectores vanitatis, & mendacij, sed Hebræos quoque licet inferre, frustrà & illos insudare rebus vanis, & hus Messiā expectare carnalē, opibus pollentem, omníque genere inanium bonorū. Quo C magis credendum Christo, & discipulis eius paupertatem professis, quoniam qui prædiues fuit, & sapientissimus, diuitiarum vanitatem tam exaggerate prædicauit. [Non differt Salomon, ait Nyssenus, vt plerique solent, qui non habent in potestate sua illa quæ delectant, vt vel ex eo habeat auctoritatem sermo eius, quòd illa accusat, quæ expertus est. Nos enim nō omnia experientia nostra didicimus, sed sola cogitatione, quorum voluptate experiri prohibet paupertas. Et cum alicui continuum damus, vt pro nihilo ducat, quę homines in pretio habent, qui ista audit, in promptu habet illud, idcirco nos ista paruipendere, quòd ea non simus experti. Hanc verò totam obiectionem Salomon deleuit, cùm dixit; *Vanitas vanitatum*, &c.] Obseruatum est idem à D Bonauentura [p], & à Chrysostomo [q], Thaumaturgo [r], Olympiodoro [s], & aliis. Infelix quicunque inanes curas admittit, atque superuacaneas sollicitudines: beatus, cuius Deus spes est, nec respicit in vanitates, & insanias falsas [t]: non diligit vanitatem [u], sed ab ea oculos auertit [x]: Ægyptus frustra & vanè auxiliabitur [y], quippe tanquam baculus arundineus [z], qui ad ludibrium Christo ceu Regi in manu datus est sceptri loco [a], & quo percussum caput eius [b] tanquam cerebro vacuum, quod significat raca, & non qualis Ioannes, sed solidus [c]: vana salus hominis [d], necnon spes, & mendacium, præsertim insensati [e]: E vanæ cogitationes hominum [f]: vana pulchritudo, & fallax gratia [g]: vani, in quibus non subest scientia Dei [h]: quíque in vacuum gratiam Dei recipiunt [i], nec habent opera plena [k], & accipiunt in vano animam suam [l]: hi enim custodiendo vanitates frustrà [m] (qui enim vel fulsiunt vanitatibus, vel etiam faciant, vitare nō possunt, inquit Hieronymus [n]) misericordiam suam (nimirum Deū) derelinquunt. In nulla re, præter Deum, felicitas nostra est: omnes ex nihilo sunt, & in nihilum redire possunt, si velit Deus:

respectu

a lib. de moribus Eccle. c. 21. & de quantit. ani c. 33.
b in synopsi
c lib. 5. in lib. 1. Reg. c. 12
d epist. 50. & in c. 24 Esaiæ.
e Exod. 3. 14.
f c. 14. 11.
g c. 18. 15.
h 2. cont. Eunom.
i in Eccle.
k 1. Stroma. c. 6.
l Psal. 35. 6.
m ho 12 in Epist. ad Ephes.
n in catena in Psal. 8
o orat. in Cæsa frat.
p in proœm.
q tom. 3. ter. de vanita. & breuit. vitæ.
r interius in verium 12.
s ibidem.
t Psal. 39 5.
u Psal. 4. 3.
x Ps 118. 37
y Esa 30. 7.
z Esa. 36. 6.
a Matth 27. 29.
b Matth. 27. 30.
c Matth. 11. 7.
d Psa 59. 13.
e Eccli. 34. 1.
f Psa. 93. 11.
g Prouer. vlt 30.
h Sap. 13. 1.
i 2. Cor 6. 1.
k Apoc. 3. 2.
l Psal 23. 4.
m Ionæ 2. 9.
n in Ionam.

respectu Dei nihil sunt, ac nihili æstimantur: ... nt alieni mutationi: rationales verò ei ... quæ vergit ad id, quod nihilo naturali mi... est, nimiru ad peccatū. Quare omnia vanitas.

a Pers. sa tyra 1.

O [a] curas hominum, ò quantum est in rebus inane! Omnia vt Sodomitica poma post deflagrationē: vt præstigiæ, quæ à larius exiliunt, quales cibi, quos amatori Memppo Lycio Phœnissa parauit [b]. Frequenter in Scripturis vana dicuntur idola, vanitas, fraus, & mendacium: & optimi auctores linguæ Latinæ vanitatem orationis appellant mendacem, seu falsam.

b Philostrat. in Apollonio lib. 4. cap. 5.

Dixit Ecclesiastes.] De se Salomon, tanquam de tertia persona loquitur, vt significet præcipuum auctorem esse Spiritum sanctum, quomodo Balaam de se dixit, *Auditor sermonē Dei* [c]; & Ioānes, *Hic est Discipulus ille, quem diligebat Iesus, qui testimonium perhibet de his, & scimus quia verum est testimonium eius* [d]: vel humilitatis causâ, qua ratione Paulus de seipso: *Scio*, inquit, *hominem in Christo* [e], &c. vel vt res adeò magnas, vtilésque, ac admirabiles veluti de longinquo ostendat. Sunt hæ omnes rationes Bonauenturæ, quas ab Hugone Victorino mutuatus est. Hic autem acutè declarat quomodo credendum sit Ecclesiastæ, si & ipse vanitas est, quoniam omnia sunt vanitas, imò vniuersa vanitas, tum quod ad corpus attinet, tū quod ad animam. [In eo, ait, quod dixit, non est vanitas, sed veritas, quia contra vanitatem dixit, quod de vanitate dixit: & cōstat quòd cōtrarius vanitati esse nō potuit in eo quod vanitas fuit, & id contra vanitatem non vanè loqui potuit, videlicet pro vt ex veritate viuebat, quæ est Deus, & ipse, qui erat vanitas, arguebat vanitatem, non per vanitatem, sed per veritatem, per quam mēte eleuatus erat supra omnem vanitatem.] Quartam causam reddit Hugo Cardinalis, vt libentiùs audiatur, aut legatur, quoniam non difficilia, obscuráve, morē Prophetarum, aut Philosophorū, propositurus sit; sed tanquam popularis concionator obuia, facilia, captui, & intelligentiæ omnium accommodata. Id concionatoribus nostris debet in primis esse curæ, ne philosophari, aut theologari extra scholā, orare extra rostra, disserere extra academiā videantur. De nomine *Ecclesiastæ* dictū priùs, & quomodo iungatur hic nomini fæminino verbum masculinum אָמַר קֹהֶלֶת *amar choheleth.*

c Num. 24. 3.

d Ioan. c. vlt. 24.

e 2. Corint. 12. 2.

Et.] Coniunctionem non habet Hebræus, Græcúsve textus, nec paraphrasis Chaldæa. Non superfluit tamen, vt ait Caietanus, sed expressiorem sensum facit.

Omnia vanitas.] Idem Paraphrastes exponit (*omne quod laboraui, omnino vanitas.*) Nimis pressè; amplecti namque voluit Ecclesiastes omnem rerum vniuersitatem. Quia verò compendium est homo cunctorum graduum entis, non incommodè quem Dauid appellauit vniuersam vanitatem [f], vt vidimus, per hæc verba potest intelligi (*omnia vanitas.*) Sed & cumulus retū vanarum facit, vt ipsamet vanitas magis appareat; sicut res per se singulæ cùm conderentur à Deo, bonæ, post complementum omniū, omnes simul valde bonæ Dei iudicio habitæ sūt [g]. Notauit hoc Hugo Victorinus. Affinis de hominibus omnibus in alio Psalmo sententia [h]; *Verumtamen vani filij hominum: mendaces filij hominum: in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum*; filij אָדָם *Adam*, & filij אִישׁ *Isch*, tum vulgares ac minores, tum præclari atque maiores, plus videntur esse quàm sint;

f Psal. 38. 6.

g Gen. 1. 31.

h Psal. 61. 10.

A ideoque vani, mendaces, deceptores sunt, vt reddit Theodoretus, *ὡς ῥοπὴ ζυγοῦ, vt momentum staterae*, & quam vocant lingulam, qua nihil mobilius, & ad decipiendum facilius: si coniiciantur omnes in alteram lancem, & ipsamet in alteram vanitas, deprimetur pôsterior, ac deprehendentur ita vani, mendacésque homines, quemadmodum obseruauit Caietanus, [a] quod quidam dicto legunt loco, *eleuentur staterae.*

a ibid.

Atque vt intelligamus huius celebris quanta sanctitas etiam sit sententiæ; simul quam religiosam iuramenti fidem vel cū ipsis barbaris Ethnicísque esse cœleste iubeat Numen, testatur Maffæus [b] noster, cùm in India pro Euangeliis, B Bibliísve, quæ Christiano ritu tangenda erāt, liber prolatus esset, in quo varij generis lusus, & cantica Lusitanico sermone scripta continebantur, nonnullis tamen immistis, vt fit, sententiis moralibus atque diuerbiis, incidisse Christianum, qui iurare debebat in hæc verba: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; tunc diuino correptū horrore, iustum & legitimum id iusiurandum habuisse, acsi pro vulgari eo libro sacrosancta vtriusque Testamenti volumina contigisset.

b lib. 7. Histor. Indic.

Claudamus versum regium Regis alterius, qui & expertus loquebatur, ore repetitum. Is Gilimer Vandalorum Rex fuit, qui ductus in triūphum cum consanguineis, aliísque proceribus à C Belisario, vt in Hippodromo purpuram amictus cōstitit, ac Imperatorem Iustinianū in alta sede constitutum, populúmque astantem conspexit (verbis vtor Procopij [c]) ac demum seipsum in quod fatū peruenisset, considerauit, neque fleuit, neque aliter cōquestus est; tantúm illud Hebræorum voluminum memorauit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Chrysostomus [d] declamans in Eutropium eunuchum patritium, Consulē, præfectúmque cubiculi Arcadij Augusti, cum, offenso Principe, delitesceret sub altari Ecclesiæ, cui ipse antea ius asyli abrogare conatus fuerat, exorditur ad hunc modum: [Si vnquā antea, nunc maxime licet dicere; *Vanitas vanitatum, omnia va-* D *nitas.* Vbi nunc inclytus ille Consulatus splendor? vbi illustres illæ faces? vbi applausus illi, ac choreæ, epulæque, & festi conuentus? &c.] Tum verò comparationem ponens cum foliis deiectis, & arbore radicitùs vacillante, cum somnio nocturno, cū floribus vernis emarcescētibus exacto vere, cum vmbra, fumo, bullis, araneis (adde quæ sunt in libro Sapientiæ [e], de nuncio prætereunte, naue transeunte, aut transuolante, sagittáque emissa) hanc subdit sententiam dignā pietate Chrysostomi, perutilem ad pietatis excitandū, fouendúmque studiū, quæ idcirco totidē hic à me verbis, cùm parcissimus esse soleam in trāscribendis auctoribus, recitanda est. [Quapropter spirituale hoc dictum occinimus, indesinenter E dicentes: *Vanitas vanitatum, omnia vanitas.* Hoc enim dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in viis, in fenestris, in ianuis; sed potissimùm in ipsa cuiusque conscientia continenter inscriptum esse oportet, omnique tempore cogitationi obuersari: quandoquidem negotia fraudulenta, & personata, ac inimica veritatis opinionem apud plerosque sibi parauerunt. Hoc dicto in prandio, in cœna, in cœtu hominum quemque proximum suum compellare oportebat, idémque ab illo vicissim audire, nempe quòd *vanitas vanitatum, omnia vanitas.* &c.] Huic dicto Fulgentius adhuc monachus, nondum

c libro 2. de bello Vandalorum.

d homil. in Eutrop. tomo 5.

e c. 5. 8.

Episcopus Ruspensis, quando Romæ spectabat Theodoricum Regem circundatum Romana curia, Senatu, & nobilissima pompa, non se continuit, quin ex intimis efferret similem sententiam, feliciter, vt scribit auctor vitæ [a], ad illã supernam Ierusalem desiderandam vehementer exardescens, præsentésque admonens: [Quàm speciosa potest esse Ierusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc seculo datur tãti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor, & gloria præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem?] Præclarum prorsus in hoc eodem genere documentũ Spiridion Tryphillio aulicũ Constantij apparatum ac maiestatem demiranti edidit [b]; & haud absimilia narrat de Antonio Athanasius, cùm Imperatorum ad eum literæ delatæ essent, extántque huius vanitatis cognitæ, ac prædicatæ à viris sanctis exempla permulta. Videtur denique Salomon hac sententia velle asserere, in nulla re creata veram reperiri felicitatem posse, vanóque, & casso labore cõsumi, qui eam in vlla quærant. Augustinus [c] quidẽ ait hac in primis sententia, totóque libro sapientissimũ Regem hoc intendisse, vt eam vitam desideraremus, quæ vanitatem non habet sub hoc Sole, sed veritatem sub illo, qui fecit hunc Solẽ, & ne similes facti vanitati [d], vanescamus omnino. Lege eruditam inductionem, qua Ascanius Martinengus [e] mysticè declarans inanitatem ac vacuitatẽ terræ, demõstrat in Imperiis, & in Regibus, eorúmque potẽtia, opibus, deliciis vanitatem; Hieronymũ [f] quoque vide in Esaiam. Verè Pythagoras; εἷς Θεοῦ νόμος, ἀρεστὸν εἶναι τὸ ἰσχύον μόνον, τὰ δ' ἄλλα λῆρον [g]. Sed & ille optimè ratiocinatus, qui nuncium remittens mundo, dixit [h];

Linquo coax ranis, cras coruis, vanáque vanis:
Ad logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Recitat Paulus [i] Burgensis Hebræorum glossam in hæc ipsa verba, quæ hactenus exposuimus: Omnis lex quam addiscimus in præsenti tẽpore, vana est respectu legis Messiæ. [Quæ quidẽ glossa, inquit Burgensis, multum continet veritatis. Nam sicut medicina, quæ non confert sanitatẽ, vana dicitur; sic lex vetus, quæ non ducebat ad beatitudinem, vana diceretur, si non superuenisset lex noua, quæ ad beatitudinem inducit.] Dixi suprà, Fulgentium triumphos Romæ ludósve cùm spectaret, appellauisse vanitatem. Hieronymus [k] ait de illa intelligi posse ciuitatem vanitatis, quam prædicit Esaias [l] atterendam. [Si enim, inquit, de cœlo, & terra, & de omnibus quæ terrena sunt, dicitur: *Vanitas vanitatum, omnia vanitas*; quanto magis hoc de vna vrbe dicendum est, quę totius orbis pars modica est?] Exponit ibidem de eadem supplicia in Apocalypsi [m] prænunciari.

a apud Suriũ 3. Ianuarij.
b in Actis apud Surium 12. Decembr.
c 20. de ciuit. c. 3. lege etiã lib. 12. c. 6. & 8.
d Psal. 143. 4.
e tom. 1. p. 3. glossæ magnæ in Genesim, pagina 1214. & 1235.
f libr. 11.
g Stob. sermone 1. de virtu.
h in libello, cui titulus; Lauacrum conscientiæ.
i Addit. 1. ad Epistol. ad Hebr.
k in c. 24. Esa.
l c. 24.
m c. 17.

Vers. 3.] Quid amplius habet homo de vniuerso suo labore quo laborat sub Sole?

ILlatio quædam est ex dictis, vel etiam probatio sententiæ positæ versu priore: [Si enim omnia vanitati subiecta sunt (inquit Hugo Victorinus, piè ac fusè tractans hunc locum) opera hominum à vanitate aliena esse quomodo possunt? si quod Deus creauit, quomodo non multo magis quod homo facit? Laborat omnis homo vel agendo, vel patiendo, & cui dulcis vita est, & cui amara, ille vt delectetur, & maneat in ipsa vita; hic vt a miseria liberetur, timénsque ne hinc citò exeat. Non est tamen Sanctorum vanus labor, nisi quatenus transit, quia permanet solidus fructus: vanus quoque censeri potest, pro vt dicitur Deus fingere laborem in præcepto [a], quasi imaginarium, & non verum: quippe *non sunt condignæ passiones huius temporis* [b], &c. Qui tantùm sub Sole laborat, alternãte illo diem, noctémque suo cursu, ideóque nõ continenter viso, iuxta desideriũ, vano labore consumitur, nisi Solem iustitiæ spectet, & in illum, quoad licet, supérque Solem materialem intendat. Præterea qui laborem sub Sole, siue sub tempore suscipiens non respicit ad æternitatem, laborat frustrà, quia pro tempore duntaxat, non pro æternitate, & de vanis referre nequit nisi vanitatem, nec valet secum moriens quicquam rerum harũ auferre [c]. Stultus est, qui quæ congregat, nõ cogitat, cùm hac nocte anima repetetur, ad alium peruẽtura [d]: & in terra, quã in cœlo thesaurizare mauult [e]; deprehendet vel serò ab se dilectam vanitatem, quæsitum mendacium [f]: se quoque lassatum esse in via iniquitatis, ac ambulasse vias difficiles [g].] Rectè Thaumaturgus in metaphrasi]: Nõ facilè quis vel vnã aliquam recensebit vtilitatem concinnatam ex omnibus, quæ homines super terram reptantes tanto molimine parturiunt.] Non dispar interpretatio Chaldaici Paraphrastis (*Quid reliquum est homini postquam mortuus fuerit de omni labore suo, quẽ ipse laborauit sub Sole in hoc seculo?*) Omnis per se labor molestus, & maximè si inanis, & solido vacuus fructu. Nihil adeò stabiles reddit, & immobiles iustos, & abundare facit in opere Domini semper, quàm scire, quòd labor eorum non est inanis in Domino [h]: & audire Spiritum intus dicentem, *vt requiescant à laboribus, quoniam opera eorum*, id est, merita, *sequuntur eos* [i], vt mercedem recipiant, & sabbatismum [k] post sex huius labores vitæ. Lege Origenem [l]. Eadem porrò sententia repetitur capite tertio [m].

Quid habet amplius homo.] Græcè (*τίς περισσεία τῷ ἀνθρώπῳ, quæ abundantia homini*) sicut & Ambrosius [n] legit, id est, quid abundans, excellens, magnum, eximium, vt notat Titelmannus, cõfirmãs duplici alio loco noui Testamenti: *Si* [o] *salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? τί περισσὸν, quid magnum*, &c. cuius vobis gratiã merces debeatur. *Quid amplius? Iudæo est, aut quæ vtilitas circũcisionis? τί περισσὸν*, &c. Rectè Seneca [q]: [O quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit!] Plura, meliúsque eadem de re Basilius [r].

Sub Sole?] In hac terra, vbi lumen Solis accipimus, qui viuentibus, rebúsque cunctis præest, & à quo temporum distinctio potissimũm petitur, vt obseruauit Hugo de S. Victore. Frequens est hoc toto libro phrasis ista, & haud scio an vspiã alibi reperiatur in Scripturis. Italis, Gallísque familiare est dicere (*sotto la cappa del cielo, soubs la chappe du ciel*) & Scripturæ vsurpant (*sub cœlo, sub omni cœlo, sub vniuerso cœlo, sub cœlis, sub firmamento.*) Sic vocantur res sublunares, quæ sunt sub cœlis; & quidem magis propriè, quia sub Sole est Luna, Mercurius, Venus. Mũdum hunc ita describit Ecclesiastes inferiorem, quia est locus subsolanus, inquit Ambrosius [s], & Augustinus [t]: supra Solem verò est pax Angelorum, sanctitas cœlestium potestatum: sub Sole iniquitatis præsidet Diabolus, Christus verò virtutibus. [Omnia sub Sole vanitas, proinde super Solem,

a Psa. 93. 20.
b Rom. 8. 18.
c Iob. 27. 19. Psal. 48. 18. 1. Tim 6. 7.
d Luc. 12. 20.
e Matth. 6. 20.
f Psal 4. 3.
g Sapien. 5. 7.
h 1. Cor. 15. 58.
i Apoc. 14. 13.
k Hebr. 4. 9.
l homil. 23. in Numeros, & 2. in 1 Sal. 36.
m vers. 9.
n in Psal. 118 octonario 12.
o Matth. 5. 47.
p Rom 3. 1.
q præfat. ad quæst. natu.
r ho. 9. hexam.
s in Psal. 37.
t de vera relig. c. 21. de morib. Eccl. c. 21. 19 de ciu. 17. 20.

ait Paulinus [a], veritas. Ita & qui in veritate consistunt, etsi (pergit ille dicere) intra mundũ viuant habitatione corporea; tamen supra mundũ sunt conuersatione cœlesti, & astrorum choros, vel cœlorum polos euolantes spiritu scandunt, & superuadunt, celsiorésque elementis agunt, non subditi rebus, & vsibus elementorum, sed affixa in Christo vita, superiores mundo fiunt, manentes in eo qui est super omnia Deus benedictus in secula.] Quàm variè laborarint homines circa vltimũ finem, legatur Augustinus [b]. *Labor stultorum affliget eos* [c]: sed beatus, qui labores manuũ suarum comedit [d]; ita tamen vt laborum fructum non hîc, sed super Solem requirat.

a epist. 4. b 19 de ciuit. c. 1. & 4. c Eccle. 10. d Psal. 127. 2.

Vers. 4.] Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.

VAnitatis alia probatio ex vicaria generatione, & corruptione, quæ potissimùm apparet super terrã, cuius est quidam quasi perpetuus idẽ status, tametsi ipsa secundùm partes suas alteretur, & corrumpatur, ac etiam generetur. Nam, vt eleganter quidam dixit;

Mors [e] etiam saxis, nominibúsque venit.

Elucet adhuc maximè mortalitas in homine, qui potuit, si nõ peccasset [f], esse immortalis. *Vniuersa vanitas est, ac in imagine pertransit* [g]. Mysticos prætereo sensus, quòd recedat generatio Iudæorum, succedat generatio de Gentibus cõgregata: quod ante Hieronymum, aliósque post eum expositores dixit Origenes [h], sic id Psalmi accipiens: *Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem* [i]. Itẽ quòd generatio veteris, & noui hominis: laborum, & præmiorum: generatio idololatrarũ, Iudæorum, Tyrannorũ, ac persecutorum, & hæreticorum contra Ecclesiã. Mortalitatem nostram, de qua præter nonnullos Interpretes, intelligit quoque Gregorius [k], perpetuúmque ad interitum cursum omnes loquuntur, cuncti videmus, nec discimus tamen ibi corda figere, vbi vera sunt gaudia; sic per temporalia transire, vt non amittamus æterna [l]; in eo spes nostras collocare, qui semper idem est, nec anni eius vnquam deficiunt [m].

Generatio.] Varias vocis huius notiones exposui capite secundo [n] Actuum Apostolicorũ. Hîc sumi potest vel pro ipsamet mutatione physica, licèt in acceptione generaliore, non pro substantiali tantùm: vel pro rebus ipsis generabilibus, tũ maximè pro homine. Didymus [o] mysticè hoc interpretatur de Ecclesia, quæ repudiatæ succedat Synagogæ: quod etiam hoc loco tradunt Hieronymus, & Olympiodorus; prætereà Ambrosius [p], & Origenes [q].

Terra autem in æternum stat.] Non est per se de quiete sermo, quæ motui locali opponitur; sed de quadam quasi incorruptione, quia secundùm se tota non corrumpitur, ac veluti commune receptaculum, siue diuersorium, abeuntes, redeuntésque res generabiles, & corruptibiles excipit. Aduenæ sumus atque peregrini, & hospites in terra [r]: calcamus, & inambulamus eam; at illa in æternum stat, eo modo quẽ diximus, quãuis aliquando reformanda, & in melius cõmutanda [s]; vt notat quoque Salonius. Lege inter alios Rupertũ [t]. Nihilominùs alibi [u] hoc, & similibus testimoniis literarum sanctarum refutauimus opinionem, quòd moueatur terra, cœlũ stet; (quidã, teste Cicerone, [x] Platonis hanc asserebãt esse sen-

e Ausonius Epig. 34. f Genes. 3. 6. 21. g Psal. 38. 7. h tract. 30. in Matth. i Psal. 89. 1. k in Psal. 4. pœnitent. l Ecclesia in collect. Domin. 3. post Pentecost. m Psal. 101. 28. Hebr. 1. 12. n vers. 4. o in cat. Barb. in Psal. 21. p in Psal. 118. ser. 12. q tract. 30. in Matth. r Psal. 38. 13. 118. 19. Hebr. 11. 13. 1. Petr. 2. 11. s Eccl. 36. 30. Matth. 24. 35. 2. Pet. 3. 7. Esai. 51. 6. c. 66. 22. Apoc. 21. 1. t 2. de Trin. c. 3. u Act. 4. 31. x 4. Academ. qq.

A tentiam, moueri terram, sed obscuriùs) cui veritati non obstant terræmotus, qui nunquam sunt generales, communésve toti terræ. Non disputo verúmne sit quod ingeniosè quidam ætate nostra docent, non fieri super terra motum vllum, quin tota moueatur, propter summũ æquilibriũ centri, quamuis, vt ipsi dicunt, motus machinæ tantæ sit imperceptibilis. Non hinc quidẽ possũt conuinci, quia recurrent ad impercepibilitatem: sed imperceptibilia ego, vt verum fatear, nõ percipio: & si ea sunt acutie sensus, intellectúsve, vt hunc motum percipiant, cur non illum, quem imperceptibilem ij vocant, qui autumant, cœlo quiescente cieri in orbem terram? Lege Iustum Lipsium de physiologia Stoicorum [a]. Omitto

B quoque mysticam significationem *terræ* pro Scriptura, pro arbitrio nostro, pro Ecclesia, & similibus, quas malim legas apud Interpretes. Tropologia Ruperti [b] non abest procul à sensu literali, dementem esse qui laboret in comparatione terræ, cùm tot generationibus prætereuntibus, & aduenientibus, hîc semper terra maneat. Perpetuò fluentes, vicissimque succedentes rerum generationes Virgilius, aut alius bellè contulit in Epigrammate de rosa, cum rosa, quia in roseto quibusdam auulsis, aliæ mox enascuntur. Tale quod prior Homerus [c] cecinerat de foliis inuicem sibi succedentibus in sylua, & ante illum Musæus, vt Clementi placet Alexandrino [d]; & ante hos omnes Esaias [e], & auctor Ecclesiastici [f].

C Franciscus [g] Georgius Venetus docet, terram dici stare in æternũ tanquam centrũ circa quod omnia gyrant; aut alludere Salomonem ad terram viuentium, quæ sit essentia diuina semper stans, & à motu penitus absoluta: cùm quodam modo tamẽ dici possit Deus moueri alia ratione, vt cùm mitti & venire dicuntur ad nos diuinæ personæ, & omnia ab essentia diuina tanquam à primo fonte pullulant; sicut & moueri terra dici potest producendo plantas. Non magis hic repugnat motus stabilitati diuinæ, quàm in eodem Deo numerus vnitati eiusdem. Docet item [h], cùm in Prouerbiis [i] moueri dicitur terra per tria, poni continens pro contento, terram pro habitatoribus. Auctor [k] verò Antikeimenõ, vetustus sanè

D doctúsque, tritum illum tradit conciliandi modũ, quo pacto stet in æternum terra, & toties tamen, tum in Iob [l], indicetur mutari: nempe terram, cœlúmque per eam quam nunc habet imaginem transire, quod ait Paulus [m], præterire figuram huius mũdi; vt tamen per essentiam sine fine subsistant, non alia condenda, sed renouanda: iuxta illud [n]; *mutabis eos, & mutabuntur.* Iudicio esse vltimæ illius mutationis præsentes vicissitudines nostris vsibus seruientes, dum hyeme tellus arescit, viridescit vere, cœlum quotidie caligine noctis obducitur, & diuina claritate renouatur, &c. Hæc ex Gregorio [o] videtur transcripsisse.

In æternum. [Hebraicè (לְעוֹלָם *lehholam*) Græcè (εἰς τὸν αἰῶνα) Hieronymus (*in seculũ*) qui etiã notat, quòd signãter non est dictũ, *terra in seculis stat*,

E sed, *in seculo*; quoniam terra cum cœlo transibit [p], quando Euangelium prædicatum fuerit imminente consummatione. Transitus hic intelligendus iuxta allatam priùs expositionem. Indicat Hieronymus, *seculum*, & *æternum* sumi pro longa, sed finita duratione. Quæ vtriusque vocis acceptio vsitata quoque profanis.

Seruiet æternum (inquit Horatius [q]) *qui paruo nesciet vti.*

a pag. 121. b 7. de Trinit. c. 9. c Iliad. 6. d 6. Stro. c. 1. e c. 64. 6. f c. 24. 18. 19. g in proble. script. tom. 5. in 90. h probl. 91. i c. 30. 21. k lib. 1. l c. 14. 14. m 1. Cor. 7. 31. n Psal. 101. 28. o 17. Moral. c. 5. p Matth. 24. 35. q lib. 1. epist. 10.

& Auguſtinus [a] obſeruauit, aliquando quod finem nullum habet, alias quod cum quidem reſpicit, ſed quando, vel vbi, neſcitur, æternum dici. At ſeculum, etſi centum annorum ſpatium cenſetur à multis; vnde ludi ſeculares, annus ſecularis, carmen ſeculare, &c. quaſi dicatur à ſene, vt ait Varro [b], quòd longiſſimum ſeneſcendorum ſpatium id putarunt: quamuis etiam Galli triginta ſolùm annos ſeculo darent, vt Seruius [c] ſcribit; nihilominus pro longiore, ſed non præſcripto tempore accipitur apud auctores ſacros, & profanos. Quare ſtare terram in æternum, poſſet quis intelligere, quamdiu nos ipſi hanc incolemus, & colemus, quamdiu viuent in mundo homines. Olympiodorus exponit, in longinquum tempus.

a lib. 2. locut. in Exod. & 1. qq. in Geneſ. c. 31.
b de lingua Latina.
c in 8. Aeneidos.

De voce Hebræa (Græca autem *αἰὼν* eſt *ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ὤν*, vel *ὂν*, *ſemper exiſtens*) Hieronymus alio loco [d] docuit, cum ו *vau* ſignificare æternitatē; vbi verò id non eſt, iubilæum, ſpatiúmque quinquaginta annorum. Galatinus [e] affirmat nunquā reperiri in Scriptura pro propriè dicto æterno, hoc eſt, cuius nec finis, nec initium ſit. Primum non eſſe perpetuum allatis exemplis demonſtrat auctor theſauri linguæ ſanctæ: ſecundum item non eſſe verum oſtenditur omiſſis aliis, quòd ipſimet Deo velut epithetum attribuitur; *inuocabit ibi nomen Domini Dei* עוֹלָם *hholam*, [f] *æterni*. Quocirca quando Scripturæ poſt (*in æternum*) addunt (*vltra*) vel exprimunt (*in ſeculum ſeculi*, ſiue *ſecula ſeculorum*, quod hîc quoque poſuit Chaldæus Paraphraſtes) ad *ἐπίτασιν*, & *ἐξόγκωσιν* pertinent hæ formulæ, non quaſi abſque his vera æternitas ſignificari ſatis non poſſit, aut non etiam re ipſa ſignificetur; ſicut velle tamen videtur Rabbi [g] Moyſes, qui hac ratione conatur iis reſpondere, qui hoc ex loco Salomonem credebant mundi æternitatem credidiſſe, ideóque libri huius auctoritati derogabant. Ex Hebræis quidam ſuſpicantur eſſe Latinum aduerbium, *olim*, tum præteriti, tum futuri temporis.

d in c. 1. Epiſt. ad Gal.
e lib. 11. c. 5.
f Geneſ. 21. 33.
g 2. ductoris dubiorum. c. 29.

Stat.] Hebraicè (עֹמֶדֶת *hhomadeth*, *ſtans*) ſic enim Hebræi per participia præſens tempus explicant; quo caret: Græcè (*ἕστηκε*, *ſtetit*.) Quæ tādiu ſtetit, ſtare adhuc poteſt. *Standi* autē verbū nō ſitus eſt hoc loco, ſed conſiſtentiæ, atque durationis. Verbi huius notiones expoſui Commentario Actuū Apoſtolicorum [h]. Nyſſenus colligit tropologiam, vt iuxta præceptum Pauli ſtemus immobiles in bono ac ſirmi. De re ipſâ dictum priùs. Lege Gregorium [i]. Xenophanis de immobilitate paradoxam doctrinam refert Ariſtoteles [k], & Euſebius. [l] De firmitate autem Eccleſiæ Gregorius [m] accipit locum iſtum: Ambroſius [n] de illo, qui habens abundantiam ſpiritualem, ſtet bene fundata radice virtutum, & huiuſmodi terram circuiri a Sole iuſtitiæ ſalutari. Teſtatur vero Rabbi [o] Moyſes, multos ex Hebræis exiſtimaſſe propter præſentem locum, Salomonis opinione mundum æternum eſſe. Sed miratur meritò poſſe id aliquē de eo ſuſpicari, qui Moyſi teneat legem: dicitq; ſolā terræ colligi perpetuitatē ex iſtis verbis, licet ea cœperit aliquādo.

h c. 1. 11.
i in Iob. c. 24.
k 2. de cœlo.
l 15. de præp. c. 54. & 56.
m in Pſal. 15. pœnit.
n in Pſal. 118. ſer. 12.
o 2. ducto. dubi. c. 29.

Verſ. 5. & 6] Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibíque renaſcēs gyrat per meridiē, & flectitur ad Aquilonē: luſtrās vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.

A INdicat Sol, vt ait Hieronymus, & Nyſſenus, quotidiano ortu, occaſuque interitum mundi, ac hominis præſertim, necnō per anni tempeſtates quas efficit. Cum Hieronymo Hugo Victorinus, Bonauentura, Lyranus, Hugo Cardinalis, Carthuſianus, Caietanus, Albinus, Thaumaturgus, Ioannes Arboreus de vtroque curſu interpretantur, tum diurno, tum annuo, etiam prima verba textus, ita vt oriri Sol cenſeatur, quando per vernale æquinoctium ingrediens, ad noſtrū polum conſurgit: occidere, quādo exiens per autumnale, ad inferiora deſcendit: gyrare per meridiem (quæ ſunt verba ſequētia) quando in hyemalibus ſignis cōmoratur: flecti ad Aquilonem,
B quando in æſtiuis, quæ polo boreali viciniora ſunt, circūfertur. Porrò, quia calore ſuo Sol agit in hæc inferiora, & à nonnullis Philoſophis cœli naturæ igneæ habiti ſunt, per Solē ſumpſit idē Hugo Victorinus ignē; per ſpiritū, qui deinceps ponitur in textu, aërem, qui pariter agitetur in orbem: ſed quia non ſemper eodem modo, nec prorſus idem, plures velut circulos faciat, dum eſt vel motus eius concitatior, vel remiſſior: luſtret autē vniuerſa, dū mobilitate ſua cūctas vbique ceu ſordes purgat, & ſubit omnia. Symmachus in verſione, Thaumaturgus in paraphraſi, Bonauētura, & Caietanus in cōmentario ſequūtur eandē de aëre, vel vento ſententiā. Addit Hu-
C go Victorinus, referri poſſe ad Solem omnia vſque ad ea verba excluſiuè (*pergit ſpiritus*) hæc autē ad ignem, vel igneam vim à Sole procedentem, quæ res omnes foueat; vel quocumque nomine vocetur, ad occultam, & inſitam cuique rei, cum qua pergat, ac reuertatur per vicariam generationem, incrementúmque, ac perfectionem, & decrementum, ſeu interitum, atque reſolutionē quodammodo circularem. Ego malim totā ſententiam de Sole ſolo intelligi, & cum Chaldæa paraphraſi de motu diurno duntaxat, quo pacto reuerti Sol in circuitus dicetur; quia perficit integrū die vno circuitū, qui veluti ſecatur in partes: vel quia quotidie à diuerſo puncto circumit: vel quia decurrit in excentrico, concentrico, de-
D ferente, huius orbis motu, qui vocatur raptus, circumactus ad augim, & ad oppoſitum augis.

Arboreus reiicit Lyranum aſſignantem præter orbem deferentem, & æquātem, alium epicyclū, eo quòd Sol non habeat iſtum, ſed alij planetæ. Supremus autem orbis, inquit, ex his, quos ſupra ſe Sol habet, eſt mundo concentricus ſecūdùm ſuperficiem conuexam, id eſt, eius centrum eſt centrum mundi, & ſecundùm concauum eſt excentricus, id eſt, eius centrum eſt aliud à centro mundi: infimus è contrario ſecūdùm ſuperficiem conuexam eſt mundo excentricus, concentricus ſecundùm concauam. Gerardus Moringus huc propendet magis, & Titelmannus.

De motu Solis illuſtre teſtimonium Pſalmi
E 18. [a]. *Exultauit vt Gigas ad currendam viam*, &c. & libri tertij Eſdræ [b], quamuis apocryphi; *Velox curſus Solis conuertit in gyro cœlum in locum ſuum vna die*. Eſt tamen & alia de curſu annuo ſententia probabilis, quam ſequitur præterea Theophilus Alexandrinus [c].

a verſ. 6.
b c. 4. 34.
c epiſt. 3. Paſchali.

Myſticè iuſtitiæ Solem explicant omnes, maximè Olympiodorus, qui ait oriri in cordibus fidelium, cùm dirigit adhuc proficientes: occidere, quando maius deſiderium illis accendit altitudinem inquirentibus ſententiarum: præterea oriri Verbū Dei è paterno ſinu, occidere per incar-

nationem,& mortem,quibus diuinitas eius quodam modo est occultata:oriri ex Deipara secundum carnem:occidere descensu ad inferos,ac denuò exoriri per resurrectionem:item gyrare per meridiem prudentiæ feruentis fidelium : per Aquilonem fortitudinis; est enim hic ventus acer & expeditus:per Lyben temperantiæ voluptates refrigerantis & exsiccantis : per Subsolanum iustitiæ, quæ per omnes commeat , extenditúrque virtutes. Adhæc , istum Solem Verbi incarnati villas & ciuitates ad meridiem constitutas ipsum suis pedibus circuiuisse:per Apostolos Aquilonares plagas:denique Spiritum sanctum Apostolis infusum circuire illos terras omnes fecisse, & Euangelium prædicare , atque etiam eosdem induxisse,vt conuerso itinere redeuntes , eos inuiserent,quos priùs in doctrina fidei erudierant, vt est in historia Apostolica.Volui semel gustum dedisse spiritualis sensus , vt ex hoc de cæteris, qui deinceps eruuntur à Doctoribus isto libro, coniectura fiat.Similia sunt apud Ambrosium [a]; & citat vterque sententiam Christi : *Cùm [b] exaltatus fuero à terra , omnia traham ad me ipsum.* Item apud Chrysostomum [c] , & hoc loco apud Hieronymum,aliósque permultos.

a in Ps.118. octon.12. b Ioan.12. 32. c tom.5.ho. de virtute.

Oritur Sol,& occidit.] Hebraicè (*& oritur.*) Item Græcè additur coniunctio:Chaldaicè (*oritur Sol in die ex latere orientis : & ingreditur Sol in latus occidentis in nocte.*)

Ad locum suum reuertitur.] Hebraicè (שואף *scioeph*) quod Aquila interpretatur προσέπνευσεν vel εἰσπνεῖ,id est,*aspirat*:Symmachus & Thodotio, *recurrit*; quia videlicet, ait Hieronymus , Sol reuertitur ad locum suum,vt ibi vnde priùs egressus fuerat, aspiret. Chald. (*& ad locum suum anhelat*:) est enim tanquam Gigas currens veloci cursu , vt antè dictum est , & quodam modo aërem attrahit;ventú,seu aërem præ desiderio redeundi ad locum suum.Certè sub ortum Solis frigidior quàm antè sentitur aura. Similis in Virgilio [d] poëtica illa dicendi forma,

d 1.Georg.

Nósque vbi primus equis Oriens afflauit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina Vesper.

Ibique renascens.] Chaldaicè (*& ambulat per viam abyssi*, id est,incognitas nobis vias, vt ait Hieronymus , seu Antipodas, qui nobis sunt oppositi tanquam in profundo , *& oriturus est cras ex loco, vnde ortus est heri.*)

Gyrat per meridiem,& flectitur ad Aquilonem.]Notum ventum , ac Boream ponit Græcus textus LXX. (quoniam sunt quatuor potissimùm in quatuor mundi plagis venti) qui etiam habet simplex verbum πορεύεται , *vadit*, pro,*gyrat*, sicut Hebraicè הולך *holech , vadens*; Symmachi verò καταντᾷ : sed exponit de vēto,vt Hieron.testatur.

In circulos suos reuertitur.] Id priùs exposui. Ridiculus autem Empedocles , teste Plutarcho [e] , vel alio,cùm ait,enato primùm humano genere, ob Solis segnitiem fuisse diei longitudinē,quanta nunc decem mensium:procedente tempore,vt septem.Chald. (*perambulat omne latus meridiei , & redit ad latus Aquilonis per viam abyssi:*)pro(*flectitur*, κυκλοῖ). Chaldaicè(*redit.*) Quidam autem vim faciunt in Latino , quia Sol non efficit exactam sphæram;sed potiùs spiram De hac re Franciscus Vallesius [f] in sua sacra Philosophia disputans contra quosdam Astrologos , necnon aduersùs Beatum Thomam, defendénsque veram in Solis motu deflexionem ad Aquilonem.

e 5.de placi. Philosopho. c.18.

f c.62.

Lustrās vniuersa in circuitu pergit spiritus,&c.]Hu-

A go Victorinus notat sic distingui posse,vt post(*in circuitu*)sint duo puncta;& à(*pergit spiritus*)incipiat aliud membrū.Ita quidē etiam Mallorcæ adhibent pūcta.Græcè quoque videtur distinctio statuenda ante(*pergit*)quia participium κυκλῶν generis est masculini, πνεῦμα neutrius.Vtcumque distinguamus,nō oportet variari sensum;placétque mihi,vt sit de Sole idē sermo,non de vento, vel aëre,neque de vi quadā,quę proficiscatur à Sole, vt memini in Cōmmētario;neque (vt tamē placet Nysseno)de homine, qui totus denominetur à sui parte,id est,ab spiritu.Retenta porrò distinctione,quam habent codices Latini , Græcíque, obseruanda est appositio , aut subintelligendum

B aliquid,verbi gratiā : *Lustrans vniuersa* (Sol)*in circuitu,pergit spiritus*(ille ipse Sol qui est spiritus) *& in circulos suos reuertitur.*Profectò hęc vltima verba non ita propriè de aëre, aliáve re,vt de Sole possunt intelligi.

In circuitu.] Notat quodā loco Hieronymus [a], hinc rotūditatē cœli colligi à plerisq; & in sphęræ modū volui cœlū.Demōstrant hoc Physici,& Astronomi [b]. Quamuis ex Patribus Iustinus [c],vel potiùs recentior etiā Origene auctor collocatus in Iustini operibus , Ambrosius [d], Chrysostomus [e],Theodoretus [f] (qui mutauit tamē alibi [g] sententiam)Theophylactus [h],Lactātius [i],Procopius [k],nónullique alij id negent tanquā Scriptu-

C ris cōtrariū, quæ cœlum vocant tabernaculū, & vt pellem extensum.Sed Paulus [l],qui videtur loqui priore modo,tantùm dicit cœlū esse fixū tabernaculū,nec mutandū sicut lex vetus mutabilis fuit. Potest quoque locus Psalmi de pelle [m] (quo meminit Damascenus [n] vsos qui hemicycli cœlum figuram obtinere sentiebant)aut Esaiæ [o] iuxta editionem LXX. qui comparat cū camera, rectè consistere cum figura rotunda, vt Augustinus [p] docet. Sunt etiam qui reliquos Patres,saltem aliquos,vt Chrysostomū,intelligant de sede Beatorum, quod vocatur cœlū empyreū, & existiment esse quadratū in parte superiore , pro vt de cœlesti Ierusalem [q] dicitur , quòd in quadro

D posita est [r] : quæ tamen sententia mihi non placet , vt nec placere video expositoribus [s] Apoc. multo aliter quadratā interpretantibus figurā.

a in c.3.Ep.ad Ephe.

b Lege Conimbricenses in 2. de cœlo. c.4.q.1.& Clauium in Sphæram. c q.130.ad ortho. d in hexam. lib.1. e homil.14.& 27.inEpist.ad Hebr. f in c.8.Epist. ad Hebr. g q.20.in Genes. h in c.8.Epist. ad Hebr. i 3.Instit.c.23. k in c.1.Genes. l Hebr.8 2. m Ps.103.2. n 2.de fide c.6. o c.40. p 2.Genes. ad lit.c.9. q Apoc.21.16. r Indicāt Conimbricenses 2.de cœlo c. 5.q.2.a.2. s vt Riberæ, Viegæ, Petro Bullingero, & alii quos citant.

Spiritus.]Sol spiritus vocatur, quoniā animat, spirat, viget , annuos orbis cursus explet,sydera cætera illuminat , vt Poëtæ hîc testimonio Hieronymus confirmat. Nec existimauit tamen doctissimus Pater,sicut de illo B.Thomas [t] suspicatur,pro Ecclesiaste citans Ecclesiasticū,nisi error irrepsit,Solē,cœlúmve esse animatū;solū id quod dixi,affert,vt explicet quo pacto Sol spiritus per quandā figuram dici possit. Fert quoque cōmunis vsus loquendi notatus à Titelmanno , vt si quis alios præsentia sua , vel sermone exhilaret,

t 1.p q.70. art 3.

E eorū illum spiritū,animámve nominemus. Fortasse nec Hieronymus animā cœlis assistentem negasset,de qua nō incommodè possunt intelligi nónulli aliorum Patrū , qui de his velut de animatis loquuntur. Verùm hoc nunc non agimus. Hieronymus [u] in erroribus Origenis hūc numerat,quòd cœlis tribueret animas rationales. Ita quoque Plinius [x] videtur de Sole sensisse. Scriptura videtur animā cœlis adimere, dū cauet ne vllus iis à nobis honor habeatur,eo quòd creati sint in ministeriū cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt [y].Nihilominùs nō esse apertum errorem, si quis affirmet contrarium,idem S.Thomas docet multis locis , & ex aliis id ipsum colligit,

u epist.ad Auitum 59. & in lib.11.in c.45. Ez.& in c.1.& in Deuter.c.12. x lib.2.

y Deut.4.19.

ac probat Claudius Espencæus in proprio tra-
ctatu de cœlorum animatione, licèt sentiat ipse
non esse animatos cum V. Synodo, & articulis
Parisiensibus, quos citat, confutétque Paulum
Ricium abutentem præsenti testimonio ad con-
trariam opinionem. Idem S. Thomas [a] per spiri-
tum hoc loco vult nos intelligere Angelum, qui
per operationem, qua mouet cœlum secundùm
circulum, dicatur pergere in circuitu, ea ferè ra-
tione, qua Paulus ait Spiritum sanctum interpel-
lare, id est, interpellate facere [b]. Lege Conim-
bricenses [c], & ipsi quandoque hæc eadem dispu-
tauimus.

a opusc. 10. ad ar. 6.
b Rom. 8. 26.
c 2. de cœlo c. 1. q. 1.

Nec improbabilis tamen opinio de vento,
quem transtulit hoc loco Symmachus: & in eo-
dem sic docuerunt Thaumaturgus, Hugo Victo-
rinus, Bonauentura, Vatablus, Campensis, Caie-
tanus, alij. Hoc pacto, quod antea dixerat omnia
vanitati subiecta, hîc ostendit in vento, seu in
aëre; vt paulo pòst in aqua. Ventum Seneca [d]
definit fluentem aërem; circa cuius quoque ven-
ti assiduam vexationem idē [e] prouidentiam Dei
miratur: ex cuius videlicet thesauris produci
venti dicuntur [f], & illis ab eo pondus datum [g]:
& quorum vim Sapiens sibi perspectam Dei
munere gloriatur [h]. Quo autem pacto ventos
aptare Spiritus sancti liceat donis, Origenem, ac
Hieronymum lege in Ieremiæ c. 10. & quæ dixi-
mus in c. 2. Actuum Apostolorum.

d 5. nat. qq. c. 10.
e c. 18.
f Psal. 134. 7. Ierem. 10. 13.
g Iob. 28. 25
h Sapien. 7. 17.

Vers. 7.] Omnia flumina intrant in mare,
& mare non redundat: ad locum, vnde
exeunt flumina reuertuntur, vt iterum
fluant.

QVi vanitatem elementorum exemplo do-
ceri volunt, prioribúsque versibus terræ,
ignis, & aëris, vt Hugo Victorinus præsertim, as-
serunt modò in aqua exemplum poni fluctuan-
te circa terram. Hieronymus, reiecta sententia,
quòd aquæ dulces quæ fluunt in mare, vel ardē-
te Sole consumantur, vel salsugini maris sint pa-
bula, exponit præsentem locum, vt per occultas
venas ad capita fontium aquæ regrediantur, &
de matrice abysso in sua semper ebulliant prin-
cipia.

Celebris controuersia est de origine fontium,
& fluminum, quam aliàs tractauimus, & de qua
satis copiosè Conimbricenses [i]. Sed quod atti-
net ad præsentem locum, duo dicuntur, omnia
flumina intrare in mare, quod ambigi non solet,
atque reuerti ad locū vnde exierunt, quod qui-
dam accipiunt de reuersione ad mare, vnde pri-
mum exitum originémque sumpserunt. Et quia
posteriùs istud membrū indefinitè ponitur, prius
cum nota vniuersali, propterea Titelmanus ait
ad veritatem posterioris satis esse si quædam flu-
mina habeant initium ex mari, cùm tamen plura,
iuxta veram Philosophi [k] sententiam, generen-
tur ex aëre intra poros terræ incluso, ibique per
frigus condensato in aquæ guttas, ex quarū con-
fluxu per occultos meatus fontes erumpant, &
ex his flumina, ídque potissimùm in montibus.
[Imò miraculum, inquit idem Titelmānus, auge-
tur, si omnia flumina, etiam illa, quæ non oriun-
tur ex mari, intrent in ipsum, hoc verò non re-
dundet.]

i in libros Meteor. tractat. 3.
k lib. 1. Meteor. summa 4. c. 1. & lib. 2. summa 1. c. 2.

Respondet secundò, quamuis membrum se-
cundum vniuersaliter intelligatur; iuxta lectio-
nem Hebræam, pro (*exeunt*) esse (*pergunt*) sensum
autem reddi: Omnia flumina intrant in mare, ip-
sum tamen nō redundat, & omnia hæc flumina
sic reuertūtur, vel currunt ad locū, quò pergunt,
id est, ad mare, propter hoc vt ampliùs fluāt, quia
nisi pelago aquæ illæ absorberentur, sisterent ni-
miùm excrescentes extra alueos, terrámque im-
plentes. Tertiò, ne verbū (*reuertuntur*) videatur in-
dicare regressum ad principiū, vnde omnia flumi-
na exierunt, id est, mare, ait idē valere quod (*profici-
scūtur*) sicut quādo cap. vltimo [a] huius libri dicitur
quòd spiritus hominis redit ad Deum, qui de-
dit illū, nempe quādo it in cœlū, vbi tamen priùs
nō fuit; sensus est, quòd vadit ad locū sibi depu-
tatū. Ad eundem modū aquæ omnes in mare vt
in locū natiuum redire cēsentur (quo pacto par-
tes aliorū elementorum ad loca ipsorum) quādo
illuc tendūt, etiamsi priùs ibi nō fuerint, vel inde
progenitæ sint. Quartò explicat vocem (*iterum*)
quā Hebręus textus nō habet, nō cū relatione ad
pręcedentē originem, sed vt sit idē quod (*ampliùs*)
& (*adhuc*) id est, vt adhuc fluant, siue in suo fluxu
permaneant. Quintò addit iuxta Gręcā, & Latinā
antiquam editionem, quā Hieronymus quoque
secutus est, pro fluminibus esse torrentes: hos au-
tem à mari ortū ducere, rursúmque ad id redire,
quoniā à mari Sol extrahit vapores, qui cōden-
santur in nubē, ac in aquā conuertuntur, & pluē-
do in terram decidūt, atque torrentes efficiunt,
qui rursum in mare redeūt, sicut aquæ fluminū.

a vers. 7.

Mihi sententia hæc supra alias omnes placet,
dūmodo quod quinto dicitur loco, resecetur tā-
quam aduersarium vulgatæ editioni, necnon &
Chaldææ, quæ flumina omnia, omnésque scatu-
rigines aquarū exprimit: rationi præterea Caie-
tani, quia mirū non esset ex fluxu torrentiū ma-
re nō impleri, cùm aquæ torrentium exiguæ val-
dè sint; sed ex eo, quòd omnia flumina confluūt
ad mare. Deinde malo, quod ipsemet mauult in
secūdo pronunciato, vt notā vniuersalē (*omnia*) in
priore mēbro expressam, intelligamus quoque in
posteriore; sic enim cæteri passim intelligunt, &
cōtextus ipse satis id indicat. Quæ sunt in dicto
secūdo cū tertio & quarto difficultatis solutio-
nem maximè attingunt. Nihilominus cēseo hoc
ex loco nihil pro quæstione originis fluminum,
fontiúmque colligi; aut si quid colligatur, potiùs
aliūde oriri, quàm ex mari. Nā Salomoni satis est
probare vanitatē, quā præfatus est esse in rebus
omnibus, ex cōtinuo aquarū fluxu, quemadmo-
dū priùs probauerat ex perpetuo Solis motu, &,
vt quibusdā videtur, etiā ex aëris. Probatio duci-
tur ex fluminibus, quæ sunt in omni prouincia,
& in plurimis ciuitatibus. Horū perennis fluxus
causam ait esse, quòd in mare tēdant, ex quo ma-
ri, quia nō redundat, denuò refluunt, vt sic adhuc
fluere possint, & reuerti in idipsum mare, & sic
deinceps continuare motū quodam modo circu-
lari. Ad hoc non refert vbinam scaturiant flumi-
na, & si quam verba textus innuunt scaturiginē,
videntur aliā potiùs innuere, quàm maris; dicun-
tur enim flumina intrare in mare, & reuerti, vnde
exierunt; quod hunc præ se fert sensum, vt exi-
sterent flumina priusquàm intrarent in mare, &
inde illuc reuertentur, vnde exierunt, quando ad
mare defluxerunt, hoc est, ad fontes, vt Hierony-
mus indicat, quíque illum sequuntur verbis ip-
sius vsi, Albinus, Hugo Victorinus, & alij.

Iuxta modum istum dicendi verba omnia edi-
tionis nostræ cum obuia, & ordinaria sua signi-

ficatio

ficatione retineantur, & Philosophis sua relinquitur libera, & insoluta quæstio, quorum opiniones præsenti loco necessariæ non sunt; nec si necessariæ sint, plene satisfacere videntur. Etenim præter ea quæ de Titelmanno dixi, cuius Caietanus dictum quintum, retento nomine *fluminum*, sequitur; generatio fluuiorum ex vaporibus marinis, & fluuialibus, vt retorqueam Caietani argumentū in ipsum, necnon id in Olympiodorum intendam (qui omnia flumina intrare dici vult, quia multa) Lyranum, aliósque hic præsentem locum interpretantes, non tantas aquas efficit, vt earum ratione tanquam quid admirandum pronuncietur, quòd iis mare impleatur, & non redundet. Neque propriè hoc est flumina intrare in mare, aut redire, ratione nimirū aquarum pluuialium, quibus ea intumescant; vel propter vapores excitatos è mari, quibus humescat terra, sicque fontibus, fluminibúsque materia suppeditetur. Sed per se etiam citra pluuias, atque vapores, verum est quòd ipsæ intrant in mare, tanquam in locum natiuum, vt rectè Titelmannus tertio loco philosophabatur: & exitus è mari ob vapores dumtaxat, minùs proprius videtur. Franciscus Vallesius [a] contendit ex hoc loco, & ex cap.24. Ecclesiastici, Platonis tueri sententiam in Phædone cōtra Aristotelem, cuncta penitùs flumina, fontésque manare ex mari. Sed eius me rationes non conuincunt. In eodem Ecclesiastico * est locus difficilior, quòd *omnes aquæ in mare reuertētur*, sicut *omnia, quæ de terra sunt, in terram reuertentur.* Sed forsan per aquas intelliguntur cōposita, in quibus prædominatur aqua, quæ resoluuntur in mare, id est, in elementum aquæ: significat enim quandoque mare aquarum congeriem. Vel vis comparationis in eo est, vt omnia reuertantur in terram, quemadmodum defluunt aquæ in mare: nō quia perinde sit omnis aquæ de mari origo, vt rerum compositarum de terra. Loquebatur Sapiens de miseria conditionis humanæ vitæ, eámque similem affirmat fluenti aquæ, & in mare præcipitanti. Ea similitudine vsa est Thecuitis de morte disserens cum Dauid [b], valdéque teritur etiam à profanis auctoribus. Pontum dici putant παρὰ τὸ πιεῖν, quia sorbeat aquas.

a in sacra Philosophia. c.63.
* c.40.12.
b 2.Reg.14. 14.

Mysticum sensum si vis, quære apud Hieronymum, Hugonem Victorinum, Olympiodorum, aliósque posteriores Interpretes: præterea apud Ambrosium [c], cum quo consentiunt quæ habet Olympiodorus, Gregorium [d] (cuius mihi Salonius vti verbis videtur) Bernardum [e], Bonauenturam alio vltra istūm loco [f], qui, quod & vulgò multi faciunt, de beata Virgine exponit.

Ambrosius [g] inter alios mysticè de Scriptura sacra explicat, quæ habeat in se sensus profūdos, altitudinem propheticorū ænigmatum, in quod mare plurima introierint flumina, videlicet quicquid profani continerent libri disciplinarum quoque externarum, in diuinarum mari Scripturarum reperitur, ac ex eo magna ex parte promptum, vt sæpiùs obseruat Augustinus [h], & Clemens Romanus [i], & Cassiodorus [k], idémque Ambrosius [l]; etsi quædam minùs necessaria ab iis despecta monet, vt de Geometria, Arithmetica, & similibus: cæterùm in iis esse thesauros sapientiæ & scientiæ diuinæ.

Franciscus Venetus [m] opinionem sequens, omnia flumina omnino à mari oriri, nec illa, fontésve oriri posse ex vaporibus resolutis, ait ea

c lib. de Tobia c.15.
d 30. moral. c.3. vel 4.
e serm.13. in Cantica.
f opuscul. de laudib. B. Virginis c.7.
g epist. 9 edit. Roman. ad Constantium.
h lib. de doctrin. Christ. & de ciuit. 11. Constitut. c.6.
k proœm. in Psal.
l in c.3. Epist. ad Coloss.
m in probl. script. tom. 5. in 84.

A re designari effluxum animarum, quæ veniunt à mari magno diuinitatis in hunc mundum inferiorem, vt iterum reuertātur ad mare, & fontem primum; quemadmodum fecit Pater omnium nostrum Christus, qui dixit [a]: *Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

a Ioa.16.28.

Flumina.] Citati modò Patres legunt eodem modo: Hieronymus (*torrentes*) quos etiam significat Græcum nomen χειμάῤῥοι, & Hebraicè נחלים *nechalim*, quod interdum nomen Interpres reddit per *riuos* [b]. Chaldæus hoc loco vertit (*flumina, & scaturigines aquarum.*) Rectè verò noster Interpres dixit *flumina*, quoniam torrentes priùs intrant in flumina, & cum ipsis in mare: & Symmachus in sequenti parte versus ponit ποταμούς.

b Esa.11.15.

B *Mare non redundat.*] Græcè (ἡ θάλασσα οὐκ ἔστιν ἐμπιπλαμένη) Symmachus (οὐ πλημμυρεῖ) Hieronymus (*non impletur*) eodémque modo Chaldæus Paraphrastes. Videlicet non impletur vltra cumulum. Hoc autē de toto verum est, ita vt aquis se præsentibus non exoneret, aliásque denuò capiat, vt fluminibus contingit, quæ sic aquas hac aluei parte contentas eiiciunt, vt mox alias excipiant ex integro. Neque etiam aquis mare summo tenus inflatum super littora effunditur, terrámve totam superstagnat. Attamen æstuans, vel agitatum ventis inundat aliquando, & vrbes, castella, regiones absorbet; vt historiæ testantur [c].
C Suos præstitutos fines mare non egredi produnt etiam vt rem mirabilem sacræ literæ, mari fasciato & intra cunas instar infantis ligato; vel in morem criminosi cōstricto vectibus, portísque [d]. Lucretius [e], Aristoteles [f], aliíque causas varias cur quotidiano fluminum accessu mare non crescat, commenti sunt. Primariæ habentur, quòd radiis Solis exhauriuntur, & exsiccantur influentes aquæ, ac super mare vastissimum, ceu super tabulam superlabentes ac expansæ: vel quoniam maris comparatione, guttæ propemodum instar habent. Sed ignorantiam hac in re Nazianzenus [g] fatetur, quamuis Physici, & sapientes, inquit, inania quædam dicere habeant; qui cùm hæc ipsa credunt se habere cogitatione percepta, reuera mare ipsum cyatho metiuntur.
D Loquitur eodem Olympiodorus modo. Plures quoque deputant id perpetuo miraculo, vt Basilius [h], Chrysostomus [i], Theodoretus [k], Ambrosius [l], B.Thomas [m], qui vocant virtutem diuinam, frenum, & compedes, intra quam mare contineri cogitur, arenam. Vim autem declarant miraculi, quòd aquam putent terra sublimiorem, nec tamen effundatur super illam. Et fuit eadem de altitudine terræ sententia Lucretij [n], Ciceronis [o], & aliorum. At demonstratur ab Astrologis, Philosophísque terram esse altiorem [p]. Et id indicat fortasse quod phrasi Scripturæ descendere dicimur in mare [q], & ascendere de mari [r]:
E tametsi quandoque dicamur etiam ascendere in mare [s] propter situm regionis, ad quam appellimus, vt ex Ægypto ad Arabiæ deserta, & Palæstinam. Denique Græcismus est, quo quæuis profectio maritima vocatur ἀνάβασις, *conscensio*, scilicet in nauem, &c. Itaque mirabilis quidem, sed naturalis lex Dei est, quæ mare coniecit in humiliora loca, & inclinationem deorsum decurrendi dedit: & peculiariter imperauit initio, vt super terram expansæ aquæ congregarentur in locum vnum [t].

Ad locum, vnde exeunt flumina.] Iam monui pro

c Cato 2. origin. Solinus polyhistor. Fabius Pictor de orig. vrbis. Aug.18. de ciuit. c.8. & 10. Isidorus 14. orig. c.22.
d Iob.26.10. c.38.9.10.11. Ierem.5.22. Psal.32.7. Psal.103.9. Prouer. 8.27. 29.
e lib. 6.
f 2. Meteor. c.2.
g in catena Iob 36.
h hom.4. hexam.
i in cate. Iob.
k in Ps.103.
l 3. hexa. c.2. & 3.
m 1.p. q.69. a.2 ad 2. & 4. & in c.6. Iob.
n libr. 6.
o 2. de nat. Deo.
p Clauius in c.1. Sphæræ. Pererius libro 1 in Gen. Molina 1.p. in opere 3. diei, dispu.21. Valent.1.p.q. 3. de opere sex dierū punct.4. Conimbricenses in lib. 2. de cælo. q.4. Pineda etiam in c.26. Iob. vers.10.
q Psal.106. 23. Esa.42.23.
r Dan.7.3. Apocalyp. 13.1.
s Psal. 105.7.
t Genes.1.9.

(*exeunt*) esse Hebraicum participium הֹלְכִים *holechim*, quod significat *ire* ac *pergere*: & Græcè est verbum πορεύονται (εἰς τὸν τόπον, οὗ οἱ χείμαῤῥοι πορεύονται, *ad locum, quo torrentes vadunt.*) Quæ interpretatio nihil penitus innuit de origine fluminum à mari, de qua paulo ante agebamus. Hieronymus legit (*ad locum, de quo torrentes exeunt*) Symmachus eodem pacto; nisi quòd vtitur nomine ποταμῶν, *fluminum* (εἰς τὸν τόπον, ἀφ᾽ οὗ οἱ ποταμοὶ πορεύονται, *ad locum, vnde flumina veniunt.*) Sed, vt ibi dicebam, non inde quoque necessariò colligi potest prima fluminum origo, sed tantùm quòd ex mari, in quod intrauerant, regrediuntur, vt iterum (quod habent verba sequentia) in idem reuertantur.

Bonauentura occurrit obiectioni de origine, & dulcedine fluminum; omnem enim aquam naturâ dulcem esse, fieríque amaram ob exhalationem partium subtiliorum, remanentibus terrestribus: flumina autem ex mari egredi sub terra per excolationes, sicque redire ad natiuam dulcedinem. Idipsum significat Hieronymus. Verisimiliter sentiunt, qui salsedinem inditam à Deo mari volũt die tertio creationis, quo aquas omnes vnum in locum secreuit. Primum allerit Basilius [a], & Isidorus [b] præter alios: ratio secundi est, ne priùs toti aqua terræ incubãs, eam cum salsedine afficeret quoque sterilitate. Haud verò magnam habet probabilitatem Ruperti sententia [c], aquis cunctis naturalem esse salsedinem; ceterùm dulcedinem veluti exsugere ex Paradisi fonte [d], tanquam ex magni corporis terræ mamma, atque ex eodem fonte largas fundi potabiles, & agris fœcundandis aptas aquas. Sed accuratior huius rei tractatio Philosophis relinquatur, quibuscum & nos olim versati sumus [e].

a hom. 4. in hexam.
b 13. etymolog. c. 14.
c 2. de Trini. c. 24. & 29.
d Genes. 2. 6.
e Lege etiam Bernardinum Gomesium lib. 1. de sale. c. 51. vsque ad 60 & Conimbricenses in libros Meteor. tract. 10. c. 3. 4. 5.

Vt iterum fluant.] Si eadem flumina, quamuis permista marinis aquis, denique eadẽ per æquiualentiam, iterum ex mari fluunt, vt est probabilius, quàm si locum præsentem intelligas duntaxat ratione vaporum ex mari existentium, qui materiam humidã fluminibus suppeditent; modus quo redeunt, erit per meatus subterraneos, vt hoc loco tradit Hieronymus. Basilius [f] scribit, quòd mare fluitans ac permeans per cuniculos fistulares, & angustos, mox vbi obliquis, aut certè recta in sublime surrectis excursibus se occupatum deprehenderit, ab agitante compulsum spiritu, superficie terræ vi disrupta, erumpit, atque foras emicat. Philosophatur eadem ratione Plato [g], necnon Plinius [h]. B. Thomas [i] addit causam ex cœlesti influxu, quo propter commune naturæ bonum aquæ cõtra particularem propensionem attollantur. Idem dixit Theodoretus [k], nisi quòd ad Dei retulit imperium, cui aquæ obtemperando, ipsos etiam montium summos vertices occupent. Non abludit à primo dicendi modo Albertus [l]. Ait vapores in terræ cauernis eleuatos aquam attrahere sursum, atque continua sua actione, ac veluti collisione ad latera montis, aperire poros, quibus tandem erumpat. Indicium huius subiicit, quòd ad fontium ora ebulliunt aquæ, videlicet ob vapores, qui illas impetu eructant. Legendus etiam Seneca [m]. Amos [n] ait, quòd *vocat* Deus *aquas maris, & effundit eas super faciem terræ.* Vbi scribit Hieronymus, quòd aquas maris amarissimas æthereò Deus calore suspensas excolat, & eliquat in dulcem pluuiarum saporem, instar medicinalis cucurbitæ, quæ calore superioris gyri humorem, & sanguinem serosum trahit. Canit præterea Dauid [a] de Deo; *Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit*, hoc est, ad compluendam irrigandamque terram vapores eleuat ab vltimis terræ finibus, vbi maria multa, humorésque sunt. Qua de re etiam Lucretius [b], & contra Cardanum Scaliger [c], & Thomas Aquinas [d], & Theodoretus [e], & Hieronymus [f].

f prædicta hom 4. in hexam.
g in Phæd.
h lib. 2. c. 63.
i 2. sentent. dist. in. 14. q. vni. ad 5.
k serm. 2. de Prouid.
l lib. 2. Meteor. tract. 2. c. 12.
m 3. natur. qq. c. 15.
n c. 5. 8.

a Psal. 138. 7.
b lib. 6.
c exercit. 46.
d 2. d. 14. q. vnica.
e 2. de prouid.
f in c. 3 Abac. fluuios scindes terræ.

Vers. 8.] Cunctæ res difficiles, nec potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.

VAnitatem in scientiæ studio probat tum circa physicas, tum circa res ethicas, inquit Hieronymus; tum quæ ad secularem, tum quæ ad diuinam scientiam pertinent, ait Olympiodorus; tum secundùm exteriorem speciem, tum secundùm interiorem, inquit Hugo Victorinus; tum perceptione sensus, tum comprehensione intellectus, tum vt cognoscantur, tum vt oratione declarentur: & cùm vis cognitiua nostra nullibi conquiescat, quoniam vel in sensibus est, vel non sine sensibus, sequitur vlteriùs tendendum ad ea, quæ nec oculis videri, nec aure audiri (qui duo sensus excellentiores sunt, minúsque materiales, & ad inueniendum, ac discendum accommodatissimi) neque corde, intellectúve possint apprehendi. Nec ergo cor hoc humanum toti mundo sufficit, quia rerum, quæ in eo sunt, scientiâ succumbit; nec mundus homini, quoniam istum rerum illius quantauis scientia saturare non potest, sed capacitatem infinitam prouocat ad inuestigationem, amorémque veri, ac boni infiniti. Quocirca vanus Herillus, qui, vt Lactantius [g] meminit, summum nostrum bonum constituit in scientiâ. Colligitur verò ex hac immẽsa capacitate animi immortalitas. Multa disputant Philosophi vnde scientiæ difficultas nascatur, ex nobis, vel ex obiectis ipsis, propter suam aut præstantiam, aut vilitatem, ac tenuitatem, vel ex vtrisque: vtrum etiam vltimas rerum, quas vocant, quidditates intelligendo consequi valeamus: quid item sit rem quampiam intellectu comprehendere: & si, de finita loquendo, comprehendi possit, meliùs tamen ab aliquo ex pluribus comprehendentibus, seu clariùs, queat cognosci. Lege præcipuè Petrum Fonsecam [h], & Franciscum Suarez [i]. Hinc sanè habemus, in rebus ipsis inesse difficultatem aliquam, quod negari non potest, etiamsi ad imperfectionem intellectus nostri refundi pars difficultatis nonnulla valeat, ac debeat. *Difficilè æstimamus*, ait is qui Sapientiæ librum scripsit [k], *quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit?* ea nimirum, quæ à cœlorum incolæ prouidentia pendent, hoc est, Dei, de qua iterum illius ignorantia noster alio loco postea Ecclesiastes [l]: & auctor Ecclesiastici [m] de exprimendi res verbis difficultate. Totis trigesimooctauo, & trigesimonono capitibus inducit Iob Deum ipsius inscitiam coarguentem, atque conuincentem longa quadam, & præclara rerum naturalium inductione. Igitur opportuna Hieronymi, ac post illum Albini, & hæreticis nostri temporis necessaria admonitio; cùm omnia verba sint grauia, & magno labore discantur, falli vehementer qui putant, otiosis sibi, & vota

g lib. 5. c. 7.
h in 1. libr. 2. Metaphys. c. 1. q. 1 & 2.
i disput. 9. Metaph. sectione 3.
k Sap. 9. 16.
l c. 8. 17.
m c. 43 29.

A facientibus venire notitiam Scripturarum. Simili argumento vtitur aduersùs Eunomium Basilius [a], exigens ab eo responsionem ad minutas quæstiones de formicæ natura. [Si verò, inquit stringens aduersarium, scientiâ minutissimæ formicæ nondum es assecutus naturam, quomodo incomprehensibilem Dei potẽtiam imaginatione tua comprehensam esse gloriaris?]

a epist. 168.

Cunctæ res.] Hebraice (כָּל־הַדְּבָרִים *col baddebarim*) Græcè (*πάντες οἱ λόγοι.*) Olympiodorus *λόγους* exponit rationes, quæ de certa rerum cognitione afferendæ sunt. Vox quidem Hebræa & pro *rebus*, & pro *verbis* sumitur; Græca non item pro *rebus*, sed *ῥήματα*: & vetus translatio vertit *sermones*. B Hebraismus frequens ab Interpretibus etiam retentus, vt *sermones* ac *verba* pro *rebus* ponantur. Porrò Chaldæus totum versum haud parum aliter exponit: In omnibus verbis (id est, rebus) quæ parata sunt vt fiant in seculo, defatigati sunt Prophetæ antiqui, & non potuerunt inuenire fines eorum: verùm vtique non est facultas viro, vt loquatur quod venturum est postse, & non potest oculus videre omne quod futurum est, vt accidat in mundo, & non potest auris impleri audiendo verba omnium incolarum terræ. Nyssenus exponit de sermone, quem profert Doctor Ecclesiasticus de rebus vtilibus, & de virtute: est enim difficile conuenienter loqui, hoc C est, ita vt etiam virtute præditus sit de qua loquitur: ideóque duplici dignus honore qui laborat in sermone [b].

b 1. Tim. 5. 17.

Difficiles.] Hebraicè (יְגֵעִים *iegehhim*) Græcè (*ἔγκοποι*) Symmachus (*κοπώδεις*) Aquila (*κοπιῶσιν*, *laborem afferunt*) vetus translatio (*graues.*) Eodem sensu omnes. Non adhæret auctoris sententiæ [c] quorundam expositio, dici res difficiles, siue graues, & laboriosas, quasi ipsæ sint lassatæ ac fatigatæ multo seruiendi labore, atque molestia, suprà quàm possit homo explicare sermone, quasi vanitati subiectæ nõ volentes [d]. Multo minùs probo Vatabli ecphrasim referẽtis versum istum ad præcedentes hoc modo (quibus explicandis D verba idonea desunt, nec quisquam edisserere posset.) Nam, vt docui, vanitatis hîc descriptio continetur in scientiæ studio: quamuis nec id hîc reprehenditur, si moderatum sit, nec eorum approbatur opinio, qui de rebus omnino negabant scientiam haberi posse; sed opinionem dubiam duntaxat, quales fuêre Academici, Sceptici, Pyrrhonici. Difficiles cõcedo res hîc appellari, pro vt noster notauit Martinus Roa [e], quasi morosas, duras, suique copiam non facientes, vt vel frui, vel eas intellectu capere possimus, vel cuiusmodi sint verbis declarare. Sic nimirum difficultas dici solet rei frumentariæ, nummariæ, similúmque, id est, caritas, inopia, angustia; Deo nihil esse E difficile, quia nulla res effugit eius potentiam & scientiam, cunctæ se ipsius imperio summa pronitate permittunt. Propter imperfectionẽ scientiæ laudari potest Socratis [f] apophthegma; vnũ se scire, quòd nihil sciret, & nostrã doctam magis vocandam ignorãtiam, quàm exactam scientiam. Mouit Nicolaum de Cusa sententia quam tractamus, idque quod dixi, Socratis pronunciatum, vt tribus libris à se compositis titulum inderet; *De docta ignorantia.* [Certè admodum doctos aiunt (ait Philo [g], scientiarum, artiúmque difficultatem cum puteali profundiore comparans aqua) accusare suam magnam ignorãtiam: hoc enim tantùm sentiunt, quàm longè absint à veritate.] Docet præterea, in eadem similitudine persistens, vilissimam quamuis artem esse multiplicem, variam, querulam, difficilem, aduersam pigritiæ, socordiæ, negligentiæ, plenam studio, curáque, laboribus, ac sudoribus. De Dei incomprehensibilitate alias: hanc hoc loco Nyssenus notatam vult. Doctam quoque Augustinus [a] nominat ignorantiam, & de eadem sciendi difficultate nonnihil Cassianus [b].

c Pineda in Iob. 11. vers. 9. n. 3.

d Rom. 8. 20.

e libr. 1. singula. c. 1.

f Diog. Laertius de vitis Philosoph. in Socrate.

g lib. de plãtat. Noe.

a epist. 112. c. 14.

b collat. 10. c. 8.

Non potest eas homo explicare sermone.] Symmachus (*ἀδύνατόν ἐστιν ἄνθρωπον ἐκνικῆσαι λέγοντα*, *fieri non potest, vt homo perueniat dicere.*) Quæ meliùs nouimus, meliùs & proferimus, vt ait Hieronymus. Sunt enim voces eorum quæ latent animi B sensorum notæ, ita vt si comparari rerum scientia non queat, nec verbis hæ declarari valeant. Quamquam non quisquis probè quidquid intelligit, potest item facilè, felicitérque oratione depromere: atque, vt alias [c] dixi, tribuitur Spiritui sancto scientia vocis potiùs quàm rerum, quia maior est quàm ista, vt Ricardus Victorinus ibi citatus demonstrat. Propterea distincta quoque dona ibidem esse docui linguarum, ac interpretationis sermonum; quæ duo ad res explicandas sermone sunt necessaria. Deum Plato [d], & ex eodem Nazianzenus [e] dixit intellectu percipere difficile esse, eloqui autem impossibile: & noster Salomon [f], quòd *os iusti parturit sapientiam*, hoc C est, mente conceptam parere, ac veluti eniti, gestir, verùm non absque dolore.

c Actor. 2.

d in Timæo.

e orat. 2. de Theol.

f Prouerb 10. 32.

Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.] Hic duplex corporis sensus nobilissimus est, & scientiæ comparandæ seu proprio Marte, seu doctrina maximè accommodatus, quia maximè à materia inter alios sensus abstractus; quippe simul obiectum offertur, operans, & ad magnam distantiam, & minore sui ipsius immutatione, & cum maiore in phantasiam impressione: nobísque propterea, hoc est, vt scientiam cõparemus, quod Philosophus [g] quoque notauit, in primis charus. Res oculis perceptæ vocari possunt cum Hugone S. Victoris, atque Bonauentura, verba D diuina, seu, vt dicebat Antonius [h], liber Dei: auribus verò percipimus voces humanas. [Aures, ait Hugo, habemus à latere, oculos coràm, vt intentio nostra secũdariò dirigatur ad proximum, principaliter ad Deum.] Quòd si spectentur hi etiam sensus secundùm se, facilè saturantur perceptis aliquibus obiectis, vt constat in brutis. Sed & fastidium nos aliquando capit ac fatigatio vtentes iisdem sensibus, licèt desiderium perseueret nobilioris obiecti, vel eiusdem per intellectum meliùs percipiendi; quia materiale organum deficit, & spiritus animales exhauriuntur: & nihilominus importuna voluntas, intellectúsque hos veluti otiantes, ac desides seruos sollici- E tant, & ad laborem perurgent, vt sciendi insatiabili cupiditati quoquo modo satisfaciant. Idem sentire possumus de inexplebili gustus, tactúsque quibusdam in hominibus ingluuie, quam bruti generis animal nullum experitur; prouenit nimirum illa ex immensa quadam voluntatis ac intellectus capacitate; quamuis in obiecti sui delectu, atque prosecutione graniter hallucinentur nonnunquam. Eodem ex principio hydropis illa nascitur auarorum, quibus Ambrosius [i] applicat præsentem sententiam, sicut Nyssenus mare aquis in se confluentibus non redundans, & in quibus

Crescit [k] amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

g lib. 1. Metaphys. c. 1. & lib. de sensu, & sensibili. cap. 1.

h Athanas. in vita.

i lib. de Tobia. c. 7.

k Iuuenal. satyra 14.

Oculis etiam quidam, vt ait ille [a], gulosi sunt, & oculos antequam gulam pascunt. Cyprianus [b] lasciuientem oculum hac sententia castigat. Res diuinæ non satiant mortales, quamuis obruant interdum, & cogant exclamare: Satis est, contine ô Deus [c]. Beatis accendunt desiderium quodam modo, sitímque, famémque; quia nunquam cum fastidio, sed cum gustu velut recenti percipiuntur. [Voluptates hæ, ait alicubi Gregorius [d], si non cadunt sub experientiam, appetuntur: eas expertus fastidit: contrà cœlestes non cupit, qui non capit, & quo capit magis, hoc ardentiùs cupit.] Hoc est res esse difficiles, id est, vt antè dixi, asperas, amaras, sui copiam negantes, vt fugiant, ac prætervolent quamlibet auidè contemplantem oculis, auribus auscultantem. *Non satiatur venter, & cùm habuerit quæ concupierat, possidere non poterit* [e]. Sola Dei apparente gloria, satietas [f]. In apocrypho Esdræ libro [g] ei, quem iubet Deus in templum suum ingredi, dicit: *Ingredere, & vide splendorem, & magnitudinem ædificij, quantum capax est tibi visus oculorum videre; & post hæc audies quantum capit auditus aurium tuarum audire.* Infinitum propè desideriũ sciendi hominibus esse demonstrat Hieronymus [h] exemplis peregrinationum ea de causa Philosophorum, quibus addi M. Varro [i] potest, Solónque: imò & puerorum naturalis sciendi cupiditas, quæ ne verberibus quidem coërceri possit, de qua M. Tullius [k], faciens præterea mẽtionem de Archimede, Aristoxeno, Aristophane, Platone, Democrito.

a Seneca 3. qq. natural. c. 17. & 18.
b lib. de singularit. Clerico.
c Sic proditũ de S. Ephrem, & de B. Xauerio.
d hom. 36. in Euang.
e Iob. 20. 20.
f Ps. 16. 15.
g lib. 4. c. 10. 55. 56.
h epist. 103.
i Val. Max. lib. 5. c. 7.
k Plutar. in Solone. c. 5. de finib.

Vers. 9.] Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est.

Aliud argumentum vanitatis, quòd in cunctis rebus, quæ sunt priùs commemoratæ, nulla est noua, & quòd sensus, scientiáque nostra nequeat expleri, quoniam nihil supperit noui quod ediscatur. Vitandus error de mundi æternitate, præsertim si propositiones istæ conuertuntur, vt quod futurum est, fuerit, & quod faciendum est, sit factum: & nunc in his, quæ existunt, nihil sit noui. Sapiunt hunc errorem tum Comici [l] versiculus:

Nihil est dictum, quod non sit dictum prius;

quem versiculũ Hieronymus [m] testis est sic aliis verbis expositum à præceptore suo Donato; *Pereant qui ante nos nostra dixerunt*: tùm quod Aristoteles æternitatis assertor dixit [n] non semel, neque bis, sed infinities, oportere putare, easdem peruenire opiniones ad nos. Refellit idem Hieronymus Epicuri somnium, dicentis, per innumerabiles periodos eadem, & eisdem in locis, ac per eosdem fieri. [Alioqui & Iudas, inquit, crebrò prodidit, & Christus passus est sæpe pro nobis, &c.] Videtur autem præsentem locum interpretari quantum ad præscientiam, & prædestinationem Dei, ex qua iam ea facta intelligantur, quæ futura sunt: cæterùm nunc quoque signa atque prodigia, & multa arbitrio Dei noua in mundo fieri, quæ videlicet antea secundùm rem facta non fuerunt [o]. Alibi tamen exponit de antiquæ legis ordine in elementis, & cœlis. Potuit eodem nomine Plato refelli, quod facit Hugo Victorinus, dum de anno magno [p], seu mũdano, ac vertente 15000. annorum ordinariorũ constante numero, vel 49000. vel 36000. aut 25760.

l Terent. in Eunu.
m hoc loco.
n 1. de cœlo. tex. 22. & 1. Meteor. summa 1. c. 3.
o libr. 10. in c. 20. Ezech.
p Macrob. 2. in somnium Scipio. c. 11. Festus lib. 11.

A vel 12. millium 954. vel 12000. vel 6000. vel 3000. aut mille 460. vel 660. vel 60. vel 59. vel 30. vel 19. variant enim opiniones, quas præter Iosephum [a], & Plinium [b] recitant plures alij [c], commentus est, eo expleto, cunctísque suũ ad locum recurrentibus astris, quæ præcesserunt, eadem prorsus pari ordine reditura, sicque deinceps semper. Sequens versus meminit de prioribus hominibus, & de his, qui erunt in nouissimis, atque de seculis quæ fuerunt ante nos, ac idcirco clarè demonstrat seculis diuersis diuersos quoque homines fuisse, ac futuros esse. Non est opus pluribus ad adeò rudem, & insipientem explodendam sententiam. Astronomis [d] quoque B permultis videntur motus cœlorum inter se incommensurabiles, & ideo non posse eundem situm sydera omnia ordinémve, quem nunc habẽt, vel olim habuerunt, obtinere. In Albanensibus, & Albigensibus similem quandam reuolutionem cum metempsychosi, sicut & in Origene vicarios animarum status secundùm beatitudinem, & miseriam, quæ hæreses huc reuocari possunt, refert, refellítque Alphonsus à Castro [e], & alij hæreseologi. Omnium autem optimè Augustinus [f] contra Platonem, ac nominatim aduersùs eos, qui locum istum detorquent ad illum errorem. Talem fuisse Origenem Hieronymus [g] ad Auitum scribit, prolato testimonio ipsius [h].

C Subiungit idem Hugo S. Victoris magis propinquam rationem exponendi præsentem locũ, illa tamen simul recepta, quæ Hieronymi erat, propter similem seriem, modúmque in generibus rerum perdurantem iam inde à prima sua temporaria institutione. Nam cœlestis motus idem est, elemẽtorum collocatio, ac ex iis rerum compositarũ generatio, & operatio: quòd si quæ præter vsitatum naturæ cursum contingant, rara sunt, nec totius vniuersitatis. [Generationes sunt, ait Augustinus [i], euntes, venientes, Solis anfractus, torrentium lapsus (de quibus rebus egit antea Ecclesiastes) omnium rerum genera, quæ oriuntur, atque occidunt; monstra etiam fue- D runt, & erunt: qui secus opinantur, impij sunt in circuitu [k] ambulantes: nec locũ relinquunt beatitudini, de cuius æternitate confidere nos non sinunt.] Huc facit etiam Psalmi locus [l]: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*: de quo loco Eugubinus [m], & Pererius [n]. Expositionis quoque illius meminit à Hieronymo allatæ de diuina rerum prædestinatione, ob quam nulla dicuntur sub Sole noua. Quieuit Deus die septima [o] à conditione nouarum specierum: tamen vsque modò operatur, & cum eo Filius [p], quantum ad conseruationem, & comproductionem corruptibilium indiuiduorum, & creationem animarum humanarũ. Bonauentura secutus do- E ctrinam eandem, excipit præterea opera gratiæ, quæ sunt supra naturam, & idcirco non censentur inter ea, quæ hîc dicuntur sub Sole. Propter quam causam Petrus [q] meritò reprehendit dicentes: *Vbi promissio, aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.* Possunt item eximi res arte factæ, quicquid contradicat Vatablus, de his intelligens membrum secundum versus: multæ namque subinde adinuentæ sunt, ac denuò excogitãtur, sicut longiore doceri posset inductione, etiam ex notabilioribus, ac insignioribus, cuiusmodi tamen res Thaumaturgus, agens in genere, nullas nouas accidere interpretatur. Lege Polydorum Virgilium

a 1. Ant c. 3.
b lib. 10. c. 2.
c Alexan. ab Alexan. lib 5. c 24. cum Tiraquel. Seruio in 1. Aeneid. Apulæ. 1. de dogma. Plat. Aeliano. 10. de var. hist. c. 7. Censorin. de die natali. c. 6. Cicer 2. de Nat. Deorum. Plat. in Timæo, & alibi. Alcinous de doctr. Plato. c. 22 cum Iacobo Carpenta. Augu. III. Ricius de motu 8. sphæræ. Franc Cataneus lib 2. de pulchro. c. 6 & epistola de anno magno Plato. Aug. de Gen. ad lit. lib. 1. c 11.
d Clauius in c. 1. Sphæræ.
e contra hæreses, verb. anima.
f 12. de ciu. Dei, c. 13.
g epist. 59.
h ex 3. periarchon. c. 5.
i supra.
k Ps. 11. 9.
l Ps. 18. 3.
m ibid.
n in Dan. in expos. cantici (benedicite noctes & dies.)
o Gen. 2. 2.
p Ioan. 5. 17.
q 2. Epist. 3. 4.

de rerum inuentione,& plures historicos, collectoresve exemplorum, officinarum, theatri vitæ humanæ, &c. Patrum haud vetere memoria typographia reperta, & ars ænea tormenta conficiendi:quarum tamen ferunt inuentionem rerũ, vsúmque priùs apud Sinas fuisse. Argumentatur Hieronymus [a] falsum esse quod Pelagiani docebant, posse hominem, si velit, esse absque peccato; neque enim id illos affirmare debere, nisi probent futurũ esse, quoniam Ecclesiastes dicit, omne quod futurum est,iam factum esse in priori seculo. Hugo Victorinus acutè notat ex præteritis argumentum duci, vt ex magis certis ad futura: & de præsentibus, quorum potissimùm contemptus intenditur,nihil dici, quoniam hæc maximè esse supponuntur, siquidem in momento duntaxat. Alter Hugo Cardinalis idem repetit:& ante vtrumque Nyssenus, qui præterea illud obseruat *(quod fuit)* de anima dici, quæ creata est *(quod factum est)* de corpore, quod formatum de terra,illam futuram quod erat per sanctificationem, hoc id,quod factum est,per resurrectionem:denique nihil esse ista,nisi redeant ad statum,quem priùs habuerunt.

a con. Pela.

Mores quoque humani magis communes, ac ordinarij, boni, malique deprehenduntur ferè iidem in præcessoribus nostris,& in nobis:peregrinitatis tamen quiddam habent,& monstri instar interdum quidam existunt.

Caietanum probare non queo,qui totam hãc sententiam prolatam censet ab Ecclesiaste more concionatorio de mundi æternitate secundùm id quod probabilius apparet ex sensibilibus: rationes enim naturales suadere dictam æternitatem. Nam contrarium, quod ipse asserit esse de fide, non Theologicè duntaxat,sed philosophicè quoque demonstratur,ita vt falsa sententia, quo pacto eam ipse etiam nominat, simul esse probabilis non possit apud illum, qui falsam cognoscit. Sed neque Salomon vanitatem mundi validis aliis argumentis, verísque comprobans, falsum, ac vanum,quamlibet verisimile,adhibuisset. Denique singularis hæc interpretatio auctorem suspectum reddit, quamuis Hugo Cardinalis nonnihil faueat.

Huius morale documentum placet in eos,qui suis de rebus efferuntur tanquam de penitùs recentibus,& excogitatis à se,cùm sint iampridem inuentæ. Exemplo iam possunt esse quas dixi bombardæ, & typi graphici apud Sinas in vsu priusquàm apud nos. Indidem colligimus non admodum demirari,vel indignari ad peruersitatem æui nostri;fuit enim & aliàs eadem:nec nostrum veteri præferre.Id sibi quoque dictum putent rerum nouarum, vel moliendarum,vel cognoscendarum,seu dicendarum auidi,quales Lucas Athenienses nominauit [b]. Eusebius [c] intellectualem Hebræorum phylologiam, hoc est, metaphysicam, celebrans,dicénsque à Mose, atque ab eorumdem illorum Poëtis Platonem accepisse,scribit, Salomonem tum vel maximè in incorruptibile,corruptibiléque, intellectuale, & corporale diuisionem instituisse, cùm protulit præsentem sententiam. Cæterùm in Procopio [d] reperio similem conciliationem antea hìc traditam, quo pacto nihil hìc nouum asseratur, & noua tamen affirmentur apud Esaiam [e],cui adde Ieremiam [f],& alios; nempe quæ solius Dei fiunt arbitrio excipi, ac in primis opera gratiæ, miracula,&c.Idem Eusebius [g] arbitratur hoc loco di-

b Act.17.21.
c 11.de præpa. c.6.
d in Esa. pag. 541.
e c.48.5.
f c.31.22.
g 11.de præp. c.5.& 6.

A uisionem fieri entis in id quod verè est, ac semper est,æternum,immobile,incommutabile,& in id quod cùm sit instabile, semperque fluens, vix entis mereretur nomen:primum membrum apertè non exprimi; alterum verò sententia præsentis loci: videri Platonem ex diuinis literis mutuatũ diuisionem eandem: *erat*, ac *erit*, non rectè ad æternam substantiam transferri, sed *est* solummodo verè accommodari. Nec arbitror tamen id Salomonem nunc voluisse.

Vers. 10.] Nihil sub Sole nouum: nec valet quisquam dicere, hoc recens est: iam enim præcessit in seculis quæ fue-
B runt ante nos.

NIhil sub Sole nouum.] Iuxta Hebræũ, & Græcum textum vertit vetus translatio, & Hieronymus & Augustinus [a], vt omittam Græcos, *(& non est omne recens sub Sole)* L x x.habent πρόσφατον, Symmachus, καινόν, quòd est synonymum illi. Particula verò *(non)* quæ præcedit *(omne)* idem valet quod *(nihil)* idémque contingit,si sequatur,vt exemplis demõstrat Cantapetrensis [b]. Monet Hieronymus legisse quodam in libro: Si omne quod sub Sole factum est, fuit in præteritis seculis antequam Sol fieret;& homo iam Sole condito factus est; fuit ergo homo antequam
C sub Sole fieret. Respondet, idem sequi etiam de quibusuis animalculis: deinde sermonem esse de homine, vt ostendunt quæ sequuntur, in quibus mentio est de animali loquente,qualis solus homo. Est autem frequens in hoc libro phrasis *(sub Sole)* idem valens ac *(sub cælo:)* & profani auctores crebrò *Solem* pro *die* vsurpant. Aliis in sacris libris dicitur *(sub cælo, sub vniuerso cælo.)*

a 13.de ciu. Dei.c.13.
b 6.hypotyp. c.3.

Nec valet quisquam dicere, hoc recens est: iam enim præcessit in seculis quæ fuerunt ante nos.] Vetus Latina versio reddit *(estne verbum,de quo dicatur; vide hoc nouum est?)* & Hieronymus in commentario apertiùs transtulisse Symmachum dicit (putásne est,qui possit dicere,vide hoc nouum est?) Augustinus [c] (nec quisquam loquitur,& dicit; ecce
D hoc nouum est.) Sed alibi idem Hieronymus [d] aliter *(& non est omne nouum sub Sole quod loquatur, & dicat; ecce hoc nouum est.)* Vbi sermonem tribuit rebus omnibus, perinde vt Psalmus [e] cœlis: sed in commentario ponens eandem lectionem, vel potiùs recitans, exponit restringendo ad hominem,cui soli,vt dictum est,conuenit sermo.Textus L x x. est perplexus (ὃς λαλήσει, καὶ ἐρεῖ, ἴδε τοῦτο καινόν ἐστιν, &c.) siquidem non apparet quò pertineat pronomen ὃς: si esset sine ὃς τίς, tolleretur difficultas. Hebraicè *(est res,quæ dicet: vide hoc nouum)* vel *(est res, quam dicet)* nempe aliquis: fortasse Græcè lectum est aliquando ὃ pro ὃς, & referebatur ad πρόσφατον in priore versu.
E Non assentior Caietano,respondeti nunc tacitæ obiectioni, qua quispiam diceret esse rem aliquã nouam,nimirum artes; id autem quod est versu sequenti, esse responsionem iuxta mentem Philosophorum,mundi æternitatem asserentium.

c 13.de ciu. c.13.
d epist.59.
e Psl.18.1.3.

In seculis.] Chald. *(in diebus generationum)* ante quæ verba ponit *(in seculo)* distinguens *seculum* pro mundo, ab eodem, vt dicitur etiam de ætate,seu duratione. Quocirca nec Origenem, nec sectatores eius quicquam iuuat nomẽ *seculorum*, vt probent plures antea mundos fuisse, pluresque futuros esse, & res numero easdem redituras.

Id quidem posset Deus, etsi de successiuis ambigunt multi. Sed priuilegium est resurrectionis generalis, quæ semel erit.

Ante nos.] Græce (ἀπὸ ἔμπροσθεν ἡμῶν) Symmachus (πρὸ ἡμῶν.)

Vers. 11.] Non est priorum memoria, sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo.

CHaldæus (*non est memoria generationibus* (nempe præteritis, siue de illis) *& etiam posteris, qui futuri sunt, non erit illis memoria cum generationibus, quæ erunt in diebus Regis Christi*) Septuaginta (*non est memoria primis, & quidem nouissimis, cum facta fuerint, non erit eorum memoria cum eis, qui futuri sunt in nouissimo.*) Eodem hoc fere modo vetus translatio. Confirmat sententia ista vanitatem nomen suum propagandi, vel scientiam comparandi: quoniam sicut est obliuio præteritorum apud nos; ita qui post nos nascentur, nostras res, cásve quæ futuræ erunt, scire non poterunt, & idcirco cuncta silentio præteribũt, & quasi non fuerint, abscondentur, nec nostra vigebit memoria, nec hæredum etiam nostrorum. Sed iuxta lectionem Septuaginta Hieronymus exponit, nouissimos quidem, vt Christus dixit [a], futuros primos ex Dei benignitate: tamen illis, qui propter vitium suum meruerint esse nouissimi, non tantam gloriam daturum Deum, quantam his, qui se humiliantes, nouissimi in mundo esse voluerint. Sensus tropologicus hic est, vt & anagogicus de Seraphim faciem, pedésque velantibus, quia prima, & extrema cooperta sint. Rursum moralis est Olympiodori expositio, beatos non meminisse iam laborum suorum, sed neque animo percipere damnatorum pœnam, siue eorum qui punientur in nouissimis temporibus: nimirum præ voluptate, quãuis animas illas obliuio propriè non sit occupatura. Stultos Sapientiæ auctor [b] confirmat, qui nullam sui, vel operum memoriam futuram dicerent, vt licentiùs ac effrenatiùs viuerent. *Erit in memoria æterna iustus* [c], & cum laudibus [d] præsertim humilis sensu [e], & summa cum suauitate [f]; nomen autem impiorũ putrescet [g], corúmque memoriam perdet Deus [h], peribítque memoria eorum cum sonitu [i]. Memor est quoque iustus operum Domini [k]. Quare propositio ista non intelligitur tantùm de malis, verùm & de bonis, vt obseruat Bonauentura, dicens non esse prorsus vniuersaliter veram, sed in pluribus, quia plurium est obliuio, quàm memoria. Monimenta & historiæ memoriam excitant & conseruant: at quis omnia lustret, aut euoluat, & quàm multis interitum temporis edacitas attulit? Ipsa marmorea sepulcra, quæ μνημεῖα vocant ἀπὸ τῆς μνήμης, vel monumenta, quòd moneant de præteritis, exesa sunt; &, quod superiùs dixi,

Mors etiam saxis, nominibúsque venit.

Multo aptiùs nominamus conditoria Sanctorũ, memorias: viget enim semper memoria eorum in compositionem odoris opus pigmentarij; in omni ore quasi mel indulcatur, & vt musica in conuiuio vini [l]. *Si oblitus fuero tui Ierusalem* (patria cœlestis) *obliuioni detur dextera mea: adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui* [m]. Huius in recordatione rei occupanda, & excolenda memoria est: memores nos oportet esse Dei, si delectari volumus [a]; & eius quidem Dei, qui se tenaciorem dulcioréműque nostri memoriam habere profitetur, quàm matrem filij [b]. Quantam profani homines propagãdi curam nominis habuerint, refert de Catone Cicero [c], idem [d] de seipso, ac de aliis, déque Philosophis Chrysostomus [e]. Quòd autem temporis processu, & quadam veluti vetustate intercidat memoria rerum, indicat illud epithetum tẽporis, quo ἀμαθέστατον cognominatur apud Philosophum [f], id est, *ignarissimum, & inscientissimum.* Q. quoque Curtij [g] sententia est, vetustate, non opere solùm manufacta; sed ipsam etiam naturam paulatim exedi ac perimi. Cecinit & alius Poëta [h];

Clara fuit Sparta, & magna viguêre Mycenæ.
Vile solum Sparta est, altæ cecidêre Mycenæ.

Philosophatur eadem de re Seneca [i] egregiè.

In nouissimo.] Chaldæus, vt recitaui, dies Regis Christi intellexit. Docui ad caput 2. Actuum Apostolorum [k], non esse perpetuam eiusmodi acceptionem; sed *nouissimum* non raró sumi pro *posteriore.* Hoc quidem loco non video quid Paraphrasten potuerit impellere ad hanc interpretationem. Est namque indefinita propositio, nec minùs vera de seculis, ac posteris post Christum vel rebus, vel hominibus. Symmachus reddidit (μετὰ ταῦτα, *post hæc.*) Ratio Caietani, vt sit (*in nouissimo*) idem quod (*postea*) imò sic meliùs reddi, non placet: nempe quia æternitatis assertores, in quorum persona loqui Ecclesiasten existimat, non ponunt tempus nouissimum, sed æternam durationem.

Vers. 12.] Ego Ecclesiastes fui Rex Israël in Ierusalem.

REtuli versu primo Nysseni, aliorúmque annotationem, referre plurimi quis rerum suadeat contemptum, quis vanitatem prædicet, nimirum qui vsu, ac experimẽto eius quod doceat, præditus sit. Hoc hic etiã Interpretes obseruant, atque nunc post clausulam præfationis generalis, de seipso propriè auctorem loqui, vt magis persuadeat. Simul Hieronymus ex Hebræorum sententia monet (quam cùm non reprehendat, sequi videtur, aliásque illorũ præterita mentione, idem tradit, vt in præfatione nostra diximus [l]) hunc librum Salomonis esse, pœnitentiam agentis, quòd in sapientia, diuitiísque confisus, per mulieres offenderit Deum.

Fui Rex.] Quidam, vt notat Hugo Victorinus, non ausus id improbare, sic locutum Salomonem putant verbo præteriti temporis, quia deposita Regni purpura, de solio suo iam descẽderat, contemptaque, quam malè tenuerat potestate, in habitu pœnitentiæ reatum suum plangebat. Alius eiusdem auctoris sensus percommodus est, dixisse (*fui*) quia etsi esset, idipsum iam nihil esse agnosceret, quod esset. Carthusianus innuit tertiam expositionem (recitatis prioribus) quasi more quorundam aliorum Regum Iuda resignauerit filio Regnum. Fecisse id Salomonem, Scripturæ potiùs refragantur. Quarta ab eodem allata simplex explicatio ac vera videtur, noluisse negare se Regem, sed ita locutum, quia narrabat gesta sua præterita. Franciscus Venetus [m] consentiens Zohar & Hebræis, idcirco vult Salomonem dixisse (*fui Rex*) quasi tunc non esset; quia in deserto, quò deductus fuerat ab

Asmodai,

[a] Matth. 20. 16.
[b] c. 2. 4.
[c] Psal. 111. 7.
[d] Prou. 10. 7.
[e] Eccli. 10. 21.
[f] Eccli. 49. 1. 2.
[g] Prou. 10. 6.
[h] Eccli. 10. 21.
[i] Psal. 9. 8.
[k] Ps. 76. 12.
[l] Eccli. 49. 1. 2.
[m] Psal. 136. 5. 6.

[a] Ps. 76. 4.
[b] Esa. 49. 15.
[c] in Catone.
[d] orat. pro Archia.
[e] ho. 41. in 1. ad Cor.
[f] 4. Phys. t. 128.
[g] lib. 5.
[h] Ouid. 15. Metam.
[i] epist. 72.
[k] vers. 17.
[l] c. 2.
[m] problem. script. to. 5. in 83.

Almodai, dedit volumen hoc, in quo cognouit omnia vana esse, quibus in Regno potitus fuerat. At hæc sunt Hebræorum deliria.

Israel.] Glossa interlinearis notat, aliàs non esse positum hoc nomen. Nullum prorsus codicem vllius editionis legi, qui non habeat. Forsitan voluit dicere de primis verbis libri, vbi cum Hierony... de eiusdem nominis ... codicibus superflua ... Interpretes hoc nomine hic denotari obseruant, fuisse Salomonem Regem super vniuersum populum Hebræum, omnésque duodecim tribus. Sic sumi nónunquam nomen *Israël*, cùm aliàs distinctè pro decem tantùm tribuum Regno, déque vera ipsius notatione, lege Commentarium

a vers. 6. nostrum in caput primum [a] Apostolicæ historiæ. Rectè regiam dignitatem præmittit antequã dicat de sapientia sua: hæc illam decet maximè; & opes ad variam scientiam acquirendam necessariæ sunt. Exaggerari regia dignitas super Israël potest ex iis, quæ ad laudem populi tanti fa-

b Rom 9. 3. 4. 5. ciunt, tum ex priuilegiis, quæ Paulus [b] attingit. De laudibus autem Ierusalem plurima dici possunt. Consulendi topographi præsertim locorũ sanctorum, & Iudæorum historia, vt Iosephus,

c lib. 5. c. 14. Hegesippus, alij: denique Plinius [c].

Vers. 13.] Et proposui in animo meo quærere, & inuestigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub Sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea.

AGgreditur exemplo suo vanitatem docere insitam rebus omnibus; id se namque deprehendisse duplici exquisita scientia, tum theoretica, tum practica. Non censeo Salomonẽ mereri hoc loco censuram Hugonis Victorini, superbè, & insipienter fecisse, quod hîc de se commemorat. Cur non laudetur potiùs sapiens studium hominis, Dei dono sapientissimi: Hieronymus ait, in hoc studio vltra licitum se extendisse, ac scire, verbi gratiâ, voluisse, quare paruuli corriperentur à dæmone: cur naufragia & iustos, & impios pariter absorberent: vtrùm hæc, & his similia casu euenirent, an iudicio Dei: & si casu, vbi prouidentia Dei? si iudicio, vbi iustitia Dei? Iisdem verbis opinionem eandem Albinus sequitur, & Hugo Cardinalis, qui vocat impudens desiderium, & stultæ curiositatis errorem, & Carthusianus, & Bonauentura, & Arboreus. Salonius, & Olympiodorus laudãt hoc nomine Salomonem, & hic illum dicit bono Dei sibi tradito vsum esse: ille, bonum esse ea scire, in quorum peruestigatione versabatur. Thaumaturgus eòdem magis inclinat; solũ enim notat laboriosum studium, & suo fine aliquo modo frustratũ fuisse, quòd omnium quæ vellet, scientiam non comprehenderit. Cõsentit sine dubio Lyranus. Equidem res illas scitu curiosas, ac periculosas, quæ positæ sunt exempli loco à citatis auctoribus, quomodo probari possit Salomonem scire voluisse, vel hic eas illum innuere, nõ video. Chaldæa paraphrasis exponit de doctrina, quam poterit à Domino. Ex recentioribus quoque fauẽt Titelmannus, & Caietanus, & Moringus, qui hac sapientiæ opinione facere sibi auctoritatem notant. Allegoriam Nyssenus tractat de Christo, qui factus sit Ecclesiastes noster per incarnatio-

A nem, vt quæreret facta sub Sole, id est, vt nos redimeret: superiora namque ... cœlo sunt, non egere illo remedi... ...ios per vitium depressos esse, cùm an... ...non essemus.

Proposui ... animo meo.] Hebraicè, & Græcè (*dedi cor meum*) Symmachus (προέθηκα, *proposui.*) Delibero est animi propositum cum volutate. Idcirco alij dicunt animum, alij cor. Quamuis hæ dictiones interdum confundantur, propter mutuam coniunctionem, atque dependẽtiam intellectus & voluntatis. Vulgò dicimus; est mihi animus, id est, voluntas. Hugo de S. Victore hoc verbo notatam ait elationem, & quidem grauem, vt non simpliciter, & obiter cogitauerit, sed toto consensu, atque approbatione decreuerit aggredi rẽ impossibilẽ. Mitiùs ac benigniùs de Sa-

B lomone iudico hac in parte, cũ liceat, vt prędixi.

Quærere, & inuestigare.] Græcè (ζητῆσαι, καὶ κατασκέψασθαι, *quærere, & considerare.*) Hebræa verba לִדְרוֹשׁ וְלָתוּר *lidrosch velathur* important sollicitum studium, curam, diligentiam, scrutationẽ, inquisitionem, inuestigationem. Expressit id Aquila per verbum ἐξερευνῆσαι. Quapropter nõ loquitur Salomon de sapientiá, quam infudit ei Deus, vt indicat tamẽ Thargũ Chald. nisi intelligas vsum, atque applicationem eius ad capienda de rebus experimenta. Hugo Victorinus prius verbũ refert ad ignota, posterius ad profunda. Credo synonyma esse, quibus vtitur sæpe Scriptura; nec ex Hebręis alterũ altero vim habet maiorẽ nota-

C biliter: licèt in Græcis secũdum magis significet.

Sapienter.] Hebraicè, & Græcè (*in sapientia.*) Pergit Hugo Salomonẽ carpere, eiúsque cor insipiẽs nominat, quia nõ sapientiam quęreret, sed tantùmodo per sapientiam quærere profiteretur, quasi tantã habere se præsumeret, per quam quæreret cuncta, quæ sunt sub Sole. Agnosco ego potius hoc in verbo studiosi hominis modestiã, & prudentiam, qui non temerè, nec leuiter, sed accurato, & maturo iudicio scrutatus sit rerum omnium causas.

De omnibus quæ fiunt sub Sole.] Non dixit (*cuncta*) inquit Victorinus Hugo, ne videretur tenui cõtentus, ac visibili scientia; sed (*de cunctis*) nimirum intimas & inuisibiles eorum causas. Imò quære-

D re cuncta plus videtur, quàm de cunctis: & de cunctis quæstio potest institui pro ingenij viribus, & communicata diuinitùs sapientia.

Sub Sole.] Græcè (ὑπὸ τὸν οὐρανὸν) Hebraicè (*sub cœlis.*) Idem est ergo *sub Sole*, & *sub cœlo*, vt dixi su-

prà [a]. Non est cõclusa Salomonis sapientia spatio inferioris huius mundi, vt testantur eius scripta; & quia præcedebat eius sapientia sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum [b], apud quos vigebat certè syderalis peritia, & cœlestiũ scientia. Nihilominùs res sub Sole, aut cœlo exprimuntur, quia magis familiares, eorúmque notitia vtilior, & ad vsum humanum accommodatior. Regium scripsit Aristoteles [e] esse, sapientia mortalibus antecellere. Ait etiam de se Cæsar

E apud Lucanum [d],

-----*media inter prælia semper*
Stellarum, cœlique plagis, superisque vacaui.

Tritum quoque Persarum Reges eosdẽ magos, id est, sapientes, esse debuisse [e]: & Plato aut si principarentur Philosophi, aut si Principes philosopharentur, beatas Respublicas pronũciauit. Quo nomine Iustiniano gratulatur Agapitus diaconus Romanus quadam epistola: quamuis eum Imperatorem quidam εἶναι τάξιλον vocent.

a vers. 3.

b 3. Regum 4. 30.

e 1. Rhet. c. 38.

d 10. Phars.

e Cic. 1. de diuina. Ammia. lib. 24. Philo de special. legib. Plin. lib. 7. c. 30.

Hanc occupationem pessimam dedit Deus hominibus, &c.] ... istud præsentis versus membrum Caietanus inclu... parenthesi, quæ rationē contineat, cur animum app... uerit ad inuestigationem illam, studiumque noscen... rū rerum; quoniam Deus vt cæteris rebus propria ... homini hoc indidit officium, in quo ex... , sic
a Rom.1.20.
indeque cōscenderet ad Deum mente [a], qua illud non sine molestia laboris, & cum modicitate cōparabilis scientiæ. Hieronymus, Hugo Victorinus, aliíque, quos ante dixi Salomonem reprehendere immodicæ curiositatis, volūt his verbis eundē fateri, pœnā hanc quandā esse huiusmodi peccati tū in seipso, tū in aliis illius ipsius peccati, aut similium peccatorum, quòd occupationem talem dederit Deus, hoc est, permiserit, eo modo, quo Paulus Romanis scribit, quòd traditi sunt à
b Rom.1.28. & seq.
Deo quidam [b] in passiones ignominiæ, & in reprobū sensum, vt faciant quæ non conueniunt, & in desideria cordis sui, in immunditiam; &
c 2.Thess.2.10.
Thessalonicensibus [c], quòd mittet nonnullis operationem erroris, quia nimirū fecerunt illa, quæ hoc mererentur, sponte sua, & propria voluntate. Sic Anastasius [d] Nicenus hæc loca explicat, & similē ex Deuteronomio [e]; præterea Elias Cretensis [f]. Quamquam hac ex pœna, vt ait Hugo, intendat Deus, vel ex ista insipientia hominis, qui vagatur, distrahitúrque per res inanes, reditum ad sapientiam, & ad solidam, ac veram beatitudinē, quæ est in solo Deo. Hoc antē pacto licèt dicta curiositas inclinet magis ad malum, quia ad sciendū quę scire nō conuenit, vel etiam noxium est, & ideo sit peior, quàm occupatio in procurandis vitæ necessariis, quam vocat quoque Christus malitiam [g]; nihilominùs sub ratione pœnæ iusto modo non solùm permitti, sed etiam dari potuit à Deo, sicut Bonauentura, posteriorem secutus expositionem de reprehensione Salomonis, docet.

d q.38.in Script.
e c.29.4.
f in orat. Nazianz. in Cæsarium.
g Matth.6.34.

Ego verò adhæresçens priori sententiæ, arbitror solam à Salomone exponi vanitatem circa scientiæ studium, alioqui bonum, & per se à Deo datum; quoniam ei satisfieri non potest, sed nos ipsa eius vanitas, atque molestia, quæ honestè detinet, ac a vitiis abducit, perurget ad Deū, quem nō tam scientia physiologiæ assequimur, tametsi & hæc potest cōducere, quàm prosecutione studiosarum actionū, & vsu virtutū; quo pacto Socratem Galenus [h], vel Aëtius, vel quis alius, testis est, non refutasse partem philosophiæ naturalis, sed adiecisse rationalem, atque moralem, quas penitùs quidam, sola illa contenti, respuebant.

h lib. de hist. philosoph.

Nec verò fauet Salomon Academicis, nihil sciri, scire se profitentibus, ad verisimilitudinem quandam duntaxat procedere disputationes: vel Scepticis, ac Pyrrhoniis, qui æquè dubitant de omnibus; ac ne id quidem concedunt, aut etiam negant, an sciri quidpiam posset, an non. Præterea non iuuat hic locus eos, quos appellat idem Galenus Contentiosos, qui nihil aliud quàm se contendebant superiores cauillis. Potiùs Mixtos, partim scilicet Scepticos, partim ex genere Dogmaticorum, qui certa, stabiliáque placita pronuntiabant, Salomon recipit. Nam desperat omnium rerum obtineri notitiam exactam posse, non tamen negat multarum, quamuis multo cum labore. Lege Lactantium [i] contra Ciceronem, qui non modò ad sapientiam cœcus sibi videbatur, sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte

i lib.3.inst. c.24.

A cerni videntur, nubes, & obtusus. Non aliam habent intelligentiam omnes propositiones illæ in
a Eccle.3.11.
hoc ipso libro inferiùs [a]: *Cuncta fecit bona* (Deus) *in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum* (velut ænigma obscurum) *vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.* Rursus: *Et* [b] *intellexi quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole: & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minùs inueniat, etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* Talis superior sententia [c]: *Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone.* Quamquam ex his quædam possunt referri ad scientiam de diuinis consiliis, de qua plura sunt in
B aliis locis Scripturæ, tum in libro Iob [d] ex comparatione naturalium rerum, quas haud satis assequimur. Qui autem multas tum practicas, tum speculatiuas nosse certò ac euidenter solis fulti naturæ viribus res possimus, demonstrant Theologi disputatione de Gratia; & omnino nonnullam dari scientiam Philosophi tractatu de illa.

b ... 8.17.
c vers.8.
d c.36.24.& seqq.

Hanc occupationem.] Hebraicè (ענין *hhinian*) Græci omnes Interpretes præter Symmachum, qui (ἀσχολίαν) vertunt (περισπασμὸν) vetus reddit (*occupationem*) pro vt habet editio nostra, quod nomē respondet Græco Symmachi, & Chaldæo, quod Arias exponit *negotium*; tamen Hieronymus in
C commentario meminit alterius interpretationis Latinæ per *distentionem*, quæ exprimit vim τοῦ περισπασμοῦ, eo quòd, inquit, in varias sollicitudines mēs hominis distenta lanietur: hoc verò quoque nomine alibi [e] vtitur citans præsentem locum.
e epist.50.
Latè patet significatio verbi ענה *hhanah*, vnde dictum nomē Hebræum deriuatur. Propterea potest significare *occupationem*, siue *curam*, & *sollicitudinem*, *cogitationem*, seu *speculationem*, *consuetudinem*, vt notatur in thesauro linguæ sanctæ. Est propria hæc vox istius libri, in quo reperitur octo vicibus [f], nec alibi. Solent quoque Rabbini hoc nomine vti pro sensu, siue mente, & expositione, atque commentario alicuius sententiæ. *Occupatio*
f c.2.23.26.c.3.10.c.4.8.c.5.3.13.c.8.16.
D amplecti potest omnes illas notiones. Otium literarium dicitur, quia summum negotium est, externa negotia cætera respuens, & laxamenti quoq; indigēs; vnde σχολὴ, *schola*, vt ait Ausonius [g];
g Idyll.4.

Et cessare licet. Graio schola nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuantur vt otia Musis.

Pessimam.] Hebraicè, Græcéque est positiuum nomen duntaxat. Docui autem priùs hoc modo dici occupationem istam, non quia mala sit, & culpabilis, sed quia laboriosa, & molesta, vel sūmùm occasio quædam peccati, quia, inquit Lyranus, aliquando est impeditiua maioris boni, scilicet deuotionis, & orationis. Qua de causa nonnulli studium literarum fugerunt, vt de S. Benedicto Gregorius [h] innuit. Nō insolens sacris, profanísque *malum* pro laborioso vsurpare, vel
h 2 dialog. in præfat.
E *improbum* etiam. Sic Poëta [i]:
i 1.Georg.

——Labor omnia vincit
Improbus.——

& Christus [k]; *Sufficit diei malitia sua, κακία*, id est, vt exponit Tertullianus [l] *vexatio*, & *afflictio*; necnon in eum locum Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, & Augustinus [m]. Aliter admonet ibidem idem Hieronymus appellari pro κακία κάκωσιν: hoc autem etiam capite versu sequenti, dum exponit simile nomen רעות *rehhuth*, auctorémque citat Hebræum, quo vtebatur magistro; & ibi editio nostra habet

k Matt.6.34.
l 2.cōt.Marcio.c.14.
m 2. de serm. Domini in monte.

afflictionem,

a[fflictionem],vt videbimus. Lege eundem Hieronymum in Ioëlem [a], & Ionam [b], & epistola ad [A]mandum; Tertullianum [c] quoque, & Damascenum [d]. Indicat hic originẽ acceptionis nominis *mali* pro labore, ac dolore, re[s]pusve hæc inferentibus, quia opinione nostra habentur hæ res malæ, cùm sint bonæ: nam illud propriè malum, quod cum virtute, & voluntate Dei pugnat.

a in c. 1. b in c. 1. c 2. con. Marcion. c. 14. d [lib.] 4. c. 20.

Olympiodorus legens (*distentionem laboriosam*) obseruat, id ipsum nobis vtile esse, vt & quòd laboribus opes, voluptates, honores, & alia huiusmodi vana comparentur, ne in vitia effrenatiùs ruamus, & vt quando labores omnino vitare nequimus, hos insumamus potius in acquisitione virtutis, ex qua non punitio, sicut ex vitio, sed fruitio, voluptásque ineffabilis consequitur. Eandem expositionem indicat Thaumaturgi paraphrasis. Græcè πόνηρον, & πονῆρον pro *laborioso* vsurpantur, quod ἐπίπονον aliter dicitur: an & πονηρὸν sic etiam sit in vsu, non æquè constat: κακότητα Homerus dicit [e] *infortunium*, seu *calamitatem*. Hinc dies mali, & è contrario dies boni, vel etiam optimi: *bonitas* pro iucunditate: item plaga pessima, vulnus pessimum. Lege Riberã [f]. Otiosi homines, ac deliciosi, honesti otij, atque voluptatis ignari, literas omnes oderũt, ἀναλγάζουσι, καὶ ἀλγύνομαι, ob solum tædium laboris, quem scientiæ comparatio requirit. Hi sanè naturam humanam exuisse, aut ne induisse quidem videntur, cui est insita, vel potiùs innata cupiditas scientiæ, ita vt cum maximis curis, & cũ maximis laboribus compensari videatur ea quæ ex discendo capitur voluptas [g]. Sed habendus in hac breuitate vitæ, vbi ars longa, delectus, vt præcipit Seneca [h], eam iure scientiam carpens, quæ nos, vt ipse loquitur, speciosa rerum vanitate detinet, nec fortiorem quemquam efficit, vel iustiorem, vel liberaliorem: cæterùm ratione vacuam Fabiani dubitationem ait esse, an satius esset nullis studiis admoueri, quàm his implicari; sapientiæ enim otium, summum esse, & honestissimum negotium. Quamquam otiosi detrectant hoc otium propter difficultatem discendi, quam pueri præsertim experiri coguntur, vt de seipso narrat Augustinus in confessionibus [i], & de omni illâ ætate libris de ciuitate Dei [k], ita vt, inquit, ipsas pœnas pueri nonnunquam, per quas compelluntur discere, malint ferre, quam discere. Lucanus attingens varias causas fluxus, & refluxus, ac desperans exactè rem sciri posse, ait;

e Odyss. [5]. & 4.
f Ioel 2. n. 13. Apoc. 16 n. ...
g Cic. 4. & 5. de finib. & 1. officio.
h lib. de breuit. vitæ. c. 13. & 14.
i lib. 1. de ciu. k libr. 21. c. 14.

Quærite quos agitat mundi labor. ——

Possis huc aptare pœnalem sententiam vescendi pane in sudore vultus [l]; vocatur enim panis intellectus, vt & aqua sapientiæ [m].

l Genes. 3. 19. m Eccli. 15. 3.

Deus.] Hebraicè (אֱלֹהִים *elohim*.) Obseruatum est in præfatione, nunquam hoc libro, sed nec in Prouerbiis, vel Canticis vsurpare Salomonem Dei nomen tetragrammaton: neque tamen propterea suspectum haberi auctorem, vel opera.

Filiis hominum.] Non semper filios hominum in malam partem accipiendos in Scriptura, in bonã filium hominis, aliàs [n] quoque docui. Glossa interlinearis, Hugo Cardinalis, & quidam alij priorem sensum hîc sequuntur, nempe pro carnalibus.

n Act. 7. 55.

Vt occupentur in ea.] Hebræum verbum est illud ipsum, vnde dixi deductum nomen עִנְיָן *hhiniam*: Græcum autem περισπᾶσθαι, cui cognatum nomẽ περισπασμὸς, de quo etiam dictum est. Chald. (*vt*

A *affligerentur in eo*) negorio. Symmachus cum nomine τῆς ἀσχολίας iunxit verbum ἀσχολεῖσθαι, Hugo Victorinus videtur legisse (*vt distendantur.* Nã declarat hac occupatione distendi filios hominũ, exteriùs intumescendo, interiùs inanes euadẽdo: vt foris maiores appareant, interiùs soliditatem amittant, seipsos considerare non valendo. *Scientia inflat* [a], vt vtrem ac follem ventus.

a 1. Cor. 8. 1.

Vers. 14.] Vidi quæ fiunt cuncta sub Sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.

B PRæcedentem sententiam repetit, illã exemplo suo adhuc confirmando, & quod se proposuisse dixit, etiam præstitisse dicendo, conatu irrito, casso labore, exitu vano, ac nullo; imò verò præterea ob afflictionem noxio. Aliis placet sermonem esse non vt priùs de consideratione speculatiua, sed de praxi circa res agendas. Ita sentit Lyranus, Titelmannus, fauétque Hieronymus, vt paulo pòst videbimus.

Vanitas.] Aquila (ἀτμὶς, *vapor*.) Lege versum primum capitis huius.

Afflictio spiritus.] Bonauentura putat hoc referri ad præsentem sententiam, ita vt doleat Salomoni peruersorum desperata salus. Hugo Victo-C rinus, & Cardinalis voluit ipsam met afflictionem spiritus ad peruersos pertinere, qui cùm nõ corriganrur, eam experiendo, non percipiunt dãnum suum, nec indolescunt. Arbitror sententiam esse restrictam ad id genus rerum agibilium, ex quibus animus Ecclesiastis affligeretur, quasi ille difficultatem duntaxat declarare velit, quã ei in politica gubernatione facerent peruersi homines, de quibus versu sequenti. Hieronymus monens necessitate compelli se ad disserendum crebriùs de verbis Hebraicis, quia sensum non nisi per verba scire possumus, notat, vocem Hebraicã רְעוּת *rebhuth* ab Aquila exponi νομὴν, siue βόσκησιν, id est, *pastionem*: à LXX. non Hebræum, sed Syrum D sermonem exprimentibus, προαίρεσιν, id est, *electionem*: Rabbinum autem suum declarasse *malitiã*, vt est idem quod *afflictio*, vt versu præcedente dictum est, nimirum à רוע *rubh*, quod est *malè facere*, & *affligere*. Vetus Latina editio posuit (*præsumptio*:) electionẽ verò declarat Hieronymus, vt sit sensus, agere quemque quod velit, ac videatur, indéque vana cuncta deprehendi, dum inuicem nobis in bonorum, & malorum finibus displicemus. Eodem pacto Olympiodorus. Augustinus [b] autem legens *præsumptionem spiritus*, audaciam, ac superbiam intelligit in, vel ex appetitione rerum temporalium. Si *pastio* retinetur, significat cõsumptionem spiritus, qui curis exedatur, labore, stu-E dióque discẽdi superfluo. Chaldæa dictio תְּבִירוּת *theuiruth* significat *confractionem*: vulgò dicimus (*vn rompimento di testa*.) Nonnulli *spiritum* accipientes pro vento, vt notat Titelmannus, dicunt omnia vana esse, & inutilia, quo modo prorsus vanum est ventos pascere. Sic exposuit Rab. Abraham iuxta id Oseæ [c]; *Ephraim pascit ventos*, & in Prouerbiis [d]; *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos.* Vocat autem in præsenti loco Aquila cum addito νομὴν ἀνέμου, *pastionem venti*. Huc pertinet quod Apostolus dicit, scientiam inflare [e], & Christus [f] beatos pauperes spiritu, id est, iuxta quorumdam [g] expositionem, humiles, superbiæ vento minimè distentos. Con-

b 2. de ser. Domini in monte.
c c. 12. 1. d Prou. 10. 4.
e 1. Cor. 8. 1. f Matth. 5. 3. g Au[g]. 1. de serm. Dom. in mon.

cedo significationem *spiritus* pro vento, de qua alibi [a] egi, sed præfero explicationem Hieronymi suum secuti Hebræum magistrum, quæ placet quoque Albino,& aliis Latinis. Attamen non satis intelligo quando ad lectionem Syram LXX. respexerint, quæ in Ecclesiaste non est, quem interpretabantur. Scio præterea verbum רוע *rubh*, vel potiùs רָעַע *rahhahh*,aut רָעָה *rahhah* significare etiam *conterere*, & *confringere*,ad quod respexisse Chaldæus potuit, dum *confractionem* est interpretatus.Quia verò eadem verba significant quoque *affligere*, & *pascere*, inde natæ sunt aliæ versiones. Nam Rabbi Abraham accipit aliam explicationem pro *cogitatione spiritus*: Rabbi Salomon pro *contritione*, sicut versu decimoseptimo nomen רַעְיוֹן *rahheion*: ille verò, & Rabbi Dauid pro *cogitatione*. Sunt quoque quidam Hebræi qui docent voluntatē dici רע *rahh*. Suspicor qui hoc loco προαίρεσιν reddiderunt, רְצוּת *retsuth* pro רעוּת *rehhuth* legisse facili permutatione similium literarum צ & ע, à רָצָה *ratsah*, id est,*voluit*; quamuis illius nominis exemplum non reperiam,sed רָצוֹן *ratson*.Olympiodorus tametsi legit *electionem spiritus*, exponit tamen de animæ damnationē,quam illa præuia electione, certóque consilio vanis hic rebus dedita, sibi comparat: quem sensum nostra quoque lectio patitur,& similes aliæ,quamuis eum fortasse auctor per se nō intendit.Infert hinc Cyprianus [b], cœlestia tantùm, & spiritualia cogitare, nec attendere seculum eum, qui iam illi renunciauit. Cæterùm confractio spiritus,aut diuisio,denotat studia in contraria scissum [c], & vt Apostolus [d] scribit,diuisum sollicitudinibus;& vt Seneca [e], felicitatem per multa quæsitam,quæ se exagitat, & terebratam non in vno genere mouet, alios in cultum irritando, alios in potentiam, alios inflando,alios molliendo.

[a] Actor.4.

[b] libro 3. ad Quirin.c.11.

[c] Virg.2.Aeneid.

[d] 1.Cor.7.33.

[e] in excerptis.

Vers. 15.] Peruersi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.

VErsu priore dixi de connexione præsentis sententiæ, & sensu, nempe conqueri, non probare solummodo Salomonē de vanitate circa studium,& curam agendarum rerum, quoniā permultos expertus sit duros, & contumaces, quique simul prudentia vacui sint,nec alienis regi præceptis velint,& propterea etiam ipsi suammet vanitatem, & afflictionem spiritus in occupatione sua non persentiant. Fauet aliqua ratione Chaldaica paraphrasis, licèt respectum illum non exprimat ad rectorem,sed indefinitè loquatur de salute hominum secundùm se, à qua cùm adeò multi deficiant, magnum inde ducatur argumentum ad comprobandam vanitatem; quid enim magis vanum,quàm aberrare à fine? [Vir, cuius viæ rebelles,ait Thargum, sunt in hoc seculo, & moriuntur in eis, nec reuertuntur ad pœnitentiam, non est illi facultas corrigendi se post mortem suam, & vir deficiens in lege & præceptis in vita sua, post mortem suam non est illi facultas, vt numeretur cum iustis in Paradiso.] Hieronymus quoque sententiam eandem iuuat in sua illa multiplici secundùm modum, sed eadem secundum rem expositione, nimirum de improbis, quorum sit dux, & auctor diabolus, qui pœnitentiæ incapax in suo permanet errore. Putat Olympiodorus, si ex praua quorundam sententia loqui Salomonem velimus,quam præcedentibus verbis approbari, suspicari quis posset, sensum esse, quia vana sunt omnia, in quibus homines occupantur, res suapte natura, homines ve malos ac peruersos esse: aut ideo cuncta esse afflictionem spiritus, quia maxima est in iis corruptela, & innumerabiles defectus.

Legit Olympiodorus, eodémque modo Hieronymus, iuxta editionem aliam (*peruersum non poterit adornari*, seu *dirigi*, & *imminutio non poterit numerari*, siue *quod deprauatum est*, & *defectus.*) Docet verò argui illorum stultitiam vel exemplo Matthæi [a], qui de telonio ad Euangelistæ dignitatem vocatus est: Ait præterea, si ex sua Salomon sententia loquitur, verum esse quod asserit de eo, qui perdurat in vitio suo, quique dum ei gratia Dei deficit, ac proinde non pœnitet, inter pios nequit numerari. Hac ratione Chaldæus citatus exponebat.Denique & illos hîc impeti, qui sentirent mundum factum casu, & imperfectum esse; tunc autem sententiam cum interrogatione legi oportere hoc modo; Quidnam deprehenditur in hoc mundo, quod imperfectum sit,atque peruersum, vel ita vt emendari illud oporteat?quid verò etiam deficit in vniuerso mundo, vt addendum, annumerandúmque sit? Hieronymus hæreticos illos hinc ipse arguit, qui quasdam naturas introducerent, quæ non recipiant sanitatem: [Recta enim,inquit, ornatum recipiunt,& curua correctionem; nec peruersus dicitur, nisi qui deprauatus à recto est.] Non vacat hæc expendere, maximè cùm is,quem initio posui,sensus melior videatur,& nostræ versioni conuenientior, quæ de hominibus, non de rebus omnibus generaliter loquitur.Illum etiam indicat Lyranus,exponens peruersos difficilè corrigi per scientiam politicam à communitatis rectoribus, & illam, quæ ordinatur ad hoc, vt ciues fiant boni, & studiosi, habere effectum in paucioribus, ac proinde afflictionem annexam in regentibus. Nec displicet si dicas, reddi causam cur adeò multi res,quas dixerat vanas & molestas, studio persequantur, nempe quia sunt obfirmati in malo. At Nyssenus ait probari vanitatem esse ἐκ προαιρέσεως, *ex electione*, quia spiritus noster ab ornamento discedens factus est peruersus, & quod peruersum est,non poterit exornari,id est, non est conueniens naturæ à Deo exornatæ, ac veluti ad amussim directæ.

[a] Matth.9.9.

Augustinus [b] Parmeniano respondet obiicienti hunc locum, *peruersum non potest adornari* (sic enim ille paulo aliter legebat) vt probaret, qui malè credidit, non posse consequi Baptismum; sensum esse in proposita materia de Baptismo, quia ad ornatum non valet Sacramentum susceptum ei, qui in fide peruersa, in qua erat,cùm id suscepit,persistit, sed potius ad supplicium, cùm tamen ipsum Sacramentum per se etiam in peruerso, quem non ornabat, sed iudicabat,integrum permaneret; & ideo nullo modo esset illius Sacramenti violanda sanctitas, etiam cùm esset illius hominis corrigenda peruersitas.Illustrant hunc locū quę à Delrio nostro afferuntur in adagiis sacris [c] ex Aristophane [d], Galeno [e],Plutarcho [f].Primi sententia sic habet;

Οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν.

Non facies vnquam rectè procedere cancrum.

Secundus recitat ex quodam Comico;

Οὐδὲ στρεβλὸν ὀρθοῦται ξύλον.

[b] 2. cont.Parmen.c.16.

[c] com.2.adag.294.

[d] in Pace.

[e] 3 de pulsuū differ.

[f] de liberis educan.

Vel

Vel apud Suidam;

ξύλον ἄγκυλον, οὐδέποτ' ὀρθόν.

Lignum distortum nunquam fiet rectum.

Vltimus vsurpat similitudinem rotarum curulium, quæ magno semel labore intortæ, nullo pacto rectitudinem pristinam possunt recipere; & lituorum, quibus histriones in fabulis agendis vtuntur, quos semel curuatos nullo pacto licet dirigere.

Peruersi.] Hebraicè (מעות *mehhunath, peruersum*) participialiter, siue à radice עוה *hhauah*, siue à עות *hhuth*, id quod curuum est, & obliquis moribus, *διεστραμμένον.*

Difficile corriguntur.] Hebraicè (*non poterit*, id est, non potest, *ad corrigere, seu erigere, aptare, componere, in æqualitatem, rectitudinem, conuenientiam redigere*) hęc est enim significatio verbi תקן *thakan*, quod est proprium huius libri, nec alibi vsitatum; Græcè est *ἐπικοσμηθῆναι*. Rectè verò in editione nostra dicitur (*difficile*) nullius enim desperata, dum viuit, & impossibilis salus: nec insolens est, vt quod est difficile, dicatur impossibile. Hoc Messiam facturum prædixerat Propheta [a]: *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas*, hoc est, vitiorum inæqualitas ac repugnantia reducetur ad virtutis æqualitatem, vt exponit Euthymius [b], & Gregorius [c]; quem iuxta Græcum verbum, quod est hoc loco, aptè nominare possumus ornatum. Facessant ergo qui vel quædam hîc peccata remitti negant posse, vel nonnullos eò venire improbitatis, nulla vt ratione valeant resilire. Nec illos audiendos putamus, qui consequendæ iustitiæ ac saluti necessariam gratiam, quæ sufficiens vocatur, cuipiã deesse in hac vita sibi persuadent. Difficilè peruersi corriguntur, quia obdurantur à Deo, gratiam negante vberiorem, quia iustissimè illam demeruerunt, vt notant Augustinus [d], & Hieronymus [e], spernentes cũ in profundum peccatorum venerint [f]; & malitiam in naturam veluti verterunt, vt obseruat Theodoretus [g]: & à Satana captiui tenentur ad ipsius voluntatem [h], vt Origenes monet, & ab Angelis [i] minùs efficaciter iuuantur, vt videtur docere Basilius [k], iuxta illud Ieremiæ [l]; *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam*; sicut deseruisse templum ante excidium Angelos, prodit Iosephus [m], & Hieronymus [n].

a Esa. 40. 3. Luc. 3. 5.
b in Lucæ c. 3.
c homil. 20. in Euang.
d epist. 105.
e in Iere. c. 4.
f Prou. 18. 3. & epist. ad Eph. c. 4.
g in Iere. 13.
h 2. Timoth. 2. 26.
i ho. 6. in Exo.
k ho. in Psal. 33.
l c. 51.
m 6 de bello. c. 30.
n epist. 129 in Esa. 52. in Ezech. 11. & 41.

Et stultorum infinitus est numerus.] Hebraicè, & Græcè (*defectio, vel imminutio non poterit numerari.*) Stultorum plena sunt omnia, inquit ille [o]: & alius [p]; Stultitia maiore ex parte omnibus dominatur. Pythagoras malum dixit esse infinitum, & Plautus tanquam herbam irriguam succrescere. Numerari non posse, ac infinitum esse dicitur, quod maximam quandam multitudinem continet: sicut etiam ponitur multitudo pro infinitate. Defectio, aut imminutio Hebraicè חסרון *chesron*, Græcè hoc loco est *ὑστέρημα*, quod qui in Bibliis Regiis Latinè vertit editionem Græcam, reddidit (*posteritas*) non ita quidem bene, cùm propriè significet *defectum, inopiam, penuriam*, &c. & partes posteriores eius, qui deficit, vincitúrque: in illa verò alia significatione non ita cohæreat sensus. At Interpres noster stultos dixit, quasi quos deficiat sapientia, & vacui sint prudentia, & cerebro, vt vulgò dicitur, manes, quod significat nomen Syrum ריקא *raka* [q], & Hebræum נבל *nabal* [r]; & in Scriptura epithetum peccatorum, ac impiorum est, vt vocentur stulti, atque insipientes [f]; & qui de rebus perperam æstimant, abiicientes se ad contemptissimas: aut colunt idola, quæ sunt inania, & nihil: aut faciũt aliquid contra publicam honestatem: aut in agẽdo temerarij sunt, audaces, furiosi, quales nõ rarò qui opulentiores [a]. E contrario frequens est, vt sapientiæ nomine probitas intelligatur, ac sanctitas; & per ignorantiam, atque insipientiam, ac stultitiã, peccatu [b]: & Patres Gręci philosophiam pro arctiore viuendi genere inter Christianos vsurpant; & tritum illud, omnem qui peccat, esse quoque ignorantem. Defectus non potest numerari, id est, qui fuerunt aliquando in numero ouium sacri centenarij, ait Nyssenus [c], errando numerari desierunt: venit autem, qui perditam ouem reportaret in humeros Christus [d].

o Cic. lib. 9. epist. fam. in 22.
p Cleo. apud Dionem.
q Mat. 5. 22.
r 1. Reg. 25. 25.
f Deute. 32. 6. 21 Iob 2. 10. & 5. 2. Psal. 73. 18. Rom. 10 19. Iudith 19. 21. Ierem 19 21. Zach. 11. 15. Oseæ 9. 7. Ezech. 14. 4. Prouer 14. 1. 17. & 19 3.

A

a Luc. 12. 20. Iob. 15. 3.
b 1. Reg. 13. 13. 1. Par. 21. 8. Psal. 13. 1. Psal. 14. 7. Abac. 3. in titulo.
c hoc loco.
d Luc. 15. 5.

B

Nolo querelam hîc otiosè compescere accusantium naturam, seu naturæ auctorem nostræ Deum, quòd vnam condiderit humanam speciẽ inter alias, cuius plura, imò plurima aberrent à suo naturali fine indiuidua, & à rationis prosecutione, ad quam sunt naturalẽ inclinationem, & facultatem intellectus, voluntatisque cõsecuta. Nec refellam errorem dicentiũ, rectitudinem, cum qua Adam creatus est [e], ac sine qua modò nascimur post lapsum eius, naturalẽ esse, hoc est, debitã naturæ, quæque apta fuerit sequi ex ipsa natura bene constituta, & non corrupta post dictũ lapsum; ac proinde nobis modò deesse bonũ aliquod supernaturale, ita vt si reddatur, cẽsendũ sit supernaturale per accidẽs dũtaxat, vt cũ reddũtur oculi cœco nato. Alij pręterea prunę querelæ grauitatem augẽt, cùm negant aliter conditum Adam quàm nos, sed omnes cum iisdem prorsus naturæ proprietatibus. Disputant hæc hæresologi, maximè Bellarminus [f], & Scholastici. Natura ipsa hominis per se cõstãs ex carne, & spiritu, propensionẽ duplicem habet ad bonum spirituale, seu intelligibile, & ad corporale, siue sensibile. Cõpugnantiam istam, & languorẽ ortum ex ignobiliore parte sustulit Deus in principio per donũ supernaturale originalis iustitiæ: quamuis, pro vt iuuabat solùm ad opera naturalia, dici posset quodam modo naturale [g]: præscindo enim à gratia sanctificante. Adã peccãdo, se, nósque tali dono expoliauit, vt quæ fuisset antea pura negatio, & ex sola naturę conditione proueniens, nec à Deo intenta, nisi per accidẽs, nunc sit priuatio, ac peccati effectus, atque, vt Theologorum more loquar, pœnalitas, & Deo, qui donum suũ iustè abstulit, nunc magis inuisa, quòd priùs per id donum ablata, redierit, seu quia aduenerit per peccatum. Solet Augustinus [h] accusatoribus naturæ nostræ opponere peccatũ originale; quoniam quem fecerat Deus in prima conditione hominem felicissimum, inobedientia Adami reddidit miserrimum. Hunc effectum viderunt Ethnici, qui naturam nouercam vocabant [i], causam ignorantes, vt ait idem Augustinus [k]. Iidem si scirent aduersùs naturale vitium præstò esse diuinum auxilium, nec nisi à liberis actualiter peccari, qui virtutem malle possunt ac debent, queri desinerẽt, ac mirari, stultorũ atque improborum numerus, vt corporis ærumnas taceam, de quibus accuratè Bellarminus [l], cur sit tantus. Nam qui ex Philosophis minùs aberrauit à scopo veritatis Plato [m], hominẽ per corpus fieri beatum posse tradit, esseque omnium animalium felicissimum. Lege Theodoretum [n]. Arguit hominis dignitatem, quòd pendeat peculiari quodam modo magis à Deo, quàm res aliæ

C

D

E

e Eccle. 7. 30.
f lib. de grat. primi hominis.
g Andre. Vega 5. in Cõc. Trid. c. 11. & Bellarmi. supra c 5.
h 4. con. Iul. c. 12 2. de pec. cat mer. & remiss. c. 22. 14. de ciuit. c. 17
i Cicer. 3. de Repub. apud Aug 4. cont. Iulia. c. 12.
k 4. cont. Iulia c. 12.
l libr. 4. de amiss. gra. c. 9. & seq.
m 3. de Repu.
n 5. ad Græcos.

A inferiores, quæ sunt in agendo magis limitatæ: sicut & quòd eiusmodi finem habeat (si visionem ipsam Dei naturaliter eum appetere concedamus) quem solis naturæ viribus consequi non possit. Quamuis quoniam talis beatitudo est improportionata, potuit Deus nolle media ad illam dare, sed naturalia secundùm proportionem ad naturalem.

Posset hîc demum quæstio proponi de numero electorum, & reproborum, vter maior sit. Sanè quidem horum esse maiorem innuit præsens locus, & Christus ipse nec ratò, nec obscurè, docens multos vocatos, paucos electos [a]; & per arctam viam, portámque angustam paucos intrare [b]; B nec regnũ cœlorum obtineri nisi à rapientibus illud violentè [c]. Amicos Dei Dauid dinumerans, canit multiplicatos super arenam [d]: & Ioannes eorum turbam vidit adeò magnam, vt eam dinumerare nemo posset [e]. Finitus vtrorúque numerus, at nobis ignotus: quamuis illorum, quàm horum maior. Albinus illud (*dinumerabo eos*) exponit Sanctos, quorum sit numerabilis, id est, numero digna multitudo (*super arenam*) stultos, qui arenæ comparantur, & quorum congregatio indigna sit numero. Citat ex Genesi [f] promissum Abrahæ factum de semine multiplicando in morem stellarum, & instar arenæ, hoc est, tum de Sanctis (*numerat* enim Deus *multitudinem stellarum* [g]) C tum de peccatoribus, de quibus dicitur, quòd perdentur de terra [h]. Docuit hoc ipsum Rupertus [i]; Rabbi quoque Salomon in Genesis caput 13. Non me fugit, plerísque placere mysticum illum de arena, vel puluere, vel stellis sensum [k]: nec displicet mihi, dummodo simplex ac literalis præferatur; quo sensu etiam ad amicorum Dei numerum arena applicatur citato Psalmo [l]: alioqui, si Albinum sequimur, in historico sensu dicere cogimur superare Sanctos multitudine, quod non est verisimile. Lege, si placet, Interpretes etiam Apocalypsis, vt ex nostris Riberam, & Viegam, & B. Thomam [m], qui exponit quo pacto dicatur à Deo prædestinatorum initus, cognitúsque numerus, non ita re- D proborum. Certum est, tum etiam comparationem cum arena fieri, quando de maxima Hebræorum multitudine sermo est in bonam partem [n], quia vt multitudo exaggeretur tali comparatione, ratio non habetur vilitatis arenæ, sicut neque celsitudinis, nobilitatísque stellarum. Exemplo sit profanus quoque Poëta [o]:

Tot mala sum passus, quot in æthere sydera lucent,
Paruáque quot siccus corpora puluis habet.

Conatur Eugubinus [p] Cottæ apud Ciceronem argumentum contra prouidentiam dissoluere, quòd cùm tantus sit numerus stultorum, non videtur à Deo mundus factus propter istos, ac proinde casu extitisse, non ab illo. Contendit ostendere, magnam proborum omni ætate mul- E titudinem fuisse; maximam peccantium multitudinem pœnitere; paucos prodigiosè malos esse; longè paucissimos, qui si deprauatissimè viuãt, non denique Deum quoquo tempore agnoscant, & fateantur. Feliciùs alia succedit Eugubino respondendi via, donando plures improbos esse, pluris autem Deo vnum probum mille improbis. Numerum hunc stultorum infinitum agnouerunt etiam profani, vt Simonides apud Platonem [q], τῶν ἠλιθίων ἀπείρα γενέθλα, & Clemens [r] Alexandrinus recitat ex alio, omnes homines malos esse, vel plurimos: idémque sen-

a Matth. 20. 16. c. 22. 14. c. 24. 24.
b Matth. 7. 13.
c Matth. 11. 12.
d Psal. 138. 18.
e Apoc. 7. 9.
f Gen. 13. 16. c. 15. 5. c. 22. 17. c. 26. 4.
g Psa. 146. 4.
h Psal. 33. 17.
i 5. in Genes. c. 20.
k apud Pererium in c. 13. Genes. vers. 16. & c. 15. disp. 1.
l Psa. 138. 18.
m 1. par. q. 23. art. 7.
n Num. 25. 10. Osee. 1. 10.
o Ouid. 1. Tristium eleg. 4.
p 7. de perenni philosophia. c. 7.
q in Protagora.
r 3. Strom. c. 6.

A tit Seneca [a]. Plautus in Trinummo mores bonos intermortuos ait, mores malos, quasi herbam irriguam succreuisse vbertimè. Id voluit Christus, dicendo per viam latam intrare multos: [b] multos vocatos, paucos electos [c], & pusillum gregem, cui complacuit Patri dare regnum [d]: vt etiã animaduertit apud Cassianum [e] Pinuphius, & Climacus in gradu de discretione. Est virtus quidem secundum ratioñe, & tam secundùm naturam humanam, vt ratione prædita est, quàm naturale est oculis cernere, ambulare pedibus, manibus hoc, illudve operari, vt prodidit Philosophus [f], & Angelicus Doctor [g]. Sed maximè familiare sensibile bonum, notúmque maximè: B maximè etiam mouet, & allicit vehementiùs: præterea mox suam secum aduehit voluptatem; virtus amaritudine permiscetur, vt egregiè philosophantur Lactantius [h], & Chrysostomus [i]; deinde sensibilis voluptas innascitur, adhærescit, augetur, alitur iam inde ab infantia, vt Deus ipse testificatus est [k], non Aristoteles [l] tantùm cum Eustratio interprete: adhæc dira nobis pugna cum dæmonibus fortissimis aduersariis [m]: sunt item per se difficilia quæ pulchra, iuxta parœmiam, & arduus ad virtutem callis, pronus, præceps, facilis ad vitia descensus, vt Plato [n] disserit, Seneca [o], Cyprianus [p]. Acutè, ac verè Socrates iactanti mulierculæ, quòd ille à suis nemi- C nem, facilè ipsa suos ab eo abducere posset nullo negotio, respondit nihil mirum; quoniam illa quidem è loco decliui, ac præcipiti deturbaret; ipse autem ad summum, quóque arduus esset ascensus impelleret. Legatur eadem de re Nazianzeni [q] elegans dissertatio. Denique medium tenere, & à scopo non aberrare difficillimum, & nec ad dexteram declinare, nec ad sinistram [r], atque non in circuitu ambulare [s]; ac exire de centro: & nihilominus Deus secundùm multitudinem iudiciorum suorum multiplicat filios hominum [t], id est, sinit excrescere multitudinem eorũ penè in infinitum, vt sit stultorum infinitus numerus. Existit hoc vnum diuinæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis argumentum singulare, quòd D præuisa tot stultorum ingratitudo non retrahat illum ab ipsorum creatione, vtque illis benignè faciat. Tantùm abest, vt Cotta, de quo priùs dixi, debuerit argumentari apud Ciceronem [u], non videri à Deo mundum factum siue propter stultos, tam malè de ipso meritos, siue propter sapientes tam paucos. Consule quoque Petrum Bongum in opere de mysteriis numerorum cùm de 28.

At enim sententiam istam nostram de stultorum numero infinito præter ea quæ initio attuli, confirmat Bias apud Laërtium dicens τοὺς πλείστους κακούς, *plurimos esse malos*; Cicero [x] rursum, deteriorum magnam nationem, bonos singulares. Cecinit & id in Satyra Iuuenalis [y],

E ——— *& Catilinam*
Quocumque in populo videas, quocumque sub axe,
Sed nec Brutus erit, Bruti nec auunculus vsquam.
Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

Tale illud Luciani [z], οἱ ἀγαθοὶ δυσεύρετον χρῆμα, καὶ πρὸ πολλοῦ ἐκλελοιπὸς ἐκ τοῦ βίου, ὅπερ οὐδ᾽ ὁ λυγκεὺς ἂν ἐξεύροι ῥᾳδίως, ἀμαυρὸν οὕτως καὶ μικρὸν ὄν· καὶ γὰρ οἱ ἀγαθοὶ ὀλίγοι εἰσίν: *Boni, possessio est, quæ haud facile inueniri potest: vt quæ iamdudum è vita excesserit; adeò obscura atque pusilla, vt illam vel lynceus vix dum inueniat: etenim boni pauci sunt.*

a de vita beata c. 2.
b Matth. 7. 13.
c c. 20. 16. c. 22. 14.
d Luc. 12. 32.
e 4. de inst. c. 39.
f 1. Eth. c. 7. lib. 2. c. 1.
g 1. 2. q. 94. a. 3.
h lib. 1. c. 1.
i ho. 17. in 1. ad Cor.
k Gen. 8. 21.
l 2. Eth. c. 1. & 3.
m Eph. 6. 12.
n in Hippia maiore.
o epist. 77.
p de operib. card. in prol.
q orat. 1. apolog.
r Iosue 1. 31.
s Psal. 11. vlt.
t ibid.
u de nat. Deo.
x lib. 7. epist. ad Attic. epist. 7.
y Saty. 13.
z in Timone.

Vers. 16.] Locutus ſum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus ſum,& pręceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante mę in Ieruſalem,& mens męa contemplata eſt multa ſapienter,& didici.

HVgo Victorinus perſiſtens in epanorthoſi Salomonis, agnoſcit in hac ſententia elationém animi, quòd ſibi præceſſores in Ieruſalem,tametſi paucos illos,nec adeò magnos,poſtponat,& ſucceſſoribus inſigni futurum exemplo præſumat; tamen nonnihil remiſiſſe, quòd iam non,vt priùs,omnia, ſed multa duntaxat cótemplatum ſe ſapienter dicat. Maiim hæc dicta ab Eccleſiaſte non iactanter, ſed ad faciendam fidem ex auctoritate,ſicut iam inde à verſu 12.& ex proprio experimento,vt confirmet verum eſſe quod protulit de afflictione ſpiritus in conſideratione,& cogitatione rerum potiſſimùm practicarum. Fauet Bonauentura,Lyranus, Carthuſianus, & alij, aliáſque docui quo pacto honeſtè laudes proprias narrare poſſimus, & [a] exemplo poſſunt eſſe præter ibi allata Paulus [b], & Dauid [c].

a Act.20. b Rom. 8. 18. 23. c 1.Paralip. 17.16.& ſeqq.

Locutus ſum in corde meo.] Loqui aliquis dicitur in corde ſuo, inquit Olympiodorus, cùm mentem ad cogitandum applicans, ſecum diſputat, & ratiocinatur. Occurret hæc formula non raró in Scripturis, velut etiam dicere in corde [d]; parúmque differt,loqui in lingua [e],id eſt,apud nos ſubmiſsè: præterea, ponere cor in aliqua re, vel aliquid in corde, eſt attentè conſiderare: dicere intra ſe, & apud ſe, eſt interiùs loqui, verſari in aliqua cogitatione. Sed & interdum dicere abſolutè poſitum habet eandem ſignificationem, vt cùm de Iob [f] ſcribitur, quòd *dicebat: Ne fortè peccauerint filij mei:* & quod in libris Regum habetur [g] de Saule; *miſsus eſt percutere Dauid*, Hebraicè eſt, *dixit*; & in epiſtola ad Romanos [h], *dicentes ſe eſſe ſapientes*, id eſt, cogitantes, & cenſentes. Docet id Auguſtinus [i], & aliquot aliis exemplis confirmat, ſimul oſtendens vſurpari verbum *dicendi* de nutibus & ſignis, quæ nó ſunt voces, vt apud Ioannem [k]: *Innuit Simon Petrus,& dicit ei; Quis eſt de quo dicit?* Hoc loco pro (τῇ καρδίᾳ) Symmachus, & Aquila legunt (μετὰ τῆς διανοίας μου.)

d Pſal.13.1. Eccl.2.1.c.3. 17.18.&c. e Pſal.38.5. f Iob.1.5. g 1.Reg.21. 16. h Rom. 1.22. i 15.de Trinit.c.10. k c.13.24.

Ecce.] De hac dictione alibi [l] dixi.

l Act.2.10.

Magnus effectus ſum.] Græcè (ἐμεγαλύνθην) Hebraicè (*magnum feci meipſum,* הִגְדַּלְתִּי *higdalthi.*) Sed actiuam etiam ſignificationē habere poteſt non ad ſeipſum, ſed ad ſapientiam hoc ſenſu (*magnificaui, & addidi ſapientiam ſuper omnes, &c.*) Ita quidem Chaldæus (*ego auxi, & addidi ſapientiam, &c.*) Verbum quoque ſequens Hebræum הוֹסַפְתִּי *hoſaphthi* eundem ſenſum poteſt habere: Nihilominùs defendendus Interpres, & Septuaginta, quibus non repugnat Hebræus textus; & meliùs ille,quia Salomon non tam ipſe magnum fecit ſe,quàm factus à Deo eſt.

Magnus.] Potentia, diuitiis, ait Hugo Cardinalis; famoſus, potens, opulentus,& præſertim ſapientia eminens aliis,inquit Carthuſianus; Bonauentura de fama ſola intelligit. In hiſtoria Regum [m] proditur de Salomone, quòd *magnificatus eſt ſuper omnes Reges terræ diuitiis, & ſapientia, & vniuerſa terra deſiderabat vultum eius.* Iob etiam vocatus eſt magnus inter omnes Orientales [n], ſiue

m lib.3. c.10. 23. n Iob.1.3.

A propter nobilitatem; nobiles enim Græci vocát μεγιστᾶνας, & verſio Græca Marci [a], pro qua Latinè eſt, *Principes:* ſiue propter celebritatem nominis [b]: ſiue propter eximium honorem ipſi habitum [c]: ſiue propter ſapientiam ſingularem; vnde & mox explicationis gratiá hîc de Salomonè dicitur (*& præceſſi omnes ſapientia, &c.*) dicuntúrque paruuli & diligere infantiam [d],& pueri ſenſibus qui non ſapiunt [e], vel qui ſapiunt,loquuntúrque,& cogitant vt paruuli [f]: ſiue propter diuitias [g]. Hæ omnes cauſæ Salomoni optimè cóueniunt,vt magnus effectus pronuncietur. Attribuitur Deo ſæpe magni titulus abſolutè,ratione proculdubio non molis, ſed virtutis [h], & perfe-

B ctionis: Chriſto [i] item,& Ioanni Baptiſtæ [k]. Sol & Luna vocantur luminaria magna [l], quæ tamen mole ſunt minora multis ſyderibus, ſed efficacia ſuperant. Proditum eſt ab Herodiano [m] Regem Parthorum Artabum Regis magni titulo primum appellatum, duplicíque diademate vſum. Idem poſtea titulus ad reliquos Perſarum Reges, teſte Platone [n], & Plutarcho [o] deriuatus eſt: ſimúlque ad Medos cum Perſis, vt meminit idem Plutarchus [p]; & prætetea Arrianus [q], Dio Chryſoſtomus [r], Briſſonius [ſ]. Vocatum quoque legimus in diuinis literis Aſſyrium Regem magnum [t], & Chaldæorum [u]. Salutationem Vaphris Regis Ægypti,& Suroris Tyri in literis ad

C Salomonem cum titulo Regis magni eidem attributo,recitat Euſebius [x] ex Eupolemo. Eadem vis, & ratio de titulo Regis regum, quem de Parthis refert Plutarchus [y], Suetonius [z], Dio [a]: de Perſis Ammianus [b],Capitolinus [c], ſacra Scriptura [d]: de Ægyptiis Diodorus [e]: de Troianis Strabo [f],& Cicero [g]: de Armeniis Plutarchus [h]: de Orientalibus in vniuerſum Plinius [i]. Notata ſunt iſta à Pineda [k] noſtro,qui & ita cognominatú Iobum, atque Salomonem docet:& de hoc quidem adhuc probat ex Prouerbiorum [l] libro, ac Sapientiæ [m].

a c.6.21. b 2. Reg.7.9. c Exod.11.3. d Prou.1.22. e 1.Cor.14. 20. f 1. Cor.13.11 g Gen. 26.12. h 1.Reg.15. 13. i Luc.1.32. k ibid.15. l Gen.1.16. m lib.6. n 3 de legib. o in Pompeio & in apoph. Lac. p de fort.Alex. q lib.6. r orat 3.de Regno. ſ de Regno Perſarum. t 4.Reg.18. 29. u Iudith 3.2. Eſther 1.2.c. 13.1.c.16.1. x 9.de præpa. c.vlt. y in Pōpeio. z in Caligul. c.6. a in Auguſt. b lib.17. c in Sapore. c.24. d 1. Eſd.7.12. Daniel. 2.32. e lib.2.c.1. f lib.12. g lib.9. epiſt. 14. h in Lucullo. i lib.30.c.1. k 5.de reb. Salom. c.1. & in Iob.c.1. verſ.1.n.17. l c.8.15. m c.8.14.15. n c.vlt. o proœm. in Cant. p 1.Strom.

Præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Ieruſalem.] Dixi in præfatione [n] de Salomonis ſapien-

D tia,fueritne maior, quàm præceſſorū ipſius. Inde docet Origenes [o] philoſophiam ſuam Grçcorum ſapientes hauſiſſe, quippe poſteriores, vt oſtendit Clemens Alexand.[p]. Hoc quidem loco eos tantùm nominat qui fuerunt in Ieruſalem. Præterea obſeruant Hugo Cardin.& Carthuſianus, ſecundùm ſapientiam, quæ eſt vnum de ſeptem ſancti Spiritus donis, maiorem fuiſſe Dauidem,quàm Salomonem,quia ſanctior fuit,non autem vt eſt donum gratis datum, & dici poteſt ſcientia non ſidei,ſed rei. De priori ſapientia exponit Hugo verba Pſalmi [q]: *Super ſenes intellexi*; de poſteriori concedit tandem quòd Salomon præceſſit omnes alios ſapientes.

q Pſ.118.100.

E Pro verbo (*præceſſi*) Hebraicè eſt (*addidi*) vt antè monui, Græcè (προσέθηκα) quod idem valet,ſicut & Chaldæum verbum, idem ferè ac Hebræum (*adieci ſuper alios.*) Symmachus autem legit (ὑπερέβαλλον σοφίᾳ, *superexcedebam ſapientia*) ad quam lectionem verſio noſtra accedit. Olympiodorus ait hoc verbo ſignificari, profectu magno auctam in eo fuiſſe ſapientiam. De hac ſapientia mentio eſt in hiſtoria Regum [r],& in Paralipomenis [ſ],& in Sapientia [t],& in Eccleſiaſtico [u]. Dauid ſub mortem laudauit ſapientiam filij ſui Salomonis [x]. Hic optionem habens à Deo quid peteret, petiit cor docile ad regendum [y], ſiue ſapientiam,& intelligentiam [z]: Deus dediſſe

r 1.Reg.2.6.9. c.3.9.12 c.4. 29.& ſeq. ſ 2.Par.1.12. t c.7 & ſeq. u c.47.16.& ſeq. x 1.Reg.2.6 9. z Para.1.10. y 3.Reg.3.9. z 2.Par.1.10.

A dicitur cor ſapiens, & intelligens, vt nullus ante ipſum ſimilis fuiſſet, nec poſt eũ futurus eſſet [a], quamuis autem in Paralipomenis hoc vltimum videatur ad diuitias referri [b]; in hiſtoria Regum [c] de vtriſque vtrumque diſtinctè dicitur. Poſtmodum narratur ſapiens illud iudicium de meretricibus [d]; vnde iudicauit populus, ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium [e]. Deinde ſcribitur ſapientiam habuiſſe omnium Orientalium,& Ægyptiorum,& ſapientior fuiſſe Ethan Ezrahita,& Heman,& Chalcol, & Dorda filiis Mahol; locutus tria millia parabolas, carmina eius fuiſſe quinque & mille: diſputaſſe de plantis,iumentis,volucribus,reptilibus, piſcibus: B veniſſe de cunctis populis,& ab vniuerſis Regibus terræ ad audiendam ſapientiam eius [f]: mentio etiam eſt Hiram Regem Tyri iudicaſſe illum ſapientiſſimum [g]: Reginam verò Saba veniſſe,vt eum audiret,ac ſtupefactam rediiſſe [h]. Præterea liber Sapientiæ [i], qui ſi non Salomonis eſt, de ipſo ſcribere cenſetur, tradit ſciuiſſe diſpoſitionem orbis,virtutes elementorum, initium, conſummationem, & medietatem temporum, viciſſitudinum permutationes,& cõmutationes temporum:anni curſus,& ſtellatũ diſpoſitiones: naturas animalium, & iras beſtiarum: vim ventorum,& cogitationes hominum: differentias virgultorum, & virtutes radicũ:& quæcunque ſunt C abſconſa,& improuiſa. Adhæc, eſt in eodem libro [k], ſciuiſſe præterita, & de futuris æſtimaſſe: verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum:ſigna,& monſtra,antequam fiant,& euentus temporum,& ſeculorum: ſubdit liber idem [l] variam gubernandi peritiam. Eccleſiaſticus [m] ait repletum eſſe vt flumen ſapientia: repleſſe in comparationibus ænigmata,in quibus,& in cantilenis,& prouerbiis,& interpretationibus,miratæ ſint terræ. In Eccleſiaſte noſtro [n] dicitur ſapientiſſimus,& compoſuiſſe parabolas,& ſermones rectiſſimos,veritate plenos. Ioſephus [o] non aliter deſcribit ſapientiam Salomonis, prodens & ſcientiam exorciſmorum. Deſcripſiſſe quoque D templum,& neceſſaria ad cultum eius, innuunt Paralipomena [p]. Lege Sixtum Senenſem [q].

a 3. Reg.3.12.
b 2.Par.1.12.
c 3. Reg.3.12. 13.
d 3.Reg.3.16.
e 3.Reg.3. 28.
h 3.Reg.4. 29.& ſeq.2. Par.9.23.
g 3.Reg.5.7.
h 3. Reg.10.2. Paral.9.
i c.7.17.& ſeqq.
k c.8.8.
l c.8.9 & ſeqq.
m c.47.16. & ſeqq.
n c.12.9.10.
o 2.Anti. c.8.
p 2.Par.35.4.
q 2.Bibliot. verb.Salomon.

Ex his omnibus colligitur, ſapientiã & ſcientiam Salomonis fuiſſe ex genere ſuo naturalem, & per accidens infuſam. Talem autem nõ fuiſſe, vel non tantam in aliis,facilè concedi poteſt;excepto Adam, quia erat caput generis humani, & Chriſto, ac matre eius, propter honorem filij. Abraham, Moſes, Prophetæ, Ioannes Baptiſta, Apoſtoli habuerunt, vt dictum eſt,vel dona Spiritus ſancti maiora,quę comitantur gratiam ſanctificantem, vel dona gratis data, vt prophetiæ, quæ non conſiſtit in habitu:vel illuſtrationes, ac motiones quaſdam diuinas, atque inſigniores E fructus Spiritus ſancti. At in illis non fuiſſe rerum naturalium,& ciuilium peritiam tantam,bene probat Abulenſis [r], quia Moſes, verbi gratiâ, gubernationis molem ſolus per ſe ferre non poterat [ſ], & de multis ciuilibus quæſtionibus dubitabat,quæ non erant adeò difficiles [t]:& eruditus quidem eſt omni ſapientia Ægyptiorum, vt dixit Stephanus [u], nóſque cum eo demonſtrauimus: Ægyptiis tamen ſapientior Salomon,vt etiã dictum eſt. Quare non placet idem Abulenſis, quatenus nec excipit Adamum,nec B.Virginem, quantum ad cognitionem videlicet rerum naturalium. Si qui alij præferunt alios, & ſolùm de iis,qui fuerunt ante Salomonem in Ieruſalem in-

r 3.Reg.3.7.
ſ Num.11.14. Exod.18.14.
t Num.27 1. & ſeq.&c.vlt. 1.& ſeq.
u Act.7.22.

A telligunt, & quidem etiam de Regibus, vt videtur velle Hieronymus,& quos citaui capite vltimo præfationis, ac Lyranus [a], exponendi de diuina ſapientia, prophetia,& ſimilibus donis: ita tamen vt hæc Salomoni hæc defuerint, licèt non in tanta copia.Scripſit enim Pſalmos,qui gerunt in Pſalterio titulum ipſius, vt ſentit Hieronymus [b], & alij:in Prouerbiis quoque, Eccleſiaſte, Canticis, prophetat Chriſtum, vt ait Auguſtinus [c], & Lactantius [d].

Porrò Hieronymus,aut qui auctor eſt quæſtionum, ſiue traditionum Hebraicarum [e], per Ethan,quo Salomon ſapientior dicitur,interpretatur Abraham, per Heman Moſem,per Chalcol B Ioſeph, per Dorda tribus duodecim, per Mahol Iacob.Sed conſtat nomina hæc eſſe virorum,qui ætate viuebant Salomonis, vt Ioſephus tradit [f], vel in Ægypto vaticinati ſunt, vt eſt in Seder Olam rabba [g]; vel potiùs erant ex Leuitis tempore Dauid: Pſalmus enim 88. habet titulum Ethan: de Heman ſcribitur in Paralipomenis [h]. Verus etiam Hieronymus ac indubitatus commentario in Epiſtolam ad Epheſios [i] ſcribit,ſicut non omnes vt Salomon de naturis beſtiarum, aliarúmque rerum naturalium ſunt locuti,ſic illum non ita forſitan, vt Moſem, vidiſſe omnes ſpecies victimarum,& culturæ Dei, nec ei facie ad faciem locutum Dominum,nec vaſorum tan- C tam vel habuiſſe, vel intellexiſſe ſupellectilem: Apoſtolos myſterium Chriſti magis notum habuiſſe,quàm Prophetas,quamuis hi quædam habuerint,quæ non illi. Itaque velle videtur Hieronymus,quod ipſi diximus, diuina ſapientia ſuperatum ab aliquibus Salomonem, naturali ſuperaſſe alios, pro vt ſentire Hugonem Cardinalem dixi,& Carthuſianum: Patres,vt Nazianzenus,& Ambroſius, vocare ſolent ſine reſtrictione Salomonem omnium ſapientiſſimum:Ludouicus Viues [k], omnium mortalium. Pererius in Geneſim [l], ſapientiam pro dono Spiritus ſancti concedit in aliis maiorem, vt in Apoſtolis: item pro ſcientia tum acquiſita, tum infuſa etiam in D Doctoribus Eccleſiæ:pro ſcientia morali,& ciuili maiorem in Salomone, quàm in Adam. Duo prima concedo; de poſterioribus aio eandem rationem eſſe debere, cur ſi Adam excellat, excelluiſſe dicatur,nempe quia caput,& magiſter generis humani,quod per 900. & eo ampliùs,quos vixit annos,valdè multiplicatum oportuit. Poſſumus & Rab.Moſem [m], dum legiſlatorem præfert Salomoni,de diuiniore ſapientia intelligere. At Ioannes Cognatus [n] excuſari non poteſt,cùm ſimpliciter docet,ſapientiam Salomonis ciuilem comparatam duntaxat cum Regibus præceſſoribus, & ſucceſſoribus, doctrinam reliquam cum hominibus aliis. Ioannes Ludouicus Viualdus [o] E excipit Adam, Abraham, Moſem, Ioannem Bapriſtá, Apoſtolos. Hoc loco Thaumaturgus nullum excipit:Caietanus item,quantum ad ſapientiam humanam; in Dauid cuim diuinam maiorem fuiſſe. Sed quod veroſimilius duco,dixi.

a 3.Reg.3.
b epiſt.ad Sophron.
c 17. de ciuit. Dei.c 20.
d lib.4.c 6.
e tom 3.in 3. Reg c.4.
f 8.Antiq.c.2.
g c.20.
h lib.1.c.25.1. & ſeq.
i lib.2.in c.3.
k in 18.de ciuit. Dei c.20.
l tom.e. lib 5. diſp.de ſcientia Adam.3.
m 3.doctoris. 55.
n lib de proſperitate Salomonis.c.5.
o lib de magnificẽtia Salomonis. c.de ſapientia.

Mens mea.] Hebraicè, & Græcè,& Chaldaicè (*cor meum:*) ſed *cor* pro *mente* frequenter ſumitur.

Contemplata eſt multa.] Temporalia, inquit Hugo Cardinalis: de Deo, de creaturis, de Chriſti myſteriis, inquit Carthuſianus: multa,non omnia,inquit Hugo Victorinus, quaſi nunc meliùs loquens quàm antea, cùm dixerat omnia.

Sapienter.] Per diuinam reuelationẽ, ait Hugo

Cardinalis, & Bonauentura, & Carthusianus, id est, per scientiam infusam: vel, vt etiam primo placet, subtili, & magistrali inquisitione, qua inquiritur propter quid, & cognoscitur ex causis, & ex propriis. Hebraicè, & Græcè est (*cor meum vidit multa, sapientiam, &c.*) Chaldaicè (*magnitudinem sapientiæ.*) Non discrepat sensus.

Et didici.] Omnes aliæ editiones habent (*& cognitionem.*) Hugo Cardinalis exponit de vsu ipso, quo augeretur vtraque scientia, tum infusa humana, id est, per accidens infusa, tum acquisita: Carthusianus, quia ex infusa profecit, & acquisiuit maiorem: Bonauentura de illa, quam docuerût ipsum homines, vt pater & mater, quemadmodum ipsemet testatur [a], iam inde à primis annis, & colligitur ex historia sacra, quæ bis meminit moraliter institutum à Dauide sub mortem [b]: quamuis credendum sit pluries id parentes fecisse; optimum profectò exemplum pro cæteris vel parentibus, vel liberis, vt sapientiam ac virtutem illi diligenter doceant, hi studiosè discant, *Audi*, ait ille ipse, qui iam id executus fuerat, *fili disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ* [c]. Sanctum Ludouicum Gallorum Regem mater Blanca piè instituit: Emmanuel Palæologus Imperator Ioannem filium scriptis editis, necnon Basilius filium Leonem: hic in vltimo præcepto [d] cum primis hortatur ad lectionem nostri Salomonis, & Sapientiæ Iesu Sirach, atque etiam inter Gentiles auctores Isocratis; Æneas Ascanium filium ita conuenit:

Disce [e] *puer virtutem ex me, verûmque laborem,*
Fortunam ex aliis. ————

Cornelia vidua mater duodecim liberorum ex Tiberio Graccho illos præclare educauit [f], & Cato Censorius suum [g]: Chaldæi, Ægyptiique item suos. Aristippus dictus est μητροδίδακτος, quòd eum mater Arete docuisset.

a Prou. 4. 4. infra 31. 1.
b 3. Reg. 2. 2. & 1. Paral. 28. 9.
c Prou. 1. 9.
d tom. 5 bibliothe. Pat.
e Virg. 12. Aeneid.
f Plutarc. in Gracchis. g idem in Catone.

Vers. 17.] Dedique cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque, & stultitiam; & agnoui quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus.

IN textu Græco versus 17. inchoat ab illis verbis (*& agnoui*) habétque solùm (*noui quod & hoc est electio spiritus*) & pro aliis quæ recitauimus ex editione nostra, hæc tantùm quæ nectit cum priore (*parabolas, & scientiam*, παραβολὰς, καὶ ἐπιστήμην) Chaldæa paraphrasis ita expressit (*& dedi cor meum, vt cognoscerem sapientiam, & agitationem Regni, & scientiam, & intelligentiam probaui ad sciendum: quin etiam hoc ipsum fractio spiritus viro, qui sollicitus est ad inueniendum ea.*) Hieronymus in vulgata antiqua, & in sua legit hæc eadem, quæ posuimus in nostra, nisi quòd pro (*prudentiam, atque doctrinam*) reddit (*sapientiam, & scientiam*) pro (*labor, & afflictio spiritus*) ponit (*pastio venti, siue præsumptio spiritus.*) Sensus est, voluisse Salomonem contrariorum scientiam tenere, quia melius hoc modo percipitur, & alterum extremum, quod malum est, deuitatur: tamen in hoc ipso studio, quoniam ad veritatis perfectam comprehensionem non peruenerit, vt in cæteris, quæ antè dixit, ventos pauisse, frustráque laborasse, & vanitatem experimento comprobasse.

Videntur autem hæc etiam pertinere ad moralia, vt & priora nonnulla: quod & Hugo Victorinus monet; quem tamen non recipio, dum, sicut hactenus fecerat, in deteriorem partem ista interpretatur de Salomonis superbia, qui etiam primo loco studuerit scientiæ naturali, & prudentiam addiscere voluerit, non ad bene viuendum, sed ad docendum: propterea enim subiungi hoc loco prudentiæ doctrinam (ex quo tamen oppositum potius colligerem) errores verò stultitiámque scire voluisse, non vt vitaret, sed se de eorum cognitione extolleret, & alios de opere damnaret.

Dedique cor meum.] Idem valet quod, proposui in animo, locutus sum in corde meo, posui, & applicui cor meum, liberum illud feci & expeditũ, vt exponit Hugo de S. Victore, ne per illa, aut illa diuideretur, sed totum propositæ considerationi intenderet. Nec tamen hic loquendi modus, vt eidem videtur, typum superbiæ continet, & tumorem elationis exprimit, quasi possibilitatem significet sibi protinus subesse verum inueniendi, si tantùm voluntas quærendi non deesset. Lege versu præcedenti de similibus formulis.

Prudentiam, atque doctrinam.] De his nihil dicam, cùm ex Hebræis, Græcísque dictionibus quę desunt, vim earum expendere non queam: sed Interpres sub sapientia & scientia, siue cognitione comprehensa senserit, & magis distinctè expresserit.

Erroresque, & stultitiam.] Vnum est vocabulum Græcum παραβολὰς, cui hæc respondere possint; aliud enim ἐπιστήμην indifferens est ad quamlibet scientiam: Aquila posuit πλάνας, id est, *errores*: Theodotio παραφορὰς, id est, *prolapsiones*: Hebrææ dictiones sunt הוללות *holeloth*, & שִׂכְלוּת *sichluth*: prior passim hoc libro, in quo solo extat [a], significat insanias, & amentias, alienationes à recto & æquo, iactationes, seu gloriationes vanas, non, vt quidam senserunt, splendorem, & gloriam: posteriorem Rabbi Abraham exponit prudentiam, idque quod in prudentia præcipuum est, seu pręcipuas prudentiæ partes: alij industriam, vel intelligentiam. Chaldæa versio, quam recitaui, fauet, sed aptior proposito prima significatio, & reperitur in eadem significatione idem nomen cum litera ס, quæ est permutabilis cum שׂ, quando hæc puncto notatur in cornu sinistro. Quamuis radix שָׂכַל *sachal* sonet *sapere*, & *intelligere*. Παραφορὰς, quas ponit Theodotio, eundem illum sensum, qui nempe in editione nostra expressus est, indicant: significant enim errores alienatæ mentis. Παραβολὴ est, quam Cicero, teste Quintiliano [b], collationem vocat, siue similitudo, qua res dissimiles conferuntur. Fortasse, vt omittam hunc communem vocis istius vsum, & illum, qui communis est sacris ac Ecclesiasticis auctoribus pro similitudine obscura, vel ænigmate, vel triuiali, & ludicra sententia; quas notiones, aliásque persequitur Salmeron [c], παραβολαὶ hic sumuntur eo modo, quo à Platone [d] vocante χορείας θεῶν, καὶ παραβολὰς αὐτῶν ἀλλήλων, *choreas, lusionésve, & excursiones mutuas Deorum*; quasi dicas errores, quibus sibi occurrunt. Sic verò transferetur nomen ad errores mentis, & morales. In sequenti capite [e] simili ferè loco extat περιφορὰ, & ἀφροσύνη, vbi Olympiodorus ait, legi quoque posse παραφορὰν: & primam dictionẽ sonare *circuitum*, quòd ad omnem ventum circumferatur bona ista terrena, quæ materiam suggerunt lætitiæ, ac voluptatis: secundam verò *insanam extasim, mentísque excessum*: insanire enim videri, ac esse sui oblitos,

a c. 2. 12. c. 7. 27. c. 9. 13. c. 10. 13.
b lib. 5. c. 11.
c tom. 7 tract. 1. de parab.
d in Timæo.
e vers. 12.

qui

qui in loco miseriæ & lacrymarum lætandum sibi esse falsò existimant.

Caietanus totum istum locũ ex Hebræo vertit (*& dedi cor meum ad sciendum sapientiã, & sciendum tricas, & stultitiam*) atque quòd dictio interpretata per *tricas* sonat mixtionem, intricationem operum, seu negotiationum: & sapientia totam scientiarum latitudinem, stultitia multitudinem imprudentiarum, quibus homines abundant, & quòd parabolas, siue prouerbia propter hæc Salomon edidit. Tricas illas vnde Caietanus acceperit nescio, neque vbi qui glossas ei marginales appinxit, quòd hoc loco sit dictio Hebræa, *achare*, pro negotiationibus, quam Abenezra pro studiis ad acquirendum diuitias interpretatur: nam textus Hebræus nõ habet eam dictionem, & *holeloth* pro tricis non legi qui exponat.

B

Vtilis, ac necessaria est Magistratui, & Doctori rerum quoque malarum notitia, vt dedocere, atque corrigere possit: & vna sapientis conditio est, in versutias quoque parabolarum introire [a], seu, vt habet Græcus textus, in strophas: licet hæ in bonam partem sumi possint. Hoc aliàs [b] monui cum Chrysostomo requiri in Episcopo: compendiosa verò id assequendi ratio est historias euoluere; quam Basilius Imperator rationem commendat filio Leoni [c]. Petierat Salomon prudentiam ciuilem ad gubernandum [d]: sed liberalis Deus adiecit alias scientias, necnon opes, vt doceret se omnium auctorem bonorum: quæ sibi bonorum grata petitio esset: quàm benigne suorum non impleat solùm, sed etiam superet postulata. Legendus Abulensis [e], & Pererius [f], qui volunt omnem hanc petitionem in somno contigisse, non vigilis, & libere ratiocinantis fuisse, vel ante somnium idipsum petiisse, vel in somnio per vim diuinam, & quandam extasim liberum rationis vsum, ac meritum in petendo habuisse: quæ duo referuntur à S.Thoma [g].

C

a Eccli.39.2.
b in Actis Apost.
c tom.5.biblio.Patin præceptis. c 56.
d 3.Reg.3.9.
e 3.Reg.3.9.10 & 11.
f 2.de magia c.vlt.
g 1.2 q 113. art 3.ad.2.

Labor, & afflictio spiritus.] Græcè tantùm est (*προαίρεσις πνεύματος, electio spiritus*) Hebraicè (רעיון *rahhion*) Chaldaicè (*theuiruth.i.fractio spiritus*) sed addit (*viro, qui sollicitus est ad inueniendum ea.*) Hieronymus reddit (*pastio venti, siue præsumptio spiritus.*) Lege versum 14.

D

Vers. 18.] Eo quòd in multa sapientia multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem.

GRæcè (*eo quòd in multitudine sapientiæ multitudo cognitionis; & qui addit cognitionem, addet dolorem*) vel iuxta Aquilam, *tormentum*, βάσανον. Chaldæus verò simul exponens sensum, ait (*namque vir, qui multiplicat sapientiam, quando peccat, & nõ conuertitur ad sapientiam, multiplicat indignationem à Domino, & qui addit scientiam, & moritur in pueritia sua, addit dolorem propinquis suis.*) Hieronymus in altera expositionũ, quas assignat, consentit, quod facit etiam Olympiodorus, quanto magis quis sapientiam fuerit consecutus, tanto plus indignari, quòd subiaceat vitiis, & procul sit à virtutibus, quas requirit, ac proinde dolere super delictis suis, cum sciat, cui plus traditur, plus exigi ab eo [h], & potentes potenter tormenta passuros [i]. Aliter exponit, dolere sapientem tam in abdito ac profundo latere sapientiã, atque per tormenta quædam, & intolerandum laborem iugi meditatione & studio ad eam perueniri. Hugo de

E

h Luc.12.48.
i Sap.6.7.

A

S.Victore, Bonauentura, & Lyranus explicant de sapientia, & scientia humana, quæ solet inflare [a] & indignationem, atque impatientiam, & anxietates cõciliare. Volunt verò Salomoni ipsi scientia tumido hæc euenisse. Recipit Hugo Cardinalis eundem sensum, atque inde oriri plerumque simultates, odia, conflictus, pugnas verborum vsque etiam ad insaniam. Ponit quoque primum Hieronymi, & ante Hugonem Salonius, & Albinus: sed addit Hugo, ex scientiæ acquisitione notitiam nobilitatis animæ suæ, vnde indignetur, in inferioribus occupari, quæ sunt ea minùs digna. Adhæc fastidium vitiosum nonnullorum super nobilissimo studio sacrarum literarum, sicut olim nauseabant Hebræi super diuino cibo [b]. Rursum honestam nauseam atque abominationem ad fœdas voluptates, ob gustatum suauem spiritualium rerũ saporem. Postremò iram cum indignatione in seipsum, in dæmonem, in vitia, in ea omnia, quæ nos prouocant ad peccandum, si multa adsit sapientia, hoc est, rerum diuinarum cognitio, benéque viuendi peritia multa. Idem iudicium de indignatione, & iusto dolore, quem sentimus aduersus aliena peccata. *Si ego contristo vos*, dixit Apostolus [c], *& quis est qui me lætificet, nisi qui cõtristatur ex me?* Adiice, sæpenumero, quo quis magis sapientia proficit, hoc inuidiam sibi magis aliorum, & persecutionem conflare: vel etiam quo sunt ei notiores alienæ miseriæ, hoc sympathia maiore commoueri. Gregorius [d] tractat diligenter hunc ipsum locum, intelligens eodem pacto Ezechielis verba [e]; *Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me, & abij amarus in indignatione spiritus mei*, de dedignatione subsidendi se terrenis, cùm cœlestia cognouimus: de ira contra nos, & peruersum opus nostrum, quanto plus proficimus in cognitione: de dolore ob miseriam exilij, quanto magis æterna cognoscimus: de labore, vt incipientes scire, quæ sint cœlestia gaudia, flendo laboremus errorum laqueos euadere: Deo autem huiusmodi rixam cum animo nostro, accusationem nostri, damnationem, mœrorem amaritudinis, afflictionem spontaneam placere, vel exemplo Achab [f]. Item notat Iob fuisse de terra Hus, & illud nomen significare *dolentem*. Istud *consiliatorem*, quia electus quisque optimo consilio ad æterna festinans, de præsentibus dolet. Postremò non inueniri sapientiam in terra suauiter viuentium [g]. Non dissimilis auctoris de spiritu, & anima apud Augustinum [h] sententia: [Qui apponit scientiam, apponit dolorem, quia & quanto magis homo sua mala intelligit, tanto amplius suspirat, & gemit.] Quadrat præterea in eos, qui quo procedunt magis inuestigando rerum notitiam, magis se deprehendunt doctè ignorantes, vel ignoranter doctos, hócque nomine dolent, indignantur, laborant, ac retrò animum conuertunt ad iacturam, quæ ex parentum primorum lapsu redundauit in hominum vniuersitatem; ad peccatorum suorum damna, ad infinitatem quãdam felicitatis, ac miseriæ sempiternæ. Nullus Christo sapientior, nemo tantam vt ille indignationem, doloremque concepit, aut concipere potest de offensæ diuinæ grauitate; qui dolor, quæ indignatio, vt in eius semper animo fixa hæserit, prodidit se maximè, erupitque agonali die, vel in horto, vel in cruce, tum sudore sanguineo [i], tum lacrymabili clamore [k]. Crescit cum ætate scientia, & experimentum; tunc verò quæ pueros ac imperitos nos nõ tangebant, vel mouebãt,

a 1.Cor.8.1.
b Num.21.5.
c 2.Cor.2.2.
d hom.10.in Ezech. quem etiam lege 1. moral c.10. vel 26.& lib. 18.c.24.vel 26.
e c.3.14.
f 3.Reg.21.29.
g Iob.28.13.
h c.49.
i Luc 22.44.
k Heb.5.7.

contur

conturbant, & affligunt,dolore,labore, ac indignatione diſcruciant,vexant,lacerant.

Iterum citatus pridem Olympiodorus aliter interpretatur,nempe ſapientiam,& cognitionem eſſe προαίρεσιν, vt legunt Septuaginta, quoniam non fati beneficio naſcuntur homines, vel fiunt ſapientes, ſed ſapientiæ deſiderio, ac labore, petitamque à Domino Deo ſapiētiam conſequuntur:& ſi quis adhuc ſcientiæ plus habere deſiderat,addere debere labores ſtudioſos. Is quem diximus, Ezechiel [a] volumen, in quo erant lugubres prædictiones,comedit,eráque in ore ipſius vt mel dulce:ſed abiit poſtea amarus in indignatione ſpiritus ſui [b]. Ioannes quoque Apoſtolus librum ſumpſit in ore dulcem tanquam mel,ſed qui fecit amaricari ventrem ipſius [c].Sic ſolet eſſe ſcientia, quæ principio recreat, ſed poſtea laborem,dolorémque generat.Rectè Auguſtinus [d] beatitudinem lugentium [e] accommodat dono ſcientiæ [f], vt lugeatur amiſſio ſummi boni. Hieronymus [g] verò de Fabiola loquens, ſic ait ad ſcientiam addidiſſe dolorem,quia non ſatiabatur audiendi cupidine, ſed quaſi oleum flammæ adiiciens maioris ardoris fomenta capiebat. Nazianzenus [h] ſic vſurpat ſententiam iſtam,vt non plus voluptatis ex eo quod quis inueniat, quàm mœroris reportet ex eo quod aſſequi nō poteſt; quemadmodum qui ſitiens ab aquis delibatis auellitur: qui quod ſe putat habere,manibus tenere non poteſt:qui fulguris illuſtratus ſplendore, ſtatim deſeritur.

Multa indignatio.] Græcè (πλῆθος γνώσεως, *multitudo cognitionis*) vetus tranſlatio (*multitudo furoris.*) Non intelligo quid ſibi velit interpretatio Græca,ſed nec expoſitio Olympiodori,dicentis, cùm ſapientia ſit amplior, quàm ipſa cognitio, ſine ſcientia,meritò in multitudine ſapientiæ contineri multam cognitionem. Niſi dicamus, inter inueſtigandum pleraſque res ad ſapientiam ſpectantes, occurrere non pauciores magis alienas, & leues,quæ mentem auocent,ac diſtrahant,ſicque ad indignationem compellant. Chaldæus,vt dixi, Dei vult indignationem eſſe contra ſapientia abutentem.

Laborem.] Hieronymus & Gregorius [i],& Albinus & Auguſtinus [a] legunt (*qui ſcientiam exponit legis, dolorem ſine adiuuante ſpiritu*) & ex Græcis Olympiodorus (*dolorem.*) Gregorius verò huius noſtræ editionis tanquam diſtinctæ mentionem facit. Hebræa, Chaldæa, & Græca dictio מַכְאוֹב כְּאֵב *macheob, cheeb*, & ἄλγημα, denotant *dolorem.* Sed valdè cognata ſignificatio *doloris*, ac *laboris*, quia hic illum efficit. Sic namque etiam Septuaginta pro eadem Hebræa voce verterunt in Pſalmo 31. [b] *flagella: Multa flagella peccatoris*; πολλαὶ αἱ μάστιγες τῷ ἁμαρτωλῷ. Fauet Interpreti noſtro Aquila, dum βάσανον ponit,id eſt, *tormentum.* Quæ hactenus dicta ſunt de tormento, labore, dolore, in ſcientia, ſcientiæ aduenuint extrinſecus. Alioqui ſcientiæ bonum, non modò honeſtum,ac per ſe expetendum, ſed etiam iucundiſſimum,teſtantur Ariſtoteles [c], & Cicero [d]; ſuadet inſitum omnibus ardens ſciendi deſiderium, de quo idem Philoſophus [e]. Sed teſtis ſimul eſt M.Tullius [f], qui ingenuis ſtudiis, atque artibus delectantur, nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem,omniáque perpeti, ipſa cognitione,& ſcientia captos; & cum maximis curis, & laboribus compenſari eam, quam ex diſcendo capiunt voluptatem. Exempla in hiſtoria obuia ſunt.Omnino vera in Prouerbiis [g] ex tranſlatione LXX. ſententia; σὴς ὀστέων καρδία αἰσθητική, quod Hieronymus [h], Poſſidiúſque [i] Latinè efferunt; *tinea oſſium cor intelligens.* Angit vehementer videre peruerſitatem hominum, vt priùs attigi, ſúntque in corde hæ plagæ maximæ,vt Auguſtinus [k] obſeruat, citans hunc locum noſtrum. Vitales abſumuntur in ſtudio ſpiritus, & melancholia exiſtit,vt Ariſtoteles [l] demonſtrat.Diadochus [m] differens de duplici gaudio,inchoante,& perficiente circa ſapientiæ, atque perfectionis ſtudium, docet vtrique interiectam eſſe triſtitiã Deo amicam, & de iſta hoc loco Salomonem loqui; quæ nimirum ex ſui ipſius cognitione,ac redargutione oriatur; de qua etiã eundem iſtum locum rectè Auguſtinus [n] interpretatur, agens de vtilitate huiuſmodi notitiæ. Eundem adhuc lege [o], Nicetam quoque Choniatam [p], & Euthymium [q]: præterea Zenonis Veronenſis ſermonem in Pſal.126.cùm differit de pane doloris.

a Ezech.3.3. b ibid.14. c Apoc.10 9.10. d 1.de ſerm. Domini in monte. e Matth.5.5. f Eſa.11.2. g epiſt.30. h in apolog. i hom.10.in Ezechiel.

a de ſpiritu & lit.c.14. b verſ.10. c 1.de partib. c.5.10.Eth.c.7. Polit.c.5. d Tuſc.1.& 5. de finib. e 1.Metap.c.1. f 5.de finib. g c.14.30. h in Eſa c.50. i in vita Aug. c.40. k in Pſ.98. l ſect.30. probl. m de perfect. ſpirit.c.60. n 4.de Trin. c.1. o tract.de contrit cor. c.1.c9.5. p pag.95.theſau. q panop.fol. 97.

SVMMARIVM.

VANA SCIVIENTEM perſequitur vanitatem, iis enumeratis, quæ ad luxum, effuſámque ſpectant voluptatem: deplorat eripuiſſe tempus id ſapientiæ, quod talibus rebus impendit: ſimul exponit quantæ ſit vanitatis accumulare futuro hæredi, quem, qualis futurus ſit, ignores.

CAPVT II.

1 DIxi ego in corde meo: Vadam, &
affluam delitiis,& fruar bonis. Et
vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas.
2 Riſum reputaui errorem, & gaudio
dixi: Quid fruſtra deciperis?
3 Cogitaui in corde meo abſtrahere à
vino carnem meam, vt animum meum
transferrem ad ſapientiam, deuitarémque
ſtultitiam, donec viderem quid eſſet vtile
filiis hominum:quo facto opus eſt ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ.
4 Magnificaui opera mea, ædificaui
mihi domos,& plantaui vineas;
5 Feci hortos,& pomaria,& conſeui ea
cuncti generis arboribus,
6 Et extruxi mihi piſcinas aquarum,vt

irrigarem

irrigarem syluam lignorum germinãtium,

7 Possedi seruos & ancillas, multámque familiam habui, armenta quoque, & magnos ouium greges, vltra omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem:

8 Coarceruaui mihi argentum,& aurum, & substantias regum, ac prouinciarum:feci mihi cantores,& cantatrices, & delicias filiorum hominum,scyphos,& vrceos in ministerio ad vina fundenda:

9 Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem, sapientia quoque perseuerauit mecum.

10 Et omnia,quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis : nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaueram : & hanc ratus sum partem meam,si vterer labore meo.

11 Cúmque me conuertissem ad vniuersa opera,quæ fecerãnt manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi,& nihil permanere sub sole.

12 Transiui ad contemplandam sapientiam, erroréſque & stultitiam (quid est, inquam, homo, vt sequi possit regem factorem suum?)

13 Et vidi quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.

14 Sapientis oculi in capite eius : stultus in tenebris ambulat: & didici quòd vnus vtriusque esset interitus.

15 Et dixi in corde meo : Si vnus & stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest quòd maiorem sapientiæ dedi operam? Locutúsque cum mente mea, animaduerti quòd hoc quoque esset vanitas.

16 Non enim erit memoria sapientis similiter vt stulti in perpetuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter operiẽt: moritur doctus similiter vt indoctus.

17 Et idirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuersa esse sub sole, & cũctam vanitatem & afflictionem spiritus.

18 Rursus detestatus sum omnem industriam meam,qua sub sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me

19 Quem ignoro,vtrùm sapiẽs an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis,quibus desudaui & solicitus fui: & est quidquam tam vanum?

20 Vnde cessaui, renunciauítque cor meum vltrà laborare sub sole.

21 Nam cùm alius laboret in sapientia, & doctrina, & solicitudine, homini otioso quæsita dimittit. & hoc ergo vanitas,& magnum malum.

A 22 Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?

23 Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt,nec per noctem mente requiescit:& hoc nónne vanitas est?

24 Nónne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? & hoc de manu Dei est.

25 Quis ita deuorabit, & deliciis affluet vt ego?

26 Homini bono in conspectu suo de-
B dit Deus sapientiam,& scientiam, & lætitiam:peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat,& congreget,& tradat ei qui placuit Deo:sed & hoc vanitas est,& cassa solicitudo mentis.

Vers. 1.] Dixi ego in corde meo : Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis:& vidi quòd hoc quoque esset vanitas.

C CVM frustra sibi desudasse videretur in studio sapientiæ, prudentiæ, doctrinæ, transtulisse Salomon seipsum dicit seclusis hisce molestis curis, ad hauriendas voluptates, vt experiretur, quam venabatur felicitas, in hísne potiùs,quàm in illis reperiretur:tandem verò rediisse vacuum,ac inexpletum. Existimat Hieronymus de spirituali quoque lætitia hic sermonem esse, quæ pronuncietur vanitas, quòd per speculum eam videamus & in ænigmate [a].Faciliùs id concesserim, quàm quod Hugo Victorinus more suo asserit, desperatã Ecclesiastis mentem totam se in voluptatem proiicere, & carnis blandimenta iam solùm bona vocare,quia in eis
D laborem, & afflictionem non inueniret: Bonauentura deputat illud acediæ,quę non inueniens requiem interiùs, quærat exteriùs. Idem docet Hugo Cardinalis:sed monet, post glossam interlinearem, & Albinum, loqui Salomonem concionatoriè, sententiam, ac personam vulgi suscipiendo, quam postea refellat. Conuenit in hoc vltimo Carthusianus, id est, induci loquentem carnalem hominem, imperitúmque.Gregorius [b] docet in genere tenere hoc in libro Ecclesiasten modum istum, atque cùm delectationibus deditum præ se fert, proferre talia verba ex tentati animo. Tales Epicuræi, Cyrenaici : tales ex po-
E pulis Iones, Milesij, Sibaritæ, Tarentini,alijque, & ille, qui in epitaphio inscripsit:

Hæc habui quæ edi,quæq́ exsaturata libido
Hausit. ———

Salomon horum similis aliquando, nunc loquitur vt expertus. Necnon habet ille vllos imitatores, qui cùm minore ætate in studium se sapientiæ dederint, grandiores transferunt animum, corpúsque ad delicias, quas partæ ex sapientia opes offerunt, & subministrant. Nyssenus iungens capitis exordium extremo priori capiti, docet exponere Ecclesiasten, se, qui cum dolore ac labore sapientiam comparasset, facile damnasse voluptates.

[a] 1.Cor.13.12.

[b] 4 Dial.c.4.

Vadam.]

Vadam.] Hebraicè (לְכָה-נָּא *lecah na*, *vade nunc*, vel *quaeso*) Graecè (δεῦρο δή, *age quaeso*, vel *huc ades*, *eia age*, *heus iam*, *adesdum*, *age*, *agedum*) subaudiendo ἰθι, ἐλθὲ, idémque valet quod φέρε, ἄγε, δεῦτε, &c. Chaldaeum quoque verbum eandem habet significationem (אֵיזִיל *ezil*, *veni nunc huc*.) Idem sensus est, siue futurum sumamus, siue imperatiuum, siue sit verbum *vadam*, & *vade*, siue *veniam*, & *veni*. Sed Hugonis Cardinalis minimè necessaria notatio, malorum esse abire, & discedere; bonorum venire, iuxta id: *Ite* [a] *maledicti, venite benedicti Patris mei*; ac proinde dictum hoc loco, *vadam*. Possum permulta exempla afferre, in quibus *abire*, & *vadere* de iustis dicitur, & *venire* de iniustis. Lege Commentarium nostrum in librum Sapientiae [b]. Placet magis Caietanus, emitti cor ad tempus ab occupatione sciendi, quoniam nequit haec simul esse cum deliciis: *nec enim inuenitur sapientia in terra suauiter viuentium* [c]. Vulgaris Hebraea phrasis est, & nostri quoque idiomatis, dũ liberaliter quid cui concedimus, dicere; Vade. Hoc modo Christus saepe dicebat quibus postulata concedebat: *Vade* [d] *& sicut credidisti, fiat tibi* [e]: *Vade, filius tuus viuit.* Quidam in verbo, *vadã*, considerant filium prodigum abeuntem in regionem longinquam, ibique dissipantem substãtiam suam, viuendo luxuriosè, ac pascentem tandem porcos [f]. Nam & voluptuarij pecudes censendi sunt, ac porci, teste Aristotele [g], Horatio [h], Clemente [i] Alexandrino. Sed nec sic infelix satiabatur prodigus, vt perpendit Ambrosius [k]; vt neque perforatum impleri dolium potest, vt philosophantur Chrysostomus [l], & Nyssenus [m], iuxta illud fortassis ex Prouerbiis [n]; *Fouea profunda est meretrix*; quod L X X. reddunt, πίθος τετρημένος ἐστιν ἀλλότριος οἶκος, *dolium perforatum est aliena domus*, nempe meretricia, quaeque percipitur inde voluptas.

a Matth.25.34.41.
b c.2.6.
c Iob.28.13.
d Mat.8.13
e Ioan.4.50.
f Luc.15.15.
g 1.Eth.c.5.
h 1.lib.1.epist. ad Alb.Tibull.
i in protrepe.
k in Luc.c.15.
l ho.13.in Ep. ad Ephes.
m orat.4.in beatitud.
n c.23.27.

Affluam deliciis.] Hebraicè (אֲנַסְּכָה בְשִׂמְחָה *anassecah besimechah*) Graecè (πειράσω σε ἐν εὐφροσύνῃ) Chald. (*tentabo laetitiam.*) Concordat editio ista cum Graeca, exceptis personis: Hebraea, si in priore dictione vltima syllaba sit affixum secundae personae generis masculini cum ה paragogica, consentit cum Graeca, & erit futurum verbi נָסָה *nasah* in piel, quod significat *tentare*, & *experiri*: itaque vetus translatio exposuit (*tentabo te in laetitia*) necnon Pagninus. At verò si sit futurum à verbo נָסַךְ *nasach* item in piel, significabit *miscebo*, quod Vatablus vertit (*laetus poculis indulgebo*) vel vt Interpres noster (*affluam*, seu *fundam*, nimirum me, *libabo, propinabo*) meliùs quã ille, qui (*pocula*) addidit: est enim figurata locutio, vt si Gallicè dicas: *que ie me baigne en ioye*, vel Italicè, *bagnarsi, attuffarsi, sguazzare nell' allegrezza*. Nõ licet ampliùs cũ Caietano praeferre *miscendi* verbũ, cũ vulgata editio iussu Pontificum Sixti V. & Clementis VIII. emẽdata prodierit: & idcirco ex eo verbo nõ possumus cum eodem Caietano colligere Salomonis non penitùs immoderatum desiderium fuisse, sed miscendi sapientiae, & scientiae fruitionem exteriorum bonorum, vtilium, ac delectabilium.

Et fruar bonis.] Hebraicè (וּרְאֵה בְטוֹב *vreh betob*, *vide in bono*) sicut etiam habet vetus translatio, Graecè (καὶ ἰδὲ ἐν ἀγαθῷ) Nyssenus (καὶ ἰδοὺ ἐν ἀγαθοῖς, *& ecce in bonis*) Chaldaea (*& videbo bona seculi huius*) Vatablus (*& experiar quantum in eo bonum sit.*) In Hebraeo imperatiuum poni solet pro futuro, *vide*, id est, *videbis*. *Videndi* quoque verbum phrasi Hebraea valet idem quod *experiri, potiri, frui*, vt aliàs dixi [a]: & verba sensuum construuntur cum praepositione, vt in Psalmo [b]: *Ad videndum in bonitate electorum tuorum.* Praeposterum est vtendis frui, hisque inferioribus bonis amore adhaerescere, quod est, ait Hugo Cardinalis, amplexari arcam pro pretio: munusculum pro amico: gaudiola pro amasio: vestigia pro ceruo: phãtasma pro re: vmbram pro corpore: viam pro fine: intuitus vanissimos pro summa veritate: stillas tenuissimas pro suauitatis abysso: creaturam pro creatore Deo.

a Act.2.27.
b Ps.105.5.

Bonis.] Hebr. in singulari, necnon Chaldaicè (טוֹב *tob*, vel טוּב *tub*) Graecè (ἀγαθῷ.) Bonum, aut bona nonnunquam absolutè significant iucunda, ac delectabilia. *Recepisti*, inquit Abraham immiti diuiti, *bona*, ἀγαθά [c], id est, lautitiem cibi, potúsque. Quae scilicet bona, sola ferè apud homines seculi bona aestimantur, vt notant Chrysostomus [d], Gregorius [e], Augustinus [f], qui sic praesentem quoque locum interpretatur. *Quis est homo*, ait optimus Abrahae filius [g], *qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* id est, hilares; &, *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate* [h], id est, laetitia, & suauitate. Complura suppetunt alia exempla [i] istarum dictionum pro iucundo, aut vtili, non tantùm pro honesto, quod est simpliciter, & perfectè bonum: & Latinè etiam, omniúmque ferè linguis bona dicuntur pro facultatibus; bene sit, vel bonũ, cùm bonũ quis euentũ precatur, vel optat, vel ominatur [k], quod est quoque dicere bona verba. Itẽ in mensa, & inter scyphos ac pocula iactatam hanc vocem (*bene*) testis est Liuius [l], sicque vsurpat Plautus [m], Tibullus [n], Ouidius [o], aliique, quos refert Barnabas Brissonius [p], exponens praeterea priores illas formulas, & istam (*benedicere, bene viuas, valeas, ambules*, &c.) Nõnulla sunt etiã hac de re Martini Roae [q] nostri. Hîc videtur autem tacita responsio ad eas voces esse; Affer, Affer, sanguisugarum duarum [r], quae & ipsae lingua dicuntur bisulca praeditae, libidinis, & auaritiae, quae hiant semper, poscúntque, vt ait Seneca [f].

c Luc.16.25.
d ho.4.de Laza.
e ho.40.in Euang.
f c.qq in Euang.c.38.
g Psal.33.13.1. Pet.3.10.
h Ps.103.28.
i Gen.1.4. Psal.51.11. Psal.53.8. Ierem.42.6. Zach.1.13. Eccl.35.12. Philip.2.19.
k lege Virg. Eclog.8. sub finem, ibique Pontanũ nostrum qui citat alios auctores.
l lib.19.
m in Persa. act.5.scen.1. & in Stich. actu 5.scen.4.
n lib.1.eleg.1.
o 1.de Arte, & 2.Fast.
p lib.1.de formul.
q de die natali.c.2.
r Prou.30.15.
f 7.de benef. c.26.

Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas.] Ἀτμὸς legit Aquila, sicut capite praecedenti, hoc est, *vapor*. Nõ est, qui non in voluptates inuehatur, siue profanorum, siue sacrorum scriptorum: nec a peregrinis teneri, ne fine animae, contra quam militant, iactura possunt amari, vt duobus verbis Petrus [t] egregiè monet, quibus facile comprehenduntur omnes causae, quae nos ab iis abstrahunt. Illa homini attendenda, quòd, vt ait Seneca [u], non hominis, sed bonum pecoris hoc sit.

t 1.Pet.2.11.
u epist.92.

Prudenter verò, priusquàm Ecclesiastes enarret sigillatim voluptates, corruptae sentẽtiae subiicit mox antidotum, & contrarium iudiciũ. Caueat quisquis de moribus disputat, vel de dogmatis Religionis, praesertim apud imperitã multitudinem, necnon qui hisce de rebus scribit, ne alienos errores, noxiásque rationes proferat, quin illicò refellat ac detestetur, ne lector, audiórve absque remedio venenũ ebibat, atque pro veritate, ac virtute falsum, ac vitiũ sectetur. Vel ipsa, quam voluptates secum ferunt, satietas, taediumque & nausea, optimus index est vanitatis earũ, vt philosophatur Gregorius [x]: perpetuò fluunt, fugiúntque antequam capiantur, ait Augustinus [y], non tam bonorũ numero censendae, quàm malorum minorũ, ait Bernardus [z]: plúsque molestiae continent, quã iucunditatis, vt inductione

x homil.36.in Euang.
y serm.35. de verb.Dom.
z sermon de primord. &c.

docet Basilius [a], iterúmque Gregorius [b]. Quocirca hæ res inanes,quęque lõgiùs absũt ab ente, quã à nihilo,quì fieri potest vt vacuitates animi, quę sũt ignorãtia,& imprudẽtia,vt Plato [c] dixit, expleant?Non dubitat ille idem Philosophus sectatores voluptatũ pecora nominare;illas multis doloribus mixtas asserere,vmbras dicere , & simulacra voluptatis veræ,quomodo, inquit, Stesichorus Poëta Troianos ait veram ignorantes Helenam,de ipsius tantùm imagine contendisse. Dicas hæc esse poma Pentapolis , seu quinque infamium ciuitatum , postquam diuinitùs deflagrarunt [d] : vel Adonidis hortos. Meliùs diuina sapiẽtia imbutus hos lætati scribit in nihilo [e];& cõparari possunt cũ hedera, vel inani cucurbita Ionæ , super qua cùm ille lætitia magna lætatus esset, parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum , & percussit eam , & exaruit [f] . Adi Gregorium [g].Ex hac porrò tam sapiente sententia colligunt quidam non malè Salomonis nostri pœnitentiam,vt vidimus in præfatione.

a in Ps.33. b 20 moral. c.16. c 9.de Rep. d Ioseph.l.1. Antiq c 19.5. de bello Iud. c.5. e Amos 6.14. f Ionæ 4.6. & seq. g 16 moral c. vlt.

Vers. 2.] Risum reputaui errorem:& gaudio dixi;Quid frustra deciperis?

His duabus dictionibus comprehendit omne voluptatis genus immoderatæ,risúmque & gaudium eiusmodi per prosopopœiam coërcet: indicia enim sunt hæc perceptæ voluptatis. Arbitror autem Salomonẽ reprehendere tũ internã,tũ externã lætitiã,quæ mediocritatẽ excedat: at propriè risu posteriorẽ , priorẽ gaudio significari, si vim nominũ inspiciamus,haud facilè cõcessero:cu gaudiũ ęquè sumatur pro eo,quod foras prodit,vt mox videbimus. Illã opinionem sequitur Bonauẽtura. Nec absolutè recipio, quod ait Hugo Victorinus,risũ penitùs reprobari,gaudium duntaxat argui , quòd ille omnino malus sit, hoc tum solùm quando est de malo. Nam & ridendi facultate nobis maximè propria honestè vti possumus:& capite sequenti etiam ridendi [h] suum tempus assignatur. Effusior,ac importunus risus crebrò in Scripturis reprehenditur [i]: talémque non solùm Patres, sed etiam Gentiles vehementer improbant. Chrysostomus [k] proponit exemplum Christi , qui fleuisse legitur aliquando,risisse nunquam,cuius meminit quoque Augustinus [l],Basilius [m],& Bernardus [n],& auctor sermonum ad fratres in eremo apud Augustinum [o] : quod exemplum,inquam,Christi longè verius,& sanctius,quam Platonis , qui etiam iuuenis modicè tantùm risit [p], vel qui ne semel quidem Anaxagoræ Clazomenij , vel Aristoxeni, vel Socratis [q] , vel Crassi [r](etsi quidam [s] dicunt semel , cùm asinum vidisset carduos edentem)vel Catonis [t],vel Imperatoris Neruæ [u], vel Philippi [x],filij Iulij Imperatoris. Sed & effrenis quibusdam risus lethifer fuit, vt pictoribus eximiis Zeuxi,& Verrio [y], Philemoni quoque Syracusano,& Chrysippo eadem ex causa,quòd hi asinum vidissent vescentem ficubus, Philistioni [z] Niceno Comico , qui librum etiam scripserat φιλόγελον. Indicat Chrysostomus [a] nec Paulum , nec alium Sanctum risisse , quod quidem Scripturæ tradant ; solùm namque in iis mentionem esse de Sara , quæ reprehensa est [b], & de filio Noë [c] , qui propterea seruitute damnatus est. Excidit Chrysostomo Abraham , qui etiam risit [d] , quod ipse Genesim exponens con-

h vers.4. i Prou.14.13. Eccle.7.4.Eccli.19.27.c. 21.23.Lucæ 6. 25.Iacob.4.9. k hom.15.in Ep.ad Hebr. & hom.6 in Matth. l rom.10.In append. ser. 83. m reg.17.ex fusiis. n serm.4.de Aduen.sub finem. o serm.31 p Laert.in vita. q Aelian 8. varia histo-ria. r Plin lib 7. c.19.Solin.c. 4. s Cic. Tusc.9. ex Lucil. & 5. de Finib.& Sidonius. t Volat.lib. 13.c.2. anthropolog. u Tyanęus apud Philostratum. x Cuspin.& Sabell.lib.7. Enn.7.ex Eutrop.& Sex. Aurel. y Rhodig. lib.4.c 48 z Gyral. dial. 2 hist. poet.ex Suida a hom 6 in Matth. b Gen.18.14. 15. c Gen.9.22. 25. d inf 17.17.

A cesserat [a] ; solémque risum illum laudare, vt contrà Saræ reprehendere , præter Hieronymum [b],qui ex quadam incredulitate risisse Abraham putat. Lege Pererium [c]. Profectò malè affecti corporis , & animi plerumque signum est incompositi, risum laxare : nam risus oritur ex petulantia quadam lienis, quando à sanguine fæcem maximè haurit , extendit , & soluit neruos, & arterias , atque spiritus dispergit. Vnde quandoque his extenuatum corpus , suopte nutu decidit. Genarum est impulsus, & subsultatio cordis, inquit Nazianzenus [d], & hoc loco Nyssenus , & iam citatus Basilius. *Vir sapiens*, inquit Sapiens [e] , *vix tacitè ridebit :* ridebit igitur absque B reprehensione. Basilius præterea nec monacho prohibet risum , quo modicè diducatur rictus,& leniter animi significetur hilaritas.

Sed hoc quẽ tractamus loco , & illo quẽ modò citauimus , cachinnos argui , & gestientem indecorè lætitiam , docet ; ac de tali Christum intelligendum , quando eum vetat , ac damnat: risum verò , qui laudatur in Scripturis,esse lætitiam , atque festiuitatem , quæ ex rebus bonis in animo exoritur. Hac ratione prodit Euangelium [f] , quòd Christus exultauit in Spiritu sancto,nempe per gaudium redundans ex anima in corpus. Quocirca cùm idem alibi Basilius [g] , Ephrem [h] quoque, aliíve risum omnem damnare C videntur , commodè iuxta sensum allatum debent exponi. Prodigiosus fuit, si tamen fuit, Zoroastris [i] , ac illi malè ominosus in ortu risus : nascimur enim flentes; neque pueris ridere contingit ante quadragesimum diem , vt placet Aristoteli [k],nisi risum conuulsionem interpretemur (quod de risu Sardonio fertur) labia distrahentem, in morem risus. Hoc pacto Hippocratem [l], aut Polybum [m] interpretantur, asserentem pueros statim in lucem editos , tam vigilantes, quàm dormientes,sponte ridere,atque flere , ita vt vbi vigilant, nunquam titillati , alióve modo excitati,nisi post quadragesimum diem. Inchoari à vagitu vita dum solet , risúsque tardior esse, D commonemus,parcè, sed honestè tamen ridere nos posse. Eadem de re quoque in pædagogo Clemens Alexandrinus [n] præcipit:quæ enim naturalia sunt hominibus , ea ab illis minimè tollenda,sed eis potiùs modus, & conueniens tempus adhibendum. Decoram vultus remissionem instar instrumenti musici μειδίαμα , id est,*subrisionem :* inconcinnam dissolutionem κιχλισμὸν, & καγχασμὸν vocat,id est,*cachinnationem*,priorem fœminarum , virorum posteriorem. Talem risum errorem affirmat auctor,éstque quem Græci aliter appellant συγχύσιον , quòd hominem quatiat , cúmque Hieronymus,Salonius, Thaumaturgus, cæteríque interpretes coërcitum hoc E loco admonent, quod constabit magis ex vocabulorum notione , necnon ex capite septimo. Confirmatur præterea sententiâ Sixti Martyris, & Papæ, seu Sixti Philosophi [o],& sermone quodam Maximi [q] Confessoris, in quo colligit alia testimonia ; & formulà honestæ vitæ , quam Bernardus tradit [p], atque etiam modo bene viuendi [r] : vbi errorem interpretatur esse risum, dum suscipitur quando non debet,frustráque decipi,quando est de iis rebus,de quibus nõ oportet.Sed modestum,ac decorum nemo vituperat: Philo [s] potiùs hunc inter omnes alios affectus honestissimũ dicit, vt qui repleat tranquillitate ac securitate totã animam.Huc facit Martialis [t]:

a hom.40 b 1.contra Pelagian. c c 17. Genes. disp.7. d in cygneis carminibus. e Eccli.21. 23. f Luc.10.21. g reg.31 ex breuioribus. h tom.1.ser. non esse ridendum pag. 110.edit. Rom. i Augustinus 21.de ciuit. c. 14.Plin.lib. 7.hist.c.16. k 7.de hist. animal.c.10. l lib.de septimestri, & octimestri partu. m Mercurialis 5.varia. lect.c.17. n lib.2.c.5. o tom 5.biblio.Patrum, in sententiis, sent.271. p tom 5. biblio Patr.in sermonib sermone 64. q e de visu, & honestate faciei. r ser.65.qui totus est de hac re. s lib de præmiis, & pœn. t lib.7.epigram.in 24.

Nec grata est facies, cui gelasinus abest.
Hoc est, corrugatio quæ circa os exprimitur. Vnde gelasinus Democritus. De risu intempestiuo celebratur hic senarius;

Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.

Non in loco ridere, peregrane est malum.

Item alius in monostichis:

Γελᾷ δ' ὁ μωρὸς κἄν τι μὴ γελοῖον ᾖ.

Cum causa nulla, mωro ridet tamen.

Et Catullus ait:

Nam risu inepto res ineptior nulla est.

a 3 de Republ.
Cùm autem risus effusior omnes dedeceat, tum Principes maximè, vt Socrates apud Platonem [a] notat, Poëtas quoque repudians, qui huiusmodi risum Diis attribuant. Quòd tamen arrisio, siue subrisio, tanquã bonæ spei, ac beneuolētiæ symbolum illos eosdem addeceat, exempla sunt tum profana in Ioue apud Homerum [b], Virgiliúmque [c], & Ænea apud istum [d]; tum sacra in Abraham [e], de quo dixi, & in Iob [f], necnon in libro Ecclesiastici [g]. Plura non afferam, ne me quis rideat, sicut Seruiũ Politianus [h]: sed cũ Tullio [i] quæstiones de risu, quid ipse sit, quo pacto concitetur, vbi sit, quomodo existat, atque ita repēte erumpat, vt eum cupiētes tenere nequeamus, & quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, remitto ad Democritum [k]. Neque enim (vtar adhuc verbis Ciceronianis) ad hunc sermonem hoc pertinet: & si pertineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne ipsi quidem illi scirēt qui pollicerētur. Si autem verum est, quod idem Cicero subdit, & affirmatur ab aliis, locum, & regionē quasi ridiculi turpitudine, & deformitate quadam contineri, ac rideri vel sola, ac maximè, quæ notant & designant turpitudinem aliquam non turpiter: si illud item admittitur, quod ait Plato [l], ridiculum duntaxat esse quod malum: præterea quod alij tradunt, nasci risum ex admiratione, hanc ex ignorantia; quis non videt quàm sapienter sit dictum ab Ecclesiaste, risum esse errorem? aut enim error est, aut non sine errore. Has Augustinus [m] post diutinam grãdem rixam, & luctam carnis & spiritus, nugas nugarũ nominat, & vanitates vanitatum, testatúrque disruptis per Dei gratiã vinculis, quibus tenebatur; cùm se in Dei obsequium toto animo contulisset, suaue sibi subitò factum, carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium fuisse. Idem eadem de se à seipso prolatum iudicium Cyprianus [n] piè admodum, elegantérque commemorat: *risus* namque nomine, vel *gaudij* cuncta quæ delectant comprehendi præfati sumus. Narrat Gregorius [o] sanctissimum virum Isaac reprehensibilem tamen visum esse, quòd nonnunquam tanta ei lætitia inerat, vt illis tot virtutibus, nisi sciretur esse plenus, nullo modo crederetur: id autem permissum à Deo ad custodiam humilitatis. Est verò etiam obseruandum, quòd risus pro quouis gaudio, voluptate, re iucunda sumitur, quia risu solet indicari. Sara nato filio risum sibi factum dixit à Deo, foréque vt omnis, qui videret, corrideret [p], Græcè cōgauderet, *συγχαρεῖται*: & quod in quodam Psalmo [q] dicitur gaudium, quo repletum sit os, Hieronymus transfert *risum*. Frequens etiam profanis *risus*, & *ridendi* eadem acceptio. Christus væ dixit ridentibus, quia lugebunt, & flebunt [r]; & prædixit ploraturos, & fleturos discipulos, mundum gauisurum; sed tristitiam conuertendam in gaudiũ [s], ploratũ, fletum,

b Iliad. 8.
c Aeneid. 1.
d Aeneid. 5.
e Gen. 17. 17.
f c. 29.
g c. 13.
h in miscel. c. 89.
i 2 de orat.
k lege Arist. sect. 35. prob. & 3 de parti. animal. c. 10. & Nicandrũ sossium tract. de risu; Laurentium Iobertum tribus libris Gal. lice scriptis de eadem re, & nonnulla apud Martinum Roam 4. singula. c. 9.
l 5. de Repub.
m 8. confes. c. 11.
n lib. 2. epist. 2.
o 3 dialog. c. 4.
p Gene. 21. 3.
q Psal. 125. 2.
r Luc. 6. 25.
s Ioan. 16. 20.

A qui sunt idem cum tristitia, opponunturque gaudio.

Risum reputaui errorem.] Risum habuisse pro errore videntur, qui cum Aristotele [a] sentiunt scribente, *τὸ αἰσχροῦ ἐστὶ τὸ γελοῖον. τὸ γὰρ γελοῖόν ἐστιν ἁμάρτημά τι, καὶ αἶσχος ἀνώδυνον, καὶ οὐ φθαρτικόν*: *turpis est ridiculum particula; ridiculum enim est peccatum quoddam, dolore carens, neque corrumpens*, siue *non noxium*, ei scilicet qui ridiculus est: præterea qui cũ Platone [b], ridiculũ duntaxat esse quod malum: item qui cum Homero, Virgilio, aliisque, solam Diis, & sapientibus subrisionem & *μειδίαμα* tribuũt. Sapientem quidem Sapiens [c] vix tacitè ridere affirmat. Multa disputat de natura risus Lælius noster Bisciola in commentario luculento & luce digno ad Plinij lib. 7. c. 19. non dedignatus nos ipsos citare. Eam porrò Augustini in 9. ex sermo-

a de poet. c. 2.
b 5. de Rep.
c Eccli. 21. 23.

B nibus de verbis Apost. meritò sententiam commendat, in ploratu officium esse, in risu præmium sapientiæ.

Reputaui.] Hebraicè, Chaldaicè, & Græcè (*dixi*) & est nõ infrequens, vt *dicere* sit idē quod *censere, affirmare, præcipere, appellare, optare*, vt exemplis docere possumus, quæ sunt obuia. Chaldæus tamen in primaria significatione sumpsisse verbum videtur hoc modo vertens (*de risu dixi in tempore angustiæ meæ.*) Potuit tamen Ecclesiastes hoc dixisse extra tempus angustiæ, nisi angustiam accipias pro animi pœnitudine. Vetus translatio vertit (*dixi*)

C *Errorem.*] Hebraicè (מְהוֹלָל *meholel*) vetus trãslatio *amentiam*, (*risum dixi amentiam*) Chald. (*derisio est*) Græcè (*περιφορὰν, circumlationem*) Symmachus (*θόρυβον, tumultũ*) Aquila (*πλάνησιν, errorem*) Olympiodorus videtur secutus primam lectionē, quæ est etiam Theodotionis, cùm sic explanat (*risui, vel lætitiæ dixi, circumuagare à me longius, & absiste:* vel, *dixi circumferri, & inconstantem esse.*) Ait etiam esse posse *παραφοράν*, id est, *insaniam*. Thaumaturgus quoq; in paraphrasi (*καὶ γέλωτα μὲν εἰκῇ φερόμενον ἐπέσχον, & risum quidē, qui temerè feratur, cohibui.*) Dictio Hebræa est participium significans, *insaniens es*, aut *insanire facis*, aut potius *insanire fis*, seu *ad insaniã adactus es*, ab הָלַל *halal*, vnde הַלְלוּיָה *haleluiah*, lætissimum canticum ferè vsque ad insa-

D niam, sed spiritualem, & sanctam. De hoc lege tractatum Lindani, [d] & quæ disseruimus ipsi ad Psalmum 67. Eodem autem recidit sensus: nam circumlatio censeri potest error; qui enim circuit, rectà non incedens, is in errore est: ex circumactione verò illa sequitur *θόρυβος*, perturbatio, & agitatio cordis per concupiscentias volutati, déque vitio diffluentis in vitium. Hieronymus obseruat, quemadmodum hi, qui circumferuntur omni vento doctrinæ [e], instabiles sunt, & in diuersa fluctuant; sic qui illo risu cachinnant, quem Dominus in Euangelio [f] fletu dicit mutandum, errore seculi raptari & turbine; posse autem & id intelligi de hæreticis, qui falsis dogmatibus acquiescentes, læta sibi & prospera

d ad Psal. 118.
e Ephes. 4. 14.
f Lucæ 6. 25.

E repromittunt. Nyssenus interpretatus est risum dici insaniam, vtpote qui non maneat intra constantiæ fines, & se vel inuitus indecorè gerat, & formam peruertat.

Et gaudio dixi.] Repetit perspicuitatis gratiã. Interpres verbum (*dixi*) quod in aliis editionibus non extat.

Quid frustra deciperis?] Hebraicè (מַה־זֹּה עֹשָׂה *mah zeh hhoscheh, quid hoc facis?*) quod Chaldæus declarat (*quid emolumenti est viro, qui fecerit il-*

lud?) quaſi participium Hebræum ſit de percipiente gaudium, ſibique illud faciente: quid hoc, nimirum vtilitatis, affert facienti, videlicet gaudium, ſibique illud procuranti? Phraſis eſt Scripturæ, facere, dare, magnificare lætitiam, ſeu ſibi, ſeu aliis. Græci, ac vetus tranſlatio reddunt (*quid hoc facis?*) id eſt, quare? ad quid? quid me allicis, vt exponit Olympiodorus, vt huiuſmodi rebus gaudeam? Nyſſenus, cur hoc facis? quod perinde eſt, inquit, ac ſi dicas, voluptati reſtiti, ſuſpectam habens eius appropinquationem, velut ſi fur clanculùm ingrederetur animæ penetralia, aut fera rationi inſidians. Optimè noſtra expreſſit editio (*quid fruſtra deciperis?*) qui enim fine fruſtratur quem intendit, fruſtra operatur, & decipitur. Agit verò per proſopopœiam auctor cũ gaudio, & riſu, ſicut initio præmonui, hoc eſt, cum re inanimata, vt cum animata, vel abſtracta ponit pro concretis, riſum gaudiúmque pro ridentibus ac gaudentibus. Fallaciam atque deceptionem diuitiarum Chriſtus vocauit [a], hoc eſt, fallaces & decipiẽtes diuitias, quia & fallũtur ac decipiũtur eo modo, quem de riſu dixi, & fallunt decipiúntque: nobiſcum diu permanere nõ poſſunt, inquit Gregorius [b], mentis noſtræ inopiam non expellunt, quod pollicentur, non præſtant, quod videntur eſſe, non ſunt.

a Mat.13.22. Mar.4.19.

b hom.15.in Euang.

Deſcribitur in Scripturis [c] deceptio & fallacia iſta comparatione ſomniantis, qui experrectus nihil eorum poſſidet, quæ ſe dormiens poſſidere ſomniarat; ſed inanis, vacuuſque cibo, potu, diuitiis remanet: Sapiens [d] verò ſerò agnoſcentes eiuſmodi errorem, in inferno propriis ipſorũ verbis, quibus ſe nominant inſenſatos, inducit. Lege Commentarium noſtrum illius loci. Denique Paulus [e] fallaciã peccati generaliter appellat Lege prętereà Antoninũ Imperatorẽ Philoſophũ ſcribentem de vita ſua, libro præcipuè quarto, & nono; reperies moratiſſimas hoc de argumento, & de rerũ vniuerſarum vanitate ſententias. M. Aurelium Imperatorem hac vſum ferunt oratione. [Quæ ſum expertus, liberè profetam, licèt cũ mei nominis nota, ſed olim forſitan futuro ſeculo profutura. Per omnia me vitia exercui, periculúmque feci poſſétne ſeipſam exſaturare humana malitia. Deprehendi quo plus cibi ſumo, famem acriorem: quo bibo magis, ardentiorem ſitim: quo ſum in ſomno indulgẽtior, maiorem ſomni cupiditatem: quo plura mihi ſunt, adhuc his plura concupiſcere: quo quæro diligentiùs, minùs inuenire: nihil demũ vnquam obtinuiſſe, quod appetitum ſedaret, ac non aliud habendi potiùs libidinem prouocaret.] Sic ille. Porrò hanc lacrymarum vallem decent ſanè magis lacrymæ, triſtitiáque, quàm riſus, & gaudium: attamen audiendi non ſunt eiulantes Anabaptiſtæ, quos refert Staphylus exiſtimaſſe nihil eſſe deuotionis, quod perinde gratum ſit Deo, atque lacrymari, & eiulare perpetim. Præclarum Climaci [f] documentum: [Eſto ſicut Rex in corde tuo ſublimis, in humilitate reſidens, & riſui iubens, vade, & vadat; dulci fletui, veni, & veniat; ſeruóque, & tyranno corpori, fac hoc, & faciat. Si quis beato, gratioſóque luctu ſe, veluti ſponſali indumento veſtiri curauit, hic ſpecialem animæ cognouit riſum.] Quis verò non amentem, vel deceptum, vel in amentiam, & errorem inducere alios voluiſſe Lycurgum dicat, qui, quod teſtatur de illo Soſibius apud Plutarchum [g], Riſui tanquam Deo erexit Lacedæmone ſtatuam, & dum vacarent à militia Lacedæmones, operam dare tripudiis, feſtiuitatibus, venationibus, epulis voluit, & grauiſſimis legibus, ac pœnis ſanxit: virgines prætereà cum iuuenibus ludere, & armis exercere ſeſe, & nudas etiam luctari, & veſtes ita geſtare apertas, vt nuda femora oſtentarent? Reprehenduntur hæc meritò ab Ariſtotele [a].

c Pſa.75.6. Eſa.29.8.

d Sap 5.4.

e Heb.3.13.

f Gradu 2.

g in Lycur.

a 2.Polit.c.2. 1.Rhet c 24.

Verſ. 3.] Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam, deuitarémque ſtultitiam, donec viderem quid eſſet vtile filiis hominum, quo facto opus eſt ſub Sole numero dierum vitæ ſuæ.

VIni nomine, ſeu *ebrietatis* voluptatem omnem intelligens, docet ſe hanc demum vitaſſe, & ad ſapientiæ ſtudium ſeſe retuliſſe, vt ſic aſſequeretur quid nos in hac oporteat vita deſiderare, quid fugere. Hæc eſt norma rectæ conuerſionis, vinum, id eſt, peccatum, & occaſiones amputare peccati; nouam vitam aſſumere, ſapientiam complectendo; firmiter in hoc propoſito, quandiu durat vita, permanere. Aliæ paulo diuerſum editiones reddunt ſenſum, vt mox videbimus.

Abſtrahere à vino carnem meam.] Vetus tranſlatio apud Hieronymum iuxta Hebræum textum (*vt traherem in vino carnem meam*) id eſt, volui, ait ipſe, vitam meam tradere deliciis, & carnem meam ab omnibus curis liberare, & quaſi vino, ſic voluptate ſopire. Chaldæus exponit (*ad protrahendum in domo vini carnem meam*) Græcus ex LXX. (εἰ ἡ καρδία ἑλκύσει ὡς οἶνον τὴν σάρκα μου, *ſi cor meum trahet tanquam vinum carnem meam.*) Significare poteſt ὡς, *ad.* Quidam verò codices habent ἐκλύσει, *diſſoluet.* Aquila, & Symmachus (ϗ ἐνοῦθλω ἐν τῇ καρδίᾳ μου, &c.) Senſus quem dat Hieronymus, videtur contrarius ei, quem poſuimus, atque præ ſe fert Latina noſtra editio, vt notauit etiam Caietanus: & trahere in vino carnem, eſt ſubtiliorem, ac delicatiorem reddere: durior enim victus carnem contrahit. Vatablus vertit (*indagaui ergo corde meo corpus meum diuina voluptate oblectare*) quaſi trahere ſit idem quod diſtendere, ac protrahere moram. Græci Thaumaturgus, & Olympiodorus paulo aliter explicant. Cùm eam vim eſſe animæ cogitaſſem, ait ille, vt temulentam corporis naturam, atque inflat vini diffluentem ſiſtere poſſit, rurſúſque continentia cupiditatem domare, proſpiciendum mihi eſſe conſtitui, &c. Olympiodori verba ſunt. [Poculũ quod bibentes haurimus, à conſpectu noſtro tollitur, & euaneſcit. Conſideraui itaque num in proſperitatibus mundanis, voluptatibúſque humana mens eſſe poſſit virilis ac fortis, vt abſumere, ac delere valeat quaſi epotum vinum, concupiſcentias carnis.] Quocirca vult Olympiodorus agi de delenda voluptate, ſicut ſolet epotum vinum euaneſcere: Thaumaturgus pendere ſententiam, ſolúmque ſignificari in anima vim eſſe ad vinum, id eſt, voluptatem, comprimendum: non autem quòd vel hanc amplecti, vel delere voluerit. Alium adhuc ſenſum continere poteſt Græca lectio, quem vidit Moringus: cogitaui mecũ an animus, & ratio ſit efficax ad trahendam

carnem meam sicut vinum, id est, quàm est vinum efficax ad carnem ipsam; vt dubitatum fuerit aliquando essétne fortius quàm Rex, quàm mulier, quàm veritas [a]. Nyssenus idipsum tradere videtur. Veruntamen retinendus sensus consentaneus vulgatæ editioni, cui alij non sunt contrarij, præsertim Hieronymi: supponit enim consilium illud melius resipiscentis Ecclesiastis, quod mox subiicitur, abstraxisse a vino carnem: hoc verò ipsum indicat aliquando vino indulsisse etiam ex deliberato animi proposito. Quod ad textum Hebræum attinet משך maschach significat nonnunquam *contrahere*, & *abstrahere* [b], & præpositio ב idem valet quod (*de*) nō solùm (*in* [c]:) sed & hæc ipsa particula Latina vim candē habere potest [d]. Hieronymus bis vertit hunc librū, vt ipsemet testatur in præfatione; in secunda verò translatione vertit sicut nos habemus, nempe magis clarè ad mentem auctoris. Translatio nostra congruit magis cum antecedentibus: nam cùm proximè reprehendisset risum, gaudiumque, & initio istius versus dicat se animum ad sapientiam transtulisse, non erat ita consequens, vt statim subiiceret, velle vino, ac deliciis tradere seipsum, diutináque perfrui voluptate.

a 3. Esdr. 4.
b thesau. ling. sanctæ.
c ibidem.
d Sixtus in Indice Bellarm. 1. de verb. Dei. c. 9. vbi agit de hoc loco, & alij.

Vino.] Omnium ferè linguis liquor hic eâdem, aut parū mutata voce appellatur, propter gratū omnibus, & suauem vsum eius: qua de causa pro qualibet voluptate accipi dixi in Scripturis; vnde opiparum conuiuium vocatur vini [e]. Ab Hebræo nomine יין iajn suspicantur quidā appellatum Ianū, qui cognominatus est οἰνότριος, hunc autem esse Noë [f], qui vini primus vsum inuenit [g]. De vino repete quæ dixi ad caput secundum Actuū [h], deque vitio ebrietatis. Vsum vini moderatū approbat noster idem Ecclesiastes [i], & Ecclesiasticus [k], & Paulus [l]: ideóque solus inhibetur immodicus, vt contra Tatianum, & Encratitas Nazaræorū probantes exemplo errorem suum, docet Hieronymus [m], & Augustinus, [n] ac Philaster [o] contra Seuerum, & Seuerianos, qui fabulosa vanitate de Satana, & terra germinasse asserebant vitem. Christus ipse & aquam in id vertit [p], & eo sanguinem suum consecrauit [q]: quod Aquarij sic dicti hæretici vel factum, vel fieri debere, superstitioso sobrietatis amore stultè negant [r].

e vt Eccli. 32. 41. c. 32. 7.
f Berosus lib. 1. si tamen verus est, non fictus.
g Genes. 9. 7.
h vers. 13.
i c. 9. 7.
k c. 2. 13.
l 1. Tim. 5. 23.
m in c. 2. Amos.
n tom. 6. de hæres. c. 14.
o cont. hær.
p Ioan. 2.
q Matth. 26.
r August. de hæres. c. 64.

Vt animum meum transferrem ad sapientiam.] Vetus translatio (*& cor meum deduxit me in sapientia*) id est, sed cogitatio mea, inquit Hieronymus, & ratio naturalis, quam etiam peccatoribus Deus auctor inseruit, retraxerunt me, & deduxerunt ad sapientiam requirendam, &c. Hebræa, Chaldaica, Græca editio sic etiam habet. Sensus autē continuandus est secundùm prædicta prioribus verbis. Caietanus interpretatur eodem modo, nisi quòd pro (*deduxit*) vertit participium נֹהֵג *noheg, assuescens*: significat præterea *regens, gerens seipsum*. Olympiodorus, qui legit consentaneè quoque ad Græcum textum (*& cor meum præcessit in sapientia, & pollens in lætitia*) ita explicat, & nectit cum sequentibus, quasi velit Ecclesiastes significare, se sapientiæ dono, quod acceperit à Deo, abusum ad terrena percipienda, & experiendum per ea, quæ mox addit fecisse, quidnam homines operari possint in hoc mundo, ex quo perpetuam in hac vita lætitiam, voluptatémque consequantur. Thaumaturgus eodem ferè pacto sententiam istam copulat. Vatablus vult vtrumque sectari simul quodammodo Salomonem voluisse, & voluptatem, quæ stultitia est, & sapientiam, donec videret quodnam esset bonum hominibus ex his, quæ facere solent. Redeunt eodem cuncta, nimirum experimento didicisse, quātum iis in rebus inesset vanitatis, quas res experiri, & perficere nequiuisset, absque sapientia, multóque minùs earum postea vanitatem deprehendere.

A

Deuitarémque stultitiam.] Cæteræ editiones (*vt caperem*, vel *apprehenderem*) sed Hebræa, & Chaldæa (*stultitiā*) Græca (*lætitiam*.) Verùm iā de lætitia dictū erat inanem esse: & apprehendere, aut capere, κρατῆσαι significant dominium, ac proinde coërcitionem & expulsionē; idémque est de Hebræo אחז achaz, vt etiam notauit Caietanus. Vatablus reddit (*retinere*) id est, conseruare, at minùs aptè. Ordinarij Græci codices habent (κρατῆσαι ἐπ᾽ εὐφροσύνῃ) sed Sixtiani (ἐπ᾽ εὐφροσύνην.) Non discrepat sensus, quem illustrat magis Thaumaturgus dicens, quòd ἐγκράτεια δουλοῦται ἐπιθυμίαν, *continentia in seruitutem redigit cupiditatem*. Nyssenus quoque sic legit, & exponit (*cor meum deduxit me in sapientia, per quam dominatum obtinui in lætitiam.*) Videntur Latini Interpretes non solùm ad Hebræam vocem attendisse, sed pro εὐφροσύνη legisse ἀφροσύνην. Videtur Hebrææ phrasis vis, *vt compeditam haberem stultitiam*. Vt autem impij *veritatem Dei in iniustitia*, hoc est, per iniustitiam, *detinent* [a], & quasi compeditam non sinunt liberè in opus prodire; sic pij stultitiam, & adnatam carnis petulantiam in vinculis retinent, ne valeat exerere sese, & exercere.

B

C

a Rom. 1. 18.

Quid esset vtile.] Hebraicè (*vbinā*, vel *vbi hoc bonū*, &c.) Græcè (ποῖον τὸ ἀγαθὸν, *quale bonum*.) Cùm finis per se sit appetendus, non vtile, sed honestū bonum debet esse: & Græcum nomen, quod iam retuli, Hebræúmque טוב tob, de quo priùs dixi, non restringitur ad vtile. Sermo est de hac vita, vbi quælibet bona induunt rationem vtilis, pro vt sunt media felicitatis futuræ. Res eadem quoque honesta simul est, ac vtilis, vt virtus, & sapientia, quam sapientiam Ecclesiastes noster vtilem vocat: potéstque delectabilis & vtilis esse, vt medicina dulcis. Denique maxima pars hominum ducitur emolumento proprio.

D

Quo facto opus est.] Iuxta alias editiones (*quod facient*, vel, *vt faciant*) id est, quid sit illud quod faciunt, vel facere debent, vt rem maximè vtilem obtineant, seu quæ sit res eiusmodi, quam facere, & persequi debeant. Symmachus legit τὸ σύμφορον. Hinc verò, vt benè monet Caietanus, intelligitur scopus Ecclesiastis in hoc libro, vanitates nempe declarare, vt ostendat nullum humanum opus esse tale, quod exercere per vitam totam hîc oporteat.

Sub Sole.] Hebraicè (תחת השמים thachath hasschamaijm, *sub cœlis*, aut *cœlo.*) Est ergo idem *sub Sole*, & *sub cœlo*. Lege caput primum [b].

E

b vers. 3.

Numero dierum vitæ suæ.] Tota vita: nec enim quodvis bonum pro tota vita commodum est, vt ait Nyssenus, sed quoddam cuidam ætati.

Vers. 4.] Magnificaui opera mea; ædificaui mihi domos, & plantaui vineas.

PErcenset abundantiam, & multitudinem voluptatum, non cum voluptate, vel fastu, cū

A fit iam eas abominatus;ſed vt efficaciùs,ac faciliùs moneat, perſuadeatque deſpicientiam earum,in quibus nil niſi vanitas exiſtat,& afflictio ſpiritus.

Magnificaui.] Lege Commentarios noſtros in Actus Apoſtolorũ [a],de hoc verbo.Scholia Græca (*μεγάλα ἐποίησά μοι ἔργα, magna feci mihi opera*) Lxx. in ſingulari(*ποίημά μου.*) Nec dubitandum verò, vt Nyſſenus facit, an de ſeipſo Salomon loquatur,tanquam de res has experto:nec etiam credendũ, dum experiretur,quod idem videtur indicare,quæ ſuiſſe velut in ſalſugine margaritũ. Potiùs expertum fateri debemus,vt hiſtoria prodit Regum, tandémque concedit Nyſſenus: ſicque ex inualetudine propria tanquam medicum, B aptius ægrititudinem ſimilem paſſis remedium dare, & inducere ad pudibundã confeſſionem. Talem ſcripſit confeſſionem Auguſtinus: talem exegit à quodam latrone archimandrita ille, de quo Climacus:talem Moſes Abbas ab ſe aliquando publicè tradit editam [b]. Notat adhuc Nyſſenus,opus hoc non eſſe Dei, & in ſingulari ſignificari voluptatem, cui vni tot alia ſeruiant; diceres,vt deſcribit Auguſtinus [c],in ſella illã regali aſſidere,ancillas etiam virtutes:quod & Cicero [d] teſtatur Cleanthem Stoicum aduersùs Epicuræos dixiſſe. Inuehitur in Epicurum Lactantius [e],nonnulla recitans, quæ de ipſo refert Athenæus [f]; C præterea in Lucretium, nimium Epicuri admiratorem & laudatorem. Euſebius [g] autem demonſtrat,veræ pietatis ab Hebręis fundamenta iacta eſſe;quia præter illos cæteri nihil fere de immortalitate animi ſentientes,nec aliud præter hæc viſibilia cogitantes,corporum voluptate felicitatem terminarunt,adeò vt quaſi maxima Deorum voluptas ab eis coleretur,ac propter voluptatem vitam optabilem ducerent, &c.

Domos.] In hiſtoria Regum [h] deſcribitur amplitudo,& elegantia domus Salomonis tredecim annorum ſpatio conditæ, & alterius, quæ ſaltus Libani vocabatur, & eius, quam extruxit filiæ D Pharaonis,quam duxerat vxorem. Legendus eadem de re Ioſephus [i], & Abulenſis [k], & hiſtoria Scholaſtica [l], & Villalpandus noſter in deſcriptione templi.Operoſum eſt hæc ædificia,& reliqua,quorum hîc mentio eſt,comparare paticulatim cum ædificiis, hortis, &c. aliorum Principum ante,poſtque Salomonem,vel in Iudæa,vel in aliis prouinciis.Conſtat ex his, quæ citati auctores narrant, necnon ex copia facultatum [m], atque ex magnificentia Salomonis, prorſus eximia, & viſenda fuiſſe. Inter ea quæ Regina Saba,cùm ad Salomonem venit,obſtupuit,fuit domus quam ille ædificauerat [n]. Lege prorſus elegantem allegoriam Nyſſeni de ornanda ſpiritualiter domo,& in ornatum temporalis domus ſu- E perfluum grauem reprehenſionem. Comparatio ſpeciatim fieri poſſet cum Neronis palatio, ſeu aurea domo,de qua Suetonius [o].Legendus præterea Chryſoſtomus [p] in domorum luxum nimium; ſed & ex profanis Seneca [q], atque Plinius [r].

Plantaui vineas.] De his non fit propriè mentio in aliis locis Scripturæ, quamuis in Canticis introducatur ſponſa crebrò de vinea loquens; tamen quidam [ſ] Ioſephum citant in Antiquitatibus tradentem, à Salomone in Engadditana regione(quæ procul eſt ab Ieruſalẽ pluſquàm 37. milliaribus ad mare mortuum) plantatas vites

a c.5.13.
b Caſſia. collat.2.c.11.
c 5.de ciuit. c.20.
d 2.de finib.
e 3.inſtit.c.17.
f lib.2.
g 7 de demonſt.c.1.
h 3.Reg.7. per totum.
i 8.Antiq.c.5. vel 2.
k in 3.Reg. c.7 q.1.& ſequentibus.
l ex 3. Reg.c. 24.& 25.
m 2.Paral.9. 22 & in iſto c.verſ.9.
n 3.Reg.10. 27.
o c.31.
p ho.15.ad pop.& ſer.de vanit & breuit.præſ vitæ. to.5.
q 1.natur. quæſt.c.1.
r 2.hiſt c.56. 57.58.
ſ Hieronym. Almonacirus in c.1. Cantico.

ſiue arbuſculas balſami feraces. Locum in Ioſepho non reperio; & *vinearum* nomen non ſignificat plantas quæ balſamum producunt. Quamquam Hebræum כֶּרֶם *cherem* pro *oliueto* ſumi quoque Rabbini exiſtimant [a]. Bethacarem domus, ſeu villa vineæ, memoratur à Ieremia [b], & Eſdra [c], quem nonnulli vnum de vicis Ieruſalem fuiſſe contendunt, idque nomen accepiſſe ab oppido non longè diſſito; à pagorum namque nominibus denominatos vicos ciuitatis illius,eo quòd illorum incolæ ad feſtiuitates dum venirent,in vicis ſingulis propriè habitabant. Sed alij cauſam nominis reddunt à vineis intra ciuitatem, ad quarum cuſtodiam domus, ſeu turris extructa eſſet. Sed hinc nihil poteſt elici de vineis,quas Salomon plantauerit.In Canticis [d] ait ſponſa: *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos:* Hebr.& Græcè,*Salomoni in Beelamon.* Hoc poſterius nomen docet Rabbi Abenezra eſſe propriũ loci prope Ieruſalem, vbi maior pars populi haberet vineas laudatiſſimas. Alij, quibus fauet Chald. eſſe cognomen Ieruſalem, quæ ob habitantium frequentiam ſic vocata ſit. De dicta vinea ſiue in Ieruſalem, id eſt,iuxta,ſiue paulo remotiùs ab ea, traditur eodem libro tantæ vbertatis ac prouentus fuiſſe, vt locationis nomine redderent mille argenteos cuſtodes ipſius cultorésve. De prima vites ordine diſponendi inuentione,de cultu vineæ, quàm vini ferax eſſet Iudæa,quanta vini commoda,incommoda,digredi volenti fœcunda hîc foret ſeges; ſimul occaſio reprehendendi Encratitas,Aquariósque vini vſu ſuperſtitioſiùs homines interdicentibus.Modico vini vſu nihil humano corpori vtilius: ſi modus abſit, nihil corpori pariter, atque animo pernicioſius eſſe ſcribit Plinius [e].

Verſ. 5.] Feci hortos,& pomaria,& conſeui eá cuncti generis arboribus.

PRodit Ioſephus [f], ab Ieruſalem duorum ſchænorum ſpatio Hetran nomine prædium abfuiſſe,hortis, & inductis fontibus amœnum ſimul ac opulentum, & cedros arbores antehac nunquam in Iudæa viſas, in campis eius adeò multiplicaſſe,vt moros numero æquarent. Hoc vltimum eſt etiam in hiſtoria Regum [g], vbi ſycomori nominantur quæ naſcuntur in campeſtribus.Quamuis non de plantatis cedris, ſed de cedris aliunde aſportatis ad ædificia locus intelligendus videatur. Erant porrò dicti horti in valle Hennon, quæ vocabatur etiam vallis Regis [h]: *πεδίον* vocant Lxx. Chaldæus vallem planam,& locum refrigerij Regis,aut Melchiſedech,aut poſtea Salomonis. Suſpicor portam in ciuitate,quam nominat Ioſephus [i] Gennath,volúntque alio nomine dictam portam gregis, ab hortis illis in valle Hennon appellationem ſumpſiſſe: quos enim hîc hortos Interpres appellat, Hebraicè dicuntur גַּנּוֹת *gannoth*,& in Canticis [k] idem nomen eſt in ſingulari pro horto, in quo erant poma conuallium, ſeu conuallis, vt Hebræi legunt, & Symmachus, vel torrentis: torrens enim Cedron irrigabat hanc vallem, hortúmque regium, & alios præterea in contigua valle Ioſaphat,ex quibus erat Gethſemani,ſic, vt Arias Montanus [l] obſeruat,cognominatus,quaſi dicas octauum,eo quòd plures ibi erant, quos

a theſau. ling. ſan.
b c.6.1.
c 2.Eſd.3.14.
d c.8.11.
e lib.10.c.5.
f lib.8. Antiquit.c.7.vel 2.
g 3.Reg 10. 27.
h Geneſ.14. 17.
i libr.6.de bel.Iud.c.6.
k c.6.10.
l in c.26. Matthæi.

præfi

præfixis numeris distinguebant & denominabát. Quamquam Gethsemani nô horti, sed villæ nomen est apud Euangelistas, quæ distat ab horto, vt necesse sit ad Ariæ tuendam sententiam, comminisci, ab horto nomen inditum villæ propinquæ. Idem forsitan sentiendum de alio nomine portę horti Regis, quod est apud Ieremiam [a]: alij enim Hebræi [b] de porta interpretantur in ipso horto Regis, & in cuniculo defosso intra duos muros, & per eam ductam esse viam subterraneam. Fauet quod in historia Regum [c] narratur de Ochozia fugiente per viam domus horti.

Hortos.] Dixi Hebraicam vocem esse גנות *gannoth*. Chaldæus addit *irriguos*. Vult Rabbi Dauid notionem Hebræam esse à גנן *ganan*, quod est *protegere*, & *abscondere*, quia hortus vndique sepiatur. Tamen aliquando eidem nomini iungitur epithetû, vt hortus conclusus [d] dicatur, sicut & vt irriguus [e]. Κῆπος καὶ λάχανα καὶ δένδρων, *& arborum, & olerum*, quæ nobis vsui cibario sunt. Non est perpetua Vallæ [f] differentia, vt hortus in numero vnius sit vbi olera, seu quæuis herbæ satiuæ nascuntur; horti pluraliter, qui arboribus consiti, voluptatisque causâ comparati. Olympiodorus hoc loco κήπους oleribus destinat, παραδείσους variis plantis, & arboribus.

Pomaria.] Hebraicè (פַּרְדֵּסִים *pardesim*) Græcè (παραδείσους) eadémque voce vtitur Chaldæus; & Interpres non rarò Latinam facit [g], etiá vbi alia est Hebræa, & diuersa: illa enim ter solùm extat in omni Scriptura [h]; vel etiam vbi est distincta Græca. Pomarium locus est arboribus pomiferis consitus, siue quæ fructus ferunt aptos humano esui, aut molles, aut duros. Iulius Pollux [i] (*paradisum*) Persicum facit vocabulum, à Græcis, vt alia non pauca, quæ collegit Brissonius [k], vsurpatum. Gellius [*] propter communem vsum eius apud Græcos, Græcum fortasse nominat, testisque est idem valere quod viuaria, hoc est, septa loca, in quibus feræ viuæ pascuntur. Græci præterea transferunt eandem dictionem ad quæuis loca ad amœnitatem, & oblectationem côparata. Suidas ita Hellenicum hoc nomen esse contendit, vt deriuet à δεύω, id est, *irrigo*, vnde verbale δεῦσος, mutato υ in ι. Alijs aliud etymon placet παρὰ τὴν δεῖσαν φρίξας, *ob herbarum collectionem*, quæ indiget τῇ ὑγρασίᾳ, καὶ τῷ κόπρῳ, *humore*, *& stercore*. Certum est, apud Herodotû, Xenophontem, aliósque auctores, præsertim qui res Persicas tractant [l], hac voce significari id, quod proximè dixi; quæ significatio notatis Scripturæ locis retinetur, & ad spiritualem nonnunquam iucûditatem extenditur [m]. Cùm autem Salomon hoc loco asserat se fecisse hortos, & pomaria, quamuis possit intelligi, quia curarit fieri, non est improbabile suamet manu fecisse, & quod additur, consenuisse: *disputauit* enim etiam *super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete* [n]. Fecit id in Sardiano paradiso Cyrus minor, quod post Xenophontem [o] scripsit Ælianus [p], & priorem Cicero [q] Latinè interpretans: fecit, sed abdicato Imperio Diocletianus Salonæ in patria [r]. Hortis verò viuariísque viri principes permulti oblectati sunt, magnósque in iis sumptus collocarût [f]. Laërtem Vlyssis patrem describit Homerus [t] à filio repertum, hortum colentem: de M. Valerio Coruino centenario idem refert idem Cicero. Denique Adam ipse à Deo positus est in paradiso voluptatis, vt operaretur illum, non tantùm vt custodiret [u]. Habet

a c.39.4.
b Rab. Salomon.
c 4. Reg. 9. 27.
d Cant. 4.12.
e Esa. 58.11.
f lib. 3. c. 9. elegantia.
g Genes. 2.8. 9.10.15.16. c.3. v.2.3.8.10.23. 24. c.13.10. Cant. 4.13. Ezech 28.13. c.31.8.9. Eccle. 44.15.
h hic & Cant 4 & 2. Esdr. 2.
i in onomastico
k 2. de Regno Persar.
* lib. 2. c. 20.
l lege Brisson. libr. 1. de Regno Persa
m Lucæ 23. 43. 2. Cor. 12. 4. Apocal. 2. 8. Ezec. 28. 13.
n 3. Reg 4.33
o in œconomico.
p 1 de animal c. 49. quê etiam lege c 59
q libr. de Senectute
r Iouius Pontanus 3 de fort. domest. c. 5.
f thea. vitæ hum. volum. 10 lib. 2
t Odyss. vlt.
u Genes. 2.15.

A ingentes voluptates agricultura, vt de eodem loquens Adâ paradisi cultore docet Augustinus [a]. Eandem post diluuium reparator humani generis Noe factitauit artem [b]. Elegantissimè, suauissiméque laudat Virgilius [c] hortorum cultum, ac multa præterea Lipsius [d] colligit. Hebræos porrò vocabulum Persicum *paradisi* mutuatos non inuerisimile ducerem, si apud eos duntaxat auctores inuenirem, qui sub tempus Babylonicæ captiuitatis scripserunt. Doctores Hebræi suum esse contendunt [e]. Non rectè argumentantur aliqui nomen hoc minimè Persicum esse, quòd Salomon multo ante captiuitatem Hebræorû Persicam scripsit. Inseri potuerunt etiam à Salomone Persica vocabula; sicut constat Chaldæa

B Psalmis inserta.

Cunctis generis arboribus.] Hebraicè & Græcè (*plantaui in eis omne lignum fructus*, siue *fructiferum*) Chald. (*seminaui ibi omnia genera herbarum, & omnes arbores fructiferas.*) Indulsit forsitan hac in re vxori filiæ Pharaonis, quoniam Ægyptiis, vt ait Athenæus [f], hortorû cura familiaris erat: quemadmodum Babylone Syrus, seu Assyrius quidam Rex, non verò Semiramis, vt Eustathius [g] voluit, in gratiam vxoris hortû pensilem excitauit impensa incredibili, cùm illa quæ erat Persa genere, cuperet in montibus iuxta morem Persarum, seu Medorum videre prata [h]. Legendus Barnabas Brissonius [i]. Rex ille Nabuchodonosor magnus nominatur à Iosepho [k]. Putant nonnulli

C Martialem Epigrammate primo indicasse hoc ipsum, cùm scripsit:

Assyrius (vulgò *assiduus*) *iactet nec Babylona labor.*

Syros, ac Palæstinos hortis plurimùm delectatos Plinius [l] prodit, vt inde apud Græcos prouerbium fluxerit; *multa Syrorum olera*. Id innuit quoque Amos [m]; *Multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarû comedit eruca*: & confirmat exemplum iniqui Achab [n]. Nec improbabile vsum Salomonem viuariis, licèt nominatim nemo meminerit. Digreditur hoc loco Nyssenus in abusum vini, & in inutilem hortorum curam: quo etiam pacto deliciæ quærantur in terra per ædificia, in aëre per plantas, in aqua per piscinas

D fontésque.

Vers. 6.] Et extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium.

PRo Hebræa voce בְּרֵכוֹת *berechoth*, Septuaginta habent κολυμβήθρας, Aquila λίμνας, Symmachus δεξαμενάς, eodem sensû. Duplex piscina memoratur in Ierusalem, superior, seu vetus, & inferior. Prima videtur, quam Nehemias [o] grandi opere constructam vocat, & piscinam Regis,

E & quam Ezechias in vrbis obsidione siccauit, vt deduceret aquas inter duos muros, vt meminit historia Regum [p], ac Esaias [q], & quá Iosephus [r] nominat stagnum Salomonis (nimirum κατ' ἐξοχὴν Rex Salomonem significat) cuius origo est fons Siloë, qui aliter dicitur fons Gihon [f], ad radices montis Sion [t]. Deriuabatur autê ex aquæductu, quem Salomô, vt fontem in quo vnctus [u] erat in Regem, veluti ob memoriam gratissimâ, in ciuitatem introduceret, ædificauerat, & inde per occultos canales in hortos regios vallis Iosaphat, & Hennon. Altera piscina ex priore extitit, ille nimirum, quem Esaias lacum appellat ab

a 8. Genes. ad lit. c. 8.
b Gen. 9. 20
c 4. Georg
d libr. 2. de constantia. 2. & 3.
e thesau. linguæ sanctæ
f Apud Rhodigin. lib. 11 c. 37.
g in Dionys. de situ orb.
h Diodo. lib. 2. c. 4. Strab. libr. 15. Q. Curtius l. br. 5.
i lib. de regio Persarum Principatu.
k libr. 10. Antiq. c. 11. vel 13.
l lib. 20. c. 5.
m c. 4. 9.
n 3. Reg. 21.
o 2. Esdr. 2. 13. c. 3. 16.
p 4. Reg. 20. 20.
q c. 22. 9. 11.
r libr. 6. de bel. Iud. c. 6.
f 2. Paral 33. 30.
t Esa. 8. 6.
u 3. Reg. 1. 33. 34.

Ezechia factum inter duos muros, magis habita ratione præsentis maximæ necessitatis, quàm regiæ magnificentiæ, quam vetus piscina præ se ferebat. Celebratur quoque natatoria Siloë [a], opus pariter Salomonis, & interdum nominatur piscina inferior. De probatica piscina opinantur nonnulli [b] ab eodem Salomone conditam. Sed huc non pertinet, quoniam purificationi hostiarum templi, atque ministrorum, ad raditem eius inseruiebat, communi multorum opinione, quæ tamen non placet Maldonato [c]. Numerat autem Seneca [d] inter delicias Romanorum deriuata in domos flumina; & Suetonius [e] in domo Neronis fuisse scribit stagnum instar maris: queritúrque idem Seneca [f], & Plinius [g], etiam aquas, quas natura communes fecit, opulentos, ac principes viros pecunia discreuisse, atque separasse: ridet etiam Clemens [h] Alexandrinus Persicorum Regum stultitiam, qui Choaspis fluminis aquam soli potare volebant, & si quando peregrè irent eam secum importabant. Id produnt præterea Herodotus [i], Athenæus [k], Plinius [l], Solinus [m].

a Ioan. 9. 7.
b Adrichomius de vrbe Ierosolym. n. 62. citans alios, & Villalp. in apparatu vrbis. par. 1. lib. 3. c. 15.
c in c. 5. Ioan.
d præf. qq. natur. c. c. 31.
e c. 31.
f 4. nat. qq. c. 14.
g lib. 29. c. 24.
h 2. pædag. c. 2.
i lib. 1.
k lib. 2.
l lib. 31. c. 3.
m c. 53.

Syluam lignorum germinantium.] Hebraicè & Græcè (*syluam producentem ligna*) Chald. (*syluam, quæ alit ligna ad incendendum.*) Olympiodorus exponit de proceris arboribus, quæ sponte quodammodo sua in montibus enascuntur, vt palmis, salicibus, quercubus, piceis: glossa interlin. cum Hieronymo, de lignis infructuosis; sed Hugo Cardin. & alij de fructiferis. Ego de vtrisque; sed de infructiferis nominatim, vt perpetuo virore delectarent, ac tunc præsertim, quando succrescebant, hoc enim valet participium צומח *tsomeach, sylua germinans*, siue *germinare, & crescere faciens*, vel *germinans arboribus*, id est, cùm germinant, & succrescunt arbores. Ambrosius alicubi [n] legit *saltum germinantem*. Quod verò Chaldæus ait de lignis ad incendendum ignem, nimis restringit; erãt enim quoque arbores illæ ad inumbrandum, ad exhilarandũ, ad fabriles vsus, quamuis nec propter hanc potissimùm vltimam causam, sicut nec ob ignis fomentum Salomon excitasset domesticam syluam. Qui vnam è domibus extructis à Salomone, dictam saltus Libani, à cedris ibi plantatis denominant, de hac sylua locum præsentem facilè intelligent, præsertim propter cedros.

n libr. de Isaac. c. 4.

Vers. 7.] Possedi seruos, & ancillas, multámque familiam habui: armenta quoque, & magnos ouium greges vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ierusalem.

Sensus literalis perspicuus est: mysticum Hieronymus affert, aliique, quos consule. Monet autem Albinus, nonnullos à versu 4. ad 14. de Christo interpretari conari; sed ægrè id consequi, nisi fortè ad membra quoque mystica ipsius accommodent.

Possedi.] Eodem hîc verbo Hebræa vtitur editio, & Chaldæa: sed qui hanc Latinam fecit, reddidit (*emi*) sicut & (*mercatus sum*) dixit Interpres editionis Septuaginta Sixtianæ. Olympiodorus, & Thaumaturgus, & Nyssenus (τὸ ἐκτησάμην) ad seruos venalitios referunt, quos, cùm vernæ non sufficerent, in familiari ac domestico ministerio sibi Salomon comparauerit. Et *possidere*, siue *habere*, aut *emere*, aut *acquirere*, vel labore, vel pre-

A tio, significat Hebræum קנה *kanah*, & Græcum κτάομαι. Cain qui à possessione denominatus est [a], non propriè possidebatur. Qui possidet aliquid, potest sibi comparasse vel hæreditario, vel donationis iure, aliisve modis: idcirco rectè Interpres hoc amplioris acceptionis vsus est verbo. Ex descriptione quotidiani victus cibique Salomonis coniectura sumi potest de multitudine famulorum & ministrorum. Plures, opinor, habuit quàm Abraham, cui expediti ad bellum vernaculi fuerunt treceenti decem & octo [b]: etsi Iosephus [c] hos ipsos ait aliorum ipsius militum præfectos ac duces fuisse. Romani etiam, vt M. Crassus [d], seruorum numerum in maximis opibus habebant, vt alias nationes prætermittam [e].

a Genes. 4. 1.
b Gen. 14. 14.
c 6. de bello Iud. c. 11.
d Plutarc in Crasso, & Cicer. de off. lib. 1. & parad. 6.
e in theatro vitæ humæ. vol. 4. libr. 1.

B Cùm autem possedisse dicatur, vel emisse, non tyrannicè compulit Hebræos in seruitutem, aut illorũ sibi seruos, atque ancillas vsurpauit. Nam quod Dei iussu Samuel [f] retulit populo Regem postulanti de Regis iure, vt eorum seruos, & ancillas auferret, & ipsosmet seruos sibi faceret, iuris nomine non id quod iustè fit, sed quod fieri solet, & veluti iustum foret, iustè fieri videtur, intelligendum est.

f 1. Reg 8. 16. 17.

Quod attinet ad Salomonem, proditum est in sacris literis [g], de filiis Israël constituisse non seruire quemquam, sed de Amorrhæis, Hethæis, Phærezæis, Heuæis, Iebusæis: & iampridem Gabaonitas Iosue damnauerat ad ligna cædenda, & aquam comportandam [h]. Sed credendum est C horum operas pretio constitisse, idque persolutum his quos adhiberet, à Salomone. Attamen fieri quoque potest, vt Salomon simulac recessit à Deo, subditos durè tractauerit; hoc enim eo mortuo conquesti sunt Hebræi, mitiúsque secum agi à filio Roboam flagitauerunt [i]. Fortasse remitti solùm petierunt nonnihil de quantitate tributi ordinarij.

g 3. Reg 9. 20. 21. 22. 2. Paral. 8. 7. 8. 9.
h Iosue 9. 31.
i 3 Reg 12. 4. 2. Par. 10. 4.

Multámque familiam habui.] Hebraicè (בני־בית *bene bayth, filios domus*) Græcè (οἰκογενεῖς, *domi natos*) id est, qui nascuntur ex seruis, & vocantur vernæ, & aduenæ, & vernaculi. Hugo Cardinalis recitat aliam lectionem (*& vernaculi fuerunt mibi.*) Hæc est vetus translatio apud Hieronymum. De familia dictum aliàs [k], dictam primaD ria significatione de seruis & famulis: prisca enim lingua Latina *famel* id significat: quamuis nomen translatum sit ad omnes domesticos, etiã propinquos & cognatos, quo in vsu reperitur quoque, vt ait Hesychius, Græcum οἰκογενὲς, vel per geminum γ, οἰκογγενὴς. Chaldæus exponit (*dispensatores, qui præpositi essent victui domus meæ, fuerunt mihi ad alendum me, & homines domus meæ.*) Eleganter planè, vt solet, digreditur Nyssenus in hominis naturalem nobilitatem, cui repugnare videatur, vt ab alio possideatur quàm à Deo. Porrò Salomonis familiam ex iis quæ refert sacer historicus de cultu Salomonis quotidiano, & ex iis quæ Iosephus [l] addit, bene colligit quaE draginta octo hominum millia superasse Villalpandus [*]: Pineda [m] verò familiæ totius amplitudinem permagnã ex annona, cibóve quotidiano, quem in historia Regum [n] positum, sigillatim, & per partes considerat. Disputant Theologi, ac Iurisconsulti de iure seruitutis humanæ, ac homo sitne propriè dicti dominij, quod alius homo habeat obiectum. Constat plenum dominium in hominem exerceri non posse, sed quantum ad vsum, & operationes ipsius nonnullas; atque iure Gentium, naturæ autem, vt vocãt,

k in c. 4. Act. Apost. vers. 23.
l Ioseph. lib. 8. c. 2.
* tom 3. lib. 4. disp. 3.
m de reb. Salom. c. 8.
n lib. 3. 4. 22.

permissi

permiſſiuo, ſeruitutem introductam. Serui apud Hebræos ex Gentibus perpetua ſeruitute ſeruiebant [a]: ex ipſiſmet Hebræis ſi aut inopia oppreſſi ſeipſos vendebant, & erant mitiùs tractandi tanquam mercenarij, & anno Iubilæo liberi dimittendi [b]; ſi anno ſeptimo libertate ſibi per legem conceſſa vti nollent, propterea ſubula eis auris perforabatur [c]: aut ſi furati ſoluendo nō eſſent [d]: aut ſi ex Hebræo ſeruo, & ancilla nati erant [e]. De Gynecæi, & ancillarum numero capi coniectura debet ex tot vxorum, atque concubinarum grege. *Adoleſcentularum non eſt numerus*, inquit ipſemet Salomon in Cantico [f]. Tranſiſſe hoc videtur exemplum ad Perſas, & Turcas, & id hodiéque vigere.

a Leuit. 25. 44.
b verſ. 38
c Exo. 21. 2. 5.
d c. 22. 1. 3.
e c. 21. 3. 4.
f c. 6. 7.

Armenta.] Hebraicè (מִקְנֵה בָקָר *mikne bakar*) Chald. (*poſſeſſio taurorum*) Græcè (κτήσεις βουκολίων.) Hebræa dictio non tantùm *bouem*, ſed collectiuè ſignificat *maiora animantia, quæ gregatim paſcuntur*: ſicut צֹאן *tſon*, quod ſtatim ſequitur, *gregem ouium, & minorum animantium*. Græca quoque vox primariò de bobus dicitur, ſed tamen etiam de aliis armentis, & βουκολεῖν de eo etiā qui paſcit equos. Equos autem Salomonis exprimunt ſacræ literæ: fuerunt enim quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium, & ille & quadringenti currus, quos ſacer textus quadrigas appellat. Itaque equi omnes fuerunt quinquaginta ſeptem millia ſexcenti. Denique *armenti* nomen denotat pecus idoneum ad opus armorum, quaſi armamentum, vel arandi, tanquam aramentum, vt ſunt non equi tantùm, ſed etiam boues, extenditúrque ad ceruos, &c. Antiquior poſſeſſio fuit armenti, & pecoris, vnde poſtea pecunia quę ſignabatur pecudis, vel bouis nota [g]. Viuo adhuc mundo viuæ placebant diuitiæ, & florentes, creſcentéſque, iam ſeneſcenti, ac propè mortuo, mortuæ ſepultæque metallorum, &c. qua in re limites quoque præfixos à Deo tranſgreſſus eſt homo, inquit Nyſſenus, exenterans, ac exhaurians terram, eruens quæ voluit Deus abſcondita. Demonſtrat autem idem auctor aurum opéſve animo, corporíque quàm proſint parum. Si Ezechias, qui duarum duntaxat Rex tribuum erat, ouium, armentorúmque greges habuit innumerabiles, & omnium præſepia iumentorum [h], quid æſtimandum de Salomone? Si Iob regulus poſſedit camelorum tria millia [i]; ſi cùm Agarenos Hebræi profligarunt, abduxerūt aſinos bis mille, ouium ducenta quinquaginta millia, camelorum quinquaginta millia [k], ſi Perſici Reges iter ineuntes habebant in comitatu decem millia camelorum [l]; ſi Madianitis, & Amalecitis in expeditione contra Hebræos cameli ſuppetebant innumerabiles, ſicut arena, quæ iacet in litore maris [m]; quis mirè poterit quot abundaret Salomon camelis? de mulis ambigi nequit, quorum vſus erat ipſiſmet Regibus, ac Principibus in Palæſtina [n]; vbi etiam, & in Arabia mulas parere prodit Ariſtoteles [o]. Eſt præterea id animal viribus in labores eximium, & oneri ferendo aptiſſimum. In Alexandri exercitu poſt Darium deuictum, ſubactámque Aſiam, triginta mulorum millia ad captiuum aurum euehendum fuiſſe Q. Curtius prodit [p], præter eos, qui ſarcinas, ac impedimenta conuectabant. Aſinos Palæſtini habebant in pretio: & Iair Iudex Hebræorum filios habuit triginta, ſedentes ſuper totidem filios aſinarum [q]; per quos muli tamen etiam intelligi poſſent: & alius item Iudex

g Plin. lib. 8. c. 45. lib. 33. c. 1. & 3. Varro 4. de lingua Latina, & 2. de re ruſtica.
h 2. Paral. 32. 28. 29.
i Iob. 1. 9.
k 1. Paral. 5. 21.
l Lamprid. in Heliog.
m Iudic. 2. 12.
n 2 Reg. 13. 29. c. 18. 9. 3. Reg. 1. 3.
o 6 de hiſt. animal. c. 24.
p lib. 8.
q Iudic. 10. 4.

A Abdon filios quadraginta, & ex iis nepotes triginta, qui pariter aſcendebant ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum [a]: & Debbora cecinit [b]; *Cor meum diligit Principes Iſraël, qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos*: & Iob habuit aſinas quingentas [c]: & Romanos nobiles, ac prædiuites iiſdem vſos meminit Plinius [d]. Ex his coniectura fieri poteſt, ingentem planè numerum aſinorum Salomonem habuiſſe. Boum, ouiúmque recenſere numerū quis valeat? In vna templi dedicatione mactauit Salomon boum viginti duo millia, ouium centum viginti millia [e]. Appellat hoc loco ipſemet Salomon magnos ouium greges. Quotidie agni duo immolabantur ſecundum legem; diebus Sab-
B bathi duo anniculi; in Calendis ſeptem; in Paſchate vnus à quolibet patrefamilias; narrátque Ioſephus [f] ſemel in eo feſto cæſa ducenta quinquaginta ſex agnorum millia, & inſuper ſexcentos. Poſtremò, vt priùs dixi, ouium greges innumerabiles Ezechias aluiſſe dicitur [g]. Quod verò attinet ad numerum illum tantum equorū, quem dixi, videri ſanè poſſit Salomon exceſſiſſe, cum cauiſſet Deus multiplicari equos à Rege, ne facilè reduceret populum in Ægyptum [h]; quamuis Philo [i] conetur eam legem tropologicè ad mores transferre. Ratio melior, vt diſceret, & aſſueſceret populus in bellis Deo fidere potiùs, quàm in curribus, & equis [k]. Verùm hac de re alibi egi-
C mus. Poſtremò non videtur defuiſſe ad Salomonis delicias canes venaticos, & prædatrices aues, quibus tantopere delectari Principes ſolent iam inde à perantiquis temporibus Nemrod, & Eſau.

a c. 12. 14.
b c. 5 10.
c Iob. 1. 3.
d lib. 8. c. 43.
e 3. Reg. 8. 63.
f 7. de bello Iud. c. 17.
g 2. Paral 32. 28. 29.
h Deut. 17. 16.
i de agricult.
k Pſal. 19. 8.

Vltra omnes qui fuerunt ante me in Ieruſalem.] Sic verſu quoque nono, & capitis prioris decimoſexto, ne quis laboret de aliis an ſimiliter ſuperati ſint à Salomone in ſapientia, pecore, & opibus: ante Salomonem verò ſolus in Ieruſalem regnauit Dauid, vt notat Hieronymus, quia ſub Saül Iebuſæi occupabāt illam. Quin tamen Saüle dirior Salomon fuerit, dubitari nequit: imò ex his quæ dicemus, omnium planè vbique Regum, vel Principum ſuperaſſe facultates videtur.
D Lege etiam nonum verſum. Idem etiam multis probat Villalpandus [l].

l tom. 2. in Ezech. lib. 5. diſp. 3. à c. 48 vſque ad finem, & diſp. 4 c. 2. 3. 4. 5.

Verſ. 8.] Coaceruaui mihi argentum & aurum, & ſubſtantias Regum, & prouinciarum. Feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos & vrceos in miniſterio ad vina fundenda.

CHaldæus membrum ſecundum ſic reddit (*& theſauri Regum, & regionum dati ſunt mihi*
E *in tributo.*) Nimis anguſtè de ſolis tributis, vel *tributorum* nomine abutitur pro muneribus. Quātæ verò fuerint Salomonis opes, enucleatè declarandum. Dauid in impenſas domus Domini reliquit auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum, æs, & ferrum ſine pondere, ligna item, & lapides [m], & ex his alios onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum, omnémque pretioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſimè [n]. Præterea, de peculio ſuo tria millia talenta auri de auro Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi ad deaurandos parietes templi [o]. Tertiò, Principes familiarum Iſraël, & proceres tribuum, & tribuni, &

m 1. Par. 22. 14.
n 1. Par. 29. 2.
o ibid. verſu 4.

centu

centuriones, & principes possessionum Regis dederunt in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & solidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum, & apud quemcunque inuenti sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini. Quartò, Hiram Rex Tyri misit ad Salomonem centum viginti talenta auri [a], non semel tantùm, sed, vt quidam putant, quotannis, quamdiu durauit ædificatio, non solùm templi, sed aliarum rerum, id est, toto tempore Regni Salomonis. Quintò, Regina Saba obtulit Salomoni centum viginti talenta auri, præter aromata multa nimis, & gemmas pretiosas [b]. Sextò, quælibet tribus Israel offerebat Salomoni singulis annis auri talēta centum viginti, ad ædificandum domum Domini, & domum suam, & Mello, & murum Ierusalem [c], quantum scilicet soluebat Hiram, quod tributum causa fuit rebellionis decem tribuum [d] à Roboamo ad Ieroboamum, quem Ieroboamum constituerat Salomō super tributa tribus Ioseph. Itaque omnes duodecim tribus soluebant talenta auri singulis annis mille quadringenta quadraginta. Septimò, erat pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos (redituum nomine ordinariorum, vt probat Abulensis [e], quos subditi Reges pendebant) sexcentorum sexaginta sex talentorum auri: excepto eo, quod afferebant viri, qui super vectigalia erant, & negotiatores, vniuersíque scruta vendentes, & omnes Reges Arabiæ, ducésque terræ [f]. Octauò, classis ex Ophir afferebat Salomoni aurū quadringentorum viginti [g], vel etiam quinquaginta [h] talentorum, licèt nō iret, redirétque nisi forsitan semel per tres annos, sicut quæ ibat in Tharsis [i]. Septuaginta legunt centum, & viginti: & alij codices Græci quadringenta in libro tertio Regū; in secundo autem Paralipomenon omnes eodem modo quadringenta quinquaginta. Retenta nostra lectione, triginta quæ desunt priore loco, fortasse sunt expensa in necessariis nauigationi, vt coniicit Vatablus, & Sà, ita vt ad Salomonem peruenerint solùm quadringenta viginti: vel potiùs posterior locus supplet id, quod deerat in priore, ita vt etiam summa tota perlata sit ad Salomonem. Nonò, classis hæc, quæ ibat semel per tres annos in Tharsis (quam tamen Abulensis [k] vult aliam fuisse ab ea quæ in Ophir) deferebat aurum & argentum (quorum, quia incerta, supputatio non est inita) & dentes elephantorum, & simias, & pauos [l]. Si quis colligat summam aureorum scutorum monetæ Romanæ, ad quam ascendant quæ dicta sunt in certo designato numero talenta vel auri, vel argenti secundùm ordinariam perfectionem ipsorum metallorum (æs enim quod pretio superabat illa metalla, id saltem quod Corinthium appellabatur, necnon ferrum, nunc non æstimabimus, sicut nec æstimare possumus ea, quæ sine numero posita sunt in variis muneribus auri, lapidum, lignorum, equorum, & in vectigalibus, &c.) reperiet huc peruenisse facultates Salomonis, quibus cognoscatur veritas promissi diuini, vt nec ante, nec post ipsum Rex esset similis in diuitiis, substantia, gloria [m]. Valet auri talentum, Hebraicum videlicet, continens centum minas, teste Iosepho [n], aut centum viginti, vt asserit R.D.Kimhi, aut, vt alij, ducentas viginti, aut ducentas quadraginta, aut ducentas septuaginta, monetæ Romanæ scuta

a 3.Reg.9.14.
b 3.Reg.10.10.2.Paral.9.9.
c 3.Reg.9.15.
d 3.Reg.12.17.18.3.Reg.11.4.
e 2.Paral.9.9.5.
f 3.Reg.10.14.15 2.Par.9.13.14.
g 3.Reg.9.28.
h 2.Par.8.18.
i 3.Reg.10.
k 2.Par.9.9.5.& 14.
l 3.Reg.10.22.2.Par.9.22.
m 3.Reg.3.13.14.2.Par.1.12.
n 5.Antiq.c.10.

A sexdecim millia octingenta triginta: Budæus [a] ait minimùm septem millia Gallicos coronatos, & septingentos. Talentum autem argenti valet eiusdem monetæ scuta mille quadringenta quadraginta. Porrò solidus aureus est drachma, seu pars quarta sicli, id est, circiter scutū aureum.

a 4.de asse.

Itaque prima summa centum mille talētorum auri, & mille millium argenti, efficit scutorum monetæ Romanæ argenti ter mille centū octoginta tres milliones. Secunda, quæ est trium millium talentorum auri, & septem millium argenti, euadit summa sexaginta millionum, & quingentorum septuaginta millium scutorum argenti monetæ Romanæ.

B Tertia, quæ est quinque millium talentorum auri, & decem millium solidorum etiam auri, reddit octoginta quatuor milliones, & centum quinquaginta & vnum millia, & quadringenta quinquaginta octo.

Quarta, & eiusdem quantitatis quinta centum viginti talentorum auri valent quatuor milliones scutorū monetæ Romanæ, & trecenta octoginta & vnum millia, atque ducenta scuta. Quòd si Hiram ab anno quarto Regni Salomonis, quo cœpit ædificare templum, vsque ad finem Regni eiusdem, misit quotannis centum viginti talenta, id est, per annos triginta sex, summa huius veluti reditus annui erit septuaginta duorum C millionum, octingentorum quinque millium, & sexcentorum scutorū argenti: summa verò Reginæ Saba erit, duo milliones, & centum nonaginta millia, & sexcenta scuta.

Sexta, quæ est talentorum auri mille quadringentorum quadraginta, reddit viginti quatuor milliones scutorum Romanæ monetæ, & ducenta triginta quinque millia scuta, quæ per triginta sex annos multiplicata, nimirum à principio fabricæ vsque ad obitum Salomonis, dabunt septingētos octoginta duos milliones scutorum Romanæ monetæ, & quadringenta sexaginta septem millia, ducenta scuta.

Septima, quæ est sexcentorum sexaginta sex D talentorum auri, peruenit ad vndecim milliones scutorum monetæ Romanæ argenti, ducenta & octo millia & septingenta, & octoginta. Hęc per quadraginta annos Regni Salomonis sunt quadringenta quadraginta octo milliones, trecenta quinquaginta vnum millia, & ducenta scuta.

Octaua, quæ est quadringentorum quinquaginta talentorum auri, valet septem milliones, quingenta septuaginta tria millia, & quingenta scuta. Quæ si trifariam multiplicemus per tredecim annos circiter, quia tertio quoque anno afferebantur illis quadraginta annis vitæ Salomonis, erunt nonaginta octo milliones, quadringenta & quinquaginta quinque millia, & quin- E genta scuta. Horum omnium, quæ in omni vita sua Salomon habuit, quorum Scriptura certum numerum designauit, summa est, ter mille nongenti tres milliones, & septingenta sexaginta quinque millia, & nongēta viginti quatuor scutorum monetæ Romanæ argenti; quibus si addamus mille quadringenta quadraginta auri talenta, per triginta sex annos multiplicata, erunt quater mille sexcenti octoginta sex milliones, ducenti triginta tria millia, centum viginti quatuor. Præter hæc verò, vt colligitur ex dictis, magnam valdè aliam summā habebat ex aliis multis rebus collectam, quarum initi summa non potest, vt ex vectigalibus, negotiationibus, mu-

neribus,

neribus, qualem, & quãtam nullus vnquam Monarchia, vel Reſpublica habuit. Lege citata loca hiſtoriæ Regum, & Paralipomenon, & caput 47. Eccleſiaſtici, & Ioſephum [a] in Antiquitatibus, & Ioannem Ludouicum Viualdum [b], & Ioannem Baptiſtam Villalpandum [c], quem de hoc argumento copioſe diſſerentem per plura capita legi, poſtquam hæc pauca ſcriptis mandaueram, & interpretes citatorum locorum, & Sabellicum [d], Eupolemum quoque apud Euſebium [e], & Ioannem Cognatum [f]. Otioſum eſt comparationem inſtituere cum iis, qui ſunt habiti, habentúrve noſtro tempore ditiſſimi. Illorum namque aut confictæ, aut multo minores ſunt diuitiæ: de his autem nec mendax eſt promiſſum Dei, nec Scriptura, quæ id promiſſum eo modo completum quem dixi, teſtatur. Sina Rex hodiéque annuos reditus habere dicitur centum viginti millionum [g]. Comparationem cum Aſſyriis, Alexandro Magno, Romanis facit Villalpandus. Quare non aſſentior Ioanni Ludouico [h] Viualdo concedenti, quamplures Romanos Principes diuitiis, & potentia ſuperiores fuiſſe. Bartholomæus Spineus tractatum fecit, in quo comparat Alexandri Magni, atque Salomonis diuitias, illum huic præferendo, allato Hugonis, & Lyrani teſtimonio, & ratione, ob amplitudinem Regni Alexandri longè maiorem: & concedendo, Salomonem ditiſſimum fuiſſe Regum ætatis ſuæ: vel eorum qui priùs regnauerant in Ieruſalem: vel omnino omnium, quíque præceſſerant, quíque per orbem vniuerſum conſecuti ſunt, iuxta rationẽ, ſiue proportionẽ ditionis, atque regionis quam poſſidebat: vel nullum repertum Regem eſſe, qui ſimul adeò ſapiens, diues, potens, celebris eſſet, quàm fuit Salomon, licèt aliqui in aliquo ex iſtis eum ſuperauerint. At Budæus [i] non dubitat affirmare, opes Dauidis, quæ ceſſerunt deinde Salomoni, decies fuiſſe maiores opibus Darianis; quas autem Salomon congeſſit, in infinitum ire: rationéſque optimas affert cur hoc, vt aliæ Iudæorum res, antiquiorum hiſtoriis non celebretur. Hyperbolem non nego, ſed quæ immanes illas Salomonis opes declaret, cùm dicitur Salomon feciſſe, vt tanta eſſet abundantia argenti (cuius etiam in ſumma noſtra rationem non habuimus) in Ieruſalem, quanta lapidum [k], & collegiſſe vt aurichalcum aurum, & vt plumbum compleuiſſe argentum [l]. Ioſephus [m] ait, Dauid diuitias tantas reliquiſſe, quãtas nemo alius Regum, nec Hebræorum, nec aliarum gentium reliquerit: Eupolemus apud Euſebium [n] ex Vrphe, ſiue Ophir innumerabilia penè pondo auri aduecta.

Accedit quòd confluebant plurimis ex prouinciis etiam Principes non ſine magnis muneribus, & quidem annuis, ad audiendam Salomonis ſapientiam: quòd pacatus regnauit per annos quadraginta: quòd latè dominatus eſt in feraciſſimis regionibus, vt deſcribitur in hiſtoria Regum [o]: quòd tam laute vixit, & familia eius innumerabilis [p], tum hominum, tum equorum: quòd ſubminiſtrauit ampliſſimam annonam Regi Hiram [q]: quòd tantam habuit ſupellectilem, & armamentum: tot aluit operas templi, & ædificiorum aliorum ſumptu incredibili conſtructorum; quæ ibidem narrantur, & ſecundo Paralipomenon: quòd ſicut ſapientia, quã tantam fuiſſe demonſtrauimus, ita diuitiis adumbrauit Chriſti ſapientiam, & ſpirituales diuitias; qui etiã Chriſtus vt ingentis gloriæ tẽporalis proferret exemplum, Salomonis meminit [a]: quòd incolerent prouincias illas homines innumerabiles inſtar arenæ maris [b]: verbi gratiâ, cùm vinceret Dauid, inuentus eſt omnis numerus filiorum Iſraël mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda quadringenta ſeptuaginta millia bellatorum, non computata tribu Leui, & Benjamin [c]. Adde præterea, quòd in literis, quas Reges etiam Ægypti mittebant Salomoni, appellabant eum Regem magnum, ipſe reſcribens amicos paternos dumaxat. Refert id Euſebius [d], vt quidem ex editione Græca intelliges. Adhæc, vt ex libris Regũ, ac Paralipomenon apertè colligitur, & ex Ioſepho, milites, operarij, familia Salomonis alebatur non ex Salomonis tributis, ſed à populo, & præfectis. Adiiciendæ ſimul aggeſtæ à Dauid, & Salomoni relictæ opes, ex iiſdem tributis, quæ poſtea collegit Solomon, & ex nauigatione Indica, ex vectigalibus, & negotiis, & ſcriptura, ſiue paſtione, &c. ex hoſtium ſpoliis, prædis, manubiis, quæ manubiæ, prædæ, ſpolia creduntur facilè pertigiſſe ad ſummam talentorum argenti mille millium, quæ moriens Dauid templo legauit. Myſticum Hieronymo ſenſum concedimus de argẽto, & auro, ſemper hæc Scripturam diuinam ſuper ſermone ponere & ſenſu, quod probat ex columbæ pennis deargentatis, éxque pallore auri in poſterioribus dorſi eius, vt eſt in Pſalm. 67.

Subſtantias.] De nomine Latino aliàs dixi [e], & de Græco τῶν ὑπαρχόντων. Hoc loco Græca vox eſt περιουσιασμὸς, eiuſdem ſignificationis cum dictione τῶν οὐσιῶν, nimirum pro magna ſupellectile, opum copia, ſuperioribus facultatibus; ita vt importet τὸ πλῆθος, id eſt, *multitudinem*, vt Heſychius & Suidas tradunt. Aquila poſuit ſimplex nomen οὐσιῶν, Symmachus πεκούλια, *peculia, res peculiares*; quam vocem à Latinis mutuati ſunt Græci: illi enim, vt notauit Plutarchus [f], patrimonium, opéſque ſic appellabant à pecudibus, quia dum non adeò multo vterentur nummo, ſontes re pecuaria mulctabant. Sed arctior eſt apud Iuriſconſultos [g] ſignificatio, noſtro tamen propoſito minimè neceſſaria. Hebræum vocabulum סְגֻלָּה *ſegullah* eximias facultates importat, & theſaurum, quo etiam pacto exponit hic paraphraſis Chaldæa: Vatablus mundum pretioſum.

Regum.] Non tributi nomine duntaxat, vt idem Paraphraſtes enarrat, & innuit Olympiodorus, & Hugo Cardinalis; ſed munerum etiam, vt explicat Thaumaturgus, quæ ſponte offerebant. Vniuerſi Reges terræ legatos mittebant, qui de difficillimis quæſtionibus reſponſa referrent, cunctíque populi [h]. Simul autem ampliſſima dona offerebant, ſicut Regina Saba [i], & omnes Reges Arabiæ, ducéſque terræ [k]. Habebat etiam in ditione ſua omnia Regna à flumine terræ Philiſtiim, vſque ad terminum Ægypti, offerentium ſibi munera, & ſeruientium ei cunctis diebus vitæ eius, & obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, quaſi à Thaphſa vſque ad Gazam, & cunctos Reges illarum regionum [l]. Quod promiſit Deus Abrahamo de lata ditione [m], id Salomon obtinuit. Latitudo verò hæc deſcribitur maxima in libro Numerorum [n], & ab Hieronymo [o].

Prouinciarum.] Græcè (χωρῶν.) Olympiodorus interpretatur fructiferas regiones, hoc eſt, agros: regiones

a ibid. b de magnif. Salomo. c in Ezech tom. 2. par. 2. diſp. 1. c. 45. & eq. d lib. 9. e 9. de præp. Euang. c. vl. f de proſperit. Salomo. c. 10. g Ioan. Boterus in relationib. Italico idiomate. par. 1. lib. 2. Ioan. Mendoza de Sinis. h de magnific. Salomo. i 5. de aſſe. k 3. Reg. 10. 27. 2. Paral. 9. 27. l Eccli. 47. 20. m 7. Antiq. c. vlt. n 9. de præpar. c. vlt. o lib. 3. c. 4. 21 &c. p ibidem. q 3. Reg. 4. 21.

a Matth. 5. b 3. Reg. 4. c 1. Paral. 21. 5. d 9. de præpar. c. vlt. e Act. 2. 45. f in Publicola. g ff. de peculio. h 3. Reg. 4. 34. i 3. Reg. 10. 1. & ſeq. k ibidem 15. 2. Paral. 9. 14. l 3. Reg. 4. 21. m Geneſ. 15. 18. & ſeq. n c. 34. o epiſt. ad Dardanum.

A regiones enim in ſacra Scriptura fertiles agros
a Ioan.4.35. intelligi, iuxta id [a]; *Videte regiones, quia alba ſunt
iam ad meſſem. Neque præſenti loco neceſſaria no-
tatio, neque huius vocis ſola, vel etiam frequen-
tior acceptio: Hebræa verò מְדִינוֹת *medinoth* non
per *agros*, ſed per *prouincias* reddi debuit. Tam la-
b 3.Reg.5. q.6. tè Salomonem imperaſſe ſcribit Abulenſis [b], tót-
que obtinuiſſe regiones, ac prouincias, quot an-
te illum Reges quinquaginta obtinuerant. Sed
c Sappho. verè cecinit Poëtria [c]:

Ὁ πλοῦτος ἄνευ ἀρετᾶς ὐκ ἀσινὴς πάροικος.

Diuitia ſine virtute haud innoxius hoſpes.

Imò vt ſerpens nocent, niſi excutiantur vſu re-
d 3.pædag. c.6. cto, & prudenti diſpēſatione, vt Clemens [d] Ale-
xandrinus docet. Quod argumentũ latiùs patet.

Feci mihi cantores, & cantatrices.] Chaldæus abeſt
B à ſenſu, cùm exponit (*feci in domo Sanctuarij inſtru-
*menta muſica, vt canerent in illis cantores, & cantatri-
ces.) Nam loquitur Salomon de ſeipſo, déque iis,
quæ in gratiam ſui ipſius fecit, non per ſe, vel
præcipuè in cultum templi: licèt ad hunc adhi-
e de mulieribus Exod.15. 20.1. Eſdr.2. 65.2. Eſd.7. 67. Pſal 67. 28. berentur quoque ex vtroque ſexu [e]. Quod ait de
cantu cum inſtrumentis muſicis, pertinet pro-
priè ad Pſalmum cantici; canticum verò caneba-
tur ſolùm ore cum metro magis ſoluto, & com-
muni cantu quaſi plano: Pſalmus erat magis har-
monicus, & metricus, cantabatúrque ad cithа-
ram, lyram, pſalterium, & id genus alia inſtru-
menta. Quamquam huiuſmodi diſcrimen non eſt
perpetuum, & amplior quandoque vſus eſt vo-
C cum Hebræarũ quæ ſunt, hoc loco שָׁרִים וְשָׁרוֹת
ſirim veſcharoth. Honeſta muſices oblectatio eſt o-
mnium gentiũ approbatione, vſúque, dummodo
ſit in muſicis modulis modus, ac nequid nimis.
Ipſas feras attrahi, capi, manſuefieri plures hiſto-
f 1 dipnoſop. & 14. riæ memorant. Athenæus [f], Cicero [g], Liuius [h],
g Tuſcul 1. & in Bruto. orat. pro Cælio, & Verrin. 6. Plutarchus [i], Suetonius [k], Valerius [l] Max. Pla-
to [m], Martianus [n] Capella, Scaliger [o], Clemens
h dec.4. quoque Alexandrinus [p], & alij permulti produnt
i lib. de muſica, & in Galba, & 7. ſympoſiac. problem.5.7.& 8. morem antiquum ſymphoniam in epulas indu-
cendi, qua de re Auctor antiquitatum conuiua-
k in Galba. lium [q]. Græcum vocabulum ἐγκώμιον, quod eſt
l lib.2. παρὰ τὸ ἐν κώμοις ᾄδειν τὰς ἐπαίνους τῶν ἀγαθῶν ἀν-
m in Protagora δρῶν, indicat in epulis clarorum hominum lau-
n libr. de muſica. des carmine ac muſica ſolitas celebrari. Fabulas
D omitto de ſaxis, arboribúſque: mirum eſt, ſi æquè
o 2.Poët.c. 20. verum, quod Polyhiſtor [r] narrat in Haleſina re-
gione fontem aliàs quietum, & tranquillum cùm
p 2.pædag c. 4. ſiletur, ſi inſonent tibiæ, exultabundum ad can-
q lib.4.c.29. tum eleuari, & quaſi miretur dulcedinem vocis,
r c.12. vltra marginem intumeſcere.

Cæterùm non Salomonem vnum delicioſiſſi-
mum, ſed Danidem quoque patrem cantores, &
cantatrices libenter audiuiſſe ad priuatam volu-
ſ 2.Reg 19. 35. ptatem, teſtis eſt octogenarius Berzellai [ſ] Daui-
dis aulam recuſans, quòd hebetiores ſenſus eſ-
t c.49.2. ſent ad eiuſmodi delectationes. Eccleſiaſticus [t]
quoque muſicam in conuiuio vini laudare vide-
tur, comparátque numerum muſicorum in iu-
E cundo, & moderato vino cum ſmaragdo in au-
u c.32.7.8. rum inſerto, vel cum carbunculo [u]: præcipit de-
x ibid.5. mum, ne impediat muſicam ſenex [x], qui conui-
uio præeſt, in quo tamen ſerios haberi ſermones
y ibid. priore loco vult [y]. Poſt hos ſermones haud du-
bium, quin concinna, modeſtáque muſica animũ
vehementiùs paſcat, quàm corpus eſcæ, atque
præripiat otioſis, pernicioſiſque, quæ ſub id
tempus licentiùs funduntur, verbis anſam, vt do-
z 7 ſympoſ. problem.7. cet Plutarchus [z]; imò & ebrietati medeatur. De
cantu Eccleſiaſtico lege præter alios Auguſti-

A num [a], & ex recentioribus Mazzarinum [b] no- a 10. confeſſ. c.31.
ſtrum, & quæ diximus in antiphonā, *Regina cœli.* b in diſcurſibus Italic. ſuper Pſ.50. diſcur.80.87.
Chriſtus pro more gentis ſuæ creditur extrema
cœna cantaſſe hymnum [c]: & eodem videtur allu- c Matth.26. 30.
dere Paulus, monens ne quis inebrietur vino, in
quo eſt luxuria, ſed impleantur Spiritu ſancto,
loquentes ſibimetipſis in pſalmis, & hymnis, &
canticis ſpiritualibus, & cãtantes & pſallentes [d]: d Eph.5.18. 19.
& in agape Chriſtianorum id olim factitatum
Tertullianus [e] prodit, indicátque Clemens [f] Ale- e apol.c.39.
xandrinus. Alia huius rei monumenta ſunt in f lib 2. pædag c.4.
vetere [g], nouóque Teſtamento [h]. Nimius hac in g Pſal.68.13. Eccli. 40 20.
re luxus reprehenditur à Prophetis Eſaia [i], i Eſa.5 12. c.24.8.9. Amos 6 4.5.
Amos [k]. Puellarum cantus periculoſior; canente h Luc.15.25.
namque puella Cyprianus [l] tolerabilius cenſet i c.5.12. c.29.8.
baſiliſcum audire ſibilantem: & Hieronymus [m] k c.6.5.
B fidicinas, ac pſaltrias chorum vocat diaboli, Sy- l de ſing. clericis.
renarúmque mortifera carmina. Nyſſenus [n] can-
tu euerti ſcribit auditum, aſpectu ſuperari, pro- m epiſt.20 ad Furiam
ſterníque oculum; muliebri ſono per fractum n ho 4. in Eccli.
cantũ harmoniæ ad cor deduci vitium; illinc vi-
ſu, velut machina euerti animam. Deplorant
Liuius [o], & Plinius [p] ad Romanos ex Aſia per- o lib 39.
uaſiſſe peſtem hanc pſaltriarum, ſambuciſtria- p lib.33.c.3. lib.34.c.11.
rúmque, & ludionum illectamenta in epulis, at-
que conuiuiis. Athenæus [q] recenſet trecentas q lib.13.
viginti nouem pellices Darij Regis muſicam cal-
lentes; & trecentas, quæ Perſarum Regem dor-
mientem cuſtodiebant per totam noctem per-
petuò canentes, citharámque pulſantes, cùm dor-
C mirent interdiu [r]. r lib.12.

Delicias.] Græcè (ἐντρυφήματα) Aquila (τρυφὰς)
Symmachus (σπατάλας) eodem ſenſu, pro lauti-
tiis, delicatis epulis, aliíſve rebus, ſed illis maxi-
mè, quod quidem attinet ad vltimum vocabulũ.
Eadem vis vocis Hebrææ תַּעֲנוּגוֹת *thahhanugoth.*
De deliciis lege ſequentem notationem.

Filiorum hominum.] Hebr. Chald. Græcè (*homi-
nis) in ſingulari, cùm tamen capite præcedenti
verſu 13. idem nomen Hebræum אָדָם *adam* Se-
ptnaginta extulerint in plurali. Ibi monuimus,
non ſemper ſumi filios hominum in malam par-
tem: & hoc loco Hieronymus, quamuis myſticè,
in bonam interpretatur, qui tamen alibi ſolet in
malam. In ſenſu literali nunc ſine dubio accipi
D debet in iſtam: quemadmodum & deliciæ, de cu-
ius dictionis in partem vtramque ſignificatione
lege Pagninum [ſ], qui citat Origenem [t], & Caſ- ſ in Iſagoge lib.2 c 4.
ſiodorum [u], & Auguſtinum [x], & Hieronymum [y], t in Pſal.36. hom.1.& 2.
& Gregorium [z]. In his malis deliciis viuere, mo- u in eundem Pſal & 118.
ri eſt, ſententia Pauli [a], & qui delectatur terrenis x vtrobique.
rebus, in omnipotente delectari non poteſt [b]: & y bis, & in c. 51. Ieremiæ.
ideo mortuus, inquit Chryſoſtomus [c], quoniam z 16 moral. c.9 vel 10.
ſoli ventri viuit, cæteris ſenſibus ſibi conuenien- a 1.Tim.5.6.
tibus operationibus deſtitutis, atque in antro, te- b Iob.37 10. vbi Greg. lib. 18.c.8. vel 6.
nebríſque ciborũ iacens, & ſomni, & obductum
habens denſis illis nubibus intellectum, & pu- c hom 14. in 1. ad Tim.
tredine ſcatens tot excrementorum. *Non decent
ſtultum deliciæ, ait noſter idem Salomon [d], veræ d Pro.19.10.
E nimirum, cœleſtes, diuinæ, quas Deus habet in
dextera ſua [e], & quas promittit ſanguine Chri- e Pſa 15.10.
ſti redemptis [f], tum deuotionis, amoríſque, tum f Eſa.51 3.11. 12. c 66.10.& ſeq.
ſanctæ Scripturæ, tum Euchariſtiæ, tum futuræ
beatitudinis, in qua deliciis affluentes cũ Sponſa
erimus [g]. Lyranus arbitratur vxores illas, & con- g Cant.8.5.
cubinas tam multas intelligi, quas habuit Salo-
mon [h]. Campenſis ita Salomonem loquentem h 3.Reg 11.2. & ſeq.
inducit; Conquiſiui mihi cantores, & cantatri-
ces, & quarum amore nulla natio non capitur,
puellas plurimas. Explicat etiam Hieronymus de

libidine,

a 1.de Genes. ad lit.c.41.

libidine, luxuriáque:& Augustinus [a] mortiferas delicias appellat mulieres, quas deperibat, quásque ne contristaret, trahi se siuerit ad cultum externum idolorum; qui non poterat ignorare, nihil in hoc vtilitatis inesse. De insito a Deo ipso amore viri erga fœminam legendi Basilius [b], Cyrillus [c] Alexandrinus, Procopius [d].

b de virg.
c 3 contra Iulia.
d in Genes. c.2.

Scyphos,& vrceolos in ministerio ad vina fundenda.] Hebraicè (שִׁדָּה וְשִׁדּוֹת *siddah vesiddoth*) Græcè (οἰνοχόον, καὶ οἰνοχόας, in aliquo codice est οἰνοχόους, *ministrum*, vel *ministros vini*, *& ministras*.) Hieronymus in sua vetere versione posuit (*ministros vini, & ministras*) & in comment. (*fusores vini, & fusitrices*) Aquila (κυλίκιον, καὶ κυλίκια) licet Hieronymus legerit(κυλίκα, καὶ κυλίκια, *craterem,& minora vascula*) cuius oppositum significat prior lectio. Monet quoque Symmachum dixisse(*mensurarum species, & appositiones.*) Tandem conciliat omnes interpretationes pro vrceis, scyphis, crateribus, qui in ministeriis ordinantur auro, gemmisque distincti; ita vt ex vno τῷ κύλικι, id est, *cratere*, aliis κυλικίοις, *minoribus* scilicet *vasculis* hauriretur, & per ministrorum manus potantium vinum turba susciperet. Porrò voces illas Hebræas Rabbi Dauid explicat musicorum instrumentorum vniuersitatem: Rabbi Abraham mulierem, & mulieres captas; auctor libri בַּעַל כְּנָפַיִם *bahhal chenaphaijm*, puellā,& puellas à mammis, quæ in illis formari & aptari incipiunt: Rabbi Salomon currum, & currus,& quadrigam,& quadrigas, nimirum opertas. Omnia Lexica Hebræa meminerunt harum acceptionum, & quālibet probant potiùs, quàm Latinæ nostræ editionis, vel Græcæ: Vatablus mulierem, & mulieres hominum delicias: priora enim verba appositiue sumpta his subnectit, vel simul etiam cōiungit cum cantoribus, & cantatricibus. Addit illam aliam interpretationem de musicalibus instrumentis: iuxta eam verò de mulieribus, significari honorabiles, vel pulcherrimas, sed per metaphoram vocari captiuas, quia vrbe aliqua capta, seligebant sibi Principes pulcherrimas mulieres; vt colligitur ex cantico Debboræ [e], atque ex historia Iudith [f]. Chaldæa paraphrasis vertit (*siphones, qui effunderent aquas tepidas, & siphones, qui effunderent aquas calidas.*) Hæc omnia Salomonem sibi comparauisse facilè concedo: tamen certum quid innuit hoc loco Scriptura: & illud affirmare debemus, quod exprimit editio vulgata; vbi Titelmanni, atque Clarij,& Caietani, & Lexicographorum diligentia potest requiri, qui cùm tam variæ meminerint interpretationis, nec iudicium adhibent, nec in primis ruentur nostram. Parum abest hæc nostra à Græcis interpretationibus,& sunt LXXII. Interpretes longè maioris auctoritatis, quàm Rabbini omnes,& rabbinizantes, vel etiam quàm Thargum Chald. Inter alia quæ Regina Saba Salomonem visens mirata est, pincernæ fuerunt cū vestimentis eorum [g]. Olympiodorus hanc propinantium multitudinem institutam dicit, vel vt ex eorum vario aspectu, ac alternata mutatione appetitus ad pocula prouocaretur: vel valdè mollis, atq; mulierosi hominis ea in re ingenium expressisse. Nondū desipuerat Salomō quādo Regina Saba venit ad ipsū, nec mētio tūc distinctè fit de mulieribus, quæ propinandi munus obierint.

e Iudic.5.28.
f c.10.15.& seq.
g ... 5.

Mysterium hic non respuo, vt & in aliis antea recensitis, quod scrutari Hieronymū, aliósque iā monui: nego quod idem alibi [h] Hieronymus in-

h ... c.2. E-

A nuere videtur, describi hoc loco, mystico dūtaxat sermone ministeria vini. In Genesi [a],& libris Esdræ [b] reperimus officia pincernarum, qui vocātur Hebraicè מַשְׁקִים *mashkim*,& Græcè præter nomē illud οἰνοχόος, etiā οἱ πρὸς ταῖς κύλιξι [c], i. à *calicibus*, seu *poculis*. Honorificū id munus fuisse testātur non solū sacræ citatæ literæ, sed Athenæus [d] quoq; proferens exēplū filij Menelai,& Mercurij: Eustathius [e] præterea Euripidem Poëtam, cùm puer esset, eo functū officio tradit, vt omittā fabulas de Harmonia, seu Concordia Deorum pocillatrice, vel Hebe, id est, Iuuenta [f](videt illa Cicero [g]) de Sappho, Alcæo, Ganymede, Vulcano: itē ex fœminis Clitā refert idē Athenæus Ptolemæi Philadelphi, qui Alexandriæ multas ei statuas posuit μονοχίτωνας, id est, *tunicatas*, manibus B ῥυτὸ, quod erat poculi genus, tenentes. Quod autem Hieronymus docebat de modo vinū transfundēdi ex calice in minora vascula, & de vino per manus ministrorum à potantibus suscepto, produnt etiam profani scriptores: illud quidem Homerus [h], agens de Vulcano, Iunoni matri, Diisque cæteris ministrante:

a c.40.1.
b 2.Esd.1.11.
c Herod.lib. 3.
d 5.dipnosoph.& 10.
e Odyss.a.
f Homerus Iliad a.
g Tuscula.

> Αὐτὰρ ὁ τοῖς ἄλλοισι Θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν
> Οἰνοχόει γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων.

h Iliad.a.

Hoc verò Pollux [i], dicens pincernarum partes fuisse, phialas extremis tenere manibus, seu digitis, casque conuiuis modestè porrigere. Extant exempla tum Nehemiæ, & pincernæ Pharaonis in sacris allatis literis, tū aliorum apud Home- C rum [k]. Legēdus Athenæus [l],& Xenophon [m]. Hic scribit, Regū pincernas scitè vinum miscuisse,& eleganter infudisse, ac tribus digitis phialam tenēdo, atque prægustando ita porrexisse, ac obtulisse, vt cōmodissimè ei qui bibiturus esset, haustum concedere possent: sed vt phialam implessent, ex illa in cyathum in sinistra manu fudisse, atque sorbuisse, vt si venenum infusum esset, ipsis obesset.

i lib.6.c.15.
k Iliad.a.de Vulcano Iliad.i.de Patroclo. Odyss. k.de Circes famuls.
l 4.dypnosoph.
m 1. Cyripæ.

Eadem ferè sunt apud Hieronymum [n],& Nazianzenū [o]. Sed pluribus hoc argumentū tractat Gulielmus Stuckius [p], vt de vario genere poculorū [q], seu abaco, quem elegātissimis verbis Ambrosius [r] describit. [Cornēs, ait, poculorū diuersorum ordines, aciē ordinatam putes, vasa expo- D sita aurea & argentea (variatum sæpe in materia cornea, lignea, figlina, vitrea, crystallina, murrhina, lapidea, ærea,&c.) pompā arbitreris, cornu in medio vini plenū, non epularis, sed prælaris instrumētū buccinæ, quod discumbētes in certamē accendat. Primò minoribus poculis velut velitari pugna præluditur, &c. vbi res calere cœperit, poscunt maioribus poculis,&c. tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres, quasi instrumenta bellorū,&c. cedūt pincernarum manus vina fundētium.] Sed præstat totū per te locū legas; Clementis quoque Alexandrini pædagogum [f] cum Scholiaste Heruero. Salomonis omnia vasa, quibus potabat, erant aurea, necnon quæcūque conuiuio adhibebantur [t]. Addit Iosephus [u] alia non E pauca gemmis torno elaboratis,& expolitis quā artificiosissimè cōstantia. De poculis aureis in solēni cōuiuio Assueri testis est Estheris historia [x], Vbi iuxta editionem LXX. extat fuisse in Assueri conuiuio ἀνθράκινον κυλίκιον προκείμενον ἀπὸ ταλάντων τρισμυρίων, *anthracinum calicem* (id est, ex carbunculo) *pretij talentorum trium myriadum*, hoc est, triginta millionum, nempe secundùm æstimationem Attici talenti, octodecim millionum aureorum Italicorum. Item Cle-

n de tradit. Heb.in Gen. c.40.
o orat.de amore paupe- rum.
p 2.antiq.cōuiual.c.21.
q lib.3.c.19.
r lib. de Elia, & ieiunio.c. 13.
f lib.2.c.3.
t 3.Reg.10. 2.Par.9. 10.
u lib.8.Antiq.c.2.
x c.1.7.

mens ait, Christum in vili catino cibum sumpsisse: Genuenses tamen pretiosum ex lapide religiosè conseruant. Fortassis Clemens non de isto intelligit, qui domini erat cœnaculi, vbi celebrata mystica cœna.

Scyphos.] E Græcis petitum nomen: & σκύφος dicitur, inquit Athenæus [a], quasi σκύθος, quòd Scythæ præ aliis inebriarentur. Scyphū Herculi, Libero cantharum attribuebant, Macrobio [b] teste, qui tandem tamen hæc nauigiorum esse vocabula docet, perinde vt alia quæ recenset ceu nomina poculorum. *Scafa*, vasis nautici nomen est, & Itali *schiffo* vocant, Hispani *squiffe*.

a lib. 11.
b lib. 5. c. 21.

Vrceolos.] Vt prius vinarium vas; sic hoc ex communi vsu aquarium censetur. Vnde colligitur, pincernarum fuisse vino aquam miscere. Pincernam putant nonnulli deriuatione Græca dictum quasi ἐπικέρνην, quæ vox vsitata est ἀπὸ τοῦ κιρνᾶν τὸ πίνειν, *à vino miscendo*: & Hebræis, Græcis, Latinis miscere vinum idem est quod infundere. Indidem manauit κρατὴρ, & Latinitate donatus crater. Eò allusit Homerus [c] de procorum loquens ministris, vt notauit Eustathius, cùm dixit:

c Odyss. α.

Οἱ μὲν ἄρ᾽ οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρητῆρσι καὶ ὕδωρ.

Hac de re consule post Fracastorium [d], & Mercurialem [e], Stuckium [f], qui citant Athenæum [g], Plutarchum [h], Hesiodum [i], & alios antiquos: necnon auctor adagiorū [k] legendus, & Lipsius [l], & inter alios Patres Clemens Alexandrinus [m]; præterea Philo [n]: denique Antonius Persius in opere Italico de potu calido.

d tract. de tempera. vini, vbi obiter.
e 1. lect. var. c. 18.
f 3. antiq. cōuiual. c. 11.
g lib. 1. & aliis.
h 5. sympos.
i 2. de ergis.
k in prouerb. Perdidisti vinum infusa aqua.
l 1. electorum. c. 4.
m 2. pædag. c. 2.
n de vita theor.

Vers. 9.] Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalē: sapientia quoque perseuerauit mecum.

Hebraicè & Græcè (*& magnificaui, & auxi*) Chal. (*& magnificaui bonum, & auxi diuitias*) Symmachus (μεγάλως ὑπερέβαλον, *magnitudine superaui*) quidam libri (καὶ προσέθηκα σοφίαν παρὰ πάντας) Hieronymus in vetere translatione (*& magnificatus sum, & adieci sapientiam, &c.*) Vatablus (*res suaues.*) Non ita propriè dicitur quis magnus, aut se magnum facere deliciis, ac opibus, honoribus, sapiētia, &c. ideo doctè Interpres opes expressit, sicut & Chaldæus. De re ipsa dictum satis priore versu, ostensúmque, vicisse non Ierosolymitanos tantùm diuitiis, sed alios quoque. Sic forsan loquitur hîc, & superiùs de Ierusalem, quia propriè scribebat Hebræis, qui, vt Iosephus [o] est auctor, negotiationibus haud libenter vtebātur, nec aliarum gentiū cōmerciis assuescebant, ac proinde serò Græcis noti, Græcos vicissim non adeò vel nouerant, vel curabant.

o quem citat Budæus 4. de asse.

Omnes.] Thaumaturgus exponit de Regibus præcessoribus Salomonis: Chald. indefinitè de omnibus, qui habitauerant in Ierusalem ante ipsum. Aliqui etiam de Iudicibus: alij de Regibus Chanaan. Quidam illa duo verba (*in Ierusalem*) referunt ad opes, quas possedit Salomon in Ierusalem, non ad Reges, vt sit sensus: Supergressus sum opibus in Ierusalem omnes qui ante me fuerunt. Refert hos dicendi modos Bonauentura. Melior qui generalior.

Sapientia quoque perseuerauit mecum.] Hebraicè & Græcè (*& quidem*, seu, *etiam sapientia mea stetit mihi*, עָמְדָה לִּי *hhamedah li*, ἐστάθη μοι) Hieronymus in antiqua translatione (*astitit mihi.*) Indicari autem vult hoc verbo, licèt allegoricè exponat de Christo, perfectionem ac plenitudinem sapientiæ, quæ statum habeat, non recipiens profectum, nec per momenta succrescens. Verùm in literali sensu Salomon significat mansisse etiam in se sapientiam, vt exponit Chald. & auxiliatam ei. Explicat id adhuc magis Olympiodorus, quòd stabilis fuerit sapientia in Salomone, & hic adeò exaltatus, vt in nullo vnquam consilio, rationéque aberrauerit, nimirum circa eas res, quas vellet sibi ad luxum, & pompam, dignitatémque comparare. Oppositum sensum Thaumaturgus elicuit, & Albinus, sapientiam imminutam paulatim inualescente concupiscentiâ. Nam qui vlteriùs non proficit, stare dicitur. Vterque sensus verus est. Sapientia, vt gratis datum donum, perseuerare potest in peccatore: illa verò quę inuoluit gustum diuinum, & plena est fructibus bonis, vt eam describit Iacobus [a], adiectis aliis cōditionibus eiusdem, fugatur à peccato, & sic stat, quia nullum fructum producit, vel producere potest, ac proinde cùm nequeat esse otiosa, penitùs recedit. Hoc pacto respondent Bonauentura, & Titelmannus, & Carthusianus, qui vocat quoque sapientiam informem, sicut & nunc, inquit, multi Theologi, & Iuristæ non mediocriter docti, & prompti in allegando Scripturas, & documenta Patrum, ac iura, sunt detestabilis vitæ. Eodem potest reuocari quod ait Motingus, indicátque glossa interlinearis, perseuerasse sapientiam contemplatione, & iudicio speculatiuo, non praxi, & vsu morali. Abutens Salomon sapientia, reddidit eam [b] sapientiam carnis, animalem [c], secularem [d], diabolicam [e], terrenam [f]. Hinc exaggeratur Salomonis peccatū, & in eius confessione pœnitentia magis declaratur, quòd sciens ac prudens peccauerit, & adeò insignem sapientiam ad eius auctoris offensam conuerterit, idque cognoscat, & præ se ferat. Minùs plena Lyrani expositio, perseuerasse sapientiā vsque ad tempus, in quo per mulieres fuit deceptus. Qui verò de astutia, humanáve ac mundana sapientia interpretantur, vt Hugo vterque, dicto modo debent intelligi. Sed cùm editio nostra de perseuerantia loquatur, præferenda simpliciter expositio, asserens non recessisse sapientiam. Indicat hic locus in Salomone perdurasse dictam sapientiam ex genere suo naturalem, sed infusam, sicut & de scientia simili in Adamo post peccatum ipsius credi potest. Quamquam ratio maior Adami fuit, vt tanquam princeps generis humani posset alios instituere. Sed & in Salomone locum eadem ratio aliquo modo habuit, quoniam Rex erat; & aliunde non repugnat, vt dictum est, huiusmodi munera in peccatoribus esse. Videtur Nyssenus accepisse de illa sapientia, qua Ieremias [g] quosdam sapientes vocat, vt faciant mala; & Bernardus [h] ait, etiamsi quis sit sapiens, deesse illi sapientiam, si sibi sapiens non fuerit.

a c. 3.
b Rom. 8. 5. 6. 7.
c Iacob. 3. 15.
d Luc. 16. 8.
e Iacob. 3. 15.
f ibidem.
g c. 4. 22.
h 2. de consid.

Vers. 10.] Et omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaueram: & hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo.

Facilis

Facilis est intelligentia versus istius iuxta editionem Hebræam, Græcam, Latinam; generaliter namque omni se perfruitum voluptate pro voluntate tradit. Chaldæa verò longè diuersum sensum, ac etiam oppositum reddit; sed consentaneum expositioni, quam ad vltimam præcedentis partem versus assignauerat de sapientia quæ remansisset (*& in omnibus*, inquit, *quæ quæsierunt ex me magistri Sanedrin, nõ inhibui ab eis solutionem sermonum, & non prohibui cor meum ab omni lætitia legis, quoniam fuit inclinatio cordis mei exultans in sapientia, quæ data erat mihi à Domino præ omnibus filiis hominis, & lætatus sum in ea ex omni labore meo,* &c.) Sapientiam Paraphrastes considerat in responsis, & consiliis, quæ reddebat Salomon in magno concilio, & consessu Senatorum, quod appellabatur synedrium, quasi Senatores illi, Regis quidam oculi forent. Hæc interpretatio longiùs abest à contextu.

Nota sunt oculorum ludibria, & pericula, & illecebræ ad peccandum. Deprædantur animã [a], mortem admittunt ceu per fenestras [b]: primos parentes [c], Dauid [d], Holofernem [e], senes impudicos [f], innumerabiles alios irretierunt; vt orandus sit Deus; vt eos auertat, ne videant vanitatem [g], & paciscendum cum ipsis, ne cogitent quidem de virgine [h]. Rectè ne cogitent; nullus enim externus sensus cordi, animóque propior, soletque cor oculus sequi [i]: nullus internas vtriusque affectiones, & naturam hominis totã magis declarat, tanquam lucerna [k], & propria sedes animi [l], ex quibus de hoc maximè coniectant Physionomi: nullus celeriùs, ac spiritualiùs operatur [m]: denique *nequius oculo quid creatum est* [n]: licèt ibi de inuido propriè sit sermo. Attoniti vocantur oculi, elati, ac superbi [o], terribiles [p], iracundi [q], pleni adulterij [r], nequam [s], id est, inuidi, siue mali [t], eodem sensu scandalizantes, ac propterea eruendi, & proiiciendi [u]. Lege Mazarinum [x].

a Thren. 3. 51.
b Iere. 9. 21.
c Genes. 3. 6.
d 2. Regum. 11. 2.
e Iudith 16. 11.
f Dan. 13. 8.
g Psal. 118. 37.
h Iob. 31. 1.
i Oseæ 2. 10.
k Mat. 5. 22.
l Plinius libr. 11. c. 37.
m Philo de specialib. legibus.
n Eccli. 31. 15.
o Iob. 15. 12. Psal. 17. 28. Psal. 130. 1.
p Iob. 16. 9.
q Ps. 30. 10.
r 2. Pet. 2. 14.
s Mat. 20. 15.
t Marc. 7. 22.
u Mat. 5. 29.
x in Psa. 50. discur. 4. lectio.
y 1. Ep. 2. 16.

Desideraverunt.] Hieronymus (*postulauerunt*) iuxta verbum Hebræum שָׁאֲלוּ *scaalu*, & Græcum ᾔτησαν: quamuis apud Symmachum sit ἐπεθύμησαν. Hinc quæ à Ioanne [y] nominatur concupiscentia oculorũ, à carnis concupiscentia distincta: licèt oculi ipsi carnis illices sint. Tota, vt ait quidam [z], nostra luxuria, quique nos in omnia quotidie mala præcipitent, mirentur, adament, concupiscant. [Per oculos, ait Clemens [a] Alexandrinus, cupiditas prima init pugnæ præludia, & ante totum corpus corrumpuntur oculi: his maximè parcendum, satiúsque pedibus quàm oculis labi.]

z Quintil. decla. cui titulus cæcus in limine.
a 3. pædag. c. 11.

Cor.] Pro parte appetitiua hîc sumitur: de aliis acceptionibus eius aliàs dixi [b].

b Act. 1. 24.

Voluptate.] Hieronymus in veteri translatione (*lætitia.*) Sensus idem est, quamuis *lætitiam* sonent Græca & Hebraica vocabula.

Et oblectaret se in his quæ præparaueram.] Hebraicè Græcéque ponuntur hæc in præterito, sicque vertit Hieronymus in veteri translatione (*quia cor meum lætatum est in omni labore meo*) Symmachus (ἐκ πάσης φιλοπονίας μου, *ex omni studio laborum meorum.*) Nil magis volupe, quàm quod proprio labore, sumptu, marte consequimur, vt quamuis laborandi natura necessitatem imposuerit, laboris amaritiẽ fructus dulcedine cõpensauerit. Nõ ita delectant quæ proueniũt vltrò, vel tanquam hæreditate perueniũt ad nos. [Omnibus sua chariora sunt opera, ait Philosophus [c], quæ summo labore cõfecta sũt:] & princeps historiæ Latinæ [a]; [Labor, & voluptas dissimillima natura, societate quadam coniuncta sunt.] Charissimus parentibus Beniamin, & ideo Beniamin, quia prius Benoni [b]; ex filio doloris filius dexteræ: labores manuum [c], & fructum adinuentionum [d] comedere, pars erit eximia felicitatis, atque manipulos reportare post flebilem seminationem [e].

c 9. Ethicor. c. 7.
a dec. 1. lib. 4.
b Gen. 35. 18.
c Psi. 127. 2.
d Esa. 3. 10.
e Psal. 125. 6.

Et hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo.] Hieronymus cum Hebræo Græcóque textu (*& hæc fuit portio mea ex omni labore meo.*) Chaldæus refert ista ad beatitudinem futuram (*& hæc ipsa fuit pars mea bona, quæ statuta fuit mihi ad accipiendum super eam præmium perfectum in seculo venturo ex omni labore meo.*) Mystica magis quàm literalis explicatio, sicut & Hieronymi, cùm ait, Ecclesiasten veræ iucunditati contemplationis spiritualis se totũ dedisse, & leues tribulationes in seculo æterna gloria compensasse, hancque portionem nostram esse, præmiúmque perpetuum, si hîc pro virtutibus laboremus. Monet Bonauentura, deliberato iudicio Salomonem non in his constituisse summam beatitudinem, sed vt solet quiuis peccator æstimare bonum esse quod persequitur.

Partem.] Frequentissimè *pars* in Scripturis pro hæreditate, & charissimo bono sumitur, & coniunctissima societate, vel amicitia, & contrà pro misera conditione. Supperunt infinita in vtroque Testamento exempla. Sufficiat vnum aut alterum ex nouo, quando Christus minatur habituros aliquos partem cum hypocritis [f], & Petrũ, nisi lotionem pedum admittat, non habiturum partem cum ipso [g]. Partitio hæc ex diuisione hæreditatis orta est, & simul innuit cuiuis præmium, suppliciúmque pro meritis dari, & in proposito labori respondere fructum. Lege quæ notauimus ad caput octauum [h] Actuum Apostolicorum.

f Matt. 24. 51.
g Ioan. 13. 8.
h vers. 22.

Vterer.] Paulo antè Interpres vsus est etiam *fruendi* verbo; inter quæ trita, receptáque Augustini [i] distinctio, vt frui beatitudine oporteat sola, vti; quibus ad beatitudinem tendentes adiuuamur. Præposterè Salomon, vt & quiuis peccator, fecit, fruens vtendis, vtens quodammodo fruendis. Non sic ipsius pater, qui nihil in cœlo, ac super terram volebat à Deo, id est, præter Deũ: sed hunc affirmabat cordis sui Deum, & partem suam in æternum [k]. Hoc loco Interpres *vtendi* verbo vsus est pro *fruendi*. Tanta porrò facultas fruendi, ac vtendi quibus vellet rebus, ruinæ causa extitit Salomoni. [Quippe secundæ res, vt scribit, Sallustium imitatus de Catilina scribentem, Augustinus [l], quæ sapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt, quàm profuit ipsa sapientia, etiam nunc, & deinceps memorabilis, & tunc longè, latéque laudata.] Hieronymus item ait, neminem Sanctorum sine certamine coronatum, sed singulos aduersa perpessos: solum in deliciis Salomonem fuisse, & ideo fórsitan corruisse. Galbam demum Tacitus Imperatorem refert dixisse, quòd secundæ res acrioribus stimulis animum explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.

*

i de doct. Christ. c. 3. & 4.
k Ps. 72. 25. 26.
l 17. de ciuit. c. 20.

Vers. 11.] Cúmque me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole.

RESipiscit Salomon, attendens, consideránsque rerum, quibus oblectauit seipsum studio exquisito, & magno labore, vanitatem, angorem animi, inconstantiam; quibus fiat, vt nihil ex rebus creatis satietatem infinitæ capacitati animi immortalis afferre valeat, sed infinitum, ac sempiternum bonum duntaxat. Infelicem se reputat Aman insalutatus à Mardochæo, [a] Achab vinea carens Naboth [b], Alexander Macedo, vt alia exempla taceam, quòd vel vnum adhuc mundum ex pluribus, quos esse persuasum habebat, non acquisiuisset.

a Esther 3.5. c.5.9.10.13.
b 3.Reg.21.4.

Cúmque me conuertissem.] Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, & in editione Hieronymi vetere (*& respexi.*) Non improbo tamen eos, qui conuersionem, qualem vulgò in pœnitentibus vsurpamus, hîc obseruant [c], quibus fauet Hugo S. Victoris, notans prætera multum in aliis rebus, siue ad bonum, siue ad malum conducere homini, nosse qualis homo ipse fuerit sibi: résque ante experimentum plurimi æstimatas, vbi expertus fueris, vilescere, ac pro nihilo reputari. Inspectio hæc hominis est, vt Thaumaturgus & Albinus docēt, ex profundo somno, & cæcitate mentis expergefacti, atque oculis suis restituti. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos,* inquit ille [d], *in testimonia tua.*

c Titelman.
d Psal.118.59.

Quæ fecerant manus meæ.] Per artes actiuas, & factiuas, inquit Olympiodorus, & licèt alienis, tamen suis etiam manibus, quia erant artificum manus eius, qui adhibebat illas dato pretio ad opus, & consilio, ac imperio dirigebat. Sic sæpe dicitur manibus suis operari Deus figurata locutione, quia secundis vtitur causis; sed & cùm illis immediatè semper operatur, non morali duntaxat, sed physica realíque efficientia.

Ad labores, in quibus frustra sudaueram.] Hebraicè, & Græcè, & Hieronymi translatio vetus (*in labore, quo laboraui,* aut *laborauer am faciens,* vel *ad faciendum*) id est, vt pararem mihi nomen, & opes, inquit Vatablus. Verbum עשה *hhasah* non solùm simpliciter *facere* significat, sed inter alia etiam *acquirere, redigere,* item *facere ornatè, & politè;* quo pacto vulgò dicimus facere capillum, & barbam, qui est quoque Hebraismus; illotos enim pedes, & barbam intonsam dicunt Hebræi, non factos pedes, & barbam [e]: denique *prosperè ac feliciter facere,* vel *prosperari.* Non sudatur frustra pro Deo, sed est merces operi nostro [f]. Sudorem suum Franciscus Domino vendidisse, ac multo quidem, respondit fratri, cùm hic illi algenti ridens dixisset sibi vt sudorem venderet [g].

e 2.Reg 19. 26.
f Ierem.31.16.
g chron.S. Francisci.

In textu Hebræo non est *sudandi* verbum; rectè tamen positum est ad laboris magnitudinem exprimendã. Μόχθος, & μοχθεῖν, quæ sunt in textu Græco, significant ærumnosum laborem, difficilem, onerosum, molestum, & eiusmodi laborem sustinere. Damnati sumus in sudore vesci pane [h]; vtrumq; etiam spiritualiter intelligit Augustinus [i]. Si credis Plinio [k], quidam prorsus non sudant, habentes ossa concreta, sine medulla. Sudat maximè caput, & huius frons, ob causam, quam dat Aristoteles [a]: qui noxiam in corpore dicit rem calore extergendam. Salubris adeò sudor, vt Cyrus senior famulicium nec ad prandium, nec ad cœnam admitteret, nisi laboribus cum expressisset [b]; cui quoque rei minor Cyrus tribuebat sanitatem, qua præditus erat. Omnis sudor, inquit Seneca [c], per laborē exeat, reprehendens sudatoria, in quæ siccus vapor corpora exhausturus includebatur, quæ vocabatur etiā calida, & assa sudatio ex arido vapore [d]. In talē sudatorium Cæcilia virgo domi suæ coniecta est ad martyrium; sicut Fausta Constantini vxor ad supplicium [e]. De iisdem sudatoriis Plinius iunior [f], & Vitruuius [g], cum Scholiaste Philandro: præterea Politianus [h], Alciatus [i], Mercurialis [k].

h Gen.3.19.
i in Psal.77.
k lib.7.c.18.

a sect.2. problem.in 4. 10.17.
b Xenophon 2 pædiæ.
c epist.51.
d Martialis lib.6. epigr. in 42.
e Sidonius libro 5.epist 8. Greg. Turon. lib.1.hist c. 31.vel 36.
f lib.3.epistola 14.
g lib 5.c.10.
h in miscella. c.18.
i pererg 6.c.3.
k lib.1.gymn. c.10.

Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.] Lege capitis præcedentis versum decimum quartum, & decimum septimum, vbi eadem ferè sententia, & editionum diuersitas.

Et nihil permanere sub Sole.] In versu item 2. dicti capitis, vbi legimus (*quid habet amplius,* &c.) Hebraicè & Græcè est (*quæ abundantia*) & Chald. (*quid reliquum.*) Eodem modo hîc legunt eædem editiones, necnon Hieronymus vtrobique. At qui laborant ob ea, quæ sunt super Solem, supplantantes omnia quæ videntur, habent aliquid amplius, inquit Olympiodorus, iuxta Saluatoris sententiam [l]; *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant;* quasi dicat, vt careant pœnis, & fruantur promissa beatitudine.

l Ioan.10.10.

Quod hîc dicitur nihil permanere sub Sole, non repugnat dictis capite primo [m], quòd terra in æternū stat: quia, vt ibi dictū est, & repetit hoc loco Salonius, terra non funditus destruetur, sed meliorabitur. Verùm secundùm alias editiones sensus est, quòd nihil est quod excellat, οὐκ ἔστι περίσσεια. Lege Senecam [n] describentem elegantissimè quanta sit diuitiarum vanitas, & ludibrium fortunæ; & Plinium [o], qui Polycratem Samiorum Principem diuitiis, honoribus, voluptatibus, ac deliciis affluentem suo appellat gaudio, ac felicitate delassatum. Vera autem trita illa sententia Augustinus [p] professus est, Domino iubente, pœnam sibi suam esse omnem inordinatum animum. Vbicumque dulce, ibi & acidum inuenies [q]: amor felle, ac melle fœcundissimus est [r]: *risus dolore miscetur* [s].

m vers.4.
n libr. de tranquillit animi, & lib. de breuita vitæ.
o lib.17.c.46
p 1.conf.c.12.
q Petro.in Satyr.
r Plaut in Cistell. initio
s Prou.14.13.

Habet [t] *omnis hoc voluptas, stimulis agit fruentes,*
Apúmque peruolantum vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit ictu corda morte.

t Boët.1.de consol.metro 7.

Nihil esse sub Sole nouum docet perpetuò currens, ac recurrens anni varia tempestas, de qua Horatius [u]; & tamen homines vesani fugientia quasi stantia putauerunt [x]: in quam sententiam Amos egregiè Hieronymus. Iterum legatur Seneca [y]. Colligi putat ex hoc loco Pineda [z], necnō ex c.9. [a] Salomonē propter peccata diuitiarū quoque iacturam fecisse. Hebræos autem refert, asserentes eum ad extremam pauperiem redactū, nihil præter baculum, cui inniteretur, habuisse, & testam, in qua mendicorum more viueret. Sed meritò nugari Hebræos hac in re, vt & in aliis, affirmat: attenuatum quidem sumptibus immodicis, & negata à gentibus vectigalibus tributa, donáque omissa, vt significat Theodoretus [b], nunquam tamen exhaustum.

u lib 4.od.7.
x Amos 6.5.
y epist.58.
z 7.de reb. Salom.c.19.
a vers.11.
b in 3.Reg. q.35.

Vers. 12.

Verſ. 12.] Tranſiui ad contemplandam ſapientiam, erroréſque, & ſtultitiam (quid eſt, inquam, homo, vt ſequi poſſit Regem factorem ſuum?)

HEbraicè, Græcè, Chaldaicè non eſt verbum *tranſeundi*, in quo vim faciunt nonnulli, vt Hugo Victorinus, & ex eo mutuatus Cardinalis, dicentes, Hebræum ſignificare tranſitorem, & Salomonem iam euaſiſſe Hebræum ſpiritualem, & ſecundùm veritatem, quod piè ac fusè declarant. Innuit Interpres, fluctuantem quodammodo Salomonem iterum iterumque cogitationes alternaſſe: iam enim hoc ipſum feciſſe de ſe dixerat capite primo [a]. Similis ei eſt, qui quod priùs velut nauſeabundus, ac præ alterius deſiderio abiecerat, hoc deguſtato, illud rurſum reſumit. Repete quæ ibi diximus. Hinc autem pro Salomonis pœnitentia nonnullos argumentari Lyranus monet, tametſi contrariam ſententiam ſequitur.

a verſ.17.

Quid eſt, inquam, homo, vt ſequi poſſit Regem factorem ſuum?] Sic habet quoque textus Hebræus; ſed non inſerit (*inquam*) & pro (*quid*) poteſt eſſe (*quis*) & initio eſt (*quia*) & factorem circumloquitur (*qui olim fecit eum:*) Græca editio (ὅτι τίς ἄνθρωπος, ὃς ἐλεύσεται ὀπίσω τῆς βουλῆς; σὺν τὰ ὅσα ἐποίησαν αὐτήν, *quoniam quis homo qui ibit poſt conſilium? ſimul quæcunque fecerunt illud*) Aquila (τί δὲ ὁ ἄνθρωπος, ἵνα παρακολουθήσῃ βουλῇ; *quid autem homo, vt ſequatur conſilium?*) In editione Sixtiana LXX. deeſt σὺν, hoc verò, ſicut & τὰ, nihil videtur ad ſententiam facere, ſed reſpondere duntaxat articulo אֶת *eth*, & pronomini אֲשֶׁר *aſcher*. Quidā codices Græci in poſteriore membro legunt (πάντα ὅσα ἐποίησεν ἐν αὐτῇ, *omnia quæcunque fecit in ea.*) Hieronymus fatetur diſcrepare LXX. interpretationem ab ea, quam ipſe affert (*quia quis eſt hominum qui poſſit ire poſt Regem ante factorem ſuum?*) Explicat verò ſenſum eſſe, non poſſe hominem tam liquidò, & purè ſcire ſcientiā Creatoris, & Regis ſui, quàm ſcit ille, qui conditor eſt; itaque quæ nouimus, opinari magis, quàm tenere; æſtimare, quàm ſcire; ac proinde etiam in perquiſitione ſapientiæ, &c. ad quam ſe Salomon tranſiſſe dixit, non reperiri veram felicitatem. Titelmannus ait hæc verba parentheſi claudenda, prioremque ſententiam cū ſequenti, inter quæ ſunt, eſſe coniungenda. Sic autem explicat conſentaneè quoque ad mentem Hieronymi, vt velit Eccleſiaſtes imperfectā eſſe admodum cognitionem noſtram, comparatam cum illa, quæ eſt in Deo factore noſtro; & præ ipſa tenebras quaſdam cenſeri: nihilominus ex diligenti oppoſitorū collatione deprehendiſſe, ſapientiam, quæ nobis obuenit, ſi cum humana ſtultitia compararetur, maximi pretij eſſe, inſtárque lucis ad tenebras; ideo minimè ſpernendam, vel cum dicta ſtultitia conferendam.

Aliam Titelmannus aſſignat expoſitionem de comparatione inter pompam illam, magnificentiámque ſuperiùs deſcriptam in ædificiis, &c. quę ſicut hominibus admirabilia, & propemodum diuina videntur, ita ad magnificentiam atque opera Dei collata, ceu nihil reputantur. Confirmat ex tranſlatione verbali textus Hebræi (*quid eſt homo, vt poſſit ſequi Regem per ea quæ fecerunt*, vel *in iis quæ fecerunt?*) id eſt, quæ eſt hominis poteſtas, vt conetur aſſequi Regem omnium Deum, & quaſi videri illi æqualis per ea opera

A quæ fecerunt homines, vel quæ facere poſſunt: Vtrumque dicendi modum ſequitur Gerardus Moringus: primo fauent gloſſa interlin. Bonauentura, & Hugo vterque. Hebræa ſunt iſta (כי מה האדם שיבא אחרי המלך את אשר כבר עשוהו) *chi meh haadam ſcheiabo achare hammelech eth aſcher chebar hhaſuhu? nam quid homo qui venturus eſt poſt Regem, quod iam fecerunt ipſum?*) vel ſecúdùm Caietanum (*quem iam fecerunt eum?*) qui etiam ſic declarat. Ratio, inquit, redditur, vt indicat particula (*quia*) cur Eccleſiaſtes verterit ſe ad videndam ſapientiam, & ſtultitiam, &c. ſeu ad diſcernendum inter ſapientes, & ſtultos, ac intricatos, quia illi per ſapientiam veniunt poſt Regem, & obediunt ei, quem iam fecerunt eum, id eſt, electum à ſe, hi per ſtultitiam, & tricas redacti ſunt

B in poteſtatem Tyrannorum, & malorum Principum. Intricata mihi expoſitio videtur, nec multum propoſito cohærens, vbi Salomon magis generaliter agit: neque ad rem eſſet ſtuduiſſe illum ſapientiæ propter illam cauſam. Non etiam recipio quod Lyranus, & Carthuſianus dicunt, ex aliorum ſententia pronunciare, non eſſe quærendam hominibus Dei, diuinarúmque rerum cognitionem, vtpote ſupra nos exiſtentium, quod reprehendit in Simonide Philoſophus [a]. Nam potiùs vt reſipiſcens loquitur, quemadmodum reliquis videtur Interpretibus. a 10.Ethic.

Chaldæa paraphraſis longè diſſimilem ſenſum reddit. Verſum hîc integrum ponam (*& animaduerti ego ad videndum ſapientiam, & commotionem Regni, & intelligentiam* (nunc ſequuntur quæ

C ad rem præſentem faciunt:) *nam quæ vtilitas eſt viro, vt oret poſt decretum Regis, & poſt vltionem, cùm ecce iam ſtatutum ſit ſuper eum, & factum ſit ei?*) Poteſt hic ſenſus cum textu Hebræo conuenire, ita vt (*quid eſt homo*) idem ſit quod, quid eſt homini, nempe vtilitatis? Sic dicunt Hebræi; *quid ad te* [b]? *quid mihi eſt in cælo* [c]? Prætereà (*ire poſt Regem*) erit vt ſupplicem ire, ac ſequi (*quod iam fecerunt ipſum*) quod iam perfectum eſt ex decreto Regis. Sed non video quàm cohæreant iſta cum præcedētibus, & ſequētibus, quę tamen in modo orationis præ ſe ferūt cōnexionē. Olympiodorus Græcus auctor, Græcam ſecutus interpretationem, ait fieri comparationem, qua doceatur b Ioan.21.23. c Pſa.72.25.

D quid differant ſapientia, & voluptas, ſic autem videri Eccleſiaſten loqui: Quæramus an poſſit homo, qui elegerit ſibi ſecundùm hanc ſtultitiam viuere, complere ſua deſideria? τίς ἄνθρωπος ἐλεύσεται ὀπίσω τῆς βουλῆς; *quis homo, qui ibit poſt*, ſeu *qui ſequi poſſit conſilium*, ſiue *conſultationem ſuam?* quaſi dicat, nullus, aut rarus. Neque enim quicumque diteſcere appetit, penitus hoc conſequitur, nec qui gloriæ cupidus eſt, voti prorſus efficitur compos; & eadem ratione in cæteris ſeſe habet: qui verò ſapientiam adamarit, Deo duce feliciter ductus, ſequitur penitus conſultationem, hoc eſt, inuenit quod affectat.

E Alter ſenſus eiuſdem auctoris, vt Salomon attonitus erumpat in interrogationem: Quiſnam eſt homo, qui poſſit reſpicere, atque conuerti à deſideriis ſuis, & inſpicere motus electionis ſuæ, propoſitúmque finem, vt diiudicet vtrùm ſapienter viuat, an ſtultè? Tertiò exponit ſic, vt eleuatus extra corpus, & per ſapientiam videns, quòd poſt exitum huius vitæ nemo poteſt redire ad vitam, & iterum frui eiſdem rebus, quas dum viueret, certo conſilio exercebat, præpoſuerit ſapientiam ſtultitiæ.

Placet mihi Olympiodori ingenium, nec difficile censeo, quæ affert adaptare ad sensum Interpretis nostri, qui textui Hebræo magis inhæsit; dummodo Interpretem ipsi hoc etiam pacto interpretemur (*quid est homo, vt sequi possit Regem factorem suum?*) ita vt sit epiphonema hominis tædio pleni caducarum rerum, in medio cursu orationis abruptum. (*Quid est homo*) id est, ad quid est homo, quid intendit, & quærit præ hoc in omni consilio, & labore suo, vt nimirũ sequi possit Regem factorem suũ, qui est scopus & finis, in quẽ dirigi labor debet, atque consultatio, cùm sit bonũ sempiternum, in quo animus non rediturus ampliùs in hãc vitam, postquam hinc emigrarit, valeat conquiescere: & cuius frustra (vt simul cõiungam Chaldæam paraphrasim) nititur quis decretam in voluptuarios sententiam euertere, vel effugere? Quò fit vt stultitiæ præferre sapientiam oporteat. Thaumaturgus eodẽ videtur modo intellexisse. Loquitur apud ipsum Salomon. Neque enim vllũ hominũ studium, vitæque institutum comprobandũ mihi nunc videtur, nec recto iudicio expetendum. Proinde collectis & sapientiæ bonis, & stultitiæ malis, magna hunc virum admiratione prosecutus fuerim (quasi respiciat ad illud, *τίς ἄνθρωπος, quis, & qualis, quantusque ille vir*, &c.) qui cùm præceps ferretur, temereque vagaretur, postea mente recepta (nẽpe *ἐρχόμενος ὀπίσω βουλῆς*) ad virtutem officiúmque rediit. Albinus, tametsi vulgata editione vtitur, ab hac sententia non recedit. Reputans igitur, ait ille, quæ essent sapientiæ bona, & quæ stultitiæ mala, cõsequenter in laudem illius hominis erupi, qui post vitia se refrenans, virtutum possit esse sectator. Vatablus: Quid est enim, si homo sequatur ipsum Regem, quod olim fecerũt, id est, vt veniat post Regẽ, vt cognoscat, quod iam fecerunt facientes? id est, quod gestum est ab hominibus & stultè, & sapiẽter; quasi dicat: quis est ille homo priuatus, qui exactiùs perspicere, & cognoscere possit quæ gesta sunt, quàm ego cognosco, qui Rex sum? Clarius: Quid est, inquam homo, vt sequi possit Regem in iis quæ fecit? id est, qui imitatione Regis Dei aliquid magni conetur, cùm nullam quantumuis paruã ex omnibus rebus, quas ille innumeras fecit, æquare possit? iuxta id, *nec Salomon in omni gloria sua* [a], &c. Vatabli expositionẽ iuuat versus vigesimus quintus, *quis ita deuorabit*, &c. Innuitur idem, si cum Ioanne Benedicto post (*Regem*) pro (*factorem suum*) ponamus (*cum his qui fecerunt hoc*) id est, conati sunt, nec perficere quierunt. Pagninus indicat similẽ sensum: Nã quid est homo, qui venturus est post Regem, qui non sit facturus quod iam fecerunt alij ipsum? id est, quis præsumat plus in posterũ vel nosse, vel prosperari, quàm Rex qui sum ego, cùm frustra id hactenus alij conati sint?

a Mat. 6. 29.

Inquam.] Sæpe ab Interprete nostro adiungitur hoc verbum, quod nulla editio alia habet [b], vt sententiæ aptiùs, clariúsque distinguantur, vel quandò geminantur dictiones in textu Hebræo.

b Gen. 31. 51. Ruth 4. 10. Prou. 24. 32. Esa. 10. 21. Ierem 40. 12. Ezech. 4. 6. c. 16. 6. c. 20. 40. c. 21. 24. c. 24. 1. 27. c. 25. 9. c. 34. 6. Dan. 5. 11.

Vt sequi possit Regem factorem suum?] De vario sensu diximus. Hebraicè, vt etiam notatum est, habetur post (*Regẽ*) *quod*, vel *quẽ iam fecerunt eũ*, aut *id*. Interpres pro his reddidit (*factorem suum.*) Posset particula את *eth* significare (*ad*) eodem sensu, quo præcedens אחרי *achare* (*post:*) narrantur enim huius acceptionis exempla alia in thesauro linguæ sanctæ. Tunc autem vel pro עשוהו *hhasuhu* legit Interpres עשהו *hhasahu*, pro *fecerunt ipsum, fecit ipsum*: vel est numerus pro numero, vel fortasse indicat Trinitatis mysterium, quod notauit Galatinus [a], sicut Genesis primo [b] Hebraicè quoque, *creauit Dij*, ברא אלהים *bara Elohim*, vt placuit Magistro [c] sententiarum, Catharino [d], & Lyrano, Burgensi, Steucho, Hamero, Lippomano, Vielmio, Ascanio Martinengo, & aliis, necnon B. Thomæ.

a lib. 2. c. 9.
b vers. 1.
c 1 dist. 2.
d contra Caietanum.

Magna verò emphasis in duplici epitheto Dei, vt Rex, factorque noster dicatur per sapientiam, & potentiam infinitam, quibuscum si quod sapimus, & possumus, comparetur, stultitia fit & infirmitas. Sæpe Scripturæ horum nobis cõmemoratione nostram exprobrant vel dè scientia superbiam: vel immemorem beneficij animum: vel immodicam de diuinis iudiciis, ac prouidentia sollicitudinem, & temerariam sententiam: vel de viribus & facultate nostra confidentiam nimiam.

Vers. 13.] Et vidi quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.

Sapientiam Hieronymus, & glossa interlinearis humanam, hoc est, hominibus communicatam, sumi volunt, seu acquisitam, cui sint errores etiam permixti: cæteri videntur intelligere de diuina, seu Dei ipsius Regis, ac factoris nostri. Vtrumque dici potest. Notat Olympiodorus de sola stultitia sermonem esse, quia lætitia, & similes res aliæ priùs commemoratæ non sunt in genere malorum, sed ob affectionem eligentis, iisque abutentis. Comparatio ex luce, & tenebris aptissima est. Sapientia enim lumen est, & cãdor lucis [e]. Lux, nisi quid obstet, longè se porrigit, tenebræ mera priuatio sunt: quibus rebus boni, malique natura optimè declaratur, inquit Nyssenus. Qui priorem versum accipiebant ex persona Atheorum prohibentium de Deo, & diuinis vllam prorsus cogitationem suscipere, quòd longiùs abessent, vel potiùs omnino non essent, arbitrantur iis versu isto satisfieri, vt tametsi quæ ad Regem factorem nostrum pertinent, assequi exactè non possimus, non abiiciendum penitus studium sit sapientiæ: hanc namque, quãuis obscuram, & imperfectam, multo præstantiorẽ esse stultitia, hoc est, scientia terrenarum rerum: sumunt enim habitus intellectiui nobilitatem ab obiecto, præstátque, vt ait Aristoteles [f], de superioribus ac diuinis parum quid, & medio topico, quam de inferioribus multa, certoque cognoscere.

e Sap 6. 13. 23. c. 7. 26.
f 1. de partib. animal. c. 5.

Vers. 14.] Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat. Et didici quòd vnus vtriusque esset interitus.

Non habet depressos, declinatos in terram [g], humi affixos, intentos in res inferiores, ac veluti in pedibus, nec non longe prospicientes, equi, ac muli in morem, *quibus non est intellectus* [h]: sed sublimes, erectos, suspicientes cœlestia, lumẽ intuentes, spectantes velut ex specula, denique sapientiæ atque contemplationi diuinarum præsertim rerum addictos: cum stultus in tenebris ambulet, lucis seipsum priuans vsura. Hic est literalis sensus, quem Albinus attigit dicens:

g Psal. 16. 11.
h Psal. 31. 9.

[Videtur

A Videtur mihi itaque qui sapientiam sequitur (his verbis verba exponit Ecclesiastis) oculos ad cœlum semper erigere,& in sublime os habere erectum,eaque quæ super verticem sunt, contemplari:qui verò stultitiæ, & vitiis deditus sit, versari in tenebris,in rerum ignorantia volutari, oculos in terram deprimere.] Hugo Victorinus, Bonauentura,& Carthusianus cōcordant; Olympiodorus quoque, qui quòd caput in corpore emineat, notat habere oculos in capite,esse contemplari superna,& æterna. Eodem pacto Nyssenus, dicens in calcaneis esse oculos terrena sapientium,& veras tenebras censeri actem in huiusmodi rebus visum; vt Iurisperitorum,qui modos tradunt,quibus honestè concinnentur iniuria: talium lacerari calcaneos à serpentibus.

Thaumaturgus eodem modo. [Quocirca qui virtutem, inquit, amplexus est,haud mihi ab eo differre videtur,qui rem vnamquamque perspicuè cernit, sursumque prospectat, clarissimæque lucis tempore iter facit. Contrà,qui se vitio implicuit, omnisque generis erroribus, haud absimilis est homini in profunda caligine oberranti, quippe qui cæcitate affectus sit, atque a negotiorum tenebris exoculatus.] Similis phrasis est a vers.2. in capite decimo [a]: *Cor sapientis in dextera eius,& cor stulti in sinistra illius*; de qua dicemus suo loco. Solet Scriptura interioris hominis membra memorare,vt obseruat Basilius [b], proferēs in exem- b in Ps.43. plum præsentem locum, atque interpretans de prouidentia & circumspectione occulta sapientis. Idem alibi [c] omnium quidem oculos docet c hom.11.in hexam. esse in capite:sed in solius sapientis censeri, qui hoc, ad quod factus est,& erecta facie conditus, præstat, vt ea contempletur,quæ sunt in sublimi. Eadem senteria vtitur Chrysostomus [d] ad idem d in Ps.110. propositum,& Ambrosius [e]. Generalem verò il- e lib.6.hexam c.9.& lib. de Noe & arca c.7. lum canonem præscriptum à Basilio hinc Hieronymus [f] illustrat. f in 1.c.Epist. ad Ephes.

Mysticè præsentem locum variis modis alij explicant. Primò Chaldæus: Sapiens contemplatur in principio id, quod futurum est in fine, & stultus in tenebris ambulat. Sequitur Caietanus hanc interpretationem:videnr enim oculi sapiētis,inquit,caput,id est, principium operis,qui finis est,& consequenter media congrua. Secundò Hieronymus [g], glossa interlinearis, Hugo Car- g hic & c.1. l.pist. ad Ephes. dinalis, necnon Carthusianus, Olympiodorus, Salonius caput intelligūt Christum,quem vnum respicit sapiens & intendit, non cogitans de inferioribus. Eandem seu anagogiam,seu tropologiam tradit Gregorius [h]. Quod pertinet quoque, h 17 moral. c.4. vel 5. libro 1 c 3. vt per caput intelligantur cum Ambrosio [i] Ec- i l 4. homil. in ... ecclesiæ præeminentes. Is tamen etiam præcedentem sensum innuit [k]. Tertiò Lyranus superiorem k exhor. ad Virgi. partem animæ vacantē contemplationi: Carthusianus partem intellectiuā,in qua sunt tres superiores animæ vires,quæ vacāt diuinis. Idem nonnunquā docet Hieronymus [l]. Quartò Hugo Car- l in c 51. Esa. & in c.2. Dan. dinalis cor, quod iugiter sapiens intueatur, ne quid fœdum, aut turpe sit in eo, vbi debet sapientia hospitari, cùm stulti oculi ad inferiora dispersi,dicantur esse in finibus terræ [m],& in viis m Prouer.17. 24. propriis [n]. Non absimilis Caietani altera expli- n Iob.24.23. catio,quòd sapientis oculi videant proprium caput reflexè tanquam in speculo,eo quòd primùm noscat seipsum, & sic omnia in luce operetur. Sed Hugo Victorinus prolixè tractans hunc locum,amplexus videtur, & attigisse cunctas istas mysticas explicationes. Potest quoque sensus esse, dignosci sapiētem vel ex oculis,& vultu,sicut capite octauo [a] dicitur: *Sapientia hominis lucet in* a vers.1. *vultu eius*; & in Prouerbiis [b]: *In facie prudentis lu-* b c.17.24. *cet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ*. Quidam pisces oculos habere dicuntur in ventre,aut ani malia alia. Hos homines ibi habent,qui terrena sapiunt, *quorum Deus venter est* [c], & Dagonistæ c Philip.3. 19. vocari possint,& in eos veluti ex aliqua sublimi specula, vnde vniuersi exaudire possint, Persianum illud,vt Lactantius [d] ait,potest proclamari; d lib.2.c.2.

O curuæ in terras animæ,& cœlestium inanes!

De vsu vario prouerbialis illius sententiæ Delrius [e] noster, professus ingenuè, se nonnulla ex e tomo 2. Adag.sacro.in 295. nobis mutuatum, prolixiùs agit.

B *Et didici quod vnus vtriusque esset interitus.*] His verbis, & sequentibus versibus 15.16.17. exponit Ecclesiastes,licet sapientiæ tanta sit præstantia,tamen cùm non liberet à morte,& sempiterna hominum obliuione,subiisse cogitationem,vt in eius acquisitione frustra sibi laborasse videretur,tandémque propterea definiuisse, vanitatem esse, sapientiæ studere in gratiam ipsius sapientiæ, nisi tendat quis vlteriùs ad finem, ad quem debet ipsa perducere; cùm, inquam,sapiens,doctúsque perinde vt stultus, ac indoctus intereat, & sit in obliuione: & hac de causa cepisse illum tædium viuendi.

C Porrò pro recitatis verbis reliquæ editiones habent *(quòd vnus occursus*,vel *accidens occurret*, aut *accidet omnibus eis)* idémque est de primis sequentis versus. Scholia verò Græca habent (ἓν τέλος, *vnus finis.*) Hebræum nomen מִקְרֶה *mikreh* apud Hebræos Logicos significat postremam ex quinque vocibus Porphyrianis, τὸ συμβεβηκός, *accidens*. Rectè Interpres reddidit *interitum*, sicut aliis in locis, potissimùm sequenti capite [f]. Budæus [g] f vers.19. g com.ling. Græcæ pagin. 690. proferens hunc ipsum Interpretis nostri locum, obseruat significari quòd in vnum & eundem exitum omnes incursuri sunt, ὅτι συνάντημα ἓν συναντήσεται τοῖς πᾶσιν αὐτοῖς. Olympiodorus explicat de variis euentis communibus, vt valetudine mala,& bona,diuitiis,& paupertate,sed præ- D cipuè de morte. Eodem pacto Albinus. Augustinus [h] legens quoque *(quòd vnus incursus incurrat* h 20. de ciu. Dei c 3. *omnibus)* exponit in hac vita de bonis, & malis, quæ videmus esse communia. Mors occursus est accidénsque;occupat enim incautos,& intercurrit cogitationibus,& negotiis hominum. Quod ad sententiam ipsam attinet, de corpore intelligenda est,secundùm cuius interitum par quoque conditio hominis, ac iumenti dicitur capite sequenti [a]. a vers.19.

In anima longè dissimilis ratio sapientis, siue iusti,& stulti,atque impij, illius pretiosa [k], huius k Ps 115.15. l Psa.33 22. pessima mors [l]. Sed fortitan in aliena persona,vt Lyranus notat, & Carthusianus,& Hugo Victo- E rinus, & Nyssenus, mouet obiectionem negantium animæ immortalitatem. Hac de re commodiùs sequenti capite.

Vers. 15.] Et dixi in corde meo:si vnus & stulti, & meus occasus erit, quid mihi prodest, quòd maiorem sapientiæ dedi operam? Locutúsque cum mente mea, animaduerti, quòd hoc quoque esset vanitas.

PRæcedentem seu cogitationem,quæ sibi obrepserat,seu stulti, cuius induebat personam,

orationem, re attentiùs considerata, corrigit, vanam, ac falsam ostendens, quia licèt hæc in vita pleraque sapienti ac iusto, sicut stulto ac impio accidant, dispar est, longéque differés futuræ vitæ conditio in præmio apud Deum, & in memoria quoque apud homines. Eadem Salomonis patrem [a] de peccatorum in hac vita prosperitate vexauit cogitatio, Ieremiam [b], Abacuc [c], Iob [d], & alios, quódque vtriusque res eodem cursu sæpe fluerent, nec potior meliorum haberi, quàm deteriorum ratio, dum viuunt, videretur. Sed hæc ipsa cogitatio quemadmodum nonnullos præcipitauit in errorem de animæ nostræ mortalitate, iísque frenos ad omnem libidinem laxauit; sic aliis sapientioribus persuasit oppositum, secum reputantibus ex hac æqualitate iniquitatem nasci, si virtutis cultores nulla postea merces, improbos nullum maneat in alia vita supplicium: & idcirco ab æquissimo Deo expectari sine vlla dubitatione vtrumque oportere. Quamquam ea est dignitas Dei, tanta eius in nos merita, vt quamuis nec pœnam, nec beatitudinem decreuisset post mortem, omni officio, ac religione coli deberet: virtutis quoque talis honestas, & pulchritudo, vt per se appeti, & exerceri, licèt nullus vrgeret metus, inuitaret merces nulla vel in hac, vel in sequenti vita, imò etiamsi animus ipse interiret cum corpore, & corpus affatim deliciari posset. Possunt hæc illustrari vario Scripturarum, & auctorum sacrorum, & profanorum etiam apophthegmate. Fertur tentatori Bonauentura respondisse, cùm reprobus esset, stultè fraudare seipsum vitæ præsentis commodis; si non liceret Deo frui, ac virtute post hanc, vel in hac saltem vita eo vitæ instituto, quod ad id commodissimú esset, adeò veris, & synceris bonis frui velle.

a Psal.72.2.& seq.
b c.12.1.
c c 1.13.
d c.21.7.

Maiorem sapientiæ dedi operam.] Græcè (ἐσοφισάμην ἐγώ.) Sed quod sequitur in textu Græco (τὸ περισσὸν) iuxta translationem istam, & editionem tum Hebræam, tum Chaldæam, iungendum est verbo recitato, & non, vt LXX. faciunt, distinguendum. In textu autem Hebræo additur אָז *az, tunc.* Hoc aduerbium legit Olympiodorus Græcus auctor, aítque sensum esse, vt præcedentem soluat illationem stulti in sequentibus verbis. Si distinguamus, & nectamus sequenti orationi, idem erit quod (*cæterùm*) vel quid simile: vel abundáter locutus sum, dum scilicet protuli priorem sententiam, hoc est, non satis pensiculatè, ac in morem stulti (vt etiam ait Nyssenus) de quo idem affirmat paulo pòst secundùm Græcum textum. In verbo Græco latere potest quidam contemptus sapientiæ, quam argutiùs, & elato animo exercuerit: hoc enim est etiam σοφίζεσθαι, vnde σοφισταὶ, idque hoc loco Thaumaturgus insinuat.

Locutúsque cum mente mea.] *Mentem* pro *corde* Interpres posuit, qui paulo antè *cor* expresserat: & hæc sæpe confundi, sæpe monui.

Animaduerti quòd hoc quoque esset vanitas.] Vel quod per meipsum cogitaueram, vel quod stultus pronunciare solet. Videntur LXX. ad hunc respicere, sic enim legunt (διότι ἄφρων ἐκ περισσεύματος λαλεῖ, ὅτι καί γε τοῦτο ματαιότης, *quoniam stultus ex abundantia loquitur, quòd & hoc vanitas*) id est, inquit Olympiodorus, vana, & superflua talis cogitatio, & insanæ mentis talia verba effundere. Stultus enim furore effetuens, quæ temerè cogitauit, per os effundit. Minùs quadrat quod Bonauentura, Lyranus, & Carthusianus dicunt de studio sapientiæ, id adhuc hîc Ecclesiasten nominare vanitatem, quamuis sub persona stulti. Sensum, quem dixi, Hieronymus, cæterique amplectuntur, & fauent sequentia.

Vers. 16.] Non enim erit memoria sapientis similiter vt stulti in perpetuum: & futura tempora obliuione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter vt indoctus.

QVi priora vt stulti verba interpretabantur, inter quos est quoque Caietanus, hæc ei etiam attribuunt, quibus confirmet inane studiú sapientiæ, cùm non modò par interitus stulti, sapientísque sit, sed & post interitum, si qua apud superstites memoria retineatur defunctorum, tandem & ipsa pereat, etiam eorum, qui sapientiæ nomine maximè celebrantur, non stultorum duntaxat, & improborum, qui vigent etiam interdum magis in posterorum memoria. [Qui famæ post mortem cupiditate ducitur, ait Marcus Antoninus Imperator [a], non cogitat quemlibet eorum, qui ipsius mentionem sint facturi, mox ipsum etiam moriturum: deinde itidem eú, qui huic succedit, idque eò vsque dum omnis memoria per attonitos inani fama, extinctósque homines propagata aboleatur.] Adhibet longè pòst in exemplum Vespasianum, Traianum, & Adrianum Augustum, aliosque, qui ad miraculum vsque claruerunt: qui, inquit, nunc quodam modo glossæ sunt, sicut vsitata quondam vocabula, nunc interpretationis loco. Iubet etiam reputare Medicos mortuos, qui sæpenumerò ægrotos inspicientes supercilia contraxerint: Mathematicos, qui aliis exitum è vita prædicendo, se iactauerint: Philosophos, qui de morte, & immortalitate multa disseruerint: re bellica laudatos, qui multos occiderint: Tyrannos, qui magna cum insolentia, tanquam immortales potestate sua vsi sint: vrbes, quæ & ipsæ quodammodo mortuæ sint.

a 4. de vita sua.

Verùm pars melior auctorum, qui meliorem hæc in partem accipiunt, rationem assignari obseruant vanæ stolidæque prioris sententiæ, quia licèt mors omnes æquè demetat, sapiens mortuus in pretio habetur, & iustus est in memoria æterna [b], & suauissima [c], & cum laudibus [d], dum hic perdurat mundus, & apud Deum, Beatósque in perpetuas æternitates: quod secundum, præsertim hîc, arbitrantur intendi Hieronymus, Albinus, Salonius, Hugo Victorinus, Olympiodorus, & alij, atque paraphrasis Chaldæa: Thaumaturgus etiam primum. Perit memoria impij cum sonitu [e], hoc est, non existimatur memoria dignus, nec eius memor est Deus, sed de manu sua repellit eum [f], ponítque in terra obliuionis [g], id est, in inferno, vbi Lethen fluuiú Poëtæ fingunt: λήθη autem est *obliuio.* Quos non approbat Deus, & ignorare, seu nescire, & obliuisci dicitur.

b Psal. 111.7.
c Eccli. 49.1.
d Prou. 10.7.
e Psal. 9.8.
f Psal. 87.6.
g Psal. 87.13.

Et futura tempora obliuione cuncta pariter operient.] Hebraicè, & Græcè (*quoniam iam diebus venientibus omnia obliuioni data sunt*) antiqua translatio Hieronymi, seu apud illum (*eo quòd ecce diebus qui superuenient, vniuersa obliuio operiet*) Chald. (*& post mortem viri id quod fuit iam in diebus eius, cùm venerint dies, qui futuri sunt post eum, omne inuenietur.*) Sensus est, tempora hæc finem habitura, ideóque

hominum cunctorum memoriam cum illis; sed superesse gloriosam in æternitate de sapiente, ac iusto, quod est sufficiens ac latissimum discrimen inter illum, & stultum, impiúmque, quamuis pares essent, quod est tamen falsum, in memoria, quæ hic residet apud mortales.

Olympiodorus alium sensum sanè commodũ elicit, in venturo sęculo quæcunque nobis in hac vita occurrerint, siue infirmitatem, siue prosperam valetudinem, siue diuitias, siue etiam paupertatem, in obliuionem itura. Si lectio editionis Latinæ haberet negationem, vt meminit Hugo Cardinalis, intelligeremus, sapientis non dolendam memoriam, sicut in prioribus verbis notat quoque quosdam codices habere notam interrogationis; denotantem personam infirmorum, siue stultorum.

Moritur doctus similiter vt indoctus.] Hebraicè & Græcè (*& quomodo morietur sapiens cum stulto?*) Hieronymi, vetus translatio eodem modo. Chaldæa (*& quomodo dicent filij hominis, quod futurus sit finis iusti, sicut finis peccatoris?*) Quomodo dicitis, inquit explicans Olympiodorus, ó stulti, quòd propter communem omnibus mortem nihil sapiens stulto plus habeat, quandoquidem sapientis memoria (vt superiùs dictum est) perpetua sit apud Deum; stulti verò nequaquam: si enim quæ in hac vita occurrunt, omniã sunt communia, tamen in futura vita vnumquemque opera sua sequentur.

Eodémque recidit sententia sine nota interrogationis, vt sit stulti, qui denuò loquens introducitur, vel potius sapientis, qui repetat cum exprobratione hæc tanquam verba stulti. Decantatissimum illud, quòd

a Horat. lib. 1. ode 4. [a] *Mors æquo pulsat pede*
Pauperum tabernas, Regúmque turres.

Sapientem porrò doctum Interpres vocat, nimirum θεοδίδακτον, *doctum, & docibilem Dei*, qui illum diligit, & eius mãdata custodit, inquit Salonius, & quantum possibile est humanę fragilitati, eius voluntatem in omnibus studet implere, non qui philosophicæ tantùm disciplinæ pollet affluentia, vel liberalium artium splendet eloquentia, & seculari prudentia, atque carnali sapientia præditus est, quæ sæpe inimica (iuxta emendãta Biblia inhibita) est Deo [b], & nullum in se spiritualem, nullum perpetuæ beatitudinis fructum continet. Arbitror tamen latiùs Ecclesiasten *sapientis* vsurpare vocem: licet vsu sanctorum Patrum Græcorum philosophia dicatur de vitæ Christianæ perfectione, atque magis astricto instituto, & *docti* vocabulum Daniel [c] non semel vsurpet in dicta illa notione. Augustinus [d] eos, qui liberalibus eruditi disciplinis non ad vnius Dei laudem, atque dilectionem cuncta conuertunt, à quo cuncta esse cognoscunt, ait doctos quidem videri, ac dici posse, sapientes autem esse nullo modo.

b Rom. 8. 7.
c c. 11. 33. c. 12. 3. 13.
d 2 de doct. Christ. c. 38.

Vers. 17.] Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuersa esse sub Sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritus.

Sapientem inter stultos versantem, & tam fatua audientem tædium, odiúmque vitæ capit, cùm quamdiu viuat, inter tales cum versari, audire talia ipsum oporteat, simúlque videre, & ex-

A periti in rebus cunctis vndecunque causas mœroris, atque afflictionis. Hebraicè Græcéque legimus (*& odi vitam*, Græcè (σὺν, *simul*) *quoniam malum in me opus quod factum est sub Sole.*) Hieronymus eodem pacto: Chaldæus (*& odi vitam malam, quia malum contra me est, opus malum quod fit filijs hominis in seculo hoc.*) Symmachus (κακὸν γάρ μοι ἐφάνη τὸ ἔργον τὸ γινόμενον, *malum enim mihi visum est opus quod fit.*) Malitiam moralem, mundúmque in maligno positum [a] cum corpore mortis huius [b], ærumnósique præsentis carceris, & vallis lacrymarum, vbi in sudore vultus nostri comedimus panem [c], Hieronymus, Latinique; laboriosam vitam sapiẽns Olympiodorus exponit, propter ea quæ peccator sub Sole solùm quærit.
B Sunt verò superiora quærenti molesta, & quædam quasi impedimenta.

a 1. Ioan. 5. 19.
b Rom. 7. 24.
c Gen. 3. 19.

Tæduit me vitæ meæ.] *Odium* editiones aliæ ponunt. Huiusmodi vitæ tædium Rebecca [d], Iob [e], Ionas [f], Paulus [g], Christus [h] habuerunt: diem natalem idem Iob [i] maledixit, & Ieremias [k], & Machabæus [l] se natũ doluit. Paulus [m] quoque cum eodem Iob [n], ac Ieremia [o], & Elia [p], & Dauid [q], migrationem ex hac vita desiderauerunt, & flagitauerunt. [Qui vitam odio habuit, ait Ambrosius disserens de bono mortis [r], & præsentem prodiicens locũ, vtique mortem prædicauit, &c. Grauius est enim ad peccatum viuere, quàm in peccato mori. Adde, melius esse mori, quàm in
C peccato, vel in peccati probabili periculo, quod nõ sis vitaturus, mori.] Solemne sanctis viris tædium vitæ præsentis, vt ipsi Deum etiam leuiter desinant offendere, & aliena peccata, quibus grauiter læditur Deus, non videant: vt Deo, quem tantopere diligunt, intimè ac immobiliter adhærescant: vt eorum causa, vel occasione hi qui diuinam Religionem impugnant, impugnare, ac in deterius pergere cessent: vel conflata in eosdem inuidia conquiescat, atque sua ipsorum morte vitam aliis seruent.

d Gen. 27. 46.
e Iob. 10. 1.
f Ionæ 4. 8.
g 2 Cor. 1. 8.
h Mar. 14. 33.
i Iob 3. 1.
k Ierem. 20. 14 & seq.
l 1. Mach. 7.
m Rom. 7. 25. Philip. 1. 21.
n Iob. 3. 1.
o supra.
p 3 Reg. 19. 4.
q Ps. 119. 5.
r c. 7.

Exemplo possunt esse quos nominauimus; quibus Ionam adiunge, qui ad tranquillandam tempestatem iactari voluit in mare [f]. Nec alienum à sanctitate, vt quempiam viuere tædeat,
D etiam ne præsentis vitæ sentiat calamitates in se, vel in suis. Tale in Augustino [t], cùm eius obsideretur ciuitas. Christus ipse hanc item ob causam pauere ac tædere cœpit [u], & mœstus esse, sanguinémque sudauit in agonia [x], quòd acerbos cruciatus in morte præsentisceret, quos breui experturus erat. Ex hoc tædio, odióve vitæ Salomonis colligere Thaumaturgus videtur pœnitentiam ipsius.

f Ionæ 1. 12.
t Possidon. in vita.
u Mar. 14. 33.
x Luc. 22. 44.

Vanitatem, & afflictionem spiritus.] Lege caput primum [y].

y vers. 14.

E *Vers.* 18.] Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub Sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me,

Vers. 19.] Quem ignoro, vtrùm sapiens, an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus, quibus desudaui, & sollicitus fui, & est quicquam tam vanum?

Retractat de diuitiis, quas vanum sit accumulare studiosiùs, cùm nescias, cui, repentina præreptus morte, eas relinquas, stulto, an sapiẽti,

hæreditate digno, vel indigno. Certe Roboam, Salomonis filius,& hæres,stultus fuit. Notat hoc Hieronymus, cæterique: sed & Paraphrastes Chaldæus expressit, indicás vaticinando de ipso loqui Ecclesiasten (*& odi ego omnem laborem meũ, quem laboraui sub Sole in seculo hoc,& obstupui in corde meo, propterea quòd relinquam eum Rehabgham filio meo,qui veniet post me; & quis nouit an sapiens erit, an stultus Rex, qui futurus est post me*, &c.) Gemina hic vanitas, & quòd nihil hinc auferre tecũ possis [a], neque cùm interieris,sumere [b], sed cogaris relinquere [c], nudus reuertens in terram [d], ignorésque cui thesaurizes & congreges [e]; & quòd quæ parasti,nescias cuius erunt [f]. Tertia vanitas continetur illis verbis (*& dominabitur*, &c.) videlicet incertum an quamuis hæres futurus sit sapiens, apud eum permansura diu sit hæreditas. Notat hæc omnia Olympiodorus.

a 1.Tim.6.7. b Ps.48.18. c ibidem. d Iob.1.21. e Ps.38.7. f Luc.12.20.

Is,quem dixi, Roboam, potiorem amisit Regni partem [g]: & anno post Salomonis mortem quinto Sesac Rex Ægypti abstulit thesauros domus Domini,regiósque,scuta etiam aurea, quæ Salomon fecerat [h]: ille verò vt famelicus messem patris comedit [i]. Augustinus crebrò redarguit vanam & sollicitam curam parentum in hæreditate filiis relinquenda [k]. Saladinus interulam,qua cadauer suum indui testamento mandauit,voluit vt lancea sublimem seruus circumferens per compita vicósque clamaret, Saladinũ Asiæ Imperatorem nihil aliud ex tantis secum opibus auferre [l]. Idem Hieronymus altiùs, vt ipse dicit, contemplans, quem etiam affert sensum Albinus pro literali,exponit de labore spirituali,quòd diebus,ac noctibus vir sapiẽs in scripturis laboret,& componat libros,vt memoriam sui posteris derelinquat, & nihilominùs in manus stultorum veniant,qui frequenter secundùm peruersitatem cordis sui semina inde hæreseos capiant,& alienos labores calumnientur. Probat Hieronymus hunc esse magis cõuenientem sensum,etiam secundùm literam, quia subditur (*& dominabitur in omni labore meo, in quo laboraui, & in quo sapiens factus sum sub Sole.*) Quæ enim, inquit, sapientia est,terrenas diuitias congregare? Præfero priorem sensum, qui est quoque Thaumaturgi,Olympiodori,& aliorum omnium,vel potiùs ex vtroque vnicum conficio. Nam sapientia sub Sole (quamuis nostra editio in illis verbis aliter legat,vt videbimus) potest intelligi de peritia circa res agibiles, & factibiles. Debent parres filiis thesaurizare [m],& suorum maximè domesticorum curam habere [n], & conuenientem eis hæreditatem relinquere: debent hi quoque, quibus communicauit Deus sapientiam,ad alios non dicto solùm,sed etiam scripto, si possunt,sine inuidia deriuare [o]. Reprehenditur nimium vtraque in re anxiúmque studium, præsertim si fraudes adiunctas, aut meliorum rerum negligentiam habeat. Satius est viuentem benignè pauperibus facere,cùm suis satisfecit, quàm his post mortem benignitatem commendare, ac *melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas* [p]. [Melius est nosipsos,ait ad hunc locum idem Olympiodorus,dum sumus in vita,dispensare diuitias nostras in pauperum ac egenorum necessitates, vt ita thesaurum habeamus indeficientem in cœlis [q], quàm alios in hæreditatem transmittere, qualescunque demum illos fore contingat.] Cupis hæreditatem bonã, ait Chrysostomus [r], filiis relinquere,eleemosynam relinque: Hoc eleganter, prolixéque tractat Cyprianus [a], probans eo largiores eleemosynas fieri oportere, quo plures sunt liberi,ampliórque familia; sic enim pro pluribus Deum placari, & æternum iis, ac firmum patrem, tutorem, protectorem parari.

g 3.Reg.11.30. h 3.Reg.14.25.26. i Iob.5.5. k de sancta viduit. c.11.& homil.48.ex lib.50. homiliarum. l Pius II. post Blondum dec.6.lib.6. m 2.Cor.12.14. n 1.Tim.5.8. o Sap.7.13. p Ps.36.16. q Luc.12.33. r hom.9.de pœnit. a de oper & el.emos.

Detestatus sum.] Hebraicè, Græcè, Chaldaicè idem verbum est, quod initio versus 17. significans (*odi*) vbi Interpres,vt vidimus, posuit (*taduit me.*)

Industriam.] Eodem pacto variauit hic Interpres Latinam dictionem, cùm, quæ in aliis editionibus eadem est, denotans laborem, & præsertim grauem, ipse priùs *laborem* exposuerit versu 11.

Studiosissimè laboraui.] Versu eodem, & in 19. *sudandi* verbo idem Hebræum reddidit. Hæc ideo noto,ne semper vim faciendam existimemus in omnino exacta proprietate vocabulorum, cùm sæpè vt synonyma, idémque valentia sumantur. Exempli causâ,cùm est *sudandi* verbum, non est semper ad naturam, proprietatésve sudoris recurrendum: significat enim intensum laborem non corporis tantùm, qui potest quoque citra sudorem esse; verùm etiam applicationem, & conatum animi, vt cùm dicitur, quòd

Virtutem posuere Dij sudore parandam.

Hæredem.] Hebraicè & Græcè (*hominem, qui veniet post me*, seu *futurus est*, γενησομένῳ, alij codices habent γινομένῳ,quidam γενομένῳ) quod intelligi potest de illo quoque, qui non sit institutus hæres,seu nominatus, & scriptus, vel etiam ab intestato. Chaldæus expressit Roboam:& Latinè hæres quãdoque dicitur de quouis domino.

Dominabitur.] Græcè (ἐξουσιάσεται). Aquila (κυριεύσει.)

Sollicitus fui.] Græcè (ἐσοφισάμην) Hebraicè (חָכַמְתִּי *chacamthi*) Chald.(*acquisiui in sapientia mea*) vetus translatio apud Hieronymum (*sapiens factus sum.*) Qua de causa malebat ipse laborem, de quo agit Ecclesiastes, dolens relinqui ei, quem ignoret qualis futurus sit, esse spiritualem: nec enim sapientiam videri terrenas diuitias congregare. Huic obiectioni satisfecimus,& editio hæc nostra plenè satisfacit, sapientiam interpretans sollicitudinem. Constat etiam Hebræum verbũ, noménque חָכְמָה *chacemah* extendi ad omnem artem,scientiam,facultatem.Sic v.g.Pharao dicebat [b]: *Sapienter opprimamus eum*,nempe populum Israëliticum, נִתְחַכְּמָה *nithchacemah*, κατασοφισώμεθα.

b Exod.1.10.

Et est quicquam tam vanum?] Secundùm alias editiones (*&*, seu, *etiam*, vel, *sed & hoc vanitas.*) Maiorem emphasim habet interrogatio. Vtitur Scriptura interrogatione dubitante in his quæ certissima sunt: & quandoque affirmationis habens interrogatio formam, negationem importat; vt contrà quæ negans est,affirmat,quemadmodum à Philippo [c] Presbytero, qui Hieronymi nomine circumfertur,notatum est,& à Chrysostomo [d]. Vim exprimit quoque admirationis,vt obseruauit Augustinus [e], vel indignationis, vel querimoniæ,vel commiserationis,vel exprobrationis. De his aliísque interrogationum in Scripturis vsibus lege Salmeronem [f], & Toletum [g]. Docet quoque Ribera [h], eundem Scripturæ locum nunc absque interrogatione legi,nunc cum interrogatione, ídque plurimum valere ad conciliandam quæ apparet oppositionem: licèt hac notatione hic non egeamus. Illustrat præsentem locum quod suo Ninus, possessor quondam im-

c in c.14.Iob. d hom.21.in 1.ad Corint. e lib.locutionum in Genes q.56. f tom.1. prolego.11.can.34. g Luc.1. annot.79.& in c.5.Ioannis. h in c.5.Michææ.n.15.

manis auri, quod montes aurei, vel mare, vel arena cognominabatur, iussit inscribi sepulchro. *Quondam ego Ninus fui, spiritúmque vitalem hausi. Ad inferos cum descendi, nec aurum, nec equum, nec argenteum currum egi. Cinis iam multus, qui olim regium diadema gestaui* [a]. Quod attinet ad successorem in hæreditate, sæpe ignoratur quis futurus sit, qualis, quamdiu possessurus. Exaggerăt hoc Nazianzenus [b], & Ambrosius [c]. Plinius [d] autĕ plurimis Augusti calamitatibus recensitis, hanc extremam extremo posuit loco, quòd hærede hostis sui filio excessit. De Roboamo autem Salomonis filio, & successore, de quo prius meminimus, Ecclesiastici [e] auctor scribit hoc modo: *Et dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam, & imminutum à prudentia Roboam, qui auertit gentem consilio suo.*

a Phœnix apud Athen. lib. 12.
b orat. de amore properum.
c 1. offic. c. 45.
d lib. 3. c. 45.
e c. 47. 27. 28.

Vers. 20.] Vnde cessaui, renunciauitque cor meum vltrà laborare sub Sole.

ATtenta illa seriáque præcedens cogitatio cessationem induxit à cura in res caducas incumbendi, opésque hæredibus immodicè cumulandi. Antiqua translatio Græcis Hebræísque codicibus adhærens sic habet (*& conuersus sum ego, vt renunciarem cordi meo in omni labore meo, quo laboraui sub Sole.*) Persistit Hieronymus & Albinus in eadem expositione de labore in componendis libris, quibus abutantur hi, ad quos perueniunt. Quæ sanè nonnullos causa remouit à scribendo. Lege Petrarcham [f] de remediis vtriusque fortunæ.

f lib. 1. c. 44.

Cessaui.] Hebraicè (סַבּוֹתִי *sabbothi, circumdedi me*, vel *verti*, seu *sum versus*, vel *reuersus*, quasi per actum mentis reflexum, vel *occasionem sumpsi*, &c.) hanc enim quoque significationem habet hoc verbum: Septuaginta (ἐπέστρεψα) Symmachus (περιῆλθον, *circumactus sum*, vel *circumegi me.*) Videtur ab equis ducta metaphora, quos qui agitant, circumagunt, & in cursu sistunt, ac retroagunt.

Renunciauitque.] Hebr. & Chald. (*ad desperare facere, vt desperaret*) hoc est, vt penitus abiiceret spem; & reuocaui me vt abiicerem omnem cogitationem, vt negligerem, vt cor meum spem deponeret; ac proinde, cùm non nisi proposita spe suscipi labor soleat, hunc ampliùs non susciperet, vt desisteret murato consilio tanquam à re immedicabili, & extremo malo. Valet ista omnia Hebræum verbũ cum litera seruili לְיָאֵשׁ *leiaesch*: ἀποτάξασθαι verò est *seponere, secernere, nuncium remittere.* Sic Lucas [g] refert, eum, qui sequi volebat Christum, permitti sibi petiisse priùs ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν σου: eandémque phrasim vsurpat in historia Apostolica [h] pro *valedicendo*: Scholia hoc loco ἀποκαμεῖν, *recusare laborem.*

g c. 9. 61.
h Act. 18. 18.

Vers. 21.] Nam cùm alius laboret in sapientia, & doctrina, & sollicitudine, homini otioso quæsita dimittit, & hoc ergo vanitas, & magnum malum.

ADeò fixus hæsit de inani illo labore cassóque dolor, vt hunc, licèt verbis aliis, repetat, & inculcet sub tertia persona. Laborat, inquit, nescio quis omni conatu animi; sed parta homini relinquit, qui otiosè, ac luxuriosè cuncta abliguriat, nihil pensi habens desudatum laborem, & graues præcessoris in iis conquirendis curas.

Sapientia.] Dixi significare sollicitudinem, solertiam, peritiam, prudentiam in rebus agendis.

Sollicitudine.] Circa quæstuosas artes, modósve rem adaugendi כִּשְׁרוֹן *chisron rectitudo* est, vel *congruitas*, seu quando quid industria fit, & dexteritate quadam. Chaldæus reddit *iustitiam*: Græcus ἀνδρείαν, id est, *fortitudinem*: & Vatablus Hebræam dictionem interpretatur per iustitiam, in qua excolenda vir ille laborauerit. Itaque hoc modo videretur Salomon exprimere modos honestos, quibus comparatæ sint, vel conseruatæ, vel auctę opes, per sapientiam, quæ versatur potissimùm in contemplatione, per scientiam, seu doctrinam practicam & moralem, per iustitiam, aut fortitudinem. Vetus Latina editio *virtutem* vertit, quę dictio absolutè posita *fortitudinem* sonat, à viro, qui dicitur à viribus, sicut ἀνδρεία est ἀπὸ τοῦ ἀνδρός. Scholia habent γοργότητι, *vigore, acrimonia, celeritate, viuacitate.*

Homini otioso.] Iuxta alias editiones (*homini, qui non laborauit in eo*) nimirum labore, qui etiam homo otio vacat, contentus rebus, quas otiosus acquisiuit. Nec enim, quod sequitur hîc, magnum malum esset, si bene vteretur, sapiénsque, non stultus esset.

Quæsita dimittit.] Alij (*dabit illi partem eius*, siue *suam, quam laborans quæsiuit, & acquisiuit*) Chaldæus (*dabit illud, vt sit pars eius*) videlicet qui non laborauit, sed otiosus fuit.

Et hoc quoque vanitas, & magnum malum.] Vetus translatio (*nequitia magna*, πονηρία, רָעָה *rahhah.*) Si moraliter malum, & nequitia sumitur, vel de eo, qui tam luculentam hæreditatem adeò imprudenter dimiserit, intelligitur; vel de illo, qui ipsam nactus, desidet, atque luxuriatur, cùm facultates ad virtutes exercendas adiumento esse soleant & debeant. Hæ tamen voces omnibus linguis suis vsurpantur etiam pro malo pœnæ, vel pro libidinosa illecebra, vel pro vitæ conditione laboriosa, & ærumnosa. Est profectò molestissimum, si laborum nullus, aut inglorius extet fructus, &, vt antea dixi, grauis pœna est, si messem nostram famelicus comedat, rapiat armatus, bibat sitiens diuitias nostras [a], & fructus terræ nostræ, omnésque labores nostros comedat, quem ignoramus [b]. Porrò nihil ad vitia magis opportunum diuitiis: otium autem quod illæ parere solent, vitiorum fomentum est.

a Iob. 5. 5.
b Deut. 28. 33.

Olympiodorus aliter quoque locũ istum totum enarrat admisso allato sensu, vt parenthesi includantur quæ sunt à principio versus, vsque ad (*sollicitudine*) inclusiuè, & hæc verba efficiant sensum, quòd ideo Ecclesiastes contempserit laborare circa res vanas, quia rationibus collegit esse alium laborem laude dignum, qui stabiles congregat virtutum diuitias, sapientiam, scientiam, fortitudinem: tunc iungantur sequentia prioribus. Nyssenus idem indicat. Thaumaturgus planè consentit: [His autem excussis, ait, atque proiectis (nempe rebus vanis, & terrenis) mihi vera bona hominibus proposita apparuerunt, hoc est, sapientiæ cognitio, & fortitudinis adeptio.] Placet magis prior sensus.

Vers. 22.] Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub Sole cruciatus est?

Anxros

A Varos tum priores, tum præsertim tangit sententia ista, hoc & sequentibus duobus versibus comprehensa, qui se discrucient aggregandis opibus, quas nec quibus relicturi sint, norunt, nec dum viuunt, degustant.

Quid enim proderit.] Regij, & Complutenses Græci codices habēt γίνεται, &c. quo modo prior versus huic nectendus erit, ne pendeat sententia (καὶ πονηρία μεγάλη γίνεται) Sixtiani legunt (ὅτι γίνεται, &c.) Valet autem ὅτι aliquando non solùm *quoniam*, qua ratione penderet adhuc sensus præcedentis versus ab isto, sed etiam *quid*, quod Hebraicus textus expressum habet, atque Chaldæus. Symmachus legit (ὅτι γὰρ περιέγονεν, *quid enim amplius fuit*) vetus Latina translatio (*quid enim fit homini.*) Triplicis in his editionibus varietas temporis non variat sensum. Olympiodorus vtitur lectione, cui deēst ὅτι, & sic explicat; aduenit homini labor, quem laborat, siue bonus sit, siue malus, ab electione consilij.

Pro *afflictione spiritus*, Græcè est προαίρεσις, sicut iam aliquoties obseruauimus; ita vt laudandus sit, si circa virtutem occupetur, secus, si circa vitium, cùm eiusmodi labor adiunctum habeat dolorem, & perturbationem, sollicitudinémque animi, & vigiliam. Inter interrogationis vsus, quos indicaui versu 19. hic vnus est, vt negationem denotet. (*Quid proderit ergo*) valet idem ac (*nihil proderit.*)

. *(cruciatus est?*] Græcè (μοχθεῖ, *cruciatur*) de quo verbo priùs dixi, quamuis Hebræum hîc, & ibi est idem, nempe עָמָל *hhamal*, quod verbum significat etiam laborare cum molestia & defatigatione, absque voluptate aut leuamine.

Vers. 23.] Cuncti dies eius doloribus, & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit, & hoc nónne vanitas est?

A Liæ editiones habent (*quoniam cuncti dies eius dolores*, vel *dolorum*, vel *molesti*, *& ira*, vel *ira occupatio*, seu *negotium eius*), nimirum est, id est, indignatione plena est occupatio, & omne tempus rebus quæ cruciant, & nusquam inuenit, vnde non diuexetur; ita vt (quod mox subiicitur) ne noctu quidem conquiescat.

Nimis notæ sunt auarorum calamitates, quibus etiam, iuxta parœmiam, tam deest quod habent, quàm quod non habent [a], & instar Tantali, quibus abundant, carent, quia nesciunt vti [b], ac tanquam Midas [c], auro pro esca abusi, fame pereunt, μηδὲν εἰδότες, quam Midæ Fulgentius [d] etymologiam assignat, vt eidem alij auriculas asini, & digni sunt pœnis, quas in inferno illis Virgilius attribuit [e], alludens ad eundem Tantalum; vel vt colliquato in os auro, quod genus pœnæ Aquilio Romano duci Mithridates intulit in Asia, extinguantur, quemadmodum in os Crassi mortui à Parthis infusum est, & Cyro à Tomiri Scytharum Regina, cùm dicerent; aurum sitisti, aurum bibe [f]. Eodem supplicio auorum memoria Sigismundus Imperator Philippū Florentinum, quem vulgari Florentinorum nomine Pipum historici dicunt, affecit, ducem suum contra Venetos, quòd in Pannoniam re infecta auro corruptus reuertisset [g]. Haitonus Armenus in historia de Tartaria [h] narrat ab Haolono Caliphum inedia mori coactum, cùm illum intra cubiculum auro, gemmísque refertum inclusisset, quòd necessario sumptui pepercisset in bello. Accidit hoc millesimo ducentesimo quinquagesimo octauo Christi anno. Egregia illa sanè, propositóque conueniens Augustini sententia [a]: [O homo, qui laboras amando auaritiam, cum labore amatur quod amas: sine labore amatur Deus. Auaritia iussura est labores, pericula, tristitias, tribulationes, & obtemperaturus es. Quo fine? vt habeas quo impleas arcam, & perdas securitatem. Securior fortè eras antequàm haberes, quàm cùm habere cœpisti. Ecce quid tibi iussit auaritia. Implesti domum, timentur latrones: acquisiuisti aurum, perdidisti somnum. Deus sine labore cùm amatur, acquiritur, & tenetur.] Legendus omnino etiam eiusdem sermo vigesimus secundus de verbis Apostoli, vbi & de somno, quem capere tales nequeunt. Prodeat exempli causâ ex tot aliis Poëta vnus [b]:

Ergo sollicitæ tu causa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis animum (vel *hominum*) *crudelia pabula prebes,*
Semina curarum de capite orta tuo.

Cratem nemo nescit magnum auri pondus abiecisse, putantem se simul & virtutem, & diuitias possidere non posse [c]. Beatus qui post id non abiit, quod possessum onerat, amatum inquinat, amissum cruciat [d]. Extant orationes, tractatúsque permulti contra diuites auaros tum profanorum, tum auctorum sacrorum.

Videtur mihi præ cæteris eleganter Isidorus Pelusiota [e] ita persecutus incredibiles terrores, quibus continenter diuitis auari mens affligitur à latronibus, calumniatoribus, potentibus, famulis, non viui tantùm, sed mortui. Rursum ait [f], postquam prodigiosè monstrum auaritiæ depinxit, eum, in quo vitium id insideat, dies noctésque tam dirè cruciari, vt inferorum præcipere supplicium videatur, longéque duriores experiri pœnas, quàm ad metalla damnati.

Ærumnis pleni sunt.] Hebraicè (*ira negotium eius*) Chaldaicè (*fortitudo indignationis negotium eius*) Græcè (θυμοῦ περισπασμὸς) Aquila (βάσανος, καὶ θυμὸς, *tormentum, & ira*) vetus translatio (*omnes dies eius dolorum, & iracundiæ, curarúmque.*) Περισπασμὸς est *distractio, diuulsio, diremptio*, dicitúrque hoc loco de animo varias ac molestas in curas distracto, & quasi discerpto. Huic respondet Hebræum עִנְיָן *hhinian*; at כַּעַס *cahhas*, pro quo est θυμὸς, *iram cum irritatione, & indignatione* significat. Is, quem laudaui, Isidorus [g], auaritiam sic effingit, fœminam, quæ belluina forma sit prędita, ignémque spiret, ac infinitas viperas in capite crinium loco gestet pepetuò sibilantes, & mortiferū venenum euomentes, innumerabiles quoque manus vnguibus abundātes, quarum manuum opera alios laceret, alios sagittis appetat, ab aliis pecunias extorqueat; denique ora plurima, quibus partim minetur, partim struat calumnias, partim adulețur, seruilem in modum loquatur, peieret, turpísque quæstus causâ innumeras excogitet occasiones, ac proferat. Assignat ei etiam oculos acres, crudeles, inhumanos, igneum obtuentes, aures septas, & obturatas ad supplicū egenorum preces gemitúsque; pedibus captam dicit, vtpote quæ quem semel corripuerit, ab eo recedere nequeat. Vide quæ de inexplebili auarorum siti Seneca [h] disputat, quæque affert ex fabula, quam

dedit

a Hieronym. epist.103. b Horat.1. sermonum, satyra 1. & pod. ode vlt. c Petron. Arbiter in satyr & Hom. Odyss. 11. d Ouid. 11. Metamorph. Lib. 2. Mythol. e 6. Aeneid. f Iosephus 14. Antiq. c. 13. indicat, & Sabellic. lib. 7. ennead. 6. g Sabel. Enea. 9. lib 9. c. 26.

a tract. 9. in 1. Ioan. b Proper. lib. 3. eleg. 7. c Hieronym. epist. 13. d Bernard. epist. 103. e lib 2. epistola 146. f ibidem epistola 233. g lib. 2. epistola 233. h lib 7. de benef. c. 27.

dedit Euripides publicè ad exaggerandas eorum pœnas, ac tormenta [a]. Citat præterea senarios duos illustres [b]:

Desunt inopiæ multa, auaritiæ omnia.

In nullum auarus bonus est, in se pessimus.

Quò spectat sapiens Publij Mimi dictum: [Auarus nisi cùm moritur, nihil rectè facit. Si suis viuens rebus vteretur, rectè faceret: moriens facit; quia relinquit aliis.] Lege quæ capite quinto dicuntur in eandem sententiam, & ab Ambrosio in Psalmum primum tractante hos ipsos locos.

a epist.115.
b epist.108.

Vers. 24.] Nónne melius est comedere & bibere; & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? & hoc de manu Dei est.

CVm docuerit quàm sit vanum inanibus seipsum curis aliorum gratiâ sine vtilitate conficere, docet nunc satius videri rebus suo labore partis frugaliter viuere, ac moderatè delectari, eáque in Deum ceu in auctorem, & donatorem referre, qui hæc ipsa donans, illorum nobis vsum permittit, & hanc ipsam cogitationem honesti ac moderati vsus inspirat, sicut è contrario ab ira Dei proficiscitur, quod de auaro dictû est, vt noctes diésque coaceruandis atteratur opibus, nec acquisitis ausit vti. Hæc est Hieronymi & Albini, qui solet illius verba vsurpare, interpretatio, necnon Lyrani, Carthusiani, Arborei, Moringi, Titelmanni. At Olympiodorus & Hugo vterque, & Bonauentura in partem deteriorē sumunt, ac loqui in persona voluptuosi hominis. Fauet nonnihil Thaumaturgus. Sed præter hos Interpretes docet idē Gregorius [c]; Augustinus [d] verò explicat mysticè de corporis, & sanguinis Christi sumptione, videtúrque glossa intelin. hîc illum transcripsisse.

c 4.moral.c.1. & 4.dial.c.4.
d 17.de ciu. Dei.c.20.

Comedere & bibere.] Deliciæ corporis in lautiore etiam epulo his verbis designati solent [e], Vnde pecuinus diues in Euangelio sic seipsum prouocabat; *Anima mea comede, bibe, epulare, habes multa bona posita in annos plurimos* [f].

e Iob.1.4. Isa.25.23.
f Lucæ.12.19.

Ostendere animæ suæ bona.] *Anima* pro vita, vt aliâs sæpe, sumitur, siue pro parte animæ vegetāte, & sentiente. *Ostendere*, vel *videre facere*, sicut & in Psalmo quarto [g]; *Quis ostendet nobis bona?* significat prouidere, conferre, obiicere, exponere, exhibere, repræsentare, & præsentia facere, ita vt potentia in illa tanquā in sua obiecta ferri possit. Eodem sensu frequenter Deus dicitur ostendere nobis misericordiam suam, & faciem, &c. vel dura [h], vel tribulationes [i]: quanta oporteat pati [k], nempe non docendo tantùm, verùm etiā agendo, gratiam largiendo, &c. Id sibi quoque volunt illa verba Dei ad Mosen: *Ego ostendam omne bonum tibi* [l], id est, dabo. Item illud: *Ascendite* [m] *ad nos, & ostendemus vobis rem*, id est, faciemus. Sic quidam interpretantur quod est apud Ioannē [n]: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit*, id est, dat Filio potestatem omnia faciēdi, omnia opera sua cum Filio communicat. Rursus Iudæos alloquens [o]; *Multa*, inquit, *bona opera ostendi vobis ex Patre meo. propter quod eorum opus me lapidatis?* Sed & maior emphasis est in *ostendendi* verbo, quàm si simpliciter poneretur verbum *faciendi*, aliúdve tale: nam ostendere significat ita facere, vt is cui quid fit, videat, ac expe-

g vers.6.
h Psal.59.5.
i Psal.70.20.
k Act.9.16.
l Exo.33.19.
m 1.Reg.14.12.
n c.5.20.
o c.10 32.

A riatur, vt nec negare, nec ignorare valeat. Titelmannus ostendere bona animæ suæ interpretatur, non modò corpori satisfacere; sed insuper vacare misericordiæ, ac pietatis operibus, quæ sunt animæ pabulum, salus, & vita. Verè dictum, sed proposito haud congruum. Fauet nihilominus Chald. (*& videre faciat animam suam bona ante filios hominis, exequendo mandata Domini, & ambulando in viis, quæ recta sunt coram eo, vt benefaciat ei ex labore suo.*) Eandem quoque Lyranus expositionem tradit.

Et hoc de manu Dei est.] Vel bonis abundare, vel illa cogitatio de frugali eorum vsu. Manum pro benigna largitione intelligimus, vt ibi: *Aperiente* [a] *te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*;
B & , *Aperis* [b] *tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*; &, *Humiliare* [c] *Deo, & expecta manus eius.* Sed de hac formula dum exponerem historiam Apostolicam [d] egi pluribus: tú verò etiam de beneficio diuino, quo nobis alimoniam affluenter suppeditauit [e]. Vnde præterea damnantur, qui creaturæ cuiuspiam vsum vti malū damnant [f]. Sensum illum, quòd de manu Dei sit talem habere mentem, vt quis labore fruatur suo, cùm ratio exigit, præter Hieronymum, & Albinum Enarratores, Prosper etiam tradit [g].

a Psal.103.28.
b Psal.144.16.
c Eccli.13.9.
d c.4.30.
e c.14.16.
f 1.Tim.4.3.4.
g de voca. Gent.c.24.

Hugo Victorinus existimat, hucusque stulti sententiam, verbáque produci, adeò sese in volu-
C ptates effundentis, quòd non alium in vsum finémve videantur à Deo res voluptatum conciliatrices factæ. Non displicet sanè: quomodo inter Christianos ipsos Epicuræi quidam non dubitant argumentari. Olympiodorus consentit in hoc sensu, vt versu sequenti videbimus. Delectat quidem Deus nos in factura sua, & in operibus manuum suarum [h]; at vir insipiens non cognoscit, nec stultus intelligit [i]: abutitur enim. Qui luxuriatur in epulis, viuere videtur, vt mox moriturus [k], quemadmodum de Megarensibus dictum [l], & de Agrigentinis [m], & de Rhodiis [n]. Qui parcus est, sic viuit, quasi nunquam moriturus: qui prodigus, quasi statim, dixit Aristote-
D les: at Socrates edere probos ac bibere vitæ causâ tolerandæ; improbos viuere vt edant bibántque [o]: & de Bonoso bibacissimo Aurelianus vsurpabat sæpe, non vt viuat natus est, sed vt bibat [p].

h Psal.91.5.
i Psal.91.7.
k Hier.ep ad Ageruchiam, & epist ad Gaudentium, Tertul.apol. c.39
l Iidem & Plutar.op.de amo.diui.
m Laer lib 8. Aelian.12. varia.histo. c.29.
n Plutar.supra.
o Plutar.opus.de audi. Poë Muson. ser.de victu.
p Vopiscus in Bonoso.

Vers. 25.] Quis ita deuorabit, & deliciis affluet, vt ego?

SEnsus est, vt qui tenax est, parcúsque sumptibus, & seipsum fraudat, non solùm hilariore, ac largiore, honesto tamen rerum vsu, sed necessario quoque, discat vel suo ipsius exemplo. Vi-
E delicet hortatur extremè auarum ad declinandum in oppositum extremum, in quo ipse aliquando fuerat, vt ad mediocritatem eum redigat, quod Philosophi morales præcipere solēt [q], & factitant qui incuruam virgam inflectūnt in diuersam partem, vt reducant ad mediū, & dirigant: & choragi data opera tonū, vt ipsi loquuntur, intendunt, vt absonè cantantes ad congruum reuocent. Placet Moringo, atque Titelmanno sensus iste: Titelmannus autem non de immoderato, sed de modesto intra magnificentiæ, atque temperantiæ fines Salomonem vsu rerum interpretatur. Addit & alium sensum, si versus prioris verba vt ex stulti persona pro-

q 2.Ethic.

nunciata sunt, Ecclesiasten occurrere fatuæ opinioni de captandis deliciis; seipsum enim tanquam expertissimum, quantum in iis vanitatis insit, definitè, ac certò posse pronunciare. Sequuntur interpretationem istam Bonauentura, Lyranus, Hugo Cardinalis, Carthusianus, Caietanus. Hugo Victorinus duas illas expositiones proponit de Salomone, suammet opinionē aperiente, quasi gloriosè, & iactabundè, vel aliorum.

Editio Græca longè diuersum reddit sensum (ὅτι τίς φάγεται, καὶ τίς πίεται παρὲξ αὐτοῦ; *quoniam quis comedit, & bibit sine ipso,* seu *extra ipsum?*) vel, vt vertit Latinus Interpres Olympiodori (*quis enim ex seipso comedit, & bibit?*) id est, ait Olympiodorus, quæ media sunt, & indifferentia, nec mala per se, nec bona, ab ipso Deo hominibus tribuuntur, qualia sunt diuitiæ, bona valetudo, auctoritas. Quòd si hæc dātur ab ipso Deo (sumpta aduersarij persona loquens Ecclesiastes, vt ait idem auctor) hominibus, nihil ergo in hominibus inuenitur boni, præter edendi, bibendíque voluptatem.

Editio Hebræa hæc est (כִּי מִי יֹאכַל וּמִי יָחוּשׁ חוּץ מִמֶּנִּי *chi mi iochal vmi iachus chuts mimmenni. quoniam quis comedet, & quis festinabit*; vel *sentiet,* seu *fruetur sensibus tanquam ego?*) id est, quis iustiùs comedet, aut festinabit (consumere bona mea) vel sentiet (iucunditatem ex bonis meis) quàm ego (qui ea congregaui?) quis promptior & alacrior me ad res breui comparandas, & obtinēdū quod cupit, cùm tantæ mihi suppetant opes? quis magis oblectabitur? His modis Rabbini, quos citat auctor thesauri linguæ sanctæ, declarant, Kimhi, & Benezra: Vatablus) quis enim comedit, & (ad laborem) quis promptior fuit quàm ego? (vel (quisnam edere debeat, & quis properare debeat (ad fruitionem talium opum) quàm ego? (aut (quis curare debeat (fruitionem illarum opum) præter me (qui scilicet paraui illas meo labore?) quasi dicat, nemo.) Vetus trāslatio sic habet (*quis enim comedit, & quis parcit sine illo?*) Aquila ita vertit secundum membrum, sed in tempore futuro (τίς φείσεται; *quis parcet?*) Symmachus opposito sensu (τίς ἀναλώσει; *quis sumptum faciet?*) Paraphrasis Chaldæa (*etenim quis est ille, qui det operā verbis legis, & quis ille vir, cui sollicitudo est de die Iudicij magni, qui venturus est, præter me?*) Mystica, & morata expositio, ad quam quoquo modo accedit Hieronymus, Albinus, glossa interlinearis, necnon Hugo Cardinalis. Quod ad lectionem Græcam attinet, quæ sententiam exprimit in tertia persona, facile fuit, vt pro מִמֶּנִּי *mimmenni* legerit מִמֶּנּוּ *mimmennu:* vnde verò Aquila τίς φείσεται, Symmachus ἀναλώσει sumpserint, nescio. Hieronymus in commentario lectionem Aquilæ secutus est, atque parsimoniam exposuit, quāuis in sensu mystico. Thaumaturgus innuit lectionem in tertia persona, quæ sit Deus: nihil enim, inquit, salui nostræ seruiens, extra ipsius est prouidentiam. Clemens Romanus [a] hinc probat, cū omni metu ac reuerentia, & gratiarū actione percipi debere à viduis & pupillis quæ suppeditātur: quis enim vestrûm, inquit, vtens hoc loco iuxta editionem Lxx. edit, aut bibit sine ipso? — a 4. constit. c. 4.

Deuorabit.] Respexit Interpres ad sensum magis, quo declaranda est affluentia, & copia supra cæteros, quàm ad vim verbi Hebræi, quod significat simpliciter *comedere.* Nec verò deuorare, sicut etiam inebriari denotant semper ingluuiem, seu intemperantiam in cibo, potúque: & idem est de verbo *saturandi*, déque nominibus inde formatis, & de synonymis dictionibus: sed non rarò ponuntur pro liberali ac larga cibi, potusque vel exhibitione, vel sumptione. Bibit, & non inebriatur [a], qui sitim non explet: comedit, & non saturatur [b], qui non implet esuriem. Inebriat Deus animam lassam, & esurientem saturat [c], quando vtrique sitis, famísque necessitati abundè satisfacit. Multa huius generis occurrent exempla etiā translata ad res inanimatas, vt cùm sagittæ dicūtur inebriari [d], deuorare gladius [e], vel flamma [f], seu lingua ignis [g]; rursum inebriari terra [h]. Vix occurret locus in Scriptura, vbi verbum *deuorandi* accipiatur in bonam partem, nisi sub sensu mystico, vt quando virga Aaron deuorauit virgas magorum [i], hoc est, Christi sapientia sapientiam seculi, vt placet Nysseno [k]: vel Ioannes librum [l], hoc est, Euangelium, & id prædicandi potestatem, momento temporis factam, vt exponunt Beda, & Rupertus in Apocalypsim: vel ignis abyssum multam [m], id est, Christi charitas multitudinem peccatorum nostrorum, vt explicat Hieronymus in Amos. Quæ causa est, cur opiner in sententia ista sic quoque sumi, vt sonet excessum in fruendis voluptatibus, sed eo sensu qui primo loco antea positus est.

a Agg. 1. 6. b Mich 6. 14. c Ierem. 31. 25. d Deut 32. 42. e ibidem. f Thren. 2. 3. g Esa. 5. 24. h Psa. 64. 10. i Exod 7. 12. k in vita Moysis. l Apoc. 10. 9. m Amos 7. 4.

Deliciis affluet.] Hebræum יָחוּשׁ *iachus* dixi significare aut *festinare*, aut *sentire.* Primo modo denotat celeritatem in conficiendis ædificiis, in acquirendis opibus, atque deliciis, cum prompta, & propensa in voluptates voluntate. Secūdo modo indicat ipsammet deliciarum perceptionem, experientiam, fruitionem. Continet hæc Regum historia [n], tum quæ pertinent ad ædificia, tū quæ ad lautum, largúmque regium victum quotidianum [o]. Meminit etiam de grege concubinarum trecentarum, & vxorum septingentarū [p]. Ad has Lyranus astringit *deliciarum* hoc loco vocem. Sed præstat latiùs extendere ad alias quoque delicias, quibus abundasse Salomonem constat & ex eadem historia, & ex capite superiore. L x x. Interpretes potum expresserunt, quia cibi proximè mentio fuerat: & ad hæc duo facilè reuocantur deliciæ cæteræ, tanquam vel ad præcipuas, vel magis à voluptuosis frequentatas, post quas mox quæ sunt infra ventem ventre pleno subsequuntur, vt meritò talium Deus venter sit [q], propter vtrumque deliciarum genus, quas colunt.

n 3. Reg. 7. 1. & seq. o 3. Reg. 4. 22. & seq. p 3. Reg. 11. 3. q Philip. 3. 19.

Vers. 26.] Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & peritiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo: sed & hoc vanitas est, & cassa sollicitudo mentis.

HOc est discrimen sapientis iustique, & stulti ac improbi, quòd huic Deus infēto in opibus accumulandis pérque fas, pérque nefas, dat, seu permittit afflictionem, & superfluam curam, vt sine modo, ac termino laboret; opes autem iā comparatas peruenire facit ad quem ipse vult, non cui infelix auarus destinauit: at verò sapienti, & bono, qui ante omnia quærit regnum Dei, & iustitiam eius [r], tribuit sapientiā, scientiámque circa talium quoque rerum acquisitionem, necnon ex earum vsu moderato, & quia sine anxia sollicitudine illas comparauerit, — r Matt. 6. 33.

honestam,synceramque lætitiam. Itaque fallitur vehementer,vanissimúsque censendus est, quisquis persuadet sibi sitam felicitatem in diuitiis, cùm malis plerumque artibus proueniant,& maximum animo pariant angorem vel acquirendæ, vel acquisitæ,nec possidentem libere sinant, solidéque fructum ex iis veræ voluptatis percipere.

Homini bono in conspectu suo.] Dubium,an bono in conspectu Dei, vel in conspectu ipsiusmet hominis, & vtrùm diuino, aut proprio eiusdem hominis, sibi de sua bonitate conscij, iudicio. Chaldæus priorem exprimit sensum (*etenim homini,cuius opera recta sunt ante Dominum.*)Eodem modo reliqui; nec dubitari debuit,nisi propter possessiuum pronomen, quod ad vtramuis personam referri potest. Is duntaxat bonus, qui Dei iudicio talis: *non enim qui seipsum commendat, ille probatus est,sed quem Deus commendat* [a].

2.Cor.10.18.

Videntur Hieronymuss, & Albinus posteriorem sequi sensum;declarant namque de illo,qui suo sit bonus arbitrio, quíque mores corrigat suos proprio arbitrio. Nec volunt tamen bonitatem æstimandam ex cuiuslibet fallaci iudicio, sed non haberi sine cooperante libero arbitrio. Vnde loquentes de stulto, ac improbo, docent quemadmodum Deus bono coram se dat sapientiam,&c.sic illú suo arbitrio, seu propriæ libertati relinquendo, facere, vt congreget diuitias, &c.Melior primus sensus; nec ita propriè bonú esse in conspectu,vel oculis suis,vel πρὸ προσώπης, *ante faciem*,est esse bonum per liberum arbitrium, sed per iudicium,& conscientiam, vt quis se talem esse cognoscat,& iudicet. Præterquàm quòd vt intelligeretur(*suo*)de homine, debuisset potiùs esse Græcè αὑτοῦ cú aspiratione,pro ἑαυτοῦ, quàm lene αὐτοῦ: etsi non ignorem hoc quoque pronomen eundem vsum habere posse. Symmachus (ἀρέσαντι αὐτῷ,*qui placuit ei.*).

Dedit Deus.] Dei nomen ex aliis editionibus sola Chaldæa posuit, & quidem יי tetragrammaton,vt ferè toto hoc libro, cùm tamé Hebrǽa nec semel etiam. Hugo Victorinus arguit peruersitatem istius sententiæ,quasi det Deus solùm bona bonis,& malis mala.Non hoc voluit Salomon; sed bonú bonorú temporaliú vsum bonis, id est, iustis duntaxat à Deo tribui:iniusti enim facultatibus, quas & ipsi à Deo accipiunt, abutuntur, & in earum acquisitione nimis anxij sunt; quam quoque Deus anxietatem dat, permittitve in pœnam præcedentium peccatorum.

Sapientiam,& scientiam.] Nominatim ad iustam honorum temporalium comparationem, vsúmque.Chaldæus addit(*in seculo hoc.*)

Lætitiam.] Idem Chaldæus (*lætitiam cum iustis in seculo futuro.*)Thaumaturgus vocat cœlesté. Lætitia verò est in cóspectu Dei [b],& cú vultu eius [c], &gentis diuinæ [d]:verú gaudiú in Domino [e].Bonauentura,& Hugo Cardinalis legerút pro *lætitia*, *intelligentiã*.Nó reperi vllum codicé,qui aliter habeat, nec etiã ex manuscriptis,quamuis in quibusdam impressis notetur ad marginem,*intelligentiam.* Meminit Lyranus, monétque in Hebræo (addere potuit,in Græco,atque Chaldæo) & in libris correctis esse *lætitiam.* Non solùm autem legere *intelligentiam* citatus Hugo voluit;sed contendit quoque esse meliorem lectionem, comparans inter se sapientiam, & scientiam, & intelligentiam. Cessat eiusmodi comparatio, quæ vnum terminorum falsò ponit. Ex sapientia, &

b Psal.67.4.
c Psal.15.10.
d Psal.105.5.
e Philip.4.4.

A scientia nascitur lætitia, spiritualis præsertim,in ipsum quoque redundans corpus, ex scientia Sanctorum,& sapientia diuina, ex rerum cognitione relata ad Deum, & ad exercitium virtutis. Quo autem etiam pacto sit in multa sapientia multa etiam indignatio, & in scientia dolor, & labor,dictum est extremo præcedente capite.Sed & vniuersè verum est, ex rerum quarumuis naturali scientia,maximè si marte proprio comparetur,eximia animú iucúditate repleri,vt Pythagorica testis est hecatombe;& ex balneo procurrentis nudo corpore Archimedis τὸ εὕρηκα. Hic est etiam sermo de sapientia, & scientia per peculiare Dei donum probis communicata, &, vt

B Carthusianus sentit,infusa,cum cæteris donis in habente charitaté;quæ scientia,& sapientia proculdubio longè liquidius suauiúsque gaudium gignit, perinde vt illud quod proximè post charitatem in duodecim Spiritus sancti fructibus statuitur [a].[Huius(id est,bonæ mentis)fundamétum,ait Seneca [b], quod sit quæris? Ne gaudeas vanis.Fundamentum hoc esse diximus culmen est. Ad summa peruenit, qui scit quod gaudeat, qui felicitatem suam in aliena potestate non posuit.]

a Gal.5.22.
b epist.23.

Peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam.] Duobus hisce nominibus respondet vnicum Hebræum ענין *hhinian*, & Græcum περισπασμὸς, de quibus actum est priùs: Chaldæa duo

C ענין ביש *ganen bisch*, *negotium malum*.Symmachus habet ἀσχολίαν vetus Latina translatio,*sollicitudinem*.Iam verò dixi Deum afflictionem,curámque superfluam peccatori vel dare infligendo vt pœnam,vel permittendo vt culpam. Pœna, labor, anxietas,difficultas, quam peccator experitur in parandis opibus,esse potest non permittente dúntaxat, ac non impediente Deo,verùm etiam auctore,aut vt plectat, aut, quod Olympiodorus vidit,vt contemplatione, ac tædio vanitatis múdanæ in cognitionem peccator veniat laboriosæ huius vitæ, desideretque immortalem ac iucundam vitam,quæ in futuro seculo Sanctis in præmium danda est.[Ipsa cura,sollicitudo,distentio

D datur, ait Hieronymus, & Albinus, & Salonius, peccatori,quia peccator fuit;non est autem causa distentionis in Deo, sed in illo, qui sponte sua antè peccauerit.] Hoc verum est,siue pœnam intelligamus,quæ provt culpam supponit,non immittitur per se à Deo;siue culpam,quam permittit interdum ob alterius culpæ pœnam. Thaumaturgus intellexit mala diuinitùs immissa, hoc est,pœnas:Carthusianus pœnalés affectiones, vt sunt timor,dolor,tristitia,conscientiæ remorsus. Alioqui negari non potest, quin quandoque idé Deus & peccatores sinat sine negotio ditescere, fruíque sine impedimento diuitiis,ita vt in labore hominum non sint,neque cum hominibus flagellentur [c],& contrà iustos vel rebus propriis

c Psal.72.5.

E dispoliet, vel ægrè admodum vitam sustentare permittat. Sed cuncta iustus,misericors,sapiens, omnipotens in numero, pondere, & mensura disponit [d].

d Sap.11.21.

Vt addat, & congreget.] Aquila (τοῦ συλλέγειν, καὶ τοῦ συναγαγεῖν) Symmachus (ἀθροῖσαι, καὶ ἀποθέσθαι) Chaldæus (*ad congregandam mammonam, & ad aceruandam possessionem multam*) Hebraicè (*ad colligendum, & ad congregandum*) vetus translatio (*vt augeat, & congreget.*) Hæc quæ priùs exposita est vel pœna, vel peccatum, quæ Deus aut inflixit, aut permisit, nimia videlicet

A πλεονεξία, habendíque cupiditas, obfirmatum peccatorem non remouit, sed vrsit potius, ac extimulauit, vt loquitur Thaumaturgus, ad magis, magisque insistendum in perquisitione.

Et tradat ei, qui placuit Deo.] Hebraicè, & Græcè (*ad dandum bono ante faciem Dei*) Chaldæus (*vt auferatur ab eo, & detur viro pulchriori ipso ante Dominum*) Symmachus (ἵνα δοθῇ ἐκείνῳ τῷ ἀρέσει τῷ Θεῷ, *vt dentur illi, cui placuerit Deo*) vetus editio (*vt augeat, & congreget quæ videntur bona ante faciem Dei.*) Iuxta hanc vltimam interpretationem congruit quod Olympiodorus docebat intendere Deum, vt peccator desideret, ac sectetur cœlestem vitam, & bona, præsentium affectus tædio: hoc enim est congregare quæ videntur bona ante faciem Dei. B Thaumaturgus de auaro exponit, qui malis diuinitùs immissis stimulatus, auaritiæq; morbo correptus, multa congerere studeat, atque eum, quē Deus honore affecit in omniū Domini cōspectu, probris incessere festinet, dona inutilia porrigendo. Reliqui passim hoc referunt ad id, quod Dei permissu plerumque contingit, vt congestæ summo labore, ac malis etiam artibus, fraudibúsque facultates perueniāt ad pauperes Deo charos, & iustos, vel etiam ad hos ipsos, licèt iam locupletes, vt noua accessione prolixiùs aliis benigne faciant, Deique cultum procurent. C Expertus id erat Salomon in patre, cui stulti Nabal & inhospitalis bona obuenerant [a]: necnon Syrorum, & Ammonitarum [b], atque Moabitarum [c]; vt omittam Ægyptus direptam ab Hebræis supellectilem [d], possessores omnes promissæ terræ, qui hâc populo Dei relinquere sunt coacti. Prouerbium est Salomonis [e]: *Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes; & custoditur iusto substantia peccatoris*; vel, sicut legit Augustinus [f], *thesaurizantur iustis diuitiæ impiorum.* Agit ibi contra Donatistas, qui conquerebantur bona sibi eripi à Catholicis. Citat verò præterea illud Sapientiæ [g]: *Ideo iusti tulerunt spolia impiorum.* Adde parœmiam aliam [h]: *Qui coaceruat diuitias vsuris, & fœnore liberali in pauperes congregat eas*, seu iuxta Hebræum, Græcúmque D textum, *ei qui miseretur pauperum.*

a 1.Reg.25.42. b 2.Reg.10.1. & seq c.11.1. c 2.Reg.8.2.1. Par.18.2. d Exod 12.35.& seq. e Prouer.13.22. f epist.50. g Sap.10.19. h Prou.28.8.

Lubens admitto sensum istum adeò & verū, & moralem, cui aptari & id possit; *Qui [a] habet, dabitur ei, & abundabit, qui autem non habet* (auarus autem quod habet, non habet, & abutens non tā habet, quàm habetur a diuitiis) *& quod habet*, vel *videtur habere*, vel *putat se habere* (id est, tutò possidere) *auferetur ab eo.*

Sed fortasse per eum qui placuit Deo, nō debet intelligi duntaxat qui gratus ipsi, & iustus, sed quilibet, cui pro suo Deus beneplacito atque voluntate bona largiri velit, quæ sibi sceleratus ille comparauit, siue is iustitiā colat, siue sit improbus: vt denique hoc velit Ecclesiastes, ad cumulum pœnæ, qua mactatur auarus à Deo, hoc accedere, quòd ad alienos transeant labores ipsius, quemadmodum priùs quoque dictū est. Profectò sensum istum, quem diserte sequitur Moringus, Vatablus, & Titelmannus, planè innuit editio Græca Symmachi. Hebraismus quoque tritus est, vt bonum in alicuius oculis dicatur id, quod ei placet, id est, quod statuit, & decernit.

Sed & hoc vanitas est, & cassa sollicitudo mentis.] De vi verborū lege versum decimum septimum, vbi sūt eadem. Pronomen autem demonstratiuū indicat proximè præcedētem sententiam, vt quæ congregauit stultus, tradantur ei, cui Deus voluerit, nō cui ille. Caietanus remotiùs spectat ad fruitionem proprij laboris, vt quamuis id sit bonū, & donum Dei, tamen vanitas censeatur, quia modicæ æstimationis, & afflictio, seu fractio, & pastio spiritus, quia commune iustis, & peccatoribus, sapientibus, & imprudentibus. Hugo Victorinus explicat nōn solùm de peccatore, qui addat, & congreget, at non possideat; verùm etiā de iusto, qui diuitias peccatoris requirat, & concupiscat, aut si acceperit, cor opponat. Eleganter Chrysostomus [b], & vehementer ad rerū fluxarū contemptum nos excitat, allato Salomonis hoc exemplo, iubens, vt ei credamus, qui cuncta erat expertus, vtque illuc animos transferamus, vbi non est vanitas, sed veritas, &c.

a Matth.13.12.c.25.29. Lucæ 8.19. b ho.15.in 1. ad Tim.

SVMMARIVM.

Ex inconstanti rerum omnium per vices temporum statu, vanum ac fatuum docet Ecclesiastes esse in iis animum defigere: tum præterea, quoniam viget, sæuitque nonnunquam tyrannis, &, despectis virtutum officiis, regnāt vitia; tametsi tandem Deus vltor existat: & quia par hominum interitus, & iumētorum videtur. Quocirca quæ prioribus capitibus rebus in se vanitas inesse ostensa est, hîc in iisdem, quatenus in vsus assumuntur humanos, demonstratur, atque vt aliquid agimus circa illas.

CAPVT III.

1 Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cœlo.

2 Tempus nascendi, & tempus moriendi.

Tempus plantandi, & tempus euellen- E di quod plantatum est.

3 Tempus occidēdi, & tempus sanādi.

Tempus destruendi, & tempus ædificandi.

4 Tempus flendi, & tempus ridendi.

Tempus

Tempus plangendi, & tempus saltandi.

5 Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi.

Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.

6 Tempus acquirendi, & tempus perdendi.

Tempus custodiendi, & tempus abiiciendi,

7 Tempus scindendi, & tempus consuendi.

Tempus tacendi, & tempus loquendi.

8 Tempus dilectionis, & tempus odij.

Tempus belli, & tempus pacis.

9 Quid habet amplius homo de labore suo?

10 Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, vt distendantur in ea.

11 Cuncta fecit bona in tempore suo, mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.

12 Et cognoui quòd non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua.

13 Omnis enim homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

14 Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur.

15 Quod factum est, ipsum permanet, quæ futura sunt, iam fuerunt: & Deus instaurat quod abiit.

16 Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem.

17 Et dixi in corde meo: Iustum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.

18 Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis.

19 Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius: cuncta subiacent vanitati.

20 Et omnia pergunt ad vnum locum, de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur.

21 Quis nouit si spiritus filiorum Adã ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum?

22 Et deprehendi nihil esse melius quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, vt post se futura cognoscat?

A *Vers.* 1.] Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cœlo.

OMNIBVS nimirum rebus, quæ geruntur ab homine, vel geri possunt, τοῖς πᾶσιν: omni viro, vt Chaldæus reddit, tempus est, vel veniet, & opportunitas omni rei, siue negotio (quemadmodum est in vtraque editione) qua via, licet elapsa opportunitatis duratione, cuncta effluunt, ac tempestiua esse desinunt. Omnia fecit Deus opportunè: sed quæ homines facimus, laudabilia quidem sunt, si fiant tempore opportuno, inquit Olympiodorus; sin verò ante tempus, aut B præter tempus, iure damnantur, siue si à mediocritatis norma deficiant. Cùm sint res omnes in fluxu, & nostra excurrant negotia, nequit in his statui felicitas, non debet vlla reformidari haud semper duratura miseria, inquit Hugo Victorinus, neque murmurare aduersùs diuinam prouidentiam vllum oportet, quæ stata singulis spatia definiuit, & in naturalibus, & in humanis, tum prosperis, tum aduersis, quod Iob vidit, & sapienter approbauit, non minùs mala suscipiens de manu Dei, quando is illa esse voluit, quàm bona [a].

a Iob. 2. 10.

Fatuus est qui quærit æternitatem in tempore, beatitudinem, quæ constans est ac sempiterna, C in perpetuò fluentibus rebus, vt qui messem in hyeme. Tempus hoc, ait Bernardus [b], animabus, nõ corporibus est assignatũ, dies salutis vtiq; non voluptatis. Nihil sine ætate est, omnia tẽpus expectant, creatura paulatim promouetur. Sic iustitia primò fuit in rudimentis naturæ, tum in lege promouit in infantiam: dehinc per Euãgelium efferbuit in iuuentutem, per Paracletum in maturitatem, inquit Tertullianus [c], quamuis videatur ibi de Paracleto montanizare, sicut & quando disputat de monogamia [d]. Sed tempore suo metemus, ait idem [e] de futura retributione. Postremò, maxima pars prudentiæ artisque, & omnis facultatis consistit in opportunitate. Nam

b declamat. in id: Ecce nos reliquimus omnia, post mediu.

c de virginib. velan. c. 10.

d de monogamia. c. 3.

e 5. con Marcio c. 4.

D [f] *Temporibus (v.g.) medicina valet, data tempore prosunt,*
Et data non apto tempore vina nocent.
[g] Ἅπαντα καιρῷ χάριν ἔχει τρυγώμενα.
Omnia suo percepta recreant tempore.

f Ouid. 1. de reme. amor.

g in monostich. εἰς καιρόν.

Notum & illud Pittaci; Γνῶθι καιρὸν. Boëtius [h] quoque distinctè rebus quibuslibet distincta describit tempora, canitque inter alia:

h 2. de consol. metro 6.

Signat tempora propriis
Aptans officiis Deus.
Nec quas ipse coercuit,
Misceri patitur vices.

E Lege quæ deinceps annotantur. [Si quis profunditatem sensus verborum istorum introspexerit, ait Nyssenus [i], inueniet in iis esse comprehensum multum philosophiæ tam contemplatiuæ, quàm eius quæ consulit ea, quæ sunt vtilia.] Climacus [k] eandem sententiam transfert ad ea, quæ distinctè occurrunt in vita spirituali, tum concludit: [Non ergo ante tempus quæ sunt temporis propria quæramus, mentis superbia decepti.] Colligit hinc documenta multa in adagiorum sacrorum collectione Delrius [l] noster, vt quòd frustra ponatur studium in bonis huius vitæ comparandis, & retinendis: quòd frustra plerumque torqueamur desiderio

i hom. 6. in hunc librum.

k gradu 31. de discret.

l tomo 2. adag. 195.

rei alicuius adipiſcendæ, vel impatientia mali auertendi, aut excutiendi: quòd non debeamus ſinere, vt effluat tempus aptum & præſtitutum: quòd cùm tanta ſit rerum humanarum varietas, inſtabilitáſque, fruſtrà quis illis innititur: quòd normam quærere oporteat mediocritatis, vt ſuo quidque tempore agatur. De occaſione lectu dignus Ioannis Dauid noſtri tractatus, quæque ad Alciati emblema 121. adiecere Sanctius, ac Minos ex Poſidippo, Auſonio, Heſiodo, Demoſthene, Pindaro, Cicerone, Athenagora, Politiano, Gyraldo. Addit præterea Delrius Theocriti dictum [a]; *Noſce tempus*: Aratum [b], Timonem apud Athenæum [c]: illud etiam Catonis apud Pliniũ [d] de agricultura, quod ad animæ quoque culturã transferri poteſt. Nihil ſerò faciendum in agricultura omnes cenſent; iterúmque ſuo quæque tempore facienda; & tertio præcepto prætermiſſa fruſtra reuocari.

a in Chil. 1. cent. 7. adag. 70.
b in Phæno. d verſ 742.
c lib. 13.
d lib. 18. c. 6.

Tempus.] Symmachus (ὥρα) *παντὸς ὥρα, omnis rei eſt hora.* זְמָן *Zeman* eſt tempus conſtitutum, & determinatum. Extat ſolùm id nomen in Eſdra, Eſther, & hoc libro, in quo voces aliæ occurrũt non alibi vſitatæ, quàm apud Rabbinos, vt vidimus in כְּבָר *chebar*, & עִנְיָן *hhinian*, &c. Philoſophicè tempus duratio eſt cum fluxu continuato. Huic durationi ſubſunt vniuerſa ſub cœlo, propter varias mutationes, quas ea menſura dimetitur; licèt ipſum eſſe ſubſtantiale rerum quoddam aliud menſuræ genus habeat. Excipit ab hac generali propoſitione Hieronymus ſubſtantias ſpirituales, quæ nec, inquit, ſub cœlo, nec tempore continentur. Facit idem Albinus, Olympiodorus, & cæteri. Salonius Deum duntaxat, qui excipiatur, exprimit. Hugo Victorinus addit cœlum, vtpote quod omniũ temporum ſpatia metiatur, & ipſum quodam modo non tempore, nimirum finito, & corruptibili per ſe conſtet, ſed quadam quaſi æternitate, & cùm moueatur, quia ſemper mouetur, mutari non videatur. Sed non negaret Hugo intrinſecè fluens ex motu cœli tempus, quod eſt deinde aliorum motuum, quod ſuum etiam conſequitur internum tempus, extrinſeca menſura. Nec poteſt negari finita quædã multiplicis Angelorum actionis duratio, ſeu ſit diſcretum tempus appellanda, ſeu aliter. Bonauentura diſtinguit tempus triplex, communiter dictum, ſecundùm quod dicit menſuram de non eſſe ad eſſe: propriè, vt importat variationem ſiue in ſubſtantia, ſiue in affectione: magis propriè pro menſura excedente: ſubſtantias autem ſpirituales habere tempus quantum ad ſubſtantiam primo modo, ſecundo quantum ad affectiones aliquas; ſed non tertio. Nyſſenus, ac Olympiodorus per tempus modum, ac menſuram, ſiue mediocritatem in actionibus moralibus (ſed nimirum morali ſenſu) intelligunt, propterea quòd cum quolibet eorum quæ fiunt, tempus ſimul extenditur: & perinde eſſe, ac illa vſurpare apophthegmata, *μηδὲν ἄγαν, καιρὸς ἄριστος*, quæ Gentiles à noſtris videntur ſuffurati.

Suis ſpatiis tranſeunt vniuerſa.] Græcè (*καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι, opportunitas omni rei, vel negotio.*) Hebræum nomen עֵת *hheth* ſignificat *opportunitatem temporis*, ſoléntque LXX. pro eo ponere *καιρὸν*. Tertullianus [e] legit (*tempus omni rei*) necnõ vetus tranſlatio. Chaldæum חֶפְצָא *hhifſ.a* eſt negotium difficile, & laborioſum: Hebræum חֵפֶץ *chephets*, voluntas, negotium, quod alicui placet perfici, aut inſtitutum, vt etiam exponit Vatablus: ſiquidem חָפֵץ *chapats* eſt velle, & complere voluntatem, & complacentiam habere. Symmachus vtitur *τῇ χρείᾳ*, quod item negotium denotat, ac miniſterium, vt vidimus libro Actuum Apoſtolicorum [a], quod ibi Interpres reddit *opus*. Ibidem [b] docuimus quid interſit inter *χρόνον* & *καιρὸν*. Olympiodorus hoc loco diſtinguit; *χρόνον* enim eſſe ſpatium in quo aliquid fit, *καιρὸν*, occaſionem, commodúmque tempus, ac opportunum aliquid faciendi, quod nanciſcimur. Interpres *tranſeundi* verbo vſus eſt, quoniam tranſit velociter occaſio, ideóque calua dicitur, ita vt lapſa nequeat apprehẽdi. Finxit Antiquitas Deũ *τὸν καιρὸν*, Latini *occaſionem*, & effinxit volubili rotæ pennatis inſiſtentem pedibus, vertigine quàm citiſſima ſemet in orbem circumagentem, priore capitis parte capillis hirſuta, poſteriore glabra, vt illa facilè prehendi queat, hac nequaquam. Addidit illi Poſidippus, cuius elegans ſuper hac re Græcum Epigramma Latinè reddidit auctor Adagiorum [c], cum pinnis quibus inſiſtit, cum talaribus in plantis, cúmque capitis capillo, & caluitio, in manu nouaculam, quòd ſit quauis acie magis acuta. Adiungit eidem Auſonius [d] Metanœam comitem, de cuius officio ſic illa.

e de velan. virginib. c. 1. de monoga. c. 3. 5. con. Marcio. c. 4.

a c. 6. 3.
b c. 1. 7.

——*Si quando volaui,*
Hæc manet, hanc retinent quos ego præterij.

Puerum depingit apud Politianum [e] Calliſtratus cum deflexis in oculos genáſque ſparſim crinibus Fauonio, cúmque forma pereleganti. Legendus quoque Lilius Gyraldus [f]. Tritum verò illud neſcio cuius:

Fronte capillata, poſt hæc occaſio calua.

Ioannes Tzetzes [g] præterea ſurdum facit hunc Deum, & ſequenti ſe gladium porrigere. Pendet ex momento æternitas non ſuppliciorum minùs, quàm præmiorum: & hoc, quod nunc vocatur, & eſt, eſt acceptabile ad ſalutem [h]: cùm acceperit Deus, ac veluti abſtulerit nobis tempus, iuſtitias ipſas, quæ nobis vetæ videntur, iudicabit [i]. Habendum in pretio tempus, & redimendum (*καιρὸν* vocat Paulus, id admonens [k]) ne veluti captiuũ detineri ſinamus in malis operibus, ait Hieronymus [l]: ne propter peccata detrahatur nobis quod ſecundùm naturæ curſum victuri eramus tempus [m]: ne inſumamus negotiis ſecularibus, ſed potiùs pretium demus iacturam illorum, vt emamus occaſionem vacandi Deo, inquit Auguſtinus [n]: ſicut dat quis nummos, vt panem emat, itáque aliquid amittit, vt aliud acquirat.

Sub cœlo.] Sed Dominus Ieſus ſupra cœlum eſt, inquit Ambroſius [o], nullo circumſcriptus tempore: ſi ſub cœlo tempus, quanto magis ſub Deo, non ſupra Deum? Claudat os ſuum Ariana perfidia. Simul docet nullum definitum tempus eſſe orationi, quod Baſilius [p] etiam tradit. Suidas [q] meminit parœmiæ, *χρόνος ὡραῖος θεός, tempus opportunus Deus*: vel quia commodè, inquit, præterit: vel quia expeditum eſt ad iniurias vlciſcendas.

c Adagio; Noſce tẽpus.
d epigram. 12.
e in miſcell. c. 49.
f de diis Gẽtium, ſyntagma. 1.
g in hiſtoriis.
h 2. Cor. 6. 2.
i Pſ. 74. 3.
k Epheſ. 5. 16.
l in Epiſt. ad Ephe ſ.
m Pſa 54. 24. Eccli. 7. 8.
n hom. 24. de verb. Apoſtoli.
o in Pſ. 118. octon. 19.
p regul. 37. ex fuſis.
q verb. χρόνος.

Verſ. 2.] Tempus naſcendi, & tempus moriendi.

NImis reſtringit ſententiam Chaldæus (*tempus electum ad generandum filios, & tempus ele-*

ctum

ctum ad occidendum filios nequam & irritantes.) Hebræa, Græcáque editio habet (*tempus pariendi,* &c. לָלֶדֶת *laledeth,* τοῦ τεκεῖν.) Non quicquid concipitur, nascitur, licet quandoque *nasci* ponatur pro *concipi* [a], & apud scriptores Latinos pro *crescere* [b]:

a Matt.1.20. c.16.9. Luc. 1.35. b 4. Martial. lib.6. epig.3.

Nascere Dardanio promissum semen Iulo.

Et,

Tu [c] *modo nascenti puero ———*
Casta faue Lucina.———

c Virg. Eclo. 4.

Hic in propria sumitur *nasci* significatione, ac opponitur *moriendi* verbo. Aliquando Scriptura vsurpat *natum* pro *formato*, seu *conditio*, vt cùm de primo homine id ponit [d]. Rectè Sophocles [e]:

d Iob.15.7. e in Aiace.

Abit dies, reditque. Sic mortalium
Quæcunque res contrarias habent vices.

Disputat Petrus Damiani quadam epistola [f] de vicissitudine rerum, quæ sua requirat tempora. Vbi caue, quod nonnihil innuit, Quadragesima celebratas nuptias irritas existimes. Lege locum totum. Cæterùm Philosophi, ac Medici tempus definiunt, quo cuiusque animalis, præsertim hominis, natiuitas contingat. Hieronymus [g], qui in vulgata translatione legit *(tempus pariendi)* omne hoc quod de contrarietate temporum scriptum est, tum tropologicè de omnibus declarat, tum allegoricè de Hebræis. Tu lege, necnon alios Interpretes, præsertim Hugonem Victorinum, & Cardinalem, & Carthusianum, Bonauenturam, Nyssenum, quem mihi videtur Hieronymus imitatus. Ex his Hugo Victorinus prolixè id tractat, obseruans in hac serie ad magis exprimendam variam rerum mutationem, nunc priore loco statui tum bona, tum mala, quasi describatur status vitæ carnalis: nunc vice versa, propter spiritualis conditionem: postea hæc eadem alternari, quia nec malis hominibus vsque in finem bona sunt, nec bonis mala: tamen primam quasi bigam esse bonorum, & malorum, nascendi, & moriendi, vltimam malorum, & bonorum, belli, atque pacis, quoniam vita carnalis primum bonum, & vltimum malum: spiritualis primum malum, & vltimum bonum habet: in medio incerta sorte fluctuantibus tum malis, tum bonis rebus, quæ vtramuis vitam viuentibus accidunt.

f lib.5. epist. 11. g hic, & 1. con. Iouin.

Præterea notat Hugo, prima quatuor duabus inclusa combinationibus pertinere ad mutabilitatem generalem omnium generabilium, & corruptibilium, quæ viuunt, & sentiunt, vel quæ tantùm viuunt; cætera ad illam, in qua humanæ actiones fluctuant.

Adhæc ait, diuersa esse opera, quæ Deus facit, natura, & ars; & ostendi cuncta vanitati subiecta, quia sunt mutabilia, præter illa, quæ Deus facit per se, quatenus non consumitur essentia creata, nec dispositionis, ordinísve rerum ratio immutatur: solam primam combinationem de operibus naturæ, alias de operibus artis, siue hominis recenseri, vt hominis vanitas maximè declaretur.

Bonauentura quatuor primas combinationes accipit de ortu, & occasu omnium viuentium, tum vegetabilium, postea sensibilium, denique artificialium. Iam verò tres sequentes interpretatur de statu prosperitatis, & aduersitatis, iucunditatis, ac mœstitiæ, securitatis, & oppositi eius. Tertiò, in quatuor aliis considerat vsum vel coniugum, vel possessionum, vel thesaurorum, vel vestimentorum. Tandem postremas tres pertinere vult ad modum conuersandi, quoad partem rationalem, loquendo, & tacendo, quoad concu-

A piscibilem, amando, & odiendo, quoad irascibilem, bellum inferendo, & pacem tuendo. Rursum primam variationem exponit de quatuor hominum statibus existentium in Ecclesia, renatorum, pœnitentium, iustorum, Prælatorum. Postremò, variationes numerari tantùm viginti octo, quia hic numerus perfectus est comprehendens septenarium, in quo consistit vniuersitas temporis. Idem innuit Hugo Victorinus.

Caietanus quatuor primas contrarietates interpretatur de generatione, & corruptione hominum, plantarum, animaliũ, artificialium: alias totidem de bono delectabili: tres consequentes de vtili: tres vltimas de societate humana. Franciscus [a] Venetus ait geminatum quaterdenum

B numerum, quia septem sunt fontes supermundani pertinentes ad primam causam, totidem cœlestes, nempe planetæ, quibus Deus res naturales moderatur. Dicuntur hæc omnia ingeniosè, aptè, piè, legendúsque Petrus Bongus [b] de perfectione numeri octaui supra vigesimum. Sed premendus nobis in primis literalis sensus, in quo tamen Ecclesiastes proculdubio moralẽ intendit. Ad hunc sensum cum illo facere potissimũ videtur, quod Nyssenus monet, partus, ac mortis primo loco positam coniugationem vehementer expergefacere in carnalis vitæ profundum immersos, & excitare ad curam futurorum: Mosémque tacitè philosophatum eadem in primis librorum suorum inscriptionibus, quia cum Genesi, quod est

a problem. script. tom.5. sect.1. problem.129. b libro de myster. numero.

C generatio, simul scripsit Exodũ, id est, excessum. Hoc idem post Nyssenum Olympiodorus notauit: illud insuper spiritualis natiuitatis, ac mortis, quæ pendent à libero nostro arbitrio cum Dei gratia, vnum, idémque tempus esse, renasci enim nos in diuino lauacro, & consepeliri: corporalem, quæ non est in nostra potestate, distinctis temporibus euenire. Quanquam quod de librorum Mosis inscriptionibus dicunt, Mosi ascribendum non est, cùm Genesis, Exodíque vocabula Græca sint; & Hebræi libros denominent à primis eorum verbis: nec id fecisse Moses videatur, sed alij. Hieronymus conceptum, & parturitionem spiritualem moraliter accipit de ti-

D more Dei [c]; mortem de amore, quo accedente, recedit ille. Idem Hieronymus [d] tempus pariendi, & tempus moriendi sic explicat, quòd eo tempore quo exsterilinatus est populus Gentilium, filios amiserit Synagoga.

c in c. Esaiæ 26. d in Mich. c.5.

Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est.] Euellere, ἐκτῖλαι: Symmachus verò ἐκριζῶσαι, *eradicare.* Agricola est Deus Pater [e], vt hoc iudicem cum Nysseno: nos agricultura eius [f]: plantatio quam non plantauerit ille, eradicabitur [g]: euellendi errores, ac vitia: plantanda sana doctrina, & vita. Nolim negare, quod facit Salonius, loqui Salomonem de plantatione, & euul-

e Ioan.15.1. f 1.Cor.3.9. g Matth.15.13.

E sione arborum, aut herbarum, sed de natiuitate & morte hominum, ita vt nihil distet hæc coniugatio à præcedente, quod ipsum asserit Hieronymus & Albinus. Nam licet homo symbolicè dicatur arbor, sed inuersa [h]; propositum tamen est Salomoni, vt vidimus, inductionem mutabilium rerum per diuersa genera facere. Chaldæus exprimit nomen *arboris*, & Thaumaturgus *stirpium.* Placet Hugonis Victorini sententia, referri hæc ad vitam, mortémque hominis, quoniam vita frugibus, ac fructibus ex prima conditoris institutione sustentatur [i]. Præcipiunt periti agriculturæ quo sydere terra scindẽda, & serendum,

h Plato, & Pierius lib. 58. hierogly. i Genes.1.29. 16.

ac plantandum, quæ de re nonnihil inferiùs capite vndecimo [a]. Habent & viuentia ætates suas, & certa plerumque tempora, quibus concipiantur, nascantúrque: vitæ verò non vsque adeò certi limites, præsertim in hominibus, propter voluntatis varium flexum, & vsum, atque in iis, quę pendent ex eius arbitrio. Qua de causa crebriores, & incertiores sunt humani conceptus, vel certè congressus, quàm animalium cæterorum. Sed quæ fiunt sine modo, libenter concesserim citatis Nysseno, Hugoni S. Victoris, & Olympiodoro, nec digna esse quæ tempus proprium habere dicantur: fiunt enim intempestiuè. Eodem modo quamuis stet sua cuique dies, & constituti termini ad viuendum [b], & abeundum ex hac vita; censetur nihilominùs impius non dimidiare dies suos [c], moríque in tempore non suo [d], quia vel moritur citiùs, quàm vellet, vt moriatur tardissimè; & quo tempore mortuus non esset, nisi vitæ sibi terminum malè viuendo accelerasset, sicut aliàs [e] dicere memini, dicemúsque capite septimo [f]. Mysticè Hieronymus tempus generandi, & plantandi attribuit Israëli: tempus moriendi, & ducendi in captiuitatem: tempus occidendi eos in Ægypto, & tempus inde liberandi: tempus destruēdi templi sub Nabuchodonosor: tempus ædificandi sub Dario, & sic de aliis. Nyssenus tempestiuè nasci dicit illum, qui ex Dei timore concipit, & per animæ labores suam veluti salutem generat, sibimet quodam modo pater: mori, qui membra mortificat, & mortificationem Christi circumfert in seipso; nunquam viuit sibi, sed mortuus peccato, viuentem in se habet Christum. Tempus plantandi refert idem ad fidei plantationem, atque incredulitatis; & hæresum euersionem, necnon ad virtutum plantationem, & euersionem vitiorum.

a vers. 2.
b Iob. 14. 5.
c Psal. 54. 24.
d Eccle. 7. 18.
e Act. c. 1. 25.
f vers. 18.

Vers. 3.] Tempus occidendi, & tempus sanandi. Tempus destruendi, & tempus ædificandi.

Chaldæus (*tempus idoneum ad occidendum gladio, & tempus idoneum ad curandum cubantem ægrotum.*) Omissa tropologia de occidendo in nobis peccato, & sananda per pœnitentiam anima: de delendis perturbationibus immoderatis tanquam ingenitis intra viscera lumbricis: de reuocante ad sanitatem mentis Deo per tribulationes peccatorum, & extinguente iniquitatem: vel de puniente per gladium eodem, & refouente nonnullos, postquam plagis affecit, præter obuium sensum literæ congruentem, quem verba sonant (negare autem Salonius videtur) non abhorret is, quem Hugo Victorinus tradit, de esu carnium, qui à Deo permissus est ob infirmiorem nostrorum corporum complexionem [g], ita vt ne immodicè carnes gustemus, animalium vitam suo tempore seruemus, ac veluti sanemus. Carthusianus post Lyranum intelligit de occidendis iure reis, vel hostibus, & sanandis iis, qui ex bello effugerint, veniámque petierint. Isti cōiugationi haud ineptè concinit illud Virgilianū;

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Adde cū Moringo, exprimi eos, qui vexati quæstionibus, deprehenduntur innoxij, quos oporteat curari, si res sic ferat, publica etiam impensa.

g Genes. 9. 3.

Tempus destruendi, & tempus ædificandi.] Præter mysticum sensum, quem afferunt plurimi, nihil habeo, nisi vt denuò admoneam, non respuendum literalem; quamuis nemo ignoret (quod argumentum profert Salonius) alios destruere, alios ædificare domos. Facit ad rem, vt adeò multa, non vlli hominum incognita, in vnum cumulum congerantur ad exaggerandam, imprimendámque mentibus illorum vanitatem. Idem sit deinceps iudicium de reliquis.

Hîc possèt notari, quis primus ædificādi vsum inuenerit. Cain primus vrbem condidisse proditur [a], licèt Plinius [b] ascribat Cecropi: alij Phoronæo, qui excitauerit Argos: alij velint Thebas, seu Diospolim ab Ægyptiis ædificatam. Lege Gulielmum Hamerum, & Benedictum Pererium in caput quartum Genesis. Docui aliàs, nos ædificationem Dei nominari, & quemlibet bene agendo, ac loquendo dici alios ædificare, vel rectè vtendo tradita sibi potestate ad aliorum vtilitatem. Hoc fieri semper debet, nec destruendum vllo tempore; ipsum enim destruere, vel errores, vel vitia, per doctrinam, & pœnitentiam, ædificare est, & dum destrui videmur per tribulationes & persecutiones, construimur in templum viuum Domino. Affinis trita illa Horatij sententia isti nostræ;

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Multo magis iuxta tropologiam, quod Ieremiæ Deus iussit [c], vt etiam obseruant Nyssenus ac Hieronymus, priùs euellere, destruere, disperdere, dissipare; postea ædificare, & plantare.

a Gene. 4. 17.
b lib. 7 c. 56.
c c. 1. 10.

Vers. 4.] Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi.

Chaldæus (*tempus idoneum ad lugendum super iacentem, & tempus idoneum ad lætandum in lusu.*) De risu satis multa in capite secundo [d], ex quo æstimandum de fletu, & lacrymis. Opportunitas vtrisque honestatem tribuit, ita vt illud verum sit:

[e] *Dulce est* (adde, *honestum*) *desipere in loco.*

Iubet Apostolus [f] *gaudere cum gaudentibus, cum flentibus flere.* In illum Pauli locum legendus Chrysostomus [g]. Climacus [h] verò etiam scribit amorem erga fratrem dignosci, si te in eius delictis lugere perspicias, in eiusdē profectibus, & gratiis lætari. Nota τ̃ εὐτραπελίας virtus in vrbanitate risus, & ioci [i]. Portò quamuis hæc vita requirat potiùs tristitiam lætitiæ matrem quæ speratur, vt ait Nyssenus, propter adeò grauem iacturam, quam peccatum attulit, & deplorandas miserias, quas inuexit, & suspensam trepidámque diuini iudicij, ignísque æterni expectationem, nihilominùs modesta decet iustos hilaritas, & gaudium in Spiritu sancto, vt citato loco monui. Habet Ecclesia stata luctuosæ pœnitentiæ tempora, & sua quoque lætioribus hymnis, & canticis, ac hilariori vitæ deputata. Verè, atque loco nostro consentaneè Sophocles [k] cecinit;

Iucunda quæ fuerant, amara fiunt, & tristia:
Et ingrata dudum, grata fiunt inuicem.

Tempus plangendi, & tempus saltandi.] Chaldæus (*tempus idoneum ad lamentandum super occisum, & tempus idoneum ad plaudendum in lætitia.*) Nimis angustè planctum sumpsit super occisum. Quis autem in morte nostrorum plangenda tenendus modus, dixi in historia Apostolica [l], disserens de

d vers. 2.
e Horat. 4. carminum, ode 12.
f Rom. 12. 15.
g hom. 27.
h gradu 4.
i S. Thomas 2. 2 q. 168. Aristot. 4. Ethicor. c. 8. & 9.
k in Oedip.
l Actor. 8. & c. 9.

Stephano,

Stephano, & de Tabitha. Amplificationem hæc duo præcedentium duorum continent, inquit Nyssenus, quia qui facilè mouetur, & est ex interna affectione luctus, à Scriptura nominatur *κοπετὸς*, *planctus*: saltatio verò significat intensam lætitiam, quæ prodit exteriùs in corpore. Exemplum planctus affert in morte Mosis [a]; saltationis in Dauid ante Arcam [b]; vtriusque in parœmia puerorum in foro canentium tibia, cùm alij non saltarent, lamentantium, cùm non plangerent [c]. Idem obseruat Hugo Victorinus, præterea fletum, & risum ad animum, luctum, magísque propriè planctum, & saltationem ad corpus pertinere. Meliùs Bonauentura prima duo in lacrymis, & signo minus externo, posteriora consistere docet in voce, & corporis eleuatione. סָפַד *saphad* propriè pompam ingentium mortuos denotat, & gestum lamentantium: רָקַד *rakad* est subsilire, exultare præ lætitia, quod Græci dicunt *ἀγαλλιᾶν*, aut *σκιρτᾶν*. Primum membrum Lyranus refert ad funera defunctorum: secundum ad tripudia in nuptiis coniugatorum. Sed latiùs hęc extendi possunt, pluresque causæ suppetunt vtrumuis præstandi.

De saltatione, & chorearum agitatione non est longior iucunda disputatio, ne, quod vulgari fertur prouerbio, videamur extra chorum saltare. Ad laudes, & cultum Dei choreas vsurpauit & Dauid, quem dixi, & plures cum ipso chori, & filiæ Silo [d], aliíque [e]: & ad gratias agendas Deo nonnulli, sibíve mutuò gratulãdum [f]: quod item vsurpatum est ab Hebræis coram idolo [g], & ab idololatris etiã facere Samson compulsus est [h]: vt omittam cæteros Gentiles, qui saltationibus sacra celebrabant, vnde prouerbium est; *Salua res est, saltat senex* [i]: celebrésque in Phrygia Corybantes, & in Creta Curetæ, Salij Romanorum, & Celtiberi; & eas ad ludos, vel conuiuia adhibebant: & meminit Christus chororum cum symphonia, quibus celebratum est epulum reuerso prodigo filio [k]. Lege Lucianum *περὶ ὀρχήσεως*, quam Pollux [l] facit *μέρος μουσικῆς*, quamuis & inter palæstræ exercitationes, seu gymnicas, & militares ab aliis ponatur [m]. Legenda Petri Fabri agonistica [n], & ars gymnastica Mercurialis [o], qui ad valetudinem eam disputationem tãquam Medicus refert potissimùm, & quæ alij complures de militia tractant [p].

Probrosum est quod in hoc genere nimium, potissimùm in illustribus personis [q], & Senatu Domitianus mouit ciuem Romanum, quòd choreas indulgentiùs frequentaret [r]; qua de re plura Macrobius [f]. Consule præterea Tiraquellum [t], & auctorem antiquitatum conuiualium [u], Scaligerum [x], Rhodiginum [y], Turnebum [z], Roam [a], Petrum Gregorium [b], Pyrrhum Anglebermæum [c]. Hi vetustiores auctores laudant maximè Platonem [d], & Athenæum [e], & Plinium [f], & Xenophontem [g], & Quintilianum [h], & Plutarchum [i], Herodotum [k], Æmilium Probum [l].

Admonemur ab Ecclesiastico [m] cauere saltatricem, nec audire illam, ne fortè pereamus in efficacia illius, sicut periit propter ipsam corpore Ioannes Baptista, Herodes insuper animo [n]. Iob [o] reprehendit eiusmodi ludicras saltationes, necnon Deus ipse apud Esaiam [p]; vbi Basilius viguisse scribit suamet ætate in Iudæis fæminis pedibus ludendi consuetudinem, quod Augustinus [q] quoque testatur, id factitasse scribens impudicè in neomeniis suis, & codex Theodosia-

A nus [a]; quo loco Theodosius, & Valentinianus iis & Paganis, & Christianis inhibent Dominico die, necnon Epiphaniorum Christi, & Paschę, atque Quinquagesimæ diebus, hoc est, à Pascha ad Pentecosten. Idem acriter in filiabus Ecclesiæ, id est, in mulieribus Christianis, notat Ambrosius [b], multóque magis in viris citatus Basilius [c], Augustinus [d], Chrysostomus [e], Ephrem [f], Saluianus [g], Chrysologus [h], Gelasius Papa [i], Lactantius [k], Arnobius [l], Eusebius [m], Clemens Alexandrinus [n], aliíque Patres, ac multò maximè in Ecclesiasticis personis, vt cautum est à Conciliis Laodiceni, Senonensi, Agathensi [o]. Non congruunt, ait Ambrosius [p], resurrectionis reuelata

B mysteria, & opprobria saltationis exacta, quæ nimirum ritè à veteris Testamenti ministris vsurpabantur; &, si eidem Ambrosio credimus, iniuncta sunt etiam Ezechieli [q] à Deo: puto enim percussionem, & allisionem pedis doloris fuisse signa, quibuscum dicendum esset heu lamentabile.

Placet verò quod de saltatione spirituali subtiliter ac piè præcipit [r], quod hoc quoque loco facit Salonius, aliíque Interpretes. Legẽdi Scholastici [f], præsertim S. Thomas [t], & Summistæ [u], & Canonistæ [x]: qui de non inhonestis choreis, saltationibúsque loquentes, præscribũt tempus, extra quod sine peccato nequeant vsurpari. Pro-

C fectò magis suæ conscientiæ consulunt, & probabile peccati periculum vitant, qui festiuis, vel pœnitentiæ dicatis diebus, vt ieiuniorum, prorsus ab eis abstinent, longéque magis sese ad sanctorum tum decretorum [y], tum Patrum voluntatem, doctrinámque accommodant, imò & ciuilium legum, quas Christiani Principes hac de re sanxerunt [z], si abstineant per totos illos dies, & non duntaxat quo tempore celebrantur officia diuina, vel habentur sacræ conciones. Sic nimirum si saltare libet, liceat, dum honestè, & suo tempore: melius enim, si in totum, vt Moscouitæ faciunt [a], omnis abigatur chorea.

D *Vers.* 5.] Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi. Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.

CHaldæus (*tempus idoneum ad disiiciendum cumulum lapidum, & tempus idoneum ad congregandum lapides ad ædificium.*) Quidam vir disertissimus, vt meminit Hieronymus, nomine non expresso, rem ridiculam hoc loco dixit [a], de destructione, & ædificatione domorum Salomonis sermonem esse, quòd homines nunc destruant, nunc ædificent, alij congregẽt lapides ad ædificia construenda, alij quæ extructa sunt, destruant, secun-

E dùm illud Horatianum [b]:

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis,
Æstuat, & vitæ disconuenit ordine toto.

Arboreus non est veritus, ne hac in re ridiculus haberętur, secutus nempe dictam illam explicationem. Nyssenus refert aliam expositionem de lapidandis iis, quos lex [c] iubet. Sed refellit, quia membrum alterum non habet fundamentum in lege. Vterque Pater, necnon alij ad mysticum sensum confugiunt: ac prior affert tempus fuisse Gentilis populi dispergendi, & rursum tempus in Ecclesiam congregandi. Item ex aliorum sententia, tempus senerioris legis lapidantis [d], & Euangelicæ parcentis: posterior ait lapides esse

a Deu. vlt. 8. b 2. Regum 6. 14. c Matth. 11. 16. Luc. 7. 32. d Iud. 21. 21. e Psal. 149. 3. Psal. 150. 4. f Exo. 15. 20. Iud. 11. 34. 1. Reg. 18. 6. g Exod. 32. 6. 19. h Iud. 16. 25. i Adag. Omnia secunda. Serui in 3. & 8. Aeneid. k Luc. 15. 25. l 4. onom. c. 13. m Suid. verb. ὀρχήστρα. Quintil. 1. insti. c. 11 & ain n præsertim lib. 1. c. 12. lib. 2. c. 4. o præcipuè lib. 2. à c. 3. p Vegetius. q Sallust. in Catil. Cicero orat. in Pison. notauit id in Gabinio Cõsulari, & orat. post reditũ in Senatum, & 3. offic. in genere. orat. pro Deiotaro, & orat. pro Mur. in Phil. r Suet. in vita c. 13. f lib. 3. c. 14. t in Alexan. ab Alex. lib. 19. c. 19 & de nobilit. c. 34. u lib. 3. c. 21. x lib. 1 poet. y lib. 5 c. 3. & 4. z lib. 4 c. 21. a 3. sing. c. 17. b 12. syntax art. mirab. c 15. & 20 & 21. c lib. de salta musica. d 7 de leg. 6. & 7. e dipnos. l. 1. 4 14. f lib 7. c. 36. g 6. de Cyri expedit. h lib 1. c. 11. i de valetud. tuenda k in Erato. l in Epami. nonda. m c. 9. 4. n Matt. 14. 6. Marc. 6 22. o c. 21. 11. 12. p c. 3. 16. q de decem chordis c. 3. & in Psal. 32.

a de spectac. lib. 5. b de Elia c. 18. c supra, & homil. 14. in ebrietatem. d serm. 215. de tempore. e homil. 48. & 56. in Genesim, homil. 49. in Matth. & vlt. ad Coloss. f tomo 1 sec. quòd Iudæis abstinendum sit Christianis. g de prouid. h serm. 155. i apud Baron. tom. 6. pagin. 515. k 6. Instit. c. 20. l 2. cont. Gen. & 4. m 13. de præpa. c. 12. n 2. pædag. c. 10. o c. presbyteri. dist. 34. c. non oportet. 3. de consecr. d 5 c cùm decorum, de vita & honestate Cleric. p lib. 6. in c. 7. Lucæ, & epist. 30. edit. Rom q c. 6. 11. r ibidem. f in 4. distin. 16. t 2. 2. q. 168. & in c. Esaiæ. u verb. chorea, maximè B. Antonin. in summa. x Id citata iura. y citat. supra. & c. qui die b. de consecrat. dist. 1. ibidem d. 1 c. irreligiosa z Cõstantin. apud Euseb. lib. 4. vitæ c. 18 Theodos. & Valẽtini. de spect. l. 5. C Theodos. Valẽt. Theodos. Arcad l. omnes. C. de feriis. & ib. l. vlt. Leonis & Anthemij. a Sigismundus Baro. b 1. epist. c Leuit. 20. 2. c. 24. 14. d ibidem & Ioan. 10. 31.

cogitationes pias, quæ veluti funda iaciantur contra diabolum, atque tentationes, & tanquam in sinum colligantur, & retineantur, vt expeditè id fiat, nec abiiciantur quodammodo de iacientis manu. Olympiodorus ait iacere lapides Deũ, quando proiicit impœnitentem; colligere, cùm ad pœnitentiam recipit: vel cædere lapidibus magistrum corrigendo: colligere, quando post emendationem cessat.

Hugo Victorinus docet, hunc posse videri literalem sensum, vt quia postea mẽtio fiet de bello, & pace, hîc præmittatur tempus spargendi lapides, & colligendi, nempe ad extruendas munitiones aduersùs obsidiones; & ad has diruendas, dum est pax, vt cunctis aditus pateat: quod autem priùs est dictum de tempore destruendi, & ædificandi, pertinere ad ædificia domorum. Placet id Bonauenturæ, Carthusiano, Lyrano, Hugoni Cardinali, Titelmanno: quamuis extendant ad quælibet ædificia: sed Moringus priorem modum sequitur.

Adhibet præterea Hugo S. Victoris tropologiam de iustis sub lapidum nomine, qui partim concutiantur, & exilio vexentur in hac vita, partim pace potiantur, & ad æternam vitam transferantur: vel qui per lapides bonorum operum cæteris spargant exemplũ, & inde colligant fructum contemplationis. Caietanus ad literam exponit de lapidibus pretiosis, qui certo tempore colliguntur, & per eos intelligit ornamenta cætera, quibus quandoque homines abdicant sese, nonnunquam ea conquirunt. Ex adiunctis cognosci potest, quando *lapis*, λίθος, אבן *aben* pro gemma sumi debeat.

Mihi simplex sensus videtur de conferendis ad quælibet ædificia lapidibus, & de diruendis veteribus, seu quia sunt inutilia, seu vt ex eorum ruinis noua construantur. Nec refert si coniugatio hæc non adeò differat à quarta. Veneror tamen mysticas interpretationes, præsertim Patrũ, qualis præter allatas, quam Chrysostomus [a] habet, lapides congregandi tempus fuisse, quando lapides viui, id est, fideles, ab infidelitate vocabantur ad fidem: dispergendi tempus futurum, quando Ecclesia tradetur ad tentationem, vt Christiani qui non proficiunt in ædificationem corporis Christi, foras proiiciantur. Affinis est allegoria Hieronymi, & Salonij, & Hugonis Cardinalis, de lapideis Iudæis in captiuitate dispergendis, & tandem conuertendis: vel ante Christi incarnationem de Gentibus derelictis, & postea collectis in vnitatem fidei; quod affert etiam Albinus de prædicatoribus missis in mundum, ac deinde reuocatis in cœlum. Item ad mores. Tempus, inquit idem Hugo, & Carthusianus, sed post Olympiodorum priùs citatum, asperè corripiendi, & correptionem mitigandi: tempus peccata per confessionem eiiciendi, & eadem per dolorem recogitandi: tempus, vt placet Hugoni Victorino, multiplicandi bona opera, & post laboris studium percipiendi fructus illorum. Gregorius [b] lapides mitti, & spargi de iustis inter nos degentibus interpretatur: colligi, quãdo subtrahuntur ex hac vita. Beda [c] idipsum sequitur. Alicubi etiam Augustinus [d] videtur tempus mittendi, seu spargendi lapides, interpretari de tempore ante aduentum Christi, quo tempore vacabatur proli; tempus colligendi, de tempore post illius aduentum, quo castrãt se homines propter regnum cœlorum [e]. Præter institutum mysticas

[a] homil. 49. in Matth.
[b] 3. dialog. c. 37.
[c] 4. hist. Anglo. c. 3.
[d] 3. de doct. Christ. c. 18.
[e] Matth. 19. 12.

A intelligentias ferè nolens posui: sed non pœnitet, vel vnum tot coniugatorum paradigma exhibuisse. Sed literalis sensus est, quem dixi, quicquid Salonius cõtradicat. Thaumaturgus in metaphrasi fructuum collectionem expressit, & eiectionẽ, nescio qua de causa; lapidibus certè duriores tantùm fructus excutiuntur. Legi apud auctorem manuscriptum expositionem literalem esse, vt *lapidum* nomine intelligendo, quos funditores, seu fundibularij iaciunt, de quibus meminit Scriptura [a], & sumendo speciẽ pro genere, id est, missiles lapides pro aliis telis, ac tormentis bellicis, dicatur esse tempus lapides, teláque spargendi, seu mittendi, & iaciendi, atque intorquen-
B di in hostes, tempus colligendi lapides eosdem, ac tela, id est, cogendi, & congregandi in belli vsum. Fauet nonnihil Nyssenus [b]. Obiici potest, quòd versu 8. exprimitur tempus belli, cum tempore pacis, & quòd colligere lapides ad iaciendũ, non videtur antithesim continere. Mysticè iussus est Ieremias [c] euellere, & destruere, disperdere, & dissipare, ædificare, & plantare.

Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.] Chaldæus restringit ad amplexus vxorios, quod & cæteri faciunt, qui literalem venantur sensum, vt Lyranus, Carthusianus, Moringus, Titelmannus, Arboreus, Hugo Cardinalis, Hieronymus, Thaumaturgus, Olympiodorus, Bona-
C uentura, Hugo S. Victoris; abstinendum enim tempore sacro, & pœnitẽtiæ, & communionis, & orationis, & ieiunij, quod addunt codices Græci in prima ad Corinthios [d], pluresque Patres, ac nonnulla Concilia nominatim præscribunt de Quadragesima, vt aliàs notaui [e]. Præterea quando imprægnata est mulier, mẽstrua patitur, puerpera est, tempore senectutis, & generalis tribulationis, ita vt & bruta ipsa intra arcam, quamdiu diluuium durauit, continuerint. Nec tamen in his casibus, quos Scripturæ, Conciliorum, & Patrum testimoniis comprobare possimus, continentia, vt monet cum B. Thoma Carthusianus, necnon Hugo Cardinalis, præcepti vinculum habet; & alio-
D qui coniugium est simul officium naturæ, simul remedium culpæ, & concupiscentiæ, vt propterea nuptialibus pedicis, quemadmodum loquitur Apuleius [f], luxuria puerilis colliganda sit: quod item admonent Clemens Romanus [g], & Gregorius [h]. Coniugum intempestiui congressus nec decori, nec salubres existunt, vt attigi versu secundo, in iisque filiorum amor spectãdus in primis, nõ libido, sicut Angelus præcepit [i]: nec coniugium ita suscipiendum, vt Deus à mente excludatur, & libidini vacetur, instar equi, & muli, *quibus non est intellectus* [k].

Non potest lex certa præscribi, aut vt ter id fiat quot mensibus, iuxta Solonis legem [l], aut
E omnino ter in tota vita, quod Sozomenus [m] Aëam fecisse Philosophum, & deinceps ex Philosopho monachum, prodit. Tribulationem carnis ferant necesse est, qui iugum id duxerunt, & inuicem debitum reddant [n], oportet. Sed omnino Sacerdotem sacrificaturum decet abstinere, vt alibi [o] dixi, vel exemplo Gentilium, teste Plutarcho [p], & Tibullo [q], qui ait:

Vos quoque abesse procul iubeo: discedat ab aris
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Sed mysticè tempus amplexandi est, vacando sapientię, atque contemplationi: ac longè fieri ab amplexibus, descendendo ad necessitates corporis, vel ad aliorũ vtilitatem, vt cùm Moses iussus

[a] Iudic. 20. 16. 4. Reg. 3. 24. Iudith. 8. 1. Mach. 9. 11.
[b] hic ho. 7.
[c] c. 1. 10.
[d] c. 7. 5.
[e] in Dominica 1. Quadrages.
[f] lib. 6.
[g] epist. 1.
[h] hom. 17. in Euang.
[i] Tob. 6. 17. 22.
[k] Psal. 31. 9.
[l] Plutarc. in Solone.
[m] 9. tripar. c. 48.
[n] 1. Cor. 7. 5.
[o] Act. 1. 41.
[p] 1. sympos. problem. 6.
[q] in carm. 2.

est

est de monte descendere [a]: tempus olim ante legem Euangelicam dandi operam liberis, nunc liberiùs ac liberaliùs castimoniā colendi. Vtrumque obseruat Hieronymus [b], & Olympiodorus. Quibus adde Eusebium [c], & Isidorum, [d] comparantes tempus ante aduentum Christi magis aptum coniugio, cum tempore post eiusdem aduentum, in quo magis commendatur virginitas, & continentia. Primum Nyssenus; sed recessum ab amplexibus accipit pro fuga vitiorum: secundum, de nuptiis & concupiscentiis scribens Augustinus [e]. Aliquando ad campum inuitat sponsa, nonnunquam ad quietem lecti [f]. Iusti modò fruuntur sapientiæ amplexu, modò inde abstrahuntur, contingitque idipsum etiam improbis; verumtamen illorum ea ratione acuitur desiderium: istis est damnationis ob negligentiam testimonium, inquit Hugo Victorinus.

a Exod. 32. 7.
b hic, & epist. 22.
c 1. de prope. c. 9.
d de offic. c. 12.
e lib. 1. c. 13.
f in Canticis.

Sensum literalem extendit hic idem auctor ad amplexus charorum, & cōtubernia societatis amicæ, conuictúmque dulcem gratissimo fœderatum consensu, qui tamen ipsi soluantur tempore suo, ne cor honinis in homine requiescat, donec veniat, quod non soluitur pactum charitatis, vbi videlicet amplexabitur nos dextera sponsi, & nos tenebimus eum, ita vt non dimittamus. Lege, si placet, de honesto amplexuum, & osculorum vsu, quę dixi ad historiam Apostolicam [g]. Cæterùm Erasmus [h] illam de abstinentia coniugalis amplexus in lege noua interpretationem non satis probans, ait Hieronymum virginitatis amore aliqua in matrimonium duriùs dixisse, ac nominatim cùm præsentem sententiam ita est interpretatus. Amauit virginitatem Hieronymus simul cum veritate. Certè verisimilem facit dictam expositionem, quòd non illius duntaxat est, sed aliorum multorum, vt attigi, nempe Augustini, Albini, Isidori, Olympiodori. De abstinentia ab vsu coniugali certis temporibus, legantur Clemens Alexandrinus [i], rursus Romanus [k], Isidorus Pelusiota [l], Augustinus [m], Nazianzenus [n], Hieronymus [o], & Enarratores in prioris ad Corinthios Epistolæ cap. 7. & Scholastici in 4. d. 32. est illud etiam præter alios profanos Poëtas, Iuuenalis [p], loquentis de Isidis Sacerdote;

Ille petit veniam, quoties non abstinet vxor
Concubitu, sacris obseruandisque diebus.

g Act. 20. 37.
h annot. in epist. 22. Hieron.
i 2. pæda. c. 10. & 3. stro. c. 6.
k 9. conf. c. 8.
l lib. 3. epist. 412.
m ser. 244. de temp.
n orat. 40. de Baptis.
o in Ezech. c. 18.
p Saty. 6.

Sapiens [q] inuitat ad arcanos sapientiæ amplexus; sed aliquando abstrahendi sumus à theoria ad praxim, vt priùs insinuaui, & obseruant Hieronymus [r], Climacus [s], Cyrillus [t] Alexandrinus. Id transferri commodè potest ad studium, contentionem, & relaxationem. Nam dulcissimum mortalibus otium, negotiúmque mediocre Euripides dixit [u]. Cuius rei Valerius profert exempla [x]: & de seipso Nazianzenus [y] refert; tritúmque illud Ioannis Apostoli, de quo etiam Cassianus [z]; quin & Christus fatigatos Discipulos iussit secedere seorsum in desertum locum, & requiescere [a].

q Prou. 4. 8.
r epist. 2.
s grad. 26.
t 14. de ado.
u in Ione. scæ. 3.
x lib. 8. c. 8.
y orat. 3. & carm. ad fictos monach.
z colla. 24. c. 21.
a Marci 6. 31.

Vers. 6.] Tempus acquirendi, & tempus perdendi. Tempus custodiendi, & tempus abiiciendi.

De diuitiis Chaldæa paraphrasis interpretatur, passimque reliqui, & quidem quas sibi quis compararet vel mercimoniis, vel patrimoniis,
A vel creditis, vel aliis modis. Mysticos autem sensus leges apud eosdem, maximè apud vtrumque Hugonem. Sunt verò satis affines allatis priore versu, & notant Hieronymus, & Albinus sententiam eandem esse totius versus, ac posterioris membri, quod est in tertio: *tempus destruendi, & tempus ædificandi*; idémque dicere potuit de priore versus præcedentis: *tempus spargendi lapides, & tempus colligendi*.

Nyssenus quærendum semper Deum monet, perdenda, & deponenda vitia, eorúmque occasiones, cum abdicatione, si sit opus, externarum facultatum, cúmque animæ, seu vitæ amissione [a]. Porrò quamuis Græcum ζητῆσαι, & Hebræum בקש *bakkesch* significet propriè *quærere*, veluti rem
B perditam, priúsque sit perdere, quàm quærere, vt Olympiodorus monet, nihil refert; sola enim hîc notatur in rebus vicissitudo, non autem in vicissitudine ordo. Quamquam *quærere* significet idem interdum quod *acquirere*; & ita priùs acquiritur quid, postea perditur, vel abiicitur.

a Matth. 10. 39.

Inter mysticas explicationes, quas citati proferunt auctores, illæ sunt quæ mirificè placuerūt Athanasio [b], affirmāri Salomonis in se sententiolis desiderium, attentionémque acui, videlicet esse tempus, vt peccatum perdamus, quæramúsque solutionem ab eius vinculis: tempus olim fuisse, cùm perditum erraret humanum genus;
C iam tempus aduenisse, quo eximatur à captiuitate, & perdat quisque quod est in anima peccatum, inueniens eam per virtutem; & si res ferat, pereat illa in martyrio, vt inueniatur in regno cælorum. Sic qui amat animam, perdit [c], eáque perdēda pro Christo, vt inueniatur cum Christo.

b tract. in id: Profecti in pagum qui ex aduerso est, inuenietis pullum. Matth. 21. 2.
c Ioan. 12. 25.

Tempus custodiendi, & tempus abiiciendi.] Chaldæus *(tempus idoneum ad custodiendam rem, & tempus idoneum ad effundendam rem in mare in tempore tempestatis magnæ.)* Consentit Lyranus. Adde tempus pestilentiæ, aut belli, aut latronum cum Carthusiano, & similia alia, extra quæ non adhibetur custodia tanta: vel retinentur, nō abiiciuntur res nostræ, cùm possunt sine periculo retineri. Item quod apud nos deponitur, inquit Moringus, re-
D ctè, ac opportunè custodimus, à nobis abiicimus, reddimúsque, cùm reposcit is qui deposuit. Præterea, cùm quis eget, & curæ ipsius commissi, custodire, & seruare, quādo tantæ necessitatis tempus abest, abiicere res suas, largiendo egenis, debet, & quod superest, dare eleemosynam [d].

d Luc. 11. 41.

Non est hic omnino moralis sensus, quales reperies apud citatos auctores, qui pergunt quoque in allegoria Iudæi atque Gentilis populi, & nouæ, ac veteris legis. Ad literalem præterea referri etiam potest, quod ait Olympiodorus de expensis opportunè faciendis: vel quod Hugo Victorinus de custodiendis bonis temporalibus tempore suo, sed tamen corda ad ea non appo-
E nendo, maximè sub mortem, cùm soleat, vt ait ille [e], quo minùs restat viæ, viatici plus quæri à senibus auaris: vel, quod idem Hugo, de retinenda terrena substātia pro sustentatione carnis, sed abiicienda, si animæ periculum ingruat. Nyssenus moraliter acquisitam gratiam, & virtutes docet maiore quodammodo custodiendas cura, quàm fuerint acquisitæ, eámque continuam esse debere, simul abiiciendo quæ noscuntur his contraria: sicut, inquit, oppidum tutiùs custoditur eiectis proditoribus. Olympiodorus iterum, ne temerè doctrinam, præsertim sacram, ac sine delectu profundamus, sed nacti dociles, ac bene

e Cic. de Senect.

dispoſi

dispositos: hoc verò esse pecuniam trapezitis dare, sanctum verò, ac margaritas à canibus, suibúsque prohibere [a]. Denique non iidem semper tenendi mores, legésve: non eosdem seu bonos, seu malos Deus semper vel à periculis, tentationibúsque liberat, vel iis ipsos exponit, ac veluti abiicit, sed vices temperat, inquit Hugo S. Victoris.

a Matt. 7. 6.

Vers. 7.] Tempus scindendi, & tempus consuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi.

CHaldæus (*tempus idoneum ad lacerandum vestimentum, & tempus idoneum ad consuendam scissuram.*) Consuere dicitur Hebraicè verbo תפר *thaphar*, vnde ductum videri potest transpositis literis Græcum ῥάπτω. Lyranus, & Carthusianus prius membrum de scindendis pannis ad formādas vestes intelligunt. Hoc modo non erit oppositio in posteriore; discissi enim ad vestes panni consuuntur, & ideo discinduntur, vt consuantur. Sunt & qui quæ calidiore cœlo vestimenta interscindunt ad frigidiorem auram, vigente frigore resuant. Attrita quoque deformantur, & aliter transformantur, vel assumenti vice sunt. Postremò doloris ac mœstitiæ causâ lacerantur vestes; quo de ritu egi in historia Apostolica [b]. Primus, vt ita dicam, Deus, Deíve nomine Angelus artem sutoriam exercuit, faciés Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induens eos [c]: quamuis id, enarrans Genesim Hugo S. Victoris [d], & Rupertus [e] sic accipiant, vt rationem docuerit primos parentes Deus vestes ex pellibus animalium sibi comparandi & conficiendi.

b Act. 14. 13.
c Gen. 3. 21.
d in c 3.
e lib. 3. de Trinitate. c. 27.

Mitto mystica de Regno Hebræorum scisso hinc in decem tribus [f], hinc in duas, postea sarciendo: de conscisso [g] sacco Christi corporis in passione, consuto in resurrectione: de corde scindendo per pœnitentiam [h], consuendo per vitæ bonæ renouationem, vt adhærescamus Deo, abrumpamur à diabolo, & à vitio: societatem bonorum ineamus, separemur ab improbis, ac separemus eos etiam ab Ecclesia quam dilacerant, vt Arius quondam, quemadmodum Petro Alexandrino visum diuinum declarauit, his verbis; Arius tunicam meam, quæ est Ecclesia, dilacerauit [i]: vt rescindamus iniquas pactiones, & æquas confirmemus. Acutum illud Hugonis Victorini, quæ scinduntur, substantialiter vnum esse, quæ consuuntur, diuersa, & filo ceu vinculo accidentaliter vniri: sic nos per naturam corruptibilibus ac perituris iungi, diuinorum participes fieri per gratiam; & acum quidem esse compunctionem, dilectionem filum; perforati humana, quando culpam dolore transfigimus, & persequimur, diuina, cùm occulta æternorum scrutamur, eorúmque desiderio tenemur, & amore constringimur, hinc attendentes, quanta nobis remissa sint per misericordiam, hinc contemplantes, quanta promissa per gloriam. Nazianzenus [k] refert hanc sententiam ad amicitiarum fœdera, quas, vt exigit tempus, nunc scindimus, nunc consuimus.

f 3. Reg. c. 11. 31. c. 12. 20.
g Ps. 29. 12.
h Ioel. 2. 13.
i Surius 25. Nouemb.
k orat. 40. de Bapt.

Tempus tacendi, & tempus loquendi.] Chaldæus addit (*verba controuersiæ.*) Latiùs patet saluberrimum hoc, adeóque studiosè à Philosophis, maximè à Pythagoricis celebratum, & custoditum monitum. Nec modò ab omni abstinendum sermone malo [l], vel tacendum, præsertim mulieribus in Ecclesia, etiam de diuinis [m]: & cum proximo aperienda veritas [a]: & consistente etiam aduersùm nos peccatore, obsurdescendum [b], ne iis quidem pronunciatis, quæ facerent pro nobis [c], & præmeditatò, ac appositè ad eos, qui audiunt, loquendum; qua de re præcipiuntur in Scripturis propè innumerabilia: sed, vt ait Nyssenus, de ineffabili essentia Dei vel nihil, vel moderatè loquendum: *quis enim loquetur potentias Domini* [d], cuius magnitudinis non est numerus [e]? *Tibi congrua, tibi conueniens, tibi expectata, & silens laus*, inquit iuxta Hebræam editionem Dauid [f], & secundùm Chaldaicam; *coram te reputatur sicut silentium laus*, pro eo quod legimus; *te decet hymnus Deus.* In vsu & congressu communi illud meminisse oportet; age, fare vicissim: item cum reliquis in rebus, tum in sermone vicissitudine vtendum, εἰ μὲν ἠλίθιος εἶ, σοφὸν πρᾶγμα ποιεῖς, εἰ δὲ σοφὸς, ἠλίθιον, *si es stultus, sapienter facis; sin sapiens, insipienter*, videlicet tacendo semper, dixit silentium perpetuum in conuiuio seruanti Simonides, vt quidam volunt: nam Theophrasto tribuit Antonius Melissa [g]. Id autem quadrat in omne aliud negotium, vt sit & loquendi, & tacendi suũ tempus, vitandúmque duplex extremum, καὶ τῆς ἀδολεσχίας, καὶ τῆς ἐχεμυθίας. Pythagoricum superstitiosè silentium, teste Nicephoro [h], Basilides induxit. Pattalorynchitæ ἀπὸ τοῦ πάτταλου, καὶ ῥύγχους, *à palo, & naso* dicti, quòd veluti palum, vel digitum in modum pali naribus suis, aut labiis superponerent, tam erant silentij tenaces, vt non alij rei vacarent magis, hac in re Prophetas se dicentes imitari, propterea quòd Dauid precatus esset; *Pone* [i] *Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Meminineruut hæreseologi, Augustinus [k], Philastrius [l], Castro [m], Prateolus [*], qui vltimi duo non debuerunt in Philastrio notare corruptelam nominis Passalorynchitarum, cùm Græcis familiare sit geminum sigma pro tau, hócque pro illo vicissim vsurpare. Locus autem ille Psalmi cófirmat potiùs nostram sententiam; ostio enim vtimur tum ad claudendum, tum ad aperiendum, pro vt circumstantia temporis, vel alia requirit. Alioqui Esaias væ sibi nõ dixisset, quia tacuerat [n], nisi secundùm tritam satis eius loci expositionem, tacuisse quandoque malum foret. Legendus Basilius [o], & Climacus [p], qui non minus periculum esse dicunt semper tacuisse, quàm nunquam: & nimium silentium turbationis, ac amaritudinis aliis esse causam posse: illud verò etiam scribit Hilarius contra Constantium.

l Ephes. 4. 29.
m 1. Cor. 14. 28.
a Coloss. 3.
b Ps. 37. 14. 15.
c Ps. 38. 2. 3.
d Ps. 105. 2.
e Ps. 144. 3.
f Ps. 64. 1.
g serm. 71. tom. 5. bibl. Patrum. lege eundem ibidem, & ser. 74. & 75.
h lib. 4. c. 2.
i Ps. 140. 3.
k lib. de hæres. c. 63.
l de hæres.
m de hæres.
* in elencho hæres.
n Esa. 6. 5.
o regu. 288. ex breuio. & ep. 71.
p gradu 4.

Fertur hoc tempore Antilutheranorum secta sub nomine Spiritualium, & Tacentium, qui veterem illam hæresim suscitasse dicuntur [q]. *Est tacens*, ait Ecclesiasticus [r], *qui inuenitur sapiens: & est odibilis, qui protax est ad loquendum. Est tacens non habens sensum loquela: & est tacens sciens tẽpus aptum. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus; lasciuus autem & impudicus non seruabũt tempus.* Ambrosius [s] vsus præsenti sententia, quam exponimus, monet, si pro otioso sermone rationem reddemus, videamus ne & reddamus pro otioso silentio: & rectè Dauid non silentium sibi indixisse perpetuum, sed custodiam, meliúsque hac in re quàm Pythagoram fecisse; qui non loquendo loqui docuit, cùm ipse in loquendo magis nos discere voluerit loqui. Sed quia maius periculum est in loquendo, quàm tacendo, priùs tacendum, ac diutiùs, quàm loquendum, & hîc tacendi tempus antè ponitur, quàm loquendi, vt simus videlicet

q Lindan. dial. 2. Dubitantij.
r c. 20. 5. 6. 7.
s 1. offic. c. 2.

ad

ad audiendum veloces, tardi ad loquendũ [a]. Idem Ambrosius [b] refert Liberium Papam obseruasse hac sententia laudari maximè tacendi virtutem, neminémque ad loquendum prosilire debere, nisi priùs tacere didicerit. Pythagoram hinc suũ illud de silentio decretũ hausisse existimat Hieronymus hoc loco, & innuit pluries citatus Ambrosius [c]. Quod creditu difficile non est, cùm alia plura ex Hebræorum fontibus accepisse Philosophum illum testentur Iosephus [d], Clemens Alexandrinus [e], Eusebius [f]. Legatur adhuc de ista silentij, & sermocinationis vicissitudine Ambrosius [g], Gregorius [h], Basilius [i]. Hic post triennij silentium ad Eustathij calumnias id abrupit [*], ista vsus sententia, & exemplo Iob. Eamdem in simili causa contra Constantiũ scribens, & Arianos, Hilarius vsurpauit sententiam, posteaquam diutiùs conticuisset. Multa, quæ legantur apud eumdem de hoc argumento, digna sunt: & quæ disserit Beda ad locum illum ex Prouerbiis [k]; *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*; & Ambrosius ad verba Psalmi 36. [l] *Os iusti meditabitur sapientiam.*

Admonet Gregorius [m], & nimis tacitos, & multiloquio vacantes, quo pacto modum ponant loquacitati, atque taciturnitati, nec aptius exhibet inter alia remedium, quàm huius sententiæ, vt meminerint esse tempus tacendi, & tempus loquendi, & Dauid ori non parietem, sed custodiam, & labiis ostium circumstantiæ poposcisse [n], quod, vt nuper dicebamus, aperitur, & clauditur. Sed quoniam non minùs lex scribenti silentij præscribitur, teste Bernardo [o], ne scribat intempestiuè, vel plus quàm decet, de silentio silentium hîc faciam; mirum enim quàm sint in damnando multi silentio eloquentissimi, ne dicam, loquacissimi, plúsque doceant silendum verbo, quàm exemplo.

a Iacobi 1.19. b 1 de virg. c in Psal.118. ser.2. d contr. Appion. e 1 Strom. c.15. f ... c.1. 1 de præp. c.2. g de inst. virg. c.2. h ho. 11. in Ezech. i de rota ... * epist. 79. k c.25.11. l vers. 30. m 3 p. Pastoral. c.15. n Psal. 140.3. o epist. 89.

Vers. 8.] Tempus dilectionis, & tempus odij. Tempus belli, & tempus pacis.

Chaldæus (*tempus idoneum vt vnus amet socium suum, & tempus idoneum vt odio habeat virum peccatorem.*) Rectè sanè: nec enim odio habendus iustus; peccator nonnisi quà peccator, vt oderimus quod est in ipso peccatum, idque vel extirpemus, vel etiam, si res ferat, vindicemus. Diligendus in primis Deus; ad hanc normam reliqui: ab ea qui deflectuut, nósque deducunt, iustæ nobis cum ipsis inimicitiæ, odium perfectum. *Nónne*, ait Ecclesiastis parens [p], *qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio* (id est, capitali, & summo) *oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Exigit has inimicitias Christus [q], hoc odium etiam aduersùs genitores nostros, aliósque nobis coniunctissimos; multo autem maximè contra eum, qui κατ' ἐξοχὴν inimicus noster vocatur [r], inimicitiásque perpetuas gerit, & implacabiles inde iam à funesto protoplastarum casu [s]. Nos ipsi animam odisse debemus propter Deum [t], vitia nostra, effrænes passiones. Habent hæc tempus suum, quamuis eodem tempore simul sint: erit quando vitia in nobis nulla, nullas experiemur passiones, si honestas hîc inimicitias, amorémque

p Psal. 138.21. 22. q Luc. 14.26. r Matth. 13. 28.39. s Gen. 3.15. t Lucæ 14. 26.

A castum exercuerimus. Puteus vnus ob iurgium pastorum Geraræ, & Isaac vocatus est Calumnia, & alter ob rixam, Inimicitiæ (oritur hæc ex illa) tertius, pro quo non contenderunt, Latitudo [a]. Ambulabimus in latitudine, amplis cœli spatiis excepti, cùm fuerint penitùs inimicitiæ interfectæ [b]. Deus absque tempore, sempiternáque diligenda semper felicitas; æterna odio habenda mala: non intermittendo. Carnem suam odio nemo habet [c]; eius tamen curam facere non debemus in desideriis [d]: [diligenda, inquit Hugo Victorinus, quantum ad compassionem pertinet naturæ, quantum ad castigationem culpæ spectat, odienda.] Amor desigendus totus in

B solida, veráque bona, non autem graui, ac obdurato corde vanitas diligenda, quærendúmque mendacium [e]: verus ac legitimus Dominus diligendus, & sustinendus, alienus odio habendus, & contemnendus [f], quia qui hunc amat mundum, adulter est [g], & *inimicus Dei constituitur* [h], & vicissim mundus eos, qui non sunt de mundo, odit [i].

Ambrosius [k] versans quæstionem, quo pacto nostrorum præcipiatur odium [l], cùm inimicorum iniungatur amor [m], Christum auctorem vtriusque præcepti respondentem inducit. Sed non legisti: *Tempus amandi, & tempus odio habendi, & tempus belli, & tempus pacis?* De quo hoc dicit

C Ecclesiastes? Nónne de eo, quod ratione temporis fiat, vt piè & amare, & odisse possimus, vt quos dilexeris, odisse, & quos oderis, amare conueniat? Exponit hæc deinceps pluribus. Legendus quoque Gregorius [n]. Cyprianus [o], aut Origenes, citans hunc locum istis verbis (*tempus amãdi, & tempus odio habendi*) ait: [Ama fœminas inter sacra solemnia (vt nempe ad illa, ô clerice, ipsas admittas) & odio habe in communione priuata (ne absque necessitate conuerseris cum illis) si vis Salomonis tenere doctrinam.] Thaumaturgus vicarij amoris, odiique dat exemplum in homine, qui quam deperit fœminam nunc, postmodum odio execrabili prosequitur. Te-

D stis Amnon Salomonis ex patre frater [p]. De fœmina quoque licet illud vsurpare, quòd

> *Nunc* [q] *te ardenter amat, nunc te capitaliter odit.*

Hieronymi allegoria est de lege priùs amanda, hísque quæ ad illam pertinebant, circumcisione, hostiis, Sabbato, neomenia, &c. deinde de odiendis iisdem, Euangelij gratia succedente: tropologia verò, vt amentur post Deum, ac videlicet secundùm illum, liberi, vxor, propinqui; odio habeantur iidem in martyrio pro Christi confessione. Eamdem per-

E sequitur Ambrosius [r] tropologiam prolixa pereleganti oratione, vt paulo antè admonui. Nyssenus [s] amandum verum, ac summum bonum, odio habenda inania, fallentia, turpia, flagitiosa definit; qualis est iuuentutis amor, plerumque siti similis, quam dipsadis morsus serpentis efficit.

Addit, qui Christi amet carnem, qui sit affectus in eiusdem sanguine, & hæc in se acceperit in cibum, ac potum proposita, carnis, & sanguinis sui amicum non futurum: illa verò suauia esse, & iis, qui gustant, & iis, qui appetunt maximè appetenda, & iis, qui diligunt super omnia diligenda.

a Genes. 26. 20.21.22. b Ephes. 2.16. c Ephes. 5.29. d Rom. 13. 14. e Psal. 4.3. f Matth. 6. 24. g Iacob. 4.4. h ibidem i Ioan. 15.19. k in Psal. 118. octon. 15. l Matth. 10. 24. Luc. 14. 26. m Mat. 5.44. n hom. 37. in Euang. o lib. de singular. cleric. p 2. Reg. 13. 2.15. q Bapt. Mant. r ser. 15. in Psal. 118. s hoc loco ho. 4.

Tempus belli, & tempus pacis.] Conueniunt eadem in hoc membrum quæ de priore tractata sunt: pugnandum enim contra hostes, dum in hac vita sumus, ac militamus, quæ nihil nisi militia est [a], vt his debellatis pax sequatur exsuperans omnem sensum [b]. Gladium misit Christus in mundum [c], & regnum cœlorum violentis exposuit [d]. Persequitur allegoriam istam de militia, pugnáque spirituali fuse ac eleganter, præ cæteris, Nyssenus. Nam literalis sensus obuius, & facilis. Describit præterea egregiè Chrysostomus [e] bellum nostrum spirituale, necnon Origenes [f], Tertullianus [g], Hieronymus [h]. Vt verò superstitiosos refutaui silentij custodes, vel fletibus indulgentes, ita cauendos moneo, qui belli, maximè Christianis, omnem vsum, aut hominũ interfectionis, aut nuptiarum prohibent; quibus rebus Ecclesiastes suum tempus assignauit. Pro bello pugnat contra Manichæos Augustinus [i], simul proculdubio expugnans pacificos Vviclefistas [k], & Iulianum Apostatam [l], & Anabaptistas [m], & Cornelium Agrippam [n], & Ioannem Oecolampadium, si credimus Prateolo, quibus fauet Erasmus [o], & Ioannes Ferus [p]. Lutherus [q] autem negauit Christianis licitũ contra Turcas bellũ: ideq; indicat Theodorus [r] Bibliander. Sed Lutherus absurditatem, acimpietatem sententiæ suæ postea vidit, & correxit [f]. Iidem Manichæi omnis substantiæ viuentis extinctionem nobis interdictam volebant, vt meminit idem Augustinus [t]: Lactantius [u] hominis: Scotus [x] furis, præsertim diutni, quem verisimile sit velle duntaxat furari; necnon adulteræ.

De Valdensibus prodit Guido Carmelita sensisse nefas esse hominem interficere, Iudicis etiam præcepto: atque idem asseruit Nicolaus Galecus vnus de legatis à Bohemia ad Concilium Basileense missis [y]. Egimus de hac re in historia Apostolica [z]. Qui tempus ait esse occidendi, occisionem sine dubio licitam ostendit: quod hinc quoque Nazianzenus [a] collegit; simúlque satis innuit, non cuivis hoc permitti, vt vel alium, quamuis Tyrannum, vel seipsum occidat martyrij prætextu. Hic postremus error sæpe in Donatistis ab Augustino confutatur, Petiliano præsertim, & Circumcellionibus: illum alterum, quem Gerson tribuit Ioanni Paruo, damnauit Constantiense Concilium [b], & meminit Gerson [c] erroris, quòd fur nocturnus, insidiator viatum, hæreticus, sortilegus possit à quolibet occidi meritoriè, licèt facultas foret ducendi ad Iudicem, nec immineret necessitas vim repellendi. In nuptiis, quarum subindicatam mentionem dixi versu quarto, nonnulli errarũt, illas penitus damnando, vt Adamiani recentiores [d], Aëriani [e], Aginnenses, Gnostici, Cerdemani, Saturniliani, Marcionistæ, Seueriani, Apostolici, Origeniani primi, Eustathiani, Tatiani, siue Encratitæ, Cathari, Eraclitæ, Manichæi [f]: alij verò necessarias omnibus nuptias affirmant, vt Caluinus [g], qui se à carne sua inquietari sentiát. Has adeò crassas ac fœdas hæreses indicasse, refutasse est. Adeat qui requirit plura, hæreseologos. Porrò in tam rata secundùm Dei prouidentiam rerum vicissitudine per summam mortales inconstantiam, nũnquam sua contenti sorte, vices mutare concupiscunt. Cecinit id post Horatium [h] in trino illo carmine ad Mœcenatem, longè melior Poëta [i]:

Frigora perpessus, Solem cupit æstus ab æstu.
Inter hyperboreas mauult algere pruinas:
Iniusto pluuiam metuit sub fasce viator,
Quam poscit votis sitiens rusticus agro.

Tempus belli.] Etymologiam Latinæ vocis *belli* tradunt aliqui per antiphrasin, quia minimè bellum, id est, pulchrum: alij quasi dicas duellum, sicut dicebatur (*duonum*) pro (*bonum*:) nonnulli à Belo, qui primus ensem procudit [a]: quidam à belluis. Legatur Cassiodorus [b]. Nazianzenus [c] porrò de hac multiplici rerum negotiorúmque vicissitudine disserens, monet salutis nostræ negotium semper agendum, atque ad hoc vnũ quàm accuratissimè peragendum, tempus omne nobis diuinitus præfinitum existimandum esse. Tractant eandem generalem vicissitudinem, applicando ad viros religiosos, Climacus [d], & Basilius [e].

Vers. 9.] Quid habet amplius homo de labore suo?

Vers. 10.] Vidi afflictionẽ quam dedit Deus filiis hominum, vt distendantur in ea.

Recitati sunt priùs [f] iidem versus, & explicati, vel partes eorum hinc inde sparsæ. Vtilis tamen, & pernecessaria huiusmodi repetitio sententiarum. [An non, inquit Nyssenus, simul atque desiit quis viuere, omnia tecta sunt obliuione, & ab iis, quorum studio tenebatur, desertus, abit nudus, rerum quæ hîc sunt, nihil secum aufertens, præter solam actionum suarum conscientiam, à qua hæc vox quodammodo post hoc in cœlum mittitur ad eũ, qui per huiusmodi occupationes aberrauit in hac vita? Quid tibi amplius fuit ex multis illis laboribus quos suscepisti? vbi sunt præclaræ ædes? vbi defossæ crumenæ? vbi sunt æneæ imagines, & laudibus celebrantium voces? Ecce nunc ignis, & flagella, & iudicium, quod nec muneribus, nec gratia corrumpitur, & quæ falli non potest anteactæ vitæ examinatio, &c.]

Chaldæa paraphrasis vice quoque interpretationis est (*quid reliqui est viro seruienti, qui laborat ad faciendum thesauros, & ad congregandum mammonam, nisi adiuuetur desuper? Vidi negotium castigationum, & vindictam, quam dedit Dominus filiis hominis, qui sunt improbi, vt affligantur in eo.*) Antonius [g] magnus in vno ex sermonibus, quos habuit ad Monachos, colligit ex hoc loco rationem de contemptu mundi. [Ad summum, illud, ait, perspicere debemus, quòd etsi nostras velimus retentare diuitias, cum lege mortis ab ipsis diuellamur inuiti, vt in libro Ecclesiastes scriptum est, quia nescit homo quid sit post eum in labore suo, cur ergo non facimus de necessitate virtutem?]

Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, vt distendantur in ea.] Hæc sententia iisdem verbis Hebræis, Græcísque habetur capite primo [h]; sed hic abest epithetum malitiæ. & ibi Latinè pro *afflictione* est *occupatio*; pro *distendi*, *occupari*. Nyssenus datam afflictionem, & distractionem, περισπασμὸν, à Deo docet, non per se, sed ex occasione, quia rebus bonis abusi sumus, vt si quis gladio ad mensam conuiuialem, ad quam est inuitatus, seipsum, vel alium propè accumbentem

secaret,

a Iob 7.1. b Philip. vlt. 7. c Matth. 10. 34. d Matth. 11. 12. e hom. 32. ad pop. & in c. 6. Epist. ad Ephes. f hom. 3. in Iosue. g ad Martyr. c. 1. de spect. c. 4. h epist. 1. i 22. con. Faustum. c. 74. & seq. k apud Valden. 10. 1. de Sacramental. tit. 14. c. 169. n. 3. l apud Nazian. orat. 3. cont. illum. m testatur de his Melanch. in locis c. de magistr. n de vanitate scientiæ c. 79. o in c. 3. & 22. Lucæ. p in c. 26. Matthæi. q in bulla Leonis. artic. 34. r in chrono. tabu. 31. f lib. de visit. Saxonica. t 6. cót. Faust. c. 6. & 8. u 6 institutionum c. 20. x 4. d. 15. q. 3. y Castro verb. occidere. z c. 5. a orat. 3. de pace. b sess. 15. c 3. p. elphabeti. L. d Liodan. in Dubitanc. dial. 2. e Epiph. Philast. August. f Prateolus. g In instit. c. 4. 0. 18. h Horat. i S. Prosper. de prouid.

a Higinus fab. 274. b lib. 1. variar. epist. 30. c orat. 40. in S. Bapt. d grad. 26. e regul. 13. ex breuib. f c. 1. 3. 13. 14. 17. c. 2. & c. 17. 22. 26. g Athan. in Antonio. h vers. 13.

secaret, argenteo cochleari proximi, suúmve oculum expungeret. Eadem affert Olympiodorus. Nos plura citato loco aduersùs immodicum sciendi studium, de quo hic etiam agi putant nonnulli, vt meminit Hieronymus, mentémque præsentis esse sententiæ, peruersoru quoque dogmatum magistris talem à Deo concessam occupationem, ne mens otiosa torpesceret: hócque ipsum esse bonũ (continentur hæc sequentibus versibus) quamuis nequeant illi naturam, & rerũ scientiam comprehendere. Subdit alium sensum Hebræi, qui se in Scripturis erudierat, cùm labãtur omnia tempore, eà nimirum, quæ hoc capite priùs posita est, vicissitudine nascendi, & moriẽdi, &c. frustra nos conari, & tendere, putantes breuis vitæ labores perpetuos, cùm contentos esse oporteat diei malitia [a]: cæterùm (id habent sequentes versus) ex rerum, quas bonas condidit Deus [b], vniuersitate, vt laboremus multum, hoc prouenire, vt in iis erudiamur, ac exerceamur, scientes bonitatem earum suo tempore desinirã, nec vltrà quæramus de causis, quare hoc, vel illud ab initio mundi vsque ad consummationem fecerit Deus crescere, manere, mutari.

a Matt.6.34.
b Gen.1.31.

Albinus priorem sequitur sensum; datũ à Deo mundum, vt homo per cognitionem creaturarum bene honestéque occupatus, creatorem laudaret, reputánsque nihil hìc perpetuum esse, honestam quoque caperet in rebus creatis voluptatem, & abstineret à curiosa consiliorum diuinorum circa illas perscrutatione. Videtur prætereà Ecclesiastes vanitatem potissimùm velle in hac sciendi occupatione ostendere, quod iam antea fecerat, quæ meritò censetur honestior, & iucundior, vt de aliis inferioribus occupationibus faciliùs id euincat. Vnde repetit se diligenter attendisse quæcumque exercitia, quibus qui cũcta gubernat Deus, homines exercet, idque quod optimum videtur, non succedere, sed vanum esse. Olympiodorus explanans caput primum, obseruat ad magnam hominum vtilitatem factum, vt in comparandis opibus, inani gloriola, rebus, quę ventri, gulæque placent, summopere laborent: si enim nihilominùs tanta in his flagitia committantur, multo maiora commissuros, si otiosis vltrò aduenirent. Prior id Philo [c] viderat, disserens de pœna hominis, vt in sudore vultus vesceretur pane; vtilem prætereà docens esse laborem, quẽ in comparanda virtute cuncti experiuntur, ob consequentem ineffabilem voluptatem. Qua ipsa de causa Chrysostomus [d] hortatur ad laborem potiùs circa virtutem insumendum, quàm circa vitium, cuius finis dolor, morsque secunda. Denique verè ab Euripide [e] stultus pronunciatur, qui se putet sine laboribus posse viuere, mortalis cùm sit.

c de opif. mũdi sub finem.
d ho. 40. ad popul.
e In Thyeste.

Vers. 11.] Cuncta fecit bona in tẽpore suo, & mundũ tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.

Omnia quæ sunt commemorata superiùs cum vicaria mutatione, atque durationis limitibus. Mali sunt, qui mali auctorem Deum faciunt, vt Blastus, & Florianus, à quo Floriani, siue Carpocratiani, qui & Milites, necnon Hermiani, ac Seleuciani (saltem aliquando in genere loquuti, aliàs verò de materia) aut qui aliquas creaturas malas factas dicunt à quodam principio, quod summum malum nominetur, vt Manichæi, & Priscillianistæ. Legantur hæresiologi, à quibus æquè confutantur Colluthiani in altero extremo negantes pœnæ mala esse à Deo. Omnia Deus à se condita vidit ipse bona esse, & quidem bona valdè [a]: idémque creatorem se nominat mali, id est, belli, non secus ac factorem pacis [b]: quo pacto hìc etiam dicitur afflictionem dare. Refutat simul hos errores quodam loco Hieronymus [c], ac primum præsentis auctoritate loci.

a Gen.1.31.
b Esa.45.7. Amos 3.6.
c lib. 1. in c. 3. Lament.

Pro *bonis* Hebr. & Chald. in numero singulari est *pulchrum*. Quamuis autem καλὸν, & ἀγαθὸν sæpe confundantur, tamen non memini טוב *tob*, & יָפֶה *iapheh* ita promiscuè sumi: illud quidem pro hoc, non vicissim hoc pro illo reperio. In primæ creationis operibus semper est Hebraica vox טוב *tob*, & Græca καλὸν; tamen à munditie mundus, necnon Græcè κόσμος nuncupatus est, quod pulchritudinem importat. Dignus lectu Tertullianus [d], disputans aduersùs diuini opificij irrisorem, præsertim circa viliora opera. Cùm autem cuncta fecerit bona Deus, non est malum illa amare; sed si amentur malè, vt eleganti demonstrat Augustinus [e] inductione. De eadem bonitate cunctarum rerum à Deo creatarum disserens Cassianus [f], obseruat hìc dici sic Deum illas fecisse in tempore suo, quia nobis in hoc mundo degentibus mortalis vitæ subsidia conferunt, quod in Deuteronomio [g] scribitur, *in ministerium cunctis gentibus.* Indicat idem Augustinus [h], vt rem quamque suo loco, sic etiam tempori conuenientem fieri, spectauisse ad ordinem. Tandem facta cuncta in tempore suo bona, est, vt Nysseno, & Olympiodoro placet, ad opportunum, commodúmque illorum vsum, quem peruertunt qui abutuntur ad vitium.

d 1. cont. Marcio. c. 13. & 14.
e 12. de ciuit. c. 6 & 8.
f collat. 13. c. 1.
g c. 4. 19.
h 7. conf. c. 15.

Et mundum tradidit disputationi eorum.] Græcè (καί γε σὺν τὸν αἰῶνα ἔδωκεν ἐν καρδίᾳ αὐτῶν) Hebraicè (גַּם אֶת-הָעֹלָם נָתַן בְּלִבָּם *gam eth haholam nathan belibbam, etiam seculum dedit in cor*, vel *corde eorum*) Chald. (*etiam homines seculi huius tradidit in corda ipsorum*) editio LXX. Sixtiana (καί γε σύμπαντα τὸν αἰῶνα ἔδωκεν ἐν καρδίᾳ αὐτῶν) vetus Latina (*& quidem seculum dedit in corda eorum.*) Explicat Hieronymus, & Albinus seculum pro mundo, húncque datum hominibus ad inhabitandum, vt fruantur varietatibus temporum, & non quærant curiosiùs de causis rerum naturalium, & prouidentia diuina. Olympiodorus, permisisse Deum, vt sint solliciti, & occupentur sapientes mundi huius, ne si assiduè, & tranquillo animo attendissent ad fabricam, & structuram mundi huius, perspecta, & cognita illius pulchritudine, visibilia hæc Deum esse, vel Deos arbitrarentur. Item, dedisse omnibus filiis hominum seculi præsentis cognitionem, quòd nempe cuncta esse cœperint, ac desitura sint; eorum verò quæ ante initium temporis fuerunt, quæque post hoc seculum futura sunt, certam & manifestam scientiam non haberi. Nyssenus æuum, hoc est, omnia quæ in æuo sunt facta, seu in omnibus spatiis ac interuallis durationis, dedisse Deum cordi humano ad bonum,

vt per magnitudinem, & pulchritudinem creaturarum contemplemur eum, qui fecit illas: tamen propter earundem abusum nescisse finem assequi, quem intendebat Deus. Sequitur eandē expositionem Hugo Cardinalis, comparans creaturas cum libro, homines iis abutentes cū pueris, qui literis, syllabisque adhærentes, quæ legūt non intelligunt, sed negligunt: vel mundum, qui debuit esse liber salutaris eruditionis (librū Antonius vocabat creaturas) euasisse materiam infructuosæ, noxiæque disputationis, videlicet, vt eleganter, ac prolixè demonstrat alter Hugo, tam varia, tam multa, tam absona, tam temeraria, tam impia de conditore ipso, de prouidentia, & iudiciis ipsius, de felicitate, de proximo, inquirendo, disceptando, iudicando; & interim ad exactam rei quoque cuiuspiam naturalis notitiam vix, ac ne vix quidem perueniendo ex omnibus quas fecit Deus à principio creationis, ac deinceps vsque ad finem. Hoc est, iuxta editionem Hebræam, Chaldæam, Græcam, dati mundum in cor, vel corde hominis, vt nempe corde, seu mente ipsum consideret, ac veluti contineat.

Necnon fauet quoque phrasis alteri expositioni, vt datus sit mundus ad fruitionē, & oblectationem pro honesto desiderio. Meminit Titelmannus præterea eorum, qui vocē Hebræā reddunt *absconsionem*, ita vt hæc significet mortem occultam nobis, & sit opus, de quo mox, factū à Deo à principio vsque ad finē: nequit enim homo diem inuenire, vel horam mortis, quæ mors iam inde à primo homine cœpit secundùm iustum iudicium Dei regnare, atque regnabit vsque ad consummationem seculi in nouissimo homine.

Vatablus mundum accipit pro negotiis, & pro cupiditate, desiderioque cognoscendi, quod indiderit Deus, cui cum plenè non satisfiat, humilitatem homo inde eliciat.

Si seculum præterea, & Hebræam dictionem interpretemur cum aliis æternitatem, sensus erit, hanc, vel eius desiderium nobis à Deo inditum. Caietanus mauult nos ita legere (*etiam perpetuum dedit in corde eorum* (& addendo sequentia) *sine quo non inueniet homo opus, quod fecit Elohim à capite, & vsque in finem.*) Tunc hoc modo explicat: Quamuis viderem singula contraria, hominum opera bona, seu pulchra, non semper, sed suo tempore; attamen, vidi etiam in corde hominum perpetuum, hoc est, perpetuitatis appetitum, quo seclusо appetitu, nihil inueniet homo diuini operis, quia non adhibebit studium ad inuestigationem à capite vsque ad finem, id est, penitus omittet.

Accedit ad eandem explicationem Ioannes Benedictus. Et hæc mihi videtur sententia, tot declarata modis, tradita disputationi nostræ; ausim tamen, pro vt debeo, affirmare, illos eam assecutos, qui proximè attingunt Interpretem nostrum, à quo procul absunt, qui reddunt vel *perpetuitatem*, vel *absconsionem*. Chaldæus quid velit, non intelligo, nisi mundum pro hominibus qui versantur in mundo sumentes dicamus inuicem traditos in corda sua, vt quisque de alterius agitet negotiis, illa discutiat, diiudicet, &c.

Ex aliis confici posset integra expositio, quāuis nonnihil discrepare videantur. Titelmannus, & Moringus commode tractant hunc locum, & Arboreus meritò digreditur in contentiosos, & curiosos disputatores, eos tamē, vt par est, approbans, qui veritatis exquirendæ causā id factitant, & diligēter, & acriter, sed modestè, deniq; Christianè, ac piè; qua de re agit proprio tractatu Nazianzenus. Quamquam opinor Interpretem non de sola, ac ne præsertim quidē, disputatione, quæ fit cum aliquo, intellexisse; sed hoc nomine generaliter comprehendisse qualibet de rebus seu sermocinationem, seu ratiocinationē, etiā quam quis apud se cū animo suo facit, vel scripto mandat, vel sine contentione & strepitu disceptationis simpliciter loquitur. Sic Salomon dicitur disputasse super lignis à cedro vsque ad hyssopū [a]; vbi aliæ editiones vtuntur simplici verbo *dicēdi*. Thaumaturgus sic præsentē locum est interpretus, vt & Deū videatur velle per creaturas homines ad malum conciliare, & idipsum diabolū facere. Vtrumque verum est, hoc per se, & vera inductione; illud ex quadam occasione, & permissiuè. Sed quod attinet ad diabolum, nulla, ne leuis quidem in textu de eo mentio. Licet Paraphrastæ aliquid addere. — a 3. Reg. 4. 33.

Vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus.] Id est, ita vt non inueniat, vel (*vt*) consequenter, ac tanquam effectus, nō antecedenter, & sicut causa, intelligitur: vel etiam sumi potest pro causa, maximè posito statu peccati; potuit enim Deus rectè id intendere ceu pœnam, & id, vnde proueniret possit humilitas, studiúmque Deū ipsum diligentius inuocandi, & quærendi, vt antea dictum est. Aquila legit (ὡς οὐχ εὑρήσῃ ἄνθρωπος, *quomodo non inueniet homo.*) Sensus idem est, præsertim iuxta primam expositionem.

Ab initio vsque ad finem.] Caietanus (*penitus*) nēpe vt penitus non inueniat, imò nec inuestiget: Vatablus (*vt non perfectè*) quasi dicat, vsque ad sūmum, & extremum: Chaldæus (*ne innotescat viro à principio, quid futurum sit in fine*) Bonauētura, & Carthusianus (*à principio vitæ hominis vsque ad mortē, seu per totam vitam.*) Meliùs idem Caietanus refert hoc ad opus, quod operatus est Deus, vt scilicet nullū perfectè cōprehendi possit ex iis quę fecit.

Vers. 12.] Et cognoui quòd non esset melius nisi lętari, & facere bene in vita sua.

Vers. 13.] Omnis enim homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

COntinent hi versus eandem sententiā, quæ iā capite priore [b] posita & exposita est, seu ex propria Ecclesiastis, seu ex aliorum persona. Priore modo hoc vult, reiecta inutili, molesta, atque impossibili peruestigatione rerum, satius esse, si quis mediocritate contētus, vt laudari creator inde magis possit, vitā ducat in honesta lætitia, & iuxta voluntatem Dei, cuius donū est ipsemet frugalis rerum creaturarum vsus, nec lasciuiēdo per abusum, nec fraudando seipsum per auaritiam. Posteriore modo erit obiectio intemperantis, blandientis sibi de Dei dono, quasi dum indulget cupiditati, diuinā exequatur voluntatē, quæ condidit ad vsū humanū cunctas creaturas. Nō satisfit autē argumēto, quia citato loco id plenè præstitū est. Hic ego, vt & ibi, primū præfero modum dicendi; vel etiā propter hoc quod nunc afferebam, non occurri obiectioni; longiùs enim abest, ad aliam, si obiectio fuit, responsio. Istius — b vers. 24.

habeo sectatorem opinionis Thaumaturgum, A qui animi exprimit tranquillitatem cum beneficentia,& iustitia: Olympiodorū,quamuis interseri velit ex persona vulgatis ac insipientis hominis quæ sunt versu 13. sed eadem opera corripi:Hieronymum quoque & Albinum, qui addunt anagogen de percipiendo corpore, & sanguine Christi, sicut etiam capite præcedente meminimus Augustinum fecisse, & vtrobique facit glossa interlinearis;quibus addi potest Cy-
a cath. 4. mystag. b orat. 4. & 2. contra Iuli. rillus Ierosolymitanus [a], & Nazianzenus [b] cum Elia Cretense Scholiaste. Consentit Hugo vterque,Lyranus, Carthusianus, Caietanus, Moringus,Arboreus,Vatablus,Titelmannus,licet priorem expositionem hic quoque recitet.Bonauen- B tura videtur accedere ad secundum sensum; ait enim commendari voluptates transitorias respectu,& comparatione ad curiositatem, quæ hactenus est reprehensa:glossam verò spiritualiter hæc interpretari. Chaldæa paraphrasis primum versum exponit de delectatione in lege Dei, atque de bonorum operum exercitio: secundum de fruitione,nimirum moderata, bonorum temporalium, quæ transferantur post mortem ad hæredes: Nyssenus de perpetua in rebus bonis, & honestis lætitia, quæ nascitur ex bonis operibus: mandatorum enim obseruationem nunc per spem lætitia afficere, postea fructum præbe- C re;ita vt quod est cibus, potúsque corpori, hoc sit animæ ad bonum aspicere, & in Deum oculos defixos habere.

Lætari.] Græcè (*εὐφρανθῆναι*) Lætitia fructus est quidam, vel flos ex boni perceptione. Idcirco absolutè posita ipsam significat plenam,aut certè sufficientem rerum delectabilium fruitionem: quin & beatitudo *lætitiæ, gaudíque* nomine describi solet.Obuia sunt in Psalmis, ac Prophetis potissimùm exempla.Græcum verbum innuit lætitiam animi bene compositi, quamuis ad quamlibet extendatur.Chaldæus sumpsit pro delectatione in lege:maiórque pars auctorum, quos citaui,in bonam partem.

Et facere bene in vita sua.] Græcè (*ποιεῖν ἀγαθὸν.*) D Latinè benefacere,vel est ex virtute operari, vel beneficum esse, vel feliciter viuere; sicut & Græcè *εὐπράττειν*, & inde *εὐπραξία.* Thaumaturgus amplectitur primas duas significationes: Olympiodorus, & Albinus cum Hieronymo secundam,necnon ex recentioribus Latini plures: tertiam quoque Moringus;ita vt sit idem, ac videre bonum,quod mox subditur.Ego solam primam probo vt maximè consentaneam:nec enim legi עשות טוב *hhaschoth tob*:vel *ποιεῖν ἀγαθὸν, facere bonum*,aut *bene* (ita vt *ἀγαθὸν* aduerbialiter ponatur pro *ἀγαθῶς*) absque addito significare aliud, quàm studiosè agere (*ἀγαθοποιεῖν* quandoque est,*beneficum esse*) quicquid sit de phrasi Latina imitante Græcam *εὐπράττειν*, vel de nomine E quoque Græco *τῆς εὐπραξίας.* Accedit ea coniectura,quia per præcedens verbum *lætari* frugalis rerum temporalium vsus,hilarísque intelligitur, quem impedit anxia, noxiáque curiositas sciendi: sequens sententia docet eiusmodi vsum vnà cum rebus quæ cadunt in illum,esse ex peculiari dono Dei, qui scilicet molestam de mundo disputationem non per se exigat, sed permittat interdum,vt affecti tædio capiamus honestam voluptatem,& virtutem in primis colamus.

Videt bonum.] Videre bonum,est experiri, sicut videre corruptionem, vel mortem,vt docuimus in Cōmentariis ad Actus Apostolorum [a],est mori,quod aliter dicitur gustare,vt ibidē notatū est. a c. 2. 27. 31. c. 13. 35. 36. 37.

Vers. 14.] Didici quòd omnia opera,quę fecit Deus, perseuerent in perpetuū: non possumus eis quidquam addere, nec auferre,quæ fecit Deus vt timeatur.

QVamuis nequeat homo Dei opera comprehendere, vel quamuis ea sit vicissitudo, ac varietas temporis circa res omnes, quæ dicta est initio capitis,nihilominus constat Dei opera esse perpetua,peculiariter,maximéq; propriè ea,quæ solus fecit sine concursu causæ secundæ, vt sunt Angeli,cœli,cum astris,elementa,animæ nostræ; vel cætera quoque materialia omnia quantū ad species suas,aut materiam primā, aut præcipuas partes,quæ integrāt vniuersum:vel certè ex maiore parte vsque ad consummationem seculi,ita vt perpetuitas accipiatur pro hac tota lōga duratione.Huc omniū interpretationes ferè collimāt.

Caietanus vim faciens in editione Hebraica (*sciui quòd omne quod faciet Elohim, ipsum erit & perpetuum*,vel *in seculum*)explicat legendo (*in seculum*) quòd quicquid facit Deus,illud erit in suo seculo,in sua periodo:legendo (*in perpetuum*) quòd in perpetuū semper verificatur, quòd quicquid faciet Deus,ipsum erit,& in tanta temporum, humanarúmque rerum contrariarum vicissitudine (quæ capitis initio enumerata est)erit illud quod faciet Elohim,& non illud quod homo,quantūlibet nitatur in contrarium. Plenior primus sensus;nec restringenda sententia cum Thaumaturgo ad res æternas corruptionis expertes. Hugo Victorinus ait omnes res esse perpetuas, quod attinet ad auctorē earum Deum: transire ex semetipsis,sicut & hoc,quòd antequā essent, nihil fuerint,ex semetipsis habuerunt.Extendit prętereà immutationem istam ad dispositionē ac prædestinationem iudiciorum Dei,quibus facta hominum examinat,& prouidet.Addit etiam,& cū ipso Bonauentura,causam cur Ecclesiastes subinferat hunc sermonem esse,vt compescat curiositatem,de qua priùs dixerat:nec enim disputationibus suis posse rerum à Deo conditarum naturas immutari, aut ex cuiusuis opinione pendere quemadmodum statim subiicitur.

Non possumus eis quidquam addere, nec auferre.] Neque ex rebus naturalibus, neque ex diuinis iudiciis,vt vel sit quod non erat,vel nō sit quod erat, vt fiat quod non ordinauit Deus vt fieret, aut non fiat quod fieri voluit, vt notat Hugo S. Victoris. De posterioribus ambigi voluit, de prioribus verum est eo quem diximus modo.Nā possumus hominem interficere,generare,plantas incendere,plantare,&c.in Angelis, cœlis, astris, elementis,saltem secundùm se totis,in anima rationali,materia prima hæc non possumus.Neque verò etiam in nostra potestate est res immutare secūdùm speciem, & successionem, & efficere vt existat quid de nouo,quod non antè simile secūdùm speciem extiterit, neque vt ipsum saltem in in eadem specie vlteriùs non sit.Si quas concedamus rerū species nouas vel Angelorū opera, vel hominū factas,fieriue posse per variam causarum naturalium admixtionem, & applicationem, vt inter animalia constat de mulis, thoibus, leopardis, pantheris, & aliis hybridibus, adhuc verum erit Ecclesiastis axioma: vis enim est in natura, quemadmodum & in aliis quæ fiunt

a Matth.6.27. b Matth.5.36. c c.18.5. d 3.Genef c.17. e Pfal.91.7. f 16.de ciu. Dei.c.8. g 2.doctr. dub.c.29. h Pfal.148.6. i Genef 9.13. c.17.3. Exod. 31.6. Efa.34. 90. Pf.48.12. k Horat.lib.1. epift.10. l de quant. animæ.c.33. m Prou 16.4. n Pfal 34.10. o Pfal.85.8. p Pfal.32.8.9. 10.11. q ibidem.

arte chimica, & fimilibus. Per nos, ac vires proprias nec ad ftatutam adiicere cubitum valemus [a], nec album facere, vel nigrum capillum vnum [b]. *Non eft minuere, nec adiicere, nec eft inuenire magnalia Dei*, ait Ecclefiafticus [c], defcribens infinitam potentiam, ac fapientiam Dei. Id autem non folùm intelligitur fecundum rem, fed fecundum inuentionem & cogitationem, ita vt nihil non optimè & fapientiffimè à Deo factum cogitari, dicique poffit, quicquid fit, an ab eodē perfectior condi mundus, aut perfectiores in eo qui eft fpecies queant: qua de re Theologi quoque differunt de opere fex dierum, necnon Philofophi de mundo. Nihil in mundo redundat, defideratur nihil, quod pertineat ad complementum eius. Ipfæmet animantes noxiæ profunt, vt Auguftinus [d] docet, pœnaliter lædendo, falubriter exercendo, vtiliter probando, ignoranter docendo. Omnis ftirps, ac ftipula, & quicquid hac vniuerfitate concluditur, proprium habet vfum. Sed *vir infipiens non cognofcit, & ftultus non intelligit hæc* [e]. Ipfamet monftra potentiam, fapientiámque Dei maximè demonftrant, & ad mundi, ficut idem tradit Auguftinus [f], faciunt elegantiam; imò & morum peccata, quod crebrò idem inculcat. R. Mofes [g] hinc infert mundum, licèt in tempore fit factus, perpetuò duraturum, quia perfectus eft, nec vnde mutetur habet, atque vicarias & fuccedentes continet generationes, ipfi debitas quodammodo fecundùm iuftitiam. Hoc de perpetuis generationibus falfum eft, quamuis aliqua alia ratione perpetuandus videatur fecúdùm elementa. Nec alio fenfu fumi debet quod citat ex Pfalmo [h]: *Statuit ea in æternum, & in fæculum fæculi: præceptum pofuit, & non præteribit*; fi de rebus corruptibilibus agatur, nifi quòd tamdiu, & eo modo perfeuerabunt, quo modo, & quamdiu Deus decreuit. Denique fæpenumerò facri [i], ac profani auctores *perpetuum* accipiunt pro diuturno, feu pro longa duratione. Sic etiam Poëta [k];

Seruiet æternum qui paruo nefciet vti.

Quod autem de mundi perfectione dictum eft, huc fpectat Auguftini [l] fententia, quòd iuftitia fummi, & veri Dei hæc vniuerfitas fuftentatur, & regitur, qua etiam factum eft, vt non modò fint omnia, fed etiam fic fint, vt omnino meliùs effe non poffint. Videlicet iuxta entium gradus, & perfectiones genericas; tametfi multa alia fieri adhuc, & perfectiora quidem ab eodem Deo poffent.

Quæ fecit Deus vt timeatur.] Hebraicè (*& Elohim fecit quòd timebunt à facie eius*) Chald. (*& in tempore, quo veniet vltio in fæculo, Dominus ipfe eft qui fecit vt timeant filij hominis à confpectu eius.*) Ex efficaci potentia Dei circa res naturales, & noftras, timorem nos oportet ipfius elicere, cùm eam nequeamus inflectere, & omni obferuantia colere Maieftatem tantam debemus, quæ cuncta propter femetipfam operata eft [m], fibique referuauit gloriæ prærogatiuam, vt meritò exclamandum fit: *Domine* [n], *quis fimilis tibi? Non* [o] *eft fimilis tui in diis Domine, & non eft fecundùm opera tua. Timeat* [p] *Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipfe dixit, & facta funt: ipfe mandauit, & creata funt.* Inde verò colligitur argumentum veluti à maiori: *Dominus* [q] *diffipat confilia gentium; reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat confilia Principum. Confilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione, & generationem.*

a verf.2. b c.4. & 14. lege Ierem.5. 21.22. c Iere.5.24. d c.3.2. e Hieronym. Rupertus, Euthymius, Theophyl. in Abacuc, cum aliis, Eufeb.5. de demonft. c.15. Augu. orat. cont. Iudæ & Paganos c.13. & 18. de ciuit c.32. f Genef 31. 42.53. g Efa.8.13. h fuprà in Genef. i epift.1. k 2.Mach.c. 7.28.29. l contra Marcio.c.13. m Deut.6.5. 13. n verf.9. o lib.1.

A *Timeatur.*] Timorem docuit hiftoriæ Apoftolicæ decimo capite [a] omnem Dei cultum, amorémque eius comprehendere. Hoc item loco tam amplè fumi poffet, quamuis præfertim pro illo, qui horrorem, ac ftuporem adiunctum habet, qui comprimat inania, & follicita ftudia noftra. Incutit creaturæ confideratio creatoris trepidam iftam venerationem: fed eius potiffimùm creaturæ, cui freni iniecti funt; cuiufmodi eft mare, vt eodem loco admonui [b]: item illarum, quæ funt ad noftram neceffariæ fuftentationem [c]: præterea in quibus elucent infcrutabilia indicia Dei, iuxta illud Abacuc [d], pro

B vt legunt LXX. *Confideraui opera tua, & expaui*, nimirum in incarnationis myfterio [e]. Denique, quia propter omnipotentiam Deus timendus, maximéque terribilis eft: appellatur nominibus abftractis timor [f], pauor, & terror [g], ac nominatim eius, qui fingulari Deum timore profecutus eft, Ifaac [h], ac profequebatur tunc adhuc viuens pio, ac religiofo, non vt fomniant Hebræi, ob memoriam, cùm ipfum pater voluit iugulare: nec quo Iacob reuerebatur patrem Ifaac: nec quo Ifaac precabatur pro filio Iacob. Lege Pererium in caput trigefimum primum Genefis. Sunt qui Deum deriuent à δέος, quod eft *timor. Primus in orbe Deos fecit timor*, ait Statius. Sic quidem qui putatur Cle-

C mens Romanus [i], & alij: & λατρεύειν quod eft propriè *colere Deum*, deriuant à λα particula, quæ auget fignificationem, & τρέω, quod eft *tremere.* Alij Deum quòd det, vel quia nil ei defit, dici volunt. Animabat filiolum fortis mater ad mortem perferendam, cùm diceret [k]; *Peto, nate, vt afpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis funt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet, vt non timeas carnificem iftum.* Hinc verò etiam confutatur Marcion, Deum accufans crudelitatis, fi quando minas intentet, vt timeatur. Vtrumque lex definit, vt argumentatur Tertullia-

D nus [l], & diligendum, & timendum Deum [m]. Vtriufque idem caufas præcepti dat, & quomodo videri Pater voluerit Deus, & Dominus.

Verf. 15.] Quod factum eft, ipfū permanet, quæ futura funt, iam fuerunt: & Deus inftaurat quod abiit.

PRæter vltima verba, eadem fententia occurrit capite primo [n]; eft verò confirmatio eius quæ priore verfu pofita eft: vltimorum autem verborum fenfus, quòd in aliquo Deus indiuiduo fpeciei reftituit id, quod periit item

E in indiuiduo: vel quòd antiqua iudicia fua circa res humanas, quæ intermitti videntur, demonftrat fe rectè exercuiffe. Si fequamur editionem Latinam antiquam, quæ refpondet Græcæ (*& Deus quæret eum, qui perfecutionem patitur*, καὶ ὁ Θεὸς ζητήσει τὸν διωκόμενον.) quo etiam pacto Lucifer [o] legit pro Athanafio, exponemus cum Hieronymo vniuersè de cunctis, quæ in mundo funt, id eft, quod periit, quod expulfum eft, quod effe ceffauit, Deus requiret, atque inftaurabit, quafi fit τὸ διωκόμενον, & non τόν. Symmachus (ὁ δὲ Θεὸς ἐπιζητήσει ὑπὲρ τῶν ἐκδιωκομένων.) Textus Hebræus fic habet, eodem nimirū pacto vt Græcus (וְהָאֱלֹהִים יְבַקֵּשׁ נִרְדָּף

vehaelohim iebakkesch nirdaph, & Elohim requiret rapinam.) Rab. Abraham putat נִרְדָּף *nirdaph* significare *instans*, seu *tempus præsens*, vt quia id quod præteriit, efficitur præsens, & quod futurum, efficitur vt præteritum, ac proinde omne tempus quasi vnum nunquam deficiens, dicatur Deus res omnes tempori obnoxias hoc pacto requirere, & per propagationem continuare.

Idem Hieronymus affert aliã explicationem, de persecutione humana, vel Gentilium aduersùs Martyres, vel magis generali, quam omnes patiuntur piè viuentes in Christo [a], cuius ipse sit vindex, & quærat persecutionẽ patientem [b], & sanguinem requirat interfectorum, quærátque quod perierat [c], & erroneam ouem suis humeris ad gregem reportet [d]. Thaumaturgus, & Olympiodorus reddunt eodem sensu, de illo, qui læsus iniustè, Deo auxiliatore vtatur.

a 2.Tim.3.12. b Deut.32.43. c Luc.19.10. d Luc.15.5.

Chaldæus Paraphrastes paulo fusiùs idipsum declarat, sed referendo, seu differendo ad iudicij diem (& in die iudicij magni futurum est, vt Dominus requirat obscurum & pauperem de manibus improbi, qui persecutus fuerit eum.) Sed quomodo cohærebit hæc cum priore sententia contenta præcedentibus verbis? Significabitur, quòd consilia, iudiciáque diuina, & prouidentia, quæ latent, vel etiam quodammodo videntur esse nulla circa eos, qui opprimuntur ab aliis, apparebũt aliquando, aut futuro, aut præsenti quoque tempore. Id tamen magis adhuc exprimitur sequentibus versibus. Cæterùm primus sensus nostræ consentaneus editioni meritò præferendus est, cùm eundem quoque Hieronymus ad aliam editionem conetur accommodare.

Instaurat.] Omnes aliæ editiones legunt (*quæras*, vel *requiras*) aut in futuro (*quæret*, aut *requiret*.) interpres nihilominùs rectè posuit *instaurandi* verbum: quærere enim Dei, aut requirere importat interdum beneuolam eius prouidẽtiam consulendi, atque benefaciendi, & veluti reuocandi ad esse ea quæ perierunt, ac in lucem reducendi. Hac ratione Dauid [e] se à Deo quæri petebat, & contrà Iob, vt non requireret diem, qua natus erat [f].

e Psal.118.176. f Iob.3.4.

Vers. 16.] Vidi sub Sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem.

HÆc est noua vanitas, & afflictio spiritus, vel certe iam postremis prioris versus verbis iuxta sensum vnum indicata, quòd omnia sint plena impietate, & iniquitate, etiam vbi vigere contrariæ virtutes & solebant, & debebant, tum publice, tum priuatim: vnde capiunt mortales occasionem obmurmurandi aduersùs Deum, sicut priùs contra eiusdem prouidentiam in tanta rerum vicissitudine. Sic quidem nectit Hugo Victorinus; à dicta verò explicatione, quam sequitur Paraphrastes Chaldæus, recedunt Græci, Thaumaturgus, qui & Gregorius Neocæsariensis, atque Olympiodorus. Volunt isti sermonem esse de loco, quo in inferno excipiuntur impij, vocántque supplicij barathrum, & de alio pro piis. Quia verò Salomon ait se vidisse sub Sole, Olympiodorus notat, illum considerasse iustos dum adhuc viuunt, sed postea migraturi sunt in Paradisum, & regnum cœlorum: quamuis, inquit, quæstio sit de Paradiso, an in terra, vel sub terra, vel in cœlo debeat collocari. Huius expositionis occasio esse non potuit Græcus textus, vt habent plures codices, & Hieronymus, ac Latini videntur legisse (καὶ ἔτι εἶδον ὑπὸ τὸν ἥλιον τόπον τῆς κρίσεως, ἐκεῖ ὁ ἀσεβὴς, καὶ τόπον τοῦ δικαίου, ἐκεῖ ὁ ἀσεβής.) Sed vltimo loco debuit esse εὐσεβὴς, itaque illi proculdubio legerunt, & ex Latinis citatus [a] Lucifer, eodémque pacto Sixtiana LXX. Interpretum Biblia. Nos potius vulgatam translationem sequimur, necnon antiquiorem, quæ est apud Hieronymum, congruitque cum editione Hebræa & Chaldæa.

a 1.pro Athanasio.

Magna porrò vanitas & afflictio spiritus vehemens etiam in viris optimis, quando vident ius dici ab iniustis, opprimi potentia impiorum innocentes, & tam prauo exemplo, atque conniuentia deiici virtutis studiosos, ne hanc persequantur, erigi ad omnia patrãda vitia sceleratos, nullo dignis præmio, suppliciόve proposito; sed mutata vice hoc ferentibus probis, illud reprobis reportantibus. Plenæ sunt his querelis vaticinationes Prophetarum, Psalmi, & Sapientiales libri. Meretur Iudex, & Princeps iniquus peculiariter nomen hypocritæ [b], vtque dicatur is, qui non se gerit pro pastore, idolum [c]; quia personam publicam mentitur tuendi Rempublicam, & consulendi subditis. Tales erant, de quibus Daniel [d] scribit, quòd videbantur regere populum; cùm, vt hîc dicitur, in loco iudicij impietatem, in loco iustitiæ iniquitatem exercerent. (*Conuersum est retrorsum iudicium*, inquit Esaias [e], *& iustitia longè stetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Multa disserit de hoc loco Deltius [f] noster, nostri Commentarij sæpe pro sua humanitate memor. Inter alia, secutus recitatam Græcam lectionem, reliquis sensibus mysticis adiungit illum de Christo, quasique vaticinationem de eodem. Is verè pius, verè iustus; cui Iudas in domo iudicij, seu in concilio synedrij, prçualuit, & impius Barabbas prælatus est in loco iustitiæ; quod hîc substantiuè δίκαιον dici videtur, hoc est in Pilati prętorio, vbi quod iustũ est iudicari debuit. Hoc modo, quẽ LXX. pium, quia talis erat Christus, eum Hebræi impiũ vocare potuerunt: quia vt talis condemnatus est, cúmque impiis reputatus. Confirmat Esaiæ [g] verbis de eodem Christo intellectis ab Hieronymo, Chrysostomo, Cypriano [h], R. Samuele [i]; *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iustitiam, & ecce clamor.*

b Iob.34.30. 15.34.c.34.30. c Zach.11.17. d c.13.5. e c 59.14. f tom.2. Adam. sacro. in 296. g c.5.7. h epist.63. i de aduen. Messiæ.c.29.

Vidi.] Hebraicè, Chaldaicè & Græcè (*& adhuc vidi*) quod aduerbium innuit nexum huius sententiæ cum præcedentibus.

In loco iudicij impietatem.] Hebraicè (*vidi locum iudicij, ibi impietas*, רֶשַׁע *reschahh*) & Græcè (ἀσεβὴς, *impius*) id est, vbi iudicium esse debuerat, seu qui id exerceret, ibi vidi fuisse impium. Locum iudicij vocat Chaldæus locum domus iudicij, & pro impio, vel impietate, Iudices mendacij, siue mendaces, qui condemnant innocẽtem, vt exeat reus in iudicio suo. Posset quoque sensus esse: Vidi pro iudicio impietatem, non tantùm in Iudice, sed in quocunque: siquidem omnes facere debẽt iudicium per abstinentiam à malo, ac damnationem malefactorum à seipso. Albinus exponit de confusione præmiorum, ac suppliciorum in hac vita inter pios, & impios, cùm non sibi quique debita referant, sed modo præpostero nunc hi, nunc illi. Sed melior primus sensus, quem tradit Hieronymus, intelligens Iudicum subsellia

Græcis placuit alius, vt ante notauimus. Vtinam Reges audirent Regem Iosaphat monentem [a] (a 2.Par.19.6.) se Dei opus agere, vt attenderent inter iudicandum, & non hominum: & Dauid [b] (b Ps.71.1.), qui precabatur Deum, vt iudicium suum Regi daret, ac iustitiã filio Regis, memor quòd ille in medio Deos, id est, Iudices ipsos diiudicat [c] (c Psal 81.1.), imò & iustitias ipsas [d] (d Psal.74.3.): vel Barbaros illos imitarentur, qui sublimem thronum in Senatu vacuum relinquunt, quòd in eo Deum ipsum residere sentiant [e] (e Aethiopes hi dicuntur.): aut antiquiora Concilia [f] (f Conc Chalcedo & Con. Ephes.tom.2. c.22.), in quibus codex Euangeliorum honoratiore loco collocabatur quasi pro Christi persona præsente: aut certè Petrum Patriarcham Alexandrinũ, qui Pontificiam in templo cathedram conscendere nõ sustinebat, quòd diuino se lumine virtutis cœlestis in ea sedentis absterreri diceret. Cambysem prodit Herodotus [g] (g lib.5.) Sicanno Iudici, quia sententiam corruptus pecunia dixisset, corium detraxisse, huiúsque lora in tribunal condidisse & intendisse, ac ibi filium Otanem pro patre Iudicem sedere præcepisse, monitum meminisset, in quo tribunali iudicaret.

In loco iudicij.] Quis, vbíve fuerit locus iste, alias [h] (h in Actus Apost.) exposui, déque vario Hebræorum foro.

Impietatem.] Detractis punctis, vel mutatis legere possemus *(impium)* éstque nomen idem Hebræum, pro quo mox ponit Interpres (*iniquitatem.*) רשע *raschabh* autem radix latè patet, cùm primariò significet *inquietum esse*, dicatúrque de quouis improbo, qui quatenus talis, non conquiescit. Græcæ dictiones ἀσεβὴς, quæ hîc habetur, & ἀσέβεια, sicut Latinæ *impius*, atque *impietas*, magis propriè respiciunt Deum, parentes, patriam, amicos, sicut & opposita nomina *pij*, ac *pietatis*, εὐσεβὴς, καὶ εὐσεβείας. Pietatem finit Marcus Tullius [i] (i 1.de natur. Deo.) iustitiam aduersùs Deos; & pietatis nomen grauissimum, & sanctissimum vocans, eam se scribit erga Lentulum amicum habere [k] (k 1.epist.famil.9.). Extenduntur tamen omnia nomina tanquam synonyma *improbo, & improbitati, peccatori, ac peccato*, atque similibus. Dixit Apostolus [l] (l Tit.2.5.), *εὐσεβεῖν τὸν ἴδιον οἶκον, domus curam habere.* Omne peccatum impietas est, quia contra Deum, si id, inquam, sit graue: sed magis propriè illud, quod immediatè attingit eum, cultúmve ipsius: tum id quod est cõtra Rempublicam, cuiusmodi est peccatum Iudicum, de quibus hîc agitur. Iustitiæ oculos tribuebat Chrysippus acres, rectos, immotos; quòd omnia peruideret, & quia rectè iudicaturum oporteat huc, illuc à recto non deflectere; sed in directum semper aspicere, vt recta semper videant oculi, palpebræ annuant [m] (m Prou.4.25. secund.LXX.) iusta.

Loco iustitiæ.] Græcè (*τοῦ δικαίου*) vel rerum iustarum, vel hominum. Hebraicè *iustitiæ* nomen est צדק *tsedech* numero singulari. Chaldæus (*ibidem*, inquit, *inuenitur vir peccator, vt imperet ei* (innocenti) *propter peccata generationis mala.*)

Vers. 17. Et dixi in corde meo: Iustum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.

SOlatur seipsum Ecclesiastes expectatione futuri Iudicij generalis, quod Chaldæus magnũ vocat, vbi (quod significat שם *scham*, & ἐκεῖ) & quo tempore (quod Interpres dixit *tunc*) cuique Deus palàm, & ex æquo reddet iuxta opera. Emphasim continent aduerbia temporis & loci

A indefinitè posita; prærerea quod Hebraicè magis exprimitur (*quia est tempus omni voluntati*, seu *rei, quam volueris, & super omne opus ibi*) nempe erit iudicium, id est, tum cogitationes, tum verba, & opera venient ad iudicium; quasi dicat, quæuis, & quælibet res, à libendo, & volendo, & Italicè (*qualsi voglia cosa*) Hispanicè (*qualquiera cosa*) quibus bene redditur significatio Hebrææ dictionis חפץ *chepheis*, de qua priùs quoque dictum est [a] (a c.1.). Vetus editio legit (*quia tempus est omni voluntati super omne factum ibi*) quibus verbis non ineptè quis innui diceret iudicandas duntaxat actiones, quæ pendent ex libera voluntate (*ὅτι καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι, καὶ ἐπὶ τῷ παντὶ ποιήματι ἐκεῖ.*) Iudicij

B vniuersalis mentio frequens est in Scripturis & apud Patres. Ex hoc verò loco satis videtur inferri posse, tunc singulas omnium etiam cogitationes malas omnibus aperiendas, non sola opera: diuinę quoque consilia prouidẽtiæ adeò nunc occulta, quæ improbi impudenter damnãt, vel rident, vel prorsus non credunt; probi probant quidem, & veneranter exosculantur, subiugantes intellectum in obsequium Dei, sed non sine labore, donec intrent in sanctuarium Dei, & intelligant in nouissimis eorum [b] (b Psal. 72.16. 17.). Docent id quod dixi, notas, apertásque fore malas, ac bonas singulorum actiones singulis in Iudicio, nonnulli Patres, vt Basilius [c] (c de vera virginit & epist. ad Virg. lapsam.), & Isidorus Pelusiota [d] (d lib.1.episto. la 94.),

C Augustinus [e] (e tract.51.in Ioan.), & ex Scholasticis, cum Magistro [f] (f 4.d.43.vel 47.), maior & melior pars, iuxta illud Sibyllinum:

Cunctáque cunctorum cunctis arcana patebunt;

& ratio suadet sumpta ex perfectione dicti Iudicij. Hæc enim requirit omnium in publicũ causas produci, vt constet, sententiam proferendam iustam esse, & appareant diuinorum consiliorum rationes, & Christi gratiæ vis, atque maiestas gloriæ, & æquitas iustitiæ, quòd nec electis peccata fuerint impedimento, nec tot beneficiis allecti reprobi consequi salutem valuerint, quia noluerunt. Hoc pacto primi magis celebrabunt etiam publicè laudes Dei, memores miseriarum præteritarum, vt ait Gregorius, eorúmque pro

D peccatis pœnitentia cognosceretur, & secundi maius cõcipient dedecus, ac in semetipsos indignationem. Scriptura non semel tradit de omnibus bonis, ac malis operibus iudicium futurum [g] (g 2. Cor.5.10. Eccle. vlt.14), etiam de consiliis cordium [h] (h 1.Cor.4.5.). Sancti quoque ponunt id certum, præsertim Augustinus [i] (i 20.de ciu. Dei.c.14.), Anselmus [k] (k 1.in elucidatorio.), necnon Lactantius [l] (l lib.7.c.21. & 22.), quamuis de mutua cognitione non ita omnes distinctè exprimant, qua nimirum bona, maláque cuncta malorũ boni, & horum illi eadem cognoscant. Lege Franciscum Suarez [m] (m tom.2.in 3. par.disp.57. sect 9.), & Henricum Henriques [n] (n de fine hominis. c.25.n. 2.).

Omnis rei.] Omnis quidem rei nomine homo intelligi potest hoc loco cum Bonauentura, sicut cum Gregorio [o] (o hom.29.in Euang.) per omnem creaturam: tamen

E Hebrææ dictiones חפץ *chepheis* & מעשה *mahhaseh*, & Græcè πρᾶγμα, & ποίημα aliud indicant, nẽpe res ipsas, opera, consilia, negotia, &c. Aquila (*πάσης χρείας.*) Nec adeò placet quod addit Moringus, cui placuit quoque dictus sensus, tempus omni rei futurum, cùm omnis res horrenda sui immutatione seueritatem proximè imminentis Iudicij testabitur. Igitur tempus hoc ad homines iudicandos refertur. Licèt verò hoc quod viuunt tempus, eorum potiùs dicatur, illud aliud Dei; iam enim habent tempus ad operandum bonum [p] (p Gal.6.9.), quia est tempus miserendi [q] (q Ps.101.14.), & acceptabile [r] (r 2.Cor.6.2.), & visitationis [s] (s Luc 19.44.), id est, benignitatis, & nundinarum, seu negotiationis [t] (t Ezec.7 12. Luc 19.13.),

a Psal.45.11. b Ioan.9.4. Psal.103.23. c Gal.6.9. d Prou.6.6. e Psal.74.4. f Thren.1.15. g Apoc.10.6.

vacandi Deo per bona opera [a], laborandi [b], æstatis, ac messis colligendæ [c], instar formicæ [d]; tamen erit, cùm suum illud tempus accipiet Deus ad iudicandum, etiam iustitias ipsius [e], & vocabit aduersùs nos tempus [f], post quod non erit deinceps aliud tempus [g].

Vers. 18.] Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis.

OBstare plurimùm videri poterat proximæ sententiæ de futuro diuino Iudicio, quoniam ex corporis interitu, sine morte bestiis æquali, nihil post hanc vitam hominibus superesse censeri posset. Respondet, id verò valdè animum suum, aliorúmque diuexare, eáque ratione vehementer Deum nos exercere, & tentare: dignitas enim ac immortalitas animi non omnibus passim cognita est, nec meliùs homo tractari videtur quàm bestiæ. Probationis autem finis fuit, vel ad modestiam nobis, humilitatémque suadendam, vel ad mentem sursum eleuandam, & animum ipsum immortalem, nobilissimúmque excolendum, spreto interim vili, & caduco corpore. Hæc est huius, & sequentium trium versuum sententia: à qua non abhorret quod Hieronymus docet de præcedentis quoque paulo superius versus sensu, nullam in præsenti vita inter iustum, ac impium esse distantiã, nec aliquid virtutem valere: hoc mirum non esse, cùm etiam inter pecudes & homines secundùm corporis qualitatem nihil differre videatur.

Dixi in corde meo.] Carthusianus explicat non de cogitatione tantùm, sed etiam de appetitu, vt appetierit quoque, vt Deus per varios euentus probaret, id est, innotescere faceret hominum qualitates ac proprietates; seu vt ipsimet seipsos agnoscerent. Dicere nonnunquam est optando loqui, vt in Psalmo; *Inimici mei dixerunt mala mihi:*
h Psal.40.6. *Quando morietur, & peribit nomen eius* [h]? & apud Amos: *Et erit Dominus Deus exercituum vobiscum,*
i c.5.14. *sicut dixistis* [i]. Tamen simplex sensus de simplici cogitatione præferendus est.

De filiis hominum.] Omnes editiones habent
k Act.7.55. numerum singularem, ita vt, quod aliàs [k] docui, non sit discrimen illud perpetuò verum, accipi filios hominum in deteriorem partem, filiũ hominis in meliorem. Tertullianus [l] filios hominum sumit in bonam partem. Forsitan singularis numerus innuit originem à communi parente Adam. Glossa interlinearis filios Sanctorum exponit. Vetus translatio legit (*de loquela filiorum hominis*) Græca (περὶ λαλιᾶς) Hebræa (עַל־דִּבְרַת *bhal dibrath, propter*, vel *super moribus*) Chaldæa (עַל עֵסֶק *bhal ebesek, super causam, & negotium.*) Hieronymus cum LXX. dictionem Hebræam sumens pro *sermone*, à radice דָּבַר *dabar*, sic exponit: [Hoc solùm inter homines & iumenta Deus discrimen esse voluit, quia nos loquimur, illa sunt muta: nos voluntatem sermone proferimus, illa torpent silentio.] Thaumaturgus eodem pacto intellexit. At Olympiodorus, Græcam videlicet secutus quoque lectionem, declarat iudicium fore de sermone filiorum hominum, etiam qui proferetur otiosè [m], & de interno verbo, siue cogitatione: Vatablus (*æstimaui in animo meo conditionem hominum, vt Deus excellentissimos creauerit,*

l 5. cont. Marci. c. 8.
m Matth.12.36.

A *simul cernens quomodo ipsi sese in pecuaniam conditionem abiiciant, &c.*)

Vt probaret eos Deus, & ostenderet.] Vetus translatio (*quia*, id est, quod, *separat illos Deus, vt ostendat, &c.* ὅτι διακρινεῖ αὐτοὺς ὁ Θεὸς, καὶ τοῦ δεῖξαι, *quòd diiudicabit, discernet, separabit eos Deus, & vt ostendat*) Scholia Græca (τοῦ ἐλέγξαι αὐτοὺς ὁ Θεὸς, καὶ τοῦ δεῖξαι αὐτοῖς, *vt argueret eos Deus, & vt ostenderet eis*) Chaldæa (*quòd venient super eos percussiones, & morbi mali* (respexit opinor ad dictam vocem Hebræam דֶּבֶר *deber*, quæ cum sex punctis significat *pestem, mortalitatem, mortem*) *ad tentandum eos, & ad probandum eos; hæc fecit Dominus, vt videat; si reuertentur ad pœnitentiam, dimittetur illis, & sanabuntur. Sed improbi, qui vt iumentum non conuertuntur, pro-*
B *pterea illi arguuntur nocendo eis.*) Hebræum לְבָרָם *lebaram* ex litera seruili cum *makor*, id est, infinitiuo, significare potest, *vt dilucidaret eos*, id est, declararet, vel vt eligeret eos; vel quasi sit לַאֲשֶׁר *laascher, eo quòd*, בָּרָם *baram; elegit* eos præ aliis creaturis, vt scirent, & cognoscerent, &c. Sed recidit sensus eodem: & Interpres optimè vertit (*vt probaret.*) Probare autem Dei, & tentare non est propter ipsum, cui nihil incognitum, sed propter nos, vt veniamus in cognitionem alicuius rei, vnde progrediamur ad nos ipsos meliùs cognoscendos, ac tandem ad Deum. Id fit in vita tota, quæ etiam tentatio est [a], ipsæque *creaturæ factæ sunt in tentationem animabus hominum* [b]; dúmque
C sub occultis iudiciis Dei viuitur, magna probatio proborum, & improborum; illa vel venerantер, non solùm patienter suscipientium; vel contra fastidiosè, ac impotenter damnantium. *Palpebræ Dei interrogant*, siue *probant filios hominum* [c], quia iudicia eius iuxta aliquid clauduntur hominibus, ait Gregorius [d], & iuxta aliquid reserantur. Ad has palpebras Domini oculos deiectos habent semper iusti, petúntque probari, atque tentari à Domino [e], vt sic misericordia ipsius ante oculos eosdem sit, & complaceant in veritate [f], id est, in veris ac iustis eiusdem iudiciis, vel promissis, vel præceptis.

a Iob.7.1. iuxta LXX.
b Sap.14.11.
c Psal.10.5.
d 28. moral. c.5.
e Psal.25.2.
f ibid.3.

Similes esse bestiis.] Hebraicè (*quòd ipsi iumenta ipsis sibi*) id est, non re tantùm quod ad corpus at-
D tinet, sed suamet opinione secundùm animum, & mores bestiales, aut ignorantiam, quæ propriæ facit obliuisci dignitatis, perinde ac nihil differrent à bestiis. Caietanus ita vertens (*& ad videndum quid ipsi, bestia ipsi ad ipsos*) exponit quòd homo est bestia ad seipsum, id est, politica quædam bestia, quoniam communicant homines inter se. Durè profectò. Vtilis doctrina: necessaria abiectę istius nostræ conditionis memoria, quòd & ex originali culpa, quamuis remissa, supersit in corpore par bestiis mortalitas, & non dissimilis per alia peccata quæ adiungimus, in animo quasi transformatio. Vnde prouenit, vt Scripturæ, ac
E Patres varia bestiarum comparatione fœdos, perditósque nostros mores describant & exprimãt: imò re ipsa voluerit Deus, vt Nabuchodonosor externo ipso habitu, victúque bestiarum veluti contubernalis aliquandiu degeret [g]. In ea peruersitate iudicij, ac iustitiæ, quam priùs dictum est esse inter homines, bestiarum more maiores deuorant minores, inquit Hugo Cardinalis, verè quidem; sed tropologicè. Testes pelliceæ vestes [h] nos bestiam induisse per peccatum, & exuturos corium [i] mortalitatis: testis sarcasmus Dei; *ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est* [k]. Simul cũ vestes illas induit: non enim similis Deo; sed *cùm*

g Daniel.4.22.
h Gen.3.21.
i August. in Psal.103.
k Gen.3.22.

a Psal. 48. 13. — *in honore esset, iumentis insipientibus similis factus est* [a]. Diu hoc vestium genus viguit apud priscos, non modò profanos Græcos, Latinósque, vt produnt Plato [b], Plutarchus, Strabo [c], Iuuenalis [d], Cicero [e], Hieronymus [f], & de Romanis quoque Senatoribus Propertius, quos vocat pellitos: verùm etiam apud Hebræos, de quibus Paulus [g], ac historia [h] Regum, & Genesis [i], & de Ioanne Baptista Euangelistæ [k].

b in Protagora. c lib. 16. d Satyr. 6. e 1. Tusculana. f epist. ad Nepotia. g Hebr. 11. 37. h 4. Reg. 18. de Elia. i Genes. 27. 16. de Esau. k Matth. 4.

Bestiis.] Hebræa vox בְּהֵמָה *behemah* in numero est singulari; Græca in plurali κτήνη. Id non refert. Prior generaliter comprehendit quadrupedia cuncta, & in numero multitudinis videtur pro vnica bestia nonnunquam sumi, sed ingentis molis, qualis est elephas, quasi multis æquiualés. Hinc quando se Dauid vt iumentum dicit [l] factum apud Deũ, indicat vulgatem phrasim, qua stolidissimum, ac stupidissimum hominem appellare solemus magnam bestiam. Græcum nomen de pecore, & iumento magis propriè dicitur, vel ἀπὸ τῆ κτήσεως, id est, *possessione*, quæ olim constabat maximè pecore; vel ἀπὸ τοῦ κτείνειν, id est, *a mactatione hostiarum*.

l Psal. 72. 23.

Vers. 19.] Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius: cuncta subiacent vanitati.

SEntentia ex dictis perspicua, videlicet nullum videri discrimen hominis bestiatúmque, cùm par sit exitus moriendi, sicut & spirandi modus in vita, & procliuitas ad mutationem. Quæ dicuntur hoc loco, vel ex impiorum persona dicuntur negantium animæ immortalitatem, sicut in cap. 2. libri Sapientiæ [m]: vel tantùm de corpore; nec enim auctor innuit, se ex alterius agere persona, sed ex propria. Posterior expositio placet Hieronymo, qui notat, ne putaremus agi hîc de anima, subdi, omnia facta de terra, & reuerti in terram: de terra autem nihil aliud nisi corpus factum: de quo etiam est illud; *Terra es, & in terram reuerteris* [n].

m vers. 1. & seq. n Gen. 3. 19.

Consentit Albinus, Bonauentura, & alij. Priorem mihi sequi videtur Thaumaturgus: nec displicet Olympiodoro; eamque tradit B. Thomas [o]: & indicat quod mox subditur; *Quis nouit si spiritus*, &c. quasi dicat, imperitis, aut voluptuosis hominibus ignotum esse; vel perinde esse, ac si esset. Gregorius [p] ait, tumultuantis turbæ hoc libro sensum Ecclesiasten concionatorio more suscipere, vt ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per tentationem imperita mens sentiat: sed velut extensa manu omnium tumultus sedare, eósque ad vnam sententiam reuocare in eiusdem libri termino: quin & prius statuere differentiam sapientis & à iumentis, & ab hominibus stultis, quando dicit capite sexto [q]; *Quid habet amplius sapiens à stulto, & quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita?* Clariùs autem extremo isto c. [r] ait corpus in terram, ad Deum redire spiritum.

o 1. p. q. 75. a. 6. ad 1. p 4. dial. c. 4. q vers. 8. r vers. 7.

Idcirco.] Hebraicè (כִּי *chi, quoniam*) Græcè (καί γε, *& quidem*) vetus translatio (*siue quia.*)

Unus interitus.] Græcè (συνάντημα) quod nomen ter eodem versu repetitur, etiam vbi Interpres posuit (*conditio.*) totidémque vicibus est מִקְרֶה *mikreh* Hebræum, & Chaldæum עַרְעִין *arghun.* Eædem voces erant capite secundo [a], vbi sapiẽtis, & stulti vnus dicebatur interitus. Olympiodorus etiam hîc per τὸ συνάντημα intellexit vniuersam corporis rationẽ, vitamque, quæ corpori vacat, quamuis tropologicè restringat ad bestialem, quam homo intemperans viuat Veneri indulgens, &c. Thaumaturgus vniuersè de omnibus, quę vtrisque contingunt in vita. Quam aptè Interpres *interitum* reddiderit, lege quæ citato loco annotaui. Vetus translatio *euentum* habet, Symmachus σύμβαμα, eodem sensu.

a vers. 14.

Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur.] Chald. (*& ecce quemadmodum moritur iumentum, sic moritur is qui non conuertitur ad pœnitentiam ante mortem suã.*) Moritur etiam ille qui conuertitur, quamuis illi alteri apud Deum, & propter iacturam felicitatis, perinde est, imò quodammodo peius, quàm si esset iumentum.

Similiter spirant omnia.] Aliæ editiones (*spiritus vnus omnibus, siue facultas respirandi, & respiratio, siue aër, & aura spirabilis.*) רוּחַ *ruach* significat interdum *aërem, ventum, flatum vitalem, anhelitum.* Idem valet quod hîc est τὸ πνεῦμα, nempe tum animantis, quem dixi, anhelitum, tum aërem inspiratu attractum, respirationis, vocísque materiam. Inde animam à Latinis dictam putant, quasi ἄνεμον, hoc est, *auram, & ventum.* Symmachus ἀναπνοὴν reddit (καὶ ἀναπνοὴ ὁμοία πᾶσιν, *& respiratio similis omnibus.*) Propterea Deus insufflasse dicitur in faciem hominis, seu iuxta vim vocabuli Hebræi, in nares (organum respirationis) spiraculum vitæ, vt fieret in animam viuentem [b], & imperasse ventos in ossa arida spirare [c], vt excitarentur ad vitam. Temperatur hausto aëre viscerum calor, vt ab hoc officio non *animæ* duntaxat nomen, sed נפש *nephes* [d] quoque ac ψυχῆς [e] vulgò deriuetur: idque meliùs quod ad hoc attinet, quàm vt volunt, qui nomine Athanasij fertur auctor libri de definitionibus, à ψύχειν, vt est *exsicare, & arefacere, & concoquere humores, & cibos*; vel vt Chrysippus apud Plutarchum [f], quòd cùm fœtus ex aluo prodeat, vbi nutritur, instar plantæ refrigeretur aëre, spiritúmque mutet, animal euadẽs. Irridet hoc Tertullianus [g]: Lactantius [h] verò etiam definitionẽ animæ à Varrone traditam; est aër cõceptus ore, deferuefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffusus in corpus, &c.

b Genes. 2. 7. c Ezech. 37. 9. d thesau. linguæ Hebr. e Plato in Craty. f de Stoicor. repugnantiis. g lib. de anima c. 25. quẽ lege etiam c. 4. 11. & 22. h de opific. Dei c. 17.

Et nihil habet homo iumẽto amplius.] Græcè cũ interrogatione & respõsione (καὶ τί ἐπερίσσευεν ὁ ἄνθρωπος παρὰ τὸ κτῆνος; οὐδέν) Symmac. (καὶ τί πλέον ἄνθρωπος κτήνους, *& quid amplius homo pecore?*) Theodotio (καὶ τίς περίσσεια τῷ ἀνθρώπῳ; *& quæ præstantia homini?*): vetus translatio (*& amplius homini à pecore nihil est*) Chald. (*& residuum viri præ iumento non est quicquam inter vtrumque, nisi domus sepulchri.*) Insepulta namque iacent bruta; & apud homines solatium id manet viuorum, & monimẽtum etiam quoddam immortalitatis animorum, cultus, ac pompa sepulchrorum. Hebræa prorsus consentiunt editioni nostræ (וּמוֹתַר הָאָדָם מִן הַבְּהֵמָה אָיִן *vmother haadam min habbehemah ayn*, *& præstantia, seu excellentia præ animali non*) nempe est, vel nulla est. Sed Franciscus [i] Georgius Venetus docet per regulam quam secretiores Theologi Notaricon appellant, quando videlicet vnaquæque alicuius verbi litera suum significatum habet, dictionem אָיִן significare tria verba, אדם יש נְשָׁמָה *adam iesch neschamah, homini est nessama*, portio superior, & radius ille diuinitatis, quo diuina co-

i in proble. script. tom. 3. sect. 1 prob. 80.

gnoscere

gnoſcere poteſt, nimirum intellectus,quo differt a beſtiis,& hanc eſſe lucem, quæ dicitur à Ioanne [a] illuminare omnem hominem. Vana, & caballiſtica ratio, quæ huic auctori familiaris eſt, cuius hæc & aliis de cauſis meritò ſcriptorum eſt lectio in Indice Romano prohibita, donec expurgentur. Explicatio quoque Ioannis non eſt probabilis.

a c.1.9.

Cuncta ſubiacent vanitati.] Videtur epiphonematica rhematis repetitio. Cæteræ editiones præfigunt cauſalem particulam (*quia*) quaſi diceret, ait Vatablus, humana ratio ſola non deprehendit excellentiam hominis ſupra beſtias, quia quicquid videt oculo rationis in homine, eſt vaniſſimum.

B

Verſ. 20.] Et omnia pergunt ad vnum locum, de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur.

Biblia Regia non habent verbum πορεύεται: habent tamen editiones omnes, & codices Sixtiani LXX. Interpretum, necnon vetus tranſlatio, in qua eſt (*vadunt.*) *Loci* nomine poteſt intelligi ſtatus, & conditio, non tantum ſpatium quod continet, vt apud Iob [b]; *Nec cognoſcet amplius eum locus eius.* Imò interdum ſignificare videtur tempus, vt in Eſdra [c]; *Vſque ad id loci nihil indicauerunt.*

b c.7.10.
c 2.Eſd.2.16.

C

De terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur.] De hominibus Chaldæus intelligit (*omnes habitatores ſæculi creati ſunt ex puluere: & quando mortui fuerint illi, futuri ſunt vt conuertantur in puluerem.*) Hebræum הכל *haccol* verti potuit in genere maſculino, & intelligi de hominibus: ſed iumentorum mentio quoque facta eſt. Mixta quidem omnia perfecta terra potiſſimù conſtant, in éamque præſertim reſoluuntur; & omnium rerum vocatur mater à Lucretio [d], aliiſque: quapropter meritò maternum nomen adepta eſt, necnon παμμήτωρ, πανδώρα, δημήτηρ:

d lib.2.& 5.

Ἐκ γῆς γὰρ δὴ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ.

D

Homini tamen conuenit peculiariter, qui de terra formatus eſt immediatè à Deo [e]. Sic iterum capite vltimo huius libri [f]: *Et reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat.* Et rurſus in Geneſi [g]; *Donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et libro Iob [h]; *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Cui ſententiæ ſimilis inferiùs eſt capite quinto [i]. Terram ſcilicet matrem Iob vocat, vt placet Chryſoſtomo [k], nec diſplicet S.Thomæ, & Gregorio in Iob, Hieronymo [l] item, Cypriano [m], Gaudentio [n] Brixienſi, Proſpero [o]: loquitúrque idem Iob, ſeu de Adamo, ſeu de genere humano vniuerſo, quod ab eodem protoplaſto deſcendit. Tritum illud de Bruto, qui ſummum in Vrbe obtinuit imperiũ, quia matrem exoſculatus eſſet, nimirum terram, ſic oraculum è ſpecu intelligens [p]. Cui perſimile coniectorum reſponſum ſuper ſomnio Iulij Cæſaris [q]. Mos erat etiã antiquis, Varrone [r] teſte, recentem fœtum ſtatim in terra ſtatuere, & Opem Deã, quæ & ipſa Terra eſt, implorare; quam & Leuanam à leuando de terra, nominabant, & Faunam à fauendo, & Fatuam à fando; quaſi non ante attactum eius fari fas ſit; & Maiam, & Bonam; denique magnam Matrem. Hoc ipſo nomine videtur vſus Eccleſiaſticus [ſ], dum dixit; *Iugum graue ſuper filios Adã*

e Gen.2.7.
f verſ.7.
g c.3.19.
h c.1.21.
i verſ.14.
k in catena.
l epiſt.10.
m de mortalitate.
n tract.1.
o 1 p. de prædic.
p Liui lib.1.
q Sueto.c.7.
r 1 de lingua Latina.
ſ c.40.1.

E

à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium. Sed & Sapientiæ [a] libri auctor de ſeipſo ait; *Ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram.* Vbi conſule noſtrum Commentarium. Inde cadere in terram Latini [b] dicunt recens natum; tollere filium [c], educare, ac pro ſuo agnoſcere. Meminit Auguſtinus [d], præter alios profanos auctores multos, de eo ritu, quo effuſus ex vtero infans terra nudus excipiebatur: præ illis autem legendus in primis Macrobius [e]; poſtremò etiam noſter Pontanus [f], & Pineda [g]. Idem ille auctor libri Sapientiæ [h] primum hominem cognominat γηγενῆ, καὶ πρωτόπλαστον: Paulus [i] de terra terrenum: & primum epithetum vſurpant quoque Græci ſcriptores profani, præſertim Poëtæ, ſicut Latini vocem *terrigenæ*, & *terræ progeniei*, formationem hominis è terra deſcribentes [k]. Audi quã iſti expreſſerint quod hoc loco edidit apophthegma Eccleſiaſtes:

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐς αὐτὴν
Λυόμενοι, κόνις ἐσμέν. ———

ait Phocylides,

Corpus ex terra eſt nobis, & rurſus in illam
Soluimur, & pulnis ſumus. ———

Reddenda eſt terræ terra, inquit Euripidis verba reddens Latinè Cicero [l]. Turpiter errant qui de terra oriri hominem putant poſſe abſque concurſu maris, ac fœminæ, quo modo quæ ex putri materia. Viſus ita ſentire Plato [m], Steſicorus Poëta [n], Empedocles, ac Parmenides [o], Ægyptij [p], Athenienſes [q], Auicenna [r], aliique Arabes, Anaximander [ſ], Archelaus [t], Zeno [u], Cardanus, quem ridet, ac refellit Scaliger [x], quoniam id factum nunquam eſt, & eſt contra Ariſtotelem [y], qui ipſe hoc ipſum explodit [z], vt & Tychiades [a]: quaſi, ait iſte, vt olera naſcerentur homines è terra. Lege Chriſtophorum Vegam [b]. Iuuat etiã res cæteras conſiderare in terram reſoluendas, & nil niſi terram eſſe. Sic Arnobius [c] de magnificis illis idolorum templis, & de auro, ac argento Chryſoſtomus [d], & Bernardus [e], vocantes rubram, & albam terram.

Terra] Hebraicè & Chaldaicè eſt עפר *hhaphar*, ſiue עפרא *hhapera*, Græcè χοῦς, quæ propriè ſignificant *puluerem*; ſuntque in Geneſi, cùm deſcribitur formatio corporis Adam [f]: quamuis in ſententia mortis, reditúſque in terram vnde ſumptus erat [g], ſit nomen τῆς γῆς, vbi Interpres vertit *puluerem*, & in priore loco *limum de terra*, & antiquior tranſlatio, qua vtitur Auguſtinus [h], *puluerem de terra*; licèt priorem verſionem quandoque adhibeat [i]. Reuocat Iob Deo in memoriam; *Memento, quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerẽ reduces me* [k]. Scilicet formatus eſt homo de puluere permiſto aqua, de qua proinde aqua terram irrigante proximè antè Moſes meminit, quàm dictam formationem narraret. Vt meritò *limum* Interpres pro *puluere* poſuerit: in quo limo, ſiue luto, & cœno, quod corpus, vt ab anima diſtinguitur, deſignat, quemadmodum probat Pineda [l] poſt Gregorium de Valentia [m] (etſi Toleto [n] ſecus videatur volenti potiùs totum hominem, vt pro corpore ſit terra, aqua pro anima) quia potior eſt terra, idcirco nunc puluis, nunc terra dicitur, loco luti, cœni, limi. Egregiè dixit Ioſephus [o] formatum hominem ex terra fermentata, vtens verbo φυρᾶσαι, quod eſt, *aquæ terram miſcere*, ac *veluti maſſam ſubigere*. Cæterùm hoc loco Symmachus vtitur nomine τῆς γῆς, id

a c.7.1.
b l.3. C.de poſthumis. Stat.1. Syluarum.
c Terent. Heauton ſce.1.
d 4. de ciui.c. 20.
e lib.1.c.11.
f ad 4.& 6. Aeneid.
g in c.1.Iob. verſ.21.
h c.7.1.
i 1. Cor.15. 47.
k Lucret.lib. 5 Ouid.1. Metamorph.
l Tuſc.3.
m in Menexeno, & Atlantico, & alibi.
n apud Philop.in 3.de gener.animal.
o apud Plutar.5.de placit Philo.c.7.
p apud Diodo.Sicu.lib 1. c.1.
q Pauſan.in Meſſenus. Tzetzes in Heſiod. Lucian in φιλοψευδεῖ.
r lib.de dilu. & lib.6.natural.
ſ apud Plutarc.2.ſympoſ q 8.
t apud Laër. lib 2.
u apud eundem lib.9.
x exercit. 191.
y ſect.10.pro. q.15.& 64.
z 3. Polit.c.6.
a apud Lucian ſuprà.
b 2.de arte medicinæ. ſect.6.
c 6.contra Gent.
d hom.2.in viſio.Eſaiæ.
e ſerm.4.de aduentu.
f Gen.2.7.
g c.3.19.
h 6.& 7.Geneſ.ad lit.
i 2.de Geneſi contra Manichæ.
k c.10.9.
l in c.10. Iob.verſ.9.
m in p.par. diſp 7 pun.1.
n in Ioan.c.9. annot.
o 1 Antiq. c.2.

est, *terræ*, & Latina vetus translatio *humi*. Confunduntur nonnunquam hæ voces, & ex adiunctis variè adaptantur. Aliqui [a] per tertam intelligunt chaos, quasi allusio sit ad obliquum casum γῆς. Sed & arbitrantur initio conditam sine omni forma materiam; & id innui in libro Sapientiæ [b] per materiam inuisam, & in Epistola ad Hebræos; *vt ex inuisibilibus visibilia fierent*. Verùm adi, si placet, quæ diximus in expositione Sapientiæ. Solet comparari homo respectu Dei [c] cum luto figuli, vt doceatur modestiam, & se totum diuinis cõsiliis permittere, Deúmque implorare.

a Salmerõ to. 1 pagin 170. & 176.
b c.11.18.
c Esa 29.16 c.45.9.& 64.8. Ierem.18.6. Rom 9.21. Eccli. 33.13. Psal. 102.14. Gen.18 27.

Reuertuntur.] Omnium corruptibilium dum sunt, imò dum præterfluunt, perpetuus quidam est in via cursus ad metam corruptionis, & ad B punctum circulationis: *generatio* siquidem, vt capite primo [d] vidimus, *præterit, generatio aduenit*; per ortum ceu per portam vnam ingredimur, per alteram egredimur occidendo. Non hîc mora, quia *præterit figura mundi huius* [e]: vt angues reuoluimur, nostrúmque conficimus τὸν ἐνιαυτὸν, annum vitæ circularem; *tanquam aquæ dilabimur, quæ non reuertuntur* [f]: & semitam, per quam non reuertemur, ambulamus.

d vers.4.
e 1.Cor.7 31.
f 2 Regum 14.14.

Vers. 21] Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum?

PAucorum est (sic exponit Hieronymus, & alij) ac nonnisi sapientum (vt exprimit Chaldæus) quippe cùm sit difficile (hoc sibi vult pronomen interrogans, vt notat idem Hieronymus, & Salonius, nosque alio loco superiùs) animæ nostræ dignitatẽ immortalitatis, qua superat mortale corpus, intelligere, quódque redeat spiritus noster ad Deum, cui sedes sursum in cœlo attribuitur; intereat verò, & deorsum cadat cum bruti corpore anima ipsius. Mystice *iumenti* nomine tum rudem, tum etiam peccatorem Hieronymus, Salonius, Albinus interpretantur, ac fieri posse pro incerto vitæ huius, & lubrico statu, vt iustus, doctúsve concidat, atque deducatur ad inferos; contrà ille martyrio etiam coronetur, & sit Paradisi colonus.

Fateor fide dumtaxat nos cognoscere statum felicitatis supernaturalis; at immortalitatem humanæ animæ, eiúsque naturalem beatitudinem, quibus tam longè distamus à brutis (quæ brutaliter Gnostici, atque Manichæi perinde vt homines intelligendi munere donauerunt) potest ratio naturaliter assequi. Si quis tamen propter ingenij ruditatem id non posset, credere deberet. Quare non simpliciter probo quod Hugo Victorinus asserere videtur (& fuit Scoti, ac aliorum nonnullorum sententia) hoc fide sola percipi, nec ab homine sciri posse, & indubitabili ratione demonstrari, sicque meritò locum esse in credentibus. Carnales ac voluptuosi non intelligunt, aut valdè dubitant, agitati, vel cœcati perturbationibus. [Ascendere sursum animas bonas ad remunerationem, & iumẽtorum deorsum in corruptionem, dicit, & supponit fides nostra, inquit Bonauentura, & huic concordat verum & philosophia. Sed cùm ratio illa, & philosophia occulta sit, & multas habeat rationes dubitandi, ideo ferè nullus, & pauci possent verè certificari de animæ immortalitate, nisi adiuuaret fides: & Ecclesiastes hoc non negat, sed dicit esse difficile demonstrare, quod verum est, infideli.] Engubinus [a] in opere de perenni philosophia Gentilium colligit de animæ immortalitate testimonia, nósque aliàs in philosophicis nostris id præstitimus, & confirmauimus principium illud quod attigit Bonauentura, éstque à Lateranensi Concilio sub Leone X. approbatum & definitum [b] contra malos Philosophos, quod fides dictat vero congruere, atque philosophiæ. Legendus Melchior Canus [c] contra Caietanum, aliósque negantes immortalitatem animarum nostrarum posse demonstrari. Vide præterea [d] Rhodiginum, & elegantem auctoris nuperrimi Ioannis Cognati tractatum de animæ immortalitate.

a lib.9.
b sess.8.
c lib. vlt de locis Theol. c. vlt.
d lib.3.c.24.

Nonnulli aliter præsentem locũ interpretantur, modum ignorari quomodo anima in corpus ingrediatur, quomodo egrediatur è corpore, vnde gignatur, aut in quid desinat: atque hoc voluisse Christum cum Nicodemo disserentem; *spiritus* [e] *vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat*, id est, ignoras tuam ipsius, ac animalium cæterorum generationem, vt non sit mirum si non percipias quî valeat homo renasci ex Spiritu sancto. Non respuo; nego ita instituto id accommodatum: perspiciet qui inspiciet, quicquid sit de loco Ioannis, cuius non incommoda mihi explanatio videtur.

e Ioan.3.8.

Filiorum Adam.] Sæpiùs monui filios Adam, siue hominis, aut hominum, non semper in deteriorem partem sumi. Hoc loco Hieronymus mysticè saltem in bonam sumit, qui tamen alibi docuit vniuersè malè sonare in Scripturis.

Ascendat sursum.] Chald. (*supra firmamentum.*) Ante Christi aduentum nulli animæ quamlibet iustæ patuit ingressus in cœlum, ac proinde eò ascendere non potuit. Si limbus iustorum fuisset in editiore loco, infra tamen empyreum cœlum, posset intelligi qua ratione ascenderẽt animæ illorum. Nihilominùs Iacob moriturus descensurum se dicit ad inferos, etiam cùm ibi se filium Ioseph visurum lamentatur [f], quem putabat deuoratum à fera pessima, ideóque de limbo inferiùs sito, non de sepulchro intelligit: quo pacto in capite nono [g] dicuntur omnes properare ad inferos. Rectè igitur *ascendendi* verbo locum designari diximus remunerationis, qui licèt interim esset sub hac terræ superficie, quandoque tamen esse debebat in excelso cœlo; ita vt ascendere sursum sit quod capite duodecimo [h] dicitur, spiritum redire ad Deum qui dedit illum.

f Gen.37.35.
g vers.18.
h vers.7.

Quamuis autem de omni anima hominis, vt comparatur cum brutis, eadem possit esse dubitatio, & quæstio, impij autem animam dubitari nequeat sursum non ascensuram: tamen de iusti anima sermo est, quoniam priùs actum erat de diuino iudicio circa vtrumque: & si dubitetur de iusti anima, an præmium habitura sit, & consequenter an supersit, multo magis hoc secundum de impij anima in dubium potest reuocari. Albinus (quem Arboreus de illo mentionem nõ faciens sequitur) ait hîc indicari querimoniam, quòd impij, piíque apud inferos ante aduentum Christi detinerentur, & quòd parum intererat, vel perire animam cum corpore, vel inferni tenebris coërceri. Non arbitror id Ecclesiasten velle, qui de ascensu, & descensu distinctè loquitur: & in eo statu latissimum discrimen erat animarum hominis, & bruti, & inter homines, iustorum, & improborum: nec in limbo tenebræ vllæ

erant

erant quæ possent iustas animas dolore sensus afficere.

Neque quod Olympiodorus affert, congruit instituto, vt sub metaphora iumentorum iuxta literalem sensum homines intelligantur nō vtentes munere rationis, & incertum sit, an qui prudentiores habentur, digni censendi sint regno cælorum tempore Iudicij; contrà qui videntur quodammodo ratione carere, Dei occulto iudicio ad superna tollantur. Mysticam malo cum aliis; quos dixi, sententiam esse, ita vt nec etiam, quod idem auctor notat, innuatur hic error metempsychoseos animarum immortalium variè immigrantium nunc in humana, nunc in bruta corpora. Concesserim potiùs Olympiodoro, verba quæ sunt hoc versu, ex voluptuarij persona prolata. Sed is, quem dixi, sensus optimus. Hoc autem ex loco Nicetas [a] Choniata pro animæ argumentatur immortalitate.

Spiritus iumentorum.] Iumenta spirant, & *spiritus* quoque eis nomen conuenit: licèt ad immaterialem substantiam postea sit restrictum. In acceptionibus vocis huius, quas Didymus [b] enumerat, istam quoque ponit.

Deorsum.] Græcè (*κάτω εἰς τὴν γῆν, deorsum in terram.*)

Vers. 22.] Et deprehendi nihil esse melius quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, vt post se futura cognoscat?

HVius versus eadem sententia, quæ decimi, ac duodecimi, & in capite præcedenti vigesimi quarti: potéstque vel vt ex Ecclesiastis persona, vel vt ex aliena intelligi. Ex propria mauult Titelmannus, & docere frugalem harum vsum rerum præferendum anxiæ de futuris seu temporibus, seu hæredibus curæ. Moringus priorem potiùs quoque expositionem sequitur; sed ita, vt discrimen significetur hominis à bruto: licèt enim iuxta conditionē corporis conueniant, hominem illius ritu non debere viuere, pabulo duntaxat, atque voluptati intentum; lætandum ei de bono suo opere, quo religiosè colat Deū, déque proximo bene mereatur, vnde sibi comparet veram, sempiternámque felicitatem; quod nisi nunc faciat, falli, si postea iam vita functus talem speret occasionem; aut si nimiis hic se laboribus conficiat opes cumulando, quas cui relinquat, ignoret. Antiquiores Interpretes de vtroque meminerunt sensu, vt Hieronymus, Albinus, Hugo Cardinalis, Carthusianus, Olympiodorus: Hugoni Victorino placuit secundus sensus, necnon Thaumaturgo: Lyrano primus. Hunc reor etiam accommodatiorem iuxta ea, quæ dictis locis annotaui. Plane fauet Chaldæus (*& vidi quod non est melius in seculo hoc, quam vt gaudeat homo in operibus suis bonis, & comedat, & bibat, & bene habeat cor eius: namque hac est pars eius bona in seculo hoc ad acquirendum in ea seculum venturum.*)

In opere suo.] In aliis editionibus numero plurali opera dicuntur. Sunt verò aut labores circa comparationem temporalium bonorū, aut actiones virtutum. Nihil tam nostrum, quàm benefactum ex virtute; maximè enim pendet ex arbitrio, cum gratia tamen Dei, & cum rationali natura optimè congruit.

Quis enim eum adducet, vt post se futura cognoscat?] Græcè (*ὅτι τίς ἄξει αὐτὸν τοῦ ἰδεῖν ἐν ᾧ ἂν γένηται μετ᾽ αὐτόν;*) Symmachus (*τί γὰρ αὐτὸν ἄξει θεάσασθαι τὰ ἐσόμενα μετὰ ταῦτα,*) quem vertens Hieronymus (*vt videat ea quæ futura sunt post hæc?*) ait apertiùs interpretatum. Prima lectio Græca respondet Hebraicę ad verbum: est autem Hebraismus, *videre in aliquo*, pro, *videre aliquid*, vt aliàs quoque notatum est, verbi gratià cùm dicitur in Psalmo 105. [a] *ad videndum in bonitate electorum tuorum*, id est, bonitatem, &c. De sensu cōstat ex dictis, quòd post mortem non sit quis ad hanc vitam rediturus, aut ad percipiendas voluptates, vt ait Thaumaturgus, & Hugo Sancti Victoris; aut vt per pœnitentiam emendet, quæ perperam gesserit, vt Olympiodorus: aut, vt Hieronymus, quòd scire non valet quales post se sit hæredes habiturus. Verbum *adducendi*, siue *agendi* magis fauet primę, vel secundæ expositioni, quasi sit qui mortuum huc reducat. Vltimæ quoque potest conuenire, vt scilicet reducatur ad cognoscendum quales reliquerit hæredes. Minùs apte, qui explicant, vt Lyranus, & Carthusianus, quòd non sit, qui hominem hîc viuentem perducat ad cognitionem futurorum. Cognoscunt defuncti res præsentis vitæ per reuelationem; & quandoque huc veniunt in assumpto corpore per peculiarem prouidētiā Dei. Fieri id posse indicat præsens locus, nósque alibi demōstrauimus. Lege Thyræi opus apparitionum, & Delrij magicarū disquisitionū.

[a] Orthod. l. 51. — [b] liber. 3. de Spiritu sancto. — [a] vers. 5.

SVMMARIVM.

IVDICIORVM peruersitatem priore capite obiter indicatam repetit cum innocentum oppressione: docet quàm latè vbique grassetur inuidia: denuò inculcat inanem auari laborem fraudantis seipsum, cùm ignoret quibus parta derelinquat: commendat societatis emolumentum: proponit Regum, ac Regnorum vanitatem: præponit obedientiam stultorum victimis.

CAPVT IV.

1 VErti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.

2 Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes.

3 Et feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.

4 Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura supetflua est.

5 Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens:

6 Melior est pugillus cum requie, quã plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi.

7 Considerans reperi & aliam vanitatem sub sole:

8 Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.

9 Melius est ergo duos esse simul, quã vnum: habent enim emolumentum societatis suæ:

10 Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.

11 Et si dormierint duo, fouebuntur mutuò: vnus quomodo calefiet?

12 Et si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficilè rumpitur.

13 Melior est puer pauper & sapiens, rege sene & stulto, qui nescit præuidere in posterum.

14 Quòd de carcere catenísque interdum quis egrediatur ad regnum; & alius natus in regno, inopia consumatur.

15 Vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.

16 Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum, & qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo, sed & hoc vanitas & afflictio spiritus.

17 Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua vt audias. Multo enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

Vers. 1.] Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub Sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.

VLLA ex aliis editionibus habet (*alia*) sed indicant reditum ad antecedentia, hoc est, ad eam, quæ priùs indicata est, iudiciorum humanorum peruersitatem: vetus translatio (*& conuersus sum ego.*) Alia denotare possum priora. Olympiodorus exponit, ad alia examinanda me conuerti: Thaumaturgus, ab omnibus cogitationi-

A bus (quæ videlicet in fine capitis expressæ sunt de capiendis voluptatibus, &c.) animum reuocaui: Hieronymus, & Albinus, & alij, post hanc cogitationem illuc mentem meam, oculósque conuerti: Hugo S. Victoris, quasi aliud solatium quærat, & alibi felicitatem, quam in hac vita. Mihi quod primo loco posui commodius videtur; & Hebræum verbum שַׁבְתִּי *schabthi*, Chaldæum תָּבֵה *thabeh*, & Græcum ἐπέστρεψα faucnt: secundum significat *redij*.

Calumnias.] Symmachus (*συκοφαντημένους, eos qui calumniis opprimuntur.*) Hebræum vocabulum עֲשֻׁקִים *hhaschukim* significat propriè *bonorum occupationes per vim*, seu *oppressiones*, vel passiuè *oppressos*, vel actiuè *opprimentes*, & *oppressores*: quamuis latiùs quoq; sumatur pro circumuentione qualibet,

B seu per vim, seu per fraudem. Lxx. interdum exponunt verbum Hebræum per καταδυναστεύειν [a], *opprimere per potentiam*. Olympiodorus extendit ad varia genera hominum, aut calumniantiũ in in pecuniis, aut in opinionibus sectarum, quales hæretici; additque diabolum cum apostaticis potestatibus, qui assiduè calumnias texunt, ac mẽdacia moliuntur. Thaumaturgus συκοφαντίας καὶ βίας coniungit, cùm prima vox quæ est in textu Græco, propriè fraudes denotet. Cum calumniis item addit Hieronymus oppressionem: quamuis illæ quæ sunt in editione Latina vtraque, significent vexationes per fraudes, præsertim in litibus, atque malitiosas & cauillosas interpreta-

C tiones iuris, aut quas vocãt infamationes, & falsa crimina, & frustrationes [b], aut petitiones non debiti tanquam debiti, aut intentatas lites super minima re, &c.

Verumtamen sæpe Latinus Interpres *calumnias*, & *calumniari* vsurpat vtrouis modo, seu vis adsit, seu sola fraus, seu verba, seu facta: non rarò autem significare vult effectum quem intendit propriè dictus calumniator per suas fraudes, & sequi solet ex propriè dicta calumnia fraudulenta, vt aliquot exemplis demonstrat Ribera [c] noster, necnon Pineda [d]. Græci συκοφάντας vocabant, qui propter surreptas ficus, ac similiter ob leuiora detrimenta litem intenderent capitalem, φαίνοντες, id est, *indicantes*, ac *deferentes*. Nam

D irrumpebant Athenienses quidam iuuenes frequenter in hortos, vt idcirco sancienda fuerit capitis pœna contra illos qui facerent. Alij [e] ad notam Æsopi accusationem, à qua is de sufuratis ficubus purgauit sese, referunt. Plutarchus [f] tradit originem à lege de nõ efferendis ex Athenis ficubus. Idem docet Ister apud Athenæum [g], & Philomnestus. Prima ratio est Pauli apud Festum. Scholiastes [h] Aristophanis addit, fame in Attica grassante, Diis sacras ficus qui ederent, quasi dicas φάγοντας. Cùm Ioannes milites instruens vetat ne quem concutiant, vel calumniam faciant, contenti [i] stipendiis suis; secundo loco est συκοφαντεῖν. Etsi verò fieri potest, vt milites apud Principem deferant alios velut insidia-

E tores, hostes, perfidos; magis familiare tamẽ illis est non rem iudicio experiri, sed ex rapto ac præda viuere; ita vt συκοφαντεῖν, aut vim quoque inferre sit, aut falsa crimina prætexere, quæ ipsissimet obiiciant, quos diripiunt, & hanc qualemcumque requirere occasionẽ nocendi, vt ait Ferrandus Diaconus Carthaginẽsis [k], vt sub aliquo iustitiæ colore terreant innocentes, atque auaritiæ suæ, vel potiùs rapacitati satisfacere cogant inuitos.

[a] Zach. 7.

[b] l. 1. ff. ad Senatusc. Turp. & l. si calumniatus. de ver. signif.

[c] in c. 7. Zacha. n. 8.

[d] in c. 10. Iob. vers. 3.

[e] Maximus Planudes in vita

[f] opusc. de curios.

[g] lib. 3. circa princ.

[h] in Pluto.

[i] Luc. 3. 14.

[k] parænetica ad Reginam Comitem. tom. 5 bibliothe. Patrum. reg. 2.

A *Et lacrymas innocentium.*] Hebraicè (*& ecce lacryma eorum, qui ſunt oppreſſi.*) vbi eſt idem illud vocabulum עֲשׁוּקִים *hhaſchukim,* quod poteſt eſſe paſſiuum participium: Græcè, (*τῶν συκοφαντουμένων.*) Commentarius Hebræus vtrobique ſubſtantiuè ſumens reddit hunc ſenſum, qui cùm noſtro non aduerſetur, non eſt reiiciendus: & vidi per Spiritum ſanctum omnes direptores in gehenna ſecundùm opera eorum, quæ facta ſunt ſub Sole, propter tranſgreſſiones legis: & ecce lacrymæ ipſorum flentium ſuper animabus ſuis. Erit in gehenna omnibus damnatis fletus [a]; verumtamē peculiariter iis, qui hîc innoxios vexauerunt [b]. Nihilominùs præſtat de lacrymis intelligere il-

a Matt. 8. 12. c. 13. 42. 50. & c. 22. 13. c. 24. 51. c. 25. 30. b Sap. 5. 4.

B lorum, qui nunc, hîcque opprimuntur; quo pacto noſtri omnes exponunt. *Lacrymam* quoque in ſingulari numero ſicut Hebræus textus, habet Symmachus *δάκρυον.*

Nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ.] Hebraicè, & Græcè adhibitis participiis actiuis ex iiſdem illis verbis expoſitis, & ſupplendo negationem, quæ priùs eſt poſita (*& a manu calumniantium,* ſeu *opprimentium eos, fortitudo,* nimirum *non eſt*) Chald. (*& non eſt qui vindicet eos de manu moleſtantium eos in fortitudine manus, & in virtute.*)

Cunctorum auxilio deſtitutos.] Variauit Interpres phraſim, pro eo quod editiones aliæ repetunt (*& non eſt eis conſolator.*) Pro παρακαλῶν habet Symmachus παρηγορῶν, παραμυθούμενος, eodē ſenſu. Conſolationem Thaumaturgus, quæ bis exprimitur,

C ſic diſtinguit, tum vt quis horum cauſam tueatur, tum vt illos verbis conſoletur. Flebilis profectò miſerorum ſtatus, quibus lacrymas ſolùm habere in calamitatibus licet, cùm videant calumniatores in ſuis iniquitatibus fortiores, nec ſit qui conſoletur eos ex omnibus charis eorū [c]. Quem locum, inquit Hieronymus, pleniùs in Pſalmo ſeptuageſimo ſecundo Dauid, & Ieremias [d] in ſuo volumine exquirunt. Adde Iob [e], Abacuc [f], alióſq; , qui nō poſſunt quin angantur animo, & exclament etiā ad Deū, eſurientes, ſitientéſque iuſtitiam, & proximorum commoti ſympathia, quos vident ab impiis opprimi, nec

c Thren. 1. 2.
d c. 11. 1. & ſeq.
e c. 21. 7.
f c. 1. 13.

D ſolatium, remediúmque reperire miſeros, niſi querendo, & gemendo. Quidni exaudiant hæc, & condoleſcant pij, cùm hi ad Deum clamores aſcendant, ac perueniant [g], gemitus audiat [h], & propter illos, inopúmque miſeriam exurgat [i]? *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt,* ait Iob [k], *propter vim brachij Tyrannorum.* Subdit autem cauſas, ob quas iis de Deo ſperandū ſit, quòd eos fecerit, quòd terrores etiā naturales eximat, quòd erudiat. Tū concludit: *Non ergo fruſtra audiet Deus & omnipotens cauſas ſingulorum intuebitur;* id eſt, non attendit ad vanos clamores, expendens qua quis mente ad ipſum recurrat. Sed & ſolatio ſuorum præſertim deſtitui, afflictis doloris augmentum eſt; cùm è contrario videre

g Gen. 4. 10. Exod. 3. 7. c. 22. 23. Iacobi 5. 4.
h Pſ. 101. 21.
i Pſ. 11. 6.
k Iob. 35. 9.

E afflictione tua affligi alium, leuamentum ſit, & demitigatio calamitatis, vt Philoſophus docet [l]; ſitque, vt ait Sapiens [m], *amicus fidelis, medicamentū vitæ & immortalitatis.* Iob [n] ac Tobias [o] hoc nomine tentati maximè, quòd nec in vxoribus ipſis, nedū in amicis ſolatij locū repererunt. Dauid, ſiue Chriſtus querebatur, quòd ſuſtinuiſſet qui ſimul cōtriſtaretur, & cōſolaretur, nec inueniret [p]: & apud Eſaiā [q]; *Circūſpexi, & nō erat auxiliator.* Acerbiſſima eſt illa cōminatio Dei: *Ecce [r] ego ſuſcitabo omnes amatores tuos contra te, de quib. ſatiata eſt anima tua, & congregabo eos aduerſum te in circuitu.*

l 9. Ethic. c. 11.
m Eccli. 6. 16.
n Iob. 2. 9. 10.
o Tob. 2. 21. 23.
p Pſ. 68. 21.
q c. 63. 5.
r Ezech. 23. 22.

A Contrà verò ſæpe præcipit Deus, ne quis quem opprimat, maximè pauperem: *Non facias [a],* inquit, *violentiam pauperi, quia pauper eſt, neque conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus cauſam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Vult potiùs vt tales conſolemur. *Non [b] deſis plorantibus in conſolationem, & cum lugentibus ambula;* Græce *πένθησον, luge;* quod ait Paulus [c], *flere cum flentibus:* & Iob [d] præſtitiſſe ſe ſcribit; *Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Cumulus afflictionis eſt, ſi ſit etiam qui de noſtra gaudeat, non ſolùm qui non ſubleuet [e]. *In hoc* (gratulatur ſibi gratias agens Deo Dauid [f]) *cognoui, quoniam voluiſti, quoniam non gaudebit* (*non in-*

a Prou. 22. 22. 23.
b Eccli. 7. 37.
c Rom. 12. 15.
d c. 30. 25.
e Thren. 2. 15. Eccli. 6. 4. c. 13. 3.
f Pſ. 40. 12.

B *ſultabit, non vociferabitur, non iubilabit*) *inimicus meus ſuper me.* Petit quoque redimi à calumniis hominum, vt cuſtodiat mandata eius [g]. Proprium eſt hoc Dei oppreſſos liberare. *Domine, quis ſimilis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum [h].* *Vidit Dominus,* ait Eſaias [i] (prædas, &c.) *& malum apparuit in oculis eius, quia non eſt iudicium; & vidit Deus quia non eſt vir, & aporiatus eſt,* יִשְׁתּוֹמֵם *iſchthomem,* deuouit ſeipſum, tanquam culpabilem ſe damnauit, vt ſolet qui negligentiam incuſat, ſibique maledicit, ob rei ſucceſſum malum: vel afflauit ſeipſum: vel admiratus eſt, ac obſtupuit: ἠπόρησεν, *conſiderauit, hæſit animo* (quod eſt aporiari, ab ἀπορέω) *quia non eſt qui*

g Pſ. 118. 134.
h Pſ. 34. 10.
i c. 59. 15. 16.

C *occurrat:* hoc eſt, qui ſeſe opponat & obiiciat, qui intercedat, qui oret, מַפְגִּיעַ *maphegiahh,* ὁ ἀντιλαμβανόμενος.

Verſ. 2] Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui,

Verſ. 3.] Qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub Sole fiunt.

D Facilis intellectu ſententia quod attinet ad verba: ſed res quam continet, commodè accipienda, & ex quadam comparatione, vel exaggerata doloris expreſſione. Satius eſt viuere quantisvis vexatum ærumnis & pœnis, etiam damnatorum, ſi exactè ſecundùm philoſophiam loquamur, quàm prorſus deſiiſſe, & aliquando vixiſſe, quàm vitæ vſum nunquam habuiſſe. Aliqua ex parte, ac ſecundùm æſtimationem moralem felicior habetur nondum natus & viuo, & defuncto, quatenus nullum expertus eſt malum. Sic deplorans Iob [k] calamitates ſuas, & Ieremias [l] alienas & proprias, execrari videntur diem, quo ſunt editi, & præoptaſſe penitus non prodiiſſe: & Chriſtus melius dixit Iudæ non naſci [m]: atque eum, qui eſt minor in regno cœlorum, maiorem

k c. 3. 1. & ſeq. c. 10. 18. 19.
l c. 20. 14.
m Matth. 26. 24.

E eſſe, quia corporis onere liberatus eſt, quàm Ioannem Baptiſtam [n], qui dum viueret, poterat id vſurpare [o]; *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Beneficij quoque loco fuit Ezechiæ [p], & Ioſiæ [q], non videre mala, quæ comminatus erat Deus, aut eripi priùs ex hac vita. Hoc modo Hieronymus: qui cùm ſubdit veluti rationem, quòd animæ noſtræ antequam ad corpora iſta deſcendant, verſentur apud ſuperos, & tādiu beatæ ſint, quādiu cœleſti Ieruſalē, & choro perfruantur Angelico, vt proinde felicior ſit, qui nōdū eſt natus, profectò de propria ſua ſētētia

n Matth. 11. 11.
o Rom. 7. 24.
p 4 Reg. 20. 19.
q 4 Reg. 22. 21.

non loquitur: est enim hæc hæresis Origeniana damnata sæpe ab eodem Hieronymo [a], purgante etiam seipsum contra Ruffinum, quòd eam sequi diceretur, & asserente vt plurimùm in se notari errorem improuidum posse, dogma peruersum non item, hoc est, falsam ex animo sententiam: & Epiphanij vertit è Græco super erroribus Origenis epistolam [b] ad Ioannem Ierosolymitanum, è quibus hic vnus est. Denique hoc loco ipse quidem præsentem sententiam exponit eo modo, quem diximus; rationem autem apertè profitetur se ex aliorum ponere opinione, indicans proculdubio Origenem, quem præter citata loca, multis aliis refellere solet, & hîc dum priùs suam expositionem traderet, quamuis tacito nomine. Eundem quoque confutat Olympiodorus errorem; quia si demittitur anima in corpus propter præcedentia peccata, non erat priùs felix: *quem enim diligit Deus, arguit, & castigat omnem filium quem recipit* [c]; imò nunc quàm antè felicior ob eandem causam. Denique docet Salomonem non indicare præexistentem animam, sed eũ, qui in nullã existentiam venerit, nihilque fuerit, hoc est, neque compositus homo, neque vel humanum corpus, vel anima seiuncta.

a epi. 8. ad Demetriad. & 27. ad Eustoch. & 59. ad Auitum, quid cauendum in libris περὶ ἀρχῶν. & ep. 61. ad Pammach. de errorib. Ioan. Hierosolymitani.
b est apud Hierony. epi. 60.
c ad Heb. 12. 5. & Apoc. 3. 19.

Idem verò auctor præter mysticam intelligẽtiam, quæ potest censeri tertia expositio, multo feliciores esse, qui mortui sint peccato, viuentes in Christo, quàm qui viuunt in peccato: & beatiores esse mortuos, tum iustos, quia labores deseruerunt, tum peccatores, quoniam lassabantur hic in peccatis [d], & videlicet leuiùs puniuntur, quo secum pauciora deferunt peccata: postquam etiam locum explicauit, sicut retulimus Hieronymum fecisse, difficultatem soluit, si præstitisset infelici peccatori non nasci, Deus cur eum creauit, qui bona cuncta [e], & bene fecit [f]? Respondet, verba hîc expressa non prodire à persona sapientis, & fidelis, vt nec talis est qui luget immodicè pro his, quæ iniustè patitur, cùm potiùs lætandũ sit [g]: cæterùm in comparatione horum duorum, bonum videri non esse in rerum natura, nã alioqui Martyres, Apostolos, Prophetas, cunctosque, qui secundùm virtutem vixerunt, si interrogentur, multo malle vitam hîc egisse, eoque nomine gratias etiam Deo referre, quòd licuerit hîc decertare, atque tales sibi gloriæ coronas plectere, & imponere. *Beati* enim *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* [h].

d Sap. 5. 7.
e Gen. 1. 31.
f Mar. 9. 37.
g Heb. 10. 34.
h Matt. 5. 10.

Thaumaturgus quartum mihi videtur innuere modum dicendi, ita vt Salomon ipse tãquam sapiens seriò loquatur. Enimuerò (sic paraphrasticè loquentem inducit) ex consceleratis, & audacibus (qui alios opprimunt) ij, qui ex hac vita migrarunt, meliori conditione sunt, quàm qui etiamnum viuunt: vtrisque autem præferendus, qui similis eorum futurus est, nec creatus adhuc est, quoniam hominũ improbitatem nondum attigit. Vult hic auctor felicitatem nondum nati esse, quòd peccato (quæ summa miseriã censenda est) præsertim rapinæ, & violentiæ, de quo proximè sermo fuerat, non sit infectus.

Quintò Lyranus per nondum natum intelligens abortiuũ, docet feliciorem dici, quia nõ habet experientiam vllam mali pœnę, aut mali culpæ actualis, & sic nõ sustinet aliquam pœnã sensibilem, sed habet vitã magis delectabilem, quàm possit haberi in vita præsenti, secundùm omnes Doctores, qui loquuntur de morientibus in solo peccato originali. Carthusianus fauet. Hugo Cardinalis attingit hos omnes sensus. Mihi primus aptior videtur. Nec verò nasci, semper est prodire ex vtero, sed concipi duntaxat, vt ibi; *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est* [a]; &, *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* [b]: vt propterea per nõ natũ minime sit necesse nos abortiuum intelligere, qui tamen etiam nõ caret sensu intra vterũ. Et Origenes [c] tractans hunc ipsum locũ, distinguit ab abortiũ eum qui dicitur nõdũ natus, qui ne ad conclusionem quidem vuluæ carnalis peruenit. Cum sententia nostra conuenit quod quidam [d] dicunt hanc esse prouerbialem locutionẽ sumptam de vulgo, & continere quid hyperbolicu, & vsurpari non tã deliberato animi iudicio, quam per querimoniam, quæ mala sua amplificare solet. Qua etiã ratione prædicens Christus futuram calamitatem, fore dicit, vt tũc dicantur *beatæ steriles, & ventres qui non genuerũt, & vbera quæ non lactauerunt* [e]. Sic præter eos quos priùs dixi Iob, & Ieremiã, quibus adiice Mosen [f], Tobiã [g], Eliam [h], Paulum [i], Mathathias pertæsus gẽtis suę cladem, & deiectum præcipuè cultum Dei, lamẽtabatur [k]; *Væ mihi, vt quid natus sum, videre contritionem populi mei, & ciuitatis sanctæ*, &c. *Quid ergo nobis adhuc viuere?* Hæc de re Antonius Melissa [l], Stobæus [m], Origenes, [n] Abulensis [o]. Tali Polycarpus affectus tædio exclamabat, o bone Deus, in quæ me tempora seruasti, vt hæc patiar [p]?

a Matt. 1. 20.
b Luc. 1. 35.
c hom. 7. in c. 12 Numer.
d Maldonat. Matt. 26. 24.
e Luc. 23. 29.
f Num. 11. 15.
g c. 3. 6.
h 3. Reg. 19. 4.
i 2. Cor. 1. 8.
k 1 Mach. 2. 7. 13.
l 1. sermon. 10. co 58.
m serm. 119.
n hom. 8. in Leuit.
o 3. Reg. 19. q. 4. & lib 4. c. 22. q. 20.
p Eusеb. 5. hist. c. 19.

Ambrosius [q] intellexit mortuum præferri viuenti, quia peccare desiuit: mortuo præferri, qui natus non est, quia peccare nesciuit. Idem [r] præterea colligit ex hac & similibus sententiis Sanctorũ [s], nobis in votis esse debere mortem, cùm dies natiuitatis origo sit incommodorum: & si viri sancti vitam fugiunt, quorum vita, etsi nobis vtilis, sibi tamen inutilis æstimatur, nos id facere potius oportere, qui nec aliis prodesse possumus, & nobis vitam hanc quasi fœnebrem pecuniam vsurario quodam cumulo grauescentem onerari in dies peccatorum ære sentimus. Porrò exaggerat, Salomonem, quẽ sanctũ nominat, errare hac in parte, ac mentiri non potuisse, qui tantam sit à Deo sapientiam consecutus rerũ aliarum minorum [t]. His affinia loquitur Origenes [u], expendens quo pacto sit vniuersa vanitas omnis homo viuens, nimirum etiamsi Moses ipse in hac vita viuat, vbi necessitas corporis est, & ex parte solùm cognoscit, & prophetat, quod est postea destruendum, cùm venerit quod perfectum est [x].

q in Psal. 118. octona. 18.
r lib. de fide resurrect.
s Iob. 3. 3. Psal. 38. 5. & Psal. 119. 5. Ierem. 15. 10. 1. Cor. 15. 19.
t 3. Reg. 3. 12. & seq. Sap. 7 & seq. Eccl. 47. 15 & seq.
u hom. 8. in Psal. 38.
x 1. Cor. 13. 12.

Argumentatur hinc Hieronymus [y] præterea promissum illud diuinum parentes honorantibus [z], vt sint longæui super terram, non esse carnaliter intelligendum. Multos enim fuisse credẽdum, inquit, qui & parentibus obsequentes citò mortui sint, & in parentes impij vsque in extremam venerint senectutem: sed & Dauid [a] deplorare prolongatum incolatum, & Salomonem hîc, & capite sexto [b] præferre viuis mortuos, imò nec natos quidem vtrisque. Verùm scopulus ille desperationis vitandus, ad quẽ se quidam præ animi impotentia, & impatientia allidunt, mortem sibi ipsis afferentes, quam ærumnosæ vitæ præferunt. Non vitabunt æternam, quam desiderant miseri mortem, sed fugiet ab eis [c]. Quocirca mori velle, vt peccati sordes deteres, & coniungare summo bono, laudabile: non ita, si vt acerbitates ac dolores vitæ dũtaxat effugias. Ex hoc secundo genere Philosophi nonnulli fuerunt, & hi qui non nasci longè optimum affirmabant, quos eo nomine

y lib. 3. in c 6. Ep. ad Eph.
z Exod. 20. 12.
a Psal. 119.
b vers. 3.
c Apoc. 9. 6.

meritò refutat Lactantius [a], aliique, Ausonius [b] immeritò laudat;

Cuncta tibi aduersis contraria casibus. Ergo
Optima Graiorum sententia, quippe homini aiunt
Non nasci esse bonum, natum aut citò morte potiri.

Et laudaui.] Symmachus (ἐμακάριστα, *beatificaui.*) Obiicit Origenes [c], mortem esse communem, nulli ex proposito venire voluntatis: laudem non mereri quempiam in eo, quod contra propositum patitur. Respondet, de morte spirituali sermonem esse, per quam mortuus cũ Christo [d], & ei confixus cruci, viuas non tu, sed ille in te, & sis quoque peccato mortuus. Hic erat vnus ex sensibus allatis; sed mysticus. Constat verò laudem καταχρηστικῶς tribui etiam rebus rationis ac voluntatis liberæ vsu, imò & sensu ac vita carentibus, quæ & ad laudandum ipsæ prouocantur. Simili ratione Iob noctem, in qua conceptus est, negauit esse laude dignam [e].

Mortuos, quàm viuentes.] Maior emphasis in Hebræo, & Græco (*mortuos, qui iam mortui sunt, magis quàm viuos qui viuunt vsque adhuc*, vel *nunc*) Chaldæus (*iacentes, qui ecce iam mortui sunt, qui non viderunt visionem, quæ venit in seculũ post mortẽ suam magis quàm viuos, qui vixerunt in molestia vsque nũc.*)

Feliciorem.] Imperatori vt proprium tribui solere felicis epithetum colligitur ex Plinio iuniore [f], necnon ex Prospero [g], qui sic etiam canit,

Felices dici mos est quos blanda potestas
In summos apices tumidorum euexit honorum.

Attamen summus Pontifex appellatur beatissimus, & voce abstracta, beatitudo; quia præest iis mediis quæ ad adipiscendam beatitudinem instituta sunt: exemplo item fortassis quodam Petri, qui beatus à Christo cognominatus est [h]. Hoc loco generalior nominis vsus.

Vers. 4.] Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi, & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est.

ALterum in rebus humanis exponit graue malum inter æquales ferè, scilicet inuidiæ; cum oppressiones, de quibus antè dixit, proueniant magis à potentioribus, & superioribus, ita vt si quis hos euadat, effugere non possit illos: & dum vt decliner eorum veluti desperatam sententiam, qui mortuos viuis anteferunt ob ærumnas istas, procuratis bonis, quæ possunt, fortunæ, existant, qui huiusmodi industriæ inuideant. Nihil iniquius inuidia, diabolico vitio [i]: *diaboli enim inuidia mors intrauit in orbem terrarum* [k]. [Omni venia caret, inquit Chrysostomus [l]: prætendunt alia vitia occasiones, licèt frigidas, & irrationabiles; nullam illa nisi intensam malitiam.] Id prior dixit Demosthenes [m], Basilius [n] item, quia maximè pudet, inquit, aperire hunc morbum.

De hac plurima disputantur à sacris, & profanis auctoribus, & exemplis, ac rationibus eius incommoda demonstrantur [o]. Testes primi duo fratres, Abel, inquam, & Cain [p]; Esau [q] item, & Iacob, filij istius [r]; fratres Mosis [s]; Dathã, & Abiron [t], atque Saül, & Dauid [u]: testes tot hæresiarchæ, quos liuor vnus excitauit: primi postremò etiam fratres vrbis Romæ conditores, de quibus inter alia Lucanus [x]:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Tandem nullum cum tanta iniquitate peccatum tantam quodammodo coniunctã habet æquitatem: suũ namque possessorem vexat cruciatque, & eum qui æqualem ferre non potest, reddit inferiorem, ac sternit: *paruulum* namque *occidit inuidia* [a], stultũ esse declarans, & animi pusilli, leuem facilémque, & pueriliter ad concupiscendum, atque ad indignandum effrenem, corpore, non solùm animo inualidum. *Putredo ossium est inuidia* [b]: *zelus, & iracundia minuunt dies* [c]. Argutum ac sapiens Plinij iunioris [d] monitum. [Disertior ipse es? (indignatur inuido super re literaria) tãto magis ne inuideris: nam qui inuidet, minor est. Denique siue plus, siue minus, siue idem præstas; lauda vel inferiorem, vel superiorem, vel parem. Superiorem, quia nisi laudandus ille non est, nõ potes ipse laudari: inferiorẽ, aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam, quàm maximum videri quem excedis, vel exæquas.] Christo inuiderunt ciues Nazaræi [e]; & præcipitare de supercilio montis voluerunt, non credentes, detrahentes, delere quoque famæ ipsius celebritatem volentes. [Quamuis autẽ par pari sæpiùs inuidet, vt ei, ui ciuis; tamen interdum inferior maiori, quia ei non coæquatur, inquit Augustinus [f], superior inferiori, ne hic ei coæquetur, sicut pari par, quoniam coæquatur.] Certè si magna sit disparitas, non habet locum inuidia. Legendus Aristoteles [g], & Plutarchus [h].

Industrias.] Hebr. (*omnem rectitudinem operis*) Græcè (*omnem fortitudinem operis*) habet vetus trãslatio (*virtutem:*) & Hebræa vox כשרון *chisron* denotat quoque congruentiam, & aptitudinem. Pro ἀνδρείαν Symmachus legit γοργότητα, *vigorem, & alacritatem.* Hieronymus exponit fortitudinem, & gloriam laborantium. Comprehenditur vocabulo isto, vt & *laboris*, quod præcedit ante hoc, quicquid ab egregio viro, sicut cum vno vocat nomine Thaumaturgus, potest præstari in omni genere artium, vel scientiarum, vel virtutum, & facultatum, vnde gloria proueniat, dicique gloriosus, vt idem Hieronymus, atque Alcuinus loquitur, valeat. Concedo conflari inuidiam vndecumque quis prosperè agat, etiam malis artibus: at non video cur tam latè patentem inuidiam Olympiodorus ad hoc genus restringat, quæ quo non minus comes rectè factorum, ac virtutis est; ita vt fortunam cum inuidia fingerent colligatam [i].

Quisnam impacata consanguinitate ligauit
Fortunam, inuidiámque Deus? quis iussit iniquas
Æternum bellare Deas? nullámne notabit
Illa domum, toruo quam non hæc lumine figat
Protinus, & sæua perturbet gaudia dextra?

Animaduerti patere inuidiæ proximi.] Hebraicè, & Græcè (*vidi quòd hoc est Zelus*, vel, *hic est Zelus viri ab amico suo*, vel *supra amicum*, aut *proximum.*) *Zelum* Græcum vocabulum distinguit Olympiodorus ab *inuidia.* Diximus de illo alibi [k], & est ἀδιάφορον ad bonum, & malum. Eadem ratio de Hebræo קנאה *kinath*, vnde quidam cognominati Cananæi [l], & Zelotæ [m]. Non dubium quin hic sumatur in deteriorem partem. Aptior intelligentia de inuidia, qua quis alium prosequitur strenua facientem, quàm de ea, qua quis extimulatur, vt strenuè quoque se gerat, ne alteri habeatur inferior. Hæc tamen Titelmanno non displicet.

a lib. 3. c. 18. b edyllio 7. c hom. 7. in c. 11. Numer. d Gal. 2. 19. 20. e c. 3. 7. f lib. 5. epist. 18. g carm. de prouid. h Matth. 16. 17. i August. 6. cont. Iulia. c. 2. de disciplina Christ. c. 2. serm. 216. de tempore. Cyprian. lib. de zelo, & liuore. Bern. ser. 33. in Ps. 90. Irenæus lib. 4. c. 78. Tert. lib. de patiẽt. Chrysosto. in c. 12. 2. ad Corinthios. Basil. hom. de Inuidia, & hom. in aliquot Script. locos. Greg. 5. moral. c. 31. & 3. p. Pastoralis, admonitione 11. Ephrem. tom. 1. pag. 37. k Sap. 2. 24. l hom. 41. ad popul. m ad Leptinem. n hom. in aliquot Scripturæ locos. o Cypr. supr. aud. serm. ad fratr. in eremo apud August. tom. 10 serm. 18 August. serm. 83. de temp. Nazian. orat. 27. Antioch. homil. 45 Maxim. confessor serm. 14. Anto. Meliss. serm. 62. alij apud Stephan. Belengardum in sententus. p Genes. 4. q infrà 27. r infrà 37. s Num. 12. t infrà 26. u 1. Reg. 18. 8. & inde. x lib. 1.

a Iob. 5. 2. b Prouer. 14. 30. c Eccli. 30. 26. d lib. 6. epist. 17. ad Restitutum. e Luc. 4. 28. & seq. f 11. Genes. ad lit. c. 14. g 2. Rhetor. c. 10. & 11. h opusc. de fraterno amore. i Stat. 5. Sylu. k Act. 5. 17. c. 13. 45. l Matth. 10. 4. Marc. 3. 18. m Luc. 6. 15. Act. 1. 13.

Et in hoc ergo vanitas, & cura superflua est.] Pro (*in hoc*) Hebraice, & Græcè est (*hoc*) id est, res ista: pro (*cura superflua*) Interpres aliàs hoc libro vertit (*afflictionem spiritus*) non semel; quibus locis sunt eadem nomina, Hebræum רְעוּת *rebhuth*, & Græcum, προαίρεσις. Nescias de quibus sit sermo, vel de inuidente, vel de illo, cui inuidetur. Olympiodorus de vtroque videtur intellexisse; voluit enim etiam posteriorem improbum esse, & iniquè fortunatum. Consentit Hugo Victorinus, volens, si non iniquam, certè superfluam eiusdē, anxiámque curam notari, quæ prouocet aliorum inuidiam. Cæteri de primo; & quidem meliùs: inuidi enim pœna est angi, & cruciari maleuola felicitatis alienæ cogitatione, vt iam dixi, & passim auctores, quorum de hac re sententias vno verbo satis expressit noster Salomon, quem priùs citaui, quando descripsit inuidiam putredinem ossium [a]; de quo loco Gregorius [b], vt mihi videatur in quo sit φθόνος, in eodem & φόνον esse: in qua etiam paronomasia ludit Paulus dicens [c], *plenos inuidia, & homicidio*, & Basilius oratione de inuidia. Animæ tineam vocat Augustinus [d], tabē, rubiginem, carnificem, viperam. Eadem inuidiæ, hísque plura Basilius [e] epitheta percenset, vt vulturum, & muscarum, quæ cadaueribus pascuntur ac vlceribus. Optimum verò remedium proposito maximè accommodatum tradit, nihil ex his bonis, quæ materiam inuidię suppeditant, magnifacere, sed fluxa, vanáque, pro vt sunt, existimare. Omittam cætera, quæ huc afferri possent de pernicie, & curatione tanti morbi. Ad rem facit allegoria Charybdis, & Scyllæ poëticè descripta [f].

a Prouer. 14. 30.
b 5. libr. moral. c. vlt. & 3. p. Pastoral. c. 11.
c Rom 1. 29.
d serm. 83. de tempore.
e homil. de inuidia.
f Anulus in picta poesi.

Inuidia obtrectans monstris est Scylla caninis;
Funditus at mergens paupertas, vasta Charybdis.
Incidet in Scyllam qui vult vitare Charybdim.
Allatrat liuor mordax, absorbet egestas.
Ex vtroque malo minus elige, qui sapit, optat
Inuidiosus enim mage, quàm miserabilis esse.

Imò sapientior qui deflectit ad Charybdim potiùs, quàm ad Scyllam, pauper malens quàm inuidus esse: sed omnino tamen præstat vt sis talis, cui maleuolus inuideat, maximè propter animi bona, quàm in quo nullus, quamlibet ad maleuolentiam pronus, inuidentiæ materiam reperiat: hoc miseriam, illud felicitatem in te quandam indicat.

Vers. 5.] Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens:

Vers. 6.] Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum laborè, & afflictione animi.

VEriti quidam aliorum inuidiam natam ex industria, & laboribus, dedunt se inertiæ, atque otio; quasi hoc sit, vt dixit ille [g], frustra niti, & nihil aliud, nisi odium quærere, quod extremæ dementiæ est: ac præstet sibi ipsi viuendo, secúmque habitando, & ab omni se negotio remouendo, declinare inuidos, & obtrectatores, quamuis toleranda veniat summa egestas.

g Sallust.

Thaumaturgus priorem versum de inuido exponit, qui acerbo animi mœrore consumatur: posteriorem de sapiente, & cordato, qui propter alteram manum cum facilitate, & lenitate implere, quàm vtramque ærumna, & fraudulenti spiritus (quo ducitur inuidus) calliditate, & versutia. Hieronymus vtrumque ponit sensum, licèt non eum etiam accommodet ad posteriorē versum. Primus placet, quem solum sequitur Salonius, Albinus, Hugo Victorinus, Bonauentura, & alij, qui tamen mysticos alios addunt. Videtur penitus sic Interpres intellexisse, addendo (*dicens*) quod nulla alia editio habet. Frigida ac friuola excusatio, ideo otiari, ne inuideat alius: vel sic inuidere, vt alienos labores mordendo socors sis, vecordiámque interpreteris eorum, qui strenuè laborent, quasi semet ipsi conficiant, quod ipse facis & ob egestatem, & præ liuore. Hoc est quod priùs dicebam, satius esse, vt quis inuidiosus sit, quàm miserabilis; quæ vulgaris multorum sententia est, vt Herodoti [a], & Pindari [b], qui hortatur etiam, ne quis inuidiæ metu honesta prætermittat. Verè illud quoque Cato senior, moderatè vtentes fortuna nequaquam inuidia peti: nec enim ipsis, sed quæ circumstant ipsos, bonis inuideri: & inuidiam virtute partam dixit summus Latinorum Orator [c] gloriam, non inuidiam putandam.

a in Thalia.
b in Nemeā hymn. 8. & Pythi. hymn. 1. & 11.
c Cic. 3. Catilin.

Cæterùm ego inter homines (ait Chares) *tamdiu mihi videor*
Esse fortunatus, quamdiu inuidiosus fuero.
Inuidiam non probo (inquit Euripides) *velim tamen*
Propter bona mihi ab aliis inuideri.

Stultus.] Generaliter quicumque peccat, stultus est: attamen inuidiæ summa stultitia; nam, vt ait Terentius [d]:

d in Adelphis.

Hoccine est credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam vt siet,
Vt malis gaudeat, atque ex incommodis
Alterius sua vt comparet commoda?

Sed & *qui sectatur otium, stultissimus est*, ait sacra parœmia [e], pigrum etiam doctrinæ causâ, & sapiētiæ remittens ad formicam [f], & docens quòd impatientia (est otiosus laboris impatiens) operatur stultitiam [*], vt sibi quis non prospiciat. Hebræa dictio כְּסִיל *chesil* denotat inconstantem, qualis solet essē otiosus, vacans ac indulgens variis superuacaneis cogitationibus.

e Prouer. 12. 11.
f Prouer. 6. 6.
* Prouer. 14. 17.

Cōplicat manus suas.] Græcè (περιέλαβεν τὰς χεῖρας αὐτοῦ) Symmachus (περιπλέκεται ταῖς χερσὶν αὐτοῦ.) Chaldæus ita exponit: Stultus vadit, & complicat manus suas in æstate, & nō vult laborare. *Abscōdit piger manum sub ascella sua, & laborat si ad os suum eam conuerterit: sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias* [g]. Rectè; hoc de opinione sapientiæ: nullus enim se sapientiorem æstimat, quàm qui maximè stultus: otiosus verò, quia dānat aliorum labores tanquam vanos ac stultos, & cùm agat nihil, scrutatur curiosè dicta, factáque sapientum, carpens ac redarguens, tanquam illis sapientior. Pro ascella in citatis locis Prouerbiorum est צַלַּחַת *tsallachah, olla, seu lebes & scutella*, quasi tantus sit torpor, vt piger manū, quam indidit illuc ad escam capiendam, præ tædio non educat. Quamuis per translationem dicatur de sinu, qui κόλπος ibi dicitur, siue de ascella, vbi manus abscōditur, vt quidpiam solet in olla, & scutella abscondi. Si de inuido esset sermo, cōplicatio manuū index doloris esset de aliena felicitate, vt notauit Hugo Cardinalis, exponens præterea tropologicè sententiam totā de auaro, superbo, & de insipiēte doctore, siue prædicatore: qui postremus sensus est Gregorij [h], sic interpretantis

g Prouer. 26. 15. 16. & c. 19. 24.
h 22. moral. c. 10.

allata

allata prouerbia. Quoniam talis nec hoc vult, inquit, operari, quod dicit. Gestus tum desidentis, tum dolentis manus sunt deiectæ, lassæ, dissolutæ, remissæ, complicatæ, sicut & genua trementia, soluta, debilia, collidentia sese, infirma, vt plures Scripturarum docent loci [a]: tum in Epistola ad Hebræos [b], vbi simul vtrumque indicatur: *Omnis, inquit, disciplina in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris: propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris.* De genibus Virgilius [c] dixit labare, Homerus [d] dissolui.

a Iob 4.4. Esa.35.3. Naum 2.10. Hebr.12.12.
c Aeneid.5.
d Odyss.4. Iliad.15.

Acutum est magis quàm solidum, quod Hugo S. Victoris notat complicationem manuum designare pactum, quod piger paciscatur cum otio, alludens ad ritum paciscendi per mutuam exhibitionem, atque constrictionem manuum. Ad laborem nati sumus [e], negare non possumus naturam, & fœdus inire contra illam. Rari prorsus, quibus iniectio sola pallij prophetiam tribuat, vt Elisæo [f], vel qui, tanquam Esdras, cum calicis haustu sapientiam imbibat [g] (quamuis id apocryphū sit, & fortassis falsum;) vel quos puncto temporis repleat Spiritus sanctus peritia linguarum, donisque alijs [h]. Exerendæ manus ad opus, acuenda industria, labores ineundi. Sæpe in pigrum Sapiens inuehitur: sed cum exprobratione obiicit ei somnum, & quidem non obrepentem, sed procuratum. *Vsquequò* [i] *piger dormies?* &c. *paululum conseres manus, vt dormias.* vbi Hebraicè est מְעַט חִבֻּק mehhat chibbuk, *parua complicatio manuum*, nempe ad cubandum: Græcè, *suffarcinabis manibus pectora*, ὀλίγον ἐναγκαλίζῃ χερσὶ στήθη.

e Iob.5.7.
f Ioseph.8. Antiq.c.2.
g 4. Esd.14. 38.39.40.
h Act.2.4.
i Prou.6.9.10.

Qui dormiunt libenter, sine lucro, & cum malo quiescunt [k].

——Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus [l]. ——

k Plautus.
l Hora. lib.1. serm. Saty 9.

Dij laboribus omnia vendūt, πάντων καλῶν ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν. Ineptè Rabbini sententiam ex Prouerbiis [m] de conserente manus, vt dormiat, ad vxorios amplexus referunt. Desidiam, & inertiam ea formula significat, sicut cōpressas tenere manus apud Lucanum [n]; apud Liuium [o] compressis manibus sedere; manus habere sub pallio apud Quintilianum [p]; cui opponitur habere τὼ χεῖρε ἔξω, vel ὑπὸ κόλπῳ apud Theocritum, in sinu, & in quodam Psalmo [q]; manum extra pallium, vt Æschines loquitur. Lege Delrij nostri Adagialia [r]. Adhuc nonnulli declarant, quòd non est homo, qui non peccet, quia qui non peccat, non est homo, sed maior homine. Similes autem recitat idem Delrius [s] formulas ex profanis sententiis Sophoclis [t], Theognidis [u], Horatij [x], Ciceronis [y], Plinij iunioris [z]. Primus ait, quòd

m c.6.10.c. 24.33.
n lib.2.
o lib.7.
p lib.12.
q Ps.73.11.
r tom.1. adag. 102.
s Adag. sacro. to.1. adagio 300.
t in Antig.
u in sententia.
x lib.1. ser. Saty 3.
y lib.10. epist. 20. & Philip. 12.
z lib.8. epist. 22.

Τοῖς πᾶσι κοινὸν ἐστὶ τὸ ἐξαμαρτάνειν.
Omnibus commune est delinquere.

Secundus,

Οὐδεὶς ἀνθρώπων αὐτὸς ἅπαντα σοφός.
Nemo mortalium omnibus horis sapit.

Tertius,

Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est
Qui minimis vrgetur. ——

Quartus, [cuiusuis hominis est errare.] Quintus ex Thrasea; [qui vitia odit, homines odit.] Quamquam Christiani, & sapientis etiam est, præter morem vulgi, præsertim infidelis, amare homines, vitia odisse. Incerti etiam illud est;

—— *Nemo sine crimine viuit.*

Simonidis præterea senarium Stobæus refert;

Πημάτων δ' ἄμμορος οὔτις, οὐτ' ἀκήριος.
Non vllus expers crimnis, non mortis est.

Scholiastes Horatij Lambinus producit Theognidem, Demosthenem, Themistium, affirmantes Deorum proprium esse non peccare.

(*Comedit carnes suas.*] Ambrosius [a] legit in præterito (*complexus est manus suas, & deuorauit viscera sua.*) Hyperbolem agnoscunt omnes pro vel extrema indigentia, vel angore inuidiæ: Scripturis verò non infrequentem hyperbolem docent esse Augustinus [b], Isidorus Pelusiota [c], Cyrillus Alexandrinus [d]; huiúsque vsum figuræ prouerbij loco esse tradunt Quintilianus [e] & Seneca [f], ita vt non fallat, vel mentiatur: sed vt credatur ac intelligatur per excessum illum figuratū, quantum credi, atque intelligi par est; & incredibilia hyperbole affirmat, vt ad credibilia perueniat. Addit Hieronymus spiritualem sensum de illo, qui carnis vescatur operibus, quia viuat secundùm sapientiam carnis, non secundùm opera spiritus. Olympiodorus hoc quoque sequitur, quasi complexus manuum significet blanditias, ac veluti exosculationem, nimiúmque amorem sui, prosecutionem turpium operationum, vnde sibi quis supplicium paret. Sed & illud affert de otioso; ita tamen, vt comedere carnes sit, cùm quis otij damnum sentiens, dolore distabescit. Adde, cùm macrescit, & consumitur, non habens quo se reficiat. Nec hyperbole tanta est, vt sit incredibile, quod Salonius tamen dicit, aliquem comedere carnes suas, agitatum grauiore animi perturbatione, aut morbo. Sic illi, super quos Angelus effudit phialam, commanducauerunt linguas suas præ dolore, blasphemantes Deum cœli præ doloribus, & vulneribus suis [g], id est, præ indignatione, ac rabie sic illas mordebāt, & concidebant, atque si reuera ipsæ manducarentur. Idipsum dicunt Græci ἐσθίειν τὰ χείλη: Latini, *mordere labrum* [h]. Ad eundem ferè modum Iob dicebat [i], *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?* Vbi Philippus, qui sub Hieronymi nomine extat, exponit vt sonat; potuisse namque fieri, vt extorquentibus eū nimiis cruciatibus, manus, siue labia sua dentibus laceraret, & se iam tormentis deficientem, animam exeuntem, velut efferendam portaret in manibus. [Qui in cruciatibus suas carnes mordent, ait Chrysostomus [k], alleuari se sentiunt.] Verùm existimo hîc sensum esse de inedia, & fame, qua se vel nolens conficit, qui laborare non vult. Quo pacto propter defectum virium, atque languorem, morbósque, qui ex immoderato luxuriæ vsu proueniūt, admonet Salomon in Prouerbiis [l]; *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli; ne fortè gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum.* Chaldæa præsentis loci paraphrasis carnium comestionem interpretatur de his, quæ domi suppetunt ad viuendum, & vestiendum (*stultus vadit, & complicat manus suas in æstate, & non vult laborare; & in hyeme comedet quicquid est ipsi, & etiam operimentum, quod est super pellem carnis suæ.*) Posset præterea comestio hæc extendi ad ea bona, quæ sunt necessaria familiæ, vxori, filiis, fratribus, &c. Significat enim caro ista omnia [m], & otiosus paterfamilias insumit quæ conferre deberet in familiam.

a epist.36. ad Sabinum, ex veteri edit. & 30. ex Roma. & in Ps.104.
b epist.59.
c lib.2. epist. 99.
d lib.12. in Ioan.c.68.
e lib.8.c.6.
f vit. de benefic.c.23.
g Apoc.16.10.
h Lege adagium, mordere labrum.
i c.13.14.
k in catena Iob.
l c.5.11.
m Gen.2.24. c.29.14. c.37.27. Leuit.18.12. Matt.19.5.6. Rom.11.14. 1.Cor.6.16. Ephes.5.31.

Tropologias de auaro, malo doctore, & similibus, vide apud Hugonem Cardinalem. Ambrosius [n] eum, qui complexus est manus suas, explicat de corporalibus se negotiis implicante, cuius

n epist.36. veteris editionis, & 30. Romæ. & in Ps. 104.

mors viscera deuoret, vt non inueniat vitã æternam. Clemens [a] Romanus profert locum istum, vt probet voraci, temulentæ, otiosæ viduæ non esse largiendum. Lege similes phrases in Iob [b], de quibus doctus Commentator Pineda noster. Delrius autem ex nostris, etiam scriptor pereruditus annotat nonnulla in Adagialibus [c], quæ congruũt instituto, vt ex Deuteronomio [d], comedere fructum ventris, & carnes filiorum: ex Esaia [e], cibari hostes carnibus suis, & quasi musto sanguine suo inebriari: præterea ex Ouidio [f], suos artus lacero diuellere morsu, & infelix minuendo corpus alere, post attenuatas fame patrias opes.

a 2.constit. c.4.
b c.19.22.c. 31.31.
c tom.2.adag. 295.
d c.28.53.
e c.49.26.
f 8 Metamorph.

Dicens.] Dixi hoc non dicere cæteras editiones: Interpretem verò rectè apposuisse, vt necteret priorem cum posteriore sententia, tanquam prolatam ab stulto manus suas complicante, & comedente carnes suas. Immeritò Caietanus destrui docet sensum germanũ additione dicti participij, volens Ecclesiasten describere propriis suismet verbis duo extrema pigri, & nimiùm laborantis: vt iste cõplicet manus quasi charas, & ab opere immunes, sicque consumatur fame: hic impleat manum vtramque; at cum magno labore corporis, & afflictione animi: in medio sit virtus implentis volam cum requie, vt necessariò contentus viuat. Sententia ipsa omnino in se vera est, quoniam *melius est modicum iusto* (qui modum adhibet in acquisitione, vsúque rerum necessariarum) *super diuitias peccatorum multas* [g]: *melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni, & insatiabiles* [h]: *melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate* [i]: *melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio* [k]. Victui necessaria sufficiunt, vt sine paupertate, sic absque diuitiis [l]: quod Sapiens à Deo poscebat, necnon Tyaneus à Diis, cùm diceret; concedite mihi pauca habere, & nullius indigere. Vera sunt, inquam, hæc omnia, verùm non, vt voluit Caietanus, ad mentem auctoris, quam patiatur oportet, vt meliùs asseramus Interpretem assecutum adiectione participij (*dicens*) sicut priùs admonuimus. Fateor Gregorium Neocæsariensem fauere Caietano: sic enim seiungens sententias explicat hunc versum posteriorem. Atqui præoptarit vir sapiens & cordatus alteram manum cum facilitate, & lenitate implere, quàm vtramque ærumna, & fraudulenti spiritus calliditate, & versutia. Annuit & Hieronymus ex parte cum Albino, & aliis, qui quem vt literaliorem attulimus, non respuunt tamen sensum.

g Ps.36.16.
h Prou.15.16.
i Prou.16.8.
k Prou.17.1.
l Prou.30.8.

Olympiodorus mysticè declarat pugillum vnũ esse fidem in Christum Dominũ: duos, cùm quis duobus dominis vult seruire [m], ac in vtramque partem claudicare [n]: vnum denotare vnitatem ipsam, quæ materia caret: duos, res materiales, quæ diuidi possunt; & dualitatẽ haberi immundam in Scripturis, quæ, verbi gratiâ, narrant immunda animalia bina in arcam ingressa [o]: vnum, primum hominem sine Eua [p]: duos, hanc cum illo [q], atque cœlibatũ coniugio esse meliorem [r]. In his supponit, quod etiã Hieronymus hîc tradit, & Albinus, & alij, semper in Scripturis binarium notam esse mali, boni autẽ vnitatem. Idem notauit alibi Hieronymus [f] idem, tum etiã quia in mundi creatione ad secũdum diem iuxta Hebraicam, & Aquilæ, Symmachi, ac Theodotionis editionem nõ legitur, *& vidit Deus, quia bonum est*: sciudit enim binarius vnitatem, & bina in arcam

m Matt.6.24.
n 3.Reg.18. 21.
o Gen 7.2.
p Gen.1.& 2.
q ibidem.
r Matth.19. & 1.Cor.7.
f in c.1.Aggæi, & in c.11. Ezechiel. & 1. ac 2.con.Iouin. & epist. 47. ad Pammach cont. Ruffin.

A animalia immunda sunt illata [a], vt antè quoque retulimus, & Dominus tollens scissionem *fecit vtraque vnum* [b]: dixit quoque; *Ego, & Pater vnum sumus* [c], reuocans à Iudaica dualitate in vnionem fidei Christianæ: passus est sub duobus Pontificibus, vt religionis Iudæorum scissum monstraret errorem: peccator duas ingreditur vias, Deo seruiendi, ac mammonæ [d]: duos Iacob patri Isaac obtulit hœdos [e], id est, peccatores ex duobus populis; quos duo quoque cæci curati à Christo designant [f]. Eadem est opinio Bedæ [g], Augustini [h], Origenis [i], & Ruperti [k]. Pythagoras vnũ in serie bonorum, duo collocauit in malorum. Obiicere possumus, non tantùm quòd editio Septuaginta Interpretum secundo diei adiungit illa verba, quam lectionem recipiunt Ambrosius,
B Augustinus, Isidorus [l], Basilius, aliique non pauci; sed quamplurima per binarium in genere bonorum significata: duplex præceptum charitatis, duplicem tabulam legis, duo Cherubim in propitiatorio, duas naturas, & aduentus Christi (hæc sola notauit Bongus: [m]) duos denarios à stabulario prolatos pro eo, qui inciderat in latrones, binos Discipulos missos à Domino ante faciem suam; duos item ab eodem missos parare ipsi Pascha, duos in Emmaus proficiscentes, qui Dominum videre meruerunt sub specie peregrini; Discipulos duos missos ab Apostolis in Samariam: denique vt omittam cætera non minùs bona, quàm mala, cùm tota hæc etiam numerorũ my-
C stica ratio mihi semper visa sit valde incerta; paulo pòst audiemus, quòd *melius est duos esse simul, quam vnum*. &c. Lege Salmeronem [n].

a Gen.7.2.
b Eph.2.14.
c Ioan.10.30.
d Matt. 6.24.
e Gen.27.9.
f Matth.20. 34.
g in c.22. Lucæ.
h 15.de ciu. c.27.
i lib.4.in Genesim, vt citat Bongus.
k lib.3.in Ioan.
l de summo bono.c.10.
m lib.de myster. numero.
n tom.1. proleg.20.

Pugillus cũ requie.] Hebraicè (טוב מְלֹא כַף נָחַת *tob melo chaph nachath, bona plenitudo volæ requie*) id est, cum requie: Græcè (πλήρωμα δρακὸς ἀναπαύσεως) Symmachus (μετὰ ἀναπαύσεως) vetus translatio (*plenus pugillus cum requie*) Chald. (*implementum volæ vnius cibi in quiete animæ, & sine direptione, & rapinis.*) Inuidus, cui non opes tantæ, malis artibus deputat maiores alterius. Rectè *pugillus*, seu *pugnus paruus*, quod est δράκιον Græcè, Latinéque, redditum est pro *vola manus*, quam כַף *chaph* significat; vola enim ad capiendum extenditur, vt stringat quod ceperit, & comprimẽs
D digitos retineat: & δρὰξ significat quantum pugno comprehendi potest, perinde ac si pro mensura ipsa intelligatur: vt & pugnus, ac pugillus apud Latinos, & כַף *chaph* ob curuitatem ponitur pro concauo, quale cochlear. Melior est pugillus Sarephtanæ non deficiens [o]: sed non ad omnes Elias missus est, inquit Hugo S. Victoris. Stultus est, qui dum habet pugillum, attendit quietem, qua fruitur, non prospiciẽs in futurum honesta quadam prouidentia, & cura.

o c.3. Reg.17. 12.14.

Quàm plena vtraque manus.] *Manus* reddit Interpres eandem vocem Græcam δρακῶν, pro quibus Symmachus χειρῶν. Hebraicè verò est חָפְנַי *chaphenai*, significans quoque *volam*, seu *palmam*,
E & *interiorem partem manus*; qua dictione vtitur Chaldæus in hoc, & in priore membro. Implere manum, vel manus, quando de Sacerdote sermo est, significat vnctionis sacræ oleo manus implẽdo, vel in has imponendo sacrificia, & oblationes, illum ad hoc sacrum munus deputare, vel initiare. Nam quod vulgata editio habet in Exodo [p]; *cunctorum consecrabis manus*, Hebraicè est, *implebis*. Hoc sibi vult etiam quod in historia Regum [q] de facili falsorum Sacerdotum scribitur consecratione; *Quicunque volebat, implebat manum*

p c.28.41.
q 3.Reg.13.33.

suam,

suam, & fiebat Sacerdos excelsorum.

Cum labore, & afflictione animi.] Chald. (*in direptione, & rapina.*) Non sunt hæc sine labore, & afflictione animi: latiùs tamen patet sententia. Eleganter ait Hieronymus, iustitia requiem habet, iniquitas laborem. Sed nec hoc verbis illis importatur ex dicentis intentione, si est vel inuidus, vel otiosus.

Vers. 7.] Considerans reperi & aliam vanitatem sub Sole.

Vers. 8.] Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.

REdit ad vanum auari laborem, nec rebus vtentis, quas comparauit, nec hæredi relinquentis. Quæ tanta vecordia est, vt non contentus semel, iterumque capite secundo [a] & tertio [b] id serió, ac multis dixisse, repetat hîc quoque tertió? Tu repetas inde quæ huc pertinent. Quosdam refert Hieronymus exponentes de Christo mysticè, quòd solus absque vllo comite ad saluandum mundum descenderit, quamuis multi sint filij Dei, & fratres Christi adoptione: laboris autem eius non esse finem, nec satiari nostram semper cupiendo salutem, vt quanto plus peccare quem viderit, tanto magis ad pœnitentiá cohortetur. Placuit & hic Albino sensus, atque Salonio. Ambrosius [c] tractat hanc allegoriam diligenter: [Est vnus, inquit, & non est secundus is, de quo dictum est; *Magister vester vnus est Christus* [d]; est vnigenitus Dei filius, solus, primus, vnus Deus, quod vult faciens, non quod imperatur (videlicet vt Deus est) est vnum quid cum Patre, vnicus sine peccato, solus sine adiutorio [e] (in passione) non est finis labori eius, quia pro omnibus aduocatus est apud Patrem [f], & infirmitates nostras suscepit, & pro nobis dolet, & infirmatur [g]: non satiatur oculus eius diuitiis, quia ipse est altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei [h], in quo sunt thesauri mysteriorum cælestium.] Recipio lubens adeò piam intelligentiam: at nó video qui constringi possint inde Ariani, asserétes Christum secundum esse, hoc est, infra Deum nobilissimá creaturam: nec enim puri mystici sensus argumenta sunt necessarió concludentia.

Considerans reperi & aliam vanitatem sub Sole.] Hebraice & Græce (*& conuersus sum ego, & vidi vanitatem.*) Olympiodorus circumspectionem oculorum mentis intelligit, & nihil vidisse eorum, quæ huius mundi gratia fiunt, ab hominibus, quod non sit vera vanitas, hoc est, inquit, nequitiæ hominum, & peccata. Malim cum reliquis referri hæc ad sequentia verba, vnámque designari certam, &, vt Chaldæus loquitur, decretam, vt sit in hoc seculo, vanitatem, quæ videlicet continetur in sequenti sententia.

Vnus.] Hoc loco idem valet quod *solus*, aliàs *primum*, vel *primarium*; item *quidam*. Chaldaicè hîc ponitur *vnicus* voce idem significante apud Hebræos, qui vnum dicunt אֶחָד *echad*, vnicum יָחִיד

a vers. 8. & seq.
b vers. 22.
c de instit. virgin. c. 10. 11.
d Matth. 23.
e Psal. 87. 5.
f 1. Ioan. 2.
g Esa. 53 num. 12.
h Rom. 11. 33.

A *iachid.* Eadem fere ratio de Græca εἷς, necnon de Latina voce *vnus*.

Et secundum non habet, &c.] Alij (*& non est secundus.*) Symmachus (*non erit.*) Ἐπεξήγησις est ista nominis præcedentis, quæ figura frequenter in Scripturis inuenitur, præcipuè in Psalmis. Voluit auctor significare, deesse hæredem legitimum, vt filium, & fratrem; quod magis explicauit paraphrasis Chaldaica (*& non est secundus præter eum, neque etiam filium, neque fratrem habet ad hæreditandú facultates eius.*) Similis formula est in Genesi [a]; *Mihi non dedisti semen: & ecce vernaculus meus hæres meus erit*: nesciebat enim Abraham an promissio Dei de semine intelligeretur de aliquo sibi in fi-
B lium adoptato, an ex carne eius naturaliter generando, ad quod tunc erat facultate destitutus. Hugo Cardinalis exponit de crudeli auaro, qui licèt habeat consanguineos, iis tamen charitate non est coniunctus. Olympiodorus eodem ferè modo, quòd ille seipsum tantùm diligat, ac foueat, nec habere quidem filios, aut fratres, aliósve curans affines, cùm contrà qui tales non habet, si charitate sit præditus, omnes talium loco ducat.

Non filium, non fratrem.] Possunt alij præter hos hæredes esse, tum institutione, seu ex testamento, tum ab intestato, quamuis testator nolit: nam si desint descendentes, id est, filij, vel horum loco nepotes, & pronepotes, siue per capita, siue per
C stipitem, succedunt ipso iure ascendentes, nempe pater, ac mater, vel aui, vel proaui [b], & admittuntur fratres defuncti, si qui sint, ac sorores ex parte patris simul, & matris eius [c]: tamen non tenetur testator deficientibus tum ascendentibus, tum descendentibus, instituere hæredes consanguineos in linea transuersali [d], licèt ab intestato succedant vsque ad decimum gradum inclusiuè. Mentio fit hîc de filio, & fratre duntaxat, quia sæpiùs accidit, vt quis tales habeat hæredes, & est magis rarum, vt filiis superuiuant parentes: & si filius desit, secundùm legem frater debet suscitare semen fratri, ita vt iste, si ex vidua fratris relicta filium suscipiat, filius ille nomen sumat de-
D functi, & hæreditatem [e]. Ratio iuris hæreditarij, & successionum apud Hebræos non erat eadem, quæ apud alias nationes viuentes Romanis, aliísve legibus: qua de re prætermisit disputare Sigonius in sua Republica Hebræorum. Si filius supperet, filiæ non accedebat hæreditas [f], nec ex parte: sed si filius deesset; in quo casu patris linea deriuanda quoque erat per filiam, vt contigit in filiabus Salphaad [g]. Ratio legis, vt seruaretur distinctio certa genealogiæ [h], quæ ducebatur ex maribus, qui non transeunt in aliam familiam, sed filij à patribus denominantur; fœminæ aggregantur familiis virorum: per possessiones autem cuiusque talis distinctio dignoscebatur.
E Exemplum hoc tempore potest esse ius, quod vocant primogenituræ, in quo soli filij mares succedunt.

Præterea successio hæreditaria, perinde vt in dicto iure primogenituræ, fiebat ex toto, seu esset per testamentum, seu ab intestato, quantum ad immobilia; quia non licebat patri de his disponere tradendo alteri nomine legati, aut hæreditatis: imò nec dum viueret, poterat alienare vendendo, donando, &c. quin redirent aliquando ad progeniem suá, videlicet anno Iobelæo [i]. De mobilibus donatio licita erat, siue legata, etiá in gratiam filiarum; quam donationem, & legata facere poterat nó solùm pater, sed mater quoque,

a c. 15. 3.
b authen. defunct. C. ad Senatuscon. Tertulli. & authent. de hæredib. ab intestato. §. consequens autem. & §. seq.
c ibidem.
d instit. de inofficios. testam. in princ. ver. soror autem. l. fratres. C. eod. tit.
e Deut. c. 25. 5. Ruth 4. 5. Matth. 22. 24.
f Num. 27. 1. & seq.
g ibidem.
h Num. 36. 2. & seq.
i Leuit. 25. 10. & seq.

si habe

si habebat propria bona mobilia. Quòd si nulli essent filij, & filia esset vnica, huius filiæ filius, aut filia, etiamsi non denominaret stirpem matris, seu aui materni, succedebat in hæreditate; alioqui si mater haberet sororem, ad istam spectaret hæreditas bonorum immobilium, & non ad prolem. Ante legem datam seruatum est quidem ius primogenituræ consistens in honore, ac dignitate, vt Regni, vel Sacerdotij, sicut apparuit in Ruben [a], quem Iacob vocauit non priorem duntaxat in donis, sed maiorem quoque in imperio: tamen interdum inæqualiter fiebat diuisio inter filios, etiam de bonis immobilibus: idem namque Iacob dedit vnam partem hæreditatis Iosepho super cæteros fratres [b], & adoptauit filios eius Manassem, ac Ephraim, dando illis æqualem partem in hæreditate cum aliis filiis propriis [c]. Lege Abulensem [d] de tota hac materia, & nonnulla apud Tiraquellum [e], & in genere apud Ludouicum [f] Molinam Iurisconsultum, & illi cognominem Theologum [g] nostrum.

a Gene.49.3.
b Gen.48.22.
c ibid.5.&seq. d in lib.Numer.c.27.à q.7.& deinceps à q.22. vsque ad 34. e de iure primogeniorum in præfat.& q.66. f de primog. g de maioratibus.

Nec recogitat, dicens.] Nec editio Hebræa, nec Græca sic legit: rectè autem nostra, & Chaldæa suppleuit.

Cui laboro.] Cui personæ, non, ad quidnam; quo posteriore modo vertit Chaldæus: מִי *mi* enim quod habet Hebræus textus, personam significat. Olympiodorus hæc interpretatur, non quasi miser auarus ea desierit cogitare, quæ debuerat, sed quasi pœnitentia quadam ductus ita loquatur. Stoliditatem huius auari describit aliis verbis Ecclesiasticus [h]; *Est qui locupletatur parce agendo, & hac est pars mercedis eius in eo quod dicit: Inueni requiem mihi; & nunc manducabo de bonis meis solus: & nescit quòd tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur.* Talis, quem Christus quoque stultum vocat diuitem auarum [i]; *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te; quæ autem parasti, cuius erunt?* Differentia est, quòd ille de bonis, quæ tulerat ager magna vbertate, quietem sibi pollicebatur: hic de bonis labore, & parsimonia comparatis.

h c.11.18.19.20.
i Luc.12.19.

Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?] Tropologicè Ambrosius [k]: [Cur ergo seculo potius laboramus, & fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio (præmiserat expositionem allegoricam præcedentium verborum de Christo) qui nulli alij, nisi huic seruire Domino deberemus?]

K de instit. virg.c.1.

In hoc quoque vanitas est.] Alij (*etiam hoc*, &c.)

Et afflictio pessima.] Hebraicè (עִנְיַן רָע הוּא *hhiniian rahh hu, occupatio, seu negotium malum hoc*) Græcè (περισπασμὸς) Symmachus (ἀσχολία.) Hæ voces alibi declaratæ sunt.

Vers. 9.] Melius est ergo duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ.

COlligit Ecclesiastes (quamuis particulam illationis solus Interpres ponat) vt etiam Thaumaturgus indicat, meliùs facere qui vitæ societatem, & bonorum inter se communionem ineunt: atque id quidem præcipuè, si, vt dictum est, careant consanguineis, ad quos hæreditatem detineant; nam & suauior hoc modo vita, vtilior, tutior, honestior. Hæc est summa præsentis versus, necnon decimi, vndecimi, duodecimi, qui de

A spirituali quoque charitatis coniunctione possunt intelligi. Hac de re tota in Commentario nostro ad historiam Apostolicam egimus.

Melius est ergò duos esse simul, quàm vnum.] Hebraicè, & Græce, & Chaldaicè (*boni duo præ vno*, vel *super vnum*) Ambrosius [a] (*optimi duo super vnum.*) Quod exponit de Christo, & de eo quem ille tuetur, & si ceciderit, erigit, cùm non cadat ipse, sed se demittat ac seipsum mortuus suscitet; & cōmortuus est nobis, vt nos calefaceret igne, quem venit mittere in terram [b], & ceu Elisæus [c] vitæ calorem daret. Olympiodorus hoc loco de concordia interpretatur duorum in operibus bonis, cuiusmodi voluit esse Christus suos, quos

a epist.17 & de instit. virgin.c.11.
b Lucæ 12. 49.
c 4.Reg 4. 14.

B mittebat binos [d]: vt è contrario in malis concordes ædificatores turris dissipauit Deus ac dispersit [e]. Præterea de animæ, corporísque bona coniunctione, vt si, verbi gratiâ, temperans sit corpus, anima nōn efferatur inani gloria, vel versa vice. Hieronymus vel Ambrosium vidit, vel vterque alium, qui primum illum de Christo mysticum sensum tradiderit. Hieronymus transcribit Albinus. Hugo Cardinalis totum præsentem locum mysticè tractat multis modis: tu illū adito. Carthusianus quoque vtiliter digreditur tum in amicitiæ laudes, tum in vitæ cœnobiticæ cōmendationem. Disseruimus & nos quæstionem istam citato loco. Amicitiæ verò bonum Augu-

d Luc.10 1.
e Genes.11.7. 8.

C stinus [f] hoc ex loco probat, & exaggerat, seu potiùs alius apud ipsum. Salomon hic loquitur secundùm legem cōmunem, inquit Carthusianus, ac de homine secundùm congruentiam suæ naturæ, non secundùm præeminentiam gratiæ, quæ transcendit naturam, nec lege arctatur cōmuni: ita vt Aristoteles [g] ipse solitarium vocarit aut Deum, aut bestiam, id est, vel diuinis, vel bestialibus moribus. [Singuli licèt minùs boni sint, ait idem Philosophus [h], iidem in vnum collecti meliores sunt, quàm singuli etiam optimi, vt fit in cœna, quæ ex symbolo multorum lautior est, quam ab vno instructa.]

f tom 4 lib. de amicitia. c.5.
g 1.Politic.c.2.
h 3.Polit.c.7.

D Magnum profectò societatis huius emolumētum, & *bonum, ac iucundum habitare fratres in vnum* [i]. Mala solitudo per inopiam dilectionis, inquit Bonauentura, sicut in auaro, inuido, superbo: misera per defectum consolationis: laudabilis, & honesta per quietem contemplationis. Fugienda societas malorum turbans, ac impediens: toleranda subsidio, & solatio indigens, vt coniugum, & infirmorum: appetenda adiuuans, atque promouens, vt perfectorum, seu tendentium ad perfectionem, inter quos, ac inter alios quoque solus est qui curiositatem fugit, vt ait Bernardus [k]. Vetus adagium, εἷς ἀνήρ, οὐδεὶς ἀνήρ, *vnus vir, nullus vir*: & Euripidis [l] sententia; μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη, *nam solitariæ manus inualida pugna est*: & alia

i Psal.132.1.
k sermo.40. in Cant.
l in Heraclid.

E eiusdem; εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ, *vnus vir haud videt omnia.*

Emolumentum societatis suæ.] Hebraicè & Græcè (*merces bona in labore suo.*) Chaldæus addit (*in seculo venturo in laboribus, quos laborauerunt ad sustentandam generationem suam.*) Egregio, ac faceto Delrius [m] noster Plauti [n] loco auari hîc notatum ingenium demonstrat, qui se felicem putat solis diuitiis, ac ne cogatur cum aliis diuidere, amat orbitatem, vúltque solus, conscio nemine, degere. Euclio apud Plautum, quam domi vnicam habebat ancillulā, decies otiosè domo exturbabat, nullum in ædem alium intromittebat, cum vicinis omne vitans commercium, ista præcipiebat.

m tom.2.Adag.in 298.& 299.
n in Aulu.

Si

Si quisquam ignem quæriet, extingui volo,
Ne causæ quid sit, quòd te quisquam quæritet.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quæ vtenda vasa semper vicini rogant;
Fures venisse, atque abstulisse dicito.
Profectò in ædes meas, me absente, neminem
Volo intromitti: atque etiam hoc prædico tibi;
Si bona fortuna veniat, ne intromiseris.

Plura idem ille de societatis emolumẽto ex aliis profanis adagiis, de duplici anchora, de gemino pede, manúque, de re duobus figenda clauis, de coniungendis Vlysse, & Diomede, vt quis non sine Theseo: de Homerico monito, σύν τε δύ' ἐρχομένω, duobus pariter euntibus: quòd nè Hercules quidem contra duos. Citat etiam chiliadas [a].

a chiliad. 1. centu. 5. adag. 17. 39. 40. chiliada. cent. 3. adag. 95.

Vers. 10.] Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.

HEbraicè & Græcè (*si ceciderint, vnus eriget participem suum*) Septuaginta (μέτοχον) Aquila (φίλον) Symmachus (ἑταῖρον) Ambrosius [b] (*socium.*) Chaldæus intelligit de decidente in lectum ex ægritudine, quem faciat alter surgere sua oratione ad Deum. Magis generalis est sententia de qualibet ruina, vt loquitur Hieronymus, & vt Thaumaturgus, de aduersitatem tolerante, de iacente, luctúve afflicto, denique de quocunque casu. Nec tamen de casu iam secuto duntaxat, sed de periculo etiam eius hoc accipi debet, vt nempe paratum, pronum, & incumbentem ad casum socius præueniat, & suscipiat, & suffulciat: quemadmodum Dauid ait [c] se impulsum euersum esse vt caderet, verumtamen à Domino susceptum. Indicat id *fulciendi* verbum: quamuis & erigi quis dicatur ad labendum procliuis, seu quod ad animum, seu quod ad corpus spectat. Hic est eximius primus fructus societatis potissimùm spiritualis, ne labamur, aut vt lapsi erigamur. In hac societate adiungit se quoque Christus, vt præter citatos suprà exponit Gregorius [d], addens mysticam expositionem de Saüle, qui obuium habuit gregem Prophetarum prope stationem Philistinorum, hoc est, aliorum doctrinam, & exempla cõtra omnes aduersarios. Augustini [e], vel magis alterius apud ipsum hac de re sententia est: [*Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* Solus omnino est, qui sine amico est. At quæ facilitas, quæ securitas, quæ iocunditas est habere cum quo æquè audeas loqui vt tibi? cui confiteri non timeas, si quid deliqueris? &c. Amicus medicamentum est vitæ: non enim validior, vel efficacior est vulneribus nostris medicina, quàm habere qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans, vt iunctis suis humeris onera sua inuicem tolerent: & quòd vnusquisque propriam leuiùs quàm amici portet iniuriã, &c.]

Væ soli.] Valdè diuersum sensum reddit Chaldæus (*& si vnus innocens solus fuerit in generatione sua, in tempore quo decidet super lectum, & cubabit ægrotans, non erit illi in generatione sua socius secundus ad orandum super eum, sed in puritate sua surget ex ægritudine sua.*) Legit אִילוּ *ilo* pro אִי לוֹ *illu*, hoc est, *si*, quod secundum ponit, & est etiam Hebraicum [f], atque sic legendum hic per vnicam

b epist. 17.
c Psal. 117. 13.
d lib. 4. in c. 4. 1. Reg. c. 10.
e lib. de amicitia. c. 5. 10. 4.
f c. 6. 6. infrà, & Esther 7. 4.

A dictionem quidam volunt. Tamen duplex est, vel ex duabus vna אִי לוֹ *i lo*, aut אִילוּ *ilo*: Græce (καὶ αὐτῷ τῷ ἑνί.)

Mysticè væ soli sine Christo, vt dictum est, vel absque concordia cum spiritu væ carni; cadens enim in morte, non surget ad gloriam, inquit Chromatius citatus in glossa recentiùs edita. Concilium Toletanum vndecimum [a] in decreto, vt quiuis sacrificans habeat sibi vicinum Sacerdotem, qui cœpta Sacramẽta expleat, si ei aliqua necessitas ingruerit, vsurpat ad id confirmandum præsentem locum. Extat eadem de re Soteris Papæ decretum [b]. Eodem loco vtitur Concilium Lateranense [c], dum cauet vt Monachi non
B singuli habitent per villas, & oppida, & parochiales Ecclesias, sed in maiori cõuentu, aut cum aliquibus fratribus maneant, ne inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent. Item VII. Synodus [d], præcipiens vt cum mulieribus clericus certo tempore, & loco, & nõ incomitatus loquatur. Dixi in Comment. Actuũ Apostol. [e] de Religiosis foras prodeuntibus non sine socio, & qui solus id faciat, à B. Thoma vocari dæmonem solitarium. De associatione foras prodeuntium Religiosorum disserit eruditè Nigronus [f] noster. Profert vtentem eodem hoc loco Basilium [g] ad idem confirmandum; præterea Thomam [h] Cantipratanum, Thomæ Aquinatis condiscipulum, cuius etiam recitat hæc verba.
C [Quàm vera sit hæc sententia; *Væ soli*, ego noui, qui triginta annis, & eo ampliùs vices Episcopi in diuersis prouinciis, & diœcesibus habui: qui in hoc articulo, quo Religiosi vel soli vadunt, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrendáque pericula frequenter audiui, quæ nunquam sustinuissent adiuncto socio, vel fecissent.]

a c. 14. refertur 7. q. 1. c. illud.
b c. nullus Episc. de consec. d. 1.
c de statu Monach. c. Monachi.
d d. 81. c. in omnibus. aut ex asceticis Basilij. c. 83.
e c. 4.
f ad regu. 43. ex commun. Societatis nostræ.
g regul. 83.
h 2. apum. c. 11. § 1.

Vers. 11.] Et si dormierint duo, fouebuntur mutuò: vnus quomodo calefiet?

CHaldæus exponit angustiùs de viro, & vxore simul dormientibus hyeme. Vsus est Dauid
D eodem in lecto societate Abisag, quæ calore foueret, non quam cognosceret [i]: quam non allegoriam solam, sed veram historiam fuisse demonstrat Abulẽsis [k] contra Hieronymum [l], qui illud sentire videtur, sicut & Angelomus [m]. Disputat quoque Lyranus aduersùs eandem Hieronymo attributam sentẽtiam; sed Carthusianus [n] rectè Hieronymum vindicat, ostendens non negare veritatem historiæ, sed pluris facere mysticum sensum. Præter allegoriam de Christo, tropologicè fructus alter sodalitatis religiosæ hic est, vt in ista hyeme, vbi longiùs abest ille Sol, mutuis calefiamus virtutũ studiis, exemplisque,
E & iuxta parœmiam, ἀεὶ γέροντι νέαν ἐπιβάλλειν χλαῖναν, frigidiores feruentiorum societate in virtute incalescant.

Fouebuntur mutuò.] Iuxta editiones alias (*& calor eis*) scilicet, erit. Qui labantem sustentat, aut erigit lapsum, non sibi ipsi prodest propriè, sed alteri: at qui fouet calore suo, fouetur & ipse: incalescit enim illo ipso calore, quem in altero conseruat, vel auget: saltem suũ conseruat, cõiungens cum alieno. Consistit fructus hic secundus inter iustos, quorum alterna opera remissus calor adaugetur: prior erat, vt ab stante cadens erigeretur, vel casurus præmuniretur. Primum Bo-

i 3. Reg. 1. 4.
k ibid. q. 7.
l epist. 2. ad Nepotianum.
m in 3. Reg. c. 1.
n ibidem.

naueutura

nauentura in releuando, secundum in conseruando, in defendendo tertium docet consistere.

Vers. 12.] Et si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistent ei: funiculus triplex difficilè rumpitur.

GRæcè (καὶ ἐὰν ἐπικραταιωθῇ ὁ εἷς, *& si victus fuerit vnus.*) Symmachus (ὑπερισχύσῃ τις ἑνὸς, *inualuerit quis super vnum.*) In totum victus, & prostratus non potest resistere, nec etiam cum alio: sed si nondum planè ad internecionem redactus iuuetur à socio. Hic fructus tertius pertinens ad defensionem, quam Chaldæus in merito iustorum duorum interpretatur consistere, per quod cessare faciat improbi præualentis noxia opera. Nos indefinitè quidquid valet ad arcendam iniuriam. Pugnatur confidentiùs in hac vitæ militia, quando fortium commilitonum adsunt præsidia. [Ecclesiasticus miles, ait Leo [a], etiamsi specialibus prœliis possit fortiter facere, tutiùs tamen, & feliciùs dimicabit, si contra hostem palàm in acie steterit, vbi non suis tantùm viribus certamen ineat, sed sub inuicti Regis imperio, fraternis consociatus agminibus bellum vniuersale conficiat. Minore enim discrimine multi confligunt cum hoste, quàm singuli, nec facilè patet vulneri locus, quem opposito scuto fidei, non sua tantùm, sed etiam aliorum fortitudo defendit: vt vbi vna est omnium causa, sit vna victoria.]

a serm. 4. de ieiunio sept. mensis.

Bernardi [b] par omnino sententia, monentis quærere multorum pariter pugnantium aciem, vbi tot sint auxiliarij, quot socij. Habet fructus iste cum primo similitudinem; respicit enim vnius casum, vel cadendi periculum; victum alterum, vel in discrimine. Primus minùs apertam pugnam, & tentationem videtur importare; magis manifestam tertius. *Si preualuerint aduersum me Syri*, dicebat ille [c], loquens de externis hostibus, ac bello, *eris mihi in adiutorium: si autem filij Ammon præualuerint aduersum te, auxiliabor tibi.* Tale fœdus Machabæorum cum Romanis [d], & Spartiatis, vt & quarumcunque gentium inter se, mutuis auxiliis contra communem hostem sese adiuuare.

b serm. 3. de circumcis.

c 2. Reg. 10. 11.

d 1. Machab. 8. 23. c. 12. 1. & seq.

Funiculus triplex difficilè rumpitur.] Quo plures, eo melius: nec enim facilè poterunt expugnari, & frangi, sicut funis intortus ex pluribus filis sparteis nõ citò (sic Hebraicè, Græcè, Chaldaicè לא במהרה *lo bimeherah*, οὐ ταχέως, דלא בבהילו *delo bibbehilo*) rumpitur, sed quamlibet machinam, ac molem sustinet: quæ seiuncta fila tenuia sunt, & infirma. Ambrosius [e] hinc probat priorem illam sententiã, vt ipse eam legit (*optimi duo quàm vnus*) secundùm mysterium dictam, non secundùm numerum (*& spartum triplex* (legit hoc quoque sic) *non citò rumpetur.*) Tria enim quæ non sunt composita, non rumpuntur, inquit: Trinitas incompositæ naturæ rumpi nõ potest, quia Deus vnum & simplex, & incompositum est, quidquid est. Agnoscit hîc mysterium idem Trinitatis Hieronymus, aliique Interpretes, & quidem ita, vt de Deo trino ac vno nos iuuanre intelligatur, perinde acsi sit in pugna socius: quemadmodum & de Christo secundùm alium sensum traditur ab eodem Hieronymo, in quo Christo est anima, corpus, diuinitas, sed ita, vt separata fuerint quidem corpus, & anima, tamen modico tempore, & nunquam diuinitas à partibus quoque seiunctis.

e epist. 17.

Monet verò Hieronymus, cùm superiùs dicitur de vtrouis socio quòd cadit, & hîc quòd funiculus rumpitur, licèt non tam citò, iuxta editiones alias, vt dixi, indicari libertatem arbitrij nostri, non infirmitatem virtutis Christi, vel Trinitatis. In Iuda diruptus est iste funiculus, sed, inquit, quoniã cum buccella Satanam admisit [a]. Gregorius [b] præterea funem (quem aliàs in malam partem sumi docet [c] pro peccato, quia torquetur, vt crescat) sumit pro fide, quæ cognitione Trinitatis ab ore prædicantium texitur, & fortis in electis permanens, in solo reproborum corde dissipatur.

a Ioan. 13. 27.

b lib. 33. mor. c. 13. vel 9.

c ibidem.

Olympiodorus præter intelligentiam istam de Trinitate, explicat de cõcordia corporis, animę, & spiritus [d], partis rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Rursum Hieronymus [e] de triplici virtute fidei, spei, charitatis. Paulinus [f] & de his virtutibus, & de confessione Trinitatis, monens vt hoc sparto texamus opera nostra. Bernardus [g] de recta sentẽtia, digno sermone, bonis operibus: [qui funiculus, inquit, triplex difficilè rumpitur, aptus ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas post se ad regna cœlestia.] Idem [h] in malo sensu de curiositate, voluptate, vanitate, seu concupiscentia carnis, & oculorum, & superbia vitæ [i], quibus irretita fuerit Eua [k]. Alij accipiunt de incarnatione, vbi summo vinculo coniuncta est anima, caro, Verbum: & licèt ad tempus prima duo soluta sint, non tamen ab iis Verbum, & post resurrectionem redditus est funiculus indissolubilis. Brachmanes apud Indos hoc etiam tempore, Gymnosophistarũ reliquiæ, mysterium Trinitatis profitentur, funiculi, quem inde ab ætatis septennio gestant, & rumpere nefas ducunt, symbolo, ex tribus aliis intorti, quorum singuli rursum constent ex tribus linis ad personarum numerum designãdum: has verò vt vnũ, & idem esse declarent, extrema funiculi inter se nodo connectunt [l]. Hugo Cardinalis addit potentiam Patris, sapientiam Filij, bonitatem Spiritus sancti; quo triplici funiculo diabolus ligatur, vt nocere non possit nolẽtibus [m], & eiiciuntur vendentes in templo [n]: amorem Dei ex toto corde, anima, fortitudine [o], id est, dulcem, prudentem, fortem: vel ex cogitatione, affectione, operatione: amorem rectum, qui Deum quærat: amplum, qui se ad inimicos extendat [p]: fortem vsque ad mortem [q]: amorem Dei benefici, timorem iudicaturi, pudorem ob offensam eius, contritionem, confessionem, satisfactionem, cogitationem, locutionem, operationem. Carthusianus in amore considerationem bonitatis rei amatæ, potissimùm summi boni: & beneficiorum dilecti; & præmij, quod amorem charitatis manet: vel concordiam coniugum, & vnius prolis. Quidam de duobus testibus cum actore, vel de tribus illis sine hoc. [Est enim ea in re Trinitas secundùm mysterium commendata, in qua est perpetua firmitas veritatis, ait Augustinus [r].] Bonauentura respectum habet ad triplicem declaratum effectum societatis, vt idcirco dicatur funiculus triplex: & hos esse funiculos Adam, quibus trahimur [s], & vincula charitatis. Georgius Venetus [t] de triplici Salomonis sapientia interpretatur, naturali, acquisita, infusa. Sed maximè literalis sensus est, quem initio posuimus, & Hieronymo probatur

d 1. Thess. 5. 23.

e epist. 62. ad Theophil.

f epist. 4. ad Sulpit.

g serm. 16. in Cantica.

h ser. de Annunciat.

i 1. Ioan. 2. 16.

k Gen. 3.

l Perpinian. orat. 8. de Deo trino & vno.

m Esa. 27. & Tob. 8. 3. Apoc. 20. 2.

n Ioan. 2. 15.

o Deut. 6. 5.

p Matth. 5. 44.

q Cant. 8. 6.

r in c. 8. Ioan. tractatu 35.

s Oseæ 11. 4.

t in problem. script. tomo 5. probl. 76.

probatur. Quòd si nec Hercules quidem contra duos, multo minùs contra plures, licèt plurium concordia difficilior. Peruulgatum, sed propolito, peropportunum, Sciluri Scythæ monitum ad filios octoginta, sub mortem, cùm fasciculum telorum frangere iussi, non possent, sed sigillatim vnumquodque. *Si concordes eritis, validi inuictique manebitis: contrà, si dissidiis distrahemini, imbecilles, & expugnatu faciles.* [a] Produnt prætereà Sertorium Lusitanis suasisse concordiam exemplo simili, cùm iuberet vt equi caudam totam simul vellaret validus iuuenis; hic autem irrito labore conatus, deinde singulis pilis nullo negotio vulsis, totam vulsit. Eodem spectat lapis è Scyro insula super aquam fluctuans cùm est integer, qui si comminuatur in partes, mergitur, teste Plinio [b]. Ad idem faciunt charites illæ tres concordissimæ, siue gratiæ, Aglaia, Euphrosyne, Thalia, vel Pitho. Consule Delrij [c] Adagialia.

Triplex.] Tanto magis, si quadrupliciter, pluriésve retortus. Sed solet ternarius pro quauis multitudine, etiam magna, vsurpari non à scriptoribus sacris duntaxat, sed à profanis: his enim familiare ter felicem, ter maximum, ter sapientem dicere; quod Galli vulgari sermone retinent (*tres-grand, tres sage, tres-bon, tres-heureux, tres-meschãt,* &c.) Docet hunc istius vsum numeri pro qualibet multitudine tum Petrus Bongus [d], tum Ribera noster [e]. Nec tamen inficior nonnunquam ternario paucitatem designari, vt cùm amicus petiit tres [f] panes: cùm Deus [g] describitur appẽdisse molem tribus digitis: cùm dicitur visitare iniquitatem patrum vsque ad tertiam, & quartam generationem, sed facere misericordiam in multa millia [h]. Videtur etiam Scriptura numeros vsque ad quinque computare in paucis, vt apud Isaiam [i], *excussio duarum, aut trium oliuarum in summitate rami, siue quatuor, aut quinque in cacuminibus eius.*

Difficilè rumpitur.] Alij, vt iam ter monui (*non cito.*) Qui triplicem funiculum sumunt mysticè, difficilè interpretantur rumpi, quia potest ob libertatem arbitrij; vt fides Trinitatis in Iuda proditore, inquit Hieronymus. Salonius considerando mysterium Trinitatis in se, declarat difficile pro impossibili, quia indiuidua est, inquit, sanctæ Trinitatis natura, nec potest fieri vt scindatur. Idem docet Ambrosius [k].

[a] Plutarc. in apophth. & ... de garrul. Stobæ. serm. 81.
[b] lib. 36. c. 17.
[c] ... tom. 2. in ...
[d] de myster. numeror.
[e] ... c. 1. Amos
[f] Lucæ 11. 5.
[g] Esa. 40. 12.
[h] Exo. 20. 5. Deut. 5. 9.
[i] 17. 6.
[k] ... cap. 17.

Vers. 13.] Melior est puer pauper & sapiens rege sene & stulto, qui nescit præuidere in posterum.

VAnitatem deinceps potentiæ dominatúsque declarat; præferendum enim qui valeat prudentia, quamuis annis, & opibus modicus sit; & aliquando contingere, vt euehatur quis ad Imperium à compedibus, & pædore carceris, nimirum propter prudentiam: nati verò in ipso Regni fastigio deturbentur ad infimam conditionem, videlicet ob imprudentiam. Continentur ista versu hoc, & sequentibus tribus, & explicantur à Thaumaturgo, quem citat Hieronymus, qui profert etiam Laodicenum, Origenem, & Victorinum, & consentiunt cæteri: quamuis postremi duo allegoriam quoque tradant de Christo, & diabolo, vt ille puer, ac sapiens natus sit in Regno huius senis ac stulti, non hîc regnans, sed abiens in regionem longinquam, postea reuersurus contra eos, qui nolebant eum regnare super se: [a] præuidisse autem Ecclesiasten omnes qui possunt, vetere stulto dimisso, esse participes adolescentis, & Christum sequi: duplicem verò populum esse ex Israël, tempore Christi vnum, alterum tempore Antichristi, quem populus ille recipiet pro Christo, non lætatus in vero Christo. Dura mihi atque difficilis expositio videtur, tum aliis de causis, tum quia tẽpore Antichristi reliquiæ Israël saluæ fient, & maior pars Iudæorum; & sermo est de eodem Regno. Ambrosius aliter intellexit, etiam allegoricè, vt videbimus. Multus est Hugo Cardinalis in his exponendis allegoricis, & tropologicis sensibus, necnon Albinus.

Cæterùm iuxta literalem sensũ exemplis plenæ historiæ sacræ, profanæ generis vtriusque, & prostant in officinis, theatris, sententiis, apophthegmatis, adagiis, exemplis, meditationibus historicis, & si qui sunt alij variæ lectionis librorũ tituli. Quid enim pueros pauperes simul ac sapientes commemorem Ioseph, & Dauid tam altè per sapientiam euectos? quid stultos deiectos paulo seniores Saül, Roboam, Sedechiam, Nabuchodonosor? Vtriusque, vt ita dicam, fortunæ ludibria, an euenta citra vel prudentiam, vel imprudentiam eorum qui subierunt, plura suppetũt exempla. Illustre prorsus Belissarij, qui res maximas gessit, & summis honoribus, muneribúsque perfunctus est sub Iustiniano Imperatore, sed eò demum redactus, vt mendicare stipem compelleretur excœcatus [b].

Iste Belissarius Imperator magnus,
Iustinianais existens temporibus Imperator,
Ad omnem quadrantẽ terræ cũ explicuisset victorias,
Postea inuidia excœcatus (ô fortunam instabilem!)
Poculum ligneum detinens clamabat plebi in stadio;
Belissario obolum date Imperatori.

Subdit tamen Poëta sententiam quorundam, nec excœcatum fuisse, & in pristinum postea statum restitutum.

Quem fortuna quidem clarum fecit, excœcauit inuidia.
Alij dicunt chronici non excœcatum fuisse hunc:
Ex honoratis autem infamem profectò factum esse,
Et iterũ ad renocationẽ æstimationis venisse prioris.

Hieronymus edoctum se testatur ab Hebræo suo, Barachiam, quem vnum vel maximè admirarentur Hebræi, sic exposuisse præsentem locum. Melior est interior homo, qui post quartumdecimum pubertatis annum in nobis exoritur, exteriore homine, qui de matris alueo natus est; qui nescit recedere à vitio, & qui de domo vinctorum (pertinent hæc ad versum sequentẽ) de vtero videlicet materno, ad hoc exiuit, vt regnaret in vitiis. Qui etiam in potestate sua pauper effectus est, mala omnia perpetrando. Vidi eos (sequitur expositio versus 15.) qui in priore homine vixerunt, & cum secundo homine postea versati sunt, eo videlicet, qui pro priore decessore generatus est, intellexitque omnes in homine priore peccasse, antequam secundo nascente duo homines fierent. Quia verò ad meliora conuersi, & post Y. literam Philosophorum, sinistro tramite derelicto, ad dextrum apicem cõtenderunt (continentur hæc versu 16.) & secundum, id est, nouissimũ hominem sunt secuti, non lætabuntur in eo, id est, in priore. Nec hanc satis planã, plenámque tropologiam iudico, tametsi duos

[a] Luc 19. 13. 14.
[b] Ioãnes Græcus auctor apud Baron. tom. 7. annal. qui citat prætereà Crinitũ, Volaterranũ, Pontanum, & ex Græcis Zonarã, Cedrenũ, Glycã, Manassẽ: adde Fulgosium & Egnatium.

a Rom. 7. 22. Ephes. 3. 16.

illos homines concedo cum Hieronymo in sacris literis reperiri, exteriorem, & interiorem [a].

b c. 25. 3. 4.

Senex, & stultus,] *Tres species odiuit anima mea,* inquit auctor Ecclesiastici [b], *& aggrauor valdè animæ illorum: pauperem superbum: diuitem mendacem: senem fatuum, & insensatum*; προσώχθισα σφόδρα τῇ ζωῇ αὐτῶν, *infensus sum valdè vitæ illorum*, grauiter fero illos, & indignor, quia quod minimè conuenit, & pugnat maximè cum natura conditionis suæ committunt. Et vt primæ duæ species prætereantur, quis non expectet à sene multam ab experientia collectam prudentiam? Talis Salomon, seipsum fortitan hoc Ecclesiastis loco indicans præ pœnitẽtia, cuius cum iam esset senex, deprauatum est cor per mulieres, vt sequeretur deos alienos [c]. Græcus Ecclesiastici textus habet; γέροντα μοι, χάριλα τ' λείμενον σωνέσει, *senem adulterum, diminutum intellectu*: siquidem *faciunt vinum, & mulieres apostatare sapientes* [d]; *fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor* [e]. Sic senes illos Iudices species decepit, & concupiscentia subuertit cor eorũ [f]. *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit* [g]; & δὶς παῖδες οἱ γέροντες, *bis pueri senes* vituperantur. Adolescentum & iuniorum peccata leuiora censentur, & iuuenis, aut puer idem sonat in Scriptura, quod rudis, & ignorans, adolescentia, quod ignorantia [h]. Vnde quod LXX. reddunt, *delicta iuuentutis meæ, & ignorantias* [i], Hebraice pro *ignorantiis* sunt פשעי *peschabhai, præuaricationes*, aut *scelera*. Prudens puer Dauid, qui se super senes intellexisse memorat, quia mandata Dei quæsiuit [k]. Hoc de puero Iesu inter Doctores accipit Augustinus [l]: deferat namque illi Deus honorem senectutis, vt sedens in medio iudicaret [m].

c 3. Reg. 11. 4.
d Eccli. 19. 2.
e Osee 4. 11.
f Dan. 13. 56.
g Esa. 65. 20.
h Iere. 1. 6. 7. 1. Cor. 14. 20. 3. Reg. 2. 7.
i Psal. 24. 7.
k Psal. 118. 100.
l ibidem. Luc. 2. 46.
m Dan. 13. 50.

n epist. 17. & de instit. virg. c. 11.
o Esa. 9. 6.
p infra 49. 5. 6 & 53. 11.
q Act. 4. 27.
r Luc 2. 52.
s 2. Cor. 8. 9.

Ambrosius [n] hunc ipsum locum interpretatur de Christo, qui *nobis natus est puer* [o], & puer Dei vocatus est, siue seruus [p] (eo modo quo secũdùm humanitatem vocari posse aliàs docuimus [q]) & sapiens fuit, quia *proficiebat ætate, & sapientia* [r] (hac nempe secundùm experientiam, vel manifestationem) & pauper, quoniam, cùm diues esset, egenus factus est, vt nos sua inopia ditaret [s]: sub hoc nobis viuendum, vt Rex ille senior, & stultus, qui non nouit præcauere vltrà, nullam habeat potestatem supra nos. Non diabolum videtur intelligere, sed quemlibet potiùs hominem in peccatis inueteratum, relictísque cœlestibus intendentem ad terrena, posthabitis perpetuis eligentem ea, quæ caduca sunt & fragilia.

Qui nescit præuidere in posterum.] Græcè (ὃς οὐκ ἔγνω τ' προσέχειν ἔτι.) Aquila (ὃς οὐ γνώσεται τοῦ φυλάξασθαι, *qui nesciet cauere*) Chald. (*& vltra hac non est cognitio, vt admoneatur amplius.*) Verbum Hebræum להזהר *lehizzaher* propriè significat *ad admonendũ*, id est, vt admoneatur, sed videlicet etiam à seipso, quod est præuidere. Symmachus, vt refert Hieronymus, ita vertit (*qui nescit præcauere vicissitudinem.*)

Vers. 14.] Quòd de carcere catenísque interdum quis egrediatur ad regnum; & alius natus in regno, inopia consumatur.

Editiones aliæ sic habent (*quoniam de domo vinculorum, seu vinctorũ exibit*, vel *exiuit*, vel *exit ad regnandũ: quoniam & in Regno natus est pauper*) vetus Latina (*quoniam de domo vinctorũ egreditur, vt regnet: quia etiam in Regno eius natus est pauper.*) Sensus idem, quòd Rex senex, sed stultus, non attendit posse fieri, vt quis de his, quos ipse vinxerat, exeat ad Regnum de carcere; ipse corruat de regia potestate, quam insipienter, ac iniustè gessit. Sic Hieronymus, distinguendo duplicem personam, & quidem meliùs, quàm si, vt præ se ferunt cæteræ translationes, vnicam sumas, videlicet Regis eiusdem senis, ac stulti, qui forsitan & ipse pauper natus sit, & in vinculis fuerit, ac ex vtraque aduersa fortuna euectus in Regnum, immemor tamen pristinæ conditionis, nec se prouidẽs relabi in eandem posse. Vtronis modo intelligamus, quadrat huc sententia Iob [a]: *Reges Deus in solio collocat in perpetuum, & illi eriguntur: & si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt. Reuelabit quoque aurem eorum, vt corripiat, & loquetur, vt reuertantur ab iniquitate. Si audierint, & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria: si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur in stultitia.* Ad sensum autem Interpretis nostri clariùs mihi Symmachus videtur reddidisse (ὁ μὲν γὰρ ἐκ φυλακῆς ἐξῆλθε βασιλεῦσαι, ὁ δὲ καίπερ βασιλεὺς φανεὶς ἠπορήθη.) Alij declarant, pauperem, qui sit sapiens, etiamsi ex carcere prodeat, Regno aptiorem esse, quàm Regem stultum: vel æquam conditionem pauperis, & Regis esse, quia sicut pauper natus est in Regno, sic Rex ipse natus est inops ex domo vinctorum, hoc est, ex vtero materno: fitque interdum vt natus Rex deturbetur de Regno, substituatur verò natus ex pauperibus parentibus.

a c. 36. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Natus in Regno, inopia consumatur.] Opponitur inopia Regno, vt maximum bonum maximo malo, hominũ certè vulgari opinione, qui etiam ipsius vitandæ gratiâ de saxis, & in mare præcipitium præceperunt [b]. Cùm verò grauis cuilibet paupertas, tum illis, qui ex locuplete fortuna in eam deiecti sunt. Non minùs quidem molestum dicebat Bion esse caluis quàm comatis pilos velli [c]: at istis sanè magis dedecorosum, & euulsio longior. [Non tam graue est bona non accipere, inquit Xenophon [d], quàm semel acceptis priuari, οὐ γὰρ τὸ μὴ λαβεῖν τὰ ἀγαθὰ, οὕτως χαλεπὸν, ὥσπερ τὸ λαβόντα στερηθῆναι λυπηρόν.] Denique, vt ait ille [e],

b Plutarc. de virtute morali.
c Seneca 1. de tranquil. vitæ c. 8.
d Cyrip.
e Senec. in Theb. act. 4.
f in l. 15. connub.

In seruitutem cadere de Regno graue est.

Legatur Tiraquellus [f].

Vers. 15.] Vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.

Dixi versu 13. quo pacto hæc exponerentur ab Hebræo, cuius meminit Hieronymus, nimirum tropologicè, quámque variæ aliæ allegoriæ ab aliis auctoribus assignarentur; & quem Gregorius Ponti Episcopus ab eodem Hieronymo citatus literalem sensum daret præcedentium versuum. Recitat Hieronymus, & quidem magis distinctè explicationẽ eiusdem ad hunc, & sequentem, quàm nũc habetur in auctoris textu: euenit enim interdum, vt hi qui sub adolescentulo sapiente fuerint, absque mœrore sint, ita tamen vt sub sene Rege antè velati sint. Græcè (ὅσοι προγεγόνεσαν.) Qui enim postea nati sunt (ex-

plicatio

plicatio est sequentis versus) quia mala præterita nesciérunt (sub sene stulto) nec adolescentulū laudare possint, qui postea consurrexit, abducti opinione peruersa, & impetu spiritus aduersantis (quasi videlicet & sub Rege adolescente sapiente res geratur malè.) Ambrosius[a] legens hūc versum cū interrogatione (*vidi vniuersos qui viuūt, qui ambulant sub Sole cum iuuene secundo, quis resurget pro eo?*) intelligénsque de Christo, qui vt Deus nō habeat secūdum, sed vt homo sit etiam nouissimus virorum, sicut & superiùs vidimus, explicat in hūc modū: [Quis enim pro Christo resurget, cùm ille pro omnibus resurrexerit, & in illo omnes resurrexerint, cùm spem resurrectionis acceperint?] Tum interiectis aliis, sequentem quoque versum sic legit, & intelligit (*non est finis omni populo eius*) quia populus Christi innumerabilis finem non habet, cui fides resurrectionis æternæ, perpetuæ vitæ acquirit ætatem.

a de instit. virg. c. 11.

Titelmannus affert duas præcipuas alias explicationes. Prior est: vidi omnem populum Regni alicuius comitari cū magno honore filiū Regis, qui secūdus dicitur à patre, quantū ad successionem Regni, quæ res in Regis ipsius honoré facit maximè; attamē id quodcūque honoris obsequiique, quod exhibetur patri, vel filio, censetur permodicū; quia multitudo infinita hominum præcessit, qui patrem illū, aut filium non cognouerunt, & à quibus hi gloriam non acceperunt: sed & innumerabiles succedent, à quibus pariter nō accipient, & neutri de istis lætabuntur, vt solent subditi de Rege suo. Quæ valet plurimum cogitatio ad deprimendum regnantium fastum, vtpote quæ vanitatem repræsentet, & præsumptionem sese de re tam leui, ac labili efferentium.

Posterior sensus, qui est etiam Clarij: vidi maximo numero homines illum sequi adolescētem, qui Regi seni ac stulto successurus est: præcessit etiam ante iuuenē eundem multitudo innumerabilis eorum, qui senem affectabantur; sed postea grauis visa est illius potestas, ideóq; desciuerunt ab eo. Ad eūdem modum Rex nouus, qui pro alio assumptus est, quamuis habeat in principio, qui ei cū gaudio, plausúque adhærescant, postquam fuerit in Regno cōfirmatus, non lætabuntur illi in ipso, sed incipiet etiā videri grauis, proinde vt præcedentis auctoritas, ac potestas. Fit autem hoc vel successoris vitio; quoniā nō qualis futurus videbatur, cùm assumeretur in Regnū, permanet, sed in tyrannidem vergit, ob quā prior abiectus est, aut etiam in maiorem: vel subditorū, qui sine causa murmurāt, licèt mitiùs eos tractet quàm prior: aut cùm non sint qui sunt iuniores, prioris experti tyrannidē, non lætantur in successore, sicut ij lætantur, qui sub illo priore vixerunt. Hoc vltimum indicat Thanmarurgus.

Addit præterea sensum tertium Titelmānus, legendo pro (*qui fuerunt ante eum, qui antecedunt, seu præcedunt ante eū*) & pro (*qui postea futuri sunt, qui post ipsum sunt*, vel *ipsum sequuntur.*) Vidi totum Regnū, id est, Principes, ac omnem propè populū comitari adolescentem secūdum à Rege, filiū Regis, siue designatum successorem, cum tanta pompa, vt infinita videretur multitudo tū præcedentiū, tum subsequentium, quasi custodirent diligentissimè, ne quid ei accideret aduersi: tamen non lætabuntur in eo, vel quia breui morietur, ac forsitan quidem ante patrē, quod accidit Absaloni[b], aut cum ipsomet, vt Ionathas cum Saüle[c]: vel quoniam mortuo patre mox populus recedet à

b 2.Reg.18.9.
c 1.Reg.31.2.

A filio, sicut accidit Roboamo[a], aut aliquātò pòst.

a 3.Reg.12. & seq.

Sed & quartū dicendi modum indicat, quod Regni successorem adhuc viuente Rege subditi tanto comitatu obseruare, atque custodire videātur, nō ex animo facere, verùm Regis metu: cumque filij parentū soleant exemplum sequi, malle, si fieri possit, & patrem, & filiū, & omnem illam tyrannicam progeniem deletam. Moringus haud aliter intellexit, nēpe fieri, vt qui nunc omnibus charus est Princeps, processu tēporis displiceat, & subditi ambitiosiùs colant amicitiam adolescentis, quàm illius qui regimine abiturus est præ senio, aliáve de causa: nec tamen esse, cur qui succedit, sibi blandiatur, quando vt tantundem sibi
B contingat possit expectare. Quare populari fauore leuius, ac inconstantius nihil esse, nihil adeò vanum, ac fatuum, imò & molestum, quàm eum sectari, & colligere.

Tendunt eodem omnia ista, possúntque plenā vnam cōflare sententiam, qua doceatur, quantū sit in regnando vanitatis, vel ratione illorū, qui imperant, vel ratione eorum, qui subsunt, inter quos vtrosque tanta cōiunctio, & adeò necessarius nexus est; sed adeò etiam solutu facilis, vt neutri certū sibi quid polliceri, neque constantiā in sua illa, quam vocant, fortuna promittere valeant, sed perpetuis necesse sit angi sollicitudinibus, timoribus, suspicionibus, odijs, insidiis.
C Πλείες προσκυνοῦσι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα, ἢ δύνοντα, *plures adorant Solem orientem, quàm occidentem*; quo prouerbio minabatur seni iuuenis Pompeius Cinnæ[b]: & Poëta quidam cecinit[c];

b Plutarc. in Pompeio.
c apud. Athenæ. lib. 3.

> Οὐκ ἀείδω τὰ παλαιά: καινὰ γὰρ ἅμα κρείσσω:
> Νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει.———
> *Nō cano vetera: noua si quæ sunt, eadē & meliora;*
> *Iuppiter qui iuuenis est regnat.*

Eodem sensu Pompeio Lentulus vt confugeret in Ægyptum, suasit.

> *Nil[d] pudet assuetos sceptris: mitissima sors est*
> *Regnorum sub Rege nouo.*———

d Luc. lib. 8.

Statij[e] quoque vera sententia,

> ---*Qui mos populis, venturus amatur.*

e 1. Theb.

D Regū exitus si reputaueris, ait Curtius[f], plures à suis, quàm ab hostibus interemptos inuenies. Facilis ex omni historia probatio; satísque lōgum contexit Petrus Damianus catalogū scribens ad Agnetem Augustam[g]; nec decantatum quid, vulgatúmve magis, quàm de vanitate, periculísque regnantiū, déque popularis auræ ac fauoris inanitate. Zachariam[h] Regem Israel occidit seruus Sellum: hunc Manahen[i]: Phaceiam Phacee[k]: istū Oseas[l]. Ex profanis à Besso Darius: Caracalla à Macrino: Philippus à Decio: à Phoca Mauritius interfectus est: & ex Regibus Chilpericus in Gallia à Landerico; vt funesto parcā recentiori exemplo. Audiatur vnus præ cæteris cū
E ad Imperij habenas regendas sublatus esset Saturninus[m]: [Nescitis amici, quid mali sit imperare: nam & gladij, & tela nostris ceruicibus impēdent, imminent hastæ, vndique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: nō cibus pro voluptate, nō iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde quòd omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quispiam, inhabilis habetur. Sin minùs (fortè si iuuenis) inest furor, &c.]

f lib. 9.
g citat Baronius tom. 11. annal.
h 4. Reg. 15. 10.
i ibid. 14.
k ibid. 25.
l ibid. 30.
m apud Vopiscum.

> [n] *O funestus multis populi*
> *Dirúsque fauor; qui cum flatu*
> *Vela secundo ratis impleuit,*
> *Vexitque procul, languidus idem*

n Senec. in Octauia actu. 5. in choro.

Deseris alto, sauóque mari.

a in Atticis. Prorsus verum quod scripsit Pausanias[a], εὖ δέ μοι λέλεχθαι δοκεῖ ἄνδρα ἀφειδῶς ἐμπεσόντα ἐς πολιτείαν, καὶ πιστὰ ἡγησάμενον τὰ τοῦ δήμου, μήπω καλῶς τελευτῆσαι, *bene autem mihi dictum videtur, hominem qui effusius irruerit ad Rempublicam*(gerendam)*& fidelia putauerit quæ populi sunt* (qui fauori & auræ ipsius crediderit sese) *nunquam bene* (feliciterque) *vitam finiuisse.*

A

Adolescente secundo.] Omnes hunc intelligunt, vt vidimus, à Rege secundum, & in Regno futurum successorem, qui solet esse Regis filius primogenitus, si plures habeat, & certo nomine designari præter propriũ, vt Principis apud Hispanos, Delphini apud Gallos, Cæsaris in Imperio, &c. Alioqui non quisquis secundũ Imperij gradũ tenebat, in Regno item futurus successor erat apud omnes gentes. Testis Mardochæus [b] apud Regem Persam, testis apud eundem, quẽ appellat Probus [c] Chiliarchũ Titraustẽ. In capitis huius octauo versu nomen *secundi* pro successore, seu hærede positum est. Eandem hîc vim habet, nempe ordinis ac dignitatis, quemadmodum & apud Græcos δεύτερος, & apud Latinos secundus, aut alter: interdum pro inferiore.

b Esther 10.3.
c in Conone.

B

Porrò qui hîc dicitur adolescens, antea vocabatur puer: Hebraicè vtrobique יֶלֶד *ieled.* Græcè παῖς, & νεανίσκος: Chald. priùs non est expressum nomen pro puero, vel simili, sed hoc loco. Quãuis autem puer, & παῖς, vt alibi [d] notatum est, conditionem seruilem significare possint, nõ hîc tamen; nec arbitror Hebræã vocem illo vnquam modo sumi. Sed nec sumitur semper pro infantili ætate, quæ frequentior acceptio est, opinione Hebræorum, nomina distinguentium ad varias ætates denotandas.

d Act. 4.27.

C

Adolescentem istum aut CHRISTVM propter magnum robur diuinæ virtutis, aut Antichristum, qui iuuenili ætate feruidus erit in malo, robustúsque nequitiæ inuentor: aut Adã pro eo tempore, quo adhuc in Paradiso strenuus erat vigore iuuentutis suæ virtutes operando, Olympiodorus intelligit; Ambrosius [e] Christum. Sed negandum Olympiodoro, quod ait, allegoricum duntaxat hoc loco toto sensum contineri.

e de instit. virg. c. 11.

Qui consurget pro eo.]Dixi legisse Ambrosium [f] cum interrogatione (*quis consurget?*) Græcè (ὃς ἀναστήσεται ἀντ' αὐτοῦ) Hebraicè (יַעֲמֹד *iahhamod, stabit*) Chaldaicè (*surget, & regnabit in loco hæreditatis suæ*) id est, secundus, ac successor in propria hæreditate.

f sup.

D

Pro eo.]Id est, loco, atque post prædecessorẽ. Indicatur verò mos Hebræorum, & cęterarum ferè gentium, vt hæreditario iure Regna inirentur & Principatus: qua de re nonnihil in Apostolica historia disserui, simul docens, vtrùm præstaret sic Reges fieri, vel electione; & de sacro magistratu dissimilis ratio cur sit.

Vers. 16.] Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum, & qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo: sed & hoc vanitas & afflictio spiritus.

E

SAtis declaratus est hic in priore versus. Editiones cęteræ habent (*non est finis*, &c.) Non habent Hebræi, quod sciam, dictionem vnam, qua significent *infinitum*; sed circumloquũtur, dicentes non habere finem; aut Interpres noster exponit hoc modo quod ipsi dicunt multũ, vel magnum, seu graue, & robustum valdè. Dicunt iidem (*in finem*) contraria significatione, pro sempiterno, & pro eo quod tandem absoluitur: verbi gratia, *delectationes in dextera tua vsque in finem* [a]: *viuet adhuc in finem* [b], pro quo Hieronymus (*in sempiternum.*) Item, *& apparebit in finem* [c], id est, in finibus seculorum, vt Paulus loquitur [d].

a Psal. 15.10.
b Psal. 48.9.
c Abac. 2.3.
d 1. Cor. 10.11.

Vers. 17.] Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua vt audias. Multo enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

AGit hoc extremo capite, sequentísque principio de nonnullis quæ pertinent ad Deũ, in quibus homines offendere solent. Nec deflectit tamen à rhemate, licet id pro more non replicet: docens enim vitæ veritatem, contrariam dedocet, reprehenditque vanitatẽ. Præcipit ergo reuerentiam ingressuris templũ, vtque ibi inter alias exercitationes pias excipiant attentè verbũ Dei, quoniam longe satius diuinę volũtati, mandatisque parere, quod nõ potest, nisi qui cognouerit, quàm externa offerre sacrificia, quod etiam possunt mali, ac stulti, quos oporteret maximè doceri, ac instrui. Imò verò cùm hoc tractat Salomõ, notare videtur summam quandam, sed tectam vanitatem, hypocrisis videlicet, ac mentitæ religionis corũ, qui frequentant ædem sacram, sed nihil nisi execrandum ibi faciunt, aut solùm curant externum cultum, nihil pensi habentes interiorem pietatem, & legis cognitionem diuinæ, quæ traditur eo loco. Vellet Caietanus hinc inchoari caput quintum; deinceps enim concionari auctorem exhortando, & monendo, quæ ad Religionem spectant. Anagogicè, seu etiam tropologicè, post expositam Regni temporalis vanitatem, possumus intelligere subuehi nos ab Ecclesiaste ad illud cœleste Dei, ac Beatorum domiciliũ, monitos, si regnare ibi animus est, animi cõprimamus affectus, & hos ceu pedes illuc dirigamus, audientes, ac obedientes præceptis Dei, cui hoc placet magis, quàm victimæ, oblationésque, quibus stulti Deum ex suis aliorúmve moribus metientes, placari putant illum, vt solent homines xeniis, atque muneribus.

Posteriorem sensum tradidit Olympiodorus, addens & moralem, vt abstineat pedes à theatris, profanísque cũctis locis ac impiis, qui templum frequentat, & ne ex inani gloria offerat quis munus Deo, vel faciat eleemosynã. Gregorius Neocæsariensis ad Ecclesiæ præpositũ refert sententiam istam, vt ob oculos habeat, & rectũ tenere iter vitę, & precari pro stultis, hoc est, pro peccatoribus, vt accepta prudentia, malorum nouerint auctores vitare. Melior explicatio prima, quã sequitur Hieronymus, Albinus, & alij: & aptiùs attingit scopũ auctoris, quã quod ait Lyranus, hoc argumento nouo probari Regni temporalis contemptum, quia Deus sit summè venerandus ac timendus: potestas autem terrena retrahit à diuino timore & reuerentia.

Custodi pedem tuum.] Heb. & Chal. (*pedes*) in plurali. Spiritualem pedem animæ omnes interpretantur. [Numquid, ait Salonius, ab offensione lapidum monet custodire pedem, quando ingredimur domum Dei, id est, Ecclesiam? Respondet; Quamuis semper honestè, & cum timore, ac

silentio debeamus ingredi domum Dei, tamen non pedem corporis hic doceri custodiendum, sed pedem animæ, id est, gressum mentis, vt in conspectu Dei mundas preces effundamus, sine malis cogitationibus.]

Pedis nomen mystice multis accipitur modis, vt ex Patribus colligit Pagninus [a], & sylua allegoriarum [b], & Petrus Berchorius [c], eademque ratio de vestigiis, ac semitis, & gressibus pedum. Significationem proposito conuenientem assignant Gregorius [d], Ambrosius [e], Augustinus [f], Hieronymus [g], Origenes [h], Basilius [i]. Omnis per se reprehenditur inordinatus incessus, maximè verò Ecclesiasticorum, & incedentium ad Ecclesiam [k], vt ex citatis ad marginem nominatim admonet Dacryanus, & Ambrosius innuit duobus allatis exemplis; alterius, quem ob indecentem gestum ipse noluerat in clerum admittere; & Clerici, quem vetuerat ne se vnquam præiret, eo quòd velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret ipsius: & vtrumque narrat ab Ecclesia recessisse, vt qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. *Introibo*, inquit ille [l], *in domum tuam, & adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*; etiam absens versùs templum orans, id veneratur, sicut & Daniel faciebat in captiuitate constitutus, apertis fenestris cœnaculi sui [m] contra Ierusalem genua flectendo, adorando, & confitendo Domino. Posset prætereà vniuersè præcipi animi firmitudo in opere religioso. Nam pedes firmi designant constantiam, sicut contrarium vitium, cùm moueri pedes dicuntur, gressus [n] effundi; hisve similes alij dicendi modi vsurpantur. Custodire item pedes, idem est, quod affectus; qualis qui vocatur pes superbiæ [o]. Opertum erat caput, pedésque Cherubim, pectus apertum [p]; quia sensus, & affectus obuelare oportet, cor Deo aperire. Placet verò nonnullis custodire pedem, esse stando, pro satis vsitato ritu, orare; quasi domum ingressuris Dei hoc præcipiatur, vt se ad orationem comparent, cogitentque, ac attendant quid acturi sint, ne temerè agant, quasi tentantes Deũ. Nego adeò vsitatum ritum illum, vt stantes orarent, sed potiùs vt genibus flexis; quemadmodũ alibi demonstraui. Nec eum ritum significat, quòd publicanus orasse stans scribatur [q]: vel quod Psalmo [r] quodam dicatur, *Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te, Domine*: vel quòd Salomon orationem fecisse, cùm staret coram altari Domini [s]. *Stare* sæpe idem est quod *manere*, quouis tandem situ quis maneat, & Salomon ipse flexis genibus narratur orasse [t].

q Luc.18.13.
r Psal.25.12.
s 2.Par.6.12.
t 2.Par.6.13.

Ingrediens in domum Dei.] In templum, Ecclesiam, basilicam, sacellum, oratorium, domum orationis, sanctuarium, & si quo alio nomine dicitur locus Deo peculiariter dicatus, cultuique religioso; de quibus nominibus aliàs [u] egi. Illud optimum, vt domus Dei (vna voce Hebræa diceretur Bethel) & τὸ κυριακὸν, ac Dominicum appelletur. Hugo Cardinalis mysticè domum ordinis religiosi, vel beneficij Ecclesiastici, vel prælaturæ intelligit. Profectò has ingressuris domos custodiendus pes, discalceandus affectus; terra enim sancta est: auris ad obediendum diuinæ voci accommodanda, inaures ab Eliezer, id est, auxilio Dei, auribus applicandæ [x]: vt cerui ad cursum ab ea Domini voce præparandi [y], & hoc quasi tonitruo pariendus spiritus (tonitruo parere dicuntur ceruæ ad partum difficiles:) tunc reuelabit Deus condensa, id est, impedimenta, vt currant liberiùs, in templo eius gloriam dicentes [a].

u in Act.
x Genes.24.
y Psal.28.9.
a ibidem.

Quod attinet verò ad materialem domum Dei, locúmque sacrum, comminatur Dominus ingredientibus in eum pompaticè [b], vel arroganter [c], vt quidem accommodatè Carthusianus ad institutum intelligit, id est, vt Cicero [d] loquitur, qui pomparum ferculis (quibus in publicis supplicationibus, aut triumphis, aut funeribus Diuorum imagines lento gradu portabantur spectandæ, & adorandæ) similes videbantur tarditatibus in ingressu mollioribus: quod Hieronymus [e] quoque, phrasim eandem vsurpans, reprehendit. Chaldæus reddidit hoc modo locum istum (*tu fili hominis custodi pedes tuos in tempore, quo ieris in domum sanctuarij ad adorandum, ne venias eò plenus peccatis ante Dominum, quoad conuertaris*) id est, quoad animum saltem habeas ac voluntatem peccata delendi, quoad, si quid frater habet aduersum te, vt præcipit Christus [f], priùs ei reconcilieris. Quò forsitan hic respexit Ecclesiastes, locutus de multiplici pauperum oppressione, & de ambitione, & dominij fastu. Docui ad caput septimum [g] Apostolicorum Actuũ, discalceatis pedibus consueuisse nonnullos exemplo Mosis [h], & Iosue [i], loca sancta intrare: prouerbium item à sacris tractum, cùm quid quis illotis facere pedibus dicitur, quod nimis confidenter.

b Amos 6.1.
c Sophon 1.9.
d 1.offic.
e epist. ad Rusticum, & in Amos.
f Matth 5.23.24.
g vers.33.
h Exod.3.5.
i Iosue 5.15.

Et appropinqua vt audias. Multo enim melior est obedientia, &c. Hebr. (וְקָרוֹב לִשְׁמֹעַ מִתֵּת הַכְּסִילִים זָבַח *vekarob lischmoahh mitteth hacchesilim zabach.*) Quidam id exponunt; propinquus est (nimirum Deus magis) ad audiendum verbum, siue orationem tuam, quàm (quod) dant stulti sacrificium (ad illud suscipiendum) quia non ipsi sciunt se facere malum (quando nempe sacrificia offerentes non cogitant de peccatis suis.) Clarius vertit (*custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, qui propinquus est, vt audiat. Ne des sacrificium stultorum, qui nesciunt aliud quàm facere malum.*) Tunc in secundo membro supplendum est verbum *custodi*, siue *caue ne des sacrificium*, &c. Explicat autem idem Clarius; proximè adest Deus ad audiendum omnia tua: ne ergo multis verbis cum illo agas stultorum more, quorũ sunt Deo ingrata quæ faciunt omnia, scilicet etiã sacrificia, quippe cùm plenas habeãt manus sanguine [k], ob rapinas, & homicidia. Vetus translatio (*& appropinqua vt audias: super domũ enim*) error est in Hieronymo pro *donum*, vt denotat δῶμα, licèt hoc & *domum* à verbo δέμω, & *donum* à δίδωμι significet; & quidã codices eiusdem Hieronymi habent *donum*; quod exigit etiã editio Hebraica, & Chaldaica) *insipientium sacrificium tuum, quia nesciunt quod faciunt malum.*) Hæc verba istius translationis Titelmannus ita declarat: Accede ad audiendum, & discendum voluntatem Dei, vt sit sacrificiũ obedientiæ tuæ (quod verè sacrificij meretur appellationem) super munus stultorum, qui sine obedientia putant se solis externis muneribus placare Deum, quæ donorum tantùm, aut munerum, non autem propriè sacrificiorum merentur appellationem. Affinior est hæc translatio editioni Græcæ (καὶ ἐγγὺς τοῦ ἀκούειν, ὑπὲρ δόμα τῶν ἀφρόνων θυσία σου, *& prope* (nempe sis) *vt audias* (Aquila (καὶ ἔγγιζε ὥστε ἀκούειν, *ad audiendum*) *super donum insipientium*

k Isa.1.15.

sacrificium tuum) Ioannes Benedictus (*quia propinquior est Deus, quàm si des stultorum victimas.*) Congruunt optime ista cum verbis Hebræis: sed Interpres noster θυσίαν, & זֶבַח *zabach* intellexit de stultis; ita vt præ dare stultos sacrificium (hoc sonat verbatim Hebræus textus, id est, plus quàm donum sacrificij) sit audire, seu excipere verbum Dei, vt obedias, vel simpliciter obedire: stulti namque nesciunt quid faciant mali, dum non audiunt vt discant, aut omnino non obediunt, nec seruant legem Dei. Verùm iuxta textũ Græcum rectè Titelmannus post Olympiodorum distinxit, id quod stulti dant, mereri tantùm nomen simplicis doni, seu muneris, licèt mactent victimas; obedientiam verò iusti etiam sine huiusmodi mactatione dignam esse sacrificij appellatione. Hoc optimè Interpres expressit (*& appropinqua vt audias. Multo enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ*, &c.) Videtur Thaumaturgus δῶμα pro domo accepisse, atque pro familia tota stultorum: exposuit enim præcipi Ecclesiæ præfecto, vt non tantùm ipse rectum vitæ iter teneat, sed precetur quoque pro stultis, quasi ὑπὲρ δῶμα τῶν ἀφρόνων θυσία σοῦ significet, *vt super domum stultorum sit sacrificium tuum*, hoc est, vt id pro ipsis offeras.

Paraphrasis Chaldæa sic enarrat (*& esto admouens aurem tuam ad excipiendam doctrinam legis à Sacerdotibus, & sapientibus, & ne fueris vt stulti, qui offerunt munus pro peccatis suis, & non conuertuntur ab operibus malis, quæ apprehendunt manibus suis, & non est ipsum acceptum in beneplacito, quia ipsi nesciunt facere in eis inter bonum, & malum.*) Interpretationi nostræ, quæ longè simplicior, ac verior est, fauet similis in historia Regum sententia de stulti Saülis sacrificio[a]; *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Id egregiè exponit Gregorius[b], quia per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur. Sæpe sacrificia Deus refutat facta sine vel obedientia, vel misericordia, & benignitate aduersùs alios, pluris æstimans hæc quàm illa[c]; non simpliciter in lege vetere abiiciens, vt bene docet S. Thomas, & Scholastici, & Interpretes Matthæi, & Oseæ; sed permittens, imò & præcipiens, & vt res in se bonas, & vt figuras meliorum.

a 1. Reg. 15. 22.23.
b 35. moral. c.10. & 12. & in 1. Reg. c.15.
c Oseæ 6.6. Amos 5.21. 22 Esa 1.11.c. 58.4. & seq c. 66.3. Ierem. 6. 20. c. 7. 4. Psal 39.7.8. Psalm 49.8. & seq. Psal. 50. 18.19. Malac.1.12. Matt.9.13.

Appropinqua vt audias.] Inter vtilitates templi hæc vna est, vt in eo res sacræ & sanctæ doceantur. Ibi Christus audiuit docentes[a], & docuit ipse[b]. Hinc discimus, non omnium esse docere, sed qui docendi officium habent in Ecclesia; non clàm, & in angulo, sed apertè docendũ ac palàm. Vim facit Hieronymus in *appropinquandi* verbo; nec enim omnium esse: quoniam solus Moses propè accessisse legitur ad audiendum Deum, cùm cæteri non auderent[c]. Audit qui percipit, & percepta custodit, & obedit, habens autem audientem[d], & obedientem[e], siue aures audiendi[f]. Quid vetat, si קָרוֹב *karob* dicamus hoc loco, vt & aliis locis, *offerendi* significationem habere? ita vt sit sensus; offer vt audias, id est, dum ingrederis templum ad offerendum, fac memineris ante omnia obedientiæ, quam pluris æstimat Deus qualibet oblatione. Trita est vox קָרְבָּן *korban* pro quouis dono, seu donario, & oblatione sacra[g], vel pro donariorum loco[h]. Tropologicè monet Hugo Cardinalis appropinquandum vt audiamus verbum Dei, quia raucæ nimis ac demissæ Prædicatorum fauces, quantumlibet exaltent in fortitudine vocem: vel quia de terra excundum ei, qui res cœlestes vult exaudire.

a Lucæ 2.46.
b Lucæ 4.15. c 21.37. Ioan. 18.20 Matt. 26.55 Marci 14.49.
c Exo.19.12. & c.20. 18. & c 24 1.2.
d Prouer.20. 12. Eccli.25. 12.
e Prouer.25. 12.
f Apoc 2.& 3. & 13. sæpe. Matt.11.15.c. 13. sæpe. Mar. 4.& 7. Luc 8. & 14.
g Mar.7.11.
h Matt. 27. 6.

Qui nesciunt quid faciunt mali.] Hoc ipsum ignorant esse malum, & peccatum, non obedientia, & operibus bonis, ait Hieronymus, sed donis & victimis emendare velle quod fecerint, præsumendo se per solas victimas iustificari, inquit Caietanus, & quòd in malè offerendo careat zelus discretionis iudicio, inquit Olympiodorus: & putant se illa ipsa in re bene facere, ait Carthusianus. Dura est interpretatio Clarij, & Ioannis Benedicti; nesciunt aliud quàm facere malum. Quidam Græci codices habent pro κακὸν, καλὸν, & sic legunt (ὅτι οὐκ εἰσὶν εἰδότες τοῦ ποιῆσαι καλὸν, *quia non sunt scientes facere bonum.*) Chaldæus vtramque quodammodo lectionem sequitur (*quia ipsi nesciunt facere in eis inter bonum, & malum.*) Stultus profectò atque peccator dicit bonum malum, & malum bonum[i].

i Esa.5.20.

SVMMARIVM.

CAIETANVS, qui à superioris capitis vltimo versu principium istius vult sumi, existimat quinque Religionis actus tractari: & primum quidem esse illum, de quo superiùs, vt auditio verbi diuini præferatur stultorũ sacrificio: deinceps alterum esse, vt oratio ad Deũ careat festinatione tam in ore quàm in corde: tertium, ne quis differat implere votum: quartum, reuereri diuinam legem, decernentem peccata carnis esse voluntaria: quintum, venerari prouidentiam Dei, permittentis opprimi pauperes, ac vim inferri iudicio, atque iustitiæ. De his omnibus agitur isto capite, vel de horum similibus, ac præterea de misera conditione auari, qui opes coaceruando non impletur, eæque cedunt potiùs nonnumquam in proprium ipsius malum.

CAPVT V.

1 NE temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui.

2 Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia.

3 Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio, sed quodcunque voueris, redde:

4 Multóque melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.

5 Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam: neque dicas coram Angelo: Non est prouidentia, ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

6 Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri: tu verò Deum time.

7 Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij:

8 Et insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti.

9 Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas.

10 Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis?

11 Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.

12 Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.

13 Pereunt enim in afflictione pessima: generauit filium, qui in summa egestate erit.

14 Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo.

15 Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quòd laborauit in ventum?

16 Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris & in curis multis, & in ærumna atque tristitia.

17 Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quò laborauit ipse sub Sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus: & hæc est pars illius.

18 Et omni homini, cui dedit Deus di-

A uitias, atque substantiam, potestatémque ei tribuit vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo: hoc est donum Dei.

19 Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quòd Deus occupet deliciis cor eius.

Vers. 1.] Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœ-
B lo, & tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui.

SENSVM huius, ac sequentis versus Caietanus, vt modò dicebam, ait esse de oratione ad Deum, ne sit nimis festina. Idem sentit Arboreus, fauétque Chaldæa paraphrasis. Alij, Hieronymo teste, de non citò ac temerè vsurpando eodem voto, de quo alia postea subiiciuntur. Sic glossa interlinearis. Olympiodorus autem, Hugo Cardinalis, & Thaumaturgus in genere de præcipitatione loquendi. Mauult Hieronymus, & Albinus cohiberi sermones temerarios, cogitationésve de
C Deo, ciúsque præsertim prouidentia, cótra quam præcedentibus capitibus nonnulla dicta videri poterant, vt notat Carthusianus, & magis placet Bonauenturæ, Moringo, Titelmanno, mihíque ipsi. Fauet etiam glossa interlinearis.

Ne temerè quid loquaris.] Vetus translatio (*noli festinare in ore tuo*) iuxta Græcam editionem Septuaginta (*μὴ σπεῦδε ἐπὶ στόματί σου*) Symmachus (*μὴ προπετὴς γίνου τῷ στόματί σου.*) Consentit editio Hebræa; nam תְּבַהֵל *thebahel* est à. בָּהַל *bahal*, quod significat *festinare præcipitanter, & cum subito quodam pauore*, vel *sollicitudine*. Multa sunt vitia locutionis temerariæ, de quibus Hugo Cardinalis hoc loco; sed propriè notatur præceps
D celeritas. *Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est*, inquit in Prouerbiis Salomon [a], *quam illius correptio. Sit omnis homo*, ait Iacobus [b], *tardus ad loquendum*. Festinatio indicat iudicium, quod loquens habet de sua ipsius sapientia, quasi aliis præferenda sit, neque sit diu sibi expectandum in proferenda sententia, ne alius præuertat. (*Non accelerabis super dictum tuum*, inquit Chaldæus, *vt confundas eloquia oris tui.*) Confusio illa verborum nascitur ex nimia præcipitatione loquendi. Grauem facundiam significare volentes potissimùm Latini Poëtæ, vsurpant *oris* vocem, *linguam* sæpiùs, vt significent dicacitatem: vnde lingulacas nominant verbosos.

a c. 29. 20.
b c. 1. 19.

E *Lingulaca est*, ait Plautus [c], *nunquam tacet*;
de vxore loquens, & iocosè, salséque ludens in piscibus lingulacis, de quibus alius:

Vin' lingulacas? quid opus est? inquit, *quando vxor est domi*;
Ea linguacula est nobis: nam nunquam tacet.

Tantalus notum illud supplicium luere dicitur ob incontinentiam linguæ: nam,

——— [d] *medijs stans sitibundus aquis.*
Vnda, bibe, affatur, & discito iura silenti.
Conuenit ista pati lingua proterua quibus.

c in Casina.
d Cornelius Gallus.

A Similia ſunt de illo apud Euripidem [a], & alios. Is vocat id vitium *ἄισχιστον νόσον, turpiſſimum morbũ.*

Neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo.] Chaldæus (*& cor tuum non feſtinabit proferre loquelam in tẽpore quo tu oras ante Dominum.*) Videlicet, vt dixi, de precibus diuinis exponit præſentem locum, ſicut & Arboreus, & Caietanus, ille de nimiis, prolixíſque, hic de breuioribus, necnon de iis, qui celebrando Miſſas, & ſolemnes precationes, vel modulando res diuinas, breuiores ſunt. Lege de breuitate, aut prolixitate orationis Gulielmum Pariſienſem [b]. Mouit iſtos, opinor, illud (*coram Deo*) quod tamen bene conuenit cum aliis allatis expoſitionibus. Sane præ-

B paranda ante orationẽ anima, ne tentetur Deus [c], & vt capite priore dictum eſt [d], cuſtodiendus pes ingredienti domum Dei: & ſanctificandi ſunt qui accedunt ad Deum [e]. Quamuis autem præcipiatur comeſtio agni feſtinata [f]; tamen id erat ad ſignificandum feſtinum egreſſum ex Ægypto, celerémve tranſitum Angeli; & Hebræum verbum חִפָּזוֹן *chippazon* denotat pauorẽ, & extaſim; Græcum σπουδὴ curam ſollicitam, & ſtudium; Chaldæum בְּהִילוּ *bebilu* veluti confuſam, & præcipitem feſtinationem ad nihil aliud niſi ad vnum quid attendentis, vt innuit Gregorius [g], quibus optimè indicatur reuerentia. Sed hic non videtur proprius præſentis loci ſenſus.

a in Oreſte.

b in Rhetorica diuina. c.43.

c Eccli.18.23.

d verſ.vlt.

e Leuit.10. & c.16.

f Exo.12.11.

g hom.22.in Euang.

C Fontem cordis obſtruit, ait Olympiodorus, vnde promanant inſipientia verba. Venulam lingua dicitur ad cor protenſam habere: conſtat quoque battologos, & blæſos habere celeres phantaſiæ motus, nec mentis cogitata exactè poſſe aſſequi, ideóque linguæ motum anteuertere. Succenſent ſibi iſti præterea quodammodo, cùm pro animi conſilio, ac volũtate non queunt loqui, hócque ipſum quia coram aliis formidãt, mœrore afficiuntur [h]. Magnanimi motum tardum docet Philoſophus [i], vocem grauem, locutionem tardam, ſtabilémve. [Nam neque qui circa pauca ſtudet, inquit, eſt feſtinabundus; neque qui nihil magnum exiſtimat, contentus, & vehe-

D mens. Acuta autem vox & celeritas ex his efficitur.] Rectè igitur cordi, ſiue animo remedium adhibet Eccleſiaſtes, præcipítque vt ſermo priùs bis ſit ad limam, quod alicubi Bernardus dixit, quàm ſemel ad linguam.

h Ariſt.ſect. 3.problem.in 30. Mercur.2. de morb. puer.c.8.

i libr.4. Ethic.c.3.

Deus enim in cœlo, & tu ſuper terram.] Græcè additur in primo membro ἄνω, & quidam codices habent κάτω in ſecundo. Chald. (*namque Dominus imperat ſuper omnem mundum, & ſedet ſuper ſolium gloriæ in cœlis altiſſimis, & tu ſedes ſuper terram.*) Rectè meminit imperij diuini ſuper omnem mundum: diceret enim ſtultus aliquis ſuper cardines cœli Deum ambulare, nec noſtra conſiderare [k]. Audit Deus de ſuperiore ſede ſua quæ oramus,

E vouemus, loquimur, cogitamúſque de ipſo (quippe ab Ieremia dictus propterea Deus appropinquans, vt obſeruauit Clemens [l] Alexandrinus:) reprehendit prolixas preces, ac vota inconſiderata, necnon ſtulta iudicia noſtra, quæ tantum diſtant à natura illius, quantum abeſt à terra cœlum. *Inhabitat* Deus *lucem inacceſſibilem* [m], & quantum exaltantur cœli à terra, ſic viæ ipſius, & cogitationes à noſtris [n].

k Iob.22.14.

l 2.ſtrom.c.1. ex Ierem.c. 23.23.& in parænet.ad Gent.

m 1.Tim 6.16.

n Eſa.55.9.

Hoc vltimum ad ſententiam magis accommodatum pluribus arridet, vt coërceantur improuidi rerum diuinarum iudices, & tractatores, terræ filij, humi reptantes, ponentes in cœlum os, cùm eorum lingua tranſeat in terra [o]. Quis

o Pſal.72.9.

A non rideat digito cœlum tangere ſaltando conantem? Sapienter ac Theologicè prorſus ab Hierone Simonides ſpatium diei, bidui, quatridui, ac deinceps duplicatum ſemper poſtulabat, vt quid eſſet Deus, reſpondẽret, negans vllum ſatis eſſe: diutiùs namque conſideranti, rem videri obſcuriorem [a]. [Excedit ſupereminentia Deitatis non ſolùm vſitati eloquij noſtri, ſed etiam intelligentiæ facultatem: veriùs enim cogitatur Deus, quàm dicitur, & veriùs eſt quàm cogitetur. Non parua autem notitiæ pars eſt, ſi antequam ſcire poſſimus quid ſit Deus, poſſimus ſcire quid non ſit.] Sententia hæc eſt Auguſtini [b]. Mouent nos hoc ipſum hieroglyphice crocodilo, cico-

B niáque lingua carentibus Ægyptij: monet præclaris Arnobius [c] verbis: [Quicquid de Deo dixeris, quicquid tacita mentis cogitatione conceperis, in humanum tranſibit, & corrumpetur ſenſum, nec habet propriè ſignificationis notam, quod noſtris dicitur verbis, atque ad negotia humana compoſitis. Vnus eſt hominis intellectus de Dei natura certiſſimus, ſi ſcias, & ſentias nihil poſſe de illo mortali oratione depromi.] Huius Lactantius [d] auditor è Timæo Platonis laudat ſententiam, quam Cicero quoque Latinam fecit (eſt autem etiam Triſmegiſti [e], qui Deum ineffabilem vocat, quod & Hebræi per nomen illud eius indicant, quod aiunt eſſe ἄῤῥητον, ἄφατον, ἀνεκφώνητον) Deum inuenire difficile; cùm in-

a Cic.1.de natura Deorum.

b apud quem multa ſunt lib de cognit. veræ vitæ, & ſerm 38 de verb.Dom.15. de Trin c.2. & alibi.

c 3.contra Gentes.

d 1.inſtit.c.8. de ira Dei.c. 11.

e ad Tatium.

C ueneris, mentéve conceperis, indicare in vulgus, nefas, enarrare verbis impoſſibile, ob nimiã eius, & inæſtimabilem poteſtatem. Quid plura? παμφαὴς eſt Deus, & πάγχρυσος: fruſtra nitimur in eum defigere obtutum, illum in apertum deducere: [vt intelligatur tacendum eſt (delectant me Arnobij hæc verba) atque vt per vmbram poſſit illum errans inueſtigare ſuſpicio, nihil eſt omnino mutiendum: nõ eſt mirum ſi ignoratur; maioris eſt admirationis ſi ſciatur. Eloquar quẽadmodum ſentio, inquit [f], magnitudinem Dei qui ſe putat noſſe, minuit: qui non vult minuere, non nouit.] Cæterùm verbis illis (*Deus enim in*

D *cœlo*) innuitur præterea eſſe naturæ incorporeæ; ſic namque vt ab idololatria retraheret Deus populum, dixit [g]; *Vos vidiſtis, quòd de cœlo locutus ſum vobis, deos aureos*, &c. Significatur item Deum omnia contemplari tanquam de ſpecula. Vnde quodam Pſalmo [h]; *Deus in cœlo ſedes eius; oculi eius in pauperes reſpiciunt:* & [i]; *De cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum.* Tandem, quòd ſit omnipotens; *Deus enim noſter in cœlo omnia quæcunque voluit fecit* [k]. Demiſsè igitur nobis terrenis cogitandum de Deo, loquendúmque à ſenſibus remotiſſimo, & quia *non poſſumus aliquid cogitare ex nobis* [l]; & quoniam ſi hac in re peccemus, latere non poſſumus, pœnam nequimus effugere.

f lib.6.

g Exod.20. 22.

h Pſ.10.4.

i Pſ.32.13.

k Pſ.113.32.

l 2 Cor.3 5.

E *Idcirco ſint pauci ſermones tui.*] De Deo, vel ad Deum; ſed illud potius iuxta meliorem expoſitionem quam ſequimur. Nam quod Caietanus ait, cœlum à terra inſeparabile eſſe priore ſententia ſignificatum, ideóque non abeſſe Deum, non video quàm ſit conſequẽs, niſi apud ipſum, benéque philoſophantes, qui vbique Deum locant. At non hoc facit ſtultus, quicum res nunc Salomoni. Iſtam ſententiam, quæ ſatis iam declarata eſt, M. Tullius [m] expreſſit, quando dixit: [Homini timidè de poteſtate Deorum, & pauca dicenda ſunt.] Debent autem ſermones non ſolùm eſſe pauci numero, ait Olympiodorus, ſed etiam diligenti examine perpenſi.

m pro lege Manilia.

Verſ.2.

Vers. 2.] Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia.

QVemadmodum somniandi præbent occasionem, nec quietum capere de nocte somnum sinunt diurnæ sollicitudines,

Omnia (enim) *quæ sensu voluuntur vota diurno,*
Tempore nocturno reddit amica quies [a].

a Claudian. de rapru Proserpinæ.

Ita loquendi facilitas parit stultitiam, præsertim in iis quæ circa Deũ sunt, de quo sciri tam pauca, multóque minus fando valent exprimi. Et sicut somniator deluditur vanis imaginibus; ad eundem modum absurda, & delira de Deo profert scrutator Maiestatis ipsius, opprimiturque ab eiusdem gloria [b]; ac deprehendit tandem quæ nosse putarat, instar somnij esse, vtpote cùm omnis nostra, quamuis vera de Deo notitia, hîc habeatur per speculum, & in ænigmate [c]. Sic Hieronymus. Olympiodorus verò, nugaces quoque interdiu pulsari multis tentationibus, iisdémque noctu turbari, ac terreri. Vis porrò comparationis inter somnia, & verba, hæc est, quòd quemadmodum somnia sunt simulachra earum rerum, quas vigilantes cogitauimus, diximus, fecimus; verba sunt etiam imagines eorum, quæ sunt in anima: prætereà sicut somnia imperfectè, ac perturbate repræsentant; verba quoque stulta, de quibus hîc agitur, indicant mentem confusam, nec sibi satis constantem.

b Prou. 25.
c 1. Cor. 13.

Peccata locutionis aliquot enumerat Hugo Cardinalis hoc loco, latéque patens est ista disputatio, de qua integri tractatus extant: de somniis verò nonnihil egimus ad caput secundum Apostolicorum Actuum [d]. Lege Gregorium [e], & Pererium [f], & in Adagialibus Delrium [g], vbi congerit eadem de re tum testimonia scriptorũ Ecclesiasticorum, Tertulliani [h], Nysseni [i], Nazianzeni [k], Basilij [l], præter loci præsentis Enarratores Thaumaturgum, Hieronymum, Albinũ, Olympiodorum; tum profanorum, quos apud eum leges.

d vers. 17.
e dialog. c. ... & 49
f ... de ...
g ... 1. adag. 101. & 303.
h de anima. 45
i de opif. hom. c. 13.
k in carm. de vita sua post ...
l ... 13.
m ... catena ...

Cæterùm Græcè pro *curis multis* est πλήθος πειρασμοῦ, *multitudo tentationis*; quo pacto & Olympiodorus legit, & alibi Chrysostomus [m], & Antiochus [n]. Hebraicè רֹב עִנְיָן *rob hhinian, multitudine negotij*; quo pacto etiam vertit Chaldæus, & ... est quod *sollicitudo*, sicut habet vetus Latina translatio. Symmachus (ἀποβήσεται ὄνειρος διὰ πλήθος ἀνομίας, *adueniet somnium ob multitudinem iniquitatis*) nempe, vel vt effectus præcedentis ex causa naturali, vel tanquam immissum aut a Deo, aut à dæmone in pœnam, vt eodem illo loco disseruimus, & docet Iob [o]. Ecclesiasticus [p] verò comprimens nimium sciendi studiũ, ac loquendi consequenter, pœnam adiungit: *multos enim supplantauit suspicio illorum* (ἐπλάνησεν) *& in vanitate detinuit sensus illorum*. Denique stultus verba multiplicat [q], & in multiloquio nõ deest peccatum [r]. Olympiodorus explicat præsentem nostrum locum, quòd temerè promittentem circumueniat multitudo tentationum, quæ persoluere impediant, verbi gratià, auarum, ne, si soluat, redigatur in egestatem; sicque nec interdiu, nec noctu quiescere.

o ... 14.
p ... 11. & ...
q Eccle. 10.
r Prou. 10. 19.

Vers. 3.] Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim Deo infidelis & stulta promissio, sed quodcunque voueris, redde.

PLana huius, sequentísque versus sententia de votis Deo nuncupatis absque mora implendis: & simplex intelligentia, vt ait Hieronymus, interpretatione non indiget. Allegoriam idem affert mixtam tropologiæ, ne fidem, sicut Iudæi, Deo fallamus, qui cùm dixissent [a]; *Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus*; idola tamen adorauerunt, & post verberatos seruos, & lapidibus oppressos, nouissimè ipsum quoque patrisfamilias filium trucidauerunt [b]. Fidem Deo dedimus in Baptismo, quod quandoque Patres nonnulli sponsionem, iuramentum, promissionem, cautionem, chirographum, professionem, contestationem, ciera tionem, votum nominauerũt [c]; & hoc loco cum glossa interlineari Hugo Cardinalis.

a Exod. 24. 3.
b Matt. 21. 39.
c Aug. in Ps. 75. de symb. ad catechu. lib. 4. c. 4. & 1. de peccat. mer. c 33. Ambros. 1. de Sacram. c. 2. Greg. hom. 29. in Euang. Cyp. lib. 1. epist. Bern. serm. in id; Quis ascendet in montem Domini? Psal. 23. Tertul. de coro. mil. c. 3. & 13. Basil. de Spiritu sancto. c. 27. Hier. apol. 1. contra Ruff. Beda 3. de hist. Anglic. c 19.

Votorum explicationem tradunt Theologi [d], quique disputant aduersùs hæreticos [e], qui omnia tollunt religiosa, quibus colatur Deus, concedentes solùm quæ sint de rebus iam præceptis, aut de aliis quidẽ, sed tantùm ad expeditiùs peragenda negotia huius vitæ, aut ad vitanda peccata, verbi gratiâ, tribus diebus vinum non bibere, ad coërcendam ebrietatem, &c. Docent verò illi non esse propriè votum eam promissionem quæ fit in Baptismo, nisi fortè qui baptizatur adultus velit, non tantùm recipere obligationem legis, quod nisi faceret, peccaret; sed prætereà nouo se titulo obligare, & acceptare legem, quã uis ipsa non obligaret. Alioqui quodlibet Christiani peccatum esset duplex, & contra legem, & contra votum: esset quoque sacrilegium, quia contra voti religionẽ. Quanta in reddendis votis mora possit esse, pendet ex vouentis mente, qui si non definiuit certũ tempus, quamprimùm commodè potest, reddere debet. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere*, inquit Moses [f], *quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatũ. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.*

d 4. dist. 38.
e præcipuè Bellarmin. 2. de Monach. a c. 14.
f Deut. 23. 21. 22. 23.

Nimis angustè votum sumit Ambrosius [g], cùm definit postulationem bonorum à Deo cum soluendi muneris promissione: non enim semper postulationem adiectam habet: sed est quæuis religiosa promissio alicuius excellẽtioris boni Deo facta, libera voluntate. Idcirco causa cur tardari non debeat voti solutio, non semper est, quam idem Ambrosius assignat, quòd sit ingrati tardare promissum, postquam impetrauit quod petiit. Videtur porrò totum locum ex Philone [h] transcripsisse, qui Philo profert quoque loci huius quem tractamus, sententiam. Cassianus [i] præsentem locum de oratione intelligi posse sentit, ob Græcam vocem εὐχὴν: tamen frequentiùs, præsertim in sacris, & Ecclesiasticis libris, pro voto sumitur, cõposita προσευχὴ pro oratione, vt Nyssenus [k] obseruat; Latini preces, votáque coniungere solent. Nescio autem vbi Cassianus legerit quæ recitat huius loci Græca verba (ἐὰν εὔξῃ, εὔχου κυρίῳ.) Sic enim nunc omnes codices constanter habent (καθὼς ἂν εὔξῃ εὐχὴν τῷ Θεῷ, μὴ χρονίσῃς τοῦ ἀποδοῦναι αὐτήν.) Tamen in ipsa disputatione confundit votum cum oratione, dicens hanc esse votum.

g 1. de Abel, & Cain c. 9.
h de sacrificio Abel, & Cain.
i coll. 9. c. 12.
k tract. de orat.

Deo.] Possunt quoque Sanctis nuncupari vota, dum quid promittitur Deo in honorem ipsorum, & ipsis, quatenus habitat in eis Deus per gloriam. Illud B. Thomas [l] docet: hoc, cum interpretans Caietanus: sicut maledicta in Sanctos

l 2. 2 q. 88. a. 5.

vocantur

vocantur blasphemiæ, quoniam Deus in iis maledicitur: qui Deus præcipuè votis colitur, & solus latria. Probari posset hoc exemplis, testimoniis, rationibus: verùm satis instituto nostro quæ attigimus. Legatur præsertim Bellarminus [a]. In Prouerbiis [b] habetur: *Ruina est deuorare Sanctos, & post vota retractare.* Sed alij legunt, *deuotare*, vt Beda, qui exponit de iis, qui se deuouent, promittúntque se Sanctos persecuturos, & iuxta eam promissionem illos tractant.

a 3. de cultu Sancto. c. 9.
b c. 20. 25.

Lyranus sequitur eandem lectionem, & explicat de iis qui faciunt Sanctis vota, & ruunt in peccatum retractando, & nó implendo illa. Consentit Carthusianus. Tamen prior lectio melior, quia codicum emendatiorum, vt Sixtianorum, & congruens Hebræo verbo יָלַע *ialahh*, quod est *absorbere, & deglutire.* Sed sensus idem: significabit enim, vt Hebræis quoque placet, loqui, nimirum præcipitanter, verbáque ipsa quodammodo vorando, & glutiendo, neque considerando quid promittas; vt proinde postea pœniteat ac retractes. Latini quidam codices habent (*sanctè*) Pagnino teste, & Græci, *ἁγιάσαι τί τῶν ἰδίων, sanctificare quid rerum suarum:* & Chaldæi, *vouere Sanctuario*; sicque *deuorare sancta* (Hebraicè *sanctum*, vel *sanctitatem*) erit committere sacrilegium vsurpatione rei sacræ, & postea (iuxta Hebræum item textum) quærere vota, quibus videlicet placetur Deus. Sanctificare autem, aut vouere Sanctuario, ita vt deinde nolis persoluere, peccatũ quoque sacrilegij erit. Caietanus duplex sacrilegium notat, & rem Deo dicatam vorandi, & vota emissa non implendi. Verùm non patitur editio nostra sensus istos; sed *deuorare Sanctos*, est perdere viros sanctos, vt etiam exponit Hieronymus, Salonius, Beda, & alij (qui videntur tamen legisse, deuotare, cùm vtantur exemplo eorum, qui se in Actibus Apostolorum deuouerunt contra Paulum [c]:) *& post vota retractare*, id est, postea tractare, & deliberare de votis offerendis Deo, vel Sanctis, hócque simul sibi proponere, lædere Sãctos, & deinde illos, Deumve placare votis. Græca fauent primis verbis primi versus præsentis capitis intellectis de non temerè voto edendo: *παγὶς ἀνδρὶ ταχύ τι τῶν ἰδίων ἁγιάσαι, μετὰ γὰρ τὸ εὔξασθαι μετανοεῖν γίνεται, laqueus viro celeriter quippiam propriorum sanctificare, post enim votum fecisse, pœnitere contingit*: vel, vt alicubi legit Hieronymus [d], *laqueus est viri citò quid de suis sanctificare: cùm enim votum fecerit, surrepit pœnitentia.* Consule Iansenium, & Rodulphum Bayrium. Vatablus autem longè aliter explicat eundem locum iuxta textum Hebræum; scandalum hominis deuorare sanctitatem, & post vota quærere (solemus) id est, peccatum hominis, quod est illi scandalum, destruere solet auxilium illud diuinum, quod verè est & maximè sanctum: & postea quærere solemus quid in causa fuerit, quominùs consecuti simus quod petimus votis.

c Act. 23. 14.
d in c. 44. Ezech.

Reddere.] Tanquam iam debitum creditori Deo, cuius debiti reus eras, & si non soluas, vetere quoque formula damnatus vocabere, vt ait Macrobius [e]. Sic verò præter tot alia testimonia, Iob [f]; *Rogabis*, inquit, *eum, & exaudiet te, & vota tua reddes.*

e lib. 3. Saturnal. c. 2.
f c. 22. 27.

Displicet enim Deo infidelis & stulta promissio.] Hebraicè & Græcè (*quoniam non est voluntas in stultis*) Chaldæus (*quoniam propterea non est beneplacitum in stultis, quod differant vota sua*) Hieronymus in vetere translatione (*quia non est voluntas in insipientibus*) subaudit (*Dei*) iuxta illud Apostoli [a]; *& vtique non fuit voluntas vt nunc veniret ad vos.*) Symmachus (*οὐ πάρεστι χρεία ἀφρόνων, non est opus insipientibus*) videlicet Deo, qui nullius etiam indiget: vel nulla est vtilitas talium hominum insipientium, qui tam leuiter vouent: *homo enim apostata, inutilis* [b]: apostata verò quodammodo est qui recedit ab eo, quod promisit.

A

a 1. Cor. 16. 12.
b Prou. 6. 12.

Infidelis porrò Deo promissio meritò displicet, qui fidelis est in verbis suis [c], mentiri nescius [d] ac impotens [e], verax [f], donans sine pœnitentia [g], quæ procedunt de labiis suis, non faciens irrita [h], ita vt cœlum, & terra potiùs transeant, quàm ipsius verba [i]. Quocirca non mirum si adeò sedulus Dauid fuerit in persoluendis votis [k]; atque graui comminatione id à nobis exegerit, redigens in memoriam terribilem esse cui fiunt, apud omnes Reges terræ ac Principes, quorum etiam spiritum, vitámque, vel fastum ac superbiam auferat [l], ita vt si voueamus (non enim præcipit vt id faciamus) meminerimus quod vouimus præstare. Non res nobis cum idolis, quibus si quis votum vouerit, & non reddiderit, nó requirunt [m]. Stulta est voti promissio, quando inconsiderata, & ex leui deliberatione, aut de re impossibili, penitùs necessaria, indifferenti, mala, minùs bona, id est, quę magis bonam hic, & nunc impediat.

c Psal. 144. 13.
d Tit. 1. 2.
e Hebr. 6. 18.
f Rom. 3. 4.
g infra 11. 29.
h Ps. 88. 35.
i Matth. 24. 35.
k Psal. 21. 26. & 65. 13. & 115. 14. 18.

B

l Psal. 65. 12 13.
m Baruch 6. 34.

De his conditionibus citati Theologi, necnon Casistę, & Canonistæ, vt & de modo deliberationis, quem rectè statuunt requiri talem, qualis requiritur ad peccatum mortale, hoc est, vt sit plena, & absolutè humana, atque moralis, quod non pendet tamen ex maturitate, ac diuturnitate temporis, vt quidam Iurisconsulti sentiunt [n]. Vnde si stulta est, quæ non hoc vltimo modo matura, & deliberata, displicere quidem potest Deo, quatenus temeraria, nec tamen immunis erit ab obligatione, vt patet exemplo, quod habetur in iure Canonico [o], eorum, qui tumultuario quodam impulsu nonnullas opes contulerant Ecclesiæ: censentur enim tenéri, sed tamen simul sacrilegi, si reuocent donationem. Sed caue stultitiam indeliberationis colligas cum Angelo [p], siue insufficientiam, si pœniteat aliquem post emissum votum. Hoc pacto possumus intelligere quod est in Leuitico [q]: *Anima quæ iurauerit, & protulerit labiis suis, vt vel malè quid faceret, vel bene, & idipsum iuramento, & sermone firmauerit, oblitáque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato.* Malè iurare videtur esse temerè ac leuiter, non autem rem malã, siue quæ mala sit, quia prohibita, siue prohibita, quia mala, quicquid Gratianus dicat, & glossa [r], exponentes de mala, quia prohibita. Lyranus, & Oleaster explicant de promittente afflictionem sui ipsius, aut imprecante sibi à Deo: Abulensis [s] de iurante lædere alium meminit qui exponant, vt & aliarũ expositionum: sed sequitur nostram.

C

n citat eos Soto 7. de iustit. q. 2. art. 2.
o c. sunt qui opes. 17. q. 4.

p sum. Angelica, verbo votum.

D

q c. 5. 4. 5.

r 22. q. 4. c. finali.
s Leui. 5. q. 4.

Postremò, *promissionis* nomen indicat voto non esse satis propositum quamlibet firmum, si absit voluntas deliberata obligationem vt ex eo consequentem acceptandi: opus est ergo vt & intellectu, & voluntate firmiter statuas facere aliquid in gratiam Dei, & velis deliberatè obligatus manere ad id faciendum, ita vt pecces nisi facias. Quapropter in eodem iure [t] Canonico is indicatus est non promisisse, & vouisse, qui in morbo cogitans de statu religioso dixit se non ampliùs moraturum in seculo.

E

t c. literaturam. de voto & voti redemp.

Vers. 4.

Vers. 4.] Multóque melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.

PErspicua sententia est, quæ grauitatem demonstrat peccati in violatione voti. [Quam grauia vincula, inquit Ambrosius [a], promittere Deo, & non soluere! Melius est nó vouere, quàm vouere, & non reddere: maior est contractus fidei, quam pecuniæ. Redde promissum, dum in hoc corpore es, priusquàm veniat exactor, & mittat te in carcerem.] Non placet Olympiodorus, dum explicat, poni hic inter duo mala comparationem, vt alterum sit, quamuis minus, nihil vnquam Deo tribuere velle. Nam malum quidem foret propositum nihil offerendi Deo; tamen re ipsa nihil offerre ex iis, quæ cadunt proprie sub votum, & libera sunt, ac ex nostra pendentia libertate, sine vllo peccato est. Meliùs Saluianus [b] occurrit, non ideo esse meliorem irreligiositatem, quàm religionem, hoc est, solutam religiosis votis vitam, quia sit melius non vouere, quàm post votum promissa non reddere. Quod autem subdit, irreligiosum per hoc esse debitorem, quòd negligat religionem, & non dignetur agnoscere, & nolit [c] intelligere vt bene agat, de eo intelligit, qui diuinæ vocationi resistat, aut statum ipsum spernat; non quòd qui Religiosus esse non vult, peccet. Clemens Romanus [d] hoc ipso modo præsentem locum declarat, agens de viduarum Deo dicata continentia per votum, de quo voto Paulus intelligit [e], cùm ait, quasdam adolescentiores ideo damnationem habere, quia primam fidem negant. Sic Apostolum idem Clemens [f] intellexit, Innocentius I. [g] Gelasius I. [h] Concilium Carthaginense IV. [i] & Toletanum item IV. [k]. Expositores etiam tum Græci, tum Latini; præterea Tertullianus [l], Augustinus [m], Fulgentius [n], Basilius [o], Epiphanius [p], Hieronymus [q]. Ratione quoque sic omnino intelligi debere conuincit Bellarminus [r], qui & hæc ipsa profert testimonia. Legendus etiam Espencæus in eundem locum Pauli, qui multa prætereà disserit in opere de continentia; cui tamen operi ex Indicis decreto adhibenda censura.

Denique sequitur ex his quæ hic dicuntur, votum cum debitis conditionibus factum, & esse bonum opus, & obligationem inducere. Nam idcirco displicet infidele, ac stultum, quia placet fideliter, atque sapienter susceptum: & propterea melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere; quoniam bonum est promittere, & quod promiseris, præstare: licèt ipsum non promittere dicatur melius, quando nimirum non implendum est quod promittitur; quia per se non promittere, malum non est; sicut [f] melius erat Iudæ non nasci, quia non natus non peccat, & non punitur: & per comparationem ad magnum malum, simplex negatio videtur habere rationem boni. Itaque falsissimum est, fas esse Religiosis facere quicquid velint, nec obligare vota religionis, nisi quamdiu homini ea seruare placuerit. Quam hæresim confutant hæresiologi, ac Theologi. Lege Bellarminum [t], & Valentiam [u], qui nominatim auctores hæreticos citant Lampetianos, Fraticellos, Vuicleffum, sectarios nostri temporis, iisque fauentem Erasmum.

a ... in Lucam c. 6.
b ... ad ... Cathol.
c Psal. 35. 4.
d ... const. c. ...
e 1. Tim. 5. 12.
f ... & 2.
g epist. 2. c. 13.
h epist. 2. c. 23.
i c. 104.
k c. 55.
l de monogamia c. vlt.
m de virginitate ... c. 33. de bono viduitatis.
... & in Psal. 75.
... epist. ...
... ad ...
... q ... Iouin. & in c. 44. Ezechielis.
r ... de Monach. c. 34.
s Matth. 26. 24.
t ...
u ... disp. 6. ... 4.

A *Vers.* 5.] Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam: neque dicas coram Angelo: Non est prouidentia, ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

POtest hæc priori sententiæ necti, vt propterea vouendi reprehendatur facilitas, seu leuitas, ne sibi quis ansam peccandi præbeat, cùm sit fragilis ac infirmus secundùm carnem, tametsi spiritus videatur promptus [a]. Tale quod agens de spirituali castratione Christus [b] monuit, vt qui posset, caperet, hoc est, consideraret, virùm
B posset, cùm non omnes capiant hoc verbum: quam quoque cautionem diligenter proposuit Paulus [c]. Tum verò hic subditur, ne quis impunè audeat esse voti violator, quasi res hæc Deo curæ non sit, nec habeat prouidentiam, caueat hoc sentire, vel dicere coram tutelari Angelo, qui solet adesse: tuam huiusmodi opinione, & sermone concitari vehementer iram Dei, vt idcirco dissipet opera cuncta sic opinantis, & loquentis, qui proinde ruat in omne peccatum, & nihil nisi damnationem sibi comparet ex ipsis.

Alius sensus non incommodus est; ne prætexat qui vouit, satis id se prouidè, ac circumspectè non fecisse, quod perficere nó valeat. Vtrum-
C que Titelmannus amplectitur, obseruans fauere posteriori textum Hebræum (sic habent quoque Septuaginta) qui loco illius (*non est prouidentia*) habet (*error* (siue *ignorantia est*.) Primum sequitur Doctor Hebræus Hieronymi, necnon glossa interlinearis. Videtur & Chaldæa paraphrasis idē velle. Tertium addit Titelmannus de vitandis gula & luxuria, qui est sensus Lyrani: quartum ex Salonio, de vanis ac libidinosis verbis, quæ carnem incitant ad libidinem; quem etiam sensum Thaumaturgus habet, necnon Olympiodorus, maximè si sint cum mulieribus: quintú eiusdem Salonij cum Hieronymo, de vana excusatione carnaliter peccantis, quasi non ipse peccet, sed
D quod in ipso habitat peccatum [d], & veluti Deus, qui est auctor adeò fragilis naturæ. Idem placet Alcuino, & glossæ ordinariæ, & fauet Aquila, quem citat Hieronymus, qui vertit (ὅτι ἀκούσιον ἐστὶ, *inuoluntarium est*.) Caietanus post Carthusianum, cui & quintus placet sensus, quia triplex est oris vsus, comedere, osculari, loqui, tria quæ in his peccantur, vult inuolui, gulam, impudica oscula, & verba: & iuxta dictam editionem Hebræam subdi, ne quis hæc excuset, tanquam errore, atque inuoluntariè facta, caueátque id seriò dicere, quoniam qui adest Angelus, nouit qua mente sic ipse loquatur, & quàm in Dei vergat iniuriam. Hugo Cardinalis amplectitur excusa-
E tionem, gulam ex qua luxuria, promissionem, aut iuramentum illicitum, vt si fiat meretrici.

Moringus putat generaliorem sententiam esse aduersùs eos, qui peccata carnis, non gulam duntaxat, & luxuriam, sed plura alia, quæ etiam connumerat Apostolus [e], excusant carnis ipsius imbecillitate, ac violenta quadam, siue necessaria cupiditate. Sequitur etiam ex allatis quartum sensum, simul subiici præceptum de non neganda prouidentia, ne irascatur Deus, & ne (quod est in sequenti versu) ita sentiens, nihil à somniante videatur distare. Nullum ego respuo: nec satis queo vllum præferre. Bonauentura de solo vitio locutionis erroneæ sermonem ait esse. Nec

a Matth. 26. 41.
b Matth. 19. 11. 12.
c 1. Cor. 7. 35. & seq.
d Rom. 7. 17.
e Gal. 5. 19. & seq.

verò omnino improbabilis expositio, quæ à Càpense innuitur, vt sit ratio cur sit melius non vouere, quàm quæ quis voto promiserit, non soluere; nempe ne sic vouens implicet carnem suam peccato; ne sinat seipsum obstringi peccato, id est, pœna peccati. Nam dare, vt priùs notaui, est permittere, vt; *Non*[a] *dabis sanctum tuum videre corruptionem, non*[b] *dabit in æternum fluctuationem iusto*, &c. Caro sæpe sumitur pro homine toto; & peccatum pro pœna peccati. Nonnihil obstat, quòd carnem dare os, vt peccare faciat carnem, ex modo loquendi non totũ hominem eundem ita commodè videtur significare, qui admonetur. Potiùs indicat alium, ac si moneretur, ne proximum peccare faciat exemplo malo, aut aliter. Sic enim quod alius Propheta[c] dicit, *carnem tuam ne despexeris*, de proximo intelligit.

a Psal.15.10.
b Psal.54.23.
c Esa.58.7.

Ne dederis os tuum.] Ne sinas vt os tuum, &c. Hanc vim habet verbum *dandi* non raro ex vi Hebræi נתן *nathan*. Idem quoque valet ista phrasis ac ne efficias, ne sic tractes. Italicè dicimus; *non ti dar à questo, si è dato alla poltroneria, &c.*

Vt peccare facias carnem tuam.] Iam exposuimus de peccatis carnis. Caro quoque nostra dicitur proximus: sed non congruit ea significatio proposito, nisi dicas, caueri ne quis peruersis sermonibus corrumpat alium, maximè verò negando prouidentiam, sicut mox subditur.

Peccandi verbum coniunctum cum carne satis videtur innuere luxuriam præsertim, atque etiã gulam: quamuis opera carnis plura recenseantur ab Apostolo[d], quæ nimirum ex passionibus, & vtroque sensitiuo appetitu nascuntur. Nonnunquam absolutè peccator, vel peccatrix nominatur à luxuria, sicut Magdalena[e], vt Ambrosius, Beda, aliíque in commentario Lucæ, Gregorius quadam homilia[f], & Laurentius Nouariensis[g], Chrysostomus[h], Isidorus Pelusiota[i], Hieronymus[k], Augustinus[l], vetus quidam rhythmi auctor de Magdalena ante annos 600. & alius vocatus S. Ioannes sermone de eadem, quos nuper ex manuscriptis edidit Ioannes de Bosco Cœlestinus in Bibliotheca Floriacensi; qui non dubitant etiam appellare meretricem (Chrysost. ait ideo dictum à Christo publicanis; *& meretrices præcedent vos in regno Dei*) & passim ferè omnes, exceptis nescio quibus recentioribus, qui non aliter peccatricem sumunt, quàm vt solent peccatores nominari non insigni pollentes virtute: aut quia licentiùs viuebat, quamuis citra impudicitiæ actum. Non esset miratus Simon admissam ad tactum Christi, si aliis vitiis, quàm impudicitia fuisset infamis. Ecclesia quoque canit:

d Gal.5.19.& seq.
e Lucæ 7.37.
f homil.33. in Euang.
g homil.de pœnit.tom. 2.Biblioth. Patrum.
h hom.16.in Acta, & homil.62.ad populum,& 6. in Matth.
i lib.1. epistola 142.
k in c.26. Matthæi.
l ser.58.de temp.

Quæ tot commisit crimina,
Ab ipsa fauce Tartari
Redit ad vitæ limina.
Post fluxæ carnis scandala,
Fit ex lebete phiala,
De vase contumeliæ
In vas translata gloriæ.

Et in vetere iam dicto rhythmo,

In domo quippe Simonis
Cum esset (Christus) *cum Discipulis,*
Maria supplex humilis,
Famosa quondam meretrix
Locum quærit remedij.

Item:

O felix illa meretrix,
O cor ardens mulieris,
Incendium libidinis,
Quæ piis necat lacrymis
Vulnus, & fœdum pectoris
Crine detergens capitis.

Hebræum tamen verbum חטא *chata*, quod est hic in hiphil, *errare* significat, siue *deuiare*.

Neque dicas coram Angelo.] Malum Angelum Chaldæus intelligit, sententiam totam sic interpretans (*ne conicias dictum oris tui, vt causam adferas iudicij gehennæ super carnem tuam, & in die Iudicij magni non poteris dicere ante Angelum crudelem, qui potestatem exercebit in te, quòd ignorantia fuerat.*) Græcè est (πρὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ, *ante faciem Dei*) & ita exponunt Græci Thaumaturgus, & Olympiodorus. Sed & Chaldaicè, & Hebraicè Angelus est, necnon in vetere Latina translatione: quem passim hîc omnes bonum esse volunt, cui peculiariter, Deóque simul iniuria fiat, negando quod sequitur, id est, prouidentiam, cùm hanc maximè declaret Deus, humanæ custodiæ deputans Angelos sanctos. Aliàs[a] docui, nomen *Angeli* positum absolutè videri sæpius bonum significare, licet quando cum addito dicitur Angelus Domini, possit etiam intelligi malus. Hinc probare solent Angelorum custodiam, qui res nostras curent, ac proinde percipiant, præcipuè si prodeant foras signo aliquo sensibili, aut aliter, ita vt non sint puri vel intellectus, vel voluntatis actus, quos absque diuina reuelatione non cognoscãt, siue quia Deus non vult, siue quia naturaliter nõ possunt: qua de re tum in Commẽtario Actuum aliquid egimus, tum exactiùs in disputatione scholastica de Angelis. Nec reueretur Angelum tutelarem, nec se illi, Deóve gratum exhibet, qui prouidentiam Dei negat, quam tantopere commendat commissa de nobis illi cura: eadémque reuerentia cohibere nos à peccatis deberet, præsertim inhonestis, vt Paulus admonet[b]. Nõ enim diabolus tantùm accusator, sed fidus custos noster res nostras etiam malè gestas perfert ad Deũ, tametsi non eadem mente. *In cogitatione tua Regi ne detrahas*, ait idem Ecclesiastes[c], *& in secreto cubili tuo ne maledixeris diuiti, quia aues cœli portabunt vocem tuam*, id est, Angeli, vt ibi quosdam exponere videbimus. Huius autem capitis loco, quem tractamus, putat Carthusianus posse quoque Sacerdotem intelligi, cuius labia custodiunt scientiam, & os legem[d].

a Act.5.19.
b 1.Cor.11.10.
c c.10.20.
d Malac.2.7.

Non est prouidentia.] In Deo videlicet. Nam quod editiones aliæ habent (*est ignorantia*, aut *error*) potest referri vel ad Deum, de quo quis id affirmat, idémque valet ac dicere, non esse in illo prouidentiam: vel ad eum ipsum, qui sic loquitur, vt excuset seipsum, quia lapsus sit ignorantia, seu inconsideratè, ac propterea illibenter (quod indicat Aquila per τὸ ἀκούσιον) vouerit. Olympiodorus tradit vtrumque sensum: Thaumaturgus primum, qui consentaneus est nostræ translationi, cum qua possunt aliæ editiones cohærere. Quidam præcipi aiunt, ne quis errorem dicat vouere, quasi aut id non liceat, aut non debeat votum reddi. Illud Aquilæ τὸ ἀκούσιον indicare potest, Deum illibenter, & non liberè, ac proinde sine prouidentia operari.

Superfluum est, impios prouidentiæ diuinæ refellere negatores, Epicurum, Democritum, fæcem omnem Atheorum aliorum; hoc enim quid est aliud, quàm Numen negare diuinum: vel nos asserere sapientiores, quoniam prouidentiam habemus, quàm illud? Totius argumentum, scopúmque libri Iob B.Thomas, Albertus, aliíque

volunt

volūt esse, refellere amicorum eius de prouidentia Dei errorem. Non id existimo de tam sapientibus, & in vera Religione rectè institutis: eo potiùs posito principio, disceptatio est, num iustis non in futurum duntaxat præmia reseruet Deus, sed etiam nūc nonnulla conferat, an sine discrimine & illis, & improbis in hac vita, ita vt fallax argumentum esset de iniquitate Iob, tot cū propter illam vexari calamitatibus, vel quòd recuperata iustitia felicem pristinum statū reciperet. Hîc propriè damnatur, qui Deo rerum quas gerimus, ignorationem ascribit; qui error pari refutatur facilitate, qua prouidentiam omnem de medio tollens: ac suppetunt innumerabilia Scripturarū contra illū testimonia. *Peccaui*, ait ille [a], *quid faciam tibi, ô custos hominum?* id est, obseruator, speculator, qui scis mentes hominū, vt vertunt LXX. qua ratione cognitionem tuā, & iudicium effugere queam? εἰ ἐγὼ ἥμαρτον, τί δύναμαί σοι πρᾶξαι ὁ ἐπιστάμενος τὸν νοῦν τῶν ἀνθρώπων; Olympiodorus [b], τί ἔβλαψά σε; *quid læsi te?*

a Iob 7.20.
b In catena.

Ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.] Heb. (*vt quid irascetur Deus propter vocem tuam, & dissipabit opus manuum tuarum?*) Chald. etiam cum interrogatione (*ad quidnam roborabitur indignatio Domini super omne eloquium tuum, quod dictum fuerit incongruè, & corrumpet opera manus tuæ?*) Non propriè tangitur ira Deus, vt nec alia perturbatione; sed ratione effectus qui solet in aliis ab huiusmodi passionibus proficisci, tribuūtur passiones ipsi. Irascitur verò peculiariter peccatis nōnullis, quæ sc. maiorē indignitatem cōtinent, & illa lædūt magis attributa, quibus quodammodo magis gloriatur Deus, quamuis omnia sint in se æqualia. Tale attributum scientiæ ac prouidentiæ. Legendi de modo quo passiones tribuantur Deo, Origenes [c], Damascenus [d], Lactantius [e], Hieronymus [f], Augustinus [g], qui Deum alloquens, ait: [Pœnitet te, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium. Deus secūdum Scripturas irascitur, inquit, nec tamen vlla passione turbatur: hoc enim verbum vindictæ vsurpauit effectus, non illius turbulentus affectus [h].] Probat aduersùs Epicuru Lactantius in Deo esse iram, sicut & beneficentiam, ac prouidentiam; docétque propterea quòd irā Deo indignam Philosophus ille arbitrabatur, vt nimirū perturbatio est, illam intelligens, reliqua eidem ademisse, ipsámque diuinitatem: cùm tamen Deo iram deneget nemo, aut admodū pauci, & quidem scelerati, ac mali, qui sperant peccatis suis impunitatem. Disputat idem auctor [i] cum Stoicis Deo gratiam concedentibus, nō item iram, velut deformem ac noxiam: vocátque priorem magis cōstantem errorē, quoniam in rebus diuersis, aut in vtramque partem moueri necesse sit, aut in neutrā, nec minùs odisse malos, atque punire Deū oporteat, quàm bonos diligere, iisque benefacere; ac [k] proinde iram, ita vt etiā Deo cōueniat, definiri motū animi ad coërcenda peccata insurgentis. De Christo, quia simul est homo, alia ratio; concedendæ namque passiones ipsi magis propriè, licèt quia rationi semper subiectæ, propassiones potiùs nominentur. Lege S. Thomam [l], & ibidem Interpretes, maximè Suarez [m], & Magistrum cum Scholasticis [n]. Illo autem modo propassiones appellat Hieronymus [o].

…in …
…ud. c.
… Deue.
… & 41.
… 6. Esa.
… d.
…phe. l. 3.
… 4. & l. 4.
in princ.
… de ciu. c. 4.
& 1. cū … lit. c. 4.
h vapra c. 4.

… de ira … 5.
k idem c. 17.
l p. q. 15. a. 4.
m … q. præfer-…
… p. 14.
… 5
… & 16.
… epist. 22.

Dissipet cuncta opera manuū tuarum.] Quæ operâ exquisitâ, intento studio, arte, ingenio meditatus, ac molitus es, perinde ac si tua contentus prouidentia, diuinam penitus non agnosceres, diceresq; superbiens; *Manus mea excelsa, & nō Dominus fecit hæc omnia* [a]. Intelligi quoq; possunt cuncta, quæ quis sibi comparauerit vel corporis, vel animi bona, etiam virtutes, ac merita, quorum meritò facit iacturam, qui negat Dei prouidentiam.

a Deut. 32. 27.

De iis qui negata hac prouidentia dicūt; *comedamus, & bibamus, cras enim moriemur* [b], ait Esaias [c]; *Et reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.* Ezechiel præterea inducit Deum contra illos qui dicebant; *Non* [d] *videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram*, sic minitantē; *Ergo* [e] *& ego faciā in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor.* Iterū cū lamentaretur Propheta de magna strage interfectorum [f], ait Deus [g]: *Iniquitas domus Israel, & Iuda magna est nimis valde, &c. dixerunt enim: Dereliquit Deus terram, & Dominus non videt. Igitur & meus non parcet oculus, neque miserebor.* Tandem Dauid non ferens hoc genus hominum; *Propter* [h] *quid*, inquit, *irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo; Non requiret. Vides* (id est, scis) *quoniam* (id est, quòd) *tu laborem, & dolorem considerans* (quem aliis inferunt, vel quem iis decreuisti, vel opera, quæ summo labore, atque dolore sine te operantur) *vt tradas eos in manus tuas* (quas euadere se putant, sicut & oculos scientiæ, ac prouidentiæ tuæ.) Abundamus exemplis; at perillustria fabricatorum turris Babel [i], & Sennacherib [k], qui vel prouidentiam Dei spreuerunt, vel negauerunt. Sapienter dictum;

b 1. Cor. 15. 32. Esa. 22. 13.
c c. 22. 13. 14.
d c. 8. 12.
e Ezech. 8. 18.
f c. 9. 8.
g vers. 9. 10.
h Psal. 10. 13. 14.
i Gen. 11.
k 4. Reg. 19.

> *Quidquid* [l] *patimur mortale genus,*
> *Quidquid facimus, venit ex alto.*

Sed cauendus auctor sententiæ fati simul assertor violantis liberas voluntates.

> *Fatis* [m] *agimur, cedite fatis.*
> *Non sollicitæ possunt curæ*
> *Mutare rati stamina fusi*
> *Lachesis.* ———

Item: [n]

> *Non illa Deo vertisse licet,*
> *Quæ nexa suis currunt causis.*

Horret pietas Christiana vel fati nomen, idque nihil putat esse, vt Gregorius [o] docet: secus qui faxint fatuos censet Augustinus [p]. Plura in Philosophicis, & Iacobus Carpentarius in Alcinoum Platonis [q].

l Seneca in Oedipo. actu 5 in choro.
m ibidem.
n ibidem.
o hom. 10 in Euang.
p tract. 37 in Ioan. 5. de ciu. c. 9 & alibi.
q c. 19. digressione 11.

Vers. 6.] Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri: tu verò Deum time.

INdicat Chaldæa paraphrasis nonum hîc præceptum contineri, ne quis habeat fidem somniis prophetarum mendacium, & vanis incantatorum sermonibus, aliorúmve improborum. Videtūr idem Hugoni Cardinali, & Carthusiano, & Arboreo. Alij rationem arbitrantur, qua priora confirmet, nimirum de non temerè viuendo, & & loquendo; vt enim plerumque insomnia vana, sic etiam pleraque verba. Hoc inter alios medò Thaumaturgus, & Hebræi, quos citat Hieronymus, & innuit etiā Olympiodorus, dicens irasci Deum somniantibus, id est, frustra laborātibus, & loquacibus; quasi admoneri se somniis existimēt ad vota concipienda, & proferenda: vel, vt ait Moringus, quasi prouidentiam negare, quod

A proximè præcessit, nil sit nisi somniare, atque garrire, hoc est, nil veri solidique asserere. Hieronymus caueri dicit excusationem, quoniam in somnio vitæ istius, & in imagine vmbræ nubis qua viuimus, multa possumus inuenire, quæ nobis verisimilia videantur, & nostra excusare peccata. Cum Hieronymo consentit iisdem verbis Albinus. Editio Græca, & Hebræa concisam habent orationem (*quoniam in multitudine somniorum, & vanitatum, & sermonum multorum.*) Interpres posuit in casu recto nomina omnia, & suppleuit (*vbi sunt.*) In Græcis sunt casus obliqui (ὅτι ἐν πλήθει ἐνυπνίων, καὶ ματαιοτήτων, καὶ λόγων πολλῶν, *quoniam in multitudine somniorum, & vanitatum* (& supplendum est, multitudo est) *& sermonum multorum*) vel (ne credas:) Symmachus legit (διὰ γὰρ πλῆθος ὀνείρων ματαιότητες, καὶ λόγοι πολλοί.) Congruit
B magis hæc lectio cũ versione nostra, cui est quoque similis vetus Latina (*quia in multitudine somniorum & vanitates, & verba plurima.*) De somniis iam superius [a] monui alio me loco [b] disseruisse. Innumeros autem sermones, siue multos, rectè notat Olympiodorus hic reprehendi, qui sunt otiosi, & vani, & nugaces; tales namque non habendos, quos Paulus de regno Dei ad mediam vsque noctem habuit [c]: posse & in vnico verbo peccari, si ad rem non sit: quod Basilius [d] ait, si non ad propositum in Domino vsum. Sed hac de re aliàs. Legantur quoque de otioso verbo Gregorius [e], Hieronymus [f], Bernardus [g].

a versu 2.
b Act. 1. 17.
c Act. 20. 7. 11.
d reg. 23. ex breuiorib. & in const. Monast. c. 12.
e 7. moral. c. 17.
f in c. 12. Mat.
g serm. de triplici custodia.

Innumeri.] Alij (*multi.*) Et solet Hebraicè, quod hic tamen non fit, addi (*valdè*) quando Interpres vertit *innumeros*, siue *innumerabiles*.

Tu verò Deum time.] Græcè (ὅτι σὺν τὸν Θεὸν φοβοῦ, *quoniam*, vel *quare simul Deũ time*) Chald. (*verùm sapientibus ministrabis, & ex eis quæres doctrinam, & à conspectu Domini timebis.*) Dixerat enim priùs in paraphrasi non credendum somniatoribus. Timor antidotum vitiorum, & complexio quædam cunctarum virtutum, ille, inquam, timor, qui charitatis comes est, dicitúrque castus, filialis, reuerentialis: quamquam & seruilis bonus est, tametsi minùs perfectus. Cõmendatur prior tertio quoque verbo potissimùm in Prouerbiis, & Ecclesiastico, & sæpe in Psalmis, eíque sapientiæ inchoatio, promotio, perfectio tribuitur.
D Clauditur isto timore liber hic, vbi forsitan redibit nobis de eodem sermo. Hìc potest posterior quoque poni: valet enim seueri timor Iudicis ad cohibendos errantes circa prouidentiam, ad extorquendam solutionem votorum, ad frenandam carnis concupiscentiam, ad castigandam effrenem linguam. Nam qui plantauit aurem, audit, qui oculum condidit, considerat, arguit [h], & statuit contra faciem nostram [i]. Terribilis est, auferens etiam spiritum Principum, ita vt eos deleat, qui vota non reddunt [k]: de otioso quoque verbo rationem exiget in iudicio [l], & carnes timore isto non confixas [m] destruet: denique *qui timet Dominum, nihil negligit* [n]. Lege Basilium [o], & Bernardum [p].
E

h Psal. 93. 9. 10.
i Psal. 49. 21.
k Psal. 75. 13.
l Mat. 12. 36.
m Psal. 118. 120.
n Eccli. 7. 25.
o reg. 209. ex breui. & hom. in Psal. 13.
p serm. 54 in Cant.

Vers. 7.] Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij.

A QVod de timore dictum est, huc spectare Thaumaturgus credit: illum tarum esse, vt mirum non sit, si pauperes calumniis opprimantur, Iudices legibus impolluram faciant. Olympiodorus idem sentit, & Hieronymus, & Salonius: verum occurri obiectioni de prouidentia, quæ negabatur priùs à nonnullis, qui cum ratione fecisse id videri possint, ob intortinum oppressionem impune factam. Lyranus ait demonstrari timendum Deum, quia est summus Iudex, & omnia ab aliis quantumcumque magnis errata reseruantur ipsius iudicio. Caietanus, Titelmannus, Hugo, Carthusianus volunt nouũ sermonem institui de prouidentia ipsa, quam violare videtur oppressio pauperum. Vt lubet quisque sentiat, vel in vnũ sensus hos omnes cõponat. Docet Eccle-
B siastes opprimi pauperes, iudiciumque subuerti, dum tam multi præsunt multitudini, qui cũ persæpe tenuis sint conditionis, facilè muneribus corrumpuntur, & superiorũ, quibus subsunt, gratiæ seruiũt, vt retinere gradum suum, ac in altiorem quoque conscendere valeant. Cæterùm solari nos debere, quòd existat vnus cũctorum Rex supremus, Iudéxq; qui vicarios Iudices ipsos diiudicabit, interim dissimulás, at nõ ignorans; illos ipsos adhuc expectans ad pœnitẽtiam; oppressos exercens ad patientiam, præparánsque ad coronã.

Calumnias.] Græcè (συκοφαντίαν,) Lege capitis prioris versum primum.

Egenorum.] Græcè (πένητος) in singulari. Hoc
C nomen Græcum Basilius [a] vult eum significare, qui ab initio in egestate semper fuerit, & in huiusmodi statu ita se moderatus sit, vt apud Deum in gratia esse meruerit: πτωχὸν, qui ex diuitiis ad inopiam deuolutus sit: Christum vtrumque fuisse, primum, quia fabri filius dictus est [b]: secũdum, quoniam *cùm esset diues, propter nos egenus factus est* [c]: a Christo laudatos πτωχοὺς [d], quos *mendicos* Tertullianus [e] interpretatur. Est quidem propriè πένης, qui πόνῳ, id est, *labore*, victũ quærit: & πτωχὸς, qui mendicatò (vnde apud Italos *pitocco*:) & priori οὐδὲ περιγίνεται μηδὲν, μὴ μὲν τοι μηδ' ἐπιλείπει, ait Aristophanes [f], & Martialis [g];

Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

a reg. 262. ex breuiorib.
b Mat. 13. 55. Marc. 6. 3.
c 2. Cor. 8. 9.
d Matt. 5. 3.
e 4. con. Marcionem.
f in Pluto.
g libro 11. Epig. 33.
h epist. 87.

Et Seneca [h]: [Paupertas est non quæ pauca possi-
D det, sed quæ multa non possidet, potestque dici ἀπορία.] Attamen cuiuismodi pauperem facilè credo hic intelligi capacem calumniæ, atque iniuriæ, quémque faciliùs opprimunt potentiores, & confunditur nonnunquam earum significatio vocum, & רָשׁ *rasch* vtrumque significat. Nullus ludibrio, calumniæ, iniquitati expositus magis quàm pauper:

Facilè [i], ò Gorgia, contemnitur pauper,
Etsi planè iustam causam dixerit.

i Euripides.

Violenta iudicia.] Græcè (ἁρπαγμὸν κρίματος, *direptionem iudicij*) vel iuxta veterem translationem (*ruinam.*) Significat quoque גּזֶל *gezel* rapinã quæ faciliùs exercetur in pauperes, ac destitutos ab opibus, & fauore, quibus qui præditi sũt, vel quod
E volunt, eliciunt, vel dolo, non vi fraudantur suo iure. Olympiodorus rapinam iudicij tum de largitionibus ad iniqua iudicia, tum de tractatione causarum extorta intelligit.

In prouincia.] Vetus translatio (*in regione*, ἐν χώρᾳ) Chaldæa (*in ciuitate*, בְּקַרְתָּא *bekarctha*) Hebr. (בַּמְּדִינָה *bammedinah, in vrbe metropoli*) vbi ius dicitur, necnon in prouincia, quæ iure, ac legibus iisdem viuit, etiam municipalibus, & sub Iudice vno. Inde orta puto quæ apud Hispanos vsurpau-

tur nobiliorum oppidorum nomina, *Medina del Campo, Cel, Sulonia*, &c. χώρα est tum locus, & ager, tum regio, atque prouincia. Inde Chorepiscopi, de quibus alias, quasi regionarij, aut ἐν χώρᾳ ἐπισκόπων, *loco, ac vice Episcoporum*, id est, vicarij eorum.

Ne mireris super hoc negotio.] Hebraicè *super voluntate*) id est, re volita, vt alias dictum est: Chaldaicè *in corde suo, quomodo voluntas Domini sit super omnia hæc*) Græcè (*ne mireris super re*, ἐπὶ τῷ πράγματι.) Admirationem hæc res parit viris quoque sanctis, vt Dauid [a], Ieremiæ [b], Abacuc [c], vt alias notauimus, qua de re multi Patres de Dei prouidentia scribentes, atque Cassianus [d] collatione de nece Sanctorum. Minùs id miratur Ecclesiastes iam expertus in patre, ipsiusque doctrinæ memor in Psalmis super hac re, inquit Athanasius [e].

Quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij.] Hebraicè, & Græcè (*quia excelsus desuper excelsum custodiens est*, vel *custodiet*, & *excelsi super eos*) vetus trãslatio (*quia excelsus super excelsum custodit, & excelsior est super illos.*) Emendati codices Lxx. pro φυλάξει habent φυλάξαι, *ad custodiendum*; Symmachus pro καὶ ὑψηλοὶ ἐπ' αὐτοῖς, vertit, καὶ ὑψηλότερος ἐπάνω αὐτῶν. Hieronymus explicat, quòd Deus qui est excelsus super excelsum, inspicit oppressos, qui nimium posuit Angelos super Iudices, & Reges terræ, qui Angeli possunt prohibere iniustitiam, & magis in terra valere, quàm quæuis hominum potestates, licèt differant vsque ad messem Iudicij [f]. Eodem pacto Albinus, & glossa interlinearis, Caietanus, Arboreus, Vatablus. Hugo autem Cardinalis, & Carthusianus præter hunc, illum quoque sensum tradunt de subordinatis Principibus, siue Iudicibus in prouincia quapiam, & Regno, aut Imperio; qui posterior solus sensus traditur à Lyrano. Innuit idem Thaumaturgus, & Olympiodorus; quãuis hic sequẽtis versus mysticã variam intelligentiam addat: & ille, cauendum ne iis qui potentia præstant, maiores esse videamur; nam etiamsi hoc acciderit, tamen ex horrendis cruciatibus, in quos incidimus, nequaquam nos improbitas ipsa liberabit.

Congruit paraphrasis Chaldæa, miscens tamen etiam de Deo interpretationem (*quia Deus potens super cœlos altissimos obseruat opera filiorum hominum tam bona, quàm mala, & à facie eius mittuntur viri magnifici, & robusti, vt potestatem exerceant in improbos, & vt sint præpositi magistratus super eos.*) Recipio hæc omnia ceu aptè sibi conuenientia, sic tamẽ, vt de Deo potiùs mentio fieri versu sequenti dicatur. Malim etiam simpliciter de magistratibus, quos gerunt homines, intelligere, quàm de Angelis. Nam obscurius est Angelos esse, vel administrare mundum, ac res humanas. Nec voluisse duntaxat Ecclesiasten puto rem in futurũ Iudicium reiicere; minùs enim id prouidentiam negantes moueret. Docet ergo in tot Rempublicam gubernantium serie, quam constituit Deus, non solere deesse, qui malè iudicantes corrigant, & puniant: omnibus autem Deum esse superiorem, quod sequens versus magis indicat; qui si omnes peccent, & quemadmodum ab inferioribus Iudicibus vexantur iniustè alij, ita illi ab aliis superioribus, & potentioribus, compescat ipse omnes, & coërceat. Fauet posteriori isti expositioni Hebræa dictio גָּבֹהַּ *gaboach*, & גְּבֹהִים *geboim* pro *superbo*, & *superbis*. Porrò luculentè Seneca [g] sententiam hanc ipsam expressit.

Vos, quibus rector maris, atque terræ
Ius dedit magnum necis, atque vitæ,
Ponite inflatos, tumidósque vultus,
Quidquid à vobis minor expauescit,
Maior hoc vobis Dominus minatur:
Omne sub Regno grauiore Regnum est.

Iudæos certè Chaldæi, hos Persæ, istos Macedones subiugarunt, Romani deinceps illos, Gothi, Vandalique Romanos, Saraceni in Africa Vandalos, Gothos in Hispania, Saracenos Astures, Cantabri, Celtiberi: denique Regnorum, ac monarchiarum subuersiones, ac deuolutiones non infrequentes extiterunt.

Prodit Optatus [a] de Constãtino, cùm Donatistæ in sua causa Iudicem ipsum interpellauissẽt, siue vt de Gallia Iudices sibi dari præciperet, plenũ liuore .i. zelo & ira, sed iusta, dixisse: Petitis à me in seculo iudicium, cùm ego ipse Christi iudicium expectem.

Vers. 8.] Et insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti.

VIdetur hæc interpretatio plana de Deo, qui sit supremus Rex, cuíque seruiat omnis terra, terræque incolæ. Quem sensum Hieronymus potissimùm intendit. Sed aliæ editiones reddunt sensus diuersos. Hebraicè ad verbum est (וְיִתְרוֹן אֶרֶץ בַּכֹּל הִיא מֶלֶךְ לְשָׂדֶה נֶעֱבָד *veithron erets baccol hi melech lesch.ade neebhad*) quod variis modis declaratur. Potest sententia priori coniungi, vt quia lites, & oppressiones pauperum referuntur omnes ferè ad bona terræ, & victum, qui ex agricultura est, vnus autem summus præficitur regioni Rex, ob hanc præsertim communem vtilitatem, polleat per hunc inferiorum magistratuum iniusta iudicia emendari.

Innuit Pagninus in verbali Bibliorum expositione. Versio quoque Vatabli eòdem alludit (*& post omnia, terra Deus semper sui similis expectandus est, vt Rex agri qui colitur*) licet in scholio ponat nouam sententiam istam. Porrò excellentia terræ super omnia est, & ratio agriculturæ est potissima omnium conditionum viuendi: Rex enim agro seruit, ipsum colendo, aut colendum curando, idque necessariò.

Scholiastes editionis Latinæ secundùm Septuaginta consentit. Quasi dicat Ecclesiastes, vt placet Clario, qui vertit (*& vtilitas terræ in omni re est; etiam Rex agro obligatus est*) melius esset dimittere calumnias, & colere terram, cui etiam Reges debent. Primum sensum iuuat alia versio apud Titelmannum (*præterea est Rex in omni terra ad colendum agrum*) id est, dominatur super omnes, & conseruat regionem, ne dissipetur. Hoc & de Deo, & de Rege terreno potest intelligi.

Caietanus exponens יִתְרוֹן *ithron superfluum*, ait nouam hîc rationem contineri, cur permittantur dicta mala oppressionũ, &c. sumptam ex parabola terræ cultæ; in hac nãque nasci superflua multa, nec ante messem euelli: sic non ex defectu gubernatoris Dei, sed ex ipsa ratione gubernandi permitti mala iam sæpiùs exposita. Confirmat id Hieronymus parabola Christi de zizaniis [b], atque domino messis, qui hoc loco vocatur Rex in agro culto. Sequitur videlicet

f Matt. 13. 30.

g Thyest. in choro d 605 & ...

a 1. cont. Parme.

b Matt. 13. 24. & seq.

in cōmentario veterē translationē (*& amplius terræ in omnib. est Rex in agro culto.*) Græcè est (καὶ περίσσεια γῆς ἐπὶ παντί αὐτός ἐστι βασιλεὺς τ' ἀγροῦ εἰργασμένου) Symmachus (ἐπὶ παντὶ αὐτός ἐστι βασιλεὺς τῇ χώρᾳ εἰργασμένῃ.) Olympiodorus ponens commata post καὶ περίσσεια γῆς, exponénsque ὑψηλοὺς ἐπ' αὐτοῖς, seu ὑψηλότερον ἐπάνω αὐτῶν, de seipsos inaniter iactantibus, ac magnifacientibus, qui vnà cum aliis inferioribus opprimant pauperes, ait nihil aliud fermè censendos, quàm superfluitatem terræ, inutilem globum, & glebam, terram, & cinerem. Tum incipit à sequentibus verbis sententiam illam, quam retulimus esse quoque Hieronymi. Addit prætereà, quoniam Deus mundi Regem hominem fecit, admoneri nos dignitatis **B** nostræ, vt debitam venerationem exhibentes Deo, piè, officioséque viuamus. Item ne demoliamur agrum, vineámve Domini Sabaoth iniquis actionibus, impiis & perniciosis doctrinis: ne Scripturæ literalem sensum extirpemus, allegorias tantùm sectando, quod Origenes ferè fecit: ant literali, more Iudæorum, nimis addicti simus.

Sed omissis nunc mysticis explicationibus, refert Clarius quosdam reddere (*residuum quod colligitur ex terra, in omni re est Rex propter agrum cultum*) hoc sensu; nemo non abunde viuere potest ex cultura terræ, etiamsi Rex sit, cùm omnis victus, quo opus habet humana natura, ex terra collige- **C** tur. Vel, cùm summum, quod terra homini præstare possit, sit agellus aliquis, qui illum colenti satis esse possit, vt ex eo viuat, cui ille contingit, & eo contentus est, is planè Rex est. Quasi dicat, quid tot opibus opus? quorsum tam multæ lites, quando paruo contenti queamus esse, ac regiè viuere? id est, copiosè satis, & otiosè, absque fori molestiis. Laus profectò agriculturæ maxima. Sed quoniam initio allatum sensum præfero cum Interprete nostro, eam hìc non persequar. Sufficiat vice plurium Aristophanes [a]. (a in pace.)

O cunctis hominibus grata pacis
Fida nutrix, proma, opifera, procuratrix,
Filia, & soror, hæc omnia me nominabat. **D**
Sed quodnam tibi nomen est? Agricultura.

Huc illud quoque facit oraculum:

Vni seruit ager tibi nunc, quid tanta requiris?

quamuis auaro datum, qui agrum emerat, quòd ex eo etiam non septo, non dominus tantùm, sed alij plures saturarentur: at postquam eum muro muniuisset, ipsi vni fructus ferret sufficientes.

Insuper.] Hebr. (יִתְרוֹן *ithron*) Græcè (περίσσεια.) Harum dictionum varia significatio varios peperit sensus, quos diximus, tametsi Interpres noster aduerbialiter acceperit. Lege capitis primi tertium versum. Hebraicè hoc loco est in statu regiminis, siquidē refertur ad sequentem vocem אֶרֶץ *erets*, quemadmodum Græcè περίσσεια γῆς. **E** Chaldæus exponit, excellentia laudis culturæ terræ: potuit etiam dicere, vtilitas, &c.

Vniuersæ.] Iungitur cum terra (*vniuersa terræ:*) sed secundum alias editiones aliò refertur. Hebraicè (הִיא בַּכֹּל *hi baccol*, vel הוּא *hu, in omnibus ipsa*) nimirum excellentia, vel vtilitas terræ: Græcè (ἐπὶ παντὶ ἐστι βασιλεὺς ἀγροῦ εἰργασμένου, *in omni est*) nimirum præstantia terræ, quasi sit non הִיא *hi*, vel הוּא *hu*, sed הָיָה *haiah*, vel הוֹיָה *hoiah, fuit, aut existens est*) id est præstantissima res, *Rex* (etiam est) *agri laborati*, id est, necessitatem eius habet: Symmachus (ἐπὶ παντὶ αὐτός ἐστι βασιλεὺς τῇ χώρᾳ εἰργασμένῃ, *super omne ipse est Rex regioni cultæ.*) Verùm vtriusque lectionis Græcæ sensus, & Hebraicæ, si legamus הוּא *hu*, neglectis accentibus Masoretarum, **A** & id coniungamus cum מֶלֶךְ *melech*, potest esse is, quem in principio posui, præesse Regem, atque omnino in eo, quod est in terra excellens præ aliis rebus eiusdem terræ, nimirum in agro culto, superiorem esse, seu eminere super alios cunctos, qui in prouincia partem habent gubernationis: reditus enim & vectigalia, quæ colliguntur potissimum ex agris cultis, Regi penduntur.

Imperat.] Hoc verbum suppleuit Interpres.

Seruienti.] Epithetum est terræ priùs positæ: sed Hebraicè præter אֶרֶץ *erets* antea quoque positum est שָׂדֶה *sadeh*, pro quo Græcè nomen **B** ἀγροῦ. Tamen quia terra, quæ Regi seruit imperanti, ager est, reddens nempe fructū ex cultura, propterea omisit Interpres expressionem distinctam istius alterius dictionis. Græci Hebræum participium נֶעֱבָד *nehhbad*, quod conuenit præcedenti שָׂדֶה *sadeh*, passiue sunt interpretati pro agro culto, assidua quadam veluti seruitute. Posset videri alius præsentis sententiæ sensus, quem dat Rabbi Kimchi: Regi seruitur propter agrum, id est, vtilitatem eius; & non tantùm ille iam assignatus, qui est R. Abraham, quòd Rex agro sit addictus necessitate quadam, & culturæ ipsius, vt habeat vnde se, suósque sustentet, quasi dicas, inquit Mercerus, Gallico idiomate (*vn Roy est as-* **C** *subiecti, ou asserui au champ, au labourage.*) Titelmānus meminit versionis alterius ad totū versū (*porrò residuum terræ in omni isto, Rex ad agrum cultum*) id est, vt priore versu dictum est, Deus quidem attendens iniurias, mittit excelsos, ac fortes, qui vindicent, verumtamen in omni ista vltione remanebunt in terra reliquiæ, quibus Rex cœli fœcundabit agrum cultum, ita vt nec hac in parte desideretur prouidentia ipsius. Ioannis Benedicti expositio est (*& superfluitas terræ in qualibet re, Rex ad arandum seruietur.*) Hugo Cardinalis refert (*seruienti*) ad Tyrannū, cui Rex vniuersæ terræ Deus imperet, seruiat autem ipse, quatenus ille vtitur eo ad exercendos pios. Glossa interlin. & Lyra- **D** nus explicant de omni re, quæ seruit Deo. Carthusianus per Regem vniuersæ terræ sumit Regni Monarcham, cui seruiant minores ministri; vel etiam Deum, vt iam dictum est. Bonauentura quoque declarat eodem pacto, præter Hieronymum initio versus allatum, cum quo Albinus concordat. Vt mihi, sic, opinor, minuet lectori fastidium cura propugnandi Interpretis, & editionis vulgatæ, eique seruiendi, & quòd adeò varius allatus sensus dissonum nihil continens illustrat mirificè præsentem locum, & Scripturarum fœcunditatem demonstrat.

E *Vers. 9.*] Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas.

REdit Ecclesiastes ad vanitates, quæ versantur inter homines, etiam sine respectu ad Deum, ac primo loco inter auaros, quos docet insatiabiles, & absque fructu. Egit superiùs eadem de re non semel, libentérque inculcat sæpiùs, vt quæ latius pateat, & sit perniciosissima. *Omnes enim quærunt quæ sua sunt* [a], & *student auaritiæ* [b], & eam sequuntur [c], & declinant ad eam [d].

a Phil. 2. 21.
b Iere 6. 13
c c. 8. 10.
d Esa. 56. 11.

Auarus.] Hebraicè, & Græcè (*amans argentum*)

Chald. (*vir negotiator,qui amabit congregare diuitias.*) Non debet restringi ad negotiatorem, nisi latè hic intelligatur quicunque quouis modo studet cumulandis pecuniis,opibusve. Nomine porrò *argenti* signatum solet intelligi,siue pecunia, maximè voce Græca *τὸ ἀργύριον*. Lege Commentarium nostrum ad caput tertium historiæ Apostolicæ [a]:idémque hoc loco notat Hieronymus. Ita quoque passim profani, qui & *ære* vtuntur eodem sensu. Colligitur ex Plinio [b] antiquior argenti signati vsus, quam anni annis duobus & sexaginta; & Abrahami tempore argentea moneta erat probata, & transiens per manus mercatorum [c], & peculiari sicli signo notata; de aurea nulla adhuc mentio.

Non implebitur pecunia.] Hic est nomen *argenti* vtraque dicta lingua,Hebræa, & Græca: Chaldæus vtitur verò voce ממון *mamō*,generaliter significante quaslibet diuitias. Nota notio pecuniæ à pecore;ouis enim,boúsque primùm in ea imago imprimebatur [d]:& obseruat Gellius [e], cùm magistratus Romanus mulctam diceret,*ouem* dixisse genere masculino , qui nummus erat; *Ego ei ouem vnum mulctam dico*. Elicitur idem ex Festo. Obseruauit hæc autem ante nos in formulis Brissonius [f].

Qua ratione pecunia implere animum infinitè capacem potest?obruet potiùs vt lutum,fœdabitque. *Væ ei,qui multiplicat non sua : vsquequò & aggrauat contra se densum lutū* [g]? Appellauit & Paulus stercora [h].His immersus emergit difficulter, & infectus cæteros tetro inficit odore. Quæ ex luto fiūt ædificia, operosum laborem habent,sed vanum,breui namque dissoluuntur.Similes auari parietem linientibus luto absque paleis [i].

Vnus Pelæo iuueni non sufficit orbis [k].

Alexāder plures quos sibi fingebat,vno adhuc nō contentus,auebat. Aggrauat lutum densum contra se , qui terrena lucra cum pondere peccati cumulat,inquit Gregorius [l]. Luto serpens , non homo pascitur,non potest eo satiari.Non magis insaniat,qui corpus vento, quàm qui putet spiritum rationalem rebus posse corporalibus satiari, & non eo solo,qui replet in bonis desiderium [m], id est,Deo,inquit Bernardus [n]. Nec satier ego si coaceruem sententias aduersùs insatiabilitatem eam,& quidem cùm nuper aliquas protulerim, eandem satur.Hieronymus Flaccum profert canentem,quòd

Semper auarus eget.

& nobilem historicum scribentem , quòd auaritia neque inopia,neque copia minuatur. Euripides [o] cecinit, miseriarū omnium fruges metere, qui talem sementem fecerint,vt multa sibi compilando cōpararent. Audiatur Christianus Philosophus ac Poëta, qui Poëtis , Philosophísque profanis meritò clausulam adiicere censeri queat [p].

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas,
Et quot stelliferis edita noctibus
Cœlo sydera fulgent,
Tantas fundat opes,nec retrahat manum
Pleno copia cornu:
Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querelas;
Quamuis vota libens excipiat Deus
Multi prodigus auri:
Et claris auidos ornet honoribus,
Nil iam parta videntur.
Sed quæsita vorans sæua rapacitas
Alios pandit hiatus.
Quæ tam præcipitem frena cupidinem
Certo fine retentent?
Largis cum potius muneribus fluens
Sitis ardescit habendi?
Nunquam diues agit,qui trepidus gemens
Sese credit egentem.

In Delrio [a] reperies aptas alias sententias Senecæ, Lucilij,Mimographi, Varronis,Claudiani, Horatij,Ouidij,Iuuenalis,Ausonij.

Eusebius [b] narrat Constantinū aulico cuidam ex suis (Ablauius is fuisse creditur Christianis iniquissimus) ab se prehenso dixisse ; Quousque tandem , ò bone , hanc inexplebilem auaritiam cumulamus ? tam longè abfuit ab auaritia Constantinus,quam illi calumniator impingit Zozimus [c]. Deinde cùm corporis humani perfectæ ætatis circumscripta mensuram hasta,quam manu tenebat,humi impressisset , hæc prolocutum; omnes vitæ diuitias,& totius orbis opes si domi haberes , tamen plus hoc à me circumscripto agello non possidebis;si & illud fortè possederis. Vaticinium fuit in vltimis verbis , si Ablauius fuit,cui loquebatur.Nam postea frustratim dissectum prodit Eunapius [d] in modum pecudis,quæ publico in epulo conciditur; nec in sepulcrum illatus creditur.

Hugo Cardinalis octo causas hic tradit , cur non possit auarus impleri pecunia. Morales , & lectu dignæ sunt:quia infinita est cupiditas:quia exhaurit affectum auari:quia quo crescit magis, crescunt arcæ,cellaria,stabula, &c.quia quo magis crescit,crescit flamma cupiditatis : quia cum eius augmento aduenit noua indigentia , vt custodum,arcarum,ferarum, clauium, timor amittendi , dolor de amissione , &c. quia non habet proportionem cum animo , & corde nostro , vt nec sapientia, vel gratia cum bursa : quia nequit esse duobus in locis , in bursa,& in mente : quia famem cordis non satiat pecunia,quæ est in bursa,vt nec panis manens in cophino.

Qui amat diuitias,fructum non capiet ex eis.]Chaldæus (*diuitias copiosiores.*) Hebræa dictio המון *hamon* propriè denotat multitudinem ,& copiam cuiuslibet rei,& applicatur ad diuitias, quemadmodum Latinè dicuntur copiæ.[Non putat amicos auarus,nisi à quibus dona perceperit, nec os considerat amicorum, sed manus,& eos sanctos indicat, quorum exhaurit marsupium] inquit Hieronymus [e] , hoc vtens loco , dum exponit alium Esaiæ;*Omnes diligunt munera.*

Fructum non capiet ex eis.] Hebraicè (לא תבואה *lo thebuah,non fructus*,siue *prouentus*,& *reditus*) nimirum est. Auarus dum opes retinet , quas nimis amat, & recondit,non percipit fructum,nec vtilitatis,nec oblectationis:colit eas vt idola,veneratione quadam eas prosequens , attingere tanquam sacrosanctas verens , vt Chrysostomus [f] obseruat , explicans quemadmodum ab Apostolo auaritia idolorum seruitus nominetur [g]. [Fructus quippe ex illis (diuitiis) caperetur , ait Gregorius [h] , si bene eas spargere non amando (auarus) voluisset. Qui verò eas diligendo retinet,hic vtique sine fructu delinquet.] Fructum, quo priuatur auarus, proximorū beneuolentiam Thaumaturgus intelligit : paraphrasis Chaldæa laudē in seculo venturo,atque in isto prouētū ad

a tom.2. Adag.in 305.
b 4.vitæ Constant. c.29.& 30.
c libr.2.hist.
d in vita Philosoph.in Sosipatro.
e in c.1.Esaiæ.
f in c.5.Epist. ad Gal.
g Gal.5.20.
h 3.p.Pastor. admonit. 21.

comedendum, nisi fecerit ex diuitiis suis eleemosynam. Græcus textus habet interrogationem (καὶ τίς ἠγάπησεν ἐν πλήθει αὐτῶν γέννημα; *& quis dilexit in multitudine eius* (argenti) *germen*, siue *prouentum, & fructum?*) Quasi dicat hæc inter se pugnare, vt diligat quis copiam diuitiarum, capiatque fructum ex ipsis. Otiantur auari thesauri, nec is negotiatur cum ipsis, vt emolumentum proferant, præ immodico eorum amore: vel parcit iis auarus, parcus sibi ipsi. Non reprehenditur moderata cura reseruandi fructus in tempus futurum pro se, proque familia, vt fecit Ioseph [a]; sed stultitia diuitis pollicentis sibi plurimos annos cum prouentuum multitudine, nimis in incerto diuitiarum confidentis, has ipsas nec insumentis pro se, nec pro suis, nec pro pauperibus. Lege parabolam Lucæ [b] de diuite, cuius ager vberes protulit fructus, & homiliam Basilij, qua illam declarat.

a Genes. 41. b c. 12. 16. & seq.

Olympiodorus præsentem locũ Græcè legisse videtur aliter (*& qui amauit fructus in multitudine ipsius*) aitque hoc ita construendum: quicumque amauit sibi ipsi, non autem communis vtilitatis gratia congerere fructus, quasi dicat, inquit, qui laborat auaritiæ morbo, siue pecuniam congerat, siue fructus, nunquam expletur, plura semper affectans, vt potiùs pecuniarũ dici seruus, quàm dominus mereatur. Qui sementem nimis amat, non mandat terræ, ideóque nec metit. Pecunia fructificat seminanti pro Deo redemptionem peccatorum [c], emptionem regni cœlorum [d], promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ [e]. Qui amat animam, perdit; qui pecuniam, effundit; qui semen, terræ mandat. Hebræi nonnulli המון *hamon* exponunt pro vestibus, pannis, & aliis rebus mercatorum, תבואה *thebuah* pro frugibus; & esse sensum, vt qui rebus illis intendunt, habeant domi plerumque penuriam panis & frumenti, cùm sint inprimis ea acquirenda quibus corpus potissimum fouetur.

c Dan. 4. 24. d Luc. 6. 9. e 1. Tim. 4. 8.

Et hoc ergo vanitas.] Intermissi thematis repetitio, quod spectant quæcumque hic disseruntur. Conuenit maxime fructu carenti auaro *vanitatis* nomen. *Videbunt eum iusti*, ait Dauid [f], *& timebunt* (horrore quodam sancto diuini iudicij) *& super eũ ridebunt, & dicẽt: Ecce homo* (Hebraice גבר *geber fortis, strenuus*) Italice il brauo) *qui non posuit Deum adiutorem suum: sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua.* Chaldæus, *fortis factus est in opulentia sua*; Hebraice בהותו *behauatho, in prauitate sua*, vel *diuitiis*, quasi in essentia & habentia; Græce, τῇ οὐσίᾳ: ex Hieronymo, *in insidiis suis.* At iustus, præsertimque misericors, cuius virtutis oliua typus est, *sicut oliua fructifera in domo Dei* [g], faciens benignè pauperibus, & hilariter ex ea facultatum pinguedine, quam dignatus est largiri Deus.

f Ps. 51. & 9. g ibid. vers. 10.

Vers. 10.] Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis?

SI diues liberaliter dispensat diuitias, pars ad eum peruenit modica, qua fruatur in victu proprio, vestituque: si tenax est, seipsum quoque fraudat, non alios tantùm, solam hauriens ex rerum aspectu voluptatem. Sunt igitur vanæ diui-

A tiæ, quæ per sese sufficientiam, vel felicitatem nequeunt afferre. Cæterum cũ censet agi de diuite non auaro, item Lyranus, Hugo Cardinalis, glossa interlinearis, Carthusianus: Arboreus de auaro, & ex Græcis Thaumaturgus, & Olympiodorus, Hieronymus, & Albinus, & Bonauentura, atque ex recentioribus Ioannes Benedictus, Titelmanus, & Moringus explicant indefinite, quòd nihil prosunt diuitiæ possidenti, nisi quòd eas videat, cum plusquam vnius hominis cibum capere non possit; oporteat verò, quo maiores sũt, tanto plures ministros habere, qui opes deuorẽt congregatas. Exemplo sit Salomon, cuius describitur infinita familia, & quotidianus eius victus [a]. Nec hominum tantùm seruitia numeranda, ex quibus lixæ, & coqui ipsi suauiùs delicatiúsque victitant; sed animalia præterea tam

a 3. Reg. 4.

B multa, tum ad necessitatem, tum ad voluptatem, & ex hominibus tot parasiti, histriones, amici, parentes, hospites, &c. fruges inutiliter consumere nati, cùm infelix, ceu Tantalus, esuriat, sitiátque. [Cadauera lupi, muscæ mel, prædam, non hominem sequuntur, inquit Seneca, turba ista:] *vbi corpus, illic aquilæ*, ait Christus [b], necnon Iob [c]. Chaldæus membrum secundum sic reddit (*& quæ vtilitas est domino eius* boni, id est, diuitiarum) *qui congregabit illud, nisi fecerit ex eo bonum, vt videat in seculo venturo retributionem mercedis in oculis suis?*) Textus Græcus sic habet (ἐν πλήθει τῆς ἀγαθωσύνης ἐπληθύνθησαν οἱ ἔσθοντες αὐτήν· καὶ τίς ἀνδρεία τῷ παρ' αὐτῆς; ὅτι ἀρχὴ τοῦ ὁρᾶν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ.) Legit hoc mo-

b Matt. 24. c c. 39. 29. 30.

C do Olympiodorus, & exponit, in affluentia bonitatis, id est, pecuniarum, quæ auaro assiduè multiplicantur, gestit ille non secus, ac si illis vescatur: imò hæc fortitudo eius ac strenuitas, vt quacunque potest ratione illas cogat, vnum id sibi proponendo, inter pocula, patinásque versari, & veluti spectaculo earundem frui. Meminit idem Symmachum in posterioribus membris vertere pro vt habet editio nostra Latina: explicat verò, quæ vtilitas ex huiusmodi bonis tam strenuè comparatis, quando principatum auarus gerit solo intuitu, nec alium habet vsum dominij, præterquam quòd apposita contemplatur? Recitata lectio LXX. patitur eundem sensum, si ἀγαθωσύνην pro bonis, & facultatibus accipimus (*in multitudine bonorum multiplicati sunt comedentes*

D *ea: & quæ virtus*, seu *fortitudo est, qui ab ipsis*, vel vt emendati codices Sixtiani habent (τί, γνώμη) id est, qualis tandem strenuitas, aut quid innat eum, qui à dictis bonis ditatus est? *quia principium*, vel *principatus*, idque quod primum est, ac potissimum supra alios, qui eadem bona comedunt, ἀρχὴ, est solum, vt qui videtur illorum dominus, *videat illa oculis suis*, & se pascat eorum contemplatione, vel videndo alios, qui comedunt ea.)

Alium adhuc sensum tradit Olympiodorus præcedenti contrarium. Cui honeste augescunt bona, multis ea communicat egentibus: quid

E verò prodest auaro, ac sordido sua illa tanta strenuitas in acquirendis & conseruandis bonis, cùm solo intuitu percipiat ex iis emolumentum vanissimæ voluptatis, aut cogatur etiam nolens videre qui absumant illa? Innuit & nouam explicationem Thaumaturgus. Cùm enim prioris versus vltima verba (*fructum non capiet ex eis*) intellexisset de proximorum beneuolentia, quæ auaro non prouenit, subdit [At probitas familiares suos mirum in modum oblectat, fortés-

que

... efficit, rem vnamquamque perspiciendi facultatem præbens.] *Præbuatem* vertit Thaumaturgus interpres τῶν ἀγαθοσυνῶν pro *benignitate*, ac *liberalitate*. Differt hæc sententia ab vltima, quòd liberalitatis fructum extendit ad eum, qui tribuit liberaliter, & in huius commendatione versatur, ... vt nihil de reprehensione auari. Hebræi non multum aliter, *cum multiplicatur bonum, multiplicantur & qui comedunt illud: & quam pulchrum est domino illius, cum id videt oculis suis?* id est, cum multiplicantur iusto diuitiæ, dat pluribus eleemosynas: & o quam pulchrum, & quàm iucundum illi domino liberali, vel Deo ipsi, qui est omnium Dominus, quando id contemplatur oculis suis, aut quando ille ab isto accipiet centuriorioné, eamque oculis hauriet videndo ipsum! Chaldæa paraphrasis hoc vltimum secuta est.

Cæterum nostra editio, necnon vetus Latina (*in multitudine enim bonorum multi sunt qui comedunt ea: & quæ est fortitudo habenti illa, nisi vt videat oculis suis?*) magis ... quod ex Hieronymo, aliisque Latinis retulimus, ac partim etiam ex Olympiodoro, vt reprehendatur nimia congregatio, ... qui summam beatitudinis collocat in ipsis, vel auarus, vel non auarus. [Nam, vt ait Bernardus ..., ... hunc ipsum locum, vsus quidem diuitiarum apud alios, diuitibus solum nomen cedit, & sollicitudo.] Lege Ambrosium [b] describentem infelicem istam auarorum conditionem; narrantem quoque duplex sibi bene perspectum exemplum, alterius, qui proficiscens in agrum, panes breuiores vrbe delatos numerare soleret, vt pro numero æstimaretur quot dies in agro futurus esset, nolens aperire horreum, ne quid de condito minueretur: & alterius, cui si quando ouum apponeretur, querebatur quòd pullus esset occisus. Suppetunt apud alios complura alia exempla [c]. Probat Bonauentura diuitiarum honestum vsum esse illum optimum, vt semel cunctæ dimittantur, erogenturque pauperibus, & non paulatim, propter pericula quæ accidunt. Erant & qui diuitias regno Dei excludūt, vt sectatores Eustathij Sebasteni Episcopi; & qui paupertatem religiosam diuitiis postponunt, vt Vigilantius [d].

Vbi sunt multæ opes.] Hebraicè (ברבות הטובה *birboth hattubah, in multitudinibus*, vel *multum* ... *bonis*, aut *boni*, hinc *opum*, vt rectè vertit Interpres, & est idem nomen Chaldæum. At in editione Græca (ἐν πλήθει τῆς ἀγαθωσύνης) denotatur potius multitudo probitatis & beneficentiæ, quam ἀγαθωσύνη significat. Notauit nihilominus collector Thesauri Græci, in Ecclesiastico (Ecclesiasten credo dicere voluit) licèt nunc, pro felicitate, rebusque secundis vsurpari. Alioquin in priore notione sæpe reperitur in nouo Testamento [e], vbi reddi solet (*bonitas*.) Inducit Xenophon [f] Cyrum, & Pheraulam sermocinantes, & posteriorem quidem ostendentem se non esse feliciorem, quòd multa possideret, nec vllo modo comedere, bibere, dormire iucundius, quàm cum esset pauper: sed hoc adeptum esse, vt plura custodire necesse esset, aliis plura tribuere, plura sibi essent ... curis negotia. Nunc enim, aiebat ille, famuli cibum multi a me petunt, multi potum, multi ... alij indigent medicis. Tum concludens, necesse est etiā qui multa possidet, eum multum facere sumptum, & erga Deos, & erga amicos, & erga hospites. Qui ergo valde pecuniis delectatur, certo hunc scito etiam valde tristari, si sum-

A ptum faciat. Cyri quoque oratio apud eundem ... ipsas pecunias cum domi plurimas habeant, neque. ... quam ferre possunt; frangerentur enim; neque pluribus vestibus induuntur, quam ferre queunt; alioqui suffocarentur. Mutuati sumus tam illustrem, adeoque opportunum mihi iure locum ex Delrio [a] nostro. a tom.2.adag. in 105.

... quid prodest possessori?] Græcè (καὶ τίς ἀνδρεία τῷ παρ' αὐτῆς;) vel iuxta codicem Sixtianum (... τί) quamuis priore modo legerit vetus Latina translatio (*& quæ est fortitudo habenti illam?*) & ... Olympiodorus. Est autem τῷ pro τινι, cuipiam. Chaldæus (... *quæ vtilitas est domino eius, qui congregauit illam* ...) Hebraice (ומה־כשרון לבעליה *vmah-chishron libhaleha* & *quid rectum dominis suis*, B vel *quid* ... ?) Id est, inquit Caietanus, quid rectitudo vlius quo vtimur diuitijs (nempe si nō sumus auari) tribuit dominis diuitiarum, nisi, &c. Significat Hebræa vox etiam id quod congruum est, & commodum, & industrium, vt vidimus capite secundo [b] & quarto [c]. b vers. 21. c vers. 4.

Nisi quòd cernit diuitias oculis suis?] *Diuitias* addidit Interpres, & bene: Græcè (ὅτι ἀρχὴ τοῦ ὁρᾷν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ;) quod superius expositum est.

C *Vers.* 11.] Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.

ALiud incommodum ex diuitiis, quòd somnum capere non sinunt, seu propter anxiam possessoris de illis curam, seu propter ingestum nimium cibum: cùm contra pauperi proprio labore victitanti contingat, qui sine molestia, vel interruptione somnum dulciter capit. Fuse, pie, eleganter Titelmannus persequitur adeò grauem diuitum otiosorum abdomini deditorum ... Chaldæus de dormitione mortis interpretatur isto modo (*suauis somnus viri, qui colit Dominum mundi, & est quies in domo sepulcri eius, siue paucos annos vixerit, siue multos, postquam seruiuit Domino mundi in seculo hoc, ad seculum venturum mercedem* D *operum manuum suarum hereditabit: & sapientia legis Domini erit viro diuiti in sapientia. Ecce quemadmodum studuit in ea in seculo hoc, & sollicitus fuit in doctrina; sic requiescet spiritus eius in domo sepulcri eius, & non deseret eum solum, quemadmodum non sinit vox virtutum suarum, vt dormiat solus.*)

Hieronymus vtrumque sensum recipit, necnon Albinus, & Olympiodorus, aliique passim: ac priorem duo priores, propter duas illas rationes, quòd diues dapibus distentus, etsi simul sit auarus, cogitationibus in diuersa laceratus, dormire non valeat. Thaumaturgo placuit prius; Hugo Cardinalis secundum accepit de contemplatione. *Somnus sanitatis in homine parco*, ait E Ecclesiasticus [d]: *dormiet vsque mane, & anima illius cum ipso delectabitur.* At de intemperante, ac inexplebili, quem ἄπληστον vocat, Interpres verò *infrunitum*, sic loquitur [e]; *Vigilia & cholera, & tortura viro infrunito.* Constat insomnium ex indigesto, crudoque cibo existere: cura quoque sollicitans animum, dormire non sinit, agitatis in cerebro vitalibus spiritibus, calorémque prohibentibus à ventriculo concoquentem; d c. 31. 24. e vers. 23.

——— *neque enim membris dat cura quietem* [f]. f Aeneid. 10

&;

——— *somnos abrumpit cura salubres* [g]. g 3 Georg.

Somni vtilitas tanta, vt digeratur cibus, vires instaurentur, minuantur curæ, leniatur ægritudo: vt non dubitauerint et diuinitatem assignare, qui quotquot ex rebus commodum capiebant, eas venerabantur vt numina, è quibus vnus ita cecinit [a]:

[a] Ouid. lib. 1. Metamorph.

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces, reparásque labori.

[b] in hymno.

Sed & Orpheus [b] vocat Regem felicium Deorum, & omnium mortalium hominú, atque animantium. Sic verò canat:

Ὕπνε ἄναξ μακάρων, πάντων θνητῶν τε ἀνθρώπων,
Καὶ πάντων ζώων ὁπόσα τρέφει εὐρεῖα χθών.

[c] in Hercu. furente.

Seneca [c];

Túque ô domitor, ait, somne malorum,
Requies animi, pars humanæ melior vitæ.

B

[d] de anima. c. 41.

Scribit Tertullianus [d], somnum esse recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferendo rerum etiam colorem. [Perfugium videtur, inquit Cicero [e], omnium laborum, & sollicitudinum esse somnus.] Legendus Stobæus [f], & Lylius [g]. Patres verò multi sunt in moderando somno, docendóque quantum noceant ebrietas & crapula somnum capienti. Clemens Alexandrinus [h] præ cæteris edit optima præcepta.

[e] 2. de diuinat.
[f] serm. 3.
[g] Deorum syntag. 9.
[h] 2. pædagog. c. 9.

Dulcis somnus.] Vsitatum somni epithetum apud Poëtas Græcos, & Latinos, qui cognominant quoque mollem, iucundum, mollissimum, mitissimum, placidum, dulcissimum, amicum delinimentum, comem, breues facientem tenebras [i], vt nempe nox, quamuis longa, præ somni dulcedine breuissima videatur. Dixit Seneca [k] matris genus esse Astrææ, cùm tamen summo consensu Noctis, Erebíque filius dicatur, quia iustus plerumque somno fruitur quieto, & cùm viget iustitia, somno indulgent omnes absque metu latronum. Sicyonij somnum pingebant leones domantem. Pausanias [l] causam reddit, quoniá nullus tam sæuus dolor, qui non sopiatur somno.

C

[i] hoc vlt. Martial. lib. 10. Epig. 47.
[k] in Hercule furente. act. 4. choro vlt.
[l] in Corint.

Operanti.] Græcè (τοῦ δούλου, *serui*) Hebraicè (הָעֹבֵד *habhobed*) quod absolutè significat idem ac nomen Græcum. Chaldæus exponit de cultore Dei: quod etiam facit Olympiodorus mystico sensu: literali autem de homine seruilis conditionis, Chrysostomus [m] ita quoque sumens, eleganter vrget comparationem istam serui cum diuite voluptuario. [Dulcis, ait, illi somnus, non propter lectum mollem; sternitur enim humi, vel super paleas: non propter libertaté, quia ne temporis quidem punctum ei liberum est: non propter otium; nam laboribus & ærumnis conficitur assiduè: sed hi ipsi labores, & quòd coactus priùs necessitate somno se dederit, sunt in causa, cur adeò dulciter dormiat.] Interpres bene reddidit (*operanti*) id enim quoque vox Hebræa valet, sicut & omne seruituris genus, etiam religiosæ, tum δουλείας, tum λατρείας: & versu octauo vidimus vocatum שְׂדֵה נֶעֱבָד *schadeh nebhbad, agrum cultum, & laboratum.*

D

[m] de virgi. c. 70.

Siue parum, siue multum comedat.] Non quòd si notabilis in comedendo sit excessus, non possit somni quoque difficultatem pati, sed quia propter fatigationem, & stomachum valentiorem, quamuis paulo largiùs vescatur, indormiscit facilè; nec quia parcior sit cibus, laborat in somno capiendo laboribus lassatus;

E

A

———*fessos sopor irrigat artus* [a].

[a] 3. Aene.

Vehemens labor calorem concitat; humor liquatur calore; cerebrum calor petens, ibi refrigeratur, ac densatus conciliat somnum; nimius item labor cùm spiritus consumat vitales, fit vt refrigeratum corpus opprimatur somno. De hoc Aristoteles [b], nec pauca Tertullianus libro de anima [c], Lactantius [d], Plato [e], Plutarchus [f], Galenus [g], Nyssenus [h], Auerroës [i], Plinius [k]. Eleganter & ad rem Poëta quidam [l];

[b] Arist. lib. de somno, & vigilia. & 6. Topic. c. 3. 2. de part. anim. c. 7. 4. de hist. anim. c. 10.
[c] c. 41.
[d] de opificio mundi. c. 8.
[e] 9. de Repub.
[f] 5. de placit. c. 24.
[g] in aphor. in 3. & 1. de caus. sympt. c. vlt. 3. de cau. puls. c. 9.
[h] de opif. hom. c. 13.
[i] 2. coll. 21.
[k] lib. 10. c. 75.
[l] Seneca in Herc. furen. actu 4.

——— *vultus in somnum cadit,*
Et fessa ceruix capite submisso labat,
Flexo genu, iam totus ad terram ruit,
Vt cæsa syluis ornus, aut portus mari
Datura moles. ———

Item alius [m];

[m] Virg. Ecloga 5.

Quale sopor fessis in gramine. ———

Rursus [n],

[n] 5. Aene.

———*placidum carpebant fessa soporem*
Corpora per terras. ———

Non vna tamen hæc somni causa cùm sit, vt lassas reficiamus vires, quod quæ antè dixi satis etiam docent, sequitur sine ratione quosdam qui refelluntur à B. Thoma [o], negare in innocentiæ statu somnum futurum fuisse. Non esset ex lassitudine, vel morbo, sed suauis cum puráque alimenti vaporatio allicere. Quin etiam Adami sopor cum somno fuit, vt asserit idem Doctor [p].

[o] 2. dist. 19. q. 1. a. 3. & 1. p. q. 91. art. 3. & q. 94. a. 4.
[p] 1. p. q. 97. a. 1.

Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.] Vel copia diuitiarum, quæ saturitatem afferre possunt, præ sollicitudine non sinit dormire: vel cibi affluentia, quæ somnum impedit, iuxta varios priùs allatos sensus. Posterior autem saturitas non ea duntaxat intelligitur, qua semel se quis iterúmve ingurgitet, sed assidua, & quotidiana, quæ naturam obruit, & morbos creat. [Quemadmodum ex terra irrigua, inquit Nyssenus [q], vapores ab imo attrahuntur, maximéque cùm Sol radios calidiores spargit: ita in nostri opificij solo euenit, cibis intra nos per innatum calorem ebullientibus: cúmque vapores natura sursum tendant, fit vt non aliter ac fumus per ipsas membrorum quasi parietum commissuras penetrent, & in superiora capitis euadát. Inde verò ad meatus organorum sensus delati passim sese permiscent, sicque omnem sensum otiosum reddi necesse est.] Sic ille. Tanta igitur vaporum horum copia potest esse, adeóque tarda nimij cibi decoctio, vt pacatum hoc velut otium sensuum perturbet. Similem causam reddit Aristoteles [r]. Legendi quoque Alensis [s], & Fracastorius [t] Hebr. (*& saturitas diuitis non ipsum permittens sibi dormire*) Græcè (καὶ τῷ ἐμπλησθέντι τοῦ πλουτῆσαι οὐκ ἔστιν ἀφίων αὐτὸν τοῦ ὑπνῶσαι, *& ei, qui repletus est ditescendo, non est a dimittens, seu qui dimittat eum dormire.*) Quæ duplex editio indicat plenitudinem ex diuitiis; & Græca, neminem esse, qui sic plenum sinat dormire, ob importunas videlicet seu postulationes, seu lites, seu rationum exactiones, redditionésque, &c. Symmachus (ἡ δὲ πλησμονὴ τοῦ πλουτεῖν οὐκ ἐᾷ καθεύδειν) quod ad verbum reddidit editio Latina tum vulgata, tum vetus. Cæterùm tropologia de somno mortis, quem pauper diuitiis externis, locuples spiritualibus dormit, & quem diues non magis externis diuitiis, quàm vitiis, inops verò ab spiritualibus, utitur trita somni ac dormitionis acceptione pro morte. Mortem primus obit dulcem, tranquillámque, alius amaram, ac turbulentam; vt vel memoria sola sit amara [u]. In promptu causa, quia primus operatus est, nimirū

[q] de opif. hom. c. 13.
[r] lib. de somn. c. 3. & lib. 2. de p. anim.
[s] 3. p. q. 89. memb. 3.
[t] 2. de intell.
[u] Eccli. 41. 1.

... ne, & ipsum sequuntur opera [a] bona: secundus ortio em... cuit. Videntur quoque Scripturæ somnum vsurpare pro animi, vitæque tranquillitate, pro placido, quietoq; statu. *Dormire*, inquit Deus [b], *eos faciam fiducialiter*. & Sapiens [c]; *Si dormieris, non timebis; quiesces, & suauis erit somnus tuus.*

Vers. 12.] Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.

Deinceps ad finem vsque capitis docet non tolùm diuitias felicem reddere nullu posse, quod fecit hactenus: sed interdum nonnullis interitum miserabilem procreare, quamuis & ex his quædam præcedentibus capitibus attigerit, maxime in quarto.

Infirmitas pessima.] Epitheto caret Græcus textus: Hebræus habet positiuum; nec enim sunt superlatiua in illa lingua, vel comparatiua. Vetus Latina reddit *languorem pessimum*, Ambrosius [d], *malum*: ἀῤῥωστία est quæuis inualetudo, morbúsve. Symmachus (νόσος κακή.) Metaphora ex corpore ad animi ægritudinem, grauémque molestiam. Omnes iniquitatis species morbi sunt animæ: *radix* autem *omnium malorum cupiditas* [e], inquit Olympiodorus. [Est malus languor, erroris languor, ait idē Ambrosius [f], auaritiæ languor, inexplebilis cupiditatis languor. Istæ diuitiæ sunt, vt dicit Ecclesiastes: *est languor malus, quem vidi sub Sole, diuitias custodiri in malum possidentis eas.* Dic mihi ô Ecclesiastes, qua ex causa malus hic languor sit. Respondebit, quia multos auara spes deuorat. Insatiabilis edacitas cupiditatis est. Nescit satiari argento, qui concupiscit argentum. Distendunt diuitiæ, non explent, & si quis satiatus fuerit diuitiis, non est, inquit, qui sinat eum dormire. Et quidem omnes dies eius in tenebris, & luctu, & iracundia multa, & languore, & ira. Quomodo enim potest dormire, qui sollicitam auri exercet custodiam, qui damna formidat, qui lucra cogitat, qui vsuras computat, qui hypothecas numerat? Malus ergo languor, qui bonam aufert mentis quietem.] Tam multa ex Ambrosio, quoniam & illustrant quæ sunt adhuc dicta de auaritiæ damnis, & variam continent lectionem, seu interpretationem tum præsentium verborum, tum quorundam sequentium.

Diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. De diuitiarum impedimentis, malísque diximus nonnihil pro instituto satis hinc inde. Hugo numerat hic quindecim, variísque Scripturarum testimoniis confirmat. Quod intendit Ecclesiastes, est discrimen, in quod sæpe diues venit, cuius ob diuitias multi vitæ insidiantur. Testis Naboth [g], & innumerabiles alij. Mystice quoq; diuitias scientiarum, quibus quis abutitur, vel virtutum idem Hugo interpretatur, inde vel superbiendo, vel operibus non præstando quod scit: Hieronymus, & Albinus de dogmatis Philosophorum, & hæreticorum, ex quibus nec vtilitatem reportent ipsi, nec sectatoribus fructum perpetuum relinquant.

Elegantem nescio quis comparationem composuit diuitiarum, & virtutis, vtrasque pro se orantes inducens [h]. Mihi virtus contra illas melius videtur perorare, cùm aliis multis de causis, quas profert, tum quòd ne de vita quidem sua diues securus esse potest; quòd sint suspecti amici ipsi; quòd nemo defunctum lugeat, ne successores quidem, qui potiùs gaudent, quòd committatur cædes lucri gratiâ. In eos acerrima Sallustius [a] habere scripsit arma, quibus victis spolia maxima futura: & Tacitus, penes quos aurum, & opes, maximum illis discrimen bellorum imminere. Chaldæa paraphrasis hoc malum intelligit futuri seculi, vbi, ac sub mortem ipsam diues doliturus sit ex diuitiis nihil quicquā boni fecisse.

Vers. 13.] Pereunt enim in afflictione pessima: generauit filium, qui in summa egestate erit.

Iunguntur hæc in Hebræo, Græcóque textu cum versu præcedente. Hebraicè (*& periit opulentia ipsa in occupatione mala*) Græcè (καὶ ἀπολεῖται ὁ πλοῦτος αὐτοῦ.) Sed Sixtianus codex omisso αὐτοῦ, nectit ista sequentibus (καὶ ἀπολεῖται ὁ πλοῦτος ἐκεῖνος ἐν περισπασμῷ πονηρῷ) vetus Latina translatio (*& perierūt diuitiæ illæ in distentione pessima.*) Quamquam Græcum ἀπολεῖται est futuri temporis; & idem tempus denotare potest אבד *abad* cum ו *vau* versiuo significationis præteriti in futurum. Sed sensus idem. De vocibus autem περισπασμῷ, & ענין *hhinian* pridem actū est. Cùm instat mors, tum diuitis, quamlibet hîc feliciter viuat, agátque, σπασμὸς, atque περισπασμὸς maximus. *O mors* [b], *quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis; viro quieto* (ἀπερισπάστῳ) *& cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibū!* Sic Rex Agag occidendus a Samuel, cum gemitu ac tremore dixit; *siccine separat amara mors* [c]? [Pereunt quoque diuitiæ in negotio, vel occupatione pessima, inquit Caietanus, negotiando, verbi gratiâ, cum fisco, vel exponendo marinæ negotiationi: adde lites, & varias curas.]

Generauit filium, qui in summa egestate erit.] Hebraicè & Græcè (*& non erit in manu eius quidquam.*) Chaldæus versum totum sic reddit (*& illæ diuitiæ, quas relinquet filio suo post mortem suam, peribunt, eo quòd comparauerit eas negotio malo: & non permanebunt post illum in manu filij sui, quem genuit, nec residuum erit illi in manibus eius quicquam.*) Indicat diuitias acquisitas malis artibus, idcóque malè dilabi & perire.

Quamuis videatur sententiæ superioris pars prima diuitiarum interitū asserere, dum superest adhuc is, qui comparauit illas: & quod periisse dicit in afflictione pessima, possemus quoque cum Paraphraste interpretari ob negotium malum, id est, iniquum, quā hîc quoque vocat Symmachus ἀσχολίαν κακήν: nam iuxta vetus prouerbium, cuius meminit Hieronymus [d], diues aut iniquus est, aut iniqui hæres: &, vt ait Plato [e], ὁ λόγος ἡμῖν ὀρθὸς, ὡς οὐκ εἰσὶν οἱ παμπλούσιοι ἀγαθοί, *sermo nobis rectus*, id est, verus, *quòd admodum diuites non sunt boni*: & Menander;

Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως, δίκαιος ὤν.

Nunquam vir æquus diues euasit citò.

Fit non rarò quod tradit parœmia sacra [f]; *Qui coaceruat diuitias vsuris, & fœnore, liberali in pauperes congregat eas*: quales quia non solent esse auari, & iniqui diuitis filij, patris videlicet imitatores, nō ad hos illæ, sed ad alios delabuntur. Sed & Ecclesiasticus [g], vbi dixisset, quòd *substantiæ iniustorum sicut fluuius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluuia personabunt*, addit [h]: *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos.* Rursus [i]: *Qui aceruat ex animo suo* (ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, *defraudando animam suam*,

&

Marginalia (left): a ... | b ... | c ... | d Psal. ... | e 1. Tim. 6.10. | f ... | g 3. Reg. 21. | h ... Sie... ... Heu... ... in ... ciarum ... ine. ... diuitiæ.

Marginalia (right): a in belloCatilin. | b Eccli. 41.1. | c 1. Reg. 15. 32. | d epist. 160. ad Hedib q. 1. e 5. de legib. | f Prou. 28. 8. | g c. 40. 13. | h vers. 15. | i c. 14. 4.

& desideria sua) inuestè, aliis congregat, nimirum etiam extraneis. Quid attinet exẽplis hoc ostendere: Lege caput 27. Iob [a]. *Et quæ parasti*, dixit de diuite quodam Christus [b], *cuius erunt?* Auaritiam vocat Plutarchus [c] asininam, & fornicariam cupiditatem, quoniam vt asinus balneator ligna, & malleolos apportans, fumo semper oppletus & fauilla, in nullam lauacri, caloris, mũditiæque partem venit. Comparat prætereà cum muribus, qui vorant in metallis chrysitidem, nec eam reddunt nisi mortui, & dissecti: cum figlinis canalibus, qui nihil in se retinent; hic enim aceruare multa, vt hæredibus relinquant, & hi aliis; sicque deinceps. Egregiè Plautus [d] inducit auarum senem deplorantem pessimam afflictionem suam;

a á vers.13.14.15.16.17.
b Luc 12.20.
c opusc.de cupiditat.diuit.
d in Aulul.

Perij, interij, occidi. quò curram? quò curram? tene, tene, &c.
Perditissimus sum ego omnium in terra.
Nam quid mihi opus vita est, qui tantum auri
Perdidi, quod custodiui sedulo? egomet me fraudaui,
Animúmque meum, geniúmque meum, nunc eo alij lætificantur meo malo, &
Damno. Pati nequeo. ———

Vers. 14.] Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo.

SErmo est diuite cum diuitiis pereunte, quamuis conueniat æque sententia eadem filio, quem in summa relinquit egestate, atque cuiuis homini. Satis de hac re multa in capite tertio [e]. Chaldæus explicat nudum egredi de vtero matris absque merito, & omni bono: & reuerti in sepulcrum sine merito etiam ac mercede. Mysticè magis, quàm historicè. *Nihil intulimus in hunc mundum*, ait Apostolus [f], *haud dubium quòd neque auferre quid possumus.* Exuuiæ sunt externa bona illa, vestis adiacens, & commodatò quidem, ac ad vsum data. *Cum interierit quis, non sumet omnia (nihil) neque descendet cum eo gloria eius* [g]: nudus egressus de vtero matris, & nudus reuertetur illuc [h]: *cum dormierit, nihil secum auferet* [i]. [Pecuniam creditam soluere qui molestè fert, præsertim cuius vsum gratuitũ recepit, habetur iniustus: iniquus, qui muneris sui arbitrium dami non relinquit: ingratus, qui iniuriam vocat finem voluptatis: stultus, qui nullum fructum esse putat bonorum, nisi præsentium, non in præteritis acquiescens, certioráque non iudicans quæ abierunt, de quibus ne desinant non est timendum [k].] Hæc tandem sunt desideria illa multa, non inutilia tantum, sed etiam nociua, in quæ incidunt qui volunt diuites fieri [l], vt vel serò mersi in interitum (corporis) & perditionem [m] (animæ) plangere cogantur; *Quid profuit nobis superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis* [n]? Veræ diuitiæ, ac frugiferæ, quas Paulus [o] opponit auaritiæ, & proponit homini Dei, sunt iustitia, quæ modum imponit habendi cupiditati, faciens vt his quæ vitæ sunt satis, contentus quis viuat, aliena ne concupiscat quidem: pietas, quæ dum Deum verum colit, abiicit auaritiæ idololatriam [p], vel dum benignè aliis facit, non sinit adhærescere cum crudelitate auaritiæ mihi[?]s, quæ meliora obiiciens futura bona, horum facile persuadet contemptum: charitas, quæ facit vt Deum diligens, ipsius exequatur de dandis eleemosynis, déque amore fra-

e vers.20.
f 1.Tim.6.7.
g Psalm.48.18
h Iob.1.20.
i Iob.27.19.
k Seneca de consolat.ad Polyb.c.29.& 30.
l 1.Tim 6.9.
m ibidem.
n Sap.5.8.
o 1.Tim.6.11.
p Ephes.5.5. Galat 5 20.

terno præcepta: patientia, qua vel cum gaudio nostra rapientes sustineamus [a], nõ inopiam duntaxat rerum: mansuetudo aduersus auiditatis irrequietem, & cupiditati permistum furorem, feros, durosque cum aliis mores.

a Hebr.10.34.

Et nihil auferet secum de labore suo.] Græcè (*vt eat in manu sua*) Symmachus (ὃ συναπελεύσῃ, *quod simul abibit*) vetus Latina translatio (*vt teneat in manu ipsius*) Hebraicè (שֶׁיֹּלֵךְ *sceijolech, quod ire faciet, seu eius manum admouebit*, aut *quod ducet in manu sua, & conuehet*) id est, quod fecerit, vel admouerit, vel duxerit, aut vt venire faciat, &c.

Olympiodorus totam sententiam de filio explicans, cum prætextu auarus excusat se, subtiliter manum intelligit eiusdem filij. [Monetur, ait, auarus, vt nascentis sibi filioli manum inspiciat, & cùm inuenerit illum sine pecuniis de ventre matris in hunc mundum venisse, rursus inspiciat morientis manum: etenim inueniet eum sicut nudus & inanis pecuniarum venit e matris vtero, ita & pauperem subire sinum telluris ex hac vita commigrantem.] Dixi tamen per se magis videri sermonem esse de patre diuite, quàm de filio: si enim hunc ille dicitur genuisse, qui in summa sit, vel in futuris egestate, nihil peculiare, vel nimium esset, si nudus reuerteretur: & solent potiùs filij post parentes viuere, ita vt non ita liceat istis eorum morientium manus inspicere, sintne pecunia plenæ. Thaumaturgus eodem quo nos intellexit modo, indéque peccatum augeri docet, quòd non cogitent natiuitati similem sibi finem imminere.

Vers. 15.] Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quòd laborauit in ventum?

REpetitur cum exaggeratione, & admiratione, & epiphonemate eadem sententia: variat autem Interpres epithetum, vocans miserabilem, quam versu duodecimo nominauerat pessimam infirmitatem. Vtrobique sunt eædem Hebrææ voces: ibi Græcus textus habet ἀῤῥωστία, hîc cum epitheto πονηρά. Vetus translatio (*sed & hoc vanitas, & languor pessimus.*)

Quomodo.] Vim phrasis Hebrææ כָּל־עֻמַּת *col bhummath*, lege in thesauro linguæ sanctæ in radice עמה *bhommath*. Caietanus vertit (*omnis contra*) & iungit sequentibus (*omnis contra quod venit, sic ibit*) & ait sensum esse: quilibet homo eo modo quo venit nascendo sine opibus, sic ibit moriendo. Venit obuiando nuditati, nudus ibit.

Quid ergo prodest ei, quòd laborauit in ventum?] Hebraicè (שֶׁיַּעֲמֹל *scheijabhamol, quod, vel qui, vel quo laborabit*) Græcè (καὶ τίς περισσεία αὐτῷ ᾗ μοχθεῖ; *quæ abundantia, qua laborat?*) Symmachus (τί οὖν περισσὸν αὐτῷ μοχθήσαντι; *quid igitur amplius ei qui laborauit?*) vetus translatio (*quæ abundantia eius qui in ventum laborat?*) Trita satis phrasis ad exprimendum vanum ac inutilem laborem, vt dicatur esse in ventum: sunt enim, inquit Olympiodorus, diuitiæ prorsus instabiles, & aquatilis bullæ, cùm detumescit, similes. Loqui in ventum, vel verba proferre Iob [b] vsurpat, & Ieremias [c]: pascere, vel possidere, seminare, ac tenere ventos, Salomon [d] noster, & Oseas [e], & rursus Ieremias [f], vt denotent inanes tum sermones, tum labores. Clemens [g] Alexandrinus vtitur simili parœmia:

b c.6.26.c.15.2.
c c 5.13.
d Prou. 10.4. c.11.29.
e c.8.7.c.12.1.
f c.22.22.
g 1.strom.

ὃς ἐλθ

A ... τὰς διὰ ψεύδους, οὗτος ποιμαίνει ἀνέμους, καὶ διώκει ὄρνεα πετόμενα, *qui mendaciis innititur, is ventos pascit, & volucres aues persequitur.* Nec dissimilis apud Nazianzenu[a], ὡς αὔραις εἶναι μᾶλλον πιστεύειν, καὶ γράμμασι τοῖς καθ' ὕδατος, ἢ ἀνθρώπων εὐημερίᾳ, *vt auris, seu ventis potiùs fidendum sit,& literis aquæ inscriptis, quàm hominum prosperitati.* Adducit Delrius[b], nostra ingenuè recitans, ex Suida ἀνέμους γεωργεῖν, *ventos agricolare:* ex Virgilio[c], fallacibus Austris credere se: ex Seneca[d], lenibus auris animam: ex Iuuenale[e], animam ventis committere. Hoc loco Thaumaturgus ait indicari studium auari, laborémque non inaniter duntaxat susceptum, sed ex impetu quodam potius, quàm ex proprio animi instituto, ita vt violenter quodammodo abripiatur ab appetitione temeraria.

B

Vers. 16.] Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris & in curis multis,& in ærumna atque tristitia.

EXponitur magnitudo laboris, non inanitas sola, de qua proximè actum est. Adeò distinetur infelix interdiu, vt cibum ei capere non liceat ante noctem. Hoc pacto Caietanus. Hugo, quia differt propter propter hospites, & ne bis comedat propter ruborem, quia tam viliter comedit, quòd erubescit in die comedere. Chaldæus (*etiam omnes dies suos in tenebris habitat, vt panem suum solus degustet:*) glossa interlinearis, absconditè, atque in mærore: Lyranus, in tristitia, & anxietate mentis pro acquisitione temporalium, quibus priuatus est cum filiis, vt dictum est: Carthusianus, in malis culpæ, & pœnæ: Olympiodorus, in ignorantia: Hugo Cardinalis, in peccato, & ignorantia: Moringus, in sollicitudine, quæ mentem obtenebrat. Græci verbum *comedendi* penitus non habent, sed solum quòd cuncti dies eius tenebræ sunt.

C

Nomine *tenebrarum* designantur ingentes calamitates in Scripturis crebrò[f], quales Ægyptiæ[g], sicut è contrario lux denotat læta & secunda. Et primum describitur dicendo verti diem in tenebras, obtenebrari Solem in ortu suo[h]: secundum, nouam lucem oriri[i], meridianum fulgorem cõsurgere ad vesperam[k]. Synonyma sunt nox, caligo, vmbra mortis, obscuritas, fumus, & similia. Tenebras Philippus Presbyter[l] ait esse peccata, ignorantiam, tribulationem, obscuritatem Scripturæ: Nazianzenus[m] vitam præsentem, & aduersariam potestatem[n]. Visitata etiam profanis auctoribus formula per φάος, siue φῶς, id est, *lumen*, lætitiam, ac felicitatem; per σκότος priuationem vtriusque significare. Sic Euripides[o] dixit:

ἥκειν φῶς ἐμοῖς καὶ σοῖς κακοῖς.

D

& contra Virgilius[p];

Ast illum vitam in tenebris, luctúque trahebam.

E

Hinc frequentes illæ apud Prophetas exaggerationes magnarum ærumnarum, cùm diem obscurum nominant, tenebrarum, nebulæ, caliginis, sine Sole; vel Solem, ac Lunam obtenebrari, ac illuminari quidem etiam meridie, & terram tenebrari in die luminis[q]: prætereà lucem extingui, non splendere flammam[r]. Explicant vim harum locutionum Chrysostomus[f], & Gregorius[t]. Carcer & vincula, necnon infernus ipse per tenebras exprimi cõsueuit, maximè verò per exteriores[u], quem aliàs[a] diximus carcerem fuisse teterrimum extra mœnia ciuitatis. Quem ad modũ Sapiens[b] vocat vincula tenebrarum, & Iudas[c] Apostolus vincula æterna sub caligine reseruata, & Petrus[d] σειραῖς ζόφου, *catenas caliginis,* quos Interpres *rudentes inferni.* Ambrosius[e] ait auaro semper noctem esse, illi dici[f]: *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te;* & semper vt Lunam mutari[g]; nunquam audire[h]: *Hodie mecum eris in Paradiso.* & quòd[i] fulgebit sicut Sol in regno Patris. Nec verò displicet, vt ad exaggerationem calamitatis, quam patiatur auarus, dicatur comedere in tenebris hoc modo, quoniam tenebrarum noctísque tempus luxui, ciboque largius sumendo destinatum est; ille autem tunc antequam comedat, suspirat[k], & potum lacrymis[l] miscet, mœstitię, curæque plenus.

Et in curis multis.] Hebraicè (וְכָעַס הַרְבֵּה *vechaishas harbeh, in ira,* seu *furore multo*) pro vt etiam Chaldæus vertit. Græcè (καὶ ἐν πένθει, *& in luctu*) quo pacto reddit vetus translatio. Ex curis luctus oritur: & quòd vel vrat cor, vel comedat, cura dicta est. Vetus translatio (*in luctu & iracundia multa, & languore, & infirmitate.*) Sed hæc alia aliter deinceps.

Et in ærumna.] Hebraicè (וְחָלְיוֹ *vechaleio, & infirmitate sua,* siue *languore*, aut *dolore*) aut redundante vltimo ו *vau* (*infirmitate*, &c.) absque paragogico pronomine: Chaldæus (*in ægrotationibus*) Græcè (καὶ θυμῷ πολλῷ, *iracundia multa*) sicut & vetus translatio habet: Olympiodori Latinus Interpres (*tristitia multa.*) Olympiodorus autem tristem iracundiam explicat. Animi grauiores ægrotationes, ita sunt & tristitia. Est θυμὸς vehementior ira, & vt ait Basilius[m], ἔξαψις, καὶ ἀναθυμίασις ὀξεῖα τοῦ πάθους, aitque impetum esse cum meditatione vlciscendi. Ærumnam Cicero[n] finit ægritudinem laboriosam. In capite secundo[o] *ærumnas* quoque posuit Interpres, vbi Græcè erat θυμὸς, sed Hebraicè כַּעַס *chahhas:* Chaldaicè *fortitudo indignationis.* Apud Marcum[p] eadem vox Latina est pro μέριμναι: in posteriore ad Corinthios[q] pro μόχθῳ: in Genesi[r] pro λύπας: Hebr. & Chald. *tribulationem,* aut *dolorem:* in Psal. 31.[f] pro ταλαιπωρίαν, vbi Hebraicè & Chaldaicè est *viror.*

Atque tristitia.] Græcè (καὶ ἀῤῥωστίᾳ, καὶ χόλῳ, *& infirmitate, & ira*) Hebraicè (וָקָצֶף *vekaseph, & furore,* seu *indignatione*) quod etiam Chaldæa dictio significat, illa bullientem, ac feruentem iram, ac veluti spumantem. Idem retinetur sensus, tametsi voces varient, sintque non totidem in editionibus, sed plures, pauciorésve. Indignationes, contentiones, lites, hic diuitiis præsertim auari, denotãtur, vt notarũt Olympiodorus, & Hieronymus, quas excitat leui occasione. Forum, litésque vitare debet, qui sibi non est conscius magnarum diuitiarum, ait Hesiodus[t]; quasi qui has habeat, ad lites pronior esse soleat. Curis auarus angitur, ait Hugo Cardinalis, vt acquirat: ærumna, vt conseruet: tristitia, si amittat: sæpéque præ indignatione incidit in morbum. Vel est in curis multis, inquit Bonauentura, propter sollicitudinem, sicut ob solitudinem in tenebris: in ærumna, propter expensarum tenuitatem: in tristitia, propter expendendi necessitatem. Hæ sunt ærumnæ, & sollicitudines huius seculi, quæ verbum Dei suffocant, & vt spinæ pungunt animum & lacerant, vt Christus[u] docuit, & Gregorius[x] egregiè declarauit.

a Orat. ... b ... c ... d ... e ...
f Iob. 3. 4. 5. ... 13. 10. g Exod. 10. 21. & seq. Sap. 17. 2. & seq. ... h ... i ... k Iob. 11. 17.
l in Iob. c. 22. inter opera Hieronymi. m orat. 2. de Pascha. n ... in fam. ... o in Oreste. p ... Aeneid.
q Ioel 2. 2. 10. ... 15. Sophon. ... Amos 5. ... r Iob 18. 5. s ... t ... u ... c. 1. x ... 4. 13. c. ... c. 5. 30.
a in c. 12. Act. Apost. b Sap. 17. 2. c Epist. ver. 6 d 2. Pet. 2. 4.
e libr. de Nabuthe. c. 8. f Luc. 12. 20. g Eccli. 27. 12. h Luc. 23. 43. i Matth. 13. 43.
k Iob. 3. 24. l Ps. 101. 10.
m in c. 5. Esai. lege eundem in Ps. 29. & in regul. breuio. 55. & 68. n 4. Tuscul. o vers. 23.
p c. 4. 19. q c. 11. 27. r c. 3. 16. s vers. 4.
t in ergis.
u Matt. 13. 22. Mar. 4. 18. 19. Luc. 8. 14. x hom. 15. in Euang.

*Verſ.*17.] Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, quo laborauit ipſe ſub Sole, numero dierum vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus: & hæc eſt pars illius.

*Verſ.*18.] Et omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque ſubſtantiam, poteſtatémque ei tribuit vt comedat ex eis, & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo: hoc eſt donum Dei.

QVæ his verſibus continentur, iam ſunt expoſita capite ſecundo, & tertio. Docet autem Eccleſiaſtes qua ratione rectè quis vtatur diuitiis, agens, non vt quidam exiſtimant, ex aliena, ſed ex perſona propria, nec per ironiam, ſed ſeriò: nec auarum reuocans ad aliud extremum minùs vitioſum, ſed proponens quod honeſtum eſt: nec vt propoſito delinimento voluptatum ad eleemoſynam cautè pertrahat, ſed vt ſimpliciter virtutem doceat temperantiæ. Nam præſtat, inquit, partis bonis frui ex munere Dei, quàm his parcendo conficere ſeipſum angoribus & ſollicitudinibus. Primum, & ſecundum ſenſum recipit Bonauentura hoc loco, & Hugo Cardinalis, & Gregorius in dialogis [a]: Olympiodorus vltimum: Hieronymus tertium, atque Albinus: primum Thaumaturgus, necnon Chaldæa paraphraſtis, Carthuſianus, Moringus, Titelmannus, Caietanus.

[a] lib. 4. 2. 4.

Hoc itaque viſum eſt mihi bonum.] Aliæ editiones *(ecce quod vidi ego bonum)* id eſt, hæc mihi placuit ſententia. Symmachus (ἐμοὶ ὃν ἑώρων) Hebraicè & Chaldaicè (*(quod pulchrum.&c.)* Græcè (καλὸν) quod in hac ſignificatione quæ primaria eſt, nūc ſumitur, cùm diſtinguatur ab eo, quod proximè antè ponitur ἀγαθόν. Vetus tranſlatio *(quod eſt optimum.)*

Fruatur lætitia.] Hebraicè eſt *(videre bonum)* id eſt, experiri: Græcè (ἰδεῖν ἀγαθωσύνην) de quo nomine Græco priùs dixi ſignificare *felicitatem* in hoc libro, licet propriè ſignificet *bonitatem erga alios*, hoc eſt, *benignitatem*, ſicut Olympiodorus intellexit, & innuit Chaldæus Interpres.

Numero dierū vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus.] Quandiu vixerit. Similis phraſis eſt capite ſecundo [b], & ſeptimo [c], cui ſimilis, vt dicatur apud Deum numerus eſſe menſium noſtrorum [d], & conſtituti termini vitæ à Deo, qui præteriri nō poſſint [e]; quem finem ac numerum menſurabilium, ſiue menſuratorum dierum (id eſt, breuium, vt vertit Hieronymus, vel ad menſuram quatuor digitorum, aut pugillorum, vt alij) ſibi vt reuelaret Deus, petebat Dauid [f]. Symmachus legit ψῆφον, quaſi calculo & ſuffragio diuino ſtet ſua cuique dies.

[b] verſ. 3. [c] verſ. 1. [d] Iob. 14. 5. [e] ibid. [f] Pſal. 38. 5.

Subſtantiam.] Græcè (ὑπάρχοντα.) De voce Latina dixi in hiſtoria Apoſtolica [g]. Hebræa, & Chaldæa נְכָסִים *nechaſim* quæcunque bona ſignificat, immobilia, mobilia.

[g] Act. 2. 45.

Et lætetur de labore ſuo.] Chaldæus addit *(ita vt non extendat manum ſuam in violentiam, & rapinam, ſed cuſtodiat verba legis, & vt miſereatur pauperum, & hoſpitum, & accipiat mercedem partis ſuæ perfectam in ſeculum venturū cum iuſtis.)* Eundem ſenſum Olympiodorus expreſſit, vt dixi; Thaumaturgus quoque de eleemoſyna. Impiorum bona ſæpe non ſunt in eorum manu [a], etiam in hac vita: certe illa pro arbitrio minime regunt & moderantur; ſed potius ab iis quæ habent, captiua mente tenentur. Hic libet illud optimum apophthegma Italicum repetere;

[a] Iob. 21. 16.

Tant' io penſo che ſia mio, quant' io godo, & do per dio.

Eſaias [b] prænuncians Tyri locupletiſſimi emporij cōuerſionem ad Chriſtum, ſummi cuiuſdam beneficij loco ducit, quòd opes illas tantas ad benignè pro Deo faciendum conferret, ſimúlque potiretur iiſdem. *Et erunt*, ait, *negotiationes eius, & mercedes eius ſanctificata Domino, non condentur, neque reponentur; quia his, qui habitauerint coram Domino, erit negotiatio eius, vt manducent in ſaturitatem, & veſtiantur vſque ad vetuſtatem.*

[b] c. 23. 18.

Verſ. 19.] Non enim ſatis recordabitur dierum vitæ ſuæ, eo quòd Deus occupet deliciis cor eius.

LIberalis, quíque quas habet facultatibus in ſui etiam ipſius vſum commodè vtitur, hilarior eſt, nec vitæ longioris tædia ſentit honeſtis occupatus Dei beneficio deliciis, nec tot triſtes animo admittit cogitationes, quot vitæ ſuperſint dies, quàm breui moriturus ſit. *Iucundus homo qui miſeretur, & commodat* [c], χρηστὸς, *commodus, & vtilis* ſibíque, aliíſque. Chaldæus indicat ratiōē contineri, non differētiæ inter auarum, & ſtudioſum diuitem; ſed quare ſatius ſit diuitiis bene vti, & fruendo, & largiendo; quoniam non adeò multi dies hominis, vt recordari poſſit, ac reputare quotnam ex eis futuri ſint boni, id eſt, læti, felices, quot mali; ſiquidē Deus ipſe decreuit quótque diebus affligi, & quot viuere debeat in gaudio cordis ſui.

[c] Pſal. 111. 5.

Olympiodorus bimembrem ſententiam hîc agnoſcit, qua perſuadeatur auaro bonus diuitiarum vſus: breuem namque vitam eſſe: occupationem verò in pauperibus ſubleuandis eſſe Deo gratiſſimam, atque miſericordis animum, & cor ea mirificè lætificari. Addit myſterium de corporis, & ſanguinis Chriſti ſuauiſſima perceptione, & vtili, atque quotidiano ſedulo ſtudio, atque exercitio in hac vitæ breuitate, virtutum; quæ ſolæ ſunt veræ diuitiæ, cùm externæ mediæ ſint, & vt iuuare, ſic nocere valeant. Illud ipſum de Euchariſtia Hieronymus, & Albinus obſeruant. Thaumaturgus voluptatem explicat ex honeſta fruitione bonorum, & ex largitione in pauperes, quæ voluptas vacua ſit mœſtis cogitationibus, nimirum de morte, &c.

Non ſatis.] Hebraicè & Græcè (*non multum*, vel *valdè*, vel *ſæpe*, לֹא הַרְבֵּה *lo harbeth*, οὐ πολλά.) Vertit Interpres aliquando (*ſatis*) quod eſt ſecundùm alias editiones *multum, nimis*, & *valdè* [d], עַד־מְאֹד *hhad meod*, & ſimplex מְאֹד *meod*, σφόδρα, πολὺ, ὥστε λίαν: & Chaldaicè apud Danielem [e] שַׂגִּיא *ſaggia*. Nonnunquam (*nimis* [f]) reddit, quod propriè eſt valdè. Vulgari multarum gentium lingua (*ſatis*) dicitur non quod ſufficit ſolùm, ſed etiam quod excedit. Sic forſan accipiendum Horatianum illud [g]:

Iam ſatis terris niuis, atque diræ
Grandinis miſit pater. ———

Hoc quidem modo Acron Interpres explicat, & Porphyrio,

[d] Eſa. 64. 9. Ezech. 47. 9. Zachar. 9. 9. c. 14. 14. 1. Reg. 25. 15. lib. 2. 2. 17. [e] c. 5. 9. c. 6. 14. [f] Tob. 10. 3. & alibi. [g] lib. 1 carminum, ode 2.

Non

Non satis recordabitur dierum vitæ suæ.] Est propriè recordatio præteritorum, & de his diebus præteritæ vitæ Hugo Cardinalis explicat: sed in malam partem de auaro, qui se credat ampliùs victurũ; non dolens quòd malè vixerit, eo quòd occupauerit Deus deliciis cor eius, id est, occupari permiserit, quibus excæcatus, & irretitus nec illud recordatur, nec quæ gaudia interna amiserit. Dies vitæ absolutè positi malum quid videntur in Scriptura sonare, hoc est, laboriosam viuendi rationem; quoniam natus homo ad laborem [a], hîcque multis repletur miseriis, breui viuens tempore [b]; & sunt, quotquot illi sint, dies pauci, seu patui, & mali [c], hoc est, laboriosi & ærumnosi: Dominus irridet prospiciens, quòd venient dies hi [d], hoc est, abibunt, & affligent; & orat Dauid [e], vt memor velit esse filiorum Edom in die Ierusalem, nimirum in die calamitosa. Ergo non satis recordari dierum vitæ, est præteritas obliuioni tradere calamitates, ob fructum, quem nunc ex illis capit: ac ne quidem multas experiri, quoniam concessis bene nouit vti diuitiis, & quod hîc additur, Deus occupat deliciis cor. Sic videlicet in alio Salomon scribit opere [f], siceram mærentibus, vinum iis, qui amaro sunt animo datum, efficere, vt *obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs.* Iam non pessimam hoc modo censetur Deus tali dare occupationem, vt occupetur in ea, sicut antea dicebat hic idem auctor noster [g], cùm illius occupet deliciosè cor Deus.

Communior, ac verior expositio de diuite liberali, quíque honestè diuitias insumat. Nec satis auaro congruit quod sequitur (*eo quòd occupet Deus deliciis cor eius*) vt mox videbimus. Recordari dici quoque quis potest de futuris, non vt futura sunt, sed renocando cogitationem aliquando susceptam de ipsis. In genere verbum *recordandi* [h] Scripturæ vsurpant pro eo quod est curare, & æstimare, & in contraria significatione verbum *obliuiscendi* [i]. Profani etiam auctores dicunt recordari alicuius rei, pro eo quod est aggredi, & facere, vt Homerus [k] μνήσασθαι χάρμης, φυλακῆς, δόρπου, *pugnare, custodire*, seu *excubare, cœnare.* Sensus ergo est, quòd parum sollicitus est quantum vel vixerit, vel victurus sit.

Eo quòd Deus occupet deliciis cor eius.] Hebræum participium מַעֲנֶה *mahhaneh* Pagninus vertit *respondens*, id est, rependens, ac reddens: Vatablus exponit, exaudiens, remunerans, largiens; ac exaudire quidem Deum in lætitia cordis eius, id est, vnde lætandi materiam habeat cor eius. Editio Græca legit περισπᾷ. Sed Hieronymus notat quòd hîc περισπασμὸς in meliorem partem accipitur, id est, pro occupatione spiritualis, veræque lætitiæ. Thaumaturgus quoque ac Olympiodorus videntur de bona occupatione intellexisse. Latini præterea sic exponunt ferè omnes, præter Hugonem Cardinalem, qui de auaro; & Moringum, qui inter alias explicationes ponit hanc quoque de largiter diuitias expendente pro se, aliísque, ac ideo minùs vituperando quàm sit auarus: occupari verò à Deo ad eum modum, quo Paulus [a] ait quosdam tradi à Deo in reprobum sensum. Sed non id vellet Ecclesiastes, si comparatione vtens cum auaro, hunc deteriorem esse doceret, atque ad prodigalitatis minùs vitiosum extremum, vt innuebat Olympiodorus, conaretur deflectere. Caietanus Hebræam illam vocem non verbum, sed nomen esse contendit, & significare *testificationem* (*quia Elohim testificatio in lætitia cordis eius*) id est, quia Deus, inquit, dando in corde diuitis iugem lætitiam, est tanquam præbens testimonium felicitatis ipsius diuitis, nimirum facto ipso. עָנָה *hhanah* radix Hebrææ dictionis quæ hoc loco est, præ aliis multis significat, vt c. t. dixi, *respondere, testificari, exaudire, affligere, occupare.* Porrò מַעֲנֶה *mahhaneh* si sit per ֶ segol, erit nomẽ: si per ֵ tseri, participiũ. Rabbinorum varias expositiones haud ab istis differentes affert auctor thesauri linguæ sanctæ, necnon vt significet participialiter Deum habentem prouidentiam, vel respondentem lætitiæ, vel exaudientem illam, id est, concedentem ipsam diuiti, dum frui licet suis; vel acquiescentem, hunc complacentem sibi in lætitia eius, ac præstò illi existentẽ. At enimuerò Græca vocabula περισπᾷν, καὶ περισπασμὸς, quæ hoc loco Hieronymus in partem meliorem accipit, non memini alibi, vel in Scripturis, vel apud scriptores profanos ita sumi: vel certè sine anxia, quamuis non mala cura: quo pacto Martha περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν, *satagebat circa frequens ministerium* [b]. Est interdum περισπᾷν *abstrahere, & auellere, & auocare.* Hoc pacto diceretur, quòd Deus περισπᾷ deliciis cor diuitis liberalis à mœstis cogitationibus de breuitate, & miseria vitæ, distinendo, & occupando in honesta rerum suarum fruitione, atque largitione.

His, qui in deliciis viuunt, tempus videtur breue, quamuis sit longum: contrà, illis, qui desolatam, tristem, amaram ducunt vitam, tempus quamuis breue, videtur longum, vt in damnatis maximè patet, inquit Carthusianus. Idem est de occupatissimis, ac præsertim in studiosis cogitationibus, & actionibus; idque adhuc magis dum eas referunt ad honorem Dei, & adeptionem felicitatis, quibus nihil par æstimant, non tempus longum, non durum laborem. Quamquam aliquando dilatio concupiti eiusmodi boni, atque dissolutionis desiderium, vt sit quis cũ Christo [c], gignit molestiam, cógitque dicere; *quando veniã, & apparebo ante faciem Dei* [d]? &c; *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* [e]! Qui verò iam fruũtur beatitudine, nullum sentiunt moræ interstitium: perenne illis est æternitatis momentum, noui existunt, ac recentes semper ad gaudia, nunquam saturi, vel nauseabundi, esurientes, & sitientes magis, magísque [f] sine molestia, quia sine absentia bonorum, gaudiorúmque, quæ gustando desiderant, quæ gustant desiderando. Bona prorsus occupatio, ἀγαθὸς περισπασμὸς, auellens cogitationem, amorem, desiderium ab omni re aliena, quæ quouis modo lædere, aut imminuere delicias illas felices queat.

[a] Iob. 5. 7. [b] Iob. 14. 1. [c] Gen. 47. 9. [d] Luc. 19. 43. [e] Ps. 136. 7. [f] Prou. 31. 6. [g] Eccle. 1. 13. [h] Abac. 3. 2. Ps. 49. 5. Ps. 41. Ps. 42. Iob. 14. Genes. 8. 1. 14. Iob. 8. 13. Esa. 49. 15. Ierem. 2. 32. 10. 44. Dan. 13. 5. Ps. 87. 6. [i] Reg. 1. 19. [k] Iliad. 14. 18. 24.

[a] Rom. 1. 24. [b] Luc. 10. 40. [c] Philip. 1. 23. [d] Ps. 41. 3. [e] Ps. 119. 5. [f] Eccli. 24. 29

SVMMARIVM.

PERGIT Ecclesiastes isto capite conditionem auari miseram insectari, qui nec vsum diuitiarum ipse habeat, nec vlli relinquat ex necessariis; infelicior hac de causa quàm abortiuus. Huius capitis argumentum superioribus quoque capitibus tractatum est.

CAPVT VI.

1 EST & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines:

2 Vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animę suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miseria magna est.

3 Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturáque careat: de hoc ego pronuncio quòd melior illo sit abortiuus.

4 Frustra enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomẽ eius.

5 Non vidit solem, neque cognouit distantiam boni & mali:

6 Etiamsi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis: nónne ad vnum locum properant omnia?

7 Omnis labor hominis in ore eius: sed anima eius non implebitur.

8 Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita?

9 Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias: sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.

10 Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius, & scitur quòd homo sit, & non possit contra fortiorem se in iudicio contendere.

11 Verba sunt plurima, multámque in disputando habentia vanitatem.

Vers. 1.] Est & aliud malum, quod vidi sub Sole, & quidem frequens inter homines.

EXPLICATIONIS expressionisque causâ duæ particulæ sunt additæ (*& aliud.*) Malum pœnæ intelligitur, sed ortum ex iniquitate auaritiæ; idcirco cæteræ editiones habent fœminino genere *malitiam*, רעה *rabbah*, & בישתא *bischetha*, & πονηρία, Hebraicè, Chaldaicè, Græcè.

A *Et quidem frequens.*] Alij (*& multum* (malum) *hoc*, siue *magnum* רבה *rabbah*, πολλή:) quod extensiuè sumptum, ait Caietanus, coincidit cum *frequens*.

Apud homines.] Hebraicè (*super hominem*) Chald. (*super filios hominis*) Lxx. (ὑπὸ τὸν ἄνθρωπον, *sub homine*) Symmachus (παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, *apud homines.*) Est hoc malum apud homines, quia familiare, & veluti insitum: super, quia illis imminet, eósque vexat: sub, quia homines quodammodo incubant ipsi, & in eo iacent.

B *Vers.* 2.] Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatẽ Deus, vt comedat ex eo, sed extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & afflictio magna est.

VIr cui dedit Deus.] Plana sententia de illo, cui sunt diuitiæ, sed non conceditur eis vti, & cum diuitiis honor quoque, splendórve dignitatis. Notatu dignum, quòd Ecclesiastes exprimat à Deo datas diuitias & substantiam, & honorem.

C Duplex potissimùm causa; tum vt benefactor hic ametur; tum vt earum rerum, quas proprio quasi labore videmur peperisse, auctor ipse, datórque agnoscatur. Vnde fit, vt nec his abuti debeamus, & multo maiora, diuinioráque iisdem bona spectare; qui illa additamenti loco præbet, regnum cœleste quæri primùm vult, & iustitiam eius [a].

Substantiam.] Lege capitis prioris versum decimum octauum. Caietanus vtrobique gemmas exponit. Illum sic docuit quo vtebatur Hebraicę linguæ magister, non vetus ac peritior.

Honorẽ.] Hebraicè, & Græcè (*gloriam*) id est, affluentiam opũ tanta, vnde celebritas oriatur: Chald. (*gloriam facultatum.*) Phrasis frequens Scripturarũ, vt hoc modo *honor* accipiatur, & *honestas*, verbúmque *honorandi*, & *honestandi*, & *honestum faciendi*, vt

D docui in Actibus Apostolorum [b]. Et hic quidem commodior est ista significatio, quoniam auarum haud facile solent honore afficere, cum sit parum gratiosus multitudini.

> *Non vxor saluum te vult* (ait auaro Poëta [c]) *non filius, omnes*
> *Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ.*
> *Miraris, cùm tu argento post omnia ponas,*
> *Si nemo præstet quem non merearis amorem.*

Multo sanè minùs honorem, qui virtuti debetur.

Nihil deest animæ suæ.] Iuxta editionem Hebræã videtur de Deo intelligi, quòd nulla priuet re animam diuitis (ואיננו חסר *veenennu chaser*, *& non ipse priuans.*) Attamen sensus idem. Nihil verò deest animæ auari ex omnibus, quæ desiderat

a Mat. 6. 33.

b c. 13. 50.

c Hora lib. 1. sermonum Sat. 1.

ſecundùm rem,& naturam,inquit Bonauentura, licèt non ſecundùm ipſius æſtimationem, atque deſiderium.

Nec tribuet ei poteſtatem.] Hebraicè(*non dabit*) & Græcè (οὐκ ἐξουσιάσει) Symmachus (δίδωσι.) Nil variat hæc varietas temporum:nam & in principio verſus Hebraicè, Græcéque futuri temporis verbum eſt. [Non cogit Deus ad auaritiam, ſed permittit prauum vſum arbitrij, inquit Olympiodorus, vt cùm tradidiſſe dicitur quoſdam in paſſiones ignominiæ [a].] Allegoriam notat idem de populo Hebræo,qui ex opulentia Regni, Sacerdotij, prophetiæ non retulit vtilitatem, peccans in Saluatorem; ſed inde ditati ſunt externi [b]. Tropologice præterea exponit de verſatis in Scripturæ,aliarúmque rerum ſcientia, ex qua non ipſi, quia moribus diſſident; ſed alij libros eorum legentes fructum capiant. Allegoria notatur etiam ab Hieronymo, & Albino, tropologia ab Hugone;& extendi poteſt ad eos, qui Dei muneribus non vtuntur, nec in talentis,& pecunia Domini negotiantur,inertes,& otioſi [c]. Magis placet vt negationem vſus facultatum pro pœna quam Deus per ſe poteſt infligere, intelligamus potiùs cum Thaumaturgo, & Caietano, quàm pro ipſa culpa parcitatis auaræ. Lyranus exiſtimat priore capite ſimilem ſententiam intelligi de auaro, qui propter diuitias occidatur ab alio;hìc verò de eodem, quem de medio tollat morbus aliàve cauſa.

Homo extraneus.] Græcè (ξένος) Hebraicè (נָכְרִי *nacheri.*) Chaldæus explicat de alieno, qui vxorē defuncti ducat, & hæreditate acquirat relicta bona.Non eſt neceſſaria conſequutio, vt qui relictam ducit,relictorum defuncti bonorū,quamuis ab inteſtato deceſſerit,ſucceſſor fiat:nec enim vxor ipſo iure horum eſt hæres: vir autem non omnium vxoris bonorum dominus eſt,vel etiam adminiſtrator.

Vorabit illud.] Eſt idem verbum,quod proximè antè (*vt comedat ex eo:*) ſed emphaſim notauit Interpres, quòd cùm infelix auarus nec mediocriter comedat,alius etiam voret, quibus pepercit.

Magna miſeria eſt.] Alij (*infirmitas mala*) quæ videlicet miſerabilem,ac miſerandū reddit. Quàm falsè Martialis Scæuolam rideat auarum,qui quo plura dediſſent Dij, hoc erat ſordidior, lege perelegans Epigramma [d], quod ita claudit:

> *In iis,ô fallax,atque inficiator,eamus;*
> *Aut viue,aut decies,Scæuola,redde Diis.*

Hanc portò valdè ſententiam alia illuſtrat, quæ eſt in libro Eccleſiaſtici [e]; *Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſita ſepulcro* (ſimilis diues cui frui ſuis non licet, defuncto intra ſepulcrum, ad quod apponantur eſcæ.) *Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabitur: ſic qui effugatur à Domino*(diues cui Deus ob ægritudinem, vel auaritiam non permittit vſum diuitiarum, licèt colatur ab aliis vt idolum)*portans mercedes iniquitatis*(auaritiæ mercedes ſunt,& iniquè partarum opum, iis frui non poſſe) *videns oculis, & ingemiſcens*(dum hinc inſumere facultates vellet & fructum capere, hinc eum retrahit auaritia) *ſicut ſpado complectens virginem,& ſuſpirans*(quòd ea per impotentiam naturæ potiri non poſſit.) Rem eandem appoſitè declarat fabula Tantali,quem ſitis enecat,licèt aquam mento tenus habeat.

a ...16. b ...11.13. c ...15. Luc. ... & d libro 1.in 104. e ...c.14.19. ...11.

Verſ. 3.] Si genuerit quiſpiam centum liberos,& vixerit multos annos,& plures dies ætatis habuerit,& anima illius non vtatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturáque careat,de hoc ego pronuncio,quòd melior illo ſit abortiuus.

ADdidit Interpres(*liberos*)necnon vetus tranſlatio, & Chaldæa paraphraſis: Hebraicè namque,& Græcè ſolùm eſt (*centum*) ſicut etiam quodam loco legit Hieronymus [a]. Hic autem notat hyperbolem,ac Olympiodorus. Quoſdam tamen adeò fuiſſe prolificos doceri capite ſeptimo Actuum Apoſtolicorum [b]: ſed id omnino ſingulare, rarúmque,non impoſſibile, vt hîc ait Olympiodorus.Gedeon habuit ſeptuaginta duos filios [c], Achab totidem minùs vno [d], Roboam viginti octo filios, filias ſexaginta [e], Nabuchodonoſor præter filias, filios quindecim ſupra centum [f]. Ex profana hiſtoria omittimus exempla,quæ ſimul ponit auctor theatri vitæ humanæ volu. 2. lib. 5. ſiue illorum quibus copioſam prolem vna, ſiue quibus vxores plures ediderunt:ſuperare fidem videtur ex pellicibus Artaxerxi centum decem liberos,Herotimo Arabum Regi ſexcentos fuiſſe:vno partu reperta dicitur quæ 5. 7. 9. 12. 22. 36. 60. imò,ſi credi poteſt, quæ mille quingētos quatuordecim, vel 365. vel 350. protulerit. Auctores apud auctorem illum conſule.Romæ viri graues mihi retulerunt in ea vrbe ætate noſtra vnam,alterámque ſimul effudiſſe viuentes duodecim, quindecímve, & id quidem ſe accepiſſe vel ex ipſiſmet genitricibus, vel ex recenti adhuc fama. Thaumaturgus pro *centum* ponit indefinitè *plurimos*. Conſtat hoc pacto numerum iſtum paſſim ſumi pro vniuerſitate,atque perfectione. Docet id quoque Auguſtinus [g], & Hieronymus [h],& Theophilus Alexandrinus [i],& Beda [k], & Gregorius [l], & Origenes [m], & Ambroſius [n]. Exempla in Scripturis obuia ſunt, vt centupli [o], centeſimi fructus [p], ætatis centeſimæ [q],de qua Hieronymus [r],centum ouium [f]; & aliarum rerum, quas recenſet Petrus Bongus in myſteriis numerorum, & Pagninus [t], & Salmeron [u].Ad eundem modum Poëtæ [x] ad celebritatem rei adhibent hunc numerum, verbi gratiâ, tribuentes Thebis Ægyptiis portas centū, Cretæ oppida totidem, Veneri Paphiæ aras. Inde præterea hyperbole de linguis centum, vel oribus, & ſonis [y]. Meminit Eccleſiaſtes numeroſæ prolis, quia in vetere Teſtamento inter potiora Dei beneficia cenſebatur [z], & infœcunditas inter pœnas, & maledictiones.

De copioſa, numeroſáque prole præter ea quæ dixi cap. 7. Actuum Apoſtolorum verſ. 17. plura congerit Lælius Biſciola noſter in commentario nondum euulgato ad Plinij lib. 7. cap. 11.

Et vixerit multos annos.] Et hæc habebatur olim pars humanæ felicitatis [a]: quæ diſtinctè notata eſt in Abraham [b], & in Iſaac [c]. Legat qui de priſcorum præſertim hominum longæuitate cupit cognoſcere, quæ noſter Pererius diſertè tractat primo tomo Commentariorum in Geneſim [d], meritóque illos refutans, qui tot illas in Geneſi centurias annorum nonnullis attributas de lunaribus duntaxat intelligunt;ita vt ſi conſtaret annus menſibus duodecim, menſem componerent dies tres. Nam fieret inde quempiam

a in c.6.Ep. ad Epheſ. b verſ.17. c Iud.9.5. d 4.Reg.10.1. e 2.Paral.11.21. f Antoni.1.p. hiſt.tit 4. c.1. §.27. g 2. de ciuit. c.7.& ep.89. h lib.vlt.in c.65.Iſaiæ. i 3.Paſchali. k in c.13. Matthæi. l libro 15. moral.c.7 & lib 30.c.53. & hom.18.in Ezech. m hom.16.in Leuit. n in c.7.Luc. o Mat.19.29. p Mat.13.23. q Eſa 65.20. r ibidem. ſ Matt.18.12. t 1 iſagoge ad myſticos ſenſus.c.32. u tom.1. proleg.10. x Homerus, Virgilius &c. y apud Virgilium,& ſe dubium z Deut.28 4. Pſ 126.3. Pſ. 127.3. a Exo.20.12. Epheſ 6.3.Pſ. 20.3.Pſ.90.16. b Gen.25.8. c Gen.35.28.29. d lib.7.

piam sex natum annos nostrates, filios procreasse: nullum excessisse ex iisdē nostratibus nonaginta septem, quia nullus attigit millesimum: denique Abraham, qui cùm esset annorū septuaginta quinque supra centū, mortuus memoratur plenus dierum, senéxque [a], septemdecim duntaxat nostros cum dimidio vixisse. Consuli quoque potest Franciscus Vallesius [b], & alter ex nostris Delrius [c]. Is etiam bene monet, quod & nos alibi, viuere veteribus idem esse, quod vita, & opibus vti; denique feliciter viuere. Vnde illud;

Amici dum viuimus, viuamus.

Et Petronij;

Ergo viuamus, dum licet esse bene.

Anima illius non viatur.] Græcè (οὐκ ἐμπλησθήσεται, *non impleatur*) vt etiam habet vetus translatio: Theodotio (οὐ χορτασθήσεται, *non saturetur*) quomodo est Hebraicè (לא תשבע *lo thischbakh*) & Chaldaice (לא שבעת *lo schebabhath.*) Animam pro parte, vel appetitu sensitiuo sumi constat. Impleri, & saturari est sumere quantum satis est.

Bonis substantiæ suæ.] Duas posteriores dictiones adiunxit Interpres, vt exprimeret esse sermonem de vsu bonorum externorum. Qui sensus per se directò intentus est, secundarius de virtutibus, quem Thaumaturgus affert, ac Olympiodorus. Addit Chaldæus quòd abstinendo à diuitiis suis, non acquisierit etiam ex illis nomen bonum, videlicet per magnificentiam, & benignitatem. Græce est ἀγαθοσύνης, de qua voce dictum capite priore.

Sepulturáque careat.] Carere sepultura, grauem visam pœnam potissimùm Hebræis, dixi in historia Apostolorum [d]. Et hic à natura barbaris quoque sensus est, ac appetitus curandæ sepulturæ. Quamuis cadauera cōtemnenda Heraclitus [e] dixerit, quia redigenda forent in puluerem, omníque sensu careant. Sed hic malè, vt fere Philosophi cæteri, sentiebat de resurrectione. Mysticū sensum tradit Olympiodorus de Iuda, qui quamuis doctrinæ suæ verbis multos genuerit filios, non est tamen ita repletus bonis, vt perseueraret, & Saluatoris immoreretur sepulturæ, vsque in finem gratiam conseruando Baptismi. Caret auarus sepultura, vel quia tam de omnibus malè meritus negligitur, deseritúrque insepultus, ac sine memoria posterorum, perinde ac si non esset sepultus: vel quia nec mortis dum viueret, nec funeris memoriam, curamve sustinuit habere, auarus etiam in extructione sepulchri: vel propter diuitias insidiis occisus est, abiectúsque sine sepultura. Hæc omnia Hieronymus. *Tui vero oculi*, ait Deus [f], *ad cor, & auaritiam, &c. non plangent eum* (Ioachimum filium Sellum Regem Iuda impium, & scelestum) *Væ frater, & væ soror: non concrepabunt ei: Væ Domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem.* Nescio qua ratione illum, cui non sit sepultura, meliore sensu apud Ecclesiasten Ambrosius [g] acceperit de eo, qui meditatur in bonis, vt probet Christum in alieno sepultum.

Quòd melior illo sit abortiuus.] De abortiuo dixi nonnulla in Actibus Apostolorum [h]. Origenes [i] docet sumi simpliciter abortiuum in malam partem a Scriptura, comparatiuè, vt quid minùs malum. Olympiodorus mysticè opponit Iudæ, de quo priùs egerat, Paulum, qui se nominat abortiuum [k], & sepultura dignus habitus est,

A certans bonum certamen [a], cupiénsque dissolui, & esse cum Christo [b]. Nos notato loco cur sic appellauerit se Paulus, docuimus. Hieronymus allegoricè transfert ad nos, qui quasi abortiui, & nouelli putabamur a Iudæis gloriantibus de patrum antiquitate, & legis prærogatiua: Ambrosius [c] meliorem ait abortiuum, quam patrum secularis, id est, fugisse peccatorum occasiones: Hugo meliorem, qui cum bono mentis proposito decedit. Idem Olympiodorus inscrutabili diuinæ prouidentiæ deputat, quare fœtus abortiui vel enascantur mortui, vel vnum viuant diem, alterúmve; & qua de causa non omnes partus absoluantur. Repetit hoc etiam in caput tertiū Iob. Abortiuum Iob [d] cognominat absconditum, & non subsistentem,

B quia nec ei vllum monumentum, nec imago vlla ponitur: præterea non videntem Solem, aut fruentem luce, quod est etiam in Psalmo, iuxta lectionem Hebræam, pro eo quod legimus [e], *supercecidit ignis, & non viderunt Solem (quasi abortiuum mulieris, quod non videt Solem.)* Hebraice vocatur נפל *nephel*, quasi deciduus, ac instar immaturi fructus, qui ex arbore decidit inutilis, à verbo נפל *naphal*, quod est *labi*, & *cadere*. Colligit hinc alio loco Hieronymus [f] promissionem longioris æui, de qua meminimus paulo antè, non esse carnaliter intelligendam, quia laudantur super viuos mortui. Sepultura concedebatur olim, licèt minùs solennis: nec in-

C uerisimile terra quoque tegi solitos abortiuos, verùm absque vllo solenni ritu, velutique bruta, ne tabe, ac putredine nocerent. Talis auaro sepultura non negatur, nec vulgaris aliorum hominum; sed splendida, & cum elogio. Infantium sepulchra Placiades [g] appellata dicit ab antiquis suggrundaria, eorum nempe, qui nondum dies implessent quadraginta, quæ nec appellari busta possent, quia ossa, quæ comburerentur non erant, nec tanta cadauerum immanitas, qua locus tumesceret; vnde *tumuli* nomen, à tumore telluris.

——Vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi.——

D ait Iuuenalis [h]; & Plinius [i] nefas fuisse scribit, quibus nondum dentes enati, cremare. Citat Placiades ex Rutilio [k] Gemino,

Meliùs suggrundarium quæreres, quàm sepulchrum.

Si puer paruus occidit, æquo animo ferendum putant, inquit Cicero [l]: si verò in cunis, ne querendum quidem. De his Ioannes Kiremannus [m], & Iacobus Grutherus [n]. Habet vim phrasis prouerbialis, vt obseruat Delrius [o], ad insinuandum alicuius vilem, despicabilem, infelicem conditionem.
Idcirco pro sorore orabat Aaron,
quam lepra operuerat, ne

E fieret, *vt abortiuum,*
quod proiicitur de
vulua matris
suæ [p].

a Gen. 25.7 8.
b de sacra philosophia. c.7.
c 2. disquis. magicæ. q.23.
d c.8. & 9.
e apud Orig. 5. contra Celsum.
f Ierem. 22. 18.19.
g in c. vlt. Lucæ.
h c.9.
i hom. 7. in lib. Numer.
k 1. Cor. 15.8.

a 2. Tim. 4.7.
b Phil. 1.23.
c 2. de interpella. Iob. c.4.
d c.3.16
e Ps. 57.9.
f in c.6. Ep. ad Ephes.
g lib. de prisco serm. n.7.
h in Saty. 15.
i lib.7 c.16.
k in Astanacte.
l Tuscul. 1.
m 1. de funerib. Roma.
n 3. de iure maniū c. 29.
o tom 3 Adag. in 507.
p Num. 12.12.

*Verſ.*4.] Fruſtra enim venit, & pergit ad tenebras,& obliuione delebitur nomen eius.

A Lij (*in vanitate.*) Vanum quippe quod fruſtra;& abortiuus fœtus fruſtratur fine ſuó. Hugo & Carthuſianus explicant de auaro etiã; ſed moraliter magis, quàm hiſtoricè: iſte enim ſenſus reſpicit duntaxat abortiuũ. Moralia quoque eẽſeo de abortiuo quod exponitur ab vtroque e fruſtra veniſſe; propriè dictum abortiuum, quia non potuit ad æternam vitam peruenire; pertexiſſe ad tenebras limbi, aut ſepulcri,aut ad pœnam damni; deletum nomen eius obliuione, quia vel prorsùs nomen ei impoſitum eſt nullũ, vel citò deſiit memoria ipſius; non vidiſſe Solem,quia non exiit in lucem;non cognouiſſe diſtantiam boni,& mali,quia experiri nec ſenſu licuit. Similiter de auaro declarant fruſtra veniſſe ad mundum,vel opes,cùm miſer vixerit;ad tenebras tranſiuiſſe, id eſt,tormenta ac deſolationes, quæ vocantur ſæpiùs tenebræ exteriores; obliuione deletum nomen eius, quia inuiſum, & odioſum; non vidiſſe Solem aut iuſtitiæ [a], aut proſperitatis;neque cognouiſſe diſtantiam boni, & mali, quoniam ſola mala expertus eſt, nec æſtimauit virtutis præſtantiam, ac magnitudinem veræ felicitatis. Venire,& pergere ad tenebras denotant omnem vitæ curſum: & tenebræ tum ſtatum defunctorum, ſaltem ante Chriſti aduentum;tum aliquando miſeriarum conditionem,& multitudinem.

Obliuione delebitur nomen eius.] Alij (*in tenebris nomen eius operietur:obſcurum erit & ignotum nomen, ne nominabitur quidem.*) Nam nomen Hebræi non ante octauum diem natis imponebant, ſi eſſent maſculi: Romani his nono, octauo fœminis [b]: Græci vtriſque decimo [c], aut ſeptimo [d]; etſi quidã Barbari, vt qui dicebantur Atlantes, nulla dabant infantibus nomina [e]. Dormientium in ſepulchris non eſt ampliùs memoria, & infernus dicitur terra obliuionis [f]. Deputant veteres illi inter beneficia,ſicut vitam longiorem, ita ſic vigere apud poſteros gratam memoriam ſuam. Vide illud [g]; *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate; immortalis eſt enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota eſt,& apud homines:*item [h]; *In memoria æterna erit iuſtus*, &c. è contrà [i], *periit memoria eorum cum ſonitu:* præterea [k], *Memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſit.* Si quando perduret ſceleratorum memoria, id in eorum cedit dedecus; derelinquent namque, ait Sapiens [l], in maledictum memoriam illorum, & dedecus illorum non delebitur.

*Verſ.*5.] Non vidit Solem,neque cognouit diſtantiam boni,& mali.

A Bortiuus vel mortuus exit, vel viuere non poteſt, & iure pro non nato habetur: ac de octimeſtri etiam ritum illud Hippocratiſne [m], an Theſſali [n], tractatu de alimento: ἐσὶ δὲ, καὶ οὐκ ἐστὶν ὀκτάμηνον γένεσις, aut γέννησις, *eſt vero,& non eſt octimeſtris partus*; rarò enim, & apud paucos ſuperuiuit. Sed hæc de re Medici, ac Iuriſconſulti; maximè verò ex recentioribus Federicus Bonauentura integro opere de octimeſtri partu, & Tiraquellus in *l. ſi vnquam* [a], dum diſputant, an filius naſcens rumpat præcedens teſtamentum, is videlicet qui viuus naſcatur, ſed ante legitimum tempus. Quamquam aliis videtur, abortiuum propriè dici fœtum eo natum tempore, quo nullo modo viuere poſſit [b]; necnon quando non eſt perfectè formatus, exitque ante ſeptimum menſem [c]. Vocem Græcam ἐκτρώματος, quæ eſt ſuperiore verſu, Budæus [d] docet Ariſtoteli [e] eſſe fœtum poſt ſeptimum, & intra quadrageſimum diem corruptum: Hippocrates notato loco vſurpat

B de eo, qui exit intempeſtiuè, vt octauo menſe. Sed & nominibus abutendo, maturus quoque fœtus debito egrediens tempore, ſi mortuus egrediatur, vel in ortu moriatur, nominatur nonnunquam abortus, non ſolùm is, qui naſcitur ante legitimum tempus, ſiue ſuperuiuat, ſiue non. Prætereà diſtinguunt Latini [f] abortum ab aborſu, vt ille ſit fœtus prope tempus pariendi natus, cuius mors ſequitur; hic in primis menſibus, quando conceptui principium factum eſt. Hoc loco abortiuus,qui non vidiſſe Solem dicitur, erit vel mortuus fœtus in exitu, vel parum admodum viuens, qualequale ſit tempus natiuitatis: & vſus obtinuit,

C vt nõnniſi de mortuo dictio iſta ſumatur, vel certè de illo, qui licèt viuus exeat, viuere non poſſit. Sumitur porrò in Scriptura quandoque Solem videre, pro eo quod eſt lætari; negabatque Tobias gaudium ſibi eſſe, ipſius viſione priuato [g]: & quidam Philoſophus natum ſe aſſerebat vt Solem videret. Multo abſque comparatione infelicior, cui iuſtitiæ, ac intelligentiæ Sol non illuxit [h]; nec quidquam egit Sole dignum, ſed odit malè agens lucem [i].

Neque cognouit diſtantiam boni, & mali.] Vetus tranſlatio iungens verba ſuperiora, ſic habet (*& quidem Solem non vidit, nec cognouit: requies huic magis, quàm illi*) id eſt, abortiuo magis, quàm infelici diuiti, ac fœcundo: Septuaginta (καί γε ἥλιον οὐκ εἶδε, καὶ οὐκ ἔγνω ἀναπαύσεις

D τούτῳ ὑπὲρ τοῦτον, *& Solem quidem vidit, & non nouit requietes huic ſuper hunc.*) Codices quidam habent ἀνάπαυσιν in ſingulari; alij addunt (οὐδὲ ἐπειράσθη διαφορᾶς ἑτέρα πρὸς ἕτερον, *neque expertus eſt differentiam alterius ad alterum*) id eſt, ſicut eſt in noſtra verſione, diſtantiam boni, & mali.Eadem ratione Chald.(*etiam lucẽ legis non vidit, & nõ cognouit inter bonum,& malum, & ad diiudicandum inter ſeculum hoc, & ſeculum alterum.*) Hebraicè iuxta punctorum diſtinctionem: nouum membrum eſt (נחת לזה מזה *nachath lazeh mizzeh, quies huic præ hoc*,munitum eſt, ſeu *melius*) quo pacto vertit etiam Pagninus, & Clarius, & Va-

E tablus. Et intelligunt omnes de abortiuo, non de diuite auaro: licèt vtcunque etiam de hoc poſſet intelligi, quemadmodum antea dixi. Thaumaturgus intelligit abortiuum non deguſtatis huius vitæ malis abiiſſe, ſicut nec Sole perſpecto. Perfectio ſcientiæ dici ſolet in eo eſſe, vt quis dignoſcat inter bonum, & malum [k], illud eligendo, hoc reprobando [l], tum ſpeculatiuè, tum practico experimento: vel certè vſus rationis deſcribitur illo modo,vt ſciẽtiam quis habeat boni, & mali. Sed inſulſi Hebræi,qui arborem ſcientiæ boni,& mali vetitam primis parentibus [m], propterea ſic appellatam

Marginal notes (left): a ...14. — b ...tur.pro... 103. — c ...Nat. ab ... r.2.c. — d Ariſt. 7. hiſt. animal. — e ... — f Pſ. 87. ... — g Sap. 4. 1. — h Pſ. 111. 7. — i Pſ. 9. 8. — k Eccli. 10. — l Eccli. 23. 37. — m ... Gel. — n ... lano

Marginal notes (right): a C. de reuocan. donat. — b contradict. medica lib. 1. tract. 5. contradict. 8. — c Mercur. 2. de morbis mulie. c. 1. & 4. varia. lect. c. 10. — d com. ling. Græcæ. — e 7. de hiſt. animal. c. 3. — f Nonius. — g Tob. 5. 12. — h Sap. 5. 6. — i Ioan. 3. 20. — k Gen. 3. 5. — l Eſa. 7. 15. — m Gen. 2. 17.

nugantur, quòd ipsi similes infantium simplicissimi,& sine vsu rationis conditi,cum gustu arboris vim acceperint ratione,liberóque arbitrio vtendi. Nec multo Iosephus [a] hac in re sapientior, dum facultatem arbori tribuit acuendi ingenij ad solertiam,prudentiam,scientiam. Nam, vt omittam quòd primos parentes animi dotibus,earúmque decuit initio præstantes vsu creari, quod & factum demonstrant mutui cum Deo sermones, vaticinium Adam, nominata ab eo animalia,lex ipsa [b] de non edendo fructu arboris scientiæ boni, & mali; hanc ipsam legem non tulisset Deus, quasi tantam inuidens perfectionem,vel impediens;quam perfectionem tantum abest vt esus pomi attulerit, vt potiùs imminuerit, & summo dolore gustatores affecerit. Ab euentu sortita nomen est arbor, vt scientiæ boni, malique cognominaretur, quia cognitum experientia est à peccatoribus discrimen inter bonum, quo fruebantur ante,& malum,in quod incurrerunt.Vel si mauis,appellationis ratio fuit à fallaci, & maleuolo diaboli promisso, ac per ironiam, quasi & Deus, qui & ex permentum fecit de bono, & malo, id est, de obedientia, ac inobedientia, vsus est, dicens, postquam primi homines peccassent;*Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum* [c]. Comparanda quoque modo irrisio cum ea, qua ab Ioue Hesiodus [d] exceptum canit Prometheum furacem ignis:

> Τόντε χολωσάμενος προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς:
> Ἰαπετιονίδη, πάντων πέρι μήδεα εἰδὼς,
> Χαίρεις πῦρ κλέψας, καὶ ἐμὰς φρένας ἠπεροπεύσας,
> Σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα, καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισι,
> Τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν, ᾧ κεν ἅπαντες
> Τέρπονται κατὰ θυμὸν, ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.
> Ὣς ἔφατ', ἐκ δ' ἐγέλασσε πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε.
> *Hunc animo infensus qui nubila colligit,inquit:*
> *Proles Iapeti multo technisque,dolisque*
> *Inter mortales vnus doctissimus omnes,*
> *Imposuisse mihi gaudes,ignemque tulisse,*
> *Nempe ingens, atróxque malum & tibi,postque futuris,*
> *Queis ego pro rapto igne malum dabo, quo simul omnes*
> *Gaudebunt, propriúmque malum feruisse libebit.*
> *Sic fatus,risitque parens hominúmque Deúmque.*

Sed de scientiæ boni, malique arbore plura Pererius [e]. Arbitror hoc loco, vbi præsertim de abortiuo est sermo, per cognitionem distantiæ boni,malique intelligi gustum, ac experientiam bonorum externorum,qua caret abortiuus,quemadmodum citato Esaiæ loco puer Emmanuel comesturus pueriles cibos prædicitur butyri, ac mellis, vt crescendo compararet sibi scientiam experimentalem,sicque veritas humanitatis eius deprehendatur. Quamquam verum sit quod initio dixi,significari eadem phrasi exactiorem quãdam scientiam,non in sensus duntaxat experientia positam, sed in intellectus quoque iudicio. Quo etiam pacto describitur vel infantium, vel rudiorum quorumlibet ignoratio, cùm nescire dicuntur quid sit inter dexteram, & sinistram [f], hoc est,inter bonum,& malum. *Vias enim quæ à dextris sunt, nouit Dominus:peruersæ verò sunt quæ à sinistris sunt* [g].Superiùs capite quarto [h] similis posita sententia;*Et laudaui magis mortuos,quam viuentes,& feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala,quæ sub Sole fiunt.*

a 1.Antiq.c.1.
b Gen.2.17.
c Gen.3.22.
d lib. 1. περὶ ἔργων.
e libr.3.in Genes.
f Ionæ 4.11.
g Prou.4.27.
h vers.1.

Vers.6.] Etiamsi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis:nónne ad vnum locum properant omnia?

AVgetur vitæ annorũ numerus maiore quã priùs hyperbole,quæ indefinitè continebat annos multos:nullus enim ex macrobiis & polychroniis longæuis illis primis hominibus millesimum pertigit. Mali ominis numerum istum quidam putant [a],& quia notatur apud Valerium Probum litera (Z) inauspicata,vt ait Alexander ab Alexandro [b] post Suidam & Martianum [c] Capellam; & quoniam porci bis mille erãt,quos immundi spiritus Christi permissu subierunt, & in mare præcipitauerunt [d]. Lxx. emendatiores legũt(καὶ εἰ ἔζησεν χιλίων ἐτῶν καθόδους, *& vixit mille annorũ reditus*) Cõplutensis textus,& vetus vnus codex(καὶ εἰ ἔζησεν, *etsi vixerit*) antiqua translatio (*etsi vixerit mille annos duplices*) Hebr. (וְאִלּוּ חָיָה אֶלֶף שָׁנִים פַּעֲמַיִם *veillu chaiah eleph schanim pahhamaim, etsi vixerit mille annos duabus vicibus*) Chaldæus (תְּרֵין אַלְפִין שְׁנִין *theren alpin schenin, duo millia annorum.*) Reditus mille annorum significare potest, vel redeuntes in orbem annos mille, seu cursum illorum, vel quòd qui abierint mille,redeant denuò, vt efficiantur duo millia. Hic posterior sensus cæteris editionibus, ac nostræ cõgruit.Thaumaturgus, & Olympiodorus *mille* legunt *annos*, qui aptior Græcis vocibus, ac phrasi sensus est. Sed nos nostram meritò præferimus. Græca phrasis non patitur vt quis dicatur ζῆσαι χιλίων ἐτῶν: sed casus datiuus esse debet, vel accusatiuus.Ideo qui in Bibliis regiis vertit;*si vixerit mille annis*,ibique posito commate,καθόδους iunxit sequenti membro (*reditus, & bonitatem non vidit*) non vidit, mea sententia, quomodo fideliter verteret.

Et non fuerit perfruitus bonis.] Hebraicè (*non viderit bonitatem*, ἀγαθωσύνην) Chald. (*& in lege non studuerit,& iudicium,& iustitiam non fecerit.*)Sed sensus est de bonorum externorum fruitione, &, vt loquitur Thaumaturgus,de vitæ cõmodis:quamuis iuxta priorem modum explicet Olympiodorus de non tendente ad verum bonum, hoc est, vt secundùm virtutem laudabiliter viuat.

Nónne ad vnum locum properant omnia?] Græcè (πορεύεται, *vadens*)& emendati codices (πορεύονται, *vadunt*)& hic annosus,& abortiuus; vtriusque finis mors, ait Thaumaturgus:& non solùm abortiui, sed & eius, qui acerba morte interceptus rapitur è vita,inquit Olympiodorus: terra est enim hic quoque senior, & in terram ibit. (*Omnia*) interpres noster,& Græcus dixit,cùm potiùs Hebraica editio indicet masculino genere, ac numero singulari ambos illos, inter quos fit comparatio. & *properandi* verbo ille vsus est, vt magis exprimeret continuum quasi cursum nostrum ad mortem. Locus vnus vel terra est, in quam reuertimur; vel sepulchrum, quo mortui claudimur, pro vt capite secundo [e] dictum est; vel vnum idémque Dei iudicium, cui sistentur omnes. Chaldæus de diuite auaro exponens sic ait (*anima eius descendet ad gehennam, ad locum vnum, quo omnes peccatores eunt*) illi nimirum peccatores, qui propria, & actualia habent peccata; qui enim solum originale, vt abortiui, non deputantur gehennæ, vbi duplex pœna luitur, damni, sensúsque; sed pecu-

a Petrus Tegus de mystic numero.
b lib.4. c.5
c in nuptiis Philolog.
d Mar.5.13.
e vers.20.

liatem alium tendunt in locum subterraneum, qui limbus puerorum vocatur, in quo nullus sentitur dolor, sed sola est priuatio beatificæ visionis. Certe demens est auarus, qui quantam hic trahat moram, breui moriturus tamen, nihil de suis secum rebus trahet.

Vers. 7.] Omnis labor hominis in ore eius: sed anima eius non implebitur.

SVfficere homini pauca possunt, cùm sit paucis natura contenta: quapropter cum huc omnis humanus labor externus tendat circa bonorum externorum comparationem, & conseruationem, bis miser auarus, qui & plura conquirat, & ne necessariis quidem fruatur; ac tertia præterea infelicitatis causa est, quòd infinitam satiare cupiditatem conetur frustra; & quo se ad id mouet magis, hoc minùs promoueat. Nō adeò probo, quod ait Caietanus, doceri laborem hominis suapte naturâ ad os, id est, victum ipsius, ordinari, quia edendo, ac bibendo intentum assequitur, nempe lætitiam illam ex labore; non item ad animam, quoniā huius appetitus impleri nequit. Is, quem dixi, pr[illegible] & commemoratum non abstinuit, vt non [illegible] pars superior ex tali labore, vel etiam ex laboris eiusmodi fructu (si quis illum forte perciperat) non recreatur, cùm hoc non sit proprium aptumve pabulum ipsius; verùm ceu siliquæ porcorum [a] foris molles, intus inanes, ventrem grauantes magis, quàm saturantes.

Nec [illegible] a scopo, qui volunt [b] occurri opinioni eorum, qui, quod extremo capite videri potuit, velut ex Ecclesiastis dictum sententia, ipsi pariter sentiebant, summā beatitudinis consistere in cibo potuque, & cætera voluptate, saltem non inhonesta.

Excogitauit Moringus alium loci præsentis intellectum, quòd videlicet omnis labor hominis, miseria, calamitas, est in ore eius, id est, vel grauis, & molesta, vel leuis, ac toleratu facilis, pro vt afficitur, & veluti res ei quæque & palato ipsius sapit, pro vt indole, moribúsque fuerit affectus: ac si malè, animum non impleri, sed in [illegible]rius vertere quæ accidunt, ex quibus, qui be[illegible] [illegible] salutarem fructum. Pia veráque interpretatio, cui conuenit vetusta nonnullorum [illegible] accommodationis Psalmi [c] expositio: (*qui dat niuem sicut lanam*) frigoris experientiam magis, minúsue molestam, vt quis molliùs induitur, vel asperius, ac leniùs hyberna tempestate: (*nebulam sicut cinerem spargit*) ignorantiam, ac vitiosos habitus pellit iuxta modestiam animi, & pœnitentiæ seueritatem. Idem iudicium facio de Cassiano [d], omnem laborem hominis esse in ore ipsius, hoc est, in eo compescendo per silentium, & vt omnium seniorum instituta, atque sententias interno corde, & quasi muto ore suscipiamus, ac diligenter in pectore condamus, atque ad perficienda ea potiùs, quàm ad docenda festinemus: quoniam ex hoc cenodoxiæ præsumptio, ex illo fructus spiritalis scientiæ pullulabunt. At hæ interpretationes leuiter adhærescunt ad literam. Non sat etiam assequi Bonauentura mentem videtur auctoris, os exponendo inhiationem desiderij: qui enim desiderat, inquit, os aperit, & laborem in ore esse, hoc sibi velle, laborari ad desiderij completionem, ad eum modum, quo scribitur in Prouerbiis [e], *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum*, Hebraicè, *quia incuruauit se ad ipsum os eius*. Qui locus illustrat potius traditum literalem sensum, quasi supplex petat os cibum ad vitam sustentandam necessarium: &, vt ibidem obseruat Beda, debet ob sententiam, qua damnatus est Adam [a], cibus sudore, ac labore parari. Chald. paraphrasis fauet huic his verbis (*omnem laborem vir propter cibum oris sui ipse laborat, & in dicto oris Domini absum: & etiā anima hominis non satiabitur cibo, & potu.*) Hieronymus & Albinus tropologicè declarant de laborante in Scripturis, sed qui auidus semper est ad discendum & docendu: addit Hugo de vano disputatore: de eo, qui quod in Baptismo promisit ore proprio, implere studet, vel præstare quod alios docet, non quærens quod animo suo satisfaciat, sed aliis. Arboreus de iactabundo rerum suarum laudatore: déque querulo laborum lamentatore, qui bonis, quæ suppetebant, vti noluit, cōtentus prædicatione, & opinione externa. Olympiodorus de homine nequam semper aliquid proferente flagitiosi, nempe contumelias, iurgia, blasphema verba. [Quisquis hoc solùm modo laborat, ait Gregorius [b], citans locum istum, vt sciat quid loqui debeat, ab ipsa refectione suæ scientiæ mente vacua ieiunat [c].] Affert ad idem quem attuli locum ex Prouerbiis, aítque: [Os enim nostrum nos compellit ad laborem, quādo per hoc quod dicimus à vitiis refrenamur; quia turpe nimis est nos negligendo cadere, vnde prædicando conati sumus alios leuare.]

In ore eius.] Hebraicè (לְפִיהוּ *lephihu*, *ori eius*, vel *ad os eius*, vel *pro ore eius*) videlicet implendo: Græcè (εἰς στόμα αὐτοῦ.) Ideo laborat homo, vt manducet: quippe sanxit Deus [d], vt in sudore vultus sui vescatur pane suo; & Paulus, vt *si quis non vult laborare, nec manducet* [e]. Chaldæus (*propter cibum oris sui.*) Meritò Delrius [f] reiicit nouam expositionem, pro demenso cuique debito, laborémque omnem institui, vt quotidianus nobis victus compareturt: tametsi Hebraismi similis extent [g] exempla, quod notauimus etiam in Leuitici [h] Commentario: atque sensum esse, cuique certum laborum quasi demensum assignatum à Deo ad os eius, id est, iuxta personæ, ætatis, ingenij, donorum, corporísve virium rationem. Allatum verò communem sensum valdè illustrat fabula conficta Menenij, corporis reliquas partes indignatas, sua cura, suo labore, ac ministerio, ventri omnia quæri; ventrem in medio quietum, nihil aliud, quàm datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus cibum ad os afferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent [i], &c. Ventres pigros Epimenides, quem Paulus [k] ipse citat, appellat eos qui voraces essent ac otiosi: & Persius magistrum ventrem cognominauit, quòd etiam picas doceat suum χαῖρε.

Sed anima eius non implebitur.] Animam Hebræi sumunt pro cupiditate; vt, *diuidam* [l] *spolia, implebitur anima mea*: &, *non* [m] *tradas eum in animam inimicorum eius*; & alibi.

Vers. 8.] Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita?

COmparatio est stulti auari cum sapiente paupere. Nam iste contentus alimentis, & quibus tegatur [n], atque victui necessariis, pergit

a [illegible] 5.16.
b Caietan. [illegible] Olympiod.
c Psal. 147.16.
d Collat. 24 [illegible]
e [illegible] 16.26.

a Gene. 3.19.
b hom. 40. in Euang.
c hom. 18. in Ezech.
d Gene. 3.19.
e 2. Thess. 3. 10.
f tom. 2. Adag. in 308.
g Gen. 47.12. Exod. 16.16. Leui. 25.16. Deut. 22.17.
h c. 25.16.
i Liuius lib. 2.
k Tit. 1.12.
l Exod. 15.9.
m Psal. 40.3.
n 1 Tim. 6.8.

ad locum,vbi est tum vita temporalis,ac proinde
ad opes,quibus est sustentanda: tum vbi est vita
æterna,æstimans superuacanea cuncta alia exter-
Philip.3.8. na bona,& vt stercora,& tanquam detrimenta [a];
Matt.6.19. non in terra,sed in cœlo thesaurizans [b], faciénsque
Luc.12.33. que sibi sacculos nunquam veterascentes [c]. At
Psal.16.11. infelix ille oculos declinans in terram [d], eique
Psal.43.25. ventre conglutinatus [e],& illam comedens velut
Genes.3. serpens [f], tendit in eandem non secus quàm res
omnes ex terra compositæ, pergit,ac properat ad
communem omnibus mortem.Itaque & seipsum
fatigat auarus frustra,non valens insatiabili ani-
mæ suæ satisfacere, & stulto labore consumitur,
nec honestam capiens ex facultatibus volupta-
tem,sicque priuans se huius vsura vitæ: denique
crudelior est in corpus,& animam,quoniam cer-
tum vtrique parat interitum, fraudás vita beata.

De hac quidem temporali vita forsitan pri-
marius sensus est,qui traditur ab Hieronymo, &
Hugone Cardinali, & glossa interlineari, quasi
etiam communis dicatur sapienti, & stulto, tum
diuiti, ac pauperi labor pro ore,id est, victu, nisi
quòd diues domi, & ad manum habet; pauper
quærit vnde viuat. Attamen alius de æterna per
spiritualem, ac studiosam,dum hîc viuimus, non
est censendus non literalis, & minimè intentus.
Illum solum reddit Carthusianus, necnon Lyra-
uus,& Bonauentura,& Chaldæa paraphrasis hoc
sermone (*etenim quid amplius est sapientibus in seculo
hoc,quàm stultis? & quid est ipsi pauperi,nisi vt studeat
in disciplina legis Domini; vt cognoscat quo modo futu-
rum sit,vt eat omnino coram iustis in Paradisum Eden?*)

Thaumaturgus interpretatur prudentem ac
moderatum, qui rerum terrenarũ affectibus non
tenetur, ad paupertatem ferè semper magis in-
clinare, & ad illam plerumque duci per vitæ re-
ctitudinem & integritatem.

Olympiodorus quoque de vita eadem æterna
explicat,quæ est Christus ipse,ad quem is qui ab
Matth.5.3. ipso Christo beatus prædicatur pauper spiritu [g],
incedit per virtutum semitas; cùm stultus man-
cipet sese voluptatibus, more pecudum. Placet
Hieronymo, atque Albino,& Hugoni Cardinali
hæc allegoria mixta tropologiæ [i], & anagogiæ.
Aliam verò allegoriam Olympiodorus adhuc as-
signat de populo Iudæo,& Gentili,quorum prior
stultus,ac insipiens in ligno vitam suspendit:po-
sterior olim pauper,& vacuus gratiarum Dei, ad
Crucifixum accurrit,& profectus in conspectum
vitæ salutaris Dominum Iesum Christum, fide
locupletatus est. Documento sunt ad illustran-
dam tropologiam diues in inferno sepultus, &
Luc.16.22. Lazarus mendicus exceptus Abrahæ sinu [h].Cæ-
cus est,& astrictus durissimis vinculis auarus, vt
nec viam videat,nec ambulet in ea,quæ ducit ad
Matth.22.13. vitam,sed ligatis pedibus, manibúsque [i] (vincu-
la licèt aurea sint, argentea, gemmeáve, &c.) in
c.13.40. fasciculum [k], proiiciatur in tenebras exterio-
Matth.8. c.22.13. c.25.30. res [l], atris flammis comburendus.

Lyranus existimat, ab hac sententia nouam
inchoari libri partem, quam sextam designat, &
in ea probari, nõ consistere felicitatem in rerum
occultarum notitia. Caietanus ait, fieri argumé-
tum duplex, ad ostendendum,quòd vanus est la-
bor propter animum susceptus:nam sapiens, qui
laborat pro animo,non expletur, vt nec stultus:
& inter pauperem sperantem aliam vitam, vel
profitentem vitæ genus à communi separatum,
& eum qui non sperat,aut vitam communem
agit, maior differentia non est,quàm priùs dicta,

A hoc est, lætari in cibo, & potu,& fructu laboris
proprij, siue diuitiarum.

Coacta mihi hæc vltima videntur, & neque
morum institutioni, neque historicæ intelligen-
tiæ valdè apta. Paulo melior Moringi expositio,
consentanea illi,quã dedit ad præcedentem ver-
sum. Sed quid verosimilius iudicarem, iam ape-
rui,minimè spernens commodam aliorum sen-
suum vbertatem.Varietas editionum gignit quo-
que in præsentis loci intelligẽtia nonnullam va-
rietatem, de qua mox.

Et quid pauper,nisi vt pergat illuc vbi est vita?] Ve-
tus translatio (*quid pauperi* (amplius) *nisi scire,vt
vadat contra vitam?*) Hebraicè (מַה־לֶּעָנִי יוֹדֵעַ
B לַהֲלֹךְ נֶגֶד הַחַיִּים *mah lebhani iodeahh lahaloch ne-
ged hachaijm, quid afflicto vel pauperi scienti pergere
coram,*vel *obuiã vitis,* aut *viuentibus,*vel *iuxta vitam,*
vel *iuxta viuentes?*) Græcè (διότι ὁ πένης οἶδε πο-
ρευθῆναι κατέναντι τῆς ζωῆς, *quoniam pauper nouit ire
contra vitam,* vel *ante,* seu *coram,* vel *è regione.*) vbi
affirmatio est sine interrogatione, ac potiùs re-
sponsio ad præcedentẽ interrogationem (ὅτι τίς
περίσσεια τῷ σοφῷ ὑπὲρ τὸν ἄφρονα; *quoniam quæ abun-
dantia sapienti super stultum?*) quasi πένης sit idem
qui σοφὸς, pauper qui sapiens.Et quidem nonnun-
quam hæ voces *pauperis,* & *sapientis* absolutè po-
sitæ significant iustum,qui solus sapit,& diuitias
vel non habet,vel cor ad eas non apponit, pau-
C pertatem colens affectu. Quare sic quidam de-
clarant lectionẽ Hebræam (*quid est pauperi scienti*)
id est, qui scit, & sapiens est (*vt ambulet iuxta vi-
uentes?*) id est,in lege Domini ad exemplar iu-
storum,qui viuunt post mortem in Paradiso de-
liciarum. Totidem ferè verbis Chaldæa para-
phrasis priùs à me recitata. Alij aliter dispungen-
do (*quid pauperi*) nimirum prodest (*scire ambulare
coram viuentibus?*) id est, coram iis, qui bene &
lautè viuunt, videlicet secundùm explicationem
Hieronymi, vt ab his quærat vitam seu victum.
Alij (*quid pauperi scienti pergere ante vitam?*) nempe,
quid minùs illi est quàm diuiti, qui vitæ suæ nõ
consulit? seu,quid minùs est eidem pauperi, qui
D nouit industria sibi victũ parare inter illos, qui-
buscum viuit,quàm diuiti,qui nec vtitur posses-
sis; aut si vtitur,non aliud percipit, quàm qui-
bus vitam sustentet,quod æquè pauper facit?Va-
tablus:quid excellẽtius habet sapiens quàm stul-
tus,aut quid præstantius habet humilis, nisi qui
scit vitam agere inter viuentes? sed iuxta He-
bræũ legit (*quid pauperi sapienti pergere ante vitam?*)
& exponit:si vterque laboret in cupiditate habẽ-
di, quid iuuat pauperem doctum ambulare pru-
denter coram ipsis hominibus in mundo viuen-
tibus? Isidorus Clarius:& quid pauper intelligẽs
minùs habet inter eos,cum quibus viuit, parans,
inquit, sibi victum industria sua? Ioannes Bene-
E dictus:quid pauperi prodest ambulare coram vi-
uentibus? Iuuat tot coacernatio expositionum,
vt nostræ veritas editionis,ac puritas magis elu-
cescat, si comparetur cum cæteris.

Vers.9.] Melius est videre quod cupias,
quàm desiderare quod nescias: sed &
hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.

IVxta multiplicem priorum versuum declara-
tionem,diuersis hic quoque modis declaratur.
Hic optimus, persistens in sapientis pauperis à

diuite stulto discrimine:quia hoc enititur ille, vt quod optat consequatur,vitæ præsentis necessaria,multoque magis sempiternam vitam, & eorum,quatenus licet,dum huc viuit,visionem,siue cognitionem, quæ ad illam conducunt: stultus verò nil aliud quàm desiderat, & secundum nomen *auari*, auet,& immodicè concupiscit,non eò vnquam perueniens, quod habet in optatis: sed ob incertorum spem quæ non habet, fraudans seipsum fruitione certorum. Hoc quid aliud est nisi vanitas,& præsumptio spiritus: siquidè inania talia desideria sunt, & nimis stulte præsumit, ad id qui aspirat, quod assequi non valeat; quique tantopere cupit,quod cuiusmodi sit, nec experiri quidem velit:& cùm non experiatur commodum ipsius,adeò circa ipsum adlaboret. Huc facit capitis tertij [a] sententia: *Omnis homo,qui comedit,& bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.* Igitur præstat moderate potiri bonis præsentibus; futura verò longè meliora diligenter persequi,ita vt illa præ istis despiciantur,& vtraque videantur,ac veluti nesciantur. Id qui facit, videt quod cupit,nempe verum sibi scopum proponit, ac intuetur, & intentionem defigit, non desiderat quod nescit, res nimirum alias, quas non tanti facit.

Paraphrastis Chaldææ verba sunt hæc (*melius est viro vt lætetur super eo,quod ipsi est,& vt faciat iustitiam, & vt videat mercedem operum suorum in die Iudicij magni, quam vt eat ad seculum illud in afflictione animæ* (vbi plena omnia desideriorum etiam bonorum,sed absque complemento eorum) *verùm hoc vanitas est homini peccatori,& confractio spiritus.*) Vetus translatio sic habet (*melior est aspectus oculorum super ambulantem in anima.*) Dilucidè hoc interpretatus est Symmachus, ait Hieronymus, dicens (*melius est prouidere, quàm ambulare, vt libet*) id est,melius est iuxta sensum cuncta agere, qui est animæ oculus, quàm voluntatem cordis sequi, quod est ambulare in anima, seu, vt Ezechiel [b] scribit,in voluntate cordis sui; iuxta editionem nostram,in cogitationibus cordis. Aliter præterea de superbo,qui sibi placet,idem Doctor interpretatur, meliorémque esse illum, qui cuncta prouidet, quàm cui nihil placet, nisi quod ipse fecerit.

Priorem quoque è duabus istis interpretationis reperies apud Olympiodorum, qui oculos mentis accipit iam sancti Spiritus illustratos, animæ voluntatem pro parte irrationali. Consentit,vt solet,Albinus Hieronymo. Salonius nō abest ab eo sensu quem tradidimus, quique à priore Hieronymi non dissidet. Nam dicit videre quod cupit, qui mentis oculis discernit inter bonum & malum, illud cupiendo,hoc repudiando:sæpe desiderare quod nescit, qui sequitur voluntatem cordis sui,& concupiscentias,quia vult comprehendere quod non potest.

Hugo Cardinalis cum glossa interlineari meliorem docet prouidentiam, seu scientiam præuisionis,qua scitur quid sit cupiendum, quid nō, quàm temerariam, præcipitémque concupiscentiam eorum, quæ concupisci non possunt nisi ab ignorantibus ea, qualia temporalia bona, quæ ceu putre lignum, & squama piscis, lucent duntaxat in tenebris, & sunt indigna sciri. Lyranus non hinc longè abit, nisi quòd propriè vult reprehendi superstitiosam, & vanam futurorum præscientiam. Nec discordat Carthusianus, exprimens res superstitiosas,magicas, friuolas, falsas, quas nescire, quàm scire magis expedit, cùm contrà studendum magis sit cognitioni eius, quod appeti debet, videlicet finis vltimi, ac mediorum ipsius. Simile est quod ait Bonauentura,melius esse videre quod cupias,id est, agnoscere viam quam desideras, quàm desiderare quod nescias, id est, velle illuc peruenire ignorantem:ideòque oportere vt oculi nostri recta videant, & palpebræ nostræ præcedant gressus nostros [a]. a Pro.4.25.

Vatabli versio est (*melior est prouidentia,quàm vt quis desiderium sequatur*) & ad verbum Hebræa reddit (*melior est aspectus oculorum,quam quod æstuet anima*) id est,melius est esse contentum præsenti fortuna, quam multa desiderare, & modò hoc, modò illud in votis habere. Isidorus Clarius (*melior est aspectus oculorum, quàm ambulans anima*) quæ, inquit, est occupatio obiectionis,quasi melius videatur oculis contemplari diuitias, quàm industria sola fretum in diem more pauperis viuere, hoc falsum est;non aliud enim aspectus diuitiarum affert,quàm animæ stultas curas,& tormenta. Auctor thesauri linguæ sanctæ. (*melior est visio oculorum,quam ambulare animæ*) id est, præstat rebus præsentibus, quas ob oculos habes, frui, quàm animo huc illuc vagari, & nunquam saturari. Caietanus (*melior est aspectus oculorum, quàm ambulatio animæ*) id est, melius est præsens bonum, & quod oculis videtur, quàm futurum, quódque solo desiderio habetur; ambulatio siquidem animæ,inquit, gressibus desiderij,ac spei fit. Verùm quod hinc probari contendit,melius esse comedere, atque bibere, & lætari de talibus bonis,quàm sint animæ bona pauperis,& sapientis,mihi non placet,vt antea quoque monui.

Nec video qua ratione Thaumaturgus eliciat hunc sensum,quòd multos de mentis gradu deiiciat procacium oculorum aspectus,animam incitantes,ac per inanem videndi cupiditatem ad inutile studium pertrahentes. Quibus tamen postremis verbis nonnihil fauet Lyrano, cuius superiùs expositionem recitauimus de vano sciendi studio.

Idem nobis & hîc consilium tam multis afferendis loci huius enarrationibus, vulgatam editionem confirmandi, quæ planiùs ac veriùs reddidit sententiam. Ab hac vetus, cuius item fecimus mentionem, non multum recedit. Septuaginta Græcè ita vertunt (ἀγαθὸν ὅραμα ὀφθαλμῶν ὑπὲρ πορευόμενον ψυχῇ, *bona visio oculorum superambulans anima*) i. quæ superat desideriū animæ,nimirum præsens habens obiectum,quod absens anima cupit. Symmachus,quem Latinè retulit Hieronymus (βέλτιον προβλέπειν, ἢ ἐλθεῖν ἀνταρέσκειν, *melius est prouidere,quàm ambulare vt libet*)Hebraicè (טוב מראה עינים מהלך־נפש *tob mareh hhenaijm mehalach naphes, bona visio oculorum præ ambulare animæ.*) Delrius [b] affinibus aliis præsentem sententiam profanis maximè illustrat & cōfirmat;quibus docemur,quod adest bonum,eo vti, præsentibus consulere; quia, prætermissis aliis sententiis, vt Hesiodus admonet, b tom.2.Adag.in 310.

> Νήπιος ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, τ' ἀνέτοιμα διώκει.
> *Stultus qui non prompta sequens, iam prompta relinquit.*

Præterea, Pindaro [c] teste, c Isth.ode 8.

> Τὸ πρὸ ποδὸς ἄρειον ἀεὶ τὸ χρῆμα πᾶν.
> *Omne quod præsens est, semper melius est.*

Tandem Nazianzeni distichon verissimum;

Κρεῖσσων τροφὴ σύμμετρ@ εὐπορουμένη,
Ἢ δεῖπν@ ἁβρὸς, ὃν ἔπλασε τὶς τε ὄναρ.
Præstat cibi parabilis pauxillulum,
Quàm visa cœna delicata in somnio.

Sed & hoc vanitas, & præsumptio spiritus.] Aliquoties hæc declarata sunt. Et potest Græca vox *προαίρεσις* tum *electionem* significare, quòd sponte quis eò se coniecerit, vel præceptionem, siue pręacceptionem, atque præcipitationẽ animæ desideriis æstuantis, & inhiantis, ac veluti spe deuorantis, quæ non habet.

Vers. 10.] Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius: & scitur quòd homo sit: & non possit contra fortiorem se iudicio contendere.

QVem primo loco sensum Hieronymus, & post eum Albinus, Salonius, glossa interlinearis, alisque sequuntur, de Christi aduentu, qui præcognitus sit in Scripturis, ac nominatim designatus, & vt homo non possit se conferre cum Patre: ideóque deinceps capite sequenti præcipi, ne vltrà quàm de eo scriptum sit, requiramus, veneranter accipio, præsertim cùm Hieronymus asserat apertè hîc prædicari de Saluatoris aduentu. Nihilominùs expositio alia, quam subiicit idem Doctor, vt nonnullorum aliorum, ad præcedentia simpliciùs adhæret: nempe iam cognita Deo nomina cunctorum, qui futuri sunt hominum, nec fas cuiquam esse contra artificem suum respondere, quare ita, vel ita factus sit: vanúmque esse, ac superfluum (habentur hæc versu sequenti) multa dissertare his de rebus, quasi ob Dei præscientiam tolleretur liberum arbitrium nostrum, quod nullo modo dici potest. Hoc modo glossa ordinaria, & Thaumaturgus explicat, & Olympiodorus, qui distinctiùs ait, argui qui efferantur impudenter contra prouidentiam Dei, quare hunc Deus oppresserit paupertate, illi magnas diuitias tribuerit; hunc venustum esse voluerit, illum deformem; & similes alias nugas effutiant. Nam omnium rerum apud sapientissimum Deum repositæ sunt rationes, qui & eas præcognouit, & nomina ipsa tenet; & si quis cõtendere velit, nequeat apud fortissimum præualere, iuxta illud; *vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm iudicaris* [a], scilicet cùm iudicaris iniustitiæ, *ἐν τῷ κρίνεσθαί σε.*

a Psal.50.6. Rom.3.4.

Propriè fortasse magis hæc sententia, vt cum superioribus nectatur, spectat ad potentes & diuites, qui se gloriantur non desiderare quæ nesciant, id est, absentia, quæque non habeant, sed multis abundare. Quisquis erit, fuitve, aut etiam est, pridem diu antè scitum est, quod nomen habiturus esset, nec quicquam supra conditionem hominis, & idipsum quod habiturus esset, à Deo acceptuium fuisse, qui cuiuis, pro vt libet, cuncta partitur; quocirca non intendendam stultè litem Deo, quocum cadere causa litigatorem necesse sit. Affinitatem profectò habet immodica ista sciendi sitis, & profundior scrutatio secretorum, de qua & Lyranus locum præsentem intelligit, cum insatiabili habendi cupiditate auari, de qua priùs actum est, vt mirum minimè sit descẽdisse ex auaritia in curiositatis huius insectationem Ecclesiasten: & fit non rarò, vt auarus efferat gloriosiùs sese, congestósque thesauros ascribat industriæ propriæ, quæ vel sola illos parauerit, vel adiuta quidem auxilio Dei, sed ad sua ipsius merita respicientis, non liberaliter, gratis, & per veterem, æternamque prouidentiam largientis. Vel perseuerat de auaro sermo ad hunc modum, vt ait Clarius; cùm diu per fas, & nefas inhiauerit homo caducis rebus, honoribusve, noménque eius per omnem terram propagatum fuerit, tamen in morte notũ fiet, quòd fuerit homo mortalis, nec potuerit in iudicium intrare cum Deo fortiore se. Sed vt in summam colligantur aperitiùs probabiliores expositiones, trifariam potest hic locus intelligi. Primò, quia qui priùs, vt quibusdam placuit, auari dicere inducebantur, quòd præstaret plura parta, ac reposita habere bona, quàm in diem viuere; vnde videbantur diuinæ diffidere prouidentiæ, ait Salomon minimè diffidendum, nec vitæ futuræ bona contemnenda, quia cuncta gubernantur Dei prouidentia; nec est modestè de se sentientis hominis ita loqui, sed cum Deo contendere volentis. Secundò, vt iidem adhuc hîc auari loquantur, suum illum errorem excusantes, quòd omnia fati quadam necessitate accidant, & iam sit Deo notum quidquid futurum est, nec queat homo fortiori se resistere, hoc est, Deo, seu diuino decreto, fatalíve necessitati. Tertiò, vt Salomõ agat aduersùs auaros, dicátque in eo, quòd opibus inhient, nil facere alienum à suo ingenio, nec mirandum, si terreni terrena diligant; satísque esse vel attendere ad hominis primum vocabulum *Adam*, cui notio est pro terreno; neque ille valuit contra fortiorem se serpentem præualere, ex quo ab eo superari se permisit. Aut Deus ipse non contendere potuit contra fortiorem se, nempe quoniam in irritum cesserunt aduersùs malitiam remedia diuina, vt indicat illud ex Genesi [a], iuxta vim Hebræi verbi; *non iudicabit*, seu *contendet spiritus*, &c. quod legimus, *non permanebit.* Aut homo contendere nequiuit cum Deo, &c.

a c.6.3.

Qui futurus est.] Vetus translatio (*quid est quod futurum est?*) Græcè (*εἰ τὶ ἐγένετο, si quid fuit*) Hebraicè (מַה־שֶּׁהָיָה *mah schetaiah, quidquid fuit*) Chaldæus (*id quod fuit in mundo*) Vatablus (*qui existit, vel qua ratione, seu ex qua materia extiterit homo, indicat nomen eius, hoc ipsum quod dicitur homo.*) Quare vel generalis propositio est de omni re, quòd iam antè præcognita, & præordinata sit, quæ deinde ad hominem applicatur; vel comprehendit propositio tota hominem, parúmque interest quòd absolutè exprimatur, aut cum particula conditionali. Caietanus legens מַ *mah* cum *cametz*, in genere masculino (*quisquis fuit*) quæ sequuntur, ita vertendo, exponit (*iam vocatus nomine suo*) id est, nominis celebritate illustris, ac de nomine cognitus (*& notificatus quis ipse homo*) id est, quid egerit, quid professus sit, maximè quam doctrinam, & philosophiæ sectam (*& non poterit ad iudicandum cum eo quod fortius est*) id est, non valebit tamen iudicium ferre de his quæ superant ipsius ingenium & captum.

Iam vocatum est nomen eius.] Iuxta interpretationem Hieronymi, aliorumque, nomen Christi, quod Emmanuel glossa dicit esse. Verùm cæteri intelligunt de perfecta præscientia Dei, quia nominum impositio scientiæ perfectionem arguit in imponente, sicut olim in Adam [b], & de omni sapiente docet Plato [c], & Nigidius apud Gellium [d], & Eusebius [e] agens de linguæ Hebrææ vocabulis. Crebrò quoque Scripturæ Deo vt pro

b Gene.2.19.
c in Cratylo
d lib 10.c.4.
e 11.de demonst. Euāg. c.4.

A proprium ac singulare tribuunt omnia vocare ex nomine suo, vt quæ sunt, ita quæ non sunt [a]; tum vero homines, etsi cùm hoc de illis dicitur, denotatur beneuola Dei prouidentia. Item *Spiritus Domini scientiam habet vocis* [b], vt alias exposuimus.

Et scitur quod homo sit.] Ille nimirum qui futurus est, quòd humanæ conditionis, id est, fragilis, ac miseræ, quod nomen *Adam* hic positum vt appellatiuum, & commune, indicat. Græce (καὶ γνώσθη τί ἐστιν ἄνθρωπος, *& cognitum est quid est homo.*) *Vt sciant gentes quoniam homines sunt*, ait Dauid [c]; & Esaias [d], *Ægyptius homo est, & non Deus.* Argillosum significat *Adam*, & limosum, luteum, figlinum, ex rubea terra: & si Cypriano [e] credimus, ac Augustino [f], carnem factam: est enim rubra argilla similior carni, cuti, sanguini. Anastasius [g] Sinayta exponit *Adam* esse terram sanguinolentam. Sæpe ponitur Hebræa hæc dictio pro quouis homine, præsertim quando Scriptura filium, filiosve hominis, & hominum cognominat. Est enim semper in numero singulari Adam. Notat verò Eusebius [h] maximam dignation in Dei expressam in Psalmo [i]: *Quid est homo* (*enos*, obliuiosus, ac obliuiscens te,) *quòd* (tamen) *memor es eius* (tu Deus) *aut filius hominis* (*Adam*, terrenus, fragilis, carnalis) *quoniam visitas eum?* In alio Psalmo [k] בני אדם *bene adam* opponuntur בני איש *bene isch*, quos Interpres vocat *terrigenas*, quasi viliores, ac ignobiles, & *filios hominum*, dicere potuit (*virorum*) quasi nobiles, illustres, &c. ὅτε γηγενεῖς, καὶ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων. *Homo* Latinè vim eandem habet ab humo, vt Varroni [l] placet, indicatque Tullius [m] his verbis: [Deus homines humo excitatos, celsos, & erectos cõstituit.] Adam Latina interpretatione homo dicitur, ait Ambrosius [n], & Augustinus [o]. Si libet cum Græcis ludere in Hebræa voce Græcè scripta, rectè Ἀδὰμ omnes homines toto sparsos orbe terrarũ denotat: primum namque elementum ἀνατολὴν, secundum δυσμὴν, vel δύσιν, tertium ἄρκτον, quartum μεσημβρίαν indicat, Orientem, Occidentem, Septentrionem, Meridiem. Obseruauit hoc idem Augustinus [p], necnon in iisdem notis contineri sextum supra quadragesimũ numerum; α enim est vnum, δ quatuor, α rursus vnum, μ quadraginta; tot autem annis dicebant Hebræi templum ædificatum [q]: Christus verò ex Adam sumpsit templum sui corporis, quod corpus formarũ est intra vterum matris, vt ait Alphonsus [r], secutus eam rationem numeri per dies quadraginta sex; & propterea purificatio, inquit, imperata est impleri die quadragesimo: quia Scripturæ pro diebus annos intelligunt, & numeros minores, qui sunt supra maiores, intra maiores includunt. Illud quoque de quatuor mundi partibus prior notauit Cyprianus, vel æqualis alius Cypriano, in libro, qui Cypriani libris insertus est de mõtibus Sion, & Sina. Imò & Sibylla [f]:

> Αὐτὸς δὴ θεὸς ἐστ' ὁ πλάσας τετραγράμματον Ἀδὰμ,
> Τὸν πρῶτον πλασθέντα, καὶ οὔνομα πληρώσαντα
> Ἀνατολήν, δύσιν, μεσημβρίαν καὶ ἄρκτον.
> *Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,*
> *Qui primus fictus fuit, & qui nomine complet*
> *Ortus, occasus, austrum, boreámque rigentem.*

Quocirca meritò Eugubinus [t] inuehitur in eos qui talem in Augustino reprehendunt nominis *Adam* notationem, Varronis afferens exemplum, qui conatus sit nominibus Grecis etymon Latinũ accommodare. Iure quoque Theodoretum [u] cauet sequamur deriuantem *Adam* ab *Eden*, quoniam varia est vtriusque nominis & Scriptura, & significatio. Nam עדן *hheden* voluptas est, אדם *Adam* terra argillosa, vt diximus.

Porrò Chaldæa paraphrasis hoc loco nomen *Adam* sumens velut proprium, sic interpretatur (*id quod fuit in mundo, ecce iam vocatum fuit nomen eius, & cognitum filius hominis, à die quo fuit Adam antiquus.*) Vbi tribuit nominis impositionem, vel vsurpationem, atque rei cuiusuis cognitionem aliis præcessoribus, non autem Deo, de quo non est dubium, ita vt non sit quare modò quisquam superbiat, cùm ideo pridem perspectum sit, ac probè cognitum, quid ipse tandem sit, aut habeat, nec noui quid iactare possit. Alij aliter, vt ex

B superioribus intelligi potest. Sed recole traditum maximè proprium sensum.

Et non possit contra fortiorem se in iudicio cõtendere.] Vel de Christo, vt tanquam homo Patre minor est; vel de superbo, seu diuite, seu scientiæ vano professore, iuxta ea, quæ prius perpensa sunt, hæc accipi debent. Hebraicè (*& non poterit ad iudicandum cum eo qui fortis præ se*) Græcè (μετὰ τοῦ ἰσχυροῦ ὑπὲρ αὐτὸν) emendati codices ἰσχυροτέρου. *Verè scio*, inquit Iob [a], *quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo* (*enos*, miser, ærumnosus, obliuiosus) *compositus Deo* (*el*, forti, potenti) *si voluerit contendere cum eo* (iudicare cum eo, rixari, litigare, tueri se in iudicio, contradicere) *non poterit ei respondere vnum pro*

C *mille* (vnum verbum pro mille) siue Deus, quia non dignabitur, siue potiùs homo, quoniam reuerà quantumuis velit, & conetur, non poterit. *Si repentè interroget*, ait idem Iob [b], *quis respondebit ei?* Nec minùs verè, licèt non adeò forsan syncerè, de amicis Iob vnus Eliphas [c]; *Nunquid homo* (*enos*) *Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir* (איש *isch*) quamuis præclarus, & magnus? Propterea deprecatur Dauid hoc iudicium cum Deo, rogátque ne is intret in illud cũ seruo suo, quia non potest iustificari in conspectu eius omnis viuens [d].

D *Vers. 12.*] Verba sunt plurima, multámque in disputando habentia vanitatem.

Compescenda futilis de rebus occultis, de diuinis iudiciis percunctatio & tractatio, quæ quo suscipitur magis, hoc vanitatem demonstrat magis, & stultum, cassúmque conatum talia dissertentis. Exemplo sunt Philosophi, vt Carthusianus monet, qui *euanuerunt in cogitationibus suis* [e]. Hugo in particulari de prouidentiæ negatoribus intelligit, qui sophisticè paralogizent, quæ præuisa, prouisáque sunt à Deo, cùm nõ possint non euenire, necessitatem inuoluere libertati contrariam arbitrij nostri. Vana illa, io & stulta, mera vanitas, ac stultitiæ, & λῆραι λήρων, vt loquitur hîc etiam

E Thaumaturgus. Garrulitatem nõ opus est verbis multis reprehendere, ne reprehendendo reprehensionem incurramus. Vno verbo linguæ deambulationem appellari puto posse, sicut desiderium superuacaneum versu nono textus Hebræus nominabat deambulationem animæ. Ita quidem vetus Poëta loquitur Astydamas:

> Γλώσσης περιπατός ἐστιν ἀδολεσχία,
> Λῆρος ἐν οὐ δέοντι χωρῷ φιλοσοφῶν.
> *Linguæ garrulitas est deambulatoria,*
> *Nugaris non congruenti tempore philosophans.*

Legatur opusculum Plutarchi περὶ τῆς ἀδολεσχίας, præter quamplurimas sacras, profanásque hac de re sententias.

[Marginal notes: a Genes. 38. — b Sap. 1. 5. — c Psal. 9. 21. — d Esa. 31. 3. — e lib. de monte Sina, & Sion — f l. 9. ac in Ioan. tract. 9. & 7. — g contra ... — h in Psal. — i Psal. 8. 5. — k Psal. 48. 3. — l de lingua Latina. — m 2. de natu. Deorum. — n in Psal. 118. — o sermo 10. 1. & 15. de ciu. Dei c. 17. — p in Psal. 95. & tractat. 9. ac 10. in Ioan. — q Ioan. 2. 20. — r serm. 1. de purific. B. Virg. — s ... orac. — t Gen. c. 3. ... — u ... — a c. 9. 2. 3. — b c. 9. 12. — c c. 4. 17. — d Psal. 142. 2. — e Rom. 1. 21.]

SVMMARIVM.

PERGIT Ecclesiastes vanum scientiæ studium de rebus quæ superant vires humani ingenij, confutare: satius esse vtiliora quærere, ac noxia vitare: considerare labores ac ærumnas vitæ: audire sana consilia dantem: adiungere mediocres cum mediocritate sapientiæ facultates, iisque moderatè vti: leuibus aures, ac maledicis sermonibus non accommodare: cauere mulierum consortia: vnam colere sapientiam, quæ nos ab argutiis mundi prauis liberet, restituátque rectitudini, in qua initio conditi sumus.

CAPVT VII.

1 QVid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, & tempore quod velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub Sole sit? A

2 Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa; & dies mortis die natiuitatis.

3 Melius est ire ad domũ luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit. B

4 Melior est ira risu: quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

5 Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia.

6 Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.

7 Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti: sed & hoc vanitas.

8 Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.

9 Melior est finis orationis, quàm principium. Melior est patiens arrogante. C

10 Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.

11 Ne dicas: Quid putas causæ est quòd priora tempora meliora fuêre quàm nunc sunt? stulta enim est huiuscemodi interrogatio.

12 Vtilior est sapientia cum diuitiis, & magis prodest videntibus Solem.

13 Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo. D

14 Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.

15 In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue: sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.

16 Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: Iustus perit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore in malitia sua.

17 Noli esse iustus multum: neque plus sapias, quàm necesse est, ne obstupescas.

18 Ne impiè agas multum: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

19 Bonum est te sustentare iustum, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit.

20 Sapientia confortauit sapientem super decem principes ciuitatis.

21 Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

22 Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne fortè audias seruum tuum maledicẽtem tibi.

23 Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.

24 Cuncta tentaui in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar: & ipsa longiùs recessit à me

25 Multo magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam?

26 Lustraui vniuersa animo meo, vt scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam, & rationem: & vt cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium:

27 Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.

28 Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum, vt inuenirem rationem,

29 Quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.

30 Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis vt sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi?

Vers. 1.] Quid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, & tempore quod velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub Sole sit?

A

HÆc verba in editione Hebræa, & Chaldæa iunguntur priori capiti: & quidam Codices, quos Caietanus sequitur, versum hunc primum totum ad idem illud caput referunt. Hebraicè, Græcè, Chaldaicè sic est (*quæ excellentia*, seu *abundantia, quid amplius, quod maius emolumentum*, &c.) nimirum, inquit Clarius, reuocans etiam ad finem prioris capitis, verba multiplicare in vanum, vt iudicio contendas cū Deo, cùm nemo sciat quid expediat sibi, quamdiu viuit in hac vanitate, vbi Deus fecit dies hominis similes vmbræ, nec quid post mortem sit futurum sub Sole, possit cognosci naturaliter. Eidem expositioni fauet Caietanus.

B

Cùm ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, & tempore quod velut vmbra præterit?] Argumentum à minori, quasi dicat quod est in libro Sapientiæ [a]; *Difficilè æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit?* Digni multi, qui rideantur à vetula quapiam, quemadmodum Thales impingentes pedibus, dum altè tollentes oculos, superiora contemplantur, ad ea verò quæ sunt ante pedes, non attendentes. Vix est qui noscat quid sibi maximè in hac vita vtile sit, coniúnxuè, vtrùm pecuniæ, possessiones, & id genus alia, inquit Olympiodorus. De astris Socrates [b] disputationem fugiebat, quæ supra nos, dicens nihil ad nos esse; de qua sententia Augustinus [c]. Certè prognostarum astrologorū curiosa vanáque iudicia coarguuntur membro sequenti, vt Olympiodorus idem, pluresque alij notant. Mihi tamen quem posui sensus non displicet.

C

Numero dierum.] Lege caput quintum [d]. Quidam legunt (*numerum*) vt Hugo Cardinalis, qui sic exponit: cùm ignoret homo quid conseruet sibi in vita numerum dierum, id est, dies paucos, qui vix ad cognoscendum necessaria sufficiunt (ars enim longa, vita breuis [e]) vel quamdiu victurus sit.

Peregrinationis suæ.] Cæteræ editiones (*vitæ vanitatis suæ*) id est, vitæ vanæ, citò prætereuntis, per viam peregrinantis in modum. Iacob vitæ suæ vniuersum spatium dies vocauit peregrinationis [f]. Peregrinantur omnes, velint nolint, vitam viuentes mortalem; sed ij potissimū, qui patriam cœlestē suspirant, agnoscentes reuerà, cōfitentésque Sanctorum exemplo, de quibus Apostolus [g]; *quoniam peregrini, & hospites sunt super terram*: & idcirco, vt admonet Petrus [h], abstinentes à carnalibus desideriis. Pro verbis Iacob recitatis iuxta vulgatam editionem, vertunt LXX. (*dies annorum vitæ meæ, quos incolo*:) in quo verbo vim facit Augustinus [i] ad hoc propositum, confirmans simili sententia Pauli [k], *quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino*: & Dauid [l]; *Incola ego sum in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei.* [Sed credo, inquit Augustinus, Sanctis hoc potissimum conuenire, quibus Dominus videlicet aliā patriā, cœlestem vtique, æternamque pollicetur.] Hieronymus [a] præterea docet, peccatores in Scriptura dici habitatores terræ, iustos vocari aduenas, peregrinos, incolas. Sic aliàs adhuc loquitur idem Psalmographus [b], nominans se incolam, & incolatum suum, & locum peregrinationis [c], vt adhuc notauit iuxta eundem illum sensum de sanctis Chrysostomus [d].

D

Non dubito nihilominùs quin hoc etiam loco de peccatoribus, ac de solis quidem peregrinatio vitæ dicatur: sicut & *via* nomen de cuiusuis vita, necnon *itineris* apud Ethnicos quoque scriptores; ex quibus in primis adeundus Seneca in opere de breuitate vitæ [e], & in epistolis [f].

Augescunt (ait Lucretius [g]) *aliæ gentes, aliæ minuuntur,*
Inque breui spatio mutantur sæcla animantum:
Et quasi cursores vitæ sibi lampada tradunt.

Ambrosius [h] inter argumenta, quibus demōstrat bonam esse mortem, illud affert, quoniam vita peregrinatio est: quod ipsum iis ipsis illustrat Scripturarum locis, quos citauimus, necnō exēplo Simeonis [i], qui dimitti, & Pauli [k], qui cupiebat dissolui. [Peregrinatio est vita præsens, inquit Gregorius [l], & qui suspirat ad patriam, ei tormentū est peregrinationis locus, etiamsi blādus esse videatur.] Peculiari quadam ratione quotquot pertinemus ad nouū Testamentum, licèt absimus hîc à patria, sicque censeamur à Domino peregrinari [m], idque per fidem, qua qui carēt, non peregrini sunt hoc modo, cùm non habeant alibi ciuitatem, inquit Augustinus [n], acideo potiùs in terra terrigenæ, quàm alienigenæ: tamen propter ius, quod nobis Christus acquisiuit mox ad patriam perueniendi, quando hoc iter vitæ cōfecerimus, necnon ob præsentiam Verbi incarnati, & communicationem diuinorū mysteriorū, dicimur iam non hospites & aduenæ, sed ciues Sanctorū, & domestici Dei [o]. Generali verò ratione quiuis homo peregrinus est in hac vita, quæ diuersoriū duntaxat est, vel hospitium, non fixa sedes, perpetuúmque domicilium. Atque ita peregrini sunt ac hospites etiam improbi, quibus gratum proprium exilium, proprius error in hoc mundo.

E

Loquuntur hoc quoq; pacto Patres, vt Augustinus [p], ac auctor [q] operis imperfecti. Basilius [r] verò omnes nos ait hîc vt exilio damnatos degere; vitā nihil esse, nisi viā, seu celebrāda sit, seu praua. [Quemadmodū enim (inquit ille [s], rem hāc sūma declarans elegantia, vt necesse sit nō omitti tam insignem descriptionem) qui institutū iter expediunt, pedū gressus, ad cursum inter se concertantes, ad anteriora proferentes, & priorem semper pedem terrę innixū, veloci alterius transpositione posteriorem ostendentes, facilè ad viæ terminum promouent: ita & qui ad vitam hanc à conditore producti sunt, cōfestim in illius principio temporū articulis ingredientes, & priorem ex illis semper posteriorem relinquentes, ad vitę metam pertingūt. Annō & vobis præsens hæc vita, quasi continua quædam via porrecta, & iter quoddam ætatibus, quasi quibusdam viatorū diuersoriis distinctū videtur, quod vnicuique profectionis initiū quidem parturitionem maternā exhibet, cursus verò terminum, sepulcrorū scenas submonstrat, & ad illas quosuis deducit, alios velociùs, alios tardiùs, & hos quidem per omnia tēporis interualla proficiscentes, illos autem, ita vt ne prima quidem vitæ diuersoria teneant:

Marginal notes (left column): a [Sap.] 9.16.17. — b Diog. Laert. in vita. — c de ... quant. animæ c.1. — d vers.1. — e Hippocr. aphorism.1. — f Gen. 47.9. — g Heb. 11.13. — h 1. Pet. 2.11. — i in Ps. ... in Ps. concio.8. — k 2. Cor. 5.6. — l Ps. 38.13.

Marginal notes (right column): a epist. 129. — b Ps. 118.19. Ps. 119.6. — c Ps. 118.54. — d in Ps. 118. Cātabiles mihi erant, &c. & in Ps. 38. Aduena ego sum, & peregrinus, &c. & hom. 65. in c. 47. Genesis. — e c. præsertim 9. — f maximè in 106. — g lib. 2. — h lib. de bono mortis, c. 1. — i Luc. 2.29. — k Phil. 1.23. — l lib. 9. ep. 70. — m 2. Cor. 5.6. — n in Ps. 118. concio. 8. — o Eph. 2.19. — p in Ps. 55. Incolent, & abscondent. — q hom. 54. in Matth. — r ora 24 de morte. — s in Ps. 1. & hom. 21 de non adhær. reb. secula.

Aliæ itaque viæ, quæ ab vrbe vna ducunt in aliã, declinari possunt, ne per illas ambulet, qui non vult; hæc verò etiam, si auferre cursum queramus, viatores suos vi correptos ad destinatam a Domino metam trahit.] Cauendum admonet Augustinus [a], ne amœnitates itineris, & ipsa gestatio vehiculorum nos delectet: ita vt conuersi ad fruendum his, quibus vti debemus, nolimus cito viam finire, sed peruersa suauitate implicati, alienemur a patria, cuius suauitas facit beatos. De spirituali peregrinatione pie, ac fuse Climacus [b] fuse de sęculi fuga, & secessu à patrio solo: qua de re liber etiam extat Ambrosij de fuga seculi.

a 2. de doct. c. 4.
b gradu 3.

Et tempore, quod velut vmbra præterit?] Hebraice, Græcéque *& fecit*, vel *faciet eos* (videlicet dies) *sicut vmbram*, aut *in vmbra*.) Chaldaicè pro *facere* est *reputari* (*vt dies vitæ in tempore mortis suæ illi reputentur sicut vmbra*.) Codices Complutenses habent ἐποίησεν αὐτὰς ἐν σκιᾷ) Sixtiani (αὐτὰς) vetustus quidam (αὐτὰς ὡς σκιὰν) antiqua translatio (*& faciet ea quasi vmbram*) Caietanus (*faciet eos*) nempe dies. Fecisse dicitur dies vt vmbram, aut in vmbra, vel homo qui vixit, ita vt facere dies sit, eos viuendo percurrere; vel Deus, qui vitæ spatium concedit, quod instar est vmbræ; vel iterum homo iuxta Caietanum, quatenus quo magis extendit vmbram vitæ, tanto magis cognoscit sibi deficere lumen scientiæ, hoc tandem sciens vnum, quòd nihil sciat. Vitæ, hominísque ipsius comparatio cum vmbra frequens [c]; at dies ipsi velociores dicuntur cursore [d], ac pertranseuntes quasi naues poma portantes [e], & sicut aquila volans ad escam [f], & sicut textio telæ [g], eius etiam quam conficit aranea [h]: prætereà vocantur nihil [i], & deficientes in vanitate [k], & festinatione [l]. In Paralipomenis extat dierum fugacium descriptio ex vmbræ similitudine; *Peregrini sumus coram te, & aduenæ sicut omnes patres nostri* [m]. *Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora.* In libro Sapientiæ [n]; *Vmbræ transitus est tempus nostrum & non est reuersio finis nostri.* In Psalmo [o]: *Dies nostri sicut vmbra prætereunt*: & [p]; *Dies mei sicut vmbra declinauerunt.* In Iob [q]; *Hesterni sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terrã.* Vmbram luminosum corpus eandem nunquam efficit, vt nec idem in medio lumen numero producit: id verò quod dum mouetur, illuminat, modò maiorem, modò minorem reddit, breuiat, & euanescit: quo maior, eo nocti propior: *sicut vmbra cum declinat, ablatus sum* [r]: & vitæ nostrę dies nunquam iidem semper, inæquales, quoque plures, morti viciniores. Vita nostra cum diuina comparata, est vmbra, seculum nostrum positum in illuminatione vultus Dei [s]. Vmbra mortis crebrò mors ipsa nominatur, forsitan quia vitæ dies consequitur, qui sunt instar vmbræ. Et sic est veluti vmbra vmbræ, & denotat tristissimam rerum faciem, ducta similitudine ab obscuris, & vmbrosis sepulcris: innuit quoque ingruentem mortem, quia corporis arguit vmbra præsentiam. Sequenti capite huius libri [t], *Non sit*, inquit Sapiens, *bonum impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant, qui non timent faciem Domini.*

c Iob. 14. 2.
d Iob. 9. 25.
e ibidem. 26.
f ibidem.
g Iob 7. 6.
h Iob. 8. 14.
i Iob. 7. 16. Ps. 89. 5.
k Ps. 77. 33.
l ibidem.
m 1. Par. 29. 15.
n c. 2. 5.
o Ps. 141. 4.
p Ps. 101. 12.
q c. 8. 9.
r Ps. 108. 23.
s Ps. 89. 8.
t vers. 13.

Aut quis ei poterit indicare quid post eũ futurũ sub Sole sit?] Vanũ est maiora se quærere, nõ solũ quia breuis vita, cui consulendum, vt membro præcedente dictum est, sed etiam quoniam nequit obtineri talis scientia. Et vt fingas te perspectas habere vitæ tuæ res, quæ post mortem sint futuræ, cognoscere velle stultitia est. Hoc fere modo

A explicat Thaumaturgus: additque Olympiodorus, omnem funditus hac sententia superstitionem diuinandi, vanasque Astrologorum nugas de hominum genituris euerti: consultius autem esse, prætermisso inutili ac inani labore, virtutem sectari, mentis oculum ad vitam vmbris immunẽ, quam fide certo tenemus, erigere, quæ docet tormenta peccatores, gloriã iustos manere. Consentiunt Interpretes alij. Sed Hugo Card. ait sensum esse, ignorari quid pro nobis post mortẽ nostrã facturi sint hæredes nostri, vel alij, proptereà cuique pro seipso laborandum in vita. Diuinationem astrologicam Pererius ac Delrius nostri, & Franciscus Vallesius [a], post Ioannem Picum Mirandulanum, aliósque, diligenter ac strenuè confutant.

a libr. sacr. philosoph. c. 43.

B Videtur denuò noster Ecclesiastes inferiùs capite octauo [b], ac decimo [c] temerarios eiusmodi notare diuinatores, necnon in Prouerbiis [d]. Nõnulla nos quoque in philosophicis, atque in explanatione historiæ Apostolicæ [e]. [Quàm multa ego Pompeio, ait Cicero [f], quàm multa Crasso, quàm multa huic ipsi Cæsari a Chaldæis dicta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum: vt mihi permirum videatur quemquam extare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videret re, & euentis refelli.]

b vers. 7.
c vers. 14.
d c. 27. 1.
e c. 16 & 19.
f 2. de diuinat.

Non habeo denique nauci (Ennij verba sunt [g])
C *Marsum augurem,*
Non vicanos aruspices, non de circo Astrologos,
Non Isiacos coniectores, non interpretes somniũm.
Non enim sunt ij aut scientia, aut arte diuini,
Sed superstitiosi vates, impudentésque arioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
Qui sui quæstus causà fictas suscitant sententias,
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam;
Quibus diuitias pollicentur, ab his drachmam petunt.
De his diuitiis sibi deducant drachmam, reddant cætera.

g apud Cicer. 1. de diuinat.

Item [h]:
Qui sui quæstus causà fictas suscitant sententias.
D *Nam istis qui linguam auium intelligunt,*
Plusque ex alieno iecore sapiunt, quam ex suo,
Magis audiendum, quàm auscultandum censeo.

h Pacuuius in Chryse.

Item [i]:
Nihil credo auguribus, qui aures verbis diuitant
Alienas, suas vt auro locupletent domos.

i Attius in Astyanacte.

Rerum futurarum cognitio Deo propria est, Esaia [k] teste; *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.*

k Esa. 42. 23.

Vers. 2.] Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa; & dies mortis die natiuitatis.

E NOua videtur præcepta morum ferre; quod dum facit, non recedit a proposito themate de vanitate: qui namque quid eligendum, quid bonum sit, docet, per necessariam consequentiam admonet, quid malum, quidque fugiendũ. Primo loco proponit quanti referat ex benefactis parare sibi nomen boni, famamque, dum breuis durat vita; pluris enim id esse, quã deliciis diffluere, quas denotãt vnguẽta pretiosa, vt placet Olympiodoro; quia fragrãtior, gratiórq; ex fama odor, quàm ex illis. Paraphrastes Chald. melius ait esse nomẽ boni, quod cõparabunt iusti in seculo hoc, quàm vnguentũ vnctionis, quod fuerit mũctum

super capita Regum,& Sacerdotum. Tales personæ odoratis vnguentis inungebantur, aliæve nobiles, aut delicatæ. Symmachus vertit (ὑπὲρ μύρον εὐώδες,) *superunguentum odoriferum*) Septuaginta (ὑπὲρ ἔλαιον ἀγαθὸν, *super oleum bonum.*) Hebræa vox שמן *schemen* generalis est ad omnem pinguedinem olei, vel vnguenti. In Psalmo quadragesimo quarto [a] reddidit Interpres *oleum*, *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo:* & Canticorum primo [b]; *Oleum effusum nomen tuum:* & alias sæpe, ac sine addito, vel epitheto pro oleo aromatico, & suaueolenti, aut etiam medico. Sed & *vnguenti* nomen nō tarò ponitur ab eodē vice *olei*. Orientales in omni vitæ consuetudine tum sacra, tum profana, maximéque conuiuando, vnguentorum, oleorúmque vsum frequentauerunt. Hebræi, quorum regio oleorum, balsami præsertim, teste Plinio, [c] abundantissima; vnde & terra olei cognominatur, id factitauerunt, vt iis exprobrat Amos [d]. Lege Martinum Roa [e] nostrum, & Pradum [f]. Ab odoris, quem olea, vnguentáque longè proiiciunt, suauitate nominis celebritas describitur, qualis in sponso, cuius quia vt oleum effusum nomen erat, diligebatur ab adolescentulis [g], & his vnguentis tracta sponsa currebat post eum [h]. Odorem notitiæ Christi bonum appellat Paulus [i], quando is, qui ab vnctione Christus nominatur, suauiter cognoscitur, & colitur. [Odor bonus, bona fama est, ait Augustinus [k], quam quisquis bonæ vitæ operibus abundauerit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes eius pretiosissimo odore perfundit.] Quemadmodum suauia aromatum, inquit Basilius [l], odoramenta proprium quiddam per aërem continentem spirant, quibus præsentes recreantur; ita vir bonus toti sibi commorantium contubernio salutaris & iucundus est. *Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet* [m]. Non est opus pluribus vt persuadeatur famæ procuratio, & custodia. *Melius est nomen bonum,* nō modò quàm delectabilia, verùm etiā quā vtilia bona, *quàm diuitiæ multæ,* inquit idem Salomon in Prouerbiis [n]: nomen enim bonum honestorum bonorum, hoc est, virtutum fructus est, signum, testimonium. Item [o], *lux,* inquit, *oculorum lætificat animam; fama bona impinguat ossa.* Comparationem verò illam boni nominis cum vnguentis pretiosis familiarem fuisse Hebræis, præter illa, quæ attigimus, persuadet comparata memoria Iosiæ cum compositione odoris facta, & opere pigmentarij [p]. Hoc stimulo Christus ipse nos extimulat, vt visis operibus bonis, glorificetur Pater cœlestis [q]: & pollicetur fore, vt Spiritu sancto accepto glorificetur, seu clarificetur ab iis, qui acceperint [r]: item se coram Patre, & Angelis confessurum, ac laudaturum illos, qui hîc ipsum confessi fuerint [s]. Auctor Ecclesiastici [t] laudandos prædicat eos, qui gloriam adepti sint, & habeantur in laudibus.

Omnia si perdas, famam seruasse memento [u].
Ego si bonam famam seruasso, sat ero diues [x].

Audi nostri discipulum Ecclesiastæ Ecclesiasticum [y]: *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum. Nam si permanserit* (sapiens ac studiosus) *nomen derelinquet plusquàm mille; & si requieuerit, proderit ei.* [z] Quin etiam per vnguenta, quibus Reges, Sacerdotes, Prophetæ inungebantur, intelligi possunt maximæ

a Psal. 44.
b Cant. 1.
c [Plin. lib. 1]1. c. 23.
d Amos 6.
e ... singular.
f ... c. 23. ... Ezechielis.
g Cant. 1. 2.
h ... 3.
i 2. Cor. 2. 15.
k ... de doctr. Christ. c. 12.
l orat. in S. ...
m Pro. 10. 7.
n c. 22. 1.
o c. 15. 30.
p Eccli. 49. 1.
q Matt. 5. 16.
r [Ioan.] 16. 14.
s [Luc.] 10. 32. ... 44. 17.
t ... 44.
u ... Dionys. Cato ... lar.
y c. 41. 15. 16.
z ... 39. 15.

quæque dignitates, quibus præstet nomen bonum. Custodiam famæ qui negligit, aliorum animas, quos videlicet offendit, crudeliter occidere docet Augustinus [a], quatumuis sibi coram Deo sufficere conscientiam causetur: prouidenda namque bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus [b]: & placendum per omnia omnibus [c], nempe in bonum; & curanda quæ sunt bonæ famæ, si qua virtus, & si qua laus [d], vt illa pro nobis, hæc sit pro aliis. Hoc ipsum quod Augustinus docebat, etiam obseruabat, cùm diceret [e]: [Propter nos conscientia nostra sufficit nobis; propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis.] Multa hac de re varij scriptores tum profani appetentissimi supra modum famæ, tum Christiani etiam Theologi, qui quatenus eam liceat negligere, vel oporteat conseruare, disputant. Nos id cùm nostrum fuit, sumus executi. Verè dixit tenax quidem famæ Cicero [f], negligere quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis esse, sed etiam omnino dissoluti. Plato [g] cauet ne quis vnquam patri faciat probúsne aliis videatur, an improbus. Mysticè melius nomen Christianum notat Olympiodorus cum fide in Christum, quàm sine tali nomine ac fide eleemosynas profundere, quod per se ad beatitudinem inutile est, licèt quoquo modo ad gratiam disponat, vt olim Cornelium [h].

Nomen bonum.] Epithetum boni nec Hebraica, nec editio Græca, sed Chaldæa tantùm cum nostra expressit: in illa sententia Prouerbiorum [i]; *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*, Græcus textus apponit καλὸν, & Chaldæus טָבָא *taba:* at Hebræus omittit. Præterea non tarò per nomen absolutè positum nominis celebritas intelligitur etiam ab Interprete nostro; interdum mala, nonnunquam bona: quod ex adiunctis diiudicari debet. Gigantes celebrare nomen volebant [k]: quidam impij verebantur ne obliuionem acciperet nomen ipsorum [l]: alij vocauerunt nomina sua in terris suis [m]: Iosue [n] precabatur Deum ne sineret deleri nomen populi Hebræi, ipséque sui ipsius nominis magni curam haberet: Gabaonitæ venisse se mentiti sunt ad Hebræos in nomine Dei eorum, cùm audissent famam potentiæ illius [o]: promittit Deus, quòd quosdam ponet in laudem, & in nomen [p]. Postremò quos Interpres vocat in Genesi [q] viros famosos, Hebraicè dicuntur אַנְשֵׁי הַשֵּׁם *ansche hasschem*, *viri nominis*. Inde est, vt Deus, cuius nomen, fama, gloria celeberrima, κατ᾽ ἐξοχὴν aliquando vocetur nomen, הַשֵּׁם *hasschem* [r], quod Hebræi solent exponere de tetragrammato, pro quo illud extra Biblia scribunt. Eadem ratio de nominibus *nominis* apud Latinos, & τῷ ὀνόματος apud Græcos, vt deprehendet qui leget profanos etiam scriptores.

Et dies mortis die natiuitatis.] Tres causas Hieronymus assignat: quia mors liberat à tribulationibus, & incerto vitæ statu; ingressus verò in vitam vtrumque parit: quia in morte quales simus notum fit, in exordio nascendi qui futuri simus, ignoratur: quia natiuitas alligat corpori libertatem animæ, mors resoluit. Albinus duas primas ponit. Multas alias traduntur, qui de bono mortis disputant, vt Ambrosius [s], & Rupertus [t]; vel de vitæ bre-

a de bono viduit. c. 22. & serm. 49. de diuer.
b 2. Cor. 8. 21.
c 1. Cor. 10. 33.
d Philip. 4. 8.
e ser. 49. de diuersis.
f 1. de offic.
g 12. de leg. circa med.
h Act. 10. 1. & seq.
i c. 10. 7.
k Gen. 11. 4.
l Sap. 2. 4.
m Ps. 48. 12.
n c. 7. 9.
o Iosue 9. 9.
p Soph. 3. 19.
q c. 6. 4.
r Leuit. 24. 11.
s lib. de bono mortis.
t 3. de Trinit. c. 24. & 25.

uitate, vt Seneca. Qui nomine Hieronymi [a] scripsit ad Tyrasium epistolam super morte filiæ, Christum dicit fleuisse [b] non Lazari mortem, sed quòd cogeretur illum propter saluandos alios ad seculum reuocare. Isidorus Pelusiota in catena Græca in Ioannem [c] idem sentit, & inclinat quoque Rupertus [d], & Hugo Cardinalis approbat hoc loco. Videtur autem catena testimonium Pelusiotæ sumpsisse ex epistolis eiusdem [e], vbi Christum sic loquentem inducit cum lacrymis: [Eum, qui ad portum iam appulerat, sursum ad fluctus, & procellas voco: eum, qui iam coronam consecutus erat, ad certamina rursum duco.] Hæc ratio fauet morti iustorum, & Sanctorum, quæ pretiosa est in conspectu Domini [f], non verò peccatorum, quæ pessima est [g]. Olympiodorus ait etiam peccatori mori melius esse; quoniam peccare vltrà iam desinet: iustus vita perfruetur æterna. Profectò si melius fuisset iniusto non nasci, eo modo quem priùs exposui in isto libro, melior erit ei quoque dies mortis die natiuitatis. Iob iustissimus beneuolè, ac honorificè putredinem, siue mortem, ex qua illa sequi solet, patrem nominat, matrem, & sororem suam, vermes [h]. Vt pueri consolatores parentes habent, inquit Origenes [i], sic ego mortem, & putredinem: & tabes ipsa ceu pater, ait Olympiodorus [k], reddebat Iob aptum sepulcro, & morti, quæ ipsi quàm vita optabilior erat. Humanæ vitæ incommoda luxerunt plures etiam profani scriptores; præsertim Hegesias Cyrenaicus adeò copiosè, vt quæ super ea re disputauerat, vetuerit Rex Ptolomæus in scholis dicere, quòd his auditis multi mortem consciscerent sibi. Scripsit & Alcidamus mortis laudationem. Noti satis illi, qui elato lætabantur, edito homine tristabantur. M. autem Cicero [l] Euripidis hoc de argumento versus Latinè sic reddidit:

Nam nos decebat cætus celebrantis domum
Lugere, vbi esset aliquis in lucem editus;
Humanæ vitæ varia reputantes mala.
At qui labores morte finisset graues,
Hunc omnes amicos laude, & lætitia exequi.

Vers. 3.] Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.

Chaldæus exponit de illo, qui it in domum luctus, vt consoletur eam; inde verò ipsemet etiam hoc refert commodi, vt memor mortis ac loquens de ipsa, si quid in se mali est, illud deponat, & conuertatur in pœnitentiam. Olympiodorus de funebri luctu, qui conuiuio longè sit vtilior, vtpote quòd & orbatis, qui interest, con patiatur, & errores proprios emendet, ac resipiscat. Eadem est Hieronymi sententia, & cōmunis. Ille verò monet hinc elici, si quādo superioribus capitibus visus est Ecclesiastes cibū, potúmq; approbare, nō id docuisse, quasi præferret voluptatem rebus aliis, sed ad cōparationem auaritiæ, & nimiæ parcitatis. Idem annotauit Gregorius [m], & paulo pòst Olympiodorus. Opportunè suggerit quoque Iob exemplum Olympiodorus, offerentis sacrificia pro conuiuantibus filiis, cùm luxuriæ maculas, & desidiæ, quas anima contrahit è conuiuiis, secum tacitè reputaret: quamquam illi non malo consilio, sed tuendæ gratiæ causâ conuiuia inter se, quasi cognatorum charistia celebrarent. Seminarium cunctorum vitiorum gula, lasciuiæ [a], inhumanitatis [b], blasphemiæ, infidelitatis [c], & contemptus Religionis [d]: obliuiscitur præterea propriæ dignitatis intemperans [e], pudorem omnem abiicit [f] instar impudentissimorum canum [g]: exuit timorem [h]. Quid plura? omnis hæresis, teste Hieronymo [i], propter gulam, ventrémque construitur: habétque gula cum idololatria & apostasia maximam connexionem, vt probat Ambrosius [k]: &, quod Dionysium quoque dixisse Tyrannum refert Eusebius [l], illis animalibus cibo deditus, ac potui similis est, quibus comedendi, bibendíque non ad aliud, quam ad perniciem suā copia solet offerri; meritóque Clemens Alexandrinus [m] comparat cum asino marino, qui est ἰχθυοκοιλόγαστρος, quia cor habet in ventre (quod an sit verum Scholiastes examinat:) nam & venter ipse Deus eius est [n].

Memini legere nescio quos ad conuiuiorum reprimendum luxum, constituisse mortuorum simulacra spectanda in ipsismet conuiuiis: etsi alij, quia putabant animam interire, eo liberaliùs epulabantur [o]. Nōnulli quoque iugiter mortem, vel infernū meditati sunt subiectis sibi signis externis ob oculos res illas repræsentantibus, vt Ioannes Eleemosynarius, & alij.

Domus luctus.] Exequias funeris explicat Hieronymus. Nam pompa funeris duci solet à domo defuncti, & perduci vsque ad locum sepulcri. Vtrique conuenite potest nomen *domus luctus*. Vocat Chrysostomus [p] domum luctus Monasterium, vbi cinis, cilicium, solitudo, ieiunia, chameuniæ, risus nullus, &c. rursus verò omnem locum etiam nō sacrum, vbi iacet mortuus; hócque exaggerat, quia Salomon omnibus innutritus deliciis, & multa potitus libertate, talem sententiam pronunciauit. Hugo Cardinalis mysticè luctus domum variis aliis modis explicat. Adde cum Carthusiano templum, vbi fit, inquit, sermo de nouissimis. *Luctum* dici pro funebri plangore, dicam paulo inferiùs.

Domum conuiuij.] Chaldæus (*domum conuiuij vini subsannatorum:*) honestum enim conuiuium non reprehenditur, cui neque Christus interesse dedignatus est. Celebrabatur autem olim apud Hebræos præsertim in signum lætitiæ natalitio die, aut ablactati pueri, ad ostentandas opes, in confœderationibus [q]. Quamuis Augustinus, imitatus Ambrosium, in sua patria petitus ire recusabat ad conuiuium [r]. Conuiualium locorum nomina plura triplicis linguæ colligit is qui conuiuiales antiquitates instruxit [s]. Hoc loco Hebraicè vocatur בית משתה *beth mischtheh*, quod Græci reddunt οἶκον πότου, & Pollux appellat συμποτικὸν χωρίον, & συμπόσιον: significat namque non conuiuium ipsum duntaxat vltima vox, sed etiam locum aliquando, in quo illud agitatur. Quin & Latini generalem τῶν οἴκων dictionem pro quibusuis domibus, Latinè *œcos*, vsurpant pro iis domus partibus, in quibus viri separati à fœminis epulantur. Id apud Vitruuium [t] videre est, atque Plinium [u]. A bibendo nomen illud Hebræum, & Græcum sumptum est, sicut sunt, vt Isidorus [x] meminit, qui *ædem* ab edendo deriuauerint, necnon *ædificium*, iuxta Plautinum versum;

Si vocassem vos in ædem ad prandium.

Honestius est *conuiuij* Latinum vocabulum, sicut Marcus Tullius [y] his verbis obseruauit:

Bene

a tom.9. b Ioan.11. c c.11. d ibidem. e lib.2. epist. 173. f Psal.115.15. g Psal.33.22. h Iob.17.14. i in Iob. k in catena. l Tusc.1. m 4 dialogo. c.4.

a Exo.32.6. b Amos 6.4. 6. Luc.16.19. c Iob.1.5. Prou.30.9. Deut.6.11. c.32.20. d Esa.5.12. e Gen.25.33. f Eccl.22.6. g Esa.56.11. h Epist. Iudæ vers 12. i in c.3. Ierem. k epist.36. l 8 de præpar. c.5. m 2 pæd. c.1. n Philip.3.19. o Martial lib.3. Epig.19 vel 43. vbi Raderus noster et Scaligero in Auson. & ex aliis. p ho.14. in 1. Epist. ad Timoth. q Gen.40.20. 3. Reg.3. & Esther 1.3. Reg.3. r Possid. in vita c.27. s lib.2. c.14. t lib.6. c.5. & 10. u lib.6 c.25. x 15. etymolog. c.3. y lib. de senect.

Bene maiores nostri accubationem epularum, quòd amicorum, & vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt, melius quàm Græci (potuit addere & quàm Hebræi) qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant, vt quod in eo genere minimum est, id maximè probare videantur.]

A

In illa enim finis cunctorum admonetur hominum.] Hebraicè (*in eo quòd ipsum finis omnis hominis*, vel *ipse*) id est, quia ibi est finis, &c. siue quod idem est, ibi iudicatur, & cognoscitur; Græcè (καθότι τοῦτο τέλος παντὸς τοῦ ἀνθρώπου, *quoniam hic finis omnis hominis*) nempe luctus, hoc est, mortis, quæ luctum parit apud defuncti necessarios. Vnde κατ' ἐξοχὴν videtur *luctus* nomen, simúlque per metonymiam dici de mortuo, quem maximo luctu prosequi solemus. [Propterea qui iuerit ad domum luctus, ait Thargum, vir iustus sedebit, & ponet in corde suo loquelas mortis.] In Genesi [a] scribitur Esau dixisse; *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Cùm etiam celebraretur funus Iacob, dixerunt Chananæi; *Planctus magnus est iste Ægyptiis, & idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus Ægypti* [b]. Vtrobique extat Hebræa dictio אבל *ebel*, quæ habetur hoc loco, & Græca πένθος, quæ primariò, ac propriè significat mœrorem ex morte propinquorum, vel amicorum; licèt extendatur ad alium quemlibet, præsertim apud Poëtas. Idem iudiciũ de Latina voce *luctus*, cùm Cicero [c] eum definiat ægritudinem ex eius, qui charus fuerit interitu acerbo. Vestis lugubris vulgò nũc etiam dicitur (*di lutto*) & *lugendi* verbo Liuius [d] ob testimonium, quod eiusmodi editur veste de dolore ob interitum necessarij, vsus est, dicens, matronas annum luxisse Brutum, quòd tam acer vltor violatæ pudicitiæ fuisset. Hinc etiam *luctuosa* nomen maximè apud Hispanos pro certis spoliis Clerici defuncti, de qua Nauarrus [e] & Molina [f]. Igitur luctus domum rectè nominat Ecclesiastes eam, vbi potissimùm lugetur defunctus: ex quo luctu, & tantùm non ipsismet defuncti verbis, qui eò ventitat, admonetur [g]; *Memor esto iudicij mei. Sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Nihil adeò inculcant sancti Patres, vt iugem meditationem mortis, tanquam præsentissimum aduersùs vitiorum omnium tentationes amuletum. Faciunt id etiam tractatores morum Gentiles non pauci. Finis mors est, ad quem nemo non tendit, & quotidianum tamen experimentum mortis in aliis non persuadet mortalibus aliquando mortem subituros. *Testamentum huius mundi, morte morieris* [h]: *& statutum est hominibus semel mori* [i].

B

Et viuens homo cogitat quid futurum sit.] Hebraicè: (*& viuens dabit, siue ponet ad cor suum*) id est, considerabit in corde suo, quòd nimirum sic sibi continget, vt huic videt contigisse. Græcè (καὶ ὁ ζῶν δώσει ἀγαθὸν εἰς καρδίαν αὐτοῦ, *& viuens dabit bonum in cor suum*) id est, inibit consilium bonum, &c. Quem sensum indicat Chaldæus (*& si est in ipso quicquam mali, deponet illud, & conuertetur in pœnitentiam*) Symmachus (προσέξει τῇ διανοίᾳ, *attendet mente*) quod Hieronymus Latinè reddit (*respiciet ad mentem*) vetus autem translatio apud ipsum hoc modo (*& qui viuit, dabit ad cor suum.*)

C

D

E

[a] 27.41.
[b] infra 50.11.
[c] Tuscul.4.
[d] lib.2. ab vrbe.
[e] de spol. ... §.9.n.
[f] de iusti. & iure tom.1. ... 147.
[g] Eccl.38.23.
[h] Eccl.14.
[i] ... c.9.27.

Vers. 4.] Melior est ira risu; quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

NOn dicitur ira ista melior, quia minùs mala, aut quia risus, cum quo comparatur bonus: sed hic malus est, illa bona, videlicet quando risus conniuendo, alienum peccatum fouet; ira, vultúsque tristis, velut aquilo dissipat linguam detrahentem [a]. *Filiæ tibi sunt? serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas* [b]. *Lacta filium tuum, & pauentem te faciet: lude cum illo, & contristabit te* [c]. *Ne corrideas illi, ne doleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui.* Chaldæus de Deo interpretatur (*melior est indignatio*, inquit, *qua indignabitur Dominus mundi aduersùs iustos in seculo hoc, quàm risus, quo ille deridet impiobos: dum enim contristatur vultus Maiestatis, venit penuria, & vindicta in seculum ad beandum cor iustorum, qui orabunt ante Dominum mundi: & ipse misere bitur ipsorum*) Attamen prior sensus simplicior, veriórque, & cæterorum Interpretum.

Sermo est de ira non in peccata propria, & passiones, neque in diabolum suggerentem mala: primum notat Hieronymus, Olympiodorus & hoc, & secundum; sed aliorum respectu qui peccant, non inferiorum duntaxat, vel æqualium; sed adhibita moderatione etiam superiorum. Vix enim est qui vel amore, vel timore, vel iracundia non abstineat aut agere, aut loqui, quod spectatori, & auditori displicere animaduertit. Hebræus quidem Græcúsque textus ferre possunt, vt sententiam applicemus ipsimet irascenti, ac tristanti, sic enim habent ad verbum (*bona ira super risum, quoniam in malitia* (pro κακίᾳ Aquila legit κακώσει, *afflictione*, vetus translatio *mœrore*) *vultus bonificabitur*, vel *iucundabitur cor*, vel *emendabitur* (vt legit vetus translatio) vel *per tristitiam melior fiet animus*) vt refert Hieronymus ex Symmacho, nempe eius, qui afficitur tristitia propter Deum, aliorúmque tolerat iras, iuxta illud [d]; *quasi tristes, semper autem gaudentes*: nihilominus meliùs Interpretes intellexit de alia persona, ideóque addidit (*delinquentis.*) Quamquam & id verum est, vnumquemque tristitiam accersere posse, vt pœnitentiam operetur in seipso [e], aut in eum finem vti illa, quæ deforis existit. Ira non omnis interdicta, sed immoderata, irascíque sine peccatô fas est, ac verò etiam interdum oportet, ad excitendam hac veluti cote fortitudinem, armandámque contra eos qui gloriam diuinam lædunt, vel alios afficiunt iniuria, vel aliter peccant; denique contra proprias blandas voluptates. Docet id ac demonstrat præ cæteris diligenter, tractans locum ex Psalmo [f]; *Irascimini, & nolite peccare*, Isidorus Pelusiota [g], qui Moysis, Pauli, Petri, aliorúmque profert exempla. Nota verò etiam in filios indulgentia Heli, quam cum illis acerba morte luit [h]. De risu lege quæ dixi capite 2.[i]. Verisimile autem est, *iræ* nomine hoc loco quidquid in causa est, vt irascamur, & doleamus (quæ duæ affectiones coniungi solent) comprehendi, hoc est, res aduersas; & per *risum* prosperas, quæ lætitia, voluptatéque afficiunt: & doceri ad sapientiam plus primas conducere, quàm secundas. Acceptionis vtriusque vocabuli exempla satis obuia. Probatio verò sententiæ versu sequenti habetur.

[a] Prou.25.23.
[b] Eccli.7.26.
[c] Eccli.30.9.10.
[d] 2.Cor.6.10.
[e] 2.Cor.7.9.
[f] Psal.4.5.
[g] lib.2. epist. in epist. 239. & lib.3. epist. 338.
[h] 1.Reg.4.
[i] vers.2.

Verſ.5.] Cor ſapientium vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia.

DE hac quoque ſententia quæ dici poſſent, peti poſſunt ex iam citato loco. Effuſior præſertim externa lætitia damnatur, necnon triſtitia, quam vocat Paulus [a] huius ſeculi, & operari mortem dicit; qui ſpiritualiter nos iterum, iterúmque gaudere [b] vult, itaque triſtes eſſe, vt ſemper simus gaudentes [c]; ac viciſſim ſic gaudentes, tanquam non gaudentes [d]. Explicat Chaldæus de illis, qui condolent, & compatiuntur, & de iis, qui duri ſunt ad alienas calamitates, & ad ſuas intenti voluptates. Olympiodorus eodem ferè modo. Hieronymus veterem ſequens tranſlationem, quæ iuxta Hebræum quoque textum legit (*in domo triſtitiæ, & in domo lætitiæ*) de iis, qui verſantur libenter cum iis, qui delinquentes corripiunt, lugéntve, vt Samuël Saülem lugebat [e], & Paulus [f] nolentes agere pœnitentiam: & de illis, quibus placent magis adulatores, atque deceptores. Thaumaturgus abſolute de ſalubriter triſtantibus, déque nimia lætitia diffluẽtibus. Perpetuò contemplans ſuam imperfectionem animus ſapientis, ac ſeipſum conſiderans, dolet plangítque, ſicut Arſenius, & tot alij viri ſancti, quos memorant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, atque Climacus. Sed beati ſunt lugentes [g], quia ſpe gaudent, & eſt conſcientia bona, ſecuráque mens iuge conuiuium [h], intima lætitia exhilarans. Baſilius quadam homilia [i] hæc duo quemadmodum copulari queant, demonſtrat, vt ſint & lugentes beati, & ſemper tamen gaudendum ſit: lacrymas namque Sanctorum à feruore charitatis proſilire, qua toti erga Deum flagrant, ſimul de conſeruorum peccantium damno, ſed citra propriæ damnum lætitiæ, vt contingit lætis de ſua in littore ſalute, qui dolent ſimul iacturam eorum, quos marinis fluctibus immergi conſpicantur. Tertium ſuperbiæ gradum Bernardus [k] ineptam lætitiam vocat, eámque deſcribit, allato hoc loco, vbi dicitur cor ſtultorum eſſe vbi eſt lætitia. Gregorius [l] hinc probat non inueniri ſapientiam in terra ſuauiter viuentium. Poſtremò cor ſapientium vbi triſtitia, quia non vecordes, non languidi, non victi, vel deiecti rebus aduerſis. Ratio præterea totius præſentis ſententiæ reddi poteſt, quòd ſapiens in iudicio de eligendis, ac fugiendis non habet rationem delectabilis, ſed vtilis, & honeſti boni: quòd, iuxta præceptum Chriſti [m], odit animam ſuam, laborioſa, difficiliáque conſectans honeſtati cõiuncta: quia diligit ea ſemper, quibus propriæ fragilitatis admonemur: quia in rebus triſtibus cor oſtendit, id eſt, quam ſit cordatus, prudens, conſtans: quia cor eius afficitur triſtibus aliorum rebus, vt eos, ſi valeat, iuuet, cum incommodo etiam proprio, iactura, labore, moleſtia.

a 2.Cor.7.10.
b Philip.4.4.
c 2.Cor.6.10.
d 1.Cor.7.30.
e 1.Reg.15.35.
f 2.Cor.12.21.
g Matth.5.4.
h Prou.15.15.
i hom.de gratiarũ actione.
k tra. de gradibus humilitatis.
l 18.moral.c. 24.vel 26.
m Ioan.12.25.

Verſ.6.] Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.

HEbraicè, Græce, Chaldaice, & iuxta veterem tranſlationem (*bonum eſt*, ſiue *melius*, *audire increpationem ſapientis, ſuper virum audientem carmen*, ſiue *canticum*, aut *vocem nabli ſtultorum.*) Connectit Hieronymus iſtam cum priore ſententia, vbi, vt vidimus, domum luctus vo-

A lebat eſſe ſapientum, qui alios corripiunt, & cor eorum vbi triſtitia. Citat affinem ex Prouerbiis [a]: *Meliora ſunt vulnera amici* (diligentis) *quàm fraudulenta oſcula inimici* (odientis.) Similis præterea in Pſalmo [b]: *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*; Hebraice, *non frangat*, vel *offendat*: & pro *peccatore* eſt ראש *roſch*, quod *caput* quidem ſignificat; ſed venenum quoque, quod ineſt ſerpentis capiti: per tranſlationem verò peccatorem venenatorum morum. Alij exponentes oleum capitis, id eſt, pretioſum, ac præcipuum, quale deſcribitur in Exodo [c], reddunt contrarium ſenſum; eundem autem ferè
B cum ſenſu prioris membri, id eſt, illa iuſtorum caſtigatio, quæ eſt velut oleum primarium, non me lædet, nec meo noxia capiti erit. Quis non malit, vt Paulus acriter arguat, & Satanæ etiã tradat in interitum carnis, vt ſit ſpiritus ſaluus in die Domini [d], quàm vel Ioab [e], vel Iudæ [f] fraudulentum oſculum? Præſtat hic à Domino corripi, & diſciplina filiorum exerceri, quàm deliniri fallacia ſerpentis, pellacia carnis, vafritia mundi. Blandæ benedictiones ſeducunt corda innocentium [g]. *Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis* [h]. Oleum, lac, blanditiæ denotant omne genus deceptionum, quibus ſummi, infimi, medij, perfecti, incipientes, pro-
C ficientes, niſi caueant, falli poſſunt. *Lactare* Latinos pro decipere vſurpare docet noſter Ribera [i] auctoritate Nonnij, Sexti Pompeij, Terentij. Adulatio eſt faſcinatio nugacitatis obſcurans bona [k]: Sirenes in delubris voluptatis [l]: lamia nudans mammas, vt lactet [m]: aucupis laqueus & pedicæ [n], & rete pedibus, greſſibúſque [o]: puluilli, & ceruicalia ſub cubito manus, & capite [p] polypus colorẽ immutãs, vel chamæleon [q], ſiue metu, ſiue fraude [r]. Peius eſt incidere εἰς κόλακας, quàm εἰς κόρακας, in adulatores, quàm in coruos, dixit Antiſthenes, & Diogenes [ſ]. [Plus perſequitur lingua adulatoris, quam manus perſecutoris, ait Auguſtinus [t].] Laniſta clemens adulator eſt [u], εὔνους σφάκτης: adulatio θανάσιμ⊕ μελίκρατ⊕, *lethale mulſum*: μελιτίνη
D ἀγχόνη, *mellea præfocatio*. Tandem ſcitum eſt illud Catonis, multo meliùs de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces videantur [x]. Legenda quæ diſſerit Plutarchus de differentia adulatoris, & amici. Heſiodus [y] quidem primas dabat per ſeſe ſapienti, ſecundas qui rectè monenti pareret: at Zeno ſic ordine inuerſo pronunciabat;

Optimus ille quidem, qui paret recta monenti:
Sed probus ille quoque eſt, qui nouerit omnia per ſe.

Adeò bonum eſt corrigi, & corripi, potiſſimùm à ſapiente. Sed id nonniſi ſapiens admittet. *Si*
E *corripueris ſapientem*, ait Salomon [z], *intelliget ſapientiam*; &, *Plus proficiet correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum* [a]. Veruntamen *non amat ſtultus eũ, qui ſe corripit* [b]: quales de quibus Amos [c] teſtis eſt, quòd *odio habuerunt corripientem in porta*. Talibus dura ceruice corripientem contemnentibus, repentinus ſuperueniet interitus [d]: atque in hoc eorũ interitu ridebit Deus, qui neglexerint increpationes ipſius [e], eáſve, quas eius alij nomine fecerint. Nã *eſt & correptio mendax in ira cõtumelioſi* [f]; qui ſtultus eſt, neque curari debet. Grauiſſimum ſupplicium ſubtractio correctionis, quãdo dimittens nos Deus in deſideria cordis noſtri, iratus dicit [g]; *Veruntamen vnuſquiſque non iudicet, &*

a c.27.6.
b Pſ.140.5.
c c.30.22.
d 1.Cor.5.5.
e 2.Reg 20. 9.
f Mat.26.48. 49.
g Rom.vlt.
h Prou.1.10.
i Oſe.2.n. 78.& 79.
k Sap.4.12.
l Eſa.13.vlt.
m Thren.4.3.
n Ierem.5.26.
o Prou.29.5.
p Ezech 13. 18.
q Baſil.ora.de legen lib. Gent
r Ariſt.9.hiſt. animal.c.37. Plin.lib.9.c 29. Plutarch. opuſ terreſtriane, an aquatilia ſint calidiora.
ſ apophth.
t in Pſ.69.
u Cic.ad Q. fratrẽ.ep.1.
x idem in lib. de amicitia.
y in ergis.
z Prou.19.25.
a Prou.17.10
b Prou.15.12.
c c.5.10.
d Prou.29.1.
e Prouer.1. 25.26.
f Eccli.19.28.
g Oſee 4.4.5.

non arguatur vir, & cornes hodie. Castigat Dominus, quem diligit, & flagellat filium, quem recipit [a]: quos amat, arguit, & castigat [b]. Sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus noster [c]; & *multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium* [d].

a Hebr. 12. 6. Prou. 3. 12. b Apoc. 3. 19. c Deut. 8. 5.

Iudicat porrò Thaumaturgus acutè, sapientem vnicum qui corripiat, opponi stultis adulantibus. [Atqui multo magis, inquit, optandum sapientis vnius obiurgationem excipere, quam totius chori improborum, & miserorum hominum cantantium auditorem fieri.] Quamquam de adulatione propriè non explicat, vt nec Olympiodorus, qui de carmine musico, quod effœminat animum. Sed rectè Interpres intellexit adulationem, quæ suauis harmonia videtur: veruntamen si attendas, est inconditus sonus, pro vt mox subditur.

Vers. 7.] Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti: sed & hoc vanitas.

SIcut vox spinarum sub olla ardentium strepitum intuauem reddit, inquit Hieronymus, ita suauia, & palpantis magistri verba non proderunt, vel ad curas seculi, quæ spinæ interpretantur, auditores suos cohortantis, vel futuro eos incendio præparantis. Confirmat interpretatione Symmachi (*per vocem imperitorum vinculis quispiam colligatur*, διὰ τῆς φωνῆς ἀπαιδεύτων ἐν δεσμωτηρίῳ γίνεταί τις.) Eundem sensum innuit particula causalis, *quia*, כִּי *chi*, ὅτι, etiamsi Biblia Sixtiana non habeant, nec Ambrosius [e] citans hunc locum, mihíque placet magis, quàm de simplici stultorum risu, pro vt quos prius dixi, Thaumaturgus, & Olympiodorus exposuerunt. Hic verò similitudinis ex spinis rationem declarat; quia sicut ille fragor ardentium spinarum plane percipitur auditu, quamquam oculis nō cernatur; ita & immodestus cachinni sonus stultos facilè prodit: & quemadmodum à spinarum earum globo fumus attollitur; sic animam stulti risus, peccati sorde non carens, igni parat æterno. Adde fumum illum excœcare eum corā quo emittitur, & ignem æstum libidinis incendere, & in fauillam, ac nihilum spinas ipsas, hoc est, adulationes concidere.

e exhorta. ad virgines.

Eleganter tractatur hic etiam locus ab Ambrosio [f]. [Nempe spinæ cùm ardent, inquit, sonant, & citò exuruntur, vt nullus caloris sit effectus. Vnde & de Iudæis dictum est [g]; *Exarserunt sicut ignis in spinis*: exusti sunt enim suo risu, & cōflagrarunt in Domini passione, &c. Sic ergo est risus stultorum, qui sine gratia sonat, & ollam sui corporis vrit.] Rectè hoc postremum: inmoderatio namque risus noxia sanitati, vt attigi capite secundo [h], hísque quos ibi laudaui. In his Basilius [i] hoc loco damnari docebat ab Ecclesiaste risum in immanes prorumpentem cachinnos, corpore subsultante, animíque constātiæ, & grauitati maximè cōtrarium. Bonauentura resonantem, sed parum diu durantem stulti adulatoris laudem interpretatur. Hugo Cardinalis ponit eundem sensum, & per ollam intelligit cor magnatum, quod adulantis arrisione facilè accendatur: sed præfert hunc alium de illo ipso, qui ea laude decipitur, & gaudet de succensione sua, quę non est nisi crepitatio, totiésque crepat, quoties ridet de adulatione. De iisdem porrò illis Iudæis, eorúmque mendacibus cōtra Iesum testimoniis,

f ibidem. g Psal. 117. 12. h vers. 2. i reg. 17. ex brev.

A cecinit Sedulius [a] hac ipsa vsus comparatione;

a 4. Pasch.

——— *iam namque volant mendacia mille*
In Dominum, vanis hominum conflata fauillis,
Quæ pereunt leuitate sua, velut ignis oberrans
Arentes stipulas, vires cui summa cremandi
Materies infirma rapit, victóque furore
Labitur inualida deformis gloria flammæ.

Sonitus.] Græcè (φωνὴ, *vox*:) & poni vox potest pro rebus inanimatis, vt, *vox tonitrui in rota* [b], & aliàs sæpe. At קוֹל *kol* dicitur quoque de quolibet sonitu, ac strepitu, necnon φωνή.

b Psal. 76. 19.

Spinarum ardentium sub olla.] Interpres addidit, & bene (*ardentium*) sicut & Chaldæa paraphrasis: nec enim sonitus spinarum sub olla aliter editur. Hebraicè idem vocabulum in singulari סִיר *sir* est

B *olla*, in plurali סִירִים *sirim*, *spinæ*; genere autem fœminino סִירוֹת *siroth*, *ollæ*. Vnde hoc loco elegans habetur paronomasia. Nescio quid Symmacho in mentem venire potuerit in sua illa explicatione, quam antea recitauimus. Hieronymus illum sic exponit: ad vocem talis præceptoris adulantis, & palpantis, magis auditor innectitur, dum vinculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Forsitan legit שִׁירִין *schirin*, & שִׁיר *schir*, pro *catena*, vel *hamo*. Sed Chaldæum potiùs nomen est, significans ornamenti genus, id est, monile hamatum, seu armillam. Hebræi idem exprimunt nomine plurali שֵׁירוֹת *scheroth*. Vtralibet lingua litera ש habet punctum in latere dextro, sicque

C non potest censeri positum pro ס, quod leniùs pronunciatur, sicut ש affectum puncto in cornu sinistro.

Sed & hoc vanitas.] Non obliuiscitur concionator thematis; & opportunè nunc reperit, ne quis risum tanti faciat: & quia adulatio, inquit Hugo Cardinalis, euacuat adulantem, atque illum, cui fit adulatio. Posset hoc etiam referri ad sententiam versus sexti, quia nonnunquam non parum redundat in corripientem molestiæ, cùm soleat veritas odium parere: posśitque ille inde damnum pati, vt calumniam, de qua sequenti versu.

D *Vers. 8.*] Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.

EXemplo sit mitissimus alioqui Moses [c], quem ad vehementem iram factio Core, Dathan, & Abiron [d], populi quoque murmur concitauit [e], & ad querimoniam cum Deo ipso. Vexatus est propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius [f]. Cauendum ne vel quemquam ipsi calumniemur, vel cum calumniatoribus, ac litigiosis versemur, sed potiùs cōsentientes simus cum aduersario [g], quando nec sapiens aduersùs calumnias infractus persistit, aut nonnihil cōcutitur; is certè qui nondum solidam sapientiæ perfectionem, vt Hiero-

E nymus, Albinus, Salonius, aliíque declarant, consecutus est. Olympiodorus postquam idem dixit de neophyti anima nondum satis roborata, concedit perfectos etiam sapientes pulsari absonis, impiísque cogitationibus contra prouidentiam Dei, quando iustos vident grauiter premi, nec tamen ipsos superari. Talem fuisse Dauid, qui cùm dixisset [h]; *Penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns*, subiunxit: *Facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam* [i]. Denique docet hunc sapientem, cùm ceciderit, non collidi in tentationibus [k].

c Num. 12. 3. d Num. 16. & seq. e Num. 20. 11. & seq. Exod. 17. 2. f Psal. 105. 32. 33. g Matth. 5. 25. h Psal. 72. 2. i ibid. 19. k Psal. 36. 24.

Itaque calumnia, quod in se est, conturbat sapientem, & perdit robur cordis eius, dum, vt ait Thaumaturgus, insidias struit, & constantiam labefactare molitur.

Bonauentura secutus primam expositionem, reiicit aliam, quòd sapiens conturbetur non impatientia, sed compassione propter calumniam, quæ aliis infertur, iuxta illud; *Quis scandalizatur, & ego non vror* [a]? (2.Cor.11. 29.) Illa namque verba alia (*& perdet robur eius*) videntur obstare. Sed non obstabũt, si perditum robur intelligamus eo modo, quo se Apostolus vri, atque infirmari dicit, vel Dauid tabescere præ zelo [b]. (Psal 118. 134.) Meritò idem ipse redimi orabat à calumniis hominum, vt custodiret mandata Dei [c] (ibidem.): & alius timebat calumniam mendacem [d] (Eccli.26.6.). [Qui opprimitur, inquit Ambrosius [e] (in Psa.118. serm.18.), calumnia, non facilè potest custodire mandata diuina: tristitiæ necesse est plerumque, aut timori cedat, & affligatur, vel metu calumniæ, vel dolore.] Audi Basilium [f] (epist.82.) de sua querentem calumnia, cùm ei hæresis imponeretur. [Ad hasce literas animatus, vt par erat, & ad tam inopinam ac subitam immutationem animo perculsus, nec respondere quidem poteram; palpitabat enim mihi cor, lingua me destituebat, & planè patiebar, quod animo solet parum forti accidere; indicandũ enim quod verum est, & tamen venia dignum. Deinde parum aberat, quin odium erga humanum genus exorbitassem, suspectíque mihi fuissent omnes hominum mores, arbitranti in natura humana non esse charitatis bonum, sed verba quædam plausibilia ad ornatum, & cultum eorum, quibus vti velis conficta: affectum verò illorum secundum veritatem non inesse cordi humano, &c.] Hinc Sanctorum quoque aliorum pro seipsis, & pro Christianis apologiæ. Idémque Basilius [g] (orat. de in... id), & Gregorius Magnus [h] (libr.8.epist. 5.) calumnias refellendas docent, vt scandalum vitetur.

Calumnia.] *Calumniæ* vox latiùs patet, significátque iniuriam quoque factis, non verbis tantum factam. Hebræum nomen עשק *hheschek* hoc loco propriè est *oppressio*, vt alias docuimus eodem isto libro, agentes simul de Græco τῆς συκοφαντίας, quod hîc ponitur. Sæpe *calumniam*, vel *calumniari* reddit Interpres pro eo quod est, quauis iniuria siue factis, siue verbis afficere, vt notauit Iansenius [i] (Prouer.14. 1.). Quemadmodum & *exprobrandi* verbum non significat semper improperare, sed probrum, aut dedecus inferre, quacunque ratione id fiat. Vatablus hîc intelligit diuitias vi comparatas, & calumnia; sed minùs ad rem.

Conturbat.] Græcè (περιφέρει, *circumfert, circumagit*) vulgò (*gli volta il ceruello*) Hebraicè (יְהוֹלֵל *ieholel, insanire faciet.*) Lege de vtroque verbo capite primo [k] (vers.17.). Chaldaicè (יְהַתֵּל *iehathel, decipiet*) Aquila (πλανήσει, *seducet*) Symmachus (θορυβήσει, *turbabit.*) Non refert diuersitas temporis: præsens denotat id quod fit: futurum, id quod fieri solet, & potest; ac frequenter eiusmodi permutatio reperitur in editionibus absque iactura, vel discrepantia sententiæ.

Et perdet robur cordis illius.] Hebraicè (*& perdet cor donum*) id est, munera excæcant cor sapientis [l] (Deut.16.19.), inquit Caietanus: frangit oppressio cor præclaris dotibus ornatũ. Isidorus Clarius contexens cum extremo priore versu (*sed & hoc vanitas*) exponit, quòd interim neque sapientis obiurgatio vanitate caret, quia mali si obiurgentur, quòd alios opprimant, affligunt sapientem, & perdere conantur eum, qui cor habet tam insigni sapientiæ dono exornatum. Græcè (καὶ ἀπολλύει τὴν καρδίαν εὐγενείας αὐτοῦ, *& perdit cor generositatis*, siue *nobilitatis eius*, & *fortitudinis*, atque *vigoris*) Biblia Sixtiana (ἀπόλλυσι pro ἀπολλύει, eodem sensu.) Quidam codices habent (εὐτονίαν τῆς καρδίας αὐτοῦ, *vigorem*, & *constantiam*, ac *bonum tenorem cordis eius.*) Hieronymus testis est, Symmachum reddidisse *donum*, quod Hebraicè est מַתָּנָה *mathanah*, & facere illum sensum, quem dixi Caietano placuisse, qui alibi scriptus est; *excæcant munera* etiam *sapientum oculos* [a]. (a Deut.16.19.) Approbat quoque Arboreus. Mihi melior videtur alius iam allatus. Chaldæus (*etenim violentia decipiet sapientem, & perdet per eloquia mala sapientiam cordis, quæ data fuerit ei dono cœlitus.*) Coniunxit donum, & sapientiam; hanc interpretans esse donum, quod habet Hebraica editio: sed non debuit eloquia mala sola ponere, cùm per facta quoque perdatur sapientia.

Vers. 9.] Melior est finis orationis, quàm principium. Melior est patiens arrogante.

ORatio Hebraicè hoc loco est דָּבָר *dabar*, quod Chaldaicè exponitur עִסְקָא *hhisska, negotium*, Græcè λόγοι, *sermones*, aut λόγος in singulari (ἀγαθὴ ἐσχάτη λόγων, vel λόγου, *bonum est nouissimum sermonum*, aut *sermonis*) vetus translatio (*melius est nouissimum sermonis*) Symmachus (βέλτιον τέλος λόγου ἢ ἀρχῆς αὐτοῦ, *melior est finis orationis principio eius.*) Interpretatio Chaldaica generalior est, meliorem esse cuiusuis exitum negotij, quia finitur tunc negotiantis sollicitudo; vel, vt explicabat Hebræus Hieronymi doctor, iungens istud cum sequenti membro, melius est te finem considerare negotij, quàm principium, & patientem esse, videlicet in maturè tractando negotio, quàm impatientiæ furore raptari. Hebræum nomen in lata significatione sua complectitur etiam istam pro negotio, & re quacunque. Hieronymus intelligit de integra oratione, cuius melior sit epilogus, quàm exordium, nempe propter dictam causam de sollicitudine.

Tertiam expositionem dat; qui incipit audire sermonem, & ad præceptorem vadit, in principio est: qui verò extrema audit, consummatus est, atque perfectus, recogitans quid sit dictum. Quartam quoque; dum in isto seculo sumus, quod scimus, omne principium est: cùm autem venerit quod perfectum est, in nouissimis, & consummatis erimus. Duo postremi sensus docent, nullam in nobis esse sapientiam, vt ait idem Hieronymus, cùm melius sit tacere, quàm proloqui. Albinus quinto loco his addit, meliorem esse consummatam iustitiam, quàm inchoatam, quia illa victoriam præstat, ista certare incipit. Eodem recidit Bonauentura, volens agi de perseuerantia iustitiæ inchoatæ. Hoc etiam inter alia tradit Hugo Cardinalis, & Carthusianus. Thaumaturgus interpretatur de perorante, dicendíque finem faciente. Olympiodorus eodem pacto; sed orationem sumit, in qua agitur de virtute: neque enim solùm cœpisse pulchrũ esse, verùm multo magis rei cœptæ finem imposuisse. Hugo Cardinalis autem de qualibet oratione Rhetorica; tum verò de Theologica, qua oramus Deum (in quo concordat Carthusianus) & de concione: simúlque vult notari, vel qui præcipitant sententiam, priùs respondentes, quàm audiant [b] (b Prou.18. 13.), vel qui concionis

finem

finem non expectant, aut complementum scientiæ quam ediscunt, prælibando, non se inebriando [a]; adiice, qui Missæ sacrificio, vel horis canonicis integris non intersunt. Hæc omnia, idque quod vterque Græcus Pater docuit, ad primum dicendi modum, quem retulimus ex Hieronymo, possunt referri.

a can 5

Sextus est eiusdem Hugonis, vt vniuersa lex scripta censeatur oratio vnica, cuius principio, qui est timor, multo sit melior finis charitas. Lyranus orationem pro precibus ad Deum accipit; sic verò sententiam cum superiore nectit, vt melior sit calumniam passi finis orationis, quia is orare cœpit tristis; sequitur postea diuina consolatio, per quam redditur patiens, pro vt altero versus huius membro continetur. Placent adhuc allata: vetumtamen adhæret, vt equidem iudico, magis auctoris ad mentem, vt de perseuerantia in instituto loqui nunc interpretemur. Quòd si colligatas velimus has esse sententias, & non potiùs dissita quædam apophthegmata, nō incommodè admonitionem hîc obseruabimus eius, qui, vt versu priore vidimus, periclitabatur propter illatam sibi calumniam, non sinat videlicet se dimoueri de statu, nec quod alacriter iniuit, deserat, sed strenuè quicquid calumnientur alij, prosequatur; meliorem quippe negotij finem esse, principia, mediáque difficiliora & molestiora. Præfert meritò sensum istum Titelmannus alteri de precationibus. Caietanus eundem probat, etsi idcirco, quòd per finem orationis, quam propriè pro locutione accipit, perfectionē cuiuslibet rei Salomonem intellexisse dicat. Moringus idem sentit. Mihi quoque, saltem in gratiam editionis vulgatæ, annotatio necessaria videtur, quia non memini *orationis* vocem pro re, vel negotio sumptam, vt sumitur nomen *verbi*, & *sermonis*, sicut & דָּבָר *dabar*, atque λόγος. Soli promittitur salus perseueranti [b]: nec Deo victima sine cauda placet [c]: fidelis vsque ad mortem accipit coronam [d]: in tempore tentationis recedens exarescit [e]: brauium reportat, qui stadium decurrit [f]: vincens coronatur, gustátque manna, nouo nomine insignitur, donatur pretioso calculo [g]. Lege Augustini librum de bono perseuerantiæ, & epistolam Bernardi ad Ianuenses [h]. Quemadmodum verò Delrius [i] lectores suos iubet petere à me Pattum de hoc loco, ac de perseuerantia sententias; ita vicissim ego meos ad eundem remitto pro auctoribus profanis, Horatio [k], Pindaro [l], Herodoto [m], Cicerone [n], Ouidio, qui dimidium facti collocāt in bene cœptis, vt is totum duntaxat habeat, qui finiit, & finis coronet opus, exitus acta probet; omnia tunc bona sint, clausula quando bona est; vltima semper expectāda sit dies homini, dicique beatus ante obitum nemo supremáque funera possit, vt Solon etiam respondit; & sit γλυκὺ ἀνθρώπῳ τέλος, *dulcis homini finis*; dij primis minentur extis, bene promittant secundis. Alium sensum habet alia parœmia Hesiodi [o], de qua etiam Plato [p], πλέον ἥμισυ παντός, *plus medium toto*, nempe id, quod mediocre, melius quàm extrema: aliter [q], μέτρον ἄριστον, *modus optimus*: &c, μηδὲν [r] ἄγαν, *nibil nimis*; quibus extant in Plauto [s], Plinio [t], aliis, affinia; de quibus etiam nos ipsi postea versu 17.

b Matt. 10. 22. 24. 13. c Leu. 3. 9. d Apoc. 2. 10. e Mar. 4. 6. f 1. Cor. 9. 24. g Apoc. 2. 17. h epist. [illegible] i tom. 2 A disq. in 3 [illegible] k lib. 1. epist. l Pyth. ode [illegible] m lib. 7. n 2 de diui[n]. o in ergis. p 3. de legib. & 4. de Repub. q ex Cleob. r et Pittaco. s in Pœnulo. t lib. 11. c. 34.

Melior est patiens arrogante.] Hebraicè (*bona, siue melior longitudo spiritus, aut longanimitas*, ארך רוח *erech ruach, quàm elatio & superbia spiritus*, גבה רוח *gebah ruach*) Græcè (μακρόθυμος ὑπὲρ ὑψηλὸν πνεύματι) Symmachus (ὑψηλοκάρδιον, *excelsum corde*) Chaldæus (*melior est ante Dominum vir, qui imperat spiritui suo, & subigit concupiscentiam suam, quam vir qui ambulat in tumore spiritus.*) Primæ duæ dictiones Hebrææ pertinent ad refrenandam iram, sicut ארך אפים *erech appaim*, potiùs quàm ad concupiscentiam, aliásve perturbationes; quod vult tamen etiam Caietanus, necnon Thaumaturgus interpretans moderationem morum. Vetus translatio (*melior est patiens, quàm excelsus spiritu.*) Dixi superiùs nonnullos hoc membrum cum primo ita coniungere, vt sit satius patientiam retinere in suscepto negotio, quàm abripi furore præcipiti, vel animi quodam fastu, quo iam actum putes, quod vix aggressus sis. Hieronymus, quique sequi solent ipsum, vt Albinus, putant occurri ei, qui quod quarto versu dictum fuerat, iram risu meliorem esse, persuaderet sibi simpliciter iram bonam esse, illam scilicet, quæ est in passione; ibi pro correctione in peccantes, & eruditione in minores, iram positam: hîc non tantùm impatientiam refrenari in angustiis, sed vt & in lætioribus non plus quàm condecet, exaltemur, humiles spiritu, quos beatos prædicat Christus [a]: nec, vt ait Lyranus, gloriosè iactantes vindictam. Sensus est etiam, quamuis videatur litis aliquem contestatio, multarúmque delatio calumniarum opprimere, quę fit ab arrogante, calumniatore, aliorum contemptore; tamen illum, qui patienter tolerat, longè esse meliorem, quia & melior est finis orationis, id est, extrema sententia, quæ veritatem deteget, calumniam absterget.

a Matth. 5. 3.

Commendatur patientia, inquit Bonauentura, sine qua non potest esse constantia, quæ nimirum proximè antè commendata est. Gregorius [b] ex impatientia docet per hoc testimonium nasci arrogantiam, quia dum despici in mundo hoc quisque non patitur, bona, si qua sibi occulta sunt, ostentare conatur, & eligit bona de se vel falsa iactari, ne mala possit vel minima perpeti. Infinitus sim, si vel patientiæ laudes, vel reprehensionem arrogantiæ etiam indicare velim. Patientia nobis necessaria est [c]: per eam fructus fit [d]: curritur ad propositum nobis certamen [e]: perfectum opus habet [f]: in ea possidebimus animas nostras [g]: nulla virtus, nulla ex octo illis beatitudinibus absque patiētia existit, præceptum nullum perfectè obseruatur, cuius contrarium omnis est matrix delicti, vt probat Tertullianus libro de patientia [h]: quo etiam de argumento Cyprianus, imitator Tertulliani, egregiū tractatum scripsit, necnon Augustinus [i]. Ostendit idem Tertullianus [k] epitheta illa omnia tam egregia, quibus charitatem Paulus describit [l], charitati à patientia esse, & vtilitates eiusdem viginti sex cum Cypriano recenset, quas colligit Feuardentius [m]. [Vultus illi tranquillus (ait Tertullianus [n], depingens patientiam pulcherrimis coloribus, ornamentis, habitu, ac gestu) & placidus, frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis: os taciturnitatis honore signatum: color qualis securis & innoxiis: motus frequens capitis in diabolum, & minax risus. Cæterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impressus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno spiritus eius mitissimi, & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis, apertus, & simplex, quem tertiò vidit

b 1. p. Pastoralis admonit. 10.

c Hebr. 10. 36. d Luc. 8. 15. e Hebr. 12. 1. f Iacob. 1. 4. g Luc. 21. 19. h c. 1. & 15. i tom. 4. k sup. c. 12. l 1. Cor. 13. 4. & seq. m in c. 1 Epist. Iacobi. n de patient. c. 15.

Elias [a]. Nam vbi Deus, ibidē & alumna eius, patientia scilicet.] Non potuerunt hæc propter elegantiā tantam, & adeò expressam patiētiæ imaginem, & ad viuum repræsentatam, omitti. Prudentius exprimere proculdubio Tertul. videtur, cùm in Psychomachia patientiam hoc modo laudat:

Omnibus vna comes virtutibus associatur,
Auxiliúmque suum fortis patientia miscet:
Nulla anceps luctamen init virtute sine ista;
Virtus nam vidua est, quam non patientia firmat.

Hactenus laus; pictura eiusdem talis:

Ecce modesta grauis stabat patientia vultu,
Per medias immota acies, variósque tumultus,
Vulneráque, & rigidis vitalia peruia pilis
Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.

Non afferemus laudationes Gentilium, in quibus, auctore Tertulliano [b], falsa & probrosa patientia est; quíque tanti boni nomen fœdis operationibus occupant, impatientes solius Dei, & quorum patientiam patientia subter ignis expectat. In fine faciam, quod idem ille in principio, locutum pauca de patientia pudet, cui præstandæ idoneus omnino non sim; atque cum Cypriano [c] (qui pariter tam dicit apud Philosophos patientiam falsam esse, quàm & falsa sapientia est) lectoris implorabo patientiam, non vt ipse antè, sed hîc postquam ista perlegit. Ac ne abutar eadem patientia nimium mihi arrogans, arrogantiç nunc vituperationem non attingam, quam vel arrogantissimus ferre in alio non potest, sed odit, sed auersatur, sed execratur. Hugo Cardinalis decem, quas vocat iniquitates arrogantiæ, hoc loco enumerat, & declarat.

Melior.] Olympiodorus, ac Bonauentura notant non fieri comparationem, quasi bona sit arrogantia, patientia melior. Quæ catachresis præcedentibus quoque versibus fuit, & alibi non ratò; vt, *bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine* [d].

a 3. Reg. 19. b de patientia. c. vlt. c de bono patien. c. 1. d Ps. 117. 8.

Vers. 10.] Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.

QVia melior est ad iniurias, calumniásque patientia, quàm arrogantia vindictæ appetens, consequens fit, haud irascendum temerè, leuísque de causa, vt faciunt stulti, quorū conquiescit ira in sinu. *Sit omnis homo tardus ad iram*, præcipit Iacobus Apostolus [e]. Quæ biliosa est ira, siue fellea, quæ dici potest excandescentia, vel passio, citò accenditur, citóque quiescit, vt docet Gregorius [f]: tenacior vocatur iracundia, quando retinetur diu memoria, quam quis accepit iniuriæ: infensiorem nominant furorem, nec extinguitur donec vindictam peregerit. Lentè, atque consideratè irasci non negat Ecclesiastes, etsi id velle Hieronymus videtur, eo quòd cùm furens, & recens fuerit ira dilata, faciliùs possit auferri; sed, vt ait Albinus, sequi Hieronymum alioqui solitus, inconsideratè. Ita quoque cæteri intelligunt tum Græci, tum Latini. Nam irasci virtus potest esse, non vitium: prorsus non irasci, vituperabile quandoque, non laude dignum, sicut, præter eos, quos citaui versu quarto, docent Iustinus [g], Hilarius [h], Augustinus [i]. Bonarum actionum Basilius [k] ministram vocat; Cicero [l] cotem fortitudinis; Gregorius [m] instrumentum virtutis, & ancillam. Denique ad Christi sententiam [n]; *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, Græci addunt, *εἰκῆ, sine causa*, non Interpretes tantùm; sed Irenæus [a] quoque, Iustinus [b], & ex Latinis Augustinus [c], aliique. Sed Augustinus premit verba eiusdem Iacobi; *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur*: quod item facit Ephrem [d], Damascenus [e], Cassianus [f]. Hic præterea perpendit sententiam Dauid; *Turbatus est in ira oculus meus* [g]. Imaginem turpem iræ si quis auet intueri, legat Basilium [h], Senecam [i], Plutarchum [k]. Imò verò iuuat Platonis sequi consilium, vt nosmetipsos irati contemplemur in speculo, vt dedecore tanto, quod apparebit in facie, deterriti, moderemur perturbationi, quæ furiosis nos ac phreneticis simillimos reddit [l]. Notum & illud Athenedori documentum Augusto datum, cùm eum ira cepisset, nil diceret antè, vel faceret, quàm secum viginti quatuor Græca percurrisset elementa literarum [m]. Nec minùs vulgò cognita lex à Theodosio lata, quem ira subita præcipitauerat in homicidia, vt iuxta monitum Ambrosij dies abirent triginta, prinsquàm de capite sententia Imperatoris executioni mandaretur [n]. Claudat Ambrosius [o] locum istum (sunt namque multa nimis, quæ ex aliis auctoribus, nostro præsertim, possent proferri) suo illo præclaro, atque maximè accommodato apophthegmate. [Qui citò monetur iniuria, facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri.]

Chaldæus non de iracundia aduersùs illatas calumnias, sed interpretatur de calamitate diuinitùs immissa, contra quam quis obmurmuraret, ac indigna loquatur (*& in tempore, quo veniet*, inquit, *super te correctio de cœlis, ne festines in anima tua vt incalescas.*) Hoc quoque pacto Hebraicè est, atque Græcè (*ne festines in spiritu tuo*, vel *in ira, ad irascendum, & dicas verba contumaciæ contra cœlum: etenim si tu sustinens fueris, remittetur tibi.*)

Quia ira in sinu stulti requiescit.] Hebraicè & Græcè (*requiescet.*) Nomen etiam Hebraicum כַּעַס *chabhas*, & Græcum θυμὸς significant iram vehementiorem, siue furorem: tamen simplicem quoque, & Symmachus habet ὀργὴ. Chaldæus Paraphrastes (*& si tu exacerbaueris, & incalueris, scito quod furor in sinu stultorum quiescet, quoad perire faciat eos.*) Exemplo sit Nabal, qui iuxta nomen stultus erat, & stulta indignatione mortuus est [p]. Testatur amicus etiam Iob [q], quòd *verè virum stultum interficit iracundia*; Hebraicè אֱוִיל *euil, temerarium, audacem, imprudentem, affectu percitum immoderato*, vel *insania, impatientia, ira, quique per furorem effutiat multa.* Sed sensus hic videtur, in stulto habitum iracundiæ residere, vt transeat in affectum cordis, sítque in eius mente, atque capite, quod hoc loco, vt ait Olympiodorus, sinus vocatur, tanquam receptaculum, sedésque: vel vt aliter aptè quidem idem exponit, iram foueri ab stulto, húncque illi blandiendo indulgere, & adulari; denique, quod vno verbo Thaumaturgus dixit, ipsi seruire, varias prætexendo rationes, quibus sibi meritò, sapientérque videatur irasci. Quocirca rectè stultus nominatur iracundus, imò, vt ante dixi, furiosus, ac phreneticus, quo plurimi pacto loquuntur ex scriptoribus quoque profanis. *Superbus, & arrogans vocatur indoctus*, inquit Salomon [r], *qui in ira operatur superbiam*: &; *Graue* [s] *est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior.* Pro *indocto* Hebraicè est לֵץ *lets, irrisor*, aut *pestilens*: tamen bene Hieronymus *indoctum* vertit; *Doctrina enim viri per patientiam noscitur* [t]. [Tanto ergo quisque minùs ostēditur doctus, infert Gregorius [u], quanto

e Epist. c. 1. 19. f 5. moral. c. 30. g q. 80. ad orthod. h in Ps. 59. i serm. 26. de ver. Domin. k orat. cont. irascen. l Tuscul. 4. m 5. moral. c. 31. n Matth. 5. 22.

a lib. 4. c. 37. b epist. ad Zenam, & Serenum. c 1 de serm. in monte. d ser. de virtutib. & vitiis. e de irac. e 3. parall. c. 12. f collat. 8. c. 1. g Psal 6. 8. h orat. cont. irascen. i 1. de ira. c. 1. k opuscul. de ira cohiben. l Fulgosius 7. exemplo. c. 1. m Plutarch. n Ruffinus. o 1. offic. c. 4. p 1. Reg. 25. 5. 38. q c. 5. 2. r Prouer. 21. 24. s c. 27. 3. t Prouer. 19. 11. u hom 35. in Euang.

conuincitur minùs patiens.] Vnde Poëta [a];

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Disciculus idem Gregorius [b] multis verbis de ira, de præsenti loco sic agit. [Per iram sapientia perditur, vt quid, quove ordine agendum sit, omnino nesciat, sicut scriptum est; *Ira in sinu stulti requiescit:* quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cùm mentem permouendo confundit.]

In sinu requiescit.] Aptus duplex Olympiodori recitatus sensus, condimus enim in sinu quod seruatum volumus, & fouemus, ac diligimus. Nō intelligo quid Hugo Cardinalis velit, quando præcipi dicit ista sententia tota, vt quiescat ira in corde, nec exeat foras, vel saltem sit ad motum tarda, *quia ira in sinu stulti requiescit*, quod plus est, inquit, quam esse tardam ad motum. Hoc, opinor, nequit aliter intelligi, quàm de planè stupido stultorum quodam genere, quos nihil commouet, nulla tangit ira; sicque moderatus iræ vlus commendabitur, ne vel in ea prorsus ἀπαθεῖς, vel προπετεῖς simus. Scio & parœmiali phrasi aliquid in alicuius dici sinu, ait quempiam quippiā habere in sinu, pro eo quod est in potestate sua habere. Hoc pacto stultus habet iram in sinu; tam facile namque irascitur, quam quis de sinu, quod habet, extrahit: sed multo melius sapiens, qui sui compos, ac sub sua continens iram potestate, non eam excitat nisi loco, & tempore, omníque cætera adhibita circumstantia. Sol occidit super iracundiam stulti [c], dum fouet eam, sicque dat locum diabolo, dum non dat locum iræ, id est, admittit diabolum, dum iram nō reiicit: dare enim locum alicui duo ista significat, excipere, refutare. Aut ita intelligendum est illud; *Sol non occidat super iracundiam vestram*, inquit Augustinus [d], quod breuissimo tempore permanere debet ira, quæ est infirmitatis mortalitatis, quam portamus: aut quòd non occidat Sol iustitiæ, & veritatis Christus, qui per fidem in anima hominis habitat, illam illustrans, qui si tantam videat iracundiam, occidere potest ab anima, vt illam deserat. Alij lumen rationis Solem intelligunt, quasi moneat Apostolus, ne sic nobis inhæreat ira, vt recta ratio depereat in nobis. Finiam hic quoque cum Ambrosio [e]. [Quam pulchrum & illud, inquit: *Noli festinare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu stultorum requiescit*, hoc est, etsi causa sit, quæ moueat indignationem, non sit festina vindicta, ne immoderatius calor indignationis exæstuet. Non potest igitur auferre quod naturalis est motus, sed moram inserit, vt medicina consilij temperet iracundiam.] Cōfirmat testimonio Psalmi, de quo priùs diximus; *Irascimini, & nolite peccare* [f]. Magna stultitia iram gestare in sinu, tanquam rem charissimam, familiarissimam, ac per modum habitus.

Vers. 11.] Ne dicas: Quid putas causæ est quòd priora tempora meliora fuére quam nunc sunt? stulta enim est huiuscemodi interrogatio.

IN hicat Chaldæus, eiusmodi sententiam vsurpari solere ab iis, qui se constitutos vident in aliqua molestia. Hieronymus tribus exponit modis, nec meliores fuisse sub Mose, & sub Christo, quam nunc dies, cum reperiantur hoc tempore multi credentes, qui sunt etiam beatiores iis, qui viderunt [g]; nec meliorem legem Mosis lege Christi: postremò sic viuendum, vt semper præsentes dies meliores nobis sint, quàm præteriti; ne dici nobis possit, cum paulatim decrescere cœperimus [a]: *Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire?* &, incipientes spiritu, nunc carne consummamini [b]. Veteris, nouíque seculi conditor idem Deus: virtutes bonos dies viuenti faciunt; vitia malos. Sequitur Albinus Hieronymum, atque Salonius, & idem Hieronymus eodem pacto, dum exponit Amos [c], locum tractat præsentem. Thaumaturgus innuit querimoniam, quæstionemque esse de maioribus priscorum diuitiis, videturque colligere ex sequenti versu, in quo iuncta diuitiis præfertur sapientia, quandocunque videlicet hæc affuerit, cùm à tempore non pēdeat. Olympiodorus amplectitur multas querulorum voces, quòd priscis Deus modò per Angelos, modò loqui soleret per Prophetas: quòd iis liceret multas vxores accipere, diuitias multas possidere: quòd ipsimet olim auxilio diuinæ gratiæ protegerentur, nunc deserantur, ita vt operari bona nō possint: quòd tempestate nostra mundus his malis hominibus refertus sit, aliique boni dies, alij mali sint: cæterùm qui duce virtute suam moderetur vitam, de vita transire in vitam, proficere de fide in fidem operibus bonis: dierum differentiam nullam facere: stultas huiusmodi quæstiones congruis rationibus euertere.

In capite primo docuimus nihil sub Sole nouum nostro videri tempore, secundum humanos quoque mores quadantenus; excipi tamen res supernaturales. Sane constat meliorē legis Euangelicæ conditionem esse: non sine ratione Sancti etiam nonnulli suorum calamitatem temporum lamentabātur; idque licebat iis vsurpare, o tempora, o mores [d]! *Totus mundus in maligno positus est*, dicebat Ioannes [e], &; *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* [f]: *quoniam omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*; &, *Antichristus iam venit* [g]; &, *nolite omni spiritui credere* [h]. Paulus [i]; *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*: & [k]; *Videte canes, videte concisionem, videte operarios malos*. Iacobus [l]; *Agite diuites, plorate vlulantes*. Petrus, & Iudas in Epistolis. Ante diluuium *omnis caro corruperat viam suam* [m]: Moses vocat sui temporis generationem prauam & peruersam, populum stultum, & insipientem [n]: Esaias [o] principes Sodomorum, populum Gomorrhæ, Ezechiel, & cæteri Prophetæ: Dauid omnem hominem mendacem [p], nec ad vnum esse qui faciat bonum [q]. Reuoluendæ quoque historiæ profanæ, & Ecclesiasticæ, in quibus cuiuslibet seculi narratur, accusatúrque malitia.

At insipienter, impiéque faciunt, qui Dei accusant prouidentiam, eo modo, quem recitati auctores notarūt, & cum iisdem adhuc enucleatius Hugo Cardinalis, qui addit conquerentes miracula nunc non fieri: docet præterea cur infirmiorem illam priorem ætatem talibus adminiculis oportuerit sustentari, vel allici: quare modò non sit adeò vacandi vitæ contemplatiuæ opportunum, vt primis, ac mediis etiam seculis Ecclesiæ. Adde pacis, feracitatis, ingeniorum, artium, scientiarum, opum, & similium rerum, quam vulgus temerè causari solet, prioribus ætatibus maiorem copiam.

Vno verbo satisfacit tertij capitis axioma [r]; *Omnia tempus habent*. & qui virtutibus instructus est,

c Ephes.4.
d in Psal.25.
f Psal.4.5.
a Galat.5.7.
b Galat.3.3.
c in c.6. sub princ.
d Cic. Catil. 1. initio.
e 1. Epist.5.19.
f ibid.2.15.16.
g ibid.18.
h c.4. eiusdē Epist. vers.1.
i Ephes.5.15.16.
k Philip.3.2.
l Epist.c.5.1.
m Gene.6.12.
n Deut.32.5.6.
o c.1.10.
p Psal.115.11.
q Psal.13.1.
r vers.1.

est, ad omne se tempus attemperat. Senum solet esse hoc vitium, qui queruli sunt, suspiciosi, accusandi studiosi, ac præteritarum narratores rerum, vt ait Aristoteles [a], priùs abs se gestorum laudatores summa quadam φιλαυτίᾳ, vt ait Plutarchus [b], & ex eo quem habent vsu, simul cum quadam impotentia res fruendi præsentes, deteriùs de istis æstimant, quàm de retrò iam lapsis; opinionem sibi quoque hinc auctoritatémque creare studentes. Obliuio item senum naturalis morbus in causa est, vt ad mala, quæ vident attenti, quæ olim abierint immemores, quorum sumunt experimentum, pluris æstiment.

a 2. Rheto. c. 13.
b opusc. de sua ipsius laude.

Difficilis (est senex) *querulus, laudator temporis acti*
Se puero, censor, castigatórque minorum, inquit Horatius [c].

c in Arte Poet.

Et Cornelius Gallus:

Laudat præteritos, præsentes despicit annos;
Deficit auditor, non deficit ipse loquendo.

Et Virgilius [d] de Euandro:

d 8. Aeneid.

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos,
Qualis eram cùm primam aciem Præneste sub ipsa
Straui: ——

Lege Macrobium [e], qui Plutarchum videtur ex sympoliacis transcripsisse. Carthusianus confert paulo distinctiùs triplicis legis tempora, naturalis, scriptæ, Euangelicæ, atque huius ipsius varias velut ætates. Et quod ad vltimam quidem pertinet, ait meliores dies fuisse sub Apostolis intensiuè, postea extensiuè, diuulgato vbique Euangelio: cùm vigerent persecutiones tum malitia culpæ, tum pœnæ peiores: postremò sumendo vniuersam temporis amplitudinem Euangelici, variarum, ita vt quandoque meliùs, nonnunquam res deteriùs haberent, modò mores emendatiores, aliàs corruptiores, nunc in vna parte Christianitatis, deinde in alia. Lyranus docet, cuiusque legis primordia, primáque tempora meliora fuisse. Hæc omnia concedi possunt. Sed quia non vno modo comparatio fit, & quoniam abutebantur quidam hoc quasi prætextu negligentiæ, ac malitiæ, meritò generalis reprehensio hic ponitur. De hac ipsa sententia tota Sebastianus à Costa [f].

e lib. 7. c. 2.
f in Thre. pag. 303.

Quid putas causæ est.] Editiones aliæ *(quid fuit.)* Libenter hoc modo vertit Interpres, vel *(putásne)* sicut vulgò dicimus (*che cosa è questa? ò, che cosa è stata questa?*) id est, vnde hoc? quæ huius causa? &c. & sæpe ad quasuis interrogationes adhibet hanc formulam, vbi non respondet *putandi* verbo aliud in editionibus. Solemus quoque dicere interrogantes (*che pensate, ò donde pensate che nasca questo?* vel, *qual' pensate sia la cosa*, &c.)

Tempora.] Aliæ editiones (*dies.*) *Tempus* ita quandoque sumitur, necnon pro anno: sed & vicissim *diei* nomine tempus quodlibet intelligitur.

Stulta enim est huiuscemodi interrogatio.] In aliis editionibus (*quia non in sapientia interrogasti de hoc.*) Stultitiæ huius causas potes ex dictis colligere. Emmanuel Sà illam reddit, quòd sit per se notum res semper in peius ruere. Id quodammodo verum est in rebus præsertim naturalibus, quarum consenescit vigor, & elanguescit, vt in plantis, animalibus, homine ipso videre est. Quod in vnaquaque contingit ex rebus istis, hoc & in omnium vniuersitate contingere, maioréque animali mundo minùs videri mirum debet. Isidorus Clarius, quia manifestum est habuisse priora tempora, sicut & hæc nostra habent, incommoda sua. Cùm autem adeò quotidianum, támque familiare passim suppetat experimentum, talis percontatio haud sanè proficiscitur ex sapientia, vel prudentia. Symmachus (οὐ γὰρ φρονίμως ἐπηρώτησας περὶ τούτου, *non prudenter per contatus es de hoc.*)

Sidonius [a] ignaros vocat rerum, & temeraria iubet iudicia suspendere, qui suspiciant præteritos, despiciant præsentes: ipse venerari se scribit antiquos, æquæuorū virtutes, aut merita nō postponere. Imitatus ea videtur in re, sicut & in aliis non paucis, mores & orationem Plinij iunioris [b]. [Sum ex iis, ait iste, qui mirer antiquos; non tamen, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa & effœta natura, vt nihil iam laudabile pariat.] Appellat etiam Tacitus [c] vitium malignitatis humanæ, vt vetera semper in laude, præsentia sint in fastidio, & vetera, antiquáque miremur, nostrorum temporum studia irrideamus, atque contemnamus. Velleius Paterculus [d] naturaliter audita visis laudare nos libentiùs testis est, & præsentia inuidia, præterita veneratione prosequi, his nos obrui, illis instrui credere. Hoc est, vt post Plautum [e] queritur Hieronymus [f], ingenium quasi vinum probare, videlicet ab antiquitate. Tritum & illud citari Horatij [g],

a lib. 1. epist. epist. 8.
b lib. 6. epist. 21.
c libr. de oratorib.
d libr. 2.
e prologo Casinæ.
f epist. 104.
g lib. 2. epist. 1.

—— *Et nisi quæ terris semota, suísque*
Temporibus defuncta videt, fastidit, & odit.

Sed plura idē persequitur eleganter. Tale aliud [*].

* Horat. 3. carm. ode 6.

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Inde quoque fabula de seculis aureo, argenteo, æneo, ferreo. Augustinus [h] item reprehendit eos, qui parentum priores meliores ac meliores dictitant dies fuisse, dum explicat Psalmi verba [i]; *Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos?* Legendus præterea Martialis [k], & Phædrus [l], & Sidonij Scholiastes Sauaro [m], & Symmachi Iuretus [n]. Solers Michaëlis Angeli pictoris cōsilium. Pictam à se tabulam & expressam ad veterum pictorum penicillum defodit eum in locum, ex quo mox erutum iri sciebat. Cùm dominus ædium summopere laudaret, & anteponeret cunctis aliis eius æui picturis etiam apud Michaëlem non dubitaret; atqui meum, ille ait, opus est, proprium in margine nomen ostendens inscriptum. Denique obliuio præteriti temporis, cum vrgente nūc re aduersa; & quia cùm iam pronexiinus ætate, consideramus, quæ nobis contigerunt adolescentibus, dum longiùs distaremus à fine, quàm modò: inuidia item inter homines mutua, de qua Martialis [o] potissimùm ad Regulum scribens, ob eam viuis famam negari, fierique secundùm inuidiæ mores,

h in Psal. 33. concione 2.
i Psal. 33. 13.
k lib. 5. Epig. 10. & lib. 8. in 65.
l præf. lib. 5.
m libr. 3. epist. 8.
n libr. 1. epist. 23.
o 5. Epig. in 10.

Preferat antiquos semper vt illa nouis;

quemadmodum & Lyricus cecinit, quòd

Virtutem incolumem odimus:
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Hæ, inquam, præsertim causæ sunt, quare meliora censeantur nouis, ac præsentibus priora tempora, & abutantur quidam sacris quoque sententiis; *Innoua* [p] *dies nostros, sicut à principio*; &, *Quis* [q] *mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos?*

p Thre. 5. 21.
q Iob. 29. 2.

Vers. 12.] Vtilior est sapientia cum diuitiis, & magis prodest videntibus Solem.

A HEbraicè,& Græcè (*bona eſt ſapientia cum hæreditate,vel diſtributione, vel opibus hæreditariis,& amplius, ſiue abundantia eſt*, aut *excellentia videntibus Solem*) Chaldæus (*bona eſt ſapientia legis cum hæreditate : ſed longè melius eſt, vt ſit vir in manſuetudine cum viris habitatoribus terræ, qui viderunt bonum, & malum ſub Sole in ſeculo hoc.*) Non video quid hîc indicetur de manſuetudine. Simplicior ſenſus eſt, præſtare ſapientem ſimul eſſe, diuitémque,quàm duntaxat ſapientem:hic enim poteſt quidem docere quod bonum eſt, ait Hieronymus; ſed interdum non poteſt præſtare quod petitur. Sic exponit Albinus quoque,& alij. Vel certè comparatio eſt habentis cum diuitiis ſapientiam, cum illo, qui ſolas habeat diuitias, vt Titelmanno placet,quem citat cum laude,ſequiturque Cardinalis Bellarminus [a]. Nam in textu Hebræo ſolùm eſt (*bona eſt ſapientia cum diuitiis*) quod non ideo dicitur,quia ſit mala ſine illis,ſed quia illæ ſine ipſa, vt deinceps probat Eccleſiaſtes noſter.Imò nec ſequitur quòd ſit magis perfecta, vt paulo pòſt cum Bonauentura, & Carthuſiano oſtendetur,cum diuitiis.

[a ...de ...chis.c. ...d argu- ...3.]

Qui catenam texunt ſententiarum iſtarum, laborant vt doceant quî nectatur hæc cũ priore. Thaumaturgus innuit accuſatores præſentiũ, præteritorúmque laudatores ægrè tuliſſe, non eas nunc,quæ fuerunt olim, diuitias eſſe:reſpondere Salomonem bonas diuitias eſſe, at meliorem ſapientiam, videlicet cum mediocribus diuitiis,atque ſapientiæ ſtudendum præcipuè,quoniam vita noſtra non maximè pendeat ex caducarum opum poſſeſſione. Oppoſitum planè ſenſum eruit Bonauentura, videri homini querulo meliora priora tempora, quia fuit in eis inopia, id eſt,paruo viuebant mortales contenti;

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus aruis [b].

[b ...t. lib.2. ...olat Philoſophiæ me- ...1.]

nunc eſt rerum abundantia:occurri ab Eccleſiaſte, vtilem eſſe opulentiam ad eleemoſynam, & alia. Nón arbitror ſtultum, quem Salomon ſapiens caſtigat, huiuſmodi querimoniam intendiſſe.Fauet quoquo modo iſti expoſitioni recitata Chaldæa paraphraſis de manſuetudine.Sequitur eandem Hugo, recenſens octo fructus eleemoſynæ:item gloſſa interlinearis, & Lyranus. Olympiodorus aſſurgit ad myſtica; illum enim, qui per dona Spiritus ſancti datur ſermo ſapientiæ,dicit habere ſapientiam cum hæreditate, ac portione ſancti Spiritus, & copiam cognitionis in videndo hoc Sole materiali, ita vt illum non colat latria tanquam Deum(nota Græci vocabuli accommodationem ad proprium Deo cultum & honorem) nec in ſola conſiſtat eius admiratione,ſed tranſeat in auctoris contemplationem, atque diuina ſuperiore luce perfũdatur. Ait præterea,ſapientiam cum hæreditate eſſe fidem cum operibus, quæ perducat ad contemplandum Solem iuſtitiæ.Ambroſius [c] fidem quoque *hæreditatis* nomine hoc loco ſumit. Hieronymus meminit interpretantium hæreditatem pro conuerſatione bona,per quam ſumus hæredes Dei,& cohæredes Chriſti, & qui videre merentur Solem iuſtitiæ,habentes ſapientiam cum conuerſatione bona, differre ab iis, qui hanc tantùm habent, quoniam iuxta Danielem [d], qui intelligunt ſermones Dei,*fulgebũt ſicut luminaria cœli*,ſeu,vt vertit Theodotio,*quaſi ſplendor firmamenti*:qui verò fecerint ſermones eius,*quaſi ſtellæ cœli*.Idem Hieronymus contra Iouinianũ [e] docet his verbis innui, meliores eſſe dies poſteriores,quàm priores,quia in lege ſapientiam carnis mors ſequebatur occidens,in Euangelio ſapientiam ſpiritus hæreditas expectat æterna.

[c ...epi.ad Sa- ...nũ diſpu- ...de Paradiſo.]
[d ...12.3.]

Monet Bonauentura,paupertatem non ex ſola tolerantia, vel impatientia,ſed ex complacentia, hoc eſt,voluntariam,& Euangelicam,eſſe meliorem diuitiis, quia Dominus ſtatũ pauperis præpoſuit & facto, & verbo. Addit Carthuſianus, maiora paupertatis huius ad virtutẽ eſſe cõmoda:hîc autem Salomonem loqui ſecũdùm curſũ, & tenorem legis Moſaicæ; diuitias quoque neceſſarias eſſe Regibus,aliámve dignitatem,ac officium magnum gerentibus;aliis communẽ vitæ B ſtatũ tenentibus,nec tantis opibus opus,nec etiã mẽdicitate:ac de talibus ſermonẽ eſſe in Prouerbiis [a],quando dicitur; *Mendicitatem,& diuitias ne dederis mihi.* Egimus hac de re Commentariis in hiſtoriam Apoſtolicam [b] nonnihil, plenique ſũt libri eorum, qui ſcribũt aduersùs hæreticos noſtri temporis, argumentis pro religioſa,votiuaque paupertate. Quòd autem præſidio ſint diuitiæ,adiumentóque & auctoritati etiam his, qui regere multitudinem cum imperio debent, res ipſa loquitur. Certum & illud Theognidis, quòd

[a Prou 30.8.]
[b c.2.]

Ei,quem paupertas opprimit,lingua ſic inhæret,
C *Vt nihil perficere,nec loqui poſſit.*

Nec verò planè diſplicet in hac,& ſequenti ſententia repetere,quod erat verſu præcedente,*ne dicas*; videlicet,ne hoc dicas quòd ſit vtilior ſapiẽtia cum diuitiis, & magis profit videntibus Solem,ſiue hac Solis,& lucis vſura fruentibus;neq; arbitreris, aut pronuncies,eſſe meliorem vitam ſapientis diuitis, qui reſiſtere queat aduerſatiis, quàm ſapientia ſola præditi.Hoc falſum eſt:quẽadmodum iniuſta querimonia,de qua prius actu eſt,eius qui conſtitutus in tribulatione, meliora dictitat præterita, quàm præſentia tempora eſſe: ſicut nec dici debet, vt ſequenti ſententia habetur, quòd ſicut protegit ſapientia, protegat pe- D cunia,cùm latiſſimum ea in re diſcrimen ſit.

Cum diuitiis.]Reliquæ editiones (*cum hæreditate*) itáq; legit citatus Ambroſius. Vim facit Caiet.in nomine, vt non qualeſcumque commendentur diuitiæ, ſed habitæ ex hæreditate. [Non enim commendatur, inquit, ſapientia ſtudens ad acquirendas diuitias, ſed quam diuitiæ hæreditariæ comitantur.] Interpreti magis credo, qui, quod non ignorabat, *hæreditatis* nomen noluit retinere.Et quidem abſque ſtudio, quod honeſte ſuſcipi poſſet, poſſunt aliunde nobis prouenire diuitiæ,quàm ex hæreditate.Sed quia magis certæ,ac firmæ hæreditariæ diuitiæ,propterea optimas diuitias Interpres intelligens, eas abſolutè E poſuit loco hæreditatis.

Et magis prodeſt videntibus Solem.] Idem Caietanus ex Hebræo (*& cum amplitudine*) id eſt,ampla hæreditate, relatiuè ad videntes Solem, hoc eſt, ad homines viuos illo tempore. Diuitiarum vſus hac lucis vſura fruentibus terminatur, extra vitam præſentem nullus eſt: eas benignè diſpenſat aliis, qui quo pacto Sol iſte liberaliter communicetur omnibus à Deo bonis, maliſque, conſiderat [c]: vel qui defigit intentionis oculum in Solem illum iuſtitiæ, cuius viſio erit merces magna nimis. Ad literam primus ſenſus congruit maximè. Quidam, teſte Titelmanno, ſic interpretantur ex

[c Mat.5.45.]

A Hebræo, tantæ ſapientiam nobilitaris eſſe, vt excedat omnes creaturas, quæ poſſunt aſpicere Solem.

Verſ. 13.] Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio & ſapientia, quòd vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.

GRæcè (*quoniam in vmbra eius ſapientia, ſicut vmbra pecunia, ὅτι ἐν σκιᾷ αὐτῆς ἡ σοφία, ὡς σκιὰ τοῦ ἀργυρίου*) id eſt, ſic eſt hominis vmbra ſa-
B pientia, cúmve inumbrat, & protegit, vt pecunia, nimirum vtraque id facit. Sed τὸ αὐτῆς pertinebit ad τὸ περίσσεια præcedens, id eſt, quoniam in vmbra abundantiæ, videlicet homo requieſcet, ſapientia verò ſicut vmbra argenti, nempe eſt. Vetus tranſlatio (*quia quomodo vmbra ſapientiæ, vmbra argenti*) Symmachus (*quomodo protegit ſapientia, ſimiliter protegit pecunia, σκέπει σοφία, ὡς σκέπει τὸ ἀργύριον*) Hebraicè (*quia in vmbra ſapientiæ, in vmbra argenti*) ſcilicet requieſcet homo in vmbra vtraque: Chaldæus (*etenim quemadmodum cuſtoditur vir in vmbra ſapientiæ, ſic cuſtoditur in vmbra argenti, in tempore quo facit ex eo eleemoſynam.*) Thaumaturgus priorem verſum ſimul cum iſto ſic
C exponit, imò & vndecimum, errare, qui meliorem vitam datam putent maioribus noſtris, nec intelligere ſapientiam opum copia longè præſtare, tantóque clariorem eſſe, quanto argentum vmbra propria ſplendidius apparet, cùm vita hominis (id verò eſt in altero membro præſentis verſus) non pendeat ex opibus, ſed proueniat ex ſapientia. Hæc vera ſunt; verumtamen non ſatis verbis textus congruentia, in quibus diuitiæ per quandam comparationem cum ſapientia laudantur etiam ipſæ. Hieronymus vmbram argenti, ſiue pecuniæ κατ᾽ ἀναγωγὴν accipit (magis propriè κατὰ τροπολογίαν) de qua talenta, & mnæ in parabo-
a Mat.25.15. Lucæ 19.16.
D lis Euangelicis [a] leguntur, vt cùm fuerimus ſub vmbra ſapientiæ, & ſub vmbra talis argenti, per
b Pſ.120.6.
diem Sol non vrat nos, neque Luna per noctē [b]. Addit aliam tropologiam, quòd vita noſtra ſit vmbra, *ſpiritus vultus noſtri Chriſtus, cui diximus; In vmbra eius viuemus* [c]: omnē protectionem no-
c Thren.4.20.
ſtram, dum viuimus, eſſe inſtar vmbræ, ſiue ſit protectio ſapientiæ, ſiue ſupradicti argenti, *donec aſpiret dies, & amoueantur vmbræ* [d].
d Cant.4.6.

Olympiodorus inſinuat non pecuniam laudari, etiam infra ſapientiam, ſed hanc ſolam: comparari autem cum pecunia, quam ſcilicet mortales tanti faciunt, eo quòd præſtet ſapientia quæcumque præſtat illa: eripere namque è periculis, ciuitates extruere, protegere velut vmbram eum,
E qui ſit ipſa præditus: præterea (quod eſt ſequenti membro) id amplius habere, quòd impertiat viuificantem ſcientiam, dum perſuadet cuncta viſibilia contemnere, ſolam verò ſuſcipere vitam æternam.

Adhibet idem auctor argenti myſticam proloquio explicationem, vt ſicut perſpicuus nos docet ſermo ſapientiæ diſciplinas, ita vmbra ſapientiæ, hoc eſt, practica virtus, quæ eſt ceu introductio quædam, & vmbra, perducat ad perfectam ſapientiam, diuinarum ſcilicet rerum contemplationem, & intellectum, hæcque ipſa ſapientia conferat vitam ſempiternam. Vnde per vmbram argenti, hoc eſt, verborum enunciationem, quæ, inquit, rerum quaſi vmbra eſt, ad res, & ſcientias peruenimus: per vmbram ſapientiæ, id eſt, practicam vitam, quæ eſt veluti præuia introductio ad theoricam, peruenimus ad cōtemplandam diuinarum rerum ſublimitatem. Quocirca vult Olympiodorus nos ita textum diſtinguere ſecundùm lectionem Græcam (*ſapientia eſt in vmbra ipſius*) id eſt, inquit, ſublimis contemplatio myſteriorum eſt in practica vita, ac per hoc qui priùs hanc habuerit vmbrā, habebit & mox ſapientiam (*ſicut vmbra argenti*) ſcilicet ſe habet ad ſapientiæ diſciplinas, hoc eſt, ſicut verba ſunt præuia, & inducunt ad ſapientiæ diſciplinas. Ingenioſe, & piè, ſed profectò haud aptè admodū ad id, quod verba præ ſe ferunt, maximè ſecundùm vulgatam noſtram editionem, quæ continet nonnullam laudem diuitiarum cum ſapientia comparatarum. Fauet quoque recitata paraphraſis Chaldaica multo magis quàm quorumdam interpretatio ex Hebræo, de qua Titelmannus (*& qui in vmbra ſapientiæ dormit, perinde eſt, ac ſi dormiret in vmbra argenti*) quia qui ſapiens eſt, abundè diues eſt. Itaque protegendi vis vt ſapientiæ, ita pecuniæ tribuitur, licèt non ex æquo.

Protegit.] Rectè Interpres pro eo quod eſt in cæteris editionibus, *eſſe in vmbra*, pro vt & idem Olympiodorus notauit, & Symmachus expreſſit per verbum σκέπει. Eadem ſignificatio verbi *obumbrandi*, quo vtitur Lucas [a], *virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*; proteget, defendet, cui tantopere timeo, quámque adeò diligis virginitatem, vt nullam hæc patiatur vel iniuriam, vel iacturam, ſed honeſtiſſimè, maximóque cum decoro, ac decore concipias, pariaſque. Suppetunt complura huius formulæ exempla [b]. Vmbra lucis, calorísque immodicam vim prohibet tegendo, ac etiam defendendo, & recreando.

a c 1.35.

b Pſ.16.8. Eſa. 49.2. c.51.16. Baruch 1.12.

Hoc autem plus habet eruditio, & ſapientia, quòd vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.] Hebraicè (*& præſtantia ſcientiæ, ſapientia*) id eſt, quæ eſt ſapientia, viuificabit patronos, ſeu dominos, & poſſeſſores ſuos. Græcè (*abundantia ſcientiæ ſapientia viuificabit eum, qui ab ea*) vetus (*& quod plus eſt*, Hieronymus in commentario (*quod amplius*) *ſcientia ſapientia viuificabit habentem ſe*) Scholia Græca (*ἡ σοφία διασώσει τοὺς ἔχοντας αὐτήν, ſapientia ſaluabit habentes ipſam*) Chald. (*& augmentum cognitionis ſapientiæ viuificabit dominum ſuum.*) Senſus conſtat ex dictis, multo ſapientiam diuitiis eſſe meliorem. Nam licèt protegant hæ aduersùs incommoda, nequeunt per ſe vitam tribuere, ſiue præſentem, quæ hominis propria eſt, eiúſve rectum vſum, hoc eſt, rationis exercitium, per quod plura perſæpe temporalia quòque commoda procurari poſſunt, quàm per diuitias; ſiue futuram cū felicitate ſempiternam. *Quid prodeſt ſtulto habere diuitias, cùm non poſſit emere ſapientiam* [c]? *Si intrauerit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſanabit te, vt eruaris à via mala* [d], &c. *Per ſapientiam ſanati ſunt quicunque placuerunt tibi Domine ab initio* [e]. *Sapientia hos qui ſe obſeruant, à doloribus liberauit* [f]. *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat: qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt* [g]. *Et quia non habuerunt ſapientiam, perierunt propter ſuam inſipientiam* [h]. *Prudentia* (ſiue *ſapientia*) *ſpiritus, vita & pax* [i].

c Prou.17.16.
d Prou.2.10.11.
e Sap.9.19.
f Sap.10.9.
g Eccli.4.12.14.
h Baruch 3.29.
i Rom.8.6.

Eruditio, & ſapientia.] Videntur ſynonyma, & iuxta reliquas editiones iungitur prior poſteriori in obliquo, tanquā quid illius, ſcientia, vel co-

gnitio

gnitio ſapientiæ. Hugo Cardinalis poſteriorem ait ad contemplationem magis pertinere, priorem ad operationem. Pro *eruditione* hoc loco eſt Hebræa vox in ſtatu regiminis דַעַת *dabbath*, Græca γνώσεως. Aliàs Interprès *eruditionem* vertit pro שֵׂכֶל *ſechel* & ἔννοια, id eſt, *intellectu*, & *cogitatione*, vt in ſimili ſententia iſti noſtræ; *Fons vitæ eruditio poſſidentis* [a]. Eruditionem quoque doctrinæ vocat [b], quæ Græcè dicuntur στροφαὶ λόγων, Hebraicè מוּסַר הַשְׂכֵּל *muſar haſechel*. Carthuſianus ait, eruditionem actum eſſe ſapientiæ; ſapientiam habitum, qui eſt donum Spiritus ſancti: Lyranus eundem habitum dici ſapientiam, in quantum vacat diuinis: eruditionem, in quantum dirigit in agendis.

a Prou.16.22. b Prou.1.3.

Vitam tribuunt.] Vel præſentem, vel futuram, pro vt expoſui. Præſens autem poteſt intelligi prætereà, vt quis hîc diutiùs viuat. Nam *lignum vitæ eſt* ſapientia *iis, qui apprehenderint eam* [c], & qui ſuſcipiunt verba ſapientiæ, multiplicantur ipſis anni vitæ [d]: ſtultus autem moritur, vt poſtea videbimus capite iſto [e], in tempore non ſuo. Verum illud, licèt auctoris non boni [f];

Sapientia ætas condimentum eſt, ſapiens ætati cibus eſt. Denique ſapientiam definiunt ſuam illam Philoſophi [g], ſanitatem animæ.

c Prou.3.18. d Prou.4.10. e verſ.18. f Plautus in Trinummo. g Cic.Tuſc.3.

Verſ. 14.] Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit.

HEbraicè (*vide opus Dei, quia quis poterit dirigere quem deprauauerit, ſiue curuauerit ipſe?*) Græcè (*vide opera Dei, quoniam quis poterit adornare quem Deus peruerterit eum?*) Dempto vltimo pronomine, ſic etiam vetus tranſlatio. Symmachus, teſte Hieronymo (*diſce opera Dei, quia nemo poterit corrigere quod ille imminuit.*) Putat Hieronymus contineri verſu iſto cohortationem ad ſtudium ſcientiæ: exponit verò, ſatis eſſe de Scripturis ſanctis, ſiue ex ipſa contemplatione elementorum ſcire, & intelligere quæ facta ſunt; neque cauſas ac rationes perquirendas, quare vnũquodque ſic factum ſit, vt cur Deus mutum, & ſurdum, videntem, & cæcum fecerit.

Porrò ait Deum peruertere, pro vt in Pſalmo dicitur; *cum peruerſo peruerteris* [h]: quia apud eum, qui ſua ſe voluntate peruertit, vt peruerſum ſe gerit, atque, vt eſt in Leuitico [i] iuxta verſionem Septuaginta; *ſi ambulauerint ad me peruerſi, & ego ambulabo ad eos peruerſus in furore meo.* Denique ſubdit, ad hunc modum Pharaonis indurationẽ intelligi poſſe [k]: hoc ipſum naſci ex vitio eius, qui dicitur indurari, quíque iuxta duritiam ſuam, & impœnitens cor thezaurizat ſibi iram [l]. Quomodo enim vna atque eadem Solis operatio liquefacit ceram, & ſiccat lutum, quia pro ſubſtantia ſua liqueſcit cera, ſiccatur lutum: ſic vnam Dei in Ægypto operationem molliuiſſe corda credentium, & incredulos induraſſe. Conſentiũt in hoc Enarratores Latini, ex quibus obiter Hugo prædicatores arguit, qui ferunt impatienter, ſi ſui non corrigantur auditores: ſi autem corrigãtur, ſuæ ipſorũ deputant eloquentiæ, ac induſtrię, immemores ſe duntaxat lucernam præferre, cibos offerre, præcones agere, turba canere, ſignum veluti campana dare: diuinæ virtuti aſſignandam totam conuerſionem. Hinc inferunt prætereà, prædeſtinationis cauſam in Deum transferendam, quòd ſtatuerit quibuſdam beatitudinem dare, mediáque ad eam infallibilia, cæteris huiuſmodi media nõ concedere, ſed tantùm ſufficientia, quibus qui non reſpondeant, cùm debeant, ac poſſint, iuſtè damnentur. Addit Carthuſianus, cũ deprehendimus aliquem animo eſſe obdurato, abſtinere nos ſaltem ad tempus debere à correctione: ſi tamen ſit ſubditus, debere quod officij ratio exigit, illi impendere, atque propter cõſeruationem boni communis illũ arguere, ac punire. Addo cũ B. Thoma [a], ſi conſtaret quiſnam nõ pertineat ad numerum prædeſtinatorum, abſtineri poſſe à talium correctione; vt docet quoque Auguſtinus [b]. Caietanus extendit ſententiam ad quælibet opera Dei, quæ cernimus in hac rerum vniuerſitate: neminem poſſe aptare quod ille fecerit tortũ, ſiue in naturalibus, ſiue in humanis tã externis, quàm corporis, animíque noſtri tũ bonis, tum malis: ac Deum facere tortum in bonis animi, dum facit aliquos ſtultos; in bonis corporis, cùm quis naſcitur cœcus, claudus; in externis, dando diuitias iniquis. Idem dixit Hieronymus priore parte cõmentarij: & eſt aperta Olympiodori expoſitio, cui plurimùm fauet Thaumaturgus. Chaldæus Paraphraſtes reſtrinxit ad defectus corporales, vt cœci, claudi, &c. Nos vtrũque ſimul ſenſum amplectimur cũ Hieronymo; quòd facit etiam Iſidorus Clarius, Arboreus, & Moringus. Gregorius [c] confirmat hac ſententia illã Iob [d]; *Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet: ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat.* Cui adhuc ſimilis in Pſalmo [e]; *Niſi Dominus ædificauerit*, &c. Inde verò elicit, nil mirum, ſi à corde reprobo Prædicator minimè audiatur, cùm Deo ipſi reſiſtant nõnulli.

h Pſ.17.27. i c.26.23.24. k Exo.4.21. l ad Rom.2.5.

a 2.2.q.33. art.2.ad 1. b de correp. & gra.c.15. c 11. moral.c.5. d c.12.14. e Pſ.126.1.

Cæterùm non poteſt hinc quiſquam colligere, deſeri penitus aliquos à Deo, vel omnino cõuerti, & corrigi non poſſe; verùm ex hypotheſi dũtaxat, poſito quòd aut pœnitẽtiam non agant, aut non rectè, vt Eſau, & Antiochus; aut poſito quòd id præſcit Deus, nec vult efficaciter iuuare. Poteſt prætereà deſpectorum à Deo triplex genus diſtingui: corũ qui ſunt in peccato mortali, quamuis forſitan ſint de numero prædeſtinatorũ; pro eo enim tempore deſpiciuntur: corũ qui ſunt reprobati; etiamſi pro aliquo tempore ſint iuſti: eorũ qui peculiari modo propter multa, & grauia peccata per ſubtractionem maximam auxiliorũ, ac permiſſionem tentationum dicuntur dimitti, ac tradi in deſideria cordis ſui [f], atq; derelicti à Deo. Hos vltimos, quia difficillimum eſt, vt conuertant ſe, multóque magis vt moueãtur aliorum conſiliis, nemo dicitur poſſe corrigere; quod namque adeò difficile eſt, nec vnquam, vel ferè nũquam fit, dici ſolet impoſſibile, videlicet moraliter. An autem auxilium neceſſarium ad conuerſionem omnibus momentis adſit peccatori, vel certis tantùm temporibus, pro vt iudicat Deus, non arbitror hinc definiri poſſe.

f Pſ.80.13. Rom.1.24.

Nemo poſſit.] Editiones cæteræ (*quis poterit?*) Interrogatio inter alias hãc vim habet, vt neget, vel notet rem difficilem, aut impoſſibilem, verbi gratiã; *generationem eius quis enarrabit* [g]? *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti* [h]? Lege Origenem [i].

Corrigere.] Græcè (κοσμῆσαι, *ornare*) Hebraicè (לְתַקֵּן *lethakken*) cui Chaldæum quoque verbum ſimile eſt, *dirigere, aptare, componere, reuocare ad æqualitatem, & conuenientiam.* Opponitur verbo quod mox ſequitur עַוֵּת *hhiuueth*, nec alibi quàm hoc libro reperitur, tum antè [k], tum pòſt [l].

g Iſa.53.8. h Rom.8.35. i libro 8. in Ep. ad Rom. k c.1.15. l c.12.9.

A *Despexerit.*] Hebraicè (*curuauerit ipsum*, עִוְּתוֹ *hhiuetho.*) Sic in cap. primo [a]; *peruersi difficilè corriguntur*, מְעֻוָּת לֹא יוּכַל לִתְקֹן *mehhuuath lo iucal lithkon.* vbi Græcum quoque verbum est διακοσμηθῆναι, & peruersum dicitur διεστραμμένον, participium verbi quod hîc etiam extat διαστρέψῃ. In Psalmo decimo septimo [b] quod legimus; *cum peruerso peruerteris*, Græcè est, *μετὰ στρεβλοῦ διαστρέψεις, peruerties*, nimirum te. In Midras Coheleth, id est, expositione Hebraica huius libri, quam citat Hieronymus à S. Fide libro contra perfidiam Iudaicam [c], introducitur Deus à Rabbi Iuda filio Rab. Amnon alloquens Adamum eadem hora qua creauit illum, monénsque caueret peccatum, quia si deficeret, non esset qui posset ipsum reparare B (quasi Salomon hoc loco ad ea verba alluserit) & causa esset mortis iusti illius, de quo Zacharias [d], videlicet Messiæ. Cæterùm verisimilis quoque sententia est, cùm sit actum adhuc de sapiente monitore, quódque maiori possit hominibus emolumento esse, adiuncta ipsi pecunia; ipsummet monitorem hîc admoneri, ne sibi, aut sapientiæ, ac diuitiis nimis arroget, memor quẽadmodum quædam naturæ vitia corrigi nulla queunt humana ope; sic nec eorum moralia vitia, quos Deus despexerit. Quamquam nec alia etiam absque eiusdem Dei gratia.

a vers. 15.
b vers. 27.
c c. 7. tom. 4. bibliot. Patrum.
d c. 9. 9.

Vers. 15.] In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue: sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.

VErus translatio (*in die bonitatis esto in bono, & in die malo vide: & quidẽ istud congruũ huic fecit Deus ad loquendum, vt non inueniat homo post eum quidquam*) Græcè (*in die bonitatis*, ἀγαθωσύνης) *viue in bono, & vide in die malitia: vide, & hoc consonans huic fecit Deus de locutione, ne inueniat homo post eum quidquam*) Symmachus, quem recitat Hieronymus (*in die bono esto in bono: diem verò malum* D *intuere: siquidem hoc simile huic fecit Deus, vt non inueniret homo quod contra eum quereretur*) Chaldæus (*in die, quo benefecerit tibi Dominus, esto etiam tu in bonitate, & benefac toti mundo, vt non veniat super te dies malus: vide, & contemplare; etiam hoc è regione huius fecit Dominus, vt corripiat homines mundi: ideo vt non inueniat homo post se quidquam mali in seculo hoc*) Hebraicè (*in die bono esto in bono, & in die mala vide: etiam hoc contra hoc fecit Deus super verbum, quòd non inueniret homo post eum quidquam.*) Varablus vertit (*tempore felici sis latus, & tempore aspero circumspice* (quòd nempe Deus ipse immiserit afflictionem) *nam hæc cum illis Deus* E *temperat, vt nihil* (certi) *homo post ipsum* (Deum) *inueniat*) id est, ita vt non possit reprehendere Deum, nec dicere, aberraui ob nimiam lætitiam, & tamen Deus me non reuocauit. Isidorus Clarius (*in die bona fruere bonis, & malam diem considera: sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.*) Parum differt à nostra translatione.

Placuit autem cunctas has interpretationes recitare, quia facient ad huius obscuri loci interpretationem. Hieronymus ipse refert audisse se in Ecclesia ab eo, qui putabatur habere scientiam Scripturarum, istam explicationem.

Dum in hoc præsenti seculo es, & boni aliquid operis potes facere, labora, vt postea ipse securus in die malo, id est, in die iudicij, torquere alios videas. Sicut enim præsens seculum fecit Deus, in quo nobis fructum bonorum operum possumus præparare; ita & futurum, in quo nulla boni operis datur facultas.

Verumtamen iuxta versionem Symmachi præfert hunc sensum. Bona, maláque, pro vt euenerint, sustinenda, nec putandum illorum, aut horum duntaxat in mundo esse naturam; subsistere enim mundum ex contrariis: id verò Deum fecisse, vt haberet sapientia, ac libertas nostra locum in eligendo bonum, & vitando malum; sicque dicere, vel queri nulli fas esset, se insensibilem ac stolidum à Deo generatum. Atque hoc pacto nectit idem Doctor præsentem cum proximè præcedente sententia, secundùm veterem translationem (*quis poterit adornare quod peruerterit Deus?*) Albinus vtrumque retinet: prohiberi verò etiam querimonias contra Deum, cur alij felicitatem, atque alij miseriam in hoc habeant seculo. Bonauentura sequitur secundum, necnon Hugo Cardinalis, ita vt iubeamur bonis concessis bene vti, referendo ad vitam æternam, & merendo per eleemosynas; simul præcauere diem afflictio- C nis, & egestatis. Consentit Carthusianus in die præsentis vitæ meritis destinata, & in die iudicij. Meminit alterius expositionis, quæ est Lyrani, vt diebus solennioribus lautiùs viuamus; iis verò, qui deputati sunt afflictioni, abstineamus. Refellit, quia tales dies non videntur dicendi mali. Attamen responderi posset, malos dici, hoc est, laboriosos. Titelmanno placuit etiam duplex sensus ab Hieronymo recitatus: Rabano [a] primus. Olympiodorus docet, redargui accusatores prouidentiæ diuinæ. Sic verò declarat (*viue in bono*) id est, secundùm virtutem (*& intuere in die mala*) id est, obserua, cùm tibi tentationes, infortunáque acciderint (*intuere, certè quidem hoc congruum*) id est, videas congruè, ac opportunè, nécne cuncta fecerit Deus (*huic fecit Deus de differtatione*) id est, hanc humanorum casuum rationem, de qua solent homines dissertationes multas afferre, meritò nobis occuluit (*vt non inueniat homo post eum quidquam*) id est, ne cognoscat quæ sibi sunt euentura: nam si præsciremus, nullus nobis Dei metus inesset, nulla religio.

a lib. 4. in Eccle. c. 7.

Mihi videntur expositiones cunctæ in idem redire, præter eam, quam reiecit Carthusianus, quæ minùs ad rem facit, sicut & ea, quam dat Chaldæus, vt quando bene nobis facit Deus, & nos bene toti mundo faciamus. Affinis verò grauis illa sententia Iob [b]; *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? Malam diem præcaue*, ait hoc loco Ecclesiastes, Hebraicè, *vide*, id est, attende quis immittat ærumnosam diem: ille nimirum idem est, qui bonæ tibi auctor etiam extitit, sic hanc, vt illam faciens; vt iniquus ac ingratus sis, si conquereris. *Dimittite eum vt maledicat*, dixit Dauid impetitus maledictis à Semei; *Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis est qui audeat dicere, quare sic feceris* [c]? Paulo pòst isto capite [d], *qui timet Deum, nihil negligit*; iuxta veterem translationem, *egreditur ad omnia*, hoc est, tam ad aduersa, quàm ad

b c. 2. 10.
c 2. Reg. 16. 10.
d vers. 19.

prospe

prospera, inquit ibi Hieronymus, librata mente sustentans vtraque, nec illis oppressus, nec elenatus istis: & in capite 11. Ecclesiastici [a]; *In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum:* & capite 18. [b] *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die diuitiarum, a manè vsque ad vesperam mutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.* In lyra soni sunt acuti, grauésque: in vita nostra res calamitosæ prosperis permistæ concinnam harmoniam reddentes [c]. Peritè pulsat Deus; non patienter modò, verùm etiam lætè, ac iucundè modulos istos audiamus. Lege Gregorium [d].

Malam diem præcaue.] Malam pro laboriosa diem dici, notissimum est [e]. *Præcauendi* autem verbum non anxiam sollicitudinem denotat dãnatam in Scripturis [f]; sed prouidum, paratúmque animum ad præsciendum, séque præmuniendum contra res aduersas, quando secundæ suppetunt. Talem se Paulus ipse, licèt modestissimè, describit fuisse, potissimùm scribens Philippensibus [g].

Sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus.] Hebraice (*etiam hoc è regione istius fecit Deus, siue hoc contra hoc*) id est, hæc opposuit inter se, ac vicissim vnum post aliud, nempe diem bonam, & malam, prospera, & aduersa.

Vt non inueniat homo cõtra eum iustas querimonias.] Pro *vt* Hebraicè est עַל־דִּבְרַת *hhal dibrath*, Græcè, περὶ λαλιᾶς: Caietanus reddit; *super eloquium*, scilicet humanæ sapientiæ, ita vt non possit homo post gubernationem diuinam, id est, contra illam quidquam inuenire. Meliùs vertit Interpres; nec enim aliam phrasis Hebræa vim habet, quàm significare *vt*, *propter*, *instar*; eandémque exprimit similis alia עַל דְּבַר *hhal debar*. Tamen Græca περὶ λαλιᾶς, & illa Latina, *super eloquium*, non mutant sensum, eo modo, quo exposuimus.

Contra eum.] Hebraicè, & Græcè (*post eum*) Olympiodorus intellexit (*post*) tanquam aduerbium futuri temporis; ita vt homo non inueniat quid post se sit euenturum. Alij volunt esse præpositionem aduersatiuam, & referri ad Deum, siue ad gubernationem, & prouidentiam ipsius: אחריו *acharin*, & ὀπίσω significant *retrò*. Sic etiam post aliquem clamare [h], est contra illum, nisi velis ponè ac retrò consequendo.

Iustas querimonias. Cæteri (*quidquam.*) Sed מְאוּמָה *meumath* non *aliquid* solùm significat, sed quod *certi* aliquid vitij, vel maculæ habeat, & reprehensione dignum occurrat in corpore, aut in vita. Optimè igitur Interpres reddidit (*vt non inueniat iustas querimonias.*) *Venit princeps mundi huius*, ait Christus, *& in me non habet quidquam* [i]: &, vt quidam Græci codices legunt; οὐχ εὑρήσει οὐδὲν, *non inueniet*, nimirum nullum peccatum, vt exponit Ambrosius [k], & Gregorius [l], nullam potestatem, vt alij, quam diabolus non habet nisi propter peccatum. Fortassè Christus vsurpauit Hebræam vocem מְאוּמָה *meumath*.

Queri de Deo possunt multi, sed iniustè, sempérque iustificatur Deus in sermonibus, & operibus suis, & cùm iudicauerit, conuincet [m], seu cùm iudicabitur iniquus Deus, deprehendetur iniqua sic iudicantis sententia. [Optimum est pati quod emendare non possis, ait Seneca [n], & Deum, quo auctore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari, &c. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contrà ille pusillus, ac degẽner, qui obluctatur, & de ordine mundi malè existimat, & emendare mauult Deos, quàm se.] Lege apud eundem [a] iniquas nonnullorum, qui sunt quoque sapientiam professi, de Deo, fatuásque querimonias. Postremò continentur illa sententia causæ, quæ patientiam persuadeant, quòd nequeat aliter fieri, quod fit decreto diuino, cuiusmodi vtraque, quam dicunt, fortuna; quòd sit honestum, vt qui tot quotidie accipimus a Deo beneficia, ipsum si quid molestiæ inferat, non incusemus, sed feramus patienter; quòd quiduis ab amantissimo nostri Domino proueniat, non possit nobis non vtile esse. Congruit præterea primę translationi recitatæ ista explanatio; in die bonitatis, seu boni, esto in bono, siue fruere illo, hoc est, dum licet, bene operare: & in die malo vide, id est, cùm ingruet aduersitas, tempúsve tentationis, ac tribulationis, gaude, ac lætare, siue gaudebis, ac lætaberis. Videre namque hunc aliquando habet vsum, vt [b], *cùm perierint peccatores, videbis.* Liberat Deus iustum in die mala [c].

Vers. 16.] Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: Iustus perit in iustitia sua & impius multo viuit tempore in malitia sua.

PErspicua satis sententia, quam illustrat Hieronymus Machabæorum exemplo, qui cæsi sunt, quòd suilla vesci nollent [d], eorúmque qui sacrificanres idolis, diu viuere visi sunt: at Deum tribulare nunc sanctos, vt recipiant mala in vita sua; peccatores quasi ad victimam reseruare, vt illis æterna bona restituat, his inferat mala perpetua. Idem ferè Paraphrastes Chaldæus docet. Cohæret autem hoc cum præcedentibus de vicaria rerum contrariarum successione. Idem verò Hieronymus alibi [e] magis mihi per accommodationis loqui sensum videtur, quàm ad mentem auctoris, dum ait, iustum perire in iustitia sua, quòd sibi videatur iustus, cùm non sit. At secundùm priorem sensum iustus Abel citò hinc ereptus est [f], Enoc [g] etiam, si conferatur cum hominibus illius temporis: Manasses pessimus Rex 55. annis regnauit [h], quod nulli alteri Regum concessum est, etiam bonorum, nec Dauidi, qui tantùm quadraginta [i], nec Ezechiæ [k], qui viginti nouem, nec Iosiæ [l], qui vnum & triginta. Denique iustus rapitur à Deo, ne malitia mutet intellectum eius, aut fictio decipiat animam illius [m]. Quandoque vita prorogatur improbis, vel ad pœnitentiam [n], vel vt bonos exerceant, sibi verò thesaurizent iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei [o], qui sic magis ostendit iram suam, & notam facit potentiam [p]. Aliàs viri sanguinum, & dolosi non permittuntur dimidiare dies [q], & honorantibus parentes promittitur longæuitas [r], vt hæc etiam in vita diuini iudicij vis appareat punientis, ac præmiantis. Quin & opus misericordiæ est, citò peccatoris vitam abrumpere, ne diutiùs, magísque peccando maioris reatum pœnæ incurrat. Hugo Cardinalis tractat moraliter præsentem locum, exponens perire iustum pro iustitia moriendo, ac ob illam persecutiones patiendo. Lege nugas Rabbinicas circa hunc locum apud Galatinum [f]. Ineptissimè quoque per iustum pereun

Marginal notes (left): [a] ...c.11. [b] ...18. [c] ...; [d] ...di tri... animi ...c.19. in ...; [e] Pf.101. Pf. ... Amos ...; [f] Matth.6.25. ...; [g] ...11. & ...; [h] Matth.15.22. [i] Ioan.14.30. [k] de fuga seculi c.4. [l] hom.39. in Euang. [m] Pf.50.6. Rom.3.4. [n] epist.107.

Marginal notes (right): [a] 2. de beneficiis c.28. & 29. & lib.7.c.31. [b] Pf.36.34. [c] Pf.40.2. [d] 2.Mach.7. [e] in c.26. Isaiæ. [f] Gen.4.8. [g] infrà 5.24. [h] 4.Reg.21. [i] 3 Reg.2.11 [k] 4.Reg.18.2. [l] 4.Reg.22.1. [m] Sap.4.11. [n] Esa.30.18. [o] Rom.2.5. [p] Rom.9.22. [q] Pf.54.24. [r] Exod.20.12. Deut.5.16. [f] lib.6.c.20.

pereuntem intelligi volunt Nadab,& Abiu; per impium diu viuentem,Manassem.

Hæc quoque.] Alij(*omnia.*) Interpres limitare videtur. Tamen possunt intelligi tum de adhuc commemoratis,tum de sequentibus.

In diebus vanitatis meæ.] Corruptè quidam legunt(*in die natiuitatis*) vt Bonauentura,Hugo Cardinalis,& glossa interlinearis.Contradicunt Hebræa,& Græca vox. Dies sumit pro tempore toto vitæ : cognominat verò à vanitate, quia mutationi, morti, iniquitati obnoxia est vita,vt dictum est cap.1.

Verf. 17.] Noli esse iustus multum:neque plus sapias , quàm necesse est,ne obstupescas.

VErisimile est quod innuit Thaumaturgus, cohiberi nimium , anxiúmque diuina iudicia penetrandi studiũ,de quibus hactenus;necnõ virtutis immodicũ rigorem : quæ duo scilicet in causa possunt esse,cur, quod proximè dicebatur, pereat iustus in sua iustitia. Hieronymus ait agi contra rigidum , ac trucem aduersùs aliena peccata,faciléque alios iudicantem, atque damnantem [a] , cùm nullus sine peccato sit, nec si vnius quidẽ diei fuerit vita eius [b],& abominetur Deus pondus grande , & pondus paruũ [c] : & virtus in meditullio ponatur , nec possit quisquam perfectè comprehendere sapientiam, vel resistere Dei voluntati [d]. Voluit Saül esse nimis iustus, parcẽdo Regi Agag [e],atque sacrificando [f]:Oza labentem Arcam sustinendo [g] ; & conseruus ille non ignoscens conseruo,qui debiti à domino suo remissionem acceperat [h]. Albinus,& Salonius cõcordant. Concinit verò parti posteriori , quod præcipit Paulus,ne quis altum sapiat [i], vel plusquàm oportet,sed ad sobrietatem [k],id est,vt cõtineat se in officio suo,ab iis abstinens, quæ non pertinent ad ipsum ; atque hoc modo probet, ac experimento exequatur Dei voluntatem beneplacentem,nec efferatur, vel scrutetur curiosiùs, vel modum excedat in virtute. Chaldæus prius membrum dicto exponit modo:secũdum de sapientia improborum. Videlicet sunt qui sapientiam habent in malo , & prudentiam carnis , & seculi,qua vincunt filios ipsos lucis [l]. Lege Irenæum [m] , Basilium [n] , Augustinum [o] , Gregorium [p] , Prosperum [q] , Cyprianum [r] , Hieronymum [s] , præter Interpretes Epistolæ ad Romanos.

Qui summum ius persequitur,iniuriam facere censetur : festucam ex oculo fratris non laboret educere , qui trabem habet in oculo [t] , & excolans culicem , camelum glutit [u] : arguit non lauantem manus ante prandium [x] , aut vellentem spicas [y]:imponit onera importabilia,quæ nec digito mouet [z]:misericordiam sacrificio nõ necessario postponit [a]:indignatur,si quem videat versari cum peccatoribus [b]:damnari vult deprehensos peccatores [c]. At qui normam tenet iustitiæ, imbecillitates infirmorum sustinet [d] , instruit in spiritu lenitatis [e] : & si quem visus est castigasse seueriùs,temperat rigorem,ne absorbeatur tristitia [f]. [Peccantibus ad singula si respondeas , inquit auctor quæstionum veteris , & noui Testamenti [g],non deerit vbi pecces.]Deum dicit imitandum hac in re,& legem,quæ seipsam mollire

a Luc.6.37. b Iob.14. secund.Lxx. c Prou.20.10. d Rom.9. 19. e 1.Reg.15.15. f 1.Reg.13.9 g 2.Reg. 6.6. h Mat.18.30. i Rom.11.20. k infrà 12.3. l Luc.16.8. m lib.5.c.20. n reg 235. & 264.ex breui. o 276. epist.47. & tract.95.in Ioan. p hom.13.in Ezech. q in sent. Aug sent.165. r 3.testimo. 53. s contraPelag. t Matth.7. 4. u Mat.23. 24. x Mat.15.2. y Mat.12.2. z Mat.23. 4. a Matt.9.13. b 12.7. Mat.9.11. c Ioan.8 4.5. d Rom 15.1. e Gal.6 1. f 2.Cor.2.7. g q.15.tom.4. operum B. Augustini.

A non potest,à nobis mitigandam,vt possit prodesse sub se agentibus.

De quacumque virtute locus hic accipi potest,etiam quæ nos ipsos respicit.[Bona est iustitia,omnísque virtus, ait Bernardus [a] , sed adhuc infirmi sumus,oportet vt bona ipsa temperentur gratia,ne fortè elationis,aut indiscretionis vitiũ incurramus.]Hoc docet esse scapulis Dei obumbrari,& Deum qui nouit figmentum nostrum [b], non eam illicò gratiam , quam incessanter oramus,& supplicamus,concedere, sed veluti sustẽtare,& fouere,ne foris vagantes moriamur , refrigescente charitate.Rursus idem Pater [c] monet nos hîc admoneri,ne quid nimis,& vt reprimatur feruor pœnitentiæ, aliarúmve virtutum immoderatus,ne noceat vnitati,seruiat indiscretioni. Hoc ipsũ hîc habet Carthusianus,iuxta id [d]; *Pone prudẽtiæ tuæ modũ:*&c,*quia plus fecit,quã potuit,idcirco periit* [e].Tractat quoque Petrus Blesensis [f] ad idem propositum hunc eundem locum. Ferrandus autem Diaconus [g]:[Vtique,ait,multũ iustus esse culpabiliter nititur,qui per omnem iustitiam proximi examinat vitam, fragilitatis humanæ consideratione postposita,tanquam sine peccato valeat viuere,quisquis incipit peccata vitare.]

Sed de propriè dicta iustitia loquendo,Philosophi morales quærũt,possítne verus in ea excessus esse,& an iustitia mediocritatem, vt virtutes cæteræ,obtineat.Aristoteles [h] quidẽ docet haud ita, vt alias , versari iustitiam inter extrema , sed modo quodã, quatenus est inter duo inæqualia, vt inter lucrũ,& damnum.Franciscus Vallesius [i] immeritò reprehendit Aristotelem:vult enim nõ esse in iustitia mediũ rationis, sed rei,hoc est,nõ per comparationem operis ad operantem,sed secundùm se, nec versari circa passiones , sed circa operationes,quibus nempe disponitur quis ad alterum. Concedit verò idem Philosophus veluti moderatricem iustitiæ,iurísque τὴν ἐπιείκειαν , & æquitatem,quæ legem,vt dixi, mitigat, vt possit prodesse sub se agentibus.

Arbitror generaliter sumi nomen *iustitiæ* hoc loco pro quauis virtute,cuius quis externũ opus sine modo vel amet , vel exequatur , aut qui superbè præsumat non habere peccatũ,aut putet se non gratia Dei , sed sua voluntate sibi ipsi sufficiente effici iustũ , vt rectè notat Augustinus [k]. Ambrosius [l] autem durissimos hæreticos Nouatianos,qui certis prohibebant peccatoribus pœnitentiam,ista castigat sententia, propè omnium docens pulcherrimam virtutem esse moderationem,cùm virtutũ finis ille sit maximus, qui plurimorũ spectat profectum. Confirmat exemplo Dei,& Christi ouem lassam vehentis , non abiicientis [m].Tum recitato hoc loco,subdit. [Debet enim iustitiam temperare moderatio. Nam quẽadmodum se tibi curandum præbeat quem fastidio habes,& qui contemptui se, non compassioni medico suo putet futurum?] Idem [n] neque sine iustitia misericordiam , neque sine moderatione iustitiam esse hinc docet. Hieronymus commentatio in Esaiam [o] vocat nimis iustum, qui sit in Religione superstitiosus : & exponens Malachiam [p],illum, qui cibos quosdam, vel nuptias damnet : Leo Papa I. [q] qui seueriùs in delinquentes animaduertat , contra hanc peccare sententiam scribit : Augustinus [r] in sententiis, qui nimiùm in sua confidit iustitia,operibúsque: alij eũ,qui vult videri nimis iustus,cui ferè sẽper adiũcta asperitas,truculẽtia,seueritas,hypocrisis:

a serm.4.in Ps.90. b Ps. 102.14. c in sentẽtiis. d Prou. 23.4. e Iere.48.36. f serm.16. in hebdomad. pœnosa. g in parænet. reg.6. h 5.Ethic.c.4. i sacræ philosoph.c. 67. k tract.95.in Ioan. l 1.de pœnit. c.1. m Luc 15.5. n ora.de obitu Theodosij. o lib.16.in c. 57. p in c.2. q epist.90. r in 365.

Isido

a lib.1.epist. epist. 320. Isidorus Pelusiota [a], qui vel ius suum rigidè persequatur, vel sit superstitiosus, vel exorbitet à medio virtutis. Ait præterea videri sibi vnum è veteribus septem Sapientibus suffuratum ex Salomone tritum illud apophthegma, aut fortassis in idem incidisse: μέτρον [b] ἄριστον, *modus optimus*; & alium, cùm dixit, μηδὲν ἄγαν, *ne quid nimis* [c].

b Laertius vi... c ...sop. Teren. in Andria. act.1. Bias posterioris parœmiæ auctor censetur ab Aristotele [d], à Laërtio Pythagoras [e]; à quibusdam Solon, vt hic idem refert: Plato [f] ex Euripide citat, & Homerus [g] illa, vel simili vtitur, & complures alij (ipse verò Plato in Philebo, Menexeno, Protagora.) Similis huic est quoq; prior, quam repeties in Phocylide: necnon, καιρὸς ἄριστος, quæ est apud Hesiodum [h]: τὰν μέσαν νέμειν, apud Athenæum [i] ex Pratina tragico, *mediam sequi.* Idem valet Horatianum illud [k]:

d ...Rhetor. ... & 22. e ...in Py... f ...dam g Odyss. ... h ... i ... ergis. k ... r.14. ... satyr.1.& ... 10.ode

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra, citráque nequit consistere rectum.

&,

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti, &c.

l in Peenulo. & Plautinum [l]:

Modus omnibus in rebus, soror, est optimum;

m 3.officio. n 2. Metamorphos. & Ciceronianum [m]: [in omnibus rebus mediocritas est optima:] & Ouidianum [n],

——— *Medio tutissimus ibis,*
Inter vtrumque vola. ———

o apud Plutarch. Denique, σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος, αἴνησαν περισσῶς, ait Pindarus [o], *sapientes hoc verbum, ne quid nimis; præter modum* (hoc est, maiorem, maximúmque in modum) *laudauerunt:* Alphæus [p] enim sic intellexisse videtur, cùm hoc,

p in Epigr. *Ne quid nimium,* inquit, *nimis placet mihi:*
Τὸ μηδὲν δὲ ἄγαν, ἄγαν μοι τέρπει.

q in Camil. Vsurpauit Plutarchus [q] accómodatè ad id quod meminimus de vitando etiam excessu in pietate ac religione, vt absit contemptus numinis & superstitio; ἡ δὲ εὐλάβεια, καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄριστον, *pietas autem, & ne quid nimis, optimum est.* Sed caueris, dicat mihi nescio quis, ne quid nimis: parendum. Adi adagiographum, & Delrium [r] nostrum,

r tom.2. Adagia. 313. qui nos humaniter solet citare. Assentior illi non tam agi hîc de vera iustitia, sapientiáve, quàm de extrinseca vtriusque ostentatione, atque affectatione; quod & subindicat Thaumaturgus. Deinde placet, quod ait Paulum Burgensem [f] non satisfacere Rabbino Moysi, reprehendenti in suo Deuteronomio [t] ieiunia, abstinentias, vigilias, & omnem austeriorem viuendi modum in victu, vestitúque Christianorum, quos irridens Idumitas nominat, auctoritate præsentis loci: nempe quoniam argumétum sumatur à disparibus, cùm sit sermo de virtute iustitiæ, quæ corrumpitur quandoque per excessum, non autem de temperantia. Nam temperantiæ quoque virtus excessu corrumpitur. Non agitur de ieiuniis legalibus: nec nos illis adiicimus nostra; sed nostra substituimus, reiectis legalibus ceremoniis. Satis porrò probabile est seipsum hîc indicare voluisse Salomonem, quòd ob vanam curiositatem, ac mentis excellentiam in stuporem, stultitiámque sit adductus. Stultitiam ei tribuit auctor [u] Ecclesiastici. Omnino verum est, quod Presbyter Isaac [x] scripsit, qui de sapiétia eleuatur, tenebrosos ignorantiæ laqueos pati.

f in scrut. p. 2. d.4. c.7. & 8.
t lib.1. tit. de morib. hum. c.5.
u c.47.22.
x de mundi contemptu. c.51.

Noli.] Amicum Interpreti verbum, quo Hebræi, Græcíque haud ita solent vti hac ratione, vt scilicet prohibeant aliquid, aut negent. Malè quidam faciunt, dum reprehendunt Augustinum,

A quòd ex his formulis in libro de gratia, & libero arbitrio, & alibi cófirmet liberum arbitrium nostrum. Nam & Græcè quandoque est μὴ θέλε: & si non esset, probaretur inde nihilominùs libertas, quia nihil præcipit, prohibétve Deus, nisi quod fieri, vel vitari potest à nobis.

Neque plus sapias, quàm necesse est.] Hebraicè (יותר iother, *amplius*) Græcè (μὴ σοφίζου περισσά, *ne sapias superflua*, vel *ne argumenteris*) & quidem capriosè & cauillosè, quod ij faciunt, qui in alienam inquirunt vitam rigidiùs. Cyprianus legit [a] *(noli argumentari plus quàm oportet)* indéque probat Dei arcana perspici non posse, & ideo fidem nostram simplicem esse debere. Eodem pacto Hie-

a 3. testim. c. 53.

B ronymus disputans contra Pelagianos [b], quamuis in priore sententiæ parte legat, *sapiens*, pro *iustus* (*noli esse sapiens multum, & noli argumentari plus quàm oporteat.*) Nazianzenus [c] hac sententia suadet moderationem in disputationibus. Denique sapienter dictum,

b libr.2.
c orat. de moderat. in disp.

Quisquis [d] *plus iusto non sapit, ille sapit.*

d Martial. lib.12. Epig. 181.

Vetus translatio (*ne quæras amplius*) Chald. (*nec sapiens fias sic amplius, iuxta sapientiam improborum, & ne discas vias eorum.*) Sine dubio sapientia quæ modum excedit, sumitur in deteriorem partem: & verbum σοφίζεσθαι plerumque significationem illam importat, quamuis etiam & bonam, sicut & *sophista* nomen.

C *Ne obstupescas.*] Græcè (μή ποτε ἐκπλαγῇς) quod etiam exponit Hieronymus in commentario (*ne turberis*) Symmachus (ἵνα μὴ ἀδημονῇς περισσῶς, *vt non angaris nimium*) Hebraicè (לָמָּה תִּשּׁוֹמֵם *lamah thissciomem, vt quid desolaberis?*) Chaldaicè (*ad quidnam peruertes viam tuam?*) Caietanus explicat nimium sapientes, iustósve deseri ab iis qui negotia tractant, aut consulunt, & deliberant. Crebra valdè est Hebræi verbi notio, quam Interpres expressit, ideóque debuit eam potiùs Caietanus, quàm aliam sequi, quamuis non sit spernendus quem tradidit sensus, vt nec ille, ne quis venans maiorem scientiam, eam perdat quam habet, in-

D star Æsopici canis; item alius, ne qui videri sapiens, ac iustus nimiũ vult, seséque pro tali ostentat, & venditat, ipsemet suiipsius primus admirator sit, atque in sua admiratione obstupescat: postremò, ne dũ exactiùs disquirit, vt seueriùs alios puniat, nec assequitur quod intendit, confusus conticescat, stupidóque similis remaneat; & stupiditatem ipsius alij demirentur, ac irrideant. Laudabilis circa opera Dei cum humilitate reuerentia, stupor, quẽ de Christo parentes [e] eius, alíique habuerunt [f]; & Iob [g] se, dum consideraret opera Dei cum timore, sollicitum testatur fuisse: & necesse est in sapiente timorem esse, quia *sapientiæ initium timor* [h]. Quo timore qui ca-

e Luc.2.33.
f c.5. 26.
g c.23.15.
h Ps.110.10. Prou.1.7.

E ruerunt, *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*, in cogitationibus euanescentes, córque insipiens obscuratum habentes [i]. Hebetatur ingenium hominis intemperanter solertis, & curiosi, & velut acies impacta ferro retunditur, atque dum immaturos palato capacitatis rerum difficiliorum committere fructus vult, sapiés plus quàm oportet, dentium ipsi ratiocinia obstupescunt, nimiæque literæ ad insaniam redigunt, sicut aliàs dixi Commentario ad Apostolicos Actus [k]. Quàm stupidi gustato pomo primi parentes [l]? Olympiodorus phrenesim intelligit. Alium adhuc sensum Gerardus Moringus post Hugonem Cardinalem affert, sed ita, vt non cohæreant hæc verba cum præcedentibus: Ne adeò peccata alia super alia

i Rom.1. 21.
k c.26.24.
l Genes.3.

accumules, vt tandem indurescas, nec excitari queas ad meliora, tanquam planè stupidus, iuxta illud [a]; *Verberauerunt me, sed non dolui; traxerunt me, & ego non sensi*: &; *Impius* [b] *cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit*. Hoc pacto alij sequentem versum explicant. Bonauentura iungit sequentibus, aítque prohiberi præcipitium impietatis, quoniam hæc reddit hominem stupidum in affectu, & durum, atque crudelem in actu, & cæcum in intellectu. Videtur eadem Lyrani sententia. Glossa interlinearis indicat caueri, ne quis desperet propter peccata, sed quiescat, quærat medicinam, agat pœnitentiam. Nazianzenus [c] quod est de iustitia dictum refert ad actionem; quod hîc de sapientia, ad sermonem, siue orationem. Verè ille [d];

a Prouer. 23. 35.
b Prou. 18. 3.
c orat. de modera. in disput.
d Martialis.

Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.

Et alius [e] Græcè,

e Euripid. in Bacch.

Τὸ σοφὸν, ὐ σοφία.

Ipsum sapere (si nimium) non est sapientia.

Itémque [f],

f Idem in Antiopa.

——— ὐκ ἀζήμιον,

Γνώμlω ἐνεῖναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφlω.

——— *Non damno caret,*

Si mens nimis prudens inest prudentibus.

Cum istis profert etiam ex Tertullianico [g], vel Cyprianico carmine oppositam planè sententiam Delrius [h] noster.

g carm. ad Senat. c. 2.
h tom. 2. Adag. in 314.

Indulge dictis: sapientia non placet alta:
Omne quod est nimium, contra cadit, vnum operantur
Et calor, & frigus; sic hoc, sic illud adurit.
Sic tenebræ visum, sic Sol contrarius aufert,
Et pariter lædunt feruens, gelidumq; lauacrum.
Esca alitur corpus, corpus corrumpitur esca:
Vimque suam minuit si quid prætenditur vltrà.
Denique si sedeas, requies est magna laboris:
Si multum sedeas, labor est. Maro [i] *namque Pöeta*
Pro pœna posuit; sedet, æternúmque sedebit
Infelix Theseus. Semper nocet vtile longum.
Prandia longa nocent; ieiunia longa fatigant.
Sic nimium sapere, stultum facit improba secta.
Me Dea sic docuit, moderamen amabile dixit.

i 6. Aeneid.

Sectam intelligit siue Tertullianus, siue Cyprianus Isiacam, ad quam Senator Christianus, cui scribit, transierat. Nec abludit à proposito Horatij monitum;

[k] *Misce stultitiam consiliis breuem.*
Dulce est desipere in loco.

k 4. carm. ode. 12.

Et,

[l] *Quid æternis minorem*
Consiliis animum fatigas?

l lib. 2. ode 11.

Simile [m] Senecæ consilium, quòd animus sit aliquando in exultationem, libertatémque extrahendus, tristísque sobrietas remouenda paulisper. Nam siue Græco Poëtæ credimus (Anacreonti) ex quo illud vertit Horatius, *dulce est desipere in loco*; θέλω, ait, θέλω μανlῶναι, volo, volo insanire: siue Aristoteli [n] (qui etiã, Cicerone [o] teste, asseruit omnes ingeniosos melancholicos esse) nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuit.

m de tranquill. animi. c. 15.
n sect. 30. proble. q. 1.
o Tuscul. 1.

Vers. 18.] Ne impiè agas multum: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

HIeronymus, & Albinus de quolibet peccato interpretantes, vt & Chaldæus, dicunt sensum esse, ne quis peccata peccatis addat, vt non prouocet Deum etiam hîc inferre ipsi iudi- A cium, vt contigit Core, Dathan, & Abiron [a]; sed semel peccasse sufficiat, erigátque se per pœnitentiam; quo modo de succo chelidoniæ oculat pullos hirundo, & capreæ dictamum vulneribus adhibent. Bonauentura propriè vult agi de crudelitate. Consentit Hugo Cardinalis, & Lyranus, qui crudelem explicat mori in tempore non suo, quia inimicitias aliorũ sibi conciliat. Fauet quòd pro *stulto* Græcè est σκληρὸς, *durus*; impiéque agere idem aliquãdo est quod crudeliter, & quòd viri sanguinum dicuntur nõ dimidiare dies suos [b]. Thaumaturgus de audaci, & temerario; & quidem talis quoque dici potest σκληρὸς. Olympiodorus de curiosiùs versante, atque superstitiosiùs circa dogmata, opinionésque sectarum: tum verò B etiam, quod attinet ad alteram partem sententiæ, de illo, qui nesciat emolliri ad pœnitentiam, & aduersetur Spiritus sancti doctrinæ; talémque mori in tempore non suo, quia virtutibus immaturus est, quantacunque moriatur ætate, puer videlicet centenarius [c]: sicut iustus explet tempora multa, etsi consummetur in breui [d]. Moringus de peccatis omnibus immanibus ac inusitatis, quæ hominem redegisse videantur ad insaniam, & Deum prouocent, vt pestilentiam, famem, bella, & reliquas lues immittat, & vitæ filum, quod naturaliter vltrà protendendum erat, præcidat: vel cùm planè imparatus est ad moriendum, peccatis non abolitis per pœnitentiam. C

a Num. 16.
b Psal. 54. 24.
c Esa. 65. 20.
d Sap. 4. 13.

Pagninus [e] iuxta vim verbi Hebræi רָשַׁע *rasahh*, quod significat *inquietè agere*, vertit (*ne te inquietes*, seu *ne vageris*, vel *distrahas te, ne te multum occupes in negotiis mundanis, & noli esse stultus*, &c.) Alij [f] (*ne nimium paueas*, &c.) Vtrique mortis improuisæ causam, seu immaturæ indicant esse perturbationes, præsertim iræ, & stultum, siue immoderatum laborem. Commodæ sunt omnes interpretationes; meritò tamen præferendæ, quas assignant Catholici Doctores, maximè Hieronymus, iis, quas Rabbini, quos Pagninus citat.

e in thesauro linguæ sanctæ.
f apud Pagninum.

Multum.] Nullo quoque modo, si fieri possit; saltem, ne perseueranter, vt ait Hieronymus; ne extensiuè, plura patrando peccata, vt Caietanus D cum eodem; ne mortaliter, quando vitari venialia peccata omnia non queunt, inquit Carthusianus; ne atrociora, & inaudita committendo, vt docet Moringus.

Stultus.] Laxans frenos passionibus, immemor penitus propriæ salutis, non animi solùm, sed etiã corporis, mortísque discrimen apertum subiens, præcipuè sæuiendo, & Dei, hominúmque indignationem prouocando, itáque viuens lætus, securúsque, & improuidus, ac si te mors adoriri vel non posset, vel non auderet. *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret* [g]. Stultus est si non vigilat, hoc ipso quòd is quando veniat, ignorat: E ille etiam qui non recogitat hac nocte ab ipso repeti animam posse [h], imò quolibet momento.

g Lucæ 12. 39.
h ibid. 20.

Ne moriaris in tempore non tuo.] Editiones aliæ (*quare morieris in tempore non tuo?*) Habet interrogatio emphasim. Stat sua cuique quidem dies [i], & constituti termini vitæ, qui præteriri non possunt [k]; & numerus dierum præfixus est [l] secundùm præscientiam, & prouidentiam Dei: at secundùm naturæ cursum, quæ protelanda erat vitæ tela, præciditur [m] iussu eiusdem Dei, propter peccata; sicque moritur peccator in tempore non suo, nec dimidiat dies [n].

i 10. Aeneid.
k Iob. 14. 5.
l Psal. 38. 5.
m Esa. 38. 12.
n Psal. 54. 24.

Præter allatum priùs exemplum, propè infinita sunt alia in Saül, Achitophel, Absalõ, Amnon,

Aman, clade Sodomitica, diluuij, maris rubri, & aliis. Maximè accommodatum eſt, quod accidiſſe narrat S. Bernardinus [a] in Catalonię ciuitate Sui, prope Valentiam, ætate ſua. Duodeuiginti annorum adoleſcens parentum non parens monitis, tandem ob latrocinia patibulo ſuſpenſus eſt. Ibi mox ei ſuccreuit, populo inſpectante, barba, ac ſenſim cum capillo incanuit, ipſáque facies decrepitum ſenem exhibuit nonagenarium. Epiſcopus afflatus diuino Spiritu, docuit tamdiu victurum fuiſſe, ſi ſe in paterna obedientia continuiſſet: verum autem eſſe oraculum [b]; *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Eodem videtur Heli ſpectare familia, cuius partem magnā comminatus eſt moriturā Deus, cùm ad virilem ætatem veniſſent [c]. Vidiſſe quoque fertur Anaſtaſius Imperator impius horribili ſpecie virū, qui tanquam de libro recitaret; *En ob tuam improbitatem quatuordecim tibi vitæ annos deleo.* Ezechiæ prorogationem impetranti adiecti quindecim anni, cui præcidenda vita fuerat [d]. Idem cenſeri poteſt de Baltaſſare, cui Daniel [e], exponens ex ſcriptura manus primum verbum *Mane*, quod Chaldaicè bis ſcriptum ſignificat *deinceps*, id eſt, numerando numerauit, nempe diligentiſſimè, atque ad minimos calculos, dixit; *numerauit Deus Regnum tuum, & compleuit illud.* Id paſſim intelligunt de tempore ſeptuaginta annorum captiuitatis apud Ieremiam [f]: vel de ſomnio patris eius, ſiue aui Nabuchodonoſor, quo ſignificabatur transferendum Regnum Babylonicum ad Medos, & Perſas [g]: aut de futura Babylonis euerſione, vt prædixerant [h] Eſaias, & [i] Ieremias. At illud ſecundum verbum *Thecel.* cùm declarauit, *appenſus es in ſtatera, & inuentus es minùs habens*, licèt aliqui de meritis minoribus quàm vt Regno dignus eſſet; alij quòd minùs auctoritatis haberet quàm antè, quippe mox Regno, vitáque priuandus; tamen meliùs Hieronymus [k] interpretatus videtur, inuentum eſſe minùs dierum habere quàm poſtulabat ætas, naturáque ipſius, & ante diem naturalis mortis violenta nece præripiendum: denique moriturum in tempore non ſuo. Moritur ergo peccator in tempore non ſuo, diutiùs victurus, niſi peccaſſet: ſed & aliis antea dictis modis, quia illibens: quia imparatus: quia immaturus: & hoc ſecundùm virtutes; quamuis ratione peccatorum, & iniquitatum iam completarum, & quarum expectat complementū Deus [l], ſatis maturus. Athanaſius in apologia pro fuga ſua vtitur hoc, & ſimilibus locis, vt probet cùm ſit ignotus vitæ terminus, vitam ſeruandam quamdiu licet. De hoc eodem loco legi poſtea quæ his conſentanea diſſerit Pererius noſter [m]. Vt verò quis moriatur in tempore non ſuo, ſemper in tempore moritur à Deo conſtituto, & in termino, qui præteriri non poteſt [n]. *Omnia* namque *opera Domini bona, & omne opus hora ſua ſubminiſtrabit: non eſt dicere, hoc illo nequius eſt; omnia enim in tempore ſuo comprobabuntur* [o].

a tom. 2. in Quadrag. ... d. Euang. ... 1. ... art. ...
b Pſal. 54. 24.
c 1. Reg. 2. 31.
d 4. Reg. 20. Eſa. 38. 6.
e c. 5. 25. & ſeq.
f c. 25. 12.
g Dan. 2. 32.
h c. 13. & 14. & 21. & 47.
i c. 50. toto.
k in Dan.
l Geneſ. 15. 16.
m in c. 25. Gen diſp. 7.
n Iob. 14. 5.
o Eccli. 39. 40.

Verſ. 19.] Bonum eſt te ſuſtentare iuſtum, ſed & ab illo ne ſubtrahas manū tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit.

VEtus tranſlatio (*bonum eſt retinere iuſtum, & quidem ab hoc ne dimittas manum tuam; quoniam qui timet Deum, egredietur ad omnia*) Hebraicè (*bonum* (eſt) *quod apprehendas in hoc* (id eſt, hunc) *& etiam ab hoc* (nempe alio) *ne quieſcere facias manum tuam, quia timens Deum, egredietur ad omnia hæc*, vel *de omnibus his*) Græcè (*bonum eſt inhærere in hoc; & quidem ab hoc ne contamines manum tuam, quoniam timentibus Deum egrediuntur omnia*) Scholiaſtes (*μὴ ἀνῇς, ne dimittas.*) Non eſt audiendus Titelmannus, dicens legi debere, *iſtum*, pro *iuſtum*. Sic enim habent paſſim omnes Latini codices, non ſoli Sixtiani, necnon & Græci. Caue etiam, dum leges notationes Sà, ne ſic legas cum ipſo; facilis verò vel alluſio, vel permutatio in *μιάνῃς*, & *μὴ ἀνῇς.* Thaumaturgus declarat maximum bonum eſſe, vt quis Deum (quem videtur intelligere nomine *iuſti*) complectatur, & apprehendat, in eóque manens abſtineat ab omni peccato: quoniam res immaculatas impura manu contrectare nefariū ſit; eum verò qui cedat, ſéque cum Dei timore ſubmittat, effugere aduerſa omnia. Olympiodorus, bonum eſſe virtutem comparare, nec manus vitio polluere: qui verò id faciat, Deúmque timeat, euaſurum tentationum certamina. Hieronymus, Albinus, gloſſa interlinearis, Hugo Cardinalis, Titelmannus, & Sà, bonum eſſe iuſtis benefacere; ſed & peccatoribus quoque, nec domeſticis ſolùm fidei [a], verùm etiam cuicumque, Dei exemplo, qui abſque reſpectu perſonarum *pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos* [b]. Vel præparatum eſſe animum debere in hac varietate rerum tam ad aduerſa, quàm ad proſpera: ideóque implorandum Deum, quem qui adiutorem habet, timétque, nec proſperis eleuatur, nec opprimitur aduerſis. Hugo Cardinalis hunc præterea ſenſum aſſignat, bonum eſſe ſuſtinere frequenter arguentem, corripientem, flagellātem, nec ab iſto ſubtrahendum ſeruitium, ſubſidiúmque, ſed tanto feruentiùs exhibendum, quanto ille ſollicitior eſt in curatione noſtra.

a Gal. 6. 10.
b Matth. 5. 45.

Bonauentura, Carthuſianus, & Moringus explicant de beneficentia erga iuſtum duntaxat, quem iuuare oporteat non in cauſa ſolùm, ſed per eleemoſynam quoque, nō ſemel, aut iterum, ſed quamdiu indiguerit. Caietanus, & iterū Moringus, qui putat ſic accōmodatiùs ad Hebræum textum exponi, volunt moneri illum, cui priùs præceptum fuerat ne nimium iuſtus eſſet, vel ſapiens, vel impius, vt non idcirco ſibi credat permitti omnino iniuſtum eſſe, inſipientem, mediocriter impium; imò verò bonum ac ſalutare eſſe ſuſtentare, atque cōfertis veluti digitis, compreſſíſque manibus tenere iuſtum, hoc eſt, iuſtitiam, nec ab illa manus vnquam remouere, quoniam timens ex animo Deum, nihil negligit, ſed omnem circumſpicit partem, vt medium teneat, neque diuinam Maieſtatem lædat, egreditur ad omnes virtutes non contentus vna.

Meliùs elicit ſententiam iſtam Caietanus ex Hebræis, quæ ſic habent (*bonum quod apprehendes in hoc*, alij (*bonum eſt vt apprehendas*, &c.) *& etiam ab hoc non relinquas manum tuam, quia timens Elohim, egredietur ad omnia ipſa.*) Moringus fallitur, dum vt ex Hebræo redditam *iuſti* vocem ſumit ac interpretatur, quæ ſibi propriè reſpondentem ibi non habet. Vatablus conſentit in hac expoſitione. Bonum eſt, vt hoc, inquit, teneas, ita (nempe quòd non ſis nimium iuſtus) nec manū tuam ab iſto retrahas (id eſt, à iuſtitia, & ſapientia, quas non debes ſpernere, ſed vtrique operam diligenter dare) nam timens Deum, expediet ſe ab vniuerſis his (id eſt, facile cauebit ne ſit nimium iuſtus, aut ne non ſtudeat iuſtitiæ, recedétque ab

extre

extremis.) Similis est Hebræorum interpretatio, cuius meminit Isidorus Clarius, qui sic vertit (*bonum est te apprehendere hoc, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam, quia qui timet Deum, egreditur cum omnibus istis*) bonum est accipere partem sapientiæ,& stultitiæ,quia qui timet Dominum, vtitur vtraque te vtiliter. Ne sit inutilis, stultáque interpretatio, per illas partes intelligere debet extrema in medioctitatem redacta. Idem Clarius declarat hoc pacto. Vt hæc pericula (nimiæ iustitiæ,sapiétiæ, stultitiæ, impietatis) vites,nihil melius est, quam vt firmiter credas, & perpetuò in memoria habeas (quasi sit quod dicitur,*bonum est te apprehendere hoc, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam*) quòd illi qui Deum reuerentur,omnia hæc mortifera mala effugient (id sibi volunt illa,*quia qui timet Deum, egreditur cum omnibus istis.*)

Chaldæa paraphrasis differt à cæteris (*bonum est,* inquit, *te adiungi negotiis mundi huius,vt retribuas beneficentiam animæ tuæ in via negotiatorum, & etiam ab hoc libro legis ne dimittas partem tuam: etenim qui timet Dominum, exit de manibus omnium delictorum illorum.*) Lyranus docet præcipi protectionem iusti,conseruando eum in iustitia sua. Ex his octo, vel nouem dicendi modis maximè tertius placet Hieronymi, à quo quintus parum dissentit: proximè post illum sextus. Alios non penitus reiiciendos censeo,quia cõtinent vtilem doctrinam, nec ineptè cohærent.

a c.12.5. Obiicies præceptum Ecclesiastici [a]:*Da bono, & non receperis peccatorem: benefac humili,& non dederis impio.* Respondet Hugo, non esse fouendam impietatem, ac peccatum, sed subueniendum necessitati eius etiam qui peccator est, & impius. Cæterùm non agit Ecclesiasticus de conferenda eleemosyna, quæ alienam respicit miseriam, sed de beneficentia vel amicitiæ, vel iustitiæ distributiuæ, vt rectè notauit Iansenius, & Paulus de Palatio, & Rabanus [b]; in qua profectò delectus habendus, ne benefacta malè locata, malefacta sint,vt se arbitrari dixit Ennius. Possunt & impij quandoque beneficiis allici,reuocaríque ad meliorem frugem, & si premantur graui necessitate, lex eleemosynæ ipsos quoque comprehendit,licèt pios,ac iustos præferat,& illos nominatim,qui propter iustitiam bonis sunt spoliati, vel ipsi se illis sponte, quò Christo seruirent & Ecclesiæ liberiùs,exuerunt. Augustinus [c] vno verbo explicat Ecclesiastici locum. [Intelligas figuratè positum pro peccato peccatorem,vt peccatũ eius non suscipias.]Chrysostomus crebrò reprehendit inquisitores,scrutatorésque pauperum:& est sanè animi parum benigni argumẽtum,nec admodum pij id facere,neque memoris,cuius amore,nomine que fiat eleemosyna, vel quis eleemosynæ sit fructum redditurus.

b lib.3.in Eccli.c.6.

c 3.de doct. Christ.c.6.

Ne subtrahas manum tuam.] Hebraicè (*ne quiescere facias manum tuam*) id est,ne sit manus tua remissa,& animus deiectus, ne manus lassa, debilis, aut brachium tale;sed extensum,roboratum,forte,confortatum,vt loqui solent Scripturæ.

Qui timet Deum,nihil negligit.] Hebraicè (*egredietur, vel ad cuncta ipsa,* id est, omnia aggredietur, & perficiet,vel, *egredietur cum omnibus*) id est, aut euadet mala,aut ad exitum perducet bona.Particula את *eth,* aut est articulus accusatiui casus,aut præpositio (*ad*) vel (*cum.*) Vulgò *riescirà con ogni cosa, ò d'ogni cosa, ò vscirà in ogni cosa*) quod vltimum exprimit primum sensum. Ingredi,& egredi,vt aliàs docui,est inire opus, & complere. Et simplex quoque יֵצֵא *iatsa, exire,* seu *egredi,* absolutè positum idem valet aliquando quod exire ad bellum, expeditionem facere.Græcè (*ὅτι φοβουμένοις τὸν Θεὸν ἐξελεύσεται τὰ πάντα, quoniam timentibus Deum exibunt omnia*) Symmachus (*ὁ γὰρ φοβούμενος τὸν Θεὸν διεξελεύσεται τὰ πάντα, timens enim Deum pertransibit omnia*)& in quodam codice vetusto editionis Septuaginta est ad marginem ὁ φοβούμενος. Prior lectio indicat quòd omnia feliciter succedent Deum timentibus:posterior tum hoc, tum præsertim, quòd hi nihil omittent, & vt doctissimè Interpres vertit, nihil negligent, eorum scilicet quæ ad Deum, ac virtutem pertinent. Vt negligentiæ mater securitas, ita timor diligentiæ. Hæc verò consistit in quatuor, inquit Hugo Cardinalis, in studio, labore,sumptu,tempore, quibus non parcit,qui diligens est, pro vt res exigit.In Ecclesiastico [a] est; *In tota anima tua time Deum, & de negligentia purga te cum paucis,* id est, offer sacrificium in Leuitico imperatum pro negligentia,& si non potes id quod ditiores, saltem offer quod pauperiores solent.Quamuis Lyranus,& Palatius exponãt de peccato, verbi gratià,furti,non palàm confitendo,vt consulatur famæ:Rabanus de sacrificio, vel oblatione, quæ si ex charitate fiat,& humilitate, grata est,quamuis parua sit,sicut æra duo viduæ [b]: alij [c], quoniam id paucorum; pauci namque timent Deum.Non agitur hìc de neglig̃etia qualibet generaliter, sed circa misericordiæ opera. Tamen obiicit sibi Bonauentura,quòd, vt paulo pòst dicitur,nõ est qui non peccet: qui autem peccat, aliquid negligit. Respondet, si negligentiam intelligamus, quæ importat contemptum, esse mortale peccatum, atque de illa hoc loco sermonem fieri; si vt qualemcunque omissionem circunstantiæ, esse veniale: ita verò nemiñe reperiri sine illa,& aliquo peccato veniali, præter Christum,& beatissimam Virginem. Addunt nonnulli aliquos alios. Id alibi docui, nec est modò necessarium proposito.

a c.7.31.34.

b Mar.12.42.
c Sà in notat.

Vers. 20.] Sapientia confortauit sapientem super decem principes ciuitatis.

VVlt Bonauentura suaderi hac secunda ratione,vt quis benignè faciat, præsertim iusto, non solùm quia Dei voluntas est, quem oportet timere, sicut antè dictum est, sed quia dignus est iustus, in quem munera conferantur, liberalitas exerceatur multo magis,quàm Principes, quibus largiri solent multi,siue quòd potentiam vereantur,siue quia gratiam illorum venentur,siue quoniam aut emant,aut redimãt temporalia alia bona. Hugo Cardinalis ait esse præceptum separatum de studio sapientiæ, cuius vis ac robur superet id quo valent omnes Principes,reddátque intrepidum ad omnia. Fauet Chaldæa paraphrasis (*& sapientia auxiliabitur sapienti,qui subegerit concupiscentiam malam, ideo vt non peccet magis, quàm decem Imperatores qui fuerint in ciuitate.*) Certè ciuitas expugnari potest,sapientia non potest, ne à principibus quidem,& potestatibus,& mundi rectoribus tenebrarum harum [d], nisi priùs expellatur, abiiciatúrque per consensum voluntarium.Testis Dauid [e],& Paulus [f], & Iob [g],qui Deo freti nullas copias pertimescunt. Exponit fusè Titelmannus istum sensum, eundémque sequitur Morinegus. Hieronymus,cuius est quoque iam allata secunda expositio,necnon idem Hugo docent nos

d Ephes.6.12.

e Ps.26.1.& seq.
f Rom.8.35.& seq.
g c.17.1.

admoneri, si te subuenire non possumus, vt versu priore iubebatur, subueniamus sapientia, cōsilio, solatio, quod plus iuuat, quàm cunctæ diuitiæ, & quantauis potestas. Quartus, sed apud Hieronymum tertius, sensus allegoricus est de Christo, qui est sapientia Patris, cuius auxilium maius est, quàm decem Principum, id est, omnium Angelorum: & postquam hi dixerunt; Curauimus Babylonem, & non est sanata, relinquamus eam, & abeat vnusquisque in terram suam [a], ipse magister medicorum descendit in huius mundi ciuitatem, madentésque peccatorum cruore, & qui omnem substantiam expenderamus in medicos, tactu fimbriæ sanauit & confortauit [b]. Placuit Salonio & Albino allegoria; huic verò etiam prima literalis interpretatio Hieronymi.

Olympiodorus allegoriam similem tradit de Christo; sed per decem Principes, vel habentes potestatem, aut Decalogum sumit, quem nullus sic obseruabat, quin peccaret, lege quoque nullum per se iustificante: aut quinos & in corpore, & in animo sensus, per quos absque Christi auxilio non possumus non peccare. Affert etiam Hugo Cardinalis mysticum itum sensum: quinque verò sensus externos esse notos illos, visum, auditum, gustum, odoratum, tactum: internos, communem, imaginationem, rationē, id est, æstimationem, intellectum, memoriam; quam tamen de his opinionē non probo. Thaumaturgus seorsim laudem sapientiæ interpretatur; verùm ita, vt eam ponat in tutanda ciuitate, necnon (quod habet sequens versus) in ignoscendo nonnunquam iis, qui ab officio aberrent: qua nimirum ratione multo meliùs publicis occurritur malis, quàm copiis militaribus, armísque copiosissimis. Moringus quoque consentit: nam res magnas non tam geri corporis viribus, quàm consilio, prudētia, auctoritate. Lyranus dicit occurri obiectioni; cùm proximè dictum esset nihil negligi ab eo, qui timet Deum, infirmas enim vires esse. *At*, inquit Ecclesiastes, *sapientia confortabit sapientem*, &c. Idem innuit Carthusianus. Sapiens [c] ipse testatur, quod *melior est sapientia, quàm vires, & vir prudens, quàm fortis*: & capite nono [d] huius libri; *Melior est sapiētia, quàm arma bellica*: & in Prouerbiis [e]; *Vir sapiens fortis est, & vir doctus robustus & validus.* Caietanus ait præponi nūc sapientiam dominio, quæ prius erat prælata diuitiis. Ego verò, tametsi non ...rim nō requirendum in hoc libro nexum antecedentium, & consequentium sententiarum; si tamen is vltrò ac facilè offerat sese, libenter accipio. Quapropter ex allatis explicationibus, quæ diuini in Scripturis vbertatem Spiritus indicant, & despici non debent, libentiùs tertiam sequor, quam dedit Hieronymus secundo loco, vtpote quæ planiùs inhæreat ad mentem auctoris in proximè præcedente sententia.

Confortauit.] In aliis editionibus est verbum futuri temporis, & Græcè, atque Chaldaicè (*auxiliabitur*, vel *iuuabit*, βοηθήσει) Aquila (ἐνισχύσει, *roborabit*) vetus translatio (*confortabit.*) Sensus omnium idem.

Super decem principes ciuitatis.] Mysticè sunt vel Angeli, vel Decalogus, vel decem sensus, vt antè notatum est. Sed nec forsitan tot interni sensus, hoc est, quinque sunt: nec, quod Salonius dixit, ordines Angelorum decem, ex quibus ceciderit vnus. Patres, ac Theologorum schola nouem solos in tribus hierarchiis ordines norunt, intra quos Angeli quoque mali comprehendantur.

a Ier. 51. 9.
b Luc. 8. 43. & seq.
c Sap. 6. 1.
d vers. vlt.
e c. 24. 5.

A Satius est, siue Angelos intelligas, siue alios, per denarium numerum, qui cæterorum fines censetur, diciturque δέκα, quasi δεχὰς παρὰ τὸ δέχεσθαι, quod est *comprehendere* [a], infinitam, vel indefinitam multitudinem intelligere. *En decies confundis me*, inquit Iob [b], hoc est, multoties, vel infinities. Conquestus est quoque Iacob [c] decem vicibus mutatam sibi mercedem à Laban: & Deus tot vicibus tentatum se à populo [d]: decem præterea virgines pro vniuersa multitudine ponuntur [e]: & in Apocalypsi [f]; *habebitis tribulationem diebus decem*, id est, multo tempore, vt ibi exponit Origenes, Beda, alij: & in Deuteronomio [g]; *Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini*, Hebraicè, *in generatione decima*, Septuaginta, *vsque ad decimam generationem*, id est, nunquam: in Leuitico [h]; *ita vt decem mulieres*, id est, multæ, *in vno clibano coquant panes.* Lege Petrum Bongum [i], & Salmeronem [k], & Origenem [l]. Hinc & Latini pro magno, vel insigniter graui decumanum vsurpant [m]. Nec verò refert quòd ciuitatis Principes apud Hebræos essent, vt ait Iosephus [n], tantùm septeni: continetur enim hîc hyperbole, vt & quibusdam ex citatis locis, verbi gratiâ, de Iacob, & de Iob.

a Philo lib. de Decalogo, & lib. de quærendo congressu erud. gratiâ.
b c. 19. 3.
c Gen. 31. 7. 41.
d Num. 14. 22.
e Matt. 25. 1.
f c. 2. 10.
g c. 23. 3.
h c. 26. 26.
i de myster. numero.
k tom. 1. proleg. 20.
l hom. 13. in Leu. & hom. 3. in Iosue.
m Festus, & alij.
n apud Sigo. 7. de Repub. Hebræo. c. 7.

C *Vers. 21.*] Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

PEndere præsentem ex priore sententiam ostendit particula (*enim.*) Quo autem pendeat modo secundùm varias opiniones, anteà docuimus. Nihil hinc habent hæretici pro peruerso dogmate, iustum in omni quamlibet opere bono peccare. Potiùs colligitur, non esse qui saltem venialiter aliquando non peccet, seu, vt præ se fert Hebræum verbum futuri temporis, peccaturus non sit. Id iisdem propemodum verbis alibi non semel dicitur [o], & satis innuit quotidiana precatio, *dimitte nobis debita nostra* [p]; & definit Conciliū Tridentinum [q], & plurimi Patres confirmant, maximè Hieronymus [r], & Augustinus [s]. D Sunt qui exponāt etiam de peccatis mortalibus, ita vt nemo suis viribus ea vitare possit, & iustus esse; proptereáque necessariā fuisse Filij Dei incarnationem. Sic docet Athanasius [t]. Hieronymus præterea quodam [u] loco de contrahentibus in vtero materno originale peccatum, & naturâ filiis iræ. Mitto quod alij dicunt, non esse in hac vita, qui non peccet, hoc est, qui non habeat peccati fomitem. Loquitur ita Petrus Lombardus [x], dicens aliud esse habere peccatum, aliud operari: hoc requirere consensum; per illud quod nolumus malum nos agere, sicque non tam nos operari, quàm quod habitat in nobis peccatum [y]. E Hugo Cardinalis argutè magis, quàm solidè, dicit non esse qui faciat bonum simul, & non peccet, quia pueri quidem non peccant, non tamen faciunt bonum: adulti bonum sic faciunt, vt aliquando peccent: in solo Christo, & beata Virgine vtrumque reperiri. Alios exponendi modos colliges ex dictis priore versu, cuiusmodi est, quem Thaumaturgus dabat, quòd nō sit qui non quandoque in ciuitate, vel Republica aberret ab officio, cui qui sapienter præest, debeat interdum ignoscere, vt & ipse rectè gubernet. Nihilominùs verior videtur connexio, vt quis, si re non potest, iuuet consilio, quoniam plurimum valet sapientia; cùm nemo sit qui non interdum peccet, ita

o 3. Reg. 8. 46. 2. Par. 6. 36. Iob. 14. secundùm LXX. 1. Ioan. 1. 8. Iacobi 3. 2. Prou. 24. 16. Psal. 13. 3. Rom. 3. 4. 9.
p Matth. 6. 12.
q sess. 6 c. 11. & can. 23.
r 2 cont. Pelag.
s epist. 19. de nat. & gra. c. 36. libr de perfect. iustitiæ.
t de incarn. Verb. contra Paulum Samosatenum.
u lib. 1. in c. 2. Ep. ad Ephes.
x in Ps. 118.
y Rom. 7. 15. 16.

vt si

vt si aduersùs peccatum adeò illa prosit, multo magis prodesse possit ad sublenandam externam miseriam:aduersùs peccatū verò,tum eius ipsius, qui subuenit, siquidem nonnullum ipsemet habet, tum cui subuenitur, propter quod fieri potest,vt inciderit in miseriam:est autem longè maius bonum,si reddatur animus à peccatis, in quæ labimur,quantum humana conditio patitur, securus,quod præstat sapiētia,quàm si corpus protegatur ab extrinsecis malis, quod exterior potentia vtcumque facere potest. Imò hoc ipsum humanum auxiliū, & salus corporis, quæ ab hominibus est,vana est,quia homines non ita benefaciunt, quin etiam malè, mutata vel voluntate, vel rerum ipsarum veluti sorte; oderunt nunc,& insectantur,quibus bene priùs & volebant,& faciebant:atque,vt sint in beneuolentia constantes, non semper quod volunt, æquè in eorum est potestate,vt item exequantur; quod dici peccatum potest,non morale,sed naturale,sicut qui prospera fortuna vtitur, bene agere. Quare non est iustus,qui faciat bonum,& non peccet,si de iustitia quadam tantùm ciuili (iuxta hunc sensum) loquamur; vel de prosperitate illius,qui pollet dignitate,atque potentia.Sapientia continens perfectionem omnis virtutis, multo melius consulit corporis, animíque incommodis. Hieronymi sine dubio hæc sententia,& cōcatenatio est;quamuis non explicet hic peccatum illud, quod dixi physico modo pro aduersa, vel infirma fortuna, & bene facere pro secunda. Nos aliàs hoc libro docuimus, bene facere nonnunquam idem esse quod feliciter,ac prosperè. Cui minùs id placet, accipiat in propria significatione peccatum eo alio sensu,quem diximus. Consentaneus quoque ille sensus, vt sit adhortatio ad patientiam iusto, ac sapienti facta, fragilitatem propriam sibi reuocando in memoriam, & pronitatem ad peccandum, saltem leuiter.

Vers. 22.] Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum:ne fortè audias seruum tuum maledicentem tibi.

Vers. 23.] Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.

SApientiæ confortatum auxilio Hieronymus, & Albinus dicunt moneri, parato ad mala, bonáque corde esse, neque quid loquantur inimici de ipso,curare, qualémve habeant foris alij opinionem. Nam sicut prudentis est, non audire murmurantem famulum,nec aurem curiosè apponere,quid de se loquatur absente; ita qui sapientiam præuiam sequitur, vanos rumores non considerat:sed & qui se meminit de aliis oblocutum, debet aliis de se detrahentibus ignoscere. Non diffident ab hoc sensu cæteri, nisi quòd Thaumaturgus vult impiorum sermones vitādos prohiberi,ne quis maledicta cōtra seipsum compellatur audire, sicut & improbi serui loquacitatem, atque ea re animo commorsus, in multis postea actionibus ad regerēda conuitia ipse quòque abducatur. Olympiodorus nō audienda maledicta, & conuitia, id est, non curanda, etiamsi seruus ipse noster, quod plerumque fit, mala nobis imprecetur. Acerbiùs fertur iniuria magis cōiuncti,vilioris personę,& subditæ,quę minùs au-

A dere, & magis reuereri pro ratione conditionis deberet eum, quem lædit. Ecclesiastis est consilium,hæc non inquirere curiosè, nec si se vltrò ingerant,curare; & meminisse leniora leuiter ferenda cōtra te verba,qui alios,maximè subditos, grauioribus affeceris & verbis,& verberibus; aut cùm esses inferiore loco,verba cōtumeliosa protuleris in maiores tuos. Mensura remetitur tibi qua mensus es alios [a]:per quę peccasti,per hæc & puniris [b]: si pergis dicere quæ vis, audies quæ non vis [c]: sicut fecisti, sic reddidit tibi Dominus [d].Abibat tacitus Aristippus lacessitus conuitiis; cum cùm insequeretur maledicus fugiētem, dicens,cur fugis? Quoniam, inquit, tibi potestas
B est maledicendi,mihi verò non audiendi. Bonus Princeps Augustus nominabatur, & parens Reipublicæ, quòd contumelias quoque suas, quæ acerbiores Principibus solent esse,quàm iniuriæ, nulla crudelitate exequebatur:quòd probrosis in se dictis arridebat, quòd dare illum pœnas appareret, cùm exigeret, inquit Seneca [e]. Hic idem narrato pro remedio iræ præclaro alio eiusdem Augusti,ac Philippi Macedonis [f] exemplo,sic infert maximè morata sententia [g]. [Dicat itaque quisque sibi quoties lacessitur: Nunquid potentior sum Philippo? Illi tamen impunè maledictū est. Nunquid in domo mea plus possum, quàm toto orbe terrarum diuus Augustus potuit? Ille
C tamen contentus fuit à conuitiatore suo secedere. Quid est quare serui mei hilarius responsum, & contumaciorem vultum,& non peruenientem vsque ad me murmurationem flagellis, & compedibus expiem? Quis sum,cuius aures lædi nefas sit? Ignouerūt multi hostibus;ego non ignoscam pigris,negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuset, fœminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primùm offendit? cogitemus quamdiu placuerit. Sæpe & aliàs offendit? feramus quod diu tulimus. Amicus est? fecit quod noluit. Inimicus est? fecit quod debuit. Prudentiori cedamus:stultiori remittamus. Pro quocunque illud respōdeamus nobis,sapien-
D tissimos quoque viros multa delinquere: neminem esse tam circumspectum, cuius non diligentia aliquando sibi ipsi excidat:neminem tam maturum,cuius non grauitatem in aliquod feruidius factum casus impingat: neminem tam timidum offensarum,qui non in illas, dum vitat, incidat.] Omnia hæc moralissimus Philosophus,non quòd egeamus tali testimonio,vel exēplo,quibus propria, hoc est, sacra,longè meliora, pluráque suppetunt, in quibus recole quid aduersùs Semei maledicta Dauid responderit [h], quid Christus [i] præceperit; sed vt pudeat Christianos vel externis argumentis non permoueri.

Sed & cunctis sermonibus qui dicuntur, ne accommo-
E *des cor tuum.*] Sic ferè Hebraicè,nisi quòd est futurum tempus (*iis quæ dicentur*, aut *qui loquentur*) Græcè eodem modo: Symmachus (*iis qui loquuntur*,vel *quæ dicuntur*,τοῖς λαλουμένοις.) Chaldæus explicat de verbis impiorum, necnon Thaumaturgus. Sine dubio de malè loquentibus, verbísque malis hîc agitur. Ludit Hugo Cardinalis in *accommodandi* vocabulo:si enim quis vel audiendo, vel inquirendo, vel iudicando cor accommodet eiusmodi verbis, hæc non redditura commodarum,aut non integrum, sed deterioratum. Hebraicè, Chaldaicè, Græcè (*ne ponas*, seu *des cor*) Symmachus μὴ παράσχῃς τῇ καρδίᾳ σου, *ne attendas corde tuo.*)

a Matt.7.2.
b Num.35.56 & seq.
c Comicus in Andria.
d Iud.1.7.
e 1.de clemētia.c.10.
f 3.de ira.c.23.
g c.24.
h 2.Reg.16.10.
i Matth.5.43.& seq.

Ne

Ne fortè audias seruum maledicentem tibi.] Videtur Thaumaturgus, & Olympiodorus velle non caueri, ne quis nimium ad aliorum attendens verba, hoc incurrat incommodum; sed vt attendat quidem ad maledicta, & imprecationes serui, quod ferre difficilius est. Pro καταρωμένου Symmachus habet λοιδοροῦντος. Illud Interpres bene vertit: est namque καταρᾶσθαι *maledicere, execrari, deuouere: detestari, imprecari*: hoc significat *conuitiari, mordere, probris afficere, increpare*, &c. Hebræum קלל *ka-lal* est *spernere, vilem ducere, eleuare*, seu *extenuare verbis*, ac *deprimere, detrahere, maledicere*, præsertim in piel.

Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.] Longè aliter editio Græca (ὅτι πλειστάκις πονηρεύσεται (emendati codices, πονηρεύσεται) σε, καὶ καθόδους πολλὰς κακώσει καρδίαν σου, ὅτι ὡς καί γε σὺ κατηράσω ἑτέρους, *quoniam multoties malignatur*, vel *malignabitur, in te, & modis*, aut *descensibus multis malè afficiet cor tuum, quoniā vt & tu maledixisti aliis*) Aquila (ὅτι πρὸς πλειστάκις καιρῷ πονηρεύσεται καρδία σου, *quia frequenti tempore malè habebit cor tuum.*) Si nimirum attenderis, & curaueris quid quisque dicat, & serui tui cōuitia, atque maledicta. *Factus sum sicut homo non audiens*, &c. ait Dauid [a]. Obseruanda Ecclesiastæ prudentia in tota ista sententia. Videtur enim temerarij iudicij radicem, ac fontem præcidere, quæ est curiosa futurorum, & dictorum alienorum obseruatio: quem postea Christus modum tenuit, vt homicidium, fornicationémque prohiberet [b]; sicut verò idemmet importunum aliorum, ac iniquum reprehensorem iussit priùs eiicere de oculo suō [c] trabem; & vt qui sine peccato esset, adulteram ad ipsum delatam lapidaret primus [d]: ita paulo antè auctor noster posuit, quòd non sit homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

a Psal. 37. 14. 15.
b Matth. 5. 21. & 27.
c 7. 3. 4.
d Ioan. 8. 7.

Vers. 24.] Cuncta tentaui in sapientia: Dixi: Sapiens efficiar: & ipsa longiùs recessit à me,

Vers. 25.] Multo magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam?

CONuertit Ecclesiastes orationem ad seipsum, séque fatetur quo plus in sapientiæ studio processit, hoc suam magis ignorantiam, propter immensam illius profunditatem, deprehendisse. Satis multa hac de re capitibus dicta sunt superioribus, & sub finem sequentis idē repetitur: & Hieronymus ac Olympiodorus interpretantur de Scripturarum, vel diuinorum altitudine iudiciorum, déque omni ea cognitione, quam peregrinantes hic à Domino habemus duntaxat in ænigmate, ac speculo: Chaldæus de lege, de rebus præteritis, de secreto die mortis, eóque quo veniet Rex Christus, videlicet per incarnationem. Hugo Cardinalis, & Bonauentura aiūt curiosum sapientiæ studium reprehendi: Moringus contrà suaderi prosecutionem eius, cùm longissimè distet ipsius perfectio. Thaumaturgus indicat significare Salomonem, se quæ dixit hactenus, priùs probè nouisse, cùm sapientiam consecutus esset à Deo; qua deinceps amissa, iam sui similis esse nequiret, vel sapientiam recuperare, quæ tam longè recesserat ab ipso, idque, quod postea subditur, per mulierum commercia. Hoc idem obseruatum ab Hieronymo, & Albino. Huc potest etiam spectare allusio ad spiritum sapientiæ, qui fugisse intelligatur maleuolam, corruptissimámque Salomonis animam, & subditum peccatis corpus, atque fictum [a], id est, voluptatum illecebris, ac imposturis animam fascinatam, & deceptam [b], necnon renes impletos illusionibus [c]. Hoc si est, satis verisimile fit, deplorari à Salomone casum suum, & pœnitentiæ hoc libro testimonium illum edidisse, sicut docuimus in Præfatione. Quanta fuerit Salomonis sapientia, quam dedit ipsi Deus, & quam ipsemet exercuit tum verbis, tum scriptis, tum factis, ostendimus capite secundo [d].

a Sap. 1. 4.
b c. 4. 12.
c Psal. 37. 8.
d vers. 12.

Cuncta tentaui.] Alij (*cuncta hæc*, vel *hoc*) quasi proximè dicta, vel dictum. Possunt nihilominùs & alia indefinitè intelligi. Symmachus (τοῦτον ἐπειράσθην.) Videtur autem dicere se comprobasse experimento quæ doceat. Chaldaicè (*omne hoc quod dixi, probaui in sapientia.*) Potest quoque exponi de conatu in acquirenda, exercendáve sapientia: qua ratione plures declarant.

Insapientia.] Iungendæ dictiones hæ cum verbo præcedente (*tentaui*) non cum sequenti (*dixi*) quasi sensus sit: dixi in sapientia; sapiens efficiar, id est, non in stultitia, vt hi, quos multæ literæ faciunt insanire [e], *semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes* [f], quia sua sunt inflati scientia [g]. Declarat Hugo ad hunc modum; sed prior explicatio melior.

e Act. 26. 24.
f 2. Tim. 3. 7.
g 1. Cor. 8. 1.

Dixi: Sapiens efficiar.] Symmachus (ὑπέλαβον σοφὸς γένωμαι, *existimaui sapiens fieri.*) *Dicendi* verbum hanc inter alias vim habere dixi alibi.

Et ipsa longiùs recessit à me multo magis quàm erat.] Non satis commodè dictiones vltimæ quatuor separatæ sunt à versu vigesimoquarto. Iuxta reliquas editiones (*longè super quod erat*, seu *quàm erat*) & seruant paronomasiam, ἐμακρύνθη μακρὰν, רחוקה רחוק *rechokah rachok*. Illud autem (ὑπὲρ ὃ ἦν) potest reddi (*super id quod eram*, & *erat.*) Sed hoc meliùs, quàm illo modo, quo tamen Sixtiana Latina translatio ex Septuaginta editione vertit: Hebræum היה *haiah* est personæ tertiæ, & vulgata, vetúsque editio legunt (*erat.*) Chaldæa paraphrasis retinuit distinctionem, próque dictis illis quatuor vocibus enarrauit (*ecce iam pridem elongatum est à filiis hominis, vt sciant omne quod fuit à diebus seculi*, &c.) Masoretæ quoque dispungunt; sícque significatur id quod retrò fuit, remotum esse à notitia; pro vt & Chaldæus dicebat. *Habitat in altissimis sapientia, & thronus eius in columna nubis* [h]: confortata est, & nemo poterit ad eam [i], atque pro conditione altiorum rerum, quæ quo cernuntur propiùs, magis apparent altæ: & cùm ascendit homo ad cor altum, sublimiorémque contemplationem, exaltatur Deus [k], altiórque cognoscitur; *& cùm consummauerit homo, tunc incipit* [l]: collis, & mons comminùs intuenti altior & maior, minor ac humilior videtur eminùs cernenti. Gregorius [m] docet quòd sancti viri quo apud Deum altiùs virtutum dignitate proficiunt, eo subtiliùs indignos se esse deprehendunt; quia dum proximi luci fiunt, quicquid eos in ipsis latebat,

h Eccli. 24. 7.
i Psal. 138. 6.
k Psal. 63. 7.
l Eccli. 18. 6.
m 32. moral.

inueniunt,& tanto magis foris sibi deformes apparent,quanto minùs pulchrū est,quod intus vident. Tum subdit, confirmans huius loci testimonio. [Quæsita enim sapientia longè recedere dicitur,quia appropinquanti altior videtur: qui verò hanc nequaquam quærunt, tanto se ei propinquos æstimant, quanto & eius rectitudinis regulam ignorant, quia siti in tenebris mirari lucis claritatem nesciunt,quam numquam viderunt,&c.] Hieronymus in Psalmum nonagesimū primum sic explicat.[Ecclesiastes quod dicit,hoc est: Antequam cogitationem meam in opere ponerem,non videbam magnificentiam Dei.*Dixi,sapiens efficiar*, hoc est, dixi, debeo quærere rationes singularum causarum; *& ipsa longè facta est à me, longius multo quàm erat*, hoc est, sapientiam, quam antè non inquirens ignorabam, postea quærere cœpi,quam inuenire non poteram.

Et alta profunditas.]Græcè (*βαθὺ βάθος, profunda profunditas*) Hebraicè(*profundū profundū*, עָמֹק עָמֹק *hhamok hhamok*) quod Chaldæus explicat de secreto die nostræ mortis,& aduentus Christi.*Nimis profunda facta sunt*, ait Dauid, *cogitationes tuæ* [a].
a Ps.91.6. Geminatio verò dictionis Hebraicæ auget significationem,valétque idem quod *profundissimum*,& *abstrusissimum.Forsitan vestigia Dei comprehendes*, inquit Iob [b],*& vsque ad perfectum, Omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno,& vnde cognosces?*Dei proprium affirmat idē, atque Daniel [c],reuelare profunda de tenebris [d].
b c.11.7.8.
c c.12.22.
d c.2.22.
Sunt quidem profunda verba, consiliáque hominis [e]; verumtamen sapiens exhauriet cor illiùs [f]:maximè autem oculi Domini, qui circumspiciunt omnes vias hominum, & profundum abyssi,& hominum corda, intuentur in absconditas partes [g]. Simili formula dicitur cor profundum [h],quod est tectum,séque nititur vel ipsi Deo abscondere:profundus sermo[i],qui ignotus, & obscurus. Potest cui Dei Spiritus communicatur,scrutari profunda ipsius [k]:comprehendere non potest.Hoc exprimunt sequentia.
e Prou.18.4.
f Prou.20.5.
g Eccli.23.28.
h Esa 29.15.
i Ezec.3.5.6.
k 1.Cor.2.10.

Quis inueniet eam?] Symmachus (οὐδεὶς, *nemo.*) *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigabit* [l]? *Quis inuenit locum eius? & quis intrauit in thesauros eius* [m]?*Quis ascendit in cælum,& accepit eam,& eduxit eam de nubibus? Quis transfretauit mare, & inuenit illam? & attulit illam super aurum electum? Non est qui possit scire vias eius, neque qui exquirat semitas eius: sed qui scit vniuersa, nouit eam, & adinuenit eam prudentia sua* [n].
l Eccli.1.3.
m Baruc.3.15.
n ibid.29.30.31.32.

Vers. 26.] Lustraui vniuersa animo meo, vt scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam, & rationem: & vt cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium.

HÆc etiam sententia ex dictis capite primo satis intelligi potest, & non difficilem habet cum immediatè præcedentibus connexionem, licet Lyranus vtraque referat ad remouendum luxuriæ impedimentum, de qua paulo pòst. Hieronymus,& Albinus docent, innuítque Thaumaturgus, docere Salomonem sibi maximè propositum fuisse, dum laborauit in studio sapientiæ, quodnam esset in humanis malum maximum cognoscere, & reperisse, mulierem. Olympiodorus comparare sapientiam, scientiámque vanam cum meretrice, nec aliter fugiendam,quàm istam. Nihil vetat dissutas dicere sententias, nec illigatas, & contextas. Mihi autem Olympiodori expositio mystica videtur.

Lustraui vniuersa animo meo.] Hebraicè,Græcéque (*circuiui ego & cor meum*) Chaldaicè (*reuersus sum ego ad cogitandum in corde meo*) Aquila (περιώδευσα, *circumambulaui*) Symmachus apud Hieronymum (*pertransiui vniuersa sensu meo*)Ambrosius [a] (*circuiuit cor meum.*) Significat phrasis hæc virium applicationem ad intelligendum, & mentem collectam, quæ omnia in circuitu rationibus lustrat,séque, aliásque facultates perpendit, rem obiectā optimè consulit,&ad seipsam reflectitur. Hoc quidē pacto declarat Olympiodorus.Thaumaturgus indicat oppositum sensum:nempe dicit Salomonem significare se cùm tam procul abesse sapientiam vidisset,ab ea abiit inuisse, tandémque cò deuolutum esse, ac veluti circumactum,vt de mulieris cogitaret malitia,&c. Hebræi verbum סַבּוֹתִי *sabbothi* exponunt hîc & alibi, *animo volui*; aliàs causam dare,vel offerre eodem verbo dicunt; cui affine est,causari,& occasionem veluti per gyrum deuoluere, aut captare [b]. *Quasi is qui arat, & qui seminat,accede ad illam*, hoc,est sapientiam. a de bono mortis.c.7. b Eccli.6.19.

Vt scirem,& considerarem,& quærerem.] Videntur duo vltima synonyma: tamen distingui possunt, vt sciens id quod scit,attendat,& expendat,tum verò proficiendo magis magísque inquirat. Pro secundo ἐπισκέψασθαι, Symmachus habet διαθρῆσαι, *inuestigare.*Non puto scire habitum, considerare actum hîc denotare; quod notat Bonauentura.

Sapientiam, & rationem.] Pro, *rationem*, Græcè ψῆφον, *numerum*,aut *calculum*,siue *suffragium*,vel potiùs *summam, computum*, ac *supputationē*: Aquila λογισμὸν, cuius est quoque vltima modò dicta significatio, quam & *rationis* etiam nomen importare potest.In sequenti versu iterum ponitur *ratio*, & λογισμὸς, & vtrobique Hebræa vox eadem חֶשְׁבּוֹן *chesbon*, quam, inquit Hieronymus, secundùm Hebræi sermonis ambiguitatem, & numerum possumus, & summam, & rationem, & cogitationem dicere.Chaldæus reddit hoc loco *æstimationē*, videlicet mercedis operum iustorum. Hoc nomine Hebræo Rabbi Dauid ait significari rationem disputandi, & inquirendi, philosophiam, præsertim arithmeticam; industriam, vel inuentionem, artémve acutam. Hugo Cardinalis exponit scire, & considerare de cognitione per creaturas: sapientiam de rebus occultis: rationem, causam, & probationem: vel sapientiā,notitiam reuelatam; scientiam, humanam per inquisitionem:vel sapientiam, & rationem,id est,rationabilem sapientiam,nō phantasticam,& putatiuam:vel sapientiam,qua rationabilis, & sapiens esset, non diues,aut magnus: Bonauentura sapientiam in appetitibus, rationem in operibus: Olympiodorus de mundanarum rerum sapientia, & de ratione, aut per numeros arithmeticos, aut potiùs eos, qui genethliacis obseruationibus seruiunt:aut generaliter de rationibus omnibus, quæ per numeros colliguntur à studiosis secularibus, Gentilibúsque Philosophis.

Arbitror intelligere Salomonem tum quæ ad rerum naturas pertinent, tum quæ ad hominum vitam morésque, sicut capite primo dictum est.

a de bono mortis.

Ambrosius [a] locum totum diuerso modo legit (*circuiuit cor meum, vt scirem impij lætitiam, & vt considerarem, & quærerem sapientiam, & numerum, & vt scirem per Imperium lætitiam, & molestiam, & iactationem, & inueni ego eam amariorem quàm mortem.*) Ita quidem vetustior habet Ambrosij editio: Romana verò, quæ prodit opera Cardinalis Montalti, qui fuit postea Pontifex Sixtus V. sic legit (*circuiuit cor meum, vt considerarem, & quærerem sapientiam, & numerum, & vt scirem impij lætitiam, & molestiam, & iactationem, & inueni ego eam amariorem morte.*) Redacta est lectio ista ad editionem Septuaginta.

Et vt cognoscerem impietatem stulti.] Contrario modo Græce (ἀσεβοῦς ἀφροσύνην, *impij stultiam*) Ambrosius legit (εὐφροσύνην.) Fortasse autem in vetere eius editione, cùm dixit (*per Imperium lætitiam*) respexit ad ἀσεβὴς, quia impius, & crudelis omni ratione quærit sibi lætitiam, scilicet etiam violentè, & imperiosè. Hebraica (רֶשַׁע כֶּסֶל *reschahh chesel*) vt nunc sunt puncta, significant *impietatem stulti*; sicque habet etiam vetus translatio. Demptis punctis, siue aliter dispositis, potest sensus alius effici: quamuis non ita commodè is, qui Græcè expressus est. Imò propriè legendum videtur cum Caietano ἀσυνέτως, *impietatem*, seu *inquietudinem, stultitiam*: siquidem non כֶּסֶל *chesel*, sed כְּסִיל *chesil stultum* significat: sicut non רֶשַׁע *reschahh*, sed רָשָׁע *raschahh, impium*. Sensus semper idem est: & Interpretis nostri melior versio, quàm Vatabli (*proterniam stultitiæ*, vel *stultam impietatem*) & Pagnini (*impietatem stultitiæ*) & Caietani illa, quam dixi. Chaldæus explicat vltionem peccati stultorum.

Et errorem imprudentiū.] Hebraicè (*fatuitatem insaniarum*, vel *tricarum*, vel *fatuitatem, insanias*) Græcè (καὶ ὀχληρίαν, καὶ περιφοράν, *& turbulentiam, & circumlationem*) Symmachus (ἔννοιαν θορυβώδη, *cogitationem tumultuosam*) Ambrosius (*& molestiam, & iactationem*) legit fortasse διαφοράν. De his, Hebraicisque vocibus, quæ sunt hoc loco, diximus capite primo. Olympiodorus intelligit hæc, & priora de sophistarum stultitia, & turbatione, & inconstante errore, & mentis circumductione: Chaldæus vertit (*intelligentiam mutationis Regni.*) Generaliùs accipienda sunt, vt antè dixi, & Interpres noster in istis expressit concreta pro abstractis (quæ abstracta solet eo sensu Scriptura sæpe ponere) dixitque imprudentes, ac stultum pro imprudentia, & stultitia. Verè monet Hugo, errare mortales, dum verum rentur quod est falsum, bonum, quod malum, magnum, quod paruum, séque res possidere, à quibus potiùs possidentur: magni autem referre, si quis cognoscat hæc, vt damnet, caueátque. Quod ait Bonauentura errorem imprudentium esse in credendis, impietatem stulti in operandis; ego mallem sensu contrario interpretari, id est, hoc de illis, illud de istis. Hieronymus in commentario prædicta omnia sic disponit, impietatem, stultitiam, errorem, vecordiam.

Vers. 27.] Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.

Chaldæus explicat de vxore, quæ facit molestias multas viro suo. Olympiodorus exponit de adultera, cum qua comparetur vana sophistarum scientia: vt quemadmodum blandè iuuenes hæc lactat, & dolosè, ita capiat illa laqueis syllogismorum, atque titillanti orationis conceptu. Thaumaturgus interpretatus est quoque de eadem muliere, tanquam de fera irretiente, & pertranseuntes captante. Hieronymus, aliique Latini sequuntur eundem sensum, videlicet vt impudicæ mulieris pericula commemorentur per se, non per comparationem inanis sapientiæ cum ipsa. Ambrosius [a] recitat Latinè sententiam de Græco (*& inueni ego eam amariorem morte*, siue *quàm mortem*, καὶ εὑρίσκω (*inuenio*) ἐγὼ αὐτὴν πικροτέραν ὑπὲρ θάνατον) non quia, inquit Ambrosius, amara sit mors, sed quia impio amara; subdit, ac probat amariorem ipsi esse vitam, quàm mortem, sicut & nos antea meminimus. Negari non potest amaram mortem esse quamlibet iusto, cùm fuerit etiam Christo [b]: tamen verum etiam est, plurimum amaritiei Christum ebibisse, moriendo, imò mortis mortem fuisse [c], atque in eius tanquam ore mellis fauum collocasse [d]. Legendus liber eiusdem Ambrosij totus de bono mortis, Cypriani de mortalitate, Bernardi epistola 105.

a de bono mortis c.7.
b Mat. 26. 38.
c Oseæ 13. 14.
d Iud. 14. 8.

Porrò in Græcis codicibus post ea quæ recitata sunt, subiicitur (σὺν τὴν γυναῖκα ἥτις ἐςὶ, &c. *simul mulierem, quæ est*, &c.) Vbi cùm præcedat αὐτὴν, *ipsam*, indicare videtur id, quod Olympiodorus dixit, de comparatione erroris, ac cæterorum, quorum proximè facta mentio erat, cum impudica muliere. Vel etiam potest hinc inchoari separata sententia, atque periodus, quod & suppunctio denotat. Simul mulierē, nimirum inueni, aut inuenio, &c. In emendata editione Septuaginta mox inseritur quod aliæ non habent, καὶ ἐρῶ, *& dicam* (εὑρίσκω αὐτὴν, καὶ ἐρῶ, *inuenio, & dicam, amariorem esse*, &c.)

Quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius.] Græcè (θηρεύματα, καὶ σαγῆναι καρδία αὐτῆς) Sixtiani codices θήρευμα in singulari: Hebraicè, & Chaldaicè vtrumque nomen in numero multitudinis. Hæc est causa cur sit mulier amarior morte. Quot in muliere sunt corporis ornamenta, tot laqueis capit insensatos, vt Iudith [e] Holophernem, tum ipsa per se, tum per ipsam, cui vt se sic ornet, auctor solet esse diabolus. Exponit illa fornicationem suam omni transeunti, vt eius fiat [f]; & saltem cor illius est sagena, quia desiderio, ac voluntate cunctos irretit, nec vlli parcit hominum statui. Ecce occurrit mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas [g]. Describit Salomon sæpe valde accuratè laqueos omnes meretricios [h], tanquam vel iam expertus, quod Hieronymus hoc loco dicit, & Titelmanus; quod indicat proculdubio librum istum ab eo compositum post lapsum, velut indicem pœnitentiæ: vel antequam laberetur; vt propterea turpior lapsus extiterit.

e Iud. 10. 14. & seq. & c. 11. 18. & c. 12. 16.
f Ezech. 16. 15.
g Prou. 7. 10.
h Pro. 7. toto. c. 2. 16. & c. 5. toto. c. 6. 24. & c. 9. 13. & c. 18. 22. c. 22. 14. c. 23. 27. 28.

Admirabilis autē prorsùs exaggeratio. Rerum omniū amarissima morte mulierē facit amariorē, qui dilectionē castam laudans, vt mortē dicere fortē, satis habuit [i]: cū rebus, quas feræ ipsæ oderunt maximè, cōparat eandem, cū laqueo, sagena, vinculis; deniq; tot inebriatus amore mulierum [k], detestatur, & execratur tam fœdum, adeò perniciosum amorem, nec parem dolori reperit orationem. Sic Amnon sororem Tha-

i Cant. 8. 6.
k 3 Reg. 11. 1. 3.

mar oppressâ abs se, postea *exosā habuit odio magno nimis, ita vt maius esset odiū amore, quo antè dil. xerat, &* ejiceret eam foras, claudens ostium post eam [a]. Tragicus Medeæ furor notissimus est in Iasonem, quem priùs deperierat; resque tot abundat exemplis, vt magis commemorare pudeat, pigeátque, quàm liceat, aut libeat. *Mulier viri preciosam animam capit* [b], non vitam solam quam dat anima corpori, sed quam communicat animæ Deus inhabitans per gratiam. *Multos vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis* [c]. Non omittat lector totum Prouerbiorum caput septimum attentè legere; nam inde locus hic mirificè illustratur, & quicquid pertinet ad argumentum istud, eloquentia planè diuina describitur. Legat etiam ex Ecclesiastico [d] nonnulla. Extant & profanorum declamationes in sexum muliebrem, quod & alibi memini. Non ipse damnandus sexus, sed quæ vel peccant ex eo, vel qui abutuntur illo; quod & versus præsentis clausula docet.

a 2. Reg. 13. 14. 15. 16. 17.
b Prou. 6. 25.
c Prou. 7. 26. 27.
d c. 9. 25. c. 25. c. 26. c. 42.

Vincula sunt manus illius.] Græcè (δεσμὸς εἰς χεῖρας αὐτῆς, *vinculum in manu illius*) Symmachus (αἱ χεῖρες, *manus*) Aquila, teste Hieronymo (*vincta sunt manus eius.*) Suadere enim potest, inquit Hieronymus, vim facere non potest, nec ad se nolentes compellere; sicut alicubi de diabolo docet Augustinus [e], qui catena ligatus vt canis latrare potest, mordere nonnisi accedētes. Chaldaicè (*ligataq; manus eius sic, vt non faciant opus*) Hebraicè (אסורים ידיה *asurim iadeiah, vincti manus eius*, vel potiùs *manibus*) id est, qui capti sunt manibus eius, perinde est, ac si essent ligati in carcere. Nihilominùs potest esse nomen substantiuū *vincula* significans, vt & aliàs [f]; & denotatur, mulierē inhonestam manibus suis velut laqueis viros constringere. Ex iis vnum fortiter ligatum audi. *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimā, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur* [g]. Hugo Cardinalis, & Carthusianus vincula manuum interpretātur amplexus ac tactus impudicos: idémque innuit Thaumaturgus. Incredibilis est in muliere vis ad illiciēdum, quam Basilius [h] magnetis exemplò demonstrat attrahentis ferrum. Tale debuit esse adiutorium simile viro [i]: sed cum vir per seipsum, cum diabolus abutitur ad eundem perdendum, muliere.

e ser. 197. de temp.
f Iud. 15. 14.
g Prou. 7. 22.
h lib. de vera virginit.
i Gen. 2. 20.

Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab ea.] Hebraicè, & Græcè (*bonus coram Deo*) Symmachus (ἀρεστὸς, *placens*, vel *gratus*.) Chaldæus intelligens de adultera, explicat gratū Deo fore, qui dederit libellum repudij. Generalior sermo; & vt in lege vetere nefas videatur fuisse retinere adulteram [k], quod etiam indicat exemplum sponsi Beatæ Virginis [l]; non tamen in noua, vt Augustinus docet [m]. Imò lōgè probabilius est permisisse duntaxat veterem legem, vt adultera dimitteretur, non iussisse, quamuis illud senserint Chrysostomus, Euthymius, & Hieronymus in Matthæum [n], & alij. Sic quidem etiam traditur ab eodem Augustino [o]. Poterat retinere vir adulteram, sed ita vt eam corrigeret; alioqui stultus haberetur, & insipiens [p]. Similis est in Prouerbiis [q] sententia; *Fouea profunda, os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Peccatum peccati quandoque pœna est; nec tamen quasi sine voluntate peccatum censeri possit, vel vitari nequeat, causari cuiquam licet, aut excusare continentiæ impossibilitatem. *Et vt sciui,* ait ille [a], *quoniam aliter non possem esse continens* (sic multi de continentiæ virtute intelligunt, etsi alium credimus esse sensum [b]) *nisi Deus det, & hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum, adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.* Gratia cunctis offertur, & nullus nisi volens peccat.

k Pro. 18. 22.
l Mat. 1. 19.
m 2. de nupt. & cōcupi. c. 6.
n c. 1.
o serm. 16. de ver. Domin. & epist. 4.
p Pro. 18. 22.
q c. 22. 14.

a Sap. 8. 21.
b lege comment. nostrū.

Vers. 28.] Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum, vt inuenirem rationem.

Vers. 29.] Quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.

Obscurus locus. Hebraicè ad verbum (*vide, hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnam ad alteram, ad inueniendum* חשבון *chesbon, computationem*, vel *numerum, quem adhuc quæsiuit anima mea, & non inueni*) vetus translatio sic habet (*ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnam ad vnam, vt inuenirem numerum, quem adhuc quæsiuit anima, & non inueni*) Caietanus reddit (*vnam per vnam, ad inueniendum rationem*, &c.) Hieronymus ex Symmacho (*vnam ad vnam inuenire rationem*) notátque quod antè dixi de voce Hebræa, significare *rationem, numerum, summam, cogitationem*: præterea, quod solemus absolutè, & neutraliter appellare, id est, hoc quæsiui, illud volui inuenire, Hebræos fœminino genere pronunciare (carent enim neutro) sicut in Psalmo [c]; *Vnam petij à Domino, hanc requiram,* pro eo quod est, *vnum*. Vatablus hoc pacto (*inspice illud quod deprehendi, ait concionans, vna re cum altera comparata, vt rationem deprehenderem* (id est, inuenirem certam ac veram sententiam, quod vulgò dicitur, resolutionem) *cùm & aliud perquisierit anima mea* (id est, adhuc, iridem, præterea (*quod non deprehendi*) Isidorus Clarius (*ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum ad alterum conferendo, inueniri rationem* (id est, ex comparatione rerum inter se, id quod quæritur, inueniri solere) *& quidem adhuc quærit anima mea, & non inueni* (id est, laboraui vsque in hanc horam, vt conferendo officium fœminarum (hæc sequentibus verbis continentur) cum ingenio, & moribus virorum, bonam, & prudentem aliquam inuenirem; sed nihil successit) *ex mille viris vnum inueni tolerabilem, ex mille autem fœminis nullam.*) Alij, quos refert Titelmannus (*ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum ad vnum, vt inueniatur summa*, id est, omnia bona iustorum, & transgressiones impiorum inueni numerari coram Domino, quodlibet in summam suam, &c.) Thaumaturgus interpretatur inuestigationē diligētem per omnes mulieres, essēntne aliquæ pudicæ: cúmque singulatim quæsiuisset, nullā reperisse, pro vt habēt verba sequētia. Olympiodorus codē modo, licet mysticè de moribus effœminatis, aítque admirationē quādam cōtineri formula ista loquēdi. Idem Hieronymus exponit, cùm Salomon vniuersa diligēter euentilasset, reperisse, quòd paulatim peccando, & ad vnum delictum aliud apponendo, grandem nobis summam efficimus peccatorum. Præterea requisisse Salomonem rectam mulierem, cúmque vix de viris paucos bonos inuenisset, vix vnū de mille,

c Psal. 26. 4.

nec

nec vnam reperire potuisse, quia cunctæ ipsum deduxissent ad luxuriam. Tertiò, quotidie cuiusque secum rei rationem ponendo, nullum reperisse cogitatum purum, ac viri dignum nomine, & non aliquo modo perturbatum, & effœminatũ; vel viros, id est, cogitationes vix puras; mulieres, id est, opera, quæ per corpus exercentur, aliquo semper errore commixta. Fatetur Hieronymus vltimum sensum istum tropologicum esse. Albinus præter hanc tropologiam, quæ placet quoque Salonio vnà cum secundo sensu, allegoriam tradit, omnia diligenter tractando, vt rationem vnius alteriúsve rei, id est, cuiusque rei inueniret, vel etiam inter homines, eorúmque mores discretionem, quis perfectè bonus esset, solum vnũ Christum talem deprehendisse. Transcripsit idẽ glossa ordinaria. Hugo Cardinalis primum ex Hieronymi dicendi modis affert, legens (*vnum ad vnum*) necnon tertium, & alium Albini, & alios adhuc multos; inueni vnum, & alterum illud iam priùs dictum, morte amariorem mulierẽ, hoc, quod subiicitur, factum hominem à Deo rectũ, vel vnum de mille virum reperiri; vnum contra vnum, id est, res inter se contrarias contuli: vnum ad alterum, id est, simile currere ad simile, aut adiungi, ab auaris, verbi gratiâ, bona ad bona: vnum ad alterum, sigillatim perscrutando mores humanos, &c.

Bonauentura sumit vnum de concupiscentiæ pronitate, & alterum de eiusdem generalitate, hanc autem generalitatem ignoratam à Salomone per propriũ ingenium, quia sola fides eam docet, videlicet peccatũ originale, vt causam vniuersalem concupiscentiæ regnantis ferè in omnibus. Paraphrasis Chaldæa quæ sunt in versu primo, præcisè sic declarat (*aspice hoc opus quod inueni, dixit Ecclesiastes, contuli sydera vnum cum altero, vt inuenirem computationem filiorum hominum, & quid erit in extremis eorum.*) Videtur vocem Hebræam חֶשְׁבּוֹן *cheshbon* intellexisse illo modo, qui vnus
a vers.26. est ex iis, quos antea [a] diximus Olympiodorum assignasse, pro numeris, qui genethliacis obseruationibus inseruiunt.

Arbitror literalem sensum vitandũ non esse, quod hîc facit idẽ Olympiodorus: priores enim sententiæ ad literam commodè intelliguntur. Is quem Chaldæus assignat, non videtur ad rem. Ex aliis optimus, qui sponte facilèque cũ præcedentibus, ac sequentibus cohæret, nempe de muliebris sexus imbecillitate, & pronitate ad illiciẽdum, atque illaqueandum: quod sic esse Salomõ diutina se cogitatione, & veluti subducta ex præteritis experimentis ratione, diligentíque collatione, & computatione testificetur deprehendisse, & vt vellet maximè, de toto mulierũ genere aliud reperire, aliud iudicare non potuisse; quamuis nec inter viros licuerit bonos inuenire, nisi perpaucos admodũ, ita vt nec ex his quisquam in mulierũ se familiaritatem, quamlibet sibi videatur bonus, debeat insinuare. Lege quæ Hieronymus hunc ipsum locum expendens habet in
b lib.2.c 7. commentario Michææ [b]. Eodem spectat quod ait Titelmannus, velle Salomonẽ, ne quis quæ de mulierum laqueo, sagena, vinculis priùs dixisset, minùs crederet, vel vt nimis exaggeratè dicta caperet, seriò, ac certò confirmare ita se habere; quia cum summo studio penitus nosse satagisset sexus istius conditionẽ, nec ad vnius quidem de tam multis fœminis exactam notitiã pertingere
c 4. Aeneid. valuisse, adeò variũ & mutabile sẽper fœmina [c]: difficile virorum quoque corda comprehendi, minùs tamen quàm fœminarum, quoniam solent esse magis recti, constantes, ingenui.

Concordat cum hac sentẽtia Moringus, dicẽs persuaderi fugã turpis amoris, de quo proximè dictũ fuerat, quia perpauci sunt, præsertim è sexu fœmineo, qui non ab hoc impotentissimè potentissimo Tyranno deiiciantur. Sic nimirũ frustra se quærendo, ac ratiocinando per omnia quę sunt in mũdo laborasse, cùm non inueniret, qualẽ sibi animo fingebat, sic à libidine alienum, vt eius in totum stimulis non vulneraretur, aut pũgeretur; sed multo difficiliùs inter mulieres (quas appellat Petrus [a] infirmius vasculũ) quã inter viros. a 1.Pet.3.7.
Mulierositatẽ Salomonis indicat sententia, & accusat; quódque ex mille vxoribus, septingẽtis Reginis, trecentis concubinis, quas adamauerat, ne vnam quidem, cui se tutò committeret, inuenire potuerit.

Ecce.] Aliæ editiones (*vide*) sed interiectio demonstrans habet eandem vim, sicut ἰδοὺ, & ἴδε.

Inueni.] Glossa interlinearis (*apud me dispofui*) id est, inuenire volui, iniui, ac institui huiusmodi consilium, & cogitationem, statui apud me: negat enim postea se inuenisse, quod nimirum volebat inuenire. Verbum Hebræum מָצָא *matsa* hoc etiam significat quod dixi, & dixit glossa.

Dixit Ecclesiastes.] Hebræum verbum & Chaldæum est fœminini generis, non tantùm nomen (אָמְרָה קֹהֶלֶת *amerah koheleth*) Græcè est articulus masculinus (εἶπεν ὁ ἐκκλησιαστής.) De nomine dictũ
in Præfatione [b], & capite primo [c]. Ibi erat cum b c.4.
nomine fœminino masculinũ verbum אָמַר *amar*, c vers.1.
sicut & in capite 12.[d] Caietanus hoc loco docet d vers.8.
קֹהֶלֶת non sonare *concionatorem*, sed *concionem*, propter modò dictam causam, & esse sensum; dixit concio ad inueniendum rationem, non confusè, seu in genere, sed per vnam, hoc est, per singulas rationes discurrẽs: & appellari à Salomone librũ istum sermonem, concionémve, quę nõ ad quodcumque tendat, sed ad inueniendum rationem bene viuendi in tota vita, & introduci ipsam cõcionẽ loquentem, ac dicentem quid inuenerit, & quid non inuenerit. Malim suppleri nomẽ *animæ*, ita vt intelligatur coheleth dixisse, hoc est, concionatrix anima, sicut cùm verbum est masculinum, subintelligitur quòd Salomon dixerit per animam suam concionatricem, vel congregatricem, iuxta ea quæ docuimus citatis locis, vel etiã per sapientiã, per quã conuocabat populum, suas ad eũ conciones habẽs de rebus grauibus. Dicũt & quidam libri potiùs nomẽ esse, quàm auctoris, quod secutus Caietanus videtur. Melior, quam dixi, sententia, esse synthesim, qua fœminina vox iungitur masculino verbo: quod duobus huius libri locis factum est, quamuis non in isto. Nonnunquam habent in vsu Hebræi, dum fœminis munus tribuunt, quod viri sit magis proprium, illarum nominibus verba masculina
coniungere. Exempli causâ, quando de Ruth Scriptura loquitur [e]; *faciat Dominus hanc mulierem vt sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem*, Hebraicè per apostrophen ad Ruth dicitur verbis masculinis, וַעֲשֵׂה חַיִל וּקְרָא שֵׁם *vahhaseh chayl vkera schẽ strenuè age, & acquire nomen celebre.* Idem est de Abigail illis verbis, הַבְּרָכָה הַזֹּאת אֲשֶׁר הֵבִיא שִׁפְחָתְךָ *habberachah hazzoth ascher hebi siphchathecha* [f]. *suscipe benedictionem, quam attulit ancilla tua.* Contra verò quidam notant e Ruth 4. 11. f 1.Reg.25. 39.

2. Reg. 13. 37.

Dauid verbo fœminino dici ficuisse [a] Ammonem filium, quasi nimis effœminatè, molliterque id fecerit. Sed masculini generis est verbum יתאבל ithabbal. In sequenti sententia est aliud fœmininum תכל thechal, cùm dicitur cessauisse persequi Absalon; qua ipsa in re remissiùs, ac effœminatiùs egisse videri potest, cùm filij crimen adeò graue esset. Referri huc etiam potest, quòd masculina nomina tribui rebus fortibus, durisque soleant, quamuis hæ nominibus fœmininis exprimantur. Exemplum est in libro Iob [b], *vna alteri adhærebit*, id est, squama, חוח *choth*: sic enim habetur איש באחיהו ידבקו *isch beachihu iedubbaku*, *vir*, vel *quisque in fratrem adhærebunt*. Quamquam iisdem illis locis præsentis libri docui vsurpari eam synthesim generum, masculini in verbo, & fœminini in nomine, ad exprimendam exactiorem quandam operis, vel sermonis elegantiam. Qua de causâ pictores nobis exhibent scientias, artes, virtutes forma muliebri, necnon qui de illis tractant, sic illas describunt, ipsæque habitu eodem narrantur aliquando apparuisse, vt Nazianzeno (narrat ipse in somnio suo) aut Angeli (quos tamen aliàs dixi haud ita solere fœminas vt homines assumere dum apparent) induentes huiusmodi formas & nomina.

b c. 41. 8.

Virum de mille vnum reperi.] Poëta dixit [c];

Vir bonus, & sapiens, qualem vix repperit vnum
Millibus e multis hominum consultus Apollo.

c Virg. in Epig.

Est numerus finitus pro infinito, vel indefinito; & vniuersitatis, propter perfectionem, sicut docent innumerabilia tum sacra, tũ profana exempla, & obseruant Gregorius [d], & Augustinus [e], qui mille annos Apocalypsis, ansam erroris Millenariorum, pro annis omnibus huius seculi interpretantur. Idem faciunt Interpretes Apocalypsis [f]. Hinc est quòd aliquando Interpres ponit *mille* pro eo, quod est Hebraicè, *multitudo* [g]: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus*, Hebraicè, *ex multitudine*, מרבבה *merebabah*, quod tamen nomen pro myriade ponitur propter multitudinem. Sic explicat etiam Petrus Damianus [h] illum locum de Christo, & mille numerum, esse totius humani generis perfectionem, Talis ad redeuntem amicum aggratulatio [i];

Verani omnibus è meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis
Venisti.———

d 9. moral. c. 1. & lib. 32. c. 12.
e 20 de ciuit. c. 7.
f c. 20. 2.
g Cant. 5. 10.
h epist. 3. c. 4.
i Catull. Epigram. 9.

Haud ignota vnius ad mille comparatio, vt infinita quædam distantia designetur, ac eiusmodi quoque differentia, qualis inter læuam, dextrámque manum, quarum olim digitis numerabatur, inchoando vnitatem ab auriculari læuæ complicato, & notando millenarium pollice, ac indice dexteræ replicatis in se, vel, vt Beda scripsit [k], eodem auriculari eiusdem dexteræ, gestu eodem: quo tamen visitatius est vt centenarius significetur. Sed & Chaldæi lineis numeros exprimentes, vnum hoc modo |.|. mille autem isto 1000. describunt. Legendi Pierius [l], Nebrissensis [m], Bongus [n]. Comparatio hæc, siue compositio vnitatis cum millenario alibi etiam vsurpatur in Scriptura, vt his in locis: *non poterit ei respondere vnũ pro mille* [o]: *quomodo si persequatur vnus mille* [p]: *mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna* [q]. Porrò non dubium quin his verbis, vt & sequentibus, hyperbole contineatur, non infrequens Scripturis, & quidem cùm de iustorum perexiguo numero loquuntur, negantes vel vnum esse [r], affirmantes omnes à minimo vsque ad maximum auaritiæ studere, sequi munera [a]; omnes quæ sua sũt quærere [b]: & clamans Dauid in persona Crucifixi dicit [c]; *Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput.* Legeratis de crebro hyperbolæ vsu in sacris literis Augustinus [d], Cyrillus Alexandrinus [e], Isidorus Pelusiota [f]: de ipsa verò in se figura, vt ab aliis præterea vsurpatur, agunt egregie Seneca [g], & Quintilianus [h]; & ille quidem dum explicat morale præceptum, ne beneficus beneficij recordetur, quod contulit.

k tract. de indigitatione.
l hieroglyph. lib. 37.
m apolog. ad 50. sacræ Scripturæ locos. c. 1.
n de myster. numero.
o Iob 9. 3.
p Deu. 32. 30.
q Ps. 89. 4.
r Ps. 13. 3.
a Iere. 8. 10. Esa. 1. 23.
b Phil. 2. 21.
c Ps. 21. 8.
d epist. 59.
e lib. 12. in Ioan. c. 68.
f lib. 2. ep. 99.
g lib. vlt. de benef. c. 23.
h lib. 8. c. 6.

Mulierem ex omnibus non inueni.] Rectam, inquit, Chaldæus, qui tamen prius quoque membrum de viro negatiuè posuit, nempe non repertum perfectum, atque innocentem absque corruptione à diebus Adam. Credi debet vsque ad id tẽpus, quo Salomon scribebat: postea non solùm Christus homo simul & Deus, sed propter honorem ipsius, mater eius ab omni fuit immunis etiam originali peccato.

Bonauentura notat, nonnullos hæreticos existimasse, nullam mulierem saluari, atque id probasse, quia Christus hoc saluat tantùm, quod assumpsit, solus autem vir assumptus est ab eo: & idem dixit [i]; *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluabitur*, non verò, *quæ*: posse præterea hoc ex loco eandem hæresim confirmari. Non legi alium qui meminerit hæresis istius. Armenij negarunt futuras in suo sexu mulieres in resurrectione, vt testatur Prateolus [k]. Hos diu antea refellit Augustinus [l], abutẽtes verbis Apostoli; *donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Christi* [m], *conformes imaginis Filij Dei* [n]; & quia fecit Deus virum solum ex limo, fœminam ex viro [o]. Qui vtrumque sexum instituit, vtrumque restituet: nec negauit Christus futuras in resurrectione fœminas, hanc Sadducæis negantibus, quòd sequi putarent, vt essent etiam ibi nuptiæ [p], illorum sic argumentum faciliùs multo confutaturus, si negare potuisset. Legendi Scholastici in 4. [q] & ex nostris Franciscus Suarez [r], qui rationibus optimis, Patrúmque testimoniis hoc euincit de sexuum distinctione, quam resurgentes retinebunt. Quod autem de *viri* vocabulo respondet, sumi pro vtroque sexu, certum est, docéntque qui explicant Psalmos, in quibus vir beatus dicitur [s], Basilius, Hieronymus, Augustinus. Fateor substantialem resurrectionem esse posse eiusdem numero, etiamsi euadat ex fœmina vir. Item resurrectio in sexu fœmineo non arguit necessariò fœminas consequi salutem: tamen & illud magis congruit vnitati resurgentium, atque perfectioni vniuersi. Exemplum verò Christi valet duntaxat ad perfectionem ætatis, atque iudicij: & hoc ex illo morali consecutione sequitur, quia peragunt hîc nõnullæ fœminæ vitam præmio dignã æternæ vitæ, & meretrices ipsæ præcessuræ sunt, vt dixi Christus [t], in regno Dei, & mulier illa fortis tandem reperta ab eodem Salomone, *ridebit in die nouissimo* [u]. Denique Christus ita virum assumpsit, vt non nisi de muliere, quod non fecisset, inquit Bonauentura, nisi & ad salutem illa pertineret.

i Mar. 16. 16. Ioan. 3. 5.
k in catalogo hæresum.
l 22. de ciuit. Dei. c. 17.
m Ephes. 4. 13.
n Rom. 8. 29.
o Genes. 2. 7. 21. 22.
p Matt. 22. 23. & seq. Act. 23.
q dist. 44.
r in 3. p. tom. 2. disput. 41. sectione 3.
s in Ps. 1. & 111.
t Mat. 21. 31.
u Prou. 31. 10. 25.

Raritas prudentiæ, & constantiæ, & pudicitiæ in fœminis, quam notat præsenti loco Salomon, suadet potiùs indignum esse omnem hunc sexũ, cui Sacerdotale munus, vt Pepuziani volebát [x], & nostro tempore Lutherani, deferatur: imò & meliùs facere, qui nec permittunt ei ciuilem gubernationem, licet id in totum nefas esse qui asserit Christophorus Goodmannus [y], cóuincitur

x Aug. de hæresib. c. 27.
y apud Sebastianum Medices in summa hæresum.

exemplis

exemplis Athaliæ [a], ac Debboræ [b]. Non debuit infelix, ac muliere leuior hæreticus, Anglæ mulieri, mutata sententia, tantopere patrocinari, vt affirmaret Ecclesiæ supremam gubernationem in omnibus causis, etiam spiritualibus, ei competere. Hic rursus omitti à me monco apologiam contra mulieres: eas quidem certè Chrysostomus hac insectatur sententia, seu potius operis auctor imperfecti [c], operibus eius insertus. Definit is hoc modo mulierem. Quid est autem aliud mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta?

Heu facul est homini (ait Lucilius) *inuentu bona fæmina nusquam.*

Fortassis bonam fæminã intellexit vxorem: quod ipsum nomen *vxoris* ab vngendo dictum volunt, quòd lotum cadauer viri vngeret. Quamquam & bona fæmina quoque generaliùs appellaretur quæ nuptiis, ac funeribus officij causâ prælto erat [d].

Difficilè bona reperitur vxor.

Hæc si bona fuerit, vicissimque vir bonus, nihil societate ista coniugali prestantius, iucundiúsque inter societates humanas optari, vel reperiri potest, vt Ecclesiastici docet auctor [e], qualitates vxoris bonæ describens; quod noster quoque Salomon facit Prouerbiorum postremo capite [f], vbi de suamet matre censetur loqui, à qua se etiam testatur in eodem opere [g] doctum fuisse, ac optimis præceptis institutum.

a 4. Reg. 11. 3. b Iudic. 4. 4. c hom. 19. d Donatus in Hecyra ex Ennio 3. annal. e c. 40. 23. f vers. 10. & seqq. g c. 4. 4. & seq.

Vers. 30.] Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis vt sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi?

VAriant editiones aliæ numerum pluralem verbi (idque *quærere* significat) & pro *quæstionibus* Græce sunt λογισμοὶ, de qua voce priùs actum. Chaldaice, & Hebraice חִשְּׁבֹנוֹת *chesbonoth*, cuius loco vetus translatio ponit *cogitationes*. Sensum tradit Hieronymus, & Salonius, vt occurratur suspicanti propter præcedentem sententiam, damnari vniuersam humanam naturam, & mali auctorem Deũ induci; nos namque à Deo creatos bonos; sed quia libero sumus arbitrio derelicti, vitio nostro ad peiora labi, dũ maiora quærimus, & vltra vires nostras varia cogitamus. Primi parentes cum hac sunt conditi rectitudine mentis, cuius & index rectitudo corporis; sed immodica libido sciendi detorsit illos, omnéque genus humanum; cui multa quærendo, & disputando perueniendum nunc est ad aliquam veritatis cognitionem, ac vescendum vt corporis pane, sic animæ, qui est scientia, in sudore [h]. De primo homine Chaldæus interpretatur: sed qui hoc loco Hebraicè אָדָם *Adam* vocatur, præfixam habet literam ה *he* demonstrantem, quæ non propriis, verùm appellatiuis præponi solet: monétque contra Iouinianum Hieronymus [i], nomẽ hic esse *hominis*, in quo vir, & fæmina cõtineatur, exponens rectitudinem, quæ concupiscentiam corrigebat, vel potiùs remouebat. Generaliter quoque Thaumatúrgus homines accipit; rectitudinem verò simplicitatem animi, à qua illi distracti sint per varios discursus, infinitas quæstiones, & dictiuncularum disceptationes.

h Gen. 3. 19. i lib. 1.

Minus probabiliter sentiunt Alensis [a], Bonauentura [b], Scotus [c], Marsilius [d], Antisiodorensis [e], Catharinus [f]; citaturque Hugo Victorinus, qui tamen & se nihil velle definire scribit [g], & potiùs contrarium docet [h]: qui negant hominem primum creatũ in gratia; sed postea tamen eam priusquàm peccaret, accepisse, licèt hoc etiam videatur negare Marsilius. Illos beatus Thomas [i] huius loci testimonio confutat, rectitudinem explanans secundùm hoc, quòd ratio subdebatur Deo, rationi verò inferiores vires, & animæ corpus. Non ergo sufficiens expositio eiusdem Bonauenturæ, verba hæc intelligentis tum hîc, tum prologo secundi sententiarum, vbi fusè versat locum istum, & distinctione vigesimanona, de sola hominis natura facta ad imaginem Dei, quæ imago tribuerit capacitatẽ ad rectitudinem gratiæ, secundùm quam recti diligunt Deum [k], & rectè intelligunt, ac iudicant, & adæquant se veritati, hósque veritas Deus diligit, bonus rectis corde [l], quos decet collaudatio [m]. Nec obest, quòd natura gratiam præcedat: sufficit si consideratione, & prioritate, quam vocant, naturæ: nec quòd sic homo meliùs vel agnosceret diuinum beneficium, vel ad id se disponeret: satis vtrumque potuit, licèt in gratia ipsa conditus, sicut & Angelus: imò hinc maioris erga Deum amoris occasio vtrique præbita est hoc modo.

Hieronymus [n] hîc, & contra Iouinianum rectum cum bono confundit, & opponit rectitudini deprauationem peccati, atque concupiscentiæ, vt iam dixi, Augustinus [o] explicat hominem rectum, id est, voluntatis bonæ. Cyrillus Ierosolymitanus creatum, vt Apostolus [p] loquitur, in bonis operibus; qui loquẽdi modus innuit recreationem similem primæ creationi in gratia: sicque alibi Scriptura loquitur. Rupertus [q] exponit eo modo, quem retuli ex S. Thoma. Nec valet Caietani coniectura, qui negat etiam hîc agi de alia, quàm de naturali rectitudine, quòd Salomon dicat se inuenisse, nimirum, inquit ille, sub naturali lumine intellectus, cum iustitia originalis credatur fide: potuit enim hac fide posita, simul per discursum, prauitatem, seu deprauationem naturæ meliùs cognoscere. Simili argumento refelluntur, qui Deum auctorem peccati faciunt, necnon qui vel aiunt nõ aliter vllo modo conditum primum hominem, quàm nos nunc sumus, quod asserebant Pelagiani [r]; vel, quod sentiunt Caluinistæ [s], ac Lutherani [t], non in gratiæ donis læsam naturam nostram ob peccatum; nulla enim huiusmodi dona fuisse: verùm in re quapiam naturali, quale in primis liberum sit arbitrium, quo iam careamus. Agit contra istos errores præ aliis diligenter Cardinalis Bellarminus [u]. Euthymius in panopliæ parte prima, titulo nono hinc refellit Simonem, Marcionem, Manetem, qui à Deo quodam malo hominem malum esse fictum docebant. Adiuuant veritatem sententiæ, huiúsque loci, affinia alia testimonia. *Deus [x] creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum: & iterum conuertit illum in ipsam, & secundum se vestiuit illum virtute:* Græcè est ἰσχὺς, *vis, fortitudo, robur,* non animi minùs, quam corporis. *Disciplina [y] intellectus repleuit illos, creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum, & mala, & bona ostendit illis,* &c. *Creauit [z] Deus hominẽ inexterminabilem, ἐν ἀφθαρσίᾳ;*

a 2. p. q. 96 memb. 1. b 2. dist. 29. art. 2. q. 2. c eod. lib. & dist. q. vnica. d 2. q. 16. art. 6. e in summa. f in Genes. g 1. de Sacra. p. 6. c. 17. h ibid. c. 10. i 1. p. q. 95. art. 1. k Cant. 1. 4. l Psal. 72. 1. m Psal. 32. 1. n libr. 1. o 14. de ciu. Dei. c. 11. & 27. & de corrept. & grat. c. 10. p Ephes. 2. 10. q in Genes. r August. de hæres. c. 88. & epist. 106. s Caluin. 1. Insti. c. 15 § 8. t in c. 3. Gen. u libr. de grat. primi hominis. x Eccli. 17. 1. 2. y ibid. 6. z Sapi. 2. 23. 24.

A *in incorruptione, & in integritate, & ad imaginem similitudinis suæ, κ̀ εἰκόνα τ̃ ἰδίας ἰδιότητ⊕ ἐποίησεν αὐτὸν, & imaginem propriæ proprietatis* (iuxta codices alios ἀϊδιότητ⊕, *æternitatis*) *fecit illum. Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Renouamini* [a] *spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & in sanctitate veritatis. Expoliantes* [b] *vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem secundùm imaginem eius, qui creauit illum.*

[a Ephes.4.23.] [b Coloss.3.10.]

Solummodo hoc inueni.] Hebraicè (*seorsum, vide, hoc inueni.*) vbi attentio exigitur lectoris, & commendatur intenta cogitatio Ecclesiastæ. Aquila (μόνον ἴδε) alij (ἴδε, &c.).

Rectum.] De hac voce dixi in historia Apostolica [c]. Vox Hebræa יָשָׁר *iaschar* sumitur pro æquo, simplici, grato aliis, probo. Solet Scriptura *rectitudinis* nomine significare perfectionem gratiæ, vt Gregorius [d] de Valétia ostendit ex Iob [e], Psalmis [f]: adde Cantica [g], cùm dicitur quòd *recti diligunt*; & Augustinus [h] non obscurè innuit hunc quoque locum subindicans de creatione primi hominis in gratia.

B

[c c.8.21.] [d 1.p.disp.7. q.2. punct.2. [e] c.11.& c.4. 7.] [f Psal.7.11. Psal.32.1. Psal.50.12.] [g c.1.4.] [h de correp. & gra.c.10.]

Et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.] Vitio suo ad peiora per liberum arbitrium delapsus est, vt exposuit Hieronymus, maiora quærens, & vltra vires cogitans. [Miscendi verbum, ait Bonauentura [i], denotat conuersionem peccati ad creaturam: cõuersioni auersio iungitur: quæstiones important finis priuationem: & indicant remansisse in homine rectitudinis appetitum: infinitas earũ, quòd nihil satiare potest curiositatem, cùm discamus semper, & nunquam ad scientiam veritatis perueniamus [k]: nihil explere cupiditatem: nihil stabilire ipsius instabilitatem, quia cecidit à veritate in ignorantiam, à bonitate in malitiam, à potestate in impotentiam.] Hebraicè & Græcè (*ipsi quæsierunt cogitationes multas, siue ratiocinationes,* &c.) Olympiodorus λογισμὲς interpretatur obliquas viuendi rationes, in quas seipsos dissecant homines, vt alius libidini, alius auaritiæ seruiat, alij passionibus aliis sint subiecti. Concordat Caietanus, idque varias de felicitate sententias demonstrare, atque hinc quàm pauci valeant ratione, constare. Thaumaturgus, vt dixi, solos intellexit animi discursus, variásque disceptationes de leuibus rebus, vt de dictiunculis, circa quas tempus terunt qui sapientiæ profitentur inquisitionem. Lyranus putat significari difficultates circa acquisitionem scientiarum, & virtutum, propter priuationem originalis iustitiæ, & rebellionem inde secutam corporis ad animam, & omniũ virium inferiorum ad partem animæ superiorem. Hugo Cardinalis explicat tum de his, quæ scire studemus, nec sciri possunt definitè in hac vita, tum de curis, ac sollicitudinibus & concupiscentiis, quas & quærimus, & de illis ratio quæretur in Iudicio. Carthusianus quæstiones propriè intelligit, non vtiles ac licitas tantùm, sed curiosas & superstitiosas. Titelmannus vult *quæstionum* nomine contineri omnem difficultatem, perplexitatem, miseriam, in quas homines post primum parentem, qui naturam ipsam inuoluit, se quoque ipsi inuoluant. Alij vim facientes in voce *quæstionum*, rixas accipiunt, pugnásque carnales. Facilè concesserim, cuncta, quæ variè varij intelligunt per quęstiones, ea voce comprehendi, cui dudum expositæ respondent Græca τ̃ λογισμῶν, & Hebræa חִשְּׁבֹנוֹת *chesbonoth.* Symmachus autem vertit (ἐξηγεγάσαντο πολυπραγμοσύνην, *operati sunt curiositatem, vel variam negotiationem.*)

[i prologo 2. sentent.] [k 2. Tim.3.7.]

C D E

Quis talis vt sapiens est, & quis cognouit solutionem verbi?] Hinc vetus translatio, & nonnulli codices inchoant sequens caput. Græci (τίς οἶδε σοφὺς, &c. *quis nouit sapientes.*) Aquila in singulari σοφὸν, *sapientem* ponit. Chaldæus (*quis est sapiens, qui possit consistere aduersus sapientiam Domini, & scire solutiones eloquiorum in prophetia?*) Hieronymus arbitratur nouo quodam principio Ecclesiasten nunc, quia priùs dixerat difficilè bonum hominem inueniri, tamen à Deo creatos bonos homines, sed sua sponte ad peccatum delapsos, quid boni homini dederit Deus, quasi gloriabundum enumerare, ac obliquè de seipso loqui, vtpote qui sapiétia, prouidentia, occultorum Dei mysteriorum notitia valuerit, problematum quoque solutione, ita vt etiam in vultu ipso eluxerit sapientia ipsius, quémadmodum innuunt prima verba sequentis capitis, pro vt in editione vulgata distinctio capitum est. Addit Carthusianus, hac sui, quamuis tacita, laude refrenare aliorum immoderatum scientiæ studium, cùm ipsemet tantam sit passus difficultatem. Simili vsum ex seipso ratione Salomonem capite secundo [a] docuimus agentem eadem de re, & ibidem [b] præterea, vt dissuaderet voluptates. Ait etiam post Hugonem Cardinalem, ostendi nihil esse quod æstimari tantopere debeat, vt sapientem. Sed hoc satis innuit in sua expositione Hieronymus. Bonauentura consentit volens proponi sapientis excellentiam in verbis.

[a vers.12.] [b vers.25.]

Iuxta lectionem Græcam idem Hieronymus, & cum eo, vt solet, Albinus, priorem quoque secutus sensum, explicant raros esse, ac difficilè posse discerni qui sint veri sapientes, & qui veram inueniant solutionem Scripturarum, quamlibet multi profiteantur vtrumque. Thaumaturgus sic nectit sententiam cum exordio alterius capitis. Cùm exploratur sapientia in homine (τίς οἶδε σοφὺς, vel σοφὸν; *quis nouit sapientes, aut sapientem?*) eius ipsius, qui habet illam, vultũ splendore perfundere ipsa cernitur, sicut impudentia eum, in quo domicilium habet, statim vt visus est, odio dignum esse coarguit. Olympiodori similis est interpretatio secundæ Hieronymi: solùm differt, quòd ait doceri, sapientem illum verum esse, qui discernere queat eum, qui sit verè sapiens, ab eo, qui videtur tantùm esse: posse prætereà soluere quæstiones, & animæ faciem luce magna sapientiæ conspicuam habere. Hugo Cardinalis dicit, nemini nisi sapienti cõuenire quod proximè dictum est, factum à Deo hominem rectum; & sapientis esse, non se quæstionibus miscere, ac inuoluere, ex quibus nequeat extricare se, verùm eas expedire, & soluere, nec nisi res honestas, ac pias sobriè scrutando. Addit antonomasticè intelligi vel Christum, vel Salomonem *sapientis* nomine: per solutionem verbi non solùm diuinæ Scripturæ, iuxta illud [c]; *Quis est dignus accipere librum, & soluere signacula eius?* sed eius, de quo sumus in Iudicio interrogandi: quia *qui custodierint, & didicerint iusta, inueniẽt quid respõdeant* [d]. Titelmannus nihil aliud hac intendi sententia scribit, quàm vt attendamus diligenter ad ea, quæ dicta sunt, vel periculosam mulierũ malitiam, vel non Deo, sed nobis ipsis, quos ille rectos condidit, malorum deputãdam causam: sic esse in quodam Psalmo [e] post multa abstrusa explicata; *Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini?* sic aliquando Christum his vsum verbis [f], quæ Angelum quoque repetiisse tradit Apocalypsis [g];

[c Apoc.5.2.] [d Sap.6.11.] [e Psal.106. vlt.] [f Matth.11.15.& c.13.9.41.] [g c.2.7.11.17.29.c.3.6.13.22.c.13.9.]

qui habet aures audiendi, audiat; &, *qui potest capere, capiat* [a]. Caietanus negationem interrogatione putat includi, non modò ab se sapientiam elongatam, quod nuper Ecclesiastes [b] dixerat; verùm etiam sapientem prorsus neminem reperiri, nec sapientis conditiones in quopiam esse; nullum quoque verbum illud interpretari, de quo liber hic totus agit, quod, & quale sit bonum hominis in tota vita præsenti: hoc autem ab effectu probari, quoniam subinde mutantur qui sapientes videntur, vt apparet ex vultu; quod habetur principio proximi capitis.

[a] Matth. 19. 12.
[b] vers. 24.

Omnes probo sententias, minùs vltimam; non quòd interrogationem negem negandi vim habere, sed quia discrepat in totum à cæteris, & coactior est, atque remotior. Titelmanni sensus sua placet simplicitate, & facilitate. Vetustiores Patres libentiùs sequor, præcipuè Hieronymum, à quo non multum reliqui dissident, excepta paraphrasi Chaldæa, quæ fauet potiùs Caietano.

A

Solutionem verbi.] Vatablus, interpretationem negotiorum: Clarius, indicium de rebus: Carthusianus, quæstionum (de quibus priore versu) per verba propositarum, aut quarumuis rerum, sumendo *verbum* pro *re*: Hugo Cardinalis, necnon Hieronymus, Scripturæ diuinæ, vel mysteriorum, vel, vt ait Chaldæus, eloquiorum in prophetia. Has omnes acceptiones habet *verbum*, & congruunt proposito. Pro *solutione* Hebraicè est פֵּשֶׁר *pescher*, quod semel duntaxat, & hoc quidem loco extat in Scriptura. Magis vsitatum nomen Chaldæis, vel פִּשְׁרָא *pischra*, quod est apud Danielem [a]. Hebræi libentiùs vsurpant vocem פָּרָשָׁה *paraschah*, ex qua videri potest orta illa illa per transpositionem literarum; & inde nominatos Pharisæos putant, de quibus aliàs dixi.

[a] c. 2. 4. 7.

B

SVMMARIVM.

SAPIENTIS indicia nonnulla traduntur, in lineamentis corporis, verbis moderatis, obseruatione iuramenti, legis custodia, negotiatione tempestiua, considerata, lenique de improbis sententia, curæ superuacaneæ, & nimis anxiæ fuga.

CAPVT VIII.

1 SApientia hominis lucet in vultu
eius, & potentissimus faciem illius
commutabit.
2 Ego os Regis obseruo, & præcepta
iuramenti Dei.
3 Ne festines recedere à facie eius, ne-
que permaneas in opere malo: quia omne,
quod voluerit, faciet:
4 Et sermo illius potestate plenus est:
nec dicere ei quisquam potest: Quare ita
facis?
5 Qui custodit præceptum, non expe-
rietur quidquam mali. Tempus & respon-
sionem cor sapientis intelligit.
6 Omni negotio tempus est, & oppor-
tunitas, & multa hominis afflictio:
7 Quia ignorat præterita, & futura nul-
lo scire potest nuncio.
8 Non est in hominis potestate prohi-
bere spiritum, nec habet potestatem in die
mortis, nec finitur quiescere ingruente bel-
lo, neque saluabit impietas impium.
9 Omnia hæc consideraui, & dedi cor
meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub
Sole. Interdum dominatur homo homini
in malum suum.
10 Vidi impios sepultos: qui etiam cùm
adhuc viuerent, in loco sancto erant, & lau-
dabantur in ciuitate quasi iustorum ope-
rum: sed & hoc vanitas est.
11 Etenim quia nō profertur citò con-
tra malos sententia, absque timore vllo filij
hominum perpetrant mala.
12 Attamen peccator ex eo quòd cen-
ties facit malum, & per patientiam susten-
tatur, ego cognoui quòd erit bonū timen-
tibus Deum, qui verentur faciem eius.
13 Non sit bonum impio, nec prolon-
gentur dies eius, sed quasi vmbra transeāt
qui non timent faciem Domini.
14 Est & alia vanitas, quæ fit super ter-
ram: sunt iusti, quibus mala proueniunt,
quasi opera egerint impiorum: & sunt im-
pij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta
habeant: sed & hoc vanissimum iudico.
15 Laudaui igitur lætitiam, quòd non
esset homini bonum sub Sole, nisi quòd
comederet, & biberet atque gauderet: &
hoc solum secum auferret de labore suo, in
diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub
Sole.
16 Et apposui cor meum vt scirem sa-
pientiam, & intelligerem distētionem quæ
versatur in terra: est homo, qui diebus &
noctibus somnum non capit oculis.
17 Et intellexi, quòd omnium operum
Dei nullam possit homo inuenire rationē
eorum, quæ fiunt sub Sole: & quanto plus
laborauerit ad quærendum, tanto minùs
inueniat: etiamsi dixerit sapiens se nosse,
non poterit reperire.

C

D

Vers. 1.] Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit.

A VETVS translatio apud Hieronymum, Albinus, Carthusianus, & Caietanus versum istum coniungunt præcedenti capiti, vt etiam diximus: Bonauentura, & Vatablus sumunt initium huius capitis ab vltimo versu capitis prioris. Idem porrò Bonauentura sapientis arbitratur excellentiam hîc in vultu proponi, iuxta illud [a]; *In facie prudentis lucet sapientia*; &, *Ex* [b] *visu cognoscitur vir, & occursu faciei cognoscitur sensatus*; &, *Cor* [c] *hominis immutat faciem eius.* Qui enim Omnipotens est Deus, & in cuius manu cor est Regis, quaquauersum ab se conuersum [d], commutat faciem exteriorem, priùs commutando interiorem, hoc est, animæ, seu rationis portionem superiorem, diuinæ capacem rationis.

a Prou.17.24. b Eccli.19.26. c Eccli. 13.31. d Prou.21.1.

B Hieronymus veterem secutus translationem ex parte priore, & Septuaginta ex posteriore (*sapientia hominis illuminabit vultum eius, & impudens vultu suo odietur*) explicat illam de clariore cognitione Dei, per quam dicimur reuelata facie Dei gloriã contemplantes [e], seu de signato super nos lumine vultus [f] Dei: hanc de iis, qui sapientiam non habent, sed errores impudenti vultu defendentes odio habentur. Accommodat id idem præterea ad ipsummet Ecclesiasten, qui se laudet obliquè, tum de sapientet responsis, vt est extremo priore capite, tum hîc de collucente etiam in vultu sapientia.

e 2.Cor.3.18. f Psal.4.7.

C Extendit hoc Albinus ad quemlibet alium sapientem, qui moribus agnoscatur honestis, & visu discernatur à stulto. Impij facies vultúsque combustus est [g], & sicut nigredo ollæ [h]. Hic vltimus generalior sensus est satis communis, præter quem quarto loco tradit Hugo Cardinalis cum glossa interlineari, per vultum intelligi opera, quoniam ab his, sicut à fructibus arbor, quisque cognoscitur [i]: & quinto conuersum esse sapientem ad sapientiam, velut ad speculum; propterea splendere hanc in illo: & sexto lucere sapientiam in vultu sapientis, id est, in anterioribus, hoc est, in rebus spiritualibus, cùm stultus quæ sunt mundi, ac proinde posteriora, sapiat.

g Esa.13.8. h Nahum 2.10. i Mat.7.16.17.

D Carthusianus insistens in tertio, *vultus* nomine comprehendit gestum, risum, auscultationem, & alia quæ in vultu enitescunt. Lege quam eleganter describit, pingítque Seneca [k] sapientis viri venerabilem vultus, & maiestatis plenam formã. Græci, vt Thaumaturgus, & Olympiodorus, consentaneè ad editionem Græcam prioris versus (*τίς οἶδε σοφούς; quis nouit sapientes?*) in eodem tertio sensu concordant, nimirum cognosci sapientem de vultu ipso: quãuis Olympiodorus de animæ facie potiùs interpretetur, quod & Hieronymus [l] alibi facit, sensu tamen, vt opinor, accommodationis. Concinit & Chaldæa paraphrasis (*sapientia viri sapientis illustrat splendorem faciei eius inter iustos, &c.*)

k epist 115. l in Esa.lib.15.in c.56.& lib.3.in c.3.Zacha.

E Quanta sit in vultu vis in vtramque partem, vt de moribus, indole, ingenio iudicium feratur non penitus ἀτόχως per artem physiognomicam, constat; & nos cùm dissereremus in Apostolica [m] historia de Mosis vultus elegãtia, satis copiosè demonstrauimus, necnon quando egimus de Angelica facie Stephani [n], vel de Iacobi minoris corporea cum Christi lineamentis similitudine [o]. Hinc illa adagia, *ex fronte perspicere*; &, *ex habitu bonum virum præ se fert*: de quibus Collector adagiorum. Apta comparatione rem illustrat noster idem Sapiens [p]; *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*, videlicet ex vultu illa dignoscentibus.

m Act.7.22. n supra 6.15. o ibid.c.1. p Prou.27.19.

Sapientia hominis lucet in vultu eius.] Hieronymus aliis locis citatis in Esaiam, & Zachariam legit (*sapientia hominis illuminat faciem eius*) hîc autem in vetere translatione (*illuminabit vultum eius*) quod est magis consentaneum editioni Hebraicæ, & Chaldaicæ, & Græcæ; tamen sensus non est diuersus: eadẽ namque sapientia lucet in vultu, seu facie, dum hanc illuminat. Vatablus exponit de serenitate vultus, seu hilaritate: Caietanus de maiestate, atque auctoritate: Clarius de gratia, qui dici solet vultus gratiosus, quemadmodum notato loco dicebamus vocatum Mosem ἀστεῖον. Redeunt eodem cuncta. Crebrò Scripturæ vultum illuminare, aut illustrare aliquem super aliquo, vt Deum, dicunt, pro eo quod est beniguè intueri, ac facere. Sic præsertim Psalmi [a]. Nihil iucundius luce, tristius tenebris, videtúrque rebus aduersis, ac internis perturbationibus facies obscurari. Similis sententia libri Iob [b]; *quando splendebat lucerna eius super caput meum.* Opponitur persæpe absconsio, vel auersio faciei ab aliquo. Quamquam & interdum hę ipsæ posteriores formulæ adhibentur, vt Dei significetur sedatus furor.

a Ps.30.17. Ps.66.2.Psal.118.135. b c.29.3.

Et potentissimus faciem illius commutabit.] Hebraicè וְעֹז פָּנָיו יְשֻׁנֶּא *vehhoz panau ieschunne*) Caietanus vertit (*& fortitudo vultus eius mutabitur*) exponítque nullum reperiri verum sapientem, quoniam is, qui talis videtur esse, desipit aliquando, vt cùm, quod priùs, inquit, est dictum, sinit se muneribus corrumpi, vexat subditos, sicque vultus etiam ipse illius, hoc est, auctoritas apud eos mutatur, & amittitur. Alij pro abstracto reddunt concretum, *fortem* pro *fortitudine*, & interpretantur illa pro impudentia, vel impudente. Sensum verò volunt esse, vt Titelmannus ait, mutationis de bono in malum: cùm nempe sapiens desinit esse talis; pro vt ferè Caietanus dicebat. Fauet paraphrasis Chaldaica, quamuis non adeò apertè mutationem istam indicet esse sapientis, sed potiùs opponere illi alium videatur, exponens impudentem pro forti (*& impudens facie, immutantur via eius de bono in malum.*)

Meminit idem Titelmannus adhuc alterius versionis huius ac præcedentis membri (*sapientia hominis lucere faciet vultum ipsius, & fortitudinem*, vel *impudentiam*, vel *crudelitatem*, seu *feritatem*, & *barbariem vultus eius mutabit*) id est, per sapientiam aufertur à vultu hominis quidquid potest offendere, ne tale quid appareat in eo. Vatablus (*& vultum impudentem remouet*) vel (*duritia vultus eius mutari solet*) id est, inquit, arrogantia, & impudentia faciei sapientis commutatur; nam sapientia reddit hominem abiectum in oculis suis, quamuis ab aliis plurimi fiat. Isidorus Clarius (*& impudentia faciei illius commutabitur*) quia scilicet, inquit, vbi sapientia animum possederit, impudentia recedit à fronte: est enim sapientia, vt ait Iacobus [c], pudica, & verecunda. Facit quoque mentionem eorum qui reponunt (*crudelitatem*) Græcè est (*καὶ ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται, & impudens*, sic Hieronymus explicat, *vultu suo odietur.*) In editione Sixtiana Latina Septuaginta Interpretum suspicor errore positum *imprudentem* pro *impudente*. Olympiodorus hunc impudentem ait esse illum, qui contentiosis sermonibus, captiunculísque sophisticis sese efferat, sed redargutus, impudentiæ pœnas det, odióque habeatur.

c c.3.17.

Quod attinet ad Hebræum textũ, cuius verba

posui,

posui, primum vocabulum עַז bhaz significat non modò *robustum*, ac *fortem*, sed etiam *obfirmatum, durum, pertinacem*, vt ibi [a]; *maledictus furor eorum* (Simeon, & Leui filiorum Iacob) quia עַז *bhaz, pertinax*; at verò עֹז *bhoz* est potiùs nomen substantiuum. Sic etiam verbum in hiphil sumitur pro *indurare*, vt [b] הֵעֵז אִישׁ רָשָׁע בְּפָנָיו *hebhez isch raschabh bepanau, vir impius procaciter obfirmat vultū suum*; quod aliter dicitur [c] esse attrita fronte, & duro corde, indurata facie supra petram [d], dura ceruice, & indomabili corde [e], vulgò, perfrictæ frontis, irreuerentem, sine fronte, infrunitum, quasi infronitum, vt quidam volunt. Talis est impudens, ἀναιδὴς, vt verterunt Septuaginta. Apud Danielem [f] qui Latinè Rex impudens dicitur, vocatur Hebraicè fortis faciebus; eodem pacto mulier, quæ procaci vultu in Prouerbiis [g]. Alterum verbum יְשֻׁנֶּא ieschunne, notatum puncto in dextro cornu literæ שׁ, & permutato ה in א, in coniugatione pual, significat *mutabitur*, à radice שָׁנָה *schanah*; sicque Pagninus exponit in thesauro, quòd feritas, barbaries, & impudentia sapientiæ beneficio deponitur à vultu. Si verò litera שׂ punctum gerat ad sinistrum latus, absque alia mutatione, quàm vt vertatur ה in א, illam habet significationem, quam attulerunt Septuaginta, *μισηθήσεται, odietur*, siue *odio habebitur*, à themate שָׂנֵא *sana*, vel שָׂנֵא *sane*. Hinc intelligimus quàm sit incerta punctorum ratio, quę Masoretæ post quadringentos annos à Christo repererunt: & cùm optio datur, debere nos vulgatum Interpretem sequi, quem approbat Ecclesia, quique semper multo doctiùs aptiúsque deprehenditur assecutus Scripturæ sensum. Negari non potest minorem mutationem in Hebræa editione huius loci esse, pro vt illam Interpretes LXX. expresserunt: nihilominùs eam fatemur, ac recipimus, quia sic nostro videtur Interpreti; & similis mutationis ratio aliquando necessariò debet admitti, & posterius hoc versus istius membrum cum priore meliùs congruit, vt in vultus mutatione sententia tota perseueret.

Iam sensus ipse posita editione nostra declarandus (*& potentissimus faciem illius commutabit.*) Hebraicè est positiuum *potens*, vel *fortis*, עַז *bhoz*, quam vocem in hac significatione omnino accipimus hîc cum nostro Interprete, licèt quandoque simul dixerimus pro pertinaci, ac proinde pro impudenti, ac talis possit esse, qui potentia valens, veretur neminem. Hugo Cardinalis hunc potentissimum intelligit Deum, qui commutet eum, qui malus est, vt euadat bonus, qui turpis, vt pulcher, qui debilis, vt fortis, qui viator per gratiam, vt cōprehensor per gloriam, secundùm quadruplicem statum, incipientium, proficientiū, perfectorum, peruenientium. Dixi, Bonauenturam sic etiam exposuisse mutari faciem corporis externam à Deo, priùs animæ internam immutante. Eadem est sententia interlinearis glossæ, quia sperantes in Deum, mutant, inquit, fortitudinem [h]: & Lyrani, qui id refert ad faciē gloriosam, quam dabit Deus in resurrectione. Idem sentit Titelmannus de vultus in hac vita mutatione; in alia verò Arboreus. At Moringus vult nos per potentissimum intelligere crudelem, ac ferocem, & consequenter impudentem, cui non vt sapienti vultus hilaritate, & gratia quadam illuminatus, verùm tristis, trux, metuendus, atque in eum habitum ex industria compositus, qualis in Catilina, Sallustio teste, qui etiam mortuus fero-

a Gen.49.7. b Prou.21.29. c Ezec.3.7. d Isa.48.4. e Ezech.2.4. f c.8.23. g c.7.13. h Esa.40.31.

A ciam animi retinebat in vultu, quam habuerat viuus. Quò fit, vt, sicut legit editio Græca, sit inuidiosus apud omnes, & infensus; quemadmodum sapiens è contrario placidissimo suo vultu popularis, & amabilis. Pineda noster in commentariis in Iob [a] sic exponit, sapientiæ vim esse tantam, vt quantauis quis dignitate, atque potentia præditus sit, & natura sua toruum habeat vultum, tristem, minacem, sapientiæ beneficio vultus eius reddatur benignus, facilis, hilaris, serenus, exporrectus. Idem rursus aliter codē opere [b], licèt aliquis sit sapiens, nihilominùs si Principi seruiat, & ab illius nutu pendeat, non posse non in horas mutari, ac diuersos sumere vultus,
B perinde vt vmbra corpore, à quo pendet, mutato mutatur; ideo non fidendum, vel nitendū Principibus [c], qui sunt inconstantissimi, sed potentissimo, constantissimóque Regi Deo, qui non mutatur [d], nec habet vicissitudinis obumbrationē [e]. Videri posset fauere versus sequens; *Ego os Regis obseruo*, &c. Ex omnibus, quas iudico probabiles, placeret maximè secunda expositio, nisi obstaret pronomen (*illius*) quod indicat alterius actionem in alium, non eiusdem in seipsum. Interpres noster nomine *potentissimi* videtur prorsus innuere Deum voluisse, non eum, cui mutatur vultus, non alium, qui mutet alteri, quem nihil opus erat voce superlatiua designare absolutè posita, licèt eū
C addito dicantur quandoque potentissimi robore etiam homines [f]. Quocirca cogimur primis adhærere, qui ad Interpretis nostri mentem propiùs locuti sunt: sic eos autem intelligimus, vt Deo tribuatur illa ipsa lux in vultu, quæ priore versus parte dicitur, hoc est, serenitas, hilaritas, maiestas. Attingit Emmanuel Sà quintū sensum, quòd Deus sic aliquando sapientem deiicit, vt non videatur esse sapiens. Quod Hebraicè est in passiua, Interpres in actiua significatione expressit.

Faciem illius commutabit.] Faciei commutatio index esse solet variatarum affectionū animi, quando subinde variè contingit: æquabilitas, ac idem tenor, mentis pacatæ signū. Annæ, quæ fuit postD ea Samuelis mater, non sunt vultus amplius in diuersa mutati, quando Sacerdos Heli consolatus est eam, benéque precatus [g]: Reges tempestate perculsi mutauerūt vultus [h]: Esther etiam in pallorem mutata pauescens Assuerum [i]: Danielis facies mutata est à diuina visione [k]. Mitto exempla alia in vtramque partem. Hæc mutatio fausta, & læta: *agnitio vultus eorum respondit eis* [l], nempe impiis: *superbia Israel in facie eius* [m].

Vers. 2.] Ego os Regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei.

E HOc, ac sequentibus tribus versibus arbitrātur Hieronymus, & Albinus præcipi obedientiam Regum, & potestatum, quoniā Septuaginta imperatiuo modo extulerunt, φύλαξον, *custodi*; tamen præcipuè Regis Dei; nominatim verò non inquirendo rationes eorum, quæ præcepit, nec temerè sacrum ipsius iuramentum, sine mysterium Scripturis contentum vulgando; sed collocando voluntatem in lege, atque obseruando quid, & quomodo præcipiat. Non admodum dissimilis expositio Græcorum, nisi quòd caueri quoque docent ne iuremus: Latini pariter alij non absunt hinc longè, exceptis paucis, vt dicam. Verùm excutiamus per partes omnia.

a in c.9.vers.27.n.2. b in c.10.v.5.n.2. c Ps.145.3. d Mala.3.6. n.23.19. e Iacobi 1.17. f Ezech.32.21. g 1.Reg.1.18. h Ezech.27.31. i Esther 15.10. k Dan.7.28. l Esa.3.9. m Osee 7.10.

A *Ego os Regis obseruo.*] Quia tantus Rex Salomon, magnificatus super omnes Reges terræ [a], tócque Regna possidés, & cultus à Regibus [b], non alium videtur intelligere, quàm Deum magnum Dominum, Regem magnum super omnes Deos, Regem regum, & Dominum dominorum [c], habentem in vestimento, ac in femore suo scriptum Regis regum, ac Domini dominantiũ elogium [d], per quem Reges regnant [e], cuius potestas æterna, & regnum quod non corrumpetur [f], nec habebit finem [g]. Hoc longè melius, quàm vel dicere loqui Salomonem sub persona cuiusuis alterius sapiẽtis, qui pareat legibus, & imperiis Principum, vt sentit in priore loco Hieronymus, & Olympiodorus, aliique; sed simpliciter Vatablus, & Moringus: vel de seipso, vt se, quemadmodum explicat inter varios dicendi modos Hugo Cardinalis, B significet proferre verba considerata, nec alia, quàm lenitatis, clementiæ, iustitiæ, denique digna Principe [h], quem non decet labium mentiens [i].

a 3.Reg.10.21. b Ibidem 4.21.34. c Psal.46.1. Psal.94.3. d Apoca.17.14.c.19.16. e Prouer.8. f Dan.7.14. g Luc.1.33. h Esa.32.8. i Prou.17.7.

Græcè, vt dixi cum Hieronymo, est imperatiuus modus (*στόμα βασιλέως φύλαξον, os Regis custodi.*) Hebræus quoque textus, & Chaldæus ita legit: sed Hebræus cum aposiopesi (*ego,* nempe moneo, vt supplent Pagninus, & Vatablus, *os Regis obserua*) vel (*ego,* vox sapientiæ pronuncio.) Tamen si demas puncta dictioni שְׁמֹר *schemor,* potest esse participium, quo vtuntur Hebræi pro tempore præsenti, quo carent, & non tantùm verbum imperatiui modi. Posset præterea sensus esse, vt ait Sà; C ego, videlicet dixi mihi ipsi, os Regis obserua, id est, Dei: vel, ego qui sum Ecclesiastes, & Rex, valeóque scientia, atque experiẽtia, & ipsemet sum testis locupletissimus horum quæ dico. Sic Caietanus. Sed Interpres optimè reddidit.

Os.] Id quod profertur ore, scilicet præceptũ, legem, verba. Sic pollicetur Christus os, & sapiẽtiam tempore persecutionis [k]; & est valdè trita *oris* hæc notio sacris Scripturis. Mysticum, vt os Christus, Rex Pater sit, vt placet Bonauenturæ, & Hugoni sic illud accipientibus [l]; *Osculetur me osculo oris sui:* vel vt os censeatur, qui separat pretiosum à vili [m], & quilibet Prædicator. Si ferret vox Hebraica פה *peh,* & Græca *στόμα,* sicut Latina *os;* dicerem *os* hìc quoque sumi pro D vultu, cuius quis nutus, ac minima quęque signa prompta parendi voluntate obseruet. Os ad os loqui, est coràm, & in præsentia loqui [n]; at non id significat quod modò dicebam; sed ore promere vicissim verba.

k Luc.21.15. l Cant.1.1. m Ierem.15.19. n Num.12.8. Ierem.32.4. 2.Epis. Ioan. vers.12. 3.Epist.Ioan. vers.14.

Obseruo.] Custodio, impleo, seruo, vt perficiã & exequar, animo condo, aure excipio, retineo, considero, attendo, expecto, curo, præstò ac sollicitè conseruo, ne elabatur, eo modo quo Maria Christi Mater cõseruabat omnia verba [o]; & quo beatum dixit Christus, qui custodiret verbum Dei [p]. Igitur testis est Salomon se diuinæ voluntatis verba omnia diligenter attendisse, ac præstitisse: ac E idcirco non est restringenda sententia ad sententiam, seu iudiciũ quod de se faceret Deus, quasi non curaret quid alij sentirent, vt Hugo existimat. *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum, & ancillæ in manibus dominæ suæ* [q]; ita eius qui Deũ Dominum agnoscit, ad omnem nutum, & significationem voluntatis ipsius. Frequens formula, vt ori contradicere [q], ori Domini inobedientem esse [r], dicantur inobedientes; vt propterea è contrario significentur obedientes per hoc, quod est os obseruare eiusdem.

o Luc.2.19. p Luc.11.28. q Ps.122.2. r Iosue 1.16. 3.Reg.13.26.

A *Et præcepta iuramenti Dei.*] Qui vellet superiùs intelligere nomine *Regis* hominem, posset dicere Hebræum *Elohim,* vt sæpe fit, significare quoque homines principes, siue magistratus: horum autem obseruanda præcepta, quæ vel sub quadam solent obtestatione dare, vel ad ea subditi iuramento se fidelitatis obligant. Et tamen editiones omnes aliæ reddunt nomen *Dei,* nec vllus Interpretum, Moringo dempto, aliter exponit. Quidam explicant quodam modo perinde os Regis obseruandum, ac ipsa præcepta Dei. Chaldæa paraphrasis vult caueri vanum iuramentum (*& super negotium iuramenti Domini cautus esto, & ne iures in nomine dicti Domini in vanum.*) Eadem est Thaumaturgi de hoc loco sententia; atque Clarij, & Olympiodori, ac Moringi in altera expositionũ, B quas assignãt hi duo. Caietanus verò ait sermoné esse de eo, quod vulgò dicitur hommagium, id est, iuramentum fidei per Deum, quod in principio præstatur Regi à subditis. Tunc aptiùs vertisset וְעַל דִּבְרַת *vehhal dibrath, & propter* (vt superiùs quoque notauimus) *iuramentum Dei,* quàm *super verbum,* vel *verbo iuramenti Dei,* id est, os Regis obserua etiam ob iuramentum, &, vt Vatablus reddit, præsertim propter iuramentum Dei.

Communior expositio, cuius antè meminimus, est, vt ipsamet diuina pręcepta dicantur iuramenta, siue Dei, qui ea tradidit cum iuramento, firmáque asseueratione tanquam rata, & immobilia, proponendo tum præmia, tum supplicia [a], necC non cum pacto, & sanguine fœderis [b]: siue nostra, quia quasi iurati debemus illa obseruare [c], quod & Christiani facimus in Baptismo. Hieronymus, sicut etiam vidimus, explicabat hoc iuramentum de Dei verbo sacrum, & arcanum, quod non quibuscunque narrare, & proferre deberemus in medium, quia mysterium Regis abscondere bonum sit, vt in Tobiæ libro scribitur [d], nec etiam de eo proferre sententiam. Denique *filij sapientiæ, ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia, & dilectio* [e].

a Psal.88.35.36. Matt.5.18. b Exo.24.1. c Psal.118.106. d c.12.7. e Eccli.3.1.

Iam dixi, vt se habeat Hebræa lectio (*& super eloquio, & negotio iuramenti Dei,* vel *propter iuramentum Dei*) Græcè est (*καὶ περὶ λόγου ὅρκου Θεοῦ, & de sermone iuramenti Dei*) quæ verba vel terminant sen-D tentiam, vel ad sequentem pertinent pro varia orationis distinctione, vt Olympiodorus, ac Hieronymus notant, nósque paulo pòst. De iuramento ipso quatenus vsurpatur à nobis, nonnihil hoc libro superiùs egimus [f], pro vt autem à Deo, in expositione Actuum Apostolicorum [g]. Lege Bonauenturam hoc loco.

f c.5.1. g c.2.30.

Vers. 3.] Ne festines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo: quia omne, quod voluerit, faciet.

E Hieronymus, vbi declarauit ne quis à Dei facie recedat, id est, ab eius præceptis, & voluntate, sed festinet potiùs eam implere, docet iuxta lectionem Græcam, quam sic nectit cum verbis præcedentibus (*καὶ περὶ λόγου ὅρκου Θεοῦ μὴ σπουδάσῃς ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσῃ, & de verbo iuramenti Dei ne festines à facie eius ambulare,* vel *ambulaueris*) hunc esse sensum, neque vt Moyses festines videre faciem [h] Dei, sed tamdiu sustine, donec ipse pertranseat, & tantùm eius posteriora conspicias. Ad verbum potiùs ita vertendum

h Exod.33.23.

a Psal.138.7. videtētur (*& de verbo iuramenti Dei ne festines*, vel *ne studeas*, nempe cognoscere diligentiùs, *à facie eius ambulabis*) id est, non defiges aciem in faciem ipsius, non scrutaberis maiestatem, & consilia diuina. Obscurior est oratio, nec textui Græco sic respondens (*ne festines à facie eius ambulare.*) Imò ambulare à facie Domini est fugere, iuxta illud; *Quò ibo à spiritu tuo? & quò a facie tua fugiam* [a]? ac proinde ne festines ambulare à facie Dei, est, caue fugias ab ea; qui est contrarius sensus. Olympiodorus dupliciter legit, & declarat (*& de verbo iuramenti ne festinaueris*, aut *studueris*, id est, iuramenta ne frequenter ac temerè vsurpato, *à facie eius ambulato*, id est, à facie iuramenti absiste longiùs, ac discede, neque omnino sustine, vt iuramentū in os tuum admittas.) Vel vt sit geminum, seu bimembre præceptū, prius de cauendo iuramento: posterius in verbis istis (*ne festines*, aut *ne studeas à facie Dei ambulare*) id est, sic iuramētū caueamus, vt consideremus hoc, omniaque opera cætera nostra Deo præsentia esse, quem effugere non possumus, sed vt præsentem Iudicem, & inspectorē vereri debemus. Placet hic dicendi modus Moringo; priorem Thaumaturgus insinuat. Caietanus refert ista ad prima de ore Regis temporalis obseruando, hoc est, de exequendis mandatis ipsius, ita vt is qui ad illum adiuit, recedat non festino gradu, non veloci, & incomposito gressu, ne offendat conspectum Regis. Vatablus item de eodem Rege intelligens, si recesseris, inquit, à Rege, statim redi in gratiam, propter causam, quę subiicitur, nē cogaris permanere in opere malo, cùm Rex quidquid vult, valeat. Recipit Sà istam expositionem, & Moringus tandem illam probabilē ducit. At Chaldæus (*& in tempore indignationis Domini ne cesses orare ante eū, territus a facie eius, vade, ora, & quære misericordias ab eo.*) Approbo potissimùm quod attuli primo loco ex Hieronymo, quem plures quoque sequuntur: cum qua sententia cohæret aptè, vt moneamur non fugere velle diuinam præsentiam, quod præter Olympiodorum Bonauentura notat. Id sanè textus indicat; & quod habetur Hebraicè אַל תִּבָּהֵל *al thibbahel*, significare potest, *ne præcipiteris*, vel etiam, *ne terrearis, vt putes te abire posse.* Secundam phrasim exprimit vulgaris: *non dubitar. non hauer paura, non temer'* (id est, nullo modo fugies:) primam ista, *non ti affrettar', non corri* (id est, frustra niteris.) Scholiastes ex Symmacho (καὶ παραβὰς ὅρκον Θεοῦ μὴ σπούδαζε, *& transgrēdi iuramentum Dei ne festinaueris.*) Moraliter, ac verè cum interlineari glossa Hugo Cardinalis obseruat deseri priorem à nobis Deū, non deserere. Addit hic insuper documenta, ne quis dum orat, festinet, vel dum interest diuino aut officio, aut sermoni: vel tantisper dum in hac vita famulatur, mercedem ante tempus expetendo, resiliendo propter molestias, & difficultates, aut ne tentationis quidem primum insultum sustinendo.

Neque permaneas in opere malo.] *Opus* pro *verbo*, siue *sermone*, pro vt est Hebraicè, & Græcè, posuit Interpres, vt persæpe aliàs. Ambrosius [b] vtrumque intelligit, & sermones malos, & improbanda opera, iuxta illud; *& in via peccatorum non stetit* [c]. Si recessisti à facie Domini, hoc est, ab eius voluntate, atque præceptis, caue perseueres, quamprimùm redi. Potest etiam *verbum*, ac *sermonē* propriè sumendo, exponi, vt caueatur copiosa de rebus, ac iudiciis diuinis disceptatio, vel oratio blasphema, vel vt quis, quod ait Caietanus, Re-

b in Ps.1. c Psalm.1.

A gis temporalis iram declinet, verbaque minacia, recedens ab eius ditione, si sit opus: vel, quod mihi post primum sensum placet maximè, vt qui propter offensam Dei, eius meruit indignationem, & pœnæ reus factus est, mox resipiscat, nec velit seueritatem Dei experiri. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* [a] *Ne glorieris in crastinū, ignorans quid superuentura pariat dies* [b]. *Ne demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere* [c]. Sapienter Theologi peccatum mortale nominant auersionem à Deo: profugus est peccator, velut Cain [d], aut Ionas à facie Domini [e]. Sed qui festinat recedere, videtur ex animi

B proposito peccare, & auerti auersione contentiosa [f] (vel impudenti, ἀναιδεῖ) nec reuerti velle, indurando faciem supra petram [g], cótque ponendo vt adamantem, ne audiat legem [h]. Contra seram pœnitentiam consule precipuè Basilium [i], Chrysostomum [k], Ephrem [l] (licèt simul, ac in primis etiam agant de Baptismo) & adeò multos alios propriis de pœnitentia tractatibus, Tertullianū, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Fulgentium, Pacianum, Nyssenum, necnō Cassianum [m]. Non tam aptè, & verè, quàm argutè Lyranus recedere à facie Domini, transgredi mandata affirmatiua; permanere in opere malo, negatiua interpretatur.

C *Quia omne quod voluerit, faciet.*] Ratio redditur his, ac sequentis versus verbis quare vitanda legis diuinæ transgressio, cur illicò resipiscendum: nec enim ampliùs Caietani super hac re mentio facienda, Regem temporalem toto hoc loco intelligentis, aut aliorum, de quibus antè diximus. Solus Regum Rex Deus omne quod vult, facit in cœlo, & in terra [n], & verbum eius facit quæcumque ipse vult, ac prosperatur in his, ad quæ misit illud [o]; denique *opera illius exquisita in omnes voluntates eius* [p], id est, pendentia ab ipsius voluntate, ita vt tota ratio facti sit voluntas facientis, qui non se creaturis alligat, sed cuncta quæ vult facit, etiam repugnante tota natura, & eadem

D opera varios ad fines aptat, quod angusta sapientia nostra non potest. *Consilium meum stabit*, ait ipse, *& omnis voluntas mea fiet* [q]. Sunt qui de temporali Rege intelligendo dicant, sic obseruandum, vt illius tamen facies nullam persuadeat iniquitatem, sed potiùs vt Ieremias [r] ab ea facie non timeat; & sicut Ezechiel [s]: sed habeat valentiorem, & duriorem [t], nec erubescat Euangelium [u], & legem Dei.

Auctor antikeimenon [x] conciliat istum locū cū loco Apocalypsis [y]; *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc*: docens id non pręcipiendo dici, sed prędicēdo & prophetando: quēadmodū & in Ps. [z] *consummetur* (sic enim legit pro

E *cōsumetur*) *nequitia peccatorū*, hoc est, maior sit etiam quàm illa quæ summa visa est esse, nempe crucifixionis Christi: quoniam magis peccant qui nolunt rectè viuere, & oderunt præcepta veritatis pro quibus crucifixus est Filius Dei. *Consummetur*, ait Augustinus [a], *nequitia peccatorum*, id est, perueniatur ad summam nequitiam, vt possit iustum iam venire iudicium.

* * *

a Eccli.5.8. b Prou.27.1. c Eccli.17.26. d Gene.4.16 e Ionæ 1.3. f Ierem.8.5. g Ierem.5.3. h Zachar.7.12. i orat. de Baptismo. k hom. 1 in Acta. l tom.3 tract. de pœnit. m collat. 20. n Ps.113.3. Ps.134.6. o Esa.55.11. p Ps.110.2. q Esa.46.10. r c.1.17. s c.2.4. t Eze c.3.8. u Rom.1.16 x lib.1. y c.vlt.11. z Ps.7.10. a ibidem.

*Verſ.*4.] Et ſermo illius poteſtate plenus eſt: nec dicere ei quiſquam poteſt: Quare ita facis?

HEbraicè(*in quo verbum Regis,imperium*) id eſt, ad quod ſe extendit ſermo, in id habet poteſtatem; quamcumque rem præcipit Rex, in ea quoque poteſtatem exercet. Græcè indicatur comparatio Dei efficacis voluntatis, de qua poſtremis prioribus verbis, cum poteſtate Regis, qui cùm poteſt,quod libet exequitur (*ὅτι ὃ ἂν θελήσῃ ποιήσει, καθὼς βασιλεὺς ἐξουσιάζων, quoniam quod voluerit faciet, ſicut Rex potens.*) In quodam codice additur *λαλεῖ, loquitur.* Symmachus (*διὰ τὸν λόγον βασιλέως ἐξουσιαστικὸν εἶναι, eo quòd ſermo Regis poteſtate plenus ſit.*) Quamquam poteſt quoque intelligi, vtpote qui ſit ipſe Rex,de quo priùs, potens, id eſt,Deus ipſe.Dicere Dei eſt facere,vt docet Geneſis primum caput, & alia Scripturarum teſtimonia [a], & ſubeſt ei cùm voluerit poſſe [b]. Vt præcellat ſumma Rex homo potentia, eget alienis manibus ad exequendum quæ voluerit, & imperauerit,nec dixiſſe ſufficit, nedum voluiſſe. Nec aliter expoſuit, amplificauítque Regis ſupra res cæteras adoleſcens potentiam in tertio apocryphorum Eſdræ librorum [c], quàm quia omne quod ſuis dixerit,faciunt, ſeu mittat ad bellum, ſeu colere terram iubeat, ſeu imperet quiduis aliud.Congruit,quam alibi recitaui,hiſtoria propoſito, de Canuto Anglorum Rege, qui vanas ſuorum de potentia ſua laudes hac ratione compeſcuit.In littore Oceani, vbi deambulabat animi cauſâ,ſuper iniecta ſedens veſte;Vnda,inquit, iubeo,ne pedes tangas:madefactus, docuit Regis dignum nomine vnum eſſe Chriſtum, cui venti ac mare obediant [d]: Vintoniæ in templo Sanctorum Petri ac Pauli coronam Crucifixo impoſuit, eo poſtea nunquam vſus inſigni [e]. Non talis Cyrus,qui Gyndem flumen,quod naue traiicere coactus eſſet, periiſsétque de regiis,ſiue mauis de Soli dicatis equis,in eo vnus, impotens iræ,per tricenos ſexagenos alueos deriuatum extenuauit [f].Adhuc ſtolidior Xerxes,cuius imperio Helleſpontus, quòd oborta tempeſtas pontes, quibus eum iunxerat,dirupiſſet, diſſoluiſſétque, trecenta verbera ſuſtinere cum conuitiis iuſſus eſt,ac inſuper compedes iniectos [g], & omni in poſterum ſacrificio priuari. Accepi prætereа Didacum Philippi II. Hiſpaniarum Regis filium, adhuc puerū ac puerilia ſentientē loquentémque animo ſimplici ſic de omnipotentia Dei;hominū verò edoctū imbecillitate,à B.Ludouico Gōzaga noſtro in puerili æquè ætate ſimile reſponſum dante, vt cùm ipſe moleſtiam vel imbris,vel niuis,vel venti, non ſat memini, prohibere vellet, præcipiens huiuſmodi ceſſationem rigidioris impreſſionis,hic nudo hominis imperio,quamlibet latiſſimè dominari videretur,cœlum elementáve obſequi negaret.

Nec dicere ei quiſquam poteſt: Quare ita facis?] Nihil refert quod Hebraicè ſit in futuro(*quid facies?*) Chaldæus hoc modo (*& quis eſt vir qui percutiet manum eius,& dicet ei; Quid feciſti?*) Indicat ritum fortaſſe, quo pueri præſertim ferula percuſſi redarguuntur,& caſtigantur.Eandem totidem verbis reperies in libro Iob [h], & Sapientiæ [i], & in Epiſtola ad Romanos [k] ſententiam. Non eſt prouocatio à Deo, ſicut inter homines, inter quos,vt capite quinto [l] vidimus, excelſo excelſior inuenitur.Supremum habet imperium,ſummam ſapientiam;nemo vel vt ſuperior, vel tanquam ſapientior eorum quæ gerit Deus, exigere rationem,aut reprehendere vllo modo poteſt. Iuſtus eſt, & rectum per omnia iudicium eius [a], ſanctus in omnibus operibus ſuis [b]. Subiit aliquādo nōnullis quoque Sanctis diſceptandi voluntas cum Deo;attamen ſe fruſtra aut laborare deprehenderūt, vt Dauid [c], aut modeſta præfatione veniam deprecati ſunt, vt Ieremias [d], & Abacuc [e].Diabolicū eſt quærere, quare præcepit hoc Deus [f]? cur id,vel illud fecit? Dauid Regem nō Nathan [g] ſolùm,& Gad [h], aliique Prophetæ, ſed Ioab [i] etiam de officio admonere nō dubitauit,ac dicere; *quid ſibi dominus meus Rex vult in re huiuſcemodi? quare hoc quærit dominus meus?* &c. Rex regum Deus loquetur ad reges homines in ira ſua [k], cùm terribilis, ablato ſpiritu eorū [l],id eſt, vita,iudicabit illos, & exiget,quare hoc feciſtis? *Quis autem nouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit* [m]*: O homo,tu quis es qui reſpōdeas Deo* [n]: Figulus eſt Deus habens in poteſtate ſua figmentū [o], nec hoc illi dicere poteſt;quid facis:&c.ſicut neque quis patri; quid generas? & mulieri, quid parturis [p]?

a Pſ.32.9. Pſ.148.5. Iudith 16.17.
b Sap.12.18.
c 3.Eſd.4.2. & ſeq.
d Mat.8.27.
e Polyd.Virgil.7.hiſtor. Anglor.ſub fin.
f Herod. lib. 1.& 5 Seneca 3.de ira,c.21.
g idem lib.7.
h c.9.12.
i c.12.12.
k c.9.20.
l verſ.7.

a Pſ.118.137.
b Pſ.144.13.
c Pſ.72.2.& ſeq.
d c.12.1.
e c.1.13.
f Gen.3.1.
g 2.Reg.12.
h ibid.24.
i 2.Reg.19.& 1.Par.21.
k Pſ.2.5.
l Pſ.75.13.
m Rom.11.34 Eſa.40.13.
n Rom.9.20.
o ibid.& Eſa.45.9.10.
p Eſa.ibid.

Verſ. 5.] Qui cuſtodit præceptum, non experietur quidquam mali. Tempus & reſponſionem cor ſapientis intelligit.

PRæceptum Domini Chaldæus exponit, & alij,quos antè dixi totum locum iſtum intelligere non de Rege temporali,ſed Deo;& ille de malo ſeculi venturi:Thaumaturgus à verbis peruerſis remoueri,qui ſeruet diuinas leges. Videlicet *ῥῆμα* propriè ſumit pro verbo, non pro re. Olympiodorus rem, & opus intelligit,ſed explicat non operari malum, qui cuſtodiat præceptū Dei. Caietanus ait, qui Regi paret,eius nullum malum ſermonem auditurum, nihil de eo, vel contra eū,Regem pronunciaturum. Malū pœnæ ab aliis intelligitur:hanc qui ſoluit hîc, nō experietur poſt hanc vitam. De reatu eiuſdē fuit ſermo verſu tertio,vt diximus. Tamen reatus nonnullus manere poteſt in eo,qui cenſetur cuſtodire legem Dei,& eſt ſimpliciter iuſtus, etiamſi nō omnino perfectè; imò etiam in illo qui ſine leuioribus ad tempus culpis. Fieri quoque poteſt, vt non ſolùm communes ærumnas vitæ patiatur iuſtus,ſed & alia mala non nomine pœnæ,quam debeat,ſed ad exercitium virtutis,& augmentum meriti,& aliorum exemplum. *Diligenti Deum omnia cooperantur in bonum* [q], nihil ei inſuaue contingit, & difficile, ſed placet ſibi in infirmitatibus & tribulationibus [r]. Salonius, & Carthuſianus explanant de malo in die Iudicij non ſuſtinendo; quódque vitæ præſentis mala leuia ſint, ac tranſitoria, poſt quæ perueniatur ad æternæ beatitudinis gloriam. Reſpicit iuſtus flagellantē Deum vt patrem, arguentem vt amicum, amara propinantem vt medicum,exercentem vt magiſtrum.Propter charitatis verò præceptum,in quo alia omnia inſtaurantur [s],& vnde pendent lex & Prophetæ [t], meritò in ſingulari numero vnius facta mentio eſt: prætereа, quia vnus eſt qui mandat,nimirum Deus, cuius qui vel vnū mandatum violat, non poteſt obediens dici: vnus finis, præmiumque,quod exigit cuſtodiam om-

q Rom.8.28.
r 2.Cor.12.10.
s Rom.13.9.
t Mat.22.40.

nium mandatorum. Sic ferè hoc loco Bonauentura. Præceptum quoque vnum est, quamuis multa qui præsunt præcipiant, quia nomine Dei hoc faciunt.

Non experietur.] Editiones cæteræ, atque vetus translatio (*non cognoscet.*) Sed nota phrasis, vt *cognoscendi* verbo designetur notitia practica, & cũ experimento. Illustrat Olympiodorus exemplo Adami, qui quam probè priùs nouerat Euam, tunc scribitur cognouisse [a], cùm ad illius carnalem copulam accessit, exteriore quadam actionis notitia. Suppetunt alia plura exempla; tritum illud in verbis B. Virginis, *quoniam virum non cognosco* [b]. Hieronymus in Michæam [c] cognoscere mala eo sensu accipiendum docet, quòd omnis qui meretur, & patitur mala, dicitur nosse mala, & ignorare bona. Affert quoque præsentem locum. Atqui cognoscit quoque malum, id est, pœnalitatem, is etiam qui non meretur, vt dictum est. Eundem vide in caput 19. Ieremiæ. Ambrosius [d] ex hoc item loco probat notionem verbi *cognoscendi*, cùm liquidò, inquit, clareat, quia non cognitio improbitatis (est enim contrariorum, vt hîc notat Olympiodorus, eadem scientia) sed societas criminosa sit. vbi videtur præsentem locum interpretari non de malo pœnæ, sed culpæ, pro vt Olympiodorum retulimus fecisse. Denique docet, non cognoscere idem esse quod non experiri, non vllo consensu recipere, non aliqua societate aliquid in se transferre.

Adhuc latiùs patet *cognoscendi* verbum: significat enim affectum, & approbationem, vel quippiam recipere, vel credere. Deus operariis iniquitatis in Iudicio dicet; *Nunquam noui vos* [e]: qui *cognouit qui sunt eius* [f] mundus Verbum incarnatum non cognouit [g], quia non credidit: imò nec Deum Patrem nouerant Iudæi [h], quoniam non credebant perhibenti testimonium de Christo; *Hic est Filius meus dilectus* [i]. Legendus Gregorius [k], & Origenes [l]. Interpres *experiendi* hîc vsus verbo, aliis locis *cognoscere* posuit. Symmachus dixit, πειραθήσεται.

Quicquam mali.] Monui iam in aliis editionibus esse *verbum malum*. Symmachus (οὐ πειραθήσεται πράγματος πονηροῦ, *non experietur rem malam*) quod & ex eodem citat Hieronymus. Salubris impendentis mali cogitatio est, timórque, ad auertendam peccandi voluntatem. *Deus solus est*, inquit Iob [m], *& cogitationem eius nemo auertere potest* (superiùs in istomet capite sententia similis fuit) *& anima eius quodcumque voluit, hoc fecit. Idcirco à facie eius turbatus sum, & considerans eum, timore sollicitor.*

Tempus, & responsionem cor sapientis intelligit.] Hebraicè (*& tempus, & iudicium cognoscet cor sapientis*) Chaldaicè (*& tempus orationis, & iudicium veritatis cognoscitur in corde sapientis*) Græcè (*& tempus, seu opportunitatem iudicij cognoscit cor sapientis*, καὶ καιρὸν κρίσεως γινώσκει καρδία σοφοῦ) vetus translatio (*& tempus, & iudicium cognoscit cor sapientis.*) Quod passiuè reddidit Chaldæus, non mutat sensum (*orationis, & veritatis tempus, intellexit occasionem rerum, quæ dicuntur, & sciuntur, aptè cognoscendi.*) Secundùm omnes editiones per *tempus* occasio, & opportunitas denotatur, quam καιρὸς propriè significat, vt aliàs [n] docui. Κρίσις verti potest tum *iudicium*, tum *responsio*; מִשְׁפָּט *mischpat* est causæ cognitio, quæ responsionem requirit, seu forensis interrogatio, quod vulgò dicitur interrogatorium. Hieronymus in commentario sequi solet veterem translationem: exponit verò illũ, qui custodiat Christi, seu Dei præceptum, simul etiam scire, quid, & quare, & quo tempore is iubeat: vel, quod idem est, ad hæc attendere, & omnes nutus imperantis magno iudicio notare, ipsósque temporis articulos obseruare, ne qua prætereat minima occasio, quominus axactè Domini exequatur voluntatem. Idem importat, & quidem clariùs, *responsionis* nomen, videlicet in corde sapientis fixum esse, vt quamprimùm, ac summa sedulitate, atque celeritate vocanti, & annuenti respondeat, nullo non tempore paratus & promptus sit ad excipienda mandata, & præstanda. Et quoniam omnia mandata Dei veritas, id sibi forsitan per veritatẽ Chaldæus voluit, cognosci in corde sapientis, id est, à sapiente, tempus orationis, & veritatis, hoc est, quid loquatur in ipso Dominus [a], quid præcipiat. Thaumaturgus, Olympiodorus, Hugo Cardinalis, Lyranus, Carthusianus, Moringus, Titelmannus, Clarius, Chaldæa paraphrasis explicant perpendi diem Iudicij à sapiente, ideóque facere omnia discretè, atque disponere tum facta, tum sermones in iudicio [b], siue cum iudicio: nullam præterea bene agendi labi sinere occasionem: parare seipsum ad respondendum Iudici. Subiungit more suo alios morales sensus Hugo, vt aptè sapiens respódeat, vel docendo, & quomodolibet interrogationi satisfaciendo; vel sententiam pronunciando; vel obediendo; vel ad flagella diuina patiendo, & se corrigendo; ad accusationem confitendo; ad beneficia gratias agendo, ac in melius proficiendo, &c. Illustrat hæc aliis Scripturæ testimoniis. Bonauentura temporis ad operandum opportunitatem interpretatur, quod tempus redimi Paulus [c] debere monet: responsionem, vt, quod idem quoque præcipit [d], sciamus quomodo nos oporteat vnicuique respondere. Mihi, quẽ dixi, sensus maximè congruere videtur, atque præcedentibus & sequentibus aptiùs accommodari. Quod alij dicunt, valet etiam ad eundem sensum ampliùs percipiendum. Minùs ad rem Caietanus hæc accipit de Rege temporali, quem sapiens cognoscat nancisci tempus, ac rationem iudicandi aduersùs eum cui malum vult, sicut ipsemet Salomon Rex id tempus obseruauerat contra Semei [e], & Adoniam [f].

Vers. 6.] Omni negotio tempus est, & opportunitas, & multa hominis afflictio.

PEndet hæc ex superiore sententia, de qua satis multa in capite tertio [g]. *Nec æstimare debetis*, inquit vnus quispiam [h], *si pro temporum varietate diuersa mandamus, ex animi nostri leuitate venire, sed pro qualitate, & necessitate temporum, vt Reipublicæ poscit vtilitas, ferre sententiam.* Pro *opportunitate* Hebraicè est מִשְׁפָּט *mischpat*, & Græcè κρίσις, de quibus paulo antè: pro *negotio* habetur Hebræum nomen חֵפֶץ *chephets*, quod propriè significat *voluntatem*, vel *rem volitum*, ac proinde quoque *negotium*, sicut aliàs etiam memini. Vetus translatio (*quia omni negotio tempus est, & iudicium.*) vbi causalis particula, quã omisit vulgata, exprimitur, éstq; in aliis editionibus. Symmachus (ὅτι παντὶ πράγματι ἐστι καιρὸς χρείας, καὶ τρόπος, *quia omni negotio est tempus commoditatis, & modus.*) Ad Deum refert

[a] Gen. 4. 1. [b] Luc. 1. 34. [c] Mich. 1. [d] Psal. 41. [e] Matt. 7. 23. [f] 2 Tim. 2. 19. [g] Ioan. 1. 10. [h] Ioan. 8. 55. [i] Matt. 3. 17. & 17. 5. [k] Lib. ... c. 4. [l] in Ps. 36. hom. 1. & lib. 9. in Epist. ad Rom. c. 8. [m] c. 23. 13. [n] Act. 17.

[a] Ps. 84. 8. [b] Ps. 111. 5. [c] Ephes. 5. 16. Coloss. 4. 5. [d] Coloss. 4. 6. [e] 3 Regum 2. 42. & seq. [f] ibid. 22. & seq. [g] vers. 2. [h] Esther 16. 9.

Hieronymus, cuius omnia voluntate disponi, & ad suam iustus vtilitatem probe cognoscat, quãuis non valeat scire, quid sibi futurum sit. Hinc vero fit, vt simpliciter quicquid contingat in rebus, meliorem in partem iustus accipiat, diuina iudicia exosculetur, nihil non vehementer approbet, quod à diuina profectum voluntate intelligat: sedulus attendat quemadmodum captet bene de Deo merendi occasionem, siue tempus acceptabile, diémque salutis [a], ac *donec hodie cognominatur* [b].

a 2.Cor.6.2. b Heb.3.13.

Et multa hominis afflictio.] Sensus horum verborum petendus est a sequenti versu: quamuis Chaldæus hic terminet sententiam, necnon Masoretæ dispungentes Hebræum textum. Sic autem ille hoc, & præcedens membrum reddit (*etenim omni negotio est tempus bonum, & malum, & iuxta iudicium veritatis iudicatur vniuersus mundus: & quãdo decernitur ante Dominum, vt fiat vltio in mundo ob peccatum hominum facientium malum, quod multum est in eo eo*) Hebraicè (*& malum hominis multum super eum*) id est, præpollet ei, inquit Vatablus, & infelicitas multiplex est in eo. Imminet *homini*, ait Caietanus, multum malum pœnæ, & culpæ, vt Regi occasio temporis, ac iudicij deesse non possit. Græcè (ὅτι γνῶσις τοῦ ἀνθρώπου πολλὴ ἐπ' αὐτόν, *quia cognitio hominis multa super eum*, vel *in eũ*) Symmachus (ἡ γὰρ κάκωσις τοῦ ἀνθρώπου πολλὴ κατ' αὐτοῦ, *afflictio enim hominis multa super eum*) quo modo etiam habet vetus translatio; id est, animaduersio, & punitio, cui sunt obnoxij homines, super talem magna est. Hieronymus, qui explicat homines affligi valdè, quòd aliud sperent, aliud eueniat eis, & sit

c Virgil. 10. Aeneid.

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ [c];

ac de altero loco expectent hostem, & alterius iaculo vulnerentur; notat pro *cognitione*, siue *scientia*, vt etiam vertit Theodotio, *malitiam*, id est, afflictionem positam, quia ר & ד Hebraicæ literæ, excepto paruo apice, similes sunt, & pro רָעָה *rabbah* Interpretes. Græci legerunt דָּעָה *dabbah*, pro *malitia*, *scientiam*.

Vers.7.] Quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio.

OMnes editiones aliæ in vtroque membro futura exprimunt, & in secundo interrogationem (*quia non est cognoscens* (sic Hebræa, & Græca) *quid erit*, vel *futurum, quoniam sicut erit, quis annunciabit*, vel *indicabit ei?*) Eodem ferè modo Chaldæa; sed futurum tempus designat extremum in cuiusque hominis exitu. Vetus translatio sequitur illas alias. Qua autem ratione vulgata nostra, cui in commentario similem ponit Hieronymus, affirmans ab se de verbo ad verbum de Hebræo factam, Hebræis respondeat, non video, nisi futuri temporis verbum, quod fit aliquando, sumi dicamus pro verbo præterito. Verbum est יִהְיֶה *ihieb*, idem quod in altero membro. Quotquot etiam ex Hebræo interpretantur, vtrobique idẽ tempus futurum reddunt. Credendum Hieronymo, defendenda vulgata editio: & potuit vel Hieronymus in membro priore legisse הָיָה *haiah*, vel intellexisse, vt diuersum foret à posteriore, ibi verbum futuri temporis, vt dicebam, habere significationem præteriti. Caietanus ait denotari rerum futurarũ ignorantiam, & quoad substan-

A tiam (verbis eius vtor) & quoad modum, propter τὸ καθὸς, & כַּאֲשֶׁר *chaascher* in secundo membro. Verùm non semper hæc habent vim similitudinis, & Symmachus, vt refert Scholiastes Græcus, nulla similitudinis habita ratione, sic interpretatus est (τίς γὰρ τὰ ἐσόμενα ἀναγγελεῖ αὐτῷ; *quis enim futura annunciabit ei?*) Est porrò, vt antea monui, ratio cur homines affligantur ignorato tempore, seu quare sollicitos oporteat esse temporis obseruatores, & occasionis; ne improuidos, incautosque repentinus occupet interitus, & qua non putant hora veniat, qui rationes exigat [a]. Ignorant videlicet tum præterita, quorum experientia iuuat multum prouidentiam; tum multo ma-

a Mat. 25.13. Mar. 13.33. Lucæ 12.40. c.21.36.

B gis futura: & in particulari, nesciunt quæ vita functis obuenerit sors, quæue scipsos, & eos, qui vnà viuunt, maneat: latet eos an Deo sint grata quæ hactenus gesserunt; an sint perseueraturi, & ad felicitatem peruenturi.

Lyranus concilians vulgatam editionem cum Hebræa, docet ignorantiam hic significari de præmiis futuris, quæ vel qui præcesserunt, iam consecuti sint, vel qui postea sequentur, consequantur: hinc autem in impletione præceptorum homines affligi, qui è contrario si scirent illud, afficerentur magna consolatione, atque alacriùs exequerentur præcepta. Carthusianus tacito nomine id reprehendit, quia de futuris præmiis fi-

C des est multo certior, quàm scientia; quia non prouenit inde in actibus nostris bonis afflictio; sed ex rebellione sensualitatis, ac fomite, & vitiorum reliquiis, & grauitate, ac lassitudine corporis; quod aggrauat animam [b], ex dæmonum etiam tentamentis: quia Paulus ipse præmia diuina expertus, afflictionem sensit in actibus bonis, & stimulum carnis [c], aliásque pœnalitates. [Est itaque, inquit, exponendum; si quis sciret præterita, quo pacto tam multa Sanctos pati contigerit, & vicissim diuinis recreari solatiis; qua ratione puniuerit quoque Deus hac ipsa in vita improbos: si præsciret futuros euentus sibi, vel aliis, qui præter omnem opinionem persæpe cõtingunt, animo magis læto & pacato in legis diuinæ studiũ, & custodiam incũberet, ac æquiùs

b Sap. 9.15.

c 2. Corinth. 12.7.

D quicquid accideret, ferret, nec aduersis deiectus, nec elatus prosperis. *Affligit dilata spes animum* [d], si quid præter modum quis expetat, & expectet: sauciat acerbiùs, si secus eueniat quàm sperarat; si pax non veniat quam sustinuit: si pro tempore medelæ, & curationis, formido, & turbatio [e].]

d Pro. 13.12.

e Ierem. 8.15. c.14.19.

Probo hæc omnia, à quibus non differunt, quæ partim affert Hugo Cardinalis, qui sine dubio corruptis codicibus vsus est, cùm pro *nuncio* legit aut *initio*, aut *indicio*, & *qui* pro *quia*; quamuis magis probet veram lectionem, doceátque nihil propterea sensum variari. Præterea sententia

E ista iugulat curiosos rerum futurarum scrutatores, præsertim extremi Iudicij, contra quos egimus ad caput primum Apostolicæ historiæ [f].

f ver. 7.

Vers. 8.] Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque saluabit impietas impium.

NOn est lugendum, ait Hieronymus, & Albinus, si futura scire nõ possumus, & sæpe ab

iniquis

iniquis potentioribus opprimamur, cùm nec nos, nec illi mortis habeamus imperium, vel quē haurimus spiritum pro arbitrio moderari possimus; & vim belli huius intestini vitare nemo valeat, quantumlibet impiè, ac sæuè agat, neque salutem animæ consequi, sua hîc abusus potentia, pœnitentiam negligens. Ad eundem ferè modum cæteri Latini præter Carthusianū, qui primam partem sententiæ declarat tum de spiritu, id est, corde aliorū, quod nos cor ad libitum nostrum nequimus immutare, vel potentiorum reprimere conatus: tum de proprio, quod pariter non valemus à varietate, atque fluctuatione cogitationum, affectionúmque remouere.

Caietanus contendit argumento triplici demonstrari, quàm sit impio inutilis impietas sua, sicut venti flatum nullus prohibere potest, mortis diem vitare, dū prælīū actu committitur, aliū pro se substituere. Olympiodorus & ventum, & animam, & sancti Spiritus donū *spiritus* nomine docet hîc posse intelligi. Thaumaturgus Angelū, qui propriè nominetur Angelus mortis, animam solitus extorquere. Idacius [a] interpretatur de ipsomet Spiritu sancto, & non de dono ipsius.

a contra Varimadum.

Ad rem videtur maximè primus de vita sensus, quem Chaldæa quoque paraphrasis expressit, (*non est vir, inquit, qui imperet spiritui animæ, vt prohibeat animam vitalem, ne exeat à corpore hominis*, &c.) Profectò Deus est, qui sicut dat, ita spiritū aufert etiam Principibus [b]. Quocirca quisque caueat, & quod priùs est dictū, supremi os Regis omnipotentis obseruet, custodiat præceptū, nullā prætereat occasionem bonorū operum, vigilet, animóque parato sit ad hinc migrandum, cùm vocabit Imperator [c], ad certandum strenuè in agone mortis, sciat, licèt sciret res futuras, vitare mortem tamen non posse.

b Ps.75.13.
c Cic. in Sō-no Scipionis.

Quanta sit omnibus moriendi necessitas, & ineuitabilis lex, & aliàs hoc libro docuimus, & ex sacris Psalmorū præsertim literis iuxta Hebræorum expositiones affert Petrus Galatinus [d] nonnulla, quæ verissima sunt, & præsenti proposito peraccommoda. Quod Thaumaturgus de Angelo dicebat, qui morituris extorqueat animam, intelligit profectò de illis, qui violenta nonnunquam morte Dei iussu abripiuntur, & quantisuis valeant viribus, euadere mortem non queunt: vel de terrifico aspectu dæmonū, per quem rescindi videtur quodammodo, vt etiam loquitur Chrysostomus [e], anima à corpore. Quod enim vnus aliquis Angelus præsit omnium morti, non legi, neque quòd singuli singulas animas de corporibus extrahant. Præstò adesse testantur Patres ac historiæ moribundis tum tutelarem, tum aduersarium Angelum. Sed hoc ad rem non facit. Lege Feuardentium in Epistolam Iacobi [f].

d lib.6.
e homil.54. in Matth.
f in c.5. ad vers.14.& 15.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum.] Ne exeat anima vitalis à corpore, inquit Chaldæus. Vnde tamen non satis quidam colligunt esse immortalem; contrarium inde potiùs efficeretur, quoniam exit à cuiuscumque animalis corpore dum moritur, anima. Heb. & Græcè (*non est homo imperans spiritui, ad prohibendum spiritum.*) שַׁלִּיט *schallit* denotat *præsidem*, *præfectum*. Vitæ veluti vsura concessa nobis, non absolutum dominium, quod est penès summum Spiritum Deum.

Nec habet potestatē in die mortis.] Chaldæa (*& non est Imperator in die mortis, vt eripiat quisquam socium suum.*) *Ditionē* pro *potestate* legerunt Hugo Cardinalis, & Carthusianus, & Lyranus. *Domini* [g], *Domini sunt exitus mortis*, ait Dauid, id est, ereptio, atque liberatio à morte (de quo loco plura in commentario nostro) *mortificat, & viuificat* [a]: occidit, & viuere facit [b]: vitæ & mortis habet potestatem [c]: habet claues mortis & inferui [d].

g Ps.67.21.

a 1. Reg.2.6.
b Deut.32.39.
c Sap.16.13.
d Apoc.1.18.

Eripere vitam nemo non homini potest;
At nemo mortem, mille ad hanc aditus patent [e]:

e Seneca in Theb.

Item:

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, obseruant quem statuēre diem.
Diuitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
Lautior & nitido sis meliore licet.
Addit nil penso [f] *Lachesis, fusóque sororum*
Explicat, & semper de tribus vna necat [g].

f Vel, Nil adiecit pēso.
g Martial. lib. 4. Epigram. in 54.

B Item:

Ille licèt ferro cautus se condat, & ære,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nerea non facies, non vis exemit Achillem,
Crœsum aut Pactoli quas parit humor opes [h].

h Prop. lib.3.

Mortis vtilis, & necessaria memoria: sed vt vitam spernentes mortalem, meditemur æternam, non vt animi cum corpore Atheorum credentes more interitum, genio vacemus. Hinc eorundem illud epithema, seu epigramma conuiuiale:

Viue memor lethi.
Amici dum viuimus, viuamus.
Extremúmque tibi semper adesse puta.
Ipse iubet mortis te meminisse Deus [i].

i Mart. lib.2. Epig. in 59.

C Sed & Ægyptij circumferebant mortis in conuiuio ceream imaginem, vt largiùs conuiuæ, mortis admoniti, se inuitarent. Testis Herodotus [k]. Simile de aliis Petronij testimonium est in Trimalcione, qui laruas, quas vocabant oscilla, Græcè σωμάτια, & προσωπεῖα, in medium conuiuium faciebant, ex iisque Rex conuiuij figuras exprimebat, vt mutationis, & breuitatis vitæ commonefaceret, & propterea bibendum esse, vt nihil de fructu huius vitæ pereat, diceret. Sic autem apud Petronium Trimalcio post exhibitam laruam argenteam, cuius articuli, vertebræque in omnem sponte partem flecti viderentur, cecinit.

k lib.2.

D *Heu, heu, nos miseros, quàm totus homuncio nil est, &c.*
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus,
Ergo viuamus, dum licet esse bene.

Hæc, & his plura notauit Scaliger in Ausonium [l] de dicto conuiuiorum ritu, necnon & de oscillis, de quibus præterea Turnebus [m], Delrius [n], Pamelius [o].

l lib.2.c.26.
m lib.7.c.20. lib.20.c.14.
n in Senec. Hippol. act. 2.
o in Tertull. de pallio c.1. n.18.

Nec sinitur quiescere ingruente bello.] Hebraicè, & Græcè (*nec est missio, seu dimissio in bello*) Chaldaicè (*neque vasa armorum auxiliantur in prælio*) vetus translatio (*& non est emissio in die belli*) & verti etiā potest *dimissio*. Græca dictio ἀποστολὴ *missionem, emissionem, dimissionem, immissionem* potest significare, vel etiam *manumissionem, euasionem*, & *fugam*: Hebræa מִשְׁלַחַת *mischlachath* præter hæc, *gladiū* quoque & *arma*, vt שֶׁלַח *schelach*. Hanc significationem hoc loco Rabbi Abraham assignat, vt & quidam in Psalmo [p]; *immissiones per Angelos malos*. Vatablus reddit telorum emissionem, in quam, sicut & in diem mortis, nullus habeat potestatē: item explicat quòd nemini sit gladius in bellū, scilicet in illud, quod mors omnibus infligit. Symmachus respexit ad hunc sensum (οὐδὲ ἔστι παρατάξεως εἰς πόλεμον, *neque est instruere aciem in prælium.*) Olympiodorus qui aliam ponit notionē τῆς ἀποστολῆς pro classe, de qua meminimus aliquādo exponentes vocabulum *Apostoli* [q], exponit, bello ciuitatem, ac prouinciam occupante, non

p Ps.77.49.
q Act.1.25.

esse commodum, neque tutum classes educere, ac nauigare ad negotia externa. Vult verò mysticè denotari, quem Deus iusserit mori in bello, non esse qui emittat, seu reuocet in hanc vitam, cùm quis cœperit in iudicio conscientiæ scelerum suorum bella sentire, nequaquam valiturum huiusmodi preces effundere; Mitte me Domine in vitam, vt pœnitentiam subeam peccatorum: non item qui in articulo mortis animam agit, orare; Da mihi, quæso, Domine, vt pœnitentiæ causâ modicum quid adhuc viuam.

Videntur ista mihi propiora literæ, quàm mysterio, nec aliter accepit, qui sequi solet literam, Thaumaturgus. [Nec ars, ait, omnino vlla, & astutia inuenietur, quæ mortis tempus repellat, ac velut exceptione submoueat: verùm, quemadmodum in medio bello captis fuga omnis vndique præclusa perspicitur, æquè omnis hominis impietas simul perit.]

Nec abhorrent multũ à proposito qui vertunt (*non est submissio, vel substitutio in prælio*) id est, non licet submittere, vel substituere seruum, aut filium, aut alium quemcumque pro nobis ipsis (hoc modo Caietanus, licèt non ad hoc propositum) nos ipsi subire mortem debemus, nos armatæ contra nos [a] ictus creaturæ sustinere, nos agonem ferre dæmonis, qui de totius tunc rei summa validissimè dimicat: perit eo tempore à nobis fuga [b], non est qui requirat animam nostram, qui restituere vitam possit.

Placet passim Latinis hæc expositio, quã pro mystica ducebat Olympiodorus. Talem potiùs censeo, quam dat Hieronymus, alludens ad Cantica [c], illũ qui in bello est, & Dei pacem non habet, quæ superat omnem intellectum [d], non habiturum emissionem, de qua sponsæ dicitur; *Emissiones tuæ paradisus malorum granatorum cum fructu pomorum.* Docet etiam posse impietatem diabolum, & pietatem Christum appellari.

Porrò Interpretis verba plenissimè, aptissiméque comprehendunt cuncta, quæ ad sensum literalem attulimus (*nec sinitur quiescere ingruente bello*) bellandum ei, fugere non potest, cedere, vincíque illũ oportet. Lege Chrysorij frustra poscentis inducias in morte vel vsque mane, quem narrat Gregorius [e] exitum infelicem, cùm apertis oculis vidisset teterrimos viros, & nigerrimos spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, vt ad inferni claustra eum raperent. Aduersarium Angelum insidiari potissimùm calcaneo [f] extremæ vitæ nostræ, testantur historiæ, præsertim Martini, qui cruentam illam, funestámque bestiam tunc astantem summa fide ac constantia ab se repulit [g]: docent id quoque Patres non pauci, vt Basilius [h], Ephrem [i], Chrysostomus [k], Cyrillus Alexandrinus [l], Augustinus [m], Gregorius [n], qui probat ex eo, quòd etiam princeps mundi diabolus venerit ad Christũ, quamuis nõ reperit in eo quidquam [o]: & Eusebius [p] hoc sensu declarat orasse Christũ, erui animam suam de manu canis [q], atque etiam hac ratione dicere in Psalmo 21.[r] se à canibus & tauris obsessum. Non est quidẽ certum, spiritus malignos visibili forma moribundis apparere omnibus omnino; quibus tamen adeò terribiles apparent, ideo id eis Deus permittit, si qui ipsos vident, iusti sunt, quemadmodum Angelus sanctus docuit B. Aichardum, vt hic ipse terror expiet in illis, si quid expiandum supersit [f].

a Sap. 5. 18.
b Ps. 141. 5.
c c. 4. 13.
d Philip. 4. 7.
e 4. dialog. c. 18.
f Gen. 3. 15.
g Sulpitius in vita.
h orat. in Iulitam, & in Psal. 13.
i in multis sermonib. tũ tom. 3 de vita, & morte cuiusque.
k hom. 54. in Matth.
l orat. de exitu animæ à corpore, quã citat Feuar. in Epist. Iudæ Apostoli
m in speculo peccatorum. c. 7 quod tamen non est Augustini.
n hom. 39. in Euang.
o Ioan. 14. 30.
p 10. de demõstrat. e. vl.
q Ps. 21. 21.
r ver. 13 17.
f Fulbertus in vita apud Sur. mense Septembri.

Neque saluabit impietas impium.] In die iudicij magni, ait Chaldæus: Vatablus, de bello spirituali tentationum. Hæc quidem vera; sed in primis de morte, & quod in ea est, particulari iudicio, videtur esse sermo. Minimè dubitari potest, saluti æternæ non conducere impietatem; quo quidam pacto præsentem explicant locum: artes ac fraudes, vim atque potentiam innuit Ecclesiastes, & quicquid secum fert, vel habet impietas. Lyranus eos intelligit qui per magicam, aliámve superstitiosam artem se putant euadere mortem posse: Vatablus astutiam impiam non valere contra Dominum. Verbum Hebræum יַמְלֵט *iemallet* significat *liberabit*: pro *impiũ* est בְּעָלָיו *behhalau, dominos eius*: Græcè, τὸν παρ' αὐτῆς, *eum qui est ab ea*: Symmachus, ἔχοντα αὐτήν, *habentem se*; pro vt est quoque in vetere translatione.

Vers. 9.] Omnia hæc consideraui, & dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub Sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.

Et adhuc dicta, & quæ dicturus est in posterum inter alia considerasse se attentiùs dicit, ac in iis maximam vanitatem notasse. Sunt verò quæ mox subiiciet, quòd quidam præsint aliis, vel damnum sibi ipsis, malè faciendo officium, creantes, vel subditos damno afficientes: prætereà vitium hypocritarum.

Interdum dominatur homo homini in malum suum.] Iuxta editionem Hebraicam, & Græcam Septuaginta, & vt notat Caietanus, non sunt hæc à prioribus auellenda, sed vno quasi spiritu proferenda (*omne hoc vidi, & dedi cor meum in omne opus, quod factum est sub Sole, tempore quo dominatus est homo homini ad malum ipsi*) Græcè (τὰ ὅσα ἐξουσιάσατο ἄνθρωπος ἐν ἀνθρώπῳ τοῦ κακῶσαι αὐτόν, *quæcumque, aut in quibuscumque potestatem habuit homo in homine, ad malefaciendum ei*) Aquila (καιρὸς ᾧ ἐκυρίευσεν ὁ ἄνθρωπος, *tempus quo dominatus est homo.*) Caietanus autem sic explicat, quæ de Regis potestate dixit priùs Ecclesiastes, nunc testari se vidisse, atque deprehendisse illam potestatem ad id tempus spectare, ex quo tempore cœpit homini homo dominari, & hoc dominium cedere in malum hominis, in quem exercetur, ad differentiam dominij domestici patris in liberos, viri in vxorem.

Malim nouo quodam principio aliud nunc argumentum tractari. Hieronymus tollens æquiuocationem, sequénsque veterem translationem (*& dominatus est homo homini, vt affligeret eum*) facit vt verba vulgatæ (*in malũ suum*) referenda videãtur ad illum, cui homo dominatur: quod non de Principe solo Ecclesiastico, vt Hieronymo placuit, sed etiam de ciuili potest intelligi. Quamquam & illud verũ est, vtriusque quandoque dominium damno esse, tum ad æternam damnationem, tum ad temporalem punitionem; sicut infinita docent exempla, vt quorum meminerunt sacræ literæ, Pharaonis, Antiochi, Sennacherib, Herodis. Pericula prælationis Hugo Cardinalis hîc aliquot enumerat. Priorem sensum Græci sequuntur de iis, qui dominantur tyrannicè in aliorum perniciem. Non aliter visum Chaldæo (*in tempore quo imperat homo homini, ad malefaciendum ei.*) Talis ad verbum est editio Græca priùs

recitata.

recitata. Constat eum, qui dominatur, dominaturum non fuisse, nisi priùs parens peccasset, eo scilicet dominij genere, quod nunc est. Deinde is, qui dominatur, dominando subit malum, non solùm molestiæ, quam ipsa secum adfert administratio etiam bona: sed preterea, quam plerumque à subditis tolerare cogitur, tum à bonis, si malè, tum à malis, si bene gubernet. Quod attinet ad subditos, in horum malum dominatur quisquis dominatur, vel in malum pœnæ alicuius, nó tantùm quia, vt dixi, ex originali peccato natum est sic subdi; sed adhuc extraordinarij iniqui damni, si tyrannicum sit dominium; aut debiti, ac iusti, si deliquerint. Dominium quo iure habeat homo in hominem, disputat Bonauentura; nos alibi [a] accuratè.

in 1.2.S. Tom. 2.

Vers. 10.] Vidi impios sepultos: qui etiam cùm adhuc viuerent, in loco sancto erãt, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum: sed & hoc vanitas est.

HI qui præerant, & dum viuerent, tanquam iusti celebrabantur, sunt tandem post mortem obliuione sepulti, atque simulata eorum iustitia, & sanctitas detecta est, & vanissima illa virtutis vmbra ac larua. Hieronymus, & Caietanus exponunt, impios honorabili sepulcro decoratos vsque adeò, vt venerint in memoriam, & laudem ad posteros: piis contrà euenisse. Prior huic oppositus sensus est magis communis, & Paraphrastis Chaldæi, & Gregorij quodam loco [b]. [Quia multi fœnum sunt, inquit, & electos se ex humana æstimatione suspicantur, bene per Salomonem dicitur; *Vidi impios sepultos, qui etiam dum adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum.*] Omnes conueniunt, postea deprehendi impietatem, quam in Ecclesiastico Principe, cùm superstes esset, nullus audebat reprehendere, sed potiùs cuncti laudabant aut errore, aut metu, aut adulatione. [Difficilis est accusatio in Episcopum, ait Hieronymus; si enim peccauerit, non creditur; & si conuictus fuerit, non punitur.]

b 31. moral. c. 10. vel 11. quem etiam vide lib. 25. c. 7. vel 15.

Qui etiam cùm adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum.] Chaldæus indicat horum verborum oppositum sensum, videlicet istos non tam priùs in vita laudatos fuisse, vel sedisse, ac præsedisse in loco sancto, quàm neutrum habuisse, aut vtroque excidisse (*& in veritate vidi peccatores, qui sepulti erant, & exterminati de mundo, & de loco sancto, vbi iusti habitãt, & abierunt, vt comburerentur, in gehennam, & obliuioni traditi sunt inter habitatores vrbis: & ecce sicut fecerunt* (malè tractando iustos) *factum est eis*) Thaumaturgus eodem ferè pacto (*illud quidem compertum habeo, priùs quoque ex hac vita abripi impios, ac de medio tolli, eo quòd vanitati seipsos dediderunt.*) Sed quod Interpres præ se fert, plures sentiunt, exponi casum infelicem eorum post mortem, qui viuentes iusti habebantur, & prosperè agebant, & locum sanctum obtinebant, & laudabantur. Hebræa sic habent (*& in sic, siue tunc vidi impios sepultos, & venerunt, & à loco sancto ambulabunt* (id est, exibunt) *& obliuioni tradentur in ciuitate, qua* (id est, in qua) vel (quæ) vel (qui) vel (quia) vel (cùm tamen) *sic fecerunt*) id est, tantum, & adeò egregia opera, vel rectum. Caietanus, qui impios sepultos intelligit cum honore, & ipsos venisse, id est, peruenisse ad posteros eorum cum laude memoriam, sequentia refert ad pios, qui sunt ex loco sancto, id est, sancti, non loco materiali, sed animi sanctitate; sed ambulant, & exeunt, vel abeunt à laude, & memoria hominum, traditi obliuioni, etiam in ciuitate, in qua sic, hoc est, sanctè fecerunt opera sua.

Isidorus Clarius tradit tres explicationes iuxta editionem Hebraicam. Prima est hæc: Vidi impios ad sepulcrum vsque feliciter degere, & ambulare, ac veluti resurgere in filiis suis, qui versantur inter honoratos in loco sancto: eos verò obliuioni tradi, & contemni à ciuibus, & in ciuitate, qui sic fecerunt, id est, bene, iustè, sanctè. Secunda: Vidi impios sepultos, dignos qui sepelirentur & morerentur, dignos sepultura, & morte, & (tamen) venerunt, seu veniebant, aut ibant. i. viuebãt, & à loco sancto ambulabũt, .i. ambulabãt, siue recedebant, atque fugiebãt (futurum pro præterito per literam ו versiuam) & laudabãt se, vel illos alij (Hebræum enim verbum si habeat ב pro כ, id significat, vt dicemus) in ciuitate quasi iustorum operum. Tertia: Vidi impios sepultos, hoc est, morte dignos, ac sepultura, & veniebant, hoc est, prosperè agebant, & de loco sancto ibant, id est, recedebant à via bona, & obliuioni dati sunt qui sic, id est, qui iustè fecerunt; aut illi impij iactabant se quasi iustos.

Vatablus hoc modo: Vidi impios, qui dudum sepulti erant, & redierũt per famam in mundum, fuitque semper eorũ recens, ac proinde illustrius nomen: vidi quoque eos, qui in loco sancto, seu in loco sancti Dei, seu rei sanctæ accuratè versati sunt, obliuioni traditos in ea vrbe, in qua sic fecerunt, vt sit proinde vanum, ita sibi nominis celebritatem parare velle, cùm sola sit iusti memoria æterna [a]. a Psal. 111. 7.

Rabbi Dauid Kimhi: Si mortui fuerint impij, venient alij loco ipsorum, & de loco sanctitatis qui sunt, id est, iustos abire facient, fugabúntque, ne videantur in conspectu suo, propter iniquitatem, & rapinam, quam faciunt ipsis: & obliuioni tradentur in ciuitate, qui rectum fecerunt, id est, abscondent se à facie illorum, faciéntque seipsos oblitos, absconditósque ab illis ij qui faciunt rectitudinem, & veritatem. Vel eiusdem Rabbini sensus est posterioris membri de iisdem impiis, qui homines de loco sancto, id est, iustos abire faciunt, & fugant, & obliuioni mãdant, ac delent.

Rabbi Abraham Abenezra: Vidi impios, qui præsidebant hominibus, lædebántque illos, mortuos absque cruciatu, vllísque scelerum pœnis, & sepultos pacificè, ac honorificè in sepulcris suis: hi venient in mundum rursus, quia filij stabunt loco ipsorum, vigebítque illorum in istis memoria: & qui de loco sanctitatis ibunt, id est, sancti, qui morientur absque liberis, non erunt sic, sed obliuioni tradentur in ciuitate, in qua fuerunt: & hi sunt qui fecerũt rectum & veritatem. Hæc recitãtur in magno thesauro linguæ sanctæ, cum alia non multum differente interpretatione Rabbi Salomon Iarchi.

Septuaginta sic reddunt (καὶ τότε εἶδον ἀσεβεῖς εἰς τάφους εἰσαχθέντας, καὶ ἐκ τοῦ ἁγίου, καὶ ἐπορεύθησαν, καὶ ἐπῃνέθησαν ἐν τῇ πόλει, ὅτι οὕτως ἐποίησαν, *& tunc vidi impios in sepulcra introductos, & ex sancto, & iuerunt, & laudati sunt in ciuitate, quoniam sic fecerunt*) Aquila (καὶ ἦλθον ἐκ τόπου ἁγίου, *& venerunt de loco sancto*) Symmachus (καὶ ὁπότε ἀπέστησαν, ἐν τόπῳ ἁγίῳ

ἀνίστρον, & quando superstites erant, in loco sancto conuersabantur:) & pro vltimis verbis sententiæ, *ὡς δίκαια πράξαντες, tanquam qui iusta egissent*; vetus translatio *(& tunc vidi impios sepultos, & venerunt, & de loco sancto egressi sunt, & laudati sunt in ciuitate, quia sic fecerũt.)* Non te, lector, tædeat legere, quod me, non piget tanto studio recitare: obscurioris huius loci ex tot editionum, versionúmve collatione perspicies sensum, ac deprehendes nullibi meliùs apparere, quàm in vulgata, quæ quodammodo alias delibauit, & quod erat commodius excerpsit, maximè verò nunc ex Symmacho.

Laudabantur.] Hebraicè (יִשְׁתַּכְּחוּ *ischtaccechu.)* Sic legit Chaldæus, qui est interpretatus, *obliuioni traditos*: Græci, & vtraque Latina versio, & Rabbi Salomon Iarchi יִשְׁתַּבְּחוּ *isctabbechu*, quod *laudari, & glorificari* significat, vel *seipsos laudare, & glorificare.*

Quasi iustorum operum.] Hebraicè (אֲשֶׁר כֵּן־עָשׂוּ *ascher ken hhaschu.)* Interpres, & Symmachus videntur sumpsisse כֵּן *chen* non vt similitudinis particulam, sed tanquam nomen, quod significat *rectum, veracem, iustum*, &c. *ὡς δίκαια πράξαντες*, inquit Symmachus, *tanquam qui iusta fecerint*. Hîc est Dagon iuxta Arcam [a], abominatio desolationis in loco sancto [b], pastor, & idolum [c]; *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur* [d], & Bel quasi Deus, quia multum comedit [e]. Hæc ex Hugone. Non potest diu latere tecta, simulatáque virtus, ac idolum potiùs virtutis, tandem hypocrisis. *Nunquid viuere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua? Cùm adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic via omnium, qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit* [f].

a 1.Reg.5.2. b Matth.24.15. c Zach.11.17. d Psal.9.4. e Dan.14.8.5. f Iob.8.13.

Vers. 11.] Etenim quia nõ profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.

CONgruit optimè cum sensu prioris sententiæ, quem secuti sumus, præsens sententia, licèt generalis, & communis cuiuis hominum statui. Nulli namque maiore viuunt licẽtia, quàm quibus impunitas est: hãc supra cæteros habent, qui præsunt aliis, nec hominem verentes, nec timentes Deum [g]; laudari etiam cùm malè fecerint, vt dictum est, perinde ac si bene [h]. Illos inter homines non est qui possit, Deus punire differt, vel expectans ad pœnitentiam, vel per eos iustorum exercẽs patientiam, vel vt thesaurizantes sibi diuinam iram, acerbiùs puniat in die iræ, & iusti iudicij sui [i]. Lege Gregorium in Ezechielem [k]. Deus ipse apud Esaiam [l]; *misereamur impio, & non discet iustitiam*: vel iuxta Hebraicam editionem; *consequatur improbus misericordiam*, vel *consequetur*: id est, esto illam consecutus sit, nequaquam iustitiam didicit, actum est, non discet. Quod subditur [m]; *in terra sanctorum iniqua gessit*, simile est illis præcedentibus hoc loco verbis *(in loco sancto erant)* & accommodat Bernardus [n] ad Clericos bonis abutẽtes Ecclesiasticis. Idem Esaias [o] queritur, & miratur; *Indulsisti Domine genti, indulsisti genti, nunquid glorificatus es?* Hic est porrò modus vnus, quo censetur Deus aliquos indurare, sicut & indulgentior pater filium perdere dicitur, & seruum dominus, & magister discipulum, & qui ceram liquefacit Sol calore suo, lutum indurat.

g Luc.18.2. h Psal.9.3. i Rom.2.5. k hom.11. l c.26.10. m c.26.10. n ibidem. o serm.23.in Cant. p ibidem suprà vers.15.

A Vtitur priore ad hoc propositum, agénsque de Pharaone, Origenes [a] exemplo, Hieronymus [b] posteriore: eundem verò præterea modum tradũt Basilius [c], & Theodoretus [d], qui profert caloris similitudinem; quæ placuit item Augustino [e] rem eandem tractanti, vnà cum prima.

Enitescit ex hac tanta Dei tolerantia, ipsum esse præstabilem super malitia nostra [f]; hanc simul nimis esse magnam, quæ adeò singulari beneficio abutatur; meritò postea quæ lento processit gradu Dei iram, grauitate tarditatem supplicij compensare [g]: denique prodest nonnullis, si obest aliquibus; inuitati enim respondent, & documentum etiam sumunt patientiæ & beneficentiæ

B aduersùs inimicos, vel abutentes collatis beneficiis. Improbus ac reprobus est, cui *dat Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam* [h], *& tempus, vt pœnitentiam agat, & non vult pœnitere à fornicatione sua* [i]; *sed oculi eius sunt in viis illius* [k], id est, intenti ac defixi ad insistendam eandem vitæ viam, neque cogitat iudicium [l]. Homines decet sanè clementia, sed quia falluntur, & ignorant, criminum iis dissimulatio, quæ subditi committant, non adeò permittitur. Leuia, aut occulta, aut quæ maius malum vitare possunt, Præfecto vrbi dissimulanda sunt, ait Herodotus [m]; at licentiam nimiam dissimulare non debet: nam

C *Nimia licentia profectò euadet in aliquod magnum malum* [n].

[Quotus quisque reperietur, inquit Marcus Tullius [o], qui impunitate, & ignoratione omnium proposita, abstinere possit iniuria: & [p], quis ignorat maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? & [q], effrenatus furor alitur impunitate diuturna; & [r], ó consuetudo peccandi, quantam habes iucunditatem in improbis, & audacibus, cum pœna affuit (vel abfuit) & licentia consecuta est!] Tandem verè dictũ à Polybio [s], si veniam aut impunitatem concesseris aliquam, si benignitate improbum fueris promeritus, id omne dolum fraudémque existimando erga beneficium longè fieri magis infidum. Vulgus non ita natum

D vt pudori obsequatur, sed metui, nec vt abstineat à prauis ob turpitudinem, sed ob supplicia & pœnam. Hoc modo Philosophus [t]. Abusos Ezechiel [u] scribit Iudæos tali sententia, vertisséque in prouerbium; *in longum differentur dies*: quod apud eundem Prophetam [x] Deus pronunciat se quiescere facturum, vt vltrà non dicatur vulgò in Israël.

Non profertur citò contra malos sententia.] Hebraicè (*quia non fit verbum facti mali citò.)* פִּתְגָם *pithgam* est *negotium, res, verbum*; qua voce Chaldæi ferè vtuntur semper eo modo quo Hebræi דָּבָר *dabar*, & reperitur duntaxat hoc loco, & iterum in Esther [y], vbi Interpres reddit *hoc*, Græci *νόμον, legem*, siue *edictum*: hic autem sic (*ὅτι οὐκ ἐστὶ

E γενομένη ἀντίρρησις, ἀπὸ τῶν ποιούντων τὸ πονηρὸν ταχὺ, quoniam non est facta contradictio, ab istis, vel talibus malum velox*, nimirum est) Sixtiani codices (*ἀπὸ τῶν ποιούντων, à facientibus malum citò)* Symmachus (*διὰ γὰρ τὸ μὴ γίνεσθαι τὴν ἀπόφασιν, etenim quia non fit sententia, & decretum.)* Hieronymus in vulgata imitatus est Symmachum, in vetere translatione Septuaginta (*quia non est contradictio facientibus malum citò.)* Ambiguum, an (*citò*) ad contradictionem, siue sententiam referas, an ad facientes malum, siue malos; & *ταχὺ* potest esse tum nomen iunctum τῷ πονηρῷ, tum aduerbium. Vulgata clarè iunxit cum sententia, necnon Chaldæus, & est

a 3.peri archon. b epist.150. q.10. c orat. quòd Deus non sit auctor malorum. d q.12.in Exod. e serm.88. de tempore. lege quoque q.16.in Exod. f Ioel.2.13. g Val.Max. lib.1. h Iob.24.23. i Apoca.2.21. k Iob. supra. l Prou.28.5. m lib.1. n Terent.in Adelphis. o 3.de offic. p orat. pro Milone. q orat pro Sextio. r 5.in Verrẽ. s lib.1.in fine. t 10.Ethic.c.vlt. u c.12.22. x vers.23. y c.1.20.

hoc pacto melior sensus, qui Græcis, Latinísque Interpretibus placet.

Olympiodorus nominatim id obseruat, dicens referri (ἐπὶ) ad contradicentes, atque significari eos, qui sedulò, ac vehementer contradicant, acrique reprehensione compescant. Quamquam nec alterum respuit sensum, quo (ἐπὶ) referatur ad operantes malum, quasi velociter, ac studiosè peccantes. Celeritas nihilominùs maturitate iudicij, & temporis quoque temperanda interstitio, præsertim in causa capitis. Dixi de hac re alias citato Theodosij exemplo, qui dilationem triginta dierum iussu Ambrosij præscripsit. Potest pœna dilata exigi, non potest exacta reuocari, inquit Seneca [a]:

Nulla vnquam de morte hominis cunctatio longa est. De morte qui errauerint, vt Anaxandrides respondit apud Plutarchũ [b] percontanti quare capitales causas pluribus diebus seniores audirent, ij consilium mutare non possunt. Scribit præterea [c], virgas Prætorum securibus alligatas præferri solitas, ne magistratus iracundia prompta ac dissoluta esset, & vt virgarum dissolutio mora & tarditate iram frangeret atque moderaretur. Postremò pridem audiuimus Ecclesiastæ nostri [d] monitum: *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Id omnibus quidem, sed in primis conuenit magistratui, quem non minùs ab ira, quàm à stultitia distare necesse est.

Absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.] Hebraicè, & Græcè, & Chaldaicè (*ideo plenum est, siue repletum cor filiorum hominis in eis ad faciendum malum*) Aquila (ἐτόλμησαν, *ausi sunt*) Symmachus (ἀφόβῳ καρδίᾳ οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων κακουργοῦσιν· ἁμαρτῶν γὰρ ὁ κακοῦργος ἀπέθανεν μακροθυμίας γενομένης αὐτῷ. *intrepido corde filij hominum malefaciunt: peccans enim malus mortuus est longanimitate præstita ei.*) Habet notatio quid salis editio Hebræa, Chaldæa, Græca; vt cùm Deum amare iubeamur ex toto corde [e], ac plena voluntate, impij dicantur, sublato Dei timore, in malum incumbere corde pleno, toto pectore.

Filij hominum.] Haud dubium quin mali; nec tamen vbique non nisi hoc modo; sed de bonis quoque, ac prorsus ἀδιαφόρως vocantur filij hominum, vt pluries annotaui: & editiones aliæ *homines*, non *hominum* habent. Quocirca non adeò necessaria Olympiodori notatio; apposité dici nunc filios hominum, quia Filij Dei mala non operantur.

Vers. 12.] Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.

DEi benignitas ac misericordia perspicitur inde, quòd adeò, totiésque peccantem tolerat, expectans vt conuertatur ab iniquitate sua: necnon quam benignus & misericors futurus sit aduersùs eos qui timent ipsum, & ad verbum illius contremiscunt, atque de præteritis peccatis agunt pœnitentiam, de futuris cauent. Efficiunt hunc sensum Hebræa & Chaldæa editio: Græca differt nonnihil (ὃς ἥμαρτεν ἐποίησε τὸ πονηρὸν ἀπὸ τότε, καὶ ἀπὸ μακρότητος αὐτῶν, ὅτι καί γε γινώσκω ἐγώ, &c. *qui peccauit, fecit malum ex tunc, & ex longitudine eorum: quare & cognosco ego*, &c.) Hieronymus testis est, is pro ἀπὸ τότε posuisse *centies*. Aquilam, & Theodotionem, & Symmachum posuisse *mortuus est*, vt sit (*qui peccauit, & fecit malum, iamm mortuus est*) quamuis testetur quoque Symmachum ita transtulisse (*peccans enim malus mortuus est longa anima concessa ei.*) At secundùm Septuaginta Doctor idem refert nonnullorum expositionem, quod peccator non tunc primùm peccat, quando videtur facere peccatum, sed iam ante peccauit: *abalienati sunt enim peccatores à vulua, errauerunt ab vtero* [a]. Videtur improbare, quia quod eodem sequitur Psalmo, *locuti sunt falsa*, non conuenit iamiam egressis de vulua. Innuit forsitan Origenem, qui animas corporibus antiquiores fertur existimasse, priúsque peccasse, quàm demitterentur in corpora. Olympiodorus μακρότητα pro iuuentute intelligit: explicat autem vel de diabolo, qui peccatum inuexit in mundum; cuiúsque cuncti peccant instinctu; is verò fuit ab initio dux, & auctor peccati [b]: vel non esse hominum recens, sed peruetustum peccatum, quod quicunque perpetrat, iuuenis, imò peccator centum annorum censeri potest [c], ob leuiores mores; vel, qui contraxit habitum peccati, proposuitque in mente sua peccare, ex tunc iam cœpisse peccare, tametsi propositum id multo pòst in actum producat, aut etiam impeditus, nõ producat: vel, eum qui peccat, licèt innotescat, cùm re ipsa flagitium perficit, apud præscientiam Dei multo antè reum cognosci.

Centies.] Dixi, Hieronymum posuisse hoc modo (id fecit verò etiam in vetere translatione, pro eo quod Septuaginta ipsi legunt, ἀπὸ τότε, *ex tunc.*) Aquila, Symmachus, & Theodotion ἀπέθανε, *mortuus est*. Hebraicè est מאת *meath*, quod cum his punctis מְאַת *meath, centum, seu centies*, cum alio quiescente א *aleph*, מֵאֵת *meth, mortuum* significat. Septuaginta legerunt fortasse מֵעֵת *meheth*, quod est, *a tempore*. Credimus Hieronymo, quoniam postrema quidem lectio repugnat omnium codicum fidei; secundæ nullũ aliud exemplum potest proferri: sensus quoque magis obuius, & facilis, quem reddit Hieronymus, & alij passim. Porrò numerus centenarius est pro indefinito magno numero, idémque valet peccare centies, ac plurimùm, vt idem Doctor notat, & nos suprà capite sexto [d].

Per patientiam sustentatur.] A Deo, vt meritò Christus [e] iusserit nos proprias iniurias sustinere non septies tantùm, sed etiam septuagies septies, hoc est, vt ita dicam, toties quoties, ac infinities. Benignitati diuinæ deputat Bonauentura, quòd eos diu viuere sinat peccatores, quos præuidet reuersuros ad se; quos autem peccata multiplicaturos, & in eis morituros, tum misericordiæ, ob dilationem adeò crudelis pœnæ inferni, tum iustitiæ, vt permittatur qui in sordibus est, adhuc sordescere [f]. Sed & misericorditer agitur cum peccatore reprobo, cùm citò hinc eripitur, ne magis peccando maiorem sibi reatum comparet: de qua re nõnihil egimus ad primum caput [g] Actuũ Apostolicorum, disputantes de Iuda, quem Petrus dicebat abiisse in locum suum. Hebraicè (וּמַאֲרִיךְ לוֹ *vemaarich lo, & prolongans sibi*) vel Dominus ei dans spatium vt conuertatur, quo pacto vertit Chaldæus, seu prolongans ei vitam, elongans ab eo vindictam: vel peccator ipse differens pœnitentiam. De Olympiodoro dixi exponere iuuentuten, vt sit, ἀπὸ μακρότητος, *a longitudine temporis præteriti*, αὐτῶν, *ipsorum*, nempe peccatorum,

a Psal. 57. 4.
b Gen. 3. 1. & seq.
c Esa. 65. 20.
d vers. 3.
e Matth. 18. 22.
f Apoc. 22. 11.
g vers. 25.

de

de quibus proximè antè dicitur numero singulari, ὃς ἥμαρτεν, *qui peccauit.* Longitudo dierum significat longam ætatem, seu quæ præcesserit, seu quæ secutura sit: hanc promittit Deus Psalmo 90. extremo. Interpres eruditè sensum expressit etiã in vetere translatione (*& elongat ei Deus*) quod perinde est ac id quod est in vulgata (*& per patientiam sustentatur*) nimirum à Deo. Sixtus [a] Senensis obseruat, quòd Chrysostomus [b] docuit, *patientiæ* vocabulum, τῆς ὑπομονῆς, de Deo nunquam in Scripturis dici, sed *longanimitatis*, τῆς μακροθυμίας, aut simile; nec nominari patientem Deum, ὑπομένοντα, sed longanimem, μακρόθυμον, vel alio nomine. Nam, inquit Chrysostomus, μακροθυμεῖ τις, longanimis quis erga eos est, quos vlcisci potest: ὑπομένει, patiens erga eos, quos non potest. Profert præter locum Epistolæ ad Colossenses [c], quem declarat, *ad omnem patientiam & longanimitatem*, εἰς πᾶσαν ὑπομονὴν καὶ μακροθυμίαν, aliũ ex Epistola ad Romanos [d], *an diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* χρηστότητος αὐτοῦ, καὶ τῆς ἀνοχῆς, καὶ τῆς μακροθυμίας. Refellit Sixtus, quia multis aliis locis vocatur Deus patiens, vt Psalmo 55.[e] & 144.[f] & hic in præsenti loco, & Epistola ad Romanos [g], & prima Petri [h]. Deinde conatur Chrysostomum sic exponere, vt *patientiæ* vocabulum, quatenus denotat virtutem, qua fortiter aduersa tolerantur, Deo non conueniat, in quo nulla est toleranda calamitas: sed pro vt dicit expectationem quandam, qua errantes ad resipiscentiam longo tempore solent expectari, iuxta illam sententiam Augustini [i]: [Patientia Dei prædicatur, non in hoc quòd malu aliquod patiatur, sed in hoc quòd expectat malos, vt cõuertantur.] Confirmat, quoniã vbicunque Deus patiens appellatur, Hebraicè legitur אֶרֶךְ אַפַּיִם *erech appaim, longus iris*, Græcè, μακρόθυμος: & pro *patientia* תִּקְוָה *thikuah, expectatio*; μακροθυμία, vel ἀνοχή, *longanimitas*, & quædam quasi induciæ, teste Ammonio, quales sibi hostes concedunt.

Deprehendi & ipse verum esse, quod hic auctor adeò studiosè, & benignè monuit, vt Patrem tantum defenderet, nempe nullibi in nouo quidem Testaméto de Deo ὑπομονὴν, & ὑπομένειν vsurpari. Quamquam, quin eidem tribui possint seruata proprietate vocum, nihil video quid obstet. Significant enim *expectationem*, & *expectare*: nisi vim facias in præpositione ὑπὸ, *sub*, quasi subiectionem innuat, & sub aliqua calamitate perseuerantem constantiam, & tolerantiã. Apud Ieremiam [k] vocatur Deus expectatio Israël, Græcè ὑπομονή, Hebraicè מִקְוֵה *mikueh*: sed potest intelligi obiectiuè, id est, vt obiectum patientiæ Israël, sicut in Psalmo [l]; *quoniam tu es patientia mea Domine*, ὑπομονή μου, תִּקְוָתִי *thikuathi*. Lego in historia Machabæorum [m], quòd ἀναμένει μακροθυμῶν ὁ δεσπότης, *Dominus patienter expectat*. Itaque non est omnino perpetuum, quod Chrysostomus generaliter asseruit: neque certa penitus excusatio Sixti, nisi de nouo Testamento loquendo, sicut dixi. Etsi verò nullum hîc vocabulum *patientiæ* est in Hebræo, vel Græco textu, quia tamen id habet editio nostra, visa mihi nunc est opportuna, vtilisque annotatio.

Vers. 13.] Non sit bonùm impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant qui non timent faciem Domini.

Margin notes (left column): a 6. Bibliothecę annot. 322. — b hom. 2 in Epist. ad Coloss. — c c.1.11. — d c.2.4. — e vers.15. — f vers.8. — g c.9.22. — h c.3.20. — i lib. de patientia. — k c.14.8. — l Ps.70.5. — m lib.2.c.6.14.

A — Editiones exteræ hæc enunciant in futuro tempore (*& bonum non erit impio*, &c.) Hieronymus non in ista solùm, sed & in veteri translatione maluit per imperandi modum, qui sic sæpe ab Hebræis denotatur per tempus futurum. Interpretatur autem Hieronymus imprecationem contineri in illos, qui non habent Dei timorem, & desiderium, ne diu differantur à pœna, eo sensu, quo Galatis [a] Apostolus scribebat; *Vtinam abscindantur qui vos conturbant*: & Timotheo [b]; *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddat illi Dominus secundùm opera eius.* Subdit, secundùm Septuaginta inchoari nouam sententiam à posteriore præcedentis versus parte (*ego cognoui*) & hîc continuari, videlicet, quòd timentibus Deum bene erit, impio malè. Thaumaturgus, & Olympiodorus exponunt eodem pacto.

B — *Non sit bonum.*] Neque hîc, neque in alia vita, vt explicat Bonauentura: contrà verò Esaias denunciat iusto [c] quoniam bene, scilicet vtrobique. Non sit quoque bonum impio quòd sustentetur à Deo, & expectetur ad pœnitentiam, inquit Hugo Cardinalis. Glossa interlinearis, & Lyranus, & Carthusianus intelligunt de prosperitate temporali, quam non consequatur impius, & consequi non mereatur, quoniam non quærit futuram, & æternam, sed præsentibus bonis abutitur.

Nec prolongentur dies eius.] Hebraicè (*& non prolongabit dies tanquam vmbra*) Græcè (*in vmbra*)

C — Chaldaicè (*neque erit ei longitudo in seculo venturo, & in seculo hoc præscindentur dies vitæ eius, fugient, & succidentur velut vmbra.*) Fusiùs, & clariùs; quod editio quoque nostra paulo pluribus verbis expressit quàm Hebraica, & Græca, videlicet sequentibus. Porrò, quamuis non rarò longior, ac diuturnior sit impij vita, censentur non prolongari dies eius, sed natus continuò desiisse [d], quia bruti viuit more, non hominis: pius, ac iustus, vt hominem decet viuens, licèt breui viuat tempore, iudicatur explere tempora multa [e]. Deinde, quia vellet impius semper diutiùs hîc viuere, idque pollicetur sibi, nunquam satur annis, nec dimidians vnquam dies suos [f], cùm pius prolongatum hîc incolatum suum queratur [g], & cupiat dissolui [h]. Adhæc, quoniam totus in hoc est im-

D — pius, vt carnali satisfaciat vitæ, ac sensibus indulgeat: quod morte tandem finiendum est, nec in resurrectione restituendum, post quam luentur in corpore supplicia perpetua, nõ tantùm in anima, quæ sua mox, vt à corpore separatur, experitur; cùm ex opposito pius intentus hîc in contemplationem, virtutémque secundùm animam, & corpus, honestas sit semper actiones habiturus, ac verè proinde dies suos prolongaturus modo vtroque.

Sed quasi vmbra transeant.] Pro eo quod, vt modò dixi, Hebraicè, Græcéque solùm habetur (*non prolongabit dies tanquam vmbra*, vel *in vmbra*.) Quo pacto vitæ dies impij breuiores reddantur,

E — docuimus, cùm declararemus quid esset illum mori in tempore non suo [i]. Græci videntur legisse בַּצֵּל *batsel*, non autem כַּצֵּל *chatsel*. Hieronymus in vtraque translatione posuit (*quasi vmbra*) sed in commentario secutus est lectionem Græcam (*in vmbra*) exponens nõ prolongari dies vitæ, qui quasi vmbra viuentibus sunt: & diu viuere, non esse prolongare dies, sed grandes facere bonorum operum magnitudine: ideo Iacob cùm se fateretur peccatorem, suos dies dixisse paruos, & malos [k]: & Dauid eodem spiritu cecinisse, quòd

Margin notes (right column): a c.5.12. — b 2 Epist.4.14. — c c.3.10. — d Sap.5.13. — e c.4.13. — f Ps.54.24. — g Ps.119.5. — h Philip.1.23. — i c.7.18. — k Gen.47.9.

sui

fui ficut vmbra declinaffent [a], timendo ne longitudo æternæ vitæ breuiaretur, id eft, illam ei viuere propter peccata non liceret. Valdè trita, & Scripturis [b] familiaris comparatio excurrentis vitæ noftræ cum fugaci vmbra, vt capite fuperiore meminimus [c]. Hac, reor, de caufa prorogandæ vitæ fignum Ezechias Rex accepit in vmbra horologij; &, optione data, maluit reuerti retrorfum vmbram decem gradibus, quàm afcendere, maiorémque fieri [d]; cùm enim nocteſcit, tunc

[e] *Maioréſque cadunt altis de montibus vmbræ.*

& fic, vt ex Areopagita [f] colligitur, dies illa horas viginti folito plus durauit, decem in regreffu Solis ad Orientem, & totidem, quibus reuerfus eft Sol ad punctum, vnde regredi cœperat: vmbra enim tangens lineam horologij, integram horam efficiebat. Sed hac de re adi Interpretes, maximè Hectorem Pintum, Adamum Safbout, & Michaëlem de Palatio in Efaiam [g], qui longè adhuc longiorem diem cenfet fuiffe. Sed nunc noftra nihil intereft.

Puluis & vmbra fumus [h].

&,

Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι [i].

Vmbra fomnium homines.

Nihil foliditatis continet præfens vita. Si defigis obtutum in Solem iuftitiæ, vanas rerum aliarum vmbras relinquis à tergo: hæ vmbræ verfabuntur in oculis tuis, fi Solem illum diuinum patiaris effe à tergo.

Verumtamen vt ad inftitutũ redeamus, Olympiodorus non pœnam impij, quòd non prolonget dies in vmbra, fed vitium interpretatur; vel certè fimul hoc, & illam, nempe, nõ diu futurum in vita, quia vitæ, quamuis longum, tempus non reputanit effe vmbram, fed follicito ftudio fibi comparare ftuduit res fluxas, ac tẽporarias, perinde atque fi perpetuò effent duraturæ. Præterea per vmbram fumés protectionem Dei, alium fenfum tradit, quamquam peccator in præfenti vita per patientiam Dei protegi quodammodo, defendique videatur, potiùs quàm puniri, paulo tamen pòft æternis fuppliciis tranfmittendum. Placent hæc: & nemo nefcit *vmbra* voce creberrimè fignificari protectionem. Tamen fimplicior, ac melior prima expofitio, quam fatis etiam indicat Thaumaturgus.

Qui non timent faciem Dei.] Hebraicè, & Græcè (*a facie*) ficut & vltimis verbis prioris verfus. Idem eft ac timere Deum. Sed innuit phrafis obiectam menti præfentiam tanquam perfonæ venerabilis, valere ad continendam peccandi licentiam, & libidinem: qua de re aliàs differuimus. Numeri mutatio ex fingulari, qui priùs erat, in pluralem, quæ contigit quoque verfu præcedente, vbi de timentibus Deum, collatis cum peccatore, fermo erat, nihil continere myfterij videtur; & aliàs non rarò reperitur. Quare minimè neceffaria notatio Hugonis Cardinalis, quòd peccator vnus eft natura, multiplex volũtate, & peccatis, iuxta illud [k]: *Legio mihi nomen eft.* Nec item laborandum, vt verbum plurale comprehendat impium, qui in ifto verfu, & peccatorem, qui nominatus eft in priore; & peccator fignificet errantem in moribus, vel non in adeò atrocibus peccatis: impius, qui erret in fide, & immaniùs offendat. Sunt hæc nomina fæpe fynonyma, & quandoque vnum alteri vel præponitur, vel poftponitur: nec hìc vlla caufa, cur crefcat oratio.

[a] Pfal. 101. 12. [b] 1. Paral. 29. 15. Iob 8. 9. c. 14. 2. Pfal. 108. 23. Pfal. 143. 4. [c] verf. 12. [d] 4. Reg. 20. Efa. 38. [e] Virgil. eclog. 1. [f] Areopag. epift. ad Polycarp. [g] In 6. tom. Efa. c. 38. [h] Horat. lib. 4. ode 7. Aufonius in Hectoris tumulo. [i] Pindar. Pyth. hymn. 8. [k] Marc. 5. 9.

Verf. 14.] Eft & alia vanitas, quæ fit fuper terram: funt iufti, quibus mala proueniunt, quafi opera egerint impiorum: & funt impij, qui ita fecuri funt, quafi iuftorum facta habeant: fed & hoc vaniffimum iudico.

MOleftiffima obiectio, cuius iam non femel meminimus, vt res impiis hic obueniant fecundæ, piis aduerfæ, cùm fecus humano iudicio, quiuis non altiùs cogitationem efferens, euenire debere cenfeat. Citat Hieronymus exemplũ diuitis purpurati, & Lazari [a], querimoniam quoque feptuagefimi fecundi Pfalmi. Thaumaturgus de opinione apud homines interpretatur, qui pro piis habent impios, & pios pro impiis. Et hoc verum eft: fed melius generaliter quoflibet euentus intelligere. Lege Auguftinum [b].

Alia.] Diftinctionis causâ Interpres addidit hanc vocem, qua carent cæteræ editiones.

Vanitas.] Symmachus (ἄπορον) quod explicat Hieronymus *difficilè cognitu*: propriè *dubium, controuerfum*, &c.

Quæ fit fuper terram.] Notanter hìc quoque vanitatem fupra terram, inquit Olympiodorus, vidiffe fe ait: in cœlo fiquidem nihil eft vani. Caietanus vult ideo hoc dici, quoniam hæc quæ apparet adeò præpoftera viciffitudo ac vana, relata ad diuinam prouidentiam nõ eft exiftimanda vanitas. Fortaffe variatur dũtaxat dictio, vt fit idem *fuper terram*, quod toties antea dixit Ecclefiaftes, *fub Sole*, vel etiam *fub cœlo*.

Quibus mala proueniunt, quafi opera egerint impiorum.] Hebraicè (*quibus, vel quod pertingit ad eos fecundùm opus impiorum*) Chaldaicè (*quibus accidit malum, ac fi illi facerent opera malorum*) Græcè (ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, ὅτι φθάνει πρὸς αὐτοὺς ὡς ποίημα τῶν ἀσεβῶν, *quia funt iufti, quia venit fuper eos quafi factum impiorum*) Symmachus (οἷς συμβαίνει κατὰ τὰ ἔργα τῶν ἀσεβῶν) vetus tranflatio (*quia funt iufti, fuper quos veniunt quafi facta impiorum.*) Auguftinus [c] item legit (*quia funt iufti, fuper quos venit quafi factum impiorum: & funt impij, fuper quos venit ficut factum iuftorum.*)

Ambiguum eft, vtrùm opus, feu factum, vel facta fint euenta, & ea quæ accidunt tum profpera, tum aduerfa, an opera bona, vel mala, quæ homines operantur, fiue merita, quibus debeantur dicta euenta. Vtrouis modo fenfus idem. Aptior fecundus, quem & Symmachus magis expreffit in altero membro (καὶ εἰσὶ παράνομοι, οἷς συμβαίνει ὡς πράξασι κατὰ τὰ ἔργα τῶν δικαίων, *& funt iniqui, quibus euenit ac fi egiffent fecundùm opera iuftorum.*) Voces quoque מַעֲשֶׂה *mahhafeh*, & ποίημα defignant actionem potiùs, quàm quodlibet euentum. Auguftinus, quem modò citaui, explicat, quòd & boni patiantur mala, tanquam mali fint, & mali, tanquam boni fint, adipifcantur bona. Paraphraftes Chaldæus adhuc apertiùs (*funt iufti quibus accidit malũ, ac fi illi facerent opera peccatorum: & funt peccatores, quibus contingit bonum, ac fi illi facerent opera iuftorum.*) Addit de fuo, tametfi fub perfona eiufdem Ecclefiaftis, caufam, cur id ita fieri finat, ac velit Deus (*& vidi in Spiritu fancto, quia malum quod accidit iuftis in feculo hoc, non eft propter peccata eorum, fed ad remouendum ex eis culpam leuem, vt fit merces integra eorum in feculo venturo: & bonum quod contingit peccatoribus, non eft meriti eorum, fed ad retribuendum eis mercedem meriti leuis, quod*

[a] Luc. 16. [b] 20. de ciu. Dei c. 2. & 3. [c] c. 20. de ciu. Dei c. 5.

fecerunt,

fecerunt, vt comedant mercedem suam in seculo hoc, & vt perdant partem suam in seculo venturo.) Bona ratio, & à nostris quoque Patribus tradita, potissimum ab Augustino [a], disputante de Romanorū temporali prosperitate, illamque comparante cum felicitate Sanctorū sempiterna. Quamquam in peccatore, maxime qui falsos colit Deos, meritum proprie locum non habet, ne id quidem quod vocant de congruo, quando opera secundùm se bona, vel fiunt sine gratia, vel vitiantur studio vanæ gloriæ, sicut de Romanorum loquitur operibus Augustinus [b]. Porrò iuxta sensum Chaldæi Paraphrastis congruunt exempla, quæ dixi afferri hîc ab Hieronymo, de diuite purpurato, déque Lazaro mendico [c], pro vt in commentario Lucæ Theophylactus declarat, dicens quòd prior accepit bona in vita sua pro mercede aliquorum bonorum operum; posterior mala pro pœna nonnullorum peccatorum. Quòd autem nihilominùs hanc Salomon appellat vanitatem, non facit secundùm sententiam hominis perfecti, vel Christiani; sed pro vt humana ratio prima facie diiudicat; cui nempe absurdum videtur hîc puniri iustum, scelestum præmiari.

a 5. de ciuit. c. 15. & 16.
b supra.
c Luc. 16. 19. & seqq.

Qui ita securi sunt.] Variauit Interpres phrasim, quæ non differt in aliis editionibus ab illa, quæ est in priore membro. *Secura mens quasi iuge conuiuium* [d]: Hebraice (*bonum cor*) id est, lætum, & virtute plenum, quæ virtus lætitiam parit, ac securitatem, & tranquillitatem, & est gloria magna habenti conscientiæ testimonium bonum [e]. Lege Gregorium [f]: Gulielmus [g] verò Parisiensis virtuti humilitatis septemplicem attribuit securitatem. Sed impiorum vana prorsus, & perniciosa securitas: & pij securitatem vitant, quæ negligentiæ mater solet esse, stantes semper in iustitia, & timore, & præparata anima ad tentationem [h], vt idem Gregorius [i] obseruat, monens, hostem, quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto ampliùs nos expugnare contendere, eos pulsare negligere, quos quieto iure possidere se sentit. Scribit etiam ad Gregoriam cubiculariam Augustæ [k], inutile esse velle scire, an sint nobis dimissa peccata, quia secura de peccatis suis fieri non deberet, nisi cùm iam in die vitæ suæ vltimo plangere eadem peccata minimè valeret; sic Paulum castigasse corpus, ac veritum ne reprobus efficeretur [l]; beatū esse qui semper sit pauidus [m]; seruiendum Domino in timore, & exultandum ei cum tremore [n], id est, ad exultationem, & securitatis gaudium per tremorem esse perueniendum. Augustinus hoc ipsum valdè commendat, maximè quando disserit de prædestinatione [o], Pauli illud exemplum proferens, ac docens, ad elationem vitandam necessarium esse prædestinationis secretum: ideo quoque nonnullorum lapsum iustorum permitti. [Vbi ergo securitas? inquit [p]. Hîc nusquam, in ista vita nusquam, nisi in sola spe promissorum Dei. Ibi autem, cùm illuc peruenerimus, perfecta securitas, cùm clauduntur portæ, & confirmantur vectes portarum Ierusalem: ibi verè plena iubilatio, & magnum gaudium. Postremò terror securitatem parturit, ait idem [q]; quomodo enim præpostera securitas in terrores impellit, ita ordinata sollicitudo securitatem parit.] Dum hîc agimus, castra metamur in Thaat, qui locus est mansionis vigesimæ tertiæ, significatque pauorem ac timorem virtutum custodem, cùm sit, vt notat Hieronymus [r], securitas ad lapsum facilis. Eiusdem de custodia

d Prouer. 15. 15.
e 2. Cor. 1. 12.
f 1. moral. c. 19. citat Ianfenius in c. 15. Prouer.
g lib. de mo. rib. c. 10. ante medium.
h Eccli. 2. 1.
i 34 moral. c. 12. vel 7.
k lib. 6. epist. 22.
l 1. Cor. 9. 27
m Prouer. 28. 14.
n Psal. 2. 11.
o de correp. & gra. c. 13.
p in Psal. 59.
q in Psal. 147.
r epist. 127. ad Fabiolam de mansionib. in 21.

A virginitatis epistolam [a] lege, in qua tractat idem argumentum diligenter, allato eodē Pauli exemplo, necnon Luciferi, & aliorum, atque suiipsius. Quis ergo sibi non modò hæreticus diuinam arrogat fidem de iustitia sua; sed Catholicus quoque fiduciam ac persuasionem, saltem humanam, quæ dubium penitus excludat? Hac de re disputatum alio loco.

a epist. 22.

Sed & hoc vanissimum iudico.] Alij (*dixi, quòd & hoc vanitas*) nimirum vt eueniant malis, ac bonis eadem, his quę illorum, illis quæ horum propria, ac conuenientia censentur. Bonauentura vim attendens superlatiui, vanum dicit, quando bonis, & malis proueniunt bona, quia indignum

B propter malos: vanius, quando bonis, & malis mala, quia iniustum propter bonos: vanissimum, quando bonis mala, & malis bona, quia iniustum pariter & indignum: ideo Abacuc [b] hoc adeò indignè tulisse, vt videretur Deum arguere, cùm diceret; *Quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?* Tales Iob, & Ieremiæ querimonias extitisse pridem notaui. Carthusianus Gregorium citat asserentem, quamuis mira sint iudicia Dei, dum iustis aduersa, & impiis prospera in mundo isto eueniunt, mirabiliora tamen esse, dum hîc iustis prospera, & reprobis aduersa contingunt. Thaumaturgus vanitatem explicat esse grauem, ac perniciosum errorem, vt nimi-

b c. 1. 13.

C rum habeatur pius impij loco, quíque impius est cēseatur pius. Eadē ratio est de variis casibus qui contingunt absque delectu bonis, & malis, hoc esse vanum, si quis inde offendatur, non recurrens animo ad minimè fallacem, falletémve prouidentiam Dei: esse item, vt repetit Symmachus, ἄπορον, *difficile cognitu*, ita vt quod de eadem re Dauid dixit, labor sit ante nos hoc discutere, vel scire velle, donec intremus in Sanctuarium Dei, & intelligamus in nouissimis eorum [c]. [Vbi Dauid, ait Nazianzenus [d], ob eos, qui rebus omnibus immeritò abundant, æstuauit, mœroréque confectus est, iam cogitationes suas ad alterius vitæ tribunalia, præmiáque vtrique vitæ recon-

c Psal. 72. 16. 17.
d epist. 66.

D dita mittit, sicque demum perturbati desinit, animíque molestiæ medetur.] Laudat ibi Gregorius Philagrium, cui cùm Psalmum laboranti septuagesimum secundum exponeret, atque vario argumentorum genere dolorem lenire studeret, is prorupit in voces, quibus Deo referebat gratias, quòd etiam inuitos, ac reluctantes afficeret huiusmodi beneficio, per externum hominem internum purgando, per contraria rationibus sibi cognitis ducendo. Tandem definit in epistola, lugendos potiùs nobis sceleratos homines ob internum morbum, quàm nos illis ob externum, & præstabiliorem esse sapientem morbum effrenata, & insolenti prosperitate. Quapropter vanus,

E imò vanissimus est quisquis ex his quæ accidunt in vita humana vel aduersa, vel prospera, iudiciū facit de vera felicitate, de meritis cuiusque. Hugo Cardinalis explicat quoque propriè de prosperitate improborum, quia nihil sit infelicius felicitate peccantium.

Vers. 15.] Laudaui igitur lætitiam, quòd non esset homini bonum sub Sole, nisi quòd comederet, & biberet atque gauderet: & hoc solum secum auferret de labore suo, in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub Sole.

Hinc

HInc ad finem vſque capitis continentur iã in præcedentibus poſitæ capitibus, expoſitæque ſententiæ, vt minus nobis propterea in iiſdem declarandis ſit immorandum: ſicut nec Salomon nonnullis videtur longiorem moram trahere voluiſſe confutanda tam abſona doctrina, quam ex ſtulti perſona hîc repetit, quoniam id executus pridem fuiſſet, & ſequenti etiam verſu breuiter facit. Sentit hoc modo Bonauentura, Lyranus, Titelmannus, Moringus, Caietanus, qui notat, iam quinquies vacillando hoc repetitum ab Eccleſiaſte à capite ſeptimo; addere potuit, pluries idem dictum prioribus aliis capitibus. Alij malunt, vt gloſſa interlinearis, in meliorem etiam iſta partem accipere, non tantùm de moderato rerum vſu, & ſuperfluæ fuga curæ, ſicut & dictis locis, atque de ſtudio veræ ſapientiæ: ſed præterea de lætitia bonæ conſcientiæ, de
Ioan.6.33. guſtu panis deſcendentis de cœlo [a], & vini quod
Pſal.103.15. Iudic.9.13. lætificat cor hominis [b], & ſpe futuræ beatitudinis. Fauet Chaldæus. Quidam præferri veſcendi, & bibendi voluptatem anguſtiis ſeculi, & his quæ fieri videntur iniquè in mundo. Ita quidem prima fronte, ſed potiùs de ſpirituali cibo, potúque cenſent intelligendum Hieronymus, Albinus, Hugo Cardinalis: Olympiodorus illud ex voluptuaria, hoc ex Eccleſiaſtis propria perſona: Thaumaturgus prius idem ex opinione, quam hic habuerit aliquando.

Laudaui igitur lætitiam.] Illatiua particula, pro qua editiones aliæ habent coniunctiuam (*&*) innuit narratas proximè calamitates in cauſa fuiſſe, cur id ſentiret, ac diceret, quod hîc ponitur. Chaldaicè (*& laudaui ego gaudium legis*) gloſſa interlinearis (*lætitiam bonæ conſcientiæ.*) Meliùs de lætitia ex perceptione bonorum externorum, quæ ſubduntur ſtatim: ſed iuxta modos quos recitauimus.

Et hoc ſolùm ſecum auferret de labore ſuo.] Hebraicè (יִלְוֶנּוּ וְהוּא *vehu iſluennu, & hoc adhærebit ei, accedet, adiungetur*) Græcè (καὶ αὐτὸ συμπροσέσται αὐτῷ, *& hoc ſimul aderit ei*, ſeu *comitabitur eum*) Symmachus (ὃ μόνον συμπροσέσται αὐτῷ, *quod ſolum*, &c.) vetus tranſlatio (*& ipſum egredietur cum eo de labore ſuo.*) Quaſi cætera excidant, nihil homini aliud adhæreſcat, nullam rem aliam poſſideat, & teneat, nullum alium fructum colligat & percipiat ex tot laboribus, & ærũnis, niſi partis frui, & oblectari. Chaldæus partem explicat, quam quis de cœlo acceperit, hoc eſt, per diuinũ beneficium, & bonis artibus, non rapinis, & violentia: ita vt poſt honeſtam fruitionem perducatur in pacem ad ſeculum venturum, accepturus perfectam mercedem pro labore præſentis temporis in integritate tranſacto.

Verſ.16.] Et appoſui cor meum vt ſcirem ſapientiam, & intelligerem diſtentionem quæ verſatur in terra: eſt homo, qui diebus & noctibus ſomnum non capit oculis.

QVi ſuperiora vt ex ſtulti perſona dicta ſumunt, nunc reſumi propriam volunt ab Eccleſiaſte ſapientis perſonam, eúmque tranſire à variis carnis voluptatibus ad ſtudium ſcientiæ, atque ſapientiæ, in quo tamen ſtudio multũ ſit in hac vita laboris, modicus fructus comparatione eorũ, quę neſciũtur ab hominibus, ſciriq; vix,

A ac ne vix quidem valent. Hac de re ſatis multa capite priore, & primo. Hebraicè, & Chaldaicè (*quemadmodum*, ſeu, *ſicut dedi cor meum*) vel præterea iuxta Hebræam vocem כַּאֲשֶׁר *chaaſcher, quando, quantum, quanto magis*, pro qua LXX. legerunt בַּאֲשֶׁר *baaſcher*, ἐν οἷς, *in quibus*, Symmachus διό, & eum ſequens vetus tranſlatio, *quapropter*, quam vim habet etiã poſterior vox Hebręa. Sẽſus idẽ; ſed ſimpliciùs explanatus in vulgata per cõiunctionẽ (*&.*)

Sapientiam.] Chaldaicè (*ſapientiam legis.*) Imò & rerum aliarum; quamuis illius maximè, ad quam aliæ debẽt referri. Videtur Thaumaturgus hanc ſapientiam, & cætera, quæ ſequũtur, interpretari de ſedulo, cõtinuóque ſtudio comparandi, captandíque voluptates: etſi tandem cognouerit Eccle-
B ſiaſtes labori tanto verum bonum nõ reſpondiſſe, nec reſpõdere potuiſſe. Tamen præſtat ſciũgere ſentẽtias, vt hoc loco, ac deinceps propriè ſermo ſit de ſciendi difficultate, non ſolùm rerum naturalium, vt ait Olympiodorus, cauſas, verùm etiam, idque præcipuè, diuinorum iudiciorum circa tam varios euentus, quos mortalibus euenire tum permittit, tum deſtinat Deus, vt docet Hieronymus.

Diſtentionẽ.] Gloſſa interlinearis, Lyranus, Hugo Cardinalis, & quidam libri manuſcripti legũt *diſtinctionẽ*, declarántque inter bonum, & malum, tribulationẽ iuſtorũ, & proſperitatem impiorum,
C quid cuique homini expediat, cur hoc ſe Deus modo cũ iſto gerat, hoc cũ alio ſeu in donis gratiæ, ſeu in muneribus naturæ. Alij codices habẽt *diſſenſionem* etiam in operibus Hieronymi ſecundùm varias editiones; & iſtam ſequens lectionem Moringus explicat de variis ſententiis, opinionibúſque ſapientium circa rerum cauſas. Magis tamen probat, vt legamus *diſtentionem*, quàm vel *diſſenſionem*, vel *diſtinctionem*: id enim valere Hebræũ nomen עִנְיָן *hhinian*, & Græcum περισπασμὸν, vel quo vſus eſt Symmachus ἀχολίας: atque Hieronymum in vetere tranſlatione vocabulo *occupationis* declaraſſe. Hæc ipſa vox vſurpatur capite primo [a] à vulgata, vbi ſunt eædem dictiones Hebraica, & Græca, ſicut ibidem notauimus. a vers.13.

Eſt homo, qui diebus & noctibus ſomnum non capit
D *oculis.*] Chaldæus intelligit de ſtudioſo, qui ſapiẽtiam labore veſtigat, qui nec quieſcat interdiu, nec ſomnum noctu capiat. Idẽ videtur Vatablo; ſed hæc includit parentheſi, vt de alio dicta; & Caietano: verùm is accipit perinde, ac ſi Salomon loquatur de ſeipſo. Studioſi enim circa ſpeculabilia vix (inquit) dormiũt; & intendit per hoc declarare, quòd vidit traditiones Philoſophorũ. Ariſtophanis, & Cleãthis lucerna propter inſignem ſtudij diligẽtiam prouerbiũ fecit, vt qui ſummo ſtudio, exquiſitáque cura quidpiam faciat, ad horum dicatur lucubraſſe lucernam. Indicat hoc de b 4.de lingua Latina.
E iſtis Varro [b], & de Cleanthe Iuuenalis [c]; c Satyra 5.

At te nocturnis iuuat impalleſcere chartis:
Cultor enim iuuenum purgatas inſerit aures
Fruge Cleanthea.———

Vocat item Venuſinam lucernam lucubrationem Horatij [d]; d Satyra 1.

Hac ego non credam Venuſina digna lucerna.

Celebratur quoq; Epicteti lucernula fictilis, quæ poſt illius mortem magno ære denariorũ trecẽtorum redempta eſt [e]. Iactatum & id olim de e Lucian.ad inerud. multos libros ementem.
Demoſthene, illius ἐνθυμήματα τὸν λύχνον ὀζεῖν, *enthymemata lucernam olere*, plúſque olei, quàm vini (erat enim abſtemius) conſumpſiſſe.

Oculis abeſto leniens animum ſopor.

Vbi quis rem aggreditur, quæ ſummam diligentiam curámque deſideret [a].
Ariſtoteles nocturnis lucubrationibus æneа pila vtebatur, cui, altera manu compreſſa, labrum ſubiiciebat, vt ſi longa vigilia obdormiſſet fatigatus, expergiſceretur ſtrepitu cadentis pilæ [b]. Cicero Lucium Murænam, quem accuſauerat Cato, defenſurus, totam noctem lucubrauit, vt Hortenſium, cuius placuerat oratio, ſuperaret; ac præ nimia iſta ſollicitudine, vigiliiſque valetudinem affecit [c]. Maximam ſollicitudinem Regis Perſarum Daniel [d] deſcribit ex eo quòd ſomnus receſſiſſet ab eo; & Antiochus ſuam, quòd receſſiſſet ab oculis ſuis, ita vt concidiſſet & corruiſſet corde præ ſollicitudine [e]. Eſt autẽ hyperbole, diebus noctibúſque ſomnum non capere, vt maxima quædam vigilantia denotetur: nec enim viui ſine ſomno poteſt, tametſi etiam ad ſanitatis commoditatem, vt Plato [f] ſcripſit, non multo ſit opus, ſi bene quis aſſueſcat. Somni ac vigiliarum exempla colligit theatrum vitæ humanæ [g]. Qua tamen in re, quæ Medicorum eſt propria, certum præſcribi tempus nequit, cùm varia cuiuſque corporis conſtitutio, ætas, victus quoque ratio, anni tempeſtas, & aliæ circumſtantiæ nunc longiorem ſomnum, nunc breuiorem exigant. Supra adoleſcentiam ſomnus horas citra ſeptem raró: ſeptem verò, aut paulo plures, vel nouem, ſæpe ſatis eſſe conſueſſe docet Alexander Petronius [h] noſtra memoria Romę Medicus celebratiſſimus.

a Ariſtopha. in Nebu.
b in vita.
c Plutarc. in Cicerone.
d c.6.18.
e 1.Mach.6.10.
f 3.de legib.
g volum.2. lib.5.
h 5.de victu Rom. & ſanita.tuen.c.14.

Verſ. 17.] Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt ſub Sole: & quanto plus laborauerit ad quęrendum, tanto minùs inueniat: etiamſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.

NOn egent hæc expoſitione, cùm ſint alibi ſuperiùs [i] ſatis declarata. De diuinis maximè iudiciis hæc intelliguntur, quæ ſunt potiùs cum humilitate tacenda, vt docet Gregorius [k]. Chaldæus cognominat Deũ terribilem, & opus eius opus fortitudinis. Interpres rectè ſecundo loco pro *opere*, quod editiones reliquæ habent, poſuit *rationem*: nam opus & opera cognoſcun- A tur, ignoratio eſt cur quodque fiat. Symmachus (*καὶ ἔμαθον, ὅτι πάντων τῶν ἔργων τοῦ Θεοῦ οὐ δύναται ὁ ἄνθρωπος ἐξευρεῖν οὐδὲ ἓν ἔργον πρασσόμενον, & didici, quòd de omnibus operibus Dei non poteſt homo inuenire ne vnum quidem opus, quod agitur.*) Opera potiſſimùm diuinæ prouidentiæ circa homines intelligit Eccleſiaſtes, vt ex antecedentibus colligitur: quamuis & de aliis quoque ſit verum, vt de ſubſtantiis rerum, de menſura cœli, terræ, maris, &c. de quibus Olympiodorus interpretatur. Thaumaturgus ait, velle Salomonem, qui ſua fruatur cupiditate, non poſſe in iis rebus, quibus inquinauit ſeſe, ne quamlibet quidem longo labore, verum bonum vnquam reperire. Caieta- B nus, quia nominantur opera ſub Sole, vult excipi facta in corporibus cœleſtibus, & in ſubſtantiis ſpiritualibus. Multo minùs iſta percipiuntur: ſed ratio cur aliorum propria mentio fiat, eſt, quam ipſe dixi, quoniam de rebus humanis eſt ſermo; ſicut etiam Hieronymus, Albinus, Hugo Cardinalis, Lyranus, & alij notauerunt.

Et quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniat.] Lege prorſus affinem priore capite [a] ſententiam. Sed & in Eccleſiaſtico [b] poſt recenſionem operum Dei naturalium, exaggeratur verbis multis imbecillitas ingenij noſtri. De ſa- C pientibus huius mundi ſcribit Apoſtolus [c], quòd *euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* [Si dicendo te eſſe ſapientem, ſtultus factus es, inquit Auguſtinus [d], dic te ſtultum, & ſapiens eris; dic non coram hominibus (videlicet ſolùm) ſed (præcipuè) coram Deo.] Hoc illud eſt, quod idem Paulus monet [e]; *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* Nam *ſtultus factus eſt omnis homo à ſcientia* [f], quam ſibi videlicet videtur habere: & *vani ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei* [g].

Etiamſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.] D Non tantùm id quod futurum eſt in fine dierum, vt anguſtiùs explicat Chaldæus; verũ etiam quodlibet aliud ex operibus diuinæ circa nos prouidẽtiæ. Cæterùm Iob queſtus de miſera ſuæ vitæ conditione, hoc demum concluſit Deum alloquens [h]; *Scio quia omne potes, & nulla te latet cogitatio. Quis eſt iſte, qui celat conſilium abſque ſcientia? Ideo inſipienter locutus ſum, & quæ vltra modum excederent ſcientiam meam.*

i c.1.& 7.
k 9.moral.c.7.vel 8.
a verſ.14.
b c.42.18 vſque ad finem capitis.
c Rom.1.21.22.
d ſerm.8.de verb.Dom.
e 1.Cor.3.18.
f Iere.10.14.
g Sap.13.1.
h c.42.3.

SVMMARIVM.

PERGIT Eccleſiaſtes in enumeratione variorum euentuum, qui ſine delectu bonis æquè maliſque contingunt: idcirco vacandum diligenter, dum vita ſuppetit, bonis operibus, quando quis nos maneat in iudicio diuino exitus, omnino neſcimus. Docet præterea ſapientiam quidem bellica fortitudine meliorem eſſe; tamen in paupere non æſtimari.

CAPVT IX.

1 OMnia hæc tractaui in corde meo, vt curioſè intelligerem. Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, vtrùm amore, an odio dignus ſit:

E 2 Sed omnia in futurum ſeruantur incerta, eo quòd vniuerſa æquè eueniant iuſto & impio, bono & malo, mundo, & immundo, immolanti victimas & ſacrificia contemnenti: ſicut bonus, ſic &

peccator:vt periurus, ita & ille qui verum deierat.

3 Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt: vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua,& post hæc ad inferos deducentur.

4 Nemo est qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam:melior est canis viuus leone mortuo.

5 Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltrà mercedem:quia obliuioni tradita est memoria eorum.

6 Amor quoque, & odium,& inuidiæ simul perierunt,nec habent partem in hoc seculo, & in opere quod sub sole geritur.

7 Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum:quia Deo placent opera tua.

8 Omni] tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.

9 Perfruere vita cũ vxore, quã diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ:hæc est enim pars in vita, & in labore tuo,quo laboras sub sole.

10 Quodcumque facere potest manus tua,instanter operare: quia nec opus, nec ratio,nec sapientia,nec scientia erunt apud inferos,quò tu properas.

11 Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum,nec sapientium panem,nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam; sed tempus,casúmque in omnibus.

12 Nescit homo finem suum:sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur,sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit

13 Hanc quoque sub sole vidi sapientiam,& probaui maximam.

14 Ciuitas parua, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, extruxítque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio.

15 Inuentúsque est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

16 Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine: quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?

17 Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos.

A 18 Melior est sapientia, quàm arma bellica:& qui in vno peccauerit,multa bona perdet.

Vers. 1.] Omnia hæc tractaui in corde meo, vt curiosè intelligerem:Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo vtrùm amore,an odio dignus sit.

B CODICES Hebræi, præterquàm Bibliorum regiorum, necnon Græci,& apud Olympiodorum, Latini quoque multi, & in vtraque translatione Hieronymus principium capitis hinc sumunt, quod & ita fieri debere censuère Sixtus V. & Clemens VIII. quorum prodiit auctoritate vulgata editio emendatior. Hoc Lyranus quoque monuit aptiùs Hebræo textui cohærere, & Bonauentura inchoat inde. Indicant particulæ אֲשֶׁר *ascher*,& ὅτι, quæ sensum nectunt. Sed nescio qua de causa Caietanus, qui tenax solet esse contextus Hebraici, in caput præcedens, non hunc duntaxat, sed sequentis etiam partem versus re- C tulerit vsque ad ea verba inclusiuè (*sed omnia in futurum seruantur incerta*) vbi profectò pendet adhuc sententia.

Tractaui in corde meo.]Hebraicè,& Græcè (*posui*, vel *dedi*) Symmachus,Hieronymo teste(*statui*) nimirum quod sequitur, curiosè intelligere, vel omnia quæ adhuc dixit de vicissitudine humanarum rerum, vel quæ mox de eadem subiunget. Nec refert *omnia* dicamus,an,vt est Græcè, *omne*.

Vt curiosè intelligerem.]Hebraicè (וְלָבוּר אֶת־כָּל־זֶה *velabur eth col zeh.*) Pagninus, & Varablus exponunt, & ad declarandum, seu clarè discernendum omne hoc:Caietanus, ad eligendum;id est, D vniuersum opus Dei sub Sole, & ignorantiam humanam dedi ad cor meum, reduxi ad intima mentis meæ, & ad eligendum ex omni hoc sententiam,quæ sequitur. Non bonam Doctor Hebræus Caietano electionem dedit, aut ipse non elegit bene:quamuis enim לָבוּר *labur* pro לִבְרוֹר, *libror*, vtramque significationem habere possit; non est adeò ad rem posterior significatio, quia non tam sententiam pronunciat Salomon, quam adhuc disputat. Idem valet Chaldæum לְמִבְלַשׁ *lemiblasch.* Septuaginta vertunt (καὶ καρδία μου σύμπαν εἶδε τοῦτο, *& cor meum omne vidit hoc.*)Symmachus Interprete Hieronymo sic vertit (*omnia hæc ita statui in corde meo, vt ventilarem vniuersa*) ipse Hieronymus in antiqua translatione(*omne hoc dedi* E *in corde meo,vt considerarẽ vniuersa.*)Nõ igitur quod (*curiosè*) reddit hîc Interpres, in vitio ponitur, vt arbitratur Bonauentura; sed accuratum studium denotat ex magna consideratione, & pertractatione,vt ideo sibi Salomõ credi velit,vt obseruat Hugo Cardinalis. Notio curiositatis plerumque mala;necnon etiam curæ non rarò, quasi cor edat, vrátve:attamen bene Latinè, curiosè quid agere,idem valet quod diligenter, sicut incuriosè,negligenter;& bellè curiosos se Cicero[a] Atticúmque nominat suum. [a lib.6 epist. epist.1.]

Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei;& tamẽ nescit homo vtrũ amore,an odio dignus sit.]

Hæc & sequentia demceps alia verba continent mirabilem penitúsque difficilem quæstionem, vel expressiorem iam in priore capite positæ quæstionis prosecutionem, quo pacto qui sapienter, iustè, & Dei voluntati consentaneè viuūt, nequeāt nihilominùs certò cognoscere, ipsíne Deo grati sint, & num propter illa opera sua saluandi, an nō; cùm signa externa vix appareant, quibus hoc Deus discrimen demonstret, quippe non magis iustis, quàm iniustis munera sua largiendo [a], sed iudicium reseruās in futurum [b]; ita vt nec Paulus, nihil sibi conscius, iustificatum se affirmare auderet [c], quin etiam vereretur reprobus effici [d]. Sed neque cuiquam fas est certam in hac ipsa vita perspicuámque notitiam habere de operū quę facit iustitia, sítne talia quę sibi diuinam gratiā, amicitiámque cōciliēr, ac demereātur. Quod potest videri argumentum à minori, comparatione eorum, quæ sūt dicta sub finem capitis præcedētis; vt si quis de se ipso nequit iudicium certum ferre, multo id minùs valeat de aliis. Possunt indicia quædā nobis ingerere spem de re vtraque bonam, quòd & nūc Deo grati simus, & nos electorum numero ipse habeat; neutrum absque reuelatione potest indubitatum esse: nec persuasio quoque moralis tanta per argumenta humana esse potest, vt omnem eximat dubietatem. Fortasse Paulus, quem superiùs de se dubitasse dixi, loquebatur humano more; quando verò se certum affirmauit, quòd nihil ipsum separare posset à charitate Christi [e], vt edoctus per diuinam reuelationem. Nisi dicas nec ibi de fidei certitudine loqui, sed de quadam persuasione spei, pro vt importat Græcū verbum πέπεισμαι: nec tam agere de seipso, quàm de quouis alio, cuius induat personam, & de charitatis vi, quæ tanta sit secūdùm se, vt nulla enim res abstrahere, ac separare possit à Deo, cuius in animo adhærescat: vel nō tam de charitatem infusam habente, seu de illa, qua nos Deum diligimus, quàm qua Deus electos diligit, quibus antea docuerat omnia cooperari in bonum, & si esset Deus pro illis, nullum esse posse, aut præualere contra ipsos, & nihil eos à salute consequenda retardare.

a Matt.5.45.
b 1.Cor.4.5.
c 1.Cor.4.4.
d 1.Cor.9.27.
e Rom.8.35.38.

Cæterùm præter amorem istum vel Dei tum aduersùs electos, tum erga eos, qui pro tempore præsenti iusti sunt; vel nostrum, quo ipsum nunc amamus, aut etiam in fine sumus amaturi, omisso amore generali, quo prosequitur Deus omnem creaturam vt valde bonam [f], nihílque odit corū quæ fecit [g], tertius posset sensus esse de odio, & amicitia hominis in hominem. Primus, & secundus est omnium ferè Interpretū: tertius Chaldæi Paraphrastis (*etiam amor, quo dilexeris eos aliquis, & etiam odium, quo eos prosecutus fueris, decretum est: omne in prouidentia decretum est, vt sit ante eos.*) Quartum innuit similem Thaumaturgus, visum Salomoni laborem haurire inanem falsa quadam, quā olim habebat, opinione, si quis sapiēs iustitiam studiosè coluisset, atque ab iniustitia recessisset, animíque dexteritate, & facilitate, omnium odium fugisset (quod quidem Deo gratum est) quasi videlicet, quandiu hanc aliorum gratiam conseruare posset, scire non posset, propter inconstantiam voluntatis humanæ. Olympiodorus quintum veluti ἀντίθετον sensum, & oppositum assignat, nescire hominem, an quem nunc maximè odit, mutatis vicibus amicum, & beneficum sit experturus, contráque an timendum sibi quandoque sit ab eo, quem nunc amore prosequitur.

f Gen.1.sæpe
1.Tim.4.4.
g Sap.11.25.

Sextus adhuc est Olympiodori, vocantis eum altiorem intellectum, qui sapit quæ hominis sunt, neque planè se Deo tradidit, nescire discreto iudicio, quæ dilectione sunt digna, & quæ odio: quoniam ardua virtus atque difficilis amore est digna; odio autem prosequenda voluptas, quæ de sensibilibus prouenit: qua in re facilè aberrat insipiens, bona sibi proponens quæ sunt vana. Septimus est similis quorundam Hebræorum, de quibus meminit Titelmannus. Vulgus hominum nescit disponere cor ad diligendum Deum, & quæ odio sunt digna, odiendum: sed omnia hæc sunt ante sapientes, & iustos, qui norunt diligere Deum, & odio habere mala. Sensum istum tradit Rabbi Salomon, qui Regem Salomonem vult loqui de homine tantùm carnali, & peccatore; placuítque Ambrosio Catharino [a]. Octauus eiusdem Catharini, quòd homo, vt homo, non habet cognitionem de sua gratia, sed vt est filius Dei. Fauet Vatablus. Nonus, de quo Isidorus Clarius, id quo diligit homo, & execratur, in manu Dei est (postea hoc sequitur) qui vel illud tribuat, vel auertat, & homo ipse sensu id percipere nequit.

a in assertionibus, & in apologia cōtra Dominicum à Soto.

Hanc varietatem sensuum gignunt in secundo membro Hebræa, & Græca. Hebræa sic habēt (*etiam amorem, & odium non* (est) *sciens homo, omnia ad facies eorum*) id est, ante eos. Græca eodem modo, nisi quòd aliò referunt vltima verba (*καί γε ἀγάπην, καί γε μῖσος οὐκ ἔστιν εἰδὼς ὁ ἄνθρωπος*) Symmachus (*πρός τε γὰρ οὐ φιλίαν, οὐδὲ ἔχθραν ἐπίσταται ὁ ἄνθρωπος, & insuper neque amicitias, neque inimicitias scit homo.*) Interpres noster passiuè amorem sumpsit, quo quis ametur ab alio; & quod Hebraicè est (*omne*, vel *omnia ante faciem*, vel *in facie eorum est*) expositum esse oculis, & cognitioni expositum effectum, sed ignorari causam, & adhuc esse ante eos, id est, expectari scientiam, & longè esse ab ipsis, vtrum talem experiantur effectum, quia sint odio digni, vel amore. Id autem Hieronymus, & alij passim, exceptis quos dixi, de diuino accipiunt: & quidem melius ij qui pariter passiuè de eo, quo nos amamur à Deo, vel tanquam electi, vel secundùm præsentem iustitiam, quàm quo nos Deum amamus: habet enim vulgata, quòd nescit homo, vtrùm amore, an odio dignus sit. Quia tamen amor Dei pro tempore præsenti, non est inefficax, & Deus diligentes se diligit [b]; rectè sequitur charitatem esse in illo, quem Deus amat, donúmque gratiæ, per quod est gratus ipsi. Hæc auctoritas, ait Hugo Cardinalis, solet induci ad ostendendum quòd nemo scit se habere charitatem. Tamē explicat tum ipse, tum Carthusianus de amore finali, & odio, hoc est, de prædestinatione, ac reprobatione. Nam licèt, inquit Carthusianus, nemo certò scire possit, an habeat dona gratiæ, quia actus naturales habent magnam similitudinem cum supernaturalibus, tamen optimè quis cognoscit vtrùm versetur in statu peccati mortalis, ac proinde sítne dignus odio Dei.

b Prou.8.17.

Consentit in eandem expositionem auctor libri de spiritu & anima [c], & Bernardus [d]. Rationem Carthusiani non probo, quia, vt initio docui cum Hieronymo, quem passim sequuntur alij, agit Salomon de iustis, & sapientibus tantùm, qui non possint certò cognoscere vtrùm diligantur à Deo, quoniam beneficia Dei non minùs conueniunt impiis; eiusmodi autem cognitionem Deus reseruat

c apud Aug. tom.3.c.19.
d serm.1 de Septuage & ser.2.in Octaua Paschæ, & 5. de dedicat. Eccles.

in

in futurum, & post hanc vitam, ita vt non solùm ratione præsentium euentuum illam modò non habeamus, verùm simpliciter, & absolute. Igitur hic locus potissimùm de statu præsenti intelligendus est, quo cum etiam modo B. Thomas [a] intellexit, & non tantùm de prædestinatione, ac reprobatione, vt ei tribuit Marcus [b] de la Camara (quem tamen quoque sensum recipimus, traditum etiam ab eodem S. Thoma [c]) & quodam loco idẽ Bernard. agnoscit [d]. Bonauẽt. in commentario huius loci negat intelligi de prædestinatione, & reprobatione, quoniam nullus dignus est, nec meretur prædestinari. Sed aliquãdo dignum esse, est, felicem sortem consecutum esse, & dignatum esse, vt ita dicam, aliquo beneficiò ab alio. Non placet etiam quod ait, quicquid sit, an sciat iustus se habere fidei habitum, & charitatis, non tamen vtrùm Deus amet ipsum, & oderit malos, cũ tot, & tanta bona faciat malis, sicut & bonis. Nam licèt hinc id sciri non posset, posset ex præsentia dictorum habituum, saltem charitatis, quæ non est nisi in eo, quem amat Deus secundùm præsentem iustitiam. Si autem recurrat Bonauentura ad amorem prædestinationis, qui meritò præcipuus ac summus amor dici potest, quo nos prosequitur Deus, non debet illum refutare, sicut fecit.

a 1.2.q.112. art.5. & alibi sæpe.
b quæstionario cõciliat. scripe. q.103.
c Rom.8. in fine
d serm.5. de omnibus Sanctis.

Extat decretum Concilij Tridentini [e] contra præsumentes certitudinem propriæ prædestinationis, ac perseuerantiæ: præterea contra certò credentes sine vlla hæsitatione, peccata sibi esse remissa, & se iustos esse [f]. De his disputandi non est hîc locus; neque de signis, quibus probabiliter induci possimus ad nobis persuadendum pia fiducia, nos & gratiam habere, & ad electorum numerum pertinere. Id monendum reor, quod B. Thomas [g] docet, hanc propositionem non esse simpliciter concedendam; Deus magis diligit peccatorem prædestinatum, quàm iustum præscitum, quia pensanda est bonitas eius, qui amatur à Deo, secundùm illud tempus, quo dandum est ei ex bonitate diuina aliquod bonum: itaque secundùm illud tempus, quo prædestinato peccatori dandũ est ex diuina voluntate maius bonum, illum esse meliorem, licèt secundùm aliquod aliud tempus sit peior. Sed nec omittendum, hæreticos assertores errorum, quos damnatos à Tridentino Concilio dixi, causari præsentem locum corruptum, vt inde probetur dubitatio fidei de remissione peccatorum. Sic euadere conatur Caluinus [h], Bucerus [i], Kẽmitius [k], quos refellit Card. Bellar. [l] ex Hebraico namque, sicut etiam vidimus, reddi ad verbum (*& amorem, & odium nesciens homo, omnia ante eos.*) Profectò deprauatores erunt Hieronymus, cuius est vulgata editio, & quotquot sunt eam postea secuti, eritque non recens, sed antiquissimum dogma Catholicum, quod oppugnant, & hinc stabiliri concedunt. Vbi sunt in sacris literis diuina præcepta, quibus hoc iubeamur credere, nos iustos, nos esse prædestinatos? vbi testimonia, nos assequi posse cognitionem istam? Nónne hæreticus esset quicumque, præsertim sciens, peccaret mortaliter? nam se iustum esse credere tunc non potest, vel habere fidem. Denique confert ad humilitatem, & cautionem, atque sollicitudinem bene viuendi hæc ignoratio de propria gratia, atque prædestinatione; ac nonnisi paucis per reuelationem harum communicata rerum notitia est ex singulari priuilegio, vt Antonio [m], Gallæ [n], Fran-

e sess.6.c.12. & can.15. & 16.
f ibid.c.9. & can.13.
g 1.p.q.20. a.4. ad 5.
h in antidot. Concilij Trid. sess.6. 3. Instit. c.2. à 5. 16. & c.1. § 28.
i lib. cõcord. art de iustific.
k in exam. Concil. Trid. sess.6.
l 3. de iustific. à c.4. & 2. de verb. Dei. c.12.
m Athanas. in vita.
n Gregor. 4. dial. c.13.

cisco [a], &c. cùm alij, etiam sanctissimi, trepidasse legantur in morte, vt Hilarion, teste Hieronymo [b], & de quibus refert Climacus. Dignus qui hac de re tota legatur pius iuxta & doctus, atque antiquus auctor, qui pro sua modestia nomen propriũ tacens, Idiota dici voluit [c]. Distinctè admodum, & more scholastico, ante vsum Theologiæ scholasticum, tractat præsentem locum, & omnẽ dirimit controuersiam, docétque propter gratiæ incertitudinem quanti referat mortem timere, & ad eam sese comparare.

a Bonau. in vita c.5.
b in vita.
c lib. de con templ. qui est de morte c.11.

Opera eorum.] Hebraicè (עֲבָדֵיהֶם, *hhabadehem*) Pagninus (*seruitia eorum*) Vatablus (*eorum serui*) Chaldæus (*discipuli eorũ, qui subditi sunt eis.*) Vt sit sensus, quòd iusti, & sapientes, illorũmq; sectatores sunt in manu Dei. Sed pũcta nominis Hebræi fauent nostræ versioni: si autẽ *seruos*, seu *discipulos* significaret à עֶבֶד *hhebed*, dicẽdum foret עַבְדֵיהֶם *hhabdedem*, vt idem Pagninus docet in thesauro. αἱ ἐργασίαι designant operationes præsertim elaboratas, vel artificiales: generaliter tamen etiam quascũque, vt apud Lucã [d]; δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, & apud Paulũ [e]; εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ: quãuis & prior vsurpet pro quæstu [f]; nec memini pro seruitiis, & seruis, vt ea vox Latina cum ista confunditur, τὰς ἐργασίας dictas, sed τοὺς ἐργάτας.

d c.12.58.
e Eph.4.19.
f Act.16.16. c.19.24.25.

In manu Dei.] Explicat Hugo Cardinalis esse Deo accepta opera: Carthus. oblata, & commissa Deo, vt creatori ac iudici: Chald. quid futurum sit iustis, atq; discipulis illorum in diebus eorũ; alij de protectione diuina. Valet hæc postrema duo illud, esse in manu Dei; sic enim & in manu eius animæ iustorũ [g]; & sortes ac tẽpora nostra sunt [h]; & ad plenitudinem potestatis denotãdam, & arbitrij, & scientiæ, omnes fines terræ [i]. Alio sensu animã quis habere in manibus suis dicitur [k], vel portare [l], vel ponere [m], hoc est, vt Hieronymus [n], pòstque illũ, præter alios, de nostris Pineda [o], & Roa [p] (qui profanis rẽ exemplis illustrat) explicat, periclitari, ac expositum esse, perinde vt si in superficie manuũ vita ipsa sit, vt ait Chaldæus [q]. Eam phrasim se fatetur August. ignorare, declarãs Psalmum 118. legitque, *anima mea in manibus tuis*, quemadmodũ & Hilarius, Cassiodorus, Theodoretus, Psalteriũ Vaticanum, & Ambrosianũ, & alij: eámque lectionẽ præferre Ambrosius videtur. In libro Sapientiæ [r] scribitur, quòd *in manu Dei & nos, & sermones nostri sunt & omnis sapientia, & operũ scientia, & disciplina*; & in Prouerbiis [s], quòd Regis cor. Probat autem ex præsenti loco Ambros. [t] vel Prosper, quòd Deus est auctor omniũ virtutum, & omnis boni: & prior in epistola ad Demetriadẽ. Multa reperias in hieroglyphicis Pierij [u] de manu, quibus præsertĩ illustres locũ, & intelligas hac dicẽdi forma diuinã intelligi & auctoritatẽ, & potestatẽ. Illa nostræ gemina Cæcilij Poëtæ sententia est: [Deũ quis nõ summũ putet, cui in manu sit quẽ esse dementẽ velit, quem sapere, quẽ insanire, quẽ in morbũ iniici, quẽ cõtrà amari, quẽ auersari, quem expeti?] Facit vtcũque prætereà ad rem aruspicum præsagium, peruenturam aliquando rerum potestatem ad Vespasianum, quòd eo prandente humana manus triclinio illata fuisset, & subter mensam subiecta.

g Sap.3.1.
h Ps.30.16.
i Ps.94.4.
k Ps.118.109.
l Iob.13.14.
m Iudic.12.3. 1. Reg.19.5. c.28. 21.
n epist. ad Cyprianum.
o in Iob supr.
p lib.1. singula c.18.
q in Ps.118. 109.
r c.7.16.
s c.21.1.
t 1. de vocat. Gentium. c.9.
u lib.35.

Amore, an odio.] Quatenus intelligũtur de Deo, non necessarium duco monere, humano more has de illo affectiones, aliásque similes pronunciari. Est id nulli non exploratum Catholicorum. Adnotarunt id olim Patres aduersùs vel

Gentiles, vel hac in parte male sentientes hæreticos, vt nondum, vt videtur, hæreticus Nouatianus sub Fabiano Papa libro de Trinitate [a]. Dixi antea, nihil odisse Deum eorum quæ fecit, & sunt [b]: at odio illi est impius, & impietas eius [c], & *odio habet peccatores* [d]; hos enim vt tales non fecit, nec peccatum aliquid physicum ac reale est.

a c.5 inter opera Tertulliani edita a Pamelio. b Sap. 11. 25. c Sap. 14. 9. d Eccli. 12. 3.

Vers. 2.] Sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quòd vniuersa æquè eueniant iusto, & impio, bono, & malo, mundo, & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator, vt periurus, ita & ille, qui verum deierat.

SEntentia versus satis exposita est. Græci vltima prioris verba ex textu Hebraico (*omnia ante faciem eorum*, הַכֹּל לִפְנֵיהֶם *hachol liphnehem*) iungunt, nouo facto principio, cum eo verbo, quod est in versu isto: sed aliter legerunt, quàm nunc extet, nempe sine punctis, quorum inuentio recentior, & pro litera כ *caph*, literam ב *beth*, quæ modico flexu differt: idcóque non הַכֹּל *hachol*, sed הֶבֶל *habel*, quod est vanitatis nomen toties inculcatum hoc libro (τὰ πάντα πρὸ προσώπου αὐτῶν ματαιότης ἐν τοῖς πᾶσιν, *omnia ante faciem eorum vanitas in omnibus*:) vbi etiam tres postremæ dictiones respondent his Hebræis כַּאֲשֶׁר לַכֹּל *chaascher lachol*, legendo pariter ב *beth* pro כ *caph*. Hieronymus recitat ex Symmacho (*& insuper neque amicitias, neque inimicitias scit homo, sed omnia coram eis incerta.*) Illum ipse in vulgata imitatus est, ac sensum optimè reddidit, qui spectata phrasi Hebræa sic quoq; posset assignari, הַכֹּל כַּאֲשֶׁר לַכֹּל *hachol chaascher lachol, omne sicut omni, quodlibet cuilibet*, nimirum contingit, quod magis exprimunt verba sequentia.

Eo quòd vniuersa æquè eueniant iusto, & impio.] Alij (*vnius occursus*, vel *euentus*, מִקְרֶה *mikreh*, συνάντημα) de quibus dudum priùs actum est [e]. Chaldæus hæc & priora sic extulit (*omne ex prouidentia pendet, atque ex cœlo decretum est quod futurum est, vt fiat omnibus euentus vnus innocenti, & peccatori*, &c.) Thaumaturgus vltimum exponit finem, & hunc aliquando existimatum à Salomone, iusto, & impio eundem esse. B. Thomas [f] hinc argumentatur, bona temporalia per se sub meritum non cadere, verùm vt conferunt ad beatitudinem. Iustum, & impium à fide, ac infidelitate denominari censet Bonauentura: Lyranus, quantum ad ea, quæ fiunt erga proximum modo contrario: Carthusianus, propter quaslibet virtutes infusas, & vitia contraria. Difficile est sex nominum, quæ hic sunt, combinationes exactè distinguere; viderique possunt vel omnia, vel plura synonyma. Propriè ἀσεβὴς, *impius* Deum respicit, cuius cultus fundamentum est fides: Extenduntur hæ tamen voces ad peccata alia: sicut & δίκαιος, *iustus*, צַדִּיק *tsadic* magis quidem per se habitudinem includunt ad alium, quàm ad Deum, cum quo nobis non est adeò perfecta ratio iustitiæ. Idem iudicium de opposita dictione Hebraica רָשָׁע *raschahh*, vt alibi notauimus, & de Chaldæa vtraque.

e c.2.14. f 1.2.q.114.a.10. in corpore, & ad 4.

Bono, & malo.] Quantum ad dilectionis puritatem, inquit Bonauentura: Lyranus, vitium, & virtutem: Carthusianus, virtutes morales, & priuationes earum. Hebraicè notat Caietanus deesse coniugationis huius posterius membrum oppositum, fortasse quia non intendit auctor de viro bono bonitate ipsi inhærente loqui; sed de bono bonitate extrinseca ex parte Dei, quæ bonitas ex parte Dei caret contrario; scilicet significans diuinam electionem. Sed Græcos Interpretes, ac nostrum præcipuè sequendo, qui partem alteram expresserunt, non est quæstioni locus. Chaldæus bonum iungens mundo, sicque declarans (*ei, cuius via recta sunt, & purificanti animam suam*) opponit immundo (*& polluenti animam*) Vatablus vertit (*bono, puróque.*)

Mundo, & immundo.] Iam dixi, prioris coniugationis duo membra Græcè, ac Latinè esse; Hebraicè, & Chaldaicè secundum desiderari: primum primo præsentis copulari. Coniugationem verò pergit Bonauentura distinctè interpretari de honesta exteriore conuersatione. Non discrepat hic Lyranus: Carthusianus fidei, atque sapientiæ munditiam, immunditiam intelligit hæresis, perfidiæ, errorum. Voces Hebrææ טָהוֹר *tahor*, & טָמֵא *tame* denotant nitorem pulchritudinis, & exterius apparentem maculam, soléntque de legali munditia, & immunditia passim vsurpari. Vtrasque sordes, animi, & corporis, necnon duplicem eorum nitorem Iob comprehendit verbis illis [a]; *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* maximè verò intendit de spiritualibus.

a c.14.4.

Immolanti victimas, & sacrificia contemnenti.] Quoad cultus religiositatem, inquit Bonauentura: Lyranus, deuotionem, & indeuotionem. Hebraicè, Græcè, Chaldaicè non est verbum *contemnendi*, sed sola negatio, (*& non immolanti*, siue *non sacrificanti*) vt habet vetus trãslatio. Contemnere non semper significat vilipendere, vel ex animi proposito, & quod dici solet, ex contemptu peccare; sed simpliciter negligere, atque omittere. Sic arbitror sumi apud Matthæum [b], & Lucam [c]; *aut vnum sustinebit*, seu *vni adhærebit, & alterũ contemnet*: & Samuelis liberam & confidentem orationẽ [d]; *Si de manu cuiusquam munus accepi, contemnam illud hodie, restituámque vobis*: vt contemnere sit, quemadmodum explicant Lyranus, & Abulensis, non curare, non retinere, statim dimittere. Constat apud M. Tullium [e], & alios grauius quid esse despicere, quàm contemnere.

b c.6.24. c c.16.13. d 1.Reg.12.3. e Verri.5. & in Catone.

Sicut bonus, sic & peccator.] Quantum ad mandatorum obseruationem, & transgressionem, ait Bonauentura: Lyranus, bonitatem, & malitiam operis generaliter. Repetitio eiusdem vocis, *boni*, ἀγαθῷ, טוֹב *tob*, indicat quod antè dixi, non adeò exactam distinctionem quærendam in istis. Phrasis autem Scripturæ notanda (*sicut bonus, sic & peccator*) quæ repetitur statim (*vt periurus, ita qui verum deierat.*) Sensus est, quod vni euenit, & alteri contingere, rationem vtriusque eandem esse. Similis dicendi formula in Osea [f]; *& erit sicut populus sic Sacerdos*, id est, pari supplicio afficientur, vt exponit Hieronymus, atque Theodoretus: vel æquè vnus ac alter peccabit, vt Theophylactus, & Gregorius [g]: vel punientur omnes absque personarum acceptione, quamuis quilibet pro meritis, vt Arias Montanus, & alij.

f c.4.9. g 3.p. Pastor. c.7. & hom. 17 in Euangelia.

Vt periurus, ita qui verum deierat.] Quod ad veritatis locutionem attinet, ait Bonauentura: Lyranus, quantum ad id quod respicit peccatum, & meritũ oris specialiter in vero, & falso iuramẽto.

Vterque & Hugo Cardinalis, & Carthusianus notant *deierare* hic sumi pro valdè magnâque asseueratione iurare, sicut & in historia Regū [a], quando dicitur, quòd *addidit Ionathas deierare David*. Ibi deierare est asserere, & promittere cum contestatione. Hebraicè, & Græcè (*sicut iurans, sic qui iuramentum timet*.) Quid timidè iurat, non peierat vt plurimùm, sed verum pronūciat, qui simpliciter a iuramento non abhorret, persæpe falsum confirmat. Idcirco in vulgata translatione Hieronymus sensum aptiùs expressit. Nam iuramentum non omne prohibitū est, quod quoquo pacto insinuat hîc Olympiodorus, iubēs nos animaduertere positum iurantem inter peccatores.

a 1 Reg. 20. 17.

B Non opus est probare legis antiquæ testimoniis, aut exemplis licitum, ac religiosum esse iuramentum: qui namque nunc id in totum vetant, agunt de noua lege, propter conditorem eius Christum cauentem [b] non iurare omnino. Sunt in hoc errore hodie Anabaptistæ, contra quos Coclæus: & fuit Erasmus in Matthæum, saltem de secularibus negotiis: fuerunt etiam vno & altero abhinc seculo Vvicleffistæ damnati sessione octaua Constantiensis Concilij: sed & antiquiores Albanenses, teste Prateolo, & ætate Bernardi [c] nominati Apostolici, & sub idem tempus Cathari, quibus antiquiores Catharistæ idem senserunt: ac deinde Pauperes de Lugduno, quos refert Guido Carmelita [d], qui & de Bagnolensibus; & Fratricelli apud Turrecrematam [e]: præterea quidam Syracusani, de quibus Hilarius Augustino scribit, & hic illi [f]. Nec abfuit inde procul Origenes [g]. Exempla si requiris in nouo Testamento, sunt Angeli [h], & Pauli [i], imò & Christi, quoties vsurpauit amen, vt placet Hieronymo [k], Chrysostomo [l], Oecumenio [m]. Prohibuit Christus vanum, licèt verum, iuramentum, tam per creaturas, quàm per Deum, sicut & Christi exemplo Iacobus [n], *ne*, inquit, *sub iudicio decidatis*, id est, ne peierando peccetis, & damnemini. Lege Augustinum [o], & Innocentium III. [p] vt alios omittam tum Patres, tum Doctores. Paulus [q] hoc pacto controuersias terminari docet, qui sanè finis D honestus est. Ipse denique iurandi actus procedēs ex opinione de diuinę veritatis ac veracitatis infallibilitate religiosus est; non ἀδιάφορος, ac indifferens, ita vt, quod Vvitembergenses, atque Lipsenses Theologi docuerunt in suo Interim, qui & Adiaphoristæ nominantur, nihil intersit iures, an non iures, iuramentum serues, an non serues; neutrobique enim peccatum esse.

b Matt. 5. 34.
c serm. 66. in Cantica.
d de hæres.
e 4. sum. de Eccle. p. 2. c. 37.
f apud August. epist. 88. & 89. 95.
g tract. 15 in Matthæum.
h Apoc. 10. 6.
i Rom. 1. 9. 2. Cor. 1. 23. Philip. 1. 8. 1. Thes. 2. 5. 10.
k in c. 16. Ezech.
l hom. 11 in Epist. ad Hebr.
m in c. 3. Epist. ad Hebr.
n c. 5. 12.
o supra, & 19. cont. Faustū. c. 23. & serm. 28. de verb. Apostoli, & de mendacio c. 15.
p c. & si Christus. de iureiur. in.
q Hebr. 6. 16.

Vers. 3.] Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub Sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt: vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.

REpetitio est sententiæ præcedentis, vt exponit Hieronymus, quòd cùm omnia æqualiter eueniant vniuersis, & nulla sit in bonis sustinendis malisve discretio: vel æquali de hoc seculo subtrahamur euentu, nihilominùs erroribus, & procacitate, & malitia repleamur, aut ad peccata prouocemur, nec sic interitum, mortémque deuitemus.

Quæ sub Sole fiunt.] Sæpiùs occurrit hoc libro A phrasis ista. Eam explicat Ambrosius [a] vsurpari fere, cùm agitur de malis, & incommodis præsentis mundi, ac vitæ: nam supra Solem esse pacem Angelorum, atque sanctitatem cœlestium potestatum: sub Sole esse iniquitatem, quia malitiæ diabolus præsidet; virtutibus Christus.

a in Ps. 37.

Pessimum.] *Malum* positiuè reliquis in editionibus, vt & capite primo [b]. Loqui nunc sub insipiētis persona sentit Olympiodorus, Thaumaturgus, aliique; quoniam post istius curriculum vitę redditur cuique pro dignitate. Potuit id etiam dixisse Salomon ex propria sententia, quatenus inter homines occasio malorum est par bonis, ac malis rerum euentus, vt explicant Titelmannus, Moringus, Hugo Cardinalis, Carthusianus, Bonauentura, necnon Hieronymus in altera duarū expositionum, quas initio retulimus hoc versu. Sed Clarius pessimum intelligit molestissimum: quod æquè bonis, ac malis hominibus accidit, quamuis illis absque peccato, istis vsque ad insaniam; quod valet vox Hebræa, pro qua hîc est *contemptus*, vt dicemus. Etsi verò peius videtur quando malis eueniunt bona, mala bonis, quia id indignum, hoc indebitum; tamen quòd eadem vtrisque, facit vt minùs discerni boni à malis possint, quæ plurium peccatorum occasio est, inquit Bonauentura.

b vers. 13.

C *Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua.*] Hic est effectus iam dictæ sententiæ (*& etiam cor filiorum hominum*, ait Chaldæus, *repletum est malo propter hoc*) quam vel vt alienam, vel vt aliquādo propriam (quod Thaumaturgus perspicuè vult) redarguit & retractat. Posset cum Clario malitia intelligi de molestia, quam improbi, quos ait Bonauentura dici hoc loco filios hominum (quod tamen haud esse perpetuum sæpe monui) sentiunt vsque ad insaniam.

Et contemptu in vita sua.] Hebraicè (וְהוֹלֵלוֹת *veholeloth*, *& insania in corde eorum*) vt Pagninus vertit (*vesania perdurans in corde eorum*) vt Vatablus. Græcè est περιφέρεια, *circumferentia*. Hebraicam vocem declaraui capite primo [c], vbi & de Græcis περιφορά, & περιφορά: cum posteriore conuenit περιφέρεια. Significant verò hallucinationem, vitam errabundam, errationem, ac turbationem mentis, ob externas cogitationes, curásque, vt cùm Budæo docui. Vetus translatio ponit *errores*, vt & dicto capite; necnon vulgatá; & quemadmodùm ibi loco τῶν παραβολῶν Aquila πλάνας, ita hîc reddidit. Sed Symmachus nunc, teste Hieronymo (qui laudare sequíque ipsum solet) dictionem τῆς αὐθαδείας, quam, recitans Symmachum, *procacitatem* Hieronymus interpretatur. Vtitur eodem nomine Latino Clarius in sua versione. Caietanus priorem malitiam refert ad voluntatem, pro E contemptu tricas in intellectu statuit. Dicebam eodem capite primo Hebraicum vocabulū significare quoque vanas gloriationes, & iactationes. Hæ sunt hominum ad insaniam stultorum [d], *qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*, & excusant excusationes in peccatis [e], & procaciter malum operantur, & cum contemptu, quem doctissimus Interpres meritò expressit. Et quidem sermo est de peccatoribus illis, qui de diuina prouidentia conqueruntur, ideóque licenter peccant, nihil veriti, atque cùm in profundum hoc peccatorum venerint [f], contemnunt Deum, atque superiores alios, non æquales dūtaxat, vel inferiores, & confracto iugo, ruptísque vinculis

c vers. 17.
d Prou. 2. 14.
e Ps. 140. 4.
f Prou. 18. 3.

a Ierem.2. 20.& 5. dicunt, non seruiemus [a], & sicut vacca lasciuiens
b Osee 4. declinauerunt [b], *desperantes*, siue (vt è Græco re-
ctiùs legendum putat Hieronymus) *indolentes, tradiderunt semetipsos impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam* [c].
c Ephes 4. 19. Quod autem dicit (*in vita sua*) & de hac mortali vita intelligit peccatorum, significat alterius præsentem vitę beatæ fructum ipsis communicandum: sed & pręsentis fructu solos potiri, cùm ferè cæteris commodi non sint, sed potiùs noxij.

Et post hæc ad inferos deducentur.] Hebraicè (וְאַחֲרָיו אֶל־הַמֵּתִים *veacharau el hammethim*) Pagninus, ac vetus translatio (*& post hoc ad mortuos*) Vatablus (*vt postea descendant ad mortuos*) Caietanus (*& postea ipse ad mortuos.*) Clarius mutat solùm præsens tempus pro futuro (καὶ ὀπίσω αὐτῶν πρὸς τοὺς νεκρούς, *& post eos ad mortuos*) nempe τὰ ὀπίσω αὐτῶν, *quæ sunt post eos*, id est, postrema ac nouissima eorum, videlicet aut tam bonorum, quàm malorum, aut potiùs, fortasse, istorum, quorum implentur corda malitia, & contemptu, dum viuunt, quasi nunquã morituri, nouissima, inquam, supremúsque finis, quò tendunt, & euadũt, est ad mortuos, vt & ipsi moriantur, atque ad mortuos proficiscantur: qui quoniam, cùm scriberet Salomon, adhuc versabantur in inferis, Interpres aptissimè vertit (*ad inferos.*) Nec refert quòd Latinè, & Græcè ponatur numerus pluralis in pronomine αὐτῶν, & verbo *deducentur*, cùm אַחֲרָיו *acharau* sit numeri singularis (*post ipsum*) id est, quæ post ipsũ, quod minùs rectè Caietanus (*& postea ipse*) siquidẽ magis clarè distributiuè declaratũ est, quod dicitur collectiuè. Symmachus (τὰ τελευταῖα εἰς νεκρούς.) Suppleuit Interpres verbum *deducentur*, quod pariter in similibus orationibus debet suppleri, vel aliud simile, vt in trito prouerbio, ἐς κόρακας, *ad coruos*, quod quidam exprimunt verbo βάλλε, aut ἔρρε. Vatablus rursum exponit, & qui post ipsum, nempe cor malitia plenum, id est, qui sequitur illud, ac inclinationem animi sui corrupti, tandem moritur morte æterna. Consentit Clarius, & fauet Chaldæus Interpres (*& post dies hominis, seruatur ei, vt corripiatur cum mortuis, iuxta iudicium peccatoris.*)

Vers. 4.] Nemo est qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam: melior est canis viuus leone mortuo.

Pagninus ex Hebræo (*quoniam quisquis eligatur, vel cuicumque electio est, ad omnes, vel inter omnes viuentes, est spes*) Vatablus (*qui enim sociatur quomodocumque viuentibus, ei spes est reliqua*) vel (*num est qui associetur* (mortuo?) *in omnibus viuis est spes*) vel (*quis est ex viuis, qui adiungat se socium mortuis, cùm in mortuis nulla sit spes, de omnibus autem viuentibus sit aliqua spes? quis est, inquam, qui ex viuis deligat sibi pro socio vnum ex mortuis, cuius admonitione resipiscere possit?*) Caietanus (*quia cuius, quòd affigetur ad omnes viuos, est spes?*) id est, nullius est spes, nemo sperat, quòd affixus erit ad viuos omnes; qui coæuus erit viuentibus omnibus, qui euadet mortem, abibunt omnes ad mortuos. Hoc est quod
d 2.Reg.12. 23. dicebat Dauid de filio mortuo [d]: *Numquid potero reuocare eum ampliùs? ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me.* Hoc etiam quod de ge-
e Ps.88.49. nere humano vniuersò: *Quis* [e] *est homo qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* Isidorus Clarius (*ille tamen qui societatem habet cum omnibus viuentibus, habet spem*) id est, illi quidem, qui, vt prius est dictum, non statuunt inter pios, & impios discrimen, propter communes euentus vtrisque, nouissimè descendent ad infernum, vbi diuinam experientur vltionem, quam negare videbantur; sicut remunerationem hi, qui sapiunt meliùs: tamen si quis priorum quoque resipuerit ab adeò stulta sententia, quamdiu in hoc mundo est inter viuos, habet spem salutis. Hebræa sic habent (כִּי מִי אֲשֶׁר יְבֻחַר אֶל־כָּל הַחַיִּים יֵשׁ בִּטָּחוֹן *chi mi ascher iebuchar el col hachaiim iesch bittachon, quoniam quis, vel cui quòd eligetur ad omnes viuentes, est spes?*) sed pro יְבֻחַר *iebuchar* legunt alij יְחֻבַּר *iechubbar, sociabitur* Hoc exigit ratio punctorum: nec enim in primi verbi litera secunda esset breue kibbuts, quia tertia non recipit daghes. Sic legerunt etiam Græci (ὅτι τίς ὃς κοινωνεῖ πρὸς πάντας τοὺς ζῶντας; *quoniam quis est qui communicat in omnes viuentes?*) Symmachus, quem à perspicuitate commendat Hieronymus (τίς γὰρ εἰς ἀεὶ διατελέσει ζῶν; *quis enim* (vt eum ille ipse vertit) *in sempiternum potest perseuerare viuens?*) In sua vetere versione (*quia quis est qui communicet in omnes viuentes?*) reiiciens ad sequentem sententiam (*est confidentia, siue spes.*) Verùm δεύτερα φροντὶς σοφώτερα, longéque meliùs, ac intelligentiùs reddidit, quam vocamus, & retinemus vulgatam translationem, in qua etsi non æquè verbis respondent verba, clarior atque perspicacior sensus exprimitur. Chaldæus (*etenim quis est vir, qui associabitur omnibus verbis legis? ad acquirendam vitam seculi venturi est illi spes.*) Retuli aliorum expositiones, vt discamus acquiescere in nostra omnium optima, ad quam propiùs accessit Caietanus; & qui conferat ista cum sequentibus, deprehendet minùs probandos Vatablum, & Clarium: de sola namque communi omnibus morte sermo est, non de resipiscentia, vel saniore capiendo consilio. Græci præterea, Latinique Doctores hinc non abeunt, præterquàm ex Latinis Hieronymus (quem solet Albinus sequi) quantum ad vltima verba iuxta veterem suam translationem, inchoans nouam sententiam ab iis, ac enarrans de resipiscentia, vt postea dicam. Idem verò Græci faciunt. Sed Olympiodorus vult hic propriè de improbis agi, qui nullum malè agendi faciant finem, donec ipsi quoque ad mortuos deueniant, cùm nullus perpetuam cum viuentibus habere societatem possit: vel huiusmodi fecem hominum, quando moriuntur, inter iustos, qui soli, quamuis mortui, viuere censendi sunt, locum non habere in æterna vita.

Gregorius Neocæsariensis totum locum cum eo, qui sequitur, non Salomonis, sed stulti, vel illius sub huius persona continere sententiam docet, penitus interire, qui obit, ac viuẽtem, etiamsi tenebris obsitus iaceat, mortuo præferẽdum, &c. sed corrigi ab vndecimo versu. Hoc mihi non displicet, nec incommodè cohærere iudico, pro vt etiam videtur Titelmanno.

Porrò quàm verum, certúmque sit, neminem esse qui semper viuat, experimentum prouoco mortalium omniũ, & auctoris vitæ Christi, præter testimonia Scripturarũ multo plura his, quæ paulo antè indicaui. Difficultatem facit, quo pacto Christus veniet iudicare viuos & mortuos, si morientur omnes. Satisfactum à me in historia Apostolica [a], dum resurrectionem generalem futuram docerem: eos enim qui sub id tempus viuent, morituros, móxque reuicturos, vt non tam a c.1. & c.10.

mortui,

mortui, quàm viui ad iudicium venturi videantur cum illis, qui pridem decesserant.

Et qui huius rei habeat fiduciam.] Dixi, vt se habeant editiones aliæ. Nescio vbi legerit auctor [a] quæstionum vtriusque Testamenti (*spes est in tenebris.*)

a to. 4. quæst. 9.17.

Melior est canis viuus leone mortuo.] Symmachus (*κυνὶ ζῶντι βέλτιόν ἐστιν, ἢ λέοντι τεθνηκότι, cani viuenti meliùs est, quàm leoni mortuo.*) Huius comparationis vis percipitur ex dictis, siue spectet ad orationem stulti, siue sapientis: & siue verba illa (*est spes*) nectantur hîc, siue reiiciantur ad præcedentia. Quamuis auté editiones cæteræ primum magis indicent, propter particulam causalem כי *chi*, & ὅτι: tamen secundum præferri debet, ob Interpretis auctoritatem; & sine præiudicio potuit præteriri dicta particula, quæ etiam Hebraicè non semper causam, sed assueuerationem aliquando denotat. Si cui Hieronymus placet, & Albinus, & Salonius, aliíque, spem, & fiduciam præberi quamlibet impiis ad resipiscendum in hac vita, rationem metaphoræ cum iisdem intelligat, quòd peccator immundus vt canis, qui vomitum resorbet [b], dum viuit, euadere iustus potest, eóque quàm iustus, qui tanquam leo, est nobilis ac fortis, meliore vtitur conditione; quoniam huic meriti tẽpus præciditur, ille quamdiu superest, ad frugem redire iustitiæ, eiusdémque maius etiam, quàm iustus mortuus, sibi comparare incrementum valet: vel esse melior illo, qui se in malitia, potentia, procacitate, contemptu iactabat adhuc viuẽs. Hoc modo perinde erit leonem capias meliore, vel deteriore sensu, quem constat & ad Christum [c], & ad diabolum [d] accommodari: quamuis canis magis ad iniustos, paulo rariùs ad iustos [e]: & crebrò in Scriptura symbolum est vilissimæ, ac infamis, & turpis personæ.

b Pro. 26. 11. 2. Pet. 2. 22.

c Apoc. 5. 5. d Eccles. 49. 9. Num. 24. 9. 1. Pet. 5. 8. e Psal. 67. iuxta expositionem Augustini ibi, & epist. 59. q. 3. & Gregorij ho. 40. in Euãg. & 10. moral. c. 7. vel 9.

In isto sensu nec locum interpretando de resipiscentia, sed altera illa ratione, verum est quoque quòd præstat abiectus quiuis pauper extincto iam Tyranno præpotente, qui in peccato suo mortuus est, inquit Olympiodorus, etiam quantum ad vsum rerum externarum, & fruitionem voluptatũ: vtilior præterea, vt Hebræus ille apud Hieronymum exponit, quamuis indoctus, viuens præceptore perfecto, qui iam mortuus est, etiam Mose. Quam verò idem Hieronymus tradit allegoriam de Gentilibus, quos adumbrat mulier Chananæa [f], & de Iudæis, illis viuentibus in fide Iesu Christi, mortuis his, & à Deo derelictis, licèt interdum & istis canum tribuatur appellatio, propter insultum, ac latratum contra Christum, & Catholicos, vt olim contra suos Prophetas, vt docet Eusebius [g], & Epiphanius [h], allegoriam, inquam, istam non alij duntaxat loci præsentis Interpretes recipiunt, sed qui alia occasione meminerunt eiusdem. Quamquam auctor vtriusque Testamenti quæstionum [i] deteriorem interpretatur apostatam Religionis Christianæ, quàm Gentilem, qui credere potest, & acquirere salutem, quam perdidit apostata. Eucherius [k] leonẽ mortuum ait esse cacodæmonem, de cuius salute nihil vlteriùs sperãdum: canem viuum, aberrantem quidem, & interdum contumacem, sed qui teneri ad meliora possit. Drogo [l] Cardinalis *leonis* nomine superbum quemque, ac reprobum per tropologiam intelligit, qui mortuus Deo, viuit sæculo: *canis* autem mortuum mundo, viuentem Deo. Franciscus [m] Georgius Venetus docet innui

f Matth. 15.

g 10. d. demonstrat. c. 8. iuxta id Psalm. 21. Circũdederunt me canes multi. h de hæres. cont. Antidicomarianitas. i q. 19. apud Aug. tom. 4. k de spiritalibus formulis. c. 5. l de Sacram. Domini pass. tom. 2 Bibl. Patrum. m problem. script. tom. 1. sect. 1 problem. 94.

A bruti animam perire, ac propterea vile quodcunque dum viuit, melius esse optimo mortuo. Petrus Blesensis [a] mirificè laudat sententiam istam tanquam valde profundam; & vbi canem viuum de Christiano simplici, humili, abiecto in domo Dei sui, qui Iudæo, ceu leoni mortuo, præferatur, explicuit, vtrumque accommodat ad S. Augustini laudationem, qui cùm euasit de Philosopho, atque Oratore, ac de Doctore erroris, Doctor veritatis, custos Dominici gregis, factus est de leone mortuo canis viuus. Distinguit præterea leonem quadruplicem, Deum, Dei, Zabulum, & Zabuli, vitam, viuum, mortem, mortuum, stantem in specula, gradientem in via, iacentem in spelunca, frementem in platea. De primo dici, quòd *vicit*

a serm 30. de S. August.

B *leo de tribu Iuda* [b], & quòd cùm vidisset speculator ascensorem cameli, clamauit leo [c]: *Ego sto super speculam Domini iugiter per diem, & noctem*: secundum esse Martyrem, qui vt *fortissimus, ad nullius pauebit occursum* [d]: tertij Petrum [e] meminisse, scribentem rugire, atque circuire quærendo quem deuoret: Salomonis de quarto illud esse [f]; *Leo foris est, in medio platearum occidendus sum*: & [g]; *Leo fremens, Princeps impius super pauperem populum*: maximè verò talem censeri Philosophum diuina doctrina non imbutum.

b Apoc. 5. 5. c Esa. 21. 8. d Pro. 30. 30. e 1. Pet. 5. 8. f Pro. 22. 13. g Prou. 28. 15.

Deinde canis vigilis cõmoda persequitur, latrantis, sagacis, fidelis, linguæ medicabilis, docens singula moraliter in eodem Augustino. Demonstrat nihilominùs leonem esse nõ desiisse, tametsi

C mortuum, hoc est, mortificatum à Samsone [h] Christo, siue Deo, qui voluit Petrum mactare bestias, & manducare [i], atque in eius ore mellis repertum fauum regularis, religiosæque doctrinæ. Debui amori, studióque in Augustinum meo, tam concinnè de ipso tractatum præsentem locum ab auctore nostrate, quem nuper nostri hominis opera, cum sacrarum literarum studiosorum tanto operæ pretio, illustriùs restitutum vidimus, minimè præterire. Canis verò, leonísque symbolicas alias proprietates qui amat, Pierij hieroglyphica, Physiologum Epiphanij, Petri Bertorij, vel Berchorij morale reductorium, similitudines Ioannis à S. Geminiano, allegorias, ac

h Iud 14 8. i Act. 10. 13.

D tropologias super vtroque Testamento, syluam allegoriarum legat.

Moralis quoque sensus ille aptus est, sæpe qui non peccauerunt grauiùs in vita, hinc subinde occasionem arripere socordiæ, vt longiùs in pietate progredi non curent: peccatorem, qui iam diu volutatus est in atrocioribus criminibus, ex animo resurgere, conaríque propiùs ac propiùs in dies ad Deum accedere, atque consequentis vitæ nouis meritis, vetera malè actæ damna sarcire. Tradit hoc Hugo Cardinalis, necnon de actiuo iusto, qui melior sit occulto contemplatiuo: de subdito feruente, comparato ad Prelatum remissum: de prædicatore liberè oblatrante con-

E tra peccata, & de suauia, & placentia loquente, mélque in ore instar leonis, quem occidit Samson, gerente. Delrius [k] noster versans hunc locum diligenter, satis probabiliter eum accipit de quolibet paupere, indoctóque, & vili viuo, qui dicatur melior, seu præstantior quouis diuite erudito, & honorato, dum viueret: quemadmodum leo iam mortuus nullius est pretij, sed ludibrio expositus. Citat Chiliadum auctorem in adagio; *Mortuo leoni insultant lepores*, &, *Barbam vellere*: Plautinũ [l] præterea illud; *Mortuus pluris pretij est, quàm ego*: &, *Non* [m] *Herile te metuam, morticine*: postremò

k to. 3. adag. 315.

l in Rud. m in Persa.

insultan

insultantes Græcos Hectoris cadaueri;

Βάλλετε νῦν μετὰ πότμον ἐμὸν δέμας, ὅττι καὶ αὐτοὶ
Νεκροῦ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.
Proiicitote meum Danai post fata cadauer.
Non metuunt lepores defuncti membra leonis.

Vel vt post Martyrem Morum, qui eo modo vertit, Alciatus transtulit;

Distrahite vt libitum est. Sic cassi luce leonis
Conuellunt barbam vel timidi lepores.

Vers. 5.] Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltrà mercedem, quia obliuioni tradita est memoria eorum.

HIc sequénsque versus, imò & plures alij, sicut dixi, vsque ad decimumsextum, pronunciati creduntur à nonnullis ex stultorū persona. Hoc posito, magis obuia eorum quæ dicuntur intelligentia. Sin autem loquitur ipse sapiens sapienter, vult à mortuis non percipi gustum rerum istarum. Recipio & hìc allegoriam, atque tropologiam satis superiùs indicatam; sic tamen vt Lyrano, & Carthusiano minimè assentiar, nullum alium esse literalem sensum, sed per metaphoram *canis* nomine duntaxat intelligi hominem mordacem in carne viuentem, qui corrigi potest, quia peccat ex impetu animi, & effreni cupiditate, iuuatúrque consideratione mortis, & præsentis temporis, quod datur ad resipiscēdum: per leonem mortuum, illum, qui vorax, & superbus cùm esset, iam corpore mortuus est, ac propterea deploratæ salutis.

Sed caue Salomonem putes mortuis negare scientiam (non dicam nimis subtiliter eum Caietano, quatenus mortui sunt) ita vt animæ separatæ nihil cognoscant, liberiores potiùs ad cognoscendum. De damnatorum etiam animabus constat ex Scripturis [a]: scitum quoque illud Cyri apud Xenophōtem, & Ciceronem [b]; [mihi nunquam persuaderi potuit, tum animam esse insipientem, cùm ex insipienti corpore euasisset.] Et Hieronymus [c]; [Non possumus, ait, incorporalem, & æternam animam in modum gliruim immobilem torpentémque sentire.] De modo, & re ipsa tota Theologi [d], & nos aliàs in Philosophicis nostris. [Nesciunt, ait Bonauentura, quæ sunt in hoc mundo, non recordantur, vel curant ista, nec afficiūtur ad ea; neque, quod paulo pòst scribitur, habent partem in hoc seculo, & in opere quod sub Sole geritur.] Hoc melius, quàm qui restringūt ad impios vita functos, vt Hugo Cardinalis, Carthusianus, & Lyranus, qui nihil sciāt, eo sensu, quo inferiùs negatur scientia apud inferos, vnde pœnitere, recreari, salutem consequi valeant, quod experiantur, quo proficiant, &c.

a Sap. 4. 19. Lucæ 16. 25. & seq.
b de senect.
c epist. ad Pamach. de errorib. Ioannis Ierosolymit.
d Scholastici 4. d. 45. S. Th. præterea 1. p. q. 89 & in addit. q. 70.

Nec adeò placet Olympiodori expositio de mortuis tantùm spiritualiter, & in peccato, qui ignorantiæ nebula occupati, viuant sine ratione pecudum more, cum iustorum intellectus humore viuido sit irrigatus, secúmque illi reputantes temporarium vitæ huius curriculum, officiosè viuant, confirmati spe vitæ æternæ.

Hoc loco abutuntur, qui Sanctos negant orare pro nobis, vel animas quæ versantur in Purgatorio: illud hæreticum est, hoc minùs quidem probabile, licèt ita sentire videatur B. Thomas [e]. Nam quod attinet ad preces nostras, & rerum nostra-

e 2. 2. q. 83. a. 11. ad 3.

A rum statum, non deest Deo modus vtrisque hæc manifestandi.

Sanctorum suffragia nil opus est probare; facit id præ cæteris diligenter Card. Bellarminus [a]: de animabus quoque Purgatorij suadet ferè ratio eadem, quoniam non deest illis charitas, nec impediuntur pœnis quas luunt, cùm anima Paschasij, & S. Seuerini, quando adhuc degebant in Purgatorio, miracula operarentur, teste Gregorio [b], & Petro Damiano [c]. Tamen eatenus probabilis sententia B. Thomæ, quòd non sit adeò verisimile in eo statu fieri particulares reuelationes ordinariè; sed in genere tantùm illas animas cognoscere calamitates nostras, ita vt superfluum

a lib. 1. de Sancto. beat. c. 18. & 19.
b 4. dial. c. 40.
c epist. 13. c. 7.

B videatur earum quoque ordinariè implorare auxilium.

Chaldæus Paraphrastes locū totum interpretatur de agentibus adhuc in ista vita, tum bonis, tum malis (*quoniam iusti norunt, quòd si peccauerint, futuri sunt vt reputentur vt mortui in seculo venturo: propterea custodiunt vias suas, & non peccant: quòd si peccant, conuertuntur in pœnitentia, & peccatores nesciunt quicquā boni de seculo venturo, & non est eis merces bona post mortem eorum; etenim obliuioni data est memoria eorum inter iustos.*)

Nec habent vltrà mercedem.] Quia sunt extra statum merendi, & proficiendi, vt passim Latini post Hieronymum explicant; qui Hieronymus meminit

C contrariæ sententiæ, post interitum excrescere nos posse, & decrescere. Origenem intelligit, de quo produnt omnes hæresiologi, sensisse non esse perpetuas inferni pœnas, nec beatitudinem, & posse tum Angelos bonos demereri, tum damnatos mereri.

Sunt quidem beatorum bona, & laude præmióque digna per se spectata opera: sed peruenerunt ad coronam; & Deus, cuius in operibus nostris, etiam per gratiā ipsius bonis, vt sint meritoria, præsertim æternæ vitæ, præter gratiam ipsam requiritur promissio, solis viatoribus decreuit mercedem, & mercedis augmentum. *Nunc tempus acceptabile, & dies salutis* [d], & dum tempus

D habemus, debemus operari bonum [e]; qua de re paulo pòst Lutherus [f], cùm Purgatorium admittebat (negauit enim postea) dicebat ibi animas posse mereri; sed & eas peccare continuò, ac desperare salutem: eò namque mitti quæ non sunt perfectæ in charitate; debere autem imperfectam augeri: quod non fit nisi nouis meritis; cum imperfecta charitate mixtum esse timorem seruilem, quem inquiebat esse peccatum, quia sic timentes horrent, atque fugiunt pœnam, quærunt quæ sua sunt [g], &c. Sunt hi omnes crassissimi errores, quos post Eckium [h] refellit Card. Bellarminus [i]. Augustinus [k] negat Christianum qualemcunque dubitare, vsque ad huius corporis

d 2. Cor. 6. 2.
e Gal. 6. 10.
f lib. de Purgatorio, quem Eckius refutat.

E depositionem peccandi pericula, tentationésque metuendas, deinceps nulla talia quemquam esse passurum: confirmat id etiam auctoritate Cypriani [l]. At Hieronymus in commentario præsentis loci, & similis in hoc eodem capite, & alterius in vndecimo, perspicuè docet, viuentes metu mortis posse bona opera perpetrare; mortuos verò nihil valere ad id adiicere, quod semel secum tulêre de vita: nec iustè posse agere, nec peccare, nec virtutes adiicere, nec vitia. Porrò quicunque charitatis gradus, quem habeat quęuis anima patiens pœnas Purgatorij, excludit seruilem timorem, & impatientiam, & inmoderatum amorem concupiscentiæ, & perfectam charitatem constituit, ea

g Philip. 2. 21.
h lib. de Purgatorio.
i 2. de Purgat. c. 2.
k de prædestin. Sanct. c. 14.
l ser. de mortalit.

perfe

perfectione, cui sufficienter respondeat dignitas beatitudinis, in suo item gradu. Isti autem perfectioni reatus pœnæ temporalis persoluendæ, dolórque qui sentitur, non repugnat; sed retardat solum consecutionem dictæ felicitatis, & hac ratione complementum quoddam eiusdem charitatis, quod à beatitudinis perceptione censetur accipere, quatenus omnium meritorum recipit præmium, ita vt nunquam possit ab eo excidere, & à iustitia, vt Augustinus [a] docet.

a 2. de corrept. & gra. c.10.

Postremò, communis est opinio Theologorũ, necessariam meritò conditionem esse, huius vitæ viam. Quòd si S. Thomas in quartum [b] sententiarum post hanc vitam præmij saltem accidentalis admittere meritum videatur, vel mutauit postea sententiam [c]; vel ibi nomine *meriti* abusus est, vocans actum dilectionis in Purgatorio meritorium remissionis culpæ venialis, hoc est, remissorium, tametsi non propriè per modum meriti, sed vt contrarium, à quo tollitur contrarium suum. Tritum illud; dum spiro, spero: necnon quod Poëta quidam cecinit;

b d.21.q.1. art.3. ad 4.

c q.7. de malo art.11.

Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.

Sperandum est viuis, non est spes vlla sepultis.

Videlicer corporibus; non enim animæ hominum sepeliuntur. Id sibi auctor libri Sapientiæ [d] voluit, vocans infelices quorum spes inter mortuos.

d c.13.10.

Quia obliuioni tradita est memoria eorum.] Quatenus nihil ampliùs agere possunt, quod sit memoria dignum, vel quo se vindicent ab obliuione hominum. Alioqui iustus, tametsi mortuus, in memoria æterna est [e]; iniusti periit memoria [f], & nomen putruit [g]. Illud autem aliud ea quæ sequuntur satis indicant. Non procedit autem hæc ratio, vt Caietanus tamen asserit, supposita sententia de mundi æternitate. Quod est contra fidem Salomon non præsupponit, cui à Caietano tribuitur hæc disputatio. Ferri posset id in iis, qui verba ista impiis tribuunt. Attamen minimè necessaria huiusmodi suppositio; cùm loquatur Sapiens non de rarò contingentibus, verùm de eo, quod sæpe fit.

e Psal.111.7. f Psal.9.7. g Pro.10.6.

Vers. 6.] Amor quoque, & odium, & inuidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc seculo, & in opere quod sub Sole geritur.

VEl vltrà non mouentur mortui affectionibus erga viuentes, vel erga illos isti, sicque vtrique obliuiscuntur alterorum; quippe

[h] *Nullum cum victis certamen, & æthere cassis.*

h Virg. 11. Æneid.

Meliùs, qui mortui sunt, nullius habent ampliùs facultatem rei, neque in bonũ, neque in malum: nec odisse quemquam valent ad proprium exitium suum, aut inuidere, aut amare, ad augmentum proprij meriti, seu præmij. Quamuis loquentem ex insipientis persona Salomonem concederemus, & negare vllam superesse post mortem mercedem, vllum supplicium, sed nec semper durare odium, beneuolẽtiam, inuidiam, quibus eos, qui vitam cum morte commutarunt, hi prosequuntur, vel sunt prosecuti, qui viuunt adhuc, qui placet Gregorio Ponti sensus, non idcirco, quod Caietanus contendit, admittenda sic desipienti æternitas mundi foret.

Inuidiæ.] Alij numero singulari, & cum relatiuo (*eorum*) tum hîc, tum ad priora duo nomina.

A Ζῆλος in vtramque sumitur partem: idémque censeri potest de odio, & amore. Hieronymus allegoricè tamen sumit in meliorem de odio, quo quondã Iudæi oderant odientes Deum [a], de dilectione, qua illum diligebant, de zelo amoris diuini, qualis fuit in Phinees [b], & Mathathia [c]. Hugo explicat amorem peccatoris erga seculum, vel parentes, vel opera vana; odium contra inimicos; inuidiam aduersùs meliores siue feliciores. Olympiodorus zelum, vt Hieronymus: pretium Iudæis esse nullum, quia eorum ne meminit quidem Deus, quem non amant, nec oderunt iniquitatem.

a Psal.138.2 b Num.25.7 & seq. c 1. Macha.2. 7. & seq.

Simul perierunt.] Editiones aliæ (*iam*, aut *pri*-B *dem*.) Simul, inquit Hugo Cardinalis, cum ipsis mortuis: & meminit lectionis, quæ habet futuri temporis verbum (*peribunt*.) Glossa interlinearis id antea notauerat.

Nec habent partem in hoc seculo, & in opere quod sub Sole geritur.] Expressio maior prædictorũ de mortuis, quicunque sint illi, maximè de peccatoribus. Mirum autem est, Chaldæo placuisse contrarium sensum prioris partis de seculo venturo, non de hoc (*& pars bona non est eis cum iustis in seculo venturo, nec est eis vtilitas ex omni quod fit in hoc seculo sub Sole.*) Hugo Cardinalis, Lyranus, Carthusianus de viuorum suffragiis, quibus damnati priuantur, intelligunt: Olympiodorus de terra promissionis, C ciuitate Ierosolymitana, Sacerdotio, quæ Iudæi amiserunt: Hieronymus de iisdem, quibus non licet dicere [d]; *Pars mea Dominus*. Simplicior primus sensus, ostendens nihil esse commune mortuis cum istius mundi externis operibus; aut reprobis in inferno facultatem ademptam, quam viuentes habebant, ad operandum. Quod verò de suffragiis dicitur, est quidem; at non video quo pacto ad rem præsentem, vbi sermo adeò generalis est, pertineat.

d Psal.15.5. Ps.72.26.

Vers. 7.] Vade ergo & comede cum lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio D vinum tuum: quia Deo placent opera tua.

HInc ad versum decimumtertium per προσωποποιΐαν, vel ἀποστροφὴν, conuertitur Ecclesiastes ceu stultus ad nescio quem, cui, quòd ipsemet nihil sit post mortem, & ipsa mors nihil, vt quidem Hieronymus declarat, consilium dat voluptatibus præsentis vitæ, quas concessit Deus, perfruendi; nec friuola formidandi commenta de reddenda apud inferos ratione, quæ quis hîc gesserit; nullam in morte esse sapiẽtiam, sensum post illam esse nullũ. Tum sumpta sapientis persona monet, caueat, geri casu putet omnia, & E quodam fortunæ lusu; verùm iudicio Dei, ac munere, per quem varia proueniunt hominibus beneficia, & cuius nutu iussúque improuisa mortalibus mors aduenit, atque ad reddendas rationes prouocatio, & ad commeritas æternas pœnas deductio.

Rursus Doctor idem omnia meliore sensu accipit, vt quando non sit in inferno locus pœnitentiæ, hîc eam dum vacat, ineamus, & virtuti, cuius honestæ sunt voluptates, operam demus, remotis omnibus impedimentis. Olympiodorus ad literam de vsu bonorum à Deo concessorum modesto: mysticè de spirituali nutrimento animę, quod sint vel virtutes, vel corporis Christi sacra-

partici

participatio,& sic deinceps de aliis quæ distinctè numerantur, exponit. Thaumaturgi est, quam priore posuit loco Hieronymus,explicatio. Cum Olympiodoro in tropologia conuenit Salonius, & Albinus, aliique passim, quã & posteriùs Hieronymus afferebat. Non refutarim, vt Salonius, & Albinus facere videntur, & Rabbi Salomon citatus à Lyrano, literalem intellectum, saltem quadam ex parte textus,aut eo modo,quem Hieronymus,vel quem Olympiodorus primum assignant,& Thaumaturgus solum. Chaldæus enarrat hæc vt spiritu prophetico dicta de iustis (*dixit Salomon in spiritu prophetiæ à conspectu Domini:futurum est vt Dominus mundi dicat singulis iustis in facie vniuscuiusque:Vade, gusta in lætitia panem tuum,qui repositus est tibi propter panem tuum,quem dedisti pauperi & humili,qui erat esuriens,& bibe in corde iucundo vinum tuum pro vino tuo,quod miscuisti pauperi & humili,qui fuerunt sitientes*; *ecce enim iam beneplacita fuêre ante Dominum opera tua.*) Cyrillus Ierosolymitanus [a] panem vinúmque in ænigmate à Salomone pro venerabili corpore, & sanguine Christi posita dicit: oleum pro Sacramento chrismatis: vestimenta candida pro Baptismo, quo qui tinguntur,solent vestes albas sumere. Sed cum mystico literalis iungendus est sensus,vt dixi,& Carthusianus facit,& Bonauentura, & Titelmannus.

a catech. mystag. 4.

Panem tuum.] Emphasis in pronomine possessiuo, vel vt non alienum, maléque comparatum; vel magis moraliter, quod Hugo notauit, vt animæ ac rationi accommodatum, non escam bestiarum, ac bestialium hominũ, ne cor arescat oblitum comedere panem suum [b]; vel quem sibi propriè quis ac peculiari quodã iure promeruit à Deo, vt dicebat Chaldæus, propter alimenta, quæ dedit egentibus. Panis & vinũ omnes conuiuiales delicias; mysticè verò plura denotant, quibus pascitur animus, & recreatur, maximè meditationem Scripturarum, tum difficiliorum, quæ veluti dentibus terantur, tum faciliorum, quæ sorbeantur.

b Psal. 101. 5.

Cum gaudio.] Alij (*in corde bono*) Symmachus (*μετ' εὐφροσύνης.*) Si vis & tu,inquit Ambrosius [c], virginem quam instituit,hortatúrque,conueniẽs, bonam lætitiam sequi, demonstrat tibi Ecclesiastis liber quam sequi debeas,qui ait;*Veni,manduca in lætitia panem tuum,quoniam iam Deo placuerunt facta tua.* Hoc est quod sequitur.

c exhort. ad virg.

Quia Deo placent opera tua.] Vt quidem videtur tibi, ô præsidens stulte (sic plures explicant) existimanti te Deo gratum, nec eidem esse ingratũ, vt largiter percipias voluptates. Aut est sensus, gratum est Deo, vt vitæ commodis honestè perfruaris,& ad naturæ necessitates, ô tu quicunque sapis, ait Caietanus,& Olympiodorus; quæ dici possunt opera humana,quibus iã propitius Deus vti largiatur, inquit Vatablus: aut si pia fiducia es de operibus tuis, quòd ea Deus approbet, nec reprehendit te cor tuum,viue hilaris,inquit Clarius,& innuit Sà, explicans (*quia*) pro (*si tamen:*) aut (quod modò dicentem audiuimus Ambrosium) vis bonam lætitiam sequi,fac Deo placeãt opera tua:aut cape fructum nominatim ex benignitate tua erga pauperes (vt exposuit Chald.) quæ mirificè probatur Deo, hancque libenter ac liberaliter compensat:aut fruere bonis, hac tamẽ lege,vt placere studeas Deo,nec abutare munificentia ipsius,téque vel ritè præmunias prece,vel à fruitione bonorum non gratias modò referas, verùm si quid abusus irrepsit, expies;quod Iob [d]

d Iob. 1. 5.

A factitabat pro filiis. Eligat, aptétque lector sensum sensui, qui magis placet in totius sententiæ complexu per aliquot hos versus. Agapæ Christianorum,de quibus aliàs [a], epulæ quoque natalitiis Martyrum celebratæ,quarum facit mentionem Theodoretus [b], Nyssenus [c], Gregorius Papa [d],Arcadius,& Honorius Imperatores [e],Paulinus [f], Prudentius [g], Deo placuerunt vel significatione charitatis, vel ob Sanctorum honorem. Ea in deterius postea consuetudo prolapsa displicuit,ac reprehensa & cohibita est,vt ex Augustino [h] constat, Paulino [i] eodem, Laodiceno [k], & Tridentino [l] Concilio.

a Actuum 2.
b 8 affect. Græc.
c in vita Thaumat.
d lib. 2. epist. 37. lib. 9 epist. 71.
e ff. l. 4. de paganis sacrif. & templis.
f natali Felicis 6 & 9.
g in perisseph. hymno de B. Fructuoso.
h epist. 64. & habetur c. commessationes. d. 44.
i natali 9.
k c. 28. & habetur d. 42. c. non oportet.
l sess. 25. decre. de inuoc. & venerat. sanct.

Placent.] Græcè (*εὐδόκησεν ὁ Θεὸς τὰ ποιήματά σου*, *bene probauit Deus opera tua.*) Cæteri quoque, necnon citatus Ambrosius, legunt in tempore B præterito, & addunt aduerbium temporis ἤδη, כְּבָר *chebar*, *iam*. Sensus idem, & id aduerbium verbo quoque præsenti copulari potest. Symmachus ἐξήτασε, *exquisiuit*. Et posset ad sex recitatos addi sensus septimus;Vade ergo, & comede, &c. quia Deus exquisiuit opera tua:non te fallas,qui fallere Deum nequis, esto, indulgeas tibi, laxes cupiditati frenos; non attendis miser exquisitè cuncta perpendere Deum: sic agis,quasi vel eum fugere,vel tibi vt conniueat,inducere possis. *Hæc fecisti,& tacui. Existimasti inique*, ait Deus [m], *quòd ero tui similis*; *arguam te, & statuam contra faciem tuã*; Hebraicè, *instruam*, vel *ordinabo ante oculos tuos*, nempe rationes contra te, aut faciem meam, exC plicabo ordine prauitates tuas, producam eas ante oculos tuos,te conuincam. Tum Dauid [n]; *Intelligite hac qui obliuiscimini Deum*, &c. Quod verò spectat ad iustum, is *comedit,& replet animam suam* hilari, pacatóque animo:*venter autem impiorum insaturabilis* [o]. Omnino Iacobi salubre [p] consilium, vt *glorietur frater humilis in exaltatione sua : diues autem in humilitate sua,quoniam sicut flos fœni transibit.*

m Psal. 49. 21.
n ibid vers. 22.
o Prou. 13. 25.
p c. 1. 9. 10.

Vers. 8.] Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.

D VEl de conuiuantibus, hilaréque viuentibus intelliguntur ista, quoniam isti vtrumque illud vsurpabant, vt est in sacris literis veteris [q] ac noui [r] Testamenti:& erant præterea vestes albæ illustriorum personarum, vt docuimus in caput primum historiæ Apostolicæ [s]. Vel mysticè de retinendo baptismali candore, déque chrismatis Sacramento, sicut nuper ex Cyrillo Ierosolymitano [t] retulimus:siue magis genericè, eodem sensu mystico,de candidis moribus,& animi bene compositi iucunditate.Audi quid super hoc loco dicat alter Cyrillus [u]. [Puto autem,& quidem rectè,nunquam virum sapientissimum Salomonem ad has nugas petuenturum fuisse,vt suaE deret nobis vestium splendore pueriliter oblectari;sed vitæ splendidæ vitam velut ablutam, & ab omnibus sordibus liberam comparare:sic præcipi nobis, vt induamus Dominum nostrum Iesum Christum [x], & nouum hominem exuto vetere [y].] Nullus est, qui quolibet aut statu, aut ætate,vel negotio, otióque per totum vitæ tempus non incedat vestitus, ac indumenta gestet: sic nunquam debet abesse in omni vita sinceritas,& innocẽtia. Mentis hilaritas,atque benignitas,aut certè beneuolentia erga alios exhibenda,

q Psal. 22. 5. Psal. 44. 8. Psal. 103. 15. Psal. 132. 2. Psal. 140. 5. Iudith 10. 3. Ezechiel. 23. sæpe quantũ ad oleum præsertim, necnon quantum ad vestes elegantes.
r Matth. 6. 17. Lucæ 7. 46. Matth. 26. 7. Ioan. 12. 3. quoad oleum: de vestibus Mar. 12. 38. Lucæ 20. 46. c. 23. 11. Apoc. 3. & 6 & 7. & 9 & 19.
s 1 vers. 10.
t catech. 4.
u libr. 14. de adorat. in spiritu.
x Rom. 13. 14.
y Ephes. 4. 22. 24. Coloss. 3. 9. 10.

& declaranda est. Albus color luculentus cum primis, lucem oleum fouet; luce nihil purius, nihil communius, nihil efficacius, & melius inter corporatas qualitates. Multa de his reperies apud scriptores adagiorum, & hieroglyphicorum, & antiquitatum conuiuialium, & rei vestiariæ, & eum qui scripsit electorum libros.

Hæc porrò quæ hîc vestimenta candida commemorantur, λευκὰ, *alba* (de quibus vocibus citato dixi loco [a]) ab Ambrosio [b] mūda, iuxta tropologiam assignatam non Interpretes duntaxat accipiūt, sed alij quoque, vt Gregorius [c], & Hieronymus [d], qui etiam candorem vestium sempiternum interpretatur virginitatis puritatem [e]. Idem etiam docet Ambrosius [f]. Possunt semper censeri candida vestimenta gerere, qui se à quotidianis peccatis per pœnitentiam lauant, & à maioribus sibi cauent, vt docet Philo Carpathius [g]; & quamuis frequenter peccent, tamen per pœnitentiam munditiam suam perpetuò seruant. *Olei nomine, vel vnctionis* doctrinam Spiritus sancti Ioannes [h], charitatem, ac eleemosynam Patres intelligere solent, propter eximiam, & eminentem vim olei, vt Gregorius [i]. Lege mysticos sensus Pagnini [k], & syluam allegoriarū, præter alios. Chaldæus vestes lotas explicat ab omni cōtaminatione peccati; & per vnguentum nominis famam ex bonis operibus partam. Abutebatur Sisinius Nouatianorum Episcopus, teste Socrate [l], loco isto, cùm albatus passim incederet, necnon exemplo Christi, quando transfiguratus albas vestes exhibuit [m]. Quia verò inter ieiunandum præcipit Christus faciem lauare, capútque vngere [n]: transfiguratus eo colore vestibus apparuit [o]: resuscitatum in veste candida renunciarunt Angeli*: sed & moriturus breui, passus est se purpureo, & albo, & λαμπρῷ vestimento indui [p]; eidem datum est, vt cooperiret se byssino splendenti, quæ sanctorum iustificationes erant [q]; quæ magna ex parte in forti hilarique patientia consistunt; istis, inquam, de causis adhortatio hæc spectare eò potest, vt tam in aduersis, quàm in secundis rebus, nec succumbamus vnquam, nec efferamur; sed eundem semper animi tenorem compositi, modestéque læti retineamus [r].

Oleum.] שֶׁמֶן *schemen* non est simplex oleum, quòd vocant זַיִת *zaith*, vnde apud Hispanos *azeite*; sed quod appellamus Latinè vnguentum, & Chaldaicè משח *meschach*, voce ab Hebræis quoque sumpta; vel non oliuæ duntaxat oleum, sed aliud quodcumque. Eodem autem nomine Græcis appellabatur oleum, vnguentúmque, hoc est τῷ ἐλαίῳ: primus vnguentum Archilocus μύρον vocauit [s], quasi, vt citatus ab Athenæo [t] Chrysippus notabat, ἀπὸ τῦ μέλα πολλὺ μόρυ, κὶ πότε (meliùs πόνω) ματαίω γίνεσθ, *quod multo labore, & inani potiu (labore) conficiatur.*

Varium oleorum, vnguentorúmque genus adhibebant cùm cæteræ nationes, tum Iudæorum maximè, quorum regio à feracitate liquoris vocabatur terra olei. Conuiuantes id libentiùs, ac largiùs factitabant, ac in capite potissimùm, vt præter exemplum Dauid [u], Christus ipse in suo expertus, non in pedibus duntaxat, satis indicauit [x], expostulans cum Simone leproso [y]. Consuetudinis illius causam ex Myronidis de vnguentis libro refert Athenæus [z], ne vinum largiùs, meraciúsque sumptum superiores capitis peteret partes, sed ea humectatione comprimeretur impetus eius, stringendo, & refrigerando, atque, vt apud Plutarchū [a] tradit Aristoteles, cerebrum natura frigidum, & concretum, calore ac lenitate resoluendo. Denique audi quæ ad hæredes transmitti, quæ quemlibet dum licet, sibi habere, & frui Epicureæ legislator scholæ velit [b];

Vnguentum hæredi nunquam, nec vina relinquas:
Ille habeat nummos: hæc tibi tota dato.

Lege conuiuiales antiquitates [c], Fuluium Vrsinum [d], Marsilium Cagnatum [e] (eruditum, ac solertem Medicum nostræ Romanæ familiæ valetudinis multorum annorū fidum, & charum curatorem) & supra omnes Clementem Alexandrinum [f] cum Scholiaste Gentiano. Clemens negat magni factum à Christo vnguentum, quo ipsum peccatrix vnxit, eo vtens cùm peccatrix, sed quòd obtulit quam tunc vt rem optimam apud se habebat, & ducebat, atque velut indicem pœnitentiæ, rei illius abdicatione religiosa. Tum variam super eodem vnguento, factóque tractat allegoriam. Scribunt hac de re quoque multa Gentilium auctores, Athenæus [g], Dioscorides [h], Plinius [i]. Legantur etiam Roa [k] noster, & Pradus [l], & quæ ipsi diximus ad caput Sapientiæ secundum [m], & quæ Ludouicus Sotomaior in Cantica [n].

Vers. 9.] Perfruere vita cum vxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub sole.

NOn est monere necesse, quàm hæc sumantur sensu vario, vt sapienter, vt stultè dicta, vt de vxorio honesto vsu, vt aliter mysticè de sapientiæ complexu, vel Ecclesiæ. Reuerà *secura mēs iuge conuiuium* [o], & suaue virtutis epulum cum sapientia, dulcissimæ voluptates, gloria magna ex testimonio conscientiæ [p], quódque confidere liceat nos bonam habere, volentes in omnibus bene conuersari [q]. Recognosces in libro non solùm Canticorum, sed etiam Sapientiæ, & Prouerbiorum [r], castos illos quos dico complexus; pudicos amores, dulcia colloquia, cōtubernia iucunda. Vetus translatio, & editio Græca, atque Hebræa legunt (*vide vitam*) quod Hieronymus notat ambiguè dictum: siue, vide, & contemplare vitam & ipse, & vxor tua tecum, quia non poteris sine tali vxore, hoc est, sine sapientia, solus videre vitam: siue, vtrumque considera, & vide vitam, nimirum veram illam ac sempiternam, & mulierem .i. sapientiam, vt cū hac felicem quæras vitam. Idē in expositione Malachiæ [f] legit (*viue vitā, &c.*) licèt interpretās quoq; de sapiētia, ac de naturali etiam intelligētia. Melior versio posterior, & quā hoc loco ipse posuit post veterē, nósq; vtimur pro vulgata. Nā videre vitā sicut & dies [t], imò mortē [u], vt nō semel admonuimus, nihil aliud est quàm experiri, viuere, mori, &c. Symmac. (ἀπόλαυσον ζωῆς, *perfruere vita*) sicut habet vulgata. Nō, opinor, monogamiā cōmēdare nūc voluit Salomō, vt sit vna quisq; cōtētus, dū viuit illa, vel vt caueat ne ab ea fallatur, ceu quōdam ab Eua Adam [x]. Hæc tradit Olympiodorus. Multo minùs cuiuis laxare frenos, vt qualibet

a Act. 1. 10.
b ser. de fide resurrect.
c 9. moral. c. 19. vel 18.
d in c. 5. Zachariæ, & in c. 24.
e 1. contr. Iouin.
f Exhortat. ad virgin.
g in Cantica.
h 1. Epist. 2. v. 27.
i 1. moral. c. 2. vel 36.
k lib. 11. c. 5. & 6.
l 5. histori. c. penult.
m Lucæ 9. 29.
n Mat. 6. 17.
o c. 17. 2.
* Marc. 16. 5.
p Luc. 23. 11.
q Apoc. 19. 8.
r Philip. 4. 4. 5.
s in Pol... lib. ...
t lib. 15.
u Ps. 22. 5. 2. Reg. 12. 20.
x Mat. 6. 17.
y Luc. 7. 46.
z lib. 15.
a opusculo de Iside, & Osiride.
b Martialis lib. 5. Epigr. 126.
c lib. 3. c. 15. lib. 15 c. 3.
d append. ad Ciaconij triclinium.
e 2. variar. obseruat. c. 9.
f 2. pædagogi c. 8.
g lib. 15. c. 14. & 15.
h lib. 1. c. 53.
i lib. 13 c. 2. & 3.
k libr. 2. sing. c. 5 lib. 3. c. 1.
l in c. 23. Ezech.
m vers. 7.
n in c. 1.
o Prou. 15. 15.
p 2. Cor. 1. 12.
q Hebr. 13. 18.
r c. 4. & c. 5. myst... a vers. 18.
f in c. 2.
t Ps. 33. 13.
u Ps. 88. 49.
x Gen. 3. 6. 12. 1. Tim. 2. 14.

qualibet abutatur muliere etiā aliena. Id Moringus docet; imò Thaumaturgus. [Quin tu, ait iste, verbis vtēs insani cōsultoris, vestē recēs sordibus detersā (quasi album idē velit, quod mundū) induis, capiteq; vnguentis delibuto hanc atque illā mulierem cernis, vanámque vitam vanè transigis?] Cernis, dixit, ac veluti oculis captas, propter τὸ ἴδε ζωὴν μετὰ γυναικὸς, *vide vitam cum muliere*, &c.

Perfruere vita.] Chaldæus (*vita bona*) bonam intelligens honestam, vt constat ex his quæ subiungit. Placet quoque Carthusiano, & mihi.

Cum vxore.] Est Hebræum nomen אשה *isschah*, & Græcum γυναικὸς. Vtrumque pro vxore propriè dicta quando sumi debeat, ex adiūctis oportet iudicare. Alioqui quamlibet fœminam significare possunt, & muliebrem totum sexum. Galli generale vocabulum (*femme*) pro vxore vsurpant, Itali (*donna*.) quamuis habeant magis vsitatum (*moglie*) Hispani (*muger*.) Interpreti visum est de connubiali copula hîc sermonem esse, quod & ego credo, & Chaldæus expressit. Er alibi [a] docui *mulierem* quoque Latinos vsurpare de vxore. Amatorum blandientium hæ voces tritæ ζωὴ, καὶ ψυχὴ, vt legere est apud Athenæum [b], Martialem [c], Iuuenalem [d]; Latini dicunt quoque sæpenumerò, anima & vita mea, anime [e] mi. Idipsum vsurpant Itali, *vita mia, anima mia, cuore mio, bene mio*, &c.

Cunctis diebus vitæ instabilitatis suæ.] Alij (*vanitatis.*) Sed voluit Interpres phrasim variare, quia mox substituet *vanitatem* pro eadem dictione vtrobique, הבל *hebel*, & ματαιότης. Pro hoc quidam codices habent νεότητος, *iuuentutis*, Aquila ἀτμοῦ, *vaporis*, Vatablus *friuola vita*. Hebraismus est per obliquum casum nominis substantiui, adiectiui supplere vicem. Sic idem valet vita instabilitatis, seu vanitatis, quod instabilis, & vana. Multa sunt alibi eiusdem formulæ exempla.

Omni tempore vanitatis tuæ.] Glossa interlinearis, & Hugo Cardinalis meminerunt alterius lectionis, quæ habet (*natiuitatis.*) Hæc nec Hebraicis vocabulis, & Græcis, quæ modo retulimus, nec sensui cōgruit. Non enim sunt dies dati ad fruendum vxore tempore natiuitatis, sed vitæ, cuius epithetum est vanitas.

Hæc est enim pars.] Refertur hoc ad omnia præcedentia, non ad conuictum solum vxoris. Nihil enim præter hæc, ait, in sua insistens expositione Thaumaturgus, tibi reliquum est, nec in hac vita, nec post mortem. De phrasi diximus capite secundo [f], & alibi. Nec displicet tamen mihi, dum Sapiens tantam, támque insitam à natura voluptatem præcepto temperantiæ frenat, modúmque imponit effreni per se lætitiæ, velle nos de aliis omnibus oblectationibus tanto magis intelligere. Idipsum Salomon [g] eleganti sermone, aptáque comparatione admonuit, bibentis aquā de cisterna sua, & fluenta putei sui; atque sic lætandum cum muliere adolescentiæ suæ, quæ sit velut ceruā charissima, & gratissimus hinnulus, vtque vbera eius inebrient eum omni tempore, ac in amore eius delectetur iugiter. Si adsit moderatio, hoc est habere vxorem, tamquam si non haberes, gaudere tanquam si non gauderes, atque considerare prætereuntem figuram mundi huius, ac breue tempus [h]. Hos hîc Ecclesiastes noster dies appellat instabilitatis, ac tempus vanitatis

***

Vers. 10.] Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.

VEl atheus conuincitur, siue qui cum corpore credit animam perire: vel homo frugi, sapiénsque, qui non parcere debeat honestæ voluptati, non labori, aut ad eam in hac vita, aut in alia ad meliorem, vbi meritis ampliùs non est locus, acquirendam. Operandum cùm tempus habemus [a]; dum dies est; veniet namque nox, quādo nemo poterit operari [b]: hoc nunc tempus acceptabile, diésque salutis [c]: in diluuio aquarum multarū nullus ad Deum approximabit [d]. [Quia ergo & venturæ mortis tempus, ait Gregorius [e], ignoramus, & post mortem operari non possimus, superest vt ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, sic mors ipsa, cùm venerit, vincetur, si priusquàm veniat, semper timeatur.]

Chaldæus restringit sententiam ad eleemosynam, credo, attendens phrasim Hebræam, quam reliquæ sequuntur editiones (*omnia quæ inuenerit manus tua ad faciendum*, &c.) quasi iniecta in peram manus nummum extrahat. Sed eadem formula quicquid aliquis valet, in sua habere manu, aut manu inuenire dicitur, etiam quando punit, vt ibi [f]; *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.* Symmachus (*omnia, ad quæ manus tua ἰσχύεται, peruenit*) hoc est, quò se potest extendere, quò peruenire vires tuæ possunt, quicquid potes. Nec *inueniendi* verbo casus denotatur, résve incidens, & occurrens fortuitò, sed studium, ac diligentia quærendi quamlibet boni operis occasionem. *Quærite, pulsate, petite*, inquit Christus [g]. *Quærite Dominum dum inueniri potest*, inquit Esaias [h]: &, *Si* [i] *quæritis, quærite*, id est, seriò, ac sedulò, sicut Dauid, qui super senes ideo intelligebat, quia mandata Dei quærebat [k].

Instanter operare.] Alij (*secundùm virtutē ac potentiā & facultatem tuā ex omnibus viribus tuis.*) Qui instat operi, vires exerit, & exercet, conatum adhibet, facit quod potest. Olympiodorus per τὸ ὡς ἡ δύναμίς σου innui dicit omnem contentionem, studiúmque circa practicas virtutes, non tamen supra facultatem. Interpres satis visus sibi potentiam prioribus declarasse verbis, hoc aduerbio sedulitatem, perseuerantiámque voluit exprimere: nec enim satis, semel expertum vires, si manum ab opere retrahas. Hoc magis velim, quàm quod alij, celeritatem hîc præterea notatam, vt Bonauentura, & Hugo, simúlque feruorem; quæ meritò tamen conditiones adhibendæ ad opera virtutum. *In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi* [l]. *Qui mollis est & dissolutus, frater est sua opera dissipantis* [m]. *Si nō in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua* [n]: tandem [o], non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Lege caput septimum [p].

Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.] Hæc est causa, cur hîc, & in vita sit instanter operandum, quia post mortem operari non licebit, non deliberare, non dignoscere, non diligere, inquit Bonauentura: non operari, non allegare, non rationem nosse laborandi, & contemplandi, inquit Hugo Cardinalis: non exterius operari, non mente meditari,

non

[Marginal notes, left: a Act.1.24. — b lib. 13. ferè toto. — c lib. 10. Epig. in 67. — d Satyr. 6. — e Valerius, Cato, Mecænas de Horatio mortuo. — f vers 10. — g Prou. 5. 15. — h 1. Cor. 7. 29. 31.]

[Marginal notes, right: a Gal. 6. 10. — b Ioan. 9. 4. — c 2 Cor. 6. 2. — d Psal. 31. 6. — e hom. 13 in Euang. — f Psal. 20. 9. — g Mat. 7. 7. — h c. 55. 6. — i Esa. 21. 12. — k Psal. 118. 100. — l Eccli. 31. 27. — m Prou. 18. 9. — n Eccli. 27. 4. — o 2. Tim. 2. 5. — p vers. 19.]

non res humanas ſcire, non diuinas, inquit Lyranus: non exiget quiſquam à te rationem factorum tuorum, inquit de athei oratione Thaumaturgus exponens, ſapientia poſt mortem ac ſciētia nulla. Iam docui & animam ſeparatam intelligere, & merendi verum tempus in alia vita non eſſe. Hoc ſenſu nullum ibi opus, ſcientia, ac ſapientia nulla, nulla ratio, pro vt merito ſeruiunt, ne Chriſtum quidem excipiendo, qui ſe operari oportere dixit opera eius, qui miſerat illum, donec dies eſſet; venturam namque noctem, quando nemo poterit operari [a]. Lege præter citatos antè Doctores Auguſtinum [b] etiam, Hieronymum [c], Gregorium [d], Origenem [e], Chryſoſtomum [f], & ex Scholaſticis Franciſcum Suarez [g]. Vrget Hieronymus [h] Titi exemplum ac dictum Imperatoris, qui qua die nihil cuiquam boni feciſſet, eam ſe perdidiſſe credebat, & aſſerebat. Origenes proponit ex manna tropologiam, quod ſex in deſerto diebus colligebatur, ſexta die quantum ſufficeret in craſtinam, in qua non colligere, ſed edere tantùm fas erat [i].

a Ioan. 9. 4.
b tract. 44. in Ioan.
c in c. 6. ad Galatas.
d 4. dialog. c. 19.
e hom. 3 in Pſal. 36.
f hom. 55. in Ioannem.
g tom. 1. in 3. p. diſp. 40. ſect. 1.
h in c. 6. ad Galatas.
i Exod. 16.

Ratio.] Vetus translatio (*cogitatio*) Græcè (λογισμὸς) Hebraicè (חֶשְׁבּוֹן *cheſbon*, *cogitatio*, vel *computatio*) vt iam diu antè docuimus, explicantes hæc nomina.

Nec ſapientia, nec ſcientia.] Alij ordinem tranſponunt. Non refert; nec valdè ſim ſollicitus in ordinis reddenda ratione, dum ſua cuique vis relinquatur.

Apud inferos.] Hebraicè (בִּשְׁאוֹל *biſcheol*) Græcè (ἐν ᾅδῃ.) Has voces diligenter expendi tractans quem Petrus in concione proferebat [k] locum Pſalmi [l]; *quoniam non derelinques animam meam in inferno.* Docui, Hebræa, Græcáque poſsíntne *ſepulchrum, mortem, infernum locum* ſignificare. Hoc loco Hieronymus infernum propriè accipit pro ſubterraneo animarum receptaculo, in quo Samuël, omnéſque, licèt Sancti, ante aduentum Chriſti tenerentur. Limbus appellatur, vt notat Bonauentura. Lyranus addit Purgatorium. Hugo interpretatur de loco damnatorum. Olympiodorus eodem modo, & Thaumaturgus. Carthuſianus ait, à Scholaſticis paſſim ſic intelligi, quoniā agit Salomon cum improbis. Albinus mortem exponit, quamuis indicet etiam ſepulchrum, & infernum. Titelmannus amplectitur omnes vocis שְׁאוֹל *ſcheol* notiones pro foſſa, ſeu ſepulchro, morte, & inferno, vt hic receptacula cūcta contineat animarum, quæ ante Chriſtum hinc abibant. Moringus vult apud inferos eſſe, Hebræorum idiotiſmo, eſſe mori. Caietanus *foueæ, ſepulchríque* ſolam recipit ſignificationem. Fauent hæreticis, haud aliter Chriſtum ad inferos deſcendiſſe cōcedentibus, quàm quia mortuus, vel ſepultus eſt, qui vocabulum *inferorum* dictis ſumunt modis, non pro ſpatiis infra terram. Sed citato de his loco plura.

k Act. 2. 27.
l Pſ. 15. 18.

Ad ſenſum præſentis loci non admodum refert, quo pacto loqui Salomonem velimus; perinde namque verum eſt imponi finem meritis in morte, in ſepulchro, in inferno. Chaldæus *domū ſepulchri* vertit: qui cùm Hebraicè nouerit, non eſt credēdum שְׁאוֹל *ſcheol* nūquam *ſepulchrum* ſignificare poſſe; quod magnopere cōtendit Thomas Stapletonus, vt ibidem notaui. Potiùs contendendum, non ſemper nihil aliud quàm ſepulchrum eo vocabulo in Scripturis intelligi (quod minùs peritè docuit Cyprianus Ciſtercienſis) & frequentiorem pro ſubterraneo loco ſignificationem eſſe, magíſque primariam & propriam. Lege theſaurum linguæ ſanctæ.

Quò tu properas.] Alij (*quò tu vadis illuc.*) Addit Chaldæus (*& nō adiuuabunt te niſi opera bona, & iuſtitia tantūmodo.*) Gloſſa interlin. & Hugo Cardinalis *properandi* perpendunt verbum, quòd fugiat [a] homo velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permaneat, & cum tempore defluat, currat in mortalitate, præceps ruat ad culpas.

a Iob. 14. 2.

Non raro Interpres verbū Hebræū הָלַךְ *halach* reddit *properare*, vt hoc ipſo libro ſuperiùs cap. ſexto [b], & in Geneſis capite vigeſimo ſecundo [c]; *ego & puer illuc vſque properantes*, &c. & alibi [d]. Quin etiam quandoque ſimplex בוא *bo* exponit *properare cuius veniendo* [e]. Vidit proculdubio his in locis ſupplendam fuiſſe feſtinationem; & huius qui rationem habēt in ſenſibus eruendis, rectè faciūt. Dies vitæ ſuæ Iob [f] velociores ait curſore, nauibus poma portantibus, aquila volāte ad eſcā. Hæ ſunt in terra, mari, aëre citiſſimæ, ac fugaciſſimæ res. Iiſdem addit Sapiētiæ liber [g] vmbrā, & emiſſam ſagittam, vēto ſublatam lanuginem, ſpumam gracilem diſperſam procella, fumū vento diffuſum, memoriam hoſpitis vnius diei prætereūtis. In Pſal. nono [h] ſupra octogeſimū ſimilitudo eſt ex herba flacceſcēte ac deficiente. Apud Iacobū [i] comparatur vita noſtra cū vapore ad modicum durante. Sagax [k] illa mulier Thecuitis mori nos dixit inſtar labentiū aquarum. His ſimilia multa ex profanis auctoribus cōgerit auctor adagiorū ad illud, *homo bulla*, vt de frondibus, roſis, textura. Habet quoque Scriptura telæ cōparationē textæ ab homine, & aranea [l]. Seneca quoque proprio libro de breuitate vitæ nō pauca profert exēpla. Philippus item Beroaldus ſuper dicto prouerbio inter alia ſcripſit orationem lōgam, nec inuenuſtam. Sed contenti ſimus domi natis, & nos priùs alio loco nonnulla in eandem ſententiam attigimus. Adde duntaxat Ouidianam Pythagoræ acclamationem [m]:

b verſ. 6.
c verſ. 5.
d Gen. 32. 6.
e Gen. 45. 19.
f Iob. 9. 25. 26.
g Sap. 5. 9. 10. 11. 12. 15.
h verſ 6.
i c. 4. 14.
k 2. Reg. 14. 14.
l Eſa. 38. 18. Pſ. 89. 10.
m Metamor. lib 1.

Noſtra quoque ipſorum ſemper, requieq́; ſine vlla
Corpora vertuntur, nec quod fuimusq́; ſumuſq́;
Cras erimus. ———

Si ſermo ſit de improbis, properant hi ad interitum, abeúntque veloces in locum ſuum [n]; eò deſcendentes in momento ac puncto: ſicut iuſti volant vt aquilæ, currunt & non deficiunt, non in incertum, ſed ad felicitatis brauium.

n Act. 1. 25.

Verſ. 11.] Verti me ad aliud, & vidi ſub ſole, nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam; ſed tempus, casúmque in omnibus.

Corrigitur, vt arbitratur Thaumaturgus, prior illa hominis voluptuoſi ſentētia: nam Salomon teſtificatur à ſe pro certo deprehēſum, quamlibet quis pernicibus ſit pedibus, magnum illū curſum, qui nimirum eſt ad felicitatem, perficere nō poſſe, dū ita deſipit: non euadere, vel cōficere formidabile bellū, & agonem, mortis nēpe, atq; diuini iudicij, licèt habeatur apud homines potens: prudentiam in ciborum copia, in opibus non adeò ſagacitatem explorari: falli qui hæc vel ſibi polliceantur, vel aliis, minimè ſecum reputantes fore, vt piſcium inſtar, aut auium abrepti, ſcelerum luant pœnas.

A Olympiodorus, Hieronymus, aliíque ferè Interpretes eundem reddunt ſenſum, ſimúlque nos admoneri modeſtiæ, ne nobis noſtríſve viribus attribuamus ſapientiam, & virtutes, neu nimiùm præfidamus, ignari quis nos exitus maneat. Pendendum à Deo, qui omnia temperat, regítque pro vt quàm optimè iudicat conuenire. Malunt alij, vt Titelmannus, ſignificari vanitatem nouam, ex eo quòd caſu contingere cuncta videantur, cùm quæ ſunt magis certa, aptáque ad certum finem, hoc perſæpe fruſtrentur fine. Etenim minùs velox citiùs non raro pertingit ad terminum, aut pernicior non effugit minùs velocem ſe perſequentem. Eadem comparatio de robore corporis B ac bellica fortitudine, vt non ſemper imbecillior ſuperetur: eadem de ſapientia, qua qui præditus eſt, neſcit aliquando, nec valet res vitæ neceſſarias comparare, aut ornamenta diuitiarum: eadem de artificio, in quo non ſemper qui excellit, maiorem apud homines init gratiam. Tertius loci ſenſus eſſet, quem præter primum Moringus tradit, ſi loqueretur hîc adhuc ſtultus contra prouidentiam diuinam, hanc ideo videri non eſſe, quia ſi eſſet, iuuaret prudentiam noſtram, ac in idem vtraque collimaret; cùm tamen, vt dictum eſt, aberrent à ſcopo, qui ſua ad eum ſtudia, & actiones conuenienter dirigunt; ita vt vna dominari cenſenda ſit, plurimúmque in rebus momenti habere fortuna.

C *Nec velocium eſſe curſum.*] Hebraicè, & Græcè dandi caſibus hæc omnia efferuntur, ſenſu eodem. Symmachus (τὸ φθάσαι δρόμον, *perficere curſum*) Chaldæus (*quòd nec viri, qui veloces fuerint ſicut aquila, adiuti ſunt currendo, vt eriperentur à morte in prælio.*) Latiùs extendenda ſententia ad alia pericula, vel ad quamlibet metam, quam ſibi proponat currens. *Et peribit fuga à veloce,* inquit Amos [a], *& fortis non obtinebit virtutem ſuam, & robuſtus non ſaluabit animam ſuam; & tenens arcum non ſtabit, & velox pedibus ſuis non ſaluabitur, & aſcenſor equi non ſaluabit animam ſuam, & robuſtus corde inter fortes nudus fugiet in illa die.* Non euaſit Aſaël *curſor velociſſimus quaſi* D *vnus de capreis, quæ morantur in ſyluis* [b]. Recurre ad Textoris officinam, vel ad geniales Alexandri dies cum Tiraquello [c], ſi curſores quæris velociores; ſed retenta te, nec in credendo præcipites: leuiter incedunt fabulæ, & poëtica procurrit per exaggerationem oratio, vt de Camilla Virgilij [d], Ouidij [e] de Atalanta. Quis credat Demarato, narranti Iphiclum ſuper triticeas currentem ariſtas, has non oblæſiſſe, imò inceſſiſſe per mare [f]? Id Orioni filio Neptuni tribuit Higinus; at hic ſe fabulas ſcribere profitetur. Ariam Tarſenſem ſtadiodromū laudat quidam Epigrammate Græco [g] nimis hyperbolicè, quòd nec intra carceres, vnde currere incipiebat, nec ad metā, nec in medio ſpatio, ſeu ſtadio prorſus cerneretur. E Congruit propoſito, fictus licèt, Centaurus Mermeros [h]:

Quique pedum nuper certamine vicerat omnes
Mermeros, accepto tum vulnere tardior ibat.

Curſus quàm valetudini conducat, militiæque, Mercurialis [i] docet, & Petrus Faber [k]. Spiritualis curſus in via Domini neceſſarius eſt ad brauium tendentibus [l]; verùm ita vt hoc ipſum reputent non eſſe currentis per proprias vires, ſed miſerentis Dei [m], qui ſtatuit pedes noſtros ſicut ceruorum [n], efficítque vt aquilarum inſtar volantes non laboremus, & non deficiamus [o]. Animat

a c. 2. 14. 15. & 16.
b 2. Reg. 2. 18. 23.
c lib. 2. c. 21.
d 7. Aenid.
e Ouid. 10. Metam.
f Cœl. Rhod. lib. 5. c. 5.
g in 1. lib. 1. tit. 1.
h Ouid. 12. Metamor.
i 5. artis gymnaſt. c. 7.
k 2. agonoſt. c. 3. & 11.
l 1. Cor. 9. 24.
m Rom. 9. 16.
n Pſ. 17. 34. 2 Reg. 22. 34. Abac. 3. 19.
o Eſa. 40. 31.

A largitor virium, ſimúlque præcurſor Gigas, qui exultauit ad currendam hanc ipſam viam à ſummo cœlo, iterumque ad ſummum eius [a], fugítque vt caprea, hinnulúſque ceruorum ad Bethel [b], Dei domum; vt quidem vulgò legunt multi, cùm ſit Bether legendum; atque ſic in emendatis Bibliis reſtitutum. Ne curras in incertum [c], in vanum [d], in vacuum [e], per patientiam curre [f]: recurre ad Eccleſiæ Præſides, Doctoréſque. Nouum curſus genus, vt qui credit, non feſtinet [g], vt quis non currendo currat, vt feſtinet lentè, vt immotus promoueat ſeſe, vt agat patiēdo, vt ſit potens cū infirmatur [h]. Hugo Cardinalis non eſſe velociū curſum declarat; quoniam Dei B beneficio Sancti carnis mole hîc depoſita, etiam dum viuunt, in carne currunt, in carne non ſecundùm carnem ambulantes [i]: vel quia non omnes ſic currunt, vt comprehendant [k], ſed cùm ſpiritu cœperint, bene currentes, carne conſummantur [l]; non conſummant curſum [m], viam Dei mandatorum non percurrunt [n]. Grauant iniquitates [o], & impietas ac iniquitas ſedet ſuper plumbeum talentum [p].

Nec fortium bellum.] Fortes non tam à bellica fortitudine intelligit, quàm à robore viribúſque corporis. Hoc ſignificant δυνατοὶ, & גבורים *gibborim.* Eo nomine Hebraico dicitur ille, quem Gigantem Septuaginta, & Interpres appellant, qui C exultauit ad currendam viam [q], & pro occurſu eiuſdem, poſuit Hieronymus curſum [r]. Vnde fit, curſui vires neceſſarias eſſe: καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐστιν, *velox fortis eſt,* ſeu *robuſtus,* inquit Philoſophus [s]; &, ſi fides habetur Xenophani Colophonio apud Athenæum [t], ταχύτης ποδῶν ἐστὶ πρότιμον, *pedum velocitas primum tenet locum*

Ῥώμης ὅσ' ἀνδρῶν ἔργ' ἐν ἀγῶνι πέλει.
Roboris inter omnia quæ viris in agone ſuppetunt.

Attamen hoc loco de robore ſermo eſt, quod comminùs pugnantibus, manúſque conferentibus neceſſariū eſt, atque, vt Chaldæus reddit, de robuſtis ineuntibus prælium robore ſuo. Symmachus, τὸ κρατῆσαι πολέμου, *vincere prælium.* Dei eſt D docere manus ad prælium, digitos ad bellum [u]. Non enim *in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo* [x], *nec eſt Domino differentia,* ſeu *diſtantia,* ſeu *difficile, ſaluare vel in multis, vel in paucis* [y]. Omnium bellorum exitus, euentúſque incerti [z]; & Mars communis, qui ſæpe ſpoliantem iam, & exultantem euertit, ac perculit ab abiecto [a]:

Inter vtrumque volat dubiis victoria pennis,
Mars dubius. [b]———
———*Nunc belli mala,*
Propone dubias Martis incerti vices,
Licèt omne tecum Regis robur trahas,
Licèt arma longè miles ac latè explicet,
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt,
E *Et incerti fallax fiducia Martis* [c].

Hinc Virgilianum illud monitum [*]:

Reſpice res bello varias.———

& Latinæ princeps hiſtoriæ prodit [d], nuſquam minùs quàm in bello euentum reſpondere: propterea in bello nihil tam leue eſſe, quod nō magnæ rei interdū momentū faciat [e]. Quis Goliam obtruncandū crediddiſſet ab adoleſcente [f], & à fœmina Holophernem [g], & Abimelec occidendum molæ fragmine, quod mulier de turri deiecit [h]? Non pij tantùm Principes bellum nunquam ſine Deo ſuſceperunt; ſed profani Bellonam cum Marte bellis Deam præfecerunt. Res eſt exemplis vtriuſque generis hominū teſtatiſſima,

a Pſ. 18. 6.
b Cant. 2. 17.
c 1. Cor. 9. 26.
d Gal. 2. 2.
e Philip. 2. 16.
f Heb. 12. 1.
g Eſa. 28. 16.
h 2. Cor. 12. 10.
i 2. Cor. 10. 3.
k 1. Cor. 9. 24.
l Galat. 3. 3. c. 5. 7.
m 2. Tim. 4. 7.
n Pſ. 118. 32.
o Pſ. 37. 5.
p Zachar. 5. 7. 8.
q Pſ. 18. 6.
r ibidem.
s 1. Rhet. c. 5.
t libr. 10.
u Pſ. 143. 1.
x 1. Mach. 3. 19.
y ibid. 18. 1. Reg. 14. 6. 2. Par. 14. 11.
z Cice. ep. famil. ep. 5. & 6.
a idem. 10. Phil. & pro Milone.
b Ouid. 7. Metamorph. & 1. de arte amandi.
c Seneca in Thebaid.
* 12. Aeneid.
d Liui. lib. 2.
e idem libr. 25.
f 1. Reg. 17.
g Iudith. 13.
h Iudic. 9. 53.

necnon

necnon quàm variè pugnatum, disparíque conditione amissa partáve victoria. *Dominus Sabaoth, virtutum, exercituum, nomen Deo nostro, nec est alius qui pugnet pro nobis.* Quid memorem fulminatricem legionem Christianorum? quid Constantinos, Theodosios, Carolos Imperatores, vel Narsetes duces? Ipsi illi idololatræ milites accepto signo ad orientem Solem sese venerabundi conuertebant, Deumque opem implorabant [a]; idque Curiatios, & Horatios, antequam inter se pugnarent, fecisse narrat Zonaras [b]. Nec bellum suscipiebant vllum Romani Diis inconsultis, ac non placatis, si sibi iratos existimassent [c]; indicebant quoque supplicationem, ludos, ac dona vouebant [d]. Lege Valtrinum [e] nostrú, qui prætereà de euocatione Deorum, sub quorum tutela vrbs erat, priusquàm illam expugnárent hostes [f], citans de hac Plinium [g], Macrobium [h], Liuium [i], Arnobium [k], eósque Deos vno vocatos nomine Nouensiles, & eorum peregrina sacra. Si nihil aliud vita nostra nisi militia super terram [l], obsequi nos duci Deo, eius ex nutu, auxilióque pendere necesse est.

a Plutarc. in Marcello. Tunc lib. 3. b tom. 1. annal. c lib. 8. d idem lib. 6. & lib. 38. Cicer. de diuin. e de re mili. Roman. c. 8 & 6. f lib. 5. c. 5. g lib. 28. h lib. 3. c. 9. i lib. 5. k cont. Gen. l Iob 7. 1.

Nec sapientium panem.] Vt satientur tempore famis, inquit Chaldæa paraphrasis: sæpe namque rediguntur in extremam egestatem, vt Iob, aliíque, inquit Lyranus, & sapientissimi necessariis indigent, ait Hieronymus. Sapientia digna est pane, lautóque victu, & sapientiæ pars est, illum sibi, aliísque comparare. Symmachus, *σοφίσαι τροφὴν, præbere alimentum.* Secus vtrumque contingit sæpe, vt præter historias experimentum quotidianum docet. De præfectis annonæ dixi exponens Actus Apostolicos [m]. Prudens is est familiæ præfectus, qui dare potest in tempore tritici mensuram [n], seu cibum [o], vel corporeum, vel spiritualem. Nihil refert quòd emendata Sixtiana Biblia Græca habeant numero singulari *sapienti*.

m c. 6. & 11. n Luc. 12. 42. o Mat. 24. 45.

Tropologia est, panem hunc spiritualem non esse sapientium, per studium, laborémque proprium absque gratia Dei, qui paratum de cœlo panem præstat absque labore [p]. Illud item ad mores facit, sapientes nonnullos panem sibi ipsis non habere; sed aliis vendere, docentes, dicentésque, non facientes, furfuribus contentos verborum, triticeum diuini verbi panem minimè degustantes. Sic quidem Cardinalis Hugo.

p Sap. 16. 20.

Nec doctorum diuitias.] נְבֹנִים *nebonim.* & συνετοὶ solertiam denotant, ac peritiam. *Prudentes* vertit vetus translatio. Diuitias bonorum operum mysticò sensu Hieronymus (abutens voce τ̃ ἀναγωγῆς) & alij sumunt.

Nec artificum gratiam.] Alij generali nomine *scientes* habent, יֹדְעִים *iodehhim*, γινώσκοντας: & sic amplè Olympiodorus explicat de scientia, quæ solet, ac debet apud homines gratiam inuenire. Chaldæus (*neque etiam scientes prudentiam iuuantur scientiis suis ad inueniendam gratiam in oculis Regis.*) Restrinxit Interpres ad artifices, vt magis distingueret membra singula. Vatablus intelligit peritos captatores fauoris: Isidorus Clarius, qui habent rerum peritiam, videlicet agendarum; & paulo aliter etiam locum totum exponit, quòd plerumque non adhibeantur ad negotia hi, qui sunt idonei, non ad cursum veloces, non fortes ad bellum, &c. Lyranus de artium mechanicarum opificibus; Hugo quoque Cardinalis, Carthusianus, & alij, quamuis moraliter interpretentur, ad eum modum, quo se Paulus nominat architectum [q]. Thaumaturgus cursum quidem

q 1. Cor. 3. 10.

antea dictum ait esse illum magnum, & bellum illud formidabile, nempe quibus agitur de felicitate, ad quam certando tendimus: prudentiam verò non explorari in copia ciborum, nec sagacitatem quidquam commune habere cum opibus consueuisse: iis autem minimè gratulandum, qui putent omnes ad eadē peruenturos esse.

Sequor Interpretem, sed ita vt artificium extendam quoque ad liberales artes, quibus magis hominū gratia conciliari, quàm mechanicis potest. Studij, odiique artium exempla mechanicarum, necnon liberalium facultatum, atque scientiarum repeties in theatro humanæ vitæ, & apud similes collectiones, & officinas (quas indicare non video quid vel noceat, vel dedeceat) mysticos autem sensus ex Interpretibus petes. At Bonauentura prima duo asserit corporis dona, robur, & agilitatem: alia tria pertinere ad animam, sapientiam in corde, doctrinam in ore, artem in opere.

Sed tempus, casúmque in omnibus.] Vetus translatio de Græco sic expressit (*quoniam tempus, & euentus occurret omnibus illis, ὅτι καιρὸς καὶ ἀπάντημα ἀπαντήσεται τοῖς πᾶσιν αὐτοῖς.*) Eundem sensum habet Symmachi verbum συγκυρήσει. Hebræis ad verbum congruit, & Chaldæis vtraque illa editio, sed vulgata breuior, nec minùs clara. Voces Hebræas, & Græcas alibi declarauimus, עֵת *hheth*, & καιρὸν. Similes sunt τ̃ ἀπαντήματος, & συναντήματος. פֶּגַע *pegahh* aliàs [a] vertitur *occursus*, eodem sensu cum *euentu*, vel *casu*. Hieronymus exponit ignorari quando tempus adueniat, in quo varius euentus, & finis omnium subsequatur, iam incerto statu ferri omnia, nec esse in præsenti retributionem meritorum, sed in futuro. Sequens versus hoc indicat magis; nunc significatur esse casum & fortunam in rebus, & inconstantem vicissitudinem. Caietanus Hebraica sic reddēs (*quia tempus & casus obuiant eis*) per tempus vult nos intelligere cœlestium corporum actiones; verum autem esse impediri dispositiones humanas ad conseruationem effectuum corporeorum, de quibus hîc solis mentio fit, à cœlestibus motibus, & casu. Rabbi Abenezra de ordinatione, seu prouidentia diuina casum hunc, suúmque cuilibet tempus exponit. Multo meliùs B. Thomas [b] tractans eūdem istum locum, casum admittit: sed ex ipsomet casu colligit res, quibus is euenit, alicuius gubernationi esse subiectas. Nam casu fit, quod præter intentionem: nisi ergo res, quæ patiuntur casum, ab aliquo superiore gubernarentur, nihil intenderent, maximè quæ non cognoscunt. [Ecclesiastes verò non dicit simpliciter, inquit Angelicus Doctor, quòd vidit casum esse in omnibus, sed tempus, & casū, quia scilicet secūdùm aliquē ordinē tēporis casuales defectus inueniūtur in his rebus. Exempli causâ, quòd potentiores frequenter succumbant, ostenditur, ait rursus idē [c], quòd victor magis est ex diuina prouidentia, quam ex humana virtute, &c.] Soluit in expositione præsentis loci Bonauentura eandem difficultatem modo eodem.

a 1. Reg. 5. 4.

b 1. p. q. 103. a. 5. ad 1. & q. 5. de verit. a. 5. ad 5.

c q. 5. de verit. a. 5. ad 5.

De casu ac fortuna disputatum satis in scholis Philosophicis, & abhorrent Patres [d] à vocibus etiam ipsis, quæ videntur officere prouidentiæ diuinæ. Lactantium [e] lege præsertim, & Augustinum [f]. Præclara huius illa sententia [g]. Nihil fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiore inuisibili, atque intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur, secūdū ineffa-

d Aug. 1. retract. c. 1. e 3. inst. c. 28. f 4. de ciuit. Dei c. 18. g 3. de Trinitate c. 4. quē præterea lege lib. 83. quæst. q. 42.

bilem iustitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum, & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadã immensáque Republica.

Vers. 12.] Nescit homo finem suum:sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo,cùm eis extemplò superuenerit.

VEl de quouis, vt antea, loquitur euentu, vel de supremo vitæ nostræ, qui occupat improuidos,& incautos, quemadmodum à piscatore pisces, aues ab aucupe, dum vtrique suæ vacant voluptati, nilque minùs,quã sagenas, quàm laqueos expectant, capiuntur. Ignotum vitæ finem plures accipiunt; Carthusianus præterea beatitudinis supernaturalis.

Primæ expositioni fauet עת *hheth*, & καιρὸς,& qua Symmachus vtitur εὐκαιρία. Hieronymus quoque in commentario secutus veterem translationem,in qua est *tempus*,explicat de angustiis, déque interitu, qui veniat, dum nesciunt homines. Generaliter item Thaumaturgus, & Olympiodorus quemlibet negotij cuiuspiam exitum, non omnino vltimum, quo terminatur vita,intelligiunt.

Hamo.] Rete malum cæteri:sed Interpres malitiam *hami* vnico nomine aptè declarauit.Hieronymus affert allegoriam sagenæ pro regno cœlorum,de qua Christus [a],& pro fraudibus hæreticorum:Olympiodorus rete malum id,quod est contextum ex multiplici vitio,& voluptatum illecebris: esse enim & bonum è præceptis, & institutis vtriusque Testamenti. Voluptatum tropologiam in aquis agnoscit Bonauentura:ego in hamo quem tegit esca. [Gaudet piscis,ait Augustinus [b], quando hamum non videns, escam deuorat: sed cùm piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primò; deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam,de qua lætatus est,ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes,qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt,& cum illo sibi vagãtur. Veniet tempus, vt sentiant quanta tormenta cũ auiditate deuorauerint.] Nulla re magis homines,quàm voluptate capiuntur; hac inescantur: idcirco misit Deus piscatores [c],& ex hoc hominum genere Prædicatores, qui piscarentur homines [d]. Christus ipse piscis est, ἰχθὺς, apud Sibyllam Erythræam [e], cuius nominis literæ designant hæc omniã: Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεῦ υἱὸς, σωτὴρ, *Iesus Christus, Dei Filius,Saluator.* Sumpsit escam carnis nostræ, quia voluit, & hamo captus est mortis, mortem tamen destruens, & visum feliciùs restituens, eiiciénsque dæmonem,quàm Tigridis in Tobia [f] celebratus piscis; videlicet abscondendo sub humanitatis esca diuinitatis aculeum,vt docet Gregorius [g], & Ruffinus [h], qui nonnullis id Scripturæ [i] probat locis. Abutentes tanto munere facit quasi pisces maris, piscatui obiiciens Satanæ,mortique sempiternæ. Ne abutãtur,capiũtur à piscatoribus Christi, & ex aquis educũtur, vt moriantur, ait Iustinus [k], superiori vitæ, quàm in peccatis egerant, & ad æternam trãsferãtur;atq; perinde ac pisces coniecti, Christo incorporantur, vt tradit Origenes [l]. [Retia Apostolorum sunt, inquit Ambrosius [m], verborum complexiones,& quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus,qui eos, quos ceperint,non amittũt,& captos non perimũt,sed reseruant,& de profundo ad lumen extrahunt,& fluctuantes de inferis ad superna perducũt.] Hoc est aureo piscari hamo, meliore videlicet sensu, quàm quo parœmiam vsurpauit Augustus, teste Suetonio. De spiritualis piscatoris, pisciúmque proprietatibus, & officiis inter alios noster Salmeron [a]. De hoc adagio ex piscatione,& sequenti ex aucupio, consule Delrij nostri Adagialia sacra [b]. Oppianus [c] retis piscatorij genera recenset ἀμφίβληστρα (quod nomen hìc extat) γρῖφους, σάγηνα, ὑποχὰς, σαγήνας, πίζας, σφαιρῶνας, σάγηνον.

Et aues laqueo comprehenduntur.] Mysticè superbos designant aues, aut qui de rebus superioribus disputant superbè, leuantes os in sublime, Deíq; altitudines quærũt.Vel isti ipsi sũt aucupes hæretici, vt placet Hieronymo, qui tendunt laqueos aliis: & ipsæ creaturæ factæ dicuntur in muscipulam pedibus insipientiũ [d],& Deus pluere super peccatores laqueos [e],& illi cadere in retiaculo eius [f], id est,Dei, vt explicat Theodoretus.Sed paulo pòst iterum nonnihil de laqueis.

Sic capiuntur homines.] Editiones aliæ(*filij Adã*:) & omnis penè Scriptura, inquit Hieronymus, hoc idiomate plena est, non hic duntaxat liber, vt vbicumque est, *filij hominum*, in Hebræo sit בני האדם *bene haadam*; & vniuersum genus hominum Adam filios vocet. Non ergo solos malos, vt eundem velle Hieronymum quodam loco, alio ipse loco notaui, sic ab Scriptura nominari credendum est.

In tempore malo.] Græcè(εἰς καιρὸν πονηρὸν) Chaldaicè(*in tempore mali,quod mittitum est super eos puncto vno cælitus.*) Non enim propriè tempus in se malum est, vel superuenit, cadítve, sed id,quod est in tempore malum. Hoc tempus præcipuè mortis est,propter consequentia mox illam mala. Comparatur improuisus mortis, Iudiciíque aduentus cum fure à Christo [g],Paulo [h],Ioanne [i]. *Fur* autem *non venit nisi vt furetur, & mactet,& perdat* [k]. Iterum Christus vtitur ad idem propositũ exemplo laquei [l],& sagenæ [m].Paulus [n] laqueum indicat esse ambitionem, ob quam quis incidat in iudicium diaboli. Sed Antonius [o] omne genus tentationis per laqueos intellexit,quos vidit vndequaque toto tensos orbe. Hebræi tempus, pro quo hic finem haberi dixi, solent vsurpare, vt sit dies, quæ faciat viuendi finem; vt,*Tempus meum propè est* [p]: &, *Tempus meum nondum venit* [q]: item opportunitas quidpiam agendi; vt,*Miluus in cælo cognouit tempus suum;turtur & hirundo,& ciconia custodierunt tempus aduentus sui* [r]: &,*vocauit aduersum me tempus* [s]. Malum verò tempus vocant, cùm res aduersæ accidunt; vt,*Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est* [t]: &, *non ambulabitis superbi,quia tempus pessimum est* [u]: &, *Non confundentur in tempore malo* [x]: *in die mala liberabit eum Dominus* [y].Idem valet in genere diei malitia [z];id est, labor,atque dies mali [a].

Et superuenerit.] Hebraicè (*cùm ceciderit super eos*) Græcè (ὅταν ἐπιπέσῃ ἐπ' αὐτοὺς, *cum superceciderit in eos.*) Caietanus vult per casum de loco superiore significari, proficisci talia impedimenta, & euenta seu dum viuimus,seu dum improuisò morimur,à superioribus causis,vt idcirco vitari non possint.Chaldæus per מן שמיא *min schemaya, de cælo,* rem eandem disertè expressit.

a Matt.13.47.
b de agone Christ.c.7.
c Ierem.16.
d Matth.5.
e meminit Tertullia.de Baptismo.c.1. August.18.de ciuit.Dei c. 23. Prosper. de promiss.& prædict p.2.c. 39. Optat.3. con Parmen.
f Tob.6.& 11.
g 33.moral.c. 9.vel 12.
h in Symbolum.
i Ezech.32. Ps.73. Iob.40.
k q.20.ad. orthod.
l hom.16.in Ierem.
m in c.5. Lucæ.

a tom.4.tract.25.
b tom.1.adag. 904.
c 3.hali.
d Sap.14.11.
e Ps.10.7.
f Ps.140.10.
g Mat.24.43.
h 1 Thess 5.2.
i Apoc.3.3.& 16.15.
k Ioan.10.10.
l Luc.21.35.
m Mat.13.47.
n 1.Tim.3.7.
o Athanas.in vita.
p Mat.26.18.
q Ioan.7.6.8.
r Ierem.8.7.
s Thr.1.15.
t Amos 5.13.
u Mich.2.3.
x Ps.36.19.
y Ps.40.2.
z Mat 6.36.
a Ephes.5.16.

Vers. 13.] Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probaui maximam.

Hinc ad extremum vsque caput deplorat Ecclesiastes, cùm sit sapiētiæ vis tanta, & adeò explorata, vt vel vnus ea præditus ciuitatem valeat fortissimè obsessam liberare, nihilominùs tam parui eam homines facere, si illum, à quo tantum beneficium consecuti sunt, pauperem contingat esse, nec ampliùs eundem curare, quādo videlicet nulla premuntur simili necessitate. Consolatur seipsum tamen, quòd sapientem cordati attendant, æstiment, reuereantur. Tandem concludit, armis esse meliorem sapientiam, quæ potè præstet homini, vt ab omni malo caueat; & multum referat in negotio vel ne leuiter quidem peccare.

Et probaui maximam.] Alij (*magna est ad me.*) Potest illud quoque Psalmi octogesimiquinti sensu eodem intelligi [a]; *& misericordia tua magna est super me*, id est, non tantùm facto, & effectu, sed opinione mea, & experimento. Aquila hoc loco (παρ' ἐμοί) & vetus translatio (*apud me*) Symmachus (δοκεῖ μοι, *videtur mihi.*) Maximam Bonauentura superlatiuè sapientiā dici notat, quia non inferior, vel æqualis victus hostis hîc describitur, sed superior, summúsque. Solemus dicere (*quest' huomo, ò questa cosa è grande appresso di me.*)

a Psal. 85. 13.

Vers. 14.] Ciuitas parua, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio.

Hebræus Hieronymi præceptor hominē nomine ciuitatis huius interpretabatur, quem vocant etiam Philosophi mundum paruum, seu minorem: paucos in ea viros, membra, ex quibus homo ipse contexitur: Regem magnum, qui contra illum venit, diabolum, cui nisi resistatur statim, interna cordis illabitur, quærens locum, quà irrumpat: pauperem, ac sapiētem, esse interiorem bene compositum sensum, qui soluit eiusmodi obsidionem: tunc exteriorem hominem illius interioris non recordari, nec subdere se consiliis eius; sed rursum sua frui libera voluntate. Secundam idem Hieronymus dat expositionem, vt parua ciuitas Ecclesia sit, in qua viri pauci, ad comparationem totius mundi: contra illam sæpe consurgere diabolum, qui se iactat magnum, & eam persecutione, vel alio angustiarum genere, ceu obsidione circumdat: pauperem, ac sapiētem, esse Christum, qui pro nobis pauper factus est [b], & est ipsa sapientia [c], liberátque hac sapiētia sua: vix tamen esse qui meminerit illius, & eius mandata consideret, sed totos se luxuriæ, atque voluptatibus tradere, quærendo diuitias, quæ non liberant in necessitate.

b 2. Cor. 8. 9. c 1. Cor. 1. 30.

Olympiodorus non recedit à mystica ista intelligentia. Differt, quòd paruam ait Ecclesiam militantem dici comparatione eius, quæ triumphat in cœlis: paucos, electos, ac sanctos Christi, qui dixit; *confidite, ego vici mundum* [d]: Gentiles, & Hebræos verba non audire: meliorem esse sapientiam incarnatam diaboli potentia, quam illa non per solam voluit, vt poterat, propriam superare potentiam. Meliùs extenditur allegoria, seu tropologia ad malos etiam Christianos, qui licèt audiant, non obediunt, & factis negant [a], contemnúntque legem Christi. Sectatur eandem mysticam rationem Bonauentura; sed paruam sumit Ecclesiam propter humilitatem, quæ sedes est Dei [b], paucos, electos [c]: diabolum regem super omnes filios superbiæ [d], cuique non est potestas super terram quæ possit comparari [e]: venire contra ciuitatem per suggestiones, vallando, cùm delectationes varias offert: extruere munitiones, proponendo peccandi occasiones: obsidionem perficere, quando perducit ad mandatorum Dei transgressionem. Rectè, qui persequitur eandem viam Hugo Cardinalis, humiles addidit ad Ecclesiam pertinere, non solos, sed numero simul ac merito. Illud præterea, vt vallum, munitiones, obsidio denotent omnes quas adhibet diabolus nocendi vias, per Tyrannos, hæreticos, mundi sapientiam, prudentiam carnis, suammet astutiā. Soluto Satana post mille annos circuibunt satellites eius Sanctorum castra, & ciuitatem dilectam [f]. Hoc est, vt exponit Augustinus [g], Ecclesia persecutionis immanitate cingetur, in angustias tribulationis coarctabitur, vrgebitur, concludetur. Literalis sensus is est, quem posui decimotertio versu, traditúrque ab omnibus. Affero subinde mysticos, quando sunt illustriores, & illustriorum auctorum. Deprehendi postea in Osorio [h] nostro non incommodam huius ipsius sensus explanationem. Sed Lyranus vtramque & de diabolo, & de nobis insidiante fomite mysticam rectè persequitur intelligentiam. Certè hic qui de Christo sensus declaratus est, valet ad exaggerandum Incarnationis eius Passionísque beneficium, & acriter castigandos, qui ne id quidem memori colant mēte. Chaldæus hoc modo (*corpus filij hominis, quod simile est ciuitati paruæ, & viri pollentes exigua virtute in medio ipsius: ecce cùm leues fuerint iustitia in medio cordis hominis, intrabit in corpus concupiscentia mala, quæ assimilatur Regi magno, & robusto, ad opprimendum, & obsidet cor, vt errare faciat illud, & ædificat in illo locum ad sedendum vbicunque voluerit, vt declinare faciat illud à viis, quæ rectæ sunt ante Dominum, ad comprehendendum illud in retibus maximis gehennæ, vt comburat eum propter peccata sua.*) Hieronymi magister Hebræus quem retuli, similem tradidit sensum.

d Ioa. 16. 33.

a Tit. 1. 16. b Esa. vlt. 1. c Matth. 20. 16. d Iob. 41. 25. e ibid. 24. f Apoc. 20. 8. g 3. de ciuit. c. 11. h tom. 5. in Dom. 3. Aduentus.

Extruxitque munitiones per gyrum.] Vetus translatio (*& ædificauit aduersus eam machinam magnam*) Septuaginta, χάρακας μεγάλους, Symmac. ἀποτείχισμα, Hebraicè מְצוֹדִים *metsodim*. Hoc vocabulum ex radice צוּד *tsur*, rete significat, vt superiùs capite septimo [i], ex מָצַד *matsad*, munitionem, seu arcem, & turrim altam, petram, vel rupem excelsam, & inaccessam, tutum locum, propugnaculum, quod milites construunt, vt inde vrbē oppugnent. Χάρακες sunt sulci terræ aratro, vel instrumento fossorio excauatæ, seu fossæ ipsæ; peculiariter autem valli, & aggeres, quibus castra muniri solent. Accipiuntur quoque pro castris ipsis, quæ videlicet muniuntur aggere. Suidas docet idem esse quandoque χάρακα, & στρατόπεδον, præter varias significationes, quæ spectant omnes ad sepiendum. Ἀποτείχισμα est murus ad obstruendum, sepiendúmque circumductus, loci munimentum cincti vallo & fossa. Quia verò Suidæ ἀποτείχισις significat quoque τειχῶν ἀφαίρεσιν, *murorum ablationem*, ac *demolitionem*, videri posset Hieronymus in antiqua translatione per ἀποτείχισμα, vertendo *ædificatam machinam magnam ad-*

i vers. 27.

uersus ciuitatem, intellexisse bellicum instrumentum, ad concutienda, & diruenda mœnia ipsius. Murales machinas Plinius [a] vocat: Virgilius [b] machinam belli: Vitruuius [c] in specie arietariam machinam: alij oppugnatoriam: alij balistas, quæ longè saxa rotant, vt Seneca [d] de machinis agés, vrbes sternentibus, loquitur. De vrbium arciúmque munitionibus, oblidionibus, expugnationibus, bellicis machinis, legendi tractatus militares, & Lipsij poliorceticon dialogi, libri quoque eiusdem ferè argumenti Bonaiuti Lorini gentilis mei, sed Hetrusco idiomate scripti, & alij de re ædificatoria [e].

a lib.7 c.56.
b 2.Aeneid.
c lib.10.c.19.
d in Thyeste actu 4.in choro.
e vt Leonis Baptistæ Alberti.

Et perfecta est obsidio:] Adiecit Interpres hæc verba, vt nihil desideratum intelligeretur ad obsidendam ciuitatem, & ex periculi magnitudine vis liberatricis sapientiæ perspiceretur. Profectò ciuitatem tam paruam, vbi pauci essent viri, dux mediocris paruo negotio poterat expugnare: tamen Rex magnus apparatu exercitúque regio, fortissimis machinis, munitissima obsidione circumsedit, & oppugnauit: quis non actum de ciuitate crederet? quis non desperaret?

Vers. 15.] Inuentúsque est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

TEstis Archimedes, quem tantopere verebantur Syracusas oppugnantes Romani, vt vel si funiculum, exiguúmve lignum ex muro conspicerent, machinam aliquam in ipsos moueri suspicarentur, & Archimedem vociferantes terga verterent, fugeréntque, & cogerentur conflictu, & oppugnatione prætermissa, in obsidione longa spem ponere [f]. Testis, vt profanis parcam exemplis, ac bellicis stratagematis, quas Horatius [g] curas vocat sagaces, Salomon [h] gubernacula, dispositionem, & consilia, Hebraicè תחבולות *thachbuloth*, mulier sapiens de ciuitate Abela [i], quam Ioab obsidebat circumdatam munitionibus, moliebatúrque destruere muros eius. Testis sapientissima & religiosissima Iudith [k]: testis Iahel [l], testis Debbora [m].

f Plutarch. in Marcello.
g 4.carm. ode 4.
h Prou.20. 18.c.24 6.
i 2.Reg.20. 15.& seq.
k Iudith 7. & 13.
l Iudic. 4.18. & seq.
m ibid.c.4.4. & seq.

Et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.] Abundamus exemplis ingratitudinis tantæ, nec à profanis, quale in Miltiadem, Themistoclem, arcessenda sunt. Expertus illam sæpenumero Dauid; tum verò quando exul cum collectitia sexcentorum manu Ceilam vrbem Iudææ conseruauit, ac Palæstinos graui clade affecit: Ceilani tamen eum Saüli tradidissent, nisi diuino monitus oraculo fugisset [n]. Hebræi obliti liberatoris Gedeon, non fecerunt misericordiam cum domo ipsius, iuxta omnia bona, quæ fecerat eis [o].

n 1.Reg.23.
o Iudic.8.35.

Mysticè loquendo, quàm pauci recordantur Christi sapientissimi, & propter nos pauperrimi, qui sapientia singulari nos liberauit magis, quàm potentia (*prudentia enim eius percussit superbum* [p]) id est, per stultitiam Crucis, & iustum pretium? Quis patitur super cótritioné Ioseph [q]? *Oblita es Dei saluatoris, & fortis* (non tam viribus quàm patientia rem experientis) *adiutoris non es recordata* [r]: *fratres hominis pauperis oderunt eum*; *insuper & amici procul recesserunt ab eo* [s]. Nam plerique ferè omnes *colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis* [t]: sed Christi dona spiritualia sunt,

p Iob.26.12.
q Amos 6.6.
r Esa.17.10.
s Prou.19 7.
t ibid 6.

A ipséque pauper paupertatem suadet; à qua carnalis homo abhorret. Chaldæus pergens in allegoria, sub persona pauperis accipit affectum bonum, humilem, & sapientem, qui supra corpus præualuerit; sed homo postea non recordetur illius, non eum conseruet, innocenté se reputans, nec egentem tali affectu, atque consilio. Carthusianus idem paulo explicatiùs tradit; & similis fuit sententia Hebræi, quo vtebatur Hieronymus magistro.

Deinceps.] Deest hoc aduerbium in textu Hebraico: habet Chaldaicus, & τὸ οὖν Græcum eiusdem potest vim habere. Si remoueatur, videri poterit hic sensus, quòd nullus de hoc paupere cogitauerat, videlicet in eo talem latere sapientiam. Sed Interpres adiectione illa voluit significari ciuium ingratitudinem erga pauperem sapientem. Quin & *recordandi* verbum absque dicto aduerbio præteriti temporis, beneficium satis indicat, non priorem sensum; quicquid Titelmannus dicat.

B

Vers. 16.] Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine: quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?

C MElior est sapientia iusti, quàm vis fortitudinis improbi, inquit Paraphrastes; & Thaumaturgus, quàm popularis potentia. Non est comparatio inter virtutes: nec enim fortitudo virtutem hoc loco significat, quæ Græcè δύναμις, Hebraicè גבורה *geburah*, Chaldaicè כח *coach* vocatur: quod est quoque vocabulum Hebraicum.

Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?] Gratiam, vímque continet interrogatio, licèt aliæ ipsam editiones non exprimant. Indignationem denotat cum admiratione, non modò beneficij obliuio, sed quòd non inducat eius memoria illos ipsos, qui sunt experti, ducuntúrque propriis commodis, ad libenter,

D & studiosè sapientis, quamlibet inopis, auscultanda recipiendáque consilia, & monita. Nisi esset ingratum, ingratitudinis hîc turpissimi vitij reprehensionem apponerem. Nihil ferè Seneca aliud totis libris de beneficiis. Artaxerxes epistola pro Iudęis aduersùs Aman scripta reprehendit non agentes gratias beneficiis, quòd humanitatis in se iura violent [a], τὴν εὐχαριστίαν ἐκ τῶν ἀνθρώπων ἀνταναιροῦντες. Nihil æquè concordiam generis humani dissociat, atque distrahit, teste quem modò nominaui, Seneca. Hoc nomine Agar ab Angelo reprehensa [b], & Laban [c], populus totus ab eodem [d]; à Deo verò etiam exprobrante [e], illum

E boue hac in re, asinóque (possent verò ferinæ gratitudinis exempla plurima proferri [f]) deteriorem, viliorémque. Athenienses capite plectebant ingratos, necnon Macedones [g]. Tantum est huius pondus peccati, adeò exaggerans, vt dimissa quoque reuocare quodá modo videatur, quatenus qui postquam ei condonatum est, peccat, grauiùs sanè peccare censetur, tametsi dona Dei sint ἀμεταμέλητα, id est, *sine pœnitentia*, nec semel deletorum macula, reatúsque peccatorũ ampliùs redeat. Sic intelligas quod est in parabola, repetitum à seruo nequam & ingrato dimissum antea debitum [h]. Hæc Augustini [i] mens est, quem Theologi [k] sequuntur, & Abulensis [l]. Lege Stobæum,

a Esther 16. 4.
b Gen.16.9.
c Gen.31.24.
d Iud.2.1.& seq.
e Esa.1.2.3.
f collegit nónulla Feuardentius digressione quadam ad caput secundum Ionæ.
g Alexan. ab Alexan.lib.5. c.1.
h Matth.18. 32.& seq.
i de verbis Domini sermone 15.
k 4.d.22.S. Thomas 3 p. q.88.a.2.3. & 4.
l in Matth. c.18.q.149. & seq.

bæum [a], Rhodiginum [b], Bellengardum [c], Petrum Ærodium [d], & Hilaretum [e]. Legant Iurisconsulti titulum de reuocatione donationum [f]; & Canonistæ illum qui est de donationibus [g], vbi donationis reuocandæ causa redditur ingratitudo. Meretur profectò vel hoc leuissimum ingratus supplicium, quod quondam decreuit Philippus Macedo ingratissimo hospiti, vt stigmata inscribantur huiusmodi, HIC INGRATVS EST [h]. Adi præterea Bernardum [i]. [Denique cultus Dei, ait Augustinus [k], in hoc maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata: vnde in ipso verissimo, & singulari sacrificio Domino Deo nostro gratias agere admonemur.] Testis vel *εὐχαριστίας* vox, & institutio, vt nunquam à gratiarum bene agendarum cessaremus officio (quo de ritu diligēter Ioannes Stephanus Durantus [l]) illúdque, cuius Aristoteles [m] meminit, in ciuitatis excitatum meditullio, eodem nomine, templum.

a serm. 42. b lib. 7. c. 38. c in sententiis. d lib. 4 decretor. 7. de ... e ... f ... g ... h Seneca 4. de benef. c. ... i serm. 2. de septem panib. & 5. in Cant. k de spiritu & litt. c. 11. l de ritib. Ecclesiasticis ... m 5. Ethic. c. 5.

Porrò contemni sapientiam, præsertim pauperis, miratur quidem Sapiens, habita ratione dignitatis ipsius sapientiæ; sed mirari desinit, qui considerat stultorum infinitum numerum [n]. *Non percipit animalis homo quæ sunt spiritus Dei* [o]: *nequissima paupertas est in ore impij* [p] (id est, execratur ipse illam:) *diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent; & pauper locutus est, & dicunt, quis est hic* [q]? Non audiuntur à stultis sapientes, quia longiùs absunt stulti, magnóque opus clamore [r]: obturant velut aspides aures [s]: *cum dormiente loquitur, qui narrat stulto sapientiam, & in fine narrationis dicit, quis est hic* [t]? Laborant audiendi vi: aures nō inclinant, sed surrigunt ad res magis opinione sua altas, & speciosas: quin etiam studiosè auertūt aures: audiunt, at non exaudiunt, nec obediunt, quoniam audita peruertunt, vel contrario iudicio præoccupati sunt: non enim recipient verba prudentiæ, nisi ea, quæ versantur in corde eorum dixeris [*]: postremò ad frequentem de sapientia ipsa obsurduerunt auditionem, vel præ strepitu internarum perturbationum, peccatorúmque, & externarum curarum, ac forsitan ob loquentis raucam, absonam, & demissam vocem non admittuntur, aut non perferuntur ad aures verba sapientium. Vtilis, & opportuna tropologia, quam ex Hugone Cardinale delibando mutuati sumus.

n Eccle. 1. 15. o 1. Cor. 2. 14. p Eccli. 13. 30. q Eccli. 13. 29. r Esa. 40. 6. s Psal. 57. 5. t Eccli. 22. 9. * Prou. 18. 2.

Voluit Deus per stultitiam prædicationis, quam pauperibus commisit, *saluos facere credentes* [u]: & licèt à ciuibus præsertim suis ob vilitatem fortunæ non libenter audiretur, & ab aliis quoque ceu fabri filius contemneretur Christus [x], nec vt demitari tantam sapientiam, virtutem, potentiam non possent, minimè nihilominùs crederent, tamen exiuit postea in omnem terram sonus, & in omnes fines terræ verba eius [y]. Solemne Deo vilibus vti personis ad res maximas. Elias, exempli causâ, & Elisæus erant agricolæ [z], pastor Amos [a]; omitto qui non tam elati celebrantur ex infimo gradu ad sapientiam, quàm ad potentiam, vt Dauid [b]. De eodem queruli Hebræi dicebant; *Non est* [c] *nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Isai*, sicut antea de Saül [d]; *Num saluare nos poterit iste?* rursus de priore stultus Nabal [e]; *Quis est Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerunt serui, qui fugiūt dominos suos*: tandem de nepote Dauid Roboam [f]; *Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Isai?* &c. *nunc vide domum tuam Dauid*: Chaldæus, *nunc regna super viros domus tuæ Dauid.*

u 1. Cor. 1. 21. x Mat. 13. 55. Marc. 6. 3. Ioan. 6. 42. Luc. 4. ... y Psal. 18. 5. Rom. 10. 18. z 3. Reg. 17. ... a Amos 1. 1. b Psal. 77. 70. ... Regum ... Regum ... Regum ... f 3. Reg. 12. 16.

Vers. 17.] Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos.

CHaldæus interpretatur de oratione quam suscipiat Dominus mundi, magis quàm clamorem vocis improbi, qui imperat stultis clamantibus, & non est qui attendat. Equidem attendens ad hunc sensum, non percipio quò tendat, vel vnde tendatur. Ille facilior, melior, magis contextus, vt post admirabundam querimoniam de contempta sapientia, soletur se Sapiens, quòd eam sapientes, & cordati magno æstiment, excipiántque cum silentio corporis, & quiete cordis, atque maiore plausu, approbatione, reuerentia, quàm soleat Princeps, aut diues à parasitis, adulatoribus, sibíque similibus stultis audiri; cùm vel hauriant auribus duntaxat, non animo perstreperum illum sermonem; vel, vt attendant seriò tantisper, breui postea de memoria eiiciant.

Allegoricè componit, ac opponit Olympiodorus inter se clamores inconditos Iudæorum contra Iesum; *Tolle, tolle, crucifige eum* [a], qui clamores clamantes & acclamantes, seu consentientes perdiderunt, cum sapientiæ ministris Apostolis, qui auditorum mentes quietas ab omni passione sedatásque reddebāt. Videtur Hieronymus clamorem tum in auditore, tum in loquente intelligere, vt prior sit qui lenocinio ac venustate verborum excitet plausum, risum excutiat, affectus lætitiæ concitet; posterior, qui acclamet. Reciproca sunt audiri, & loqui apud audientes. Quamuis autem Thaumaturgus verum dicat, priùs spretum sapientem pauperem, postea vocem editurum altiorem, atque exaudiendum magis quàm Principes ac Tyrannos, malorum cupiditate flagrantes; non est tamen ea expositio verbis auctoris adeò congruens, quæ clamorem nō sapienti, sed Principi tribuunt. Minùs placet Hugonis Cardinalis allegoria, Principem esse Christum, cuius tota prædicatio fuerit clamor: sapientes, qui sibi videbantur tales, Pharisæos & Scribas, hos auditos potiùs quàm illum: nec enim conueniunt ista cum serie sententiæ.

a Ioan. 19. 15.

In silentio.] Hebraicè (בְּנַחַת *benachath, in quiete*) si animo sedato perpendantur, vel placidè proferantur. Septuaginta (*ἐν ἀναπαύσει*) Schol. (*μετὰ πραότητος*) vetus translatio (*in quiete.*) *Πραότης* significat *beneuolentiam, benignitatem, lenitatem, suauitatem, mititatem*, siue *mansuetudinem*. Propria hæc virtus Doctoris, rectoris, legislatoris, Principis, qua Ioseph, Moses [b], Dauídque [c] maximè celebrantur, vt etiam notauit Areopagita [d], Demophili castigans ferociam: quam Paulus viris spiritualibus [e] & Episcopis adeò commendat [f]: quæ tantopere Christo placuit, vt hanc præ cæteris virtutibus nobis ad imitandum proposuerit [g]. Et est sanè cum primis auditori, ac studioso sapientiæ necessaria mansuetudo, sine qua nequit esse docilis. *Esto mansuetus ad audiendum*, ait Ecclesiasticus [h], *verbum, vt intelligas*: & [i]; *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia suscepta*. Iacobus [k] quoque monet, vt in mansuetudine suscipiamus insitum verbum, vocátque mansuetudinem sapientiæ [l]. Nam *dirigit Deus mansuetos in iudicio, docet mites vias suas* [m]: ad annunciandum mansuetis missus Christus [n], & *arguit in æquitate pro mansuetis terræ* [o]. Arguit profectò Paulum spirantem minas & cædes, grassantē lupi in morem

b Num. 12. 3. Eccli. 45. 4. c Psal. 131. 1. d epist. ad Demophilum. e Gal. 6. 1. f 1 Tim. 6. 11. 2. Tim. 2. 24. g Mat. 11. 29. h c. 5. 13. i c. 32. 9. k c. 1. 21. l infr. 3. 13. m Psal. 24. 9. n Esa. 61. 1. o Esa. 11. 4.

contra

contra mansuetos, vt & mansuesceret ipse, déque lupo agnus euaderet, ab Anania, quem quidam ouem interpretantur, mansuetior adhuc factus per aquam regenerationis [a]. Cum silentio triduano audiuit quid Sapientia doceret, ac præciperet, non indigens longiore Pythagorico, tanto vsus magistro. Lege Commentarium nostrum in caput nonum Actuum Apostolicorum. A

Clamor Principis.] Non ergo sapientis pauperis, vt velle Thaumaturgum iam notaui. Abhorret ab ea quam dixi Doctoris leuitate clamor. Quòd si Christus docendo clamauit, non inconditè, aut perturbatè fecit, sed vocis contentione ad exaggerandum, & altiùs quod dicebat imprimendum vtebatur. Vel agrestis, vel superbus est, qui vocem sine modo, & absque causa contendit, soléntque qui superbiæ numerant gradus, vnum ponere clamorem vocis. B Nec mulier, nec rhetores ferunt, quæ medio caret, vocem. Ex his consule M. Tullium, qui longè diuersum facit oratorem, & clamatorem [b], imò & declamatorem, præsertim de ludo, quem comparat cum tabula de foro [c]; hócque nomine minùs Hortensium probatum refert [d]. Lege Senecam [e]. Ad innuendum Christi lenem, licèt efficacem, sermonem, vaticinatus est Esaias [f], non clamaturum, nec audiendam vocem eius foris. Vt autem vtiliter, cúmque fructu percipiat auditor sermonem diuinum, conducit silentium, quatenus, præter alias notiones priùs indicatas, denotat summum quendam dolorem, vt cùm amici Iob narrantur perspecto eo, humi C iacuisse [g]; & apud Ieremiam [h], sedendo in terra siluisse senes Sion; vel rerum omnium vastationem, vt in Amos [i], *multi morientur, in omni silentio proiicietur silentium.*

Inter stultos.] Hebraicè (*in stultis*) Chald. (*qui imperat stultis clamantibus*) Septuaginta (ὑπὲρ κραυγὴν ἐξουσιαζόντων ἐν ἀφροσύναις, *super clamorem potentium in stultitiis*) Schol. (μᾶλλον ἢ κραυγὴ ἐξουσιάζοντος ἐν ἀνοήτοις, *magis quàm clamor potestatem habentis in stultis*) quo modo vertit Hieronymus in vetere translatione. Recidunt omnes eodem præter Chaldæum, qui clamorem stultis assignat, quibus alius imperat, cùm cæteri ipsimet Principi imperanti; qui est melior sensus: licèt verum sit quoque talis Doctoris auditores clamare, vel tu- D multuando, vel assentando.

a Act. 9.
b 3. de orato.
c in orat.
d in Brut.
e 9. côt. couer. in præfat.
f c. 42. 2.
g Iob. 2. 13.
h Thre. 2. 10.
i c. 8. 3.

Vers. 18.] Melior est sapientia, quàm arma bellica: & qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

ILla in tempore afflictionis, inquit Chaldæus, quàm hæc in tempore ineundi prælij. Sed æqua ex vtraque debet esse comparatio. Arma bellica vocant alij vasa belli Hebraico idiomate, quo quælibet ad aliquid efficiendum, vel gerendum instrumenta mediáque, vocari solent vasa, vt do- E cuimus, cùm declararemus quo pacto Paulũ vas electionis nominaret Christus [k]. Aquila σκεύη πολεμικά. De re ipsa dictum priùs satis. Affinis illa sententia in libro Sapientiæ [l]; *Melior est sapientia, quàm vires, & vir prudes, quàm fortis.* In Prouerbiis [m]; *Vir sapiens, fortis est, & vir doctus, robustus & validus: quia cum dispositione initur bellum: & erit salus vbi multa consilia sunt.* Item [n]; *Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella.*

Tropologiam piè, prolixéque tractat Hugo Cardinalis hoc loco de spirituali bello, armísque, docens plurimum in sapientia, seu prudentia, quam discretionem vocabat Antonius, momentum esse, tam in singulis pro se, quàm in spirituali magistro, & confessario pro iis, quorum curam gerit. Enumerat peccata duodecim, quas nominat stultitias. Quem delectat, lectitet. Olympiodorus per allegoriam assignat Christo sapiẽtiam; diabolum intelligit tartareásque phalanges *armorum* nomine: Christum sua virtute diaboli vires, atque species omnes iniquitatis eius euertisse, & ad debilitatem redegisse. De comparatione sapientiæ, ac prudentiæ cum robore, ac viribus corporis, profert Delrius [a] noster pleraque Gentilium præsertim Poëtarum valde similia testimonia. Quò spectat Agamemnonis iudiciũ, præoptantis plures Nestores, quàm Achilles: & Græcorum iudicium, decernentium Achillis arma Vlyssi: reprehensio legum, quæ præmia magna constituebant athletis, agonistísque, sapientibus potiùs largienda. Legendi Xenophanis, ac Euripidis versus apud Athenæum [b]: aliorum Poëtarum item Græcorum apud Stobæum [c]; & ex Latinis Ouidij in Metamorphosi [d]. Breuiores attingo sententias Agathonis, Sophoclis, Euripidísque ab Stobæo recitatas

Γνώμη δὲ κρεῖσσόν ἐστιν ἢ ῥώμη χερῶν.
Sapientia verò melior est, quàm manuum valentia.
Γνῶμαι πλέον κρατοῦσιν ἢ σθένος χερῶν.
Rationes præpollent robori manuum.
Σοφὸν γὰρ ἐν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας νικᾷ.
Consilium enim sapienter initum multas manus vincit.
Ἀεὶ γὰρ ἄνδρα σκαιὸν ἰσχυρὸν φύσει
Ἧσσον δέδοικα τ' ἀσθενῆ τε, καὶ σοφόν.
Semper enim virum imperitum, & robustum corpore
Minùs timeo, quàm imbecillum, & sapientem.

Et qui in vno peccauerit, multa bona perdet.] Alij (*& peccans vnus perdet bonitatem multam*) Symmachus (ἀγαθὰ πολλά) Chaldæus (*occasionem affert, vt perdatur bonum magnum ex mundo.*) Hieronymus monet, in Hebræo legi posse (*& qui peccat vnum, &c.*) & sensum esse, quòd propter vnum peccatum multæ iustitiæ retrò pereant; & inuicem se virtutes sequi, & qui vnam habuerit, habere omnes; & qui in vno peccauerit, cum omnibus vitiis subiacere. Primo autem loco exponit de iactura diuitiarum magnarũ propter vnius stultitiam: Thaumaturgus de periculo, quod inde multis accersatur: Olympiodorus de prauo exemplo, præter iacturam bonorũ, quæ quis amittit peccando. Vnus Adam quàm multis obfuit [e]? Achan toti Hebræorum multitudini tantùm non exitium attulit [f]. Hebræi quidem in libro sanctificationum, & R. Salomon hoc loco, & Galatinus [g] de damno exponunt, quod toti mũdo intulit vnius peccatum Adami. Addi potest ob Dauidis vitium in censu populi superbiam desæuiisse pestem in populum [h]; & quòd

[i] *Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei*

Græcorum classis naufragium passa est. Denique, vt ait Hesiodus,

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.
Sæpe mali mala facta viri populus luit vnus.

Arbitror per se de periculo in bellis sermonem haberi, de quibus proximè, collata sapientia cum armis bellicis, actum fuerat. Tritum, sed verum prouerbium: *Vnus stultus proiicit lapidem in puteum, & mille sapientes non extrahunt.* Optimi Imperatores ducésque minimos in bello militiáve lapsus grauissimè puniuerunt: legislatores etiam atro-

k Act. 9. 15.
l c. 6. 1.
m c. 24. 5. 6.
n Prou. 20. 18.

a tom. 2. adag. 318.
b lib. 10.
c serm. 52.
d lib. 13.
e Gen. 3.
f Iosue 7.
g lib. 6. c. 6.
h 2. Reg. 24. 14 & seqq.
i Virg. 1. Aeneid.

ciores de primis transgressoribus pœnas exegerunt. E contrario vna mulier sapiens Abelam seruauit [a] : vnus in obsidione Syracusana suis saluti fuit Archimedes: vnus Fabius Maximus in secundo bello Punico : vnus in Epirotico Appius Cæcus ; & sic de aliis. Illi præterea prouerbio, quod paulo antè retuli, & à Caietano allatum est, videtur simile ; defectu claui equi soleam, defectu soleæ equum, defectu equi militem, defectu militis prælium, iactura prælij, Regnum amitti.

a 2. Reg. 20. 16. & seqq.

Secundus Hieronymi sensus placuit multis tum Interpretibus, tum Scholasticis Theologis: quia nempe dum mortale peccatum vnum viget, & charitatis anima destituta calore riget, meritorum præcedentium cumulus non proficit ad salutem ; sed est perinde, quod attinet ad hunc A effectum, iacturámque gratiæ, atque gloriæ, ac si quis omnium sit peccatorum reus [a]. *Si enim auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur* [b]; videlicet ob peccati statum sopitæ, atque mortificatæ. Omnia bona nobis pariter proueniunt cùm diuina sapientia, & charitate [c]: eadem recedente pereunt ea, quæ nos in Dei conspectu reuera bonos efficiunt. *Nihil* ergo *negligit qui Deũ timet* [d], & *qui spernit modica, paulatim decidet* [e] : vel vna in castris patens porta sufficit hosti : vulnus vnicum lethale ad mortem : ad interitum naui foramen : scintilla ad concremationem : vel vno volucris vngue ligata nequit volare. Hac ipsa de re actum libro isto superiùs [f].

a Iacobi 2. 10.
b Ezech. 18. 24.
c Sap. 7. 11. Cor. 13. 4. & seq.
d Eccli. 7. 19.
e Eccle. 19. 1.
f c 7. 19.

SVMMARIVM.

VARIVM inter sapientem, stultúmque discrimen hîc statuitur : multiplex documentum affertur de moribus : præfertur diuitiarum thesauris sapientia: damnatur ambitio stultorum, atque detractio, necnon ingluuies eorum qui præsunt.

CAPVT X.

1 MVscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Pretiosior est sapientia, & gloria, parua & ad tempus stultitia.

2 Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius.

3 Sed & in via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.

4 Si spiritus potestatem habẽtis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.

5 Est malum quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie principis:

6 Positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.

7 Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos.

8 Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

9 Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

10 Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt priùs, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.

11 Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.

12 Verba oris sapientis gratia: & labia insipientis præcipitabunt eum:

13 Initium verborum eius stultitia, & nouissimum oris illius error pessimus.

14 Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante se fuerit : & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?

15 Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere.

16 Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt.

17 Beata terra, cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.

18 In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.

19 In risum faciunt panem, & vinum vt epulentur viuentes: & pecuniæ obediũt omnia.

20 In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti : quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annunciabit sententiam.

Vers. 1.] Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Pretiosior est sapientia, & gloria, parua & ad tempus stultitia.

PLVRES cum Hieronymo nectunt extremo priori capiti sententiã istam (*& qui in vno peccauerit, multa bona perdet:*) vt scilicet malus vnus bonis mixtus contaminet plurimos, quo modo muscæ, si moriantur in vnguento, perdunt odorem illius & saporem. Sic etiam glossa interlinearis. Agendo seorsim de vno, qui multa in seipso perdat bona; muscæ, vt placet Bonauenturæ, cogitationes peccatorum sunt sibi succedentes, quæ perdunt intentionem (vnctio namque docet ac dirigit)

rigit [a]) & ita multa bona, vel internam deuotionem sapientiæ (*vnguento enim, & variis odoribus delectatur cor* [b] sapientis.) Hic quidem posterior modus dicendi meliùs congruit vulgatæ editionis verbis: cæterùm propiùs accedit ad tropologiam. Lyranus literalem magis attigit sensum, sicut per muscā paruam, cùm decidit in illa, quæ conficiuntur ab apothecariis, seu myropolis, pretium perdunt illorum; sic perdi per vnum peccatum cumulum meritorum. Proximè huic accedit expositio de suauitate bonæ conscientiæ, & odore bonæ famæ, quarum fit iactura rerum vel vnico peccato.

Sed ego longiùs extendo auctoris mentem ad quodlibet graue damnum, quod ex re parua creatur plerumque, si absit sapientia, quemadmodum in re bellica, quod nominatim exemplum antè præcessit; & *modicum fermentum totam massam corrumpit* [b]. Fateor *muscarum* nomine malam cum Paraphraste Chaldæo concupiscentiam designari, vel peccatorem cum eodem, & aliis auctoribus; quia peccator de immunditia nascitur, huic adhæret, hanc frequentat, & quærit; quia inquietus & importunus, ducem sequēs Beelzebub dominum, Deúmque muscarum. Hic demum ita nominatus est, vel quòd muscis plenus esset, ob sanguinem victimarū quo aspergebatur: vel quia contra muscarum pestem præsertim inuocaretur, vt quem colebant, Plinio teste [c], Myagrum Elæi, & vt prodit Pausanias [d], Aliphetæi; est enim μύαγρος muscarum venator, aut interemptor: vel ironicè à Iudæis irridentibus maximum Palæstinorum, quod ipsi colebant in Accaron, idolum, tanquam censerent spurcissimum, & prorsus infirmum. Hieronymus [e] vult ab Esaia muscam vocatam Ægyptum propter sordes idololatriç, & imbellem populum. Myodi præterea Deo, abigens de sacello muscas, Hercules dicitur immolasse: & in Olympiæ sacris cùm eidem taurus immolaretur, nubes muscarum toto illo agro abire cogebatur [f]. Cyrenaici quoque Achorem Deum muscarum multitudine pestilentiam afferente inuocabant, quæ protinus interibant, postquam litatum esset illi Deo [g]. Allusio forsan ad Beelzebub Deum Accaron, de quo dictum: idémque de Moabitis Theodoretus [h] testatur.

Concedit Donatistæ Catholicus apud Augustinum [i] hac sententia perniciem notari de consortio improborum; at non item violari cuiusquam improbitate Spiritum sanctum, & diuinum Sacramentum. Donatistas docet circumuolare per totius corporis membra, sicubi reperiāt vulnerata, sana pungere, ægra lambere, & eorum vlceribus peccatorum vermes fundere; has muscas conscientiam mordere, putredinem nutrire, nec ipsis mortuis cadaueribus parcere; cùm oleum exterminant, oleo ipso perimi; sic nec viuere hæreticos, qui Spiritum sanctum efflent.

Solerter idem Augustinus [k] ex musca, & paruo errore grauiores natos monet, cum narrat nescio quem muscam passum importunam, Manichæo, quis illam fecisset sciscitanti, respondisse diabolum; tum id magnopere probanti hæretico, ac interrogare pergenti, concessisse de ape, locusta, lacerta, pecude, boue, aue, elephante; postremò de homine. Ita ille miser, ait Augustinus, cùm tædium passus est à muscis, musca factus est, quē diabolus possideret. Beelzebub quippe interpretari dicitur Princeps muscarum, de quibus scriptum est; *Muscæ morientes exterminant oleum suaui-*

a 1.Ioā.2.27.
b Prou.27.9.
c 1.Cor.5.6. Gal.5.9.
d libr.10.c.28.
e libr.8.
f lib.5.in c.7.Esaiæ.
g Pierius lib. 26 hieroglyp. ex Plinio lib. 29.c.6.
h Plinius lib. 10.c.28.
i in 4.Reg. q.3.
k libr.con. Fulgen. Donatist.c.14.
l tract.1.in Ioan.

A *tatis*. Chrysostomus [a] quoque & Hieronymus [b], ac Rupertus [*] infectum a muscis oleum, hæreticam intelligunt doctrinam: & Epiphanius [c] hæreticos, qui execrantur Sacramenta: Olympiodorus hoc loco Iudæos vitiantes, & fœdantes verbum Christi suaue redolens, contempta etiam propria vita, & salute. Bernardus [d] morituras muscas miserias accommodatè interpretatur, blasphemias, insultationes, quæ non quiuerint exterminare suauitatem vnguenti, quod de patientis corpore Christi fluebat. Rursus [e] accipit pro cōcupiscentiis, quæ sordidæ sunt & pungentes, in nobis decorem naturæ fœdant, mentem curis, & sollicitudinibus lacerant, socialis gratiæ suauitatem
B extermināt: morituræ, quoniam *mundus transit & concupiscentia eius* [f]. Postremò pro leui peccato, vt otioso verbo, quod maiorum sæpe causa est [g]. Petrus Blesensis [h] eodem ferè modo. Gregorius [i] explicat de cogitationibus superfluis, quæ assiduè in animo carnalia cogitante & nascuntur, & deficiunt; eam verò suauitatem, qua vnusquisque intrinsecus per Spiritum vnctus est, perdunt, quoniam integritate eius perfrui non permittunt. Id applicat Carthusianus ad Ecclesiasticum officium, cùm distractè recitatur; & Gulielmus Parisiensis [k] ad orationem. Eadem Innocentij III. [l] mens de deuotione orationis, quam muscæ, hoc est, importunæ cogitationes
C tollant [m]. Rupertus rursum sicut Ægypti muscā, ita istam Salomonis censet esse muscam. Eucherius [n] diabolum muscam nominat, vel ministrū eius, vel spurcitiam idololatriç: Salonius in commentario dæmones, vitia, & peccata: hæc autem omnia exterminare hîc suauitatem vnguenti, id est, gratiā sancti Spiritus. B. Franciscus otiosum, & alieno victitantem monachum, solebat fratrem muscam nominare. Sic sanè parasitus apud Athenæum [o] vocat se muscam, quòd non inuitatus ad cœnam ierit; & Alexander Magnus queritur se morderi ab his muscis. Petrus Blesensis [p] idem de otiosis indicat. Plautus [q] curiositatis patrem cuiusdam notans dicit;

D *Musca est pater meus, nihil potest clam haberi illum:*
Nec sacrum, nec profanum quidquam est, quin adsit ibi illicò.

Lenones rursum scortáque comparat ipse cum muscis [r]. Vtebantur conniuantes Persæ flabello ad abigendas muscas, vt scribit Athenæus [s], quod Græcè vocabatur μυοσόβη, abactor verò μυοσόβης. Mentio quoque apud Martialem [t] de muscario ex pauonis caudæ pennis:

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alitis eximiæ cauda superba fuit.

Hieronymus [u] mysticè munera interpretādo, quæ Marcella miserat muscario euentilandis paruis animalibus deputato, docet indicari luxuriam ci-
E tò restingui debere, quia muscæ morituræ oleum suauitatis exterminant. Hildebertus Cenomanensis flabelli in sacrificio, quod & Romæ Pontifex adhibet, mysticam rationem reddit [x], necnon Germanus [y] valdè similem, exemplo sacrificantis Abraham, aues incursantes abigendo [z]: Clemens autem Romanus [a], ne in calicem incidant. Insatiabilis item signum muscam auaritiæ Tiberius Cæsar [b] dixit esse, cùm se non facilè magistratus mutare respondit, quòd hi, ceu bestiola ista, sanguine oppleti, minùs acre vulnus infligūt inopum facultatibus.

Placent ista; verùm si de literali sit sensu quæstio, non alius, quàm quem dixi de damno ex re

a homil.in Psal.22 & 116.simul.
b 2.cont. Pelag.
* de diuin. offic c.4.
c hæresi 40. Archonticorum.
d sermon in feria 4.hebdomadæ pœnosæ.
e serm.44.in Cant.
f 1.Ioann.2. 17.
g Bern. serm. de triplici cust.manus, linguæ, cordis.
h lib.de Iob. c.1.
i libro 18 moral.c.28. aut 25.
k de Rhetorica diuina. c 41.
l serm. in die cinerum.
m lib.3 in Exod c 34.
n de spiritualib.formu. c.5.
o libr.6.
p serm.51.
q Mercat. act.2. sce.3.
r in Curcul. & in Truc.
s libr 12.
t libr 14. Epigr.67.
u epist.10.
x epist.7.
y in theoria rerum Eccl.
z Gen.15.11.
a 8 constit. c.13.
b Niceph. lib.1.c.17.

parua

parua magno. Quod recitaui exemplum illius, qui à musca inchoans, ad elephantem, imò hominem peruenit, illius quoque conditionem tribuens diabolo, ad rem præsentem facit. Fecit is vltra parœmiam, non elephantem ex musca dûtaxat, sed hominem quoque. Iunge huic quam narrat Dorotheus [a] Abbas historiam monachi cuiusdam, qui initio, si quem laudari audisset, spernebat, neque cum Zozimo conferendum dicebat eiusdem æui laudato monacho; postea illum ipsum Macario postposuit; deinde Macariũ Basilio, & Gregorio; tum istos Petro, & Paulo: tandem hos ipsos Trinitati, ita vt nullius pretij vllos esse asseruerit præter eos, quos libinde præferebat: sed & in Deum ipsum factus insolentior, impotenti penitus exarserit, intumueritque superbia. Esaias Abbas * illum de parui peccati periculo sensim ex furto Achan [b]; ex melle, quod Ionathas gustauit [c]; ex fraude Ananiæ, & Saphiræ [d]; ex Iacobi sententia [e], quòd in vno delinquens, fit omnium reus; ex Ezechiele Dei sententiam recitante [f], quòd iusti iustitiæ non recordabuntur, si iniustitiam committat. Sed hæc potiùs demonstrant nocumenta peccati vnius si sit mortale, quamuis in speciem leue videatur. Refutat Optatus * diligenter, ac eleganter Donatistas, qui præsenti loco contra Catholicos abutebantur: nec enim denuò vngi, vel baptizari in Ecclesia, quibus ipsi Sacramentum dedissent: illos potiùs muscas esse morituras, & inuidiæ tempestatibus impulsos, quasi in oleum cecidisse, atque id, rebaptizando, exterminasse, quod per se valet ad condiendos mores, incendendum lumé mentis, sed non sine propria morte, more muscarum, quæ pereuntes exterminant; quia mors est peccatum, quod non habet indulgentiam. Sic ille.

Morientes.] Alij codices Latini, vetúsque translatio (*moriturae*) & S. Bernardus, Optatus, atque vno loco Augustinus anteà citati: Græcè (*θανοῦσαι, mortuae*) sed Sixtiani codices Septuaginta (*θανατοῦσαι, morientes*) & Hieronymus [g] alibi docet iuxta vim Hebraici textus legendum (*mortua*) Hebraicè (*muscæ mortis*) id est, morti obnoxiæ, vel moribundæ, vel mortuæ: θανοῦσαι participium est aoriston. Certè dum decidunt in vnguentum incautæ muscæ moriuntur: est enim omnibus insectis oleum lethale. Obtrectator, & inuidus dum noceat, noxam non curat propriam.

Perdunt suauitatem vnguenti.] Vetus editio (*exterminant oleum compositionis*) Græcè (*σαπριοῦσι σκευασίαν ἐλαίου ἡδύσματος, putrefaciunt compositionem olei suauitatis*) Schol. (*μυιῶν θάνατος σήψει ἔλαιον εὐῶδες μυρεψοῦ, muscarũ mors putrefaciet oleũ bene olens vnguentarij*) Heb. (*muscæ fœtere faciet, aut putrescere*, יַבְאִישׁ *iabeisch*) vbi verbum singulare plurali nomini coniungitur, id est, quælibet muscarum vaporare faciet, exhalare, scaturire, manare vnguentum pigmentarij, רוֹקֵחַ *rokeach*, siue vnguentarij, aromatarij, pharmacopolæ. Frustra Lucianus muscæ suscepit patrocinium (ostentant & alij in similibus exiguis argumentis ingenium, de quibus Tzezes [h]) haud minùs importunus caninâ, Cynicus rabula, non euadens quod se non se dissimulat veritum, ne fecisse videatur elephantem ex musca; indignus hominis anima, quem muscæ non pudet immortalem, & intelligentem assignare. Illud verè dixit, omnia degustare muscam præter oleũ, quòd hoc ei epotum (imò attactum) mortem afferat. Hoc priùs monui, traditúrque à Plinio [a], Galeno [b], Aphrodisæo [c], & aliis Physiologis, atque à Lælio Bisciola [d] nostro, qui diligenter plurima contulit vnum in locum. Signum balsami melle adulterati Plinius [e] ponit, si multum à muscis infestetur. Quamquam alicubi mel intactum à muscis idem [f] scribit, & Glycas [g], id nimirum præcipue quod maximè ex thymo cõficitur, quale Atticum. Nunquam rei symbolum bonæ musca, nisi quatenus mortua, & attrita pernicioso aranearum morsui remedium est: denotat enim, vt Ioannes à S. Geminiano [h] piè notat, carnem domitam afflictationibus, dolorem, ac pœnitentiam turpium actionum, mederi peccatis ipsis, quæ dum viuunt in animo, diabolum quodammodo pascunt. Homerus de viro pugnaci detorsit in bonum sensum;

—καὶ οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν,
Ἥτε καὶ εἰργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο,
Ἰσχανάᾳ δακέειν.—
Atque illi vim muscæ inter præcordia misit,
Quæ quamuis de pelle viri sit sæpe repulsa,
Assultat morsura tamen.—

Vulgaris parœmia, muscas abigere dicitur, tum depellere, qui labore irrito improbitatem aliorum nititur impedire, aut frustra quidpiam custodire, vel tegere nititur. Aristophanes [i] μυίας ἀπαμύνειν dixit. De vario ad medicinam bestiolæ vsu citati auctores, atque Medici, præsertim Galenus [k]. Commentum Hebræorum cur creare muscas Deus voluerit, quarum vtilitas nulla, & qua sint in se vtiles, Abulensis [l] narrat. Sed præstat muscas mittere, tametsi, quia animalia, cœlo nobiliores, vt Augustinus [m] obseruauit, ac si etiam opus sit, ne faciant negotium, excommunicare cum Bernardo [n]. His de musca obiter notatis, peruenit ad me Vlysses Aldourandus, apud quem plura reperi in opere de insectis [o]. Extat quoque apud Leonem Baptistam Albertum encomium muscæ.

Pretiosior est sapientia, & gloria parua & ad tempus stultitia.] Vetus translatio (*pretiosa est super sapientiam, & gloriam stultitia parua*) Græcè (*τίμιον ὀλίγον σοφίας ὑπὲρ δόξαν ἀφροσύνης μεγάλης, pretiosum paululum sapientiæ super gloriam insipientiæ magnæ*) vel, vt modò habent Sixtiani codices, *μεγάλην, magnam*, nempe gloriam: Hebraicè (*pretiosum à sapientia (&) à gloria, stultitia parum*, aut *stultitia parua.*) Videtur Hebræi textus mens esse in comparatione, quam Vatablus, & Clarius, & Ioannes Benedictus expresserunt magis, vt quemadmodum leuis, vilisque musca, ac vitæ modicæ (quod & Lucianus prodidit) reddit vnguentum putidum, ipsaque putret, ac fœtet; sic modicum insipientiæ reddat id quod pretiosum erat propter sapientiam, & gloriam, id est, eum qui erat in pretio, & bene ob sapientiam, & gloriam priùs audiebat, malè audientem, mali nominis, malæ famæ. Aliqui legunt obliquè, *stultitia (pretiosior, seu melior est sapientia, paruáque* (hîc ponunt comma) *gloria ad tempus stultitia*) id est, quàm gloria, quæ colligitur à stulto solùm ad tempus: satius est modicam habere sapientiam, quam magnam gloriam stultitiæ, quæ parum durat, seu maiestatem, pompam, splendorem diuitiarum.

Hieronymus sequi solitus in commentario translationem suam primam, ait hic præcipi,

---

[a] ...de hu... tom. ... ... Barorbe... ...
* ...rat. 25.
[b] ...c 7. 1. &
[c] ...Reg 14.
[d] Act. 5. 1. &
[e] ...
[f] ...c. 18. 10. ... 18. 24.
* ...cont. Parm...
[g] ...cõt Pelag.
[h] ...n hist. ...n. 385.

[a] lib. 11. c. 19.
[b] 2. de simplic. facult. c. 20.
[c] sect. 1. problem 62.
[d] 16 subsecitua hor. c. vlt.
[e] libr. 12. c. 25.
[f] lib. 21. c. 14.
[g] in annal.
[h] 5. de exem. & similitud. c. 28.
[i] in Vespis.
[k] lib. de oculis. lib. de cõposit. medic. secundùm loca.
[l] in 1 Reg 14. 9.
[m] lib. de duabus animab. c. 4.
[n] lib. 1 vitæ S. Bernardi.
[o] libr. 3. c. 1.

quia sæpe calliditati mixta est sapientia, & habet malitiam prudentia, vt sapientiam simplicem requiramus, mixtáque sit cum innocentia columbarum, prudentes simus ad bonum, simplices ad malum; & propter nimiam patientiam, dum vltionem reseruamus Deo, stulti videamur potiùs, quàm statim nos vindicando sub velamento prudentiæ, exercere malimus malitiam. Albinus pro more consentit Hieronymo, additque pretiosiorem esse humilem gloriam, quàm superbam elationem, & ad tempus stultum videri, hoc est, simplicem, quàm gloriosum, & superbum. Glossa interlinearis meliorem sapientiam simplicem, & humilem gloriam, qua quis ad tempus contentus est, quàm stultitiam, quæ nimirum nullo non tempore sese immoderatiùs effert ac ostentat. Lyranus iuxta communem expositionem, quòd sapientia cum honore paruo pretiosior est, quàm stultitia cum honore magno, vt dictum est capite quarto [a]; *Melior est puer pauper, & sapiens Rege sene & stulto.* At sunt, inquit, Hebraicè *sapientia*, & *gloria* ablatiui casus (indicat præpositio מ *min*) *stultitia* verò nominatiui, & (*parua*) non est adiectiuum substantiui (*gloria*) sed (*stultitia.*) Quare sensum istum elicit, quòd defectus paruus in moribus (qui dicitur hîc stultitia parua) ponderosior est, quàm sapientia, & gloria; quia frequenter facit eam vilescere in persona aliqua notabili, sicut muscæ reddunt vnguentum vile, &c.

a vers. 13.

Aliter adhuc seruata Hebraica lectione, sed יקר *iakar* accipiendo in magis frequenti notione pro pretioso, sic explicat, stultitiam paruam, quæ simulatur ad tempus, pretiosiorem, ac vtiliorem esse, quàm sit sapientia, & gloria, quam quis perpetuo quodam tenore sctuet, ac tueatur. Nam Dauid simulata corã Achis Rege Geth stultitia, euasit mortem [b]: & Brutus speciem stultitiæ induit, vt assequeretur Imperium [c]. Christiana sapientia stultitia est apud terrena sapientes [d]; & qui Christianè sapiens vult esse, fieri stultus debet.

b 1. Reg. 21. 12. & seq.
c histo. Rom.
d 1. Cor. 1. 20. & c. 3. 18.

Siue cunctatione vulgata nobis amplectenda translatio, quæ facilè conueniet iuxta modò traditum sensum cum editione Hebraica; pretiosior est sapientia, id est, magis quàm sapientia, falsa nimirum, paruáque gloria, ad tempus, non solida, & non veræ sapientiæ propria, stultitia, id est, quã quis prauè sentiens æstimat stultitiam, est autem vera sapientia. Obstat in Hebræo epithetum modicæ stultitiæ, siue paruæ, sicut in Græco contrarium magnæ. Caietanus hunc efficit sensum, quem Lyranus attulit secundo loco, vt modica stultitia faciat putrere, & fœtere hominem quãlibet eximium, qui ipsa videatur pretiosior sapientia, omni honore superior; quemadmodum vel musca, sicut est dictum, nobilissimum corrũpit vnguentum. Nam bonum consurgit ex integra causa, & mali, licèt parui, magna contagio est. Antiquior Lyrano Hugo Cardinalis meminit duplicis expositionis, aut legendo *sapientia*, & *paruæ gloriæ* nomina in recto, *stultitia* in ablatiuo casu; ita vt stultæ gloriolæ ostentatione sit pretiosior gloriatio breuis, quam quis habet in vera sapientia, & conscientia: aut prima duo nomina in obliquo, tertiũ in recto, ita vt stultitia ad tempus, hoc est, vera sapientia, quam hoc tempore vulgus reputat stultitiam, magis pretiosa censeri debeat, quàm sapientia huius mundi, quæ cum omni gloria, quam ipsi cõmunicant falso iudicio homines, parua est, & reuera in se momẽtanea.

Græca lectio stultitiam magnam cũ gloria, & maiestate, & cõmodis postponit paruæ sapientiæ duranti etiam solùm ad tempus. Sic Olympiodorus interpretatus est, exemplũ ponens eius, qui ex dicendi facultate laudem retulerit, iniustu clientibus patrocinũ præstando, vel ex opulentia clarus amplúsque habetur, vel seculari præditus sapientia circa inutiles quæstiones vitam cõsumit: his omnibus longo pretiosiorem habendum interuallo, qui ianuas, & intriũ sapiẽtiæ, quæ est secũdùm Deum, ingreditur, & in ea eruditur, incipitque eam sibare, omnem stultorum gloriam paruipendens. Vno verbo Thaumaturgus declarat, sapientiæ, ac stultitiæ simul meminisse nihil conuenire, hoc est, inuicem comparabiles nõ esse, cum videlicet pluris æstimari debeat vel tantillum sapientiæ, quàm quod est in stultitia eximium.

Nos tamen amplectimur expositionem vulgatæ translationi magis consentaneam, quam retulimus, & vt minimùm recedamus ab Hebræa, legimus obliquè tria prima nomina (*sapientia, paruáque gloria*) vltimum (*stultitia*) in recto, quod etiam comparatiuum (*pretiosior*) indicat, & prorsus exigit præpositio מ *min.* Sed quia hæc præpositio non tantùm significare potest comparationẽ, sed id quod est ab alio, possemus intelligere in hac acceptióne pretium id quod est à sapiẽtia, & à gloria sapiẽtiæ tributa, siue quod est propter hæc pretiosum, vel eum, qui pretiosus, parum stultitiæ corrumpere, id est, à parua stultitia corrumpi. Tamen noster Interpres vtens comparatiuo, & de suo addens (*& ad tẽpus*), quod nullus omnino alius, voluit profectò præferri sapientiam paruam, & eius gloriam stultitiæ, siue hanc intelligamus dici esse ad tempus, quia parum durat, siue illam, vt tam parua, quàm breuis moræ, debeat anteponi cuiuis stultitiæ, quamlibet magnæ (quod epithetũ Græci addiderunt) & quãtæuis durationis, quæ eodem epitheto magnæ potest includi. Sic vulgò in comparationibus loquimur, pluris æstimo huius drachmam rei, mille le istius libris, &c. plus habet hic vel in vngue prudentiæ, quam iste in toto corpore, &c. Hac ratione cohærebit comparatio præcedentibus eleganti antithesi: non enim duntaxat musca vnguentũ, vilis res pretiosam, & qui peccat in vno, multa perdit bona; sed quæ nullius pretij apparet, stultáque propter vilem paupertatis conditionem (vt capite præcedente dictum erat) sapientia, pretiosior est, quàm corruptis hominum celebrata iudiciis temporalis ψευδοσοφία, cuius æstimari satis non queunt damna.

Non reprehendat notam explicationis morosus quispiam. Qui morem gerit tuendo, ac illustrando veterem editionem Ecclesiæ, malè moratus sit nisi diligenter officium exequatur. Laborauit nonnihil pro huius loci plurimis modis deprauati germana lectione, quæ est, quam diximus, Franciscus Lucas Brugensis notationibus in Biblia. Quidam codices legunt (*pretiosior est sapientia, paruáque gloria ad tempus stultitia*) vel (*pretiosior est sapientia, gloriáque parua ad tempus stultitia*) vel (*pretiosior est sapientia gloria parua, & gloria parua ad tempus stultitia*) vel (*pretiosior est sapientia gloria parua ad tempus stultitia*) vel (*melior est sapientia, paruaq; gloria ad tempus stultitia*) vel (*pretiosior est auro sapientia, paruáque gloria ad tempus stultitia.*) Ipse sic legit (*pretiosior est sapientia, & gloria parua ad*

tempus

tempus stultitia.) Omisit coniunctionem *(&)* ante *(ad tempus)* quæ tamen commodiorem sententiam reddit.

Et ad tempus.] Paulo antè dixi, vel de gloria, atque sapientia, vel accipi posse de stultitia. Illud malim, quàm hoc. Vtrouis modo integer sensus; prior luculentior.

Vers. 2.] Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius.

a vers. 14.

PRosequitur distantiam inter sapientem stultúmque. Capite secundo [a] sapientis oculi simili quadam sententia dicebantur esse in eius capite, stultus in tenebris ambulare. Inde possunt huc quædam transferri. Sensus perspicuus de peruerso, ac sinistro stulti iudicio, & affectu, de sano, & recto sapiẽtis. Sapiẽtis cor, ait Chaldæus, incumbit ad acquirendam legem, quæ data est manu dextera Dei, & cor stulti ad acquirendas facultates auri, & argenti. Sanè quidem *longitudo dierum in dextera sapientia, & Dei, & in sinistra illius diuitiæ, & gloria* [b]: expetitur namque primo, præcipuóque loco vitæ potissimùm æternæ, ac beatæ possessio, & huius in ista gustum communicat præsertim electis per gratiam Deus: diuitias iis quoque, & plerumque magis, qui statuentur in iudicio ad sinistrã [c]: læua [d] enim eius sub capite nostro, vt nos sustẽtet, dextera nos amplexatur, vt delectet. *Vias, quæ à dextris sunt, nouit Dominus; peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt: ipse autem rectos faciet cursus tuos* [e]. Quasi dicat, vt animalis motus inchoatur à parte dextera, & quadam proportione cœlestis quoque (meridionalem cœli, mundíque partem vocant Hebræi ימין *iamin, dexteram,* & mare ים *iam* eadem de causa) licèt cor, vnde vis motiua, vergat homini ad sinistrã partẽ in crate thoracis; sic sapientem rectà tendere, recta & cogitare, & loqui, & operari, *καρδία σοφοῦ εἰς δεξιὸν αὐτοῦ*, perinde ac innuat vim à corde in latere sinistro ferri ad dextrum, &, vt ait Thaumaturgus, sapientem ad res dextras, & honestas sibi ipsi ducem esse, stultum ad læuas propendere, nec vnquam ad res præclaras duce stultitia vti, non esse adeò sui iuris, liberum, expeditum, efficacem, sed eneruem, constrictum, &c.

b Prou. 3.16.
c Matt. 25.33.
d Cant. 2.6.
e Prou. 4.27.

Eodem pacto cæteri passim: ex quibus Hieronymus obseruat, iustum in se sinistram non habere, sed totum in eo dextrum esse, cogitare semper de futuro seculo, quod ducit ad dextrum; nunquam à dextra declinare [f]: si quid faciat dextera eius, id sinistrã nesciret [g]: si percutiatur in dextera, iuberi præbere nõ sinistrã, sed alterã [h], quasi in ipso vtraque sit dextera, & ipse ambidexter, ac in omnibus fortis & strenuus, & felix. Piè hoc magis, quàm verè. Christus .n. ait apud Lucã [i]; *qui te percusserit in maxilla, præbe ei & alteram.*; etsi non ignorem aliter quosdam [k] sentire. Dextræ prærogatiuas, quas confirmat idem Hieronymus duplici testimonio Virgilij, & Lactantij, differui alio loco [l]. Lege eundem in Matthæum [m], & Pererium in Genesim [n], qui octo numerat dexteræ significationes; ac vsurpationes in Scripturis, pro robore, auxilio, honore, voluptate honesta, sanctitate, vita æterna, omnibus rectis cogitationibus, verbis, factis.

f Prou. 4.27.
g Matth 6.3.
h Mat. 5.39.
i c. 6.29.
k Tolet. in c. 6. Luc. annot. 49.
l Act. c. 2.
m in c. 25.
n in c. 48. n. 5. c. 6.

Hector Pintus [o] putat, cor in dextra manu sapientis hîc collocari, vt scientiam reuocet ad opera bona, ea ratione, qua Christus lucernas geri vult [a]. Sed Salomon de situ cordis, non de gestatione loquitur. Tamen Salonius ità quoque intellexit. Legendæ Ioannis Feri ad hunc locum expositiones quatuor, quæ sub his, quæ dixi, facilè continentur. Dextera porrò nusquam improbatur, quando sinistræ solùm opponitur; sed quando vt alterum extremum ipsi medio, vt, *Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram* [b].

o dial. de amicitia c. 18.
a Luca 12.35.
b Prou. 4.27.

Vers. 3.] Sed & in via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.

QValis quisque, tales & alios iudicat, inquit Philosophus [c]: nec stulto impudentior, nec prætendentior quisquam. *Via stulti recta in oculis eius* [d]: *sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias* [e]. Fratres seu affines Christi, quia gloriam captabant, Christum eodem arbitrati vitio laborare, hortabantur in Iudæam conferret se, mundóque ostenderet, ac signa palàm faceret [f]. Neroni persuasissimum fuisse scribit Suetonius [g], neminem esse pudicum, aut vlla sui corporis parte purum. Lutherus, similísque porcorum grex, non credit seruari continentiam à Deo dicatis hominibus, quam docet quoque impossibilem; plerosque, quod Nero dicebat, dissimulare vitium, & callidè obtegere.

c Polit. c 6.
d Prou. 12.15.
e Prou. 26.16.
f Ioan. 7.4.
g in Nerone. c. 29.

Hieronymus iuxta veterem translationem *(sed & in via cum stultus ambulat, cor eius minuitur, & dicit, omnis insipiens est)* aut sicut exprimit in commentario *(cor eius indiget, & dicit, omnis insipientia est)* eundem sensum elicit, nempe, quòd stultus, vt ipse peccat, sperat omnes peccare similiter, atque ex suo ingenio vniuersos iudicat. Hoc intelligas, non quia se stultus putet stultum, sed quoniam qui aliter sentiant, arbitretur desipere: ad hoc verò trahit ipsum suamet insipientia quasi sponte naturæ; quamuis mentis propriæ reflexione sapiens sibi videatur, insipientes cæteri. Quemadmodum cui affectum palatum est, saporem, qui dulcis est, amarum ducit, miratúrque reperiri qui secus iudicet. Vel certè omnes earundem duci studio rerum credit oportere, quas ipse probat, & quibus delectatur. Sed *lucerna impiorum peccatum* [h], & quidem colore infecta. Omnis affectus habet, vt in quo ipse insanit, omnes furere putet, ait cum Seneca Carthusianus; & post Climacum, atque Cassianum docet, quòd qui alicui passioni subiacet, pronus est alium de eadem passione, aut vitio iudicare.

h Prou. 21.4.

Citat eundem Senecam, malis displicere, laudabile esse: nondum felicem esse, quem nondum turba derideat: item Christiani esse, vt habeatur stultus propter Christum [i]; quem illusit Herodes [k], auari disputantem de eleemosyna irriserunt [l]; alij insanire dixerunt [m]. Plura nos hac de re in historia Apostolica, quando repleti Spiritu sancto, pleni musto, ebriísque vocati sunt [n].

i 1. Cor. 4.10.
k Luc. 23.11.
l Luc. 16.14.15.
m Ioan. 10.20.
n Act. 2.13.

Septuaginta sic reddunt (*καί γε ἐν ὁδῷ ὅταν ἄφρων πορεύηται καρδία αὐτοῦ ὑστερήσει, καὶ ἃ λογιεῖται πάντα ἀφροσύνη ἐστὶν*, *etiam in via cum stultus ambulat, vel ambulauerit, cor eius deficiet, aut indigebit, & quæ cogitabit, vel ratiocinabitur, omnia stultitia sunt.*) Id Thaumaturgus paucis expli-

A cauit verbis; quin stulti quoque cogitationes vanæ sunt, stultitia oppletæ. Ex Symmacho idem Hieronymus refert hanc lectionem, cui vulgata nostra maximè congruit (*sed & in via stultus cùm ambulat, ipse insipiens suspicatur, ὑπολαμβάνει, de omnibus, quia stulti sunt.*) Olympiodorus vtens editione LXX. declarat stultum, qui cor semper habet ad sinistram, semper in hac vitæ via cessare, & posteriorem inueniri: in vacuum enim pergere, nequaquam proposito sibi supernæ vocationis brauio: non extendere se ad anteriora, non properare ad finem; quamuis pergere videatur, medio in cursu deficere, omnia imperfectè, & sine ratione cogitare, atque aggredi; etiamsi viam adeat, vel potiùs adire simulet diuinorum mandatorum, quoniam mens eius flectitur ad sinistra, cessaturum
B prorsus, & defecturum, vt neque quid præceptum sit, intelligat, neque oporetur iuxta legislatoris voluntatem.

Quartum deprehendo sensum in Chaldæa paraphrasi (*etiam in via perplexa tempore quo stultus ambulat, cor eius caret sapientia, ita vt faciat verba, quæ non decẽt fieri: & omnes dicunt ipsum esse stultũ.*) Quintus à Caietano traditur sensus Hebræa hoc modo enarrante (*& etiam in via, quando stultus ambulat, cor eius deficit, & dicet omnibus stultum se*) quidquid negotietur stultus, quæcunque tractet cum homine, & cor ipsi deficit à recta ratione, & omnibus prodit stultitiam suam. Consentit Vatablus. Hebræa sic habent in postremo membro (וְאָמַר לַכֹּל סָכָל הוּא *veamar lacchol sachal hu, & di-*
C *cit*, vel *dicet omni*, vel *de omni, stultus ipse.*) Vbi nõ tam de seipso, vt Caietanus, & Vatablus volebant, quàm de alio dicere stultus dicitur, sicut optimè vidit Interpres noster: quamuis verti quoque posset (*& dicet cuiuis quòd stultus ipse*) nimirum quòd ipsemet sit talis. At planior simpliciórque vulgata versio, necnon sensus primus.

Vers. 4.] Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.

D MAgna consensione de diabolo antiquiores locum istum accipiunt, cui; si cogitationis malæ vulnus immiserit, resistendum, ne opere compleamus, iuxta illud [a]; *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero* (quod testimonium profert Hieronymus) *& emundabor à delicto maximo:* quasi, vt idem innuit, maius peccatum sit operis, quàm cogitationis. Nec hinc abit paraphrasis Chaldæa, vocans spiritum concupiscentiæ malæ dominantem in nobis. Lege etiam Origenem [b], qui hinc probat, diabolum cogitationum malarum auctorem esse, sicque dici misisse in cor Iudæ, vt Christum traderet [c]. Thaumaturgus, & Olympiodorus extendunt ad quamlibet peccan-
E di quouis in genere immissam ab eodem malo spiritu cogitationem, quæ tamen nõ noceat nisi filiis ἀπειθείας, idest, *inobedientiæ*, liberéque admittentibus, ac se subiicientibus illius dominationi, atque tyrannidi: & si quis voluerit, diuino scilicet fretus auxilio, admissam excutere valeat. Hoc potuit Iudas proditor, sed quia noluit, locum dimisit gratiæ, ac dignitatis Apostolicæ, *vt abiret in locum suum* [d], hoc est, sibi debitum, laquei, atque damnationis æternæ. Vtitur hoc Hieron. [e] exẽ-

a Psal.18.14.
b hom. 3. in Cant.
c Ioan.13.2.
d Act.1.25
e lib. 16. in c. 58. Esaiæ.

A plo, ei præsentem aptans sententiam; solétque multis aliis locis [a] de diabolo intelligere quod hic dicitur, vt non desistamus à bona operatione, cui insudamus, quamuis eius nobis tentatio institerit, sed quasi in procinctu, & in acie stemus semper ad pugnam, quia vult nos loco moueri hostis ille, & de gradu decedere: omni custodia seruandum cor [b]: incentiua vitiorum statim in mente iugulanda: paruulos Babylonis allidendos ad petram [c], in quá serpentis vestigia non reperiuntur [d]: Deum namque peccata patrum reddere in filios in tertiam, & quartam generationẽ [e], id est, cogitationes nostras, mentísque decretum nõ statim punire, sed reddere in posteris, id est, in malis operibus, & in delictorum perseuerantia. Vbi caue, vt & cũ hoc libro dixit, quod antè re-
B tuli, grandiorem culpam esse operis, quàm cogitationis. Hoc per se posterius verum nõ est, quicquid velint nonnulli Theologi [f]; siquidem omnis malitia prouenit ex interna voluntate: prius plerũq; fieri intellige; meretur enim confirmatus volũtatis consensus pœnã, & hanc (licèt nobis id non adeò appareat) irrogat quandoque Deus. Fatendum tamen ex opere præter pœnas externas, & censuras, & obligationes, nasci persæpe maiorem ad denuò peccandum pronitatem: affici quoque nos obiecti præsentia magis, maioréque ferri voluntatis, alteriúsve facultatis quasi pondere, lapsúque.

Ambrosius [g] spiritum pariter istum diabolum
C interpretatur, cuius excludat insidias, & peccatum diligentia; eáque vsum Dauid contra illum, qui potestatem ad tempus acceperat in ipsũ: nos in loco superiore conditos, cùm facti sumus ad imaginem Dei, atque vt pij essemus, ac fideles. Tamen alicubi [h] spiritum pro iracundiæ spiritu propriè sumit, qui nos de loco nostro dimouere conetur, de sapiẽtia, de patientia, de ratione, de sedatione indignationis. Cyrillus Ierosolymitanus [i], perinde vt cæteri, ducem peccati nominat hunc spiritum, nempe diabolum, qui quidẽ incitet, sed non vi superet reluctantem, non noceat ostium occludenti, radices infigat, mentem liget, detrahat in foueam malorum illum, qui neglectè suscipiat concupiscentiæ incitationem per ratio-
D cinationes. Idem est de hac sententia Bernardi [k] sensus, spiritum istũ esse mendacem, qui nostrũ nobis inuideat locum, expetens, & expectans, vt quoquo modo tollat nos à concilio iustorum, & congregatione, speciem, atque prætextum, & vmbram obiiciens melioris boni, vt deseramus collectionem nostram [l]. Prætereà docet [m], rectè vocari spiritũ potestatem habentis, hoc est, Dei, quia nihil aduersùs nos potest, nisi missus, aut permissus, vel ad vexandam partem nostram inferiorem corpúsque, vel ad pulsandam rẽtatione superiorem, ac perturbandam quietem mentis, quã hæc in Deo habet. Gregorius [n] admonet sententia ista, vt si tentatoris præualeat spiritus, humilitatem pœnitentiæ nõ derelinquamus, quia curatio
E cessare faciet peccata maxima, id est, humilitas lamẽti, quæ est medicina peccati: Cyrillus Alexãdrinus [o]; si vitia minimè castigentur, serpere in dies ad turpiora; & cor, atque mẽtẽ corripere, atque ad summã perniciẽ perducere: *Nõ stetit in veritate* diabolus [p], vellet & nos deiicere, & mẽte instabiles reddere. *Cõfide in Deo*, ait auctor [q] Ecclesiastici, *& mane in loco tuo:* & Paulus [r]; *Sic state in Domino charissimi;* & [s], *Fratres stabiles estote, & immobiles* &c. [t], *Rogamus vos fratres, vt operam detis, vt quieti sitis, & vt*

a lib. 3. in c. 17. Prou. lib. 3. in c. 6 Ep. ad Ephes. lib. 1. in c. 5. Zacha. & epist. 22.
b Prou. 4. 23.
c Ps. 136. 9.
d Pro. 30.
e Exo. 20. 5.
f Scotus, & alij.
g in Ps. 37. & in 41.
h 1. offi. c. 21.
i catech. 2.
k ser. de quadruplici debito.
l Hebr. 10. 25.
m ier. 48. ex parui.
n 3. moral. 17. vel 13.
o lib. 11. de adorat. in spiritu.
p Ioan. 8. 44.
q c. 11. 22.
r Philip. 4. 1.
s 1. Cor. 15.
t 1. Thess. 4.

vestrum

vestrū negotium agatis: &c,[a] *Scitis,quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus apud vos.* Displicet vehementer Deo animi leuitas & inconstantia, etiam varia consectantis bonorum genera: præsertim verò descendentis, seséque proiicientis in peccati barathrum. *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est* [b]: *dilexit mouere pedes suos, & non quieuit: & Domino non placuit* [c]: nam *sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum* [d]: sed *si iniquitatem quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis* [e]: non ampliùs in diuersa mutabuntur vultus tui [f]: non eris vagus, & profugus [g], non arundo vento agitata [h]. B *Tene ergo quod habes, vt nemo accipiat coronam tuā* [i]: pete, perficiat Deus gressus tuos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia tua [k]: ne dissoluaris deliciis vagus [l], & efficiaris cursor leuis explicās (id est, iterans) vias tuas [m], impius faciens opus instabile [n], sed in charitate radiceris, & funderis [o]: ne cediro vineam tuam Achabo [p]: morere in nidulo [q]: ibi habita, quoniam rectè elegisti [r]: sta super speculam & custodiam iugiter diebúsque, noctibúsque [s]: denique quiuis irruat spiritus in te, vel tentatio, locum tuum ne dimiseris: persta, ne moueare de statione, tene firmum bonæ voluntatis propositum. Hactenus nomen spiritus potestatem habentis, ἐξουσιάζοντος, vel, vt C ait Symmachus, ἄρχοντος, plurium sententia pro impetu diaboli tentantis declaratum est: vel pro diabolo ipso, qui Dei spiritus est, quia quamuis malus, minister tamen eius, & habet potestatem, cui nulla super terram comparari possit [t], éstque fortis ille armatus, fatente victore ipsius Christo [u], nec ei locus vllo modo dandus [x]: vel etiam pro impulsu iracundiæ. Hac spiritus acceptione satis trita (scripsit Cassianus [y] de spiritu accediæ, philargyriæ, &c. dicitúrque quidam spiritus fornicationum, & aliis modis, vt aliàs docui) Lyranus exponit quoque de fomitis instinctu, qui fomes dicatur habere potestatem, eo quòd multi obediant ei, ascendere super aliquem, impellendo ad peccatum. Chaldæus, vt dixi, eodem sensu D spiritum concupiscentiæ malæ posuit. Cyrillus Alexandrinus [z] idem sentit: voluptatem enim magnam, quæ etiam cum turpitudine coniuncta est, hominis animam labefactare, ac in primis, & præ aliis legem in membris carnis insitam, & efferatam, prauásque cogitationes, quæ in omne vitiorum genus mentem nostram planè demergunt. Sic vna integratur, vt cum Thaumaturgo, & Olympiodoro dicebam, expositio, pro dæmone nostra ad nos tentandū abutente concupiscētia, & quacūque passione, vel externa etiam occasione: ita vt nullius nō auctor, ac instigator particularis quoque peccati nōnullis videatur, quod E quilibet perpetret homo. Id nō perpetuò esse verum, docui alio loco [a], Nazianzeni, Augustini, & aliorum testimonio. Potes adiungere, nisi distinctum velis sensum, vt spiritus potestatem habens sit quiuis tyrannide præualens, aut praua doctrina, aut alia aliquā ratione, vt Hugo Cardinalis, Bonauentura, Carthusianus, Titelmannus, alij, sed de tyrannide potissimùm, docent. Retinenda aduersùs omnes constantia: quiescendum ab homine, cuius spiritus in naribus eius [b]: parcendum etiam dyscolis [c]: hærendum in sana doctrina, etiamsi Angelus aliam euangelizaret[d] præter eam, quam tradit Deus per Ecclesiam.

[Margin: a 2.Thess.3.7. — b Thren.1.8. — c Ier.14.10. — d Prou.27.8. — e Iob.11.14.15. — f 1.Reg.1.18. — g Gen.4.14. — h Matt.11.7. — i Apoc.3.11. — k Psal.16.5. — l Ier.31.22. — m Iere.2.23. — n Pro.11.18. — o Eph.3.17. — p 3.Reg.21. — q Iob.29.18. — r Psal.131.14. — s Esa.21.8. Habac.2.1. — t Iob.41.24. — u Luc.11.21. — x Ephes.4.27. — y Collat.5. & in Institut. — z in c.1.Esaiæ. — a In Euangel. Dom.1. Quadrage de tentatio. Christi. — b Esa.2.22. — c 1.Pet.2.18. — d Gal.1.8.]

A [a] *Iustum, & tenacem propositi virum*
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida.

Caietanus ait, Ecclesiasten loqui de virtute politica, eiúsque remouere impedimenta; quod antè fecerat de monastica, id est, ad vnumquemque priuatim pertinente: primum autem politicæ impedimentum esse, si super nos ascenderit spiritus potestatem habentis, siue dominantis, hoc est, auctoritas, ac veluti ventositas, ita vt nobis deferatur dominandi, ac Rempublicam gubernandi potestas, non efferamur, non abiiciamus animi tranquillitatem, in qua priùs conquiescebamus; hoc modò futurum, vt curatio faciat cessare peccata maxima; id est, vt retinendo studium sapientiæ, & virtutis, quæ nos euexit, ceu spiritales medici curemus subditorum ægritudines, maiora saltem incommoda: nec enim possunt curari cuncta, & de minimis non curat Prætor.

Sunt qui oppositum eliciant; si dominandi obrepserit cupiditas, ne sortem facilè mutemus, quia non omnium politica prudentia: curatio autem, id est, compressio huiusmodi desiderij præseruat à maximis sceleribus, in quæ, qui temerè prosiliunt, vires non expendendo, ad dominatum, facilè incurrunt.

Meminit inter varias alias iam indicatas expositiones Moringus. Videtur hæc placuisse Vatablo: vertit enim (*quoties affectus dominatoris in te ortus fuerit, ne desere stationem tuam: nam qui affectus sedat, reprimit grandia peccata.*) Isidorus Clarius duos postremos amplectitur sensus: Hebræus Hieron. præceptor penultimum. Non ausim, quod Titelmannus, literæ maximè congruentem sensum affirmare duntaxat de impetu, vi, ira, quam potens exerat, exercéatque contra alium: de diabolo mysticè tantùm intelligi præsentem locum. Nam, vt sum præfatus, & verò demonstraui propriis ipsorum testimoniis, maior ac melior pars Patrum sic interpretatur. Cæteras interpretationes nō refuto. Sed spiritus, si potestatem habens, diabolus est, impetus eius erit, ac vehemens indignatio, quæ dicitur ascendere super aliquem, hoc est, irruere, ad eum modum, quo Dei ira in aliquos, aut super aliquos [b]. Ita ducit initium à corde: inde ad cerebrum, faciem, nares assurgit; qui etiam alium vincit, illi imminet, eum deiicit, sternitque.

Ascenderit super te.] Symmachus (ἐπέλθῃ σοί, *sit peruenias tibi, irruat in te.*) Quare non ita commodè locus hic cum Caietano intelligitur de dignitate quam quis acceperit, seu quæ ei delata sit: nec enim propriè irruit illa.

Locum tuum ne dimiseris.] Cyrillus Alexandrinus [c] legit, *cor*, simul hunc iungens locum illi ex Prouerbiis [d]; *omni custodia serua cor tuum.* Certè qui cordatus est, in corde manet, nec sinit vt ab ipso derelinquatur ob multitudinem iniquitatum [e].

Curatio faciet cessare peccata maxima.] Curatio vel à diabolo, vel à tentatione, vel à Tyranno, vel à quauis alia causa, quæ amaræ medicinæ instar est, nec nisi ad animi nostri salutem permittit, aut immittit qui moderatur omnia Deus. Est quoque curatio nostra, quando curę nobis est, ne desimus officio; id autē si quando prætermissum sit, mox resiliamus, & resipiscamus, non iacentes in peccatis, non ex vno labentes in aliud, vitantes, si

[Margin: a Horat. 3. carm. ode 3. — b Psal.77.21.31. — c in c.1.Esaiæ. — d c.4.23. — e Psal.39.12.13.]

non leuiora, quæ non intelligimus, si non aliena, certè maxima [a], & magna, & quorum deuitatio facilior.

a Psal.18.13.14.

Præterea curatio tolerantia est impotentis, & iniqui domini: illam qui retinet, arcet multas rixas, odia, simultates, damna etiam, quæ alioqui nascerentur. *Frangit iram responsio mollis* [b]; & cùm Gedeon, exempli causâ, tribui Ephraim acerbiùs in eum inuehenti, blando sermone respondisset, summámque partæ victoriæ gloriam eidem tribuisset, deliniuit ipsos, & requieuit spiritus eorum, quo tumebant contra eum [c]. Curatio tandem modestia est imperium gerentis, vt medeatur incommodis subditorum. Indicata hæc omnia superiùs. Chaldæus verò sumit pro verbis legis, ex quibus animis nostris medicina comparetur, vt remittantur, atque obliuioni tradantur à Domino peccata maxima.

b Prou.15.1.
c Iud.8.3.

Non est ad rem, quod Rabbi Abraham Hebræum nomen מַרְפֵּא *marpe, remissionem, negligentiam, otium* interpretans, ait, quòd hoc quiescere facit cum peccatoribus, vel relinquit in peccatis magnis. Nec illud, quod alij apud eundem, quòd vir medicinæ, quam eadem vox significat, seu qui medicina vtitur, ac sanitatem ex medicinæ præscripto tuetur, relinquet peccata magna, id est, vitabit morbos, non comedens nociua. Possit hæc admitti explicatio per comparationem, vt, sicut valetudini corporis studens cauet ab esca noxia, sic sapiẽs abstineat, fugiátque ab omnibus, quę ducunt illum ad peccatum, vel ob quod meritò possit irasci potestatem habens, siue dominator, vel in quod quæuis illum persona, résve valeat inducere, Græcè est verbale nomen ἴαμα: Hieronymus vertit *sanitatem* in vetere translatione; refert autem Symmachum vertisse *pudicitiam*, & sententiam totam hoc modo (*ἐὰν πνεῦμα τοῦ ἄρχοντος ἐπέλθῃ σοὶ, τὸν τόπον σου μὴ ἐάσῃς, ὅτι σωφροσύνη παύσει ἁμαρτήματα πολλά*, *si spiritus Principis irruerit tibi, de loco tuo ne recedas: quia pudicitia comprimit peccata magna*) explicat verò intellexisse de diabolo concitante ad libidinem.

Peccata maxima.] Cæteri positiuè *magna*: præterea citatis antea locis Ambrosius, qui legit (*cura mitigabit delicta magna.*) Nihil admodum refert; aliásque id factitatum ab Interprete monui. Peccata quæ hîc intelliguntur, disces ex totius antè traditæ sententiæ declaratione. Vt necesse, vel probabile non sit quod ait Carthusianus, maximadici, quæ patrantur opere, non morosa tantùm cogitatione, vel deliberato voluntatis proposito; tandem impœnitentiam.

Vers. 5.] Est malum quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis.

TRibus versibus sequentibus describitur magna, molestáque vanitas, vt pleni stultitia summo habeantur apud Principes loco: diuites non opibus videlicet magis, quàm sapientia, in nullo sint pretio: qui sunt seruilis conditionis, euehantur, & gloriosè obequitent; claro nati sanguine pedites inambulare cogantur, & abiecti. Hic error Principis est adeò partientis iniquè honores ac præmia, vel quia & ipse stultus sibi delectatur similibus, vel quia prauè, atque præposterè iudicat de meritis hominum. Quòd si placeat *Principis* nomine Deum intelligere, falletur iudicio, qui sic pronunciat, perinde ac Deus falleretur, errarétque, & ex stulti nunc Salomon peruerso loquetur iudicio; cuiusmodi iudicium viri quoque sapientissimi non definitè quidem tulerunt de Deo, sed peccatorum attoniti prosperitate nonnunquam, licèt non absque moderatione protulerint, vt hoc ipso libro monuimus non semel.

Diabolum alij Principem istum volunt intelligi, qui tametsi falsò se venditet dare cui velit honores, & opes [a]; ipsius tamen fit procuratione nõ raró, vt hæ deferãtur ad improbos, qui abutãtur, atque potentia, & exemplo alienam cum ipsis perniciem, damnationémque promoueant. Hunc tertium sensum assignat Thaumaturgus (ac de eo meminit Hieronymus, ipse verò magis sequi secundum videtur) necnon Bonauentura, Lyranus, & Caietanus: primus placuit Olympiodoro, Moringo, Arboreo: Carthusiano duo primi, necnon Vatablo, fauétque Chaldæus: Albino, glossæ interlineari, Hugoni Cardinali, Titelmãno omnes tres: ita vt diabolica fraus, Deique iusta permissio interueniat, cum fauore populi, & Principis voluntate. Nihil impedit, quominùs integer ex omnibus conficiatur sensus: & Olympiodorus tertium quoque, licèt vt mysticum, admittit.

a Luc.4.6.

Quasi per errorem egrediens.] Hebraicè (כִּשְׁגָגָה *chischgagah, quasi error, imprudentia, ignorantia, peccatum ex ignorantia*, &c.) Sed participium masculinum יֹצֵא *iotsa* fœminino iungitur nomini, Hebræo idiotismo non infrequenti. Qui Deum hîc Principem volunt, errorem humanum de ipsius, qui nullus est, errore interpretantur: Caietanus perinde proficisci à Deo ista, vt quæ ab hominibus principibus in simili genere per errorem; quatenus id nollet Deus, atque reipsa nõ vult secundùm voluntatem antecedentem, qua *vult omnes saluos fieri* [b], nec approbat malos Reges, de quibus ait; *Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego nesciui* [c]. Subtile magis, quàm accommodatum: nec nunc enim vlla de salute mẽtio. *Facit Deus regnare hominem hypocritam propter peccata populi* [d]: dat Regem in furore suo [e], pueros, & effæminatos [f].

b 1.Tim.2.4.
c Oseæ 8.4.
d Iob.34.30.
e Oseæ 13.11.
f Esa.3.4.

Errat certè, qui merita æstimat apud Deum ex honoribus, & dignitatibus. Hugo Cardinalis demonstrat multis exemplis ac similitudinibus grauitatem huiusmodi erroris, longéque meliùs agi cũ priuatis personis, & subditis. Si amas, lege. Tractant autem vniuersum hoc argumentum de Principibus iniquis à Deo contra peccatores indignato missis Irenæus [g], Origenes [h], Chrysostomus [i], Anastasius [k] Nicenus, Euaristus Papa [l], Anterus [m], Anacletus [n], Isidorus Pelusiota [o], Isidorus Hispal. [p] Saluianus [q], Augustinus [r], Greg. [f] Cyprianus [t], Ambrosius [u], Hieron. [x] Bernardus [y]. Duplex recitat Anastasius exemplũ, Phocæ Imperatoris, de quo cùm pius monachus exponeret querimonias apud Deum, cur eum fecisset Imperatorem; respondit Deus, quoniam non inuenisset peiorem: præterea monachi, quem, cùm sub larua pietatis esset impiissimus, cuiusdã in Thebaide corruptissimę ciuitatis, Angeli monitu, elegerunt Episcopũ; Angelus verò magis adhuc insolescentẽ castigauit his verbis: Cur superbis, & magnificè tibi places, ô infelix? non es creatus Episcopus, quòd dignus Sacerdotio sis, sed quòd ciuitas tali digna erat Episcopo. Sed & ex scriptoribus profanis Plutarchus [z] eleganter hoc illustrat, ducta similitudine ex quorundam

g lib.5.c.24.
h hom.4.in lib.Iud.
i serm.3.de pœn.
k q.15. in Scripturam.
l epist.2.
m 6.q.1.c.et mento.
n epist.3.
o lib.1.ep.in 19.
p 3 sent.c.11.
q 6.& 7.de prouid.
r lib.19. de ciuit.c.21.& 5. con. Iulianum.c.3.
f in c.9.lib.1. Reg. (saluabis populum meum) 25. moral.per aliquot capita, & epist. ad Clerum Mediolanen.
t lib.1.ep.3. & 4.& lib.3.ep. 9.iuxta ep.65.
u in apolog. Dauid 2.c.11. & lib 5. epist. 28.ex veteri edit.
x citatus 8.q. 1 c. audacter.
y de conuers. Cleric.c.37.
z opusc.de sera numinis vindicta.

fœdorum coagulis animalium ad morbos vtilibus:ad húc namque modum nonnullos esse, quibus quòd morsu, ac pœna indigeant, Deus Tyranni cuiuspiam iniiciat asperitatem atque sæuitiam,vt eos vitio liberet ac purget.

Vitandus perniciosus,ac seditiosus error, peccatores incapaces esse dominij,nec iis parendum etiam bona præcipientibus. Iniustè non tantùm imperans,sed imperium vsurpās,vel si posteriori modo imperet,quia iniustè quāuis iusta,indignus est obedientia: cui legitima potestas est,quamlibet sit improbus,illi parendum in iis,quæ iustitię non repugnant.Sic doctè hoc loco distinguit Bonauentura. Sectatus est hunc errorem Armacanus [a], Ioannes Vvicleff [b], Ioannes Hus [c]. Damnatus est in Concilio Constantiensi [d], refellitúrque præsertim à Bellarmino [e].

a lib.10. qq. Armenica. c.4.
b apud Thomam Valden.2. doctr. fidei 2 c.81. ad finem lib.
c in Conc. Constantiēs. sess. 15.
d sess 15.
e lib. de laicis c.8.

Cæterùm Olympiodorus τὸ ὡς ἀκούσιον,*quod est quasi inuoluntariū,& inuitum*,τοῦ ἐξουσιάζοντος,*potestatē habentis*, vel *Principis*, ita declarat,vt is quasi metu coactus maioris alicuius potestatis,illos,qui stulti sunt, gloria honestet, fortunas locupletum ciuium populari factione addicat inuita proscriptione:sæpe regiis edictis contra voluntatem suā, & verò videlicet contra rationem obedire cogatur. Subiungit mysticum intellectum de his, qui primùm sponte sua, atque electione viam semel ingressi voluptatis,inuiti mox quodammodo, ac velut ebrij facere plurima compellantur (vt rixari, percutere, libidinibus pollui) vrgente diabolo, qui potestatem habet super filios τῆς ἀπειθείας, *diffidentiæ*, seu *inobedientiæ*, ita vt erumpant etiam in accusationem diuinæ prouidentię,quòd insipientes extulerit,honesto natos loco,pollentésque diuitiis in paupertatem disiecerit. Symmachus (ὡς ἀγνοίᾳ ἐξελθὸν.) Particula certè (*quasi*) non negat,vel minuit,sed affirmat potiùs, ac auget errorem, sicut in illa Mosis sententia [f]; *Si negligens populus terræ, & quasi parui pendens imperium meum dimiserit hominem.* Præcipitur enim, vt talis homo lapidibus obruatur. Illud etiam à LXX. positum ἀκούσιον, id est, inuitum, significat cùm Principes non ita,vt oportet,Rempub. curant diligenter,sed conniuent,vel præ stultitia quadam, vel præ illecebris, vt euehant stultos in summos dignitatum gradus, non animaduertere quantum inuehant mali in Rempub. Stultos intelligimus hic versu sequenti, quantiscumque aliàs artium, scientiarúmve disciplinis excultos, si ratione nō regantur,nec diuinis legibus pareant,sed priuata commoda sectentur,& sensibus ducantur. Quasi per risum hi stulti operantur scelus [g]; & cogitatio eorum peccatum est: denique censendi cum populo stulto,& insipiēte,cúmque gente stulta [h].

f Leuit.20.4.
g Prou.10.23.
h Deut.32.6. 21.

Egrediens à facie Principis.] Chaldæus (*verbum ignorantiæ, quod profertur impudens.*)

Vers. 6. Positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.

HEbraicè, vt vertit Pagninus (*data est stultitia* (id est, positus stultus) *in excellentiis multis*, seu *magnis*) Vatablus (*stultitia collocatur in summo fastigio*, vel *stultus in dignitatibus eximiis*) Aquila (ἔδωκε τὸν ἄφρονα ἐν ὕψωμασι μεγάλοις, *dedit* (ὁ ἐξουσιάζων, vel ἄρχων, *dominus*,aut *Princeps*) *insipientem in sublimitatibus magnis*) Symmachus, Hieronymo teste (*positum stultum in sublimitate magna*) Septuaginta (ἐδόθη ὁ ἄφρων ἐν ὕψεσι μεγάλοις, *datus est stultus in sublimitatibus magnis*) vetus translatio (*dans stultum in sublimitatibus magnis*) Chald. (*posuit improbum stultum,vt sit in felicitate,& ministret in prosperitate ex cœlo alto,& exercitus eius sint sublimes,& multi, & populus seruium subditus subeo.*) Parum refert passiuum sit, vel actiuum verbum, *ponendi*, aut *dandi*; siquidem נתן *nathan* vtrumque significat, & in vtraque voce, pro vt variant puncta. Nolim plusquàm allusionem censeri,quod Bonauentura positum dicit, quia sit falsa positio, *posuisti eis, deiecisti eos, dum alleuarentur* [a], vel instar lapidis inutilis, ô pastor,& idolum [b]; & *sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij,ita qui tribuit insipienti honorem* [c].

a Psal. 72.18.
b Zach.11.17.
c Prou.26.8.

Et diuites sedere deorsum.] Græcè (ἐν ταπεινῷ, *in humili*) Schol. (πλούσιοι δὲ ταπεινοὶ καθήμενοι, *diuites autem humiles sedentes*) vetus translatio (*& diuites in humilitate sedētes.*) Quid humilius suppedaneo scabello? cuius vice fungi coactos Principes quosdam summos memini in Apostolica historia [d], vt Valerianū Imperatorem, & Baiazethem Turcarum Tyrannum,& septuaginta Reges subditos Adonibezech [e],ipsúmque postea subditum Hebræis.

d c.2.35.
e Iud.1.6.7.

Chaldæus accipit de opulentis,qui præ multitudine peccatorum suorum depauperantur, & in humilitate sedent. Alij de præstantibus doctrina, virtute,meritis,animi dotibus. Rectè, dummodo prius non reiiciant, vt facere Vatablus videtur, atque Caietanus,& paraphrasis Chaldæa. Sedere deorsum innuit vilem,humilem,demissam, abiectam conditionem,locum infimum,seruilem statum, vt apud Esaiam [f]; *Descende, sede in puluere virgo filia Babylon; sede in terra:*& in quodam Psalmo [*]; *Surgite postquam sederitis,qui manducatis panem doloris.*

f c.47.1.
* Psal 126.2.

Vers. 7.] Vidi seruos in equis,& principes ambulantes super terram quasi seruos.

EQui nomine dignitatem temporalem significari Gregorius [g] docet,præter alias acceptiones mysticas, sicut & ibi; *dormitauerunt qui ascenderunt equos* [h]: præterea equites qui extolluntur inde. Augustinus in illud [i]; *mendax equus ad salutem:*Equum,inquit,accipe,etiam figuratè,quemlibet honorē,in quē superbus ascendit,Præterea [k], non in equis sedere peccatum est, sed ceruicem potestatis contra Deum erigere, & putare se in aliquo honore esse. Postremò [l], potentatus, siue fortitudo equi,est superbia: videtur enim equus veluti ad suggestum hominis accommodatus, vt altior incedat. Et reuera est in eo ceruix indicās quandam superbiam. Non se extollant homines in suis dignitatibus, non se sublimes putent honoribus, caueant, ne in equo indomito præcipitentur. *Hi in curribus,& hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur* (inuocabimus [m]) hoc est, illi in honoribus temporalibus, nos autem, &c.

g 11. mora.c.18.vel.10.
h Ps.75.7.
i Ps.32.17.
k in Ps.75.7.
l in Ps.146.10.
m Ps.19.8.

Hieronymus [n] istam quoque numerat inter alias equi acceptionem in illis verbis [o]; *Equum,& ascensorem deiecit in mare.* Istam tradit Basilius in Psalmum 32. & in caput secundum Esaiæ, vbi & nos nonnulla.Lege Pagninū [p],& Berchorium [q], & syluam allegoriarum [r],& à S.Geminiano [s].

Equi elegantissima descriptio apud Iob [t] confert multum proposito. Symbolum est imperij ob naturalem superbiā inter cæteras animantes,

n in c.1.Abac.
o Exod 15.1.
p 2.isagog. ad mysticos sensus.c.19.
q verb.equus.
r eodē verbo.
s in exempl. & similitud.
t c.39.19.& seq.

A Æliano [a] teste; sicut & frenatus, obedientiæ: quo pacto Romanis iam in Asiam traductis contra Antiochum, legatos hic de pace quando misit, Scipio respondit, id priùs factum oportuisse, non postquam & sessorem, & frenum accepisset [b]. Apud Zachariam [c] quadrigis quatuor perambulantium vniuersam terram, ac de ea triumphantium, designantur Imperia fortissima; & Deus sedere in quadriga visus est ab Ezechiele [d]; & Eliã vocabat Elisæus currum Israël, & aurigam eius [e]: qui enim regit, frenos tenere dicitur; quod scitè declarat spirituali sensu Ambrosius [f]: sed imperitos equites equi deiiciũt. Lege Viegam nostrum in Apocalypsim [g]. Deus præterea voluit quodammodo populum suũ hac ratione discerni ab aliis gentibus, quæ plurimum in equis, & eorum quadrigis
B ponebant ad victoriam momenti [h]; præcepitque Iosue currus in bello captos comburere, equos subneruare [i]: fecitque hoc ipsum Dauid omnibus iugalibus currum, quando Adarezer Regem Soba percussit, & cepit septingẽtos equites insuper mille, præter millia vicena peditum [k]. Quin & vetabat Deus [l] ne Rex equos sibi multiplicaret; periculum enim esse, ne equitatus numero sublenatus, viribúsque fidens propriis magis quàm Deo, reduceret populum in Ægyptum. *Equus paratur in diem belli, Dominus autem salutem tribuit* [m]: Salomon nihilominùs equorum abundabat maximo numero [n].

Attamen in asellorum genere laus Asiæ fuit;
C quibus etiam vtebantur nobilissimi [o], præsertim albis: est enim hoc iumentum placidioris, molliorísque sessionis, & saltem itineri breuiori commodius. Vnde quamuis Christus asello triumphans insederit Rex mansuetus, vt cum Zacharia [p] omnes produnt Euangelistæ [q]: nihilominùs non erat alienum id animal à triumphi modesta pompa, præsertim cùm ad dominum, hoc est, ad nobilem forsitan & locupletem pertinuisse scribatur.

Inuentor equitandi Bellerophon creditur, vel Neptunus: frenorum, ac ephippiorum Pelethronij Thessaliæ populi, muniendíque soleis ferreis vngulas: qua de re Polydorus Virgilius [r], disserens de rerum inuẽtione. Disserit item de stapiis Hie-
D ronymus Madius [s], & Paschalis Carauiolus [t] Italico idiomate. Prior refert Ioannis Turtellj opinionem, stapias apud antiquos non fuisse in vsu. Communem asserit, præterquàm Galeoti Martij in libro de promiscua doctrina [u], & quòd clostrũ vsitatum non fuit, vel closta, qua equum conscendimus, id est, scala; atque quòd ab ephippiis ad ventrem vsque equorum dependet: ostendit prauè Lucretium [x] citari, apud quem legi oporteat *costas*; nec clostam Græcis scalam esse, verùm κρίκωτον. Lucretij versus hi sunt, quibus recepta sententia confirmatur;

Et priùs est armatum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc frenis, dextráque ciere,
E *Quàm biiugo curru belli tentare pericla,*
Et quàm falciferos inuentum ascendere currus.

Ostenditur id etiam ex equestribus antiquorum statuis, numismatis, muneribus, marmoribus; ex Xenophontis libro de arte equestri; ex Hippocratis de aëre, aquis, & locis; ex Suetonio in Caligula; ex Polluce [y], qui non meminit dum agit de vehiculis, déque instrumentis equestribus. Tamen Hieronymi ætate, ac paulo etiam antè stapię inuentum fuisse demonstrat. Ioannes Brodæus [z] idipsum confirmat sub vocabulo *stapidum*. Cara-

a lib.4.c.29. b Pierius in hierogl. lib. 4. apud quẽ alia. c c.6.1. d c.1. e 4.Reg.2.12. f de Isaac.c.8. g c.6. comment.4. sect. 1. h Ps.19.8. Ps.146.10. i Iosue 11.6. k 2.Reg.8.4. l Deut. 17. 16. m Prou.21.31. n 3.Reg.4.& 10.& 2.Paralip.8. o Iud.5.10.c. 12.14. Num. 22.21.& seq. 3.Reg.13.13. 24. p c.9.9. q Matt.21.2. & seq. Marc. 11.2.& seq. Lucæ 19.30. & seq Ioan. 12.14. & seq. r lib.2.c.12. s 2.misc.c.14. t de gloria equi pag. 105. u c.28. x lib.5. y lib 10.c.10. & 12. z miscel c. 16.

A niolus arbitratur cataphractos, armisve tectos milites, absque istius instrumenti beneficio equum conscendere nequiuisse: ac primùm quidem ex funibus, aut corio, aut ligno, aut ferro constitisse, postea pulchriora, & commodiora ornamenta accessisse. Huc facit, quòd equestris, apud Romanos præsertim, ordo illustriorum virorum erat, atque seminarium Senatus & dicebantur, & erãt. Testes quotquot de militia Romana potissimùm scribunt, & Dionysius Halicarnasseus [a], & Cicero [b]. Apud Persas equitare, nobilitatis insigne fuisse, scribit Strabo [c]; postea translatum ad milites nobiliores. Queritur Martialis [d] in ordinẽ equestrem relatos seruos;

Nec de Cappadocis eques catastis.

Iuuenalis [e] Satyram quandam ferè totam posuit
B in hoc argumento. Legendus Petrus Faber [f], Alexander ab Alexandro [g], Paschalis Carauiolus in opere de gloria equi, sermone Italico. Tandem exemplo sit Ieroboam seruus Salomonis, quo auctore populus euasit idololatra [h], Agar Saræ ancilla [i]; sed instar omnium Aman alter ab Assuero, & Mardochæus vilis persona: Mardochæũ imponi voluit Rex super equum regium, quod Aman expectabat sibi tribui; Aman ipsum tenentem equum per plateas incedere, ac velut præconem contenta voce laudes illius celebrare [k]. Ludicrũ erat, vt Saturnalibus apud Romanos: apud Cretenses Mercurialibus: Sacex festo apud Babylonios: apud Trezænios Geræstionis quodam die:
C Peloriis apud Thessalos, famulis domini seruirent [l], & ancillis matronæ Romanæ mense Martio [m]; imò & ius acciperent ab ipsis, vt testis Seneca [n].

Seria de re nunc Salomon agit, quæ non hominum arbitrio, contingit aliquando tamen, nisi eorum instituto, quibus regum Regem imitari propositum est, qui ministrare venit, non ministrari [o], seséque ad piscatorum lauandos pedes abiecit [p]. Hoc, exemplo Christi, factitant in religiosis ordinibus non pauci, Christo seruientes in fratribus, qui forsan secundùm humanam conditionem serui, aut viliores æstimãtur. Cùm suam istam humilitatis professionem alter S. Benedicto accumbenti præbens lumen oblitus esset, alter
D pedibus asino vectum B. Franciscum consequens, ab vtroque tacitas inspicienti cogitationes, paternè monitus est. De Benedicto Gregorius [q], Bonauentura de Francisco [r]. Taceo Claudium Imperatorem Pallantis & Felicis fratris, de quo egimus in historia Apostolica [s], libertorum, præter alios, imperia quodammodo pati coactum: nihil etiam dico de quàm multis seruilibus bellis [t]. Memorandus in Chio Primacus seruus, qui plus tamen deinde profuit insulæ, magísque cultus est, excussa seruitute, ac belli dux contra dominos, quàm cùm dominis pareret, imò quàm domini ipsi [u]. Multa pro seruitio toto scribit Seneca [x] contra fastidiosos, ac intolerandi plenos
E fastus dominos, superbissimos, crudelissimos, cõtumeliosissimos. Illud ad rem: Tam tu illum (seruum) ingenuum videre potes, quàm ille te seruum. Marianæ cladis exemplo probat eiusmodi vicissitudinem: tum Hecubæ, Crœsi, Darij matris, Platonis, Diogenis, qui descenderunt in seruilem conditionem. Legendus item Macrobius [y], & notandum Martini exemplum, qui adhuc miles, teste Sulpitio [z], vice seruiebat versa seruo, calceamenta detrahendo ac detergendo, cibum vnà capiendo, aliter ministrãdo. Sed vt seruiant quoque

a libr.11. b Philip.1. c libr.15. d libr.1. Epig. 76. e Satyr.3. f 2. semest. c.6. g lib.2.c.29. h 3.Reg.12. 20.& seq. i Gen 21.9. Gal.4.22. k Esther 6.6. & seq. l Macrob. lib.1.c.7.10. 23. Athen. lib. 14.c.27. aliique apud auctor. antiq. ciuil. lib.1. c.35. m Macrob. lib.1.c.12. n epist.47. o Matth.20. 28. p Ioan.13.5. q 2.dial.c.20. r in vita c. 11. s cap.25. t exempla colligit auctor theatri humanæ vitæ vol.19. lib. 2. tit. de seruis perfidis. u Athenæ. lib 6.c.7. x epist 47. y lib.1.c.11. z in vita.

serui moribus nostris, aptè Gregorius [a] vsurpans Christi sententiam; *Qui facit peccatum, seruus est peccati* [b]; monet, seruos in equis esse, cùm peccatores præsentis vitæ dignitatibus efferũtur: Principes verò quasi seruos ambulare, cùm multos dignitate virtutum plenos nullus honor erigit, sed summa hîc aduersitas velut indignos deorsum premit. *Monetur* (imò contremiscit) *terra*, vt est in prouerbio sacro [c], *per seruum, cùm regnauerit, & per ancillam, cùm fuerit hæres dominæ suæ.*

Asperius nihil est (ait Claudianus in Europ.[d])
humili, cùm surgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet: desæuit in omnes,
Vt se posse putent: nec bellua tetrior vlla est,
Quàm serui rabies in libera colla ruentis.

a 31. moral. c. 10. vel 18.
b Ioan. 8. 34.
c Prou. 30. 21. 22.
d lib. 1. in Eutrop.

Vers. 8.] Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

NOn displicet quod Caietanus docet, quadruplici parabola probare Salomonē, quod quinto dixerat versu, videri Deum quasi per errorem immeritis bona conferre, nec tamen errare. Sunt hæ parabolæ isto, & sequenti contentæ versu, demonstrantes demerita quatuor parantiũ aliis insidias, aliena inuadentium, perturbantium congregationes stabilium, & eorum qui quiescũt, vnitatem scindentium. Sed ægrè distinguuntur hæc membra, videntúrque cuncta scopum referri ad eundē, nec adeò cum præcedentibus cohærere: quod est quoque minimè necessarium. Scopus est, qui alteri malum parat, vt necem, vulnera, pauperiem, inuidiam, aut quid huiusmodi, sæpe in illud ipsum incurrere: vel talionis, iuxta legis præscriptum [e], pœnam luere: vel certè tandem post præsentem vitam apud Deum. Concordant Interpretes, licèt simul tropologiam assignent. Quod enim dicit Olympiodorus, totum locum soli vacare mystico intellectui, quia non semper contingat, verbi gratiâ, vt qui foueam fodit, in eam cadat [f], non probatur cæteris. Est autem satis vt plerumque sic accidat, vel euenire possit; siquidem nec moraliter interpretando, quicunque ob ea, quæ peccat, punitur semper. Lyranus de proprio periculo, seu occasione peccandi, cui obiiciat se quispiam, intelligit. Verum; *qui* enim *amat periculum, in illo peribit* [g]: at non ita proposito congruum. Similis porrò huic in Psalmo sententia [h]; *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit*: & in Prouerbiis [i], & Ecclesiastico [k]; *Qui fodit foueam, incidet in eam.* Ducta similitudo, seu metaphora à venatoribus, vel militibus: illi fossis actis feras, hi cuniculis hostem capere moliuntur. Denotatur fraudulentum consilium, quod recidit in consultorem. Testis Aman [l], hique qui Babylonios pueros in fornacem [m], & Danielem in leonum rapuerunt lacum [n], & senes intemperantissimi, qui Susannam lapidatione damnauerunt [o], & Saül insidiatus toties Dauidi. *Facienti nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet vnde adueniat illi* [p]; &, *In insidiis suis capientur iniqui* [q]. Haud absimile profanũ apophthegma; *Malum consilium consultori pessimum est*: de quo Gellius [r], & Varro [s]. Suppeditant sacræ nobis & Ecclesiasticæ exempla, non tantùm profanæ historiæ. Tale quod dixi, consilium Aman, aliorúmque: tale datum Absaloni à Ionadab [t]: tale Achitophel [u], Iezabelis [x], Caiphæ [y]: tale Ma-

e Exod. 21. 23. & seq.
f Prou. 26. 27.
g Eccli. 3. 27.
h Psal. 7. 16.
i c. 26. 27.
k c. 27. 29.
l Esther 7. 9. 10.
m Dan. 3. 22.
n Dan. 6. 24. infra 14. 41.
o Dan. 13. 27. 62.
p Eccli. 27. 30.
q Prou. 11. 6.
r lib. 4. c. 5.
s 3. de re rust. 2.
t 2. Reg. 13. 3.
u ibid c. 17. 1.
x 3. Reg. 21. 5.
y Ioan. 11. 49.

A xentij de ponte dissutili [a] decidentis, quem super Tyberi Constãtino parauerat: Eutropij eunuchi [b], qui legem ferri persuasit, quà templi religio nulli prodesset nocenti, asyli nō item ipse paulo pòst gauisus beneficio. Notus apologus leonis, lupi, vulpis, cùm hæc lupi accusationem apud leonem delusit ægrotantem, quasi visendi illa defuisset officio, remedium morbo præsens omnino affirmans, si lupum excoriaret viuum, eiúsque pellem indueret: quod & leo fecit [c].

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
Damna parans alij, proprio parat hepati damna.

Imitatur versus hic illos Hesiodi [d].

Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων,
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

B *Ipse sibi nocet is, alium qui lædere quærit,*
Consultum malè, consultori pessima res est.

Hæc, & alia consarcinator adagiorum [e]. Sed & nulli non perspectus is, qui primus sæui periculum fecit supplicij, quod crudelissimo Tyranno ab se repertum proposuerat [f].

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit auctor opus.
Iustus vterque fuit: neque enim lex æquior vlla est,
Quàm necis artifices arte perire sua.

Describit hoc idem Claudianus [g], necnon de Busiride, dum agit de Eutropio, quibus hanc præponit sententiam communem;

Quàm bene dispositum terris, vt dignus iniqui
C *Fructus consilij primis auctoribus insiet.*

Plura in omni genere leges exempla in theatro humanæ vitæ [h]. Diabolo suum cessit, cecidítque pessimum consilium: nam Christus extinctus in ligno quidem est, sed

Ars vt artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis vnde læserat [i].

& vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur [k]; quæ placuit etiam ratio Hieronymo [l], Damasceno [m], Athanasio [n], Chrysost. [o], & aliis.

Qui dissipat sepem, mordebit eũ coluber.] Chaldæus pro sepe maceriem, pro colubro ponit improbũ, serpentis instar insidiantem. Literaliter Thaumaturgus exponit de illo, qui alterius euertit securi-
D tatem. Hieronymus & alij *sepis* nomine iuxta mysticum sensum dogmata sumunt Ecclesiastica, & institutionem ab Apostolis, Prophetísque fundatam, quæ qui dissoluerit, & voluerit præterire, in eo ipso quod negligit, à serpente percutitur, de quo Amos [p]: *Si descenderint in infernum, mandabo serpenti, & mordebit eos*; nempe diabolo, sicut magis exprimit Olympiodorus, qui pariter sepem vocat legem diuinam, & metum, verámque legalium sensuum cognitionem.

Hugo Cardinalis præter mysticam sepis acceptionem iam allatam, quæ videtur alibi [q] quoque esse, tradit aliam pro his, quæ remouent im-
E pedimenta virtutis, occasionésque peccati, vt sunt paupertas, infirmitas, dolor, pudor, timor, & similia; præterea præsidium, siue hominum, siue Angelorum, siue piorum operum, sine qua sæpe diripitur possessio [r]. Primam sepem diruunt, ait idem Doctor, hæretici, quíque peruersè legem vel declarant, vel seruant: *Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam* [s]; secundam, qui peccandi non arcent, sed accersunt ansam, ac opportunitates tum sibi, tum aliis: tertiam, qui regulam violant monachi; qui Ecclesiæ instituta Ecclesiastici; auari, qui nō faciunt eleemosynas; superbi, qui spernunt orationes; luxuriosi, qui pœnitentiam.

a Euseb. 9. histor. c. 8. & 1. de vita Constantini c. 38.
b Socra. libr. 6. c. 5. Chrys. orat. in Eutrop. Sozom. lib. 8. c. 7. alij in vita Chrysostomi.
c Plutarchus opuscul. de audien. Poet.
d In ergis.
e Malum cōsilium.
f Ouid. 1. de arte.
g libro 1. in Eutrop.
h volum. 22. lib. 2 nō procul à princ.
i in hymno ad matut. in Dom. de Pass.
k in præfat. Missæ de Cruce.
l in c. 3. Epist. ad Gal.
m lib. 4. c. 12.
n orat. in Parasceuē, apud Gretserum. tom. 2. de Cruce.
o orat. 2. in Parasc. apud eundem.
p c. 9. 3. adde etiam c. 5. 19.
q Esa. 5. 2. Matth. 21. 33.
r Eccli. 36. 27. vbi vxor dicitur sepes, & custos domus.
s Psal. 118. 126.

Adhæc

Adhæc docet Hugo per allegoriam, à Christo dissipatam legem quantum ad ceremonialia, diaboli morsum passum esse in morte, necnon Iudæorum: postremò sumpta in deteriorem partem sepe spinosa pro vitiis, morderi qui dissiper illam in se per pœnitentiam, in aliis per reprehensionem dentibus diabolicis detractorum & persecutorum. In parabola vineæ bene instructæ [a] per sepem Origenes [b], Ambrosius [c], Hieronymus [d], auctor imperfecti operis [e], Dei, Angelorúmque custodiā: Hilarius [f] nomen Abrahæ, Isaac, Iacob, quo nomine distinguebantur à Gentilibus Iudæi: legem & præcepta Irenæus [g], iterúmque auctor imperfecti [h] declarauerunt: alij ciuitates muris cinctas, vel potestatem regiam ac temporalem, & ciuilem. Sepes quoque in quas dimissi sunt inuitatores conuiuij [i], aut iidem illi Iudæi sunt, aut potiùs Gentes variorum sepibus rituum conclusæ à dæmonibus.

Difficile tamē est hæc aptare proposito; & pro magna laude reperio, vt quis ædificator sepium sit [k]: contrà Christus [l] medium parietem soluit, faciens pacem, & vtraque vnum, destructis inimicitiis: sed construxit nihilominùs firmiorem, melioremque maceriam, & nosipsi per gratiā ipsius in nobis construere sepem debemus muniendo animam Ecclesiasticis dogmatibus, vt ait Procopius [m], ne tanquam desertum hortum, qui volet, conculcet, sitque peruius tenebrarum potestatibus, & vitiis.

a Matth. 21. 33. b tract. 19. in Matth. c in c. 20. Lucæ. d in Matth. e ibid. f can 22. in Matth. g lib. 2. c. 70. h in Matth. i Luc. 14. 23. k Esa. 58. 12. l Eph. 2. 14. m in c. 58. Esaiæ.

Vers. 9.] Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

NOn assequor qua ratione possit ad rē facere Chaldæa paraphrasis *(qui adorabit statuas lapidum, angustiabitur in illis)* necnon sequentis quam dat interpretatio membri *(& qui adorauerit statuas lignorum, comburetur in illis.)* Perspicuus sensus, de eo qui alienam maceriam, domúmque destruit, qui præter laborem, quem in ea re ponit, subito quoque lapsu affligatur, vel obteratur. Urgent Hieronymus, aliique citati priùs in allegoria, vel tropologia. Nec aptior altera Cotti translatio ex Chaldæo, quam recitat Delrius [x]. Transfert, aut, vt habet vetus trāslatio subtrahit, lapides, aut, vt Hebraica editio, proficisci facit (quod magis expressit vulgata, & τὸ ἐξαίρων Septuaginta, τὸ μεταθῶν Aquilæ, τὸ μετεωρῶν Symmachi) qui hæretica arte peruersus, inquit Hieronymus, de Ecclesiæ ædificio lapides viuos, de quibus Zacharias [n], Paulus [o], Petrus [p], Ioannes [q]; hic affligetur, διαπονηθήσεται, *laborabit*, ac *torquebitur*, σπαραχθήσεται, *dilacerabitur*, κακωθήσεται, *malè afficietur*, seu, vt Symmachum, & Aquilam Hieronymus exponit, tormenta patietur. Addit & oppositū benigniorem explicatum item mysticum, vt Episcopus, vel presbyter, si iuxta mandatum Leuitici [r], de leprosa domo lapidem abstulerit, in cinerem, & puluerem conterendum, eiiciens videlicet quempiam de Ecclesia, dolēs id faciat, flens ac lugens [s], & super aliena infirmitate infirmatus, vstus super scandalo [t].

Tradit Olympiodorus præter primum sensum de his, qui sanctos persequuntur, affligunt, interficiunt (omisso secundo) alium de illis, qui Sacerdotia demoliantur vana elatione, aut quæ recte ædificauerant in se, bona scilicet opera, præuaricando destruant [a].

x tom. 2. adag. 134. n c. 9. 16. secundum Lxx. o 1. Cor. 3. 9. & seq. p 1. Epist. 2. 4. & seq. q Apoc. 21. 18 & seq. r c. 14. 40. 41. s Rom 12. 15. t 2. Cor. 11. 29.

Hugo Cardinalis nō contentus tropologia dicta, quódque cum periculo trāslatio fiat alicuius de vna in aliam Ecclesiam, de statu in statum, &c. elicit allegoriam Christi, lapideos Iudæos de Babylone, seu ædificio diaboli ad Ecclesiam transferentis, verùm non absque graui afflictione, & passione propria. Cui commissa Reipublicæ, & aliorum cura, ruinam sub manu habet, quam reficiat [b]. Porrò illustrant literalem sensum nō pauca eorum exempla, qui ruina cuiuspiam ædificij sunt oppressi, maximè quod niterentur deiicere, vt Samson [c], & Eleazar [d]. Ex allatis variis versionibus elici possunt diuersi sensus, ad idem tamen tendentes; de metu continuo supplicij, aut mali cuiusuis imminentis, instar Tantali, quem iugiter imminentis cruciabat formido saxi: de magno labore, quo in altum lapis eleuatur, is autem relabens opprimit ruina, sicut produnt de Sisyphi pœna: de damnum id patiente, quod in alterum struxerat, quasi eiaculato in alium lapide, in eiaculantis verticem recidente.

Et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.] Paraphrasim Chaldæam priùs retuli, vt minimè proposito conuenientem, de adorantibus statuas, qui comburantur in illis. Olympiodorus hoc nectens membrum cum sequenti versu, spectare vult ad illos, qui sua freti doctrina veluti ferro, Scripturas diuinas quasi ligna bene olentia scindere, atque comminuere aggrediuntur, sed aberrātes ab intentione Spiritus sancti, & legislatoris mente, in magno versantur periculo in hæreses labendi, &c. Non longè secus Hieronymus, præsertim si disputatio illius, inquit (id sequens indicat versus) caruerit acumine, & deinceps si inani cæcatus opinione de nonnulla, quam sibi comparauit doctrina, discere desistat. Hugo Cardinalis transfert ad præsulem excōmunicationis gladio præcidentem, quem ideo præcisi malo & maledicto prosequuntur; aut ipse συμπαθῶς configitur, aut suopte nutu nimis ad viuum resecans ruit, ceu vel Samson [e], vel Eleazar [f]: aut schisma facit, atque dissidium in fratribus, ac velut à vite palmites separat eos à Christo [g]: aut, vt ait Carthusianus, credentes scandalizat, & pusillos à bono incepto auertit, & à Christo præscindit. Cyprianus [h] vtitur hoc loco, vt probet schisma faciendum non esse, etiam si in vna fide, & in eadem traditione permaneat qui recedit.

Sed Nilus [i] Abbas præclaram excogitauit allegoriam, alia simul eam illustrans. Qui rationis, inquit, acie, tanquam securi, res fecerit, & quæ concurienda sunt, à coniunctione separans, vera bona à falsis seiungere profitetur, nisi recto vndique orationis iudicio vtatur, periculum adit, ne scandalum audientibus præbeat.

Alia sequitur allegoria. Sic quidam è discipulis Elisæi, cùm ad Iordanem materiam succideret, & ferrum securis in fluuium excidisset, periculo animaduerso ad magistrum clamauit [k]; *Heu, heu domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam.* Id illis accidit, qui quæ malè didicerunt, docere conantur, & finem optatum assequi nequeunt, qui non ex proprio habitu loquuntur. Cùm autem interim proposito contrarium aliquid dicere deprehenduntur, tunc in mutuato sermone periclitantes, imperitiam confitentur, &c. Quæ enim sequuntur super eodem facto, & recuperato per miraculum ferro, pulchra quidem sunt, sed ad

rem

a Gala. 2. 18. b Esa. 3. 6. c Iudic. 16. 30. d 1. Machab. 6. 46. e Iudic. 16. 30. f 1. Machab. 6. 46. g Ioan. 15. 5. h 3. testimo. c. 86. i lib. ascetic. cuius med. tom. 5. Biblio. Patrum. k 4. Reg. 6. 4. 5. 6.

rem præſentem haud ita congrua.Ille,quem principio dixi, literalis ſenſus, pœnam illos manere, qui noceant aliis, aut nocere ſtudeant. Hoc ſibi vult Salomonis parœmia; *mallei percutientes ſtultorum corporibus* [a], vel vt habet Hebræus textus; *percuſſiones dorſo ſtultorum*:quod ſignificant σφυροκοπίαι Symmachi, & Septuaginta τιμωρίαι ἄφροσιν, *ſupplicia ſtultis*, Theodotionis συγκλάσεις νώτῳ ἀνοήτων, *confractiones dorſo dementium*. Tale datum Pauſaniæ Lacedæmonum duci oraculum:

[b] *Pœna luenda tibi eſt, affert iniuria cladem.*

Tale Piſiſtrato:

Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.

Nemo hominum aliquibus faciens iniuriam, pœnam non perſoluet.

a Prou.19. v.2.

b Plutarch. in Cimone.

Vatablus vult huius ſcopum verſus eſt, citra induſtriam nihil fieri poſſe, ac ſine ſapientia laborem omnem moleſtum cenſeri,vt ſiue quis lapides transferat, ſiue ligna findat, niſi adhibeat induſtriam, multum ſit laboraturus. Conſentit Clarius. At ego libentiùs aſſentior Hieronymo, cæteriſque, ſic,vt dixi,declarantibus.

Verſ. 10.] Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non vt priùs,ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia.

CHaldæus *(cùm peccauerit populus, fient cœli duri in modum ferri,ne demittant pluuiam:& illa generatio non orat ante Dominum, propterea diſſipatus eſt totus mundus fame:& quando conuertuntur,& congregantur turbæ ſingulæ, & præualent aduerſus concupiſcentias ſuas, poſtulantes miſericordiam à Deo cœli,complacet ſibi in augmento rectitudinis ſapientia eorum.)* Ex Hebræo Pagninus *(ſi hebetatum fuerit ferrum,& ipſe* (findens) *non facies terſeris* (id eſt, aciem eius) *& vires roborabit* (ſcindens) *& præſtantia rectificandi ſapientia)* id eſt,at excellentia ſapientiæ eſt ſuper alia,quòd rectum faciat. Scilicet vult hic auctor, quemadmodum & Vatablus, & Clarius, vim laudari ſapientiæ : nam ſiquidem ferrum ſit hebes, opus exercitio eſſe, vt expoliatur, vel robore vtentis ferro, vt ſuppleat defectum ferri:quin etiam neceſſarium eſſe exercitui,vt aliquis milites reddat fortiores; attamen maiore ſtudio aptandam ſapientiam:cùm illa namque,quamuis deſint arma, poſſe victoriam obtineri.Vel generalius cum eodem Clario,quantumuis fortibus negotium facit retuſum ferrum : ſapientia verò difficiles alioqui res ſæpe faciles reddit. Moringus ait ſignificari, labori non parcendum ad rem eximiam acquirendam,veluti ſector lignorum, etiamſi ſecurim ad truncum duriorem,nodoſúmque hebetauerit, non ſuperſedet à ſecando,ſed exacuens ferrum, redit ad opus. Ioannes Benedictus, quòd retuſo ferro,armiſque præualet cõtrarius exercitus, ſed amplius idem,vel alter,ſi dirigatur ſapientia. Titelmannus, quo pacto qui perdidit ſapientiam, vel ea imminutus eſt, parare, aut reparare poſſit illam, nimirum nouo labore,& magno. Alij, retuſum,nec limatum ferrum poſſe robur præbere militi; verumtamen plus multo valere ſapientiã.

Caietanus agi putat de rectitudine, ipſiúſque robore. Sic ipſe vertit *(ſi obſcuratum eſt ferrum, & ipſius non facies illuſtrata, & fortitudo roborabit, & excellentia rectitudinis ſapientiam.)* Tunc explicat,ſicut vires corporis ferro, quãuis obſcurato rubigine,

A robur addunt, ita vt ipſe in illo ſplendor per ſe parum efficiat; eodem modo non gloriæ ſplendore ſapientiam roborari,ſed excellentia rectitudinis. Ideo nihil mirum obſcurari ſapientes, ac ſubiici ſtultis (quod nuper eſt dictum) ſtultos enim carere rectitudinis robore,ſapiẽtes eo prædiros, licèt obſcuri tantiſper iaceant, ad excelſos reſurgere ſtatus poſſe.

Olympiorus integrans cum præcedente præſentem verſum,ac,vt ſolet auctor Græcus,editionem Septuaginta ſequens (ἐὰν ἐκπέσῃ τὸ σιδήριον, καὶ αὐτὸς πρόσωπον ἐτάραξε, καὶ δυνάμεις δυναμώσει, καὶ περισσεία τοῦ ἀνδρὸς ἡ σοφία, *qui ſcindit ligna vulnerabitur ab eis*, vel *periclitabitur* (hæc ex priore verſu) *ſi ce-*
B *ciderit ferrum,& ipſe* (ſcindens) *faciem turbauit* (ſuam ea de cauſa) *&* (nihilominùs) *potentias confirmabit,& abundantia viro, cuius ſapientia)* exponit, pro vt retuli membro ſecundo dicti prioris verſus: additque quòd potentias, ſiue fortitudines confirmabit, & corroborabit is, cui decidet ferrum, aduerſarios, quoniam ex erroribus,quos admiſerit docendo,illum validiùs oppugnabunt : at qui fortis eſt in opere & ſermone,ac inſtructus ſapiẽtia,nihil verebitur,ſed ſuperior exiſtet. Thaumaturgus omnia de ſtulto intelligit, qui tumultuetur etiam,& impatienter ferat,cùm ſecuris è manubrio exilit,ac breui conatur iniuſtas,atque perditas vires adaugere.

C Cyprianus [a] eodem quoque tractu recitans prima verba iſtius verſus cum vltimis prioris *(ſcindens ligna periclitabitur in eis, ſi exciderit ferrum)* cum profert ſenſum,cuius antea memini,ſed myſticum. Is maximè literalis, quem poſt Hieronymum Titelmannus aſſignabat, & placet Albino, atque paſſim aliis, qui obſeruant, ſi otietur ferrum,obtundi, nigreſcere, rubiginem contrahere, conſumi : ſi virtus non exerceatur, ars, ſcientia langueat, graue detrimentum ſequi, quod ſarciri difficilè valeat,nec ſine magna diligentia.

a 3. teſtimo. c.86.

Elegans profectò conueniénſque comparatio, quam perſpicies meliùs,ſi quæ de ferro Plinius [b] eleganter diſputat,attendes. [Optimum,ait,peſſimúmque
D vitæ inſtrumentum (ferrum dici volunt quidam [c] à farre,quòd farra,hoc eſt, ſemina frugum terræ condat : alij quia feratur in agros colendi causâ : nonnulli à feriendo.) Siquidem hoc tellurem ſcindimus, ſerimus arbuſta, ponimus pomaria,vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus iuueneſcere. Hoc excitamus tecta, cædimus ſaxa,omnéſque ad alios vſus ferro vtimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominùs ſolùm,ſed etiam miſſili,volucríque nũc tormentis excuſſo,nunc lacertis, nunc verò pennato,quam ſceleratiſſimam humani ingenij fraudem arbitror. Siquidem vt ocyùs mors perueniret ad hominem,alitem illam fecimus,pennáſque
E ferro dedimus. Quamobrem culpa eius, non naturæ fiat accepta, & tamen poteſt innocens eſſe ferrum. In fœdere illo,quod expulſis Regibus, populo Romano dedit Porſena, nominatim inuenimus, ne ferro, niſi in agri cultura vteretur.] Hæc ille.Iſidorus [d] verſam ſcribit in opprobrium ſpeciem ferri, ſcilicet ob humanas cædes; & ab ipſo humanum ſe ſanguinem vlciſci, quoniam contactum celeriùs rubiginem contrahit.

b lib.34. c.14.

c Iſidorus lib 16.etym.c.20

d 16. etym. c.20.

Mitto autem de primo dicere ferri inuentore, cùm conſtet,non Chalybas in Scythia fuiſſe, vt Virgilius [e] exiſtimauit, Catullus [f], Apollonius [g], licèt Plinius [h] fabros ærarios dicat, Heſiodus Scytham vnum, non vt alij, ex Idæis Dactylis [i]

e 1.Georg.
f de coma Beronices.
g 2 Argonaut.
h lib.7.c.56.

quem

quempiam in Creta, quemadmodum Thraces incuruorum gladiorum, aut cuiuslibet gladij Bellum [a] (vnde bellum, cùm antea a pugnis pugna) peltæ Illyrios, cæstus Amycum, Camos clypei, artis ferrum purgandi Noropes Noricos, vt meminit Clemens Alexandrinus [b], Idæum præterea temperaturam ferri referens reperisse; Strabo [c] Telechines ex Creta in Cyprum venientes. Non, inquam, in hos vsus ferri referenda inuentio prima: sed sacræ antiquissimæ testantur literæ [d], primis illis seculis Tubalcain malleatorem fuisse, & fabrum in cuncta opera æris, & ferri. Lege Polydorum Virgilium [e]. Iosephus [f] Tubalcain, quem vocat Tobelum, scribit excogitasse *χαλκείαν, ferrariam,* vel *ærariam,* & cùm fortitudine præstaret, bellica instrumenta scitè exercuisse: nam Plato [g] vocat *σίδηρον καὶ χαλκὸν πολέμων ὄργανα, ferrum & æs bellorum instrumenta.* Erat ex posteris Cain Tubalcain [h], primi homicidæ nepos, primus inuentor instrumenti ad cædes apti. Execrantur Poëtæ tam sæuum, & sanguinarium sub ferreo seculo inuentum, Maro [i], Tibullus [k], Ouidius [l], & ille citatus ab Oratore [m], cùm canit.

a Cassiod. 1. variarum.
b 1. strom. c. 7.
c lib. 14.
d Gen. 4. 22.
e 3. de rerum inuent. c. 9.
f 1. antiq.
g 12. de legibus.
h Gen. 4. 22.
i 1. Georg.
k Eleg. 10.
l 1. Metam.
m 2. de nat. Deorum.

Ferrea tum verò proles exorta repentè est,
Ausáque funestum prima est fabricarier ensem.

Sed ad rem. Vt ferrum aciem retinet, quando vsu teritur, & dum non teritur, magis atteritur, id est, nativo corrumpitur vitio rubiginis; ita vis ipsa nostri animi concidit vel in virtutibus, vel in intelligentibus habitibus, si non reuocentur in actum, vsúmque; imò societas humana maximum habet ex ipso conuictu emolumentum, vt capite quarto [n] vidimus. *Ferrum* namque *ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici sui* [o], hoc est, vnus alium homo, siquidem, vt Euripides dixit,

Ὁμιλία ἔτεκε τέχνας.

Philistæi præcauerunt & procurauerunt, ne faber esset in Israël [p]; fuitque descendendum filiis Israël ad illos ad acuendos gladios suos, & omnia instrumẽta, etiam agriculturæ, cùm essent eorum acies retusæ. Moralem explanationẽ tradit Gregorius [q] de secularium vtilitate literarum, quarum nobis inuidet studium diabolus, vt sic nec ad sublimitatem spiritualiũ pertingamus. Quòd autem industria, laboréque consequi hebes etiã possit artem, vel scientiam, Cleanthis docemur exemplo, qui obtuso cùm esset ingenio, ac tardissimo, tarditatem tamen, vt scribit Laërtius [r], labore, studio, diligentia vicit, noctu aquam hauriens, & agrum fodiens, vt haberet vnde Zenoni mercedẽ solueret, cui magistro vacaret interdiu. Dicebatur ob tarditatem illam ingenij asinus, & pistillus hebes; propter indefessum verò studium alter Hercules; & successit solus Zenoni, cùm plures huius laudẽ digni discipuli essent, plurimósque pulcherrimos libros conscripsit. Reuera *μελέτη πάντα δύναται,* vt ex Periandro [s] Laërtius idem refert, *exercitatio cuncta potest.*

n vers. 9. & seq.
o Prou. 27. 17.
p 1. Reg. 13. 9.
q lib. 5. in c. 13. 1. Reg. c. 1.
r lib. 7.
s lib. 1.

Si retusum fuerit ferrum.] Iam monui Græcè esse (*si ceciderit, ἐὰν ἐκπέσῃ*) atque sic legisse Cyprianum ex Latinis. Hebræum verbum קֵהָה *kehah* quidam sumunt pro eo quod est, rubiginosum esse, non tantùm hebetari, vel obtusum fieri. Obtusior acies est ex rubigine, non modò ex attritu, vel replicatione, sicut citato loco Gregorius indicat. Obscura mihi, quam Caietanus affert notio verbi, pro eo quod est, obscurum esse, licèt haud multum discedat a sensu. Ferri autem nomine arma intelligi, militis rem militarem, satis notum auctoris cuiusuis generis legentibus. Id in sua Eliachim voluit oratione, cùm dixit, Moysem non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando hostes deiecisse [a]: Moyses etiam ipse constituens supplicium ei, qui ferro percussisset [b].

a Iudith 4. 12.
b Num. 35. 16.

Et hic.] Hebraicè (וְהוּא *vehu*) Græcè (*καὶ αὐτὸς, & ipse*) nimirum scindens ligna, quo etiam pacto plerique Hebraizantes, necnon Cyprianus. At Hieronymus in vtraque versione retinuit pronomen neutrum, referens id ad ferrum.

Non vt prius, sed hebetatum fuerit.] Hebraicè (לֹא־פָנִים קִלְקַל *lo panim kilkel*) supplendum est כ similitudinis ante dictionem secundam, & hæc dictio significabit *prius,* & *ante,* sicut alibi non rarò: vltimum verbum, *aterſum eſt*: quod optimè vulgata expressit, necnon satis commodè vetus translatio, *sed conturbatum fuerit,* alludens ad Græcum actiuum *ἐτάραξε,* relatum ad scindentem, qui turbauerit faciem suam.

Multo labore exacuetur.] Vetus translatio (*virtutibus corroborabitur*) similiter passiuè Græcè actiuè (*καὶ δυνάμεις δυναμώσει.*) Hieronymus in commentario Hebræa וַחֲיָלִים יְגַבֵּר *vachaialim iegabber* sic explicat, *& fortitudinibus corroborabitur,* id est, labore, & sudore, & industria, &c.

Et post industriã sequetur sapientia.] Vetus translatio (*& reliquum fortitudinis sapientia est.*) Sensus est, vt qui præstet fortitudine, laborísque constãtia, sapientiam comparet; pro vt & Hieronymus exponit in cõmentario. Hebræa item יִתְרוֹן הַכְשֵׁיר *ythron hacsher, reliquum,* seu *excellentia ad rectificandum,* eandem sententiam reddunt, id est, cùm quis in sua rectitudine, & studio excellit, cùm non deflectit à recto proposito, & conatu: vel, excellentia sapientiæ in eo est, quod rectum, ac strenuum, & industrium faciat hominem, nimirum absque labore & dolore. Vires intendendæ sunt, vbi ferrum obtusum est; sed excellentia directionis, rectificationis, industriæ est sapientia; hæc enim longè præstantiùs dirigit opus, & magis rectum facit. Solet infinitum loco nominis poni.

Qui Græcè legunt (*καὶ περισσεία τοῦ ἀνδρείου, οὐ σοφία*) eodem ferè accedunt, illum videlicet excellere, ac prospere agere, cuius est sapientia, qui ei studet, ipsamque conseruat. Hoc modo legit Olympiodorus, atque sic habent etiam Biblia regia, & Complutensia, multique codices alij: quidã quoque (*καὶ περισσεία τοῦ ἀνδρείου σοφία, & excellentia,* seu *abundãtia fortis* (est) *sapientia.*) Fauet quoque Symmachus (*προέχει δὲ ὁ γοργευσάμενος εἰς σοφίαν, proficit autem qui industriè se gessit, ad sapientiã.*) Sed editio Septuaginta Sixtiana pro τοῦ reponit οὐ negantem particulam, vt sit sensus, nihil prodesse his, qui sunt antea commemorati, maleuolis, insidiatoribus, &c. quantumlibet vires colligant, & humanæ sapientiæ præsidia quærant. Hanc sine dubio lectionem secutus est Thaumaturgus, vt antea indicauimus (*οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ συγκομίζων, καὶ ἐπαύξων αὐτὸς τὴν ἑαυτοῦ ἀδικίαν, καὶ ὀλίγωρον δύναμιν, haudquaquam facilè comportans, suásque iniustitias, & breui perituras vires adaugens.*) Non dubiũ quidem quin Græcè ita legendum sit auctoritate Sixti V. at potior tamen editionis Latinæ apud nos auctoritas, quàm huius, & cuiuscumque Græcæ: ipsa verò non negantem, sed affirmantem exhibet sententiam (*& post industriam sequetur sapientia*) & fauet, vt dixi, Symmachus, præter alia tot exemplaria. Obtusus sit, qui hoc non sentiat, & nobis retundendus quisquis ferrum armat aduersùs vulgatam.

Vers. 11.]

Verſ. 11.] Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.

SImplex ſenſus eſt, quem duobus verbis dat Hieronymus. Serpens & detractor æquales ſunt; vt ille mordens venenum inſerit, ſic iſte detrahens virus pectoris infundit in fratrem. Vetus tranſlatio (*ſi momorderit ſerpens in ſilentio, non eſt amplius habenti linguam*) Septuaginta (ἐὰν δάκῃ ὁ ὄφις ἐν οὐ ψιθυρισμῷ, καὶ οὐκ ἐστὶ περισσεία τῷ ἐπᾴδοντι, *ſi momorderit ſerpens in non murmure, & non eſt amplius aliquid incantanti*) Aquila (ἀπόντος ἐπῳδῆς, *abſente incantatione*) Symmachus (ἐν οὐκ ἐπαοιδῷ, *abſque incantatore.*) Thaumaturgus nullas exponit vires eſſe incātatorū, quia vani ſunt, nullúmque ſolatium contra morſum ſerpentis furtiuū, & clandeſtinū præſtare poſſunt: Olympiodorus, qui clā peccat admiſſo diabolico morſu, nec emiſſa voce palàm de ſuo peccato gloriatur, poſſe in melius emendari, faciléque futurum ei, qui ſalutari doctrina incantare aggrediatur, vt ipſum curet: vel ſi quis admiſſum ſcelus confiteri nolit, non poſſe vllam ei curam præſtare, qui ſancta excantatione illum curandum ſuſcipiat. Placuit hic poſterior ſenſus Hieronymo, cuius celebris illa ſententia: [Si erubeſcat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.] Trahit Caſſianus [a] eundem locum ad idem propoſitum, vbi Serapio narrat præſentem ſe medicinam expertum detectione veteris morbi ſpiritualis, cùm adhuc puerulus eſſet, coram Abbate Theone; legit verò (*ſi momorderit ſerpens non in ſibilo, non eſt abundantia incantatori*) id eſt, ſi viro ſpirituali, qui carminibus Scripturarum mederi protinus vulneri, & extrahere de corde conſueuit noxia venena ſerpentis, ſuggeſtio, ſeu cogitatio diabolica patefacta non fuerit, ſuccurrere periclitanti, perituróve non poterit.

[a] Coll. 2. c. 11.

Itaque (*non eſt amplius*) vt Græcè, & Latinè legimus in antiqua tranſlatione, vel ſignificat, non ſupereſſe laborem, vel remedium, & aut non facilem curam eſſe, aut impoſſibilem. Hebraicè ad verbum (*ſi mordebit ſerpens abſque ſuſurro, &* (ſic) *non excellentia domini linguæ*) id eſt, nihil à ſerpente ita mordente diſtat is qui lingua abutitur, & linguax eſt, ſcilicet obloquendo, ac detrahēdo occultè, vt doctè Interpres explicauit. בְּלוֹא לָחַשׁ *belo lachaſch, in non muſſauit,* vel *incantauit*: aut reſoluendo in tempus præſens, ita vt non ſit qui muſſet, aut incantet: aut potiùs vt ſit nomen habens in prima propter motionem longam, ſine muſſitatione, aut incantatione. Græci ſecundam ſignificationem ſunt amplexi, Latini priorem, necnon Chaldæus. Senſus idem; quia ſerpens antea incantatus non mordet: poſt morſum non prodeſt incantatio.

Detractor alienas dicitur carnes edere, vt placet Hieron. & Auguſtino, ad hunc modū illud ex Pſalmo [b] accipientibus; *Appropriant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas:* præterea Gregorio [c], atque Nicetæ declarantibus Iob [d], *& carnibus meis ſaturamini.* Rurſum Hieronymus, vbi eſt de Doëg detractore, atque inſidiarum delatore [e]; *dilexiſti omnia verba præcipitationis*, interpretatur verba ad deuorandum; Chaldæus voracitatis. Denique præfatione ad 18. librum ſuper Eſaiam, locum iſtum de mordentibus ac ferientibus in abſcondito detractoribus interpretatur. Eandem vim habet quod ait Apoſtolus [a]; *Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem conſumamini. Mordendi* hac in notione verbo, vt & *rodendi, lacerandi, comedendi*, auctores quoque profani frequenter vtuntur; & placuit Oro inter hieroglyphica baſiliſcum ponere tanquam ſymbolum alterius maledictis & conuitiis affecti: & velut ſerpens bilinguis, ac trilinguis quoque videtur, quod Phyſiologi tradunt, vt Plinius [b], Iſidorus [c] quoque & alij, propter celerrimum linguæ motum, cùm vnicam habeat: ſic bilinguis (imò & hoc loco à Paraphraſte, qui gehennæ illi minatur ignem, triplicis linguæ) detractor vocari ſolet. Rectè; nam ſeipſum ferit, cum cui detrahit, detractionis auditorem. Ideóque triceps gladius, & lancea triplex, inquit Bernardus [d].

[b] Pſ. 26. 2.
[c] lib. 14. moral. c. 14.
[d] Iob. 19. 22.
[e] Pſ. 51. 6.
[a] Gal. 5. 15.
[b] lib. 6. c. 17.
[c] 12. orig. c. 4.
[d] ſerm. de triplici cult. manus, linguæ, & cordis.

Nihil magis tritum, quàm vt detrahens mordere dicatur ſicut canis, & ſerpens; & tota obtrectantium Cynicorum natio ipſo in nomine ſatis id præ ſe tulit. Detractio eſt ipſamet ſtultitia, vt eam quidem nominat non Aaron [e] modò, ſed etiam Deus [f]. Non hîc nunc agam de ſerpentum excantatione. Res tritiſſima etiam Poëtis: & Interpres nominatim eam non expreſſit; nec tamen reſpexit ad præincantatum ſerpentem, quàm ad latenter mordentem. Lege Delrium [g], & Hieronymum, Auguſtinum, Arnobium, Bedam, Baſiliū, Theodoretum, Euthymium in Pſalmum 57. [h] vbi de aſpidis incantatione. Ieremias [i] quoque verbis diuinis minitatur; *Ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio.* Permitti docet Auguſtinus [k] à Deo frequentiùs incantationem ſerpentum, quàm ferarum aliarum, & vt maior ſit illorum familiaritas cum hominibus, propter fraudem, qua ſunt primi parentes à ſerpente decepti [l]. Immiſit Deus contra ſimile virium murmurationis igniros ſerpentes [m]; vorat enim ignis & lepram [n], quæ ſerpendo carnes exedit [o], & hiatum abſorbentis, ac deglutientis terræ [p]. Meritò mordens ac vorans mordetur, & voratur: aptè lingua maledica cum ſerpentina comparatur; ineſt enim ſub ſerpentis lingua plena veneno veſica, quæ, quando mordet, rumpitur. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum, linguis ſuis dolosè agebant* [q].

[e] Num. 12. 11.
[f] Iob. 42. 9.
[g] in magicis diſquiſit q. 5. & . .
[h] verſ 5.
[i] c. 8. 17.
[k] In Geneſ. lib. 11. c. 28.
[l] Gen. 3.
[m] Num. 21. 6.
[n] Num. 12. 10.
[o] ibid 12.
[p] Num. 16. 30. & ſeq. Pſ. 105. 17. 18. Deut. 11. 6.
[q] Pſ. 139. 4.

Qui occultè detrahit.] Hebraicè (לְבַעַל הַלָּשׁוֹן *le babhal hallaſchon, domino linguæ*) qui promptus eſt lingua ad detrahendum, vel eruditus ad incantandum, iuxta ſenſus allatos. Hebraiſmus talis, quando quidam in Pſalmo [r] dicunt; *Labia noſtra à nobis ſunt*, id eſt, in noſtra poteſtate, vt quidlibet loquamur, & verba nobis in promptu ſint, nec nobis de his cuiquam reddenda ratio. Interpres ad detractorem addidit (*occultè*) propter comparationem cum ſerpente abſque ſibilo mordente.

[r] Pſ. 11. 5.

Verſ. 12.] Verba oris ſapientis gratia: & labia inſipientis præcipitabunt eum.

NOua inter ſapientem ſtultúmque collatio, quòd loquatur ſapiens verba gratiæ, & vtilitatem audientibus præbentia, cùm ſtultus hæc audiens nitatur in deteriorem illa partem accipiens, ipſum ſupplantare, ſimilem ſibi, ſi poſſit, reddere, nomen eius, quæque dicuntur ab eo, infamare. Sic Hieronymus. Bonauentura ſecundum interpretatur membrum de ſtulto, cuius verba præcipitent ipſū, & accōmodatè quidem de Antichriſto ſe extollente ſupra omne quod dicitur

Deus [a], & præcipitabitur à consilio suo [b], dicens in corde suo, non est Deus [c]. Fragrant odore suauissimo prodeuntia ex corde sapientis in ore verba, estque vox illius ex affectu cordis, in virtute oris, in magnificentia operis [d]: at verba vanæ eloquentiæ extollunt superbia, deprimunt in præcipitium, vt temerè proferantur, ac sine gustu rerum diuinarum, & deducant in profundum damnationis.

a 1 Thess. 2. 4. b Iob. 34. 7. c Psal. 13. 1. d Psal. 28. 4.

Hoc modo Hugo Cardinalis, exprimens prætereà huiusmodi stultum esse hæreticū, aut Philosophum, aut quemuis prauum Doctorem. *Sapiēs seipsum in verbis amabilem facit* [e], & mirantur omnes in verbis gratiæ procedētibus de ore eius [f], in quo gratia diffusa est [g], & sermonem habet in gratia sale conditum [h], isque gratiam dat audientibus [i]. At *labia insipientis præcipitabunt eum* [k]: *& qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala* [l]: & præcipitabit Dominus, atque diuidet linguam illius [m], ad æterna supplicia, vt Olympiodorus hoc loco declarat, iungens simul damnum, quod faciat stultus non tantùm sibi, sed aliis quoque; quod nec Hieronymo displicet. At Gregorius Ponti, siue Neocæsariensis, & Thaumaturgus sapientem alios, & se commodo, damno stultum cæteros exponit afficere, haud negans tamē quin & seipsum. Propriè de damno, cuius sibi sit stultus auctor indicat Hebræum verbum cum affixo תְּבַלְּעֶנּוּ *theballehhennu.*

e Eccli. 20. 13. f Luc. 4. 22. g Psal. 44. 3. h Coloss. 4. 6. i Ephes. 4. 29. k hoc loco. l Prou. 13. 3. m Psal. 54. 10.

Tertium sensum reddit Chaldæus (*sermonibus oris vir sapiens qui inuenitur in generatione, inuenit misericordias ante Dominum* (חֵן *chen* significat etiam *misericordiam*, pro quo Chaldæus רַחֲמִין *rachamin*) *& labia viri stulti plena sunt increpatione: & propterea totus mundus destruitur.*) Primum præfero sensum.

Vers. 13.] Initium verborum eius stultitia, & nouissimū oris illius error pessimus.

QVod in medio iacet haud sanè meliùs: soletque iudicium ferri de medio ex extremis, & idiotismo Hebraico, cùm ponuntur extrema, media intelligi, vt ibi [n]; *Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam*, ac proinde quæ intersunt, id est, vitam totam, siue sedeam, siue cubem, siue stem, siue ambulē, siue fugiam, &c. Vbique stultus, ac in omni re stultitiam suam prodit, aggreditur stolidè loqui, & pertinaciter prosequitur ad finem vsque. Vel statim, vt ait Thaumaturgus, dicendi finem facit, nempe non habens quid ampliùs dicat, quomodo inchoatum continuet sermonem, quā ratione sententiam concludat aptè. Ducit principium orationis à temeritate, à vana gloria, à voluptatis sensu; desinit in pertinaciam, & peruersæ defensionem sententiæ, ac iactabundam gloriationem, in blasphemiam, qua reiicit in Deum culpam; in falsam de rebus diuinis doctrinam. De his Hugo, & allegoricè de Antichristo, sicut antea.

n Psal. 138. 1.

Error pessimus.] Hebraicè (הוֹלֵלוּת רָעָה *holeluth rahhah*) Græcè (περιφέρεια πονηρά) Symmachus, teste Hieronymo (*tumultus,* θόρυβος.) Has voces iam pridem explicauimus [o]. Græcæ denotant inconstantem sententiam, & animum errantem per varia. Monuimus etiam aliquoties, superlatiuis Interpretem non rarò vti pro positiuis nominibus. Paruus error in principio, magnus in fine, vt pronunciauit Philosophus.

o c. 1.

Vers. 14.] Stultus verba multiplicat. Ignorat homo [*], quid ante se fuerit: & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?

ETiam cùm pauca loquitur, quia nugatur: multitudo namque pro nugacitatē ponitur, ait Olympiodorus, & quicquid dicat, importunus est, ac molestus (tales λάλους Græci nomināt [a]) & multiloquio tegere se putat stultitiam, vel ostentare falsam scientiam, inquit Hieronymus: atque perseuerando persuadere, vt notat Bonauentura; loquitur, docétque duntaxat, non facit, verbosus est, seu otiosus. *Homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assidua erit* [b], ἄνθρωπος ἄχαρις μῦθος ἄκαιρος, &c. delectatur fabulis, ac inutilibus referendis sermonibus (sicut & quidam libenter se ad fabulas audiendas conuertunt [c]) idcirco & ipse cum illis exploditur. Abderitarum legato longiore vso oratione, & quid renunciaret quærenti, respondit Agis; quātum temporis ad dicendum tibi opus fuit, tantum me silentem audisse: & Cleomenes oratoribus Samiorum; quæ primùm recensuistis, non memini, ne media quidem intelligo, postrema non probo [d].

a Gell. lib. 1. c. 15. b Eccli. 20. 21. c 2. Tim. 4. 4. d in apophthegmatis.

Est [e] *etenim comis breuitas: sic fama renatum*
Pythagoram docuisse refert, cum multa loquaces
Ambiguis sererent verbis, contra omnia solum
Est, respondebat, vel non, ô certa loquendi
Regula: nam breuius nihil est nec plenius istis,
Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.
Nemo silens placuit: multi breuitate loquendi.

e Auson. epist. 12. ad Paulinum.

Ignorat homo quid ante se fuerit: & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?] Similis præcessit sententia superioribus capitibus [f]. Cùm sit omnium stultus ignarus rerum, nec præteritorum meminerit, nec futura cognoscat, in eo doctū se putat, & sapiētē, si, quod antè dictū est, verba multiplicet. Inuehitur Olympiodorus in curiosos percōtatores ariolorum & diuinorū, vel vanos obseruatores auguriorum. Nos pro ratione instituti satis hoc libro superiùs [g]. *Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens* [h].

f c. 3. 22. c. 7. g ibidem. h Pro. 17. vlt.

Vers. 15.] Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere.

HEbr. (*affliget eum, qui nescit*) Septuaginta (*affliget eos, qui non nouit.*) Sed quidam codices habent αὐτόν: Schol. (*labor,* ἄφρονος, *stulti*) Symmachus (οὐ γὰρ ἐπίσταται, *non enim scit*, &c.) Chaldæa paraphrasis reddit omnia numero singulari, & sic exponit (*fatigatio stulti, qua defatigatur in stultitia ipsa delassat eum, adeò vt non discat ire in ciuitatem, intra quam sapiens habitat, ad quærendum ab eo disciplinam.*) Permistio numerorum nil officit sensui; singularis enim distributiuè sumendus pro vnoquoque. Idem innuit Thaumaturgus, quòd Chald. & similem Hieronymus interpretandi rationem secutus est, quam Thargum: sed de Gentilium Philosophis, vel hæreticis Deum ignorantibus, qui cùm veritatem omni studio quæsierint, non peruenerunt ad ciuitatem Ecclesiæ, in qua ad nihilum redigit Deus imaginem ipsorum [i], hoc est, vmbras, &

i Psal. 72. 20.

diuersas

diuersas imagines, atque personas, quas sibi in variis dogmatibus induerunt, quia non habuerunt ducem, nec præuium itineris. *Errauerunt in solitudine in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt* [a]. Propterea Saulo præcipit Christus [b]; *ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Olympiodorus pariter ciuitatem intelligit, Ecclesiã in qua est simplex fides, necnon Beatorum sedem, ad quam pergitur per fidem, cùm constet nos hîc immanentem non habere, sed futuram inquirere [c] *fundamenta habentem, cuius artifex, & conditor Deus* [d]. *Quid habet amplius sapiens à stulto?* vt capite sexto vidimus [e], *& quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita? Labor labiorum operiet istos* [f], qui nesciunt, nec volunt pergere in vrbem hanc duplicem.

a Psal.106.4. b Act.9.7. c Heb.13.14. d Heb.11.10. e vers.8. f Psal.139.10.

Moringus arbitratur, latere comparationem cum rusticis, quorum labor irritus, si tempestiuè fructus non importent in vrbem, quando mercatus celebratur, vt ibi diuendant: vel vanum esse laborem verba multa fundentium, quia nesciunt se componere ad vrbanitatem, & cum decoro loqui, quod vrbium præsertim ab incolis solet seruari: denique, vt explicat Isidorus Clarius, rationem viuendi ciuiliter ignorant.

Caietanus Principem vult reprehendi, qui viã ad ciuitatem latebrosam fecerit, & ingredi volentibus difficilem, ac impeditam, cùm patens ac peruia debeat esse. Et in hoc, inquit, vno labore intellige omnes similes labores stultorum indecẽtes & nociuos. Vatablus ait parœmiali sermone significari quàm sit inutilis, non modò molestus stulti labor, studiúmque circa arduas quæstiones, quarum ne vulgares quidem ac notas teneat: nam nec viam scit ad vrbem, nulli non puero notam. Emmanuel Sà in notis posuit vnico verbo interpretationem eandem: id est, inquit, notissima ignorat.

Malo sentire, loquíque cum Patribus, maximè cum Scripturarum optimo Interprete Hieronymo, qui sæpiùs ac libentiùs literalẽ sectatur sensum, mysticum si non vitat semper, non adeò probat, vt illum. Sed cùm figurata oratio est, sicut hoc loco, qui censeri posset mysticus, literalis est sensus. Necnon placent tamen alij, ex quibus vltimus illustratur illo prouerbio; *τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι; quis aberret à ianua* [g]? licèt adagiorum auctor malit *θήρας, à fera*, & ex venatione petitam parœmiam: præterea alio; *τῇ πάσῃ ὁδῷ ἀφαμαρτάνειν*: vel *τρέχειν ἐκτὸς ὁδοῦ, tota via errare, currere extra viam* [h]. Extrema stultitia eius, qui à semita, & via sancta, ac directa errat, per quam promisit Deus [i] fore, vt nec stulti errarent, nisi videlicet de industria errare velint. Viam qui nescit, qua perueniat ad mare, eum oportet, ait Plautus, amnem quærere comitem sibi, id est, circuitu longiore illuc tendere. Non vacat probabilitate hîc etiam cum inscitia impietatem insinuari, sumendo ciuitatem *κατ' ἐξοχὴν* pro Ierosolymitana. Nam lex [k] imperabat adiri eam ciuitatem ter in anno à Iudæis religionis ergò. Desertio, aut neglectus Religionis inducit magnam cæcitatem mentis stultitiámque; & quia homines Religionem haud rectè colant, asserebat Socrates [l], multa, & grauia in eos mala inuehi.

g 2. Metaph. h idẽ auctor adagiorum. i Esa.35.8. k Exod.23.17. & 34.24. l apud Plat. in Epinom.

A *Vers.* 16.] Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt.

Hieronymus agnoscit quidẽ sensum literalem versus istius & seq. de Principe, vel Iudice, tum malo, tum bono, vt sit malus, iuuenis, ac luxuriosus, aut per ætatem infirmæ sapientiæ, aut deliciis eneruatus in ætate matura: bonus, qui voluptatem nequaquam præferat ciuium negotio, nec nisi post multum laborem, & administrationem Reipublicæ, cibum capere quasi necessitate cogatur. At sacratius quid latere ducit in litera; nempe iuuenem censeri, qui desciscit à
B vetere auctoritate, ac parentum cana contemnit præcepta; de numero eorum, quos iratus Deus minatur se daturum [a]; *& dabo*, inquit, *iuuenes Principes eorum*; quo nos loco plura. Daniel vidit antiquum dierum [b]: Ioannes caput Saluatoris candidum vt niuem, & quasi lanam albam [c], vtpote Patri coæternum: & Ieremias, cuius cani in sapientia reputabantur, prohibitus est dicere se puerum esse [d]. Non quærunt in hoc seculo tales Principes, qui Rege gloriantur Christo, cibum manè, id est, voluptatem; sed expectant in tempus retributionis, quando edent, & bibent super mensam in regno Christi [e]. Imitantur Absalon
C perduellem patris [f], imò diabolum nouarum rerum cupidum, & ideo *νεώτερον*, qui hîc sectantur voluptates, comedentes ac bibentes quasi cras morituri [g]. Augustinus [h] assignat huic loco eandem allegoriam, esséque diabolum propter stultitiam, superbiam, temeritatem, petulantiam, aliáque huius ætatis vitia, puerum vel adolescentem, ciuitatis vnius ducem: Christum, qui est filius ingenuorum sanctorum Prophetarum, Principem alterius: Principes prioris non expectare opportunam in seculo futuro felicitatem; posterioris patienter expectare. Gregorius [i] planè consentit, notans in Scripturis manè sumi pro præsenti vita, sicut vesperam pro his, quæ in mundi termino sequuntur. Latini cæteri ferè hoc secundum tradunt; & obseruat Salonius annis
D Dauid, ac Iosiam iuuenes fuisse, cùm regnare cœperunt, qui tamen optimè regnauerunt. Addi potuit Salomon, qui Regnum aliquandiu bene administrauit.

Olympiodorus in primo literali sensu concordat: mysticè animam rationalem vocat ciuitatem, intellectum Regem eius, qui si leuis sit, motúsque gulæ voluptatibus habeat indulgẽtes, malè cũ ipso agatur: bene, si sacris nutriatur disciplinis. Hugo Cardinalis & hũc moralem amplectitur sensum, & alium de Prælato Ecclesiæ (facit id item Hieronymus in expositione Esaiæ [k]) qui
E puer est infirmitate, insipientia, vita. Chaldæus restringit sententiam ad Ieroboam, cognominãs illum peccatorem, quem Salomon [l] præuidens Regem futurum, nempe super decem tribus, & cessare facturum oblationem matutinam, nimirũ per idololatriam, præterea magnates antequam offerant iuge sacrificium matutinum, comesturos panem, deploret, atque væ denunciet. Addere potuit Roboam [m], qui iuuenum vsus consilio, & in Tyrannum euadens, perdidit Regnum, non ætate puer, erat enim quadragenarius; sed moribus, vt obseruat in Esaiam Hieronymus [n].

Profectò præposterum valdè, vt genio intempestiuè vacet qui Rempublicam gubernat:

a Esa.3.4. b Dan.7.7. c Apoc.1.14. d Ierem.1.7. e Luc.22.30. f 2.Reg.15. g Esa.22.13. 1. Cor.15.32. h 17.de ciuit. c.20. i 16.moral.c.24 vel 27. k in c.3. l 3.Reg.11.17. & seq. m ibid.c.12. n in c.3.

nec puerilis ætas ob inexperientiam idonea Reipublicæ. Meritò Petrus à seipso, & collegis illo principio cùm ad Ecclesiæ gubernacula manum erant applicituri, intemperantiæ ac ebrietatis calumniam depulit, vt obseruauimus in Apostolicis Actibus [a]. Præcipiunt omnes Politici hos regere debere, qui sapientia vsúque polleant; quibus duabus rebus parua obest ætas, atque intemperantia. Platonis [b] hæc sententia. [Gubernatores, atque Iudices munus suum subituros à vino penitus prohiberem: deliberaturos quoque de rebus non omnino negligendis.] Narrat Plutarchus [c], quodam interrogante, quam ob causam parum biberent Spartiatæ, Leotychidam respondisse, ne pro ipsis alij consultarent, sed pro aliis ipsi. Iterum Plato [d] custodem ac Iudicem præcipit constitui ciuitatis, qui singulis ætatibus semper, pueritia, adolescentia, matura ætate priùs probatus fuerit, & immaculatus. Inde tritæ Iudæis, Romanis, Christianis *seniorum, senatorum, presbyterorum* voces pro optimus, consultissimísque. Iosephus Patriarcha meridie fratres inuitauit ad cibum [e]. Ibi Rabbi Bachaiai colligit id esse tempus quo Principes, & Iudices edere solent, vt præcedens matutinum totum collocent negotiis expediendis; & hinc ex præsenti sententia ducit argumentum. Sed nos hanc alibi docuimus communem aliis nationibus horam fuisse [f]. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam*, denuò clamat Esaias [g], in omnes vniuersè; at maximè proculdubio in eos, qui præire debent exemplo.

Terra.] Sic Symmachus (γῆ) Septuaginta (πόλις.) Variam terræ notionem aliàs tradidi. Rex non est vnius tantùm ciuitatis, nisi more Orientalium præsertim, sicut aliàs quoque docuimus; ita tamen vt plura vel castra, vel oppida, vel villæ ad eandem spectarent ditionem sub vna metropoli.

Puer.] Hebraicè (נַעַר *nahhar*) quæ dictio est etiam apud Esaiam [h], vbi minatur Deus daturum Reges pueros: Græca ibi est νεανίσκοι, hîc νεώτερ. Hebræa significat ætate minorē quasi excussū. i. habilem, agilem, vegetum, viuacem, alacrem, vel cura liberum: vnde in Psalmo [i] *filij excussorum* vocantur ab Hieronymo filij iuuentutis, & à Chaldæo dicuntur מַטְלִיוּתָא *mutalciutha, à pueritia.* Nec definitur tamen ætas annis viginti, cùm dicatur quoque de Beniamin, qui ætatem illam superabat [k]. Multo minùs quando sumitur pro ministro, & seruo, licèt minorum sit maioribus ministrare. Minimè autem, cùm moraliter, ac per translationem de illo, qui caret iudicio, & mente: quo pacto qui vocatur Roboam rudis ab Interprete [l], Hebraicè nominatur נַעַר *nahhar*, Græcè νεώτερος, ætatis tamen, vt dixi, grandioris. Sic non nemo [m] נְעָרִים *nehharim, iuuenes* intelligi vult, qui videntes Iob, abscondebantur, non ætate magis, quā moribus [n]. Sic proculdubio Ieremias [o] detrectans officium docendi, vocabat se puerum: eo verò loco sunt voces, quas modò retuli, Hebræa, & Græca.

Cæterùm quod attinet ad ætatem, quoniam væ indicitur nūc terræ habenti Regem puerū, & minatus id est Deus verbis Esaiæ, fieri videtur vel hoc nomine meliorem esse rationem sibi Regem eligendi, quàm hæreditario iure cōstituendi. Plura siquidem, ac frequentiora nascūtur incommoda ex tutorū regiorū administratione, qui vt in re aliena segniores sunt, sibiq; aut quoad licet lucrū comparant, aut Regnum etiam, si possunt, inuadunt. Sed & suas non spernendas rationes habet Regni hæreditaria per successionē (qui apud plures viget modus) acquisitio. Qua de re nonnihil alibi [a] disserui: nec potest negari saltè ex tacita plurimū gentium lege Regna per successionem deferri, nec pueris legitimis Regum filiis admi, quamuis propter infirmitatem ætatis minùs idonei sint ad gubernandum. Lege Petrū Gregoriū [b].

Et cuius Principes.] *Secundùm Iudicem populi, sic & ministri eius* [c]: *Princeps qui libenter audit verba mēdacij, omnes ministros habet impios* [d]. Tanti refert capitis exemplum non pro infimis ac vilioribus dūtaxat, sed pro principibus quoque, & nobilioribus membris. Nam de vulgaribus vulgaris sententia non solùm Platonis, tales solere reliquos esse ciues, quales sunt in Republica Principes; sed & Poëtæ [e]:

——totus componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent: quàm vita regentis.
Mobile mutat ur semper cum Principe vulgus.

Itaque ratio exempli videtur exigere, vt Regem non annis tantùm, sed maximè moribus puerilibus intelligamus, quísque puerorum in morem ludicris & iucūdis oblectetur. Id magis exprimitur sequēti verbo *comedendi.* Prorsus ita est, quod exemplo fit, id enim iure fieri putant, & aliquid, atque adcò multa addūt, & afferūt de suo [f]. Christus venit inter alias causas, etiam præcipuè ad præbendū exemplū, vt plerique notant Patres [g], & Christus ipse non semel professus est [h], & Petrus admonuit [i], vt nos ibi quoq; docuimus. Ipsi Gentiles peccarūt licentiùs, Deorum suorū, quos omnibus onerabant ac honorabant criminibus, exēplo, vt August. [k] docet præter alios; Plato [*] verò Poëtas & historiographos id scribentes redarguit. [Ac si de libidinibus quidem, vt vnius ponatur criminis exemplū, agatur, quis est mortalium, ait Arnobius, tam pudicis moribus institutus, quē non ad huiusmodi furias Deorū documenta prorritent? Aut quis suas comprimere cupiditates à cognatis valeat, reuerendísque personis, cùm apud superos sanctum nihil in libidinū videat confusione seruatum? Vbi enim primam, perfectámque naturam intra fines constiterit iustos cupidinem suam non valuisse frenare, cur non in promiscuos appetitus effundat se homo, & ingenita fragilitate præceps datus, & magisterio sanctæ diuinitatis adiutus [l]?] *Principatus* Christi *super humerum eius* [m], quia iuxta interpretationē Chaldæam, suscepit legem supra se, vt seruaret eam. Cicuratam columbam aucupes alis perunctam ad agrestes dimittunt, vt fragrantia illiciat, & ad possessionem, potestatémque columbarij transferat. Hac similitudine Basilius [n] hortatur Iulitam iungi Dionysio, quem diuino vnguento piæ disciplinæ instituerat.

Eringion pusillam herbam si vna capra in os sumpserit, illam ipsam ferunt, ait Plutarchus [o], simúlque reliquum gregem consistere, quousque accurrat caprarius, herbámque ex ore eximat; vsque adcò acres efflantur è rebus vires. Simili prorsus ratione, si viro in magistratu posito quis virtutem infuderit, hic multis per vnum profecerit, & ab incepto cursu reuocabit.

Manè.] Hebr. & Græcè (בַּבֹּקֶר *babboker, ἐν πρωΐᾳ, in hora matutina, diluculo.*) Hoc tempore quidpiam quærere, vel facere, denotat magnam, primámque sollicitudinem, & penè continuam. *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam* [p], id est, citò, tempestiuè:

a c.2.15. b 2. de legib. c in apophtheg. Lacon. d 3. de Rep. e Gen. 43.16. f in Euang. Domin. 1. Quadrages. & in c.2. Actuū. g c.5.11. h c.3.4. i Ps. 126.4. k Gen. 43.8. l 2. Paral. 13.7. m Nicetas in Iob. n Iob. 29.8. o c.1.6.7.

a Act. 1. b libr. 26 de Repub. c 5. c Eccli. 10.2. d Prou. 29.12. e Claud. de quarto Honorij Augusti Consulatu. f Cicer. 4. ep. 10 3. ad Seruī. Sulpi. g Aug. serm. 53 de diuers. & in Ps. 33. Amb. in Psal. 118. octon. 10 Gregor. 29. moral. c.1. Cyril. Alex. in Ioā. c.13. Euthym. in Psal. 48. h Mat. 11. 29. Ioan. 13. 15. i 1. Ep. 2. 21. k 2. de ciuit. c.7 & 25. * dialog. 2. de iust. l 5. aduersus Gen. m Esa. 9.6. n epist. 175. o opus. quòd Philosophus debeat cum Principibus sermocinari. p Ps. 142.8.

tempestiuè: *manè astabo tibi* [a]: *in matutinis meditabor in te* [b], id est, diligenter, quamprimùm, ante omnia: *visitas eum diluculo* [c], id est, captas illum puniendi occasionem: *castigatio mea in matutinis* [d], assiduè, semper: *si manè me quæsieris, vt velox feras opē, non subsistam* [e], citò aduenies, ac intempestiuè, me iam sublato: *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ* [f], sine cunctatione: *in tribulatione sua manè consurgent ad me* [g]: *manè consurgent, & non inuenient me* [h]: *locutus sum ad vos manè consurgens, & loquens, & non audistis* [i], id est, diligenter, accuratè, &c. *manè exaudies vocem meam* [k], citò, primo quoque tempore: *adiuuabit eam Deus manè diluculo* [l], opportunè: *esto brachium nostrum in manè* [m].

a Psalm.5.4. b Psal.62.7. c Iob.7.18. d Psal.72.14. e Iob 7.21 f Psal.100.8. g Osee 6.1. h Prou.1.28. i Ierem.7.13. k Psal.5.4. l Psal.45.6. m Esa.33.2.

Putat Philippus [n], qui Hieronymi nomine circumfertur, manè quandoque idem esse quod publicè, claráque luce. Quæ *astra matutina* Interpres vocat in libro Iob [o], Hebraizantes legunt *stellas luminis*; & ibidem Caietanus συνεκδοχικῶς intelligit diem integrum per matutinum: alij per manè lumen, quia eo tempore inchoat diurnum lumen clarum, & inde manat in reliquum diem, vt ait Varro [p]. Addit Festus, Nonius, Seruius olim manum idem fuisse quod bonum: vnde cùm lumen affertur, Græci dicunt φῶς ἀγαθόν: & immane non bonum est, imò malum; alij quasi à manibus, id est, locis inferioribus, exordium lucis emergat, seu à Diis, quorum conuersatio à Luna ad terram est. Legendi Macrobius [q], Isidorus [r], Censorinus [s]. Græci πρωῒ manè, & πρωΐαν horam matutinam appellant, cum qua Iosephus ὄρθρον confundit, cùm tamen hic propriè designet horam ante orientem Solem, qua hora ἀναστάντες ἐξ ὕπνου ὀρθοὶ γινόμεθα, *surgentes è somno, recti efficimur*: illa verò denotet horam ante legitimum tempus, quasi πρὸ τῆς ὥρας, *ante horam*. Sic immatura mortuum morte iuuenem dixit Hesiodus πρωῒ μάλα, *valdè manè*, quasi πρώωρον. Fructus quoque præmaturos πρωΐμους, aut πρωΐους vocant. Ad hunc modum comedentes manè Principes dicuntur nimis maturè, ante legitimum tempus, impatientes moræ. Postremò בקר *boker*, à בקר *bakar*, quod est *quærere*, tempus diluculi est, quòd res omnis inquiratur quæ latuit per noctem, vt diluxit.

n In c.14. Iob. (manè primò consurget homicida.) o c.38.7. p Lib.5. de lingua Lat. q 1.c.3. r Originum. s De die natali c.10.

Comedunt.] Hebraicè (*comedent*) qui nimirum comedendi, cibúmque sumendi vsum habent præ intemperantia intempestiuè, cùm primùm appetunt, & quoties, ac, vt de Germanis antiquis prodit Tacitus [t], diem noctemque continuando; vel vt de Calecutiis quidam [u], etiam octies & decies in die. Persis, teste Xenophonte [x], πρόσθεν μὲν ἦν μονοσιτεῖν νόμιμον, ὅπως ὅλῃ τῇ ἡμέρᾳ χρῷντο πρὸς τὰς πράξεις. Vitulum meritò Vitellium cognominaueris, imò porcum, &, si quid dici turpius potest, quem scribit Suetonius [y] vomendi consuetudine se idoneum ad omne cibi tempus præstitisse, vsúmque ientaculo, prandio, merenda, cæna, comessatione. Mitto Tiberium epulantem quandoque, ac potantem biduum continuum, ita vt falsa collusione παρονομασίας nominaretur Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero [z]: præterea Claudium, cibi & vini quocumque tempore, & loco appetentissimum, ita vt victus nidore prandij, quod in maxima Martis æde Saliis apparabatur, deserto tribunali ascenderit ad Sacerdotes, vnáque discubuerit [a]. Bonosi in isto superiùs libro summæ intemperantiæ mentionem feci. Heliogabalus hoc nomine maximè infamis (de quo Lampridius, & Herodianus) semper conuiuiis assiduus, & exquisitis escis; de Maximino Eusebium [a] consule. Celebrat è contrario idem Suetonius [b] Augusti parsimoniam cum assiduitate reddendi iuris in noctem nonnunquam. Et sanè verissimum est quod Aristoteles [c] inter politica monita numerauit, qui se voluptatibus dederint, facilè in contemptionem venire, & multas se opprimendi occasiones præbere: propterea à Dione Dionysium inuasum, quòd hunc videret semper ebrium, ac ita Syracusanos quoque ciues se habere; Astyagem pariter à Cyro, ab aliis alios.

t De moribus Germ. u Ludouicus Barthema. x 8. de Cyri instit. y In Vitell. c.13. z Sueto. c.42. a Sueto. c.33.

a Libr 8. histor. Ecclesi. c.37. b c.33.74.76. 77.78. c 5. Polit. c.10.

Vers. 17.] Beata terra, cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.

OPposita contrariæ in priore versu sententiæ sententia præsentis nullo negotio percipitur. Nobilis puero, vescētes in tempore suo, manè comedentibus opponūtur. Nobilē hic vocant Græci υἱὸν ἐλευθέρου, *filium liberi*, vel, vt habent Sixtiana Biblia, in plurali ἐλευθέρων, *liberorum*, seu *ingenuorum*: Hebræi בן חורים *ben chorim*, *filium candidorum*, seu *candidatorum*, id est, claro loco natum, nobilē, ingenuum, albis indutum, quod ingenuorum est insigne, qui & lingua Ismaëlitica, vt Rabbini testantur, vocatur filius לובן *loben*, *alboris*, seu *candoris*. Lege quæ de coloris albi præstantia dixi ad caput primum historiæ Apostolicæ [d]. Mauri, genus Chanaan, nigri sunt, & maxima parte serui. Hinc intelligitur nobilitatem ex virtute æstimari, nilque intemperantia ignobilius esse, quæ potè hominem ad bestias abiiciat. Disserui præterea loco eodem [e] nobilitatem petendam potissimùm ex studio virtutum, eosque nobiles censendos in primis, qui sint huiusmodi è parentibus progeniti, similibúsque conspicui moribus, vt inter colores albus maximè luculentus, & visibilis. Tales præfici Reipublicæ plurimi referre, sapientes quique docuerunt, & comprobat experientia. Nam consentaneum est, inquit Plato [f], meliores esse naturas nobili in genere, quàm ignobili: ac necesse est, vt bene nati, si bene educentur, ita demum ad virtutem perueniant. Requirit etiam B. Thomas [g], vt facilè quis aliquam administret dignitatem, præter sapientiam, ne erret in gubernando, & virtutis potentiam in exequendo, generis quoque prosapiam, ne contemnatur præcipiendo. Talis vir fortis mulieris [h]: tales quos Moses populo præponebat [i]: talis Heli Sacerdos cum filiis, quamdiu glorificabant Deum [k]: talis Samuel [l].

Infelix terra, cuius Rex, & magistratus solo contentus est inani titulo nobilitatis, non solido veróque virtutis, indignus maioribus suis.

Ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἐμοὶ γ' ἀνήρ,
Ὁ δ' οὐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πεφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ [m].
Bonus mihi vir nobilis videtur,
Qui verò non iustus est, licèt à patre meliore
Quā Iupiter sit, genus deducat, ignobilis mihi videtur.

Lege Aristotelem [n], dum tractat de moribus nobilium, & Senecam in epistolis [o], & controuersiis [p]. Tiraquellus autem in nobili opere de nobilitate [q] recenset plurima exempla Pontificum, Imperatorum, Regum, & Principum, qui seruilis, vel aliàs sordidæ originis fuerint, vt pro-

d vers.10. e c.7. & 17. f in Alcibiade 1. g in c.1. ad Hebr. lect. 2. h Prou.31.23. i Deut.1.15. k 1.Reg.2.30. l 1.Reg.9.6. m Euripides. n lib.2. Rhetor. c.15. o maximè in 31. & 44. p in 6 lib.3. q c.4 & 6.

pemodum, ac ex parte maiore verum videatur, quod Platonem dixisse Seneca [a] refert, indicat verò Plato in Theæteto, neminem Regem non ex seruis esse oriundum, neminem non seruum ex Regibus. Recenset idem auctor Tiraquellus [b] in priuilegiis nobilitatis, vt ea prædìti ad dignitates, magistratus, honores assumantur potiùs quàm obscuri. Hoc ipsum Bartolus [c] confirmat præsenti Ecclesiastis testimonio. Id cæteris, quod aiunt, paribus verum est; alioqui sapienter quispiam in Pontificis electione, dum alius allegaret nobilitatem alterius, respondit, piscatori Petro, fabri filio (cui tamen non defuit eximia sanguinis ex nobiliore, regiáque tribu Iuda nobilitas) successorem quætimus, non Augusto [d].

a epist. 44.
b c. 30. 2. n. 2.
c in l. honor. §. de honorib. ff. de munerib. & honor. & C. de dignit. lib. 12. col. 5 verb videndum est.
d gloss. c. quo oiam. 24. q. 3. verb inundia.

B Iungas licet Augusto, de quo priùs, quod ad parsimoniam spectat, Iulium Cæsarem, Pertinacem, Didium, Tacitum, M. Antoninum Pium. De primo dicebat Caro, vnum ex omnibus Cæsarem ad euertendam Rempublicam sobrium accessisse [e].

e Suet. c. 53.

Mysticos sensus pete ex versu præcedente. Chaldæus interpretatur de viro valente in lege, & de iis qui postquam obtulerint iuge sacrificium, comedunt panem ex labore manuum suarum in fortitudine legis, & præceptórum, & non in debilitate, & cæcitate oculorum.

C *In tempore suo.*] Hebraicè (בִּגְבוּרָה *bigburah, in fortitudine*) Græcè (ἐν δυνάμει) Symmachus (μετ' ἀνδραγαθίας, *cum probitate virili:*) vt comparent sibi virile robur, bonámque valetudinem, inquit Olympiodorus. Thaumaturgus exponit tempestiuè, scilicet qui horis cibum statis sumit, ac moderatè quidem, sanior atque validior est. Idcirco rectè Interpres ad sensum respiciens, pro effectu causam, tempus opportunum posuit pro fortitudine, siue robore corporis.

Et non ad luxuriam.] Hebraicè (וְלֹא בַשְּׁתִי *velo baschthi, & non in potatione.*) Particula (*in*) hîc, & priùs, sæpéque aliàs idem valet ac (*propter.*) Græcè (καὶ οὐκ αἰσχυνθήσονται, *& non confundentur*) vetus translatio (*& non in confusione.*) Nescio vnde nasci potuerit hæc interpretatio, nisi priusquàm essent puncta, legerint Septuaginta, & Hieronymus שתות *schathoth*, id est, *nates*, quasi alludēdo ad Noë, cuius præ ebrietate verenda discooperta sunt [f].

f Gen. 9. 21. 22.

D Nec tamen id placet, quoniam loco vnius literæ י adderentur duæ ת ו. Significat quidem בוש *busch pudefieri, & confundi*: sed tunc difficilis constructio; esset enim prima persona singularis cum - sub ב; vel nomē cū affixo primæ personę, aut cum י paragogico, significans *confusionem*. Ergo cōfusionē posuerunt tanquam effectum consequentem ex eo quòd quis est, siue edit vt edat, non vt sit, bibit vt bibat, non vt viuat; quod Aurelianus de Bonoso dicebat, vt pridem dixi: atque vt à veritate conuictus pronunciauit, Eusebio [g] teste, Tyrannus Dionysius de se suíque similibus, animalibus illis est similis quæ saginantur; sed iis comedendi bibendíque non ad aliud quàm ad perniciem copia solet offerri. Tales Petrus [h] meritò vocat irrationabilia pecora, voluptatem existimantes diei delicias, in conuiuiis suis luxuriantes; & Iacobus [i], in luxuriis enutrientes corda sua.

g 8. de præpa. c. 5.
h 2. Epist. 2. 12. 13. 15.
i c. 5. 5.

E *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas; & ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis* [k]. Exemplo Alexander, cui non dubitauit Antigonus dicere propter incontinentiā indignum esse qui imperaret: exemplo pater Philippus, de quo muliercula; prouocarem ad Philippum, sed sobrium. Simile præceptū tulit Deus Sacerdotibus in suo occupatis officio [a]. Carthaginenses verò simili lege magistratibus interdixerunt vsum vini; quam legem Plato laudat, dicens [b]: [Vini autem vsum ne interdiu quidem omnino cuiquam concederem, nisi corporis reficiendi, vel morbi causâ, &c.]

k Pro. 31. 4. 5.
a Leuit. 10. 8. & seq.
b 2. de legib. sub finem.

Vers. 18.] In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.

EX peccatis Regis, ac Principum, quæ sūt antè dicta, sequuntur geri res in Republica segniter, atque perniciosè, quemadmodum dissoluitur trabium coniunctio in summo domus fastigio, penitúsque corruit, si piger fuerit is, qui domum inhabitat, debitámque reparationem impendere negligat. Cassianus [c] hûc vsurpat locum, vt probet, quòd nemo subitanea ruina collabitur, sed aut praua institutione, aut per longā mentis incuriam. Confirmat præterea prouerbio illo; *ante contritionem præcedit incuria* [d] (quamuis in vulgata legamus, *contritionem præcedit superbia*; & legunt aliqui *iniuria* pro *incuria*) & alio; *Stillicidia eiiciunt hominem in die hyemali de domo sua* [e]. Hoc est quod Bernardus [f] docens illa sententia Oseæ [g]; *comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit*, monet; cùm audieris grauem casum viri religiosi, noli putare repentinum illum fuisse. Chaldæi Paraphrastæ sic habet enarratio (*in debilitate studij legis, & præceptorum depauperatur vir ab ædificio: & in negligentia præcepti, quo mandatum est mulieri, vt custodiat se ab abominatione contaminationis sanguinis, & non custodit se, fit tristitia intra domum.*)

c col. 6. c. vlt.
d Prou. 16. 18.
e Prou. 27. 15 & c. 19. 13.
f serm. 2. in capite ieiunij, serm. 2. de Assumpt. de 10 ter. de mo. c. 18.
g c. 7. 9.

In pigritiis.] Propter pigritias. Græcè (ἐν ὀκνηρίαις.) Hebræum nomen dualis numeri בַּעֲצַלְתַּיִם *bahhatsalthaijm* denotat vel manuum pigritiam, vel pedum claudicationem, vel desidiam animæ, corporísve, vel negligentiam rerum præsentium, atque futurarum, vel tum superiorum, tum inferiorum, seu subditorum, & Principum incuriam socordiámque. Olympiodori Interpres reddit (*in plenitudinibus*) nescio cur: Olympiodorus quidem in commentario prorsus non innuit tale nomen. Nisi fortè plenitudines intelligat aquarum irruentium, vel ventorum, vel onerum impositorum, quod vt vulgaris ferat sermo, non occurrit exemplum in auctoribus Græcis, aut Latinis.

Humiliabitur.] Ταπεινωθήσεται hoc propriè significat: Hebræum ימך *ymmach*, & hoc, ac præterea, *inclinabit se*, nempe vt cadat; item *attenuabitur, labascet, labefactabitur, deprimetur, infirmabitur*. Habetur idem verbum in Psalmo 105. [h] *humiliati sunt in iniquitatibus suis*, id est, propria ipsorum culpa depressi, attenuati, &c.

h vers. 43.

Contignatio.] Mysticè denotat sublimiorem in Ecclesia statum clericalem, & regularem, inquit Hugo: virtutum, quæ videntur oppositæ inter se connexionem, verbi gratiâ, humilitatis, & magnificentiæ, spei, ac timoris, &c. quæ vocat sponsa tigna cedrina, & laquearia cypressina [i] (per quæ adhuc intelligi possunt hi qui præsunt, procerésque Ecclesiæ gradu dignitatis proceri, benéque odorati moribus, ac doctrina:) præterea, vt ait Olympiodorus, finem supremum, ad quem cuncta sunt erigenda, & aptè cum illo iungenda.

i Cant. 1. vlt.

Et

A *Et in infirmitate manuum.*] Hebraicè (ובשפלות *vbschiphluth, & in deiectione, vel humilitate, vel paupertate*) Græcè (*ἐν ἀργίᾳ, in otio.*) *Qui* [a] *mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua* [b]. Genua debilia ac soluta, & manus remissæ [c] & dissolutæ, infirmitatis sunt, vel naturalis, vel moralis.

a Prouer.18.9.
b Eccli.27.4.
c Heb.12.12. Esa.35.3.

Perstillabit domus.] Stultus est, non qui tantùm super arenam domum ædificat [d], sed qui super firmam petram ædificatam non tuetur ab iniuriis cœli, & à pluuia, quæ altè decidit, significatque tentationem de rebus prosperis; sicut flumina, de quibus Christus, blanditias, aut terrores, quos caro parit, horrétve: & veuti tentationes diabolicas.

d Matt.7.24. & seq.

B Tritum ex Ouidiano hemistichio prouerbium [e];

e 4. de Ponto.

Gutta cauat lapidem: consumitur annulus vsu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Idem aliter Lucretius [f];

f de princip.

Nónne vides etiam guttas in saxa cadentes
Humoris, longo in spatio pertundere saxa?

Et Græcus Poëta [g];

g Charilus apud Simplicium in 8. Phys.

Πέτρας κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

Collegit hæc antè adagiorum auctor; quibus admonemur quàm res sensim collabantur, nisi tempestiua præstò sit ac sedula diligentia, & solers animi prouisio. Lepide disputāt contra procrastinatores Persius [h], & Martialis [i]; quamuis hic præsertim ad fruendum hodie vitæ commodis hortetur, ille meliore sensu sic:

h Saty.5.
i lib.5.Epig. 59.

C *Cras hoc fiet, idem cras fiet. quid? quasi magnum*
Nempe diem donas? Sed cum lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos. ———

Multo meliùs, ac feliciùs voces illas Augustinus [k] miserabiles de vitæ deliberabundus instituto iactabat: Quamdiu cras, & cras? quare non modò, quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Rursus [l]: ipsa res est, inquit, quæ multos occidit, cùm dicunt; cras, cras; & subitò ostium clauditur [m]. Remansit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinū. Cras, cras corui vox. Ex Plauto [n] persimilem sententiam cum eadem cōparatione recitat Delrius [o] noster, quam & ipse omnino hîc adiungendam censui.

k 8. confess. c.vlt.
l serm.26.de ver.Dom.c. 11.
m Mat.25.10.
n in Mostel.
o tom 2.adag.328.

D *Nouarum esse ædium* (ait Philolaches adolescens) *arbitror similem hominem,*
Quando hic natus est, &c.
Ædes quom extemplò sunt paratæ, expolitæ,
Factæ probe, ex amussim; laudant fabrum, &c.
Atqui vbi verò immigrat nequam homo, indulgensq;,
Cum pigra familia, immundus, instrenuus;
His iam ædibus vitium additur,
Bonæ cùm curantur malè.
Atque illud fit sæpe; tempestas venit,
Confringit tegulas, imbricésque, ibi
Dominus indiligens, alias reddere ne vult.
E *Venit imber lauit parietes, perpluunt*
Tigna, putrefacit aer operam fabri.
Nequior iam factus est vsus ædium.
Atque haud fabri culpa est, sed magna pars hominum
Moram hanc induxerunt. Si quid nummo sarciri potest,
Vsque mantant (id est, expectant) *neque id faciunt donicum* (hoc est, donec)
Parietes ruunt: ædificantur ædes tota denuò.

Subdit mox qua in re se hisce ædibus ingenium simile reddat;

Postea quàm immigraui in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum illicò, oppido

A *Venit ignauia: ea mihi tempestas fuit;*
Ea mihi aduentu suo grandinem, imbremq; attulit:
Hæc verecundiam mihi, & virtutis modum
Deturbauit, detexitque me illicò,
Postilla (id est, postea) *med' obtegere negligens fui.*
Continuò pro imbre amor aduenit in cor meum,
Is vsque in pectus permanauit, permadefecit
Cor meum: nunc simul res, fides, fama, virtus
Decúsque deseruerunt. Ego sum in vsu (id est, ignauia: vel in vsu, hoc est, in vtendo)
Factus nimio nequior; atque edepol ita
Hæc tigna humidè putrent: non videor mihi
Sarcire posse ædes meas, quin tota
Perpetuæ ruant, quin cum fundamento
Perierint, nec quisquam esse auxilio queat, &c.

B Ibi Philolaches adolescēs fabrorum nomine parentes intelligit.

Primum dum parentes fabri liberûm sunt,
Et fundamentum substruunt liberorum, &c.

Soléntque per domum Hebræi liberos intelligere, ac *ædificandi* verbo procreationem eorumdem. Chaldæi autem textus Costus Paraphrastes hoc loco vertit (*in studio legis, & mandatorum vir animo fractò, liberis orbatur suis.*) Constat verò quòd

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos,

& nimia conniuentia peruicaces, immorigerósque reddit.

C *Vers.* 19.] In risum faciunt panem, & vinum vt epulentur viuentes: & pecuniæ obediunt omnia.

Hieronymus ait accusari eosdem, qui sunt accusati negligentiæ, Præfectos Ecclesiæ, quòd videantur quidem docendo fungi officio, cæterùm loquantur ad gratiam, auditores palpent in vitio, strepitus, plausúsve concitent eorum, disserant de his dumtaxat quæ delectant, vt de beatitudine, cùm tamen nunc Ecclesiæ panis non sit ridentium, sed lugentium, simúlque diuitias inde cibósque per hæc delectabilia promissa conquirant: postquā adulatione ditati sunt, exer-D ceant in populos Regnum, vel composito sermone cunctos sibi subiiciant. Aliter benigniore sensu eosdem Ecclesiasticos Doctores interpretatur hilariter Euangelicam, lætámque sponsi Christi doctrinam tradentes (εὐαγγέλιον est *bonum nuncium*) pecuniam quoque, siue talenta [a], vel mnas [b] Domini sui alacriter ac vtiliter negotiantes, & dispensantes.

a Matth.25.
b Luc.19.

Olympiodorus vberiorem facit sententiam de quibuslibet, qui cùm, sicut dictum est, otientur, id agunt vnum, vt vacent voluptati, palámque iactant comparari pecunias oportere, eo quòd argento sint omnia subiecta. Meliorem præterea explicat in partem, opponens pigris, ac voluptuo-E sis hominibus eos, qui pane vinóque mystico nutriti & confirmati, dæmonis insidias facilè ridere possunt, scientes quòd vniuersi mundi machina argento, hoc est, Dei propter nos incarnato Verbo, subiecta sit. Quod primo hic auctor loco dicit, literale magis, vt & expositio Thaumaturgi, eum qui est piger, esse quoque scurram, ac derisorem, atque rebus omnibus ad ingluuiem abuti, argento ductilem esse, exigui pretij causâ turpiter, & abiectè quiduis facere.

Conqueruntur Prophetæ frequenter de magistratu, qui populi peccata comedit, subleuando

a Osee 4.8. b Esa.56.10.11. c Ezec.34.2.3. d Amos 6.4. e Mich.3.11. f Esa.22.12.13. g Iere.6.14.

ad iniquitatem animas eorum [a], id est, qui ne iacturam faciat lucri temporalis, dissimulat & excusat: qui cæcus est, ignorat intelligentiam, videt vana, dormit, & vt canis non valens latrare [b], atque impudentissimus voracissimúsque nescit saturitatem, declinat ad auaritiam, sumit vinũ, impletur ebrietate: qui non pascit, sed pascitur ouiũ lacte, lana operitur [c]: qui comedit agnum de grege, vitulos de medio armenti [d]: qui iudicat in muneribus, docet in mercede, diuinat in pecunia [e]: qui, cùm vocet Deus ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum sacci, annunciat gaudium, & lætitiam [f]: qui curat contritionem populi cum ignominia, dicens, *pax, pax, & non erat pax* [g].

B

Caietanus ad literam longe aliter quàm alij, videlicet ad descriptam priùs beatam terram pertinere panis, vini, pecuniæ abundantiam, quæ omnia Rex optimus, & Principes temperati comparant & conseruant. Chaldæus prætereà laudem iustorum exponit, qui faciant ad gaudium panem, vt alant pauperes esurientes, misceant vinum sitientibus; id autem ipsis fore in lætitiam in seculo venturo: argentum quoque redemptionis eorum testificaturum pro eis meritum in hoc ipso seculo in conspectu omnium. Sed maximè ad literam sensus Græcorum est, quem antea dixi.

C

In risum faciunt panem.] Hebraicè (לִשְׂחוֹק *lischok, risui*) id est, propter risum, & voluptatem, ad luxuriam, vt versu 17. Tempore penuriæ panis, inquit Caietanus, faciunt homines panem mœrori, & mœstis vultibus, eo quòd panis non tollit tristitiam vultus populi, cui fit panis: cùm autem abundantia panis est, fit panis risui, hoc est, iucundo vultui populi. Lyranus facere panem & vinum idem vult esse, quod disponere super mensam: verbum autem (*facere*) Hebraicè aliquãdo accipi pro disponere cum cura, & industria: sic vngues circumcidere Hebræos exprimere verbo *faciendi* [h]. Adde apud Iob, *constituisti terminos eius* [i], Hebraicè, *fecisti*: &, *faciet comam* [k], id est, aptè & ordinatè disponet: & in historia Regum [l] quos illotos pedes, & intonsam barbam Interpres dicit, Hebræus textus vocat non factos pedes, non factam barbam: Septuaginta, non curatos pedes, non factos vngues, non factum labrum, nempe superius, quod solebat abradi. Hispani, Itali, Galli facere barbam vsurpant pro eo quod est tondere seu radere. Aliæ notiones eiusdem verbi עָשָׂה *hhasah*, pro *acquirere*, & *sacrificare*, & *magnifacere*, aut *magnificare*, *noua quadam ratione efficere*, minùs ad rem præsentem faciunt, quamuis non infrequentes in diuinis literis, necnon in profanorum scriptis. Nescio an proposito conuenire iudicabis illud Martialis [m] falsè dictum de Cipero:

h Deut.21.12. k ibid.9. i Iob.14.5. l lib.2.c.19.16.

D

m lib.8. Epigram.16.

Et panem facis, & facis farinam.

E

n lib.1. Epigram.18. lib.3. Epig.16. lib.6. Epig.40.

Apud eundem [n] facta res, est res parata, confecta, perfecta, absoluta, certa: quo pacto facta transacta omnia dicunt, Iurisconsultorum formulâ.

Panis porrò nomine omne ferè alimentum designatur, ait Olympiodorus; sicut & vinum vocat Scriptura, vel aquam, quod infimum habet humiditatem; hócque Mosem [o] voluisse, quando dixit, quadraginta diebus, quibus legem accepit, neque panem comedisse, neque bibisse vinum. Hoc aliàs obseruauimus, súntque satis obuia plura exempla.

o Exod.34.28. Deut.9.18.

Et vinum.] Additur in Hebræo (יְשַׂמַּח חַיִּים *iesammach chaijm, lætificabit vitam*, vel *viuos.*) Hæc

a Psal.103.15. b Act.2.13.

A

vini proprietas, vt lætificet cor hominis [a], qua de re dictum est in historia Apostolica [b]. Græcè (καὶ οἶνος εὐφραίνει ζῶντας, *& vinum lætificat viuentes*) iuxta editionem Complutensem, & Bibliorum Regiorum. Sed Sixtiana sic habent (εἰς γέλωτα ποιοῦσιν ἄρτον, καὶ οἶνον, καὶ ἔλαιον τοῦ εὐφρανθῆναι ζῶντας, *in risu*, vel *in risum faciunt panem, & vinum, & oleum ad lætificandum viuentes*) vetus translatio (*& vinum, vt epulentur viuentes.*) Lætitiam exposuit per epulâs, & *epulandi* verbo indicauit eos qui faciũt panem, &c. sibiipsis facere dum viuunt, quasi nullam post hanc sperent vitam (vnde frustra quidam nomine illo plurali חַיִּים *chaijm* notant importari diuersam illam duplicem vitam: sunt enim quædam nomina in vsu in solo numero multitudinis) non autem procurare aliis. Id quædam præ se ferunt ex allatis expositionibus, & editio Hebraica secundùm puncta, quæ modò sunt. Oleum Græcè additum est, quia humanæ sustentationi, ac voluptati, præter vinum, & panem, oleum præcipuè accommodatũ est, solétque cum iis in Scriptura coniungi [c].

B

c Psal.4.8. Psal.103.15. Genes.27.37. Deut.11.14. Ierem.31.12. Osee.2.8.22. Apoc.6.6. & alibi passim. d vers.4.

Vt epulentur viuentes.] Dixi iam de verbo *epulandi*, & alia lege in Commentario Psalmi 67. [d] Participium (*viuentes*) reposuit editio Sixtiana, pro quo Complutensis, Regia, plurimíque alij codices, sed errore manifesto legebant (*bibentes*) est enim Hebraicè חַיִּים *chaijm*, Græcè ζῶντας, in accusandi casu. Iam errorem castigatiora Biblia alia emendauerant, vt Ioannis Benedicti, & quæ Gryphius edidit anno 1550. Veritus est fortasse nescio quis ne non satis intelligeremus epulas absque compotatione, & quia non poterat ambigi non nisi viuentes epulari, putauit pro *bibentibus viuentes* in textum eum mẽdo irrepsisse. Ipsius exemplo postea reliqui sunt hallucinati.

C

Et pecunia obediunt omnia.] Vel qui pecunias habet, comparat sibi quæ vult, quia vtilis ad omnia pecunia: vel vt pecunias acquirat, obedit ipse, cunctáque dicta, factáque illius venalia sunt, æqui ac iusti nullam rationem ducens. Sixtiana LXX. Interpretum Græca translatio (καὶ τοῦ ἀργυρίου ταπεινώσεις ἐπακούσονται τὰ πάντα, *& argenti humiliationi, seu vilitati obedient omnia*) Symmachus (ἀργύριον δὲ εὔχρηστον εἰς πάντα, *argentum vtile erit ad omnia*) Hebraicè (וְהַכֶּסֶף יַעֲנֶה כֹּל *vehacchaseph iahhaneh col, & argentum respondebit omne*) vel supplendo articulum (*& argento*) vel (*argentum respondebit omnibus*) quasi dicas: si quid voles, consule pecuniam, hæc si tibi sit, respondebit cupiditati tuæ: vel argentum humiliabit omnia. Verbi Hebræi עָנָה *hhanah* propè infinita significatio est: illa loco conuenit, vt denotet reipsa respondere, reddere, rependere, compensare; & iunctum verbum nomini cui præfigitur articulus אֵת *eth*, sicut hoc loco, volunt quidã esse loco præpositionis (*cum.*) Erit ergo sensus, pecuniæ cum rebus omnibus magnam habitudinem esse, sibi optimè respondere, & per prosopopœiam perinde ac præditæ res essent sensu, & intelligendi facultate, percipere, ac præstare, atque suppeditare pecuniam quæcunque impetrentur & expetantur. Audi quid in Osee [e] dicat Deus; *Et erit in die illa: exaudiam cælos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Iezraël*, id est, faciam quod cupiunt cœli, dando ipsis imbrium copiam: cœli hos communicabunt terræ, quæ illos flagitat: terra desiderio tritici, vini, olei, vt proueniant, annuet: hæc implebunt vbertate Iezraël, segete, fructúque ditiore, quo fiet vt ibi

D

E

e c.2.21.

sit

sit incolarum multitudo. Chaldæus Paraphrastes, vt antè monui, verbum idem Hebraicum *testificandi* verbo, quam etiam significationem habet, reddidit.

Porrò quod attinet ad sententiam ipsam, sensus eius perspicuè satis declaratus est, nempe pecuniæ (quæ *argenti* nomine cur dicatur, dixi capite tertio [a] Actuum Apostolorū) obedire omnia victui necessaria, vel iucunda; & possessores suos reddere potentes, & ad quidlibet aggrediendum audaces & alacres. Verris minimè iusta, vel honesta, vera licet sententia, est, omnia pecunia effici posse [b]: vera, inquam, quia quamuis virtutes ei obedire quoquo modo possint, vel potiùs inde petere adminiculum; longe tamen procliuior vitiorum omnium obedientia: cùm, vt eadē illa eorundem colluuies vitiorum pronunciauit [c], nihil sit tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit.

[d] *Scilicet vxorem cum dote, fidémque, & amicos,*
Et genus, & formam Regina pecunia donat:
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venúsque.

Produco Poëtas subinde, quoniam magis feriuntur animi, vt dixit Seneca [e], cùm carmine dicūtur sententiæ. Scire vis quid idem ille senserit de pecuniæ damnis? Deprompsit sensum suū plerisque in locis. Hic nullo modo prætereundus, ex quo discas, quo modo pecuniæ obediant, hoc est, ex pecunia fluant mala omnia. [Circa pecuniam, inquit [f], plurimùm vociferationis est: hæc fora defatigat, patres, liberósque committit, venena miscet, gladios tam percussoribus, quàm legionibus tradit. Hæc est sanguine nostro delibuta. Propter hanc vxorum, maritorumque noctes strepunt litibus, & tribunalia magistratuum premit turba. Reges sæuiunt, rapiúntque, & ciuitates longo seculorum labore constructas euertunt, vt aurum, argentúmque in cinere vrbium scrutentur. Libet intueri fiscos in angulo iacentes. Hi sunt propter quos oculi clamore exprimuntur: fremitu iudiciorum basilicæ resonant: euocati ex longinquis regionibus Iudices sedent, iudicaturi, vtrius iustior auaritia sit. Quid si ne propter fiscum quidem, sed pugnum æris, aut imputatum à seruo denarium, senex sine hærede moriturus, stomacho dirumpitur? Quid si propter vsuram haud millesimam valetudinarius fœnerator distortis pedibus, & manibus ad computandū modò relictis, clamat, ac per vadimonia asses suos in ipsis morbi accessionibus vindicat?] Sic Seneca. Hinc illæ quoque querimoniæ, pecuniosum, vt sit nocentissimus, damnari nōn posse [g]; Romæ venalia omnia esse, etiam ipsam mox ciuitatem, si emptorem reperiret [h]. Denique Carthusianus recitat ex eodem Seneca apophthegma, pecuniæ imperare oportere, non obedire. *Est namque radix omnium malorum φιλαργυρία* [i]. & *nihil iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet, quoniam in vita sua* [k] *proiecit intima sua.* Iudam proditorem innuere videtur auarissimum, qui *crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius* [l]. Nihil est tam angusti animi, scripsit summus Orator [m], támque praui, quàm amare pecuniam. Mancipium Socrates aureum nominabat diuitem imperitum.

Perniciosa prorsus obedientia, vt quicquid infelix Midas, reuera *μηδ' ἐν ὕδωρ*, tangeret, aurum esset. Incidit in auream necessitatem, in penuriam locupletem, auro vesci, aurum coactus potare. Quid opus pluribus? *radix est φιλαργυρία*, vt iam

a vers. 6. — b Cic. act. 3. in Verrem. — c proœm. nat. primæ. — d Horat. 1. epist. in 6. — e epist. 108. — f lib. de tranq. c. 8. & 11. — g Cic. act. 3. in Verrem. — h Sallust. in Iugurt. — i 1. Tim. 6. 10. — k Eccli. 10. 10. — l Act. 1. 18. — m 1. de offic.

A cum Apostolo vidimus, *omnium malorum*, eorum maximè, quod sapienter B. Thomas obseruanit [a], per quæ finem quis desiderabilem non propter seipsum quærit, quod propriè facit superbia, sed propter aliud, quod ad omnia valeat, quales diuitiæ, quia per hoc, inquit, homines credunt se habere omnia. Valde verò subtiliter Origenes [b] Paulum respexisse notauit ad Iudæ auaritiā, quæ radix omnium malorum contra Iesum commissorum fuit. Sic quodammodo Christus, ipse ille qui trahebat omnia [c], cuíque data omnis potestas [d]; & cuius omnes imperia exequi conuenit, pecuniæ obediuit, tunc passus, quando venditus. Quis nunc miretur Plutum & Mammonam adoratum, ipsámque auaritiam idolorum esse seruitutem [e], si Deo vero Christo falsus hic mortem Deus intulit? Nimis locuples sim, si pecuniæ velim disputare de commodis & incommodis: prodigus habear dicendo, si auaritiam diutiùs insectet, quod & feci superiùs isto libro: postremò inopem me copia reddit. Culmen esto vetus adagium [f]; *χρήματα ἀνήρ*, &, *βίος ἐστὶ διάδοχος οὐκ ὄντι βίος*, quasi vita sit pecunia, &, vt Philosophus eam vocat, & Hesiodus [g], anima altera, imò ipsissimus homo. Seruorum Mammonæ sunt hæc; at, bellè Salomonis illustrant præsentem sentētiam. Lege versu sequenti ad vocem *(diuiti.)*

B C Cardinalis Florentinus, Gulielmus à monte Laudu, Hostiensis, Ioannes Andreas, Baldus, Salicetus citant præsentem locum, vt probent omnes diuites dici posse Principes. Citantur hi à Tiraquello [h], qui ad idem confirmandum nomen *facultatum* profert; quæ sic dictæ sint, quòd rerum omnium facultatem, ac veluti facilitatem præbeant, sicut & Græci vocant *εὐπορίαν*. Apud Stobæum sunt multa huc spectantia, tum illud ex Menandro, ventos esse Deos, Solem, terram, aquā, ignem, stellas, Epicharmi quidem sententia; sibi videri argentum, & aurum, quæ si domi sint, assequi cuncta possis, agrum, domos, vasa, amicos, Iudices, testes: quin & habere Deos ipsos in ministros: & aperiri auro omnia, ipsas etiam inferni portas;

D *Χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα, καὶ ᾅδου πύλας.*

Simile quid apud eundem habet Philemon. Recitat Delrius [i] noster eundem Poëtam, & Diodorum, atque ex eodem Stobæo præterea Theognidem, Euripidem, Diphilum; item tritum illud Ouidij,

——— *dat census honores,*
Census amicitias. ———

Adhæc responsum datū Philippo Macedoni consulenti de victoria,

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις.
Argenteis hastis pugna, & omnia vinces.

E Profert quoque in Senecæ [k] commentario, qui mouentes cunctas diuitias vocat, Archidamum, Thucydidem, Menandrum, Æschylum, Sophoclem, Aristodemum, Apuleium. Sed nefarios, ac impios appellat meritò Euripidis versus, quos epistola quadam ad Lucilium Seneca inseruit.

Sine me vocari pessimum, vt diues vocer.
An diues omnes quærimus, nemo bonus.
Non quare, & vnde; quid habeas tantùm rogant.
Vbique tanti quisque quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe sit, quæris? nihil.
Aut diues opto viuere, aut mori.
Bene moritur, quicunque dum lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum;
Cui non voluptas matris, aut blandæ potest

a in 1. Tim. 6. lect. 2. — b in c. 15. Matthæi. — c Ioan. 12. 32. — d Matth. vlt. 18. — e Ephes. 5. 5. — f Pinda. in Isthmiis hymno 2. — g in ergis. — h de nobilita. c. 3. n. 5. & in l. si vnquā. de reuoc. donat. verb. facultatum. — i tom 2. adag. 319. — k in Thyest. vers. 601.

Par esse prolis, non facer meritis parens.
Tam dulce si quid Veneris in vultu micat,
Meritò illa amores cælitum, atque hominum mouet.

Colligit eadem, & his plura in locupletiore postrema Polyanthæa Iosephus Langius [a]. Videtur vno verbo locum præsentem Horatius expressisse [b];

Imperat, aut seruit collecta pecunia cuique.

Nempe imperat, cui nihil satis; seruit, qui quàm vsus postulat, non appetit maiorem. Quod Seneca [c] scripsit apud sapientem virum in seruitio, apud stultum in imperio esse. At subdit idem Lyricus,

Tortum digna sequi potiùs, quàm ducere funem.

a verb. pecunia.
b lib. 1. epist. 10.
c de vita beata 26.

Vers. 20.] In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annunciabit sententiam.

Simplex præceptum rectè vocat Hieronymus, quod ædificat audientes, ne prorumpant in detractionem, & maledictum Regum, & Principum. Sententiam præterea extendit ad Christum Regem, ne quid temerè loquamur contra illum, & ad Deum, ne quid vexati tribulationibus impiè non tantùm dicamus, sed neque cogitemus; ad Sanctos sapientia, scientia, virtutibus ditatos, eos etiam qui viuunt adhuc. Videtur Thaumaturgus obedientiam, quam piger, & ignauus exhibebat pecuniæ, velle, vt Regi, ac præfectis, Principibúsve exhibeat, cauendo ne re, vel verbo illos lædat; quod facilè facit, qui seruit pecuniæ: nec enim vim eius tantam esse posse, quæ impediat, quominùs resciant, & pœnas repetant: Titelmannus, quia de malis Principibus priùs actum est, moneri nos, ne feramus impatienter, aut obloquamur.

Multa de vitio hoc detractionis huc conferri possent: nonnulla diximus, cùm exponeremus in Actibus Apostolicis maledictum, quod visus erat Paulus [d] in Ananiam coniecisse. Oportuit maledicos Iob amicos, Deo ipso admonente, ab illo petere, dignaretur apud Deum pro ipsis intercessor existere [e]: *nam nisi propter ipsum*, inquit Deus ibi ex interpretatione Septuaginta, *perdidissem vtique vos.* Eodem pro sorore functus officio Aaron est apud Mosem communem fratrem [f]. Idem autem cum fratre Mose faciles fuêre ad proprias iniurias, donec hæ cum diuinis non fuerût coniunctæ, & expectauit mitissimus Moses, dum Deus ipse serui optimi vindex existens, obiurgaret detractores: *quare* [g] *non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* Laudem hanc facilitatis & humanitatis in abolendis remittendísque iniuriis tanti scriptores profani fecerunt, vt qui de viris illustrissimis monimenta ediderunt, laudis eiusdem partê cum primis ipsis communicandam censuerint. Hoc Suetonius diligenter factitauit scribens de Iulio Cæsare [h], de Octauio Augusto [i], de Tiberio, de Tito [k] (hic dicebat se cùm nihil faceret dignum, propter quod contumeliis afficeretur, non curare mendacia) de aliis, quorum tamen larua potiùs, vmbráque virtutis, quàm vera, synceráque virtus fuit, vel eodem Suetonio teste.

In cogitatione tua.] Græcè (ἐν συνειδήσει σου, *in conscientia tua*) vetus translatio (*in mente*) Hebraicè (בְּמַדָּעֲךָ *bemadahhacha, in scientia tua.*) Si auium nomine Angelos intelligimus, hi cogitationem, mentem, scientiam, voluntatem quoque nostrã nouerunt, vel in verbo, seu per reuelationem Dei, vel pro vt aliquo modo manifestamur per signa, tum in opere, tum in facie, gestúque omni corporis, tum in sermone, tû aliter, vt hoc loco rectè docet Bonauêr. & nos alibi [a] pluribus.

d Act. 23. 4. & seq.
e Iob 42. 8.
f Num. 12. 11.
g ibid. 3. 8.
h c. 73. & seq.
i c. 54. & 55.
k c. 18.
a disput. de Angelis, & in c. 1. Act. Ap.

Non placet verò mihi Hugonis distinctio, cogitationes quas Angeli suggerût, ab ipsis cognosci (dubitans tamen id tradit) an recipiamus, an non, alias quæ à carne, vel à mundo fiunt in nobis, conijcere magis ex signis, quàm nosse. Par sine dubio de omnibus ratio, pro vt in intimo latent aut intellectu, aut voluntate, siue naturaliter penitùs nequeant ab Angelis sciri, siue quia Deus, quod naturali lumine possent, impediat; quod à me alibi, vt iam dixi, disputatum, nunc non retracto. Lyranus caueri cogitationem dicit, quia quæ cogitamus, facilè per verba excidunt ex ore etiam nobis nolentibus & imprudentibus.

Ne detrahas.] Græcè (μὴ καταράσῃ, *ne maledicas, ne execreris*) Hebraicè (אַל־תְּקַלֵּל *al thekalel, ne vilipendas, ne malè preceris, ne verbis eleues, extenues, deprimas, ne blasphemes, ne leuiter loquaris, ut de re abiecta.*) Cùm autem detractio voce propriè fiat, fortasse illud antea positum (*in cogitatione tua*) idem erit quod conscio te solo: solus namque quis interdum secum loquitur; ita vt synonymum sit quod sequitur.

Et in secreto cubiculi tui.] Græcè (καὶ ἐν ταμιείοις κοιτώνων σου, *& in penetralibus cubilis tui*) Hebraicè (וּבְחַדְרֵי מִשְׁכָּבְךָ *vbchadre mischchabcha.*) Similis phrasis Psalmo quarto [b]: *quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris.* Lyranus, Moringus, Caietanus, Titelmannus, Vatablus, & Sà vtrumque exponunt, ne in occultissimo quidem loco. Hac ratione cessaret dubitatio de Angelis, quo pacto cognoscant intimas cogitationes. Glossa interlinearis interpretatur conscientiam. Cùm Christus orantes iubet intrare in cubiculum [c], vult caueri gloriæ cupiditatem affectatam, & quod in ipsis est, clam cæteris orare.

b vers. 5.
c Matth. 6. 6.

Ne maledixeris.] Idem verbum Hebraicum, Græcúmque est, quod in priore membro. Symmachus (λοιδορήσῃς, *conuitiis incessas.*)

Diuiti.] Nomen *diuitis* pro Principe, vel etiam pro Rege sumitur, seu pro illo qui præest, vt Vatablo quoque placet, Moringo, Titelmanno, Caietano: vicissim Rex vsurpatur pro diuite, & potente; colebantur namque nomine regis à seruis domini. Exemplum petes à Terentio [d] cum notatione Donati, à Plauto [e], à Martiali [f], à Columella [g], ab Horatio [h], à Iuuenali [i], ab aliis. Inde Rex conuiuij, qui opulentior: & diues, quasi diuus & Deus, quòd non egeat, ac nihil desit ei, sed det omnibus. Sic, opinor, in Scripturis diues, & pauper cùm opponuntur, *diuitis* nomen significat quemlibet nobilem, & potentem. Referam Horatij [k] locum, qui vtrumque docebit, & quod priùs dicebatur, pecuniæ obedire omnia, & quod modò dicimus, éstque iam priore demonstratum versu, diuitem sumi pro Principe:

——— Omnis enim res
Diuitiis paret, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam Rex.

Accipe geminam Græci Poëtæ sententiam de Plutone [l]:

Καὶ νὴ Δί᾽ εἴ τί γ᾽ ἐστὶ λαμπρὸν καὶ καλόν,
Ἢ χάριεν ἀνθρώποισι, διὰ σὲ γίγνεται,
Ἅπαντα τῷ πλουτεῖν γάρ ἐσθ᾽ ὑπήκοα.

d in Phormione.
e in Capti.
f lib. 2. Epigr. 18. & lib. 2. in 17. & lib. 4. in 40 & 84. & alibi.
g in præfatione.
h 3. carm. ode 14.
i Saty. 14.
k 2. serm. Saty. 3.
l Aristopha. in Pluto.

Et per Iouem, si quid est splendidum, & honestum
(aut pulchrum)
Vel gratum (aut lepidum) hominibus, per te (aut
propter te) fit,
Omnia diuiti enim sunt obedientia.

Quia & aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas, annunciabunt sententiam.] Cæteri numero singulari, præter Aquilam, qui posuit πτερωτά, id est, *alata*, sicut πετεινὸν est *volatile*. Sed hoc non refert. Aues in propria significatione sumit Hieronymus, Albinus, Carthusianus, Lyranus, Vatab. & Chaldæa paraphrasis, vtens nomine *Angeli* pro nuncio, Moringus etiam, Titelmannus, & Caietanus; sed per hyperbolem, vt cùm dicimus, parietes quæ audierint non celaturos; si hi tacuerint, lapides clamaturos [a]; lapidem de pariete clamaturum [b]; tantò magis non defuturos ex hominibus, qui audita maledicta Regi, atque primariis referant, ac palàm vbique diuulgent: tales autem rectè aues vocari, quia leues, garruli, celeres, inconstantes, eo modo quo dæmones hoc nomine vocantur à Christo [c]. Bonauentura, & Hugo sumunt vel bonos, vel malos Angelos, qui Deo renuncient; sed potiùs malos: Hieronymus rursus, post Thaumaturgum, bonos & administratorios spiritus: Olympiodorus ex variis opinionibus, sed retento singulari numero, per volucrem cœli, aut animam ipsam, aut insitum nobis spiritum: per habentem alas, vel Spiritum sanctum, qui apparuit in columbæ specie [d], vel sanctos Angelos, vel diabolum cum aëreis potestatibus: ipse verò tandem primum sequitur dicendi modum. Hic mihi maximè accommodatus videtur, atque per aues, & pennas habentes repetitione Hebræis vsitata idem significari, vt nil attineat declarare quo pacto dicantur Angeli Deo, quem nulla res latet, portare vocem, vel annunciare sententiam, mali accusandi animo, & nostri supplicij desiderio; boni veniæ impetrandæ gratiâ, & auxilij reportãdi, cùm quæ de nobis nunciant, mala sunt, cùm bona, vt ea dignetur Deus tueri, & adaugere. Hugo, atque Bonauentura hoc explicant, dicúntque non vt distanti, sed vt Iudici Deo, vel auxiliatori Angelos res nostras deferre: cuius rei extant in historiis exempla non pauca, tum in Apocalypsi [e], quando & narrantur Angeli orationes hominum offerre, & diaboli accusare. In Thargum Costi extat (*Raziel enim Angelus omni die super montem Oreb clamat, & in vniuersum orbem vox eius peruagatur: Elias quoque Sacerdos magnus, velut aquila maximis alis prædita volans, aërem, & cœlos perlustrat, & quæ occultè facta sunt, omnibus terram inhabitantibus defert, ac renũciat.* Tale de fama Gentilium commentum, quæ, vt Delrius [f] noster ex Æneide obseruat,

Nocte volat cœli medio, terræq; per vmbram
Stridens. ———

Cæterùm non satis commodè videtur hîc accipi pro anima, insito nobis spiritu, Spiritu sancto, *auis* vox, aut *habentis pennas*; licèt suus cuique animus, conscientia, synteresis accusator sit ac tortor, atque etiam proditor. Nam agitur de huiusmodi cognitione, quæ ad nescientem perlata, illum incitet ad inferendum supplicium: nemo verò scit quid sit in homine, nisi spiritus qui est in homine [g]; Spiritus sanctus multo maximè, perscrutans omnia, etiam profunda Dei [h]: sic neuter eget nuncio, neuter refert ex alio.

Itaque aues cœli sunt delatores, qui vel sponte, vel ex officio principibus præsertim viris perferunt audita. Delectantur maximè Principes delatoribus & curiosis, & πολυπράγμοσι, & συκοφάνταις, & εἰσαγγελεῦσι, & ὠτακουσταῖς, & mandatoribus, & scurris, & quadruplatoribus, & stationariis (harum notionem vocum disces ex aliis) & corycæis, qui subauscultent quæ loquuntur alij, explorent, cognoscant, renuncient. Hi cum certa desunt, verosimilia comminiscuntur. Lex primùm Papia constituit istis præmia [a]: Tiberius quæstum quærens ex confictis etiam criminibus, nulli fidem abrogabat, siue quid veri, siue quid falsi referrent [b]: factitauit idem eadem de causa Domitianus [c], qui genus id hominum priùs odio, pœnisque prosecutus fuerat [d], cùm diceret; Princeps qui delatores nõ castigat, irritat. Placuerunt quoque delatores Constantino [e], & Maximo [f], & Gallo [g]. Sed hoc hominum genus in vniuersum sustulit Traianus [h], Vespasianus ac Titus [i], & Macrinus [k], & Pertinax [l], & Gordianus [m], & Constantius [n]: Pius autem Antoninus [o], si non probarent, interficiebat; si probarent, dimittebat infames, oblato præmio: hoc idem contra calumniatores Christianorũ sanxit Adrianus [p], & Aurelius Antoninus [q]. Cõmodo Imperatore hæ voces in acclamationibus Senatus auditæ; delatores ad leonem [r]: nunc cruce, nũc igni, nũc exilio, nunc naufragio extrialis illa natio ab iis quos dixi, animaduersa est. Tyrannidem sapit, & Tyrannum Dionysium [s] olet impius hominibus vti, qui sese in hominum insinuent, ceu prosagogidæ, compententes, colloquia, vt capient, hauriantque quid quisque sentiat, dicatve. Minimùm arguit animum hoc studium sui ipsius diffidentiam, quam Darius minor cùm haberet, adhibuit ὠτακουστάς. Inde prouerbium, multas Regum aures, oculos multos esse. Vocat enim etiam Aristophanes [t] Pseudartabam Regis oculum, quòd quid ageretur, per eum cognosceret. Deioces autem hac in re quo pacto se gesserit narrat Herodotus [u]. Conuenit in istos adagium; Midas asini auriculas: dimittebat ille, vtpote Tyrannus, quos dixi subauscultatores, iisque aurium vice vtebatur [x].

Mutuati multa sumus de Alexandro ab Alexandro [y] cum Tiraquello, quos lectos postea deprehendimus à Radero [z]: adde Lazium [a], vel Zazium, & Petrum Gregorium [b], & Cuiacium [c], qui post Synesium hos nominat κοινὰς ἀνθρώπους τῆς χώρας. Brissonius autem in opere de Regno Persarum [d] congerit de Regum illius Regni ministris officialibúsve, qui eorumdem aures, oculive dicerentur, testimonia ex Xenophonte [e], ex Apuleio [f], qui citat Aristotelem, ex Aristide [g], ex Aristophane [h] cum Scholiaste, qui profert Aristotelem [i] hoc itidentem, ex Dione Chrysostomo [k], ex Hesychio, Suidáque in suis Lexicis, ex Tzeze [l], ex Heliodoro [m], ex Plutarcho [n], ex Æschylo [o] cum suo Interprete, ex Philostrato [p], ex Luciano [q]. Vltimus ita scribit; ὦτα γὰρ, καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέως πολλοί, οἳ μόνον τἀληθῆ ἐφορῶσιν, ἀλλ᾽ ἀεί τι προσεπιμετροῦσιν, ὡς μὴ νυστάζειν δοκοῖεν, *aures enim, & oculi Regis multi, non solùm vera videntes, sed semper quidpiam quasi cumuli loco addentes, ne conniuere, & desides esse videantur.*

Nihil in vsu familiari molestius accidere potest, quàm cùm nescias pectus tuum in cuius liberè ac tutò sinum effundere valeas, cui communicas arcana, ad quem consilia perscribas, quo cum animum communices. Queritur hac de re grauiter apud Atticum M. Cicero [r]: [Itaque posthac, inquit, non scribam ad te, quid facturus sim, sed

quid

a Luc.19.40. b Abac.2.11. c Matth.13.4.9. d Matth.3.16. e c.5.8 c.11.10. f Com.2.ad Æg.130. g 1 Cor.2.11. h ibidem.

a Suet in Nerone.c.10. Tacitus lib.4. b Suet. in vita.c.61. Tacit. lib.5. c Suet. in vita.c.12. Plin. in panegy ad Traianum. Iuuen. Saty.1. & 4. d Suet.c.9. Martial.lib.1. Epig.in 4. nisi mauis loqui hunc de Tito e Pompon. Lætus in vita. f Herodia.lib.7. g Ammian. lib.14. h Plin.in panegyr. i Suet. In Tito c.8. Dion in vita eiusdem. k Capitolin in vita Herodia.lib.5. l Herod.lib.2. m Herod.lib.7. n lib.4. de petition Consi. Theodos. o Iul.Capitolinus in vita. p Euseb 4. histo c 9. q Euseb.4. hist c.12. r Lamprid in Commodo. s Rhodig lib 22.c.17 t in Acharnensibus. u lib 1. x Lucian opusc. non esse facilè credendum delatoribus, & de mercede seruientibus, & aduersus ineruditum. Plutarch de garrulit Arist. 5 Politic Pertius Sat.1. auctor adagiorum. y lib.4 c.12. z in Martial. lib.1 Epig. in 4. a in catalogo legum antiquarum. b lib.32. Syntag.c 4. c in not ad lib.5 sent receptarum. d lib.1. e lib.8. de Cyripæd f de mundo. g ora panegyr Cyzicen. h in Achar. i 5.Polit. k ora.3 de Regno. l histo.Chiliad.10 c 350. m lib.8. n in Artaxer. o in Persis p 1 de vita Apoll q de mercede conductis. r 10.epist.ad Atticum 10 vlt.

quid fecerim: omnes enim χωρυκαῖοι videntur ſubauſcultare quæ loquor.] Attamen Reipublicæ perutile eſt, per honeſtas, ac ſolertes, & fideles perſonas, boníque communis, quàm priuati commodi ſtudioſiores diſcere de aliorum muneribus, criminibus, iniuriis. De Cyro quidem narrat Xenophon [a] muneribus ampliſſimis eos muneratum, qui commoda ipſi, opportunáque renunciaſſent; ſic verò perfeciſſe, vt multi ſedulò inſpicerent, ac auſcultarent, quæ è re illius eſſe arbitrarentur. Tali munere delecti quidam funguntur cum diligentia, charitate, & fructu, ſub ſyndicorum vocabulo apud Religioſos, quibus cordi eſt regularis diſciplina. Hoc qui non curant, curioſi ſunt, & ſcurræ, quos belliſſimè deſcribit Plautus [b].

a 8. Cyriped.
b in Trinum.

Neque ſtolidius, neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius, quàm vrbani aſſidui
Ciues, quos ſcurras vocant.
Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quidquam ſciunt,
Quod quiſquam in animo habet, aut habituri ſunt,
Sciunt: id quod in aurẽ Rex Regina dixerit, ſciũt: quod
Iuno fabulata ſit cum Ioue: quæ neque futura, neque facta ſunt,
Tamen illi ſciunt: falsò, an verò laudent, culpent quæ velint,
Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat, ſciant.

Petrus Bleſenſis [c] hinc aptè colligit ſecreta diuitum occultari non poſſe; ideo periculoſum eſſe illorum communicare conſiliis: ſi quid enim per incuriam euolauerit ſecreti, conſcio imponendum. Confirmat Iuuenalis [d] ſententia:

c epiſt. 59.
d Sat. 9.

O Corydon, Corydon, ſecretum diuitis vllum
Eſſe putas? ſerui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & poſtes, & marmora; claude feneſtras,
Vela tegant rimas; iunge oſtia, tollito lumen
E medio: clament omnes, propè nemo recumbat,
Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi,
Proximus ante diem caupo ſciet. ——

Affert prætereà quod de Midæ auriculis dictum eſt, ac de Pallade, quæ Erychthonium ſuum occultare non potuit, quin ipſum cornicis garrulitas publicaret [a]. Ad rem faciunt exempla, quæ Delrius [b] refert, de Ibyco, cuius à latronibus occiſi vindex fuit altiuolás grus, vt Auſonius loquitur, & ex Plutarcho, ac Antipatro memorat adagiographus [c]: de Baſſo, qui parricidium nolẽs ore faſſus eſt proprio, vt Plutarchus [d] narrat: de cane, qui heri prodidit interfectorem, vt meminére Baſilius [e], Ambroſiúſque [f]. Sed eiuſdem generis narrationes aliæ produci poſſent.

a de hac re Natalis Comes 9. Mytholog. c. 11.
b tom. 3. adag. 110.
c Chil. 1. cẽt. 8 n. 37.
d de ſera numinis vindicta.
e hom. 9. hexam.
f hexa. 6.

Aues cœli.] Tritiſſima *cœli* ſignificatio pro aëre, vt cùm etiam nominantur volatilia, & volucres cœli, vt in Pſalmo [g], & in cantico trium puerorum [h], & alibi paſſim. Sic etiam dæmonia vocantur ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus [i], id eſt, in aëreis ſpatiis, quę omnium Doctorum opinio eſt, inquit Hieronymus [k] (tradit id verò etiã Antonium vidiſſe, ac retuliſſe Athanaſius [l]) plena eſſe cõtrariis fortitudinibus. Scio locum illum Apoſtoli Græcos exponere, pugnam nobis eſſe cum dæmoniis, non de paruis rebus, ſed de cœleſtibus, ita vt præpoſitio (*in*) ſit vice (*propter*, aut *pro*:) Auguſtinum [m], nos in cœleſtibus conſtitutos, id eſt, ambulantes in ſpiritualibus Dei præceptis dimicare contra ſpiritualia nequitiæ, quæ nos inde conantur abſtrahere, nolúntque vt nos aſcendamus illuc, vnde illa deiecta ſunt. Sed primus ſenſus longè melior; qui placet quoque magis Auguſtino [n], qui huius occaſione loci monet id quod dixi de communi notione *cœli* pro aëre, ne quis, inquit, exiſtimet ibi habitare mala dæmonia, vbi Solem, & Lunam, & ſtellas Deus ordinauit.

g Pſal. 8. 9.
h Dan. 3. 80.
i Epheſ. 6. 12.
k in eum locum.
l in vita.
m de agone Chriſti c. 3. quod monet quoque Pſal. 30. conc. 3.
n ibid. c. 2. & 5.

Qui habent pennas.] Auium, & volucrium, & volatilium proprium epithetum, vt dicantur pennata [o]: & hæc abſolutè ponuntur pro illis, nempe pennata pro auibus [p], &c.

o Pſal. 77. 27. Pſal. 148. 10.
p Prou. 1. 17.

Sententiam.] Hebraicè (דָּבָר *dabar*) Græcè (λόγον σου.) Deeſt poſſeſſiuum pronomen in textu Hebræo, ſicut & antea ad (*vocem*) ſatis tamen vtrobique intelligitur. Sententia verò non hîc grauem, ſeu doctum, moratúmve, ſed ſimplicem ſermonem, orationémque ſignificat, & quidem contra Regem, vel Principem; denique opinionem, ac iudicium de ipſo.

SVMMARIVM.

HORTATVR Eccleſiaſtes ad promptam in pauperes largitionem: eleemoſyna enim opes augeri magis, quàm induſtria, vel aſſiduo labore. Sed & illud monet, præmium ſuppliciúmve cuilibet pro meritis decretum, maximè poſt præſentem vitam. Interim ſtrenuè ac ſedulò in opus incumbendum, quicunque ſeſe obiiciat caſus, vitæ huius lucem & vſuram captando cum moderatione. Dicuntur hæc tamen figurata oratione.

CAPVT XI.

1 MItte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa inuenies illum.
2 Da partem ſeptem, necnon & octo: quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram.
3 Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent. Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.
4 Qui obſeruat ventum, non ſeminat: & qui conſiderat nubes, nunquam metet.
5 Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in

ventre prægnantis;ſic neſcis opera Dei,qui fabricator eſt omnium.

6 Manè ſemina ſemen tuum,& veſpere ne ceſſet manus tua: quia neſcis quid magis oriatur,hoc aut illud;& ſi vtrumque ſimul,melius erit.

7 Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem.

8 Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum:qui cùm venerint,vanitatis arguentur præterita.

9 Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua,& in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.

10 Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adoleſcentia enim & voluptas vana ſunt.

Verſ. 1.] Mitte panem tuũ ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa inuenies illum.

SPE futuri præmij ad impendenda miſericordiæ opera cuilibet egenti libenter, ac liberaliter inducit Eccleſiaſtes. Dicamus primùm de præcepto ipſo, deinde de præmio: quod vt meliùs fiat, ponam tibi ob oculos variam huius ſententiæ lectionem,iuxta etiam diuerſas editiones. Nil autem video,cur cum Caietano debeant quæ ſequuntur inter animi bona reuelata cenſeri; quæ priùs adhuc dicta ſunt, tantùm ad illa, quæ ſubſunt naturali notitiæ: poteſt enim naturæ lumine notio haberi de honeſtate eleemoſynæ, & de præmio aliquo poſt hanc vitam. Sed ad inſtitutum.

Hebraica, & Græca ſic habent ad verbum (*mitte panem tuum in*, vel *ſuper faciem aquarum*, aut *aquæ:quia in multitudine dierum inuenies illum*) vetus tranſlatio eodem pacto.Chaldææ paraphraſis expoſitio eſt iſta (*porrige alimentum tuum pauperibus, qui ambulant in nauibus ſuper facies aquarum:quoniam poſt tempus dierum multorum inuenies mercedem eius in ſeculo hoc, & in ſeculo venturo.*) Hic eſt primus modus, pauperes deſignans eos,qui mari faciunt iter. Eodem alludunt, qui quoſlibet pauperes, præſertim peregrinantes comprehendunt, quaſi fluentes perpetuò, nec certo loco conſiſtentes. Meminit Moringus, & Titelmannus, & Lyrano placet, Hugoni, Carthuſiano, Bonauenturæ, Olympiodoro. Sed addunt etiam quidam deſignari & multitudinem, & fluxum ad mortem, quia aquæ multæ, populi multi [a], & *omnes quaſi aquæ dilabimur* [b].Ergo (*ſuper tranſeuntes aquas*) erit ſuper eos, qui tranſeunt, & participium non iungetur cum aquis,velut earum epithetum; niſi hoc ſenſu, quia homines, maximè ij qui pauperes,cenſentur velut aquæ.

a Apoc.17.15.
b 2 Reg.14.14.

Altera loci declaratio, mitte panem tuum ſuper eos qui tranſeunt aquas, necnon in quos

A aquæ intrant [a], nempe qui ſunt flebiles, & tribulationibus immerſi, quales viduæ, pupilli [b], &c.Eſt apud Titelmannum; traditur autem etiam à Bonauentura. Has aquas Olympiodorus iterum, quem tertium numerare ſenſum potes, accipit de lacrymis eius ipſius, qui aliis benigne faciat, vt non contentus affectu lacrymabili, addat inſuper externum ſubſidium, & viciſſim hoc tribuat ex miſericordi ſympathia. Clarius & Titelmannus tacito auctorum nomine recitant.Quartò, mittere panem ſuper aquas, eſt effusè largiri, perinde ac ſi quis res ſuas abiiceret in aquas ſine fructu, vt quidem immites auari credunt, inquit Thaumaturgus, cùm tamen progreſſu temporis ſatis appareat non infrugiferam beneficentiam fuiſſe; licèt non pauperes ipſi retribuant, in quibus ſeminatur ceu in aquis, ſed Deus ſecundùm retributionem iuſtorum [c]. Vbi quintus implicitus eſt ſenſus, ſi attendis. Clarius autem quartum affert & Hugo: *Perde pecuniam propter fratrem,& amicum* [d]. Franciſcus Venetus [e] meminit Arabici prouerbij, quod congruit propoſito: Bonum operare quod potes, & illud in aquam proiice, quia piſcis aliquis educet ipſum aliquando foras in tui beneficium. Placuit Nazianzeno [f] idem ſenſus, quem Scholiaſtes Elias oratione longiore bene declarat, admoneri nos docens, ne cùm eleemoſynam facimus (quod Chryſoſtomus crebrò monet) curioſiùs inueſtigemus, an quiſquam alendus, ac miſericordia ſit complectendus, necne; verùm ſimpliciter omni petenti demus. [Quemadmodum enim qui panem, inquit, in pelagus mittit, in incertum quidem mittit, nec quam in partem fluctus eum trahat exploratum habet; interim tamen ab eo, cui omnia nota ſunt, perſpicuè cernitur, eiúſque omnipotenti cognitione comprehenditur: eodem modo is etiam qui non hæſitante, aut dubio animo miſericordiam iis qui quærũt præbet,nunc quidem quiſnam ſit qui accipiat, minimè agnoſcit; verùm in multitudine dierum, hoc eſt, in futuro ſeculo, & agnoſcet, & panem illum in manu Domini inueniet, oſtentantis, ac dicentis [g]; *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare*: ac lætitia, & exultatione perfundetur, ampliſſimis bonis exigui illius fruſtuli loco fruens, quod in pauperum (qui figurato ſenſu aquæ dicuntur) faciem miſit.] Caietanus aſſignat ſextum ſenſum. Vult agi de eleemoſyna eroganda in abſentes; id indicare verbum (*mitte*) ſicut ſequenti verſu in præſentes, vbi eſt (*da.*) Mittere igitur panem ſuper facies aquarum, eſt nauibus deportandum curare. Septimum innuit Moringus, imò Hieronymus, vt mittere ſuper aquas, ſit iuxta aquas, trita ſatis phraſi, vt in Pſalmo; *Super flumina Babylonis* [h], &c. ac proinde cum prouentu, ſicut feliciùs ad aquas iactum ſemen, ac vberiore fruge prouenit [i]. [Quomodo enim qui ſuper irrigua ſeminat, fructum ſementis expectat; ita qui largitur egentibus, non granum ſeminis, ait Hieronymus, ſed ipſum panem ſerit, fœnore quodam multiplicationem illius præſtolans, & cùm dies Iudicij aduenerit, multo amplius quàm dederat, recepturus.]

a Pſal.68.1.
b Iacob.1.27.
c Luc.14.12.13.14.
d Eccli.29.13.
e probl.Scrip. tom.5.ſect.1. probl.96.
f orat. d obitu patris.
g Mat.25.35.
h Pſ.136.1.
i Eſa.32.20.

Subdit octauam myſticam penitus intelligentiam, quam reperio quoque in Olympiodoro & Hugone, ne pigeat Doctorem Eccleſiaſticum panem rationalem præſtare quibuſcumque ſit

A irrigitum pectus, & animæ plenus venter fluminibus aquæ viuæ [a]: sed vbi non est auditus, non effundat sermonem [b]. Paulo aliter idem Hieronymus super Esaiam [c]; sed ita vt ad eundem pertinere sensum possit, vt cunctis Doctor infundat gratiam spiritualem verbi diuini, præmium recepturus in nouissimo die, multo magis, quàm qui præbens eleemosynam, facit sibi amicos, qui recipiant eum in æterna tabernacula [d].

a Ioan.7.38.
b Eccli.32.6.
c in c.55.
d Luc.16.9.

Nonum possumus addere, vel decimum, si, quē modò retuli ex Hieronymo, distinguendus videatur, transeuntes aquas, seu remiges ac nautas esse pauperes, qui, dū ipsis benignè facimus, nos quodammodo per hoc mare magnum, & spatio-
B sum [e] manibus ad salutis vehunt portum. [Facilis hæc transuectio, inquit Chrysostomus [f]; securè illuc transferimus, & in thesauro indeprædabili reponimus quæcumque per pauperum manus præmittimus.]

e Ps.103.25.
f hom. 48. in c.24. Gen.

Aliqui [g] decimo vel vndecimo loco sententiam extendūt ad pauperes etiam defunctos, qui & ipsi velut aqua dilabuntur, & intelligi possunt numero octonario, qui est sequenti versu, quia transierunt per septenarium præsentis vitæ. Horum sensuum optimus qui septimo loco est allatus; ei namque fauent magis editio Hebræa, & Græca, quæ carent epitheto transeuntiū aqua-
C rum, vel participio significante illos qui transeunt, seu iter habent per aquas. Quamquam nihil impedit quod vulgata posuit (*transeuntes*) imò iuuat potiùs, maxime sumendo pro epitheto; stantes enim, siue stagnantes aquæ sunt magis infœcundæ. Felix lignum plantatum secus decursus aquarum [h], solétque sub aquarum currentium, fluentium, atque salientium figura, Dei larga promissio designari [i].

g Osor tom. 3. sermonum in cōmemor. fidel. defun.
h Psalm. 1.3. Ierem 17.8.
i Esa 30.25. Ioan.4 14. c. 7.38.

Ex dictis intelligi potest de præmio (*quia post tempora multa inuenies illum.*) Chaldæus in vtroque seculo, & vita interpretatur. Alij passim de futura: Thaumaturgus de præsenti. Probo primam sententiam. *Pietas* enim *ad omnia vtilis, promissionem*
D *habet vitæ quæ nunc est, & futuræ* [k]. Legatur liber Iulij Fulci de bono eleemosynæ, præter infinita alia tum exempla, tum testimonia. Nulla ferè in re liberaliores Scripturarum, Patrúmque sententiæ, quàm in liberalitate commendanda, & in remunerando Deus, qui pro misericordiæ operibus vel omissis, vel factis solenniter pœnas est, atque præmia daturus [l]. Non obstat quod dicitur (*post tempora multa*) vel Hebraicè, & Græcè (*in multitudine dierum*) quòd minus quid videtur; quoniam voluit præcauere, ne quis nimis citò fructum suæ liberalitatis expectaret, certus tamen non defuturum etiam in hac vita, eúmque etiam persæpe temporalem. Hieronymus verò in Esaiam [m]
E ait hoc loco multitudinem dierum significare multa secula pòst futura, ipsámque futuram beatitudinem. Thaumaturgus posteram diem simpliciter exposuit, nempe tempus indefinitum etiam præsentis vitæ.

k 1.Tim.4. 8.
l Matt.25. 35. & seq.
m l.13. in c.15.

Mitte.] Caietanus vim faciebat in hoc verbo, vt eo diceret indicari transmissam absentibus eleemosynam; Idque ipsum antea notauerat Hugo. Hebræum verbum שִׁלַּח *schallach*, quod hîc est in piel, crebrò vim habet eandem, atque simplex, seu in prima coniugatione, non solùm significans dimittere ad remotos quidpiam, sed quomodocumque porrigere manu extenta. Euangelicum, & Ecclesiasticū, & Apostolicum verbum

A est hoc. Apostoli enim dicuntur quia missi, ab ἀποστέλλω, quod hoc quoque loco habetur. Quicumque alteri donat, licèt præsenti, mittere potest dici, quia ea re, quam dat, abdicat se, dimittit à se, transfert, & transmittit in alium (quam significationem exprimit magis coniugatio huius verbi piel (& dum, vt vulgò loquimur, præsentat, seu rem quam donat alteri repræsentat, idémque præsentem facit, à seipso absentat, vt ita dicam, hoc est, absentem reddit, & illa seipsum priuat.

Panem.] Sæpe admonui; omnē escam, victúmque *panis* nomine designari, quasi Latinum sit à pascendo, vt Nonio placuit; vel vt aliis, quòd
B Græci πᾶν *omne* dicunt; adhibetur enim ad omne pulmentum, & vice cunctorum potest esse ciborum. Eadem ferè de voce Hebræa לֶחֶם *lechem* ratio à לָחַם *lacham*, quod est, inter alia, incidere tam ore, dentibusque, quàm gladio. Hinc fit, vt aliàs pro exquisito cibo vsurpetur, vt ibi; *Beatus* [a] *qui manducabit panem in regno Dei*: &; *tu comedes panem in mensa mea semper* [b]; aliàs pro vilissimo; *repleti priùs pro panibus se locauerunt* [c]; &, *non vidi iustū derelictum, nec semen eius quærens panem* [d]; *cùm se mouerit ad quærendum panem* [e], &c. Ideo communiter omnes petimus à Deo panem quotidianum [f]. Ἄρτον denique deriuant vel tanquam τρόφιμα, quòd τῷ σώματι ὑμῶν αἴρεται, ἢ προσφέρεται καθ'
C ἑκάστην, id est, *exhibetur quotidie*, vel quia αἴρει τὴν δύναμιν, id est, *vires subleuat*.

a Luc.14.15.
b 2.Reg.9. 7.
c 1.Reg.2.5.
d Ps.36.25.
e Iob.15.23.
f Lucæ 11.3.

Tuum.] Non alienum, non raptum: honorandus namque de tua substantia Deus [g]; & à Deo ipso docuit nos Christus petere panem nostrū [h], hoc est, præter alias expositiones, iustè, ac honestè acquirendum. Ambrosius [i] tractans verba illa de Achab [k], *proiecit se in lectulum suum, & non comedit panem*, addénsque (*panem suum*) ait: [Etenim diuites magis alienum panem, quàm suum mãducant, qui raptu viuunt, & rapinis sumptum exercent suum.] Id meritò turpius notat esse Chrysostomus [l], quàm cùm pauperes emendicant; isti enim ab honestioribus, & sponte dantibus petūt,
D hoc est, à diuitibus, diuites ab inuitis, & sordidis pauperibus, & quidem sericeas induti vestes. Tuū quoque dicit, qualem tibi paras ipsi; non micas decidentes tantùm, non viliorem & secundarium. *Frange esurienti panem tuum* [m]: *comedat pupillus de buccella tua* [n]: *comede panem tuum cum esurientibus, & egenis* [o]. Cùm verò hortatur Christus, vt amicos faciamus de mammona iniquitatis apud Lucam [p], inter alios varios dicendi modos hic proposito commodior, quem innuit Augustinus [q], vt non quidem per se ex iniustè partis, sed iniustè retentis: incipiunt enim iniquæ censeri, si retineantur, cùm pauper iis indiget. Lau-
E dabilis piorum, ac misericordium quorundam ex nobilibus & locupletibus mos, quem à S. Caroli patre seruatum produnt, & ideo fortassis inter alias causas tanto filio donatum à Deo, vt, quod Iobum innui fecisse, non sumeret cibum, quin partem sepositam de ipsamet mensa pauperibus iuberet erogandam.

g Prou.3.9.
h Lucæ 11.3. Matth.6.11.
i libr. de Naboth c.4.
k 3.Reg.21.4.
l hom.13. in 1. Cor.4.
m Esa.58.7.
n Iob.31.17.
o Tob.4.7.
p Luc.16.9.
q 2. quæst. Euangel. in q.34.

Super transeuntes aquas.] Primum est epithetum secundi, vt docui. Hieronymus [r] alibi legit (*super aquam.*)

r in Esa. c.55. lib.15.

*

Verſ.2.] Da partem ſeptem, necnon & octo: quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram.

INter illuſtriores huius libri locos eſt iſte, variéque admodum declaratus. Chaldæus exiſtimat contineri hac ſententia prouidum conſilium pro patrefamilias, vt agrum ſerat tempeſtiuè, non menſe tantùm Tiſri, ſed etiam Caſleu, quando quæ ſit futura copia, vel penuria annonæ ignoret. Sunt noſtri menſes September, & Nouember. In Iudæa notat Hebræorum [a] Calendarium tempus ſerendi menſe poſteriore. M. Varro [b] refert veterum opinionem ſerendi eſſe ab æquinoctio autumnali vſque ad diem XCI. poſt brumam, niſi quæ neceſſaria cauſa coëgerit non ſerere. Palladius [c] frumentorum ſationi, tritici, farris, hordei aſſignat Decembrem. Columella [d] ad nonum Kalen. Octob. circiter, ſiue citra Kal. Octob. præſertim in locis vliginoſis, exilibus, frigidis, opacis. Citat Virgilium [e];

At ſi triticeam in meſſem, robuſtáque farra
Exercebis humum, ſoliſque inſtabis ariſtis,
Antè tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoſiáque ardentis decedat ſtella coronæ,
Debita quàm ſulcis committas ſemina, quámque
Inuitæ properes anni ſpem credere terræ.

Conſentit Heſiodus [f];

Πληϊάδων ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθαι ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.
Pleiadibus Atlante natis exorientibus
Incipe meſſem: arationem verò occidentibus.

In Pentecoſte ſegetis triticeæ demeſſæ ſpicæ offerebantur Deo in primitias, indéque panes duo conficiebantur [g]. Sic oportuit ſeri triticum tempeſtiuiùs; & potuit aliquanto ſeriùs, quia ſecundum lunationes [h] Paſcha, & Pentecoſte modò citiùs, modò tardiùs celebrabantur. Sed quid ſero, quod metere non eſt meum? nec arbitror propoſito conuenire Chaldaicam illam expoſitionem; cui repugnat communior reliquorum interpretatio de facienda eleemoſyna, de qua priore quoque verſu actum eſt. In modo tamen explicandi variant, & præter iſtum ſenſum, alios quoque allegoricos ac tropologicos alij tradunt. Ratio autem diſcrepandi ferè pendet ex numeris ſeptenario, atque octonario, & quia quidam legunt *partem* in ſingulari, alij in plurali, *ſeptem & octo*, aut in dandi, aut in accuſandi caſu, aut in gignendi.

Incipiamus ab allegoria, aliíſque myſteriis. Ordine loci ſecundus intellectus poni poteſt Hebræorum, teſte Hieronymo, & Sabbatum, qui eſt ſeptimus dies, & circumciſionem vſurpari ſolitam octauo, ſeruandam eſſe. Tertium, ac præterea nullum ex ſua tradit opinione Hieronymus [i], gloſſa interlinearis, quique tranſcribit, vt non diſſimulat in præfatione, Albinus Hieronymum, vt in vtrumque Teſtamentum tam vetus, quàm nouum pari veneratione credamus, nec Sabbatum duntaxat, vt Iudæi, ſed etiam reſurrectionem; nec in totum repudiando legem veterem, vt Marciō, Manichæus, alij: quia non poſſumus dignos cruciatus, dignámque pœnam iam nunc mente comprehendere, quæ repoſita eſt his, qui verſantur in terra Iudæis, atque hæreticis, è duobus alterum denegantibus. Placuit idem Salonio, ſed profitenti ſolam huius libri myſticam explicationem.

a menſe Nouembri apud Geneb in Pſalmos.
b 1. de re ruſtica c.14.
c 11. de re ruſt.tit.2.
d 2. de re ruſt. c.8.
e 1. Georgic.
f in ergis lib. 1.
g Leuit.23.
h Ioſeph.3. Antiq.c.10.
i hic & con. Lucifer. aliiſque locis, qui poſtea citantur.

Meritò Carthuſianus appellat ſenſum iſtum Expoſitorum Catholicorum, quia plures ſequūtur illum, vitantes rationem exponendi Iudæorum, non tamen quòd velint eſſe literalem. Tradidit eū etiam Ambroſius [a] diſputans de ſeptem Machabæis cum matre, dicéntque illos in vtroque numero conſortium gratiæ conſequi, in lege nutriri, per gratiam coronari, ſeptem tanquam in Sabbato, octo tanquam in Euangelio. Eundem lege in enarratione altera in Geneſim [b], vbi ſeptem attribuit veteri, octo nouo Teſtamento propter reſurrectionem: & ad id affert quindecim argenteos, quibus Oſee ſibi coniunxit meretricem [c]: ſeptem paſtores, & octo morſus hominum (in vulgata emendata, *octo primates homines*, non autem *hominis*, aut *hominum*, vt vellet Ribera) apud Michæam [d], id eſt, præcepta legis, & Euangelij mandata, in quo deuorata eſt mors. Eodem ſpectant 15. gradus templi [e], & Pſalmi graduales, quos ad hoc afferunt Hieronymus (qui Michæā eodem propemodum pacto explicat, eundémque vide, ſeu alium, tomo nono [f]) & Ambroſius: hic verò præterea gradus quibus aſcendit Sol, quando Ezechias vitæ huius accepit commeatum [g] (erant tamen ſolùm decem:) dies quibus manſit Paulus apud Petrum [h]. Auguſtinus ſcribens ad Ianuarium [i] Epiſcopum, ait duplex hic Teſtamē-rū ſignificari, ſeu celebrationem Sabbati, & diei Dominici. Illum ſequitur Salmeron [k]. Olympiodorus hoc idem admittit; ſed inſuper quarto docet iniungi, vt iſtius vitæ tempore theſaurizemus per bonorum operum executionem in vitam futuram (id antea Nanzianzenus [l] docuerat) dicens ſic nonnullos iam quoque maiores expoſuiſſe. Innuit præterea Gregorius Papa [m], & Petrus Bleſenſis [n]. Quintus apud eundem Olympiodorū ſenſus eſt, vt non Chriſtianis dūtaxat, quibus peculiariter cōpetunt dona ſeptē Spiritus ſancti, ſed & Iudæis, celebratoribus circumciſionis octaua die, benignè faciamus, nullo habito delectu perſonarum, cùm neſciamus quis hominum verè indigeat, quis paupertate ſimulata per auaritiam petat.

Sextus dicendi modus eſt Hugonis, qui recipit item tertium, vt demus partes ſeptem vitæ noſtræ Deo, necnon & octo, hoc eſt, vitam totam ætatibus octo conſtantem, infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuentute, ſenectute, ſenio, mortis tempore, eóque omni, quo ſeparatæ animæ iudicium expectant, tandem æuo felicitatis. Eodem referri poſſet aliorum antiquiorum expoſitio, quam recitat & ſequitur Philippus Solitarius [o], hoc quod viuimus eſſe ſeculum ſeptimum, & operibus aſſignatum: octauum quod expectatur, præmiorum eſſe, ita vt ſextam chiliadem & totam ſeptimam annorum præterire oporteat, deinde finis futurus ſit & iudicium. Septimus eiuſdem Hugonis de Deo pariter dandis animæ viribus, rationali, iraſcibili, concupiſcibili; & partibus corporis, oſſe, carne, neruo, cartilagine, ſiue quatuor humoribus, aut elementis; denique gratia ipſa, ſine qua reliqua inutiliter obtinentur, & quam, ea bene vtendo, reddere Deo poſſumus.

Octauus eiuſdem, vt detur vita ſeptem partibus conſtans, illuſtranda nunc ſeptiformi gratia, & perficienda, atque remuneranda per gloriam. Nonus eiuſdem, vt vacemus virtutibus, quæ ſunt quindecim præcipuæ, Pſalmis totidē gradualib. &

a 2. de Iacob. c.11.
b tom.2. & epiſt.32. edit. Rom.
c c.3.2.
d c.5.5.
e Ezech. 40. 22.31.
f epiſt.21. de celeb. Paſch.
g 4. Reg.20. 11.
h Gal.1.18.
i ep.119 c.13.
k tom.2. prolegom.20. de num. octona.
l orat.43. & 44.
m hom.16. in Ezech.
n epiſt.232.
o 5. diop. c.8.

& gradibus templi designatæ, nempe septem donorum Spiritus sancti, quatuor virtutum cardinalium, theologicarum trium, postremò humilitatis. Decimus eiusdem, vt sectemur vitam actiuam, obeundo septem opera misericordiæ, quæ numerantur Matthæi 25.[a] addito sepulturæ
a vers.35. 36. b ca.1.& seq. officio apud Tobiam [b]: contemplatiuæ verò vitæ, quod attinet ad intellectum, cogitationem, meditationem, cōtemplationem, reuelationē, vel vocationem, visionem, dilectionem (fortasse aliquid aliud voluit, nec enim intellectus diligit) anhelationem, quæ dicitur suspendium: in affectu, mentalem orationem, laudationem, contritionem, delectationem, siue gustationem. Gregorius [c] eodem alludit, dicens pariter vtramque vitam his numeris designari, sicut & per 15. gradus templi. Inducit Salomonem qui sic alloquatur Deum: da mihi Domine partes septem, necnō octo. Optabat enim, inquit, regiæ dignitatis potentia præditus, ita tibi subitos populos regere, vt tamen contemplationis diuinæ non defraudaretur perfectione.
c in Psal 6 pœnit. in proœmio.

Vndecimus eiusdem Hugonis, vt offeramus ternarium Deo, credendo trinum & vnum, quaternarium proximo, qui componitur ex quatuor elementis, docendo ac iuuando: necnō & octo, alterum quaternarium doctrinæ quatuor Euangeliorum, alterum operis quatuor cardinalium virtutum. Duodecimus Caietani literalis totus, da partem hominibus septem, hoc est, certo numero pauperum; qui numerus ab iis fortasse tūc apud Iudæos eleemosynarios obseruabatur ob reuerentiam diuinarum actionum, quæ septem
d Gen.1. dichus describuntur à Mose [d], supputato Sabbato quietis; sicut modò consueuerunt multi pascere pauperes duodecim, in memoriam duodecim Apostolorum. Da etiam pauperibus octo, videlicet, si quis ad illū ceterū ordinariūmve numerū accesserit. Probabilis ratio; sed Iudæis propria, sicut & decimatertia Carthusiani, quòd esset in lege celebre Sabbatum, & octauo die fieret circumcisio. Decimaquarta magis generalis, vt sit quis in dando largus quamplurimis quidem, omnibúsque, ac si fieri possit, iis quoque qui numerū excedāt. Septenarius namque numerus est
e Act.6. vniuersitatis, vt est aliàs à me demonstratum [e], differente de septem diaconis. Auctores postea proferam. Decimoquintò, Lyranus *partes* legens, non *partem*, ac *septem & octo* in accusatiuo, iungénsque partibus, interpretatur dandum abundanter indigentibus de bonis nostris. Carthusianus hoc approbat, ita vt de omnibus quæ supersunt, largiamur; septenarij tamen fieri mentionē, propter septem opera misericordiæ, per quæ ad
f Mat.5.3.& seq. octo beatitudines[f] peruenitur. Innuit id Ambro-
g lib.5 in c. 6.Lucæ. sius[g], cùm ait; mandatū accipis, octo illis partem date, fortasse benedictionibus, id est, beatitudinibus. Moringus consentit in liberali, & profusa largitione, non ad tempus, sed per vitam totam. Eiusdem Ambrosij, siue alterius, cuius extant inter illius opera in Apocalypsim Commentarij, decimasexta censeri expositio potest, nisi malis ad vndecimam, decimamve reuocare. [Charitas,
h in c.1 Apoc. inquit [h], partienda dilectione Dei, & proximi: ad actiuam ista, illa refertur ad contemplatiuam: septem designant electorum multitudinem, qui partem dant amoris sui; cùm in exercitiis vitæ actiuæ occupantur, curámque proximis tum carnalem, tum spiritualem impēdunt: octo denotant Christum, qui die resurrexit octauo: partes octo dant Christo, cùm eos amor Dei ad contemplationem eius iterum reuocat.] Ibidem subiicit alium sensum, quem possumus numerare septimum supra decimum, nos partes dare septem, cùm Sanctis Dei debitam venerationem exhibemus; octo, cùm Deo debitum cultum. Duodeuigesimus à Cassiano [a] traditur fatente alium a 3. instit c.9.
præterea mysticum sensum non deesse, vt, quod in Oriente fiebat, ieiunium solueretur Sabbato, & die Dominico, qui nominantur dies septimus & octauus. Decimus nonus est Gregorij [b], b 15.moral. c.7.
sic dispensanda temporalia, vt appetamus, non obliuiscamur æterna, considerando in venturo iudicio quanta tribulatio sequatur. Subiicit de quindecim templi gradibus, & de centum viginti, super quos Spiritus sanctus descendit [c], qui c Act.1.15.c.2. 1.4.
docuit vt temporalia tolerando transirent, & æterna inhianter appeterent: componi verò per septem & octo quindecim: &, si ab vno vsque ad quindecim numerando paulatim per incrementa consurgamus, vsque ad centum viginti nos peruenturos. Vigesimus Bonauenturæ, senarium significare id quod sufficit nobis, quidquid est vltra illud, dici septem & octo, dandam eleemosynam de eo quod superest [d], ac large quidem pro d Lucæ 11.41.
facultatibus nostris [e], vt nostra abundantia alio- e Tob.4.9.
rum inopiam suppleat.[f] f 2.Cor.8.14.

Ex tot allatis explicationibus, quas ad illustrādam adeò celebrem sententiam non frustra prótulimus, literæ accommodatiores arbitror decimo quarto, & quinto recitatas loco, maximè verò decimamquartam, cuius ibi nullum auctorem citaui remittens ad hunc locum. Thaumaturgus ita proculdubio Ecclesiasten intellexit: quin, inquit, liberaliter quoque porrige, pluribúsque tuas facultates diuide. Recentiores plurimi idem iudicant, Vatablus, Titelmannus, Sà in hūc locum, Ribera [g], vbi demonstrat septenario significari g Michææ 5. n.60.
maximam multitudinem; si autem ei addatur vel vnitas, incredibilem, ac penè infinitam, Viegas [h], h in c.10. Apocal
Barradius [i], Osorius [k], qui tamen addit per se- i 9. harmon. Euang c 1.
ptem significari posse pauperes viuentes huius k serm.in commem. fidel.defunct.
vitæ septimana: per octo, defunctos in Purgatorio degentes, opéque nostra egentes, qui transierunt hos dies septem. Qui posset haberi diuersus ac numero vigesimus primus sensus. Nazianzenus [l] decimum illum quartum secta- l de obitu patris.
tur, cùm in oratione de amore pauperum numeros istos de præsenti, futuráque vita intellexisset. Omni petenti dari præcepit Christus[m]: & m Luc.6.30.
de suo patre scribit idem Doctor, Salomonis legem hanc ab eo superatam, quia læto, & hilari dabat animo. [Sciebat, inquit, ille multo satius esse, ob eos qui digni sunt, indignis quoque largiri, quàm dum metuimus ne de indignis bene mereamur, dignos beneficio fraudare, πολλῷ βέλτιον εἶναι διὰ τοὺς ἀξίους ὀρέγειν καὶ τοῖς ἀναξίοις, ἢ τοὺς ἀξίους ἀποστερεῖν δέει τῶν ἀναξίων.] Elias Cretensis arbitratur allusum à Nazianzeno ad veterem consuetudinem, vt quem publicum aliquod munus administrare vellent, cum in medium producerent; ac siquidem is vniuerso populo gratus esset, manuum in altum extensione confirmaretur, sin minùs, earum contractione repudiaretur. Billius autem alter Nazianzeni recentior Scholiastes, Græcam illam sententiam ex Demosthenis oratione de corona mutuò sumptam putat; βέλτιον διὰ τοὺς ἀξίους τιμᾶν καὶ τοὺς ἀναξίους, ἢ τοὺς ἀξίους ἀποστερεῖν τῆς προσηκούσης τιμῆς διά τε ἀναξίους,

præstat propter dignos indignis etiam honorem habere, quàm dignos merito honore spoliare propter indignos. Cui adhuc sententia similis in oratione contra Leptinem. Lege notationes sequentes ad voces ipsas.

Da.] Iam dixi de Caietano sumente verbum hoc vt ad præsentes relatum; sicut illud (*mitte*) precedente versu, ad absentes. Recole quæ illic notauimus. Legit aliquando (*date*) in plurali Ambrosius [a]. Omnes editiones constanter habent numerum singularem. Vtrouis modo sensus omnino idem. Sequens tamen oratio perstat in numero singulari.

Partem.] Idem dico de isto nomine, tametsi multitudinis numero plures id referunt: denuò Ambrosius [b], Gregorius item [c], & Hieronymus [d]; multi quoque codices Latini. חֵלֶק *chelek*. & μερίδα sunt numeri vnius. Importat *partis* vocabulum, vt in eroganda eleemosyna cuique distribuatur pro necessitate, vel merito, & non vt esuriat vnus, alter ebrius sit [e]. Idémque valet *frangendi* verbum, quo ad rem eandem vti solet Scriptura, vt monuimus in historia Apostolica [f].

Septem, necnon & octo.] Articulus Græcus τοῖς ἑπτὰ, &c. & seruilis Hebræa litera ל, לְשִׁבְעָה, *leschibhhah*, &c. apertè denotant *septem, & octo* esse datiui casus, referríque ad eos quibus dandum sit, non ad partes quæ debeant dari. Tamen ex recitatis explicationibus nonnullæ contrario modo legerunt. August. [g] nomen *partis* prorsus omisit. Quidam articulum, & seruilem dictam literam expresserunt per (*illis aut his*) vt Ambrosius [h], & Cassianus [i]. At Gregorius [k], vt etiam admonui, citat locum perinde ac si Salomon precaretur Deum: da mihi Domine, &c. Non consentiunt quæ sequuntur (*quia ignoras*, &c.) Caietanus bene monet corruptè quosdam legere (*partes septem in octo.*) Hebraicè est וְגַם *vegam, & etiam*, Græcè, καί γε, *& quidem, etiam, necnon*. His numeris multitudo maxima, & supra maximam maior ac propè infinita denotatur. Chaldæus in sua illa enarratione, quam refutauimus, bonam partem est interpretatus ex semine, quæ non in Tisri tantùm, ordinario mēse, sed in Casleu quoq; si esset opus, terræ mandaretur. Vetus paroemia, πάντα ὀκτώ, *omnia octo*, de qua collector adagiorum, & Bōgus in mysteriis numerorum, cùm nihil deesse significatur, siue propter Stesichori Poëtæ monumētum Catanæ ex omnibus octonis constructum, columnis, gradibus, angulísque: siue propter distributos à primo conditore Corinthios in octo tribus: siue propter totidem Deos summæ rerum imperantes, per quos iurare solitus Orpheus fertur, Ignem, Aquam, Terram, Cœlū, Lunam, Solem, Mithram (Persæ confundunt cum Sole) Noctem: siue quia in Ægyptia columna in signum iustitiæ inscribebantur Deorum octo nomina, Saturni, Rheæ, Osiris, Spiritus, Cœli, Terræ, Noctis, Diei; & totidem Xenocrates, vt prodit Cicero, licèt diuersos, Deos faciebat: siue propter octonas certaminum species in Olympiis: siue propter aliam causam.

Igitur septem & octo nullum non comprehendunt: valétque sententia ista idem ac quod præcipit Christus [l]; *omni petenti te tribue*, hoc est, non quidem etiam ei qui abundat, vt voluit Tertullianus [m]; verùm cuiuis indigenti, vt cæteri explicant Interpretes, necnon Cyprianus [n]: non examinando, & diiudicando, curiosiúsve scrutando singulorum conditionem, & merita, vt ait

a 1. de Iacob. c. 11.
b in 1. Apoc. c omnibus citatis antea locis.
d in c. 41. Ezech. lib. 12. in c. 5. Mich. lib. 2 & con. Lucifer.
e 1. Cor. 11. 21.
f c. 2.
g ep. 119 ad Ianuariū. c. 13.
h ep. 53. & 2. de Iacob. Patriarcha. c. 11.
i conf. 3. in Gen.
i 1. instit. c. 9.
k in Ps. 6 pœn. in proœmio.
l Luc. 6. 30.
m 4. con. Marcionem. c. 16.
n lib. 3. testimoniorum c. 1.

A Euthymius in Matthæū [a], sæpe Chrysostomus [b], & Nazianzenus [c]: non excludendo peccatores, quatenus & ipsi egent, vt Augustinus [d] monet, & Gregorius [e]. Exemplum sequendū Dei, pluentis, & solare lumen fundentis super iustos, & iniustos [f]: Christi ad cœnam inuitantis etiam debiles, claudos, cœcos [g], &c. hortantis vt tales potiùs inuitemus, qui nequeār retribuere, certi nobis retributurū Deū [h]. Heliogabalus, teste Lampridio, delectatus hoc numero, simul ad cœnam rogabat octo caluos, octo luscos, octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos, octo pingues, cùm capi non possent vno sigmate, vt de his omnibus risus citaret. Quàm sanius vtiliúsque

B Christi consilium illud, quod modo dicebā? Turpis Imperator ad captandam id factitabat voluptatem. Nos, si Christum audimus, vt Christo gratificemur, vt pietatis opus faciamus, vt retributionem quoque iustorum consequamur. Non ad octo duntaxat exactè septémve nostra se benignitas extendit, sed ad septem, necnon & octo, ad plurimos, & si fieri possit, ad infinitos.

Vetus paroemia; *Septem conuiuium, sin plures, conuicium.* Meminit Capitolinus [i], sed ita; *Septem conuiuium, nouem verò conuicium.* Colligi potest idem de septenario conuiuarum numero ex Gellio [k], qui tot propositas quæstiones in cœna scribit quot accumbebant, hoc est, septem: præterea ex

C Ausonio [l], qui sic scribit;

——— *Sex enim conuiuium*
Cum Rege iustum, si super, conuicium est.

Præscripsit eundem numerum vetus lex Orchia, necnon Salica [m]. Varro [n] autem neque minorem quàm Gratiarum voluit esse, neque quàm Musarum numerosiorem. Excepto Rege conuiuij tot iam erant de quibus Macrobius [o], & denuò Gellius [p]. Quo fit, vt si Regis ratio non haberetur, supra octo conuiuæ minimè forent. Rationem Varro reddebat, quòd turba plerumque est turbulenta. Sidonius [q] adnumerans seipsum ab Imperatore Maioriano inuitatis, nempe Seuerino, Magno, Camillo, Pæonio, Athenio, Gratianensi, viris illustribus, satis indicat euasisse numerū ad

D octo: Imperatorem verò inuitatorem, si lex tenebat de septem, connumerari non debuisse. Legēdus conuiuialium auctor antiquitatum, & Cœlius [r] Rhodiginus, & auctor adagiorum [s], qui variarum in conuiuarum numero docent. Itaquè septem, necnon & octo, de quibus hîc mentio fit, conuiuarum fortassis dictum numerū significāt.

Quia ignoras quid futurum sit mali super terram.] Non ita propriè interpretantur, qui hæc referunt ad futuram vitam, & iudicium supremum, sicut vidimus superiùs, ac nominatim ita sentit Gregorius [t], Hieronymus quoque, Olympiodorus, & alij. De malo potiùs improuiso sermo est,

E quod vel arceri potest, vel ei remedium adhiberi benigna largitione, seu proprium sit eius, qui prouocatur hîc ad largiendum, seu aliorum, qui egeant aliena misericordia. Olympiodorus præterea id sumit dictum, quòd ignoremus quis re ipsa indigeat, quis indigentiam simulet; vt propterea simpliciter dandū sit septem, necnon octo, id est, quibuslibet. Sed quod dixi, simplicius, placétque Lyrano, qui priorem tamen sensum non improbat, vt neque nos, nec alium Carthusianus assignat. Refert Osorius [u] noster quosdam legere (*subtus terram*) & exponit ipse de Purgatorio, vt etiam priùs memini. In nullo codice reperire potui huiusmodi lectionem, nec

a in c. 5.
b præcipuè serm ad pop.
c orat in laudem patris.
d in Ps. 103.
e 3. p. Pastora. admonit. 21.
f Mat. 5. 45.
g Luc. 14. 21.
h ibid. 13. 14.
i in Vero.
k lib. 18. c. 2.
l in epheme.
m tit. 46. §. 1. & 2.
n in Saty. Menipp.
o lib. 1 c. 7.
p lib. 13. c. 11.
q lib. epist. epist. 11.
r lib. 28. c. 8.
s septem cōuiuium.
t hom. 16. in Ezechiel.
u tom. 3 serm. in com. mem. fidel. defuncto.

dubito mendosam esse, vtpote quæ repugnet omnibus editionibus.

Vers. 3.] Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent: si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

Hieronymus variè tractat hunc locum: primò, allici promisso eum, cui priore capite, & isto eleemosyna est imperata, fore videlicet, vt nubes imbrem super eum fundant ad locupletãdos agros; quarum quoque nubium sit imitanda largitas, quæ nimirum (hoc ait Olympiodorus) iussu diuino imbres super omnes spargunt: secundò, virum sanctum, qui plures in corde congregauit disciplinas, posse illas communicare. Hoc etiam in sensu conuenit Olympiodorus. Vtrumque ponit Albinus, & alij Latini. In secundo notandũ, sicut nubes exiles, ac raræ vix aquam fundunt, ita si parum sit quod quis possidet, idque propriæ sustentationi necessarium, non teneri pauperibus id erogare. Non enim vult Paulus[a] sic nos largiri, vt aliis sit remissio, nobis afflictio; sed vt nostra abundantia aliorum inopiam suppleat. Gratam Deo tamen rem facit, qui de necessitate quippiam subtrahit, vt conferat egentibus. *Si multum tibi fuerit*, inquit Tobias, *abundanter tribue: si autem exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*[b]. Importare etiam potest comparatio præmium de quo meminimus: sed paulo aliter, nempe verendum non esse, ne qui largitur, exhauriatur: quemadmodum nubes cùm exonerarint se, rursus implentur à Deo, vt se iterum effundant. Certat Deus cum liberalitate nostra, vt olim cum Ioannis Eleemosynarij[c], cum Tiberij[d], & aliorum.

a 2. Cor. 8. 13. 14.
b c. 4. 9.
c Surius to. 1.
d Baro. anno 583.

Thaumaturgus tertiũ oppositum sensum elicit postremis adhærentem verbis versus præcedentis: Ignoras quid futurum sit mali super terram, quidque tandem postera pariat dies: etenim nec nubes retinet copiosam pluuiam suam; nec arbor stat semper: decidit imber è nube: arbor, quamuis ei parcat homo, cõuellitur à vẽto. Quasi dicat; colloca in iis, qui egent nũc opera, opibúsque tuis, præsidium tuum, quò redactus ipse ad egestatem, confugere possis; vel esto memor conditionis humanæ, vt non te semper putes abundare, & fixum manere posse: ex te ipso iudica de cæteris, & quod tibi consultum velles in aduersa fortuna, tu modò in ea constitutis consule.

Duo extremi sensus magis literales; medius pietati commodus, quem sectatur quoque Ambrosius[e]. Copiosè hunc explicat Hugo: Prædicatores enim sublimes è terra esse debere, pluere doctrinis, tonare minis, coruscare miraculis, & exemplo: nubes autem sine aqua, ventísque circumlatas[f], illos esse qui gratia vacui sunt, nutus auditorum sequuntur, inanem gloriæ sectantur auram, toti aridi, & tenebrosi, & ceu Simones Magi per aërem volitantes, si minùs corpore, certè mẽte, nunquam in eadem persistendo sentẽtia: quos proinde Petrus[g] indoctos, atque instabiles vocat; Paulus[h] fluctuantes, & circumlatos omni vento doctrinæ. *Nubes* fœcundæ, ac secũdæ sunt, *quibus cùm imperatum fuerit à Deo perambulare vniuersum orbem, perficiunt quod imperatum est eis*[i], & *lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, & ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum*[a]. [Qui multa legit, & intelligit, impletur, ait Ambrosius[b]: qui fuerit impletus, alios rigat. Sint ergo sermones tui profluui, sint puri, dilucidi, vt morali disputatione suauitatem infundas populorum auribus, & gratia verborum tuorum plebem demulceas, vt volens quò ducis sequatur.] Ros, imber, pluuia, denotant sapiens ac diuinum eloquium, & hoc proferentes stillare dicuntur[c]; vel quia loquuntur accommodatè ad captum audientium, vt placet Gregorio[d], & quidem suauiter, & misericorditer, vt est etiam in historia Machabæorum[e]; vel quia quãdoque seuerè, ac minaciter, vt est apud Ezechielem[f], & Amos[g], & Michæam[h], & lib. Paralipomenon[i], propter similitudinem guttatum cum impetu decidentium.

e ep. 19. edit. Rom.
f Epist. Iudæ vers. 12.
g 2. Epist. 3. 16.
h Eph. 4. 14.
i Baruch 6. 61.
a Iob. 37. 12.
b supra.
c Deut. 32. 2. Iob. 29. 22. Eccli 39. 9.
d in Iob.
e libr. 2. 8. 27.
f c. 21. 2. c. 26. 40.
g c. 7. 16.
h c. 2. 6. 11.
i lib. 2. 12. 7.

Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, &c.] Et hic ex celebrioribus est huius libri locis. Eum Chaldæus sic enarrat, ligni nomine Regem sumens, & quasi posterior sententiæ pars diuersa sit, de fame, ac saturitate seu copia interpretans (*& si decretum fuerit de cœlo vt cadat Rex, & consiliarij eius de principatu eorum, ex auctoritate dicti Domini fiet: & etiam saturitas, aut fames in Meridiem, aut Septentrionem, vbicumque decretum fuerit, vt firmetur illud consilium, mittitur eò vt fiat.*) Thaumaturgus nihil aliud hîc agnoscit nisi casum, siue interitum, mortémve simplicem, vt & per decidentem de nubibus pluuiam. Hieronymus, ac Latini ferè omnes Interpretes explicant de statu, in quo quis moriatur, vt vel censeatur inter beatos, vel inter dãnatos, mórsque subita quadam ceu ventorum vi lignum, tametsi longæuum, subuertat; ibíque iugiter ille permaneat vbi ceciderit, siue rigidum illum, & trucem, siue clementem, & misericordem vltimũ id tempus inuenerit. Olympiodorus videtur nolle aliter locum intelligi posse: tamen *Austri* vocabulum extendit ad quemlibet locũ illustrem, ac lucidum, necnon ad Christũ, qui est verissima lux: *Aquilonis* ad caliginosum, & tenebrarũ plenũ locum, necnon ad diabolum, qui in tenebris habitat: sic quemlibet siue in turpi scelerum statione, siue in honesta virtutum deprehendatur cùm moritur, in ea permanere in æternum, & vel requiescere cum iustis, & Christo in lumine felicitatis æternæ, vel in tenebris cruciari cũ iniquis, & diabolo. Ad idem facit, quod in Austro quidam calorem charitatis, frigus obseruant iniquitatis in Aquilone.

Putat Hugo hortari præterea Salomonem ad constantem & rectum virtutis cursum, vt nec ad sinistram declinemus, ne ad dexteram, non elati prosperis, nec aduersis fracti. Carthusianus addit perseuerantiam in eo statu, in quo mors nos occupat, de meritis intelligendam, quibus nullus deinceps locus. Id satis indicat idem Hieronymus, Albinus, Salonius, & alij Latini Interpretes, Olympiodorus ex Græcis: præterea Bernardus[k], Gregorius[l]. Ioannes Arboreus monet opportunè, vitandum errorem negantium Purgatorium, eo quòd Ecclesiastes solùm dicat nos vel ad Austrũ peruenturos, vel ad Aquilonem: qui enim migrant etiam cum noxa veniali, aut non abundè satisfecerunt pro peccatis remissis, cadũt ad Austrũ, quia charitate præditi, & destinati ad beatitudinẽ paulo pòst sine dubio cõsequẽdam: in infernũ semel demersi nũquam emergent, nec vlla ibi redemptio, vt alio docuimus loco, refellẽtes,

k ser. 49. ex paruis.
l 12. moral. c. 3.

aut

aut commodè quæ narrantur de Traiano, Falconilla, aliísve, declarantes. Accedit quòd si præsens locus officeret assertioni de Purgatorio, sequeretur etiam iustorũ animas detentas in limbo ante aduentum Christi, ibidem perpetuò remansisse.

Itaque loquitur per se Salomon de morte corporali, quam qui subit, vi propria resurgere nequit, non secus ac decidens lignum, humi manet, atque putrescit vbi ceciderit, nõ habens spem rursum virescendi, ac pullulandi [a], si sit videlicet penitus rescissum, vel si negligatur, relinquatúrque ab agricola. Extendendo autem similitudinem ad statum animæ, intelligenda erit eo modo quem diximus: vel negandum, omnes cadere aut ad Austrum, aut ad Aquilonem, si hæc significant beatitudinis assecutionem, & gehennæ tormentum, quæ statim mortuis contingant: medius namque Purgatorij locus est, vt certò constat. Lege Sixtum Senensem [b], qui citat Ioãnem Bonderium [c]: item disputationem Bellarmini de Purgatorio [d]. Is verò præterea [e] disputat contra Catharinum, & Pighium, paruulos sine Baptismo defunctos post iudicium non recessuros ex loco subterraneo, in quo modò sunt sub diaboli potestate, in istum amœniorem mundum, quia post hanc vitam non est locus misericordiæ, sed iustitiæ, pro vt ex communi Patrum interpretatione præsens continet sentẽtia. Verùm animabus iustis in limbo debebatur beatitudo, ac proinde locus proprius eius, qui est cœlum empyreum, sicut & suo tempore gloriosa corporum anastasis.

a Iob.14.7.
b 5. Biblioth. anno.314.
c in concertation. tit. 11.
d in c.13. lib. 1. explicat hunc locum.
e lib.6 de amiss. gratiæ, & statu peccat. c.2.

Lignum.] Inter significationes ligni, quas vsurpant Scripturæ, Gregorius [f] numerat quatuor, pro Cruce, pro incarnata Dei Sapientia, pro iusto, pro iniusto. Has postremas duas ait conuenire proposito, sicut & ibi; *Ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile* [g]. In die etenim mortis suæ iustus, inquit, ad Austrum cadit, peccator ad Aquilonem, quia & iustus per feruorem spiritus ad gaudia ducitur, & peccator cum apostata Angelo, qui dixit [h]; *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*, in frigido corde suo reprobatur. Aliàs notaui, vetere Philosophorum sententia censeri hominem arborem inuersam: sumit supernè per os alimentum, vt per radicem arbor: ramos arbor mittit sursum, homo deorsum brachia, & crura: fibræ veluti radicis sunt capilli hominis, quas fibras arbor distendit per terram. Vbi maior ramorum copia, hoc est, desideriorum, loquens mysticè Bernardus [i], eam versùs partem casuram docet. Multa sunt exempla Scripturarum, quibus homo ligno, seu arbori comparatur [k]. Quod attinet ad vocem *ligni*, Latini quidem plerumque sumunt pro conuulso, vel exciso, tam viridi, quàm sicco; rarò pro arbore, vt Poëta [l]:

Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsama? ———

Idem de Græco vocabulo τῷ ξύλῳ iudicium. Hebræum עץ *hhets* absque delectu vtramque retinet significationem. Symmachus hîc δένδρα posuit, id est, *arbores*.

f 12. moral. c.4.
g Ezech.17.24.
h Esa.14.13.
i Ser.49. ex paruis.
k Matt.3.10. c.7.18.19. c.12.33. Luc.23.31. Psal.1.3. Ierem.17.8.
l Virg.2. Georg.

Austrum.] Sumi semper solere Austrum in bonam partem à sacris Scripturis, docet non Hieronymus tantùm, & Albinus, aliíque loci huius Expositores, sed etiam Bernardus [m]. Sed contradicit Gregorius [n], cùm aliàs tamen consensisse videatur [o]; qui per eum fluxam interpretatur viuendi rationem, quia temporis afflatu membra dissoluit. Sed & idem Hieronymus apud Ieremiam [a] ciuitates Austri clausas interpretatur infernum. Sic opinor etiam Austrum ad calamitatem exaggerandam positum in Psalmo [b]; *Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro*, nempe reducitur in australi arida terra, & huc lætus aduenit. Fauet ibi certè paraphrasis Chaldæa (*conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut conuertitur terra, quando abundant aquarum fluenta tempore siccitatis.*) Possumus hos Patres comparatè locutos intelligere, hoc est, quoties Austrum, & Aquilonem Scripturæ opponunt inter se. Quo in sensu loquitur Augustinus [c], declarans illud ex Canticis [d]; *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*; quo etiam pacto Nyssenus exposuit, Theodoretus, tres Patres apud illum, Psellus item, Philo Carpathius, Ricardus S. Victoris, aliíque qui Cantica enarrant: necnon Ambrosius [e], qui tamen simul in meliorem partem accipit ibi vtrumque ventum [f], sicut & Paulinus [g]. Causa porrò cur sæpiùs, feréque semper sumatur Aquilo in deteriorẽ sensũ, pręcipuè apud Prophetas, est, quoniam Babylon, Regnúmve Chaldæorum & Assyriorum, qui Iudæorum infensissimi hostes erant, respectu Iudææ ac Palæstinæ est aquilonaris. Vnde Ieremias cùm dixisset [h]; *ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ* (nempe suæ) subdit [i], *quia ecce ego conuocabo*, &c. Quare dicto loco Cãtici nil repugnat *Aquilonis* vocabulo intelligi Zephyrum & Fauonium, vt Delrius prolatis aliis docet, etsi dissentit. Profectò nihil mali, sed boni sonat Aquilo in Christi verbis [k]; *& venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei.* Certum item est Austrum aliquando habere malam significationem, vt apud Ezechielem [l]; *Ventus Auster contriuit te.* Ventorum cæterorum pro situ & qualitate regionum, ac pro vt mare transeunt, vel noxij sunt, vel salubres, & magis & minùs, vt Philosophi, Chorographi, ac naturalis auctores historiæ testantur, præsertim Aristoteles, & Plinius, atque Theophrastus, cuius de ventis librum commentario Federicus Bonauentura illustrauit, primarios constat hos duos esse, quíque omni ferè tempestate anni spirent: imò Strabo reliquos ait sola differre ab istis modica quadam acclinatione.

m serm.49. ex paruis.
n 7. moral. c.17. vel 14.
o hom.9 in Ezech.
a lib.2. in c.13.
b Psal.125.4.
c epist.120. c.22.
d c.4.16.
e in Psal.1.
f lib. de fide resur. & in Psal.118. serm. 12 & in Psal. 1.
g epist.3. ad Aprum.
h c.1.14.
i vers.15.
k Luc.13.29.
l c.27.26.

Ad Aquilonem.] Quo modo accipiatur in malam partẽ, paulo antè docui. Acuta Galfridi [m] tropologia, neminem cadere nisi ad Austrum, vel Aquilonem: in Oriente stare, qui proficit: in Occidente, qui deficit: plenitudinem lucis, & profundam obscuritatem partibus istis maximè oppositis designari: faciliorem errorem contingere inter manè, & vesperam, crepusculũ, & auroram. Retineo libenter quã Patres approbare dixi plagæ vtriusque contrariam positionem: qualem etsi pars Orientalis habeat, & Occidentalis, notior tamen, & familiarior nobis prior, vt & duo poli arcticus, & antarcticus, & duo item venti Auster, Notúsque: & hîc erat sermo de ligni, seu arboris ventorum vi deiectione.

m citatur à collect. allego. & tropol. ex vtroque Testam. ad hunc locum.

Profectò bonum facit Aquilo sensum in Psalmo [n]; *Latera Aquilonis, ciuitas Regis magni*: & in Esaia [o], licèt ibi loquatur ambitiosus, siue Tyrannus, siue Lucifer; *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis* (id est, in templo Dei, quod erat ad aquilonarem partem ciuitatis, in sanctis sanctorum, & super Cherubim ac propitiatorium, & figuratè super cœlum ipsum, &

n Ps.47.3.
o c.14.13.

summam beatitudinem) *locabo solium meum.* Aliæ istius cōparationis applicationes recipi possunt, licèt nonnihil angustæ, ac restrictæ: sicut arboris truncus quocunque ceciderit, ibi reperitur; ita beneficium in quemcunque conferatur, ibi esse, ac inueniri: vel, quocunque loco ceciderit arboris fructus, non deesse, qui colligat; eodem modo, vbique locorum non deesse pauperes, & semper tales habere nos nobiscum, posséque illis benefacere, vt dixit etiam Christus [a]. Clarius, & Campensis hanc secundam traduut.

a Matth. 26. 11. Mar. 14. 7. Ioan. 12. 8.

Vers. 4.] Qui obseruat ventum, non seminat; & qui considerat nubes, nunquam metet.

PErsistit, Hieronymi opinione, Salomon in eleemosynæ præcepto, dicítque, qui cui benefaciat considerat, sæpe præterire eum, qui meretur accipere: vel tropologicè, qui tantùm eo tempore verbum Dei prædicat, quo populus libenter auscultat, & secunda aspirat aura, timoris esse satorem, & ignauum agricolam: non oportere autem nubium aduersarum considerare tempestatem, sed opportunè, ac importunè prædicare [b], quoniam, vt est sequenti versu, nescitur quæ via, voluntásque sit spiritus vniuersa dispensantis. Sic Albinus quoque. Sed ventos exponit esse illos, qui nobis aduersantur, nubes qui blandiuntur.

b 2. Tim. 4. 2.

Cæteri Latinorum literalem primum sensum sectantur, vt non protrahamus datum angustianti [c], nec dicamus; vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim possimus dare [d]. Olympiodorus idem sentit, & ne curiosè scrutemur, quis sit cui facturi sumus eleemosynam, fidelis an infidelis, iustus an iniustus.

c Eccli. 4. 3.
d Prou. 3. 28.

Adiungit Hugo ad tropologiam, vt ab Albino tradita est, de vento persecutionis, tentationis, detractionis, hanc de nubibus Prædicatorum, quos attendere nō debemus quales sint, sed qualia doceant: Salonius de diabolo, & aduersantibus, quibus nec à prædicando, nec à bene operando prohiberi debeamus. Carthusianus literalem explicat magis de illis, qui metu caritatis annonæ, vel penitus non faciunt eleemosynā, vel illiberaliùs; maximè verò si non satis probabilibus coniecturis charitatem illam futuram sibi persuadeant. Seminator dum flat ventus, ipsum excipit dorso, sic iustus resistit: neque permittit vt supra pectus, vel faciem, sed supra dorsum fabricent peccatores, & ibi prolongent iniquitatem [e], siue, vt habet Hebræus textus, arent sulcum suū. Maturat opus messor ingruente pluuia: eodem pacto vir spiritualis vrget seipsum, quando sollicitant eum tentationes. Gregorius [f] ventos accipit pro spirituū malignorum tentationibus, nubes pro persecutionibus prauorum hominum, quarum qui terrentur metu, neque nunc grana boni operis seminant, neque tunc manipulos sanctæ retributionis secant. Rursum [g] docet, eos, qui metuant venturas tentationes, cor ad bona opera nō proponere, & qui trepident ante humanæ mutabilitatis terrorem, mercedis æternæ retributione se priuare.

e Psal. 128. 3.
f 3. p. Pasto. admonit. 16.
g 27. moral. c. 5. & 6. vel tantùm 5.

Thaumaturgus nouam vult esse reprehensionem vanæ astrologiæ, & syderalis coniectationis, propter quam abstinuerit non nemo in nubes intuens, ac ventos verens, à messe, atque ventilatione, ignarus quæ facturus sit Deus; sed & quid mulier prægnans pariet ignorans. Paraphrastes Chaldæus expressit eandem sententiam, nominās ariolos & incantatores (*vir qui obseruauerit incantatores & ariolos, non faciet bonum in seculo: & qui studet in astris, non congregat mercedem: etenim incantatores & arioli assimilantur vento, qui non apprehenditur manibus filij hominis: & astra assimilantur nubibus cœli, quæ eunt, & non reuertuntur.*) Idem placuit Athanasio [a], & Hesychio [b]. Non dubito primum præferre sensum, vt planiùs, commodiúsque prioribus ac posterioribus adhærentem. Omne quidē opus meritorium gloriæ semen est, necnon in hac vita frugum iustitiæ nostræ [c]: peculiare tamen id eleemosynæ, de qua Paulus [d]; *qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* In reliquis operibus videmur quodammodo percipere fructum, dum ea facimus; at eleemosynam facientes proiicimus quodammodo, sed frugem postea diuitem recepturi. [Est liberale officium, ait M. Tullius [e], serere beneficium, vt possis metere fructum.]

a in synopsi.
b lib. 6. in Leuit. c. 19.
c 2. Cor. 9. 10.
d ibid. 6.
e orat. ad populum tacentium.

Extra fortunam est quicquid donatur amicis,
Quas dederis, solas semper habebis opes [f].
Hoc habeo quodcunque dedi, ———

f Mart. lib. 5. Epig. in 43.

ait apud Poëtam Rabirium M. Antonius. Hos appellabat Alexander thesauros suos [g], qui cùm res postulet, redeant cum fœnore: negabat Seneca [h] res nostras esse nostras, nisi dando. Lege Rhodiginum [i]. Delectant me versiculi Itali, quos in Mediolanensi villa suburbana legi:

g Plutarch.
h 6. de benef. c. 3.
i lib. 20. c. 24.

Tanto io penso che sia mio,
Quanto io godo, & do per Dio.

Cæterùm obseruatio venti, nubiúmque consideratio non omnis, sed immodica reprehenditur. *Omnia tempus habent* [k], quod obseruare, & considerare, singularis prudentiæ, ac sapientiæ est. Agricolæ sationi, messíque suum dant tempus; verùm sine cura curam impendunt.

k sup. 3. 1.

Et dubitant homines serere, atque impendere curam [l]? exclamat Virgilius cōtra socordiam rusticorum, rei rusticæ vtilitatem cùm demonstrasset. Multo id meliùs, ac veriùs de disseminatione beneficentiæ.

l 2. Georg.

Non seminat.] Alij in futuro (*non seminabit*) sicut & eadem editio vulgata sequens verbum reddidit per futurum (*metet.*)

Nunquam.] Sensum verum expressit Interpres: alioquin sola hîc negatio est, non autem aduerbium temporis (*nunquam*) tum in Hebræo, tum in Græco textu. Locus hic, & occasio de capranda, nec omittenda occasione disserendi. Ioannis Dauid nostri de ea re tractatus extat pius, & eruditus. Lepidum est Hispanorum adagium à Delrio [m] item nostro recitatum;

m tom. 1. adag. 334.

Quien tiempo tiene
Y tiempo pierde:
Tiempo le uiene
Que se arrepiente.

Affert idem præterea ex Columella [n]; Fauonium operiri lenti est agricolæ; ex Xerxe apud Herodotum [o], non omnia reformidanda, nec singula peræquè consideranda; nam qui velit in rerum consultatione omnia perindè considerare, nunquam aliquid effecturum. Semper aliqui consulunt, consultant, deliberant, disquirunt, examināt, ponunt consilia in anima sua [p], & cum Thalete dicunt, οὔπω καιρός, *nondum est tempus*; lapsa verò demum commoditate, occasione, opportunitate, serò, & cum dolore coguntur dicere, οὐκέτι καιρός, *non amplius tempestiuum est.*

n 1. de re rust. c. 11.
o lib. 7.
p Psal. 12. 3.

Vers. 5.]

Verſ. 5.] Quo modo ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis; ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium.

EX ignorantia harum aliarumque rerum naturalium probat ignorari à nobis diuinam voluntatem circa euentus futuros. Neſcimus viam animæ ingredientis in paruulum, & oſſium, ac venarum varietates in ventre prægnantis, quomodo ex vili elemento corpus hominis in diuerſas effigies artúſque varietur, &c. ita nec timenda tibi contraria, nec temere de ventis ac nubibus iudicandum, id eſt, de variis hominum euentibus, quæ pendent ex Deo. Sic Hieronymus, Albinus, alij. Bonauentura vocabulo *ſpiritus* comprehendit etiã Deum, & ventum, quorũ omniũ origo ſit nobis incognita, vel exacta natura. De his tribus auctores ſunt, qui quod Chriſtus dixit [a], interpretãtur; *Spiritus vbi vult ſpirat, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat.* Carthuſianus addit de anima, neſcire nos, eius an operatio procedat ex charitate, an non. Non videtur adeò propoſito quadrare, vt pro Deo ſpiritus accipiatur hic; vt indicat tamen etiam Thaumaturgus: fit enim comparationis accommodatio ad Deum ipſum; ſed & de anima per ſe mentio eſt, quoniam ſimul agitur de oſſium compactione intra matris ventrem. Hac ratione Chaldæa paraphraſis locum hunc expreſſit. Vatablus id latius ducit, Caietanus, Clarius, Titelmannus, Moringus, Lyranus, gloſſa interlin. & ordinaria, Sa, & quodam loco Salmeron [b]. At Symmachus ἄνεμον vertit, id eſt, *ventum*, vt poſtea dicemus. Hinc efficitur, vt, quod eſt priùs indicatum, benignè cunctis facere debeamus, & vbique, & ſemper, depoſito vano metu futuri vel imbris, vel venti, &c. quando latet nos velítne cooperatoribus nobis Deus vti in eo, quod ipſe decreuit opere; contra certum ſit, Deum cuncta temperare, pro vt ad ſalutem nouit expedire, pluuias, ventos, ſerenitatem, multóque magis effecta alia ſpiritualia. Quare dum adeſt rei opportunitas, amplectendam, negotij committendum euentum Deo. Olympiodorus in hoc ſolùm diſcrepat, quòd explicet neſcire eum qui diſquirat cui conferat eleemoſynam, vtrùm Spiritus, videlicet ſanctus, viuificet eum, quem ille fortaſſe putat iniuſtum, vel repellat à ſe, quem iuſtum exiſtimat. Sed iam oſtendi, hoc minùs ad rem eſſe, niſi myſticè locũ declaremus. Eſaias Abbas [c] per quandam accommodationem vtens hoc loco, ait quòd ſicut ſancta Virgo geſtauit Dei Filium; ita qui Spiritus ſancti gratiam accipiunt, concipiunt, & geſtant illum in corde ſuo.

a Ioan 3.8.
b tom. 8. tract. 3. in Ioannem.
c orat. 19.

Quomodo ignoras.] Græcè (ἐν οἷς οὐκ ἔστι γινώσκων, *in quibus nõ eſt cognoſcens*) Aquila (ἐν ᾧ οὐκ εἶ σὺ εἰδώς, *in quo non es tu ſciens*) Symmachus (μὴ οἶδας πότερον παρέσται ὁ ἄνεμος, *non noſti vtrùm aderit ventus.*) Videri poſſet nata diuerſitas ex vno Hebræo elemento, quod facili flexu modò eſt ב, modò כ, & priore forma vim ſimilitudinis habet, poſteriore præpoſitionis (*in.*) Obſeruatum tamen præpoſitionem Græcam ἐν, cum datiuo οἷς, eum vſum habere, quem Latinus expreſſit Interpres.

Quæ ſit via ſpiritus.] Symmachus, vt iam dicebam, ἄνεμον vertit, & ſic alij quoque ſunt arbitrati de vento ſermonem eſſe. Perſiſto in ſententia, aptiùs intelligi de anima, nec ita bene de Deo, vt de vento (*quemadmodũ non cognoſcis*, ait Paraphraſtes Chaldæus, *quoniam modo ibit ſpiritus animæ vitæ in corpus infantis abortiui qui manet in vtero matris ſuæ prægnantis.*) Conſtat רוח *ruach*, licet pro vento ſumatur, & pro Spiritu ſancto, tamen pro reſpiratione quoque, omníque anima, tum etiam pro rationali, necnon & pro aliis ſumi rebus, pro vt exigit ſententiæ contextio.

A

Etſi porrò difficultas viam ſpiritus, id eſt, animæ, quæ ſit, cognoſcendi, ſicut & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis, locum habeat in cuiuſlibet animalis generatione, loquitur tamen Salomon de homine; nec dubiũ quin huius generatio difficilior ſit ad intelligendum, vel ratione corporis perfectioris, vel maximè ratione animæ, quæ ſpiritualis eſt, ac rationalis. Teſtes Philoſophi maximi Plato [a], Ariſtoteles [b], qui ſcientiam hanc inter difficillimas cenſuerunt, & prior ad eius acquiſitionẽ opus diuino quodam verbo, id eſt, reuelatione. Sumus & hoc experti, & inextricabiles propemodum difficultates aliquando propoſuimus, & pro viribus expoſuimus, reuelato quidem plurimùm lumine adiuti, ſed quod cum naturali penitus conſentire demonſtrauimus, ita vt hoc ipſum per ſe animæ noſtræ naturam omnem naturaléſque proprietates comprehendere ſatis queat, ac verum vero belliſſimè conueniat, & nihil reuelatum naturali repugnans lumini, nec in aliis, nec hac in re contineat. Lege decretum Concilij Lateranenſis ſub Leone X.

B

a in Phædone.
b 1. de anima tex. 4.

Summo vir ingenio, iudicióque Auguſtinus acerrimo, cui prorſus non video quem audeam præponere, valdè anxius fuit ſemper de animæ potiſſimùm origine, tandémque lucubrationes reuocans in iudicium, & retractans, hoc modo ſuam de ea ingenuè profitetur inſcitiam [c]. [Nam quod attinet ad eius originem, qua fit vt ſit in corpore, vtrùm de illo vno ſit qui primùm creatus eſt, quando factus eſt homo in animam viuentem [d] (hoc vnum vocant fieri de traduce) an ſemper fiant ſingulis ſingulæ (de nihilo) nec tunc ſciebam (tot in locis, quibus ea de re diſſerui etiam cum Hieronymo [e]) nec adhuc ſcio.] Sic pronunciat de ſcriptis, quæ presbyter edidit: in catalogo autem eorum, quæ iam Epiſcopus, idem ſe neſcire adhuc teſtis eſt, attamen ſcire non corpus eſſe, ſed ſpiritum [f]. Nam de immortalitate non dubitauit vnquam, nóſque etiam ſuperiùs capite tertio Caietanum redarguimus aſſerẽtem nulla ratione demonſtrari naturaliter poſſe. Auguſtinũ duplex premebat ratio, tum quòd omnia Deus initio creaſſet, ceſſaſſetque die ſeptimo [g], tum quia non videbat quo pacto ſi non propagarentur, vt de corpore primi parentis corpora, ſic animæ noſtræ de anima, in animas transfunderetur originalis culpa; quæ non in corpore, ſed propriè reſidet in anima. Veruntamen ipſamet immaterialitas animæ, quam concedit Auguſtinus [h] damnans Tertullianum [i], profectò conuincit, cùm denuò fit id quod non antè fuit, vt ſenſit Origenes [k], procreari de nihilo, ad eum prorſus modum, quo primorum animæ noſtri generis auctorum. Extremo capite libri huius [l] rediturus dicitur ſpiritus ad eum qui dedit illum, non ſecus quàm corpus in terram, vnde erat. Qui locus debuit perſuadere Auguſtino [m], licèt is conetur euadere. Nos eum poſtea magis expendemus. Chriſtus [n] ipſe communem ſenſit nobis eſſe de anima difficultatẽ, quo pacto corpori iungatur, abiungatur, vitam communicet præſentia, mortem efficiat abſentia; vocem quidem eius

C

D

E

c 1. retract. c. 1.
d Gen. 2. 7.
e epiſt. 7. & 28. præterea epiſt. 157. & 5. de Baptiſ. paruul. c. 10 & 10. Geneſ. ad lit. c. 1. 2. 3. & 4.
f 2. retract. c. 56.
g Gen. 2. 2.
h lib. de hæreſib. c. 86.
i lib. de anima.
k teſtes omnes hæreſeologi.
l verſ. 7.
m 10. de Geneſ. ad litter. capite 9.
n Ioan. 3. 8. 4. 10. 11.

A audiri, dum loquitur homo, rugit leo, equus hinnit (videtur namque generalius de omnis animalis anima loqui) ſed neſciri vnde gignatur, in quid anima deſinat, quomodo ingrediatur in corpus, vel ex eo egrediatur: non mirum ſi ſpiritualis generationis Nicodemus rationem minùs aſſequeretur. Sic ſententiam quidem Chriſti declarauit Maldonatus [a], meo iudicio non improbabiliter; dicíque hunc ſpiritum vbi vult ſpirare, non quia ſuo ingrediatur, vel egrediatur arbitrio in quæcunque, vel ex quibuſcunque corporibus; verùm quoniam non pendet ex eius qui generatur cognitione, atque iudicio; & inſcij gignimur, neſcientes nolentes morimur.

a in Ioan. & apertè ſuert hoc loco Eccleſiaſtes, Hugo Card.

B *Et qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis.*] Addit Chaldæus (*an mas, aut fœmina fuerit quod naſcatur.*) Formatio fœtus meritò ab omnibus Philoſophis, Mediciſque [b], præſertim anatomicis, & Cicerone [c], & Lactantio [d], Alchimo [e], aliiſque, qui diſſerunt de hominis opificio, naturæ opus eximium, ac propè diuinum iudicata eſt.

b vt Galenus de vſu partium.
c 2. de nat. Deorum.
d de opific. Dei.
e libr. 1. de primo parte. creat. c. 4. 5. 6.
f Pſal. 138. 15. 16.

Multa præ cæteris in accurato de octimeſtri partu opere Federicus Bonauentura. Vt rem vni Dei reſeruatam ſcientiæ Dauid [f] cecinit; *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ: imperfectum meum viderunt oculi tui*; hoc eſt, non incognita tibi oſſium compactio meorum, membrorúmque omnium C interiorum in abdito ventris materni (ſic vertit Chaldæus) ceu in terræ penetralibus; vbi ipſe acu pictus ſum veluti phrygionico opere, quod attinet ad neruos, carnes, oſſa, cutes, [illegible] *rukkamthi*, Hieronymus, imaginatus ſum, id eſt, factus, vt imago (vnde quod vulgò vocatur *ricamo*) embryonem ipſum, corpúſque nondum in ſua diſtinctum organa progreſſu temporis videns tuæ prouidentiæ efficacibus oculis efformaſti.

Audi Iob diſtinctiùs exponentem ipſimet fictori, ac factori ſuo admirabile in ſuo formando corpore ceu artificium [g]: *Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me* (ſubtili, delicatóque opere, licèt fragili.) *Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum* D *me coagulaſti?* (ſubigendo veluti lutum ipſum, & tractando, & macerando, ac molliendo.) *Pelle, & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & neruis compegiſti me* (aptè ſingula diſtinguendo, ac formando interna, externa membra, partem luteæ materiæ molliorem conuertendo in carnem, duriorem in oſſa, leuiorem in cutem, flexibiliorem in neruos, molliſſimam in medullas.) *Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi* (viuificando, & animando ſic præparatam, organizatámque materiam, ídque ſingulari, miſericordíque tua, & prouidentia, quæ fœtum intra viſcera materna conſeruauit) *& viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum* (tua illa eadem prouidentia vitam hanc meam, dum clauſtris adhuc teneE ter maternis.) Deus ipſe tribuit ſibi hanc formationem fœtus in vtero [h]: Dauid rurſum Deo [i], necnon Machabæorum [k] genitrix ſimul profitẽs neſcire ſe modum. *Neſcio*, inquit; *qualiter in vtero meo apparuiſtis: neque enim ego ſpiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi: ſed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem*, &c. Cùm negat ſe animam dediſſe, vidit Auguſtinus [l] oppugnari propagationem animarum, nec ſatis ſanè argumento reſpondit; ſolùm dixit: nouimus hæc quidem, ſed huic quomodo ſuffragentur ad id quod aſſerit, non videmus. Quis enim Chriſtianorum neget Deum donare hominibus animam

g Iob. 10. 9. 10. 11.
h Ierem. 1. 5.
i Pſal. 21. 10.
11 Pſal. 118. 73.
k 2. Machab. 7. 22. 23.
l 1. de anima c. 14. & 15.

A & ſpiritum? At plus voluit ſapiens & pia fœmina (quod attinet ad animam) quàm quod commune eſt omni viuenti, vt vitam a Deo tanquam à cauſa prima recipiat. Lege de controuerſia iſta, de qua priùs quoque memini, Toletum [a]. Ioſephus autem Gorionides [b] eádem fortiſſimæ mulieris orationem ſic paulo pluribus recitat. Filij, ego mater veſtra, Deus creauit vos, & ſpiritum animæ dedit in vos, & idem ipſe vos magnos & excelſos, oſſáque veſtra fecit, & neruos texuit, & pelle deſuper texit, & inſpirauit in animam veſtram ſpiritum [c], ceu animam, vel anhelitum vitæ: ipſe, inquam eſt, qui omnia hæc vobis dedit, &c.

a 2. de anima propoſ. 4. inter eas quæ ſunt fide tenendæ. & lib. 3. q. 17.
b lib. 3. c. 6.
c Geneſ. 2. 7.

B (*compingantur.*] Addidit Interpres hoc verbum perſpicuitatis cauſâ, reliquæ editiones habent duntaxat (*ſicut oſſa*, &c.)

Sic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium.] Hebraicè, & Græcè (*quæ*, vel *quæcunque faciet omnia*) Chaldaicè (*in ſapientia.*)

Verſ. 6.] Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua: quia neſcis quid magis oriatur, hoc, aut illud: & ſi vtrumque ſimul, melius erit.

C PRimo loco, tanquam maximè literali ſenſu de beneficentia Hieronymus interpretatur, ne quis ab ea ceſſet, non manè, non veſpere, quoniam conſtare non poteſt quod magis Deo placeat opus, vel ex quo cuiuis fructus præparetur iuſtitiæ; ac vtrumque poſſet ei placere. Deinde generaliter de quolibet opere bono, quod nimirum quiſque, non ſenex minùs exercere, quàm adoleſcens debeat, incertus qua placeat in ætate Deo. Tandem de vtroque Teſtamento, quod eſt veluti ſerotina, & tẽporanea pluuia, vt ſociemus vtrumque Teſtamentum, & quaſi corpus vnum efficiamus, & ſalutarem inde intelligentiam hauriamus, neſcientes in quo magis nobis ſcientia D tribuatur à Deo, & gratia. Expoſitio ſecunda placuit Bonauenturæ, Paulum [d] citanti; *Bonum facientes non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes.* Eadem mens Carthuſiani, & Olympiodori. Hic Chriſti memorat ſententiam [e]; *operamini donec dies eſt*, monétque ne quis ætatẽ ſibi longiorem fruſtra pollicitus, in grandiorem differat virtutis exercitium, & pœnitentiam, ſed nunquam remittat, iugitérque precetur Deum, cuncta Maieſtati, ac bonitati eius vt grata ſint, quæ operabitur. Lyranus recipit ſenſum primum: veſpertino autem ſeneſcentis ætatis tempore beneficentiam commendari, quia tunc ſunt homines magis tenaces, plus comparantes viatici, quo vitæ viræque minus eſt. Conuenit Caietanus. ExtenE dit Hugo ad verbi diuini prædicationem, quæ nullo non tempore ſit vſurpanda, ſeu ſenex ſit quis, ſeu iuuenis, dummodo Prædicator ieceri priùs in proprium cor ſalutarem doctrinam; quoniam plerumque contingit, vt vberior eliciatur fructus tum cùm quis minùs expectat, ac verſa vice. Nulla vacatio nato ad laborem [f]; ſed *exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam* [g], in qua redditur merces [h]. Nec in proſperis, nec in aduerſis intermitti virtutis opus debet, nullum excipiendum tempus, nulla prætereunda occaſio, vt ſi priora Deo forſitan minùs probata ſunt, placeant certè poſteriora, vel poſtrema: quòd ſi omnia, ô nos perbeatos! Nimis

d Gal. 6. 9.
e Ioan. 9. 4.
f Iob. 5. 7.
g Pſ. 103. 23.
h Matt. 20. 8.

profectò

profectò angustè, minùs angustè Chaldæus restrinxit hunc locum ad coniugalia (*in die iuuentutis tuæ accipies*, inquit, *& gignes filios: & in tempore senectutis tuæ ne dimittas uxorem, quæ est pars tua, quominùs generes filios; etenim non notum est tibi quisnam ex illis electus sit, vt sit bonus, hic an ille, an ambo boni*
a lib.5.c.13. *pariter sint futuri.*) Tolerabilior apud Galatinum [a]
b c.35. ex beresceith [b] rabba R. Akiba. [Si fuerint, ait, tibi discipuli in adolescentia tua, instrue quoque discipulos in senectute tua: nescis enim quos illorum ascribet tibi Dominus, vel verùm omnes erunt simul boni.]

Manè, & vespere.] De his dictum capite præ-
c Vers.16. cedente [c]. Symmachus nominibus vtitur feminis epithetis πρωΐμη καὶ ὀψίμη. Manè, & vespere quan-
B do coniunguntur, denotāt diuersa tempora, temporúmve opportunitates diuersas: tum id quod præcedit, tum id quod sequitur, vt quando Benjamin lupo similis rapaci dicitur, manè comesturus
d Gen.49.27. prædam, & vespere diuisurus spolia [d]: perpetuitatem quoque quā duam in ipsa vicissitudine, qualis est in recurrente nocte, ac die; quoniam ex his
e Psal.1.118.91. compositus dies Dei ordinatione perseuerat [e].
f Psal.129.6. Quo sensu hortatur Dauid [f], vt *à custodia matutina vsque ad noctem* (sine dubio ab hac etiam vsque ad illam) *speret Israel in Domino.*

Ne cesset manus tua.] Sic etiam Symmachus (καὶ μὴ καταλιμπανέτω ἡ χείρ σου) quod vetus translatio
C reddit (*ne dimittas manum tuam*) & passiuè verti potuisset (*ne dimittatur*, aut *ne dimittat se*) Septuaginta (*μὴ ἀφέτω, ne remittat*, &c.) Hebraicè (אַל־תַּנַּח *al thannach, non quiescere facias.*) Manus mentio indicat probabile non esse paraphrasim Chaldæam, sed exponere debuisse de semine, quod agricola manu terræ mandat. Quamquam nō ignoro, quia manus instrumentum est commune ad plurima, ea nos operari Scripturam dicere, vel illam non cessare, quodcunque tandem sit opus, nō tantùm corporis, sed animi etiam. Importat præterea *manus* vox alacrem, ac spontaneam operam, ita vt cessare illam sit non in totum vacare, sed, quod alios interpretatos dixi, remittere, virésque sicut
D possis non exercere. Vnus habet manus homo,
g lib.11.c.43. sicut Plinio [g] meliùs docuit Galenus [h], tanquam
h 1.de vsu part.c.1.lib.17.c.2. sapientissimum cunctorum animaliū, atque prudentissimum. Confirmat id auctoritate Anaxago-
i 4.de part. animal.c.10. ræ Aristoteles [i], ac sigillatim recenset quæ commoda corpori, animóque proueniāt ex manibus.

Quia nescis quid magis oriatur.] Vetus translatio (*quid placeat*) Hebræa (*si hoc rectum erit, an hoc, vel illud*) seu, an congruū erit, dirigetur, strenuè, aptéque proueniet: hęc enim omnia significātur verbo בָּשֵׁר *chascher.* Græca (ποῖον στοιχήσει, *quale*, vel *quid*, seu *vtrum rectè procedet*) Aquila (εὐθύνει, *proficiet.*) Symmachus (εὑρήσει, *reperies*, vel *assequetur*) nimirum manus tua. Oriri quandoque significat non simpliciter produci, sed feliciter prouenire.

Et si vtrumque simul, melius erit.] Hebraicè (*& an ambo ipsa, sicut vnum bona.*) Id potest ex verbo (*nescis*) pendere, id est, nescis an vtrumque sit futurum paris bonitatis, an vnum æquè ac alterum. Sed interpres videtur alium sensum intendere, licèt non valdè discrepantem; quòd si vtrumque semen prosperè natum fuerit, eò melius; non erit pœnitendus labor, nulla iactura seminis, fructus existet vberior (καὶ ἐὰν τὰ δύο ἐπὶ τὸ αὐτό, ἀγαθά.) Legisse videntur בְּאֶחָד *beechar* cum ב, vetus translatio cum כ, כְּאֶחָד *checchar* (*& si vtrumque*, inquit, *quasi vnum bonum est*:) sed Hebraicum nomen est plurale טוֹבִים *tobim.* Tamen sicut vnum, vel in
A vnum, valent idem quod simul, & pariter, & iuxtà, & æquè, &c. & positiuum *bona* sumi potest, vt sæpe fit, pro comparatiuo.

Vers. 7.] Dulce lumen, & delectabile est oculis videre Solem.

DEinceps institui videtur sermo de diuino iudicio, quod incutere nobis timorem debeat. Ducitur autem principium ab expositione felicitatis externæ, quæ sua dulcedine remouere nos ab eo solet timore. Hoc etiam continet versus sequentis pars prior, quæ meminit de longiore, ac hilariore vita. Tamen Hieronymus, & quos
B antea retulimus, explicantes benignè aliis faciendum, vel generaliter in omnis virtutis opere persistendum, vel vtrique studendum, & vacandum Testamento, volunt proponi nunc præmium visionem dulcissimi luminis, qui est Deus Pater, & Christi, qui est Sol iustitiæ. Paraphrastes in visione Dei concordat, & perspicuè hāc beatitudinem exprimit, quod Hebræorum vix vllus (*& dulcis est lux, & bona ad illuminandum oculos caligantes, vt videant gloriam faciei maiestatis Domini, quia futurum est vt illuminentur facies iustorum ex splendore maiestatis eius, & vt sit pulchritudo eorum vt Solis.*) Olympiodorus lumine isto ac Sole ait magis exprimi manè illud, quo nobis docebat Ecclesiastes seminan-
C dum, videlicet internum splendorem, quo suauissimè noster illustretur intellectus, cognoscátque quid sibi sit ad increati voluntatem Solis agendum, quid omittendum; sed & præterea iucundissimè in hac vita, quam experiuntur alij molestam, contempletur res pulcherrimas à materia seiunctas: reputet etiam animo quibus impij sint olim in alia vita tenebris inuoluendi; quod vt periculum vitet, interim studeat malum declinare, persequi quod bonum est. Hugo Cardinalis affert similia isti ac primæ sententiæ. Existimat Gregorius Ponti, siue Neocæsariensis, siue Thaumaturgus, proponi voluptuosi hominis argumētum, ac refelli: illum quidem delinitum pulchri-
D tudine ac suauitate Solis, longioris vitæ, bonorum cæterorum præsentium, deterritum morte, decernere satius frui his commodis, idque cæteros iuuenes, vt faciant, adhortari: tamen insanire, nil cogitantem de Dei hęc omnia vindicaturi iudiciis; & quàm turpis ac stolida, & exitiosa talis viuendi ratio. Vatablus ait concisam esse sententiam, vt in rebus, quas præ mœrore dicere non possumus, quasi hoc velit Ecclesiastes. Vt gratissima res sit lumen, & iucundum oculis aspicere Solem; sed moriendum tamen. Placet verò etiam hac Solis commendatione lucísque liberalitatem in pauperes commendari, vtpote quæ vitam iis
E velut tribuat, faciátque vt viuentes diuinam lucem inquirant, ac diuinum numen venerentur. Innuitur præterea præmium liberalibus propositum, vt cùm aliis communicauerint, cumulatiore ipsis mensura reddatur: & effundentibus esurienti animam suam, & animam afflictam replenti, oriatur in tenebris lux, & tenebræ sint sicut meridies [a]. Tandem tacita expostulatio est ad- a Esa.58.10.
uersùs locupletes, lucis huius vsura copiosè perfruentes, id est, vita, & vitæ commodis, vt cum cæteris, quibus facultas deest, participent; neque, quod natura commune fecit, proprium, ac priuatum velint esse. Sic enim Deus *oriri Solem suum super omnes facit bonos, malósque, & pluit super iustos, & iniustos* [b]. b Matth.5.45.

Dulce

A *Dulce lumen.*] Nihil refert quòd hîc desit coniunctio (*&*) quam cæteræ habent editiones. Describitur autem felix vita per luminis, Solísque visionem, sicut & contraria per tenebras, tenebrosúmve tempus infelicitas, necnon per eclipsim. Symbolum felicitatis Iosepho fuit videre Solem, Lunam, stellas, quæ ipsum adorabant [a]: & hoc forsitan voluit Iob negans se Solem vidisse cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè [b], id est, elatum nimia felicitate. Quamquam plurimæ gentes pro Numine Solem colerent, ac multitudinem quoque plurium Deorum ad eum reuocarent, vt est auctor Macrobius [c], & indicat liber Sapientiæ [d]: & sic sponsæ in Canticis [e] verba Chaldæus interpretatur, ac Theodoretus; *Nolite me considerare, quòd fusca sum, quia decolorauit me Sol*, id est, Solem, & Lunam colui: idcirco etiã auersa B facie ab Oriente Iudæi Deum venerabantur ad Occidentem conuersi, cuius contrarium ipsis exprobrat Ezechiel [f]: nihil præterea ferè festiuè celebratum à piis impiísque cultoribus absque lumine accenso [g]: & dator munerum Deus, idem cognominatur Pater luminum [h]. Expressior nulla inter corporatas res imago Dei quàm Sol, teste Dionysio [i]: dicitúrq; lux propria possessio ipsius [k], & ea amictus vt vestiméto [l]; quale circumposuit quoque sibi summus Rex Christus (qui se mundi nominauit lucem [m], sicut & Plato [n] lucem & Solem boni ipsius filium) facie collucens etiam vt Sol, cùm transfiguratus est [o]; & Mosis illuminauit vultum Deus [p], cui promiserat omne bonum [q]. C Tandem res omnes Hebræi prosperas lucem appellant, vt aduersas nomine tenebrarum [r]: & filios lucis qui Deo sunt similes [f], oppositos filiis huius seculi [t], vbi potestas tenebrarum [u], & earundem princeps diabolus [x]. Ipsum hominem, quem nescio quis Philosophus [y] natum dixit ad intuendam Solis lucem, Græci à lumine φῶτα nominauerunt, quasi sit μόνος τὰ τῆς διανοίας φωτίζων τῷ λόγῳ, vel, vt ait Nazianzenus, διὰ τὴν τοῦ λόγου δύναμιν [z]. Hoc est lumen vultus diuini signatum super nos [a]; quem vultum, quoties fauet Deus, illustrare, & illuminare dicitur super nos [b]. Hæ omnes loquendi formulæ liquidò demonstrant nihil corporata luce dulcius, nihil delectabilius, nihil præstantius, quod ideo transferatur D ad res spirituales, intérque illas ad principem Deum luculentiùs declarandum: nam nihil luce mundius, pulchrius (pulchritudinem, ac ornamentum omnis visibilis creaturæ Damascenus [c] appellat) efficacius, lætius, delectabilius, ditius, nihil quod priùs distinctè cõdiderit Deus (oportuit præire lucem, vt reliquum appareret opus Dei [d], dierúmque distinctio, quibus per partes id oportebat creari) nisi quis Angelos excipiat cum Græcis auctoribus, quos ipsos tamen Angelos alij *lucis* vocabulo comprehendunt. Plures lucis laudes citatus Dionysius [e] persequitur, & ad quatuor supra triginta proprietates eius, & ignis enumerat, diuinis rebus Deóque congruentes. E Nos ipsi hoc egimus in scholis physicis, & nonnulli auctores propriis tractatibus de lumine; præsertim Ficinus, quem etiam lege in opere de philosophia Platonis [f]: necnon qui Genesim interpretantur, & canticum trium puerorum, præcipuè in glossa sua magna super Genesim Ascanius Martinengus. Quid mirum, si senior Tobias gaudium imprecanti responderit [g]; *Quale gaudiũ mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Claudat húc locũ Poëta Christianus Dracõtius [h]:

a Gen.37.9.
b c.31.26.
c lib.1.c.21. 22.23.
d c.13.2.
e c.1.6.
f c.8.16.
g Tertul.2.ad vxorem.
h Iacob.1.17.
i c.4.de diui. nom.
k Iob.36.33.
l Psa.103.2.
m Ioan.8.12.
n 6.de Rep.
o Matt.17.2.
p Exo.34.29.
q Exo.33.19.
r Esa 8.20.c.9.2.c.50.10.c.60.1.Ps.42.3.Psal.96.11.
f Luc.14.8. Ioan.12.36. Ephes.5.8.1. Thes.5.5.
t Luc.14.8.
u Luc.22.53.
x Ephe.6.12.
y Anaxagoras apud Diogenem Laertium.
z citat auctor Thesauri Græci.
a Ps.4.7.
b Ps.30.17.
c 2.de fide. c.7.
d 4.Esd 6. 40.
e de diuin. nom.c.4.& de cæ. hier.c.15
f lib.15.c.5.
g Tob.5.11.12.
h 1 hexam. tom.8.Bibliothe.Patrum.

A *Prima dies lux est terris, mors vna tenebris,*
Lux datur ante polum, lux clara est causa diei,
Lux iubar æthereum, lux noctis limes & vmbra,
Lux facies rebus cunctis, & lux elementis,
Lux genitis, factisque calor, lux gratia Solis:
Lux decus astrorum, lux aurea cornua Lunæ,
Lux fulgor cæli, lux & primordia mundi,
Lux splendor flammæ, lux magni temporis index,
Lux honor agricolis, requies lux omnibus agris,
Lux opus auctoris primum, candórque pudoris,
Lux anni, mediis dat lux quoque tempora metis,
Qua bene constructa mundi primordia lucent.

Quocirca oportet præuenire Solem ad benedictionem Dei, & ad ortum lucis illum adorare [a], vt pluribus in eius loci cõmentario exponemus.

B *Delectabile est oculis videre Solem.*] Præter ea, quæ de lucis iucundissimo dicta sunt aspectu, Ambrosium [b] lege, Dei visionem cum Solis cõparantem, ac infinitis partibus præferentem. Solem cælestis fontem lucis Heraclitus vocabat [c], & cor cæli: Chalcidius [d], & Plinius [e] totius mũdi ceu animalis & cor, & animam, syderum, cælique rectorem, naturæ regimẽ ac numen: Cicero [f] principem syderum; pluráque de eodem disserit præter alios Ficinus [g]. Sed nihil, si de laudibus agitur Solis, afferri melius potest, quàm quæ sacris literis continentur, quæ Gigantem enim nominant ac sponsum [h], propter velocitatem motus, magnitudinémque corporis, & propter pulchritudinẽ: vas admirabile, atque opus Excelsi [i], C ob elegantiam, præstantiámque opificij (ita vt Christus peculiariter asserat Solem suum, id est, Dei [k]; & Varro [l] Latinè dictum diem quasi à Deo, vel, vt ait Festus, quòd diuini sit operis, vel à Ioue, quem Δία nominant:) exurentem terram, ita vt non sit, qui in conspectu ardoris eius possit sustinere [m], vel se abscondere à calore ipsius [n]: radios igneos exsufflantem, & refulgentem radiis, oculósque obcæcãtem [o], quia calore præditus est eximio, lumine præstanti: in sermonibus suis festinantem iter [p], quoniam, vt dixi, celeriter agitatur. Tanta Solis dignitas compulit multos, vt antè monui de luce disserens, ad eum pro Deo colẽdum, & præmoniti licèt Iudæi ne id facerent [q], fecerunt tamen: imò nonnulli D postea hæretici [r], & nonnullam præ se speciem Catholici ferebãt, quos Leo reprehendit [f], quòd antequam intrarent in Petri basilicam, conuerso corpore sese venerabundi reflecterent ad Solem. Multa memorat Herodianus [t] de superstitioso cultu Solis apud Syros, Phœnices, Palæstinos.

Tribus nominibus Hebræi Solem appellant, vt notat Hieronymus [u], חַמָּה, חֶרֶס, שֶׁמֶשׁ, *chammah, cheres, schemes.* Chammah dicitur à calore; Cheres ab ardore, & exsiccatione; Schemes à lucis ministerio, per quam in res omnes naturales operatur, & quia est generalis quidam Dei minister ac naturæ. Græcum potissimum vocabulum est ὄλιος, quod etsi deriuant alij aliunde, tamen Dio- E nysius [x], & Plato [y] quasi παρὰ τὸ ἀολλεῖν, siue ἀολλίζειν, quod est συνάγειν, in vnum cogere, & congregare homines simul atque exoritur, vel ἀπὸ τοῦ ἀλλοιοῦν, id est, ab alterando quæ oriuntur è terra. Postremò Latinè Sol ideo dicitur, inquit Latinissimus auctor Cicero [z], vel quia solus ex omnibus syderibus est tantus (id non est verum) vel quia cùm est exortus, obscuratis omnibus solus apparet. Legendus quoque de Solis encomio Trismegisti Pimander [a]. Omnes filij Dei iubilauerunt [b] (hoc est, Angeli principio creati mundi)

a Sap.16.28.
b 4.hexam. c.1.
c Macrob.1.in somnium Scipionis.c.20.
d in Timæũ Platonis.
e lib.2.c.6.
f 2.de nat. Deorum.
g lib.de Sole.
h Ps.18.7.
i Eccli.43.2.
k Matt.5.45.
l 3.de lingua Lat.
m Eccli.43.4.
n Ps.18.7.
o Eccli.43.4.
p ibid.5.
q Deut.4.19.
r refert Leo Mag.hom.2. de natiui.&7.
f eadem hom. 7.
t lib.4.&5.
u in c.25.Esaiæ.
x de cælest. hier.c.15 & de diui.nom.c.4.
y in Cratilo.
z 2.de natura Deorum.
a c.5.
b Iob 38.7.

Deúmque laudibus hymnísque prosecuti sunt potissimùm, vt placet Chrysostomo, & Anastasio Synaitæ [a], propter Solis, ac reliquorum astrorum conditionem.

a 4. hexem.

Quidni delectabile sit ergo Solem oculis videre? Quamquam obtutum in eum nemo defigere valet, nullus ipsum cernere seorsim per se, verùm in illuminato duntaxat corpore, cui suum ille lumen communicauerit. Qua in re Dei denotatur, qui Sol quidam censetur παμφαὴς, lucémque inhabitans inaccessibilem [b], incomprehensibilitas, vt nec videri quidem per se sine diuino lumine possit; quemadmodum scitè notatum est à Marsilio Ficino [c], qui Socratem quam excuset iustè [d], non laboro, dum sub dio immotis membris, inconniuentibus oculis statuæ in morem in eisdem stantem vestigiis, quousque salutaret iterum resurgentem, negat adeò hunc miratum externum Solem, sed alterum supercœlestem cũ eiusdem Patre, qui luminũ vocatur Pater, expers transmutationis, ac vicissitudinis obumbrationis [e]. Certè quod de Socrate Ficinus affirmat, pium est imitari, videlicet per sydera lem cõsiderationem, maximè Solis syderum Principis, omnis Principem conditorémque creaturæ Deũ, solum verum iustitiæ lumen, & intelligentiæ Solem [f] contemplari, laudare, venerari, diligere: quod ordinis nostri columina duo Ignatium, & Xauerium proditum est factitasse.

b 1. Tim. 6. 16.
c lib. de lumine. c. 12.
d ibid. c. vlt.
e Iac. 1. 17.
f Sap. 5. 6.

Vers. 8.] Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.

NOn eget explanatione versus hic, cuius ex dictis intelligentia peti debet. Sunt tamen qui nouæ hîc principium sententiæ faciant, vt ibidem admonuimus. Annos multos capite sexto [g] docuimus esse, quales nunc metimur cõstantes è mensibus duodecim, circiter triginta dierum, non trium duntaxat. Si amas tropologiã, lege Hugonem declarantem hæc, & priora de vita contemplatiua, & actiua, ne quis illi addictus istam deserat: de interna animi lætitia, ob gratiæ præsentiam, ac prægustum beatitudinis, necnon de tentatione, ac tristitia, vt nemo priore abusus, immemor sit periculi sui.

g vers. 6.

In his omnibus lætus sit.] Lætitia felicitatem importat, illam etiam quæ in rerum consistit externa possessione. Lætatur enim qui quas res appetit, amatve, possidet, ac fruitur. Hanc intelligit Salomon magis lætitiam, quàm quæ legis diuinę studium consequitur, sicut Paraphrastes Chaldæus interpretatur. Nam videtur deinceps cohibere nimis effrenem de rebus secundis lætitiam, quæ reddat nos improuidos, & incogitantes futurorum malorum. Ad voluptatem referuntur quælibet bona, omnia etiam peccata, quibus sese obstringit, qui huius felicitatem temporis consectatur. Testes illi, qui se in libro Sapientiæ [h] cohortantur ad fruendum bonis, &c. testis Iob [i] vocans hypocritæ gaudium: Christus tandem testis vno verbo dicens, *mundus gaudebit* [k].

h c. 2. 6.
i Iob. 20. 5.
k Ioan. 16. 26.

Meminisse debet.] Hebraicè, Græcéque (*& recordabitur*) id est, si sapit recordabitur, memor esse debebit: vetus translatio (*meminerit*) Aquila (μνησθή-

A

σεται.) Iuxta nostram vulgatam sensus est quem dixi. Symmachus ita vertit totum istum locum (*si annis multis vixerit homo, & in omnibus his lætatus fuerit, recordari debet & dierum tenebrarum, quia multæ erunt: in quibus omnibus veniet esse desinere*) quæ versio efficit eundem sensum. Vetus trãslatio magis consentanea Hebræo, Græcóque textui, nec particulam conditionalem (*si*) repetens, vel etiam subintelligẽs, pro vt nec est in illis editionibus, sic habet (*quia si annis multis vixerit homo, in omnibus his lætetur, & meminerit dies tenebrarum, quia plurimæ erunt*) & videtur efficere sensũ, vel ironicũ, sicut & sequens versus: vel sub hac hypothesi, vt lætetur quidem, sed ita vt simul meminerit, ne modum excedat, ingruentium postea malorum. Perspicacior vulgata, quæ sine ironia, seriò monet. Est homo אנוש *enos, obliuiosus*, vt placet Eusebio [a], quasi à נשה *naschah.* *Quid est homo quòd memor es eius* [b]; Ideo reuocatur, ac prouocatur ad memoriam: quod pio quoque fit Ecclesiæ instituto, dum ieiunium ineuntibus quadragesimale, cinerem super capita imponens, monet meminerint quid sint, quidve futuri sint. Incuriosam hãc obliuionem rei, vt obuiæ, sic adeò necessariæ, valdè Chrysostomus [c] exagitat.

B

a 11. de præparat. c. 4.
b Psal. 8. 5.
c hom. vlt. de Spiritu sancto. tom. 3.

Tenebrosi temporis.] Alij (*dies tenebrarum*) habent eodem sensu. Tenebras verò res aduersas denotare notatum pridem [d]. Chaldæus hoc loco (*mortem, & iudicium.*) Opponuntur tenebræ lumini, Solíque priùs nominatis. Tenebrosum tempus peculiariter status mortuorum dicitur, quibus nullus lucis corporeæ vsus, antequam videlicet resurgant. Sic Dauid [e] cecinit introëuntem in progeniis patrum suorum in æternum (nempe pro illo statu quem dixi, & naturaliter est æternus) non visurum lumen. Talis vetustioris Iob sententia; *Antequam* [f] *vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.*

C

d c. 6. 4. & supr. versu 7.
e Ps. 48. 20.
f c. 10. 20.

Et dierum multorum.] Cæteri (*quia multa erunt dies*, πολλαὶ ἔσονται) Chaldæus (*quibus iacebit mortuus in domo sepulturæ.*) Si membrum hoc distinguamus à priore, possunt multi dies accipi decrepitæ ætatis, cui proxima mors: *quod enim antiquatur, & senescit, prope interitum est* [g]: & ærumnosi dies, licèt pauci, videntur multi. Vel quia memoria retinendum vtrumque tempus tum damnationis, tum beatitudinis; illam tenebræ, hanc dies poterunt multi designare. Sed & hos intelligas malim aut de præteritis, qui vt feliciter abierint, abierunt tamen; aut de futuris, sed tenebrosis quoque, quos necessum erit malè mortuum viuere. *Cogitaui dies antiquos*, ait Dauid [h], *& annos æternos in mente habui*, faustos, infaustósque. Veniet nox aliquando, cùm nemo poterit operari [i]: sed cuique decernetur debita factis merces: nunc dies numerabiles, mensurabiles, breues, parui, pauci [k]: vnus potiùs ceu hesternus, aut custodiæ nocturnæ dies, vel sicut vmbra [l]; tunc longi, multi, magni, ac longitudo ipsa dierum [m] beatis iucundissima, damnatis molestissima. Memoria propriè præteriti est, sed cogitationem reuocare de futuro, meminisse est.

D

E

g Hebr. 8. 13.
h Ps. 76. 6.
i Ioan. 9. 4.
k Ps. 38. 6. Iob. 14. 15 Genes. 47. 9. Iob. 10. 20.
l Ps. 89. 4. 5. Psal. 101. 12.
m Ps. 90. vlt. 92. vlt.

Qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.] Reliqui (*omne quod veniet, est vanitas*) Quiuis nos occupet postea status, deprehendere nos faciet, quæ præterierint, fuisse vana. Vatablus explicat, quòd alius qui nascitur, & ipse vanitas est, non solùm is, qui iam diu vixit.

Vers. 9.] Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.

A

VEl amara ironia contra voluptuosum adolescentem, quasi manu iniecta retrahens, atque secum reputare compellens, audeátne adhuc in suo volutari cœno, mortis, iudiciique, de quibus dictum proximè, postposita memoria. Tale quid Dominus dormientibus Discipulis dixit [a]; *Dormite iam, & requiescite*, vt exponit Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus. Eadem ratione aliqui illud accipiunt per ironiam dictum; *tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: qui super tectum, non descendat in domum*, seu *tollere aliquid de domo*: vel *qui in medio eius sunt, discedant* [b]; nempe significari volunt intercludendam omnem fugæ viam; non autem quòd hortetur Christus ad fugam, vt sit sensus, siue descendant, siue non descendant, siue maneant, siue abeant, perinde fore, quoniam absque dubio peribunt. Confirmari potest hic sensus loco simili apud Amos [c]. Vel est mitius consilium, sic hilarè fruatur præsentibus bonis, vt meminerit reddendæ rationis Deo. Hieronymus caput sequens exorditur ab hoc versu, & resecto Iudæorum delirio, sibi præcipi nunc interpretantium fruitionem diuitiarum, antequam eis tempus captiuitatis adueniat, secundum sequitur ex allatis dicendi modum. Assentit Albinus, hocque gaudium videri ad quod nos Apostolus [d] inuitat, sed in Domino, & cum modestia, quoniam Dominus propè est. Arboreus est eiusdem sententiæ, & disertè Chaldæus. Fauet Olympiodorus, volens de spirituali sola lætitia sermonem esse. Lyrano prima placet expositio, quam dicit esse Hebræorum, vel ex aliena loqui Sapientem persona. Ironiam Caietanus agnoscit, & Sà, & Bonauentura. Idem voluit Thaumaturgus, reprehensionem seriam explicans. Glossa interlinearis, Hugo, Carthusianus, Titelmannus, Moringus, Clarius ambas amplectuntur.

a Mat. 26. 45.
b Mat. 24. 16. Marc. 13. 14. Luc. 21. 20. 21.
c c. 2. 14. 15. 16.
d Phil. 4. 4. 5.

Quod ad alios attinet auctores, qui alieno locum loco tractat, Gregorius quandoque facit eũ secundis, maximè cum Olympiodoro. Nam ait [e] admoneri nos hic gaudere in virtutibus ac renouatione spirituali. Aliàs [f] docet locutum his verbis Salomonem ex alterius, non ex proprio sensu. Ambrosius [g] meliorem in partem accipit de quodam flore vitæ, bonorúmque ætate operum. Innuit eandem sententiam Cyrillus Ierosolymitanus [h]. Ex recentioribus Ribera [i] Malachiæ sententiam quandam ironicè declarans, confirmat ironia præsentis loci. Pineda [k], quoque contendit hic exprobrari voluptatem iuueni. Affine quid est in Apocalypsi [l]; *qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc*; nempe quoniam in iudicium vocabitur quisquis talis erit.

e 24. moral. c. 4. vel 5.
f 4. dial. c. 4. & 4. moral. c. 5.
g de bo. ad virgi.
h catechesi 15. l in c. 2 n 15
k Iob. 30. ver. 5. n. 7.
l c. 22. 11.

Iuuenis in adolescentia tua.] Chaldæus distinguit pueritiæ, & adolescentiæ dies. Hebraicæ voces sunt בָּחוּר בְּיַלְדוּתֶךָ *bachur beialduthecha*, Græcè, νεανίσκε ἐν νεότητί σου. Primum nomen Hebraicum propriè significat *electum*, ideóque talem, qui sit ad opus idoneus, qualis non puer, sed iuuenis est, vel adolescens: eadémque ratio de fæminino בְּחוּרוֹת *bechuroth*, id est, *iuuentutis*, quod mox subditur. Secundum quoque sumitur pro tempore iuuentutis, & adolescentiæ, necnon pueritiæ. At puer non adeò capax est præcepti; neque solidæ lætitiæ cum quadam perceptione & animaduersione. Eadem propemodum vis Græcarũ dictionum, sicut & τ̃ νεανίε, pro quo vulgata quandoque ponit *adolescentem*, sicut aliàs [a] docuimus, cùm ostendimus quo pacto Saulus dũ Ecclesiam persequeretur, & Stephani præesset lapidationi, diceretur adolescens. Gregorius [b] annotat, in sacro eloquio nonnunquam adolescentiam iuuentutẽ vocari, sicut hoc loco, & vbi Timotheus [c] admonetur, ne quis adolescentiam ipsius contemnat. Si enim vtraque vnum esse (iuuentutem & adolescentiam) non decerneret Salomon, quem monebat, inquit, in adolescentia, iuuenem non vocaret. Notat etiam Olympiodorus sexu masculino νεανίσκον fæmininum simul comprehendi; sicut cùm Paulus vult virginem castam exhiberi Christo [d], tam intelligit mares, quàm fæminas. Monitis eget adolescentia seuerioribus, tollenda à libidinibus, quibus scatet [e], calore corporis feruente, æstu sanguinis vaporantis ignescente [f]: vt inualida viribus, ita consiliis infirma, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis [g]. Postremò adolescens

a Act. 7. 57.
b hom. 2 in Ezech. & 3 p. Pastor. admo. 26.
c 1. Tim. 4. 12.
d 2. Cor. 11. 2.
e Aristot. 3. Ethicor. c. 6 & 2. Rhet. c. 12.
f Ambros. de interpell. lib. c. 7
g Idem ibid.

Cereus [h] *in vitium flecti, monitoribus asper,*
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidúsque, & amata relinquere pernix.

h Horat. in arte poet.

C Iuueniles impetus accuratis rationibus, optimus ait magister morum [i], vinciri, ac compesci conuenit. Nolim tam indulgentem adolescentibus Ciceronem [k]; imò tam ineptè rigidum, vt illis, nisi voluptatem admittant, suauitatémque abblandientem, Deos non propitios, etiam iratos putet. Habuit cõtinentissimus adolescẽs Iob in diebus adolescẽtiæ suę secretò Deũ in tabernaculo suo [l], arcta sibi couiũctum necessitudine, veluti sapientem amicũ, vel pædagogum. Quid penè pueros memorem Tobiam, Danielem cum sodalibus, Iuditham, Susannã, innumerabiles nouæ legis, quibus etiam in ea ætatula honorem dedit Deus senectutis [m], vtque nihil puerile gererẽt in opere [n]; qualem Basilium Nazianzenus, Bernardus Malachiam fuisse narrat, Bernardũ, Laurentium, Iustinianũ, & alios alij? Nam Gentilitas etsi habet nõnulla quoque exempla, nõ tamen sinceræ pietatis. Peiores illi, qui sunt bis pueri senes [o]; & auctoritatem habent senũ, vitia puerorum, nec puerorũ tantùm, sed infantium [p]. Operæ sit intimare vel eos commemorare, qui præceperunt de institutis adolescẽtiæ, Plutarchũ, Aristotelem, Xenophontem: nullũ munus Reipublicæ adferri maius, meliúsque posse, quem paulò antè nominauit, docet Marcus Tullius [q]. Non vnas hac de re scripsit Hieronymus, vt ad Gaudentiũ, aliósque epistolas; Clemens autẽ Alexandrinus eruditissimos pædagogi libros. Extant sanctissimi Synodorum hac ipsa de re canones [r]. Lege Ribadineiram nostrũ in Patris nostri vita [s], Stephanum Astetem in opere Hispanico de eodem argumento, & Syluium Antonianum in Italico.

i Plutarc. de liberis instituen.
k pro Marco Cœlio.
l Iob. 29. 4.
m Dan. 13. 50.
n Tob. 1. 4.
o Plato 1. de Repub.
p Senec. ep. 4.
q 2. de diuinat.
r Latera. sub Alex III. par 1. c. 18 & sub Inno. III c. 11. sub Leone X sess. 9 c. 7. Va sic. c. 18. Pari. sess. 1 c. 10. Vi. generale c. 5. Trid. sess. 23. c. 18.
s 1 lib. 3. c. vlt.

E *Et in bono sit cor tuum.*] Heb. (וִיטִיבְךָ לִבְּךָ *vitibecha libbecha*, & *bonum sit tibi cor tuum*, vel *iucundum fac illud, ac lætũ*) Græcè (καὶ ἀγαθυνάτω σε ἡ καρδία σου, & *benefaciat te*, vel *tibi cor tuũ*) Symm. (καὶ ἐν ἀγαθῷ ἔστω, & *in bono sit*) quo etiã pacto vetus trãslatio reddit: Ambr. [t] (*oblectet cor tuum*) & significatur vita voluptuaria, cõsistens potissimũ in rebus pertinẽtibus ad victũ. Sic ducere in bonis dies dicuntur qui-

t hortat. ad virg.

dam:

dam [a] : vocatur dies bona, dies conuiuij [b] : & is qui epulabatur quotidie ſplendidè, recepiſſe bona in vita ſua [c].

a Iob.21.13. b 1.Reg 25. 8. & hoc libro Eccleſiaſtis c. 7.15. c Lucæ 16.25.

In diebus iuuentutis tuæ.] Non debuit Pagninus Hebræum בְּחוּרוֹתֶיךָ *bechurothecha* vertere *electiones*, licet id ſignificare poſſit, quoniam ſignificat quoque *iuuentutem*; & hæc ſignificatio magis ad rem facit, & ſic omnes interpretantur.

Et ambula in viis cordis tui.] Chaldæus (*in humilitate cum viis cordis tui.*) Græci addunt ἄμωμος, *irreprehenſibilis*, ſeu *ſine macula*, vt legit Ambroſius [d]; ſecundùm ſpiritualem lætitiam, inquit Olympiodorus, animam conſtituendo in tuto loco, mentémque purificando, puros habendo ſenſus. Simplicior ſenſus eſt iuxta Hebraiſmum, vt perſequatur id quod cor dictat, id quod vult, id quod concupiſcit.

d exhort. ad virg.

Et in intuitu oculorum tuorum.] Similis idiotiſmus pro quibuſcumque rebus quæ in oculos incidant ſeu corporis, ſeu mentis. Tamen etiam Paraphraſtes explicat, vt ſit cautus in viſu oculorum, neque contempletur malum. Eundem Ambroſius [e] elicuit ſenſum, his alia verbis adiungens (*& in aſpectu oculorum tuorum, & non in audacia oculorum tuorum*) in aſpectu vtique ſpiritali, inquit, non audacia ſeculari. Olympiodorus item, iam iam recitatus, puritatem ſenſuum corporis, quorum princeps eſt oculorum, intellexit. Mihi Salomon videtur, quod hîc alios vt faciant, hortatur, à ſeipſo factum ſuperiùs ſignificaſſe, ſimúlque formulas iſtas dicendi expreſſiſſe [f] : *& omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaueram, & hanc ratus ſum partem meam ſi vterer labore meo.*

e ſuprà. f c.2.10.

Et ſcito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.] Idcirco pone voluptatibus modum, vtere, ſed ita, vt ſecurus Iudici reſpondeas, qui conceſſit vſum, abuſum prohibuit. Simili clauditur liber ſententia: illuc differatur, quàm ſit Iudicij vtilis atque neceſſaria memoria.

Verſ. 10.] Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adoleſcentia enim & voluptas vana ſunt.

HInc alij caput ſequens exordiuntur, gloſſæ, & Olympiodorus, & Albinus, & Biblia Regia, & Complutenſia, & Ioannis Benedicti, & quidam alij codices Latini, Græcíque, & Chaldæa paraphraſis. Sed à priore principium ſumpſiſſe Hieronymum, iuxta veterem tranſlationem, antè dixi. Duo autem hîc adoleſcentum, ſiue iuuenum notantur vitia, iræ & libidinis, ad quæ reuocantur cætera: ipſáque tum adoleſcentia, tum voluptas vanæ eſſe affirmantur.

Iram.] Hieronymus & Albinus *iræ* nomine docent omnes animi perturbationes comprehendi: Hugo cuncta vitia ſpiritualia, quæ, inquit, oriuntur à corde: Bonauentura omnem malitiam cordis: ego iræ peccatum proprium, iuuenibus maximè familiare, vt nuper citatus Ariſtoteles [g] tradit. Nam cur ſub ira debeant contineri peccata cætera, præſertim ſpiritualia, non potiùs ſub ſuperbia, nec ratio, nec exemplum ſuadet; & impoſſibile eſt, ait Dorotheus [h], vt cui quis iraſcatur, niſi priùs elatus corde contempſerit eum, ſeque potiorem æſtimauerit. Vatablus quidem interpretatur ſuperbiam per iracundiam. Patres illi quod magis apparet iræ vitium in iuuenibus notarunt, & quo præcipites ſine iudicio ruunt in alia.

g 1. Rhet. c.12. h doct. 13.

Sæpe prioribus capitibus huius incidit vitij mentio. Nihil magis imbelle, quam ira, cæcum nihil magis: adoleſcentia habet vtrumque, & imbecillitatem, & ignorantiam. Eadem laborant valetudinarij, atque fœminæ, quibus inſunt mala duo, defectus virium, & ſcientiæ. Friuolis turbatur iracundus & inanibus, & inquieto, ſtolidóque ingenio cùm ſit, rerum ſuſpicione feritur, ſicut excitat rubicundus taurum color, aſpis aſſurgit ad vmbram, prouitat vrſos, leonéſque mappa [a], & hos etiam aſpectus flammæ, gallíque cantus.

a Seneca 3. de ira c.30.

Et amoue malitiam à carne tua.] Chaldæus (*ne moliaris malum ſuper carnem tuam*) quaſi velit, vt quis ea vitet, quæ nocere carni, ſicut priori membro, quæ animo poſſint, non autem vt vitia, ſeu non de his loquatur, ſed de illis. Hi, quos antè dixi, luxuriam, aliáque carnis peccata, & omnem eius immunditiam intelligunt. Ambroſius [b] legit *nequitiam*. Placet iſte, non diſplicet penitus prior ſenſus. Græcè hoc loco eſt πονηρία, quæ denotat malitiam peccati cuiuſuis quidem; ſed iuxta propoſitum, id quod in carnis verſatur libidine, vt antea dixi. Vnde & aliàs quoque notauî abſolutè nominari peccatorem atque peccatricem, qui hoc laborant peccato.

b hortat ad virgines.

Adoleſcentia enim & voluptas vana ſunt.] Vetus tranſlatio (*quia adoleſcentia & ſtultitia vanitas eſt*) ſic etiam Græcè (ὅτι νεότης καὶ ἡ ἄνοια ματαιότης.) Hebraicè verò pro voluptate eſt שַׁחֲרוּת *ſchacharuth, iuuentus*; vt vertunt Vatablus, Clarius, Caietanus; *pubertas*, vt Pagninus, ita vt coniunctio וְ *ve* (*&*) ſignificet (*ſed &*) id eſt, adoleſcentia, ſeu iuuentus, ſed &, vel, imò etiam, pubertas. Vtramque ex Hebræo interpretationem recipit Sà, & meminit Græcæ. Vox Hebræa habet radicem שָׁחַר *ſchachar*, quod eſt propriè *nigreſcere*: vnde שִׁיחוֹר *ſchichor*; Nilus Ægypti fluuius, cuius ſunt aquæ nigræ ſiue turbidæ, præterea שַׁחַר *ſchachar*, *aurora*, *lucifer*, *mane*, à quodam lucis inchoatæ nigrore. Igitur quia pubertas, & adoleſcentia præſertim, necnon iuuentus, ſunt vitæ noſtræ ceu aurora, vel propiùs ad eam accedunt, quàm ad claram velúti diem iam confirmatæ, matúræque, interpretati ſunt quos nominaui de ætate; Chaldæus præterea, qui vocat dies nigredinis capillorum: ſeneſcentibus enim albeſcunt. Verùm quoniam ſynonymum videbatur hoc nomen cum proximè antecedente יַלְדוּת *ialduth*, & conſtabat minoris ætatis vitia eſſe ignorantiam, quæ ſtultitia quædam eſt, & voluptatem, idcirco Græci ἄνοιαν, & vetus tráſlatio *ſtultitiam*, vulgata poſuit *voluptatem*. Longè meliùs iſta; quis enim dubitaret inſaniam eſſe vanam? De adoleſcentia non minùs certum, non vulgò tamen adeò vel cognitum, vel creditum. Aptum edidit epithetum vagæ iuuentæ Martialis [c], Virgilius [d], Ouidiúſque [e]; alij multi floris marceſcentis. Tanta vanitas adoleſcentis in via ſua, vt eam ſe ſapientiſſimus neſcire penitus fateatur [f]; quoniam difficile eſt cogitatu, inquit, cum explanans Beda, & gloſſa, in quot cogitationes per omnes horas adoleſcens vaga mente declinet. Difficilem appellat Chryſoſtomus [g], iactabilem, fallibilem; vehementioribus egentem frenis. Nec verò il-

c lib 2. epigram in 90. d Aeneid 9. e 10 Metamorpho. f Prou.30.18. 19. g hom 1. ad populum.

le non placet sensus, vt sit hortatio ad animi tranquillitatem, simúlque ad beneficentiam erga proximum quoque, per nomen carnis intellectum, vt ab eo malitiam amoueamus, hoc est, quidquid nocere ipsi potest. Nam cor affectiones animi, animúmque ipsum sæpe designat; caro quemuis non modò propinquum, affinem, amicum, contribulem, sed hominem; malitia malum, & incommodum, quo quis afficitur.

SVMMARIVM.

INCHOATVM priore capite in hoc argumentũ pertractatur de moderato præsentium rerum vsu, proponendo mortis ac diuini iudicij memoriam. Sed mors, & moribundus senex senectáque symbolis nonnullis eleganter describuntur: & libro clausula non sine apparatu, & præmonitione, & quadam scriptoris de seipso exaggerata oratione imponitur.

CAPVT XII.

1 MEmento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas; Non mihi placent:

2 Antequam tenebrescat sol, & lumen, & luna, & stellæ, & reuertantur nubes post pluuiam:

3 Quando commouebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina:

4 Et claudent ostia in platea in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis.

5 Excelsa quoq; timebunt, & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suę; & circuibunt in platea plangentes.

6 Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam,

7 Et reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

8 Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.

9 Cúmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat: & inuestigans composuit parabolas multas.

10 Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.

11 Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.

12 His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequénsque meditatio, carnis afflictio est.

13 Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.

14 Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit.

Vers. 1.] Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas; Non mihi placent.

SALVBRE documentum Hieronymus intelligit, non pro tempore duntaxat iuuentutis, verùm etiã totius vitę; sed ita, vt ingredientes adolescentiæ viam, & mortis vltimæ nõ obliuiscentes, Deũ colamus, atque, quod addit Chaldæus, glorificemus eũ in diebus quoque adolescentiæ. Minùs probo dies adolescentiæ, sicut Olympiodoro quoque videtur, hîc vniuersum vitæ tempus significare, quòd comparatione ad perfectionem futuræ, sint hi dies, dies stultitiæ, quæ solet esse coniuncta cũ adolescentia. Nam nec simile alibi memini exẽplũ legere: & res nũc propriè est cum petulantia modicæ ætatis, immodicísque passionibus eiusdem, vt diuino timore comprimantur. Eodem tamen pacto accipit Bonauentura, quandiu viuimus, & valemus, antequã nos ætas viréſque deficiant. Id Hugo, Carthusianus, alíique præterea, docent, & verũ est: sed qui distinctè adolescentię, vel iuuentutis ætatem expressit, de aliis nõ negauit: de illa meminit, quæ magis lubrica, & cuius mores in cæteram vitæ quasi moram cum quodam præiudicio transeunt. Tanti refert bene à teneris consuescere [a], iugum Domini ab adolescentia portare [b], vt adolescẽtior corrigat viam suam, in custodiẽdo sermones Dei [c]: vt Deo gratissimas æui sui primitias quis offerat. Nulli non cognitum Lycurgi factũ, duos iisdem parentibus natos catulos aliter & aliter educantis, gulæ vnũ intra lares, venationi alterũ foras educẽdo [d]. Nec opus pluribus, tam res hæc vulgata, certáque: & à nobis priùs pro ratione instituti tractata. Satanizás proculdubio fudit, quisquis ille fuit, versiculũ istum, quo persuaderet insaniendũ, cùm minùs sana per se mens est atque ab ætate confirmata; futurum alioqui vt deuergat grandior in minoris mores ætatis, & qui Satanas iuuenis non est, vel senex sit;

a Virgil. 2. Georg.
b Thren. 3. 27.
c Ps. 118. 9.
d Plutarc in apophte. Lacon.

Argelius

Angelicus iuuenis senibus satanizat in annis. Includi porrò in hac hac breui sententia plures videntur ad virtutem rationes, quæ iuuenes extimulent; nobilitas generis, cuius perstudiosi sunt, id enim diuinum esse; pietas & obseruantia in Deum velut in optimum parentem; vtilitas redundans in grandiorem ætatem senectutémque. Incredibili porrò quadam animi mœstitudine, tædióque Salomonem extrema iam ætate laborasse, ac extinctum etiam esse, infert ex isto loco, tum ex illis annis, de quibus diceret; *non mihi placent*, Pineda [a] noster, citans Valerium, Anselmum in suo annorum, & Principum catalogo, scribentem, Deo vltore, graui ex molestia mortuum.

Memento.] Grata, chara, pia, practica memoria. Vsum istius verbi declarauimus capite quinto [b].

Creatoris tui.] Emendata Biblia (*κτίσαντός, creatoris*, vel *eius qui creauit*) quo modo est etiam Hebraicè, & Chaldaicè: codices Complutenses, & Regij, & alij legunt (*κτήσαντός, possessoris*) minùs rectè. Continet verò *creatoris* nomen emphasim ad extorquendam humilitatem, amorem, obseruantiam, timorem, fidelitatem, spem: creatura enim de nihilo facta secundùm se nihil est; in nihil redit per se, nisi sustentet esse creator quod dedit, cui non minùs curæ conseruare quàm facere. Exprobrauit amarè Hebræo populo Moses tantam obliuionem [c]; *Deum qui te genuit dereliquisti; & oblitus es Domini creatoris tui. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est. Vnus est altissimus creator omnipotens, & Rex potens*, inquit auctor Ecclesiastici [d], *&* (ideo) *metuendus nimis.* Dauid, tres pueri, Tobias, alij, cùm se diuinis impares laudibus agnoscerent, cæteras ad Deum laudandum creaturas inuitabant, & vniuersè, ac sigillatim, *Domine Deus Patrum nostrorum*, ait in diebus iuuentutis suæ Tobias [e] (qui procreatores nostros idem creator noster creasti) *benedicant te cœli, terra, maréque, & fontes, & flumina* (meminit horum nominatim propter beneficium piscis [f]) *& omnes creaturæ tuæ, quæ in ei sunt.* Eximium creatoris opus homo (id innuit hîc quod dicitur *creatoris tui*, & Iacobus [g], appellans nos initium aliquod creaturæ Dei, ἀπαρχήν τινα, Syriacè primitias rerum quas condidit, scholia Græca τοὺς πρώτους καὶ τιμιωτάτους) creaturæ appellatione simpliciter sumitur, continens in seipso quoque cunctarum gradus, &, si quid aliud, maximè pendens à creatore, singularíque prouidentia, & gratia ipsius. Sic Marcus Euangelium [h] prædicandum scribit Christi iussu omni creaturæ; Paulus [i] iam prædicatum in vniuersa creatura, quæ sub cœlo est: & cùm creaturam vanitati subiectam [*] dicit, interpretatur Augustinus [k] de homine, & Anselmus [l], & Gregorius [m]. Vulgò creatura dicitur alterius is, qui beneficiis deuinctus est maioribus, & ab eo pendet totus: Hispani quoque famulos suos *Criados* vocant. Denique non solùm pro beneficiis Deo creatori gratias, obsequiúmque reddamus, maximè quòd recreati sumus in nouam creaturam [n], sed recurramus etiam in rebus aduersis ad creatorem. Vide vt bellè coniunxerit hæc duo Petrus [o]: *Itaque & hi qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas in benefactis.*

In diebus iuuentutis tuæ.] Dixi lubricam esse ætatem istam, & magnas eius illecebras. Testis omnis Scriptura sacra, profana: sed & experientia. Vnde Varroni adolescentiari, luxuriari est, teste Nonio [a]: & cum asseueratione Terentius [b] dicebat;

Crede mihi, non est facinus adolescentulum scortari.

Frenanda hæc ætas laude [c] & memoria Dei, & maxima disciplina, de qua cùm alia, tum Toletanum Concilium IV [d].

Antequam veniat tempus afflictionis tuæ.] Pro (*antequam veniat tempus*) Hebraicè, & Græcè (*vsquequò non veniant dies*) Symmachus (πρὶν ἐλθεῖν τὰς ἡμέρας.) Idem verò loco τῆς κακίας ponit κακώσεως. Hebræi, teste Hieronymo, de sua captiuitate vel Babylonica, vel Romana intelligunt: ipse, alíique passim Catholici, de senectute, & morte, atque de damnationis statu post istam: Thaumaturgus de generali Iudicio. Hinc fit, vt quæ symbolicè deinceps dicuntur, variis modis exponantur. Si κακίαν, & רעה *rabbah* pro malitia peccati sumerémus, intelligeremus confirmatum quodammodo consuetudine peccatum, quod iam grandis ætate, & maximè sub mortem, difficile deponit. Sed ipsummet senij, & mortis tempus afflictionis est plenum, labentibus tunc corporis animíque viribus,

Multa senem circumueniunt incommoda [e].—

Et Plautus [f];

Nam pernicitas deserit, consitus sum
Senectute, onustum gero corpus, vires
Reliquêre, vt ætas: mala mala merx est tergo!
Nam res plurimas pessumas cùm aduenit, adfert:
Quas si autumem omnes, nimis longus sermo sit.

Et Ausonius [g],

———*ipsa senectus*
Expectata diu, votísque optata malignis,
Obiicit innumeris corpus lacerabile morbis.

Aristoteles [h] affirmat senectutem esse morbum, in quem sensim ætas ætati succedês delabitur vi naturæ, quoniam aufert hominibus ea, quæ morbus eripit, affert incommoda eadem. De his Plinium [i] legas, & Hieronymum [k], dum hic rarum viridis senectutis commemorat exemplú Paulum Concordiensem, ille Xenophilum musicú, quibus, præter Spurinnam, de quo alter Plinius [l], & Germanicum, de quo Sidonius [m], & plures alios, i ngendus Or Abbas apud Palladium [n], & Antonius apud Athanasium [o], & hi qui recitantur apud Valeriú [p], & Fulgosium [q]. Eadem Iuuenalis [r] describit perelaganter, & Euripides [s], aliíq; quos citat Stobæus [t]. Legendum etiam Gabrielis Paleotti de bono senectutis opus, & Tiraquelli de legibus connubialibus [u]: Galeni quoque liber de marcore, & Ciceronis, si tamen Ciceronis, de consolatione. Audiatur vnus præ omnibus Nyssenus [x]: [Sed forsitan angit te, quòd ad senectutem (Pulcheria) non peruenit. Quid verò, dic mihi, pulchri cernis in senectute? an pulchrum prurire, ac fricari oculos? corrugari genas? ex ore defluere dentes, & linguæ balbutiem ingenerari? manibus subtremiscere? ad terrã incuruari? titubare atq; subclaudicare pedibus? ducibus inniti? desipere corde, ac delirare? voce absurda atque inepta pronũciare?] Sed sanũ Senecæ [y] consilium huic aptũ, simillimúmq; quod agitamus, idoneũ iuuentutis esse tempus laboribus, idoneũ agitandis per studia ingeniis, & exercendis per opera corporibus: quod superest, ceu in amphora grauissimã, turbidissimámque fæcẽ subsidere, segnius esse & lãguidius, & propius à fine: denique senectutem cum morte meritò à Virgilio coniungi, quia insanabilis morbus est. Siculis, vt ait Nazianzenus [z], grauior est scopulis, vel Ætna, vt Cicero [a]

Marginal notes: a l. de reb. Salo. c. 3. — b vers. vlt. — c Deut. 32. 18. 19. — d Eccli. 1. 8. — e c. 8. 7. — f c. 6. & seq. — g c. 1. 18. — h c. vlt. 15. — i Coloss. 1. 23. — * Rom. 8. 20. — k lib. 83. quæstion. in q. — l in Epist. ad Rom. c. 8. — m 4 moral. c. 30. lib. 2. c. 4. — n 2. Cor. 5. 17. Gal. 6. 15. — o 1. Ep. 4. vlt.

a c. 3. — b in Adelphis. — c Eit. 48. 9. — d c. 21. & habetur 12. q. c omnis ætas. — e Horat. in arte poet. — f in Menæchmis act. 5. sc. 2. — g in Eclogis seu edyl. 7. — h 1 de generat. animal. — i lib. 7. c. 50. — k epist. 21. — l lib. 3. ep. 1. — m lib. 4. ep. 13. — n histo. Lausiacæ c. 9. — o in vita. — p lib. 8. c. 14. — q lib. 8. c. 14. — r Satyr. 10. — s in Bacch. — t serm. 115 ex quo Bellegardus in sétent. — u in 6. legem. glossa 1. p. 6. — x orat. in funere Pulcheriæ. — y epist. 109. — z in morbũ. a de senect.

vel vt plerique passim, mala ætas. Seriò Indere possis vocando senem, seguem, seniorem, segniorem. Moribundorum, de quibus quæ dicuntur deinceps, non minùs commodè possunt intelligi, labores, & ærumnæ suo declarabuntur loco. De his plura Medici, tum Cornelius Celsus[a], & Hippocrates[b], & Plinius[c]. Lectu digna metaphrasis Ecclesiastæ ab Augusto Thuano carmine eleganti conscripta.

a lib 2.c.6.& seq.
b sect.4.aphorism.
c lib.7.c.51.

Et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.] Alij (*non est mihi in illis voluntas.*) Morosus, ac sibi ipsi tædiosus senex: grauis ægritudo, præsertim lethifera: quod non licet tunc, nec libet. Exaggerant mirificè Patres insanam frugis bonæ, vel pœnitentiæ dilationem ad vsque senectutem mortémve. Nihil decerpo de oratione Basilij[d], quæ hoc argumentum tractat, adeò digna lectu tota est, remque optimis, ac maximè perspicuis efficit argumentis, ductis ex ægritudinis molestiis, præter alias externas. Hebræa vox חפץ *chephets*, de qua sæpiùs diximus, non voluntatem modò, sed etiam negotium quodlibet, opúsve significat. Sic sensus esse posset; non est mihi in his annis negotium, non opus, quia deest facultas, & potestas præ corporis, & animi virium imbecillitate.

d est oratio 4. de pœnitentia.

Vers. 2.] Antequam tenebrescat Sol, & lumen, & Luna, & stellæ, & reuertantur nubes post pluuiam.

Exponunt ea quæ sequuntur Hebræi de seipsis, vt iam admonui; Solem quidem, lumen, Lunam, stellas de Iudicibus, ac Sanctis suis: Hieronymus vel de generali consummatione mundi, in qua, vt etiam prædixit Christus[e], *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur:* & Ioël[f]; *Sol vertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis:* vel de morte cuiusque, quando ei Sol occidet iustitiæ (quod sub finem quoque mundi toti vniuersitati hominum continget) scientiæ lumen, splendor Ecclesiæ, & ij, qui vt luminaria lucent in mundo, atque vt stellæ[g], & qui sua doctrina tanquam imbre solent irrigare, fructum desperantes redibunt ad Deum. Idem Doctor alios meminit de membris corporis explicare, in quibus erunt sub mortem lethalia signa; vt sint Sol, Luna, stellæ, oculi, aures, nares, & totius capitis sensus. Olympiodorus mentionem facit earundem duarum posteriorum explicationũ de tempore Iudicij, & mortis, & reuersionem nubiũ iuxta tertiam sumit pro resolutione humani corporis, tenebras Solis, Lunæ, stellarum, quia moribũdi horum aspectu priuantur; addi potest, & alterius luminis accensi: vt propterea fortasse *luminis* nomen distinctè hîc ponatur. Si de mundi fine sit sermo, ait hic auctor redigendum tunc Solem in nihilum, sydera reliqua, nubes siue pluuias, quia nullus horum deinceps vsus.

e Matt.24. 29.
f c.2.31.Act. 2.20.
g Phil.2.15.1. Cor.15.41.

Thaumaturgus secundum tradit sensum, & Cyrillus Ierosolymitanus[h], & Ricardus[i] de S.Victore, qui per reuersionem nubium vult denotari magnam aquarum inundationem, & famem post eam, quemadmodum pestem, sydcrum obscuratione: *erunt* enim, ait Christus, *pestilentiæ, & fames*[k]. Quartò potest hic locus, vt Hugoni placet Cardinali, de quacumque aduersa fortuna, & calamitate intelligi, vel de deteriore prolapsione ex vita studiosa in vitiosam: quod affert quoque Bonauentura. Tropologiam præterea totius loci reperies Galfridi inter allegorias, & tropologias vtriusque Testamenti, quas collegit Godefridus Tilmannus.

h catech. 15.
i tract. de fine seculi, seu de meditat. plagis, quæ circa finem mundi euenient.
k Matt.24.7.

Mihi maximè proposito conuenire videtur, vt senij, simúlque mortis imminentis ex inualetudine hîc signa describi affirmemus. Hoc quæ adhuc dicta sunt isto capite confirmant: cæteri, qui alias proferunt sententias, non negant: imò plerique meminerunt. Carthusianus testis est communiter ita sentire Expositores, & Lyranus nominat tum Latinos, tum Hebræos; cùm tamen de sui temporis Hebræis aliter Hieronymus, vt dixi; nec vidi qui dissentire videretur præter Ricardum. Postremò sic interpretatur Paraphrastes Chaldæus (*antequam mutetur splendor gloriæ faciei tuæ, qui assimilatur Soli, & lumen oculorum tuorum antequam obcæcetur, & decor maxillarum tuarum antequam obtenebretur, & pupillæ oculorum tuorum, qui assimulantur stellis, antequam extinguantur: palpebræ oculorum tuorum stillabunt lacrymas, vt nubes post pluuiam.*)

Caietanus distinguens defectus sexdecim senectutis, duos priore versu, quòd contineat afflictionem morbosam, & displicentiam tædiosam, tertiũ, quartúmque hîc numerat, quòd cœlestes motus, ac influxus desũt senibus (adde quòd caligantes oculis lumẽ minimè cernũt, vt Isaac[a], & Heli[b]) & hi catarrho iugiter diuexantur, atque diffluũt, cùm iuuenibus, ceu post pluuiam catarrhi, serenescat caput: debilis enim senum calor non valet insitos vapores absumere. Moringus vicarias pluuias varios sibi succedentes in senibus morbos declarat: Titelmannus præterea caligationem, & obuolutionem cerebri post multum aqueum humorem fletus, spontanei fluxus oculorum nariúmque, phlegmatum excreationis, &c. Vatablus, & Sà caliginem oculorum, quæ sequi solet fletum in senibus: Clarius serenum quoque post pluuias cœlum seni nubilum videri: Lyranus, & alij tribulationem mortis super tribulationem senectutis. Franciscus Vallesius in sacra Philosophia[c] eodem pacto philosophans metaphoricis hic locutionibus labores, miseriásque senum significari, tenebrescere Solem, lumẽ, Lunam, stellas dicit propter debilitationem visus iam non ampliùs valentis lucis aspectum sustinere: nubes autem reuerti post pluuiam, quando perpetuas patiuntur & incoctiles valdè coryzas ex vaporibus crudis à ventre, totoque corpore ascendentes, qui cùm caput, velut nubes occupauerint, densati tanquam pluuia in destillationẽ abeunt, & descendunt. Relege præter Medicos de his similibus notis Satyram Iuuenalis[d]. Sic ille inter alia;

a Gen.27.1.
b 1.Reg.3.2.
c in c.66.
d Satyr.10.

Et iam leue caput, madidáque infantia nasi

Item:

——ambos
Perdidit ille oculos, & luscis inuidet.——

[Non reputantur infantiæ anni, ait Plinius[e], qui sensu carent, non senectæ in pœnam viuacis. Hebescunt enim sensus, membra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus: dentes etiam, ac ciborũ instrumenta deficiũt.] Legatur Leuinus[f], qui hunc locũ totum accuratè tractat iuxta physiologiã; quæ autẽ cõtinẽtur v. isto declarat de oculis, qui senio confectis cæcutiũt, caligine, ac lippitu-

e lib 7.c.10.
f de herb. Bibl.c.47.

dine

dine vitiãtur, ita vt vix Solẽ, Lunã, ſydera conſpicere valeant. De oculis poſtea ſeorſim agitur. Cum Chaldæo Paraphraſte, cuius memini, conſentit etiam R. Salomon, vt iſta referantur ad faciem, quæ nitida cum ſit in iuuentute, obnubilatur rugis in ſenectute; ita vt Sol ſit ſplendor faciei, lumine ſignificentur nares, per Lunam anima, ſiue halitus, ſtellæ maxillas denotent, quas & Syri nominant faciei malogranata.

Verſ. 3.] Quando commouebuntur cuſtodes domus, & nutabunt viri fortiſſimi, & otioſæ erunt molentes in minuto numero, & tenebreſcent videntes per foramina.

CHaldæus exponit contremiſcentes coxas: Hieronymus, & Albinus, & gloſſa interlinearis coſtas (iungunt alij oſſa reliqua, vt Bonauentura) & quòd ab his inteſtina vallentur, & tota ventris mollitudo ſeruetur (adde partium aliarum teneriorum:) Olympiodorus oculos: Lyranus, Valleſius, Titelmannus, & Carthuſianus omnes ſenſus, & hic præterea illos, qui domi habitant, vbi moribundus iaceat: Hugo vltra numerata, etiam vim nutritiuam, & appetitiuam, neruos, & ſpiritus: Moringus omnes vires corporis, quod eſt veluti domus animæ: Olympiodorus denuò vires animæ, ita vt in hac illæ ſint tanquã in domo: Caietanus memoriam, vigilantiam, prouidentiam, quem vocat quintum defectum ſenectutis: Vatablus, & Sà manus: Clarius inſuper brachia. Hæc ad literam iuxta ſenſum, quem prætulimus: nam vel quod attinet ad Hebræos, vel ad conſummationem ſeculi, vel ad moralem ſenſum: aliter alij.

Primo modo cuſtodes exponuntur à Hieronymo Angeli templi præſides (horum Ioſephus [a] paulo ante vrbis excidium auditas in templo voces narrat; migremus hinc:) ſecundò, ab eodem eædem ſtellæ, & Sol, ac Luna, necnon Angeli, qui huic mundo præſident. De his quoque Thaumaturgus: & virtutes cœlorum commouendas [b] hoc ſenſu quidam intelligunt, & Angeli tremere dicuntur.

a 17. de bello Iudaico. c. 12.

b Matth. 24. 29.

Ricardus [c] S. Victoris ait, denotari his, & ſequentibus verbis perſecutiones, quando exurget gens contra gentem, & Regnum aduersùs regnum [d], & vocari nunc cuſtodes domus, non theſaurorum, quoniam nec in vacua domo audebũt manere, ad quos maximè pertinebat cuſtodia, & id facere poſſe maximè videbantur, ſicut & nutabunt fortiſſimi, qui cenſebantur corpore robuſti, animis inſtructi, auxiliis vallati, non poterunt eſſe ſecuri. Bonauentura Prælatos Eccleſiæ concutiendos interpretatur in fide. De tertio modo Hugonem & Galfridum lege. Hic domui noſtrę, quã dicit mentem, aſſignat veſtibulum cogitationis, palatium affectionis, thalamum intentionis, & ſingulis cuſtodes oſtiariósque. Monet obſeruandas fores veſtibuli ab intuitu, & reuerentia inſpectoris occulti; ianuam palatij à timore inferni; oſtium thalami à deſiderio Regni. Vt quæ ſequuntur, diſtincta ſint, nec omnes ſenſus, nec corporis cunctas vires interpretor, non etiam externos domus cuſtodes diuerſos à ſene, vel moribundos homines; pertinent enim omnia ad eandem vnam perſonam: internæ facultates ani-

c ſupra.

d Matt. 24. 7. Luc. 21. 10.

A mæ non ita hic quadrant cum magis extrinſecis corporis, de quibus potiùs eſſe videtur ſermo, præſertim ſi ſint rationales. Ex coſtis, & oſſibus, neruis, ſpiritibus, atque manibus, minime vltimis cuſtodiam totius corporis arbitror deferendam; licèt videam ſolere nos manibus tanquam inſtrumento valdè agili & expedito arcere externa mala. Sed maior hîc indicatur cuſtodia. Coſtæ, oſſa, nerui placent; eſt enim id maximè conſentaneum Philoſopho [a], præſertim de oſſibus: ſpiritus exiliores ſunt, & vita potiùs in iis conſiſtit quàm cuſtoditur.

a 2. de partibus anim. c. 9.

Et nutabunt viri fortiſſimi.] Mendosè quidam legunt (*nutabuntur*) alij (*mutabunt*, vel *mutabuntur*.) Hebraicè (*& peruertentur viri virtutis*) vel (*incur-* B *nabũt ſe homines robuſti*) Græcè (*διαστραφῶσιν ἄνδρες τῆς δυνάμεως*) Symmachus (*διαφθαρῶσιν οἱ ἄνδρες ἰσχυροί, perierint viri fortes*, ſeu *fortitudinis*) vt habet etiam vetus trãſlatio. Notat id Hieronymus de Symmacho, ſed Aquilam vertiſſe (*errabunt*.) Idem Doctor dæmones intelligit, qui à forti diabolo fortium etiam ſint ſortiti vocabulum, quem ſuperans Dominus, & ligans, vaſtauit domum eius [b]; vel de fortiſſimis Hebręis, ac robuſtiſſimis tẽpore captiuitatis. Præterea ſenſu alio de cruribus explicat, quod Bonauẽturæ, Albino, Hugoni, aliiſque multis placuit ſectantibus hunc vt literalem ſenſum, de ſignis ſeneſcentium, vel moribundorum; portant namque crura pondus corporis, inquit Bonauentura. His adiungit Lyranus, & Carthuſia- C nus tibias, necnon Titelmannus: Chaldæus exprimit brachia: Caietanus accipit incuruationem iſtam de corporis decremento: Moringus, vt antè dixi, his, & præcedentibus verbis earundem defectum viriũ; fauétque idem Carthuſianus, dum præ ægritudine nutare dicit, qui antè robuſtiſſimi erant. Tamen peculiaris quædam pars denotatur, vt crurum, ac tibiarum. Hoc recipio libentiùs, quàm aut dæmones, aut perſecutiones, de quibus quoque dixi Ricardum explicaſſe, aut viros præpotentes, qui in mundi conſummatione, ſicut exponit Thaumaturgus, conquieſcant; aut Eccleſiæ cuſtodes, qui non ſint quidem caſuri, ſed pauliſper tamen declinaturi, propter Antichri- D ſtum, vt loquitur Olympiodorus: aut perfectos in charitate, vt Bonauentura vult, & electos, qui parum aberit quin in errorem inducantur [c]. Sed brachiorum, lacertorúmque neſcio minúſne robur ſit quàm crurium atque tibiarum. Valleſius prudenter brachia coniunxit & crura, quamuis hæc potiùs, quæ quòd ſenibus vacillant, baculis, inquit, vtuntur, & his corpus ſuſtentant. Confirmare id poſſumus ex Luca, qui crura pedéſque claudi, quem curauit Petrus, appellat baſes [d]: item ex Cantico Canticorum [e], vbi crura dicuntur columnæ; qua etiam comparatione auctores profani vtuntur [f], dum ſuas ipſas laudant. Nutabunt à priore conſtantia, inquit Galfridus; quia nemo E repentè fit turpiſſimus: & cauenda commotio, ac nutatio, quæ ruinæ quædam origo, & perditionis acceſſio eſt. Exponit verò, quòd nutabunt viri fortes, id eſt, cuſtodes ipſi, vel homines, qui cuſtodes tales habere antè meruerant, vt vix auderet tentator accedere.

b Matth. 12. 29.

c Matth. 24. 24.

d Actorum 3. 7.

e c. 5. 15.

f Hora. lib. 1. carm. ode 19. lib. 2. ode 4.

Et otioſæ erunt molentes in minuto numero.] Hebraicè (*& ceſſarunt molares, quia diminutæ erunt.* aut *diminutæ ſunt*) Græcè (*καὶ ἤργησαν αἱ ἀλήθουσαι ὅτι ὠλιγώθησαν*) Symmachus (*καὶ ἀργηθῶσιν οἱ μύλοι, & ceſſauerint molæ*) vetus tranſlatio (*& ceſſabunt molentes*) Chald. (*& deficient dentes oris tui, antequam*

possint masticare cibum.) Hic maximè literalis sensus, quem literaliter incedentes amplectuntur, vel dentes intelligendo molares, vel maxillas, siue mandibulas, quæ instar molarum per sibi infixos dentes cibum comminuunt; sed tempore senectutis & pauciores, & hebetiores solent esse. Dicuntur autem in minuto numero dentes, vel quia ætate decidunt sponte ex ore, vel quia minuuntur extenuanturque. Mysticè sumit Olympiodorus pro Iudæis, qui tanquã in pistrino molentes, graue legis iugum, laboriosúmque pertrahant: redigentur autem ad paucitatem, quia præter paucos, cæteri omnes ad fidem cõuertentur, nempe in fine seculi: Thaumaturgus pro mulieribus, quæ operandi finem faciant, nempe fruges ad molam sedendo terendi, iuxta morem Palæstinæ, inquit Ricardus, ob summam caritatem annonæ: Hieronymus iuxta Hebræos pro otiantibus tempore captiuitatis eloquiis magistrorũ: Bonauentura pro simplicioribus fidelibus, qui tædio affecti, cessabunt à bono opere, ac pauci erunt. Athanasius [a] mysticè quoque ad iudicium referens, siue ad consummationem seculi, ait hoc innui Prophetas, Euangelistas, Doctores in hoc mundo esse tanquam molentes vnicuique alimoniam per doctrinam, videlicet per pietatis scientiam; tandem tunc otiaturos, vt non doceant ampliùs, sed quisque secundùm acta iudicetur. Galfridi tropologia est, quòd molẽtes, id est, cogitationes timoris, & spei, quibus tãquã animæ dẽtibus debet cibus commoliri, vt vtiliter possit in conscientiæ stomacho digeri; vbi altera mola subtrahitur, altera frustra relinquitur: propterea legem prohibere, ne qua illarum pro pignore auferatur. Prodessent, inquit, huiusmodi cogitationes, si plures essent; sed quia raræ, ideo etiam otiosæ. Contingit autem hoc iis, qui non meminerunt creatoris; vt ex aliqua occasione interdum quidem, sed inefficaciter cogitẽt, quæ priùs solebant cogitare vtiliter, dum frequentarentur. Aliter Hugo; sed qui magis præ manibus est. Sed de senio, ac morte propinqua melior sensus, maximè de senio: nam seni

Frangendus misero gingiua panis inermi [b].

Dentes etiam, inquit Plinius [c], ac ciborum instrumenta deficiunt. Præter rarum illud Xenophili musici, quod affert exemplum, centum & quinque viuentis annis absque vllo corporis incommodo: & aliud Pauli Concordiensis, de quo Hieronymus [d], nominatim exprimens dentes ei centenario candidos fuisse, multo illustrius est senioris Mosis, qui vigesimum supra centesimum attingens annum, nec oculis caligauit, & dentes habuit immotos [e]. Solemne senibus, iis vt dentes vel decidant, vel vacillent: quòd verò quibusdam ij maximè, quos caninos, & sensus, ac sapientiæ, atque intellectus vocant, innascantur anno octogesimo [f], aut vltra centesimum [g], alij quoque renascantur, perrarum omnino, vt & quòd nascantur aliqui dentati [h], vel osse sint vnico longo lato prædití, lineolis solis veluti subpicto in superficie. Exarmatus senex, hoc est, edentulus, contemptim dicebatur; & ludit Martialis [i] sæpe, præsertim in fæminas, quæ dentes emptos, ne putarentur edentulæ, inserebant, sicut & comas, ne depilatæ, & caluæ.

Dentibus [k] *atque comis, nec te pudet; vteris emptis.*
Quid facies oculo Lælia? non emitur.

Et tenebrescent videntes per foramina.] Chald. (*caligabunt oculi tui, qui vident per cancellos capitis tui.*)

a in synopsi.
b Iuuen. Saty. 10.
b lib. 7. c. 50.
d epist. 21.
e Deut. vl. 7.
f Alb. Mag. apud Cardanum 8. de varieta c. 43.
g Arist. 2. de histor anim. c. 4. Plin. lib. 11. c. 37.
h Plin lib. 7. c 16.
i lib. 6. epigram. in 50. lib. 11. in 13. lib. 14. in 36.
k Martial. lib. 12. in 23.

Sic ferè cæteri. Caietanus extendit ad omnes sensus, quorum sunt foramina, siue fenestræ, nasus, aures, oculi, os, & tenebrescere, hoc est, hebescere, quando vitali spiritu priuantur, qui ex parte lucis, inquit, se tenet: Vatablus ad omnes vires animæ, quibus tribuatur videndi potestas oculorum nomine. Verba præ se ferunt distinctè sensum visus, & hoc magis probo. Hebræi, teste Hieronymo, Prophetas suos intelligunt, qui solebant de cœlis visionum lumen accipere: contenebrescent verò tempore captiuitatis. Ricardus exponit de nimiò mœrore, ac timore sub Iudicij tempus, ita vt tunc nemo apertis audeat ostiis aspicere, sed oculis etiam caligantibus per foramina; arescent enim homines *præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi* [a]. Simile illud est Hieronymi, animas imminuendas eo tempore per mortem magistrorum, tanquã molentium (quando vna assumetur, altera relinquetur [b]) qui superêrunt, inuoluendos tenebris, ac per quasdam tantùm tenebrosas cauernas veritatẽ aspecturos. Olympiodorus pauciores declarat Iudæos, eorum comparatione, qui plurimi tunc conuertentur: illos nimirum pertinaciter in errore durantes, in sóla literæ foramina legalis oculos esse suos immissuros: Thaumaturgus easdẽ illas fæminas molitrices ad obscuras ædium se caliginosásque partes recepturas: Bonauẽtura fideles, qui sapientiores erunt, erroris tenebris inuoluendos. Videntes per foramina interpretatur, qui neglectis nunc propriis, aliena curiosè sectantur: aut qui priùs subtiliter spiritualia intuiti, deinde affectionibus languentibus, etiam à cogitationibus obtenebrantur, & obtusius contemplantur.

Videntes.] Symmachus (*αἱ ὁράσεις, visiones.*)

Per foramina.] Græcè (*ἐν ταῖς ὀπαῖς*) Symmachus (*διὰ τῶν ὀπῶν*) Chald. (*per cancellos capitis tui*) Hebraicè (בארבות *baarubboth, in foraminibus, vel fenestris, & speculis:*) & est ὀπὴ, inquit Pollux, *δι' ἧς ὁρῶν ἰδεῖν*, & Hesychio idem est quod *θυρίς*, id est, *fenestra*: quamuis præterea, vt prior docet auctor, dicatur *ὀπὴ ὤτων, foramen aurium*, siue *meatus per quem vox penetrat.* Attamen *videndi* verbum indicat sermonem esse de sensu visus, licèt etiã quandoque transferatur visus ad alios sensus. Vulgò Itali dicunt in domibus, palatiis, templis, *vn occhio, e più occhi*, pro fenestris, siue pro foramine, vel foraminibus, præsertim rotundis, per quæ lumen admittitur.

a Luc. 21. 26.
b Matth. 24. 41.

Vers. 4.] Et claudent ostia in platea in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescẽt omnes filiæ carminis.

HEbræus de claudendis templi ianuis, ac humilianda Ierusalem; alij, teste Hieronymo, accipiunt de claudenda cœli ianua, quando vox molentis fuerit infirmata, & magistrorum doctrinã cessauerit tempore Iudicij: Olympiodorus de Iudæis obstinatis obseranda salutis porta, dum versantur in platea, seu foro præsentis vitæ, permanentes in infirmitate legis: Ricardus (indicat idem Thaumaturgus) de timore conciuium, atque vicinorum, ob quem clauso laborabunt ostio diebus proximè Iudicium præcedentibus, ne ad strepitum molæ vicinus accurrat, & vrgente fame alius auferat violenter modicum id quod molebant: Hugo Cardinalis de domorum ac taber-

natum,

narum, vbi res exponi vænales solent, ostiis claudendis, aut etiam templorum, præ metu Antichristi, ita vt nemo palàm docere, vel mutire audeat.: Bonauentura de non audentibus palàm profiteri fidem.

At persistendo in signis mortis, aut senectutis Albinus cum Hieronymo clausas accipit ianuas pro infirmis senum gressibus, quòd semper sedeant, & ambulare non possint (sic etiam glossa interlinearis) nec congaudeant ludis iuuenum, qui in plateis solent esse, sed clauso ostio illos fugiant videre: humilitatem vocis molentis pro manibus, quòd cibum labore proprio inuenire non valeant, & spiritu coarctato vox in senili corpore vix tenuis audiatur. Fauet paraphrasis Chaldæa (*& recedet à te appetitus cibi.*) Bonauentura ostia labia, quibus oris porta clauditur, intelligit, quando senex aliè loqui nequit, vt exaudiatur à multis: molere namque de locutione dicí, quia quemadmodum ad cibos conterendos maxillæ, sic mouentur labia ad verba pronúciandà; imò & mandibula ipsa, inquit Moringus: Lyranus ostia in platea, labia in plano faciei sita, claudi quando non possunt bene loqui ob exilitatem vocis, quod accidit propinqua præsertim morte. Eodem ferè modo Carthusianus, & quòd senes ægrotantes & agonizantes iubent ianuas claudi, nec egredi queunt, nec ludentium iocis alludunt: Emmanuel Sà ostia in platea patentia, labia in humilitate vocis molentis, temisso sonitu, quem dentes edere solebant: Vatablus os, nares, labia, & cibum, qui moli ampliùs nequeat, nec molarum audiri sonus, dum atteritur cibus: Caietanus ostia pectoris, seu vocales arterias, & exilem vocem senis, propter pulmonis quasi molá, quæ parum aeris inspirat ac respirat: Titelmannus post Olympiodorum omnia foramina meatuum, per quæ spiritus vitales, sensitiui, motiui solent transire, sed obstruuntur, vt non vlrrà diffundátur ad organa, locáque solita: rursus idem Titelmannus plateam spatium inter labia, quoniam illac debet cibus ingredi, necnon aër tum ingredi, tum egredi: humiliatem vocis, quòd præ nimio frigore sic morientis constringátur labia, sic obdurescant præcordia, ex quibus vox procedere deberet, vt vix per os qualemcunque voculam formare possint: Hebræi quidam, quorum adhuc ille meminit, humilitatem vocis, murmur ipsius stomachi, cuius est officium molere, atque digerere; cùm enim grauetur ferè semper in senibus, cibum non valens iniectū concoquere, quodammodo murmurat. Eodem Clarius respicit, exponens ostia quidem labia, humiliatam autem vocem molentis, debilitatá vim digestionis. Vallesius cur plateæ nomine facies intelligenda sit, aptè declarans, quia nimirum, inquit, omnis ibi veluti negotiatio pertinens ad sentientem animam, cunctæque animi affectiones sese produnt, & hunc locum de vocis senilis debilitate, ob debilitatem facultatis, quæ thoracem mouet, rectè etiam obseruat, nó temerè centurionem cùm vidisset contenta Christum voce clamantem [a] expirasse, pronunciasse verum Filiū Dei; qui namque morti sunt propinqui, ne quidem edere vocem queunt: notat prætetea senibus quominus contendere vocem possint, dentium in causa defectum esse; expiratum enim spiritum non reperenti, sed effluere, nec ita sonare: senes ideitco labia vt fari possint, comprimere introrsum, sicque quasi vacua dentium loca obturare, & ostia

a Marci 15. 39.

A plateæ, hoc est, labia oris claudere, in humilitate vocis, quam nimirū raci molentes dentes efficiūt. Plures côuenint in vocis exilitate, quod & idcirco magis etiá probo. Hebraice passiua sentétia est (*claudentur ostia*, &c.) eodem tamen sensu. Satis diligenter explanat Delrius [a] noster in adagialibus iuxta literalem sensum istum. Obscurior est Galfridi tropologia; quòd claudent ostia in plateis, vbi nullum occultum latere enim cupient, & inaniter posse sperabunt in euidenti & in publico, vbi omnes facilè deprehendunt, in humilitate vocis molentis, id est, malo studio aliena bona conterentis; & côminuentis. Quasi enim plangendo nequiter humiliari loquentur, submissa

a tom. 2. ad c. 12. Eccle.

B voce detrahendo.

In humilitate vocis.] Symmachus (*ἀχρειωθείσης τῆς φωνῆς, inutili reddita voce.*)

Molentis.] Videtur mòdò recitatus Vallesius (*molentes*) legisse nominandi casu, sicut & Ricardus omnino legit: sed contra codicum & auctorum aliorum fidem.

Et consurgent ad vocem volucris.] Editiones aliæ numero singulari legunt. Nihil refert: intelligendum autem de hominibus, vel homine. Chaldæus explicat de leuissimo somno, quem abrumpat vel auiculæ vox, galli scilicet, vt ait post Hieronymum & Albinū glossa interlinearis, & Lyranus, qui addit vocari hanc à somno excitationem, vel

C resurrectionem, quia senex (vel moribundus) non potest diu retinere vrinam propter debilitatem organorum, & ideo oportet eos tunc surgere. Eadem expositio Hugonis de somno, necnon Bonauenturæ, & Carthusiani, qui cum vrinæ molestia coniungit difficultatem diu iacendi in eodem latere. Concinūt reliqui in hoc literali sensu somni, & galli, Caietanus, Moringus, Titelmānus, Vallesius, Arboreus, Vatablus, Sà. Verumtamen mysticè cósurgit vel abiens Iudæus veniente Chaldæo, quasi cantus volucris ita Ieremiæ vocibus prophetatus, inquit Hieronymus [b]: vel peccator ad vocem Episcopi, siue presbyteri per pœnitentiam: vel mortuus in Iudicio ad vocem Ar-

b c. 9. 10.

D changeli, quam licet Apostolus vocet tubam [c], comparata ad Christum tenuis est: Olympiodorus Christum ipsum passeris nomine intelligit, qui propter solitariam suam in Cruce mansionem solitarius dicatur in tecto passer [d], & eius iussu vox resonabit, tubáque Archangeli [e]; eodem pacto Cyrillus Ierosolymitanus [f]: vel sub eiusdem Iudicij, & Antichristi tempus mulier, quæ, vt ait Thaumaturgus, ob metum desinet operam molæ dare, perexili voce, instar tenuissimæ auiculæ victura: vel, iuxta Ricardum, quilibet tunc homines ad minimum strepitum passerculi, aut alterius auiculæ pauebunt, relictísque sedibus aliò commigrabunt. Confirmat Ricardus

c 1. Cor. 15. 52. 1. Thess. 4. 16.

d Psal. 101. 8.

e 1. Corin. 15. 52.

f catech. 15.

E duplici Scripturæ [g] testimonio magnitudinem trepidationis, etiam ob leuem sonitum folij. Bonauentura sumit hoc de his, qui prædicationem excipient Antichristi in nocte infidelitatis. Galfridus tropologicè exponit de inaniter gloriantibus in testimonio famæ, non propriæ conscientiæ; & miseros vocat, qui non cogitent quàm volucris, & volatilis sit. Consurgét, inquit, id est, eleuabuntur, ab humilitate scilicet quam antea simulabant. Qui enim occultè detrahunt, vt opportunitatem inuenisse sibi videntur, exultant, exaltant vocem, & priùs demissum continuò leuant caput. Vox est volucris, blanda, sed nequam adulatio quædam transitoriæ prosperitatis, &

g Leuit. 26. 36. Sapient. 17. 17. 18.

fallacia diuitiarum, de quibus Sapiens ait, quia facient sibi pennas, & euolabunt. Quia verò ad vocem volucris huius consurgũt, ad carmen cœleste infeliciter obsurdescunt. Id sequentia continent.

Volucris.] Gallum plurimi, Hieronymus etiam passerem intelligit, aítque hunc sibi videri nunquam nisi in bonam accipi partem à Scripturis sacris. Hebræum vocabulum צפור *tsippor* omnem significat auem minutiorem manè surgentem ad garriendum; est enim צפר *tsaphar*, *manè surgere*, & certam interdum speciem, quæ passer dicitur Latinè, nomine quodam modo inuecto. Hispani *paxaros* duplici hac ratione vsurpant pro auiculis, & pro certa specie. עוף *hhoph* generalius est pro auibus omnibus, à quo Chaldæum עופא *hhopha*, quod hîc ponitur. Non enitar nunc demonstrare passerem infausto quoque in Scripturis sumi sensu, cuius Hieronymus indicat contrarium: nec dubium quin sæpe *passerem* Interpres reddiderit pro quauis aue, sicut exempli causâ superiùs capite nono [a] pro צפרים *tsipporim*, *aues*, & non *passeres*. *Transmigra in montem sicut passer* [b], id est, quæuis auicula: eodem pacto, *sicut passer solitarius in tecto* [c] (quidã putãt στρϑίον μονάζον auem esse grandiorem passere, atque subnigriorem, quæ sola per domorum culmina incedat, cantu suauis, & nescio an inde sit Gallicum *moineau*) item, *illic passeres nidificabunt* [d]: præterea; *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium* [e]: at ibi propriè ac distinctè sumitur; *etenim passer inuenit sibi domum* [f], sequitur enim de turture mentio, *& turtur nidum sibi*; & Chaldæus ponit (*columbam*.) Intemperans quidem, garrulus, lasciuus, vafro passer ingenio; tamen quod obseruasse se scribit Hieronymus, & Pagninus [g] etiam docet, obseruaui & ego, studiosèque aliis consultis Patribus deprehendi verum esse, non nisi ad quippiam significandum bonum à diuinis literis passerem productum. Vnus Cassiodorus [h] passerem deteriorem in partem sumit. Cæterùm adeò vocalis, & sonorus gallus, vt valeat excitare semi etiam sopitum iuuenem: quæuis ergo potiùs alia volucris intelligenda molliùs canens, seu matutino, seu alio tempore: noctu enim præter gallũ silent plurimùm reliquæ. Galli laudes gallinacei cùm aliàs, tum in cantu, & vigilia leges apud Plinium [i], & Ælianum [k], apud Iob [l] etiam, & in commentario Gregorij super eundem; præterea apud Lucianum [m], Alciatum [n], Gesnerum [o], Pierium [p], Aldrouandum [q].

Et obsurdescent omnes filiæ carminis.] Vetus (*obmutescent.*) Sed in commẽtario Hieronymus vulgatæ lectionem meliorem, & Hebræo verbo magis consentaneam affirmat, exponítque de grauiore senum auditu, qui nulla valeat inter voces discrimina scire, nec carminibus delectari, sicut senex de se cum Dauid loquebatur Berzellai [r]. Non est qui discrepet ex iis qui senescentis, vel morientis de signis præsentem locum interpretantur: licèt qui pro (*obsurdescent*) legunt (*depressa erunt*, vel *humiliabuntur*) filias carminis exponant aut de musicis instrumentis, vt Caietanus, quæ deprimantur apud senem (aut morientem) quia his non delectantur; aut de instrumentis vocalibus; vt sunt arteriæ, fibræ, guttur, sicut placet Vatablo, & Clario, fauétque Chaldæa paraphrasis (*& remittentur labia tua à dicendo cantico.*) Olympidorus Græcum respiciens verbum ταπεινωθήσονται, *humiliabuntur*, humiliandas in Iudicio dicit filias cantici, hoc est, animas eorum, quæ in deliciis, & in voce organi, cantúsque suauitate, & musicis instrumentis nimiùm fuerant oblectatæ: aut falsa docentium magistrorum, ac mendacium prophetarum, quæ sonora volubilitate verborũ, quasi dulci quodam cantico, perniciosa voluptate occuparant aures, animósque auditorum: aut Iudæorum animas, quę filiæ sunt cantici Prophetarum; ideò enim has humiliandas, quoniam nõ audierunt canentes Prophetas vocantes ad fidem Christi, verbi gratiâ Esaiam [a], cùm diceret; *Cantabo dilecto canticum dilecti*: aut etiam animas iustorum, quæ admirabuntur & obstupescent, quando adducentur ad iudicium, videbúntque ex alto venientem filium hominis in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. Thaumaturgus ait nefarias mulieres corruituras: Ricardus eas, quæ secundùm idioma Hebræum filiæ dicuntur carminis, id est, solent amare, ac frequentare carmina, & dulces cantilenas (de cãtatricibus meminimus capite secundo) præ nimia doloris amaritudine musicum omnem concentum sonúmque refutaturas, perinde ac si penitus obsurduissent. Et superiùs quidem molentes in humilitate vocis flebile aliquid demissè cantillabant, nunc malo crescente, quæ musicos profitentur modos, in totum obsurdescunt, nec audire, nec sustinentes cantare: Bonauentura, tacendam Antichristi tempore veritatẽ, vel potiùs non exaudiendã: Hieronymus ex Hebræorum sententia, cessaturos in templo psallentium choros, cùm abducentur Hebræi in captiuitatem.

Obsurdescent.] Placet hoc magis, vt dixi, Hieronymo, iuxta vim Hebræi verbi, quàm (*obmutescent.*) Cùm ergo nec vocis humanæ organa, nec instrumenta musica obsurdescant, vel obmutescant, sed propriè tantùm aures, præstat de his nos intelligere, pro vt & plures faciũt. τὸ ταπεινωθήσονται potest quoque ad depressam, atque deiectam audiendi facultatem referri. Verbum Hebræum est ישחו *yschachu*, significans quidem humiliationem, depressionem, deiectionem, incuruationem; verùm non diuerso sensu, quem iam attuli. Vt autem verbum masculinum iungatur nomini fæminino בנות *benoth*, fit non infrequenter idiotismo Hebræo, sicut monet, exemplísque docet auctor thesauri Hebræi [b], quorum exemplorum vnum fuit initio præsentis libri.

Filiæ carminis.] Frequens phrasis, vt filius aut filia huius, illiúsve dicatur rei, res ea, siue animata, siue inanimata, quę ipsi addicta, & obnoxia est, quo pacto בן קשת *ben keschetb*, [c] *filius arcus*, sagittam significat, aut virum sagittariũ, vt vertit vulgata, quæ alibi filiam pharetræ [d]: triticum quoque nominatur filius areæ [e]: Sacerdotes qui vnguntur, filij olei [f]: oliuetum, filius olei [g]: vna nata nocte cucurbita, siue hedera, filia noctis [h]: filius anni [i], qui vixit annum. Explicuimus formulam istam copiosiùs [k], cùm ostendimus qua ratione Christus diceretur filius hominis. Indicatur hoc modo loquendi habitudo quædam passiua, & dependentię, qualis filij à patre, non ita verò actiua: & propterea sicut sagitta nominatur filius arcus aut filia, quoniam ab ea iacitur, eodem pacto filiæ carminis, quæ carmine afficiuntur & delectantur: hæ autem sunt aures. Melior igitur de auribus interpretatio: necnon fauet Aquila (καὶ κλιθήσονται πάντα τὰ τῆς ᾠδῆς, *& inclinabuntur omnia quæ ad cantionem*) videlicet non solùm edendam, sed etiam audiendã pertinent. Obsurdescent sicut

aspides,

[a] vers.11. [b] Psal.10.1. [c] Psal.101.8. [d] Psal.103.17. [e] Ps.123.7. [f] Psal 83.4. [g] in isagog. sacræ Scrip. [h] in Psal.10. [i] lib.10 c.21. [k] lib.14.c.38. [l] c.38.36. [m] in gallo. [n] emble 15. cuius lemma, vigilantia, & custodia. [o] lib.4. [p] in hieroglyphicis.lib. 24. [q] in ornithologia.lib.14. [r] 2.Reg.19. 35.

[a] c.5.1. [b] in radice שחח shachach. [c] Iob 41.19. [d] Thren.3. 13. [e] Esa.21.10. [f] Zachar.4. 14. [g] Esa.5.1. [h] Ionæ 4.10. [i] 1.Reg.13.1. Exod 12.5. [k] Act.7.55.

aspides, ait Galfridus tropologicè, quæ alteram aurem insignnt terræ, alteram obturant cauda: dum hinc quidem obediunt carni, inde verò peccant in spe, & sibi tamen de confessione vltima blandiuntur. Filiæ carminis, id est, deuotæ affectiones, quæ priùs oriebantur ex carmine promissæ iucunditatis. Hoc carmen apud Ezechielem legitur scriptum cum lamentationibus huius vitæ, quæ bonis, & malis reperiuntur esse communes. Vnde etiã vita ipsa à flatu incipit, & cùm illa væ maledictionis æternæ. Ab his quippe lamentationibus alius ad carmen transitus, alius ad væ; id est, alius ad veram lætitiam, alius ad perpetuam maledictionem.

Vers. 5.] Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes.

VEtus (*sed & ab excelsis timebunt*, &c.) hoc est, vt ait Hieronymus, Albinus, Vatablus, Moringus, glossa interlinearis, ardua ingredi non valebunt, & lassis poplitibus, ac trementi vestigio, etiam in plano itinere fluctuantes, offensam gressuum formidabunt. Bonauentura vniuersè accipit de membrorum omnium tremore: Hugo id quoque, sed maximè de capite, & aliis superioribus, lapsis iam poplitibus, atque iuncturis, & ossium ligaturis: Lyranus, & Vallesius de mente ipsa, supremísque viribus animæ, morte ingruentem timentibus, nempe, vt addit Carthusianus, & Clarius, cum expectatione de cœlo mox ferendi iudicij, & ne ruat super eos malum, quam sint ingressuri viam ignorando: Sà, quòd etiam validi timent in senecta: Caietanus, vereri senes alta loca scandere, neu quid de locis altis decidens eos lædat: Titelmannus, adeò pauidos esse iam morientes senes, vt leuissimo audito rumusculo, mox sursum respiciant, quasi quippiam eis immineat mali: territamenta verò, quæ de cælo veniunt, vt coruscationes, ac tonitrua, maiorem in modum exhorrescere: debilitata præterea eorundem imaginatione fieri, vt crebrò putent, timeántve desuper ingruentia mala, quæ nulla sunt. Addunt Hebræi, senes inter somniandum videri sibi versari in locis excelsis, vt in tectis domorum, in summis turribus, in montibus, & casum extimescere. Exponit Ferus de capite, humeris, superiore animæ parte: Vallesius de mente: Lemnius de metu, ne quid imminens de sublimi cadendo lædat.

Omnia vera; primum propter auctoritatem melius, aptiúsque textui Hebræo & Græco, qui excelsa timeri significant, non autem quòd ipsamet excelsa timeant (מִגָּבֹהַּ יִירָאוּ *miggeboah ijrau, de excelso timebũt, ἀπὸ ὕψους ὄψονται.*) Et Hieronymus testis est Symmachum interpretatum (*super hæc etiam de excelso videbunt.*) Affinitas magna Hebraicis in verbis, quorum alterum significat *timere*, יָרֵא *iira*, alterum *videre*, רָאָה *raah*, & in futuro tempore, si vnum dematur י *iod*, eadem ratione scribuntur, vt facile fuerit, Græcos *videndi* verbo Hebræum exponere. Chaldæus alta sumit pro præcedẽtibus, ac superiore vita gestis rebus, quarum timorem incutiat memoria: foréque vt vel tumulus leuis habeatur tunc mons excelsus,

A quando quis se in viam dabit. Hoc vltimum congruit cum Hieronymo.

Iam verò repetendo sensum de Iudicij tempore, Thaumaturgus de vrbium declarat ruina, & strage, magistratuum, qui fuerunt immanes & sanguinarij: Cyrillus Ierosolymitanus, videndum filium hominis venientem in nubibus, túncque concitiendam tribum contra tribum: Ricardus, nusquam fore tutum locum, nullibi pacem, & securitatem, ne in arcibus quidem sublimibus, & inaccessibilibus, quoniam excelsa ipsa timebunt, & formidabunt muta: alij (*in via*) id est, in plano & exposito loco, aut dum fugient: Hebræi apud Hieronymum, cùm hostes Dei aduenient, fore vt Hebræi ipsi magnitudinem Dei formident, ac in
B via ipsa dubitent, videntes fugam, & cædem Sennacherib [a]: Hugo Cardinalis, timorem passuros tempore captiuitatis Babylonicæ, vel Romanæ, principes Synagogæ: principes Ecclesiæ tempore calamitatis Antichristi: in Iudicio virtutes cœlorum, & alios Sanctos: Bonauentura, omnes magnos potentiam Antichristi formidaturos, ac præ timore illum adoraturos. Pergens Galfridus de elatis explicare, ait nec in ipsa elatione sua, qua renuunt humiliari sub timore Dei, posse esse securos: quamlibet enim elongentur à via vitæ, nõ carituros sollicitudine, & timore.

Excelsa quoque timebunt.] Non est casus nominatiui, sed accusatiui, vt docent editiones aliæ,
C quæ habent (*de excelso*) vel (*ab excelso*) vel (*in excelsum*) sicut iam notaui.

Timebunt.] Græcè (*videbunt*) cuius causa quoque nuper assignata est.

Et formidabunt in via.] Græcè (*καὶ θάμβοι ἐν τῇ ὁδῷ, & pauores in via*) Aquila (*τρόμῳ τρομήσουσιν ἐν τῇ ὁδῷ, tremore trement in via*) Hebraicè (חַתְחַתִּים *chathchathim, contritiones*, aut *pauores in via*) ita vt præ lassitudine, ac debilitate senij non valeant incedere, vel vereantur, ne quid offendant.

In via.] Dixi etiam Ricardum S. Victoris legisse tanquam integrum vocabulum (*inuia*) sed profectò reclamantibus cunctis codicibus, & auctoribus.

Florebit amygdalus.] Chald. (*germinabit caput*
D *spina tuæ præ macie sicut amygdalus*) Hieronymus (*capillus incanescet*) addens quosdam interpretari sacram spinam, quòd decrescentibus natium carnibus illa, seu os fœmoris, succrescat, & quodammodo floreat. Id sibi videtur velle Paraphrastes, necnon & Rabbini quidam, de quibus Pagninus. De canitie autem cæteri consentiũt literales Explanatores, & Eucherius [b], & Pierius [c]; minùs placet quod Hugo addit de iuuenibus, qui canescunt aliquando, aut amygdalo genitale quoque membrum intelligi, iuxta vulgarem Romanum sermonem, qui tamen potiùs originem habuerit à Latina voce *mentula* (fructum illum vocant Italicè *amendola*, vel *mendola*) quàm ab amygdalo;
E neutrum enim ad rem præsentem: nec Latini ea significatione amygdalum vsurpant, sed Itali; nec huius canitiem membri, vt Rabbini quidam volunt, licèt postrema sit, & concedatur שָׁקֵד *schaker* id significare, credibile est, Salomonem indicare voluisse. Iuuenes canescere nõ adeò solitum; sed prodigiosum potiùs, aut singulare, vt de nonnullis à pueritia in Albania Plinius prodit [d], & de seipso Horatius [e], qui quadraginta quatuor annos natum vocat se præcanum: & Cardinalis Paleottus [f] testis est vidisse se sexennem, vel septennem apud Faliscos puerum Traianum capite ad-

[a] 4 Reg. 19. Esa. 37.

[b] quæst. vet. Testam. in Eccle.

[c] libr 51. hieroglyph.

[d] libr. 7. c.

[e] lib. 1. epist. 20.

[f] de bono [...] nect. p 1.

modum

modum cano. Denique nonnullis, dum ægrotát, pilos incanescere, cum valetudine nigros redire, testis, vt dixi, Aristoteles [a]: sicut & per metaphoram ἠριγέρων planta nominatur, senescens vere, Latinè senecio [b], & alia πόλιον, quasi cana [c], & cardui flos; qui vt floccus euanescit, γήρειον [d].

a 1. de hist. animal c. 11.
b Dioscorid. libr 4 c 99.
c idem lib. 4. c. 118.
d Aratus.

Non etiam Titelmannus audire debuit, quos refert dixisse (sic loquitur Caietanus) dum floret amygdalus, albescere; non enim ipsa, sed flores tantùm, hi verò & primi existunt, & maximè sunt albi præ cæteris arboribus. Neque rectè rectiorem Caietanus de Hebræo versionem dixit (*reprobabitur amygdala*) volens denotari abominationem cibi mádendi, eo quòd frúctus hic mandi difficilè possit: nam cortice ac putamine nucleum inclusum nec valentissimi quidem iuuenũ dentes facilè mandunt: extra corticem & putamen pari facilitate senes eundem, vt alios non paucos cibos. Pagninus Rabbinos secutus, quos citat in thesauro, exponit quòd reprobabitur coitus: credo, quòd prima in arboribus veluti ex quadam vi generandi proferat amygdalus flores suos. Vocant Hebræi שָׁקֵד *schaked*, à vigilando, & festinando, quòd reliquarum arborum prima florem protrudat; & Rabbini citati à Pagnino poni per translationem notant pro membro generationis. Duplex est Hebræũ verbum נוץ *nuts*, & נָאַץ *naats*: primum significat *florere, pullulare, germinare, erumpere*; secundum *spernere, abijcere, reprobare, floccifacere.* Græci, & Hieronymus in vtraque versione legerunt primum, sed cum א *aleph* quiescente, vice י *iod.* vel ו *vau*, vt cùm ponitur קָאם *kam* pro קָם *kam*, & sic habent Hebræi codices cum punctis hoc loco in futuro יָנֵאץ *ianets.* His credendum magis, præsertim cùm proximè sequentia verba de dissipata libidine passim declarentur. Aliam notionem verbi יָנֵאץ *ianets* tradit R. Abenezra, & accipiens vocabulũ Hebręum שָׁקֵד *sciaked*, vt *thoar*, pro facilitate custodiendi, & aduigilandi, declarat, quòd sese negligat, auersetúrque custodiam sui, non caueat sibi, neque curet valetudinem tueri.

Mysticè Hebræi illi, quos commemorat Hieronymus de sua loqui captiuitate, virgam eam vigilantem sumebant, vt reddunt quoque Symmachus, & Aquila, quæ à Ieremia [e] minaciter prædicta est, vbi Theodotio vertit virgã amygdalinam, quod Syriaco & Hebraico respondere notat Theodoretus: baculũ nuceum Septuaginta, βακτηρίαν καρυΐνην. Olympiodorus, & Cyrillus Ierosolymitanus [f] interpretantur gloriam resurrectionis in corpore, anima, spiritu, velut in amygdali viridi cortice, testa lignea, nucleo (Cyrillus solum exprimit corpus:) aut Christum ipsum, qui dicitur virga Iessè [g], & cuius typus fuit Aaron germinans virga [h], perfectam verò tribuet in futuro seculo doctrinam, atque felicitatem: Thaumaturgus grauitaté supplicij circa Iudicij tempus, quod supplicium ingruat in sanguinarios, vt ver amygdalo florente: Ricardus in fine mundi frugiferas arbores florem duntaxat, quem prima mittit amygdalus, ostensuras, non reddituras fructum, famem verò grassaturam: Salonius verò, quòd nascetur Christus habens corium, os, nucleum, carnem, Diuinitatem, animam, & coruscabit miraculis: Bonauentura, quòd florescet miraculis Antichristus, ac signis magnis: Hugo Cardinalis, Synagogam, quæ inter omnes nationes fidei ac virtutum prima flores exhibuit, bonis spiritualibus ac temporalibus abundaturam. Gre-

e c. 1. 11.
f catech. 15.
g Esa. 11. 1.
h Num. 17. 8.

A gorius [a] ait designari sanctæ Ecclesiæ primordia, quæ in Prædicatoribus suis primitiuos virtutum flores aperuit, & ad inferenda poma bonorum operum venturos Sanctos quasi arbusta sequentia præuenit: Rupertus [b] eandem rursus Synagogam, Iudæósque, qui cùm aliquando virides fuerint, & recti incesserint, contracturi canitiem essent, & vix curui incessuri cruribus tumẽtibus, vt accidit impinguatis, & leui transacta iuuentute locustis, de quibus mentio subditur proximis verbis. Galfridi tropologia est, vt amygdalus, quia nux longa est, spem designet æternitatis, qua nihil longius. [Florebit in specie pietatis, inquit, non fructificabit in virtute, quia sola exinde impinguabitur locusta, eosdem flores deuorás, propria scilicet vanitas, vel aliena loquacitas. Hyemalis quædam præpropera gloria téporis huius in floribus amygdali arguitur, quòd florere appetat ante tépus: siquidem arbor illa hyeme floret.] Habet similia Innominatus, quem citat in adagialibus noster Delrius, de symbolo æternæ spei in amygdalo, quæ nux longa est. [Non enim, inquit, de facili in nuce, sicut in pomo, pertingitur ad saporem, &c. Huiusmodi arbor frondet in sermone, floret in spe, fructificat in opere, & veritate, &c.]

a 31. moral. c. 20. vel 12.
b in c. 9. Apocalyp.

B

Impinguabitur locusta.] Chaldæus (*inflabuntur tali pedum tuorum.*) Eundem tumorem pedum plures ad literam interpretantur, vel crurium, & C podagram, quæ saltem plerumque senibus accidat: Bonauentura genericè totius corporis tumidam inflationem ob debilitatem caloris digerentis, atque propter copiam phlegmaris aquosi, & indigesti: Lyranus ac Titelmannus distensionem ventris. Vallesius comparationem ductam vult ex marina locusta ostracoderma, hoc est, crustæ testaceæ: seni autem siccari, & durescere cutem, & callosam in ea erescere duritiem, quasi locustæ crusta fiat. Motingus notat crassioribus locustas esse feminibus, vt in India, vbi ternum pedũ longitudinis tradit esse Plinius [c], atque crura, feminàque ferrarum vsum præbere. Caietanus ex He- D bræo vertit (*& onerabitur nates*) has adeò senibus esse graues, vt sedentes vix queant surgere. Hieronymus peritissimus Hebræi sermonis nomen חָגָב *chagab* duo docet significare, *talum*, & *locustam*: exponit verò, sicut alij communiter, idque per etymologiam, de cruribus tumentibus, & podagra grauatis. Vatablus interpretatur (*seipsam gestat cicada*) & Clarius (*grauabitur locusta*) & vterque sensum esse, grauem quoque locustam futuram, ita vt nihil senex ferre præ viriũ valear infirmitate: alij (*onerabitur dorsum*) Pagninus (*onera erit locusta.*) Refert idem alias expositiones Rabbinorum pro amore libidinoso, & pro membro virili (meminit Hugo Cardinalis, idque propter saltus E Venereos) & pro dorso incuruo instar locustæ. Sed plures nomen sumunt pro locusta, & constat verbum יִסְתַּבֵּל *isthabbel* significare, *onerabitur*, seu *grauabitur*, aut *onerabit*, & *grauabit se*, nempe vel dorsum senes vt locusta, vel hæc supra illud. Græci, & Interpres Latinus *impinguandi* sunt vsi verbo, quia difficultas oneris portandi prouenit senibus plerumque ex hũmorum copia, quibus intumescunt, perinde ac si reuera pinguescerent.

c lib. 11. c. 39.

Assentior pluribus de crurium ac pedum tumore; ad quod nec ad Indicam recurrendum locustam, nec ad marinam ostracodermam (de locusta quam edebat Ioannes [d] alibi dicendum.) Cuius locustæ longiores sunt, grauiores, ac

d Matt. 3. 4.

debiliores pedes, ventrosa est, totúmque corpus eius nihil ferè nisi venter, vt nec incedere, nec volare rectè possit, sed saltitando erigere sese in sublime quasi volatura, móxque nimio ventris pondere ad terram depressa cadere cogatur. Hactenus litera.

Hebræi locustam sumebant pro Nabuchodonosor cum exercitu, vel pro Romano milite sub Tito: Thaumaturgus pro crebris multísque plagis ante diem Iudicij: Olympiodorus pro peccatorum corporibus, quæ depascet infernus, ita vt pinguescere videatur: Cyrillus Ierosolymitanus pro anima, quæ soluetur mole corporis, & auolabit vt locusta; exponit autem τὸ παχυνθῇ, non vt significet pinguedinem, sed dilatationẽ, quasi anima priùs esset velut in angustiis corporis: Ricardus pro summa penuria, quam vastans fruges inducit locusta, vt Ioël [a], aliíque Prophetæ [b] similem describere calamitatem solent: Salonius pro populo Gentili, qui Christo hîc doctrina, miraculísque coruscãte credet, ac replebitur donis spiritualibus. Addit Hugo temporalium quoque copiam, & affert præterea moralem sensum, quem tu lege, sicut & Galfridum [c]. [Impinguatur cor, ait vltimus, contemplationis saltus dare non poterit; *incrassatus est dilectus* [d]. Locusta leuitas est vanæ gloriæ; vel detractores, aut adulatores ore nocentes, nec lòco stantes (quasi hæc sit etymologia locustæ à stando, & à loco, vt lusum narratur à Gregorio magno Pontificatum fugiente) quia, qui verum dicit, non laborat.] Innominatus citatus cum priore in collectione allegoriarũ per Godefridum Tilmannum, affert similia: & locustam de falso teste dici, non modò quòd ore noceat, sed quòd nullatenus loco stet. [Siquidem à contrario, inquit, eiusmodi obtinuit nomẽ, quòd minimè certam in loco vno, hinc inde saliẽs, habeat stationem. Sic nimirum falsus testis circuit, & tergiuersatur, certum non habens fundamentum veritatis, cui innitatur. Et quid tam falsũ est, quid tam fallax, quàm vana gloria?] Petrus Lombardus apud eundem Tilmannũ posita amygdali allegoria de Christo, cuius antea memini, docet florente hac amygdalo per resurrectionem, impinguatam esse locustam, id est, populum Gentilem, & dissipatam capparim, id est, populum Iudæorum: illum populum per locustam designatum, quia sicut locusta saltu mouetur, nec nisi saliendo ambulat, & inordinatè fertur; ita Gentilis non pedetentim, sed quasi saltu raptatur per vitia varia colens idola, vt Apostolus [e] meminit. [Hæc locusta, inquit Lombardus, cùm priùs esset tenuis, & macilenta, squalida, & infœcunda, florente amygdalo impinguata est, id est, resurgente Domino, deuotione fidei repleta, & pinguedine charitatis. Sed impinguata locusta, dissipata est capparis; quia dum *sterilis peperit plurimos, quæ multos habebat filios, infirmata est* [f]. Capparis petræ inhærere dicitur, & renibus valere. Sic quondam Synagoga Christo inhærebat.] Hactenus ex Lombardo. Sed Bonauentura impinguationem per bona temporalia tribuit Antichristo, qui largiturus sit iis illa, quos seducet. Gregorius [g] vltimam tropologiam tradit. [Et quid in flore amygdali, nisi sanctæ Ecclesiæ primordia, inquit, designantur? quæ in Prædicatoribus suis primos virtutum flores aperuit, & ad inferenda poma bonorum operum venturos Sanctos quasi arbusta sequentia præuenit. In qua mox locusta impinguata est, quia sicca Gentilitatis sterilitas

a Ioel.1.4.
b Exod.10.4.13. Amos 7.1.
c in allego. & tropologiis ex vtroque Testamen. in hoc c.12. Eccle
d Deut.32.15.
e Rom.1.23. & seqq.
f 1.Reg.2.5.
g 31. moral. c. 12. vel 20.

A pinguedine est gratiæ cœlestis infusa. Capparis dissipatur, quia cùm gratiam fidei vocata Gentilitas attigit, Iudæa in sua sterilitate remanens, bene viuendi ordinem amisit.] Confirmat hanc locustæ mysticam acceptionem loco vno ex Prouerbiis [a]; docet verò etiam alias & pro Iudæis, & pro lingua cuiuslibet adulatoris. Videndus quoque Rupertus in Apocalypsim [b], & alij, tũ verò ex recentioribus, duo nostri Ribera, & Viegas; Pererius [c] quoque cùm disserit de plagis Ægypti, & Cardinalis Bellarminus quadam oratione ad controuersias [d], in qua demonstrat aptissimè designatos hæreticos in Apocalypsi per locustas: præterea Beda cũ aliis Interpretibus Prouerbiorum [e], & omnium accuratissimè post omnes de
B huius animalis natura, qualitatibus, vsu naturali & mystico scripsit Aldrouandus [f].

Et dissipabitur capparis.] Chald. (*prohibeberis à concubitu*, מִן־מִשְׁכְּבָה *min maschechebah*) Heb. (תָּפֵר הָאֲבִיּוֹנָה *thapher haabijonah.*) Pagninus vertit (*dissipabit auiditas*) & exponit passiuè dissipandam concupiscentiam luxuriæ; necnon Lyranus, & Vallesius, & glossa interlinearis, & Hieronymus, & Albinus, & Arborcus, & Hugo Cardinalis, & Carthusianus, & Bonauentura, & Sà, & Eucherius. Clarius, ac Titelmannus explicant desiderium & concupiscentiam erga mulieres, vel ciborum appetitum: Caietanus, & Moringus solum cibi ap-
C petitum, potúsque. Hebræum nomen latè patet, significátque *concupiscentiam, desiderium, vim concupiscibilem, coitum* quoque, & *membrum virile*, vt Rabbini tradunt, nulla mentione facta de cappari. Soluit anima concupiscens, ait Rabbi Dauid, fœdus suum cum corpore.

Marcus Marinus in thesauro linguæ sanctæ vniuersaliter accipit dictam vocem pro voluntate, desiderio, appetitu, locúmq; præsentẽ reddit (*labefactabitur voluntas*) nimirũ senem; remanet enim, inquit, sola vis in sene concupiscibilis, eúmque torquet, cùm nequeat perficere quod concupiscit. Hic planè cæteris contrarius videtur sensus, non tamen est, quoniam qui maximè vult, minimè vult, dum nihil definitè appetens vagatur desiderio confuso per omnia, quem dicimus *suo-*
D *gliato*; & verbum תָּפֵר *thapher* fauet, significans *franget, conteret, irritum, cassúmque reddet, abolebit.*

Adiungo me pluribus Venereum interpretantibus appetitum, qui senes ac moribũdos penitus deficit. Credo Hieronymo, qui Hebræum affirmat ambiguum vocabulum non *amorem* dũtaxat significare, *desiderium, concupiscentiam*, sed *capparim* quoque. Græcis credo *κάππαριν* reddentibus, dempto Symmacho, quem sibi non placere, vel Laodicenum, qui sequitur ipsum, significat idem Hieron. dum sic ille versum hunc totũ enarrat (*super hæc etiam de excelso videbunt, & terror*
E *erit in via, & obdormient vigilantes, & dissoluetur spiritus fortitudo: ibit enim homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes.*) Suspicor Symmachum illis verbis (*dissoluetur spiritus fortitudo*) comprehendisse symbolicas illas voces amygdali, locustæ, capparis, quibus denotatur debilitari, ac frangi in senibus vitalem spiritus fortitudinem, robúrve, & vires.

Quod ad capparim notum fruticem spinosum spectat, de eo Physiologi, Theophrastus [g], Plinius [h], Dioscorides [i], Galenus [k], Mathiolus [l], Achilles Aldrouandus [m]. Hoc proposito conuenit, quòd appetentiã excitat, maximè sũpta, vt ait Ga-

a Prou 30.24.
b c.9.
c in c.10. Exo.
d præfixa est tomo vltimo cõtrouersiarũ.
e c.30.24.
f lib 4. de insectis c.1.
g 3. de plan. c. 1. & lib. 6. c. 5.
h lib. 13. c. 23. libr. 19. c. 8.
i libr. 2. c. 204.
k 7. simpl. medica & 2. de alimẽ. facult. c. 34. & 1. de arte medendi c. 174.
l in Dioscor. sup. & c. 169.
m in opere de plantis.

lenus, in prima mēsa ex oxymelite, hoc est, ex aceto, & melle, aut ex oxelæo. i. ex oleo, & aceto: Venerem præterea instigat, auctore Auicenna, quē citat Vallesius Pictius [a]. Hic quosdā refellit, qui scripserunt cappari libidinem refrigerari, decepti hoc textu, nec animaduertentes Salomonem notare voluisse, cessare tum libidinis ardorem, cùm capparis nulla esse cœperit; perinde ac si Græci per fabulas suas philosophentur, tunc ardorem Leandri gelidis aquarum fluctibus extinctum esse, cùm primùm Herus lucerna fuerit extincta. Idem [b] ex Philemone refert extenuari corpora victitantibus cappari, sicut & asparago, ac thymo, quæ cognominat *πέτραγεῖα, petrosa*, seu *in petrosis nascentia.*

a lib. 5. c. vlt.
b lib. 58. c. 34. & 35.

——Καὶ νὴ τὸν Δία
Τὰ πέτραγεῖα ταῦτ' ὀψάρια, κάππαριν,
Θύμον, ἀσπάραγον, αὐτὰ ταῦτά γε δέδοικα,
Μὴ λίαν ἰσχναίνων μὲ ποιήσῃ νεκρὸν.
——Atque per Iouem
Innata petris obsoniala, capparim,
Thymumque, & asparagum, & alia huiusmodi
Quàm vereor, extenuatione pra nimia
Ne me cadauer examinum humi deferant.

Quocirca per metonymiam significabit hoc loco capparis cibi appetentiam, vel rei Venereæ, quam esus eius efficit: in sene autem, ac moribūdo, quibus calor deficit, vtraque dissipatur. Suspicatur Hieronymus Osorius iunior, cuius diu post hunc nostrum commentarium, quem denuò retractamus, ac locupletamus, prodiit commentarius, *κάππαριν* deriuari à *καπρᾶω*, quod est *Venerem excito*. Verisimilior deductio verbi *καπρᾶω* à nomine petulci, ac libidinosi animalis, cui nomen *κάπρος*. Ex quadam alia capparis proprietate, vt proueniat libentiùs in locis incultis, & inuiis, in ruderibus, & sepulcris [c], colligit nouum alium Vallesius, quem magis quoque diligit probatque sensum, describi per capparim mortem ipsam ac funeralia, sicut & elegiacos, ac præficas per sequentia proximè verba (*& circuibunt plangentes in platea*) quasi diceret Salomon, eò tandem senes euasuros, vt dissipetur capparis occupans sepulcra, quæ veteres Iudæi, Gentilésque olim habebant in campis, vt aliàs docui [d], & aperiatur sepulcrum, in quod mortuus deducatur cum luctu, & planctu. Non assentior, non tantùm quia nimis restringitur res ad sepulcra, cùm nascatur capparis in collapsis parietibus ædificiorum, in ruderibus, asperisque locis, & seri præterea possit vt segetes ac legumina, Plinio [e] teste, atque quotidiano vsu; verùm etiam quia pergit adhuc postea senectutis noxas & signa, vel moribundi auctor enumerare, quæ nunc *κατὰ πρόληψιν* de obitu facta mentione, intercidisse, minùs probabile, cæteris maximè contrarium adeò constanter sentientibus.

c Arist. sect. 20. problem. in 11. Dioscorid. Mathiolus, Theophrast. qui negat nasci in locis cultis supra
d Act. 5. & 8.
e lib. 19. c. 8.

Vt autem institutam prosequamur loci huius totius obscurissimam, maximéque symbolicā, & ænigmaticam explanationem, & mysticos recitemus sensus, qui nonnullis quoque paucis litterales videntur; Hieronymus Hebræos refert capparis intellexisse dissipationem de amicitia Dei cū ipsis. Certè אֲבִיּוֹנָה *abyonah* ab אָבָה *abah* id significat, vnde charissimū nomen אב *ab. pater*. Thaumaturgus explicat improbos auferendos de medio velut despicabilem, ac displicabilem nigram capparidē. Tale quid ait Cyrillus [f] Ierosolymitanus, iniquos spinosos homines dispergendos: Olympiodorus, amarorem ac salsedinem fruticis de-

f catech. 15.

notare anxietatē, sollicitudinémque peccati; futuru autem vt post iudicium florētibus iustis instar amygdali, traditis peccatoribus inferno tanquam locustæ, deinceps cesset peccatum, nullis ampliùs in mūdo qui peccare possint, existētibus: Salonius, periturum propter infidelitatem populum Iudaicum, credēte Gentilitate, donisque spiritualibus repleta. Idē voluit Gregorius [a] exponens, sicut iam antè notatum est, Iudæam in sua sterilitate remanendo, bene viuendi ordinē amisisse. Ricardus dissipatam capparim, sicut locustā impinguatam, ait designare famem, ac penuriam extremam. Est videlicet vile satis olus capparis; vnde paræmia, *πρὸς κάππαριν ζῆς δυνάμενος περὶ ἀνθίας, cappari victitas, qui potes anthia* [b]. Nescio an ioco risúque, vt per viliorem rem, vtilémve, Zeno iurare per capparim voluerit [c], quemadmodū per crambem Iones [d]. Ambigi etiam possit, vtrū inde suum illud (*cappari*) Itali sumpserint, quo, vt interiectione vtuntur ad admirationem cum asseueratione indicandam. Bonauentura, quia prouocat capparis libidinem, dissipandam capparim, quia carnales metu tormentorum, quem inferet Antichristus, recedent à fide. Capparis, ait Galfridus, spleneticos curat, vt aiunt, purgando melancholiam, sicut charitas fraterna malitiam. Est ergo sensus, capparis dissipabitur, id est, fraterna charitas dissoluetur, quę per capparim designatur: quia herba, vel arbuscula est calidissima, & in parietibus oritur, per quos fraterna vnanimitas intelligitur.

a 31. moral. c. 10. vel 20.
b Plutarc. 4. sympos. q. 4.
c Laërt. in vita Athen. lib. 9. c. 1.
d Athen. ibid.

Quoniam ibit homo in domū æternitatis suæ.] Chaldæus (*etenim declinat homo ad eundū in domum sepulchri sui*) Hebr. (*quia vadens est, seu vadit ad domum seculi sui,* כִּי הֹלֵךְ הָאָדָם אֶל בֵּית עוֹלָמוֹ *chi holech haadam el beth hholamo*) Græcè (*ὅτι ἐπορεύθη ὁ ἄνθρωπος εἰς οἶκον αἰῶνος αὐτοῦ.*) Triplex tempus, præsens, præteritum, futurum, indicat fluxum senilis ætatis, aut moribundi, &, vt Chaldæus loquitur, declinationem. Nomen Hebræum quid valeat, seu notatum puncto holem pleno, seu non pleno, aliàs docui. Hieronymus, vt & Chaldæus, hanc domum accipit sepulchrum, in quod exequiis celebratis, ac plangentium funus turba præcedente, mortuus inferatur, non ampliùs rediturus in hanc vitam. Quo pacto cæteri statum ipsum mortis appellant domum æternitatis, quoniam mortuus redire secundùm naturæ vires penitus nequit ad vitam; & cùm resurget per potentiam Dei, ad immortalem transibit. Est quoque mortuis domus æternitatis vel in inferno, vel in cœlo, vel in limbo: inter horum locorum incolas chaos magnum firmatum est [e], &, vt antè vidimus [f], *si ceciderit lignum ad Austrum, ibi erit, si ad Aquilonem, ibi erit: hic* autem *non habemus ciuitatē permanentem* [g]; & anni vitæ nostræ comparantur vigiliæ, seu custodiæ noctis, & nihilo [h]. Caietanus dictam vocem Hebræam עלם *hholam, mundum* vertit, sed eodem sensu, vt scilicet moriens tendat ad domum mundi sui, quasi hic non ipsius proprius sit, sed velut precariò habitatus. Similes dicendi formulas vsurpant auctores quoque profani, appellantes æternam domum, perpetuam, & sine fine, æternos lares, perpetuas sedes, æternam quietem, æternam possessionem. Sed ne suspiceris errore de animæ immortalitate, vel resurrectione, sic illos loqui, pij scriptores non abhorrent; vt Paulinus [i], Sidonius [k], & alij, volentes, præter eas, quas dixi, causas, deno-

e Luc. 16. 26.
f c. 11. 3.
g Heb. 13. 14.
h Ps. 89. 5.
i ep. ad Pammachium.
k lib. 3. ep. 8.

tare

rare huiusmodi sepulcrum, vnde transferri cadauer non possit, & quod non sit duntaxat temporarium. Ita quidem Paulinus de agro quē humandæ vxori Abraham comparauerat: sed hac ipsa de re memini alibi dixisse. Eodem sensu Ennius corporis portum nominabat sepulcrum: Dauid [a] domum etiam æternam: & Iob [b] dixit morientem in perpetuum transire.

a Psal.48.12. b c.14.20.

Mystica hîc explicatio non alia est, sed quod de mortuorum statu dicitur, aptandum aut Hebræis in captiuitate, aut omnibus circa Iudicij tempus. Thaumaturgus, Olympiodorus, & Bonauentura abitum per obitum in domum æternitatis, spectare volunt ad iustorum felix domiciliū: sicut è contrario circumeuntes cum planctu aiūt esse improbos, qui sub idem tempus, vel ipsomet etiam Iudicij tempore plorabunt, ac percutient se [c]. Rectè quoque Ricardus ponderat possessiuū pronomen (*sua*) denotare domum æternitatis, ac statum perpetuum in alia vita cuique obuenturum pro meritis. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua* (maximè æternitatem) *& in æternum non peccabis* [d].

c Apoc.1.7.

d Eccli.7.vlt.

Mysticè secundùm mores Galfridus explicat, quòd oblitus se esse in tabernaculo, errando tendit in domum seculi huius, quam amando, quasi fingit æternam. [Suam dicit non verè, inquit, sed quam sibi ipse fecit. Misera domus, rea conscientia, cuius fundamentum obstinatio, tectum simulatio: paries anterior negligentia: posterior impœnitentia: dexter ingratitudo beneficiorū: sinister impatientia tribulationum. Vtrimque enim aduersùs eū, qui salutem nostram in rebus quærit vtrisque, velut obiectis parietibus claudimur, si ingrati ad beneficia, duri ad flagella fuerimus.]

Et circuibunt in platea plangentes.] Hoc pertinet ad exequias, & funebrem pompam, luctúmque, de quo satis alibi [e]; legendíque Ioannes Kircmannus, & Iacobus Grutherus in propriis tractatibus: vel ad lamentationes improborum, vt iam attigimus, tum iudicio ingruente, tum pronunciata sententia: vel ad abactos in captiuitatem Iudæos. Circuitio denotat irrequietum, anxium, agitatum animum, corpus quoque multifariam vexatum, vsque ad motionem mentis, insaniámque, præ dolorum acerbitate.

e Act.8.& 9.

Quis verò scit præficæ, aut sicines, & elegiaci, cantantes elegos & nænias ad tibiam, vel tubam, vtrùm etiam in orbem circumagerent sese? Proposito id certè non necessarium: circuire idē potest esse quod circumdare, atque ambire, & circumfluere ad lamentandum, & deducendum funus, quauis hoc tandem ratione fiat, tum per plateam, forúmque (ἀγορὰν) intra ciuitatem, tum etiam extra, vsque ad sepulcrum in agro, & campo, vbi mos erat Iudæis, & aliis sepelire. Meminit Halicarnasseus [f] in illustrium virorum funeribus satyricos choros lectulū præcessisse, & sicinnem saltationem saltasse, præcipuè verò in fortunatorum virorum funeribus. Liberum apud Romanos fuisse absque gemitu funus celebrari, Ennius [g] innuit;

f lib.7.

g in epitaphio.

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Planxit, quur? volito (viuo) per ora virûm.

Nec dissimilia illa Horatij [h];

h lib.2.ode 20.

Absint inani funere næniæ,
Luctúsque turpes, & querimoniæ:
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte superuacuos honores.

Prætulit Cicero [i] Ennij sententiam Solonis di-

i Tusc.1.

A ‖ cto, qui nolebat mortem suam dolore, ac lamentis amicorum vacare.

Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
Καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα, καὶ στοναχάς.

Quæ sic vertit idem M. Tullius;

Mors mea ne careat lacrymis: linquamus amicis
Mœrorem, vt celebrent funera cum gemitu.

Chaldæa Paraphrasis aliter hoc modo (*& circumdabunt Angeli inquisitores iudicij tui, vt lamentantes, qui circumdant per plateam, ad scribendum iudicium rationis tuæ.*) Notabilis de Angelis traditio circūstantibus moribundum, & bonis, & malis, sicut aliàs [a] aliorū firmioribus docui testimoniis. Galfridus tropologico sensu plateam etymologicè explicans viam latam, & amplam, in ea circuire murmuratores docet, exquirentes, & vix inuenientes vnde plangant, vnde murmurent, vnde causentur. [Occasiones enim, ait, murmurationis exquirunt, nunc verba, nunc facta, nunc suspiciones proprias sectantes: plangentes antequam rumpatur (hoc deinceps hîc additur) funis argenteus: plangentes, quòd non omnia ad votum prorsus occurrant: non timentes, sicut debuerant, ne via lata in profundum demergat inferni; sed causantes, quòd sibi adhuc videatur angusta. Et maior est nunc planctus in platea, quàm olim fuerit in via arcta.]

a disput de Angelis.

B

C

Vers. 6.] Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam.

SYmmachus (καὶ πρὶν κοπῆναι ἀπὸ σχοινίου ἀργυροῦ, *& antequam incidatur à funiculo argenti.*) Quæ à primo versu hucusque interiecta sunt, grande hyperbaton vocant Hieronymus, & Albinus, post quod simili cœptam sententiam fine Salomon concludat. Funiculum porrò argenteū, vel argenti, candidam dicūt esse hanc vitam. Idipsum

D Arboreus, ita vt dies iuuentutis initio capitis positi, symbolicè describantur per funiculum argenteum, imò & per vittam auream, quæ statim hîc subiicitur. Hoc & alia quæ sequūtur quatuor Caietanus mortem concomitantia vocat, priora quæ sunt hactenus exposita, signa præcedentia: Bonauentura, neruorum inuolutionem, qui albi sūt, & corpus cingūt, ac ligant, sed in morte dissoluūtur: Hugo, cartilaginem, quæ continet medullam spinalem coloris argentei post decoctionem; vel vitæ continuationem; vel iuuentutem, in qua florere videtur homo; quod vltimum habet etiam glossa interlinearis: Lyranus, harmoniā, qua colligantur elementa in corpore viuēte:

E Carthusianus, & hanc, & splendidam vitam diu instar funiculi protractam: Caietanus, humorum cōcatenationem, qua nihil post animam melius: Vallesius, spinalem medullam cum neruorū qui ex ea oriuntur distributione; neruis enim vt quibusdam funiculis alligari, firmaríque corporis omnes partes: & quia pertinet ad neruos sensus voluntarius, qui per musculos obitur, quando laxatur illi quasi funes dirupi, sequi paralysim: senet autem hanc pati solere, ob debilitatem neruorum, & abundantiam succorum crudorū: Vatablus, quando retrahitur, ac veluti religatur medulla per spinam dorsi transmissa, dorsum incuruari. Eodem ferè pacto Clarius, & Sà.

Titelmannus explicat comparationem vitæ nostræ cũ funiculo argenteo, quia sicut ex tactu, & conuolutione fragilis lini fit funiculus, sic illa ex diebus inuicem succedentibus nexu quodã, & quidem breuibus:& argenteus est hic funiculus,quia habetur in pretio vita, fruiturque luce, qua caret damnatorum vita, versans in caligine, ac potiùs piceo similis funiculo. Moringus exponit de studio pecuniæ, quo mens hominis ceu funiculo nunc implicatur, sed in morte prorsus abrumpitur.Paraphrastes Chaldæus(*antequam*,inquit, *obmutescat lingua tua à loquendo*)quasi longior lingua funis sit, aut illa capere alios soleat, sicut de Gallico Hercule fabulantur. Postremæ expositiones duæ non placent:ex aliis eligas quæ certum quid assignat: nimis enim genericum vita ipsa,diésve illius.Si mysterium requiris,Hebræus gloriam suam ex opibus, aliísque rebus, quibus nitescit,ac ditescit Respublica:Thaumaturgus,& Olympiodorus interpretantur interitum diuitiarum, hásque sequentibus etiam verbis denotari, cuiuis autem contemnendas Iudicij tempus attendenti. Ricardus idem magis exprimit vim faciendo in voce *funiculi*,solere nimirum res quaslibet pretiosas argenteis funibus appendi, suísque locis affigi:sub id autem tempus homines indignationis ac furoris plenos eas res violentè reuulsuros,&ruptis funibus argenteis in terram, atque in sterquilinium proiecturos.Longè Cyrillus Ierosolymitanus aliter:astrorũ videlicet complicationem denotari, quoniam astra visus iudicat alba, quasi illud sit, quod Christus de stellis
a Mat.24. 29. prædixit, casuras de cœlo [a].Aliam tropologiam dant Olympiodorus, & Hugo;de doctrina sacræ Scripturæ, quæ solet argentum nominari, ac instar triplicis funiculi,atque flagelli malas nostras affectiones,& vitia depellit. Sed anagogen vult esse Bonauentura, qua dicta iam in Iudicio sententia,cessabit mundana eloquentia,quæ sonum edit gratum auribus,& verba nectit, quibus colligat,& liget:*Amice, quomodo huc intrasti non habens*
b Mat.22.12. *vestem nuptialem? at ille obmutuit* [b]. Funiculum argenteum Galfridus accipit pro sermone diuino (per argentum enim diuina eloquia figurantur) qui opera nostra coërcet:rumpi,cùm iam stultus non corrigitur verbis: expedire meminisse creatoris, antequam immemores eius,omnino dissoluti inueniamur,nec fune ligati,nec vitta(de qua postea)redimiti.

Rumpatur.]Græcè(ἀνατραπῇ, *euertatur*)Hebraicè (יִרָחֵק *ierachek, elongetur*)hoc est,distendatur:frangitur verò ac rumpitur quod nimis in longum distrahitur, tandémque remouetur; quod etiam significat Hebræũ verbum.Alij codices,vt Complutenses,legunt (יֵרָתֵק *ierathek, alligetur*)sed secundùm contrariam significationem, vt ait Rabbi Kimhi (*soluatur*) vulgo (*sia scatenato*) est enim רַתּוֹק *rathok, catena*.Rabbi Abraham conficit alium sensum cum sequentibus verbis, quando ligabitur funis,ita vt concatenetur, & catenæ instar in catenas recipiatur,non perueniet ad fontem.

Argenti.] Græcè (ἀργυρίου.) Græca vox sæpiùs, ac semper ferè pro nummo & pecunia: pro metallo ἄργυρος. Forsitan eò Thaumaturgi,& Olympiodori respexit interpretatio. Funiculus argenteus rectè, inter alias expositiones, dicebatur vitæ quasi filum atque continuatio. Fauent fictæ
c Stat.1.in Syl. Catull.in nuptiis Pelei & Thetid. à Poëtis [c] Parcæ spatium vitæ mortalis, & quasi vellus eius, & stamen nentes;sed felicibus album, atrum infelicibus;ita vt album hîc exprimatur epitheto argenti,ne quis arbitretur vllum esse, qui non præcidatur,velut à texente tela [a]. a Esa.38.12.

Et recurrat vitta aurea.]Est Hebr.(וְתָרֻץ גֻּלַּת הַזָּהָב *vetharuts gullath hazzahab*) Vatablus vertit (*& diffluat collectio aurei liquoris*) seu phiala aurea frangatur, nempe membrana continens cerebrum, quæ est veluti russa, & flaua,& ea fracta, hominem necesse est mori. Vallesius hoc quidem hic agnoscit inuolucrum cerebri, quæ vocetur meninx, sed negat à colore auream, verùm quia sit pretiosa,vtilisque, nominari:ita vt putent Medici nõnulli ad illam potiùs, quàm ad cerebri substantiam pertinere principium sentiendi: porrò cũ cerebro adhærescat adeò indissolubiliter, vt eo exsiccato,atq; imminuto(vt senibus euenit)contrahatur cerebrum,&corrugetur,fieri vt recurrat vtrumque à cranio, nec illud contingat, & proinde vt etiam cranium arescat, eíque præ ariditate pili excidant,sequatúrque caluitium. Isidorus Clarius retinet versionem nostram, sed exponit quoque de cerebro incluso intra pelliculam aurei coloris.Vocat Hugo latum neruũ, qui post decoctionem habeat aurei similitudinẽ coloris: Bonauentura venarum, & arteriarum inuolutionem rubearũ propter sanguinem quẽ continent. Caietanus(*& frangetur fons auri*) id est,vis animæ, qui est fons vitæ pretiosissimus, sicut colligatio elementorum & humorum dicebatur funiculus argenti,quia secundum pretij locum tenet. Pagninus (*& confringatur lenticula aurea.*) Significat vox גֻּלָּה *gullah phialam*, & *lenticulam*,seu *vas rotundum instar crateris*.Fons est non גֻּלַּת *gullah*,sed גֹּל *gol*,vnde plurale גֻּלּוֹת *gulloth*.Verbum תָרֻץ *tharuts*,à רוּץ *ruts,curret* denotat,à רָצַץ *rasats,confringetur*, seu *confringet se*. Caietanum Titelmannus sequitur,vittámque hominis animam dici, quia sicut vitta capillos capitis omnes constringit in vnum, ne diffluant, ipsa verò ablata dispergunttur; ita tot corporis membra, & adeò diuersa concludit,& cõtinet anima, simul autem ac abit, dissoluuntur:auream nominari propter excellentiam naturæ rationalis, & imaginem ac similitudinem Dei,ad quam facta est.Glossa interlinearis idem indicat post Hieronymum,& Albinum,dicentes animam recurrere vnde descẽderat,id est, ad Deũ.Moringus metaphoricè,seu metonymicè vittam, quod est capitis ligamentum, sumit pro auri theca, siue arca, quæ dum aurum continet, illud veluti ligat, ne cuiuis asportatu promptum sit:hanc recurrere, quando moriens opes paratas sibi,cogitur ad alios, & quidem ad illos interdũ, à quibus acceperat, transmittere. Lyranus vult esse sermonem de vita futura, quæ melior est iustis quàm præsens,sicut aurum melius est argento. Carthusianus hunc dicendi modum non improbat,& de nobilissima harmonia corporis,quę tribuetur electis in resurrectione, fuitque quodammodo in primis parentibus ante lapsum: & de anima pretiosa ob varias facultates ac proprietates, quibus est prædita. Meminit præterea lectionis, quæ habet (*vita aurea*) quam Hugo sequitur, & eam reperi etiam in codibus impressis anno 1484. Venetiis. Textus Græcus sic habet (καὶ συνθλιβῇ τὸ ἀνθέμιον τοῦ χρυσίου) emendati codices (συντριβῇ.)

Vertunt Biblia Regia, & Complutensia (*& comprimatur aurum electum auri.*) Vox ἀνθέμιον dubiæ significationis est. Olympiodorus intellexit esse florem: Thaumaturgus aurum probum. Cyrillus Ierosolymitanus,etsi de

vittâ

vitta meminit aurea instar auri, tamen ait anthemin notam esse herbam, quæ habeat multa foliorum germina instar radiorum. Aliter vocant leucanthemida, vel leucanthemum, vel etiam melanthemon, vel chamæmelon, vel gith, vulgò camomillam [a]. Gaza anthemon ait esse, quæ nigella Latinè dicitur. Plinius meminit quoque anthemi [b], & anthemidis [c], & anthemi Theophrastus [d]: Hesychius [e] ἀνθέμιον, quæ nominatur amaracus. Est & χρυσάνθεμον, & χρυσανθέμιον, vtrumque herbæ nomen [f]. Sed Suidas, vt Budæus [g] quoque annotat, exponit hoc loco ἀνθέμιον esse τὸ ἐκλεκτὸν χρυσίον, electum aurum. Olympiodorus, eodem Budæo [h] teste, vult hic poni pro ἀναθήματι, siue ἀναθήκη, quasi dicas repositorium: tamen dixi florē ab Olympiodoro etiā exponi, quem nomine ἀνθέμιον significari docet Eustathius [i]. Symmachus reddidit: (καὶ ἰλασθῇ τὸ ἀνθηρὸν, καὶ συνθραυσθῇ, & percussum fuerit quod circumstat, & conuulneratum fuerit.) Fauet hæc vltima interpretatio illi, quæ priùs est allata de inuolucro cerebri. Hac posita varia notione vocis Græcæ, Olympiodorus declarat florem, & pulchritudinem auri, aut eius repositoriū, & arcam; omnémque pretiosam supellectilem perituram circa mundi finem; id priusquàm fiat, incumbendum virtuti, vel habendam curam thecæ mentis nostræ, hoc est, cerebri: Cyrillus Ierosolymitanus, priusquàm Sol atteratur: Thaumaturgus, tunc sicut argentum reconditum, ita & aurum probum nihil vtilitatis habiturum: Ricardus, maximum tunc fore præ grauissimo dolore horrorem, & contemptum rerum pretiosissimarum, ita vt abiiciatur vitta aurea, non cùm atteritur, ne vsu atterenda videatur, sed antequā recurrat; quod tunc fit, quando ad Solem & pluuiam proiecta, tum calore restringitur, tū humore resoluitur. Græcos, & Ricardum iam pridem mysticè diximus intelligendos, quemadmodū & apud Hieronymum de arca Testamenti transferenda Hebræos, de sua loquentes captiuitate, & apud Bonauentura de insigni Sacerdotalis, vel regiæ præterea dignitatis, cui diadema tribuitur, quoniam tunc recurret vtraque ad suum principium, hoc est, ad Christum, qui solus dominabitur, siue Deus [k]. Ex aliis dicendi modis præferendus, qui rem designat magis particularē. Anima, vel vis eius videtur quid generalius, & mors magis ipsa, quàm signū eius denotari per ipsius recursum, nec pariter de futura, sed de præsenti videtur haberi sermo. Igitur quæ de membrana cerebri dicuntur, licèt nō eodē ab omnibus, qui de ea disserūt, modo, propiùs ad rem facere videntur, siue dicatur aurea membrana sub nomine vittæ à colore, siue à pretio, atque ab vtilitate. Potuit eò respexisse Interpres vittæ nomen vsurpās, quia membrana illa cingit, & veluti stringit ambiendo cerebrū. Alioqui nec Hebræa, nec Græca vox, vt vidimus, propriè vittam significat. Chald. (*& sit confractus vertex tuus in capite tuo.*) Ioannes Vitalis, de quo antè dixi, vittam auream sumit pro spiritu vitali qui est in corde. Nam sicut, inquit, vitta mulieris continet capillos capitis ne defluant, & dispergantur, ita spiritus vitalis continet omnia quæ sunt in corpore humano ne corrumpantur: vt proinde aurea nominetur & ob pretiositatem, & propter perpetuitatem, quia cor semper est in motu perpetuo, quandiu viuit homo. Non satis porrò aptè nonnulli vrnam auream (etsi גלת *gol vrnam* significare possit) interpretantur potum, vt cibum per funiculum argenteum, quibus vita hominum conseruatur assiduè, atque pretiosiora sunt auro, & argento, ad vitam tuendam. Galfridi tropologia est, de diuina sapientia, subtili, & ampla: non dici quò recurrat, quia nescimus vndè veniat, aut quò vadat, sed accurrit cœlitùs illapsa; peccatis exigentibus subtracta disparet: clauis assigitur, qui timore vrgetur; vitta ligatur, qui promissione tenetur; visco conglutinatur, qui charitate Deo vnitur.

a Plin. libro 21. c. 11. Ruellius lib. 1. c. 68. Dioscor. lib. 4. c. 154. b lib. 23. c. 8. c lib. 22. c. 17. d lib. 7 de plantis c. 13. e in Lexico. f Dioscor. lib. 4. c. 57. & 58. Plin. lib. 21. c. 6. & 25. g in Lexico. h ibidem. i auctor. thesau. Græci. k 1. Cor. 15. 25.

Et conteratur hydria super fontem.] Hebr. (*& conteratur vrceus, seu cadus ad cisternam, seu fontem, puteum, scaturiginem, venam*) quæ omnia valet אל המבוע *mabbuah*; est autem כד *chad* Latinè *cadus*, & Græcè κάδος, licèt hoc loco sit ὑδρία, & Latinum *hydria*. Auctor etymologici perinde ac si vox purè Græca esset, deriuat à χαδῶ, quod sit idem atque χωρῶ, *capio*. Eius loco *hydriam* quoque Græcè Latinéque in Genesi [a] reperimus; & in historia Regum [b], & Iudicum [c], vbi etiam ponitur *lagena* vox [d]. Caietanus vrcei *fractionem* super fontem dicit esse defectum cordis: hoc enim esse primū, quod ex fonte animæ haurit aquā vitæ pro vniuerso corpore. Vatablus, & Sā cadū, vel hydriam, sanguinis intelligūt conceptacula, quæ vt à fonte recipiunt à iecore sanguinem, qui fit in ipso: Hugo Cardinalis, & Isidorus Clarius explicant hydriam, cistam fellis, fontem hepar. Hoc videtur Chaldæus velle (*& rumpatur fel tuum super iecur tuum.*) Traditur idem quoque à Cardinali Ioanne Vitale, qui exponit hydriā esse pelliculam, seu cistulā fellis super gibbū hepatis rubeo colore: fontem, ipsum hepar, vbi est origo caloris naturalis: Titelmannus, corporis, quod vt fictile vas aquariū formatum est de limo terræ [e] ad concipiendam in se vitæ aquam, dissolutionē in partes, ex quibus componebatur: conteri verò hanc hydriā iuxta fontem, quia non perit aqua animæ immortalis, sed fracto corpore ad fontem recurrit, hoc est, ad Deum, qui dedit illam: partes etiam hydriæ manere iuxta fontem, quia Deus quandoque colliget eas & resolidabit. Bonauentura, & Carthusianus interpretantur confractionem vasis vrinæ, seu vesicæ, quæ vrinam excipit procedentem ab hepate, vnde ceu ex fonte colamentū sanguinis, & aliorum humorum profluit in totum corpus. Approbat Titelmannus: præterea Vallesius assentitur, ac sequens quoque membrū de eadem vrina explanat, quæ, inquit, primùm quidem seni exit guttatim, quasi ex rupta hydria, cùm laborat stranguria [f]: deinde supprimitur omnino, velut confracta super cisternam rota, fitque tūc quam vocant ischuria [g]. Cato [h] illud explicat per lotium ire: hoc idem per substillum esse. Lyranus, compaginem omnium membrorū, quæ hauriunt à corde vitam; conteri verò, quando interit cum corpore: rursus Hugo, conteri corpus super iuuentutem, à qua tanquam riuulus à fonte senectus effluit: Rab. Dauid, ventrem, qui findatur in sepulchro, quia sicut hydriam deferunt ad fontem, qui est locus eius, ita locus hominis est sepulchrum: Olympiodorus, vt postea etiam dicetur, ob verbum συντροχάσῃ, *conuoluatur*, siue *conuoluendo frangatur, & decidat in cisternam*; quod fit quando funis, quo rota tegitur, trāscurrit, circūuoluitur rotæ, de vita nostra explicat propter eius reuolutiones, & motus, iuxta illud [i]: *Vox tonitrui tui in rota*: vt & rotam natiuitatis Iacobus [k] appellat. Lenius vsus alia versione, quæ Campensis est (*conquassetur, & corruat currus, fractis rotis, in foueam*) indicat metaphoram aliam,

a c. 24. 15. 17. b lib. 3. 17. 12. 14. c. 18. 34. c c. 7. 20. d vers. 16. 19. e Gen. 2. 7. 2. Cor. 4. 7. f Galen. in aphorism. Hippo com. 5. sect. 58. & cō. 7. sect. 48. g Galen defi. med. h de re rust. i Ps. 76. 19. k c. 3. 6.

qua significetur caput, quod moribundis inclinati, ac in humeros deuolui solet. Est autem rotundum, globosumque, & vt rota versatilis quaquauersum mouetur, dextrorsum, sinistrorsum, nunc in pronam, nunc in supinam partem; cui mouendi, atque sentiendi tributa facultas, & ex eo spiritus orti animales per corpus diffunduntur, ac motum, sensúmque neruis impertiunt: imminente morte labascit, ac corruit, & corpus totum in praeceps rapit, fractísque omnibus membris, vt axe currus, aut vehiculi, omnem corporis structuram in foueam deiicit. Adhaereo Bonauenturae, atque Vallesio, vt qui distinctiùs rem, ac magis particulatim declarent: alij nimis vniuersè ac confusè. Nec tamen putem exactè omnia numerata senibus, vel morientibus signa conuenire debere, cùm, verbi gratiâ, nec omnes habeant canum senes caput, barbámque.

Mysticè, siue sensu accommodationis Hebraeus se putat commoneri his, ac sequentibus verbis, donec intra Sancta sanctorum praecepta sunt legis, & sancti Spiritus gratia, recordetur Dei, futurum olim, vt his priuetur abductus in captiuitatem. Olympiodorus de resurrectione Iudicij tempore futura eo quem Titelmannus modo dicebat, exponit: & praeterea particularem, quae nunc inest nobis cognitionem, non in fonte perire, sed ad suam plenitudinem, integritatémque in fonte ipso existentem accedere, quia tunc *quod ex parte est, euacuabitur* [a], & perfectionem accipiet: Thaumaturgus, magnam ante Iudicium omnia plagam occupaturam, vsque etiam ad hydriam, quae stabit ad aliquem fontem: Ricardus, tantam per id tempus hominū inter se futuram inuidiam, tantámque malitiam, vt alter alteri vel frigidae haustum sit inuisurus, ac instrumenta fracturus haustoria, ne sint aliis vsui, quoniam, vt Dominus praedixit [b], *abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorū.* Atque idipsum, ipsius sententia, verba important sequentia de rota super cisternam confringenda, quae communibus solet vsibus inseruire, vt malit quis damnum quoque proprium incurrere, quàm non impedire commodum alienum. Bonauentura notat euacuationem mundanae sapientiae, quae hydria curiositatis hauritur. Galfridus hydriam interpretatur de prompta quadam, & facili intelligentia super Scripturam planam, & euidentem. Coniungens autem cum sequenti membro de rota super cisternam confringenda, vt sit artificiosa, & quasi circumiens meditatio super Scripturam apertam, atque profundam, subdit. [Errat, qui ad fontem applicat rotam, nec minùs, qui hydriam exhibet ad cisternam. Perdit enim plana, qui ea tanquam profunda rimatur, & ab abditis vacuus redit, qui solam intuens superficiem, penetrare interna nō nouit. Fons incarnatio Christi est, quando veritas de terra orta est. Super hunc hydria confringitur, cùm mens nostra non in memoria humanitatis Christi afficitur. Cisterna est profundior, & secretior sapientia desursum collecta, sicut coelestis pluuia colligitur in cisterna. Qui haurire non potest nec de fonte, nec de cisterna, iam nec in pinguedine terrae, nec in rore coeli desuper erit benedictio sua: sed coelum ei aeneum est, & terra ferrea est, cui videlicet nec in humilitate, nec in Diuinitate Christi est deuotio vlla.] Sunt ista Galfridi.

Et confringatur rota super cisternam.] Hebraicum בור *bor cisternam* significat, *& sepulchrum, fossam* quoque *excisam ad pluuiam colligendam*, praeterea *puteum* aliquando, & *lacum*. Hieronymus in commentario legit (*& conuoluatur rota super lacum*) id est, implicetur funis, qui ex rota demittitur ad hauriendum. Hebraeum verbum נרוץ *narots* vel *fractionem*, vel *transcursum*, ac proinde *implicationem* potest significare, illam rotae, hanc funis in rota. λάκκος, vnde per (c) simplex lacus, cauernosum quemuis locum significat, & generali voce πάντα τὰ ὀρύγματα, vt Suidas docet. Chaldaeus (*& decurrat corpus tuum in medium sepulchri tui.*) Hoc sensu hydriae, rotaeque confractionem, contritionémque sumit Moringus pro corpore, quod senio, vel morte redditur inutile: nam quod attinet ad rotae similitudinem, quando iam de hydria dictum est, corpus in morem rotae per omnes aetatis gradus voluitur assiduè, decurrítque, vsque dum longo vsu attritum, ipsa morte corruat. Hac vsus triuiali oratione Iacobus [a] videtur, dicens: *Lingua constituitur in membris nostris, quae maculas totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostrae*, id est, omnem vitae ordinem atque cursum, & periodum, & quasi circulum. Hoc etiam docēs Olympiodorus confirmat Psalmo [b]; *Vox tonitrui tui in rota*; sed accommodationis sensu magis, quàm proprio *lacum* sumit pro inferno, potuit & pro sepulchro.

Obtinuit Rex nescio quis veniam sibi, & coniugalibus tribus item Regibus à Sesostre magno Aegypti Rege, cuius erāt vt mancipia iuncti currui, cùm rotarū continuas volutiones retrò spectans, his comparare se respondisset vitam nostram [c]. Cedrenus [d] id de Cyro narrat, & de Ludouico II. Rege Francorū erga Soldanum, quem ceperat Capuae, licèt non iunxisset currui. Hugo pariter corpus ait confringi super cisternam, vel vitae, vel animae, quae aquas cōtinet gratiarū. Vatablus, & Sà caput rotā, cisternā cor intelligunt, quòd id ex hoc vires trahat vitales per sēsus, qui resident omnes in eo. Carthusianus rotam caput vocat, quia rotūdum, cisternam cor, cui caput superpositum est tanquam fonti caloris, & vitaliū origini spirituum: Clarius cranium, quod in sepulchro confringitur; vel vitam, quae veluti rotis currus fractis, praeceps ruat in foueam sepulchri. Vallesius, vt priùs memini, suppressionē intelligit vrinae, quam nominát ischuriam: hoc innuit etiā Hugo per dissolutionem vtriusque partis vesicae superioris, & inferioris. Ioannes Vitalis Cardinalis [e], qui vixit ante trecentos annos, ait funiculo argenteo denotari continuationem medullae, quę ligat ossa spōdilia, quae à quibusdam Physicis vocatur nuca. [Et dicitur, inquit, funis, quia extēditur ab vltima parte cerebri, & inde descēdit ligās ossa spondilia vsque inferius: argenteus, propter vtilitatem, & nobilitatem, quoniā, vt ait Constātinus, sua calidiitate frigiditatem ossiū tempetat; sua vnctuositate & humiditate ariditatem eorundem rigat; sua substantiali proprietate virtutem animalem nutrit & conseruat, mediantibus quibusdam neruis; sensum, & motum continuum ad modum argenti viui omnibus membris sub collo positis administrat.] Haec Vitalis omnia. Titelmannus animam nostram rotam dici cisternae confractam per mortem, quoniam quemadmodum rota violentè renetur in cisterna feramentis & clauis, sed fracta, vel soluta his, quibus erat affixa, corruit in aquam, ibíque veluti conquiescit; sic vinculis expedita corporis anima in abyssum transit Diuinitatis ple-

a 1Cor.13.10.
b Mat.24.12.
a c.3.6.
b Ps.76.19.
c Niceph. 18. hist. c.29 & Paulus Diaco. in miscell. lib.17.
d in compen. histor.
e in speculo morali Scripturae verb. mort.

na fruens requie, interim continuò agitatur in corpore, & haurit ex dicta abysso aquam magno labore. Iterum idem auctor, post Bonauenturam, explicat destructionem meatus impuræ superfluitatis, quia rota instrumentum est, per quod de cisterna educitur aqua impura, & sordida, & lutulenta: venter autem semper in se cōtinet stercora, quæ debent emitti per secessum, ac meatum: Caietanus, vim expirandi, & respirandi, quæ cessat in morte; comparatur verò cum rota, eo quòd ad instar circularis motus fiunt ad puteum pulmonis. Ioannes Vitalis aliquoties citatus *rota* nomine vult nos intelligere continuam volubilitatem appetitus sensitiui, quæ est in toto corpore immittendi, & emittendi istam aquam, nempe caloris naturalis per omnia membra. Hîc etiam moneo, eligat Lector, quod verosimilius iudicabit, dummodo certum quid designet, ac diuersum à superioribus, quale duntaxat, quod vel Bonauētura, vel Vallesius; alia nimis generalia, nec tā senij mortísve signa, quàm vitæ defectus, & mors. Hebræi, de quibus Hieronymus, rotæ confractionem eodem sumunt sensu, quo hydriæ contritionem: cæteri quoque non aliud propriè in hac rota, quàm in hydria, distinctéque agnoscunt, ambas referentes ad idem. Illud acutè Thaumaturgus, aquarum hîc mentione per hydriam, & fontem, per rotam, atque cisternam denotari tempus nobis nūc dari ad abluenda peccata tum Baptismo, tum lacrymarum ac pœnitentiæ sacramento. Idcirco eleganti, ac à se primùm, vt opinor, ad hoc adaptato epitheto hunc αἰῶνα nostrum cognominat λουτροφόρον, *ablutionem ferentem*, quasi dicas *ablutioniferum, lauiferum*, &c. alij namque id nomen vsurpant pro quolibet qui ferat ad lauandū aquam; tum verò pro puero consanguinitate proximo ei, qui ducebat vxorem, quem iste mittebat die nuptiali ad afferenda sibi λουτρὰ è fonte Callirhoë. Item sic appellantur aquaria vasa, quibus ad eam lotionem defertur aqua [a]. De mystica intelligentia dictum satis in præcedente membro.

a Suidas & Hesychi & Plutarch. de exilio, & alij; thesaurus quoque Græcus.

Vers. 7.] Et reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

HIc versus totus capite tertio [b] iam satis explicatus videtur; & similis quoque priori parti præsentis versus fuit in capite quinto [c] sententia. Ricardus exponens hoc, vt priora omnia, de signis ac plagis antecedentibus extremum Iudicium, obseruat, si qui plagas euaserint alias, quòd Iudicio viciniores futuri sint, non tamen euasuros mortem, sed subitò morituros, móxque resurrecturos. Hac de re disputatū aliàs, & quomodo Iudex dicatur Christus vēturus viuorum, & mortuorum. Illi quoque ipsi, qui tam breui resurgent à morte, reuersuri censentur in terram, quia cadauer, licèt minimè resolutum in terram & puluerem, terrea moles est, per seipsam vergens ad eiusmodi resolutionem; multóque magis, vt primùm quis moritur, sic dici potest reuerti, quàm puluis esse, quamdiu viuit adhuc, quatenus primus de puluere formatus est homo [d]. Hoc autem ipsum non sic intelligendum, quasi reuertantur in certam portionem terræ corpora humana singula, ex qua formauit Deus Adam,

b vers. 10. & 11.

c vers. 14.

d Gen. 3. 7.

A sed quia sicut corporis eius materia puluis fuit, ita & nostri: & quamuis propagata sint nostra corpora ex parentum, & maiorum nostrorū corporibus, non ad ea redeunt, sed ad terram vnde factus Adā. Hac ratione solebat Augustinus [a] iis respondere, qui in controuersia de origine animæ contendebant non esse ex traduce, & propagatione, quæ ipsi semper dubia res, & inexplicabilis visa est; spiritum, hoc est, animam, hoc loco sequentibus verbis ad Deum dici reuerti, non quia singulæ sint animæ nostræ ab ipso immediatè, sed quoniam Deus primo dedit parenti; sicut & corpus nostrū reuerti dicitur in terram, quia corpus eiusdem, vnde nos nostrum accepimus, formauit Deus de terra. Hac de re mox. B Adhibet Galfridus postremam istam tropologiam. [Puluis, ait, humore carens, quandoque haurire iam nec de fonte potest, nec de cisterna. Perniciosæ enim iterum terræ incipit adhærere, qui priuatus humore gratiæ, tanquam puluis sibi ipsi desiit cohærere.] Spiritum item redire ad Dominum, qui dedit illum, explicat gratiam, quæ prius accepta est; immemor autem largitoris in suam perniciem is, qui accepit, illa abutitur. [Hoc redire, inquit, innotescere est. Vnde enim simulatoriè prius auertitur, illuc tandem impudentiæ animositate reuertitur; sicut de pace oblata dicitur, quòd non recepta, ad eum qui obtulit reuertatur. C Sic in vanum accepta gratia, quæ indignò tribuitur, & ab eo quasi repellitur, ad largitorem suum reuertitur: & si non proficit ad salutem eius, cui tribuitur, ad ipsius, qui contulit, gratiam non iniustè refertur; vt in omnibus donis, & iudiciis suis ipse glorificetur. Hic spiritus datur gratis, vt meritò subtrahitur ingratis. Quod si metuis, memento, vt expedit, creatoris.] Hoc modo Galfridus. Adagialiter tractat hūc locum, & similes Delrius [b] noster, adductis quoque profanis testimoniis.

a 10. Genes. ad lit. c. 9. & epist. 57. ad Optat. & 28. ad Hieron. & libris quatuor de orig. anim.

b tom. 1. adag. 30 8.

Et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.] Spiritum animæ Chaldæus exprimit: Olympiodorus πνεῦμα iunctum nomini ψυχὴ potiorem notat D animi vim, mentémque significare; simpliciter & absolutè animam ipsam totam. Iudicandum de significatione ex adiunctis: potest enim & aliud quid præterea significari, vt Spiritus sanctus, & ventus, sicut aliàs notauimus. Sed cum pro anima sumitur, quod frequentissimè fit [c], rationalem significat; bruti, non nisi cum addito, verbi gratia, spiritus vitæ [d].

Hic porrò spiritus animæque reditus immortalitatem ipsius liquidò indicat: intelligitur verò de ratione quam Deo reddit in egressu de corpore anima, vt Olympiodoro placet, & Chaldæo: vel de statu ipsius extra corpus, vbi spoliata mortalitate, similior quodammodo efficitur Deo, & E ad hunc redire dicitur, quatenus ipse illius solus creator est, quia spiritualis, & immortalis nullam habere productricem aliam causam per se, principalem, immediatā potuit, nec ab alia destrui [e]. Iugulat præsens locus vnà cum errore, quē modò dicebam de animæ mortalitate (prætermittimus enim figmenta Hebræorum circa hæc & priora verba de reditu in Babylonem, vnde fuerant egressi in lumbis Abrahæ, & de amittenda gratia prophetiæ, ac veluti ad auctorem suum Deum reditura) illos alios quoque, quibus dicitur corporea, vel ab Angelis creata, vel non cuique corpori forma propria, & distincta, vel migrans in corpora diuersa, vel ex Dei substantia,

c Psal. 30. 6. Luc. 23. 46. Act 7. 59 r. Cor 1. 3. 4. 5. c. 4. 2 Cor. 7. 1. 13.

d Gen. 7. 25.

e Matt. 10. 28. Aug. 10. de Genes. ad lit. c. 9 colligit ex hoc loco Ecclesiastæ.

vel ex propagatione animæ primi parentis, vel sceleratí hominis verti in dæmonem, aut brutũ. Ille quodammodo magis hinc propriè refellitur, quem Lindanus [a] testatur esse Libertinorum huius temporis, omnem animam post hominis mortem redire ad Deum, ac ipsius denuò substantiæ, ex qua prodiit, coniungi. Poterit hos quiuis errores per se confutare præsenti testimonio. Plura Philosophi, ac hæreseologi. Spiritus immortalis corpus non est: quem dedit propriè Deus, Angeli non crearunt: seiunctio eius à corpore, sibi nimirum apto, indicat nec aliud corpus cum quærere, idque in quo est velut materiam informare; nec verti posse in aliam substantiam. Si Deus peculiariter dat per efficientiam communem, Trinitati, non suammet communicat, quod etiam nõ potest, sed creatam producit, quam proinde repugnat illi iterum coniungi, vnde nunquam decerpta est, vel potuit decerpi. Alia quæ fecit, vt antè memini, negotium Augustino difficultas, essétne animæ nostræ origo ex propagatione, pace dicam tanti Doctoris, tamque hac in re, omnique alia modestè timidi, qui satis tandem de hac re pronunciauit veram sententiam [b], solutionem hinc habere potest. Nam dedit Deus spiritum animæ nostræ solus, ad solum redit ipsa, sicut docuimus, non tantùm quia Deus Adamo dedit animam, sed quia sigillatim singulis à Deo fingitur [c] & creatur. Nec aliter potest animæ immaterialitas, & immortalitas, de qua certus omnino est Augustinus, bene intelligi, aut defendi, nisi negetur propagatione generari.

a in Dubitantio dialogo 2.

b 10. Gen. ad literam. c. 23. & epist. 157.

c Ps. 32. 15.

[Ex quo satis ridendi sunt, ait Hieronymus hoc loco (cui non licuit super hac quæstione respondere Augustino [d]) qui putant animas cum corporibus seri, & non à Deo, sed à corporũ parentibus generari. Cùm enim caro reuertatur in terram, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est, Deum patrem animarum esse, non homines.] Vocat alias Hieronymus [e] hoc Ecclesiasticum dogma, vt Deus quotidie animas fabricetur. Citat Bellarminus [f] apertissima testimonia Hilarij [g], Ambrosij [h], Chrysostomi [i], Nysseni [k], Theodoreti [l] (hic ait in hoc dogmate conuenire omnes Scripturas Apostolorum & Prophetarum) Cyrilli [m] Alexandrini, Leonis [n], Augustini [o], Bernardi [p], Innocentij III. [q] Concilij Lateranensis sub Leone X. [r] auctoris de Ecclesiasticis dogmatibus [f], & alterius de operibus cardinalibus Christi [t]. Quocirca non licet ampliùs dubitare, quod præter Augustinum fecit tamen etiam Gregorius [u], & Eucherius [x]. Legendus est B. Thomas [y], Bonauentura [z], Castro [a]. Veritus est Augustinus, ne vel non satis intelligeretur in ea, quam indubitatam nunc asserimus, sententia, originalis propagatio peccati; vel quo pacto verum esset cessasse die septimo Deum à creatione, si tot quotidie animas creat, hæque non propagantur à parentibus. Vtrique satis aliàs incommodo à nobis responsum, tum Philosophicè, tum Theologicè. Sufficit attingi ab homine generante animæ coniunctionem cum corpore, quod fecit & præparauit: in eiusmodi verò genitum hominem cum natura ipsa subit statim originale peccatum, toti naturæ commune, tali generatione propagatæ, posita vetere illa Dei lege, & pacto cum primo parente, tanquam cum auctore, & capite totius hominum deinceps generandorum vniuersitatis, licèt anima generantis careat peccato originali, à quo iam sit iustificata. Deus non dicitur simpliciter nunc creare, quia nullam nouam speciem de integro, nullum indiuiduum hominem, quoad vtramque ipsius partem simul.

d restis ipse 2. retra. c. 45. e 3. con. Ruffin. & epist. ad Pammachiũ de erroribus Ioannis Ierosolym. f 4 de amiss. gratiæ, & statu peccati c. 11. g 10. de Trinit. ante med. h l. de Paradiso. c. 11. lib. de Noe, & arca. c. 4. i homil. 23. in varia Matthæi loca. k de anima. c. 6. l 5. ad Græcos. m 1. in Ioan. c. 9. n epist. ad Turibium. o citatis locis p serm. 27. in Cantica. q in Ps. 50. r sess. 8. s c. 14. tom. 4. operum Augustini. t ser. de Resurre. in operibus Cypriani u lib. 7. epist. in 54. x in c. 2. Genes. y 3. con. Gen. c. 86. & prima p. q. 118 art. 2. z 2. dist. 18. q. vlt. a con. hæreses: verb. animæ. hæresis.

Docui capite tertio, reditum istum animæ, quamuis de iusto intelligeretur, non esse, quòd ante Christi aduentum frueretur Deo, sicut nec sursum ascendebat, quod ibi tamen dicebatur. Repetendum id nunc quoque: monendum præterea, per reditum, si hic adhuc intelligatur (quo etiam modo alicubi intellexit Augustinus [a], & alij [b], quasi non quiescat anima, nisi vt Deo coniuncta) & non iis duntaxat modis, quos hoc in loco paulo antè dixi, súntque omnibus communes, etiam impiorum animabus, non innui Origenianum errorem, pro meritis peccatorum suorum animas humanas deiectas de cœlo, ac detrusas in corpora. Dixerat aliquando Augustinus reditutum animum in cœlum. Dixisse pœnituit [c], maluítque iturum, quàm rediturum, ne quis dicti arriperet ansam erroris. Tamen exponit sensum commodum esse, quoniam idem sit in cœlum redire, atque quod hic dicitur, ad Deum, qui est auctor, & conditor: & quædam originalis regio animi Deus ipse est, sicut, inquit, B. Cyprianus non cunctatus est dicere (nam cùm corpus è terra, spiritum possideamus è cœlo, ipsi terra, & cœlum sumus.) In Psalmo [d], quod dicitur, *exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam*, reuersio de homine debet intelligi secundùm corpus. Multa Ethnici auctores vel figuratè, vel etiam falsò disserentes de animi nostri præstãtia, dixerunt; nam diuinitatem quidam ei attribuerunt, aut diuinæ portionem substantiæ; aut etiam Menti templum dedicauerunt [e]: & illud, *ἕπε θεῷ*, *sequere Deum*, interpretabantur, obtempera rationi [f]. Congerit de his nonnulla noster Lælius [g] Bisciola. Quod ad sententiam præsentem facit, Seneca [h] docet, quòd nemo improbè eò conatur ascendere, vnde descendit. Sed exaggeratio est quod addit, nos Dei partem esse, ac membra. Epictetus precabatur vt sibi liceret eò redire vnde exierat, scilicet ad Deum. Legendus Ambrosius [i]. Referri & huc vox illa Philosophorum potest; Nihil est homini proprium, quia nihil quod non reddi oporteat: terræ reddenda terra, animus procreatori suo. Proditum de Hugone S. Victoris est, sub mortem hæc piè verba protulisse; Ascendat filius ad patrem suum, & seruus ad Dominum suum, qui fecit illum [k].

a quæst. in Iosue. c. 24. b Bonau. 2. dist. 17. art 1. q. 1. ad argum.

c 1. retract. c. 3 vbi fatetur se ignorare originem animæ.

d Ps. 145. 4.

e Ouid. 3. Fast. Liuius lib. 23. Plutar. de fortu. Roman. & alij. f Plutarc. de audi. Poet. g 5. horarum subsecis. c. 2. h epist. 92.

i 2. de Abraham. c. 2.

k Anton. 3 p. hist tit. 17. c 1. Vincen. Ferrer. de cœna Domini.

Porrò sententiam istam, locúmque totum valdè illustrant nomina dissolutionis, resolutionis, dimissionis, depositionis, pro morte, quæ non solùm vsurpantur à sacris [l], sed etiam à profanis auctoribus. De his Plato sæpe ita loquitur [m] (vocans præterea permutationem) & Plutarchus appellat discretionem rei concretæ, citans Epicharmum, qui dixit;

Concretum est ac discretum; & rursus abit vnde venerat,
Terra quidem in terram, spiritus ad supera.

Tale & illud alterius Poëtæ:

Terris profecta, rursus in terras eunt:
Quæ germinant ab atheris celso situ,
Rursum poli petunt suum soluta, nec
Quidquam periit, vt editum semel fuit.

Mortem Tullius ipse nominat dissolutionem naturæ [n], omnéque animal mortale dissolubile [o]. Hac ipsa de re, si placet, consule quæ diximus in Commentario Epistolæ Petri secundæ [p]. Nec vlli non cognita vox Martini mortem longè antea

l Luc 2. 29. Philip 1. 23. 2. Timoth. 4. 6. 2. Cor 5. 1. 2. Pet 1. 14. m in Gorgia, in Phædone, in apolog.

n 3. de leg. 2. de fin. o 2. & 3. de nat. deorum. p c. 1. 14.

præscien

præscientis ac prædicentis sub voce dissolutionis [a]. Seruij ac Sabini tenenda opinio non est, distinguentium in nobis corpus, animam, vmbram, siue simulachrum; primum desluere in terram, secundam abire in cœlum, tertiam in infernum. Mitto fabulas de manibus, vt essent animæ sic dictæ quasi manentes donec immigrarent in alia corpora: &, quod Arnobius [b] refert solitos Gentiles adiurare certa numina, ne his in terris detinerentur vagantes circa sua corpora.

a Sulp. lib. 2. vitæ Martini.

b 2. cont. Gentes.

Vers. 8.] Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.

VAnum ac superuacaneum hanc pluribus declarare sententiam, toties hoc replicatam libro, totiúsque argumentum, & thema libri. Concionator peritus antequam finem dicendi faciat, idem repetit, atque veluti omnis summam concionis colligit, vt lectoris auditorísque memoriæ profundiùs inhærescat. Sed ea nunc opportunitas post descriptionem interitus humani: cùm enim cunctus mortalium labor, de quo in toto volumine disputatum est, huc perueniat, inquit Hieronymus, vt reuertatur puluis in terram suam, & anima illuc redeat, vnde sumpta est, magnæ vanitatis est in hoc seculo laborare, & nihil profutura conquirere: in seculi deliciis, vt Albinus ait, atque luxuriis carnis tota laborare intentione, quæ citissima morte finiuntur, & homo ad iudicium festinet pro omnibus vanitatis suæ erratis. In hoc epilogo Salomon certiores nos facit quàm scripserit diligenter, quanta cum auctoritate, quæ sit auditorum lectorúmve curiositas, tandem quid ex dictis maximè retineri memoria velit, vt obseruat Bonauentura.

Dixit Ecclesiastes.] Hebraicè verbum est generis masculini, nomen fœminini. Lege præfationem [c], & caput primum [d], atque septimum [e]. (*Quando contemplatus est Salomon Rex Israel,* inquit Chaldæus, *vanitatem mundi huius, & vanitates quas faciunt filij hominum, dixit,* &c.)

c c. 4.
d vers. 1.
e vers. 28.

Omnia vanitas.] Distribuit dictio (*omnia*) inquit Caietanus, non pro omnibus simpliciter, & absolutè, sed pro omnibus humanis, quatenus humana sunt; non enim pro bonis animi reuelatis, de quibus quoque tractatum est. Hæc ego nulla distinctè deprehendi, sed solùm virtutes morales, & prouidentiam, iudiciúmque Dei, quæ lumine naturali possunt cognosci.

Vers. 9.] Cúmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat: & inuestigans composuit parabolas multas.

HEbraicè, & Græcè (*& amplius quod,* vel *quia fuit sapiens*) Septuaginta (περισσὸν) Symmachus (περισσότερον) Chaldæus (*& plusquàm omnes filij hominum fuit Salomon, qui vocatur Ecclesiastes, Rex sapiens.*) Caietanus exponit quòd plus fuerit sapiens, quàm sapuerit in ista concione. Vt sibi fidem astruat, in fine sapientiæ suæ ac experientiæ meminit, quamuis sub tertia persona. De magnitudine sapientiæ Salomonis dictū est capite primo [f]. Thaumaturgus vult hæc quiritando proferri, quòd nempe frustra sapienter, ac eruditè

f vers. 19.

A concionati, populúmque sit conatus erudire ita misere perditéque affectum, vt neque doctrinam, neque curationem admitteret. Quo pacto etiam proprias liceat laudes commemorare, alibi docuimus.

Docuit populum.] Omisit Interpres cognitionem, siue scientiam; γνῶσιν, דַּעַת *dahhath*, quam satis *docendi* verbum includit. Hebraicè præterea est עוד *hhod, adhuc.* Id explicat Caietanus, plus in Salomone sapiētiæ fuisse, quoniam vltra concionem hāc docuit adhuc populum. Vetus translatio (*adhuc docuit*) editio Septuaginta emendata, ὅτι, *quia,* fortasse pro ἔτι: Complutensis, καὶ, & alij codices, καὶ ὅτι, *& quia.* Regis ac Principis partes sunt docere populares suos, vt capite quoque primo [a] docuimus, & de seipso Iob [b] testis est inter

B varias conditiones, quas vt magistratum gerenti necessarias, in seipso describit. Doctrinam istam suam non verbis duntaxat expressam, sed scriptis quoque traditam intelligit, vt indicant quæ sequuntur. Docuit præterea plures alios externos, quemadmodum dicto tractatu de sapientia Salomonis ostendimus. Meminit verò populi, quia pertinet ad fidem, siue fidelitatem eius qui præest, vt suorum, ac maximè domesticorum curam habeat [c], illos præ cæteris instituat, & legibus ac præceptis formet. Videtur *hominem* Olympiodorus legisse pro *populo.* Sed sensus haud potest multum dissimilis esse: לִמַּד *limmad* in piel est, *assiduè docuit*: & referendo ad illud וְיֹתֵר *iother* in prin-

a vers. 1.
b c. 29. 20. & seqq.

c 1. Tim. 5. 8.

C cipio versus, videtur comparatio esse, vt quo magis fuit Ecclesiastes & concionator sapiens, eo magis docuerit, &c. Apta consecutio, & iusta ratio, vt qui sapientissimus erat Ecclesiastes, doceret populum. Oportet enim lucernam non sub modio abscondi, sed poni super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt [d], lucere lux debet coram hominibus [e]; non est abscondenda sapientia in decore suo [f], quæ lux est, & lumen sapientiæ [g].

d Matth. 5. 15.
e ibid. vers. 16.
f Eccli. 4. 28.
g Sapi. 6. 23.

Et enarrauit quæ fecerat.] Hebraicè (וְאִזֵּן *veizzen.*) Pagninus (*& fecit auscultare*) Vatablus (*& commouit studium doctrinæ*) Caietanus (*& auscultabit*) nempe populus, propter magnam docentis

D gratiam, seu perseuerabit auscultando quæ pertinent videlicet ad mores, ita vt sit futurum tempus (vertit enim ו præteritum in futurum) quod referatur ad præteritum (*docuit*) Chaldæus intelligit de ipsomet Salomone (*& attendit voci sapientum.*) Septuaginta אזן *izzen* absque punctis acceperunt pro nomine significante *aurem,* idque sequentibus coniunxerunt (καὶ οὖς ἐξιχνιάσεται κόσμιον παραβολῶν, *& auris inuestigabit ornatum parabolarum*) vel auris Salomonis, vel potiùs populi audientis huiusmodi parabolas: Aquila (ἠνωτίσατο, καὶ ἠρεύνησεν, *audire fecit, & scrutatus est*) vetus translatio (*& audire eos fecit, & scrutans composuit prouerbia.*) Sunt qui אזן *izzen* interpretentur, *audiendo perpendit*

E *ac inuestigauit,* vel *ponderauit & librauit* [h]. Porrò Latini passim exponūt narrasse Salomonem suas res illas præclaras, quæ numerantur capite secundo [i]. Arbitror iuxta Interpretis mentē esse, vt Salomon dicatur enarrasse quę fecerat, id est, scripto, vel verbis magis declarasse non tam res gestas suas, quàm inuentam à se doctrinam. Hoc magis indicat *enarrandi* Latinum verbum. Fatendum tamen, composuisse Salomonem librum, in quo erat descriptio templi à se constructi, & officia ministrorum eius [k]: fit quoque mentio libri verborū Salomonis [l], quem alij quidem ab Ozai

h Rabbini in thesauro linguæ sanctæ.

i vers. 4 & seqq.

k 2. Paral. 35. 4.
l 3. Reg. 11. 41.

Prophe

Propheta,sed alij scriptum putant ab ipsomet Salomone. Quod verò spectat ad res gestas,dubio caret exempli vim permagnam esse, & , cùm ratione persuaderi non potest, eā confirmari exemplo; si autem ea sit apertior,reddi magis apertam. Regis, ac Principis mores faciliùs, libentiúsque imitantur cæteri. Vis illa Hebraicæ phrasis, de qua dixi (*& fecit auscultare*) innuit dictam quoque exempli vim ad persuadendum. Audire namque, & auscultare obedientiam sæpe denotāt, vel persuasionem,& assensum, præsertim verò auscultare,quod interdum etiam ab *audiendi* simplici verbo seiungitur.

a Pacuuis.

Nam istis (ait ille [a]) *qui linguam auiū intelligunt,*
Plúsque ex alieno iecore sapiunt,quàm ex suo,
Magis audiendum,quàm auscultandum censeo.

Et inuestigans composuit parabolas multas.] Chald. (*& scrutatus est libros sapientiæ,& parabolas intelligētia valdè.*) Parabola quid sit, docui hoc libro superiùs,confunditúrque nunc cum prouerbio, parœmia, adagio , similitudine. Sic aliquando simul Christus locutus scribitur in parabolis , prouerbiis , similitudinibus [b] : & quod Hebræus dicit משלים *meschalim*, Græcus vocat παροιμίας,Latinus Interpres *prouerbia*. Sed Hieronymus [c] Hebræam vocem meliùs quàm per *prouerbia* docet exprimi per *parabolas*:prouerbium enim potiùs est acutum & scitum dictum,quod tamen etiam sæpe continet nonnullam similitudinis cōparationem. Etymon Hebræum denotat excellentiam,& potestatem quandam, qualis est in propositione , quam dicunt maximā, dignitatem, seu ἀξίωμα, dictum, sententiam ; nam dominari est משל, *maschal*. Sed obseruatum est in Euangelicis parabolis duci similitudinem ex aliqua persona, seu supposito rationali,vel ex negotio cum ratione confecto : similitudinem generali vocabulo dici quando in ea res talis non est. Verùm, vt monui, confunduntur voces , & quam de ficu Interpres Matthæi [d], & Marci [e] vocauit parabolam, in Luca [f] similitudinem reddidit:& contrà parabolæ nomē Lucas [g] habet, pro quo idem paulo antè [h] similitudinis : imò pro Græca dictione parabolæ,quā Græcè scribens Lucas vsurpauit , ponitur interdum similitudo [i] : & in libro præterea Sapientiæ [k], qui Græco idiomate scriptus creditur. Sed & quiuis ænigmaticus sermo parabola vocatur quādoque, sine comparatione,vel similitudine [l]. Plura Salmeron [m] , discrimen statuens ab historia,exemplo,apologo,siue fabula, allegoria, prouerbio magis arctè sumpto,& à metaphora.

b Ioan.16.25. 29. Mar.4.2. 30.
c in c.1. Prouerb.
d c.24.32.
e c.13.28.
f c.21.29.
g c.8.10.
h vers.4.
i c.6.39.
k c.5.3.
l Num.23.7. c.24.3. Iob. 27.1.
m tomo 7. qui est de parabolis Christi tract.7.

Constat Hieronymi testimonio in hoc loco prouerbia Salomonis obscuriora esse,ac velut in terra aurum, in nuce nucleum, in hirsutis castanearum operculis absconditum fructum , in eis diuinum sensum altiùs perscrutandum. At quod in quæstionibus tradit Hebraicis (si tamen ipse, & non alius) tria illa parabolarum millia præter carmina quinque & mille , quæ locutum narrat Salomonem Regum historia [n] , contineri libro Prouerbiorum , qui nunc extat ; in eo enim esse pesuchin, seu versus nongentos & quindecim,ac in his dictas tot parabolas, nec satis cum re ipsa congruit,& à Iosepho [o] discrepat,qui narrat cōpositos parabolarum atque similitudinum libros tria millia. Polydorus Virgilius libro vno collegit vtriusque Testamenti prouerbia plura quingenta , & quinquaginta tria , eorúmque vim ac vsum demonstrauit. Id longè pòst, sed multo fusiùs , ac diligentiùs executus est Delrius noster duobus tomis,quibus Adagialium sacrorum titulum indidit. Pineda [a] verò etiam noster de libris Salomonis disputans, præsentem locum explicat, texens catalogum librorum illius ; rationalium, in quibus poësis censeatur ; physicorum , quantum ad herbas , & agriculturam ; item animalia, medicinam ; mathematicorum, quātum ad astronomiam,& similes artes ; & humaniorum,quantum ad monasticam , quæ circa vnumquemque versatur, œconomicam, politicam ; Theologicorum,quantum ad res diuinas : quamuis canonici libri,quos certò constet esse Salomonis,tres duntaxat sint, Prouerbia,Ecclesiastes, Cantica, iuxta sapientiæ triplicis diuisionem , in moralem, physicam,Theologicam. Reiicit ibidem alios libros, qui Salomoni tribuuntur,vt Sapientiæ, Ecclesiastici,incantationum, clauiculæ, annuli eius, contradictionis, hygromantiæ , epistolarum, verborum ipsius de vmbris,de neomeniis,Kalendarum Hebraicarum.

n 3 Reg.4.32.
o 8. Antiq. c.2.
a 3 de reb.Salom.c.19.

Multas.] Πολλὰ iungitur in textu Græco cum sequenti versu, vel vt nomen, vel vt aduerbium, nempe aut *multa*, aut *multum*.

Vers. 10.] Quæsiuit verba vtilia , & conscripsit sermones rectissimos,ac veritate plenos.

Videtur Bonauentura pro (*quæsiuit*) legisse (*quæ sunt*) sed contra fidem omnium codicum, & editionum. In vno codice manuscripto Bibliothecæ nostræ Romanæ reperi dictam lectionem. Hebraicè additur nomen Ecclesiastis cum verbo בקש *bikkes*, generis masculini, pro eo quod ponunt Septuaginta,Symmachus παροιμιαστὴν dicit, & καλεσκεύασεν, pro ἐζήτησεν. Loco verborum vtilium, Hebraicè, Græcéque,& in vetere translatione est (*vt inueniret verba voluntatis*, חפץ *chephets*, θελήματος) Aquila (χρείας, *vtilitatis*)Scholion (χρειώδεις, *vtiles sermones*, λόγους:) Hebræum autem vocabulum alias habere significationes alibi hoc libro docui. Chaldæus vertit (*quæsiuit Salomon , qui vocatur Ecclesiastes , sapientia sua indicare iudicia super cogitationes cordis hominis,& sine testibus.*) Respexit videlicet ad חפץ *chepets* pro voluntate. Hieronymus veterem secutus translationem, interpretatur Salomonem causas naturásque rerum voluisse cognoscere,& Dei dispositionem,& prouidentiam, quare vnumquodque, vel quomodo factum sit. Hoc non satis cohæret cum vulgata; nec enim talis cognitio admodum vtilis : verba autem voluntatis rectè vertit Interpres vtilia,scilicet quæ quis meritò, & cum ratione velle solet ac potest ; súntque,vt ait Olympiodorus,conformia voluntati diuinæ,quæ qui sequitur, percipiat gloriam felicitatis æternæ : vel continent mysteria, verbi gratiâ, incarnationis, de quo Dauid [b]; *vt facerem voluntatem tuam,Deus meus volui.* Caietanus verba desiderata,Vatablus rationes expetibilium rerum , aut sermones gratos interpretatur. In principio Prouerbiorum habetur:*Parabolæ Salomonis filij Dauid Regis Israël,ad sciendam sapiētiam, & disciplinam , ad intelligenda verba prudentiæ*, &c. Nemo proferre verba debet, nisi bona,& ad ædificationem,& quæ dent gratiam audientibus [c]:id tamen maximè decet eos,qui cæteris præsunt, & Dei vices gerunt,quod & se testatur Apostolus [d] fecisse, necnon & Deus ipse [e].

b Psal.39.9.
c Ephes.4.29.
d Act.20.20.
e Esa.48.17.

Et conscripsit sermones rectissimos,ac veritate plenos.]

a Deut.17.19. b c.1.8. c Psal.1.2. d in aphorismis Patrum, siue in שנת 8 ...

Hebraice, Græcéque significatur, quæsiuisse Salomonem id quod scriptum erat, fortasse volumen legis, pro vt cuiuis Regi [a], & Iosue seniò commendauit Deus [b], & homini cuicumque Dauid, qui esse beatus velit [c]. Apud Thalmudicos [d] Rabbi Ismaël à sororis filio rogatus, sibíne iam Græcorum liceret scripta legere, postquam Mosis vniuersam legem percepisset, respondit, ea licere hora, quæ nec ad diem pertineret, nec ad noctem: sed Rab. Samuel id quidem de continua per diem noctémque meditatione legis non tam præceptum esse ac debitum, quam benedictionem, consilium, felicitatem. Interpres de scriptione intellexit; Regem verò leges, & præcepta oportet scribere, vel dictare, suumque successorem filiu probè instituere, quod nonnullos Græcorum, Latinorumque legimus edito scripto fecisse. Vetus translatio habet (*vt inuenires verba voluntatis, & scriberet rectè verba veritatis*) Aquila (*καὶ συνέγραψεν ὀρθῶς, & conscripsit rectè.*) Pro rectissimis sermonibus, ac veritate plenis dicunt Septuaginta cum Hebræo textu scriptum rectitudinis, sermones veritatis: exponit verò Vatablus vel præcepta officiorum, qui sint sermones verissimi: vel quidlibet, quod rectè literis mandari posset: vel vt stylo æquabili traderet sapientiam. Rectitudo, de qua dictum alibi, confunditur sæpe cum veritate, & vtraque cum iustitia. Scribitur autem in Prouerbiis [e]; *Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum.* Inter alias notiones rectitudinis & recti hæc est, vt sit id, quod est gratum Deo. Thaumaturgus hunc profectò expressit sensum verbis istis: Ego verò iam grandis natu, longúmque vitæ spatiū emensus, in iis, quæ Deo grata, & accepta sunt, per veritatis mysteria exquirendis animū defatigaui. Vbi etiam dum Salomonem grandæuum facit, satis innuit Ecclesiastis ab eo librum hoc tempore scriptum, & quidem cùm resipuisset. Chaldæus (*propterea dictum fuit per spiritum prophetiæ à facie Domini: ecce iam scripta sunt in libro legis rectissima verba, & fidelia per verbum Domini, & in dicto testium stabit verbum.*) Possumus per sermones rectissimos, vt & iuxta formulam Hebræam in priore membro, per verba voluntatis, intelligere, quæ placerēt auditoribus, lectoribúsque, sua quadam elegantia, perspicuitate, apta dispositione, proprietate, vnà cum vtilitate. Quæ dictionis, atque scriptionis laus negligi, vel omitti, si quis eam consequi valeat, non debet, eiusdémque laudis participes non paucos habemus Græcos, ac Latinos sanctitate etiam conspicuos; vt nihil de diuinis dicam libris, & nominatim de isto, in quo cuncta emicant lumina ornatæ orationis.

e c.8.8.

Vers. 11.] Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.

COmmendat doctrinam suam, quæ valeat ad corrigendos delinquentes, vrgendósque pigros: & firma sit ac solida, nec ab alio quàm à Deo ipso profecta, qui docet hominē scientiam [f], vt non tam attendendi qui cum consilio, & sapientia loquuntur homines, quàm Deus, qui eruditis interest cogitationibus [g], & dat omnibus sapientiam [h]. Et potest sententia vt de aliorum quoque scriptorum sacrorum libris, vel dictis sumi, quæ se volucasse dicat, & hæc in ipsis landem deprehendisse. Sic quidem videtur Olympiodoro. Biblia Complutensia, & Regia legunt Græcè in singulari numero, & casu accusatiuo λόγον, nempe, quæsiuit; Sixtiana multo melius λόγοι: Hebraice enim etiam est דברי *dibre.*

f Psal.93.10. g Prou.8.12. h Iaco.1.5.

A

Sicut stimuli] Hebraice (כדרבנות *chadarbonoth*) Græcè (*ὡς τὰ βούκεντρα.*) Hebræum nomen stimulum significat quo rustici arantes boues pungūt, seu acum ipsam in summitate ligni, vel fustis: Græcum propriè bouem exprimit, qui stimulo pungatur, aut stimulum, qui bouem pungat. Rectè cum tardo animali piger, cum stimulo verbū diuinum comparatur, quod præterea gladius vocatur [a]. Bouem, asinumque pungimus à tergo, nobiliorem equum in lateribus: quosdam timor, alios vrget amor, inquit Hugo. Chaldæus ligones addit. Compuncti Petro prædicante Iudæi [b]; conuersus is, cui durum contra stimulum calcitrare [c]. Si cuius sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis: pœnitentiæ debet dolores & vulnus infigere, ait Hieronymus. Salonius, Albinus, alij conueniunt in eadem tropologia. Nec adhibendi tamen semper stimuli; conueniunt hi illis, in quibus vel cōtumacia, vel culpa est; alioqui profluos oportet esse, puros, dilucidos, dulces, ac demulcentes, vt Ambrosius [d] monet, Ecclesiasticos sermones, videlicet in spiritu lenitatis [e]. Plura de stimulo in historia de conuersione Pauli [f]. Configi timore carnes suas Dauid [g] petebat: & amor ipse stimulus est (de stimulo diuini amoris extat liber Bonauenturæ) nósque hic omnes aramus in spe [h], quæ spes excitat desidiam nostram, vt proscindamus spiritualem sulcum ad excipiendū semina diuina, feraciusque fructificandum.

B

a Ephes.6.17. Heb.4.12. b Act.2.37. c Act.9.5.

C

d epist.19 edit. Romana. e Gal.6.1. f Act.9. g Psal.118.120. h 1.Cor.9.10.

Et quasi claui in altum defixi.] Hebraicè (*quasi claui plantati.*) Scholion, Aquila, & Theodotio præter πεφυτευμένοι addit πεπηγότες. Vtrumque versio nostra, & vetus eodem pacto legens indicat, etsi Hieronymus alibi [i] (*confixi*) quod nihil refert. Thaumaturgus *traiiciendi* significationem posuit. Quidam codices Græci habent πεπυρωμένοι. Sic verò etiam legit Olympiodorus; quoniam claui igniti, atque cādentes faciliùs, inquit, altiúsque lignis infiguntur. Clauos ego, quibus cruci affixus est Christus, ignitos ritè putem nominari posse tenaci ac firmo, atque inflammato ipsius amore. Mali claui lanceæque in oculis & lateribus [k] peruersi homines; eorum vitāda societas: cauenda & mulier, ne clauo tempus capitis infigat [l], ac in nobis sapientiæ vitam extinguat. Boni claui, quibus cōfigimur Christo in cruce [m] firmiter, constantérque, timor, amor, fides, doctrináve sapientiæ [n]: fune alligaris, si proposita tentatione respicis honestatem, & promissum tuum, ne consentias; at putrescit frangitúrque facile funis: clauus fortiùs ligat diuini timoris, æterni supplicij: suauius glutinis vinculum, quādo vnus efficeris cum Deo spiritus [o], illúmque syncerè amas. Christus ligatus, confixus, aromatis illitus est [p]. Qui hic vocantur claui, ab Ecclesiæ tabernaculo non auferentur [q], tum triumphantis, tum militantis [r]: de terrena verò Ierusalem, quasi Sennacherib non eam capturus prædicetur, non intelligitur [s]: capta enim paulo pòst est à Babyloniis, & Esaias pollicetur non euellendos clauos in æternū. Nempe soliditas fidei inconcussa est [t], & gaudiū beatitudinis nemo tollet [u]. Idem est de cōsolidandis clauis Sion [x], videlicet spiritualis [y],

D

E

i in c.29.Esaiæ. k Num.33.55. l Iud.4.21. m Ps.118.120. n Hieronymus, Salonius, Albinus hic & alij, & Eucherius in formulis.c.8. Ambros.in Ps.118.ser.15. o 1.Cor.6.17. p Bern.serm. de triplici cohærentia vinculi.clau. & glutin. q Esa.33.20. r Hieronym. Theodoretus, Cyrillus, Procopius in Esaiam. s Lyran. & Vatab. secundum Rabbinos illo modo intellexerunt. t Mat.16.18. u Ioan.16.22. x Esa.54.2. y Hieronym. Theodoret. Cyrillus, Haymo, glossa, Lyranus, &c in Esa. eusebius demonst. e.2. Aug.1. de ciu. [illegible] Euan.c.18 de ciuit. Dei c.29.

& con

& consolidatio fit, quando mysteria nostra veteris testimoniis Testamenti confirmantur. Sed redeundo ad sapientum verba, vide ne te stimulent modò, non hæreant in te: vt stimulos admitte, retine vt clauos: cópago corporis cum anima, partis inferioris cum superiore, huius cum Deo clauo eget plusquàm trabali: si hæc, illáve perturbatio, passióve, aut tentatio distrahere nititur, adhibe ab Scripturæ, vel Patrum monitis præceptísque aptos clauos: clauis clauos trude. Quia verò etiam ex clauis, præsertim longioribus, pars depēdet supellectilis, aut ex paxillis, vt in Esaia [a] constat; videri potest Salomon sapientum orationes clauis defixis in pariete similes faciens, innuere voluisse sapientiæ muneribus maximis ornatas fuisse, atque variam inde quasi supellectilem depromi ad institutionem doctrinæ, ac vitæ; denique clypeos, & omnem armaturam fortium pendere ex illis [b].

a c.22.23.

b Cant.4.4.

Quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.] Hebraicè (בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת נִתְּנוּ מֵרֹעֶה אֶחָד *babhale asuppoth nitthenu merohheh echad, domini,* vel *auctores collectionū dati sunt à pastore vno.*) Id est, vt explicat Vatablus, verba illa sunt eorū, qui asseruant multa, & vocari possunt auctores collectaneorum: aut ipsimet auctores collectionū sunt quasi claui affixi, & stimuli: aut ij qui tradunt illos stimulos, clauósque spirituales, sunt præsertim auctores congregationum, sed auctore vno primo, ac præcipuo Deo, nempe colligentes multitudinem ad vnum Dei cultum, vt Abraham, Moses, Samuel, Prophetæ. Isti plantati fuerunt, & firmiter fixi in veritate, & sanctitate, in doctrina, & moribus: & quidquid tradiderunt verbo, scriptóque, ab vno profectum pastore, ad vnum pastorem Deum relatum est. Vnus magister Christus [c], Deúsque, *qui docet hominem scientiam* [d]: *nec voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines* [e]: &; *Omnis sapientia à Domino Deo est* [f], *qui dat eam omnibus* [g].

c Matth.23.10

d Psal.93.10.

e 2.Pet.1.21.

f Eccli.1.1.

g Iacob.1.6.

Per magistrorum congregationes, & cōsilium, id est, vnanimem consensum in vtroque Testamento, quasi ex vno cuncti loquantur ore, verba sapientum firma & certa sunt tradita. Concordāt in isto sensu magistri, hoc est, expositores omnes, edocti proinde ab vno communi magistro Deo, colligúntque hunc eundem, quod nonnulli negarunt hæretici, vtriusque Testamenti auctorem esse. Vetus translatio efficit eundem sensum (*habentibus cœtus data sunt verba sapientum*, &c. *à pastore vno.*) Quocirca non rectè nonnulli declarant (*tanquam claui habentes collectiones*) id est, claui crassiores, habentes capita inter se collecta, qui valuas sic adnectunt, vt diuidi nequeant: quo significetur concors Patrum sententia.

Magistrorum.] Rectè: sermo namque de doctrina erat, & בַּעֲלֵי *babhale*, quod rei cuiusque dominos, & auctores significat, restrictum est in Hebræo textu per sequens אֲסֻפּוֹת *asuppoth*. Chaldæus vocat magistros ductores viarum.

Consilium.] Multi codices habent (*concilium*) itáque Hieronymus in commentario legit, coniungens cum consensu. Dictum modò Hebræum nomen id significat, nempe *collectionem*, & *collegiū*. Collectio tamen etiam esse hîc potest, vt antè dixi, compositio, & contextio plurium sententiarum, & domini collectionum, & collectaneorum, quos Græci ῥαψῳδοὺς vocant, vel auctores pandectarum, conferentes in vnum volumen hinc

A inde varias decerptas sententias. Talis hic Ecclesiastæ liber, & Prouerbiorum: & ex scriptoribus sacris hoc scriptionis vsi sunt genere Damascenus in suis parallelis, & in sermonibus Antiochus, Maximus, Antonius Melissa, Cyprianus in testimoniis, & in moralibus Basilius. Græcè (οἳ παρὰ τῶν συνθεμάτων ἐδόθησαν ἐκ ποιμένος ἑνός.) Pronomen demonstratiuum aptiùs ad λόγοι, pro vt nunc emendatis in Bibliis est, refertur, quàm ad ἧλοι, quod proximè præcedit. τῶν συνθεμάτων abstractum versio Latina Septuaginta reddit per concretum (*à consedentibus*) Sixtiana translatio (*à conciliis*) post Hieronymum in Esaiam [a]: Scholion (συνταγμάτων, συναγμάτων.) Olympiodorus, quem non licuit Græcum legere, meminit duplicis lectionis, & vocis, vt sint vel constitutiones, siue

a in c.29.

B compositiones, vel pacta, credo συντάγματα, ἢ συνθέματα, siue συνθήματα. Constitutiones autem, siue compositiones, inquit Olympiodorus, intellige opera Dei, quæ admirabili, ac supremo ordine, & harmonia disposita, & constituta sunt, vel pacta vtriusque Testamenti.

Porrò discimus ex hac sententia tota, quanti referat doctrinam sequi magistrorum antiquorum, hoc est, Apostolorum, & Apostolicorum virorum, quíque deinceps primos illos, medióśve sunt consecuti. Hoc se Concilia ipsa facere profitentur, vt de Ephesino Vicentius Lyrinēsis prodit, dicens hoc illius Concilij Patribus catholicissimum, felicissimum, atque optimum factu visum:

C hoc à Florentio factum, acta testantur eiusdem. Fecit id quoque Nazianzenus, Basiliúsque, vt Ruffinus [b] scribit: præterea Clemens Romanus [c], Irenæus [d], Hieronymus [e], Cassiodorus [f] circa studium, & expositionem Scripturarum, ad quarum intelligentiam ascendatur auctore Cassiodoro per probabiles expositiones Patrum, vt per scalam Iacob [g]: Dionysius initio cœlestis hierarchiæ sic profitetur, ἐπὶ τὰς τῶν ἱερωτάτων λογίων πατροπαραδότους ἐλλάμψεις, ὡς ἐφικτὸν ἀνανεύσωμεν, καὶ τὰς ὑπ' αὐτῶν συμβολικῶς ἡμῖν, καὶ ἀναγωγικῶς ἐκφανθείσας, &c. *ad sacratissimarum Scripturarum intelligentias, pro vt illas à Patribus accepimus, contuendas, pro viribus pergamus, & quas illi nobis, vel symbolicè, vel anagogicè tradiderunt cœlestium spirituum distinctiones, & ordines, in quantum possumus speculemur.* Lege Ri-

b 11. histo. c. 9.

c epist. 5.

d lib. 4 c 63.

e in Prolog. commentar. & in ipsis commentariis.

f præfat. libri instit. diuinæ lect.

g Gen. 28.

D beram [h], & Canum [i], ac priorem [k] de clauis mysticè sumptis, cùm de illis, quibus laminæ templi iungebantur tabulis cedrinis. Solet etiam Augustinus [l] ad dogmata fidei confirmanda Patres alios citare. Denique grauiter nos admonet Ecclesiasticus [m] non præterire narrationem seniorum, quoniam ipsi didicerunt à patribus suis, & nos ab ipsis discemus sapientiam, & doctrinam intellectus.

h proœm. in Agg.

i 7 de locis. c. 3.

k vide templo. c 22. n. 4.

l præsertim lib. con Pela. & Donat & Iulianum.

m c 8. 9. & seq.

A Pastore vno.] Deo, & Christo, quibus Pastoris nomen officiúmque tam sæpe tribuitur in Scripturis, necnon à Dei Christíque Vicario Romano Pontifice, qui est princeps Pastorū aliorum

E inferiorum, quorum est inter alia maximè proprium, vt pascant doctrina, ita vt numerans Paulus varios ordines in Ecclesiastica hierarchia, Pastores [n], Doctorésque [o] posuerit pro iisdem indistinctè, videlicet quia non sunt Pastores, qui non simul Doctores.

n Ephes. 4. 11. 1. Cor. 12. 28.

o ibidem, Ephes. 4. 12.

Pendet ab vno visibili Pastore communis doctrinæ in fide, moribúsque traditio, definitio, declaratio, multo magis quàm olim penderet in vetere Testamento à Mose, dum viueret [p], qui erat Pontifex [q], licèt extraordinarius ac specialiter à

p Exod. 18.

q Psal. 98. 6.

Deo

Deo constitutus, præter Aaron ordinarium, & ab aliis summis Sacerdotibus [a]. Chaldæus exprimit Mosem hoc loco, qui pauit solus, inquit, populũ domus Isräel in deserto. Sed nos multo meliùs, aut potiore iure de Deo & Christo, Patres secuti, exposuimus; nec Moses, tametsi tantus populi sui pastor, omniũ dici verborum potest auctor, quæ tot post eũ sapientes tradiderunt, nullo verò modo quæ antecessores ipsius. Propter eundẽ vnum Pastorem Deum, siue Christum, siue Spiritum sanctum omnis Scriptura sancta, vt ait Hieronymus [b], vnus liber appellatur; sicque nõnulli [c] nõ tantùm de Genesis [d], aut primi Psalmi [e] principio, aut in propheticis libris [f], sed de toto Scripturarum libro illud in Christi persona dictum interpretantur à Dauid [g]; *In capite libri scriptum est de me*, ita vt totus de Christo loquatur liber tanquam de præcipuo argumento, & scopo, & sit idẽ libri auctor, Pastórque, & Doctor, qui & eiusdem subiecta materia. Omnis quidẽ loquitur, ac profitetur hæresis Christum; at dicere non potest suã ab vno Pastore datam doctrinam, quæ tam parũ sibi ipsi congruit, adeóq; dissidet, tũ ab alia qualibet item falsa, tum multo magis à vera & Catholica. Eadem ratio de tot Gentilium sectis, & de Iudaismo, qui suum refutat Pastorem. Hoc ipsum vnus necessariò in terris Pastor discernere, iudicare, definire, pronunciare debet, nec suo quicumque, vel priuato alterius iudicio, siue spiritui interno, aut externæ sententiæ fidere potest. Lege quæ de iudice controuersiarum sacrarum, & vero, certóque interprete Scripturarum diuinarũ disputantur, præsertim à Cardinali Bellarmino [h]. Turrianus [i] noster locum hũc totum tractat accuratè aduersùs hæreticos, ostendens istorũ verbum non esse vt Ecclesiasticum, nempe aculeatũ & ignitum, vt penetret, ac omne genus inscitiæ consumat, quippe etiam viuum & efficax, atque penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus [k]. Nam nec stimulum habet prædicationis gehennæ, & sine terroribus est ignis inextinguibilis, instar est claui obtusi & frigidi. Subdit præterea, quod sequẽti versu habetur iuxta editionem LXX. stimulos istos ex synthematibus ab vno Pastore datos, id est, velut symbolum siue tesseram, quam σύνθεμα, vel σύνθημα denotat, ad hostes in hac nostra militia discernendos. Pluribus autem demonstrat verbum hæreticorum huiusmodi non esse, quippe quod cum veteribus conueniat hæresibus, nec ab vno pendeat Pastore, cùm & adeò multi sint hæresiarchæ, & qui inuisibilem asserunt Ecclesiam, nequeant designare Pastorem.

a Deut. 17. 8. & seq. Malach. 2. 7. 2. Paral. 19. 8. & seq.
b in c. 29. Esa.
c Ambros. in Ps. 19.
d Hier. hic & in Ps. 39. & alij.
e Aug. in eũdem Ps. & alij.
f Basil. ibidẽ, & alij.
g eodem Ps. vers. 9.
h lib. 3. de verb. Dei in terpreta. c. 3. & seq.
i 1. de dogm. charact. fol. 27. & seq.
k Heb. 4. 12.

Vers. 12.] His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequénsque meditatio, carnis afflictio est.

HEbraicè (*& amplius* (nẽpe his, vel præter hæc) *ab illis monitus esto*: aut, *postremò fili mi caue admonitus*: aut, *amplius his fili mi caue* (scilicet ne quæras) aut, *his paucis admonitum te puta*: aut, *quod amplius est, ab istis fili mi, ab hoc caueto*) id est, à verbis, quæ non sunt qualia priùs descripsimus (וְיֹתֵר מֵהֵמָּה בְּנִי הִזָּהֵר *veiother mehemmah beni hizzaher*.) In vltimo verbo est accentus distinguens, efficiénsque distinctum membrum; deinde alio

A docetur de innumerabili multitudine librorum, &c. propter quam persuaderi debeamus, vt cõtẽti simus dictis iã sapientiũ verbis, nisi, quod subditur quoque, cassio velimus labore cõsumi. Græcè eandem distinctionẽ ferre possunt, si quis adhibeat, vel etiam in vnicam trahi sentẽtiam, quo modo possent & Hebræa, si distinguens accentus longiùs collocaretur (περισσὸν ἐξ αὐτῶν υἱέ μου φυλάξαι (vel φύλαξαι, vel φύλαξαι) τοῦ ποιῆσαι βιβλία πολλά.) Vbi sensus est, cauendum ne fiant libri plures, sistendo nimirum in recitatis verbis sentẽtiam: at continuando cũ sequentibus, punctum erit figẽdum verbo φύλαξαι, & aliud inchoandũ deinceps membrum, ac integrandũ cum sequentibus, *οὐκ ἔστι*

B *περασμός*, &c. *faciendi libros multos nullus est finis*, &c. Vetus translatio sic habet (*& amplius ab ipsis fili mi caue faciendi libros multos, quibus non est finis, & meditatio plurima, labor est carnis.*) Veruntamen Olympiodorus præcisã hanc sententiã περισσὸν ἐξ αὐτῶν sic explicat, vt verborũ, de quibus hîc facta mẽtio, fructus eximius, & amplissimus sit de incarnato Verbo, qui noster fieri dignatus est Pastor, de vita æterna, vbi quod ex parte nunc cognoscimus, à sanctissima Trinitate illustrati, perfectè intelligemus. Thaumaturgus innuit eadem illa verba, quæ modò etiam traduntur, velut ab vno Pastore accepta, nõnullos copiosiùs & ornatiùs exponere, ita vt superfluum sit inutiles libros con-

C scribere. Eundẽ sensum Hieronymus, ac alij passim reddere videntur, vt acquiescamus maiorum doctrinæ; nec frustra insudemus in lectione, vel scriptione tot librorum, qui res continent vanas, inutiles, perniciosas, quales Gentiliũ, Iudæorum, hæreticorum, &c. vt præterea studeamus assequi sententiam, non curantes fluxũ, copiámque verborum, quia consummatum, breuiatúmque sermonem fecit Deus super terram [a], & in multiloquio non deest peccatum [b], vt quidquid dixeris, vel scripseris, ad Deũ referas, cúmque qui erat in principio apud ipsum [c]; tunc multos ac plurimos libros vnius instar fore, sicut & quoquot cõtinẽtur in Bibliis vnum duntaxat volumen censetur,

D de quo Esaias [d], Ezechiel [e], Ioannes [f], Dauid [g] quoque, apud quem dicit in eius capite scriptum de se Saluator: è contrario plura volumina indicanda in vno, & quidem breui, si cõtineat diuersa & discrepantia. Docet Olympiodorus idipsum prorsus de vno & pluribus libris; idcirco & legis vnum nomen esse, & omnia, vt Christus docuit [h], concludi duplici charitatis præcepto: vtilem sermonem nunquam videri longum, sicut cùm tandiu Paulus de rebus diuinis disserebat (trinoctij meminit in schola, quod in Apostolicis Actibus nõ reperio.) Certè qui post Salomonem sũt editi libri sacri, tum noui, tum veteris Testamenti, non

E sunt superflui: sed nec adeò vtiles tam multorum Patrum ac Theologorum, imò & aliorum etiam de indifferente materia. Non eripitur etiam traditionibus locus, cùm cauetur, ne quid quis amplius requirat præter verba sapientum, nec enim de scriptis magis est sermo, quàm de traditis, & ipsamet Scriptura fidem traditionibus astruit. Denique quod sacram illustrat Scripturam & iuuat, non iudicatur additum contra id quod cauet eadem Scriptura, ne qua ipsi fiat additio [i]. Ticonius, Beda, atque alij Ioannem in Apocalypsi locutum interpretantur contra falsatores sanctarum Scripturarum, non contra eos qui simpliciter quod consentiunt, dicunt. Scripturæ sacræ tanta pollent sapientia, erudi-

a Rom. 9. 28. Esa. 10. 23.
b Prou. 10. 19
c Ioan. 1. 2.
d c. 29. 11.
e c. 2. 9.
f Apoc. 10. 8.
g Ps. 39. 8.
h Mat. 22. 40.
i Deut. 4. 2. c. 12. 32. Prou. 30. 6. Apoc. vlt. 18. 19.

tione, elegantia, nihil vt ex aliis libris meritò desiderari tanquam magnopere ad honestam quoque conducens voluptatem possit, non solùm ad salubrem necessitatem. Testatur id Clemens Romanus [a], Ephrem [b], Pelusiota [c], Augustinus [d], cuius hæc præclara sententia: [Et cùm ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit, multo abundantiùs ibi inueniet ea, quę nusquam omnino alibi, sed in illarũ tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discũtur.] Ad rem facit maximè, quod affert Pelusiota [e], comparando sacras cum profanis literis, in his esse dissidium magnum, velut inter Peripateticos, Academicos, Stoicos, alios Philosophos.

Faciendi plures libros nullus est finis.] Videtur Chaldæus contrarium agnouisse sensum (*monitus esto, vt facias libros sapientiæ plurimos, adeò vt non sit finis.*) Studium scribendi, vt prosis posteritati laudabile: verùm ne quid nimis, ac ne præproperè, ideóque præcipitanter: sed vt ille [f], nonam post denique messem, nonámque post hyemem, atque vt alius [g] nonum post annum;

Et non ætherias cupias volitare per auras [h],

ne κύων σπεύδουσα, τυφλὰ τίκτῃ, & peruersè dicere, ac scribere peruersè tum dicendo, tum scribendo facillimè cõsequaris [i]. Plura de mora, tarditate, religione, censura scribendi Bencius noster, dum de stylo disserit [k]. Verè quidem Plinius maior apud minorem [l], quòd nullus tam malus liber, vt non aliqua ex parte prosit (colligebat ex Ennij stercore Virgilius aurum:) sed & τὸ ἀντίστροφον, quòd nullus ferè tam bonus, quin aliquid mali cõtineat. Adi Petrarchæ declamationem in librorum copiam vel comparantes, vel componentes, vt ex posterioribus vnũ ad sex millia: fuit is Origenes, propterea vocatus συντακτικὸς, *compositor* [m]. A Mercurio Trismegisto plus viginti, vel triginta sex millibus dicuntur scripta volumina [n]; fortasse idcirco quòd Ægyptij suos dicarent libros Mercurio, velut rerum cunctarum inuentori. Didymi quoque filius Salsamentarij χαλκέντερος cognominatus est, quasi *præditus æneis intestinis*, ob assiduitatẽ lectionis, & scriptionis, fertúrque vltra ter mille quingẽtos libros scripsisse [o]. Noster ipse Salomon [p] permultos composuit omni de argumento, quinque millia odarum: dramatum, parabolarum, εἰκόνων tria millia. De aliis quidquid sit (plura colligit exempla theatri auctor humani [q]) adeò sapiens scriptor Salomon à multitudine reprehendi non debet. At paucorum id est. Audi Ciceronem [r]. [Fieri potest, vt rectè quis sentiat, & id quod sentit, eloqui politè nõ possit. Sed mandare quemquã cogitationes suas literis, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio, & literis. Itaque suos libros ipsi legũt cum suis, nec quisquam attingit præter eos, qui eandem scribendi licentiam sibi permitti volũt.] Hoc alius [f] scitè nominauit insanabile (insanũ quoque potuit) scribendi cacoëthes. Officit profectò plurimùm, vel scriptitare, vel lectitare, réque adeò in graui lenẽ esse. Qui sunt Ambrosio similes, faciũt quod ille, vt muneri satisfaciant. [Legimus, inquit [t], aliqua, ne legantur: legimus, ne ignoremus: legimus, non vt teneamus, sed vt repudiemus, & sciamus qualia sint, in quibus magnificè isti cor exaltant suum.] Magno in lectione opus delectu; & proficit præ-

a 1. constit c. 6. & 7.
b orat de trãsfigura & tom. 1. operũ. pag. 374. & seq.
c 2. ep in 3. & 4. & 61. lib. 4.
d epist in 388.
d 2. de doct. Christ. c. vlt.
e lib. 2. ep. 3.
f Catull. de Cinnę Smyrna paruo libello.
g Horat. de art. & lib. 1. saty. 10.
h Martia. lib. 3. epig in 4.
i Cic. 2. de orat.
k orat. de stylo.
l ep. ad Marcũ, vel Macrũ lib. 3 in 5.
m Hiero. ep. ad Pãmach. & Oceanum. Isido. 7 Etymolog. c. 7.
n Iamblic. de myst. Aegyptio.
o Suidas.
p 3. Reg. 4. Ioseph. 8. Antiq. c. 2.
q volum. 21. lib. 3. tit. de scriptionis exercitio.
r Tuscul. 1.
f Iuuen. saty. 7.
t in proœmiõ Luc. & habetur d. 37. c. legimus.

A

scertius discipulus qui paucis, vel vnico etiã vtitur libro, vt B. Thomas præcepit [a]. Meritò propter periculũ lectio quorundam vetatur: nec Dionysius Alexandrinus audebat sine monitu diuino hæreticos legere [b]. Legatur hac de re Grabrielis Putherbei theotimus de tollendis & expũgendis malis libris. Placẽt mihi quæ scribere volẽtibus, & libros edere Ludouicus Viues edit præcepta in opere de tradendis disciplinis [c]. Sanissimũ illud, ac sanctissimum Tridentini Concilij decretũ, ne prodeat absque cẽsore, atque approbatore liber: multo certè necessarium magis, quàm quod Eusebio Cæsariensi Constantinus iniunxit [d], vt libri non nisi ab artificibus, iísque antiquariis, & perfectè artẽ scientibus, scriberentur. Ambrosius

B

sua cognoscenda, & emendãda mittebat Sabino Laudensi Episcopo. Hæretico digna, & apostata Iosephi [e] Scaligeri sententia est; Expurgatorios indices habere Marranorum est. Consule de cautione circa lectionem librorum Iudaicorum Setarium [f] nostrum; circa Gentilium Delrium [g]. Denique Quintiliani [h] vtile monitum; optimis assuescendum, & multa magis, quàm multorum lectione, formanda mens, & ducendus est color. Isidorus [i] etiam Pelusiota scribit, ὅσον μὲν οὖν χρήσιμον εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς φιλοσοφίαν ἐκ τῆς ἔξωθεν παιδεύσεως, ὥσπερ ἡ μέλιττα δρεψάμενος. πολλὰ γάρ, εἰ χρὴ τἀληθῆ λέγειν, ἀρετῆς ἕνεκεν πεφιλοσοφήκασι. τὸ λοιπὸν ἅπαν χαίρειν ἔα. *Quamobrem cùm ex externa*

C

eruditione apiculæ instar tantum collegeris; multa enim, si verè loqui volumus, de virtute illi disseruerunt, quantum ad nostram philosophiam conducit, &c. Legatur & Luciani Dialogus πρὸς τὸν ἀπαίδευτον, καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον, *ad ineruditum, & multos libros ementem.* Irridet etiam Seneca [k] bibliothecarum ostentationem, quarum vix tota vita indices perlegas, & his onereris, non instruaris, eásque compares non ad studium, sed ad spectaculum, non ad studiorum instrumenta, sed ad ornamenta cænationũ. Idem facit Isidorus Pelusiota [l], nominans talem βιβλιοφθόρον, βιβλιοτάφον, σητοτρόφον, *librorũ corruptorem, librorũ sepulcrum, tinearũ altorem*: præterea dignũ, qui publicè plectatur tãquã fraudator com-

D

munis boni. Pauculos Basilius habere se libros, quos is eripere posset, non ingentem bibliothecam, Præfecto Modesto dixit [m]. Vetus quoque parœmia multum legendum monet, non multa [n]. Qui secus faxint, Polybius [o] gulosis conuiuis comparabat, qui appositos cibos variè, & carptim delibantes, neque in præsenti voluptatem solidam, neque fructum, aut alimoniam in posterum ferunt. Tales Pythagoras armarium doctius habere affirmabat, quàm pectus [p]. Seneca [q] fastidientis asserebat stomachi esse, multa degustantis, quæ vbi varia sunt, & diuersa, inquinant, non alunt: Epictetus [r] etiam acriùs voracitatem istam reprehendebat.

E

Laude tamen digni, qui librorum vtilium copiosa supellectile delectantur, ac vtuntur. Quo in genere vnius plurium loco proferendum exemplum Alphonsi Regis Hispani doctissimi, & studiosissimi. Hic in omni semper expeditione Iulium Cæsarem circumtulit, legítque; Biblia verò sacra cum glossis & commentariis quaterdecies: ad illum pro gratissimo munere milites quos in vrbium direptionibus libros reperissent, deferebant: cubabat cum libris in sponda positis: vniones & margaritas perdere, quàm qualemcumque librum malle affirmabat [f].

a in chron. S. Domin. p. 2. lib. 3. c. 57.
b Euse. 7. hist. c. 6.
c lib. 5 non longè à fine.
d Euseb. 4. de vita Cõstant. c. 39.
e in elencho.
f de Rabbinis
g præf Tragic. syntag.
h lib 10. c. 1.
i lib 2. ep. 3.
k de tranquil. animi. c. 9.
l lib. 1 ep. in 327. & 399.
m Nazian. orat. 20. n. 74.
n Pli. lib. 7. epist. 9.
o lib. 3.
p apud Vmbertũ in reg. August. c 136.
q ep. 2. c. 26.
r apud Arrianũ lib. 1. de doct. Epict. c. 26.
f Anton. Panormita de dictis, & factis Alphonsi.

A

Librorum qui fuerunt,súntve, numerum inire impossibile,sed nec bibliothecarum ipsarum. Si quis adhuc tamen operam scribendo conferr suam pro Deo,pro Religione,pro Republica maximè, vt contra hæreticos, habet Augustinum [a] huius instituti magnum laudatorem, & horratorem; nec vitio vertitur nullum libros scribendi finem facere,cùm vel argumentum per se infinitum est,vel alij nocere scribendo non desinũt. Infinitum non est,imò non nimium, non multum, quod finem ad vnum,eúmque optimum, cómodè refertur:& conuenienti fit modo ad professionem Christiani hominis, cuius est, inquit Basilius [b], non ad ostentationem magis scribere, quàm ad publicam vtilitatem, non inanis gloriæ gratiâ,sed vt fratribus vtiles ac salubres exhibeat sermones. Tandem non desiturum scribere dicit illum,cui non deest qui argumenta scribendi exhibeat. Sed aliàs [c] damnat nimiam scriptionem Apollinarij, tanquã contrariam Ecclesiastis sententiæ,& libri Prouerbiorum [d],quòd in multiloquio vitari non possit peccatum. Hoc idem damnauit Nazianzenus [e],innuens eundem Apollinarium.

a 1.de Trin. c.3 con. mendacium c.4.
b epist.167.

B

c epist.74.
d c.10.19.
e ep.ad Cledoniũ.tract.49.

Frequénsque meditatio, carnis afflictio est.] Longè aliter Chaldæus (*monitus esto,&c.& vt studeas verbis legis multum, conspiciásque defatigationem carnis*) videlicet hortatur ad subeundum laborem, sicut antea scriptionis, ita nunc meditationis circa legem Dei,eámve libris scriptis illustrandi, quamuis carnis inde fatigatio consequatur & afflictio. Pro *meditatione* Hebraicè est לַהַג *lahag*, quam vocem huius loci propriam non *meditationis* duntaxat habere significationem volunt, sed etiam *doctrinæ,studij,lectionis.* Hoc modo tum de scribentibus libros multos,tum de legentibus hic locus poterit intelligi. Labor,ac fatigatio est valde magna in re vtraque,& in posteriore discrimẽ quoque nominis,propter quod omni quidam in totũ scriptione abstinuerunt, de quibus Stobæus [f],vt Socrates, Aristarchus, Phauorinus (qui synchronum suum Plutarchum ob multam scriptionem reprehendebat) & alij [g]. Ipsi quoque manus ex nimia scriptione curuati, contractique leguntur articuli Chrysanthio Sardiano Iuliani Apostatæ familiari, cùm is octogenarius tantum librorum propria manu exararet, quantum vix alij florẽtes iuuenta legerent,vt narrat Eunapius in eius vita: & possum id ego ipse de Francisco Turriano nostro testari,quem propria celebrant scripta, & honestissima pro summo Pontifice in Tridentino Concilio, priusquàm noster esset,Theologi Doctoris functio. Sed aliud hic argumentum scribebat,pium videlicet,& pro Ecclesia; alium sibi proponebat finem,Dei nimirum gloriam, ac nominis diuini celebritatem maiorem. Prodit Cæsarius Heisterbachensis [h], Ricardum Anglum ex ordine Præmonstratensi plurimos in cœnobio libros descripsisse pro publica vtilitate, & cœlesti præmio:post viginti autem annos repertam in tumba dexteram manum eius adeò integram & viuidam, ac si recenter de corpore animato fuisset præcisa, reliqua carne in puluerem redacta:vt verò tanti miraculi monumentum extaret, religiosa theca conditã custodiri placuisse.

C

f serm.19.

D

g theat.vitæ huma.volu.21.lib.4.

E

h 12. exempl. c.47.

Problema est,præstétne plures edi,vel pauciores libros; & posteriori quidem fauet parti tum modò dictum incommodum ex mentis,& carnis labore:tũ quia pestis vidẽtur memoriæ, Socratis quidem iudicio, literæ, quòd eius homines exercitia illis freti negligãt:tũ postremò perturbatio confusióque disciplinarum cũctarum cũ iactura temporis,quod inutiliter persæpe cõsumitur per tot circuitiones inuolutæ veritatis,quæ simpliciter ac breuiter tradita faciliùs, nitidiúsque percipitur. Testis exempli loco Iustinianus [a],qui antiquæ Iurisprudentię plus tricies cẽtena millia versuũ, duóve librorum millia sapientet in breuissimum digessit numerũ. Christi alia ratio,cur nihil scripto tradiderit; qua de re S.Thomas [b], & Augustinus [c]: nam in terrą si quos characteres formauit [d], citò euanuerũt;epistola ad Abgarũ censetur apocrypha [e], vel officij causâ fuit, non de doctrina [f]. Sed nihil tam vtile,quo nõ abuti quis soleat: & ego iam superiùs litẽ composui,exposuíque multitudinẽ quam vitiosam, quã censere laudabilẽ debeamus in libris. At ne multus quoque hîc videar,neu reprehensionem ipse subeam nimij scriptoris,etsi finis mihi,certò scio,nõ alius quàm Deus,finem facio. Decet verba nostra post abbreuiatum per incarnationem æternũ Verbum abbreuiari,præsertim de rebus diuinis, quas verbo abbreuiato legis Euangelicæ restrinxit idem Verbũ. Esaiam [g] de breuiato Verbo per incarnationẽ quidem intellexit Anacletus [h], Cyprianus [i], Hieron. [k] at Augustinus [l], & idem Cyprianus [m], necnõ Tertullianus [o], & Ambrosius [n]; prætetea Origenes [p], Eusebius [q], Basilius [r], Procopius [s], Photius [t], de breuiore Euangelio, legísque nouæ paucioribus mandatis, quæ idcirco leue reddunt onus,& iugũ suauius his qui laborabant,& onerati erant [u], videlicet ducẽtis duodeviginti præceptis affirmatiuis, & negatiuis quinque ac sexaginta supra trecenta; ex quibus priora membris humani corporis respondere dicũtur, posteriora diebus anni [x]. De Apostolo Bartholomæo refert Dionysius [y] dixisse,& multam Theologiam esse, & minimam, & Euangelium latum,& magnum, & iterum correptum.

A

a libr.2. de vet.iure enucleando.C. & in ff. procemio.§. & antea.
b 3. p.q.42.a.4.
c 1.de consen. Euang.c.7.
d Ioan.8. 6. 8.
e Euseb.lib.1. histo.c.13.
f Gelas.d.15.c. Sãcta Romana Ecclesia.

B

g c.10.23.
h epist.2.
i 2.contra Iudæos c.3.
k ep.ad Algas. q 10.
l tract.16 in Ioan. & 1. ad Simplicia.q.2.
m in ora. Dominicã, & in Symbolum.
n 4.con.Marcio.c.1.
o præfat.in Ep. ad Gal.& de Tob.c.20.
p io c.9.Epist. ad Rom.
q 2.de demõstrat.c.40.
r in c.10. Esa.
s ibidem.
t apud Oecumen.in c.9. Epist. ad Rõ.
u Matth.11. 27.& seq.
x Rab Moyses lib 3 doctoris dub. c.penul.& vlt.
y myst.Theolog.c.1.

C

Vers. 13.] Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.

D

IMponit sibi Salomon ipsi quodammodo silentium, finémque sibi scribendi, sicut aliis plura legendi imperat, séque, aliósque prouocat ad maximè compendiosam animo insculpendam sententiam,simul aperiens iudicium suum, quod cuipiam vacillare in superioribus videri poterat, de rebus humanis, déque summa felicitate, & aptissima ratione illam adipiscendi, & velut extensa manu concionator verax omnium tumultus sedat,cósque ad vnam sententiam, vt loquitur Gregorius [z],reuocat.

E

z 4.dialog. c.40.

Qua de causa monent Augustinus [a],idémque Gregorius,atque hoc loco Hieronymus, sapientissimã, piissimámque esse libri hanc clausulam: & prætetea Hieronymus,Hebræos dignum iudicauisse librum istum sacro canone,cùm in eo superiùs vana pleraque ac falsa scripta essẽt. Sequitur etiam in commentario translationem veterem (*finis sermonis verbi vniuersi auditu perfacilis est*) quasi Salomon velit hanc ἀνακεφαλαίωσιν, & finem disputationis totius auditu promptissimum esse, nec aliquid in se habere difficile. Aliter Chaldæus (*finis verbi quod factum est in seculo oc-*

a 20. de ciui. c.1.

cultè totum futurum est, vt publicetur, atque diuulgetur omnibus filiis hominum) scilicet in generali iudicio, de quo hic paulo pòst, quasi dicat, audiatur, quod verbū Græcus textus habet, Græcè (*τέλος λόγου. τὸ πᾶν ἄκουε, finis sermonis, omne audi*; vel *finē sermonis omnem audi*) id est, vel finis sit sermonis, & audi semel omnia: vel finem sermonis omnis audi. Hebraicè (סוֹף דָּבָר הַכֹּל נִשְׁמָע *soph dabar haccol nischmahh*) Pagninus, & Caietanus vertunt (*finis verbi omnis auditus est.*) Vatablus *negotium* pro *verbo* ponit: Clarius (*finem vniuersæ rei audiamus*) alij, teste Titelmanno (*finis verbi totius audiendus est.*) Explicat verò Caietanus finem auditum, quia verus summæ felicitatis finis fide percipitur, quæ est ex auditu [a], non autem euidenter in hac vita cognoscitur. Vatablus (*in summa, omnia audita sunt*) id est, omnia te docui, mundana cuncta, esse vanitatem. Sic vulgò (*finalmente*, &c.) & vt quandoque scribit Seneca, summa summarum, quasi hîc dicat Salomon, finis, videlicet, esto; tum, omne auditum est, seu satis multa dicta, &c. cæterùm, Deum time, &c. Vulgata meliùs congruit Hebraicæ editioni; sed ita, vt verbum Hebræum futuri temporis primæ personæ pluralis in prima coniugatione, sumatur, vt solet sæpe, pro imperatiuo, & דָּבָר *dabar* sit aut verbum quoque infinitiui modi דַּבֵּר *debor*, aut nomen in regimine דְּבַר *debar*. Posset etiam versio Pagnini recipi, si hoc nomen cum punctis vltimo loco expressis esset: נִשְׁמָע *mischmahh* verò, quod propter accentum distinguentem habet cametz, benoni, seu participium coniugationis secundæ Niphal, non autem futurum primæ personæ pluralis in prima coniugatione: vtrumque enim potest esse.

a Rom. 10. 17.

Quod attinet ad verborùm sensum, efficitur idem, præterquàm eo modo, quem tradidit vel Caietanus, vel Chaldæus. Meritò autem exigitur nūc in fine attentio, cùm pronūcianda est extrema de extremo ipso Iudicio, déque ratione id subeundi salubriter, sentētia. Similem, de re simili Moses acturus, à cœlis, à terra postulat attentionem [b]: similem quoque Dauid ab omnibus gentibus, ab habitantibus orbē, à terrigenis filiísque hominum, à diuitē, & paupere [c]. Habet quod imitetur concionator Christianus, vt absoluat orationem aculeo infixo, imò, vt antè dicebat Ecclesiastes, stimulo, & clauo: & cùm vanitatis fugā in primis suaserit, diuini mentione Iudicij sauciatū auditoris animum dimittat; idque quod sibi proposuit in vltima oratione repetat, ac veluti in summam capita præcipua cōcludat, finem, vt loquitur Hieronymus [d], iungens principio, nec semel monuisse contentus. Valet etiam ad magis conciliādam beneuolentiam, sicque faciliùs persuadendum, teipsum in eadem cum cæteris causa coniungere, quæque monita des alijs, pro teipso sumere, nec te minùs quàm alios in communi reprehensione, vel hortatione includere. Hoc est quod egregius concionator noster dicit (*finem loquendi pariter omnes audiamus.*)

b Deut. 32. 1.
c Ps. 48. 2. 3.
d ad Demetriadem.

Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.] Chaldæus superiori membro, in quo significati voluit cauēda occulta peccata, quę sint in diuino Iudicio aliquando publicanda, nectit sic hoc membrū (*propterea verbum Domini time, & mandata eius custodito, vt non pecces in secreto: quòd si peccaueris, circumspectus esto, vt te conuertas, nam huiusmodi decet esse viam omnis hominis.*) Censeo sententiam magis amplam, & generalem, sicut & passim cæteri.

Porrò maximi facienda præsens grauissima, & sapientissima sententia, & longè omnium vtilissima, atque nobilissima, quæ pote naturam nostram penitus attingat, & definiat, sine qua desinamus homines esse, noménque hominum propriè retinere. [Quid breuius, ait Augustinus [a], verius, salubrius dici potuit? *Deum time, & mandata eius custodi, quia* (Græcè ὅτι, Hebraicè כִּי *chi*, quod Interpres omisit sine iactura) *hoc est omnis homo.* Quicunque .n. est hoc, est custos vtiq; mandatorū Dei, quoniam qui hoc non est, nihil est. Nō enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in similitudine vanitatis.] Chrysostomus [b] expendens quæ de Iob dicuntur, quòd esset vir simplex [c], &c. docénsque non ex his describi, quibus homines alij solent, neque hoc dici, quòd duos pedes haberet, & vngues latos, verùm ea commemorari, quæ hominem integrant, imò constituunt, confirmat illud idem præsenti veluti finitione hominis. Ibi autem pro eo quod Iob rectū vocat Interpres, Septuaginta nominant ἀληθινόν, *verum*, vel *veracem*, nempe qui diuinam in se similitudinem imaginémque bonis retinuerit moribus, vt docēt Origenes [d], & Chrysostomus [e], & non vel bestia [f], vel pictus homo euaserit. Alij præterea Patres, tum huius Interpretes loci, vt Salonius, docere solent, prauum hominem hominis indignum nomine, sed pro varijs vitijs varias sortiri bestiarum appellationes à Scripturis ipsis assignatas [g]. Philo [h] tractans ea verba; *Noë [i] homo iustus perfectus in generatione sua, Deo placuit*: [Sciendum, inquit, quòd hominem non vulgari loquendi forma, rationale mortale animal vocat, sed per excellentiam eum, qui verè suo respondet nomini, eiectis ex animo immansuetis, rabidis, ferinísque vitiorum affectibus (alludit ad etymologiam nominis Hebræi נֹחַ *noach*) argumento est, quòd post hominem, addit iustum, dicens, homo iustus, quia nemo iniustus est homo, sed potiùs bestia, humana forma prædita; in solum autem iustitiæ sectatorem nomen hoc competit.] Elegans est epistola Nysseni ad Harmonium, qua quid nomen professióve Christiana sibi velit, explicat, docétque, hoc dignum nomine non magis esse qui virtutibus careat, quàm sit simia vestes humanas induta (ibi narrat lepidā de simia historiam) quàm geometræ, medici, oratoris appellatione, prorsus imperitus istarum scientiarum. Tum subdit, Christianismi definitionem, vt sit imitatio diuinæ naturæ, videri eandem cū hominis definitione, qui cōditus est initio ad imaginem & similitudinem Dei [k], quò reuocatur per Christianismum. Tandem peruersis, ac bestialibus quemque moribus exprimere numen diuinum, cui simile dicitur, perinde ac si foret tale; quod infideles offendit, atque vehementer à vero Dei cultu deterret. Ratiocinatur ad eundem Bernardus [l] modum, quo retulimus vsum Augustinum: [*Deum time, inquit, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo.* Ergo, si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo.] Petrus Damiani [m], vt probet cuncta hominis gratiâ creata esse, inter alia argumenta, Pauli vtens testimonio, dicentis [n], *omnia vestra sunt*, docet, quòd tunc omnia sunt veraciter hominis, si ipse homo sit veraciter homo. Postea tractans præsentem locum, ait finem loquendi, quem auctor nunc imperat, esse illum, de quo idem Apostolus scribit [o]; *Finis legis ad iustitiam Christus omni credenti*, ad quem videli-

a 20. de ciuit. Dei c. 3.
b hom. 21 ad populum.
c Iob 1. 1.
d in Iob 1.
e ibid suprà.
f Ps. 48. 13. 21.
g Hilar. in Ps. 118 in id, manus tuæ, &c.
h libro de Abraham.
i Gene. 6. 9.
k Gen. 1. 26.
l serm. 20. in Cant.
m lib. 1. ep. in ep. 17. ad Alex. Papam II.
n 1. Corinth. 3. 22.
o Rom. 10. 4.

cet quidquid siue vetus, siue noua lex loquitur, sine dubitatione refertur: Deum verò timere, esse cuncta quæ Deus prohibet, execrando, & abominando contemnere: mandata illius obseruare, esse omnia quæ præcipit, operibus exercere: qui hæc non studeat habere, quia ratione careat, vocabulum quidem hominis habere, sed hominis esse non habere.

Deum time.] Timorem putant Olympiodorus, & Hieronymus perfectum hîc intelligi, qui iunctus sit charitati [a], qui sit consummatus in virtutibus, secundùm illud [b]; *nihil deest timentibus eum* (Deum.) Idem cæteris videtur. Sed Hugo, & Bonauentura deuitationem, seu declinationem mali magis propriè per timorem importari, opera bona per id quod sequitur (*& mandata eius obserua.*) [Deum perpenditur quis timere ex tribus, inquit Bertrandus Cardinalis [c], ex grata munerũ, & donorum largitione, ex prouida seruitiorum suorũ honoratione, & ex integra rerum & bonorum redditione. Subdit Gallico sermone hæc signa: *quand il le sert deuotement, & luy donne largement, quand il l'honnore sagement & deuement: quand il luy rend le sien entierement.*] Nota distinctio timoris boni præter mundanum, qui malus est, vocatúrque hostilis à Basilio [d], ac soboles infidelitatis, & ab aliis seruilis cum seruilitate, in seruilem, initialem, filialem, siue castum, vel reuerentialem. Inde fit, vt quandoque timori Dei plenitudo tribuatur ac perfectio legis, nonnunquam inchoatio veræ iustitiæ, interdum sola dispositio ad illam. Lege S. Thomam [e]. Cùm autem hîc quoque mentio subiiciatur diuini iudicij, non reiicitur seruilis timor (à δέ@, quod est *timor*, Θεὸν, & Deum dictũ putant, quia primus in orbe Deos timor fecit; & illam etymologiam Clemens Romanus [f] dat: alij, quia det, vel quoniam nihil ei desit) licèt imperfectus comparatione initialis, & filialis, nec seorsim habens locum in iusto. Contrarius de hoc velut malo timore damnatus est error Lutheri à Leone X. [g] & à Concilio Tridentino [h].

Plurimis posset probari testimoniis Scripturarum esse bonum. Sit satis, quòd quendam timorem Dei nominat Ecclesiastici auctor [i] initiũ dilectionis illius: at filialis, vel initialis etiam, dilectio est, seu completa, seu minùs perfecta, aut certè quidam effectus eius. Basilius [k] de hoc loquitur, quando nominat introductorium ad pietatem: Nazianzenus [l], cùm ait esse rudimentum, quo imbuamur, purgemur, ac veluti extenuati in altum ferri possimus: Augustinus [m] docet, de ipsa seueritate Dei, ac timore charitatem ædificandam, & rarissimè, imò verò nunquam accidere, vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui nõ sit aliquo modo timore Dei perculsus; præterea [n] charitatem per timorẽ introduci, sicut sanitatem per medicamentum, ac ferramentum, sicut linũ per setam: itẽ esse pædagogũ [o] casti, & inducere ad hunc petendum: Cassianus [p] gradum profectus vocat, quemadmodum & præmiorum spem, quibus incipiamus vitia declinare, vt ad charitatis gradum transire possimus: principium salutis etiam appellat, initium conuersionis, vitiorum purgationem: Prosper [q], & adhuc Augustinus [r], & alij initium sapientiæ [s] affirmant (potest ראשית *reschith* significare *principatum, & summam*) vel radicem [t], & fontem vitæ [u]: Cyprianus [x] fundamentum, ac firmamentum spei ac fidei dicit: Hieronymus [y] scribit de timore seruorum transiti ad gratiam filiorum: Climacus [z] appel-

a 1. Ioan. 4. 18.
b Psal. 33. 10.
c lib. contra Petrum de Cugneriis. tom. 4. Bibl. Patrum.
d homil. in Psal. 33.
e 2. 2. q. 19.
f epist. 1.
g art. 6. et di. narijs.
h sess. 6. c. 6. & 8. & sess. 14. c. 5.
i c. 25. 14. 15. 16.
k in Psal. 32.
l orat. in sancta lumina.
m de catechizãd. rudib. c. 5.
n tract. 9. in 1. Epist. Ioan. & in Psal. 127.
o concio. 25. in Psal. 118.
p collat. 11. c. 8. & 4. de instit. renũ. c. 39. & 43.
q 2. de vocat. Gent. c. 9.
r tract. 9. in 1. Epist. Ioan.
s Psal. 110. 10. Prouer. 1. 7. c. 9. 17. Eccli. 1. 16.
t Eccli. 1. 25.
u Prou. 14. 27.
x lib. 3. c. 10.
y in c. 1. Malach.
z gradu 2.

A lat radium qui minutissima peccata ostendat: Gregorius [a] ait, quòd compunctio formidinis tradit animum compunctioni dilectionis. Sunt in primo libro de actionibus virtutis [b] Rosignoli nostri nonnulla quæ facere ad rem præsentem possunt.

Et mandata eius obserua.] Horum prima, & maxima sunt de amore Dei & proximi [c], quibus Deus modo perfectissimo colitur, & quæ cætera cuncta mandata includunt. Idcirco timor hic præscriptus, castus, filialis, reuerentialis, cũ charitate necessariò coniunctus, denique talis est, à quo denominationem hominis absolutam, pro vt sequentia verba continent, habeamus. Quod

B Latinè dixit Interpres, *Deum tuum adorabis* [d], Hebraicè est *timebis*; & colere, ac σέβεσθαι loco eiusdẽ verbi alio loco reperitur [e]. Sed & summum Dei, propriúmque cultum eius Græci λατρείαν nominant, quod nomen timoris importat vehementiam, atque intensionem [f]. Hac de re plura alibi [g]. Iob primùm describitur simplex, & rectus, tum timens Deum [h]: Cornelius religiosus, ac timens Deum [i]: Simeon iustus, & timoratus [k], quasi timor complementum dicat perfectionis, & excellentiorem quoque gradum ipsa perfectione charitatis, si Cassiani [l] loquendi modum sequi volumus; quem timorem, inquit, non pœnarum terror, nec cupido præ-

C miorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem, vel fratrem frater, vel amicum amicus, vel coniugem coniunx sollicito reuereur affectu, dum eius non verbera, neque conuicia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solùm actibus, verùm etiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque feruor dilectionis intepescat. Cuius timoris magnificentiam Esaias [m] vnus Prophetarum eleganter expressit; *diuitiæ*, inquiens, *salutis sapientia, & scientia: timor Domini ipse est thesaurus eius*, &c. Subdit tum ex Psalmo [n]; *Timete Dominum omnes Sancti eius, quia nihil deest timentibus eum*, scilicet

D perfectionis: tum ex eodem Esaia [o] prædicente, cæteros quidem spiritus, vel dona super Christum requietura fuisse, sed replendum spiritu timoris Domini; tantam enim huius esse Spiritus vbertatis magnitudinem, vt quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam eius occupet mentem.

Nihil ergo mirum, si timens, hoc nimirum timore, Deum, cuncta dicatur mandata eius obseruare, cùm quædã veluti perfectio charitatis, quæ est plenitudo legis [p], ex eo pendeat; imò, vt citatus postremò Esaias habet Hebraicè והריחו *haricho*, *respirare faciat*, seu *inspirare eum*, vel etiam *olfacere*, vt nempe nihil nisi timorem, Religionem, pie-

E tatem spiret, olfaciat; hæc sit vita ipsius, tandem quod hîc in nostro textu sequitur, hoc sit omnis homo.

Hoc est enim omnis homo.] Editiones aliæ (*quoniam hoc omnis homo.*) Quasi, vt modò dicebam, nec aliter spirare possit, nec hominis naturam retinere, nec nomen ipsum. Omnis homo idem valet quod totus, integer, perfectus, quicquid homo est. Eadem vis Hebrææ vocis כל *chol* pro integritate vel discreta, vel continua: item nominis Græci παντὸς: denique boni auctores Latinæ linguæ omne pro toto vsurpant, vt Cicero [q], causam omnem pro tota, vel ciuitatem [r], &c. Budæus [s] idem obseruat de dicto Græco

a 3. dialog. c. 34.
b c. 17.
c Mat. 22. 37. & seq. Luc. 10. 27.
d Deut. 6. 13
e Esa. 29. 13.
f Phauorin in Lexico, & alij.
g in c. 10. Act. vers. 2.
h Iob 1. 1.
i Act. 10. 2.
k Luc. 2. 25.
l coll. 11. c. 13.
m c. 33. 6.
n Psal. 33. 10.
o c. 11. 2.
p Rom. 13.
q pro Quint.
r in Pisonem.
s comment. ling. Græcæ.

vocabulo ἀντὶ τ᾽ ὅλυ, affertque non ex Plutarcho tantùm, & Nazianzeno, sed etiam ex Luca [a], & Epistola ad Colossenses [b] exempla. Posterior clarior locus, ἐξ οὗ πᾶν σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν ἐπιχορηγούμενον, *ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum.* De priore non æquè consentio; κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, quod Interpres reddit, *perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius*: vertit Budæus; *compositus autem erit totus, vt preceptor eius.* Apud Marcum [c] quod Latinè est, *omne concilium*, Græcè dicitur, ὅλον συνέδριον: in Epistola ad Philippenses [d], *in omni pratorio*, ἐν ὅλῳ πραιτωρίῳ: ad Hebræos [e], *in omni domo eius*, ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Quapropter qui vim faciunt hîc in propria significatione (*omnis*) vt Salonius, quærúntque quo pacto sit omnis homo timens Deum, cùm id perpauci faciant, huc demum recidunt, vt omnem hominem sumant pro quocúnque qui hominis mereatur nomen. At Olympiodorus rectè πάντα interpretatur integrum, & vndequaque perfectum. Sensus esse præterea potest, hoc spectat ad omnem hominem: in hoc omnium consistit perfectio: hoc est omne quod ab omni homine exigitur: hoc est propter quod omnis homo creatus est: vel hic omnis labor hominis debet esse: hic laboris omnis quem suscepi scribendo finis scopúsque. De re ipsa sufficiant quæ priùs diximus. Gentiles ipsi sæpenumerò naturam nobis nostram præ oculis ponût [f], negántque dignum hominis nomine, qui vnum diem velit esse in voluptate [g]. Diogenes qui meridie homines quærebat laterna, cùm adesse in foro iussisset homines, baculo præsentes abegit, dicens non sterquilinia se, sed homines, id est, qui non seruirent affectibus, aduocasse.

a c.6.40.
b c.2.19.
c c.15.1.
d c.1.13.
e c.3.2.
f Cicer.1 de offic. & 5. de finib.
g Cicer.2.de finib.

Vers. 14.] Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit.

CÆteri præfigunt causalem particulam (*quia.*) De die Iudicij magni, in quo cuncta publicentur, explicat Chaldæus, & indicat satis verbû *adducendi*, & participium *absconditi*, vel *contempti*, vt habet Græcus textus, παρεωραμένῳ: atque hoc ipso modo cæteris intelligendus videtur hic locus. Latiùs patet disputatio de vniuersali Iudicio, quàm vt vel attingi leuiter breui commentario isto possit, aut debeat. Futurum esse qui negat, Albanenses hæreticos sequitur [h], cósve, qui sentiebant resurrectionem iam factam, sed in animabus [i], quæ iudicatæ iudicio particulari sint; & quamuis corpora dicantur resurrectura, iudicio distincto non egeant: vel illos, qui negabant idê, propterea quòd Christus dixerit [k], credentem non iudicari, non credentem iam esse iudicatû [l]. Nihil magis, clariúsque Scripturæ repetunt, & Symbola omnia id exprimunt. Lege Chrysostomum [m], Damascenum [n], Augustinum [o], alios. Sed nihil melius Isidoro Pelusiota [p], demonstrante ex euentis aliarum prædictionum Christi, necessariò fatendum, veram eiusdem esse de Iudicio: idque multo magis, quoniam & ratio persuadet, & Philosophi ipsi multi consentiunt, conuicti prouidentiæ diuinæ, atque iustitiæ necessitate; quæ duo argumenta mysteriis aliis obscurioribus non æquè adsunt. Itaque generale Iudicium exigit Dei iustitia, sapientia, honor, aliáque attributa, quæ palàm omnibus, ac publicè manifestari decet, ad bonorum quoque gloriam, atque lætitiam maiorem; ad confusionem verò, & tristitiam malorum. Erit sensibile hoc Iudicium, non per solam, vt Origenes innuit [a], in mentibus iudicandorum manifestationem: profitemur enim, & perspicuè tradunt sacræ literæ, venturum Christum, vt iudicet, nimirum certo quodam inferioris mundi loco, quem communior opinio assignat inter Oliuetum montem, & Ierusalem mediam vallem Iosaphat [b], quia nec infernus, nec cœlum alios capit, quàm iam iudicatos.

h de his Guido Carmelita.
i apud Tertull.lib.de resurrect.carnis, & apud Prateolum alij.
k Ioan.3.18.
l meminit Hilarius in Ps.1.& Aug. de agone Christ. c.27.
m hom.46.47.49.50. ad populum.
n in histor. Barlaam c.8 & 9.& 1.parallel.c.15.
o 20. de ciu. Dei.c.5 & seq.
p lib.2.epist. 10.157.

Cæterùm, omissis aliis, ex præsenti nostra sententia colligimus, ferendum esse iudicium de cunctis operibus: hoc enim sibi vult (*quæ fiunt.*) Nec excipiendi infideles; *eos namque etiam qui foris sunt, Deus iudicabit* [c], non solùm iudicio, vt quidam volunt [d], condemnationis, aut remunerationis, sed etiam discussionis, quoniam *iudicium erit cum Gentibus* [e], & disceptatio Dei cum illis omnibus [f], & [g] *omnes manifestabimur ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis pro vt gessit, siue bonum, siue malum*: & non minùs potest infidelitas multorum esse occulta, cúrque non crediderint, vel credere noluerint, quàm fidelium peccata: & quamuis qui non credunt, iudicati sint [h] in eo quòd non credunt, tamen diuersis, inquit Hieronymus [i], inter se afficientur suppliciis, & iudicabuntur cum omni carne, vt nullus iniudicatus abeat. Manifestior apparet causa cur infideles excludantur à regni possessione, quàm fideles, quia carent fundamento iustitiæ, atque meritorum: quo pacto possent exponi verba Christi [k]; *qui non credit, iam iudicatus est*: & quia id magis certum est, asseritur vt iam præteritum, inquit Augustinus [l]; tum quia præterea, qui non vult credere, contra seipsum fert quodammodo sententiam, inquit Cyrillus [m]: tamen etiam de fide viua carentibus, & non credentibus in Deum, Chrysostomus [n] interpretatur, & alij. De fidelibus iustis trita satis sententia [o], iudicandos discussionis iudicio non esse, sed approbationis duntaxat illos, qui fuerint insigniores, quia discussione non videtur opus, nisi cùm præcesserit magna bonorum operum, malorúmque permixtio. Attamen si demas eos, qui nullum admiserunt actuale peccatum, qualis B.Virgo, & pueri, atque perpetuò amentes, præstat de cæteris fateri dictam discussionem, seu publicam bonorum, ac malorum operum declarationem, quoniam Scripturæ magis id præ se ferunt [p], pluresque ita sentiunt [q].

Cognitio porrò, ac discussio, quam diximus, cum laude, vel vituperatione, non tota vocibus externis distinctè futura videtur; quia esset id tum tædiosum, tum parum necessarium, vt Augustinus [r], & alij docent; sed præcipua quædam solùm singulorum, aut certè omnium genericè, quique ad dexteram stabunt, quique ad sinistram, saltem secundùm generales ordines virtutum, & vitiorum bona, malaque opera recensebuntur locutione sensibili, communicata singulis de singulorum operibus interna cognitione,

(*Cunctique cunctorum cunctis arcana patebunt* [s]) quemadmodum & de sententia censendum est, quæ partim verbis vniuersè proferetur, partim illa propria singulorum in eorum mente dictabitur, intelligetur, ac veluti legetur. Nec eximendi paruuli, operibus licèt carentes: iudicabuntur enim

a tract.34.in Matt.
b Ioel.3.2.
c 1.Cor 5.13.
d indicat Greg.26.moral.c.20.
e Iere.25.31.
f Ioel.3.
g 2.Cor 5.10. Rom.14.10.
h Ioan.3.19.
i in c.25.Iere.
k Ioan 3 18.
l de agone Christ. c.27.
m 3.in Ioan. c.53.
n hom.27. in Ioan.
o in 4.d.47.
p priùs citatç, & præterea Dan.7.26. Apoc.20.12. 13.Mat.25.31. & seq.2.Cor. 5.10.Rom.14. 10
q Scholastici in 4.dist.47. vbi Soto q.2.art.3.S.Thom. dist.43.ar.vlt. Bonau.art.2. q.2.Aug.in meditationib. c.4.Anselm.in elucidar. & lib.de similitud Suarez 3.p.disp.57.sect 7.
r 20. de ciuit. Dei.c.14.& 16.
s Sibyll.

enim iudicio approbationis, aut damnationis, nõ discussionis. Illud autem iudicium pertinet etiam ad Dei Christique gloriam, vt agnoscant paruuli beneficium, quod in primo parente ipsi quoque receperunt, ac postea in Christo. Sic elucescet aliis quoque prouidẽtia, iustitia, misericordia diuina, cùm quosdam constabit damnatos ex paruulis, aliquos electos. Denique Scripturę quidem per se dę forma iudicij loquuntur, quæ conuenit adultis, non tamen de aliis negant, sed innuunt potiùs, quando tradunt omnes manifestãdos ante tribunal Christi [a], tum magnos, tum pusillos [b]: & per ea, quæ quisque gesserit, seu per opera, possunt quoquo modo intelligi media omnia, per quæ saluari possunt homines, aut damnari. Lege Suarez [c]. Angeli non pertinent ad hunc locum. Aderunt & ipsi tamen, ac fortassis iudicabuntur discussionis iudicio, vt idẽ auctor probat; quamuis in Symbolo profiteamur tantùm id quod est certum, nobísque necessarium, de Christo venturo Iudice viuorum & mortuorum. Nisi velis inter viuos numerare Angelos.

a 2. Cor.5.10. Rom 14.10. b Apoc.20. 12. c 3.p disput. 57 sect.6.

De hoc eodem argumento toto tractat copiosè Ioseph Acosta [d], nósque nonnulla in historia Apostolica [e], vbi Petrus testatur imperasse Christum Apostolis, vt prædicarent, & testificarentur, quia ipse constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum. In cœlo nunc *quatuor animalia requiem non habent die ac nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens* [f], *qui erat, & qui est, & qui venturus est*; venturus videlicet ad Iudicium, vt quibusdam placet, qui inde colligunt, quàm crebrò mortalibus futuri Iudicij sit ingerenda mentio, & refricanda memoria, maximè ab Ecclesiaste Christiano. [Quis enim, ait Clemens Romanus [g], peccare poterit, si semper ante oculos suos Dei Iudicium ponat, quod in fine mundi certum est agitandum?] Præsenti vtitur auctor [h] idem loco, vt generalem confirmet omnium, & non Martyrũ duntaxat, aliorúmve Sanctorum resurrectionem: videtur autem vim facere in Græco participio παρεωραμένῳ, id est, *neglecto, & despecto*, quod hìc habent Septuaginta. Tandem imitatus Ecclesiasten nostrum Boëtius censeri potest, consolationi suæ philosophicæ apponens istam clausulam: [Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cùm ante oculos agitis Iudicis cuncta cernentis.] Consolatur mirificè probos expectatio Iudicij, nec minùs inhiant ad id auidè, quàm aquilæ ac vultures ad cadauer [i]. Sic Hilarius, Chrysostomus, aliíque Interpretes accipiunt eam comparationem, qua vtitur Christus apud Matthæum, loquens de Iudicio. Præsagiunt volucres illæ adhuc viuorum mortem, sequuntur exercitum, stragem præsentiunt, si creditur Æliano [k], aliísque naturalis historiæ scriptoribus. Placuit eadem expositio Irenæo. Hugo etiam Ætherianus [l] idem obseruat, addens defixos oculos, quos habebunt iusti in Christum ad Iudicium venientem. Sed Irenæus, & Beda videntur intelligere de iis, qui ante Iudicij tempus fruentes beatitudine prosequentur Christum ad Iudicium: Hilarius, & auctor operis imperfecti illos, qui viui rapientur obuiam Christo in aëra [m]: Chrysostomus, & Euthymius Angelos, & sanctos Martyres, qui pariter comitabuntur Christum: Theophylactus, ac denuò Beda omnes homines, qui conuolabunt ad Iudicij locum, velint nolint.

d de nouiss. temporib. præsertim lib.4.c.23.& seq. e in c.10. Actuum vers. 42. f Apoc.4.8. g epist.1. h 5.constit. c.6. i Matth.24. 28. k lib.4. c.28. l lib. de regressu animarum. c.25. m 1.Thes.4. 16.

Cuncta quæ fiunt.] Cæteri (*omne opus*, vel *factum*,

A מעשה *mahousch.* ποίημα) Aquila (πρᾶξιν, *actionem.*) Quomodo de paruulis, perpetuò amentibus, B. Virgine, ac si quis alius fuit, qui nunquam actu proprio peccatum commiserit, debeat intelligi, eorum opera in iudicium adducenda, cõsule quæ paulo ante docui. Euthymius [a] argumentatur Verbum non esse factum, quia non adducetur ad iudicium, cum Verbum caro factũ, siue Christus, constitutus sit omnium Iudex. Cùm autem dicit Paulus [b], vocans Deum fidelem, *qui fecit illum*; respondet, quòd fidelis Deus appellatur, non quia credat, sed quia dignus cui credatur, fidésque habeatur: fecit autem Christum, vt homo est, siue ratione incarnationis.

a 1.p. panoplia tit.11. b Heb.3.2.

B *Pro omni errato.*] Dixi Græcè esse (ἐν παντὶ παρεωραμένῳ, *in omni contempto*) Symmachus legit (περὶ παντὸς παροραθέντος, *de omni contempto*) vetus translatio (*de omni abscondito*) Biblia Regia, & Complutensia, variíque codices (*pro omni abscondito*) quidam (*erratu*) alij (*reatu*) nonnulli (*de omni contemptu*, vel *ignoratu*, vel *ignorato*.) Meminit variæ lectionis Franciscus Lucas Brugensis, ac suspicatur (*errato*) pro (*celato*) positum, propter Hebræum vocabulum, de quo postea. Monet tamen (*errato*) non auferendum facilè ex nostra editione, vtpote non alienum à significatione dicti vocabuli נֶעְלָם *nebhlam*, id est, *absconditum*; quia non est error nisi circa occulta, aut abscondita: sed propiùs accedere docet ad Græca participia. Nam παρορᾶν est *incuriosè aspicere*, seu *per incuriam, oculis*
C *preterire*, seu *per transitum respicere, contemnere*. Vnde participiũ passiuũ aoriston significat contemptũ, ac velut ab oculis absconditum, & remotũ, quia non dignentur oculi ad id sese conuertere, vel obtutum in eo figere: aut cogantur etiam externam eius quasi faciem cernere, quod penitus intueri non possint. Si legamus *contemptum, seu despectum*; vt etiam legit Augustinus [c], erit quem ipse tradit sensus, quòd Deus adducet in iudiciũ omne opus, & quidquid ab homine fit in hac vita, siue bonum, siue malum, in omni despecto, id est, in omni etiam, qui contemptibilis hìc videtur, & ideo, inquit, nec videtur, quoniam Deus & ipsum videt, nec eum despicit, nec cùm iudicat
D præterit. Sic exponit Augustinus. Non respicit scilicet in iudicio Deus personam diuitis, & pauperis, sed omnibus æquus est, cuiuis pro meritis præmia suppliciáve decernens, non Thersitis minorem, quàm Achillis, vt quodam Plato dixit loco, rationem ducens.

c 20 de ciu. Dei.c.5.

Hieronymus Græcum aliquoties memoratum participiũ Latinè reddit in commentario (*de omni contemptu*, vel *ignoratu*) quòd, inquit, etiã de otioso verbo, & non voluntate, sed ignoratione prolato (hoc est, minùs consideratè) reddituri sumus rationem in die Iudicij [d]. Præterea per (*omne factum*) accipit omnes homines, quos Deus adducturus sit in iudicium (*de omni abscondito*) id est,
E super vniuersis, quæ aliter, quàm ab eo disposita sunt, & dicta, illi senserunt (*siue bonum, siue malum sit*) id est, siue in hanc, siue in illam partem: væ quippe his qui dicunt bonum malum, & malum bonum [e].

d Matt.12. e Esa.5.20.

Olympiodorus intelligit per τὸ παρεωραμένον peccatum omissionis voluntariæ, & peccatum quoque commissionis, quatenus quis quandoque malum perpetrat sponte, contráque suam ipsius, quæ dictat oppositum, conscientiam. Sic duplex membrum boni, malíque respectum habebit ad contemptum, vel iuxta versionem vulgatam, ad

erratum:mala enim est omissio rei bonæ, quæ fieri debet; mala positiua rei malæ actio, quam vitare oportet.

Si legamus (*absconditum*) poterit sic explicari, fore de omni opere bono & malo iudiciũ, quantumuis secretum sit, & patratores ipsos quodammodo lateat. Innuit hoc Caietanus. At quia in editione nostra *errati* nomen est, quod nonnisi malum est, difficilis redditur connexio (*pro omni errato, siue bonum, siue malum sit.*) Lyranus, & Carthusianus erratum interpretantur delictum ex malitia, vel ignorantia, siue sit bonum ex genere suo, sed ob circumstantiam malum, verbi gratiâ, dare pauperculæ eleemosynam, vt ad luxuriam pertrahatur: siue malum ex genere suo, vt furtũ, homicidium, &c. Titelmannus post Carthusianum includit parenthesi (*pro omni errato*) & postrema *siue bonum, siue malum sit*, iungit primis verbis versus (*cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudiciũ.*) Tunc interiecta (pro omni errato) significabunt fore iudicium de iis quoque quę per errorem exciderint. Quòd si cui non displicet, *errati* vocem ἀδιαφόρως sumere, etiam sine parenthesi, significabitur de leuissimo quolibet opere ferendam sententiam, siue sit bonum, siue malum. Siquidem & bonum opus facimus aliquando minùs attentè, ac, si dici potest, quodam quasi errore, mentis nimirum non satis attentæ, voluntatis non satis deliberatæ ac firmæ; cuius tamen operis ratio habebitur in iudicio, nec abibit sine mercede. Hebræum נֶעְלָם *nebhlam*, & Chaldæum אִתְכְּסִי *ithchassi* denotant absconditum & velatum, vel quod effugiat intelligentiam, memoriámve nostram, vel quod nos studiosè celemus. Paraphrastes Chaldæus posteriorem expressit sensum. *Nibil est opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non scietur, & in palàm veniet* [a] (Hilarius, Hieronymus, Beda de iudicio exponunt, necnon Euthymius) *& illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* [b]: *nec* enim *vlla est creatura inuisibilis in conspectu eius; sed omnia nuda, & aperta* [c], τετραχηλισμένα (quasi quis dicat, *excoriata à ceruice vsque ad caudam*) *in oculis eius*; atque scrutatur Ierusalem in lucernis [d] Deus, quem precor nostras vt illuminare lucernas [e], imò tenebras dignetur, eóque tandem euehere, vbi lumen videamus in lumine ipsius [f], despectis priùs, & eiectis ex animo cunctis vanitatibus, & obseruatis cum sancto timore mandatis ipsius, qui nobis vnus esse propositus finis debet, sine quo ne nomen hominis quidem verè, meritóque possumus retinere. Apponam hîc in fine quã versu fecit Albinus clausulam piam, vtilémque, tametsi non admodum metri & poëtices elegantia laudabilem. Continet quidquid adhuc libro hoc disputatum est.

a Matt.10.26. Luc.8.18.c.12.
b 1.Cor.4.5.
c Heb.4.13.
d Sophon.1.12.
e Ps.17.29.
f Ps.35.10.

Iste liber vario sensus sermone patescit
Diuersos hominum, quid cuinam placeat.
Quem tuus, ô iuuenis, tanto moderamine sensus
Perlegat, Epicuri ne ruat in foueam.
Albinus Patrum gradiens per prata piorum,
Carperet vt flores per pia rura sacros,
Fingere serta volens puerorum congrua fronti,
Grandia quorum ætas pondera ferre nequit.
Has rogo litterulas nostri perdiscite nati,
Et tota æternos mente tenete dies.
Omnia fluxa fluunt seculorum gaudia longè,
Nec redeunt iterum more fluentis aquæ.
Pectora nec nimiùm vanis incessite rebus,
Sed confirmate semper amore Dei.
Mors properat horis mox omnibus, atque momentis,
Vt rapiat nosmet Iudicis ad faciem;
Quo constat nostris certo discrimine factis
Iudicium cunctis, vt liber iste canit,
Quod timeat diues, pauper, iuuenísque, senéxque,
Tum recipit meritus præmia quisque suis;
Præmia perpetuis semper mansura diebus,
Mox bona quisque bonus, mox mala quisque malus.
Impius in tenebras cum dæmone pellitur atras:
Cum Christo regnat lucis in arce bonus.
Accipite hæc animis Paschalia munera lætis,
Mittentis memores sitis & ore pio.
Hoc opus hoc crudum rapuit portator ab igne,
Igniuomo coctum nec bene sub camino.
Vestra precor, filij, pietas errata repurget,
Dens illud putridus rodere nec valeat:
Aut oculus nigro suffusus felle per auras
Contendat patulas spargere more suo.

Nec mihi verò videtur abs re hîc commemorare, quod sexdecim ferè abhinc annis memini Lutetiæ somnium cuidam non contemnendum, & opportunum proposito, contigisse. Adolescens honestus, piúsque monitus à me seriò, vt ad Deũ conuerti totus posset, Augustinum exemplar sibi proponeret, ac patronum, cuius tunc agebatur festum. Nocte consequente per quietem visus sibi Christo assidere in aula: ludibundos mares, fæminas, nullo Christi habito respectu, procaciùs eum in proximum ad choreas hortum, & ad alias oblectationes inuitasse: Christũ pro inuitato respondisse his ipsis verbis: TRANSITE VANA, HIC ELEGIT DEO INSERVIRE. Haud vanum somnium. Rediit ad me lætus, & gaudio plenus diuino, rátiųn ab eo profecit puncto, condiscipuli, ac quotquor nossent, illum vt vulgò suspicerent, ac singularis nomine pietatis diligerent. Viuit hodiéque arctiori deuinctus vitæ instituto, satis re ipsa docens, ac vitæ documentum exemplo præbens, transisse ipsi vana, & Deo elegisse solidè, ac seriò inseruire. Comparari potest cum alio, quem produnt à Logicæ studio ad ordinem transisse religiosum, cùm caneret;
Linquo coax ranis, cras coruis, vanáque vanis,
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

FINIS.

INDEX RERVM OMNIVM, ATQVE SENTENTIARVM, VERBORVM

etiam & Latinorum & Græcorum & Hebraicorum, quorum Hebraica iis Latinis adiuncta sunt, quibus illa in editione vulgata respondent.

Aquæ

Morales

D

Dies

K

L

V

Z

FINIS INDICIS.

Addenda ad quintum capitis quarti verſum pag.92. col.1. ad lit. B. poſt hæc verba (contentus viuat) *linea* 28.

Melior eſt pugillus cum requie.] Dixi quoque videri potiùs hæc verba otioſi, quàm inuidi. Poſſunt & huic tamen conuenire prætexenti cauſam inuidiæ, atque reprehenſionis ſuæ, quòd ſcilicet is qui præſtat & excellit, inſano & irrequieto labore ſe maceret. Valent ad idem trita prouerbia duo, quæ citat Hugo Cardin. *melius eſt vnum tene, quàm duo tu habebis: melior eſt alauda in terra, quàm grus in cœlo.*

IOANNIS
LORINI
SOCIETATIS IESV,

COMMENTARIVS IN SAPIENTIAM.

POSTERIOR ET ACCVRATIOR EDITIO, quæ complectitur adiecta non pauca recognito correctóque Commentario.

CVM DVPLICI INDICE, ALTERO LOCORVM S. Scripturæ; altero rerum magis exquisitarum, ac vocabulorum Hebraicorum, & Græcorum, quæ Latinis subijciuntur.

Adhæc inseritur ad calcem Apologia pro eodem Commentario aduersùs neotericum eiusdem libri Enarratorem.



LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC. XIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

TYPOGRAPHVS LECTORI BENEVOLO.

ABSOLVTO Leuitici Commentario, dum secundam parat Auctor Ecclesiastis sui, ac Sapientiæ multo locupletiorem, & correctiorem editionem, incidit fortè in recentem libri posterioris Commentatorem. Hic eum vngens pupugit; & magna fiducia (vt pote in eadem olim familia institutus) eiusdem Auctoris omnia suffuratus, furtum tegere sibi visus est importuna & falsa quorumdam ex iis confutatione. Depulsionem calumniæ facilem, breuémque separatim Auctor adscribit, habens non pauca, quæ potiore iure in illo reprehendat. Eidémque profectò conuenire putes, mutato solùm nomine, gentilis ipsiusmet Epigrammata.

Quem[a] recitas, meus est, ô Fidentine, libellus: a Martial. lib. 1. epig. 39.
Sed malè dum recitas, incipit esse tuus.
Si[b] mea vis dici, gratis tibi carmina mittam: b epig. 30.
Si dici tua vis, hæc eme, ne mea sint.
Indice[c] non opus est nostris, nec vindice (iudice) libris, c epig. 54.
Stat contrà, dicítque tibi tua pagina, fures.

Ne verò mireris post euulgatam aduersùs Auctorem calumniam, seriùs apologiam dari, dilationis causam accipe. Dum in dies typis denuò excudendum eius Commentarium speramus, refutationem simul emissuri, quam ante quinquennium paratam penes nos habemus, variis prælorum curis distenti, aliò auocamur, &, vt dies diem trudit, tandiu illubentes ac inuiti distulimus. Sed moram facilè condonabis, postquam tuæ bonorúmque omnium expectationi satisfecimus. Vale, & industria nostra benignè fruere.

IOANNES LORINVS
PRINCIPI PHILOSOPHO.

TIBI dedico, dico; cui dedicat, dicat Auctor[a]*, ſophus archon, archonti Philoſopho. Vel philoſophandum ſummus Philoſophus*[b] γνησίως, καὶ ἱκανῶς *Regibus, vel regnandum Philoſophis, philoſophatus eſt. Barbarũ adagium*[c]*, aut Regem, aut fatuum naſci oportere; ſiue vt his ſua æquè quiduis agendi libertas conſtet, ſiue vt par ambobus ſit ignorantia. Principis animum ſolida erroribus Sapientia liberat, honeſti amorem communicat, odiũ inſtillat turpitudinis, facitque tanto mortales vt antecellat, quanto dignitate, ornatu, potentia, opibus antecedit. Patiar occupatam viuenti, præcipuè vitam militarem, paucis philoſophari*[d] *de rebus, quarum non in vſu notitia conſiſtat & praxi. Sapientiæ, quam hic Iudices, Reges, liber docet*[e]*, ſtudendum tandiu, quandiu regendum. Hanc ſe libri conditor teſtis*[f] *amauiſſe, exquiſiuiſſe à iuuentute, quæſiuiſſe ſponſam ſibi aſſumere, adduxiſſe ad conuiuendum. Cæteras artes cùm diſcendo aſſequeris, iam non ſtudioſus artificij, ſed artifex nominaris. Nunquam hìc ſatis ſapimus; ſed vt ſapere poſſimus, ſemper philoſophando ſtudemus. Pythagoras paulo plùs ſapiens quàm illi priores, qui ſe ſapientes putauerunt, Philoſophus, hoc eſt, ſapientiæ maluit ſtudioſus, quàm ſophus dici: exiſtimans non oportere incomprehenſæ, atque imperfectæ rei perfectum nomen imponi*[g]*. Patere infinitæ tibi rei ſtudium commendari: boni conſule, ſi tibi conſulens, conſilij necdum ſatis commentando dare, vt volui, valuerim. Vale.*

a c.1.1.c.6.2.
b Plato 5. de legib.
c Seneca in ludo Claudij.
d Cic. Tuſculan. 2.
e c.1.1.c.6.2.
f c.8.2.9.
g Lactan. lib. 3. c. 2.

NOBILI

NOBILI AC REVERENDO D.D.

CLAVDIO DE CHALMAZEL,

ECCLESIÆ PRIMATIALIS LVGDVNENSIS COMITI, DECANOQVE DIGNISSIMO,

HORATIVS CARDON S.

VELVTI diuinè omnia diuinus Plato (VIR CLARISSIME) tum illud maximè, virtutem, si oculis cerni posset, mirabiles sui amoris ignes in nobis excitaturam promulgauit: adeò oraculi huiusce Academici fidum effatum quotidianus rerum euentus, certa experientia, ipsaque veritas comprobarunt. Sic Liuij videndi causa multos Romam petiisse narrant scriptores; tam potenter vmbratilis ille virtutis fucus eloquentia etiam remotissimos pertrahebat, vt non ægriùs Vlyssis socij à Loto, quàm illi à felice tali ciue Vrbe auellerentur: habet enim latentes hamos virtus, quibus inescatæ mentes beatissimè capiantur; neque puriora solùm, sed rudiora etiam ingenia secreto amoris magnete ad se conuertit. Hæc quæ audaciæ meæ excusationē præferrēt, idcirco præmissa volui, ne nouū ignotúmque hominē, Charitúmque tuarū mysterio nonadhuc initiatū à te abiiceres. Non potuit hic animus virtutū tuarū splendore non rapi, non moueri, non incitari: beauit me felicissima lux, & verè mihi talis, qua amplissima nominis tui fama tu mihi tam citò amplexus quàm cognitus. Vt vidi, vt perij, non potuit citiùs Thebanæ conditor arcis saxa mouere sono testudinis, quàm pathicè & flagranter rapuit me æstus ille immensæ virtutis tuæ. Itaque ab eo tempore nihil mihi magis in votis fuit, quàm vt gratum animum, & digno, & sempiterno pignore, nominísque tui studiosum cultorem testarer. Id mihi per omnes quæsitum occasiones: sed dum nulla explendo desiderio compar prodit, en prospero fato R.P. IOANNIS LORINI è Societate IESV, in Sapientiam Commentarij longè doctissimi prodierunt, quibus dum tutelarem vndique Genium in lucem exituris exposco, tu mihi solus inter cæteros præficiendus visus es, non tā desiderij votíque mei dictatione, quàm certis legitimísque causis. Etenim cui Sapientiam dicari oportebat, nisi tibi, qui verè σοφὸς eam non tam colis, quàm refers illius perfectissimam ideam & exemplar? Requirunt alij quod possides, & in hac virtutum ferè decrepitarum & recedentium senecta, & occiduo, dubium an illæ à te, an tu ab illis commendationem accipias. Dico

audenter,neque dubito, ne cuiquã propterea ludibriũ debiturus sim; habeo enim huius non tã mei,quàm publici iudicij obsides bonos omnes: mirantur illi,& in te suspiciunt omnia, quæ in singulis vix singulatim,sapientiam, doctrinam,pietatem; adeò vt veluti mellitus Xenophon suauissima Cyropædia non tam Principem Persam, quàm Principis exemplar absolutissimum proposuit;sic te ipsum sapientiæ suæ idea Sapiens exprimere videatur. Quoniam verò huic operi enucleando, cui perpauci hactenus è Societatis IESV Patribus,quos tibi charissimos & acceptissimos scio, LORINVS desudarat,alium his Commentariis Mecœnatem adhibere nefas duxi ab eo quem tota Societas veneratur. In eo enim insignis illa tua pietas præfulget, vt non modò bonis omnibus te asylum constituas;verùm etiam vt iis potissimùm à quibus ingens emolumentum emanat,quale ab his Patribus non expectatur,sed spectatur,te totum velut Curtius saluti publicæ consecratum velis:doctos quippe doctus, piósque pius colis, & certissimum eruditionis profers exemplum eruditorum amorem, tanto magis conspicuum, quanto magis pietati annexum. Commentarios ergo lucem tua luce auspicantes me vouente (quæso) amplectere,& tam amplam,vt spero, obseruantiæ in te meæ testationem, licèt audaciusculam,piam tamen piè pio dicatam,ea fronte & humanitate,qua soles,gratare:Erit in his quo se oblectent tuæ illæ eximiæ, & verè diuinæ dotes,quas cœlum ἐνέταξέ σοι ἀπόῤῥοιαν θείκην, & inspirauit.Iis cæterísque quibus præfulges donis, ad tuum tuorúmque decus, tuæ Galliæ vtilitatem, Musarum bonorúmque tutelam,quamdiutissimè vtaris,illum ipsum qui concessit,supplex deprecor. Vale.

Facultas admodum R.P.N. Generalis Claudij Aquauiua imprimendi hos in Sapientiam Commentarios.

CVM *Commentarios in Sapientiam, P.I. Lorini, nostræ Societatis Theologi*, tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandentur, si iis, ad quos pertinebit, ita videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 2. Augusti, 1606.

CL. AQVAVIVA, Societatis IESV Præpositus Generalis.

Facultas R.P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

LVDOVICVS Richeomus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. die 10. Maij, 1583. & Henrico IV. nunc regnante 20. Decembris 1606. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque illorum permissione imprimant; permittit HORATIO CARDON Lugdunensi Bibliopolæ, vt librum qui inscribitur, *Ioannis Lorini Societatis* IESV, *in librum Sapientiæ Commentarius*, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni 22. Ianuarij, 1607.

RICHEOMVS.

HOSCE R.P. Ioannis Lorini è Societate IESV, *in Sapientiam Commentarios*, & pios, & eruditos, dignos censuimus, qui prælo commissi publicæ vtilitatis caussâ in lucem ederentur. Datum Lugduni die 25. Aprilis, anno 1606.

CHALOM V.G. Lugd.

SVMMA PRIVILEGII

à Christianissimo Galliarum Rege obtenti.

HENRICI IV. Galliæ & Nauarræ Regis Diplomate cautum est,ne quis in suo Regno,aliisve locis ditioni suæ subiectis,intra proximos annos decem, à die impressionis prima inchoandos,excudat,vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo ac ratione conetur librum,qui inscribitur, *Ioannis Lorini Societatis Iesu, in librũ Sapientiæ Commentarius*,præter Horatium Cardon Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipse concesserit: sub pœnis Originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis quinta die mensis Martij, anno 1606.

De mandato Regis.

Signatum,

DVFOS.

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ,
QVI IN HOC OPERE CITANTVR,

explicantur, illustrandis aliis huius operis locis adducuntur.

Numerus ad paginam remittit : litera locum designat : vbi cum litera numerus additur, columnam secundam denotat.

Ex Genesi.

Ex Numeris.

Ex Deuteronomio.

Ex Iosue.

Ex lib. Iudic.

Ex Psalmis.

18. *Solem*

Venite.

Non

EX NOVO TESTAMENTO.

stultitia

IN SAPIENTIAM PRÆFATIO.

CAPVT PRIMVM.

An sit liber Canonicus.

REFERTVR in canonem sacrorum librorum liber hic Sapientiæ à Concilio Carthaginensi III. [a] à Florentino [b], à Tridentino [c]: Toletanum XI. [d] eum citans, Scripturam vocat sacram: præterea Sardicense, dum scribit ad omnes Episcopos [e], vsurpat ex eodem libro testimonium, Scripturæ nomen ei tribuendo. Hoc ipsum plurimi faciunt Patres, Dionysius [f], Melito Asianus [g] (sed peruersè in editione Latina Basileensi anni 1549. habetur *Salomonis Prouerbia, quæ & Sapientia*, cùm Græcè sit Σαλομῶν⟨τ⟩ παροιμίαι, ἡ σοφία, &c.) Clemēs Alexādrinus [h], qui vocat Sapientiam diuinam, Origenes [i], Anastasius Nicenus [k], quamuis hic interdum [l] citet sine nomine (quidam Sapiens) Naziāzenus [m], Cassianus [n], Philippus Solitarius [o], Nicolaus Cabasilas [p], Michaël Glycas [q], Germanus Constantinopolitanus [r], Chrysostomus [f], qui tamen alicubi [t] appellat absque nomine (Sapientissimum quendam) Athanasius [u], Optatus [x], Basilius [y], Epiphanius [z], Cyrillus Alexandrinus [a]: ex Latinis Tertullianus [b], Cyprianus [c], Hilarius [d], Ambrosius [e], Augustinus [f], Hieronymus [g], & alij etiam ex summis Pontificibus, vt Clemens [h], Anacletus [i], Anterus [k], Euaristus [l], Felix II. [m] Felix V. [n] Innocentius I. [o] & Gelasius [p], qui duo vltimi catalogum texunt omnium librorum sacrorum, sicut & Isidorus [q], ac Damascenus [r]. Hieronymus [f] ait quidem in canone Iudæorum non esse, & suo nondum tempore ab Ecclesia receptum: at nihil id referre Isidorus [t] monet, cùm iam Ecclesia Christiana illum, ac similes inter diuinos honoret, & prædicet libros; & qui Hieronymi titulo notatur tomo 9. epistola 6. ad amicū ægrotum, citat vt librum sanctissimi Salomonis, quod etiam faciunt alij, de quibus capite sequenti.

Illud verò idem responderi etiam debet hæreticis, æquè libro isti diuinam auctoritatem abrogantibus, & ex Catholicis Lyrano, in principio commentarij ad hunc librum, atque Caietano in fine extremo ad Esther. Augustinus omnium instar esse potest, quoniam sic de illo scribit: [Non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu Lectorum Ecclesiæ Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis Episcopis vsque ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos cum veneratione diuinæ auctoritatis audiri.] & infrà: [Oportet vt librum istum Sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi diuinum testimonium crediderunt.] Ambrosius [a] eundem profert librum, vt recitari solitum in Ecclesia: & Hilarius [b] auctorem eius vocat Prophetam eiusdem spiritus cum Dauid, aliísque Prophetis.

Quocirca impudentiæ Kemnitius [c] est intolerandæ, cùm vult Augustino librum istum non esse diuinum, nec infallibilis veritatis. Solùm dicit Augustinus, excepta illius attestatione, quem aliqui negabant esse canonicū, rē tamen claram esse, quam inde volebat docere. Quod autē Caluinus [d] deprehendisse se mendacium iactat in hoc libro, propter quod ei demit auctoritatem, videlicet de origine idololatriæ, refelletur postea suo loco [e].

Postremò fauet huic sacrosanctæ libri auctoritati, quòd Paulus quandoque [f] alludit ad nonnullos eius locos, videlicet ex cap. quarto, & sexto, & septimo, & nono; imò & irrisores Christi [g] ad locum ex capite secūdo [h], quod simul indicat, canonicam à Iudæis ipsis habitam tunc Scripturam. Isidorus [i] refert ex cuiusdam quoque Sapiētis Hebræi, aut ex Hebræo Christiani, quem non nominat, sententia, hoc opus olim ab Hebræis receptum fuisse inter canonicas Scripturas: sed postquam comprehendentes Christum interfecerunt, memorantes in eodem libro tam euidentissima de Christo testimonia (nempe dicto capite secundo) collatione facta, ne Christiani eis pro tam aperto sacrilegio derogarent, à propheticis voluminibus recidisse, legendúmque suis prohibuisse.

Caietani porrò distinctio friuola est, librum istum dici canonicum à Patribus, & à Conciliis, id est, regularem ad ædificationem fideliū, nō tamen ad firmandum quæ sunt fidei: quod non dubitat quoque asserere de libro Iudith, Tobiæ,

a c. 47.
b in vnione Armenorū.
c sess. 4.
d in profess. fidei.
e apud Theodo. lib. 2. c. 8.
f 4. de diui. nominib.
g apud Euseb. 4. histor. c. 26. vel 25.
h 4. stro. c. 6. lib. 6. c. 6.
i 1. periarch. & libr. 8. in Ep ad Rom. & tom. 27. in Ioan.
k q. 8. 17. 76. 78. & 79. in Script.
l q 15.
m orat. 49.
n coll. 24. c. 24.
o 2. dioptræ. c. 8.
q 2. & 4. de vita in Christo.
q dispu. 2.
r oratione de exalt. Cruc.
f orat. de festo Cruc. media Quadra. apud Gretserum. to. 2. de Cruc.
t 1. de proui.
u orat. contra idola.
x 1. & 4. cōtra Parmen.
y 5. cont. Eunom.
z hæres. 76.
a 2. contra Iulianum.
b de præscript. lib. 8. & aduersùs Valent. c. 2.
c de mortalitate, de exhortat. Martyr. c. 12. 4. ad Quirin. c. 59.
d in Ps. 127.
e in Ps. 1. & 21. vel serm. 3 in Psal. 118. octon. 3. & de Paradiso. c. 13 & 2. de Abraham. c. 7. de Salomo. c. 2. de incarn. c. vlt. 3. de spiritu S. c. 19. & 23.
f de prædest. Sanct. c. 14. 2. de symb. c. 4.
g ep. 100. ad Paulinum.
h epist. 1.
i epist. 2.
k epist. 3.
l ep. ad Episcopos Africanos.
m ep. ad Episcopos Gall.
n epist. ad Athanas.
o ep. ad Exuper. c. vlt.
p decreto de lib. sac. to. 2. Concil.
q 6. etymolo. c. 1.
r lib. 4. c. 18.
f suprà.
t supra.

a in Ps. 118. octon. 18.
b in Ps. 127.
c in exam. Cōcil. Trid. sess. 4.
d 1. Institut. c. 11. §. 8.
e c. 14.
f Rom. 11. 34. Hebr. 1. 7. & 11.
g Mat. 27. 43.
h vers. 18.
i 1. de offic. Eccl. c. 12.

duobus primis Machabæorum, Ecclesiastici. Meritò illam distinctionem ridet Canus [a], qui tamē contrariam sententiam non satis damnauit, scribendo [b] erroneā esse, ne dicam hæreticam. Lege Bellarminum [c], & Sixtum Senensem [d], & Georgium Ederum [e], & qui post me breuiores edidit commentarios, nostrū Christophorum Castrū [f], & ex Augustiniana familia Gonsaluum Ceruantes [g], qui multo prolixiores, & qui præter alios ex ordine meo, tum mortuos, tum adhuc superstites, qui sese ipsi tueri per se possunt, in me ipsū acriùs stylum strinxit, cui separatim ac seorsum perpaucisque, & moderatè satisfaciendum duxi. Hic plura protulit Patrum, Conciliorū, Pontificū testimonia. Sed inter summos Pontifices, & Papas Chromatium non bene recenset: quamuis Papę nomen, ac Pontificis cuilibet Episcopo tributum reperiatur.

a lib. 2. de locis Theol. c. 11.
b c. 9. conclu. 2.
c 1. de verbo Dei c. 13.
d 8. bibli hær. 9.
e 3. œcono. bibli. tabu. 134.
f isago c. 1.
g isag. 2. q. 2.

CAPVT II.
De auctore.

VIget magis opinio, de qua etiam dixi Commentario in Ecclesiasten, trium duntaxat librorum Salomonem auctorem sanctorum esse. Prouerbiorū, Ecclesiastis, Cantici Canticorum Hunc in modum Hieronymus [h] docuit, rationes quoque de numero assignans, quas ibidem retulimus. Sed quia citati ferè Patres omnes, maximè Chrysostomus, Origenes, Cassianus, Philippus Solitarius, Clemens Alexādrinus, Cabasilas, Glycas, Germanus Constant. Tertullianus, Optatus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Basilius, Isidorus, Anastasius Nicenus, Epiphanius: præterea auctor operis imperfecti [i], Gaudentius Donatista [k], Matthæus Cantacuzenus [l], August. [m] Faustinus [n], Gregorius Beticus [o], Prosper [p], Victor [q], Cerealis [r], Bertrandus [s], auctor quæstionū vtriusq; Testamenti apud Augustinū [t], Petrus Blesensis [u], Hugo Ætherianus [x], Lactantius [y], Irenæus, & Egesippus citati à Iacobo Rytero in præfatione huius libri, qui tamen auctor hæreticus est, citāt vt Salomonis librū, & plurimi de recentioribus ita loqui ac sentire videntur; respōderi solet, sicut & de libro Ecclesiastici, qui pariter interdū citatur velut auctore Salomone [z], cùm se Iesus filius Sirach apertè prodat auctorē in proœmio, & capite penultimo, & vltimo, sententias quidem esse Salomonis, aliū autem quempiam eas in scriptum redegisse: quod & de nonnullis Psalmis nonnulli putant. Paulus de Palatio [a], & Michaël Medina [b] existimant probabiliter dici posse ab auctore libri, quisquis ille fuerit, Salomonis titulum libro præfixū, eo modo, quo dialogis quibusdam Plato Socratis præfixit nomen, & aliorum; Catonis, aut Lælij, aut Bruti Cicero: quo item pacto Xenophon inducit loquentem Cyrum.

Refert Hieronymus [c], à multis existimatum Philonem libri compositorem: Augustinus [d] dixit fuisse Iesum filiū Sirach. Hoc idē [e] postea meritò retractauit, & solos [f] illos tres receptos in auctoritatē canonicam scripsit, nempe tamquam Salomonis, Sapientiā, & Ecclesiasticū, propter eloquij nonnullam similitudinem, vt Salomonis dicātur, obtinuisse cōsuetudinē. Illū secutus videtur quodam sermone de S. Laurentio (si tamen auctor est eius) vbi citat locū ex isto libro tamquam Salomonis. De recentioribus cōtendit Salmeron [g], & qui diu post me prodiit, lectus verò est à me, vt antè monui, cùm pararem editionem secundam, Christophorus à Castro nostri vt prior ordinis; itémque Pineda lib. 8. toto de rebus Salomonis librū hunc à Salomone verè fuisse conscriptum.

h præfat. in libros Salomonis.
i homil. 28. & 43. in Matth.
k apud Augustinum 2. cōt. Gauden. c. 36.
l in paraphrasi huius libri.
m in Ps. 63.
n libro cont. Aria. c. 3.
o de Trin.
p p. 2. de prædic. & promis. c. 9.
q 2. de persec. Vand.
r cont. Maximi. c. 3.
s de orig. & vsu iurisd. q. 1.
t q. 102.
u epist. 131.
x de regressu anim. c. 2.
y lib. 4. c. 16.
z à Cyprian. lib. 3. ad Quirinū c. 6 & 51. & lib. 1. ep. 9. ad Rogatianū, & à tot aliis apud Paulū de Palatio præfat. in Ecclesiasticum.
a suprà.
b 6. de fide c. 12.
c præfat. in libros Salom.
d 2. de doct. Christ c. 8.
e 2. retract. c. 4.
f 17. de ciu. c. 20.
g tomo 1 prolegom 8.

Quod attinet ad Philonē, nō is fuit qui ætate vixit Apostolorū, sed, vt annotat Driedo [a], & Michaël Medina [b], Canus, Pamelius, Sixtus Senensis citati, & Geuebrardus [c] (qui putat fuisse vnum de LXXII. Interpretibus, vt & auctorem Ecclesiastici) vetustior Christo annis 160. temporibus Oniæ Pontificis. Adrianus [d] Finus contendit familiarē Salomonis fuisse, illiúsque ab se auditas sententias literis mandasse. Paulus Minerua [e] iure quidem videri potest opinionē illam refutare: nō idcirco tamē, quòd nō fuerit alius, præter Petro synchronon, Philo: fuit enim & tertius veluti medius, sed nō Hebręus, de quo Iosephus [f], & Eusebius [g]: neque tam Philo, quicumque fuerit, conuertit ex Hebræo, quàm stylo scripsit, Græcam, vt ait Hieronymus [h], eloquentiam redolente.

Porrò confirmari quod hîc præsertim asseritur potest ex libro Prouerbiorum, non solùm ex Psalmis, de quibus dixi; nā eius libri c. 25. [i] traditur, parabolas Salomonis translatas à viris Ezechiæ Regis Iuda, id est, collectas ex schedis, ac mēbranis, quod & de prioribus ante caput hoc parabolis factū ab Esaia Rabbi Moyses existimat, cùm locutus scribatur Salomō [k] tria millia parabolarū, & carminū quinque millia. Constat sanè, quemadmodū multa sunt in libro Prouerbiorū, quę soli propriè Salomoni cōueniūt, sic & in hoc qui dicitur Sapientia, maximè in capite septimo, octauo, & nono. Vt nō sine causa titulū liber gerat Græcè σοφία Σαλωμῶν (quem tamen Hieron. [l] appellat ψευδεπίγραφον) adeóque multi, sicut dixi, Patres eodē nomine appellent. Sed Interpres Eusebij, is quem semel antea mentitum deprehēdi, Ruffinus nēpe, falsò quoque sic illum cōuertit [m]: [Verùm & hic ipse (Egesippus) & Irenæus, & omnis antiquorū chorus, librum qui adtitulatur Sapientia, Salomonis esse dixerūt, sicut & Prouerbia, &c. [n]] Fidelior Christoforsonus: [Porrò autē nō hic solus, sed Irenæus, & tota veterum turba, Prouerbia Salomonis, librū esse præclara, eximiáque sapientia refertū affirmabāt.] Græcè sic scribit Eusebius: Οὐ μόνος δὲ οὗτος, ἀλλὰ καὶ Εἰρηναῖος, καὶ πᾶς ὁ τῶν ἀρχαίων χορὸς, πανάρετον σοφίαν τὰς Σολομῶνος παροιμίας ἐκάλουν.

Quapropter nō argumentātur necessariò [o] librū esse Salomonis, quòd Salomonis titulo sit insignitus. Nec vt probetur esse canonicū, necesse est Salomonē ipsius auctorem esse, vt velle Sixtus [p] videtur, & Clictouæus [q], adeò multis ostēdens nō scriptum à Philone, qui post Christū vixit, nec ab alio ante illū. Iure merito Iacobū Fabrum Viennensē Episcopū Natalis Beda refellit, quòd Hieronymum nimis credulū perfido Iudæo scribit in assignando libri huius argumēto, & asserendo esse Philonis, illúdque argumentū dignū fauillis magis esse, quàm Bibliis, si tamē Hieronymi est. Siue Hieronymi sit, siue alterius, nihil cōtinet reprehensione dignum. Nō potest hæc definiri quæstio; nec refert multū: sed Salomonis liber dici potest, si eum ille ipse nō composuit, eo modo quo dici solet hoc illúdve dicere Augustinū in libro sententiarū Prosperi, hoc est, quas ex Augustino collegit Prosper, vt notat Hugo Cardin. Philonis quidem certè nō sapit stylū. Nec inuerisimile periisse archetypū Hebræū Hebræorū malitia, quod nimis aperta liber hic de Christo vaticinia cōtineat, déque illorum cōtra ipsū insidiis; vt cap. priore retuli ex Isidoro. Theodoretus

a 1. de dogmat. Eccles. c. 3. p. 2.
b 6. de fide c. 12.
c in chronologia.
d 6. Fagelli Iudæorū c. 13.
e 1. de cognomen. Salomonis c. 11.
f 1. con. Apionem.
g 1. de prep. c. 6. l. 9. c. vii.
h suprà.
i vers. 1.
k 3. Reg. 4. 32.
l ep. 115. quę etiam leg. ep. 106.
m 4. hist. c. 22.
n sequitur Bellarm. hāc versionem 1. de verbo Dei c. 13. & Sixt. Senen. 8 biblioth. hær. 9. & Oleot. lect. 1. in hūc librū. Bonau. prologo in eumdem.
o vt P. Garsia Galarza. 4. Euang. instit. c. 4. Olcos suprà.
p 8 biblioth. hær. 9.
q in Damascen. libro 4. c. 18.

apud Lippomanum [a] tribuit librum istum Sirach: cuius, vt antè vidimus, filio tribuebat Augustinus aliquando. Ex iis qui contendunt auctorem esse Philonem Alexandrinum, nonnulli occasionem scribendi fuisse dicunt, vt populum suum Hebræum, pro quo legationem susceperat ad Caium, consolaretur, colligendo ex Salomonis sententiis, & aliis Scripturis sacris, quæ cōferrent ad reprehensionem iniqui Monarchæ, ac iniquissimorum delatorum, quibus horribilem proponit diuini iudicij pœnam, quam pridem Pharao cum suis fuerat expertus: & ad consolandos Hebræos, exemplo miraculosæ veteris illius alterius liberationis, sub eodem Pharaone. Ioannis [b] Saresberiensis apponenda de hac re verba censui, quibus negat Salomonis librum istum esse. [Librum Sapientiæ composuit Philo, dicitúrque pseudographus, non quia male scripserit, sed quia malè inscripsit. Inscriptus enim est, *Sapientia Salomonis*; cùm à Salomone non sit editus. Sed propter stylum, quem induit, & elegantiam morum, quam ei (deest aliquid) informat, dicitur Salomonis.] Sic ille. Isidorus [c] item Pelusiota scribit Salomonis libros tantùm tres extare, Prouerbiorum, Ecclesiastis, Cantici Canticorum, & qui debeant ordine legi. Thomas [d] Aquinas citans ex hoc libro testimonium, ait in eo esse sermonem ex persona Salomonis.

a in Exod. c. 16.
b ep. 171. Comiti Henrico.
c lib. 4. ep. 40.
d 2. q. 113. a. 1. ad 2.

CAPVT III.

De titulo.

Dixi Græcum titulum esse σοφία Σαλωμῶν: Latinè absolutè liber Sapientiæ: & quem Ecclesiasticum editio Latina, licèt Græca voce, nominat, Græcè appellatur σοφία Σιράχ, Sapientia Sirach; & cognominatur etiam πανάρετος à nonnullis, quasi omnium continens virtutum, ac morum doctrinam, quemadmodum & de nostro superiùs retulimus.

Multiplex librorū sacrorum partitio ab Edero in œconomia profertur, & explicatur, ita vt nunc prophetalis censeri noster possit iuxta partitionem Augustini [e]: nunc, vt ait Damascenus [f], inter omni virtutum doctrina refertos, πανάρετος poni, vt bis iam dixi: nunc ex Aureoli [g] sententia Ethicis connumerari, vnà cum Prouerbiis, & Ecclesiastico; facit enim Ecclesiasten dialecticum: nūc postremò referatur secundùm generalem Theologorum Latinorum sectionem in legales, historiales, sapientiales, prophetales, ad eos, qui sunt in tertio membro. Imò quoties ex quopiam librorū qui continentur in eo, aliquid in Ecclesia recitatur, Psalmis exceptis, qui canuntur potiùs, & ad orationem vsurpantur, solet appellari liber Sapientiæ; quamuis hoc nomen commune Psalmis, Prouerbiis, Ecclesiasti, Canticis, Sapientiæ, Ecclesiastico, Sapientiæ libro vt proprium adhæserit apud Latinos.

Iulius [h] Papa I. non solùm citans ex hoc libro testimoniū, vocat Sapientiam, sed etiam ex libro Prouerbiorū: verùm & longè illo vetustior Clemens tum ex Prouerbiis [i], tum ex Canticis [k] locos proferens: & ex libro item Prouerbiorū Cyprianus [l], vt quidem vult Turrianus [m]: siquidem verba ibi recitata, vt notat Pamelius [n], nō extant nec in libro Ecclesiastis, qui liber solet adnotari in margine Cypriani, nec in libro Sapientiæ, sed nec in Prouerbiis. At suspicor ego sententiam contineri in capite quinto Sapiētiæ in principio.

e 3. de doct. Christ. c. 8.
f lib. 4. c. 18.
g in compen. Script. tab. 14.
h epist. 1.
i 1. const. c. 3. & 8.
k epist. 1.
l 3. ad Quirin. c. 6.
m in 1 Clem. constit. c. 7.
n in Cyprian.

Cæterùm *sapientiæ* vox aliter apud veros illius amatores, qui colunt Deum, quàm apud idololatras Philosophos accipitur, qui etiam quòd solū Deum verè σοφὸν dici putarent, teste Ammonio [a], φιλόσοφοι, non σοφοὶ vocari voluerunt. Primum hoc fecisse memorant Pythagoram, cùm spectator interesset Olympico certamini, & is cùm in cōuentu an σοφὸς esset interrogatus a Leonte fuisset, siue in Olympia ipsa, siue Philiunte, siue Sicyone [b]. Vocatum constat priùs quemlibet artificem sapientem, vt notauit etiam Eustathius [c]. Præterea sic appellati sunt docti viri, vt septem illi Græciæ Sapientes; & apud Hebræos חכמים *hacchachamim*. Rectè verò acutéque Lactantius [d] ex sophia in Philosophiam mutata falsam colligit Gentilium esse sapientiam; quod prior iam Seneca [e] fecerat. Meminit & veteris doctorum appellationis, qua sapientes dicerentur, Pomponius [f]: etsi verum non est quod asserit ante P. Attilium Semproniū scientia maximâ præditum, vt etiam prodit Cicero [g], nullum à Romanis nominatum sophum; nominati enim etiam sunt, eodem teste Cicerone, C. Lælius, M. Cato, L. Acilius. Fortasse de ipsa voce *sophi* intellexit. Longè pòst Iurisperitos legimus appellatos sapientes [h], quemadmodum nūc eosdem absolutè nominant Doctores. Notauit ex his quædam Lælius [i] noster Bisciola. Et omissa modò notione magis augusta pro vno de donis Spiritus sancti [k], aut pro vt idem interdum habetur, quod Theologia sacra, complectitur hoc nomen quicquid ad bene secundùm rectam rationem Deúmque instituendam vitam pertinet, idcóque tantis celebratur in Scriptura encomiis; & Patres præsertim Græci Philosophiæ nomine intelligunt sanctius etiam ac seuerius vitæ Christianæ institutum, quod & religiosum nominatur. Videtur & id quoquo modo adumbrasse figmentum de duplici sorore φιλοσοφίας, καὶ φιλοκαλίας. Meminit Augustinus [l].

Distinguit quadruplicem Rabbi [m] Moyses, comprehensionem veritatis, cuius sit finis apprehendere creatorem, & dici docet de omni arte: acquisitionem morum honestorum: machinationes & consilia: opera ipsa illis modis excogitata. Sed, vt dixi, proposito nostro conuenit, quam etiā Lactantius [n] describit esse virtutem cum scientia coniunctam; vel, vt Robertus Olcot [o], summam omnium virtutum, siue comprehensionem: & idem de iustitia dici notat posse Lyranus. Sed Olcot ex Hieronymo refert causam tituli, quia Christi hoc libro aduentus, & passio euidenter exprimitur, qui est sapientia Dei Patris, aitque videri potiùs aptationem & congruentiam modalem, quàm denominationem literalem. Et videtur tamen Matthæo [p] Cantacuzeno literalis ratio, cū cæteri, qui sapientales vocantur libri, hoc nomē habeant, quoniam Dei sapientia sit quicquid Salomon per sapientiam Dei scripsit. Adeò tritum est sapientiæ nomen pro Dei filio, vt celeberrimum Constantinopolis templum Sophiæ titulo insignitum sit: & Laurentio Iustiniano adolescenti apparens adolescēs Christus præclara forma, Dei se sapientiā nominari respondit [q]. Quas noster à Castro fusiùs exponit sapiētiæ notiones pro rerum omnigena cognitione, pro ea, quæ in quouis genere artis est, pro Metaphysica, pro Theologia, pro fide, quæ in actionem etiam prodeat; adde pro vno donorum Spiritus sancti, & increata sapientia, Verbóve diuino, ex his, quæ dixi, intelligi satis possunt.

a in Porphyr.
b Laërt. lib. 1. in proœm. & lib. 8. Cic. Tuscu. 1. & 5. Vale. Max. libro 8 c. 7.
c in Iliad. α.
d lib. 3. c. 2.
e epist. 90.
f de orig. iur. l. 2. § 8.
g in Lælio.
h libr. 1. feu. tit. 25. & lib. 2. hist. Radeui. c. 27.
i 5. hora. subsecin. c. 19.
k Esa. 11. 2.
l 1. cont. Academ. c. 4. & 2. retract. c. 1.
m 3. duct. dubio. c. 55.
n libro 4. de sapient.
o lect. 3. in hunc librum.
p in explan. manuscript.
q in vita.

CAPVT IV.

Argumentum libri dignitásve.

ATHanasius [a] docet contineri libro isto doctrinam iustitiæ, atque instructionem tum prauorum, tum integrorum virorum, & prophetiam de Christo: prætereà disputationem de nonnullis naturæ partibus: reprehensionem idololatriæ: narrationem, ac prædicationem operum mirificorum, quæ Deus in gratiam populi sui coram inimicis eorum operari dignatus est, quas vocant plagas.

Panaretum librum vocatum à Patribus dixi; iísque iungendus quem modò nominaui. Athanasius, & Epiphanius [b], quasi comprehendentem, tractantémque de virtutibus omnibus. Augustinus [c] honorifico titulo librum Christianæ sapientiæ cognominat, Areopagita [d] sanctæ scripturæ institutiones. Georgius Ederus, post Aureolum, versari librū putat in Philosophiæ moralis parte, quæ est de officio Magistratuum, sicut librum Prouerbiorum in monastica, hoc est, in priuata cuiusque informatione, quem sub filij nomenclatura erudiat ceu patet: Ecclesiasticum verò esse veluti præceptorem, qui doceat populum vniuersum.

Facit etiā ad argumenti, libríque laudem exacta post exhortationem generalem [e] ad sapientiā refutatio contra sapientiæ studium eorum argumentorum, quæ proponere insipientes solent [f], allatis è regione sapientiæ commodis [g], & incommodis insipientiæ [h]: demonstrando nulli prorsus rei posthabendam sapientiam, nec auro, nec argento [i], &c. requirendo feruorem, atque perseuerantiam in sapientiæ studioso [k], sed & deuotam precationem ad eius auctorem Deum [l]: præterea exemplis probando personarum, vt Adam, Noë, Abraham, Loth, Iacob, Ioseph, Moysis, quantum prosit sapientia [m]; necnon populi vniuersi, cui contulit sapientia aquę fontē [n] propter iustitiam, cùm ob iniustitiam, & idololatriā negata sit Chananæis [o]: carnē, & panem, & manna [p]: diem, & lucem modò negatam, cùm peccarent [q]; modò redditam, quando resipiscerent [r]: columnam & nubem [s]. Sed & bonam libri partem Athanasius Christo applicat. Itaque ampla nobis proposita variis de rebus disserendi materia, variósque Scripturarum aliarum locos tractandi.

a in synopsi.
b de pōderib. & mensuris.
c epist. 130.
d de diui. nom. c. 4.
e c. 1.
f c. 2. & 3.
g c. 4.
h c. 5. & 6.
i c. 7.
k c. 8.
l c. 9.
m c. 10.
n c. 11.
o c. 12. & 13. & 14. & 15.
p c. 16.
q c. 17.
r c. 18.
s c. 19.

A Existimat quoque Martinus [a] Cantapetrensis in vetere Testamento toto nullibi præterquàm in hoc libro de regno cœlorum, vitáque beata tam disertam fieri mentionem. Ecclesia in diuino officio vsurpat libentissimè ac sæpissimè librum istum, tum etiam vt adaptet Christo. Hic solet appellari sapientia patris, non tantùm quia sapientiam habet quam Pater; sic enim Spiritus sanctus dici posset sapientia patris & filij: nec per solam attributionē, quoniam ex vi processionis formaliter est sapiēs: sed etiā notionaliter, ac personaliter, eo modo quo nominatur Verbū, quia ex vi dictæ processionis & generationis per intellectū & dicere patris accepit esse, quę vocari potest
B sapientia genita. Nec tamen rectè diceretur pater sapiens sapientia genita, vt Augustinus [b] notat, ac à se dictum aliquando [c], emendat: quia sic denotatur habitudo formalis causæ atque dependentiæ; quemadmodum cùm homo dicitur sapiens, per sapientiæ formam. Imò nec propriè filius dicendus est sapiens sapientia genita, quia est sapiens sapientia essentiali; sicut nec est Deus Deitate genita. Eadem ratio de intelligendo, vt non dicatur pater intelligere verbo aut sapientia filij; licèt dici possit intelligere in verbo: hoc enim vltimum solam importat habitudinem obiecti: quo pacto pater quoque in se intelligit, & in filio, & in Spiritu sancto; hic in se, in patre, in
C filio; filius in patre, in Spiritu sancto, in seipso; sicut & beatus videt in verbo, & in essentia, & omnibus personis. Sed patri conuenit id sine origine: filio ex vi processionis formalis à patre: Spiritui sancto ex processione à Patre, & filio, sed non vt est formaliter talis. Hoc breuiter pręfandum fuit de sapientia, reiecta exactiore ad Scholasticos [d] declaratione. Porrò eo libentiùs præsentis à nobis libri suscepta interpretatio est, quòd recentiorū nullus huiusmodi laborē subiuit, excepto Iansenio, cuius tamen extant non tam Commentarij, quàm breues annotatiunculę literales. Quos autem requirat sapientia, huiúsve Auctor libri auditores, aut lectores, per se satis declarat hinc inde in suis monitis, nimirum vt
D adhibeant fidem, vitent mendacium, studiosi sint veritatis, pacatum afferant animum sedatásque passiones; quod Philosophus exigebat à Philosophiæ moralis auditore; ament in primis temperantiā, cæterásque virtutes, & à vitiorū sordibus abhorreant. His præditus conditionibus philosophari potest, quamuis illiteratus, vt scribit Clemens [e] Alexandrinus, & Cassiodorus [f].

a 8 hypotyposeon. c. 16.
b l. 83. quæst. q. 21.
c 1. retr. c. 26. lib. 6. de Trin. c. 15.
d 1. d. 32. S. Thom. 1. p. q. 34. & 35.
e 3. pædag. c. 11.
f de diui. lectio. c. 28.

COM

COMMENTARIVS
IN SAPIENTIAM.

SVMMARIVM.

INVITANTVR ad iustitiam Iudices maximè: simul ratio exponitur Dominum reperiendi, qui est summus Iudex, quémque nihil latere potest: reprehenditúrque simulatio, murmuratio, detractio, mendacium, quibus iustitia læditur, & mors prouocatur, & accersitur, & à Deo ferè inuito infligitur, qui propriè illam non fecit, nec in hominum perditione delectatur.

CAPVT PRIMVM.

1 Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quęrite illum. (A)

2 Quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

3 Peruersæ enim cogitationes separant à Deo: probata autem virtus corripit insipientes:

4 Quoniam in maleuolam animam nō introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

(B) 5 Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.

6 Benignus est enim spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor.

7 Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. (C)

8 Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium.

9 In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.

10 Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.

11 Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest; & à detractione parcite linguæ: quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam.

12 Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.

13 Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.

14 Creauit enim, vt essent omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra.

15 Iustitia enim perpetua est, & immortalis.

16 Impij autem manibus & verbis accersierunt illam: & æstimantes illam amicam, defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam: quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.

Vers. 1.] Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.

QVAM sine exordio exordium! Nec est opus, cùm argumenti suscepti aperta necessitas est, atque personis, apud quas habetur sermo, id est per se accōmodatum. Matthæus Cantacuzenus [a] diuinam hîc agnoscit orationem, eò relatam vt Verbi diuini, quæ & Sapientia Dei dicitur, enuncientur mysteria:

a in hunc locum ex m.f.

steria: nil verò magis conferre ad horum notitiam, quam iustitiæ, hoc est, honestatis, ac virtutum omnium exercitationem.

Confirmat duplici testimonio, Iosue [a], & Michææ [b]. Ibi a Iudice populi custodia legis, obseruatio, lectio siue meditatio exigitur: hic à quolibet facere iudicium, diligere misericordiam, sollicitum ambulare coram Deo. Simile monitum traditur in Psalmo [c] Regibus, & iudicantibus terram, vt intelligant, & erudiantur, & seruiant Domino in timore, exultent ei in tremore, apprehendant disciplinam, &c. Sacerdotibus quoque, vt induantur iustitiam [d].

Hæc omnia *diligendi* verbo vno continentur, & perfectiùs quidem: vera namque ac solida quę diligitur virtus; iustéque operabitur, non opus duntaxat iustum, quem iustitiæ ad operandum amor impellet. Parum est iustitiam tenere, inquit Bernardus [e], nisi & diligas: & sponsa sponso dicit [f], *Recti diligunt te*, vel intelligendo de adolescentulis, rectè debitóque modo. Hoc est iustè quod iustum est exequi [g], nempe secundùm dignitatem, reíque merita, vt explicat Dionysius [h], & Philo [i], & Basilius [k], atque Aristoteles [l] docet; hoc est discere benefacere [m], vt intellexit idem Basilius [n]: hoc est honestè omnia nostra fieri [o], & nos honestè ambulare [p], vt exposuit Cyprianus [q]: hoc est sancta sanctè tractare, & mystica mysticè, vt Nazianzenus [r].

Potest præterea sponsæ sensus esse, si מֵישָׁרִים *mescharim* pro rectitudinibus, id est, pro iustitia, omnique virtute sumatur, vt vertunt LXX. *εὐθύτης ἠγάπησέ σε*, quòd ipsamet virtus diligit sponsum, & est illi familiaris, atque chara, vt placuit Origeni [s], non solùm ipse diligit iustitiam [t], Rex regiam virtutem, illam, inquam, quæ inter alias est ceu hesperus, aut lucifer, nec vlli magis conueniens, quàm Principi, vt Aristoteles [u] scribit, & Philo [x]. Quo fit, vt, auctore Plutarcho [y], Principem iustum cuncti non in honore duntaxat habeant, quemadmodum fortem, vel admirentur, sicut sapientem, verum etiam ament. Debet re magis, quàm nomine Rex, vel Pontifex esse Melchisedech Rex iustus. Amabit igitur Princeps iustitiam, si cupiet syncere amari: imò si volet etiá dominari, quia remota iustitia nil sunt Regna nisi latrocinia, inquit Augustinus [z]: & quamuis nexæ sint virtutes secundùm perfectum statum, nescio quo tamen modo iustitia cæteras continet, cú videri possit esse prudentia cú malitia; fortitudo cu ira; tēperantia cú impatiētia, vt ait Ambro. [a] Virtutem iustitiæ Anaxarchus apud [b] Plutarchum Ioui, Diísque reliquis assessorem constituebat.

Hoc regum Regi cingulum iustitiæ assignat Esaias [c], quoniam propter eam potissimùm adhærebunt illi studiosi, & cultores iustitiæ, iuxta paraphrasim Chaldæam: quod in Canticis loco citato Interpres noster ait (*Recti diligunt te;*) Digna porrò sententia, & hic recti, iustique titulus, qui in regiæ aulæ, vt admonet Polydorus [d] Virgilius, in cubiculi parietibus, in sella, in solio, in foro, in tribunali circumscribatur, vt quocumque Princeps, Prætor, ac quisquis est Iudex, se verterit, illú ob oculos habeat, periturus haud dubiè, si mandatú violarit. Simile quid retuli ex Chrysostomo de primis Ecclesiastæ verbis: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, & de Christi sententia; *Quod tibi fieri non vis*, &c. quam Lampridius à Seuero palàm locis publicis & inscribi, & pronunciari iussam refert. Totum hunc locum disputans

a c.1.7.& seq. b c.6.8. c Psal.2.10.11.12. d Psal.131.9. e 1. de consi. c.2. f Cant 1.4. g Deut.16.20. h epist.8 i de offi. Iud. & 2. allego. legis, & de Cherub. & k lib. Quòd deterius potiori insidiatur l in 1. Eth. 12. Eth c.4. & libr.3. c.1. m Esa.1. n supra. o 1. Cor.14.40. p Rom 13.13. 1.Thess 4. 11. q de singul. clericorum. r orat 1.Theo. s hom.1. in Cant t Psalm.44. u 5.Ethic c.1. x de creat. Princip. y in Catone Vticensi. z 4. de ciuit. c.4. a 1.de Abraham. c.10. b opusc. ad Principem indoctum. c c.11.5. d in adagiis sacris, adagio 272.

A de vnica Religione tractat Iosephus. Stephanus [a].

Diligite.] Græcè (*ἀγαπήσατε.*) Quid intersit inter ἀγαπᾶν, & φιλεῖν, amare, & diligere, docui ad Epistolam Ioannis primam [b]: honestius plerúmque primú verbum Græcum videri, præsertim in Scripturis: Latinú primum, iudicio Ciceronis [c], ἀγαπητικώτερον: & quærit Dionysius [d], an ἔρως in rebus diuinis habeat locum, nó tantùm φιλία, & ἀγάπη. Importat quandoque ἀγαπᾶν amorem honorificum, & obsequentem ac morigerum, videlicet cùm oritur ex magna rei æstimatione, ac veneratione. In c.6. [e] quod Interpres transtulit, *diligite sapientiam*, extat Græcè, *τιμήσατε, honorate*. Hoc meretur iustitia, quam virginea forma olim, ac venerabili finxerunt Ethnici sub Astrææ, Sydereæve

B vocabulo; & Auctor Ecclesiastici [f] violatoré eius cum constupratore virginis comparat. Commendare voluit Deus in primis iustitiam illo ipso suo nomine אֱלֹהִים *elohim* [g], quod iudicandi potestatem innuit.

Iustitiam.] Cardinalium virtutum vna intelligitur hoc loco, & quidem illius ea pars, quá vocát legalem, quæque legislatoris, Iudicis, Principis maximè propria est. Alioqui *iustitiæ* nomé omnem complecti virtutem cóstat, licèt de legali iustitia intelligere debeamus prouerbiú recitatú ab Aristotele [h]; *ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι*, cùm tamen vulgò secundú prioré sensú accipi soleat. Ná agit Philosophus de iustitia, quæ cæteras virtutes moderatur, estque omniú κρατίστη, & optima, & imperiosissima. Dici quidem Deus ipse iu-

C stitia potest: at non ita proposito congruit. Potius illud; *Iustus Dominus, & iustitias dilexit* [i], &c. hoc est, ideò, &c. Scopus libri est sapientia: optimum eius comparandæ medium iustitia. *Fili* [k], *concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Dominus præbebit illam tibi.* Non legi, qui hîc transferat pro *iustitia sapientiam*; quod à se lectum tamen testantem postea à Castro nostrum animaduerti.

Qui iudicatis.] Animalis formatio incipit à corde membrísque nobilioribus: inferior mundus à superioribus orbibus, & causis pendet: Angeli inferiores à superioribus. Maximè proprium officiú Principis est iudicare; vnde primi apud Iudæos

D vocabantur Iudices. Præcipuú officium Principis est iudicare, lites exponere, lata sententia suá cuique rem attribuere. Inde meritò tota Reipub. administratio hîc intelligitur.

Terram.] Notionem huius vocis variam aliàs attuli [l]. Habitabilem hîc significat, & μετωνυμικῶς inhabitatores terræ homines, qui iudicatur. Mystica significatio est glossæ interlin. & aliorú, pro carne, quá iudicare oporteat, vt obediat spiritui: vel pro subditis, quos peccatú, ac terrenorú amor tales fecit, vt ait Bonauentura, apud quem leges etiam terram quadruplicem. Rectè verò admonet Olcot, nomen *terra* modestiam ingerere Magistratibus, qui de terra similibus sibi hominibus imperant.

E *Sentite de Domino in bonitate.*] Græcè (*φρονήσατε περὶ τοῦ κυρίου ἐν ἀγαθότητι.*) Hieron. alicubi [m] legit (*sapite*) nimirú cognoscite vsu ipso & praxi quàm sit bonus, & benignus Dominus aduersùs oppressos, ac depositos, et pupillos, viduas, &c. quibus dicere reddereq; ius debetis; quàm abhorrat à dolis, & vafritie, nudámque veritatem studiosè inquirat, vt non dissimuletis, vel tergiuersemini. Videtur aptior hîc sensus, ita vt ratio ista vna sit, quæ ad iustè iudicandum mouere debeat,

a c.14. b c.1.10. c epist.1.ad Brutum. d de diuin. nomi.c.4. e vers.22. f c.20.2. g Gen.1.1. h lib.5. Ethi. c.1. i Psal.10.8. k Eccli.1.33. l Act.17.26. & alibi. m lib.15. in c.55. Esaiæ & in c.56.

sicut

ſicut deinceps aliæ, quòd vbique ſit ſupremus Iudex Deus, cognoſcens, & curans omnia [a], & iuſtitiæ zelum maximum habeat [b]. Poſſet etiam dici, nunc exigi primo loco, & ante omnia, veram de Deo ſententiã, orthodoxámque Religionẽ, tanquã neceſſariũ fundamẽtum iuſtitiæ, atque totius politiç: vt ſentire de Domino in bonitate ſit, idiotiſmo Hebræo, verè, benéque ſentire, & animo tenere verum Deũ, & quod inde ſequitur, cunctarũ rerum effectorem, prouiſorem, finem, quem reſpicere Iudex homo ſuis debeat in iudiciis, & hæc ipſa, quod Ioſaphat admonebat [c], velut Dei ipſius tractare iudicia, cuius vice, ac loco ſunt; huiuſmodi porrò notitiam obtineri poſſe ab iis, qui ſeriò illam velint, & animo ſyncero quærant: qualem animum quidam non gerunt, qui nolunt intelligere, vt bene agant [d]. Hoc ſane in numero fuerunt Ethnici, etiam qui optimi, ſapientiſſimíque ſunt habiti, apud quos Religio, vel Seneca [e] teſte, magis ad morem, quàm ad rem pertinebat, ſeruabatúrque tanquam legibus iuſſa, non tanquam Deo grata; &, quod hodiéque mali dicunt & impoliti Chriſtiani Politici, illud vſurpabant, vt prodit Auguſtinus [f]; Tantùm ſtet, tantùm floreat Reſpublica copiis referta, victoriis glorioſa, pace ſecura, quid ad nos? Idem ſentiendum de Ægyptiis, qui peculiariter exagitantur libro iſto toto, & hos prouidentiam diuinam negaſſe, habetur capite decimoſeptimo [f]. Cyrillus Alexandrinus [g] per paraphraſim, vt exiſtimo, affert locum illum hoc pacto (*ſentite de Domino quæ vera ſunt*, &c.)

Admitto illum de Domino ſentire in bonitate, qui, vt verè ſentit, moribus quoque conſentit, nec dicere contentus, Domine, Domine, præterea facit voluntatem Patris [h], vt notat Cantacuzenus, & Hieronymus [i] fauet, huc id aptans; *Intelligentia optima* (quod ipſemet vertit, *Doctrina bona*) *his qui faciunt eam*, ſiue iuxta editionem noſtram; *Intellectus bonus omnibus facientibus eum* [k]. Quod etiam ſignificat, conferre plurimum ad veram cognitionem Dei vitam ex virtute actam; nec ſinere Deum a ſalutari Religione auerti, qui ſe in mandatis eius exequendis exerceant. Illud præterea concedi poteſt, ſentire de Domino in bonitate eſſe, vt explicat Bonauentura cum gloſſa, Scripturas piè legere ac intelligere, approbando & exequendo, non redarguendo, vel contemnendo. Veruntamen quæ antea dixi, ſpectant propriè ad Iudices, & ſunt magis conſentanea menti Auctoris: poſteriora, vt & pleraque ſæpenumerò per ſenſum potiùs accommodationis afferuntur. Itaque ſentire de Domino in bonitate, vel eſt, quòd bonus ſit, & prouidus rerum noſtrarum curator: vel veram de vero Deo habere ſententiam, atque Religionem: vel talem cognitionẽ, quæ prodeat in opera: vel opera talia, quæ gignant, confirméntve in orthodoxa de Deo ſententia. Hic denique commendatio quædam eſt ſummi magiſtri Dei, atque legiſlatoris maximi, qui deinceps hoc toto libro ſit audiendus; & vt attentiſſime, cúmque fructu audiatur, plurimi debet æſtimari, & accedi, ſeu aditu ad eum, vt pueri ſolent ad pædagogum, quemadmodum in ſuo Clemens Alexandrinus demonſtrat.

Et in ſimplicitate cordis quærite illum.] Græcè (*ἐν ἁπλότητι*) De ſimplicitatis virtute dixi capite ſecundo Actuum Apoſtolicorum [l]. Quæ ſequuntur ſatis indicant opponi hoc loco ſimplicitatem dolis, & peruerſis cogitationibus, & fictis machina-

a verſ.7.8.9. — b verſ.10. — c 2.Paral.19.6. — d Pſa.35.4. — e libr.con.ſuperſtit.apud Auguſt.6.de ciui.c.10. — f 1.de ciuit.c.20. — g verſ.2. — h epiſ.ad Acac.tom 5. Con.Epheſ. — i Mat.7.21. — k in c.56.Eſaiæ. — l Pſal.110.10. — l verſ.46.

tionibus, quibus tegitur veritas, aut obruitur, ne appareat, vel innoteſcat. Peccata quidem omnia obſunt aliquo modo cognitioni veritatis; at quæ modò nominaui magis propriè, ac directò. Conſtabit id ex declaratione ſequentium. Hinc infert Cyprianus [a] fidem noſtram ſimplicem eſſe debere, nec Dei arcana perſpici poſſe. Quò putat & illud ſpectare; *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat fidenter* [b] (ſic enim legit, quod nos *confidenter*, πεποιθὼς) &; *Noli* [c] *eſſe multum iuſtus, & noli argumentari pluſquam oportet* (iuxta vulgatã, *neque plus ſapias quàm neceſſe eſt, καὶ μὴ σοφίζου περισσά*) *quod faciunt Sophiſtæ*. Auguſtinus [d] accipit ſimplicitatem cordis pro munditia ipſius, cui promittitur viſio [e], vel cognitio Dei perfecta ſecundùm varium ſtatum. Simplicem quoque Chriſtus oculum vocat [f], & ſine tenebris puræ intentionis & mentis, quæ lucem videlicet ac publicum non veretur. Iudex, Princépſque multitudinis oculus eſt, ac lumen; ſi hoc lumen tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt? Nec habebunt ſubditi de Deo notionem veram, nec ius dabit ipſis qui debet, ſi ab ſcopo recedat, quẽ proponere ſibi deberet, qui eſt Deus bene cognitus, ritéque cultus. *Cum ſimplicibus ſermocinatio Dei* [g]: cum Deo autem ſermocinandum, ſæpiùs ei, qui maiora difficilioráque, & communiora tractat negotia, quia ſummus in hac vniuerſitate Monarcha Deus eſt. Herodem vulpem auerſatus eſt Chriſtus [h], nec vafrè ſciſcitanti reſpondit [i]: paſtores natus acciuit [k]: Nathanaëlem ſine dolo laudauit [l]: ſimplices Apoſtolos elegit: Scribas & Phariſæos hypocritas refutauit. *Væ duplici corde* [m]; &, *Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis* [n]; non rectà nimirum ad vnũ tendens Deum. Id quoniam charitate fit, putat Olcot [o] ſimplicitatem cordis eſſe charitatem, cùm toto quæritur corde Deus: ſicut ſentire de eodẽ in bonitate, id eſt, bene per fidem. *Ἁπλότης* certè *ſimplicitatem* ac *integritatem*, ſeu *totalitatem* ac *perfectionem* ſignificat: quemadmodum תם *thom* & *ſimplicem*, & *perfectum*. Simplicitas item copiam & largitatem importat [p]: veritatem, ἀλήθειαν enim ponunt LXX. pro qua noſter Interpres ſimplicitatem [q]: iuſtitiam, δικαιοσύνην [r]: patientiam, καρτερίαν [ſ].

Quapropter Deum quærere in ſimplicitate, eſt, ſyncerè, ex animo, integrè, patienter, ſiue conſtanter, ſed maximè primo modo. [Caret enim, inquit Ambroſius [t], merito ſimplicitatis omne arte elicitum, & fraude compoſitum.] Minùs Carthuſianum probo, in ſimplicitate quærere, eſſe Deum per abſtractionem & ſimplificationem intellectus (vt ipſe loquitur) cognoſcere, tanquam maximè ſimplicem. Salutare monitum Dorothei Abbatis [u] quærenti ſimpliciter voluntatem Dei, à Deo puerum, ſi opus ſit, doceri, qui doceat, ne ille labatur: quòd ſi quis ſimulatè quæ ſierit, etiam de Propheta, daturum Deum, quod Propheta cordi reſpondeat iniquo, & effecturum vt is erret [x]. Hieronymus [y] addidit (*in ſapientia*) *in ſapientia & ſimplicitate cordis quærite Deum.*

a lib.3.c 51. — b Prou.10.9. — c Eccle.7.17. — d 1.de ſerm.Dom.in mõte.c.2. — e Matth.5.8. — f Matth.6.22. — g Prou 3.32. — h Luc.13.32. — i infrà 23. — k Luc.2.8. & ſeq — l Ioan.1.47. — m Eccli.2.14 — n Iacob.1.8. — o lect.3. — p Rom.12.8. 2. Cor.8.2. 11.13. — q Prou 28.6. — r 1.Paral.29.17. — ſ Iob.2.9. — t 3.offic.c.9. — u doctr.4. — x Deut.13.5. — y 1.con.Pelag.

Verſ. 2.] Quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

SImpliciter quærit Deum, qui nec de ipſius potentia quaſi dubitans periculum facit, nec

de suomet ingenio præsumit, sed fidit Deo. *Simulatores enim & callidi prouocant iram Dei* [a]. Grauissimum supplicium exprimit Christus [b] repetere se de aliquo, quando partem eius ponit cum hypocritis (qui apud Lucam [c] vocantur infideles; quia quod munere profitentur, opere non præstant) & Deus de Assur ait [d]; *Virga furoris mei, ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi.* Nam videtur hypocrita, siue dolosus & tentator Dei, cum Deo agere velut cum omni experte sensus, mortuóque idolo, quod externa duntaxat colitur ceremonia.

a Iob.36.13. b Matth.24.51. c Luc.12.46. d Esa.10.6.

Quid sit Deum tentare, dictum aliàs [e]. Hoc loco vel Iudex in iudicando, vel in studio iustitiæ, atque exercitio Deum tentare censetur, cùm vult experiri possítne, aut velit Deus opitulari depositis ac miseris personis: videátne, obseruétque facta hominũ: aut cùm non dispicit humano exquisito studio causarum pondera, modósque, quibus afflictos subleuet, ac suum cuique reddi curet. Tentatus est Christus non à diabolo solùm [f], sed ab hominibus quoque circa potentiã, quærentibus de cœlo signum [g], circa sapientiam, de resurrectione [h]: circa iustitiam, de solutione tributi [i]: circa misericordiam, de adultera [k]. Idcirco rectè dixit illis: *Quæretis me, & non inuenietis* [l]; &, *quid me tentatis hypocritæ* [m]?

e Act.1.24. & 4.30. & 5.9. & 15.10. & in Euang. Dominicæ 1. Quadrag. f Matt 4.1. & seq. g Matth.12.38. h Matth.22.24. i ibid.17. k Ioan.8.5. l Ioan.7.34. m Matth.22.18.

Inuenitur.] Nimis exactum referre hoc ad præsentem vitam cum Bonauentura; aliud verbum *(apparet)* ad futuram, per gratiam nunc, tunc per gloriam. Vtrumque huius temporis est. Potest quid non quæsitum inueniri: talis præsertim gratia prædestinationis, & actualis præueniens: *Inuenerunt me, qui non quæsierũt me* [n]: & in Deipara hoc ipsum, vt esset Mater Dei [o], quod ne cogitauerat quidem de seipsa, licèt dicatur, opinione Bernardi [p], vt priùs quærens inuenisse, quatenus de redemptione humani generis sollicita, solebat assiduè orare pro ea, sicque quodam modo tantam meruit gratiam obtinere.

n Esa.65.1. o Luc.1. p serm.4. de assumpt.

Hieronymus [q] vertit *(appropinquat Dominus his, qui non tentant eum: & ostendit faciem suam his, qui non sunt increduli.)* Gaudentius Brixiensis [r] motus hoc testimonio, probat Thomam Apostolum, antequam ipsi Christus appareret [s], incredulum non fuisse: reprehensionem verò Christi nõ ad illum, sed ad posteros pertinere, qui credere debeant quod non viderunt, vt Thomas coapostolis narrantibus credidit.

q lib.2. in c.8. Zachar. r tract. de dedicat. s Ioan 20.24. & seq.

Qui fidem habent in illum.] Græcè (τοῖς μὴ ἀπιστοῦσιν αὐτῷ, *his qui non sunt increduli*) vt modò retuli ex Hieronymo. Magis innuitur fiducia quàm fides, & non diffidentes, quàm non credentes; licèt hæc interdum confundantur, & eodem vocabulo, seu *fidei*, seu *credendi* vtrumque intelligi simul possit. Porrò & Græca phrasis, & quæ aliàs [t] docui, satis ostendunt, non semper credere, aut fidem habere in Deum, de formata per charitatem fide intelligi debere: licèt Scholastici sic sæpe distinguant ab eo, quod est credere Deo tantùm, vel Deum. Est prætcrea ἀπιστεῖν non modò fidem non habere, & non fidere; sed etiam morem non gerere, non obedire.

t Act.3.

Vers. 3.] Peruersæ enim cogitationes separant à Deo: probata autem virtus corripit insipientes.

QVi prauas de Deo cogitationes habent & opiniones, quamlibet se veritatis ac æqui-

A tatis foris profiteantur studiosos & sequaces, à Deo seipsa sunt auulsi: & ab experiméto de prouidentiæ diuinæ vi æstimare facile est, quanta sit hominum similium temeritas, atque stultitia, licèt potentes & diuites, imò & sapientes, vel etiã iusti habeantur. *Auferte malum cogitationum vestrarum* [a]: *Væ qui cogitatis inutile* [b]: *Vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ* [c]? *Caue ne subrepat tibi impia cogitatio* [d]. Iniquitates non externæ duntaxat diuidunt inter nos & Deum [e], sed internæ, imò ex his malitia transit in illas; tantùm abest vt sola sint peccata operis, nulla cogitationis, & interna. [Si peruersæ cogitationes, ait Iulius [f] Papa I. separant homines à Deo, quãto magis opera iniqua? nam externa opera sæpenumerò ex interio-B re ac efficaciore procedunt voluntate; ideóque peiora, aut meliora quàm nuda volũtatis proposita siue bona, siue mala [g].] Oleor ex Scripturis colligit quatuor genera peruersarum, siue malarum cogitationum, notátque consensum requiri.

a Esa.1.16. b Mich.2.1. c Iere.4.14. d Deut.15.9. e Esai.59.2. f epist. 1. g lect.4.

Peruersa cogitationes.] Græcè (σκολιοὶ λογισμοί, *discursus tortuosi, perplexi, obliqui, versuti*) vnde σκολιαὶ δίκαι, μῦθοι, ἀπάτη, &c. Homo sic etiam cognominatur, qui est, vt ait Tzetzes, ποικίλος τὸ ἦθος διὰ πανουργίαν: & apud Medicos σκολίωσις distorsio in latus, cùm spinæ vertebræ loco mouentur: & apud Geographos eadem, aut σκολίωμα pro anfractu: & apud Poëtas carmen quoddam conuiuale σκόλιον, quod flexuoso circuitu vltrò citró-C que excipiebatur.

Separant à Deo.] Nam peccatum mortale vitam animæ, qui Deus est, eripit, subiectionẽ corporis sub animo, coniunctionem eiusdem cum illo, vt docet Bernardus [h]. Quid mirum, si Iudex iniquus experiatur subditos rebelles? quid mirũ, si ab humana prouidentia, de qua σκολιῶς λογίζεται, tanquam extorris, fugitiuus, exulans longè aberret? *Qui peruersi cordis est, non inueniet bonum: & qui vertit linguam, incidet in malum* [i].

h sermon. ad milites templi. c.11. i Prouer.17.20.

Probata autem virtus corripit insipientes.] Alius præter allatum, nec valdè dissimilis tamen esse sensus potest, dum ipso experimento probatur, ac sentitur diuina potentia, & est δύναμις δοκιμαζομένη ab ipsisinet iniquis, & insipientibus Iu-D cibus, hos vel inuitos redargui, atque compelli fateri, luendo pœnas, prouidentiam vindicem scelerum. *Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo: Non requiret* [k]. Cantacuzenus hoc exposuit modo, curiosis de Deo quæstionibus deuiari à Deo: & cùm Dei potentia temerè tentatur, vel inquiritur, lædi mentis aciem, prodi dementiam ea ratione scrutantium. *Scrutator maiestatis opprimetur à gloria.* [l]

k Psal.9.33. l Prou.25.27.

Hieronymus Osorius innuit & hanc expositionem: quando ipsa Iudicum virtus, id est, potentia probatur, imminuitur, atteritur, δύναμις δοκιμάζεται, ipsos ἐλέγχει, *corripi, redargui, conuinci,* vt se negare non possint fatuos esse, & stultas de E Deo sensisse, & effutiuisse opiniones.

Cæteri Latini Interpretes paulo antiquiores virtutem pro morali sumentes, & probatam intelligentes, veram, & bene exercitatam, siue approbatam à Deo, minùs assecuti videntur Auctoris mentem, videlicet eiusmodi virtutem hanc habere vim in eo, qui sit illa præditus, vt increpet imperitos, & per ignorantiam, vel infirmitatem peccantes [m]: aut fidem esse, quæ tollat à corde insipientiam [n]. Meliùs Bonauentura cum glossa sumpsit de diuina virtute puniente, iuxta illud [o]; *Domine, ne in furore tuo arguas me,* μὴ τῷ θυμῷ σου

m sic Tyran. & Carthusianus n sic Hugo & Oleot lect.4. o Psal.6.1.

ἐλέγξῃς

A ἐλέγξει μέ. Vatablus vertit (*potentia verò dum tentatur, arguit insipientes.*) Sa potentiam quoque Dei intelligit multis eius operibus comprobatã, quæ corripiat, id est, castiget. Eadẽ explicatio Iansenij. Isidorus Clarius retẽta propria Græcæ vocis notione, probabile ducit sermonem fieri de vi animi bene exercitata in via Dei: quoniam eiusmodi homines aptissimi sunt corripiendis aliis. Varij dicendi modi, quibus pro potentia virtus accipitur, quod alibi sæpe fit, recipi possunt, omnésque fere coincidunt præter eum, qui est Clarij, & fauet aliis, qui bonum intellexerunt animi habitum.

Vers. 4.] Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in B corpore subdito peccatis.

QVi sibi videntur peracuti, sagaces, artificiosi; etiam peruersis, quæ antè dictæ sunt, præditi cogitationibus, nequeunt sapientiæ veræ significationem vllam dare, quippe separati à Deo, & ab eximio illius dono, quod est sapientia: contra verò in se peccatum admittentes velut in domum, & obstricti peccato, vt creditori debitor, cui obæratus est. Igitur, etsi vitia omnia occludunt aditum sapientiæ, præsertim verò iam ex habitu contracta, ac peculiari magis modo quæ propiùs attingunt corpus, quæ dicuntur carnalia propter mentis hebetudinem, quam inducunt; C necnon studium contendendi, & contradicendi, atque inuidia; vt aliquot Interpretes explicant [a], & de quibuslibet peccatis alij [b]: nihilominùs praua, vt Philosophi loqui solent, dispositione magis afficiuntur cõtra sapientiam veram, qui fallacem sectantur callidi homines, sapientes in malo, ψυχὴν habentes κακότεχνον, sicut est in textu Græco, animam artis malæ opificem, machinatricem, vafram, technas & artificia malignè molientem: denique malignam, maleficam, astutam, &c. Ratio sequẽtis versus de spiritu, qui effugit fictum, persuadet hunc esse aptiorem sensum. Illustrat Cantacuzenus exemplo artis medicæ, quæ si pharmaca paret perniciosa, non ars, verùm versutia, improbúmque artificium appellabitur. Vno verbo D sophisticen æmulam sapientiæ possimus intelligere, qua Ethnici pollent Philosophi, & hæretici, & Iudæi. In talium animas ægrè sapientia introire valet: nec minus ab his negotium & molestiam, quàm à Tyrannis Ecclesia passa est, patíque solet. Testes Annales Ecclesiastici, in quibus est, inter cætera, imperato à viris diuinis silẽtio conuictos superatósque Philosophos potiùs, quàm pondere rationum [c]. [Quid malignius, inquit Cyrillus [d], de hæreticis vsurpans præsentem sententiam, istis vnquam excogitari poterit, qui auditum suum à veritate auertunt, & ad suarum cogitationum fabulas confluunt [e], prophetantes à E corde suo, & non ab ore Domini?] Hieronymus [f] eodem loquitur modo de calumniis, quas contra seruos Domini struunt hæretici, & iactant apud se legem, & consilium Dei, & eloquium permanere. Basilius [g] iisdem aptat sententiam hæreticis, vitam suam minimè dirigentibus ad rectum scopum, nec rectam fidem tenentibus.

De Iudicibus simul sermo est, quos Philosophos & sapientes optabat Plato [h]. Id assequi non possunt, cùm iuris & æqui rationes implicant captiosis & sophisticis effugiis, & cùm corporis indulgentes commodis lucra deriuant ad se. Basilius [a] huc forsan allusit, dum idcirco docet lumine oculorum destitutum se Dauid lamentari [b], propter peccata [c] scilicet adulterij, & homicidij, *quoniam in maleuolam animam*, &c. Iudex enim & Rex iniquitatem commiserat dupliciter, & quidem duplici vafróque animo inuitando Vriam, & remittendo in castra, vt occideretur per speciem honoris ipsi habiti, &c.

In maleuolam animam.] Hieronymus [d] (*peruersam*) quasi quæ peruersas, de quibus ante dictum est, habeat cogitationes, σκολιοὺς λογισμούς, *obliquas, tortas, implicatas, intricatas:* quæ omnia κακότεχνος ψυχὴ importat. Nemo quidem per se malũ vult; tamen velle censetur, cùm delectationem in ea re, vel actione quærit, cui nexa est malitia: vt hîc admonet Bonauentura.

Nec habitabit in corpore subdito peccatis.] *Corpus* hominem totum significat, sed vt animalis est & secundùm carnem viuens, nec sapiens quæ Dei sunt [e], sed seculi filius, quæ seculi. Hanc suis Iacobus [f] coloribus pingit sapientiam terrenam, animalem, diabolicam, cum qua est zelus amarus, contentio, mendacium aduersùs veritatem, inconstantia, omne opus prauum. Corpus, imò & appetitus sensitiuus solus per se peccati subiectũ non potest esse. Potest quidem humana scientia, ac Theologia in peccatoribus habitare, sed non diuinum donum sapientiæ, quæ cum gratia, & charitate coniuncta est, nisi, quod est admodum difficile, resipiscant. Ablactandi sunt à lacte, auellendi ab vberibus [g], quia *sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium* [h]. *Supercecidit ignis* (concupiscentiæ) *& non viderunt Solem* [i].

Omnium sententiis confirmatissimum est, sapientiæ aduersari cum primis corporis animíque immunditiam, puritate maximè delectari. Musas finxerunt minas risisse Veneris, eámque longiùs ab se dimisisse [k]: ipsáque Venus vnam vincere se Mineruã ex Diis negabat posse, vel Musas, quòd illa otietur nunquam, venationi perpetuò vacãs; & virgo sit, vt & Musæ [l]. Si verum esset, vt minimè verum est, licèt id non dubitent quidam [m] Platoni [n] affingere, quòd nomen *Venus* (id Cicero [o] à veniendo deducit) componeretur ab οὐαὶ & νοῦς, intelligeremus væ, damnúmque menti ab ipsa creari; aut, quod non minùs absonè iidem dicunt, denotare absentiam, ac priuationem mẽtis. Acumen habet, sed non æquè veritatem, quod Ambrosius [p] obseruat, Cham patrem esse Chanaan, id est, iuxta vocum etymologias, calorem, turbationis eorum: posterior enim haud vera est, sed *Chanaan* significat negotiatorem, & mercatorem, quamuis mercatura & negotiatio absque perturbatione non exerceatur. Negabat idem Tullius posse se philosophari, & vxori vacare [q]. Lege Cassianum [r].

Subdito.] Græcè (κατάχρεῳ, *obærato.*) Est κατάχρεος ære obstrictus alieno, quod cùm soluere non possit, vel opera ipsa sua creditoribus cogitur satisfacere, vel solum vertere. *Qui facit peccatum*, ait Dominus noster, *seruus est peccati* [s], ac proinde diaboli, qui auctor peccati dicitur: & peccata debita vocantur [t]. [Corporis debitum, inquit Cantacuzenus, peccati debitum propterea vocat, quòd graue sit, ac terrestre, atque deorsum vergat, translato ab iis vocabulo, qui ære alieno obstricti, à sexcentis creditoribus opprimuntur.] Meminit Esaias [u] exactoris. Dauid noster Christus factus est Princeps eorum qui sunt in angustia consti

a Lyranus, Hugo Carthusianus, glossæ.
b Paulinus epist. 31.
c Ruffi. 10. hist. eccl. lib. 1. [illegible]
d [illegible]
e 2. Tim. 4. 4.
f [illegible] 4. in [illegible] 18.
g epist. 141.
h 5. de Repu.

a homil. in Psal. 17.
b Psal. 37. 11.
c 2. Reg. 11.
d in c. 18. Ier. & in c. 8. Zachariæ.
e 1. Cor. 2. 14.
f c. 3. 14. 15. 16.
g Esa. 28. 9.
h Iob. 28. 13.
i Psal. 57. 9.
k Laërt. in vita Platonis.
l Lucian. in dial.
m Mazzarin. in Psal. 50. discurs. 56. lit. S.
n 12. de legib.
o 2 de natu. Deo.
p de arca, & Noe, c. 28.
q Plutarch. in Cice.
r 5. de instit. c. 31. & 34.
s Ioan. 8. 38.
t Matth. 6. 12.
u c. 9. 4. c. 14. 2. 4.

a 1.Reg.22.2. b 1.Comment.

constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo [a]. Sumitur *obæratorum* nomen pro exulibus spontaneis, qui se quòd soluendo non sint, subducunt à creditorum oculis, à iudiciis Magistratuum. Quo pacto Cæsar [b] scribit obæratorum se magnum numerum conduxisse. Metaphoram Interpres bene reddidit per *(subdito)* cui synonymum est esse obnoxium, deuinctum, astrictum, pronum, propensum: denotari autem potest procliuitas ad peccandum, vel ex habitibus vitiorum comparatis, vel ex fomite, qui & ipse vocatur aliquando peccatum [c]. Idem sibi vult venúdari sub peccato [d], vel vt faciat quis malum [e].

c Rom.7.14. 17.20.23. d Rom.7.14. e 3.Reg.21.20.25 Esa.4.2.19. 1.Macha.1.16.

Peccatis.] Græcè (ἁμαρτίας) in genitiuo singulari: sed vitauit forsitan Interpres minùs aptam syntaxim, vel æquiuocam *(subdito peccato.)* Et verò quem dixi fomes vnum peccatum est, quia vna peccandi scaturigo, & multiplex, quoniam multa inde peccata profluunt. B.Thomas [f] ex hoc loco satis aptè argumentatur nullum in B.Virgine vel etiam veniale actuale peccatum fuisse, quoniam in ea sapientia Dei singulari modo habitauit, nó solùm in anima, sed etiam in vtero. Potuit ea ratio extédi ad originale, quod, iuxta regulam Augustini [g], qui contrahit, non est à veniali peccato, à quo tamen etiam Deiparam liberat propter honorem Filij, immunis. Habitare potest sapientia in habente fomitem, sed non eo qui obedit illi. Non reprehendo, qui cùm de Principe, ac Iudice hîc agatur, illum per animam, Rempublicam, subditósque intelligunt per corpus: dummodo illi non contendant literaliter dici [h]; cùm sint ipsi adeò accurati, ne dicam nimij, sensus literalis exactores in aliis.

f 1 p.q.27. art.4.

g de natu & gra.c.36. & 5. cont.Iuli. c.9.

h Gonsal. Ceruantes hic theorica 23.

B

C

Vers. 5.] Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitatę.

HÆc est ratio, quare non sit introitura sapientia in maleuolam ânimam, nec habitatura in corpore peccatis obnoxio, quia qui sapientiæ auctor est Spiritus, fugit, fugâtque procul à se fraudes, & temeraria, perditáque consilia: iudicij verò proposita ob oculos talia machinantium seueritate, retundit irruentis impetum iniustitiæ. Nequit Spiritus sanctus, qui rectus quoque prædicatur [i], atque sapientiæ, & intellectus, & consilij [k], commercium habere cum impuris, peruersis, stultis, insulsísque consiliis: ab his subducere seipsum dicitur, improbando, refutando, cùm nullo non loco sit, sed vbique semper.

i Psal.50. k Esa.11.2.

D

Athanasius [l] applicat hunc locum ad peierantes, indignósque quibus fides habeatur iniuratis, quòd sint mendaces, nec Deo etiam credant, qué adhibent testem: Bernardus [m] ad incontinentes: Augustinus [n] ad hæreticos vera ministrátes Catholicorum Sacramenta, & quorum hac in re Deus ministerium non deserat, quamuis eorum saluti desit, vt auferat se à cogitationibus ipsorú sine intellectu: Vrbanus [o] II. ad Simonem Magum, qui Spiritu sancto indignus erat [p]; rursus Augustinus [q] ad eos, qui ouibus Christi ficto corde miscentur: Hesychius [r] ad simulatam pœnitentiam agentes: & adhuc Augustinus [f] ad eos, qui fictè accedunt ad Baptismum.

E

l ser. de pass. & cruce. m sermo 1. in Cant. n 2 contra epist. Parmeniani.c.11. o 1.q.1.c. Saluator. p Act.8. q serm 11 de verb. Dom. r 3.in Leui. c.10. f 1 de bapt c. 2.lib.5.c.20.

A

Spiritus enim sanctus.] Hieronymus [a] & Idacius [b] intelligunt de distincta Trinitatis persona. Puto non id necessarium esse, vt cùm Dauid flagitat non auferri à se Spiritum sanctum [c]. Nam Spiritus est Deus [d]: & Cherubim sanctum Deum ter inclamant [e], vt Basilius [f] obseruat, docens commune tribus personis hoc nomen esse. Cur tertiæ personæ attribuatur, dictum aliàs [g]. Augustinus [h] autem, sicut hęc ad Spiritus sancti personam aptat verba; ita in prioribus agnoscit Patrem nomine Dei, à quo peruersæ cogitationes separant; & Filium nomine sapientiæ in maleuolam animam non introeuntis.

a libr.17.in Esai.c.65. b contra Varimandum. c Ps.50.13. d Ioan.4.24. e Esa.6.3. f 3.contra Eunom. g Act.2.8. h 2.de symbolo.c.4.

Disciplinæ.] Refert Osorius ad id, quod sequitur *(fictum)* vt sit fraudis disciplina, quam Spiritus sanctus fugit: reliqui ad Spiritum sanctum, vt sit doctor, auctórque omnis disciplinæ. Hugo approbat priorem sensum de illo qui fingit se habere, cùm non habeat; & aliud dicit, aliud facit. Congruit hęc expositio simulatè iudicantibus, & sic quoque sapientiam quærentibus. Oleot [i] amplectitur vtramque expositionem. Græca fauent primæ (παιδείας φεύξεται δόλον.) Priùs dixi quàm sedulò, serióque Christus hypocritas insectatus sit. Tunc irascitur maximè populo Deus, quando Regem facit hypocritá regnare [k]: sed, quod mirum est, nec super adolescentulis (quibus nihil syncerius, nihil gratius Deo propter simplicitaté) lætatur Dominus, nec pupillorum (quorum Pater est [l]) aut viduarum (quarum Iudex [m]) miseretur, quia omnis hypocrita est [n]. [Sęuum Principem cauere quoquo modo potes: simulatorem non potes, ait Augustinus [o], cui vel inuitus credere, vel renuens parere cogeris: persecutionem siue à leone, siue à dracone nunquam cessat ab Ecclesiis, sed magis metuendus est cùm fallit, quàm cùm sæuit,] inquit idem Augustinus [p].

i lect.5. k Iob.34.30. l Psal.67.6. m ibidem. n Esa.9.17. o 19.de ciuit. c.3. p in Psal.38.

Digressionem hac de re longam eruditámque Ioseph Stephanus [q] habet. Illud decerpo, κακοπραγμοσύνην, vehementer improbatam in Principe à Polybio [r]: instituendos, auctore Xenophonte [f], & apud Amphilochium [r], Basilio, pueros ἀληθεύειν, καὶ μὴ ἐξαπατᾶν: hoc vitium esse abiecti vilisque animi, vt Aristoteles [u] testatur: Regem egentem φρονήσεως, magnum esse συκοφάντην, vt LXX.Salomonis locum reddunt in Prouerbiis [x]: Ægyptios Reges sapphirum pendentem de collo gestasse, cui nomen *Veritas* [y]: Græcorum Imperatorum solemne iuramentum fuisse dicturos remota fallacia veritatem [z]. Dedecet sanè Principem labium mentiens [a]: vt Deus meritò non solùm deserat, sed fugiat quoque fictum, & quidem illum, qui veritatis patronus debet esse. Rectè Leonem Aspar Imperatoré, quòd fefellisset promissa, veste prehensum obiurgauit, quia nefas esset purpura indutum mentiri [b].

q in libr.1. Machab c.1. 31. r lib.13. f 1.Cyripæ. t in vita. u 4.Ethic.c. 3. x c.28.16. y Aelian.lib. 14.c.34. z Curopalata de official. palatij. a Prou.17.7.

Effugiet.] Non deseret solùm, vt dicebam, abominabitur etiam: & fugabit, ac trásferet in aliam gentem Regnum propter iniustitias, iniurias, cótumelias, & varios dolos [c], propter χρήματα δόλια, *pecunias dolo partas*: ex quibus tot illa procedunt mala. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus* [*].

b Zonaras tom.3.

c Eccli.10.8. * Psal.5.7.

Fictum.] Id quod fictum est (δόλον) Hieronymus [d] *(dolum.)* Sed in homine dolum, & dolosum hominem fugit Deus.

d in c.63.Esa.

Et auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.] Græcè (ἐπαναστήσεται ἀπὸ λογισμῶν ἀσυνέτων, *exurget, eriget se, recedet ascendendo.*) Exaltabitur Deus, homine ascédente ad cor altum [e], id est, profun-

e Psal.63.8.

dum,

dum, & callidum, ad cogitationes prudentia destitutas vera,& sapientia quę desursum est [a].Hieronymus [b] *(& recedet à cogitationibus stultis.)Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum* [c] ; ipse verò eruditis interest cogitationibus [d], καὶ γνῶσιν, καὶ ἔννοιαν ἐγὼ ἐπεκαλεσάμην. Bernardus [e],quia sine omni intellectu nullatenus cogitari potest,& nulla omnino cogitatio sine omni intellectu est,docet hîc Auctorem loqui de intellectu ex vi solius naturalis rationis,& quidē deprauatæ, ac sibi ipsi relicto, inque vanis rebus occupato : non autem de intellectu ex virtute mentis rationalis serias res cogitante,vel à gratia illuminato,& versante circa pietatem, atque virtutes,quibus coniungatur Deo. Lectu dignus locus totus.

a Iacob.3.17. b in c.63. Esaiæ. c 1.Cor.3.19. d Prou.8.12. e epistol. vel tract. ad fratres de monte Dei.

Possumus hinc argumentari, absolutè loquendo non rectè dici, dari personam Spiritus sancti, nisi per gratiam iustificationis:non per fidem solam informem,vt Caietanus [f] videtur loqui:non per inspirationes solas, vt Bonauentura [g] : non per dona gratis data duntaxat, vt Alensis [h], cui nonnihil Leo [i] fauet. Nam cum his potest quis fictus esse, quem hoc loco fugere Spiritus dicitur, si tamen de tertia persona placet intelligere. Verùm quo pacto persona Spiritus sancti dari censeatur,non modò donum creatum, cuius auctor dicitur per attributionē, aliquid in Actibus Apostolicis dixi [k].

f 1.p.q.43.art.3. g 1.d.15.art.2.q.1. h 1.p.q.73. m.4.art.2.&3. i serm.2.de Pentec. k c.2.

Et corripietur à superueniente iniquitate.] Græcè (καὶ ἐλεγχθήσεται ἐπελθούσης ἀνομίας.) Id Iansenius sic reddendum putat *(& confutabitur* (Spiritus sanctus) *ac veluti victus,& improperio affectus cum mœrore decedet)* eo modo quo cauet Paulus [l],ne contristemus Spiritum sanctum Dei. Sic autem non intelligeretur de ficto,nec verbum *corripiendi* retineri posset,quia non potest,inquit, propriè dici corripi. Placet Pinedæ [m] hic sensus : sed correptionem docet dici pro tristitia, & corripi pro tristari. Hugo hoc etiam modo explicat,vt Spiritus sanctus expellatur ob iniquitatem superuenientem animæ, in qua ille erat. Augustinus [n] exponit:corripietur (homo fictus nempe) superueniente sibi iniquitate sua, cùm ab eo recesserit Spiritus sanctus.Addit glossa interlinearis:Fictus cùm retributionis dies venerit,pro iniquitate punietur, cum Dominus dicet, ait Hugo; *Esuriui, & non dedistis mihi* [o], &c. *Venient* enim impij *in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum* [p]. Lyranus punitionem intelligit de grauioribus peccatis, in quæ gratia subtracta permittitur homo labi propter alia priora. Consentit Carthusianus; necnon de propriè dictæ pœnæ punitione posse sumi. Hæc est sententia Bonauenturæ.

l Ephes.4.30. m Iob.35.6.& 7.in digres. n.5. n cont.Adi. c.7. o Matth.25. 35 p in. c.4.

Isidorus Clarius τὸ ἐλεγχθήσεται, si passiuè accipiatur,declarat, fictum & malignum tādem agniturum,nihil sibi profuisse, quòd vitiis,& sceleribus operam dederit : si actiuè, more Atticorum, fore vt Spiritus sanctus, superueniente iniquitate,arguat illum, vt pœniteat, quòd praua sit ingressus via. Videtur Cantacuzenus posteriorem ex his secutus sensum : dicit enim quòd Spiritus sanctus arguet atque conuincet improbitatem,& quæ quibusdam se velut simulationis integumētis occultabat,deteget,damnabitque. Aliis placet præterea expositio de Spiritu sancto ad hūc modum;cùm aduenerit iniquitas in hominem, tunc Spiritus sanctus arguetur, declarabitur, perspicietur ; & ipsa superueniens iniquitas arguet, declarabitque spiritum,qui in homine est, an sit

A verus, aut fictus, statim namque proferet se, ac exeret, resistendo iniquitati. Item, Spiritus sanctus simulac senserit fictionis iniquitatem, atque tentationis,qua quis Deum tentat, de illo diffidens,corripietur,id est, reprimetur, atque veluti probro affectus corripiet fugam, & quasi ab ea corripietur.

Non licet ab editione vulgata recedere,vt aliter quàm passiua significatione verbum ἐλεγχθήσεται intelligatur. Hoc posito,sensus omnes recipi possunt : quoniam pati, & agere sunt reciproca,vt si sit qui corripiatur,sit etiam qui corripiat. Corripitur verò aut Spiritus sanctus,id est,tristatur : aut, quæ plurium expositio est,fictus,vel ab iniquitate ipsa superueniente, id est, à peccato
B tum vetere, tum nouo, necnon à pœna (cui nomen iniquitatis tribuitur aliquando, & peccati) tam præsentis, quàm futuræ vitæ ; vel à Spiritu sancto, qui propter iniquitatem arguit, quod eius esse munus Christus dixit [a],& Deus propter iniquitatem corripit hominem [b].

a Ioan.16.8. b Psal.38.12.

Vers.6.] Benignus est enim spiritus sapientiæ,& non liberabit maledicum à labiis suis : quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor.

C IDcirco Spiritus sanctus vel recedet, vel corripiet praua cogitantes,molientes,loquentes,facientes, quibus non Deum duntaxat offendunt, sed alios homines quoque lædunt, quia salutaris ac beneficus est humano generi,ferréque non potest tales,& adeò noxias pestes hominum,qui eò præterea procedunt amentiæ,vt Deum latere putent posse ; qui tamen subit intimos animorum recessus omnes,atque sermones exaudit.

Videtur Cantacuzenus hac ratione declarare, vt sic Deus benignus, & hominum studiosus intelligatur esse, quia iustus, non permittens alios iniuriam pati,vel volens vt iniqui ipsi pœna ipsis illata pœniteant,& resipiscant.Crudelis benignitas, qua parcitur viri cum plurium damno ; & vt
D ait Gregorius [c], [disciplina,& misericordia multum destituitur, si vna sine alia teneatur.]

c lib.vlt.in 1. Reg.c.vlt.

Benignus est spiritus.] Græcè (φιλάνθρωπον πνεῦμα,*humanus*,vt legit Augustinus [d],& *amator hominis.*)Ipsum opus incarnationis opera Spiritus sancti peculiariter factum dicitur [e] : nec permansit semper spiritus iræ ipsius, quam conceperat in hominem [f] ; sed cùm iratus esset, misericordiæ recordatus est [g].

d de mendacio.c.16. e Luc.1.35. f Gen.6.3. g Abac.3.2.

Sapientiæ.] Græcè (σοφία, *sapientia.*) Sed in vno vetusto codice ad marginem est (σοφίας) & hoc eodem pacto reperitur ab Augustino [h] citatus hic locus. Putant aliqui σοφίαν quasi ζοφίαν dici à ζόφος, quod est *caligo, & tenebræ.*

h supra.

E *Non liberabit.*] Græcè (οὐκ ἀθωώσει, *non absoluet, non declarabit esse innocentem*) ab ἀθῷος, *innocens,immunis, indemnis,non mulctatus*, ἀπὸ θωῆς, *absque mulcta.* Similis phrasis in Exodo [i]; *non enim habebit Dominus insontem,qui assumpserit nomen Dei sui in vanum*, οὐ μὴ καθαρίσῃ,*non purgabit*:& libro Iob [k], *sciens quòd non parceres delinquenti*, οἶδα ὅτι οὐκ ἀθῷόν με ἐάσεις, *noui quòd non insontem me sines.*

i c.20.7. k c.9.28.

Maledicum.] Melius quàm (*maledictum*) vt multi tamen legunt (βλάσφημον.) Quod nomen non tantùm accipitur de contumeliosis verbis,

quibus

quibus Dei fama quodammodo læditur, βλάπτεται, sed hominum quoque, vt alibi docui [a].

a Act.13.4.5. c.6.11.

A labiis suis.] A maledicto, & blasphemia, quam labiis protulit, à pœna, vel à correctione, quam pro talibus peccatis meruit. Ex verbis suis quisque iustificabitur, & condemnabitur [b]: &, *labor labiorum suorum operiet eos* [c], id est, suismet calumniis magno labore structis inuoluentur.

b Matth.12.37. c Psal.139.10.

Quoniam renum illius testis est Deus.] Renum, cordis, linguæ cognitio, quæ Deo tribuitur, exactam in ipso cognitionem docet esse rerum maximè secretarum. Quamuis autem libido vigeat in renibus, quam solent homines cupere ab aliorum notitia remotam esse: in corde cogitationes vanæ superbæque, quas etiam libenter occultant: in lingua verba, quibus clàm detrahitur ac maledicitur; tamen videntur nunc eodem omnia referri, vt intelligamus maledicum non effugere scientiam Dei, vel animaduersionem. Ac renes quidem pro appetitionibus & cogitationibus omnibus accipiuntur, sæpéque Scripturæ coniungunt scrutationem renum & cordis [d]; vltionem vtrorumque [e]. *Propè es tu ori eorum*, ait Ieremias [f], *& longè à renibus eorum.* E contrario Dauid laudans Dominum dicit [g]; *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei*, ἐπαίδευσαν, *erudierunt.* Sic pectus, & cor Latinè pro intellectu accipiuntur; Græcè κῆρ, στῆθος. Hebræi כִּלְיוֹת *chelaioth* renes vocant à כָּלָה *chalah*, quod inter alia significat *desiderare*, & in iis collocatur vis consummandi & perficiendi consilij: est enim etiam כָּלָה *chalah*, *perficere.*

d Psal.7.10. Ierem.17.10. c.20.12. Apoc.2.23. e Psal.25.2. fc.12.2. g Psal.15.7.

Testis.] Græcè (μάρτυς.) Idem valet quod conscius, vt apud Epigrammatarium [h];

h Martial. lib.1.

Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

Tantam rerum nostrarum scientiam habet Deus, vt deponere testimonium possit, si, quod fieri nequit, superior illo Iudex alius esset, nec effugere vllo modo, vel negare, & tergiuersari possimus. Dum aperta crimina Hebræis exprobrat [i]; *ego sum*, inquit, *Iudex, & testis:* Hebraicè, *ego cognoscens, & testis*: Chaldaicè, *& coram me manifestum est, & verbum meum est testis*: Septuaginta, *ego testis*. Iob [k] testem Deum simul & conscium vocat suum. *Ecce enim*, inquit, *in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis.* Michæas [l] vt fidem liberet, ac se protestetur functum officio; *sit Dominus Deus*, inquit, *vobis in testem*: eodem pacto Samuel [m]; *testis Dominus aduersum vos*: & Iacob [n]; *nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit*: & Paulus [o]; *testis est mihi Deus*, &, *testem inuoco Deum in animam meam*: cui simile iuramentum, quando dicit [p]; *ecce coram Deo, quia non mentior: Deus* [q], *& Pater Domini nostri Iesu Christi scit quòd non mentior.* Postremò, *& testis meus*, ait Dauid [r], *in cœlo fidelis*: quod quidam tamen intelligunt de arcu cœlesti.

i Ierem.29.23. k c.16.20. l c.1.2. m 1.Reg.12.5. n Gen.31.50. o Rom.1.9. Philip.1.8. 1. Thess.2.5. 2. Cor.1.23. p Gal.1.20. q 2.Cor.11.31. r Psal.88.38.

Et cordis illius scrutator est verus.] Græcè (ἐπίσκοπος, *inspector, speculator, superintendens.*) De re ipsa disputatum tractatu de Angelis, & in cap.1. Actuum Apostolorum [s], vbi Deus nosse dicitur corda omnium, videlicet, alterine possit conuenire præter Deum. Ex hoc autem & similibus locis Tertullianus [t] probat, animum nostrum aliquid esse, atque in ipso τὸ ἡγεμονικὸν, partem rationalem principalem. Porrò quando scrutator vocatur Spiritus, vt etiam à Paulo [u] profunda Dei, non denotat ideo scrutari, quia non nouit, sed contrà potiùs penitùs comprehendere, vt notant Basilius [x], & Idacius [y]. Apud Paulũ est ἐρευνᾷν.

s vers.24. t de anima. c.15. u 1.Cor.2.10. x 5. contra Eunomium. y contra Varimandum.

Dauid filium Salomonem Regem constituens, hortánsque seriò agere [a]; *Tu autem*, ait, *Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & seruito ei corde perfecto, & animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit.*

a 1.Paral.28.9.

Et lingua eius auditor est.] Lingua pro sermone sumitur, sicut & priùs labia. Tamen cùm lingua moueri possit nondum formato sermone, necnon labia, hac locutione magis exprimitur, secreta cognosci à Deo: & quoniam in formatione sermonis vltima mouentur labia, vt indicetur, Deum tardiùs punire, & tum præsertim, quando externum nocumentum prodiit, idcirco antea dictum est, quòd non liberaret maledicum à labiis suis. Mouebat quidem sterilis Anna labia, non proferendo vocem, tantúmque loquens in corde suo [b]: sed vt oratio proferatur, & audiatur, motus labiorum necessarius est. *Desiderium pauperum exaudit Dominus: præparationem cordis eorum audit auris eius* [c].

b 1.Reg.1.13. c Psal.9.17.

Rectè obseruat Bonauentura, instrumẽta operationum loco poni; quia sicut animam respiciunt propiùs quàm operationes, ita magis immediatè cognoscit Deus tum internas, tum externas operationes, quàm quiuis alius. Potest quoque per linguam scelus intelligi, quod ob grauitatem loqui, & clamare dicitur. Sed melius primum.

Vers. 7.] Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.

Cognoscit Deus omnia, quia vbique est, subit atque complectitur cuncta, mundi partes omnes pertingit ac penetrat, vniuersam naturam numine suo complet, omnium linguarum notitiam habet, ita vt nihil dici queat quamlibet abstruso idiomate, quod is non percipiat, vel priuatim & secretò, vel publicè palámque. Sic omnino præsentem intellexit locum Iulius [d] Papa I. [Est Deus, inquit, testis cordis humani, scrutatórque verus singularum conscientiarum, & linguarum singularum auditor: *quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.*] Tale illud [e]; *qui plantauit aurem non audiet?* &, *omnes* [f] *vias meas præuidisti, quia non est sermo in lingua mea*, quem scilicet tu non præuideris: vt quamuis vias meas non explicem sermone, ac nihil loquar, eo iam tempore, multóque antè perspectæ sint tibi. Græcè (ὅτι οὐκ ἔστι λόγος ἐν γλώσσῃ μου) & Romanum Psalteriũ, atque Ambrosianum (*quia non est dolus in lingua mea*) quem pariter non noueris.

d epist.2. e Psal.93.9. f Psal.138.4.

Allegoricè, aut sensu accommodationis sumi solet locus hic de aduentu Spiritus sancti in Pentecoste, vt à glossa, Bonauentura, aliísque, quod nos ipsi præsertim cum Ricardo de S. Victore, qui præclarum sermonem scribit, in quo id tractat, explicauimus capite secundo Actuum Apostolorum. Singulas partes istius sententiæ aptè ad illud propositum declaratas legas, si vis, apud eosdem.

Cæterùm hinc plurimi probant immẽsitatem, ac proinde Diuinitatem tertiæ personæ Trinitatis, vt Basilius [g], Athanasius [h], Origenes [i], Cyrillus Alexandrinus [k], qui monet id quoquo modo innuisse illos qui animam mundi posuerunt, vt Plotinum, Idacius [l], Victor Vticensis [m],

g epist.141. hom. de Spiritu sancto, & 5. contra Eunom. c.vlt. h epi. ad Serapio. Spiritũ S. non esse creatu. & alia epist ad eũd. i lib.7 in c.9. Epi. ad Rom. k 7 de Trinit. & 8. contra Iulia. l cont. Varimand. m de persec. Vand.

Ambro

Ambro.* Aug.[a] Nō minùs Pneumatomachus Abaillardus, qui, teste Bernardo [b], dixit in opere creationis Spiritum sanctum nihil potentem fuisse: Patri autem tribuit omnipotentiam, Filio sempiternitatem. Alij argumentantur immensitatē Dei, sumentes Spiritum Domini nō notionaliter, sed essentialiter pro Deo, vt Augustinus [c], & Petrus [d] Damianus; quemadmodum & ex similib. locis, vt Psalmo 138.[e] *Quò ibo à Spiritu tuo?* &c. licèt afferatur quoque pro persona distincta sanctæ Trinitatis. Qua eadem ratione ostendi solet Deum esse incorporeum: quod Scripturæ triplici tradūt modo, tum appellando spiritum [f]: tum docendo nullum fingi simulachrum posse, quod sit Deo simile [g]: tum dicendo, sicut hic, & alibi, Deū esse vbique: vnde & Christus confirmat adorari vbique posse[h]. Vis argumenti demū est, quoniam quòd renum testis sit Deus, & cordis scrutator, & linguæ auditor, probatur, quia replet orbem, nec impedit vel distantia, vel idiomatis ignorantia. Ex quo tamen per se necessarium argumentum non ducitur; quia concipere possumus omnia cognosci ab aliquo, licèt non sit immensus, vt si quis illud affirmet de anima Christi, quam nihil rerum creatarum latet. Deo plena omnia, omnibúsque inesse nouerunt etiam Philosophi, & probant Philo [i], atque Athenagoras [k].

Spiritus Domini.] Vel Deus qui spiritus est* vel vna de personis, pro vt dictum est, cui per attributionem conueniat res omnes secundùm modum fouere, ac veluti animare. Vnde & spiritus creator atque viuificans dicitur.

Orbem terrarum.] Græcè (οἰκουμένην, *habitabilem.*) Lege quæ notata sunt alibi [l] de his vocibus. Id ad rem præsentem sufficit, & facit per se: alioquin immensitas Dei nec habitabilis orbis, nec vlla terminatur creatura, qui cœlos inhabitat, & est intra omnia non inclusus, extra omnia nō exclusus, supra omnia non elatus, infra omnia non depressus [m]: denique, *nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* [n] *Replendi*, ac *implendi* verba hoc important per se: simul etiam varia effecta naturæ, atque gratiæ, quibus constat mundus, & Ecclesia, quæ mysticè multis de causis, quas affert Bonauentura, appellatur terra.

Et hoc quod continet omnia.] Græcè (καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα.) Satis communis ac verior opinio refert ad πνεῦμα neutrius generis, ac si dictum esset, & qui (nempe spiritus) continet omnia. Ita verò legit non solùm Origenis Interpres [o], sed etiam Augustinus [p], nempe (*is qui.*) Non rarò Scripturæ Latinus Interpres genus nominis alterius linguæ, vnde transfert, retinet, vt Genes. 3. [q] *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter semen tuū, & semen illius: ipse conteret caput tuum;* (*ipse*) ad זרע *zarahh* generis masculini refertur, id est, *semen*, licèt in editione vulgata legamus *ipsa*, nempe mulier: quia ipsa per ipsum semen. Id aptè pictor expressit qui serpentem pede Virginis attritum effinxit, sed quem pueri Iesu paruulus premeret pes. Sed ad rem. In Apocalypsi capite 11.[r] *hæ sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*, pro stantia, δύο λυχνίαι ἑστῶσαι: & capite 10.[s] *Accipe librum, & deuora illum; & faciet amaricari ventrem tuum; sed in ore tuo erit dulce*, nempe τὸ βιβλιδάριον. In Psalmo 74.[t]; *Quia calix*, &c. *inclinauit ex hoc in hoc*, pro, in hunc calicem, vbi est ποτήριον. In Epistola ad Hebræos cap. 9. [u] *Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea*, &c. (*in qua*) pro in quo, nempe tabernaculo, quod Græcè est fœminini generis σκηνή: nec enim vrna, manna, aut virga videntur in arca, sed in tabernaculo fuisse: nisi dicas (*in qua*) intelligi in arca, quia iuxta arcam. In præsenti autem loco nostro, quia Græcè non est pronomen, sed tantùm articulus neuter, potuit quoque verti (*& continens omnia*, &c.) vulgò (*quel che contiene ogni cosa.*)

Eodem res redit, si exponamus (*& hoc quod*) id est, hæc res, quæ nimirum prædicta proximè res, qui fuit spiritus Domini replens orbem terrarum. Martinus [a] Cantapetrensis hæc verba retulit ad orbem terrarum, cuius sit periphrasis (*hoc quod continet omnia.*) quoniam eius circumflexu, vt Plinius [b] loquitur, degunt omnia, & vt Mela [c], vno ambitu se, cunctáque complectitur. Sic verò locum hunc totum exposuit. Spiritus sanctus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū, impertitus est vniuerso orbi diuinarum rerū cognitionē, & ad sui participationē pertraxit ac rapuit: quando autem mundū intuemur, ex illius conspectu ad Dei cōtemplationem scandimus, intelligimúsq; mundum habere scientiam vocis, id est, vocalē, quoniam illo magistri vico vtimur ad laudes Dei texendas. Pineto [d] placet eadem expositio. Ludouicus [e] Sotomaior idem dicit: sed cœlum intelligit quo ambiuntur cuncta. *Cœli* [f] enim *enarrant gloriam Dei*, &c. & *Non sunt loquelæ, neque sermones* [g]; &c. &, *In omnem terram exiuit sonus eorum* [h], &c. Video id quoque placere concionatoribus, vt Osorio [i] nostro. Sed bene hoc refellitur à Ribera [k], qui etiam de illa quam dixi, casus retentione meminit. Glossa, Bonauentura, Hugo, Landulphus, & alij per id quod continet omnia, hominem interpretantur, qui est omnis creatura, omnésque rerum gradus habet, & scientiam vocis consecutus est per donum linguarum in Pentecoste [l].

Postrema expositio sapit potiùs allegoriam: secunda, qua gloriari videtur Cantapetrensis, hō adeò cohæret cōtextui, vbi, sicut vidimus, apertè habetur sermo de scientia Dei, qua percipit blasphemias, & maledicta. Illud porrò acutè dicitur, quòd Spiritus Domini replet omnia, continetque omnia, vt replet, & continet aër, tū hoc medium subiens, tum penetrans omnia. Nam quemadmodum voces formantur in aëre, & per eum conuehuntur, ita nil potest quisquā loqui, quod non perueniat ad illum, *in quo viuimus, mouemur, & sumus* [m]. Continet Spiritus omnia, etiam persona tertia per attributionem, sicut & dicitur in eo esse ex Patre, per Filium [n], vt placet Athanasio [o], Hilario [p], Augustino [q], Gregorio [r], Origeni [s], & aliis. Continere præterea idem potest esse quod conseruare. Ricardus de S. Victore [t] concedit dici potuisse (*& his qui continet omnia*, &c.) tamen per (*hoc*) indicari Trinitatem personarum cum identitate essentiæ: nam Spiritus Domini est spiritus distinctæ personæ; sed est (*hoc quod continet*) id est, illud ipsum, quod est ille, à quo sunt omnia, est illud, per quem est, id est, id quod Pater & Filius est, à quibus procedit. Sed libentiùs acquiesco in primo sensu.

Scientiam habet vocis.] Blasphemæ, & maledicæ, sed & cuiuscumque secundùm rem significatam, & idioma: Mysticè, atque figuratè rebus omnibus tribuitur vox, sicut & laus, siue laudatio Dei, vt

Margin notes (left column): * 1. de Spiritu sancto c. 7. a 3. con. Maximin. c. 21. b epist. 190. c epist 57. d ep. 4. c. 6. e vers. 7. f Ioann. 4. 24. g Act. 17. 29. Rom. 1. 23. h Ioan. 4. 21. i allego. leg. k ora. de resurrect. * Ioan. 4. 24. l Act. 1. 8. m Georg. 2. moral. c. 16. n Ier. 23. 24. o lib. 7. in c. 9. Ep. ad Rom. p in specul. & 1. de Symbol. ad catechu. c. 4. q vers. 15. r vers. 4. s vers. 9. t vers. 9. u vers. 3. 4.

Margin notes (right column): a 2. hypoth. c. 2. col. 136. b 2. hist. c. 1. c lib. 1. c. 1. d in c. 3. Danielis. e in Cant. c. 1. pag. 258. f Ps. 18. 1. g ibid. 4. h ibid. 5. i conc. 1. de Trin. k in c. 1. Abac. n. 30. legē itē 2. de templo c. 2. n. 9. & in c. 9. Ep. ad Heb. n. 11. & 25. l Act. 2. 4. m Act. 17. 28. n Rom. 11. 36. o orat. 4. de diuinit. p 8. de Trin. q 1. de Trinit. c. 6. r 26. moral. c. 16. homil. 16. in Ezech. s in Epist. ad Rom. c. 11. t sermo de miss. Spir. sancti.

A ante diximus. Ricardus de S. Victore [a] docet cum plena cognitione vocum coniunctam esse scientiam rerum, sed non vice versa, cùm sciamus sæpe multa, quorum vel vocabula non nouimus, vel obliti sumus: & possent Angeli plenã habere scientiam rerum, etiamsi voces non essent: & res nouerat Adam, priusquàm nomina imponeret [b]. Subtiliter dictum: at simpliciùs, & meliùs per vocem accipit Cantacuzenus, cæterique illam, quæ contra Deum effunditur, cui adiici potest ea, qua proximus læditur. Patet id magis ex sequentibus. Budæus [c] nescio quibus vsus libris legit (σοφίας) & miratur ab Interprete Latinò positum nomen (*vocis*.) Miror ego magis adeò doctum virum non plures alios meliores codices consuluisse, eósque secutum esse, nec modestiùs de Interprete locutum, dum appellat supra modum oscitantem, & B imperitum.

a ibid.
b Gen. 2. 19.
c in pandect.

Vers. 8.] Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium.

OMnia penetrantem Dei oculum, cũcta pernoscentem scientiam, nulla fugere possunt iniqua in Deũ, aut alios verba, nec euadere queunt Dei corripientis iudiciũ, vt maneãt impunita.

Iniqua.] Græcè (ἄδικα) & contra Deum eo modo quo iustitia propriè sumpta habere locum in nobis erga illum potest; vel vt generaliter, latéque sumitur: & contra proximum. C

Corripiens iudicium.] Græcè (ἐλέγχουσα ἡ δίκη.) Itaque epithetum iudicij est (*corripiens*) & *iudicium* est nominatiui casus. *Qui finxit oculum, non considerat? qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* [d]. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam* [e], ἁμαρτίας σου, *peccata tua*, vt quidam codices habent Latini & Græci, & Theodoretus.

d Ps. 93. 9. 10. 11.
e Ps. 49. 21.

Permittit etiam Deus, vt in publicum proferantur quæ videntur occulta peccata. Exemplo est Dauid, cui Deus [f]; *Tu fecisti absconditè: ego verò faciam verbum istud* (adulterij, & homicidij) *in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis huius.* Sed in D vniuersali iudicio aperientur omnium libri [g], *& cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium siue bonum, siue malum illud sit* [h]. *Putásne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus; & non Deus de longè? Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus?* [i] &c. Magnos aculeos habet multiplex interrogatio, & repetitio (*dicit Dominus.*) Lege Psalmum 138. [k] & caput nonum Amos [l], & Ecclesiastici 23. [m] Ethnicis id minimè ignotum, vbique versati Deum, scire Deum omnia. Xenophon [n] id crebrò inculcat, negans esse qui ignoret: tum Græcos, tum Barbaros in ea esse sententia, & affirmatum prodit vtrumque à Socrate [o]. E

f 2. Reg. 12. 12.
g Apoc. 20. 12.
h Eccle. vlt. 10.
i Ierem. 23. 23. 24. 25.
k vers. 7. & seq.
l vers. 2. & seq.
m vers. 25. & seq.
n 1. Cyripæd.
o 1 de dictis, & factis Socra.

———*Iouis omnia plena.*

dixit vnus Poëta [p]; & alius [q],

Estq; Dei sedes nisi terra, & pontus, & aër,
Et cælum, & virtus. Superos quid quærimus vltra?
Iuppiter est quodcumque vides, quocumque moueris.

p Virg. ecl. 3.
q Luca. lib. 9.

Celebrat Heracliti responsum Aristoteles [r] ad eos qui loqui volentes cum ipso, detrectabant accedere, quòd in casa furnaria sedentem viderent: Ne huic quidem loco Dij desunt immortales.

r 1. de parti. animal. c. 5.

A *Vers.* 9.] In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.

NOn euadet blasphemus ac maledicus iudicium corripientis Dei, quia non verba duntaxat, sed ipsæ cogitationes expendentur; illorum verò fama cognitióque peruenict ad Deum, vt adeò praui hominis scelera coarguantur. *Nulla Deum latet cogitatio* [a], & *Dominus interrogat iustum & impium* [b]: & clamor Sodomorum, atque Gomorrhæorum peruenit ad illum [c]: decidant impij à cogitationibus suis, ac secundùm multitudinem impietatum suarum expellit eos Deus, quoniam B irritauerunt ipsum [d]. Cogitatio hominis confitebitur Deo [e], id est, non latebit ipsum, qui in ipsamet inquirit cogitata. *Ego autem*, ait Deus [f], *opera eorum, & cogitationes eorum* (nimirum noui, notata habeo, & illi sunt Iudæi) *venio vt congregem cum omnibus gentibus, & linguis; & venient, & videbunt gloriam meam*, id est, damnatis Iudæis, venio in mundum, vt Gentibus innotescam, &c. De iudicio extremo est illud Apostoli [g]: *testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, & defendentibus, in die, cùm iudicabit Dominus occulta hominum, & manifestabit consilia cordium* [h]. Ipsimet impij interrogant aliquando seipsos, & multo magis postea interrogabunt illis verbis c. 5. [i] *Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* C

a Iob. 42. 2.
b Ps. 10. 6.
c Gen. 18. 20.
d Psal. 5. 11.
e Psal. 75. 11.
f Esa. 66. 18.
g Rom. 2. 15.
h 1. Cor. 4. 5.
i vers. 8.

Hugo secundum sensum quoque istum affert, sed cum priùs Auctor [k] operis imperfecti tradiderat, dicens in nobis esse positum à Deo quendam spiritum scientiæ boni, & mali, vt quotiescumque peccamus; ille in silentio quasi factum nostrum accuset, &c. & hoc sibi velle verba huius loci; *in cogitationibus impij interrogatio erit.* Prior tamẽ sensus melior. Lege Ecclesiastici caput 23. [l] de clara quam Deus habet omnium rerum humanarum notitia. Nec arbitror de interrogatione instituenda in iudicio vniuersali propriè hîc sermonem esse, vbi quærit Olcot [m], an etiam remissa peccata innotescent publicè; qua de re nos D alibi: sed de cognitione perfecta quæ in Deo est, quíque corripere impios possit quando libuerit.

k hom. 21. in Matth.
l vers. 25. & seq.
m lect. 7.

Interrogatio.] Græcè (ἐξέτασις, *inquisitio.*) Sed Interpres vocem Græcam hanc, aut ἐξετάζειν, sæpe vertit isto modo, vt, *Dominus* [n] *interrogat iustum, & impium*, ἐξετάζει.

n Ps. 10. 5.

In cogitationibus.] Græcè (ἐν διαβουλίαις.) Significantur hoc nomine perplexæ, ac improbæ cogitationes, consiliáque.

Sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.] Auditio, & ἀκοὴ famam, & rumorem significat, quemadmodũ in Psalmo 111. [o] *auditio mala*, ἀκοὴ πονηρά, quam Chrysostomus ab alio dici refert ἀγγελίαν κακήν, *nuncium* E *malum*: Apollinarius autem exponit ἀθεσμίαν φήμην, *iniquam famam.*

o vers. 7.

Vers. 10.] Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.

COrripiet iustus Deus iniquitates impij bene sibi cognitas: habet enim aurem ira & indignatione concitatam, atque zelo, id est, ve-

hementi

hementi acríque deſiderio præditam cognoſcẽdi omnia;nec minimus & ſubmiſſus ſonus, ſtrepitus, ſibilus obmurmurantium, ſuſurrantiũ,frementiũ cũ perturbatione,trepidatione,& tumultu confuſo, poteſt ei eſſe occultus,vel inauditus.

Auris zeli.] Græcè (ζηλώσεως,*æmulationis:auris zeloſa*,vel *zelantis*,ſeu *zelo præditi.*) Quid ſit zelus,& Deus cur zelotes nominetur, alias [a] docui. Hîc Olcot [b] affert varias notiones,pro inuidia [c],ira [d], imitatione [e], rigore, ſeu vehementi cupiditate vindictæ [f],amore feruente. Auguſtinus [g] ait Deũ zelare [h],quando creaturam quam nõ vult perire, caſtigat,corripit,flagellat,flagellando ad ſe reducit;vel quando nullũ peccatum impunitum vult relinquere. Auris zeli eſt acerrima & acutiſſima ad audiendum:vel indignabunda in loquẽtes ingrata ſibi:vel auida audiendi, vt nil penitus prætervolare ſinat:vel zelotypa,qualis ſpõſi, qui ſtat poſt parietem,proſpicit(auditque)per cancellos [i]; vnde Prouerbium; *parietes habent aures.* Nihil curioſius ſuſpicacibus & zelum habentibus,quo timent cupiúntque, perdere & acquirere:taliũ auris eſt auris zeli.Euenit id inRebuſp.& magnis vrbibus,vt de Athenienſibus Paulus dixit [k]. Inde profluxit vſus literarum, quæ continent res per orbem geri ſolitas,& quothebdomadis ludi cauſa circumferuntur. Porrò,vt Carthuſianus notat, Deus non modò zelotes, ſed in abſtracto zelus vocati poteſt,propter ſingularem & excellentem zelum animarum.

a Act.5.17. b Ie..7. c Eccli.30.3. d ibid.26. Pſ. 78.5. e Eccli.10.3. f Sapie.5.18. Prou.6.34. g lib. de eſſen.diuinit. h vt cùm dicitur Deus zelotes, Exo. 34. i Cant. 2.9. k Act.17.21.

Tumultus.] Græcè (θροῦς.)Cantacuzenus explicat de ſono,& ſibilo,& murmure,quod ſolet eſſe coniunctũ cum perturbatione,trepidatione, tumultu, eſt enim θροῦς propriè *ſtrepitus tumultuarius*,à θροεῖν,& θροεῖσθαι,*turbare*,ac *turbari*,& *tumultuari*,idem quod θορυβεῖσθαι. Aliud nomen huius loci τῶν γογγυσμῶν denotat grauiores rumores ex vehementioribus, ac aſperioribus ſonis, cuiuſmodi ſunt fremitus,grunnitúſque. Verbo γογγύζειν Apoſtolus [l] vtitur, pro quo Interpres *murmurandi* verbũ ponit;vbi damnatur murmuratio. Auguſtinus [m] putat, etiamſi ſint interne tantùm animi cogitationes,vel ſecreti admodum ſermones,tumultum dici reſpectu Dei,cuius videlicet auribus tã clara ſunt illa,ac ſi magno ederentur tumultu. Dicitur & quis clamare deſideriis ad Deum, vt Moſes [n]. Literalior primus ſenſus.

Non abſcondetur.] Græcè(οὐκ ἀποκρύπτεται, *non abſconditur.*) Sic legit alicubi idem Auguſtinus [o]: ſed præſens tempus crebrò futuri loco ponitur, aut pro potentiali vſurpatur.Itaque (*non abſconditur*)eſt,aut nõ abſcondetur,aut abſcõdi nõ poteſt.

l 1.Cor.10.10. m de mendacio.c.16. n Exo.14.15. o in Geneſ..

*Verſ.*11 Cuſtodite ergo vos à murmuratione,quæ nihil prodeſt; & à detractione parcite linguæ: quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur,occidit animam.

Redit apoſtrophe poſita in principio, vt idcirco videantur hîc quoque conueniri præſertim Iudices terræ,qui & magis popularia vitia iſta corrigere in ſubditis debent, & multo magis ea ipſi cauere,præſertim cùm proximè Deum lædunt, qui quamlibet magnis Principibus maior eſt.Ratio cur vitari debeant murmurationes,maximè contra Deum,eſt, quia nulla in earũ auctorem redundat vtilitas. Quamlibet enim fremas, & obmurmures,Dei clementiam, ſi ea vti decreuerit,non poteris peruertere; nec, ſi exarſerit ira contra ſceleratos, perſuadebis, vt quicquam de illa diminuat. Præterea detrahendo,mentiendóque perdis animam tuam, & alterius, quod quidem in te eſt,vel audientis,vel de quo loqueris.

Cuſtodite vos à murmuratione.]Vir prudens & diſciplinatus nõ murmurat [a],ſed murmurans perit ab exterminatore [b],aut lepra percutitur [c].Olcot [d] quatuor de cauſis homines aduersùs Deũ oſtendit murmurare:quòd anni tempeſtas nõ procedat feliciter: quòd nõ videantur aduerſa & proſpera hominibus iuxta eorũ merita diſtribui:quòd nimiæ vexent tribulationes:quòd rerum opprimat egeſtas. At nõ de ſola huiuſmodi murmuratione nunc ſermo eſt:de illa etiam,quæ cõtra homines dicitur,víxque differt à detractione,niſi quòd ſecretior eſt murmuratio, quæ vocari etiam ſolet ſuſurratio: licèt hanc velint [e] tendere ad diſſuendum bonum amicitiæ inter aliquos.

a Eccli.10.28. b 1.Cor.10.10.Num.21.1. & c.16.6. c Num.12.10. d lect.8. e S.Thom.2.2.q.74.

Quæ nihil prodeſt.] Inutilis eſt, ἀνωφελής. Sed κατὰ τὴν μείωσιν, aut λιτότητα, ſeu λιτότητα, diminutionẽ,quod valdè nocet,dicitur inutile,quod obeſt,nõ prodeſſe.Ea ratione illaudatũ dicunt [f] inamabilem [g],&c.Rationis ductũ ſequenti ſatis deberet eſſe,rem quã vult aggredi, vacare vtilitate; ſed retrahit magis noxa,damnúmque. *Nolite declinare poſt vana,quæ nõ proderunt vobis* [h], id eſt,maximè nocebũt.Similia ſunt alibi exempla [i]. *Non eſt nobis vtile relinquere legẽ,& iuſtitias Dei* [k].Sic reperio ſæpe dictos inutiles maximè malos & pernicioſos.*Omnes declinauerũt,ſimul inutiles facti ſunt*,ἠχρειώθησαν,נאלחו *neelachu*,*abominabiles*,*putruerunt*,*fœtuerũt*: Chaldaicè,*obtorpuerunt*:alij,*contemptibiles fuerunt*,vel *immũdi.* Nihil mali,in quo nõ aliquid boni:& vix eſt improbus, in quo non quidpiam inſit boni. Quãdo eò procedit quis peccãdo,vt totus videatur malus,inutilis vocatur.Dãnati ligantur in faſciculos [m] ad comburendũ,& ligatis manibus pedibúſque mittuntur ſub hoc inutiliũ nomine in tenebras [n];quia nullũ opus virtutis exercere,nulli prodeſſe,nec ſibi poſſunt ipſis. Iob [o] abominabilẽ,& inutilẽ nominat, qui bibit ſicut aquã iniquitatẽ.Hoc eſt epithetum apoſtatæ [p], quo nihil deterius: paulo pòſt capite ſecũdo [q] vocãt ſcelerati Saluatorẽ inutilem ſibi,adeò bonũ tam mali, vt deſperent ſibi eũ vlla in re conſenſurum:item eorũdem peſſimi fructus cognominãtur inutiles, & ad nihilũ apti [r]:minatur,ac væ dicit Propheta [s] cogitãtibus inutilia.Paulus [t] ad omnia præcedẽtia videtur reſpexiſſe,quando ſimul appellat nõnullos peccatores abominatos,incredibiles,& ad omne opus bonũ reprobos:& alias [u] e contrario, vas vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Soli peccator igni aptus eſt,ſicut præciſum vitis lignum [x].

f Virgil.3. Georg. g idem 6. Aeneid. h 1 Reg.12.21. i Eſa.30.6. c. 58.9.Ierem.7. 9.c.16.19. k 1.Machab. 2.21. l Pſ.13.3. Pſ. 52.4.Ro.3.12. m Mat.13.30. n Mat.25.30. o Iob.15.16. p Pro.6.12. q verſ.12. r c.4.5. ſ Mich.2.1. t Tit.1.16. u 2.Tim.2.21. x Ioan.15 6.

Vnde poteſt intelligi quã ſit otium pernicioſum,ceu vel ex aliis ortũ peccatis maximum, vel aliorũ ſcaturigo. Certè meritò quærit de tali Sapiẽs [y]:*Qui ſibi nequam eſt,cui alij bonus erit?* imò cui non pernicioſus,ſiue re,ſiue peſſimo exẽplo? Denique Hebraica eadem voce און *auen* appellatur inutile,ſiue nihil,& peccatũ,& idolũ;vnde nomen proprium Bethauen,quæ priùs dicebatur Bethel, domus Dei,vbi Iacob ſcalã vidit,& Deũ coluit [z]. Ponit hîc exẽpla duo Cãtacuzenus eorũ, quibus nihil murmur profuit, tum qui laborando in vinea murmurauerunt [a] contra patremfamilias; tũ filij maioris contra natu minorem [b]. Caue tamẽ putes omnia infidelium opera peccata eſſe: poſſunt aliqua eſſe moraliter bona;imò & interdum ſupernaturaliter per auxilia gratiæ. Sed inutiles

y Eccli.14.5. z Gen.28.12. a Mat.20.11. b Luc.15.28.

vocantur, quoniam talia opera per naturæ vires facta parum, & remotiùs conducunt ad gratiam ſanctificantem,& ad beatitudinem; paulo magis ſi adſit auxilium gratiæ: nam prima ex diſpoſitionibus per ſe requiſitis eſt fides. Imò & fideliū, ſed peccatorum in peccato mortali verſantium opera, etiam illa quæ ſunt ſupernaturalia, quia non ſunt meritoria condignè, & hoc modo non ſunt vtilia quantum oportet, non faciunt quo minus adhuc appellari poſſint inutiles.

a Luc.17. 10.
b Pſ.15.2.

Iuſti vocantur ſerui inutiles, quia quod debēt facere, faciunt [a], id eſt, Deo commodum non afferunt, qui bonorum non eget [b], & de ſe, quo sūt meliores, demiſſiùs debent ſentire: &, quod maximè cōgruit, ſi ſolam ſeruant legem, licèt percepturi ſint mercedem, nō eam tamen magis inſignem laudē, quā meretur, qui hoc non cōtentus, perfectioni ſtudet, ſupererogationis opera faciēs: quemadmodū qui reſalutat ſalutantem, vel amātem redamat, Chriſti teſtimonio non habet gratiam, aut mercedem, nempe tantam [c]; & Paulus negat ſibi, ſi euāgelizauerit, gloriam eſſe, quia neceſſitas ei incūbit [d]. Denique qui legem non ſeruat, vituperatur, & punitur: qui facit opera ſupererogationis & conſilij, non ſolùm accipit ſtipēdium, ſed tanquam peculiari modo vtilis Domino, quod quidem in ſe eſt, atque ſi vtilitatis ille capax eſſet, corollarium, & honeſtamentum, & auctarium præmij accipit. Lege Maldonatum [e].

c Matth.5.46. 47.
d 1.Cor.9.16.
e in Lucam.

A detractione.] De hac B.Thomas [f], & Olcot hoc loco [g]. Græcè vocatur καταλαλιὰ, quaſi dicas *contralocutio*, nēpe quando clàm malè quis de alio & iniuſtè loquitur. Multa de hoc vitio Iacobus in Epiſtola [h], & alij plurimi: nec adhuc ſatis, cū vix ſit qui hoc penitus vitium deuitet, quamuis alioqui ſanctus habeatur, teſte Hieronymo [i]. [Pauci admodum ſunt, inquit, qui huic vitio renuncient; raróque inuenies, qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam: tantáque huius mali libido mētes hominum inuaſit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud tamen, quaſi in extremum diaboli laqueum incidant.] Rectè murmurationi ſubiecta hoc loco detractio eſt: germāna enim quadam propinquitate confines ſunt, inquit Antiochus Abbas [k], ac mutuo fœdere copulātur.

f 2.2.q.73.
g lect.9.
h c.4. 11. & ſeq.
i ep.14. ad Celantiam.
k in pandec. hom.29.

Parcite linguæ.] Abſtinete, ne loquamini, φείσασθε γλώσσης. Vſitata formula, vt quando Iob [l] dicit; *Quapropter & ego non parcam ori meo*, ἀτὰρ οὖν οὐδὲ ἐγὼ φείσομαι τῷ στόματί μου. Quare minùs idonea ratio Lyrani, Olcot, Hugonis, Carthuſiani, & aliorum, indicari laborem ſermonis, & inimiam, quæ ipſi linguæ ſit, quando ad detrahendum applicatur, cùm inſtituta ſit potiùs ad honeſtos vſus; vel, vt ait Bonauentura, quòd ſeipſum primo lædat loco detractor, & animam ſuam. Igitur parcere linguæ, vel ori, eſt continere, prohibere, ſupprimere, cohibere procliuitatem vehementiorem loquendi, cùm hiante iam ore ſermonem fundere quis paratus eſt.

l c.7.11.

Sermo obſcurus in vacuum non ibit.] Græcè (φθέγμα λαθραῖον κενὸν οὐ πορεύσεται) Vatablus (*ſermo clandeſtinus non abibit impunè.*) Propriè (*vacuus non ibit*) nimirum, quia conſequetur finem ſuum, vt audiatur: & cùm ſit malus, digno ſupplicio afficietur: *de omni enim verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij* [m]. Sic Deus de verbo ſuo dicit, quòd non reuertetur ad ſe vacuum [n].

m Mat.12.36.
n Eſa.55.11.

Obſcurus ſermo eſt, qui latet, & clàm profer-

A tur; etſi verum ſit detractores amphibologicè loqui ac tectè: indignum quoque luce, ſeu auditione eſſe ſermonem eorum; quo pacto exponunt multi. Oſorius autē interpretatur ex ſermone impuro, quamuis latenter inter paucos ſceleris ſocios habeatur, magnum aliquod malum prouenire. At hic ſenſus eſt. Tandem reſciuntur omnia, & in cubiculis ad aurē dicta prædicantur in tectis [a]: etiam aues cœli portant vocem, & qui habent pennas, ſententiam annūciant detrahentis in cogitatione ſua, & in ſecreto cubiculi maledicētis [b], quod nos aliàs ex profeſſo declarauimus [c]. Auguſtinus [d] legit (*reſponſum obſcurum*) reſponſum intelligens fortaſſis id quod φθέγμα hîc dicitur, &

a Luc.12.3.
b Eccleſ.10. 20.
c ibid.
d de mendacio.c.16.

B aliàs ἀπόφθεγμα, ſermonem ſententioſum, grauē, ingenioſum, ſed breuem, & fucatum, ac ſimulatū, vt epitheto τῷ λαθραῖῳ, obſcurúmque. Sic vocari ſoler à Cicerone vir obſcurus pro aſtuto & fallaci; itémque aliquid obſcurè dici exponit adiectione alterius aduerbij diſſimulatè, & obſcure, per tegere, ac diſſimulare. Secreti quoque conſilij Conſo Deo, & fraudis arām ſubterraneam conſtituebant, ſub tecto templum. Hebræis demum סוד ſod, & *conſilium* eſt, & *fundamentum*, cui nempe ſub terra locus.

Os autem quod mentitur, occidit animam.] Mētientis animam, audientis, eius aduersùs quem profertur mendacium, ſi mendacium eſt detractoriū, & de re graui. Concedimus Auguſtino [e], dici os

C conceptaculū ipſum cordis, & cor ore mētiri, cui placet mendacium, etiam nō prolatum: at non arbitror ſic iſto loco ſumi, & de interno iudicio, cū quis etiam tacitus vult aliquem malum credi. Nā licèt intelligamus hic negari obſcurum eſſe Deo ſermonem; poteſt ſermo exterior indicari, qui, vt notauimus, ſecretò enunciatur. Conſtat quidem & internum mendacium, vt & quodcūque peccatum, animæ mortem afferre poſſe: ſed propoſito neceſſaria non videtur hæc doctrina, cùm, abſolutè loquendo, peccata oris cenſeantur mentiri, detrahere, murmurare.

e ſup.

Illud verè ab eodem dictū Auguſtino [f], ſi quis ad te confugiat, qui mendacio tuo poſſit à morte

D liberari, tibi nō eſſe mentiendū, quia *os quod mentitur, occidit animam*: & cùm mentiendo vita æterna amittatur, nunquam pro cuiuſquam vita temporali mentiendū eſſe. Hoc verum, ſi materia mendacij ſit grauis: poteſt namque officioſum, quod vocant, mendacium leue eſſe, & animam nō occidere. Eadem cautio adhibenda ad ſimilem Chromatij ſententiam [g], & eiuſdem adhuc Auguſtini, vel alterius [h], dū dicunt, quomodolibet quis mētiatur, occidere animam. Athanaſius [i] poſtulans à Conſtantio, vt vel ſe iubeat reū corā ipſo peragi, vel aduerſarios calumniatū condemnet, imitādo Dauid, qui detrahentem ſecretò proximo ſuo

f c.6. eiuſdem lib.
g 2.2.q.5.c. iuram.
h lib. de cōflictu virtu. & vitio c.19.
i apolog. ad Imperat. Cōſtantium.

E perſequebatur [k], ait illos quidem, quantum ad ipſos pertinet, cædem facere, quoniam *os quod mentitur, occidit animam.*

k Pſ.100.5.

Egimus nōnihil de mendacio in expoſitione primæ Ioannis Epiſtolæ [l]. Cantacuzenus innuit, auctorem hîc mendacij primū diabolū deſignari, qui mendax dicitur, & pater mendacij, & homicida [m]; mentiendo enim humanū occidit genus [n]: & eius peculiariter cenſentur filij mendaces. Idē tradit quodam ſermone Cæſarius Arelatenſis [o], quaſi mentiens admittat in animam diabolū interfectorem ipſius. Alienū eſt ab inſtituto naturę, vt os mortis cauſa ſit, per quod inſpiramus & expiramus, & cibum recipimus, & loquimur.

l c.2.6.10.
m Ioan.8.44.
n Geneſ.3. 2. & ſeq.
o in 3. de eaeſ um.

Verſ.12.]

Verſ. 12.] Nolite zelare mortem in errore vitæ veſtræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum veſtrarum.

CVm occidat animam os mentiens, cauendum ne quis dedito veluti ſtudio, ſed cæcatus antè quodam errore mentis, cõquitere mortem videatur, ac ſuiſmet ſibi manibus adeò graue malum comparare, ſibi, inquam, grauius malũ multo, quàm aliis. Nam alis maledicendo, ac detrahendo, corporis vitam, famam, opes eripere potes: tu ipſe illud agendo, exitium affers animæ tuæ, ignominiam ſempiternam, priuationem omnium bonorum. Falſa vitæ opinione, quam ſaluam meliùs putas eſſe, alteri nocendo, & eiuſdẽ nimia cupiditate, ſic teipſum geris, ac ſi mortem affectares: perdis volens ſaluam facere animam [a], ſiue vitam. A verbis itur ad opera, & cuius læſiſti verbis famam, vitæ, ac bonis inſidiaris. Vnde ad extremum nullus exiſtit fructus alius tibi, niſi perditionis extremæ. Qui mentitur, quoniam contra mentem loquitur, videtur ex malitia peccare.

a Mat.16.25.

Nolite zelare mortem.] Græcè (*μὴ ζηλοῦτε θάνατον.*) Zelus cùm ſit vehemens deſiderium, nõ fertur niſi in bonum, aut quod habet ſpeciem boni. Tamen acrior mala perturbatio videtur præcipitare ad mali appetitionem: &, quod paulo pòſt dicitur, efficere, vt id verbis ac manibus perſequi cenſeamur; ſicut & theſaurizare iram Dei [b]. Lyranus putat eſſe ſermonem contra credentes animam eſſe mortalem, ideóque in rebus aduerſis mortem expetentes; imò & ſibi ipſis inferentes. Verùm prior melior & communior ſenſus.

b Rom.2.5.

Cæterùm verbo (*nolite*) Græcè nihil reſpondet, ſed ſola negatio præfixa verbo. Quare quamuis Principes, ad quos præcipuè ſermo dirigitur, appellentur נְדִבִים *nedauim*, quod ſonat *voluntarios & ſpontaneos*, huiuſmodi annotatio potuit omitti ab eo [c], qui quæcumque poteſt, in aliis obſeruat, vt importuna. Nec ad literam rectè ſumere poteſt hoc loco vitam pro Deo ipſo, vel pro ſapientia: tametſi quæ de notionibus illis diſſerit, vera ſint, & vtilia; quemadmodum & de verbo ἐπισπᾶν, quòd acquiſitionem denotet cum labore, ſtudioſa ambitione, voluptuoſa quaſi venatione; ac tanquam rem longiùs remotam, imò fugientem, vel etiam profundè infixam; præterea ſicut lac pueri ſugunt, ſitibundi potum exhauriunt, fameſcentes cibum glutiunt, &c.

c Caranites theo.46.

In errore vitæ veſtræ.] Errando circa vitæ corporalis conſeruandæ rationes per aliena damna: errando ex inconſiderantia mortis, quã ſubit anima propter detractionem, & ſimilia peccata: errando corpore ipſo, atque circumeundo, & vitam ipſam corporis vexando, dum quæris hinc inde auditores, in quos effundas verba detractionis: errando demum, quia fruſtrantur ſua ſpe; *errant* enim *qui operantur malum* [d].

d Prou.14.22.

Neq; acquiratis perditionem.] Græcè (*μηδὲ ἐπισπᾶσθε ὄλεθρον, neque attrahatis perditionẽ.*) Indicat hoc verbum partim quàm abhorreat à natura perditio, cuius nõ auctor Deus (*perditio* enim *ex te*, ait ipſe [e]:) partim quanta peccantis peruerſitas, qui violentè quodãmodo trahit ad ſe etiam inuitũ Deum, vt puniat & perdat: quod magis adhuc exprimitur ſequẽtibus verbis. Quo pacto dicatur quis Latinè acquirere, lucrari, lucrifacere rem malã, & Græcè κερδαίνειν, dixi capite 27. [f] Actuum Apoſtolicorũ.

e Oſe 13.9.
f verſ.21.

Verſ. 13.] Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.

ACquirunt impij perditionem ſibi, attrahũt, rapiunt violente, quia Deus nec fecit illam, nec placet ei per ſe, ac directò, vt eã quis ſubeat, cùm nonniſi peccati pœna ſit, aut orta ex peccato. Similis in Ezechiele [a] ſententia. Item in Pſalmo [b]; *ira in indignatione eius, & vita in volũtate eius*, id eſt, ira, quæ furor breuis eſt, reperitur in indignatione, quæ videtur diuturnior: breui tempore iraſcitur רֶגַע *regahh*, puncto temporis: at vita eſt in beneplacito voluntatis ipſius, in ea ſibi complacet: mors & perditio peregrinum & alienum eſt opus ab eo [c]; quoniam proprium eius eſt miſereri ſemper, & parcere, vt etiam exponit Hieronymus [d]. Chaldæus verba Pſalmi ſic exponit (*momẽtanea eſt ira eius: vita æterna in bona voluntate eius.*) Iuſtus Deus eſt: peccato quiſque perit ſuo, ipſe, quem morte dignum ſentit, occidit: creando non inſtituit hominem mortalem, indicando punit peccatorem. Sic ferè Proſper ex Auguſtino [e]. Auguſtinus [f] autem præterea negat, diabolum aliter mortis auctorem eſſe, quàm per ſuggeſtionem peccati; & vt pœnarum cuſtodem & exhibitorẽ ex conceſſione diuina, non vt vltionis Iudicem, vel per potentiam retributionis. Animæ mortẽ, quæ per peccatum eſt, non fecit Deus, inquit, vllo modo; quo pacto locũ etiam hunc Vrbanus [g] IV. intellexit (niſi fortè permittendo:) mortem corporis, & ſecundam damnationis, poſito peccato, feciſſe dici poteſt vt vltor offenſionis. *Mors & vita à Deo ſunt* [h]; & *Deus mortificat ac viuificat* [i]: creat tenebras, & malum [k]; occidit, & viuere facit [l]; ſed illud duntaxat ad peccati vindictam. Vnde probari quoque poteſt liberi facultas arbitrij, qua liberè peccatur: & neminem excluſum à beatitudine, vel ad pœnam deſtinatum ante præuiſionem operũ malorum: ſed omniũ ſalutem Deũ velle, vt argumentari Cyprianus [m] hinc videtur.

a c.18.23. 32. & 33.11.
b Pſ.29.6.
c Eſa.28.21.
d ibid.
e lib. ſentent. ex Aug. in 301.
f de eſſẽt. Diuinit. c.4. & 5.
g in Pſ.50.
h Eccli.11.14.
i 1.Reg.2.6. Tob.13.2.
k Eſai.45.7.
l Deut.32.39.
m lib.4. ep.2. vel ep.52.

Error item Pelagianorum fuit, mortem nobis eſſe penitus naturalem, non pœnalem, nec minùs moriendum fuiſſe, quamuis Adam nõ peccaſſet, cuius proinde negabãt ad nos peccatũ originaliter deriuari. Inter alias rationes affertur vna ex hoc loco, *quia Deus mortem non fecit*, hoc eſt, hominem nõ condidit obnoxium morti; ſed conceſſit ei, vt ſi abſtineret à peccato, poſſet non mori. Sic Fauſtus [n], & alij cum Auguſtino [o]. Rectè tamen dici poteſt cum Philippo Solitario auctore dioptræ [p], factũ primum hominem nec interitui obnoxium, nec ab eo alienum, ſed veluti medium; quia poterat mori, & poterat nõ mori. Hoc ſufficit, vt Deus mortẽ nõ feciſſe dicatur, quicquid cõtradicat Michaël Glycas [q]. Lege caput ſecundũ [r].

n de gra. & lib. arbitrio.
o multis libris.
p lib.2.c.8.
q diſp.2. & 1. p. annal.
r verſ.24.

Phyſicè loquẽdo & propriè, mors nec fieret, quãuis lex nulla lata, & gratia primo parenti data nõ eſſet; ſed creati eſſent homines ſecundùm nuda puráque naturæ principia: quia priuatio eſt & nihil, & ex conditione naſcitur elementorum, quibus conſtamus. Nihilominus, quoniam neceſſitas moriendi per donũ Dei iam ſublata erat, ſed hac lege, vt Adam non peccaret, morali ac peculiari modo dicitur Deus mortem non feciſſe. Ex neceſſitate materiæ naturaliter homo mortalis eſt; nec ita mortẽ Deus fecit niſi indirectè: vt eſt mors iuſta pœna, Deus eſt auctor tanquã Iudex, remouens conceſſam iuſtitiam originalem, & ſingularem illam ſuam curam noxia propulſandi.

Adhuc sequitur, qui dixerunt ob Adami peccatum transisse mortem in omnes homines, at non item peccatum, fecisse Deo æquo Judici iniuriam, qui, vt est capite duodecimo huius libri [a], condemnare qui non debet puniri, exterum iudicat à sua virtute. Vtrumque per vnum hominé in omnes pertransisse Paulus dicit [b], & Arausicani Concilij II. canon vnus est [c]: Iniustitiam Deo dare conuincitur, qui mortem, quæ est pœna peccati, sine peccato, quod est meritum mortis, ad nos transisse dicit. Porrò peccato mortis nomen, & proprietates qua ratione tropologicè conueniant, disces inter cæteros ex Oleot [d] hoc loco. Concludamus cum Augustino [e]. [Propter hoc Domine oramus te, ne permittas dominari quod non fecisti huic creaturæ tuæ, quam fecisti. Si enim doles de perditione, quid te prohibet Domine, qui omnia potes, ne semper læteris de nostra saluatione?]

a vers. 15.
b Rom. 5. 12.
c can. 2.
d lect. 11.
e Soliloquiorum c. 24.

Nec lætatur in perditione viuorum.] Et tamen *lætabitur iustus, cùm viderit vindictam* [f]: imò Deus ipse non sine quadam etiam quasi insultatione; *Heu* [g], inquit, *consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*: & apud Ezechielē [h]; *Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolationem accipiam, & scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cùm impleuero indignationem meam in eis*: & in Deuteronomio [i]; *Sicut antè lætatus est Dominus super vos bene vobis faciens, vósque multiplicans; sic lætabitur dispergens vos, atque subuertens, vt auferamini.* Nihilominus constat ægrè Deū adduci ad puniendum, ita vt non solùm citatis Esaiæ verbis (*heu consolabor*) velint alij denotari gemitū, sed etiam apud eundē antea illis aliis (*væ* [k] *genti peccatrici*, &c.) sicut etiam missurus aquas diluuij dixit, *tactus dolore cordis intrinsecus*, Deus, *delebo hominem, quem creaui, à facie terræ* [l]. Quo pacto & Christus fleuit super ciuitatem Ierusalem [m]. Vnde consolatur Deus ipse per seipsum; præcinget enim se, & faciet eos discumbere, & transiens ministrabit illis [n]: punit per alios, adhibens immissiones per Angelos malos [o], & vtens quasi alienis instrumentis, vt nouacula conducta [p] (quamuis Græcè sit μεμεθυσμένῳ, *inebriata*; Chaldaicè, *acuta*; Hebr. השכירה *hasschirah*, cum puncto in sinistro, quod à sicera deriuatur.)

f Ps. 57. 11.
g Esa. 1. 24.
h c. 5. 13.
i c. 28. 63.
k Esa. 1. 4.
l Gen. 6. 6. 7.
m Luc. 19. 41.
n Lucæ 12. 37.
o Ps. 77. 49.
p Esa. 7. 20.

Multa hac de re Chrysostomus [q], quo modo videlicet nec gaudeat Deus, nec nobis gaudendū sit, etiāsi meritas quis patiatur pœnas: hoc enim ipsum dolendum esse, quòd tali opus medicina sit. Longam quoque hoc eodem de argumento disputationem Augustinus, aut quis alius, instituit in quæstionibus ex vtroque Testamento [r]. Lætitia ostendit quanta æquitate de improbis pœnæ sumantur, & quantum ex pœnæ malo resultet bonum iustitiæ diuinæ, & amorionis eorū, quæ impediunt Dei gloriam, & salutem nostram. *Nouem* sunt *insuspicabilia*, inquit auctor Ecclesiastici [f], hoc est, quæ nemo nisi expertus credit, *homo qui iucundatur in filiis viuens, & videns subuersionem inimicorum suorum*, &c. & Poëta nescio quis;

q homil. 43. in Act.
r q. 102.
f c. 25. 9.

Vindicta bonum vita iucundius ipsa.

& alicubi Seneca: [liquido melle dulcior bilis cordi meo insiluit.] Dolor, ac tristitia declarant quā displiceat causa supplicij, quod est peccatū: & quia voluntas Dei est sanctificatio nostra [t], salúsque, propterea de illius in nobis iactura dolet quodammodo Deus, & qui Deum imitātur iusti.

t 1. Thes. 4. 3.

Nec verò statui discrimen debet inter iam damnatos, & eos qui adhuc viuunt, quasi de illorum liceat damnatione lætari, non de istorum pœnis; quoniam dempto perpetuitatis, & mutabilitatis statu, secundùm proportionem eædem videntur causæ aut lætandi, aut dolendi. Nā quòd hîc dicatur non lætari Deum in perditione viuorum, nihil refert. De his nunc erat propriè sermo, nec excipi alios propterea oportebat. Itaque non lætatur Deus perditione, sed cùm saluum facit quod perierat, & super humeros ouem perditam refert [a], & cùm parcit; adeò ipsi proprium est misereri semper & parcere. Hebræo verbo חמל *chamal* vtrumque significatur, & *parcere*, & *lætari*, v.g. *In* [b] *seruis suis miserebitur Deus*, id est, consolabitur; & *super* [c] *adolescentulis eius non lætabitur Deus*, id est, non miserebitur.

a Luc. 15. 4. 5.
b Deut. 32. 36.
c Esa. 9. 17.

Vers. 14.] Creauit enim, vt essent omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra.

NOn lætatur Deus in perditione viuorum, quia non homines tantùm, sed & alias res omnes condidit, vt suam naturam ac statum tuerentur & conseruarent: nec vllum in vlla natura venenum inseuit, quod eam posset euertere: sed neque Orci in terra regnum collocauit, hoc est, corruptionis, interitúsve dominatum. Antonius magnus [d] legit (*qui vocauit ex nibilo vt essent cuncta.*)

d epist. 2.

Optima ratio Deum non lætari aliorū interitu, malóque, nec ab eo creatam mortem; quoniam creatoris est omnia ex nihilo educere ad esse; per mortem verò perdunt esse: sed mors est priuatio boni creati; creaturam quæ priuauit suo Deum bono per peccatum, quantum in ipsa fuit, meritò Deus priuauit bono vitæ, ac esse sui per mortem. Quod est mortem creare, vt sit velut aliquid bonum, sed tanquam pœna culpæ.

Creauit vt essent omnia.] Nisi (*omnia*) de viuētibus hominib. intelligamus (est enim homo omnia [e], sumúsque nos quodammodo finis omnium) argumentum erit à minori; vt si cæterarum Deus rerum esse, atque conseruationem vult, multo magis hominum. Est igitur creator omnium rerū Deus, vel quæ secundùm totum suum esse creatæ sint, vt Angeli, animæ nostræ, cœli, elementa integra; aut secundùm alteram partem, scilicet materiam, vt animantia, & cætera mixta. [Ideo Deus, ait Augustinus [f], rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa tamen de omnino nihilo facta est.] Ratio Manichæos conuincit, quoniam si nihil fieret nisi ex alio præsupposito, hoc à nullo fieret; sique re aliqua Deus ad agendum iuuandus esset, omnipotens non esset, quód sacrilegum est, vt idem Augustinus [g] ratiocinatur. Pari potestate qui de nihilo facit, in nihilum redigere valet, atque annihilare; quod stolidè, atque impiè negauit Vvicleffus, à Valdense [h] confutatus.

e Mar. vlt. 15. 2. Phys. text. 24.
f 1 de Genes. contra Man. c. 6.
g supra.
h tom. 1. c. 18.

Sanabiles fecit nationes orbis terrarum.] Hieronymus [i] (citans librum vt Salomonis, si cui tamen, vt ipse dicit, placeat recipere) legit (*salutares generationes mundi*, σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου) id est, quæ sunt creata, vel etiam quæ subinde producuntur, salutaria sunt. Sic vocantur generationes cœli, & terræ [k]: & *sanandi* verbum pro *saluandi* verbo ponitur nonnunquam, sicut & vice versa.

i in c. 12. Zacha.
k Gen. 2. 4.

Numquid

a Iob.14.17. b Psal.40.5. c vers.10. d c.17.14.

Numquid qui non amat iudicium, sanari potest a? *Sana animam meam, quia peccaui tibi* b; & capite septimo istius libri c, *super salutem & speciem*, ὑπὲρ ὑγίειαν καὶ εὐμορφίαν. Sed apud Ieremiam d; *Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero*, synonyma videntur esse. Interpres habuit maximè respectum ad animalia, & magis ad homines, dum *nationum* vocabulo vsus est, quod non ita dicitur de rebus inanimatis. Græcum nomen τῶν γενέσεων abstractum habet significationem concretam, pro rebus quæ vim habent gignendi. Valet interdum idem quod locus, vbi quis est natus, aut genus, seu stirps vnde processit: de quo vtroque natiuitas nonnunquam dicitur e. Vatablus vertit (*initia mundi salutifera sunt.*)

e Gen.11.28. c.31.13. Ezec. 16.3.& alibi.

Minùs cohærens toti sententiæ videtur expositio Hugonis, Lyrani, Rickelij, & aliorum, hîc significari, quòd hominibus liberum arbitriũ cum natura communicatum sit, vt sanari queant. Non agitur modò de animæ consequenda salute. Sed & Græcè leguntur ista in recto casu post præcedentem proximè locum (ἔκτισε γὰρ εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα, nimirum, καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου.)

Et non est illis medicamentum exterminij.] Græcè (οὐκ ἔστιν ἐν αὐταῖς φάρμακον ὀλέθρου) Hieronymus (*& non erit in eis venenum mortiferum.*) Nomen *medicamenti* ἀδιάφορον est, sicut & τοῦ φαρμάκου, & *exterminium* pro *perditione*. Sensus autem, non esse à Deo inter creaturas perditionem creatam, siue perditionis malum, & corruptionis ac interitus. Gellius f docet, *venenum* quoque esse vocem mediam, sicut *periculum*, & *contagium*: & Nonius voce *medicamenti* significari etiam venenum; & Herodianus quando φάρμακον in malam partem accipit, addit δηλητήριον. Notatu dignum quod Caius Iurisconsultus g de *veneni* scribit voce, qui venenum dicit, adiicere debere an malum, an bonum sit; medicamenta enim etiam venena esse: quia eo nomine omne contineatur, quod naturam eius cui adhibitum sit mutet: cùm id apud nos venenum appellamus, Græcos φάρμακον dicere: apud illos quoque tam medicamenta, quàm quæ nocent, hoc nomine contineri: ideirco adiectione alterius nominis admoneri nos à summo apud eos Poëtarum Homero, qui sic ait;

f Lib.12 c.9.

g D.de verbo signif.l. qui venenum.

φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Hebraismus est, *medicamentum exterminij*, pro *exterminans*.

Magis mysticum, quàm literale, sanabiles factas nationes, quia possit homo sanari, si in aliquod aut animæ malum inciderit, aut corporis, primósque parentes initio sanos conditos esse, sine morbo corporali, aut spirituali: post peccatum posse denuò cũctos sanari, & ægritudinibus corporeis remedia esse proposita; tandémque posse nos consequi æternam vtriusque partis salutem: medicamentum verò exterminij non esse, quia non promde talis extat medicina, quæ mortem perpetuò impediat, præsertim si quis interimat seipsum. Nec à natura remedium sufficiens peccati, nec à Deo ipsum peccati venenum. Meminit de his Iansenius. Habent quidem res corruptibiles intrum corruptionis venenum, siue materiã, siue contrarias qualitates: at Deus per generationis vim iisdem communicatam illas conseruat, saltem in indiuiduis; & corruptionis illa causa non auctori naturæ, sed naturali rerum ipsarum conditioni tribuenda est. Venefica vis, & lethiferi morsus plantis, & feris inest à natura. Sed hæc repressisset Deus in innocentiæ statu peculiari prouidentia & cura, ne homini noxia forent. Quin & quæ tibi videntur perniciosa, prosunt aliis, ac tibi ipsi nonnunquam salutaria sunt, vt Ambrosius a demonstrat.

a 1.hexa.c.9. lib.6.c.6.

Nec inferorum regnum in terra.] Pertinet quoque ad mysticum sensum, non esse supplicium æternum per se institutum a Deo, vel peccatum, cui debetur, & per quod diabolus, qui sedem habet in inferno, regnare censetur; vel diabolum nõ ita pleno iure dominari, quin liberari possimus. ᾅδου βασίλειον, id est, *regia* & quasi *basilica* est dominatus corruptionis ex inferno, vbi perpetua quædam corruptio, mórsque, & mortis auctor diabolus, non Deus. Ille tyrannidem exercenit, & τὸ βασίλειον, ac ditionem suam extendit in terram, occupans quod suũ non est. Proprius mortis locus non terræ superficies est, quam incolimus, sed profundum ipsius, cauernæ, specus, fauces, quæ hiant quodam modo in prædam mortalium, apertis portis, quas habere mors dicitur, siue ostiis tenebrosis b; quoniam profunditas eius est ceu magnum sepulchrum: quamuis & portæ ipsa moriendi extrema pericula significant. Exaltatur quis de portis mortis c, quando liberatur à descensu in terræ profundum per mortem: appropinquat, vel deducitur ad portas eius d, quando grauiora subit pericula ipsius.

b Iob.38.17. c Psal.9.14.& alibi. d Ps.106.18. Sap.16.13.

Vers. 15.] Iustitia enim perpetua est, & immortalis.

SI iustitiam seruasset homo, non moreretur, sed iustitiam conseruaret originalem: vel cùm Deus moderetur omnia summa iustitia, omnibus tribuit quod in se est, esse perpetuum, aut saltem per multiplicationem, & propagationem. Hoc posteriore modo Cantacuzenus explicat. In orbis conditione, gubernatione, & conseruatione habet iustitia quodammodo locum, & lex, quam ponere Deus dicitur e cunctis rebus secundùm insitas illis rationes.

e Prouerb.8. 15.27.

Perpetua.] Græcè solùm legimus (δικαιοσύνη γὰρ ἀθάνατός ἐστιν.) Fortassis Interpres illud epithetum addidit, vt intelligeremus immortalitatem, quæ propriè conuenit rebus animatis duntaxat, hic significare perpetuitatem. Tamen non perpetuò in simili causa id obseruat. Iustitiam Ethnici Astræam, hoc est, vt ita dicam, Syderalem nominauerunt:

Astræa virgo syderum magnum decus f.

f Seneca in Octau.

Æquis iustitia lancibus expendit omnia, & perpetuum retinet rigorem, medium sequens rei, nõ vt virtutes aliæ, rationis: licèt pia interdum, vt loquuntur, iuris admittatur interpretatio, quam vocant ἐπιείκειαν. Fauet vulgata iustitiæ definitio, vt sit constans & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi. Placet, sed vt moralis sensus Olcot g, his & prioribus verbis excludi peccantium excusationem triplicem, ab illicientibus creaturis, & carnis infirmitate, & diaboli tentatione. Nam sanabiles fecit Deus nationes propositis remediis, quę malis Angelis negata sunt: non est illis medicamentum exterminij, si creaturis bene vtamur, & carne: nec inferorum, id est, dæmonum regnum in terra, vt reluctantes vincant.

g lect.12.

Quærit præterea, vtrùm h virtutes morales in alia sint vita remãsuræ. Hac de re S. Augustinus i, & B. Thomas k. De iustitia videtur magis certũ,

h lect.13. i 14.de Trinit. c.9. k 1.2.q.6.1.7.

quia sine dubio est in voluntate: fortitudo, ac temperantia ponitur à B.Thoma in appetitu sensitiuo. Disputat etiam de dono iustitiæ originalis, quoniam hæc innuitur isto loco, tanquã quæ dare possit corpori immortalitatem. Carthusianus monet, iustitiam, qua iusti constituimur apud Deum, semel habitam perdi posse per peccatum: perpetuam tamen dici, quia potest ex sua natura perpetuò manere. Consule disputationẽ de gratia, & Commentarium in primam Ioannis Epistolam [a], qui etiam negat, iustum peccare posse, nimirum vt est talis, &c.

a c.3.9.

Vers. 16.] Impij autem manibus & verbis accersierunt illam: & æstimantes illam amicam, defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam: quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.

Erat quidem legitimè constituta & stabilita hominibus, nisi per ipsos staret, perpetuò viuendi ratio: vel etiam post lapsum primorum parentum via ipsis ad recuperandam futuræ vitæ felicem immortalitatem denuò aperta. Sed sua illi impietate, atque iniquitate, quam verbis, factísque prodiderunt, contumelias in Deum, proximósque iactando, rapinas, & cædes, idque genus alia scelera exercendo, visi sunt de industria sibi mortem accersere. Quamquam non se morituros putauerunt; verùm ac si fecissent cum morte fœdus [b], ne se attingeret, ita liberè cuncta illa effrenatéque perpetrabant. At contrà ipsis euenit: contabuerunt enim, & velut cera colliquefacti sunt, & morte ipsa, qua cum tanquam ex pacto conuenerant [c], digni habiti sunt, vt eos illa velut socios, & cohæredes, nimirum familiariùs, hoc est, sæuiùs interficeret.

b Esa.28.15. c ibid.

Impij autem.] In quibusdam Latinis codicibus additur (*iniustitia autem mortis acquisitio.*) Sic habent Complutenses, Regij, & alij, necnon glossæ, glossographi, & alij Interpretes.

Manibus, & verbis accersierunt illam.] Græcè (*προσεκαλέσαντο, aduocauerunt.*) Manus intelligere possumus manuum iactationem, seu intensionẽ, vel extensionem, & gestum, siue gesticulationem. Vocatur enim quis etiam manibus, maximè si remotior sit, quàm vt exaudire verba vocantis valeat. Itaque parœmialis oratio videtur, manibus, & verbis aliquem, aliquídve accersere, hoc est, diligenter, sedulò, magna cura, & peruestigatione. Sed ineptè quidam pro (*verbis*) ponunt (*pedibus*) quis enim pedibus accersit? Mortem sic quærit & vocat, qui sponte in interitum ruit, qui laxatis frenis, summa quadam licentia quiduis audet, quidlibet aggreditur. Denique vocari hoc potest *ἐπισπαστὸν κακὸν, arcessitum malum*, quale Iri apud Homerum [d];

d Odyss.6.

Ἦ τάχα Ἶρος ἄϊρος ἐπισπαστὸν κακὸν ἕξει.

Ne mox Irus perditus arcessitum malum quærit.

Erat paulo antè [e], *neque acquiratis perditionem, μηδὲ ἐπισπᾶσθε.* Potest etiam de his impiis vsurpari prouerbium aliud; *κακ' ἐφ' ἑαυτοὺς ἕλκοντες, ὥστε καικίας νέφος, mala ad se trahentes, vt Cacias ventus nubem.* Meminit Gellius [f], Plutarchus [g], & alij. Et tamen *διζημένοισι τ' ἀγαθὰ μόλις παραγίνεται: τὰ δὲ κακὰ καὶ μὴ διζημένοισι, his qui quærunt bona vix accedunt: mala verò etiam non quærentibus* [h]. Notus Æsopicus senex aduocator mortis, sed præsentem, vt onus suble-

e vers.12. f lib.2.c.22. g opuscul. de vtilit. ex inimicis. h in prouerb. collect. & in adagiis.

A uaret rogans, ne occideret deprecans. Videntur quidam, vt antè dictum est, zelare mortem, accersere, &, vt hîc subditur, amicã æstimare. Circumfertur apologus, cùm Deus creaturis assignaret munia propria, & morti viuentia occidendi, eandem postquam diu detrectasset, admisisse; quòd polliceretur Deus fore, vt illam omnes excusarent. Mysticè accersiuerunt primi parentes mortem [a] manibus, quas extenderũt ad pomum, verbis, quæ miscuerunt cum serpente. Libidinosus, luxuriæque mancipium, turpes, putridos, lethales incurrit morbos: seipsum inuidus corrodit, conficit, interimit: iracundus lites mouet, excitat rixas contentionésque, neces infert, refértve.

a Genes.3.

B *Defluxerunt.*] Græcè (*ἐτάκησαν.*) Sumpta similitudo est, vt obseruat Cantacuzenus, ab iis, quæ è cera finguntur, & ad ignem, vel ad Solem, vel ad aliquid eiusmodi admouẽtur, atque colliquescunt. Lege notationes in Psal.67. [b] vbi est *ὡς τήκεται κηρὸς, sicut fluit cera, ἀπὸ προσώπου πυρὸς, à facie ignis.* Peccati fomes inflammat: & Deus vindex, ignis consumens est [c]. Defluxum alij sumunt in peccatum, moriendi necessitatem, reatum gehennæ, cùm æstimarent primi parentes mortem amicam, id est, se non morituros; aut iniustitiam, seu inobedientiam, quòd nocitura non esset, sed futuri *sicut Dij, scientes bonum & malum* [d].

b vers.3. c Deu.4.24. Heb.12.29. d Gen.3.5.

Sponsiones posuerunt ad illam.] Græcè (*συνθήκην ἔθεντο πρὸς αὐτὸν*) C nempe *θάνατον, mortem*, non autem ad iniustitiã, quam dixi contineri quibusdam verbis nonnullorum codicum Latinorum: si autem hæc etiam essent in Græcis, esset *ἀδικία* generis fœminini, cui non congrueret pronomen (*αὐτὸν.*) Est autem Græcè singulari numero (*συνθήκην*) & in codicibus Latinis nonnullis (*sponsionem.*) Sponsionem, pactúmve ac fœdus cum morte dicitur habere, vel inire, qui securus viuit, nec mortis retrahitur metu, quin viuat malè, quasi nunquam moriturus: qui sibi existimat, vt est priùs dictum, amicam, beneuolam, fauentem esse mortem, quæ se vt alios non attingat. Tales videntur esse potissimùm qui iudicant terram, quos hæc in D primis oratio spectat, iam inde à primis libri verbis, qui fiducia impunitatis peccant liberiùs, ac veluti per iocum, nec Deum timent, nec homines reuerentur [e]. Hos Esaias [f] vocans viros illusores (qui monita ridere salutaria solent) ita cõuenit; *Propter hoc audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Ierusalem. Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendaciũ spem nostram* (scilicet fallaces spes vestræ sunt) *& mendacio protecti sumus.* Qui fœdus ferit cum aliquo, confidit ei velut amico, & sine metu est. E Erit tempus cùm iis, qui circumdati & oppressi doloribus mortis [g], variísque calamitatibus erũt, delebitur tandem fœdus illud cum morte, & pactum cum inferno non stabit: & flagellum inundans cùm transibit, ipsi erunt in cõculcationem [h]. Potest quoque pactum cum morte intelligi, non vt moriatur quis, sed vt antè mors adueniat, quàm grauioribus prematur malis, iis etiam quæ quispiam de Prophetis prædixerit, & hoc ipse sibi fidenter persuadeat. Item vt quis facili moriatur morte, ducens in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendens, vt loquitur Iob [i].

e Luc 18.2. f c.28.14.15. g Psal.17.5. h Esa.28.18. i c.21.13.

Quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.] Complutenses, Regij, & alij codices (*quoniam morte digni sunt, qui sunt, &c.*) Aliqui pauci pro (*parte*) le-

gunt

gunt (*patre.*) Priorem lectionem ſecutus eſt Lyranus, Hugo, Carthuſianus, Bonauentura, vt morte cenſeantur æterna digni, qui ſeruiant iniuſtitiæ. At prædixi nō de iniuſtitia, quæ hîc in emendatis libris non eſt, ſed de morte ſermonem eſſe. Eandem ob cauſam reiicitur Olcot, dum explicat quòd digni ſunt morte, qui ſunt ex parte illius, nimirum qui de Adam obligato iniuſtitiæ deſcenderunt. Græcè eſt (ὅτι ἄξιοί εἰσι τῆς ἐκείνου (ſci- A licet θανάτου.) μερίδος εἶναι.) Lege Franciſcum Lucam Brugenſem [a].

Etſi verò propriè de morte corporis nunc agitur, quam Auctor [b] priùs negauit à Deo factam, & poſt quam negant impij atheivitam vllam futuram; tamen haud ita ſimpliciter concedendum quod præ ſe fert [c] Auguſtinus, vt à Genebrardo [d] rectè demonſtratur, in vetere Teſtamento nullam fieri æternæ mortis mentionem.

a in notatio[nibus]
b verſ. 13.
c 13. de ciu. [Dei] 23.
d 3. de Trin. expoſ. Symb[oli] Athan. n. [...]

SVMMARIVM.

ADVERSVS ſapientiæ ſtudium homines voluptuoſi vitæ breuis voluptates obiiciunt, poſt quam videlicet vitam non ſuperſit alia, vel non iis adeò curæ ſit. Propterea grauiter oderunt, & ad mortem vſque iuſtum perſequuntur; diabolum in eo imitantes: cuius inuidia ab immortalitate homo excidit, in qua Deus illum condiderat.

CAPVT II.

1 DIxerunt enim cogitantes apud ſe non rectè: Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis:

2 Quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus: quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris: & ſermo ſcintilla ad commouendum cor noſtrum:

3 Qua extincta, cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquā mollis aër, & tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radiis Solis, & à calore illius aggrauata:

4 Et nomen noſtrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum.

5 Vmbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo reuertitur.

6 Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter.

7 Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis:

8 Coronemus nos roſis, antequā marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.

9 Nemo noſtrûm exors ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniā hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.

10 Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis.

B

11 Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ: quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur.

12 Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.

13 Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat.

14 Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum.

C

15 Grauis eſt nobis etiā ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius.

16 Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis, & præfert nouiſſima iuſtorum, & gloriatur patrem ſe habere Deum.

17 Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt nouiſſima illius.

18 Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum.

D

19 Contumelia & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius.

20 Morte turpiſſima condemnemus eum: erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius.

21 Hæc cogitauerunt & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum.

22 Et neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.

23 Quoniam Deus creauit hominem

inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.

24 Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum:

25 Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

Vers. 1.] Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & nō est qui agnitus sit reuersus ab inferis.

PENDENT hæc ab extremo priore capite, cùm diceretur impios dignos esse morte, quam veluti amauerant, & accersierant verbis, factísque peruersis. Nam sic secum ratiocinabantur, breuem vitam variis hîc plenam ærumnis esse; postea non aliam videri superesse, cùm nemo inde reuerterit, qui secus rem habere narrauerit. Summa quædam impietas animæ tollere immortalitatem, & brutis hominem hac in parte similem affirmare. Eadem quippe opera Religio tollitur, cui etiam vt seruiretur, & in officio meliùs contineremur, impij quidam, qui de anima eo modo senserunt, dixerunt contrarium vulgò cōfictum esse. Hoc alibi pluribus tractauimus [a], quod nunc etiam facit Olcot [b]; quamuis malè neget demonstrari posse, quod affirmat quoque Scotus [c], & Caietanus [d], & Scaliger [e]. Fidelis certè absque periculo negare non potest. Arguta ratione, vt idem Olcot refert, vtebatur quidam Catholicus contra Philosophum: si mortalis est anima, nullum credentibus immortalem supplicium infligetur; sin verò immortalis est, qui credunt mortalem, plectentur magno supplicio: præstat igitur immortalem credere.

a libr. de anima. b lect. 16. c 4. d. 43. q. 2. d in c. 3. Eccle. & in c. 9. Epi. ad Ro. e exercitat. 307. n. 33.

Dixerunt enim cogitantes apud se.] Græcè (*εἶπον γὰρ ἑαυτοῖς, sibiipsis.*) Sic in emendatis Bibliis; in Complutensibus, Regiis, & aliis (*ἐν ἑαυτοῖς, in seipsis, intra seipsos*) & ita videtur legisse Cantacuzenus. Latini codices item Complutenses, Regij, & alij addunt (*impij.*) At satis ex priore capite potest intelligi. Interpres Latinus dictionem internam bene declarauit addito *cogitandi* verbo, nisi velis verbis externis protulisse, quod animo cogitauerant, licèt non adeò apertè palámve, vt indicant Expositores. Græcus textus (*εἶπον ἑαυτοῖς λογισάμενοι οὐκ ὀρθῶς, dixerunt sibi, cùm ratiocinati prius essent non rectè*) ipsum dicere sumere videtur externius. Augustinus [f] legit (*dixerunt apud semetipsos*) indéque probat *dicendi* verbum vsurpari etiam, quando non profertur vox, imò nec nutus. Idem rursus [g] repetit, sed legendo (*dixerunt intra se,* &c.) Exposuit enim, inquit, quid esset (*dixerunt intra se*) cùm addit (*cogitantes.*) Confirmat alio exemplo ex Euangelio [h]: *dixerunt intra se, hic blasphemat,* &c. Alibi [i] legit (*apud se.*) Eadem lectio, & annotatio est apud Fulgentium [k], qui citat similem locum ex capite octauo [l] huius libri. Hebraico verbo הגה *hagah* significatur *& ore, & animo loqui,* siue *meditari.*

f tract. 61. in Ioann. g libr. 15. de Trinit. c. 10. h Matt. 9. 3. i in Psal. 53. k 3. ad Mon. c. 6. l vers. 17.

Non rectè.] Plus in suspicione relinquitur, quàm in oratione ponitur, vt cum auctore ad Herennium loquar; quæ dicitur etiam *μείωσις, λιτότης, ἐλάττωσις, extenuatio, diminutio,* seu *imminutio.*

A Sic non rectis oculis aspicere [a], est oculis malignis: dies non placentes [b], sunt molesti: non lætari super aliquo [c], odisse: rem non bonam facere [d], pessimam: non prodesse [e], obesse.

a 1. Reg. 18. b Eccle. 12. c Esa. 9. 17. d 2. Esd. 5. 9. e 1. Reg. 12. 21.

Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ.] Græcè (*ὀλίγος καὶ λυπηρός ἐστιν ὁ βίος ἡμῶν, breuis & molesta est vita nostra.*) Duo sunt hæc mala breuitatis, & molestiæ, siue tristitiæ. Dies vitæ suæ Iacob [f] paruos vocauit, id est, paucos, & malos, id est, laboriosos. Omnis quamlibet *μακρόβιος*, & annosus homo, breui viuit tempore, repletúrque multis miseriis, quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & breues dies eius sunt, numerus mensium eius apud Deum, qui constituit terminos eius, qui præteriri non poterunt [g].
B Mensurabiles sunt positi dies nostri [h], Hebraicè טפחות *tephachoth, pugillares,* Chaldaicè, קליליִם *kalliilim, leues;* Græcè *παλαιστάς*, Symmachus, *σπιθαμάς, palmæ,* siue *extensiones palmarum:* quod etiam dicitur significare vox prior Græca. Alij legunt *παλαιάς, veteres;* & hoc modo Latinè habetur in Psalterio Romano, & Ambrosiano, & apud Augustinum, & Ambrosium, & in Psalterio Arabico, & Æthiopico, & in metaphrasi Apollinarij, legendo *παλαιστάς*. Ambrosius, qui *παλαιάς* testatur Septuaginta legisse, significare dicit palæstrales plenos luctæ: quæ est item expositio Eusebij. Sic quoque legit Nazianzenus [i]. *Numerus dierum vitæ vt multū centum anni, quasi guttæ maris deputati sunt, & sicut calculus arenæ maris, sic exigui* [k].
C Lege etiam Psal. 89. [l] Malorum autem ac molestiarum Ilias infinita in corpore, animo, à rebus externis, à personis, quæ nos attingunt. De his Bellarminus [m], disserens de peccati originalis effectis: de breuitate vitæ proprio Seneca libro. Legatur quoque Basilij de morte oratio nuper edita tomo primo operum Ephrem, in qua vitæ nostræ calamitates accuratè describuntur; rursúmque Senecæ centesima epistola. Eodem facit comparatio humanæ vitæ cum peregrinatione, & nauigatione, militari vigilia, flore rosæ, fœni, porri, aranea, quas Ceruantes valdè longa oratione pertractat, maximè nauigationis, corpus hominis naui simile considerans propter locum, materiam, auram, siue ventum;
D quæ videri cuipiam *πάρεργα* non minùs, ac potiore certè iure possent, quàm quæ ille in aliis tam sæpe totáque confidentia notat.

f Gen. 47. 9. g Iob. 14. 1. & seq. h Psal. 38. 6. i orat. in Cæsarium fratrem. k Eccli. 18. 7. 8. 9. l vers. 4. & seq. m tom. vlt.

Et non est refrigerium in fine hominis.] Græcè (*καὶ οὐκ ἔστιν ἴασις ἐν τελευτῇ ἀνθρώπου, non est medicatio in extremo,* siue *extrema vita hominis.*) Hoc tertium malum, quod cùm finis, mórsque aduenerit, non est medicina, quæ valeat mortem impedire. In capite quarto [n] dicitur, quòd *si iustus morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, ἀναπαύσει,* nimirum post mortem.

Contra vim mortis non est medicamen in hortis.

Quare non adeò placet glossæ interlinearis, & ordinariæ, Lyrani, Hugonis, Bonauenturæ,
E Carthusiani, Olcot [o], & aliorum expositio, quòd carere dicant impij præmio nos post hanc vitam. Illud potiùs verbis significatur sequentibus. Consentit nobis Iansenius, & Osorius. Cantacuzenus præterea sic explicat, non Deum esse, qui viuificat, & mortificat, sed casu, atque vt sors tulerit, mori hunc, illum morbo laborare, rectè alium valere. Certè non solet *τελευτὴ* finem vltimum significare, quem vocamus felicitatem, sed supremum exitum vitæ. Vatablus reddit sic (*nec est remedium contra obitum hominis.*)

n vers. 7. o lect. 14.

Et non est qui agnitus sit reuersus ab inferis.] Quar-

tum malum, quòd nemo redierit ex alia vita. Id falsum constat esse in filio Sarephtanæ [a], & Sunamitidis [b], & alterius ad ossa Elisæi [c]. Minùs sæpe id fit, ne suspicetur quis esse redemptionem in inferno: & mauult Deus vt Mosem, ac Prophetas audiamus, probè intelligens, etiã si quis ex mortuis resurgat, multos non credituros [d], vt patuit in peruerso contra Christum consilio post Lazarum suscitatum [e], & iterum quando multa corpora Sanctorum surrexerũt, & apparuerunt multis in sancta ciuitate [f]. Quin & animi hominis immortalitatem Plutarchus [g] cõprobat ex Solei Thespesij resurrectione, ac transmuratione, atque eorum quæ aspexisset in alia vita, tam quæ spectant ad supplicia, quàm ad præmia, relatione.

a 3.Reg.17. 22. b 4.Reg.4. 35 36. c 4 Reg.13. 21. Eccli.48. 14. d Lucæ 16. 31. e Ioan.11.& 12. f Matth.27. 52. g lib. de sera numinis vindicta.

Quæri posset, an si reuerterẽtur animæ in sua corpora, possent referre nobis quæ cognouerint in alia vita, & quo pacto, naturalitérne ac per se, an alia ratione. Dubitandi ratio est, quoniã modus intelligendi intra corpus longè diuersus est ab eo qui extra illud contingit. Certè qui iure nostrum reminisci esse dixit Plato ex antiqua cognitione ante corpus, non nisi serò dixit nos in veterem illam scientiam redire. Paulus quoque siue extra corpus, siue in corpore arcana audiuisset, nescire se scripsit [h]; quasi non valeret quæ sciisset in anima separata, si separata tunc fuit, explicare. Illud constat, cõuerti debere intellectum ad phãtasmata, vt speciebus vtatur, siue quas habebat priusquàm anima separaretur, siue quas produxit intelligendo extra corpus, siue quæ illi communicatæ & infusæ sunt in eo statu. Legimus in historiis animas reuersas in corpora per veram resurrectionem, vel in assumptis corporibus narrasse nonnulla, quæ cognouerant in alia vita. Res tota valdè incerta; nec forsitan absque peculiari quadam prouidentia Dei satis intelligi valet. A paucis quæstio ista tractatur; & indicasse satis sit.

h 2.Cor.12.3.

Ab infernis.] Græcè (ἐξ ᾅδου, *ex inferno.*) De hac voce aliàs [i] egimus, dicentes quando *sepulchrum*, quando *subterraneum* significet *locum*, quando etiam *mortem*. Vetus, & longè propagatus de animæ mortalitate error, quódque prouidentiam Deus non habeat. Cainum in eo errore fuisse indicant Philo [k], Iosephus [l], Ambrosius [m]; & secundus de posteris Caini, ac deinde de Nemrod: testatur item Iob [n] de sui temporis hominibus: Dauid [o] quoque, & Salomon [p]: præterea Philastrius [q], Epiphanius [r], Damascenus [s] de Samaritanis: de Sadducæis Iosephus [t], Epiphanius [u], Philastrius [x], Damascenus [y]. Vt omittam ex Philosophis Democritum [z], Epicurum [a], alios. Qui omnes propterea totos se voluptati dabant, rerúmque præsentium perfruitioni.

i Act.2.27. k lib. quòd deterius potiori insidiari. l 1. Antiq c.3. m de Cain, & Abel c.9. n 21.17. o Ps.13. ps.52. p Eccle.3.19. q hær.7. r hær 49. s lib. de hæresib. t 13. Antiq. c. 9. lib.18.c.2. & 2 de bello. c.7. u hær.14. x hær.5. y de hær. z [illegible] c.4. a [illegible] c. Phi[illegible] 7. [illegible] ibid.

Vers. 2.] Quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus: quoniam fumus flatus est in naribus nostris: & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum:

NOn est qui ab inferis rediens, quid ibi rerum agatur, nunciet: quia videmur temerè in hanc ingressi vitam, proindéque in nihil recidere post præsentem. Nàm præsens vita, quam naribus inspirando ducimus, fumi instar obtinet; oratio autẽ est vt scintilla motus ciens in corde.

A *Quia ex nihilo nati sumus.*] Græcè (αὐτοσχεδίως, *temerè, casu subito, ex improuiso, sponte, per nosipsos*) nulla cura, & prouisione quasi effusi, vt res de nihilo. Sic loqui Tertullianus solet, aliquid esse, aut fieri de nihilo, id est, nullius momenti, siue frustra, &c. Epicuræorum hic error fuit, sic fieri cuncta: nec defuerunt parum boni hac in parte non ex infidelibus modò [a], sed ex Christianis quoque Philosophi, qui hominem oriri crederẽt posse de putri materia [b]: licèt haud adeò sæpe, nec tamen secundùm animam rationalem vnquam, vtpote spiritualem & immortalẽ, ac proinde tantùm creabilem. Qua etiã in re, si hoc nunc modo impij, de quibus Auctor, intellexissent, non errassent; vt neque propter materiã. Aristoteles [c] negat animalia perfecta, vt hominem, equum, &c.

B aliter gigni quàm ex coitu: etsi aliàs [d] populariter loquens, priscos legislatores, quos reprehendit, dicat vel ex corrupto semine, vel ex terra natos. Eandem sententiam S.Thomas [e] tuetur, & cæteri [f] Theologi. Refellit vesanum illum errorem, fabulámque Philo [g], Iustinus [h], Eusebius [i], Lactantius [k], & meminit Diodorus Siculus [l]. Verè fabulam nominaui, qualis ea adeò decantata progenitorum ex lapidibus à Deucalione, Pyrrháque iactatis, vel qui è terra etiam armati extitissent;

Ferrea [m] progenies duris caput extulit aruis.

Lege Conimbricenses [n] nostros, & Pererium [o]. Videtur data opera Moyses extirpare errorem

C voluisse de homine αὐτοσχεδίως, & casu, ac sponte orto, cùm tanto apparatu inducit Deum in Genesi post alias res creatas, veluti deliberantem de homine creando, dicentémque, *faciamus hominem*, &c.

Et post hoc erimus tanquam non fuerimus.] Si productionem ex nihilo vt ex termino à quo intellexisse impios velimus, dicemus inferre, productum sic hominem tendere in nihilum, vt penitus esse desinat. Sed non ita subtiliter loquuntur: volunt perexiguam hominum habendam rationem post mortem, imò nullam, cùm etiam casu, & absque vlla prouidẽtia exierint in lucem. Paulo clariùs, & Latiniùs dictum esset (*tanquam non fuissemus.*) Petrus Damianus [p] explicat peccatorem,

D quando est, videri potiùs non esse, quàm esse, & magis pertinere ad nihilum, quoniam recedit ab eo qui verè est. Tropologicè dictum.

Fumus flatus est in naribus nostris.] Græcè (ὅτι καπνὸς ἡ πνοὴ ἐν ῥισὶν ἡμῶν.) In quibusdam codicibus habetur, & apud glossam ordinariam, aliósque Expositores (*fumus & flatus.*) Item aliqui legunt (*afflatus*) quidam (*in auribus.*) Sed immeritò Lucas Brugensis præfert (*afflatum*) quam quoque lectionem Budæus [q] refert; etsi mauult vt ponatur *spiratio*, vel *anima*. Hac ratione probatur nos nihil futuros, quoniã fumus, siue fumo comparata & flatui respiratio nostrã, simul fit, simul deficit, quámque facilè de naribus exit flatus, &

E euolat, tam anima de corpore. Comparatur cum fumo respiratio, quia insitus calor ceu ignis emittit spirationem, quæ manifestiùs apparet in naribus. *Vapor est, ἀτμὶς, ad modicum parens vita nostra* [r], & ventus [s]: & deficiunt sicut fumus dies nostri [t]. Heracliti opinio fuit apud Aristotelem [u], animã esse vaporem, seu exhalationem, ἀναθυμίασιν: Pythagoræi animam aëream fecerũt: Stoici spiritum calidum [x]: Herodotus in auribus dixit habitare, quòd recreetur auditis bonis, cõtrà cõcitetur malis ad iram. Respiratione deprehenditur maximè

a Auinc. c.10. probl. de Stercoro. Plato in Menexeno, & Philop. in 3. de generat. animæ. b Card. apud Scalige. exercitat.191. & in 6.n.6. c sect.10. problem. in 64. d 2.Pol.c.6. e 1.p.q.45.a.8. q.91.a.1.1. cont.Gen.c. 69. f in 2.d.8. vt Bona. Sco. &c. g de mundi incorruptibilit. h in paræn. i 7. de præp. c.7. k lib.2.c.12. l libr.1.c.1.& 2. m Vir.2. Georg. n in 2. de cœlo.c 3.q.6.a.3. o 8. de rerum natur. princi. c.16. p epi.4.c 4. in Bibl.Pat. q in pandect. r Iac.4.14. s Iob.7.7. t Psal 101.4. u 1 de anima tex.32. x idem c.3.

anima,

anima,& illa potissimùm apparet in naribus. Idcirco explorari solet an supersit vita, applicatis ad nares, vel os auribus; vt etiam Gregorius [a] testatur. Eodem facit quoque illa Esaiæ [b] sententia; *Cauete ab homine, cuius spiritus* (id est, flatus) *in naribus eius est.*

a ..dialog. b ..2.22.

Et sermo scintilla ad commouendum cor nostrum.] Aliàs (*scintillæ*) Græcè (καὶ ὁ λόγος σπινθὴρ ἐν κινήσει καρδίας ἡμῶν, *& sermo scintilla in motione cordis nostri.*) Acrior est Budæus [c] in carpendo Interprete, scribens, præ imperitia & stupore ingenij pro ὀλίγος legisse ὁ λόγος. Ibi fumum, ait Cantacuzenus, necesse est esse, vbi significatur esse ignem: idcirco fumi priùs mentione facta, nunc ignis exprimitur, ipsiúsve scintilla; hac enim nihil fugacius, illo nihil efficacius: atque ita intelligitur quàm sit breui vita interitura. Hoc pacto phrasi Hebræa *sermo* est pro *re*, quasi dicat (*& est vita nostra res quædam scintillæ similis.*) Glossa ordinaria recipit comparari animam cum scintilla, quæ, inquit, statim fit nihil; & vult nomine *sermonis* animam intelligi: videlicet fortasse, quia sermone potissimùm cognoscitur anima humana. Lyranus exponit (*sermo scintilla*) id est, res, quæ potest dici scintilla, nempe calor naturalis ad commouendum cor; quoniam quandiu est in corpore cor, quod primò viuit, & vltimò moritur, influit motum in partibus aliis. Hugo nectit cum naribus hoc sensu (*sermo scintilla*, vel *scintillæ:*) parum enim refert vtro legas modo (*est in naribus*) id est, in corpore toto (*ad commouendum cor*) id est, anima, quæ vegetat corpus, & facit fumũ exire, est quasi scintilla fragilis, & citò deficiens, ac veluti tantùm ad timorem, quia scilicet, vt ego interpretor, semper periclitatur, & anhelo spiritu est qui timet. Addit præterea, quòd anima est sermo scintillæ; quoniam de illa loqui possumus; at non intelligere quid sit, &c. maximè verò post mortem, & separationem eius.

c in pandect.

Carthusianus accipit de calore naturali, qui paruus est vt scintilla, & sermone significatur, & indicatur, atque cognoscitur: cuius caloris virtute cor se mouet, & membris influit motum. Bonauentura de anima, quæ vocatur scintilla alibi [d]; *quærunt extinguere scintillam meam*, id est, reliquias generis & familiæ: éstque iuxta nonnullos Philosophos igneæ naturæ, & sermo secundùm reputationem infidelium, quasi non sit aliquid in re, sed secundùm nomen nudum, vel sermonem; aut certè sermo ab effectu, quoniam habet vim sermocinandi scintilla, propter naturæ subtilitatem, & motus agilitatem (vnde illud, *tanquam scintillæ in arundineto discurrent* [e]) & durationis breuitatem, vt quidem senserunt iidem infideles.

d 2.Reg.14.

e c.1.7.

Iansenius adiectis ad sententiã verbis sequentis versus (*qua extincta, cinis erit corpus nostrũ*) hac ratione declarat vitam nostrã non esse aliud, quàm viuacem ignem in corde existentem: quòd cor, quando commouetur, emittit de se vt scintillas verba, & fumum spirationis, quemadmodũ ignis motus euomit scintillas & fumum. Itaque, sicut cùm deficiunt ignis scintillæ, redigitur ipse (seu potiùs materia circa quã occupatur) in cineres; ita vbi desierit in nobis sermo, & cordis motus, ait redigi corpus nostrũ in cineres, aut pulueres.

Osorius discordat in eo tantùm, quòd pro sermone, & oratione λόγος interpretatur rationem, quæ vt scintilla cieat motus in corde, illa verò extincta, corpus redigatur in cinerem. Olcot [f], & Salmeron [g] putant per sermonem notari, quod etiam dixerat Bonauentura, opinionem Diogenis, animam esse aërem: per scintillam, Democriti, & Hipparchi, esse ignem: per alia verba (*ad commouendum cor*) Melissi, esse vim mouentem corpus. At Aristoteles illud quidem refert de Diogene [a], & Democrito [b], illi Leucippum adiungens; vel potiùs concursum atomorum: sed Hipparchi non meminit, & vltimam sententiam Thaleti tribuit [c].

f loco 15. g tom.11.tract.

a 1.de anima. text 32. b text.20. c text.32.

Equidem dubito id impiis, vel potiùs Auctori venisse in mentem, vt adeò varias de anima sententias recitaret. Quod attinet ad alios sensus, hi probandi duntaxat, qui consentiunt editioni vulgatæ, sumúntque λόγον non pro *ratione*, vt quidem posset, sed pro *sermone*. Præterquàm quòd falsum est, extincta ratione redigi corpus in cineres; quàm enim fatui μακρόβιοι multi? Malim præterea, cùm id fieri possit, *sermonem* propriè sumere, non pro *re*, Hebræorum phrasi: quamquam tũc sæpiùs Latinè poni solet *verbum*; quàm *sermo*, vt alias dixi.

Igitur non intelligemus pro sermone animam ipsam, sed orationem ore prolatã. Præterea scintilla meliùs refertur ad sermonem per quandam appositionem: quæ relatio magis expressa est ab iis qui legerunt (*sermo scintillæ.*) Denique sensus est, vitæ breuitatem ac inanitatem cognosci ex sermone, qui ipse sermo se habet vt scintilla, ad commouendum cor; tangitur enim cor ac mouetur oratione, sed leuiter, celeritérque: vel ἐν κινήσει καρδίας, *in motu cordis*, id est, quando repentè commouetur ira cor, aut præcipiti celerique aliqua perturbatione, exit illicò sermo magna celeritate, ceu ex fornace, ignéve scintilla. Aliter dici potest, quòd formatur sermo scintillæ similis, dum mouetur cor nostrum: & sicut spiritus, qui est in naribus, & quo spiramus, est tanquam fumus, qui euanescit; ita spiritus idem, qui est instrumentum, quo loquimur, & cuius virtute mouetur cor, est veluti scintilla, quæ extinguitur: linguam Iacobus [d] propter sermonẽ vocat paruum ignem. Itèm dici posset, quemadmodum candela, quãdo extinguitur, mittit in fine scintillã & splẽdorem, sic accidere in extremo spiritu. Vt idcirco ζωὴν deducant à ζέω, *ferueo*, & אִישׁ *isch*, *viri* nomen ab אֵשׁ *esch*, *ignis*, vt postea dicetur: mortem frigus vocent [e], mortuúmque corpus frigidum: præterea Prometheum humanæ auctorẽ faciãt, quòd ignẽ de cœlo deduxerit [f]: denique alteri lampada tradere vsurpent pro eo quod est genus propagare: sed & per sermonis vsu carentem, de quo sermone hîc mentio est, ac per mutum, describant mortuum. Igneam qui dixerunt, respexisse potuerunt, vt modò dicebam, non solùm ad vim efficacem, quę in eo elemento maxima est: sed etiã ad ipsum vocabulum *viri* Hebræum אִישׁ *isch*, quasi ab אֵשׁ *esch*, quod est nomen *ignis*; quemadmodũ appellatur אָדָם *adam*, id est, *terreus*, propter corpus, & Latinè homo ab humo. Qua de re etiam paulo pòst.

d Iacobi 3.5. 6.

e Tiraq. de nobilit. c.31. n 573.& seqq. f Natalis Comes 4. Mythol.c.6. post Fulgent. lib.1. de fabul.& Rhodig.lib. 8.c.2.lib.11. c.17.

Vers. 3.] Qua extincta, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tãquam mollis aër, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis Solis, & à calore illius aggrauata.

Extincta scintilla sermonis, vt loqui deinceps non liceat (nisi extraordinario quis morbo

vsum loquendi, cætera sanus perdat) vel spiritus, seu caloris naturalis, qui tum functionum cæterarũ, tum sermonis instrumentum est, redigetur corpus in cinerẽ, & anima ipsa diffluet, vt fluxus aër: vita procurret, vt venti impetu euanescẽs nubes vix vestigio relicto, & ecu nebula Solis impulsa radiis, eiúsque calore depressa, dissipata, consumpta.

Qua extincta, cinis erit corpus nostrum.] Cõplutenses, Regij, & alij codices (*quia extinctus cinis erit*, &c.) Cõgruit editio correcta cũ Græca (οὗ σβεσθέντος τέφρα ἀποβήσεται τὸ σῶμα) ᵃ, nẽpe σπινθῆρος, nõ autem λόγου: est enim in vulgata (*qua*) id est, scintilla. Alij, teste Brugẽse (*quia extinctus cinis erit cor nostrum*) vel (*post corpus nostrum*) vel (*extinctũ cinis erit corpus nostrum*,) vel (*quia extincta cinis erit corpus nostrũ*.) Budæus [a] meminit huius lectionis (*qui extinctus cinis, erit corpus nostrum*) legíque vult (*qua extincta*) scintilla scilicet. [Sicut, inquit Cãtacuzenus, non potest fieri vt ex cinere rursus ignis excitetur; ita extincta in corde vitali scintilla, corpus iterũ nõ reuiuiscet.] Nihil à vita lõgiùs quã cinis, qui propriè cõbustorum excrementum est; nec solet resolui cadauer incõbustum in cineres, sed in terrã, & pulueres, nisi dum calor naturalis, qui pascitur humido radicali, illud cõsumendo cõsumitur ipse, quædam quasi cõcrematio in quolibet moriẽte intelligatur. Pœnitẽtis & demissi symbolũ est puluerem se ac cinerem agnoscere, & nominare, quod Abraham [b] fecit; & vtrouis, præsertim posteriore, sese aspergere, quasi redactũ quodámodo in vilitatẽ natiuã, & interitu, flammísque dignũ. Anima instar ignis est, remota à corpore, corpus deserere videtur vt cinerem, sicut ignis extinctus cinerẽ relinquit. Eusebius [c] obseruat dici Hebr. hominem אדם *adam*, quasi terrenũ à puluere & limo, & איש *isch*, veluti ab אש *esch*, id est, *flamma*, seu *igne*; ita vt illud designet corporis cõditionẽ, hoc animæ, quæ videtur esse ignis, vt sensisse nõnullos retuli paulo antè ex Aristotele, meminitque præterea Cicero [d], Varro [e], Nemesius [f], Lactantius [g], Nyssenus [h]: eodéq; spectat Promethei fabula, ignem de cœlo luteæ statuæ indidisse, vnde homo extiterit; qua de re Fulgẽtius [i], & alij. Idcirco superiùs halitus noster cõparabatur cũ fumo existẽte ex interno vitæ ac præcordiorũ igne; & nũc cadauer cũ materia exusta. Hinc Iob cõparat seipsum nõ solùm luto, sed fauillæ, atq; cineri [k]: &, *Si direxerit*, inquit [l], *ad eũ cor suũ, spiritũ illius & flatum ad se trahet* (Deus) *& homo in cinerem reuertetur*. Cui similis illa Dauid sentẽtia Deum alloquẽtis; *Auferes* [m] *spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suũ reuertentur*. Lege Gregoriũ [n]. Duo sunt Hebræis affinia vocabula אפר *epher*, & עפר *hhaphar*. *Epher* est cinis, puluísq; in quẽ materia ista redigitur: *aphar* puluis non adustus igni. Cum primo cognationẽ habet nomen Græcum τέφρα, quod est hoc loco. Potest hic impiorũ sermo de animæ mortalitate, cui similis est piorũ in aliis Scripturæ locis [o] de vitæ breuitate, ad spiritualem animæ vitam conuerti, quę Spiritus sanctus est per gratiæ, charitatísve donum [p]. Nam hac scintilla extincta, extinguitur animæ vita spiritualis; non concalescit cor, nec ignis exardescit [q], nec est cor ardens [r] in homine. Quęrit Olcot [s]; an omne corpus humanũ redigendũ sit in cineres. Respondet, propriè non esse incinerationem, quia non omnia cremantur; vocem tamen retineri, quòd apud multos esset in vsu ea cremare, ne viliùs resoluerentur: & quia causa resolutionis, vt & mortalitatis nostræ, est

a in pandec.
b Gen. 18. 27.
c 11. de præparat. c. 4.
d Tuscul. 1.
e 4. de ling. Latina.
f 4. de natura hominis c. 2.
g lib. 2. instit. c. 11. & lib. de opificio Dei. c. 17.
h de anima. c. 1.
i mytholLib. 2.
k c. 30. 19.
l c. 34. 14.
m Ps. 103. 29.
n lib. 24. moral. c. 27.
o Iob. 7. 7. Ps. 101. 4. 12. Iacobi 4. 15. & alibi.
p Rom. 5. 5. 1. Cor. 2. 12.
q Ps. 38. 4.
r Luc. 24. 32.
s lect. 35.

A

fomes ignísque cõcupiscentiæ: denique cùm cõflagrabit mũdus, corpora quoque nostra abitura in cineres. Vide apud eudẽ elegantẽ ac piam tropologiã de cinerib. & mortis meditatione. Scholastici porrò nõ pauci [a], & Gulielmus Parisiẽsis [b], S. Thomas [c], & Suarez [d] putant redigendos omnes esse in pulueres; & quidam in cineres per cõflagrationem ante iudicium. Et quamuis Suarez [e] velit mũdi reliqui cõflagrationem fore post resurrectionem, plures tamen contrà sentiunt. Fauet Sibylla apud Clementem [f];

Atque vbi cuncta cinis fuerint, tenuisq; fauilla,
Atque idem Deus extinguet quem incenderat ignem;
Ossaq; restituet rursum, cineresq; sepultos,

B

Et genus omne hominũ vt fuerant, Deus ipse reponet.

Sic etiam in Sequentia, quam vocant, defunctorum, canitur;

Soluet seclum in fauilla,
Teste Dauid cum Sybilla.

Vnde volũt illos, qui sub tempus iudicij viuent, incinerãdos: cineres ab Angelis colligẽdos, & cõportandos vnũ in locum, vel vallem Iosaphat, vel aliũ. Adstipulari videtur eidem illi sentẽtiæ Hieronymus. Confirmatur iis locis, quibus vniuersè habetur hominũ in puluerem resolutio, siue reductio, aut dormitio in puluere [g], & quòd corpus ante resurrectionem seminãdum dicitur [h]. Attamen hæ phrases possunt solam denotare mortem, post quam suapte natura cadauer eo modo

C

dissipatur. Legendus Ioseph Acosta [i].

Spiritus.] Græcè (τὸ πνεῦμα.) Vel spiritus vitalis & animalis, vel anima ipsa.

Diffundetur.] Perinde ac si materialis esset anima, & facilè resolubilis. *Spiritus* [k], inquit Dauid, *pertransibit in illo, & non subsistet.*

Tanquam mollis aër.] Græcè (χαῦνος, *laxus, nõ densus*.) Alioquin qualitas potiùs secũda, & mixtorũ mollities videtur, quàm prima simpliciúmq; corporum. Aër, qui cœlũ nominatur interdum, nõ in sacra duntaxat Scriptura tã sæpe, verùm etiam à Plinio [l], & aliis; imò & firmamẽtũ, simul est mollis, fluxus, vagus, simul à Iob [m] sub *cœlorũ* nomine

D

vocatur solidissimus, & quasi ære fusus, propter constantiam perpetuitatémque in tali fluxibilitate, sicut extensa super aquas terra [n] suam retinet iuxta rem adeò labilem, firmitatem.

Et transibit vita nostra, &c.] Hæc omnia vsque ad sequentem versum in editione Græca postponuntur, & ex versu quarto, incipiendo ab ipso, fit vnus versus cum istis.

Tanquam vestigium nubis.] Græcè (ὡς ἴχνη, *tanquam vestigia*.) Petitur non rarò à nube comparatio ad significandam rei mobilitatem & fluxum. *Velut nubes pertransijt*, ait Iob [o], *salus mea*; &, *sicut* [p] *consumitur nubes, & pertransijt, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet*. Vestigium propriè relinquitur ab impresso pede: ad alia tamen rerum indicia transfertur.

E

Hac ratione nubis vestigium pars eius minima vocatur, qualis nebula, de qua proximè sequentibus verbis. Constat nihilominus in materia illa aërea molli ac diaphana varias subinde imagines spectari; sicut & in astris ipsis varia collocatio eorum, cum materiæ tum densitate, tum raritate videntur nobis exhiberi simulachra diuersa, quæ vocant etiam signa. Antequam plueret, apparuit Eliæ tempore nubecula parua, quasi vestigium hominis [q].

Et sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis Solis.] Reliquiæ nubis sunt nebula, diciq; posset vestigium nubis; ideóque præsagit serenitatẽ. Quia

a 4. d. 43. 44. 45. 47.
b de pœnit. c. 9.
c in addit. q. 78. a. 2. & 4. d. 43 q vni. a. 4. quæstiuncula. 2.
d tom. 2. in 3. p. disp. 50. sect. 6.
e disput 57. sect. 1.
f 5. constit. c. 6. vel 8.
g Gen. 3. 19. Iob. 7. 21. c. 10. 9. Dã 12. 2.
h 1. Cor. 15. 42.
i 4. de nouiss tempor. c. 11. 12. & 23.
k Ps. 102. 16.
l lib. 2. c. 38.
m c. 37. 18.
n Ps. 135. 6.
o c. 30. 15.
p Iob. 7. 9.
q 3. Reg 18. 44.

ergo nebula subtilior faciliùs propellitur à Solis radiis, vt & vapores quicúque minùs crassi, inde fit, vt exoriente Sole sentiamus auram frigidiorē; & Poëtæ matrem ventorū fingant aurorā. Vtitur prædictis comparationibus omnibus Oseas [a] simul: *Idcirco erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens, sicut puluis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.*

a c.13.3.

Et à calore illius aggrauata.] Cantacuzenus putat indicari nouū modū, quo dissipetur nebula, non quidē vt esse desinat, sicut priore modo per vim caloris maiorē: sed vt caloris minùs efficacis opera, sc. per antiperistasim, veluti cōpiletur & constringatur, atque vel ros, vel nubes efficiatur, nec ampliùs nebulæ naturam retineat. Et quidem hyberno præsertim tempore compertū est, post nebulam nubem cōcrescere, atque pluuiam decidere; tūc enim debilior Solis calor. Magis tamē proposito cōgruit, vt nebulæ his quoque verbis resolutio intelligatur cū cæteris Expositoribus, nēpe quādo rarefacta caloris vi, sicque à circūstante frigore magis penetrata, crassescit reditque in suā aqueam naturam, atq; decidit: vel quādo impetu aëris disiecti per Solis radios infernè detruditur, &, vt habetur in Psalmo [b], spargitur sicut cinis. Nō credo istos impios nō impiè tātùm aliis in rebus, sed parum quoque philosophicè hac in re locutos, vt respondet Olcot [c], quamuis & hic alia quoque ratione difficultatē soluat. Quæstio grauior fieri posset aduersùs eosdē impios de resurrectione. Legatur idē Auctor, qui, sicubi etiam ex propria piorū scriptorū sentētia negari videatur animæ reditus ex inferis, bene occurrit, intelligendū id esse secundùm præsentem mūdi statū, legémque ordinariam; sed ratione quā vtitur ex naturali inclinatione animæ separatæ ad corpus suū, caue sic accipias, quasi naturæ debita sit resurrectio. Nos in Philosophicis & Theologicis plura, & nónihil in Ecclesiasten [d]. Ad extremum notabile est, nūquam ferè, aut perrarò in Scripturis vitam nostrā cōferri cū rebus fixis ac permanētibus, sed mobilibus & fluxis, herba, flore, fœno, nube, nebula, rore, hospite, cursore; de quibus idē Olcot, cū fumo, vēto, fluctib*, nūcio, naue iter faciēte, scintilla, aëre, cinere, vmbra, gutta aquæ, calculo, arena, & similibus. Bonauētura in fumo attendit tropologicè cæcationem intellectus: in vēto siue flatu, irascibilis perturbationē: in scintilla, cōcupiscibilis inflammationē: in aëre, intētionis vacuitatē: in cinere, operū infructuositatē: in nube densiore, oppositionem cōtra gratiam: in nebula leuiore, mētis elationem: in vmbra, exteriorē simulationē. In cōparatione cū aëre, nube, nebula, incertū an allusio sit ad fatuam illā opinionē, consuetudinémq; existimantium animam istiusmodi constare materia, & propterea magis necessariorum cùm expirarent, ore, ac osculo extremum spiritum excipientium, quasi eo modo in intima sua illorum animam reponerent [e].

b Ps.147.16.
c lect.16.
d c.3.21.
e Alex. ab Alex. cū Tiraq. lib.3. c.7.

Vers. 4.] Et nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum.

IAm dixi sententiam istam Græcè priorē locum tenere ante illam, quæ habetur præcedēte versu. Nouū malum, vt cūcta cōsumantur tempore, deleatúrque memoria rerū antè gestarum, nō secus ac abolētur quæ proximè commemoratę sūt, nubes, nebula, & similes res. Itaque nec infamiæ timore à voluptatibus abstinēdum cēsent impij; quod tamē solet malum vehementer permouere. Similis in Ecclesiaste [a] sententia; vbi notationes nostras cōsule. *Non enim erit memoria sapiētis similiter vt stulti in perpetuū, & futura tempora obliuione cuncta pariter operient.* Periit impij memoria de terra [b], & cū sonitu [c], & putrescit [d]: at in memoria æterna est iustus [e]. Extat etiam de impiis memoria, ità vt videri possit hæc eorū oratio falsa: verùm nō est laudabilis, aut iis vtilis; & si quid vt bene gestum ab ipsis prodatur literis, vergit potiùs in vituperationem illorū, quòd abusi sint Dei muneribus, nec in bono cōstantes fuerint. De nominis inani cura Boëtius [f], aliique, & Olcot [g] hoc loco, simúlque quanti eius habere curam, vel negligentiam debeamus & possimus.

a c.2.16.
b Ps. 33. 17. 108.15.
c Ps.9. 8.
d Prou.10.6.
e Ps.111.7.
f 2. de cōsol. prosa 7.
g lect.17.

Per tempus.] Græcē (ἐν χρόνῳ, *in tempore.*) Per temporis diuturnitatem, inquit Bonauētura, & Lyranus: paulatim, inquit Carthusi. citò, inquit Hugo: lapsu tēporis, inquit Vatablus. Idē censeo esse ἐν χρόνῳ, aut σὺν χρόνῳ, quod *tādem, denique*, &c. & vulgò (*con il tempo, auec le temps, finalmente, finalement.*) Sed Latinè *per tempus* (quod non vsitatum adeò) denotat potiùs lapsum & successionem temporis, vel temporis opera, & vetustate.

Vers. 5.] Vmbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo reuertitur.

NOn est quòd cōsulat quis posteritati, cuius nullū habebit sensum, vel gloriæ seruiat, quā nō percipiet, ad instar vmbræ transiens, curet immortalitatem, haud ampliùs post mortem rediturus in vitā, cùm sint mortis veluti fores in perpetuum occlusæ, omnésque ceu molibus exitus impediti, obstructi, obsignati, vt è lethi tenebris emergere ampliùs omnino non liceat.

Vmbra transitus.] Vitæ cum vmbra comparationem tractauimus explicantes Ecclesiasten [h], quæ aliàs præterea sæpe occurret, vt in Paralipomenis [i]; *Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora.* In vmbra sumus propter obscuritatē fidei: ob defectum feruidæ charitatis, & quia nō solida sunt bona præsentia, sed velut apparentia corpora. Qui Solē ante oculos habet, proiicit retrò vmbrā: qui post se, ante se: sic qui proponit mēti suæ Deū, spernit hæc omnia inferiora, qui illud non facit, magni hæc facit. De his tropologiis Olcot [k].

h c.7.1.
i 1. Par. 29.15.
k lect.18.

Non est reuersio finis nostri.] Græcè (οὐκ ἔστιν ἀναποδισμὸς τῆς τελευτῆς ἡμῶν.) Alia versio (*& non est impedimentum finis nostri*) id est, quominus perduret: Vatablus (*non est reuocare pedem ab interitu.*) Est ἀναποδισμὸς *repedatio, retrocessio, retrogradatio, reuocatio, reflexio*: ἐμποδισμὸς potiùs significat *impedimentum.* Sic quod legimus in Ecclesiastico [l]; *retrò rediit Sol*, extat Græcè, ἀνεπόδισεν ὁ ἥλιος. Hęc, & his plura ex aliis notationibus huc transcribenda.

l c.48.26.

Consignata est.] Græcè (κατεσφραγίσθη) nempe reuersio, ne fiat, fieríve possit. Potuisset verti genere masculino (*consignatus*) referendo ad finem: quo etiam pacto legit Paulinus [m], vbi ait his verbis contineri solatium desperatorum. Videtur ducta similitudo à lapidibus impositis sepulchris ad obsignandum, siue ad signaculum & sigillum iis impressum, vt de Christi sepulchro scriptū est [n], *signantes lapidem cum custodibus*, σφραγίσαντες τὸν λίθον, &c. & de lacu, in quē Daniel coniectus est [o]. Sed de sepulchri Christi consignatione mira Ni-

m epist.31.
n Mat.27.66.
o Dan 6.17.

a lib. 1. c. 32. cephorus [a] narrat ex traditione. Cantacuzenus interpretatur de lapide, vel aggere, quo mortuus concluditur: Lyranus, Carthusianus, Bonauentura de lapide, vel sigillo: Hugo, [quia in sepulchro consignatur, inquit, quidquid post mortē remanet de homine, vt quidem sentiunt impij, quasi dicerent illud [b]; *Sepulchra eorū, domus illorum in aeternū.*] Lege quæ dixi ad caput 12. Ecclesiastæ [c]. Sed *consignandi* verbum nō significat hîc dare, seu tradere, vt videtur Hugo velle. Portitorem inferis Gentiles apponunt: sed eò non descendunt animæ, horum, de quibus modò sermo est, opinione; quoniam putant mortales esse. Quæri posset cum Olcot [d], omniúmne resurrectio futura sit. Sine dubio omnium, vt alibi demonstrauimus.

b Psal. 48. 12. c vers. 7. d lect. 18.

e Aeneid. 6. *Et nemo reuertitur.*] Hoc sibi voluit etiā Vergil. [e]

——— Facilis descensus Auerni;
Sed reuocare gradum, superásque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. ———

f apud Stobaeum tract. de amentia. Philetas [f],

——— ἀτραπὸν εἰς ἀΐδεω ἤνυσα,
τὴν οὔπω τις ἐναντίον ἦλθεν ὁδίτης.
——— Iter feci ad inferos,
Per quod nullus retrorsum viator rediit.

Anacreon,

ἀΐδεω γάρ ἐστι δεινὸς
μυχὸς, ἀργαλῆ δ' ἐς αὐτὸν
κάθοδος. ———
Et formidandæ Ditis
Spelunca, & in hunc grauis
Ingressus. ———

g Iliad. 9. Homerus [g],

ληϊστοὶ μὲν γάρ τε βόες, καὶ ἴφια μῆλα,
κτητοὶ δὲ τρίποδές τε καὶ ἵππων ξανθὰ κάρηνα.
ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λεϊστὴ,
οὔθ' ἑλετὴ, ἐπεὶ ἄρ κεν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων.
Obnoxiæ prædæ sunt boues, & pinguia pecora,
Et tripodes acquiri possunt, & equorum flaui comā capita.
At hominis anima, vt redeat, neque per prædam,
Nec aliter capi potest, vbi semel emigrauerit è vallo dentium

h in Alcest. Euripides [h],

——— οὐ γὰρ ἀνά-
ξεις, πότ' ἐνέρθεν
κλεινῶν τοὺς φθιμένους ἄνω.
——— Non enim
Reduces vnquam ab inferis
Flendo defunctos ad superos.

i 4. halieut. k 30. Dionys. l ora. 3. sacro. serm. m lib. 5. n in Virg. Aen. 6. o in Hippol. & in Oetaeo, in furente. p lib. 4. eleg. q in carm. r lib. 4. carm. ode 7. s Aenei. 6. t lib. 4. u 1. Theb. x 4. Metamorph.

Quò spectant apud Oppianū [i] *ἀνέκβατος αἴδος εὐνὴ, irremeabile inferni cubile*: apud Theocritum Acherō *ἀνέξοδος, sine exitu*: apud Nonnum [k] *ἀνόστιμος βέρεθρος*: apud Aristidē [l] *inferni ἀστραφεῖς πύλαι, irremeabiles portæ*: apud Pausaniā [m] insignē Plutonis, clauis; quia nemo inde habet *ἐπάνοδον, regressum.* Citat præter nónulla ex his testimonia, Cerda [n] noster aliquot alia ex Seneca [o] Tragico, ex Propertio [p], Catullo [q], Horatio [r]; Peltanus [s] itē ex eodē ordine nostro, omissis Græcis auctoribus, quos prior citauerat Vrsinus, profert adhuc ex Latinis Tibullū [t]. Adde Tenariæ limē irremeabile portæ apud Statiū [u], & apud Ouidiū [x] carceris fores clausas adamante; quas Propertius vocat stantes adamante vias, i. obstantes egredi volentibus: Virgilius cum porta aduersa ingenti, solido adamante colūnas. Id sibi quoq; vult chaos illud magnū, firmatum inter degeneres in inferno, & hîc viuentes, de quo y c. 16. 26. Abrahā apud Lucam [y], vt hi, qui volūt inde trāsire ad istos nō possint, & neque hinc illuc transmeare. Idem valet tritissima parœmia, quòd in inferno nulla sit redemptio.

A *Vers. 6.*] Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter.

DEinceps colligunt argumentum impij, sibi fruendum largiter huius vitæ commodis bonísque dum licet, quia nō alia præter hæc sint bona vera, sed apparentia & ficta, vt virtutes, laudes, celebritas nominis, &c. Hactenus dicta de mortalitate vera sunt, si animam excipias, & dúmodo resurrectionem admittas. Verùm impij ex verissimis positionibus *παραλογίζονται, καὶ σοφίζονται*, ineptè, fallaciter, fallóque ratiocinationes cōficiūt. Longè aliter Paulus infert, qui non spiritū huius mūdi, sed qui ex Deo est, acceperat [a]. *Hoc* [b] B *itaque dico fratres, tempus breue est; reliquū est, vt & qui habent vxores, tanquā nō habentes sint, &c, præterit enim figura huius mundi.* Talis illatio Dauid [c]; *Noli æmulari in malignantibus, neque Zelaueris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fœnum velociter arescent, &c.* Dixerunt cogitantes apud se illi impij, sicut initio capitis dictum est, non rectè, *εἶπον λογισάμενοι, οὐκ ὀρθῶς*, & vel serò ipsimet dicturi sūt [d]; ergo errauimus, *ἄρα ἐπλανήθημεν.* Quid nos vtilitatis capere oportat ex vitæ breuitate, ostēdit Osorius [e] noster, quámq; cōtrà peruersè improbi ea abutātur. Nec sanè idonea consecutio est, indulgendu voC luptatibus, quia nulla supersit post vitam, quia intereat cùm corpore animus. Vt enim hæc, quæ prorsus falsa sūt, essent vera, honesto suus relinquitur locus & virtuti, quæ propter se debet expeti. Respondisse sibi ipsi nescio quē accepi [f], vel suggerenti molestas de sua reprobatione cogitationes diabolo, aut animæ mortalitate, proinde dum superesset, daret se in voluptates; imò verò quādo in posterū virtutē colere, quod lōgè pulcherrimū per se bonū foret, non cōcederetur, aut æternis mactato pœnis, aut penitus etiā secūdùm animū intereunti, maiore cura incūbendum tantisper in honestissimum virtutū studium, ex quo liquidè voluptates prouenīūt, sed à corporeis abhorrentes immodicis. Subtiliter Scotus [g] docuit, viro politico vitā ponendā pro patria, licèt animā esse immortalem vel nesciat, vel non credat.

a 1. Cor. 2. 12. b infr. 7. 29. & seq. c Psal. 36. 1. d c. 5. 6. e tomo 4. concione in exeq. f fertur id de S. Bonauentura? g 4. d. 43. q. 2

D *Venite.*] Bonauentura notat hoc dici, quia nullius rei sine socio iucūda possessio est. Acutè verò ac piè distinguit multiplex veluti inuitatoriū diaboli, sicut Ecclesia diuersis vtitur pro ratione diuersorū festorū ac temporum. Idem facit Olcot [h]. Apud Esaiam [i] inuitant impij se simili modo; *Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multò ampliùs.*

h lect. 19. i c. 56. 12.

Fruamur.] August. [k] distinguit inter hæc, frui; & vti: totúmque malū hominis esse frui vtendis, vti fruendis. Non videtur hæc distinctio nunc locum habere; mox enim subditur (*vtamur creatura*) quod nomen conuenit bonis quæ sunt.

k 1. de doct. Christ. c. 4. 10. de Trin. c. 11.

E *Bonis quæ sunt.*] Grecè (*τῶν ὄντων ἀγαθῶν*) quasi nulla sint *τὰ ἐσόμενα*, hoc est, *futura bona.* Nō cōsiderant, vel attendūt iusti quæ videntur, ac tēporalia sunt, sed quæ nō videntur, & sunt æterna [l]. Vulgatū illud mūdanorū, de quo Iāsenius; de præsentibus gaudet Ecclesia. Itaque *τὰ ὄντα ἀγαθὰ* præsentia sunt, non quæ maximè entium mercantur nomen, nisi forte opinione atheorum.

l 2. Cor. 4. 18.

Vtamur creatura.] Nisi ergo frui, & vti hîc differunt. Creatura est *κτίσις*, pro qua libri Complutenses, & Regij habent *κτήσει, possessione.*

Tanquā in iuuentute.] Grecè (*ὡς ἐν νεότητι.*) Iāsenius inter varias dictionis *ὡς* significationes illā putat proposito congruere, vt sit *duntaxat*, vel *vtique.* id est,

est, vtamur creatura vtrique, cùm sumus in iuuentute, & libet voluptatibus vti: aut cùm creatura est adhuc in iuuentute, adhúcque viget, ac nos recreare potest. Vatablus vertit (*rebúsque creatis simul ac iuuentute vtamur*) alij (*dum est iuuenta.*) Item Hugo (*sicut iuuentus exigit.*) Hæc ætas idonea capiendis voluptatibus: vnde illud [a]; *Lætare iuuenis in adolescentia tua*: quod aliàs [b] declarauimus exemplo Berzellai dicentis [c]: *octogenarius sum hodie, nunquid vigent sensus mei ad discernendum suaue, aut amarum, aut delectare potest seruum cibus & potus? vel audire possum vltrà vocem cantorum, atque cantatricum?* Voluerunt etiam fortassis impij dicere; sic nos oblectemus, vt nunquam senescamus, seu ne nos angoribus conficientes, ante tempus senes simus. Vtamur creatura vt solent iuuenes: vnde quidam dixit [d];

a Eccli. 11. 8. b ibid. c 2. Reg 19. 35. d Ouid. 1. Fast.

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem.

Editio LXX. emendata habet (*vtamur creatura, ὡς νεότητι, tanquam iuuentute.*) Vtimur autem iuuentute suauiter, & vt volumus, propter alacriores vt plurimùm corporis vires. Hieronymus Osorius refert ad teneritudinē, & suauitatem recentis rei.

Celeriter.] Græcè (*σπουδαίως, studiosè, strenuè, gnauiter, summa cura, nullam occasionem prætereundo*:) quod facit, qui tardè, ac segniter; citò, dum suppetit tempus, dum se voluptates dant. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur* [e]. Stolida, vt priùs dixi, illatio: melior; *dum tempus habemus, operemur bonū* [f]: *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus* [g]; *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est, vt sciam quid desit mihi* [h]. [Cùm dixisses, ait Augustinus [i], manducemus, & bibamus, adiunxisti, cras enim moriemur. Audi contra à me, imò ieiunemus, & oremus, cras enim moriemur.] Philosophus quidam roganti ne se conficeret inedia, sed liberaliùs tractaret, respondit (*morituro satis.*) Epicurum Plutarchus [k] refert Homeri lectis nonnullis versibus, quos recitat, seductum, statuisse summum bonum esse voluptatem. Constat è contrario Cleombrotum, lecto Platone, immortalitatem animæ comprobante, mortem sibi consciuisse. Sic impij, vel ignari, ex veris assertionibus falsas, & perniciosas colligunt conclusiones. Cæterùm voluptaria istis affinia inuitamenta καὶ παρακλήσεις legere potes apud Athenæum [l]. Ex Sophocle [m] recitat ista.

e Esa. 22. 13. 1. Cor. 15. 32. f Gal. 6. 10. g 1. Tim. 6. 8. h Ps. 38. 5. i in Ps. 70. eundem lege lib. de Epi & Stoicis, & in specul. peccatorum. k l. de Hom. l lib. 10. c. 9. & lib. 12. c. 4?. m in Antigone.

——τὰς γὰρ ἡδονὰς
ὅταν προδῶσιν ἄνδρες, οὐ τίθημ' ἐγὼ
ζῆν τοῦτον, ἀλλ' ἔμψυχον ἡγοῦμαι νεκρόν.
πλούτει τε γὰρ κατ' οἶκον εἰ βούλει μέγα,
καὶ ζῆ τύραννον σχῆμ' ἔχων. ἐὰν δ' ἀπῇ
τούτων τὸ χαίρειν, τἄλλ' ἐγὼ καπνοῦ σκιᾶς
οὐκ ἂν πριαίμην ἀνδρὶ πρὸς τὴν ἡδονήν.
——*Voluptatem enim*
Homines si deserant; illos non puto ego
Viuere, sed animata esse cadauera.
Domi, si libet ita, perquàm diues esto,
Tyrannico viue apparatu. Si abest
Læta mens, reliqua fumi vmbra
Mercari nolim hominem pro voluptate.

A

Vers. 7.] Vino pretioso & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis.

Recensentur voluptatum exempla, obiectáque nonnulla, & varij modi tum in hoc, tum in sequentibus versibus.

Vino pretioso.] Græcè (*οἴνου πολυτελοῦς.*) *Vini* vocabulo conuiuij lautities significatur etiam in cibis: conuiuium enim quasi combibium Græci vocant συμπόσιον, & Hebræi משתה *mištheh.* Non hîc hærendum, vt vini licitum probemus vsum contrà Encratitas, & alios. Lege quæ dixi capite secundo Ecclesiastæ, & Olcot [a] hoc loco.

Vnguentis.] Græcè (*μύρων.*) Lege quæ dicta sunt ad caput decimum Ecclesiastis [b]. Pascere volunt suauitate tactum, & odoratum; atque præterea, vt putant Hugo, & Olcot [c], gustum, exponentes quæ vocant electuaria ad meliùs bibendum. Addit Olcot visum, vt splendeant magis vultus.

a lect. 20. b vers. 1. c lect. 20.

B

Nō prætereat nos flos temporis.] Græcè (*ἄνθος ἀέρος, flos aëris.*) Cantacuzenus exponens de floribus vernis, videtur legisse ἔαρος: Vatablus vertit *florem auræ.* Nostram lectionem sequitur Ambrosius [d]. Potest κατ' ἐξοχὴν tempus, quod pro aëris constitutione dici solet (vnde tempus pulchrum, serenum, nubilum, humidum, &c.) vsurpari, absolutéque intelligi de vere, quæ omnium iucundissima tempestas est: qua item de causa ὥραν, quodlibet alioquin anni tempus, accipiunt pro vere Græci; & ea tempestate conditum putat mundum sententia melior communiórque. Flos igitur temporis, vel aëris, & auræ, vel veris est, quē profert pro tempore terra, temperie adiuta calidi, humidíque aëris: aut qui odorem per aërem ad nares afflat, aut sua delectat pulchritudine. Nec displicet, florem temporis, vt notant Olcot, & Hugo, esse quemlibet quolibet anni tempore nascentem. Minùs placet, quod primus affert de flore iuuentutis, & quod Hugo de voluptate cuique tempori accommodata. Fateór florem iuuentutis dici, vt & rei cuiusque, id quod in ea præcipuū est; & vtcumque florem aëris, vt est in Græca editione, sumi posse pro vita, quam respirando ducimus: deniq; florē temporis pro eo quod qualibet anni tēpestate voluptati accommodatissimū est. Sed verior, vt & simplicior, sensus traditus. Quem confirmant versiculi Anacreontis;

d in Ps. 118. ser. seu oct. 8.

C

ἰδὲ πῶς ἔαρος φανέντος
χάριτες ῥόδα βρύουσι.
En vt rosas iam pullulant
Surgente vere Gratiæ.

D

Vers. 8.] Coronemus nos rosis, antequā marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.

IN luxu superbi volunt esse impij, & voluptuarij tum excedenter, tum affluenter.

Coronemus nos rosis.] Græcè (*στεψώμεθα ῥόδων κάλυξι, coronemur rosarum calyculis*, aut *baccis*, siue *rosis clausis*:) postquam enim sunt apertæ, citò marcescunt; emittunt namque odoris fluxum, inquit Plutarchus [e]: vnde ῥόδον, quasi fluens odor, ὅτι πολὺ ῥεῦμα τῆς ὀδμῆς ἀφίησι. Qua re denotatur impatiens libido, cui nimia quæuis mora, qua concupitis, licèt nondum ad maturitatem perductis, non fruitur: imò non fructum, sed florem, nō florem, sed floris inchoationem auidè carpit: nec tā florem, qui desinat in fructum, quàm temporis & aëris. At iustorum etiam flores fructus sunt honoris & honestatis [f]. Et hæc alia videri potest causa, quòd plectendis corollis sertísque aptiores baccæ, clausæve rosæ, quàm apertę, quæ facilè decidunt.

e 3. Sym. q. 1. f Eccli. 24. 23.

E

Putat Carthusi. referri has coronas ad placen-

dum mulieribus:alij,ſpectare ad conuiuia. Conuiuantibus certè in vſu coronas fuiſſe,ſi de Gentilibus quidem agitur, conſtat ex Ariſtotele, quē citat Rhodiginus [a], ad ſignificandam, augurandámque fertilitatem annonæ,rerúmque omnium abundantiam;& ex Athenæo [b].Hic tradit impoſitas conuiuantium capitibus coronas, ad arcendum ex vino dolorem. Vinciebant primùm capita faſciis, ac vittis ex lino & lana: tum ornatus causâ frondes floréſque additi:nam aduersùs incommodum vini præſidio ſunt exhalationes florum.Si calidi ſint,molliter poros aperiendo,efficiunt vt perſpiret vinum:ſi leuiter frigidi,vapores mediocri ſuo contactu repellunt. Laudatæ magis ad hoc violaceæ coronæ, roſaceæque inter florigeras; quippe & colore iucundiores, & ſuauiores odore, vt indicat Pollux [c]: ex frondaceis conſtans hedera,nardo,myrtho,lauro,cypro, croco,liliis,liguſtro,olea. Miſſis aliis,de roſaceis Ariſtophanes [d],Plinius [e],Athenæus [f] (hic ait aliquantulùm refrigerandi doloréſque capitis mitigandi vim habere) Plutarchus [g], Ouidius [h], Martialis.

Pingueſcat nimio(ait Martialis)*madidus mihi crinis amomo,*
Ornemúrque(*laſſentúrque*)*roſis tempora ſutilibus.*

Item [i]:

Texta roſis fortaſſe tibi,vel diuite nardo,
At mihi de turdis texta corona placet.

Item [k]:

Frange toros,pete vina:roſas cape.———

Item [l]:

Sutilis aptetur decies roſa crinibus,———

Et Ouidius [m]:

Tempora ſutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniecta ſplendida menſa roſa.

Nec modò capitibus inſerebantur ſerta coronæque,ſed etiam frōti,temporibúſque,vel collo, vt annotauit Apollonij Scholiaſtes. Potuit & alia cauſa eſſe ad tetrum accumbentium odorem fugandum,de quo tetro odore Horatius [n]:

Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ.

Idem verò vſum dictum coronarum videtur indicare,cùm ait [o];

Nunc decet aut viridi nitidū caput impedire myrtho,
Aut flore,terræ quem ferunt ſolutæ.

Item Cicero [p],ſic ſcribens: [ſequebantur epulæ, quas inibant parentes coronati.] Legendus quoque Gellius [q],Durandus Caſelius [r],Mercurialis [f], Rhodiginus [t], Clemens Alexandrinus [u], Briſſonius [x],Lipſius [y].

Quod attinet ad Hebræos, præſens locus videtur ſuadere vſos eſſe coronis, tum alius apud Ezechielem [z],*poſuerunt,* inquit, *armillas in manibus eorum,& coronas ſpecioſiſſimas in capitibus eorum*; licèt ibi propriè de conuiuialibus non ſit ſermo. Alluſerunt eodem forſitā ſæui illi coronatores Chriſti,cùm ſpineam impoſuerunt coronam [a]: ſicut & lōgè poſt Alexandrini papyraceam Agrippæ [b], & milites Pharnaci ſcirpeam [c].Tertullianus longam de corona militis texens diſputationem, & de ſpinea Chriſti mentionem faciens [d], contendit Romanorum militum commentum fuiſſe ex vſu rei ſecularis, quem populus Dei nec publicæ vnquam lætitiæ,ingenitæ luxuriæ nomine adminiſtrerit,faciliùs cum tympanis & tibiis, & pſalteriis reuertens de captiuitate Babyloniæ.[Nam,ſubdit ille,neque lætitiæ deſcriptio, neque luxuriæ denotatio de coronæ decore, aut dedecore tacuiſſet. Adeò & Iſaias; Quoniam, inquit,cum tympanis & tibiis, & pſalteriis bibunt vinum, dicturus eſſet etiam cum coronis, ſi vnquam hic vſus fuiſſet & in Dei rebus.]

a lib.27.c.26. b lib.5. c in onomaſtic. d in Auibus. e lib.16.c.2. lib.21.c.3. f lib.15. g 3.Symp.q.1. h 5 Faſtoru. i lib.13.epig. 50 aut 51. k lib.2.epig. 43 aut 59. l libro 9.epigr.74 aut 96. m ſuprà. n lib.1. epiſt. ep.5. o lib.1.carm. ode 4. p 2.de leg. q lib 5.c.6. r 1.variar.c. 19. ſ 3.variar.c.9. t lib.6.c.19. lib.8.c.13. lib. 27 c.26. u 2.pædag.c.8. x in append. Lexic. verbo coronæ. y comment. in 2.annal. Taciti. z c 23.42. a Mat.27.29. Mar 15 16. Ioan.19.2. b Philo in Flaccum c Alex. ab Alex.libr.2. c.18. d c.9.

De Græcis antiquioribus negat quoque Clemens Alexandrinus [a]. Sed ad Hebræos quod attinet, motus Martinus Roa [b] noſter auctoritate Tertulliani negat conuiuiales coronas quicquam ad illos attinuiſſe:ad hunc verò, quem tractamus locum, reſpondet, aut impiorum notari luxum, quia præter morem coronarentur:aut *coronandi* verbum idē valere quod *implendi,& cumulandi.*Recipio verbi poteſtatem iſtam haud incognitam Athenæo [c], haud inſolentem Scripturis, vt exempla teſtantur,quæ Prado [d] item noſter affert,aliáque præterea. At nego Tertulliano, Hebræos coronis in totum non vſos,vt quidem præ ſe fert.Aſſerit id Clemens de Hebræis;nec in dubium videtur reuocari poſſe: de conuiuialibus Auctor noſter Hebræus apertè ſatis ſignificat. Quòd ſi Tertullianus velit non ex proprio ritu ac more, ſed ex Gentilium praua conſuetudine id Hebræos factitaſſe,ab eo non diſſenſerim. Minutius Felix [e] negat Chriſtianos caput coronaſſe,quia auram boni floris naribus ducerent, non occipitio capilliſve haurirent:tamen concedit & ſparſis mollibus,ac ſolutis vſos floribus,& ſertis colla complexos. Plura de hoc omni coronarum argumento alij, vt Auctor quæſtionum conuiualium,Scholiaſtes Clementis,ac Tertulliani,Iulius Bullingerus de circo.

Legimus poſtea Caroli Paſchalij coronarum opus,ſanè quàm eruditū. In eius operis libri tertij c.5.6.7. diſſerit de hoc roſæ flore verno coronatio. Inter alia demonſtrat coronam roſaceam propriam eſſe conuiuij, quia Comus,à quo κωμάζειν,*conuiuium celebrare*,ea redimitur,& Bacchus, imò etiam Venus ;quamquam ſimul ſit Gratiis dilectus flos,ac Muſarum coronamentum. Porrò vſum coronarum ex frondibus,vel ex floribus in conuiuio memorat vniuersè Lyricus [f];

Nunc decet aut viridi nitidū caput impedire myrtho,
Aut flore,terræ quem ferunt ſoluta.

Cicero [g] quoque ſcribit,quòd epulas inibant coronati. Plura citatus auctor Paſchalius [h], & auctor conuiuialium antiquitatum [i].Hilaritati ſeruiebat corona,pellendo tetro odori, cerebro refrigerando aduersùs ebrietatem. Innuitur ſecunda cauſa ab Horatio [k],quem priùs citaui;

Sed nimis arcta premunt olidæ conuiuia capræ.

Antequam marceſcant.]Græcè(πρὶν ἢ μαρανθῆναι.) Dixi excluſas apertáſque roſas facilè marceſcere. Symbolum hoc eſt marcidarum voluptatum,quę non ſine punctionibus ſunt,ac breui decorem atque odoré perdunt.Ludit egregiè Clemens Alexandrinus [l] in iſta comparatione,docétque ideo citò roſam marceſcere, quòd odoris plurimum fluxum emittat; quod ex Plutarcho iam antè retulimus.Promittit nobis Petrus [m] immarceſcibilē gloriæ coronam,ἀμάραντον: quod eſt etiam floris nomen herbæ quæ non marceſcit, & præterea dicitur à Galeno ἑλιόχρυσος,à Dioſcoride [n] χρυσοκόμη.Legendus Plinius [o]. Imbecillitatis humanæ roſa hieroglyphicum eſt:vnde quidam [p];

Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
Et dum naſcuntur conſenuiſſe roſas.
Quàm longa vna dies,ætas tam longa roſarum,
Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.

Sed nihil meliùs Pſalmo [q]; *Manè ſicut herba tranſeat,manè floreat,& tranſeat:veſpere decidat,induret, & areſcat.*

a lib.2.pædagó c.8. b 3 Singular. c.1 & appendic. eiuſdem. c lib.15.c.5. d in c.16. Ezech. e in Octauio longè poſt med. f Hora. 1. carm.od.4. g 2.de legib. h lib.1 c.14. lib.2.c.14.lib 1.c.2.3.4.10. i lib.3.c.16. k 1.epiſt.in 5 l lib 2 pædago.c.8. m 1.c Ep.c.5 4. n lib.4.c.52. o lib.21.c 8 p Virgil aut alius de roſ. q Pſal.89. c

a vers. 13. b vers. 4.

De amaranto dixi etiam ad cap. 6.[a] & ad cap. 1. Epistolæ Petri primæ [b]. Porrò locum hunc, in quo sese prouocant impij ad coronandum se rosis, Ioseph Stephanus [c], ponens rosa virginitatem denotari cum Hieronymo [d], & cum Poëtis, ex quibus Plautus [e] per summas blanditias appellat pulcherrimas lepidissimasque fœminas, rosas; & cum Columella [f], qui rosam florem pudicitiæ plenum dixit; arbitratur exponi debere, quòd vellent virgunculis, quasi mollibus rosarum sertis redimiri & colligari, iisque potiri, antequam ætatis florem deponerent. Id ait indicari, quòd illi libidinosi non foliis rosarum circumfundi, ac spargi exoptabant, sed κάλυξι, vt vidimus, id est, calyculis & rosarum vasculis, virginúmque amplexu, & sinu foueri. Non displicet, quamuis plus communior placeat expositio.

c in defensione rosarij Virg. Mariæ. c 1. d in c 3. Ioël. In. & ep. ad Hedib. & ep. ad Demetr. e in Asinaria. f lib. 10.

Nullum pratum, &c.] Desiderantur hęc in codicibus Græcis, nec legit Cantacuzenus. Sed cùm sit in omnibus Latinis, credendum correctioribus libris vsum Interpretem [g]. *In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternaberis meretrix:* metaphoricè quidem propter idololatriam; sed indicat intemperantiam luxuriantium. Porrò, licèt Aristoteles [h] neget eos, qui odoribus gaudent malorum, rosarum, suffimentorum, vocandos intemperantes, sed potiùs qui vnguentorum, aut obsoniorum; tamen accuratū in huiusmodi studium arguit intemperantiam, fouet, excitat. Olent odores mollitiem; nec bonus eorum odor famæ, qui delectantur odoribus immodicè.

g Iere. 2. 20.

h 3. Ethicor. c. 10.

C

Posthume [i] *non bene olet, qui bene semper olet.*

&,

Malo [k] *quàm bene olere, nil olere.*

i Martial lib. 2. epigr. 10. aut 12. k idem lib 6. epig. 17. aut 55. l libro 24. c 25. m citatis locis. n epist. 52.

Lege Cœlium Rhodiginum [l], & Raderum nostrum Scholiastē Martialis [m]. [Omnia rerum omnium, ait Seneca [n], si obseruentur, indicia sunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum & incessus ostendit, & manus mota, & vnum interdum responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. Improbum risus: insanum vultus, habitúsque demonstrat. Illa enim in apertum per notas exeunt.] Geminam sententiam isti reperies in libro Ecclesiastici [o]; *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Testis de Iuliano Apostata Nazianzenus [p]. Ferunt B. Ludouicum Franciæ Regém inhibuisse gestari rosas, aut quid tale feriis sextis, ob impositæ spineæ coronæ super Christi caput memoriam [q].

o c. 19. 26. 27.

D

p ora. 2 contra Iulia.

q refert Olcot lect. 21.

Musicæ hîc mentio nulla, quam conuiuiis adhiberi solitam etiam apud Hebræos, nostri demonstrant Ioannes [r] Ferdinādus, & Hieronymus [s] Pradus, & apud alios alij multi, quos citat auctor conuiuialium antiquitatum [t]; non quia nihil harmoniæ reperiri poterat apud eos, quorum gesta tantopere dissonabant à ratione, vt Gonsaluus Ceruantes [u] respondet; sed quia luxuriosos, & voluptuosos non sic afficit spiritualior, vt ita dicam, voluptas, qualis quæ percipitur ex musica; sed crassior, atque materialior. De conuiuiali musica diuinarum literarum testimonia sunt in libro Ecclesiastici [x], in Esaia [y], & Amos [z], in Psalmo 68. [a] in Lucæ c. 15. [b] in Epistola ad Ephesios [c]: præterea ex Patribus, Turtulliani [d], Cypriani [e], Clementis Alexandrini [f], quod attinet ad Christianos. Porrò de rosa non pœnitebit legisse annotationem Tuccij in Canticum Canticorum. Magna autem exaggeratione Cicero [g], vt maximis volu-

r in thesau. Scrip. c. 27. s in Ezech. c. 25. t lib. 3. c. 20.

E

u hoc loco.

x c 32. 4. c. 40. 20. c. 46. y c. 5. 12. c. 24. & 9. z c. 6. 5. 6. a vers. 33. b vers. 25. c c. 5. 18. 19. d apolog. c. 39. e ad Donatū f 2. pædag. c. 4. g 2. de finib.

A

ptatibus vso Thorio præferret Reguli fidem & constantiam, clamare virtutem scribit, beatiorem fuisse, quàm illum potantem in rosa.

Vers. 9.] Nemo nostrûm exors sit luxuriæ nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniā hæc est pars nostra, & hæc est sors.

SOcietas peccandi libertatem, & voluptatis parit suauitatem maiorem, nec quisquam solus libenter desipit, aut improbus videri vult: nemo ferè priuata sui ipsius contentus viuit lætitia; libet præterea etiam in nequitia eminere, ac notabilem esse.

B

Nostrùm.] Sic emendata Biblia pro (*vestrùm*) vt etat in Regiis, Complutensibus, & aliis. Græcè legimus (ἡμῶν.) & non pauci alij Latini codices (*nostrùm*:) quamuis auctor Græcus Cantacuzenus (ὑμῶν.) Non interest ad sensum. Sed melius (*nostrùm*:) cohortantur namque voluptuarij, & inuitant inter se, non alienæ disciplinæ homines.

Luxuria nostra.] Græcè (ἀγερωχίας, *strenuitatis, insolentiæ, petulantiæ, ferociæ.*) Qui distluit luxu, petulās, & insolens est, præceps, ferox, iactabundus. Lege Augustinum [a] accusantem se, quòd in lasciuiente adolescentia puderet ipsum minoris dedecoris sui, ac liberet facere non solùm libidine facti, verùm etiam laudis: & ne vituperaretur, vitiosior fiebat, ac fingebat fecisse quæ non fecerat, ne videretur abiectior, & vilior [b]: & furtum faciebat pomorum, nulla compulsus egestate, sed fastidio iustitiæ; & sagina iniquitatis [c]: & confricatione consciorum animorum accendebat prurítum cupiditatis suæ [d], & cùm diceretur; eamus, faciamus, ob nimis inimicam amicitiam pudebat non esse impudentem.

a 2. cōfess. c. 4.

b c. 4.

c c 8.

d c. 9.

Hoc exēplo piissimi pœnitentis, quæ sit vis τῆς ἀγερωχίας probè percipimus; & est quoque ἀγέρωχος, teste Plutarchò [e]; idem quod φιλοπτόλεμος, *amans belli*: vel auctore Eustathiò [f], quòd ἀξιῶν ἄγαν γέρας ἔχειν, *volens vehementer decus, & gloriam habere.* Aliam affert etymologiam [g], vt sit ὃς ἄγεται ῥᾷον ὑπὸ ὄχου, *qui agitatur faciliùs curru*, id est, leuis, ostentator, incōpositus: denique ὃς ῥᾳδίως ἄγεται, καὶ χέεται εἰς ὃ ἂν βούλοιτο, *qui facilè agitur, & diffunditur in id, quod voluerit.* Auctor etymologici, παρὰ τὸ ἄγαν αὐχεῖν, *ab eo quod est valdè gloriari, superbire, insolescere.* Satis congruunt hæc proposito, eo modo quem dixi. Quærit Olcot de fornicatione simplici, an sit peccatum. Eginius hac de re alibi [h]: & latiùs patet hoc libro luxuria, & quam modò exposuimus ἀγερωχία.

e in Fabio.

f in Iliad. γ.

g in Iliad. β.

h Act. 15. 20.

Signa lætitiæ.] Græcè (σύμβολα τῆς εὐφροσύνης.) *Lætitiæ, gaudiique* voce omnia, quæ sibi proponit impius, bona intelliguntur: nec enim alia concupiscit. *Mundus gaudebit*, inquit Christus [i]: & hoc maximè verum de iuuenibus, vt tradit Aristoteles [k]. Symbola verò, quæ relinquere volunt impij lætitiæ suæ, indicant collatum veluti studium, & curam ad conquirendam voluptatem, quis, vt Augustinum audiuimus, excellat; vt etiam perceptis iam voluptatibus appareat perceptas esse, & à quo magis strenuè.

i Ioan. 16. 20. k 2. Rhet. c. 6.

Quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.] Nihil aliud superest; hæc pars substantiæ, quam prodigus, & libidinosus filius quærit [l]. Hæc munera, quæ filij concubinarū acceperunt [m], hæreditate cōcessa soli Isaac. *Sors, & pars* synonyma sūt;

l Luc 15. 12. m Gen. 25. 6.

sed

ſed illa reſpectum habet ad eum, qui dat, hæc ad illum, qui recipit, vt placet Bonauenturæ. Id melius, quàm quod idem meminit, vt pars animam, corpus ſors reſpiciat. At ſors eſt, quæ obtingit ex partibus, in quas hæreditas paterna, bonáve cómunia hæredibus diuiſa ſunt. Et dicitur tamen Deus ipſe pars hæreditatis, & calicis [a] (in quem videlicet coniiciebantur ſortes, vel quia erat ceu potus dulcis) quamuis in ſolidum poſſeſſus à multis, & totus; quoniam non totaliter à ſingulis, & felici quadam ſorte ab ipſis. Digni facti dicimur in partem ſortis Sanctorum [b]. Cùm autem ſors non virtutis, ſed euentus, caſúſque ſit, bene vſurpatur de gratia, quæ nullis præcedentibus meritis datur, ac proinde de gloria, pro vt inde pendet; licèt in adultis merita poſtea requirantur. Simul tamen eſt ex diuina prædeſtinatione ſecundùm propoſitum Dei, *qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ* [c], ne quis exiſtimet temerè ac fortuitò prouenire. Lege quæ diximus in Actus Apoſtolorum [d]. At impij iſti negatores prouidentiæ, ſortem appellant propriè, & caſum, atque fortunam, quam arripere oporteat, eáque vti, ne ſi labi ſinatur, nihil aliud ſuperſit. Quaſi dicerent [e]; *Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.* Ex quo Sardanapali opulentiſſimi Syriæ Regis, ait M. Tullius [f], error agnoſcitur, qui incidi iuſſit in buſto;

Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit: at illa iacent multa, & præclara relicta.

Tum ſubdit ex Ariſtotele. [Quid aliud in bouis, non in Regis ſepulchro inſcriberes?] Tandem concludit. [Hæc habere ſe mortuum dicit, quæ ne viuus quidem diutiùs habebat, quàm fruebatur.]

a Pſal. 15. 5.
b Coloſ. 1. 12.
c Ephe. 1. 11.
d c. 1. 17.
e Eſa. 22. 13. 1. Cor. 15. 32.
f Tuſcul. 5.

Verſ. 10.] Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis.

HVc luxuria, & intemperantia procedit, hoc eſt, ad ferociam, & crudelitatem, vt alios expoliando, habeat vnde copioſiùs voluptates expleat, vel vt iis obſiſtat, qui reprehendunt, aut impediunt. Teſtes proferre poſſumus Caligulas, Nerones, Heliogabalos, tot alia turpiſſima, læuiſſimáque criminum prodigia. Herodem inter epulas caput Ioanni dementem [g]: Alexandrum trucidantem amiciſſimos [h]. Poſt coniectum oculorum laſciuum, poſt libidinoſa verba, violentas turpis fæmina in Ioſeph miſit manus [i]. Huc ſpectant quæ differit Ariſtoteles [k] de moribus iuuenum; ac phyſiologia ipſa hoc ſatis docet ex cóplexione corporis biliofa atque ſanguinea.

Hanc & ſequentes ſententias multi Patres, vt videbimus, transferunt ad interfectores Chriſti, necnon ad hæreticos, & perſecutores Chriſtianorum, quos denotet pauper iuſtus, vidua Eccleſiam, veterani Apoſtolos, & Doctores. [Lenia videbantur impij iamdudum loqui, ait Auguſtinus [l]; *coronemus nos roſis, antequam marceſcant.* Quid delicatius? quid lenius? Sperares de hac lenitate cruces, gladios? Noli mirari. Lenes ſunt & radices ſpinarum, ſi quis eas contrectet, non pungitur; ſed quo pungeris, inde naſcitur.]

Opprimamus.] Græcè (καταδυναστεύσωμεν) Auguſtinus (*occidamus*) propriè (*vi redigamus in poteſtatem noſtram.*)

g Matth. 14. 11.
h Q. Curtius.
i Gen. 39. 5. & ſeq.
k 2. Rhetor. c. 13.
l in Pſal. 52.

A *Pauperem iuſtum.*] Diues iuſtus reſiſtit, pauper iuſtus non poteſt reſiſtere, & paupertatis neceſſitate compelli poteſt, ne, quod vellet, præſtet, aut etiam ne velit, ſed conſentiat. Expoſitus eſt prædæ pauper, vt grandiori minor piſcis: & quamuis furtis ac rapinis egeſtas occaſionem præbeat; longè tamen maiora ditiorum & potentiorum latrocinia: ſed pulchriore honeſtata vocabulo, vt Alexandro eleganter, veracitérque pirata reſpondit: de quo Auguſtinus [a]; imò in Republica M. Tullius apud Nonium Marcellum.

Inhumanum eſt impotentem deprimere, innocentem vexare, iniquum. Diuitem iuſtum difficiliùs reperias; vel eſt enim iniquus, vel iniqui hæres [b]: & ob inexperientiam communium calamitatum, ἀπαθὴς redditur aduersùs eos, qui eas B tolerant, nil patiens ſuper contritione Ioſeph [c]: durus & immitis, ac inhians in aliena ſemper: ac ſi quid tenues perſonæ videantur habere, id ad ſe potiùs exiſtimans pertinere, vt malè comparatum gradum pro dignitate tueri, & à ſubditis timeri poſſit magis.

Hîc omitto quærere de rerum dominio, quáve ratione diripi aliorum res queant abſque iniuria: item de laude voluntariæ paupertatis. Legendus Olcot [d]. Baſilius [e] πένητα, qui hîc eſt, intelligit illum, qui ſic natus eſt, ſempérque fuit, ac in ſuo ſtatu bene moderatus eſt: πτωχὸν, qui eſt inops ex diuite, quaſi, vt coniicio, ſit πτῶσιν ἔχων, *caſum habens, & cadens.*

C *Nec parcamus viduæ.*] Viduarum Iudex Deus [f], quia maximè deſtitutæ ab humano præſidio. Plura diximus in Pſalmum 67. vbi quòd χήρα, quaſi θήρα, id eſt, *præda.*

Non veterani revereamur canos multi temporis.] Codices Regij, Complutenſes, aliique non pauci ſic legunt (*nec veterano,* videlicet parcamus, *nec revereamur canos,* &c.) Meritò correcta lectio editioni Græcæ conſentanea (μηδὲ πρεσβύτου ἐντραπῶμεν πολιὰς πολυχρονίους, *nec ſenis revereamur canos annoſos.*) Senes obiurgant inſolentiam iuuenum, ſolúſque vultus cohibere ſolet. Sunt etiam cogendis pecuniis intenti, eóque plus colligunt viatici, quo minùs illis eſt viæ. Remouent petulantes à ſe reuerentiam ſenilis ætatis, vt licentiùs luxurientur, ac rapiant.

D Coram cano capite iubet Deus [g] conſurgere, & honorare perſonam ſenis; & poſtea hoc libro [h] ſenectus venerabilis appellatur. Hoc de argumento plura bonus ſenex opere de bono ſenectutis Gabriel Palæotus Cardinalis, demonſtrans vſu Hebræorum, aliorúmque populorum, habitum ſemper honorem ſenibus. Nos ipſi aliquid aliàs [i], & auctor theatri vitæ humanæ [k]. Id non omittendum ex Iuuenale [l]:

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicumque puer. ———

Penè quoque eundem honorem ſenibus habitum E Calliſtratus [m] prodit apud Romanos, qui Magiſtratibus habebatur. Nec immeritò ad præceptú de honorandis parentibus referunt nonnulli honorem, qui ſenibus exhibeatur. Sunt ceu parentes morum, vt indicat B. Thomas [n]: & Plutarchus [o] Telecrum ſcribit interrogatum, cur apud ipſos moris eſſet, vt iuniores maioribus natu aſſurgerent, reſpondiſſe; quò habendo eum honorem alienis, magis honorarent parentes. Denique πρεσβύτης vocatur etiam γέρων: eſt autem γέρας *honor,* & γεραίρειν *honorare,* vt idem Plutarchus [p]

a 4. de ciuit. c. 4.
b Hieron. epi. 150. q. 1.
c Amos 6. 6.
d lect. 22.
e regul. 262. ex breuio.
f Pſal. 67. 6.
g Leu. 19. 32.
h c. 4. 8.
i Act. 4. 5.
k volum. 18. lib. 4. p. 1388.
l Satyr. 13.
m l ſemper. de iure immunit.
n 2. 2. q. 63. a. 3.
o in apophthegm.
p opuſcul. an ſeni gerenda Reſpublica

obseruauit. Cui affine quod aliàs notauimus [a] de seniore pro domino, & Principe. Legenda Concilia nonnulla [b]. De vesana verò impiorum atheorum simili sententia consule Senecam [c], & Lactantium [d]:& de Sadducæorum, Iosephum [e]: de Cain eundem [f]: euolue quoque c.21 libri Iob.

a Act.14.5.
b Concil. Melden.c.31.& Coloniens c. 2. quod est in Melden.& Pisten.c.4.
c 7.de benef. c.27.
d lib.3.c.17.
e 2.de bello. c.7.
f 1.Antiq.c.3.

Vers. 11.] Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ:quod enim infirmum est,inutile inuenitur.

NOlūt impij iure agere,vel à senioribus moneri de iure, partibúsque officij:ius, vt dicitur,statuunt in armis,in potentia, in viribus: qui enim præualeat,valere,nihili fieri imbecilles, infirmos,impotentes:qui plus valeat robore,plurâque sibi comparet, legibus obtemperare censendum magis,iustitiámque seruare:qui illud nequiuerit,repellendum vt nequam & inutilem:quales pauperes,viduæ,senésque, de quibus proximè facta mentio:ius, quod recipitur à populis, passim nullam habere dignitatem, vtpote non honoris præcellentis argumentum, sed infirmorum subsidium: dictare naturam videri, vt opes tenuium, quíque propriam propulsare non queunt iniuriā, conferantur ad eorum, qui principatum gerunt in Republica,vtilitatem. Perniciosa doctrina,sed à Politicis tamen recepta vsurpatáque.Longè dissidet ab eo pronunciato peruetusto [g]; salus populi suprema lex esto: quam curare Magistratus debet, velut medicus, & gubernator nauis, proposita sibi ob oculos honesti ratione,sine qua nihil verè vtile. Latiùs patet hoc argumentum. Lege Iosephi Stephani librum de vnica Religione,& Thomæ Bozij tractatus contra Machiauellum. Qui Machiauellus sub nomine Christiano peior Gentili atheus,non dubitauit scribere,reddi homines à Christiana Religione ignauos & imbelles: virtutes, quas alioquin habere in ore semper decet, nihili faciendas, ne Religionem quidem,cùm lucri faciendi occasio,ditionisve augēdæ datur:nisi optimus esse ac sanctissimus possis, præstare vt sis ad flagitia potentissimus.

g Cicer 3.de legib.

Sit autem fortitudo nostra lex iustitia.] Meliùs quàm in Complutensibus,Regiis,& aliis (*iniustitiæ, ἀδικοσύνης.*) Indignum videbatur iis, qui legerunt eo modo, vt impiis tribueretur lex iustitiæ. At sensum iam exposui,reputatam fortitudinem, ἰσχὺν, robur,vires, potentiam, pro lege iustitiæ, vt legitimum,licitúmque ducerent quidquid valerent. Hoc item pacto glossa legit interlinearis, & Lyranus, & recipit Bonauentura. Verè nimis Propheta [h]; *Factum,inquit,iudicium & contradictio potentior,quia impius præualet aduersus iustum.*

h Abac.1.3.4.

Sic [i] *volo,sic iubeo: sit pro ratione voluntas.*
Talis Nemrod belligerator, & venator [k]. Hoc persuadere Callicles apud Platonem in Gorgia videtur velle,ius in armis,& potentiam esse,hæcque legibus præferenda: quod Herculis, Xerxis, & aliorum confirmat exemplis.

i Iuuen.saty. 6.
k Gen.10.8.9. 10.

Inuenitur. Græcè (ἐλέγχεται, *arguitur,conuincitur.*) Hoc visum mundi sapientibus axioma; quod infirmum est,inutile inuenitur. Propterea Christiani, teste Tertulliano [l], habiti à Paganis indigni societate hominum, quasi inertes,inutiles,homines nihili. Eandem ob causam lex de amore inimicorum [m] ridicula existimata,& impossibilis,vt prodidit Iustinus [n],Hieronymus [o], Augustinus [p].

l in apolog.
m Matth 5.
n in apolog. pro Christia.
o in c.5. Matth.
p in Psal.118. conc.7.& 9.

A Dictat deprauata ratio, vt qui malè dixerit, malè quoque de se audiat, quemadmodum aduersario Ciceroni Sallustius respondit: & si amicis bene faciendum, consequens ait Aristoteles [a] esse, vt sit inimicis malefaciendum; ita vt ne iis quidem communicare velimus in via [b].

a 1.Top c.8.
b 4. Pol.c.11.

Vers. 12.] Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.

B CAntacuzenus planè contendit hæc & sequentia esse de Christo,& Auctorem, quod est familiare Prophetis, ab iis quibuscum hactenus egit,qui casu omnia fieri,regíque opinabantur, transire ad ingratos Iudæos, qui Christum persecuti sunt.Probat ex verbis illis [c]; *Filium Dei se nominat,& gloriatur* [d] *Patrem se habere Deum*:nam talia Iudæi nulli alij, præterquàm Christo,exprobauerunt [e]. Christus verò ea de re interrogatus non negauit [f], sed annuit potiùs.

c vers.13
d vers.16.
e Ioan 10.33. c.19.7.
f Matt.26.63. 64.

Tertullianus [g] innuit alia verba,*grauis est nobis ad videndum* [h],intelligi de Iudæis,qui cùm audiēdi Prophetas impatientiam habuissent,habuerint quoque Dominum ipsum videndi. Præterea [i] C præsentis loci prima verba de Christo iusto accipit;necnon Clemens [k] Alexādrinus his ex Platone similia quædam eidem aptans proposito; & auctor [l] operis imperfecti (vocans Auctorem libri Salomonem) & Augustinus [m], Cyrillus [n] Alexādrinus citatur,& Procopius [o], & Iustinus [p] in margine,& in indice Scripturarū:sed Esaiam [q] ipsi citāt iuxta editionem L x x.vbi pro eo quod legimus; *quoniam reddita sunt eis mala: dicite iusto quoniam bene,quoniam fructum adinuentionum suarum comedet,* sic habent: διότι βεβούλευνται βουλὴν πονηρὰν καθ' ἑαυτῶν εἰπόντες: δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστιν, *quoniam consiliati sunt consilium malum contra semetipsos,dicentes:ligemus iustum,quoniam inutilis est nobis,*aut,vt Hieronymus vertit in commen-D tario, *iniucundus.* Lege Leonem Castro,qui vtrāque lectionem nititur conciliare, vt אמרו *imru* sit pro אסרו *isru*, & illud (*quoniam bene*) id est, bene est, vt ligetur; cùm sit nobis noxius, & expedit mori pro populo [r]: vel dicite iusto,id est, de iusto,quoniā bene,vel bonū,id est, expedit vt moriatur. Affert verò Iustinum, Eusebium, Cyrillum,Procopium,Isychium, Ambrosium,Cyprianum ita etiam legentes.

g lib de patien.c 5.
h vers.15.
i 3.contra Marc.c.22.
k 5 strom.c. 6.
l hom.43.in Matth.
m in Psal.63.
n in c.59. Isaiæ.
o in c.1. Esaiæ.
p in Trypho
q c.3.9.10.
r Ioan.11 50.

Sed ad rem; ex Patribus Latinis Augustinus [f] ait hoc loco passionem Christi apertissimè prophetari:Ambrosius [t] idem satis significat, & posteriores Interpretes,& Cyprianus [u] (vocans Auctorem libri Salomonem) & Prosper [x].Carthu-E sianus notat pertinere ad Sadducæos, quæ præcesserunt de animæ mortalitate, atque voluptatibus: reliquos Iudæos magna ex parte saltem factis ipsis consensisse, ridendo Christum, cùm disputaret contra auaritiam [y], prohibendo illum audire,quòd insanire dicerent [z].Lactantius [a] vrget vehementer Iudæos hoc testimonio, vbi recitauit plures versus: [Nónne ita,inquit, descripsit nefarium illud consilium ab impiis initum contra Deum, vt planè interfuisse videatur? Atqui à Salomone, qui hæc cecinit, vsque ad id temporis, quo gesta res est, mille ac decem anni

f 17.de ciui. c.20.libr. 12.cōt. Faust. c.44.
t de Iosc.4. & in Psal.(?) u de mont.Sina.& Sion, & 3.contr Iud. c.14.
x 1 p de præd. c.36.
y Luc.16.14. 15.
z Ioa.10.20.
a lib.4.c.16.

fuerunt.

fuerunt. Nihil nos affingimus, nihil addimus. Habebant hæc qui fecerunt, legebant in quos hæc dicta sunt. Sed & nunc hæredes nominis ac sceleris illorum hæc & habent, & damnationem suã Prophetarum voce prædictam quotidianis lectionibus personant, nec aliquando in cor suum, quæ pars est & ipsa damnationis, admittunt.] Nil efficacius contra Iudæos.

Placet omnino hæc expositio: sed velim extendere, vt impij in genere agant de quouis insigniter iusto, quem experiantur acrem aduersarium, per quem sibi non liceat id quod vellent efficere; igitur perdendum esse omni ope, quibuscumque machinamentis. Sic Osorius, & ante eum Lyranus, & Iansenius.

Circumueniamus.] Ambrosius [a] (*tollamus*) item Clemens [b] Alexandrinus, Tertullianus [c] (*auferamus:*) sed ἐνεδρεύσωμεν, *insidiemur*, & *circumueniamus* significat. Cantacuzenus captiosa intelligit verba, quibus sunt vsi Iudæi, vt caperẽt Iesum in sermone [d], verbi gratiâ; *licetne [e] censum dare Cæsari, an non?* Alij concilium, quod collegerunt Pontifices, & Pharisæi contra Christum [f].

Iustum.] Maximè proprium Christi epithetum, vt docuimus in Apostolicis Actibus [g]; sicque præsentem locum Cyprianus [h] interpretatur. Quamuis autem impij quem persequuntur, non æstiment esse iustum; sic tamen nominare inducuntur eum, qui reuera talis erat, & dicebatur; vel vt se ad communem appellationem accommodent: vel per quandam ironiam. In Apocalypsi [i] ministri Antichristi dicere scribũtur; *quis similis bestiæ?* quia quem pro Christo recipiunt, bestialissimus est. Vel Ioannes est, qui sic vocat, quoniam videat vt bestiam: illi verò dicent, inquit, Beda, quis similis Christo? venerantes vt Christum.

Quoniam inutilis est nobis.] Græcè (δύσχρηστος.) Ita Cyprianus [k], Prosper [l], Augustin. [m] Lactant. [n] (*insuauis*) qui vocat librum Salomonis. Nec enim eadem notio δύσχρηστος, καὶ ἄχρηστος: sed illius, quàm huius acerbior, pro *difficili, incommodo, intractabili.* Itaque non conquerũtur duntaxat impij, hoc est, Iudæi, Christum esse ipsis infructuosum, ac veluti telluris inutile pondus, quod ad eum refutandum sufficeret: sicut suum illum Galli Childericum, Pontificia quoque auctoritate, Regno submouerunt, quòd esset inutilis (Gallicè *faineant*, nihil faciens.) Despiciebant Iudæi humili natum loco, fabrilis artis opificem, vitæ rationem ordinariam & communem, facilem societatem cum abiectis piscatoribus, cum publicanis quoque & peccatoribus. At videbatur illis præterea adeò molestus, vt ad nihil conniueret, nulla se ratione ipsis accommodaret. Vtroque nomine ineptum & indignum censebant, qui haberetur pro Messia. Verum Christo quid vtilius, *qui pertransiit benefaciendo* [o]? Saliua [p], digiti [q], tactus [r], fimbria [f] vestis edebant mirifica beneficia: præterea mortuos ipse suscitabat, infirmos curabat, dæmones eiiciebat, multitudines pascebat, procellas sedabat, vitam ponebat etiam pro inimicis vsque ad sanguinis vltimam guttam: docebat, & loquebatur qualiter ante illum nemo [t]. Denique lux erat mundi [u], cui mundo nihil vtilius luce: & *lignum vitæ, afferens duodecim fructus per singulos menses* [x], vt homines vitam haberent, & abundantiùs haberent [y]. Quid eodem suauius, & benignius? non venit animas perdere, sed saluare [z]: nec linum quidem fumigãs extinxit, aut contriuit arundinẽ conquassatam [a]: ministrauit [b], lauit pedes Discipulorum [c]: non

a suprà. b 5. Strom c.6. c 4.con. Marc. c.22. d Matt 22.15. e ibi.ve.16. f Ioa.11.47. g c.2.& c 7. h lib.2.c.14. i c.13.4. k suprà. l suprà. m suprà. n lib.4.c.16. o Act 10 38. p Ioan.9.6. q Mar.7.33. r Luc 5.13. f Matth.9.20.22. t Ioan.7.46. u infr.8 12. x Apoc.22.2. y Ioan.10.10. z Luc 9.56. a Matth.12.20. Esa.42.1. b Lucæ 22.27. c Ioan.13.5.

A vllo vindicauit iniurias proprias supplicio, cùm posset [a]: fleuit super Ierusalem [b]: vt pauper, & verè mansuetus, tametsi Rex, intrauit asino insidens in Ierusalem [c]: compescuit Petrum gladio ferientem aduersarios, abscissam ab eo Malchi aurem restituendo [d]: increpauit duos illos fratres, qui contra Samaritanos ignem è cœlo euocari volebant [e]: pro crucifixoribus orauit [f]: proditorem se militibus tradentem ad osculum admisit, & amicum appellauit [g]: hac eum vt imitaremur in mititatis, ac humilitatis virtute præcepit [h]. Cùm Gentiles Chrestum pro Christo vsurparent, rectè id ab imprudentibus fieri dicebant nostri [i]; quòd reuera χρηστὸς esset, & quos appellabant Chrestianos, pro Christianis, χρηστοὺς, *suaues, benignos, bonos, commodos*; nec odio habendum in innocuis etiam nomen innocuum. B Attamen diminutionis figura, vt in simili priùs dixi, potest inutilis dici, qui maximè perniciosus est. Cauet Apostolus [k] *ne quis circumueniat in negotio fratrem suum*, sicut nec ipse fecerat, neminem [l] lædens (facto) neminem corrumpens (exemplo) neminem circumueniens (verbo:) etsi prior locus de re vxoria per se intelligi videtur.

Et contrarius est operibus nostris.] Etiam cogitationibus, & verbis, longè aliter viuendo, crebrò illos reprehendendo, valde diuersas etiam cogitationes habendo [m]: denique *contra malum bonum est, & contra mortem vita; sic & contra virum iustum peccator* [n]. Ex duodecim rationibus, quas Iudæi C ad interficiendum Christum afferebant, & continentur hoc loco, vt etiam obseruat Salmeron [o], post Olcot [p], ista censeri potest secunda, quasi seditiosus fuerit, profitens quoque se venisse gladium mittere in terram, & separare liberos à parentibus, aliósque affines inter se [q]: negans suum posse Discipulum esse, nisi qui oderit filios, parentes, vxorem, animam, ac vitam ipsam [r]: quocumque iret, ciuitates, integrósque populos commouens [f]. Verùm documenta spiritualia erant illa: veram autem pacem nemo coluit magis, prædicauit, procurauit, suos vulgare iniunxit [t]: summa in orbe natus pace, pacem tunc Angelis decantantibus [u]: voluit etiam reddi quæ sunt Cæsaris, Cæsari [x]: & ipse censũs est cum aliis [y], at- D que didrachma soluit [z].

Ex illa porrò Ecclesiastici sententia, quam citaui, colligit Augustinus [a] creatos à Deo Angelos, hominésque, quos etiã præuidit futuros malos, quia nouerat, quibus eos bonorum vsibus commodaret, atque ita ordinem seculorum tanquam pulcherrimum carmen etiã ex quibusdam antithetis honestaret: quia item contraria contrariis opposita sermonibus pulchritudinẽ reddunt, & in omnibus operibus Altissimi, vt est in eodem libro [b], *duo & duo sunt, & vnum contra vnum.* Inductio hîc, ac enumeratio bene longa texi posset iniquorum odiorum, tam ex sacris, quàm ex profanis literis, vt, quod ad illas attinet, Cain aduer- E sùs Abel, Esau contra Iacob, fratrum Ioseph in illum, Achab in Michæam, & Eliam.

Et improperat nobis peccata legis.] Cyprianus [c] (*exprobrat, ὀνειδίζει.*) Hoc fecit Christus cùm diceret, *quare [d] & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* &, *reliquistis [e] quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem*: &, *nonne [f] Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Tertia ista ratio, propter quam Christo mors à Iudæis parabatur. Non improperãdi causã Christus reprehendebat, vel conuitiandi, sed monendi

a Matth.26.53.& seq. b Lucæ 19.41. c ibid.35. d Luc.22.50.51. e Luc.9.54.& seq. f Luc.23.34. g Matth.26.49.50. h Ioan.13.14.15. Matt.11.29. i Tertul. apolog.c.3. k 1.Thess.4.6. l 2.Cor.7.2. m Esa.55.8. n Eccli.33.15. o tom.10. tract.4. p lect 33.& seqq. q Matth 10.34.& seq. r Luc.14.26. f Luc.23.5. t Matt.10.12. Luc.10.5. u Luc.2.14. x Matt.22.21. y Luc 2.4. z Matth.17.24 & seq. a 11.de ciu. Dei.c.18. b vers.16. c lib.2.c.13. d Matth.15.3. e Matth.23.23. f Ioan.7.19.

ac iuuan

ac iuuandi. Ipse potiùs improperium expectauit, atque sustinuit, & opertus est miseria & confusione,& saturatus opprobriis [a]. Nam præter alia multa conuitia obiectum est ei quòd legem solueret [b]:cùm tamen adeò exactè illam obseruaret, & adimpleret [c]. Auctor [d] operis imperfecti notat Iudæos nolentes inter se meliorem habere, vsurpauisse verba ista:& ex hoc vitio nasci vt Clerici peccantes difficilè pœnitentiam agant; cùm erubescat aliquando reus videri, qui semper fuerat Iudex. Sic sanè veritas odium parit.

a Thre.3.30.
b Ioan.5.16. c.9.16.
c Matth.5.17. Luc.2.22.& seq.c.24 44.
d hom.43.in Matth.

Peccata legis.] Id est, in legem commissa: vel ea,quæ ex illa lege profecta sunt, de qua retulerat Auctor illos dixisse, *sit fortitudo nostra lex iustitiæ*; quæ sunt peccata crudelitatis plena, cum vi, ac violentia facta,ad opprimendum alios.

Et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.] Augustinus [e] *(infamat)* Græcè (ἐπιφημίζει ἡμῖν, *celebrat, eunlgat longè, latéque nobis*) id est, contra nos. Cyprianus [f] hæc omisit, putans fortasse synonyma prioribus esse. Neglectum disciplinæ obiici credit Vatablus. Meliùs Cantacuzenus cerimoniarum studium accuratius neglecto cultu interno, mundando quod de foris erat calicis,& paropsidis,cùm intus essent pleni rapina & immũditia [g]. Eodem pertinet quod alij asserunt de nonnullis eorumdem traditionibus, quas præferebant præceptis diuinis [h].

e 17.de ciui. c.20.
f lib.2.c.14.
g Matth.23. 25.
h Matth.15.2. Mar.7.1.

Diffamatio,& infamatio pro falsi criminis denunciatione, quartum crimen est quod obiiciebatur Christo,imposuisse videlicet falsa crimina, nec probare potuisse. Verumtamen Christus meritò coarguit pluris fieri ea, quæ postponi debebant; *hæc*, ait [i], *oportuit facere,& illa non omittere*:imperauit leprosis ostendere se Sacerdotibus,& offerre munus [k] præscriptum à lege [l]: iussit vt quæ sedentes super cathedram Moysi Scribæ,& Pharisæi dicerent,subditi seruarent & facerent [m]:infamia non fuit reprehensio publicorum peccatorum, & veracem magistrum oportuit viam Dei in veritate docere,nullum curãdo, aut respiciendo personam hominum [n]; cùm semper amicis anteponenda sit veritas,siue Plato sit,siue Socrates,siue quiuis alius [o]. Libera fuit semper & publica Prophetarum oratio contra publica peccata: quod Deus quoque vt fieret præcipiebat, ac vrgebat igne quodammodo immisso [p], vt consistere, & continere se non possent, & doloribus instar parturientis, vt exclamare cogerentur, & vocem ceu tubam exaltare [q]: & Paulus exigit à Timotheo [r], peccantem coram omnibus vt arguat.

i Matth.23. 23.
k Matth.8.4. Mar.1.44. Luc.19.14.
l Leuit.14.2.
m Matt.23.2.
n Matth.22. 16.
o Aristot.1. Ethic.c.6.
p Iere.20.9.
q Esa.58.1.
r 1.Tim.5.20.

Vers. 13.] Promittit se scientiam Dei habere,& filium Dei se nominat.

QVintum crimen summæ ambitionis, vt se cognitionem profiteatur habere,γνῶσιν Dei. Vnde Gnostici sese cognominauerunt, quasi diuina scientia eximij. Hoc illud ipsum crimen, in quod Satan primos parentes inducebat; *eritis* [s] *sicut Dij,scientes bonum,& malum.* Christus dicebat; *A* [t] *meipso non veni,sed est verus qui misit me,quẽ vos nescitis*;&,*Mea* [u] *doctrina non est mea,sed eius qui misit me*:&,*Omnia* [x] *quæcumque audiui à Patre meo,nota feci vobis*:& rursus;*nemo* [y] *nouit Filium,nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius.*

s Gen.3.5.
t Ioan.7.28.
u ibid. 16.
x Ioan.15.15.
y Matth.11. 27.

At idem tam multi Prophetæ præ se ferebant,dicentes;*hæc dicit Dominus*: de Messia Deus; *Ponam* [a] *verba mea in ore eius*: de Christo Nicodemus;*scimus* [b] *quia à Deo venisti Magister*:& alij;*Magister* [c] *,scimus quia verax es,& viam Dei in veritate doces.* Nihil ille non verum,non bonum docuit:nihil prædixit, quod non aut euenerit, aut euenturum sit:& de his ex illis iudicari potest. Ad seipsum enim quod attinet, exempli causâ, tanto antè,totiésque mortem ac mortis genus cum circumstantiis omnibus prænunciauit, & resurrectionem, & missionem Spiritus sancti. Scientia præditus fuit diuina,beata, infusa, acquisita, siue experimentali,vsque ad miraculum,stuporémque etiam aduersariorum [d],cùm doceret tãquam potestatem habens [e], neque scholas, Doctorésve frequentasset, à quibus edisceret.Rectè Discipuli dixerunt ei; *Nunc* [f] *scimus, quia scis omnia,& non est opus tibi vt quis te interroget.*

a Deute.18. 18.
b Ioan.3.2.
c Matth.22.
d Luc.2.47. c.4.22.Io.7. 15.46.
e Matth.7. 29.
f Ioan.16.30.

Filium Dei se nominat.] Sextum crimen est,quòd se filium Dei nominaret, παῖδα κυρίου, non puerum duntaxat, vel famulũ,quod etiam significat παῖς. Hanc tanquam blasphemiam lapidibus, legis præscripto puniendam [g], sæpiùs ei obiecerunt [h],& ante crucifixionem,& dum crucifigere vellent,& iam crucifixo. Sed id ipse palàm professus est [i],& Pater de ipso [k],& Petrus [l],& Martha [m], & Ioannes Baptista [n], & Nathanaël [o], & cœcus natus [p],& nautæ [q],& centurio [r],& dæmones ipsi [s]. Quamquam isti timidè potiùs,ac dubitanter,sicut illorum princeps tentando; *si* [t] *Filius Dei es*:ex aliis aliqui rudiores, nec adeò illuminati, tantáve fide prædit, de filiatione tantùm per gratiam & adoptionẽ, vt nautæ; & Christus ipse sic tectè nonnunquam locutus est, nolens manifestare consubstantialem Patri Diuinitatem [u],sed permittens vt ex operibus iudicarent [x]. Hac nimirum ratione penitus purgabat blasphemiæ crimen,demonstrabátque non rapinam fecisse, cùm se æqualem faciebat Deo [y]. Ipsa sub mortem, in morte, post mortem edita miracula cõuincebant Christum verè esse Dei Filium.

g Leuiti.24. 16.
h Ioan.10.33. c.19.7. Matth. 26.63.c.27. 43.
i Matth.26. 64.Ioan.9. 36.& seq.c.5. sæpe c.9.35. c.17 &c.
k Matt.3.17. c.17.5.
l Mat.16.16. Ioan.6.70.
m Ioan 11.27.
n Ioan.1.34.
o ibid.49.
p Ioan.9.38.
q Mat.14.33.
r Matth.27. 54.
s Marc.3.11. Luc.8.28.
t Mat.4.3 6.
u Ioan. 10.34. 35.
x ibid.37.38.
y Philip.2 6.

Hæc porrò verba Cantacuzenum,vt dixi,mouebant,& alios,vt opinor,quos citaui,vt præsentem totum locum apertam dicerent vaticinationem esse de Christo. Comprehendi tamen simul possunt,vt etiam admonui, generaliter alij iusti, qui,sicut Christus verbis Psalmi * docuit [z],vocãtur quoque filij Dei, ad quos nempe sermo Dei factus est:imò& omnes Deo grati filij Dei nominantur,& sunt [a], tali à Deo charitate data [b], tali potestate [c]. Denique compulsi ab ipsa veritate impij, de piis dicturi sunt; *Ecce* [d] *quomodo computati sunt inter filios Dei.* Porrò Nicetas Choniata [e] præsentem locum de Christi detentione interpretatur;Eusebius [f] de Iacobo,qui cognominatus est iustus.

* Psal.81.6.
z Ioan.10.34. 35.
a 1.Ioan.3.1.
b ibid.
c Ioan.1.12.
d Sap.5.5.
e pag.106.
f 2.hist.c.23.

Vers. 14. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum.

GRæcè (ἐγένετο ἡμῖν εἰς ἔλεγχον ἐννοιῶν ἡμῶν) Cyprianus [g] *(in traductione)* Augustinus, & alij vt nos. Interpres ἔλεγχον, *traductionem*, ἐλέγχειν vertere solet *traducere* [h]: quæ non simplicem redargutionem,sed manifestam,ac in apertum prolatam significant. Non est ad rem exemplum ex Matthæo [i] de Ioseph, quo hîc tamen vtuntur Expositores,*nollet traducere eam* (Mariam Virginem:) ibi enim Græcè est παραδειγματίσαι, quasi dicas *exemplare*, vt reddit Augustinus [k], *publico exemplo*,

g lib.2.c.14.
h c.4 20.c.11. & c.12.17.c. 18.5.
i c.1.19.
k epist.59.

punien

A *puniendam curare, ignominiosè accusare, diuulgare*, vt aliquando etiam vertit idem Augustinus [a], *ostentui habere*, vt noster quodam loco Interpres [b], & Syrus, *ignominiæ afficere*.

Septimum crimen, quòd occultas cogitationes rimaretur, arcana consilia proderet. *Qui* [c] *ambulat fraudulenter, reuelat arcana*. Non erat proditor Christus, sed intimas cogitationes videbat [d], & discretor erat cogitationũ [e], ac simul reprehensor, & exprobrator, vt; *quid* [f] *cogitatis mala in cordibus vestris?* Postremò nouerat omnes, & opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine [g]. Magnũ argumẽtum Diuinitatis, quod negare Iudæi cùm non possent, non vt blasphemium blasphemare, **B** sed tanquam Deum venerari debuerũt. Officium Christiani Prædicatoris est, arguere, latentes animi morbos aperire, in faciem resistere, cogitationibus occurrere, nullius personam respicere. *Ipse est qui Sacerdotio functus est* [h], de Azaria scribitur, qui Oziæ Regi sacrificãti restitit: & talem in alia causa Theodosius expertus Ambrosium, postea dixit; Solum [i] Ambrosium Episcopum dignum noui eo nomine.

Sensus alius commodus est, iuxta quorundam aliam translationem (*hic nostrarum cogitationum Iudex extitit*) quòd non magis verbo, aut interna notitia, seu discretione, quàm re ipsa, facto, exemplo, Christus potissimùm, ac suo modo quilibet iustus, suamet illa sanctitatis luce improborum **C** malefacta pandit, atque in apertum ante eorumdem, & aliorum oculos profert. Sic fit, vt malè agens oderit lucem [k], hoc est, iustum, qui percellit, perstringit, lædit oculos ipsius, &, quod proximè sequitur, grauis ei sit ad videndum.

a epi. 54. & serm. 16 de verb. Dom.
b Heb. 6. 6.
c Prouer. 11. 13.
d Matth. 9. 4. c. 12. 25. Luc. 5. 22. c. 6. 8. c. 9. 47. c. 11. 17. c. 24. 38.
e Hebr. 4. 12.
f Matt. 9. 4.
g Ioan. 2. 25.
h 2. Paral. 26. 20.
i Theodor. 5. hist. c. 17.
k Ioan. 3. 20.

Vers. 15.] Grauis est nobis etiã ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius.

Adeò molestus iustus impiis est, vt ne videre quidem ipsum sustineant, quippe cùm abhorreat penitus illius vita à communi, & nouam ac inauditam sequatur viuendi rationem. **D** Octauum caput accusationis, quòd singularem teneat agendi modum, & in Republica schismaticus videatur, non se accõmodans receptis moribus & institutis. Testantur hoc præcepta contenta in sermone qui habitus est in monte [l], vbi vult longè diuersam esse iustitiam nostram à iustitia Scribarum & Pharisæorum, qui tamen inter Iudæos eminebant doctrinæ sanctitatisque opinione; paradoxa quædam tradit de paupertate, lacrymis, cruce, persecutionibus, amore inimicorum, coërcendis cogitationibus, resecandis verbis otiosis, odio familiarium, propriæque vitæ, &c.

E *Grauis est nobis etiam ad videndum*.] Græcè (καὶ βαρύς ἐστιν ἡμῖν καὶ βλεπόμενος, *etiam visu*.) Ex odio & inuidia id oritur. *Qui male agit, odit lucem* [m]: oculis ægris odiosa lux [n]; *non rectis oculis Saul aspiciebat David* [o], καὶ ἦν Σαοὺλ ὑποβλεπόμενος τὸν Δαβίδ, *insidians*, Hebraicè עוֹן *hhouen*: Chald. כָּמֵן *chamen*. In oculis apparent affectus animi & perturbationes: dissimulare non possunt, sed manifestant. [Sanctorum nõ tantùm verba, inquit Chrysostomus [p], agens de Flauiano Episcopo, sed & ipsi aspectus spirituali gratia pleni sunt: obiurgator verò nõ solùm cùm promit vo-

l Matth. 5. & 6. & 7.
m Ioan. 3. 20.
n August. 7. confess. c. 16.
o 1. Reg. 18. 9.
p hom. 9. ad popu.

A cem, sed etiam cùm videtur, grauis est peccatori [a].] Iudæi, vt ait Tertullianus, Prophetis manus intulerunt per impatientiam audiendi; Domino ipsi, nimirum Christo, per impatientiam etiam videndi.

Quoniam dissimilis est aliis vita illius.] Conciliatrix amicitiæ morum similitudo, dissimilitudo dissociatrix. Qui viuit in multitudine, vel similis multis, vel iis exosus est, vt alicubi, si non hisce verbis, sensu certè dixit Seneca [b]. De quolibet iusto verè affirmari potest, non solùm quòd iniustis dissimilis sit, sed etiam quòd inter alios iustos non est inuentus similis illi [c]. Verùm hæc dissimilitudo vt ad ornamentum facit Ecclesiæ, quæ circumdata est varietate [d]; sic iustorum cæterorum, propter pulcherrimum concentum, **B** prouocat beneuolentiam. Illa non potest non odio haberi ab iniustis, quia penitus ἀντίθετος, & repugnans. Non minùs arbitror internũ animi quasi vultum in singulis differre, quàm differat externus: nec sanè minùs mirabilis Deus in hoc quàm in illo. Denique sicut conditiones, quas vocant indiuiduantes, habet quilibet suas in esse suo naturali; ita quodammodo in mortali & supernaturali: propriúsque cuiuis est virtutis & gratiæ morbus, ob quem affirmari verè possit, non est inuentus similis illi. *Nunquid* [e] *considerasti seruum meum Iob*, ait Deus loquens cum Satana, *quòd non sit ei similis in terra, homo simplex*, &c.: *Quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filiis Israel* [f], id est, sanctior **C** cæteris, vt est adeps quàm reliquæ hostiæ caro Deo gratior, quippe secundũm cor Dei erat [g] Dauid. Sola probitatis, & improbitatis discordia, saltem maxima ex parte, impulit Cain in cædem fratris [h]: & ne tot aliis proferendis immorer exẽplis ex profana, sacráque historia, Tacitus [i] narrat quòd Nero Thraseæ Senatoris optimi venerabilem ferre speciem non posset, de medio illum sustulisse. Colluctabantur etiam in vtero Esau & Iacob [k]: dissidebant Ismaël & Isaac [l]: Non mirum, si probos mundus odio habeat: si enim de mundo essent, *mundus quod suum est diligeret* [m]. Argumentum recti est malis displicere [n]. Cùm Antistheni diceretur, quòd à quibusdã improbis laudatus esset; vereor, inquit, ne quid imprudens **D** fecerim mali [o].

Secessum amat Deus à turbis, desertum, solitudinem, non magis loci quàm morum: ibi loquitur ad cor [p]. Dux Samariæ in turba positus conculcatur, & conteritur [q]; in via publica iactum, vel cadens semen conculcant bestiæ hominésque, & volucres comedunt [r]. Vnum Pythagoræ præceptum; *per viam publicam ne incesseris* [s]: Christus monuit latam & spatiosam viam ducere ad perditionem [t]; paucos esse electos [u]; ideo viuendum vt pauci. Pauci in Arca saluati [x] sunt ab aquis: pauci ab incendio Sodomorum, abeuntes in montem [y].

Immutatæ sunt viæ eius.] Græcè (ἐξηλλαγμέναι αἱ τρίβοι, *semita trita*.) Hugo legit, & quidam codices **E** (*in veritate*) sed mendosè, ac falsò. Immutatas vocant vias, non quòd forrassis non semper tales fuerint, sed quia non statim ab ipsis cognitæ. Videri potest metaphora ducta à vestibus, quæ mutari dicũtur, cùm aliæ induuntur, & nos ipsi mutari, quando induimus, vt in Psalmo [z]: *sicut vestimentum, vel opertorium mutabis eos, & mutabuntur*. Vnde Hebraicè annus שָׁנָה *sanah*, à mutando, propter prius, & posterius; & vestes מִשְׁנִים *mis nim*, quæ *mutatoria* vocat Interpres; & quod Latinè est [a], *commuta habitum*, Hebraicè legimus, *com-*

a hom. 5 de verbis Esa.
b epist. 7.
c Eccli. 44. 20.
d Psal. 44. 10.
e Iob. 1. 8.
f Eccli. 47. 2.
g Psal. 88. 21. Act. 13. 22. 1. Reg. 13. 14.
h Genes. 4.
i 16. annal.
k Genes. 25.
l Gen. 21. Gal. 4.
m Ioan. 15. 19.
n Seneca.
o Plutarc. in apophth.
p Oseæ 2. 14.
q 4. Reg. 7. 17. 20.
r Luc. 8. 5.
s Diogen. Laert. in vita.
t Mat. 7. 13.
u Matth. 20. 16. c. 22. 14.
x 1. Petr. 3. 20. Gen. 7. 7.
y Gene. 19. 22. 23.
z Psal. 101. 27. Heb. 1.
a 3. Regum 14. 2.

muta te. Sic loquuntur quoque vulgari lingua Itali, & alij; atque apud illos quæ mutantur sæpiùs intimæ caligæ, vocantur *(mutande.)* Præterea immutatæ viæ hic dicūtur differentes, & discrepantes viuendi rationes, quibus adeò iustus tenaciter, fixè, immotè, immutabiliter adhæreſcit, vt vix mutari poſſit, vel adduci, vt etiam tantillum inde abeat, & improbis vlla in re morem gerat, aut conniueat.

Verſ. 16.] Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis, & præfert nouiſſima iuſtorum, & gloriatur patrem ſe habere Deum.

CONgerunt ſimul crimina quatuor. Nonum eſt, quòd ipſos hic iuſtus, præcipuè Chriſtus, leues, fictos, hypocritas [a] æſtimaret, & appellitaret: quò reuocatur, cùm nominauit generationem malam, prauam, adulteram [b], mendaces [c], patre diabolo [d], de deorſum [e], ſerpentes, & genimina viperarum [f], ſepulchra dealbata [g]. An nō verò nugabantur Iudæi ſuis illis in traditionibus ſuperſtitioſiùs obſeruatis [h], capere Chriſtum in ſermone [i] nitentes, id eſt, obiicientes inobſeruantiam Sabbati, cùm eo die curaret [k]: vellicationem ſpicarum tali etiam die [l], & quòd manus Diſcipuli non lauarent [m]: & quòd ſe Chriſtus templū deſtruere poſſe affirmaſſet, ac triduò illud reædificare [n]?

Nugaces.] Græcè (*εἰς κίβδηλον, in ſpurium*) velut rem adulterinam, & fucatam. Sic exponunt Cantacuzenus, Ianſenius, Vatablus; primúſque confirmat, quòd appellaret Iudæos Chriſtus hypocritas, & ſepulchra dealbata [o]. Hypocrita nō differt ab hiſtrione: hic nugigerulus eſt, nugáſque vendit, aliud refert quàm ſit, perſonam alienam ſuſtinet. Κίβδηλος propriè dicitur cui ſcoria admixta, quale numiſma ſubæratum, & adulterinū: & ad mores tranſlatum ſignificat nō ingenuum, & ſyncerum, &c. *Nugas qui à lege receſſerant, congregabo, quia ex te erant,* inquit Deus [p], *vt non vltrà habeas ſuper eis opprobrium.* Ibi quoque nomen Hebræum eſt· נוּגֵי *nuge*, de quo Hieronymus [q]. Sunt nugæ res nullius pretij; & homines ipſi voce hac abſtracta cognominantur, qui leuiſſimi ſunt, vani, mendaces. Nugas ergo licet appellare Iudæos recedentes à lege, quam ſe profitebantur ſeruare, de quibus queritur Dauid; *filij* [r] *alieni mentiti ſunt mihi*, id eſt, fidem mihi datam ſolenniter fregerunt: & Chriſtus [ſ]; *Nónne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* dixerunt quoque; *Nolumus hunc regnare ſuper nos* [t]: *non habemus Regem niſi Cæſarem* [u]. Nugas ſuas Auguſtinus [x] vocabat impedimenta omnia, quibus retrahebatur à virtutis via. [Retinebant me, inquit, nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam, & ſubmurmurabant, dimittíſne nos? &c.] Potuit reſpondere præter alia quæ reſpōdit: *Narrauerunt* [y] *mihi iniqui fabulationes, ἀδολεσχίας,* שִׂיחוֹת *ſichoth, ſed non vt lex tua.*

Abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis.] Crimen decimum, quia ſeparabat ſe ab illis veſut à contagio, ſeducens ad ſe alios, atque ſectam faciens. Hoc partim verum, quia damnabat corruptos mores: partim falſum, quoniam ventitabat

a ſæpe.
b Matth.12.39. & c.16.4.
c Ioan.8.55.
d ibid.
e ibid 44.23.
f Matth.23.33.
g ibid.27.
h Matth.15.2.3.
i infrà 22.15.
k Matth.12.10.
l Matth.12.2.
m c.15.1.2.
n Matth.28.61.
o Matth.23.27.
p Sophon.3.18.
q ibid.
r Pſal.17.46.
ſ Ioan.7.19.
t Luc.19.14.
u Ioan 19.15.
x 8.confeſſ. c.11.
y Pſ.118.85.

A ad templum, feſtis intererat, legem ſeruabat, & ſeruari volebat, vt antè dictum eſt: denique volentibus ad vitam ingredi mandata proponebat. Salubre, ac perneceſſarium quoque monitum recedere à tabernaculis impiorum, & non tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamur in peccatis eorum [a]: denique ſodalitatem vitare, ac vſum illorum. Id ab ſeipſo, & optimo amico Baſilio, cùm literis darent operam diligenter factū teſtis Nazianzenus [b]; cùm perſpectum haberent contrahi multo faciliùs vitium, quàm virtutem communicari, ad eum modum quo citiùs morbus, quàm ſanitas acquiritur.

Præfert nobiſſima iuſtorum.] Græcè (*μακαρίζει ἔσχατα δικαίων, beatificat vltima, & extrema iuſtorum.*)
B In editione Auguſtini per Louanienſes citatur libro decimoſeptimo [c] de ciuitate (*nobiliſſima*) ſed omnino mendum videtur, quod inemendatum ab vltimo Scholiaſte ſanè aliàs erudito miror; cùm alij codices habeant, vt oportet (*nouiſſima.*) Nam dixit Chriſtus, inquit Cantacuzenus, *iuſti* [d] *ibunt in vitam æternam*: vel nouiſſimos iuſtos præfert nobis, dicendo; *erunt nouiſſimi primi* [e], inquit Hugo: vel, inquit Olcot, Gentiles Iudæis, dicendo [f]; *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio,* &c.

Vndecima criminatio eſt iſta, quaſi vellet lætos exitus iuſtorum eſſe, triſtes impiorum; licèt contrà hi triſtia paterentur in vita, illis omnia eſſent læta. Hoc verum eſſe confirmauit Chriſtus
C parabola, vel hiſtoria diuitis, & Lazari mendici [g]; & nihil ea re probatius in Scripturis. Nec indignari debent Iudæi ſi meliores præferantur, cùm & ipſoſmet Iudæos quādoque prætulerit Deus [h]. Balaam benedicens populo, dicebat; *Moriatur* [i] *anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Quatuor vulgò nouiſſima numerantur, mors, iudicium priuatum, & publicum, infernus, paradiſus. Qui hæc in omnibus operibus ſuis memoratur, in æternum non peccat [k]. Legendi ſunt Carthuſiani de iſtis nouiſſimis libri, & Hiſpano ſermone conſcripti à Sciuā noſtro. Inter nouiſſima vitæ præſentis mors per ſe maximè terribilis, pretioſa eſt in iuſto ſeu ſancto [l]; beatique ſunt mortui in Domino morientes [m]: hos
D enim mors à præſentibus malis vindicatos traducit ad vitam ſempiternam, vt loquitur Nazianzenus [n], negans propriè mortem appellari poſſe, vtpote quæ nomine magis, quàm re ſit formidabilis. Vnam idem ille vitam aſſerit eſſe, quoniam animæ interitus non eſt. Meritò igitur præfert iuſtus, commendátque nouiſſima iuſtorum, ac nominatim primum ex illis mortem.

Gloriatur patrem ſe habere Deum.] Vix differt vltimum crimen à ſexto: ſed id fit, vt cùm quis accuſandi libidine crimina cōgerit, eadem repetat, vel illud certè, quod grauius & capitalius videtur. Si verum crimen obiecerunt, & vlti ſunt Iudæi, quin illos Deus pro ſuo conſeruato ab ipſis
E honore, & vindicata iniuria tanta, chariores poſtea habuit, maioribúſque quàm priùs beneficiis affecit? Nunquam ſeueriùs ac diuriùs animaduerſi, quàm vbi falſo iſto pietatis prætextu verum Dei Filium impiiſſimè, crudeliſſiméque in crucem egerunt. Maxima gloria Deum habere Patrem; ſingulare beneficium, maximéque ſalutare, vt audeat puluis ciníſque dicere Deo, *Pater noſter* [o], gratia nimirum, & adoptione, non ὁμοουσίως, ſicut Chriſtus. *Gloria hominis ex honore patris ſui* [p]. Nil nobilius Deo, qui vocatur etiam homo nobilis [q]: nil dignius, cùm ſit Rex ante ſecula [r]: nil

a Num.16.26.
b ora. in Baſil.
c c.20.
d Matth.25.46.
e Matth.19.30.c.20.16.
f Matth.12.41.
g Luc.16.19. & ſeq.
h Exo.19.5. Deut.4.7. Pſ.147.20.
i Num.23.10.
k Eccli.7.40.
l Pſ.115.15.
m Apoca.14.13.
n ora. in funere Patris.
o Matth.6.9.
p Eccli.3.13.
q Luc.19.12.
r Pſ.73.12.

ditius,

ditius, cùm sint in domo eius gloria & diuitiæ[a]: nullus copiosiorem habet exercitum, pluresve subditos; est enim Dominus virtutum, seu exercituum [b], & *multum eius non est numerus* [c]. Suppeditat hic Pater affatim omnia; multo autem magis spiritum bonum [d]: erudit etiam & castigat cùm oportet [e]: pœnitentes libenter ac festiuè excipit [f]: ad extremum amplissimam beatitudinis hæreditatem reseruat, quam primogenitus filius consignando dicet; *Venite benedicti Patris mei* [g]. Gloriemur interim in spe gloriæ filiorum Dei [h], sed in Domino [i], & in Iesu Christo [k], hoc est, freti meritis ipsius.

Gloriatur Patrem se habere Deum.] Græcè (ἀλαζονεύεται πατέρα Θεὸν, *gloriatur, & iactat Patrem Deum.*) Gloriatus est Christus, sed nō inaniter, vel temerè, sed non iniustè, quasíque per rapinam, esse se æqualem Deo [l], Deíque Filium, & habere Patrem Deum, cùm videlicet sit ὁμοούσιος. *Est Pater meus,* inquit [m], *qui glorificat me.* Frustra igitur iam pendenti Christo de cruce obiiciebāt, exprobrabántque dixisse, quòd Filius Dei esset [n].

a Ps. 111. 3. b Ps. 23. 10. c Iob. 25. 3. d Luc. 11. 13. e Heb. 12. 6. f Luc. 15. 20. & seq. g Mat. 25. 34. h Rom. 5. 2. i 1. Cor. 1. 31. k Phil. 3. 5. l Philip. 2. 6. m Ioan. 8. 54. n Mat. 27. 40. 43.

Vers. 17.] Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius.

DEinceps impij conficiunt argumenta quinque, quibus persuadeant rectè se cōtra iustū agere, eique mortem machinari. Primum est, vt explorent, veráne sint quæ docuit, & prædixit. Quale quod prædixit de nouissimis suis, de morte iustorum, quam laudauerat. Sic se Christus prędixerat certo quodam modo moriturum, sed postea resurrecturum. Voluerunt & id secundo loco, quod & argumentum vocari secundū potest, experiri, an esset impassibilis; quod existimabant necessarium, si Filius Dei erat. Stultū & immane studium experiendi meritò comparandum, imò vituperandum magis, quàm quod experimentum Nero de matre cepisse dicitur, interficiendo, & exenterādo, vt cognosceret quo pacto in eius vētre ipse iacuisset. Suetonius ac Tacitus cadaueris cōspecti partes laudasse, partes prodūt vituperasse [o], euiscerasse non scribūt. Tertiò discere voluerūt, vtrùm esset æternus, vel exitum tandem vitæ, sicut alij homines, habiturus. Hæc aliáque malignè scrutabantur, non veritatis studio; nec sibi persuadebant aliter se habere, quæ de iusto peruersè persuaserant sibi.

Tentemus, quæ ventura sint illi.] Prosper [p] (*an succedant quæ ventura sunt illi*) Græcè (τὰ ἐν ἐκβάσει, *quæ in exitu eius.*)

Et sciemus quæ erunt nouissima illius.] Omittit hæc Cyprianus [q], & Lactantius [r], citans totam sententiam: sed Augustinus [s] legit. Desiderantur in textu Græco. Proximè dictum fuerat (*præfert nouissima iustorum*) quorum se nempe veluti caput facit.

o Sueton. in Neron. c. 34. Tacit. 14. annal. p 1 p. de prædic. c. 26. q lib. 2. c. 14. r lib. 4 c. 16. s 17. de ciu. c. 20.

Vers. 18.] Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum.

QVartò explorare velle se dicunt vtrùm sit Dei Filius: nec enim permissurum Patrē, vt Filius cruciaretur. Hæc eadem iam crucifixo illudentes dixerunt [t], Psalmi simul verba vsurpātes [u].

t Mat. 27. 41. 43. u Ps. 21. 9.

A *Verus Filius Dei.*] Græcè (ὁ δίκαιος υἱὸς Θεοῦ.) Augustinus [a] (*si enim iustus est Filius Dei*) ille nimirum κατ' ἐξοχὴν iustus, id est, Christus. Cyprianus [b], & Lactantius [c] omiserunt hanc partem sententiæ. An Iudæi cognouerint, vel saltem cognoscere potuerint Christum esse verum Filium Dei, aut certè Messiam, disserit Olcot hoc loco [d], nos in Actibus Apostolorum [e].

Suscipiet.] Græcè (ἀντιλήψεται, *succurret, opem feret, opitulabitur,* sic Augustinus [f]) *fulciet, ac veluti porrecta manu prehendet, atque sublevabit, alioqui collapsurum.*) Idem sibi vult illud ex cantico Mariæ [g]; *Suscepit Israel puerum suum,* ἀντελάβετο, & in Psalmis [h] crebrò verbum *suscipiendi,* vel *assumendi.* Quamuis B in dicto cantico sensus etiam est de assumptione carnis humanæ ex populo illo seruo suo, de qua locutus erat Deus, vt ibidem subditur, ad Patres, recordatus misericordię suæ, nimirum singularis & eximiæ, vt ea ratione redimeret nos; & de qua incarnatione proximè locuta fuerat Elizabeth.

a supra. b supra. c lib. 4. c. d lect. 26. e c. 2. f supra. g Luc. 1. 54. h Ps. 3. 6. Ps. 17. 17. 36. Ps. 26. 10. Ps. 6. 9. Ps. 68. 3. Ps. 72. 24. Ps. 117. 13. Ps. 118. 116. Ps. 145. 9. Ps. 146. 6.

Vers. 19.] Contumelia & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius.

C VEnitur ad rem, & ad executionem eiúsve modum post cōspirationis tractatum consiliū, vt verbis factísque malis, vt ignominia, doloréque vexent, & extorqueant signa superbiæ atq; impatientiæ, à quibus iustus vitiis procul abesse credebatur, hísque oppositis virtutibus insigniter adornatus. Narrantur hæc vtraque in historia Euāgelica, & in Esaiæ capite præsertim 53. atque Ieremiæ 11. videlicet quàm multis Christum Iudæi contumeliis prosecuti sint, quàm diris tormentis affecerint: ipse verò ad illa quàm modestus, quàm patiens fuerit.

Contumelia.] Græcè (ὕβρει.) Lactantius [i] in plurali (*contumeliis & tormentis.*) Læditur verbis proximus multifariam, conuitio, cōtumelia, improperio, detractione, susurratione, derisione, cōten- D tione. Primum peccatum est quoties molestū de alio verbum profertur, & dedecorosum: secundū propriè morale vitium alterius exprimit: tertiū, si exprobres collatum alteri beneficium, quo egebat: quartum, quando clàm profertur id, vnde minuatur alterius fama: quintum serit discordias: sextum ruborem incutit per iocum ludumve: septimum contendit conuincere falsum dici ab altero. Lege S. Thomam [k].

Dolor & ignominia duo dici possunt Crucis Christi brachia; ipsáque Crux probrosissimū tormenti genus, longum & sæuum, continebat pœnam vtramque. Duabus istis ceu columnis volu- E ptate & honore nixam incolarum mundi domum Christus, tanquam alter Samson [l], brachiis expansis diruit.

Interrogemus.] Græcè (ἐξετάσωμεν, *probemus, exerceamus, quæramus.*) Legibus interrogari Cicero [m], Liuiúsque [n] dicunt, cùm quis reus fit.

Reuerentiā.] Græcè (τὴν ἐπιείκειαν, *mansuetudinem, æquitatem, tranquillitatem, moderationem*) qua vereatur quodam modo etiam læsus vindicare seipsum; respondere pro se. Mirabatur Pilatus vehementer cùm Christus nihil responderet [o]: Herodes verò id stultitiæ deputauit [p]: Esaias [q], & Ieremias [r] cum ouino & agnino silentio compararunt,

i lib. 4. c. 16. k in 2. 2. l Iudic. 16. 29. 30. m orat. pro domo sua. n lib. 8. o Mat. 27. 14. p Luc. 23. 9. q Esa. 53. 7. r Ier. 11. 19.

De Græco vocabulo alias [a] dixi, monuíque esse illud, quod est in ea sententia, qua dicitur, Deum iudicare cum tranquillitate [b], ἐν ἐπιεικείᾳ. *Modestiam* reddit Interpres [c] aliquando: tum verò etiam quando tribuitur Christo simul cum mansuetudine [d].

Probemus.] Græcè (δοκιμάσωμεν) alij (δικάσωμεν, *iudicemus.*)

Patientiam illius.] *Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem* [e]; *habéique patientia perfectum opus* [f]. Contumelia, & tormentum exercent patientiam, atque his duobus iusti exercentur in hoc mundo. *In hoc laboramus*, ait Apostolus [g], *& maledicimur.* [Qualis quisque apud se lateat, inquit Gregorius [h], de Constantio scribens mansionario Anconitanæ Ecclesiæ, contumelia illata probat.]

a in Eccle.
b Sap. 12. 18.
c Philip. 4. 5.
d 2. Cor. 10. 1.
e Roma. 5. 3.
f Iacob. 1. 4.
g 1. Tim. 4. 10.
h 1. dialog. c. 5.

Vers. 20.] Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius.

VSque ad mortem progrediuntur, & quidem crucis, quæ plena erat ignominiæ, ob societatem quoque cum latronibus, præter prolixum dolorem cruciatúmque, qui etiam à cruce cruciatus denominatus est. Infamis arbor crux appellatur [i], infelix lignum [k], stipes infelix [l], & infamis [m], crux damnata [n], teterrimum suppliciū [o]; quod verbo satis digno appellari nullo modo possit, ἐλέγχιστος πότμος [p], *damnatissima mors.* Nō aliter potuit cohiberi vesana semet occidendi rabies apud Romanos, quàm metu talium cadauera cruci affigendi ad ignominiam [q]. Iidē quotannis canem affixum cruci circumgestabant in solenni pompa, quòd Capitolio Gallis imminentibus stertuissent, vt intelligeretur, inquit Plutarchus [r], qui pro patria non vigilarent, ignominiosissima morte afficiendos. Nec erant diriores imprecationes Romanis quā in crucē, ad coruos, &c. qui suspendiosos quoque lugere nefas putabāt [s]; neque id supplicium honestis personis decerni volebant. Iudæis crux scandalum [t], & maledictū erat [u], sicut Gentibus stultitia [x], léxque indignum censebat crucifigi cadauer, quod versaretur in aliorum oculis, ea de causa præcipiens vt sepeliretur eodem die [y]. Mutuati sumus quædam à Iacobo Gretsero [z] nostro, qui nōnulla præterea ex Patribus affert, disserítque simul de grauitate huius tormenti [a]; vt meritò dici ab auctoribus soleat crux sæua, dura, horrenda, summum supremúmque supplicium, & teterrimum, atque crudelissimum, extrema pœna, vel extremum pœnæ. Vel nomen (*crux*) asperitatem denotat, vt notauit Augustinus [b], sicut lene est auribus, cùm dicimus, voluptas; & vbi dolores, inquit [c], acerrimi exagitāt, cruciatus vocatur, à cruce nominatus: pēdentes enim in ligno crucifixi, clauis ad lignū pedib. manibúsque cōfixi, producta morte necabantur. Nō enim crucifigi hoc erat occidi, sed diu vinebatur in cruce, nō quia longior vita eligebatur; sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citiùs finiretur, &c. De morte pessima, subdit de Christo, occidit omnē mortem. Adde ad turpitudinē, quòd penitus nudi crucifigebātur [d], ne dēpto quidē Christo, vt Patres [e] docēt, allato quoque ob nuditatē Noë irriso [f] in exemplū ac typum; & vt talis in Paradisū intraret homo secundus, qualis primus habitauerat in Paradiso [g]. Lege eundem Gretserum [a], Molanum [b], Suarez [c]. Hic an esse cōmuniorem, sanctorū Patrū hac de re quā posuisētētiam. Prodit autē & noster Costerus [d], dilaniati priùs crucifigēdi corpus flagris solitū virgísque, ne quid in eo esset quod nuditate ad aliquā turpitudinem spectatores moueret. Nec refert quòd picturæ velent partes pudendas; & quædam, præsertim apud Græcos, corpus totum: decori enim & honestatis in ea re habita est ratio.

i Liui. lib. 4.
k Sene. ep. 101.
l Minut. in Octauio.
m Poëta incertus in catalect. 5.
n Apul. lib. 1.
o Cicero Verrina 5.
p Nonnus.
q Cass. Emina apud Strenium, vt Scaliger citat in Festum.
r de fort. Rō.
s l. liberorū. ff. de his qui notātur infamia Petrus Faber 2. semest. c. 9.
t 1. Cor. 1. 23.
u Gal. 3. 13. Deut. 21. 23.
x 1. Cor. 1. 23.
y Deut. 21. 23.
z 1. de cruce. c. 38.
a c. 39.
b de princip. Dialect.
c tra. 36. in Ioan.
d Artemid. lib. 2. c. 58.
e Ambros. in Ps. 43. & lib. 10 in Lucam. Atha. ser. de cruce, & pas. Bona. & Ludolphus in medit. & vita Christi.
f Gen. 9. 22.
g Aug. 16 de ciuit. c. 2. & 13. con Fau c. 23. Cypr. l. 2. ep. 3. vel 63. Gen. 3. 7 24. Ambr. lib. 10. in Lucam & Atha. supra. Rup. & Euche. in Gen.
a 2. de cruce. c. 32.
b lib. de picturis. c. 79.
c tom 2. in 3. p. d. 36. sect. 4.
d medit. 34. de pass. Domini.

Quantus deinde cruci habitus honor sit, scimus, fuséque tractat toties nominatus Gretserus toto opere de cruce. Ad rem præter cætera facit edictū Cōstantini, quo crucis suppliciū sustulit [e]; quod tacito Imperatoris nomine refert etiā August. [f] Itē, quòd crux ipsa, in qua fixus est Christus, ipsum præcessura creditur ad vltimū iudiciū venientē, vt ipsemet significat [g]. Patres multi affirmāt [h], & innuit Ecclesia illis verbis; *hoc signum erit in cœlo, cùm Dominus ad iudicandum venerit*: imò & post iudiciū perpetuò & incorruptibiliter cōseruandum id lignum Vvaldensis [i] indicat, & aliqui apertè sentiunt [k]. Nos alibi eadem de re [l].

Morte turpissima.] Græcè (ἀσχήμονι.) Sed Interpres nō rarò positiua nomina superlatiuis reddit.

Condemnemus.] Censentes reum mortis: licèt sententiā Pilatus tulerit Iudæis flagitantibus, quibus non licebat interficere quemquam [m].

Erit enim ei respectus ex sermonibus illius.] Græcè (ἔσται γὰρ αὐτοῦ ἡ ἐπισκοπὴ ἐκ λόγων αὐτοῦ, *erit enim eius obseruatio, & inspectio ex verbis eius.*) Hoc est, inquit Iansenius, dū affligetur à nobis, cōsiderabimus, & cōspiciemus ex verbis eius qualis sit. Vatablus, & Sà: ratio eius iuxta sermones ipsius habebitur, tractabitur secundùm dicta: vel ironicè, Deus respiciet illū, scilicet vt prædicabat. Salmerō [n] hoc secundū approbat; & præterea quòd facilè inspicere possint ex verbis, & factis eius quis sit. Cātacuzenus: erit forsan quod prædixit de sua resurrectione. Idcirco nāque subdubitantes de prędictionis veritate, obsignauerūt sepulchrū, apposuerūntq; custodes [o] Glossa interlin. Bonauētura, & Lyranus: videbimus valeátne post mortem seipsum suscitare, sicut dictitabat: imò, vt iidem dicūt, & Carthusianus, si potuerimus illū extinguere, cognoscemus mentitū, quando se Dei Filium nominauit. Hoc pacto erit respectus noster, ait Hugo, id est, defensio & excusatio, vt si quæramur cur eum interfecerimus, respōdeamus, quia Filiū Dei se faciebat. Osorius: morte valdè ignominiosa condemnemus eum, vt ex verbis illius, quæ dolor vehemens expresserit, de hominis mente statuamus.

Mihi hic vltimus exponēdi modus placet maximè. Nec nūc *verba* aliud significare quàm verba existimo, non autem sumi pro factis. Ἐπισκοπὴ ἐκ λόγων propriè valet inspectionem, & cōsideratione ex verbis collectam, siue factam, quando quis perpēdit, & iudiciū facit ex his, quæ alius dicit, quid vélit, quis, qualísve sit, quid gerat in animo. Volebātautē Iudæi quęstione ac tormētis elicere veritatē ex ore Christi, quasi territus aut cruciatus prolaturus aliud fuerit quod adhuc noluisset, vel apertè dicturus quòd simulasset, & dissimulasset.

e Sozom. lib. 1. trip. c 8. Niceph. lib. 7. c. 46 Glyc. 4. p. annal. Vide in Constantino C. Theod. l. 1. vnica. ad l. Iul. maiest.
f in Ps. 36. & ser. 18. de verb Dom.
g Mat 24. 30.
h citat Gretserus lib. 1 de cruce c. 93. & Suarez tom 2. in 3. p. dis. 57. sect 2.
i tom 3. tit. 21. c 158.
k apud Suarez loco citato, & apud Gretserum suprà.
l in Domin. 1. Aduent.
m Ioan. 18. 31. c. 19. 16.
n tom. 10. tract. 4.
o Mat. 27. 66.

Vers. 21.] Hæc cogitauerunt & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum.

SEquitur deinceps acris reprehensio impiorū multiplex: hic verò ab errore, siue ignorantia

vituperabili,& petuicacia magna,quæ ipsos cæcauerit.

Errauerunt.] *Erratis*,inquit Christus [a] , etsi loquens alia de re,*nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Ipsimet postea dicent [b] ; *ergo errauimus à via veritatis. Errant qui operantur malum* [c].

Excæcauit enim illos malitia eorum.] Non possunt errorem excusare, vel ignorantiam, quæ non simplex, sed prauæ dispositionis est. *Væ nobis*, dicunt idem de seipsis [d], *quia peccauimus ; propterea contenebrati sunt oculi nostri* : alibi,*ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt* [e]. *Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium* [f]. Olcot [g] tropologicè demóstrat per inductionem , quo pacto cæcitatem peccata inducant capitalia.Oderant Iudæi Christum gratis [h] : maleuolo cum animo persequebantur, ita vt excusationem non haberent de peccato suo [i] ; vehemens verò perturbatio non reiecta, sed approbata, etiam tantillum quod de Messia lumen habebant [k] , quodammodo extinxit. Et videtur nonnullis, quando Christus in cruce orans dixit [l];*quia nesciunt quid faciunt*, significare voluisse, eò processisse malitiam vt cæcaret : Paulum quoque cùm de se scripsit, veniam consecutum, quia ignorans fecerat in incredulitate [m];ibi enim non extenuat,sed exaggerat peccatum suum, & extollit ea de causa misericordiã Dei,sicut aliàs obseruauimus [n]. *Lux venit in mundum,& dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera* [o]. Sic mutuò sunt hæc sibi causæ, mala opera cæcitatis, cæcitas malorum operum, & peccati hac ratione peccatum pœna potest esse.

Deus quoque cæcationis,vt & aggrauationis, atque indurationis causa dicitur [p],& homo ipse: verùm homo per se,aut cùm nõ vult intelligere, vt bene agat [q];aut cùm circa alia mentem magis occupat , quibus ab inspectione veritatis impeditur: Deus vt remouens prohibens ; homo, dum suomet animi motu inhæret malo , auertitúrque à lumine : Deus subtrahendo magis specialem gratiam. Vnde fit,vt aliqui peculiari quadam pertinacia , & improbitate hæreant in peccatis.Quòd facit quoque interdum Deus concedendo quædam bona , quæ sunt homini occasio excæcationis,& peccati.Lege S.Thomam [r].

Quædam cæcitas excusat,quæ potiùs simplex vocanda esset scientiæ priuatio,quando nimirum prouenit ex naturali defectu nõ potentis videre. De illa videtur Christus loqui, cùm dicit [s];*si cæci essetis,non haberetis peccatum.* Cæcitas porrò culpabilis ex aliis quidem peccatis oritur,sed ex luxuria , & gula præsertim , quibus impij isti laborabant. Docet id Gregorius [t] , licèt ex gula velit magis propriè nasci hebetudinem, cæcitatem ex luxuria ; quippe quòd huius delectationes maiores magis applicant hominis intentionem conarúmque ad corporalia,magísque reuocant ab intelligibilibus.

Malitia.]Græcè(*κακία.*)Gaudentius [u] Brixiensis(*nequitia cordis eorũ*) Lactantius [x] (*stultitia ipsorũ.*)

a Matt.22. 29.
b c.5.6.
c Prou.14.22.
d Thren.5. seu in oratione Ierem.
e Sophon. 1. 17.
f 2.Cor. 4. 4.
g lect.28.
h Ioan.15. 25. Psal.34.19.
i ibidem. Ioann.15. 22.
k Ioan.12.35.
l Luc.23. 34.
m 1.Tim.1.13.
n Act.3. 17.
o Ioan.3.19.
p Exod.7.3. Psal. 104. 25. Esa.6.19.c. 63.17. Rom. 9.18.
q Ps 35. Ioan. 12.40.Act. 28.27.
r 1 2.q.79.art. 3.& 2.2. q.15. artic.1.2.3. & in c.9.Ep. ad Rom.
s Ioan.9.41.
t 31.moral. c. 31.
u sermo. siue tract 19.
x lib.4.c. 16.

Vers.22.] Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum

MAgna cæcitas tum circa reuelata,vt si quidem sit sermo de Christo,de incarnatione ipsius,de fructu passionis eiusdẽ, de resurrectione,&c.tum circa principia moralia,quæ naturaliter cognosci possunt , vt quòd iustitiæ debeatur præmium,pœna iniustitiæ:tum circa cõclusiones, quæ colligi possunt ex vtroque dictarũ genere rerum,vt quòd iustorum animæ,licet in hac vita patiantur multa , magnis post illam honoribus afficientur. Initiatis, id est , fidelibus, & paruulis , ac humilibus reuelantur mysteria [a], & cum rectis secretum Dei est [b]. *Firmamentum est Dominus*(arcanum)*timentibus eum,& testamentum ipsius,vt manifestetur illis.**Idcirco in aditu tẽpli Harpocrates constituebatur labiis impresso digito, admonens de silentio [c]. Epicuræorum ritu impij nihili faciunt oracula diuina , sed rident potiùs, nec Deum , velut athei, vlla colendum censent Religione [d].

Sacramenta.]Græcè(*μυστήρια,mysteria*,& *secreta*,siue *arcana.*) Sed Interpres pro sanctioribus rebus eam *sacramenti* vocẽ libẽtiùs vsurpat.Possunt hoc loco intelligi diuina consilia , quibus gubernat omnia;præcipuè quæ sũt superioris ordinis,qualis incarnatio,& similia; de quibus Cãtacuzenus hunc accipit locũ,cæteri de vtrisque. Aliquando coniũgit Interpres hæc duo(*mysterium consilij* [e]) cũ sermo est etiam de hominibus : interdum (*sacramentum voluntatis* [f]) cùm de Deo.Latina *sacramenti* vox multa significat; sed omnia cum habitudine quadam sacra,siue pecuniã ærario publico, quod sacrum erat,applicandam[g]:siue iuramentũ,idque quod iuramento affirmatum est [h]. Retinetur ab Interprete *mysterij* Græcum vocabulum,quod alij quoque Græci auctores Latinitate donarunt.Ecclesiæ Sacramenta ideo sic dicuntur,quòd latentem in se contineant,significéntque gratiam,quã etiam instrumentaliter operantur. Scripturarum quoque sacramenta vocari solent latentes sensus,quos etiã appellamus mysticos. *μύειν*,aut *μυεῖν* est *nictare,oculos claudere*,aut etiam *labra*. Inde *μύσαι*,sacris initiati,& sacra tractantes,quoniam *τοῖς μύσαις*, inquit Eustathius,necesse est *μύειν τὸ στόμα, καὶ μὴ ἐκφέρειν ἃ μεμύηνται*.De *sacramenti* nomine plura Pamelius [i].

Iustitiæ.]Græcè(*ὁσιότητος,sanctitatis.*)Rectè vertit Interpres : quia nomina ista complectuntur vniuersitatem omnium virtutum.

Animarum sanctarum.]Græcè(*ἀμώμων,irreprehensibilium.*) Et hoc requiritur ad sanctitatem dictámque iustitiam.Ex numero autem plurali colligitur tot esse animas,quot humana corpora : & prorsus hęreticã esse *μετεμψύχωσιν* Pythagoręorũ, & Platonicorũ, Simonis quoq; Magi [k],ac Manichæorum[l],& Iudæorũ Thalmudistarũ [m],& Albigensium [n]:item damnandum Auerroëm,qui vnicam mentem siue intellectum omnibus hominibus esse dixit [o]. Nec improbabile est, per honorẽ animarum sanctarum, quem dicuntur impij non iudicauisse,intelligi Sanctos omnes,qui in Christo à Iudæis damnato damnati censeantur , sicut in effuso sanguine Christi , sanguis omnis iustus ab Abel,& deinceps.Hoc quidem pacto Angelus del Pas interpretatur [p].

a Matt.11.25. Lucæ 10. 21.
b Prou.3.32.
*Ps.24.14.
c Aug. 18. de ciuit.c.5. Polit. miscell. c.83.
d Plutar. de oracu. defect. & lib cont. Epicu.sent.
e Iudith 2. 2.
f Ephes.1.9.
g Varro 4.de lingua Lat.
h in vtroque iure sæpe, & apud alios.
i in lib. Tertull de præscript. c. 40. n.219.
k apud Irenæ.lib.1.c.20. & Tertull de anima.c.16.
l apud Aug. de hæresib.c. 46.
m in Thalmud.ord.4. tract 2.
n apud B Anto.3.p. histo.tit 19 c.3.
o 3.de anima. comment.5.
p 6. exposit. in Symbol.c. 21.

Vers.23.] Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem , & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.

HIc est honor animarum sanctarum ; quoniam Deus hominem condidit in initio &

corpore immortalem, ſi vellet, & inſignitum imagine atque ſimilitudine Dei in animo.

Inexterminabilẽ.] Græcè (*ἐν ἀφθαρσίᾳ, in incorruptione, ad incorruptionẽ, vt incorruptibilis eſſet.*) Budæus[a] ita vertit (*Deus creauit hominẽ ad naturam non interiturã.*) Potuit homo non mori, ſi non peccaſſet, & moriendi neceſſitas pœnæ nomine inflicta eſt [b]. Contrarius Pelagij fuit error, qui nullum in homine primo ſupernaturale donum agnoſcebat, ideóque negabat nos propter Adæ peccatum quidpiam perdidiſſe. Itaque, licèt proximè præcedentibus verbis mentio fuerit de honore animarum ſanctarum; vnde fieri videtur, vt intelligi debeat hominem creatum inexterminabilem ſecundùm animam, idque ex natura, non ex dono ſupernaturali: tamen quæ ſequuntur, perſuadent priorem ſenſum, vt de morte, quæ introiuit in orbem terrarum diaboli inuidia. Falſa celebris apud Veteres Senecæ [c] ſententia: [Mors homini pœna eſt, non natura.] Reuocari huc Ioſephus [d] poteſt, ſcribens longiſſimam futuram homini vitam, ſi non peccaſſet; propter peccatum admodum ei contractam eſſe. Ex immortalitatis dono rectè colligitur donum ſanctitatis, & originalis iuſtitiæ. Senſus item poteſt eſſe, factum hominem, vt exterminari nunquam poſſet, ſi vellet, id eſt, nec mori corpore, nec in anima facere iacturam gratiæ, quæ eſt vita ipſius, ſed tranſire ad immortalitatem beatitudinis.

Imaginem ſimilitudinis.] Scio diſtingui à multis imaginem, & ſimilitudinem, vt prima denotet naturam intellectus, & voluntatis; ſecunda donum ſapientiæ, & iuſtitiæ: præterea variis aliis modis hæc explicari [e]. At id quoque certum eſt, in Scripturis non minùs hominem aliquem genitum ab homine dici ad illius imaginem & ſimilitudinem [f]: præterea *imaginis* vocem accommodari ad gratuita & ſupernaturalia dona [g]. Sed & idem primus homo ab eodem auctore Geneſis [h] factus ſcribitur, & in libro Eccleſiaſtici [i], ad imaginem, vel ſecundùm imaginem Dei: & Iacobus [k] eos qui nunc ſunt, ait factos ad ſimilitudinem Dei; & Paulus [l] quemlibet virum vocat imaginem, & gloriam Dei: imò hic præterea ſumit *imaginem* pro dono ſupernaturali [m]; *induentes nouũ hominem, qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius qui creauit illum:* & rurſus [n], *ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.* Lege Arboreum [o]. Denique Auguſtinus [p] ſynonyma facit imaginem ſimilitudinémque; aut ait intra notionem imaginis contineri ſimilitudinem, licèt non vice verſa, in ſimilitudine comprehendi etiam imaginem, cùm latiùs pateat ſimilitudo. Vtrauis recipiatur opinio, vel hæc diuerſa, vel eadem eſſe, honor animarum eſt, quòd ſit factus homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei [q] (quæri autem poſſet, habeátque homo magis hanc ſimilitudinem Dei, quàm Angelus, & an ſolus vir, non fæmina, quod indicat auctor quæſtionum vtriuſque Teſtamenti [r]: ſed malè, & ſecundùm naturam præſtantior eſt in Angelo) quæ quidem imago & ſimilitudo per ſe conſiſtit in anima, minùs propriè in corpore. Quamquam epithetum (*ſanctarum*) nonnihil ſuadet ſaltem in altero ex his nominibus deſignari donum gratiæ, quo ſanctificatus eſt homo in prima ſui creatione: quæ ſãctitas quia per peccatum amiſſa eſt, concedi poſſet hoc modo perditam deletámve imaginem Dei, vt dicebat Origenes, Epiphanio [ſ] teſte: vel ſimilitudinem, vt Victorinus [a], quæ, vt dixi, cenſetur conſiſtere in dono gratiæ. Vindicat Origenem Alphonſus a Caſtro [b]. Græcè legimus hoc loco, *καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν, & imaginem propriæ,* ſiue *ſuæ* (ſic Budæus [c]) *proprietatis fecit illum*, vel *ad imaginem ſui propriam* (ſicque legit Cantacuzenus, & Michaël Glycas [d].) In quibuſdam codicibus eſt *ἀϊδιότητος, æternitatis*; & apud Athanaſium [e], atque Nicetam [f]: in aliis *ἰσότητος, æqualitatis.* Sed Lucifer [g] noſtram lectionem Latinam ſequitur. Probat hinc autem Glycas ex profeſſo hominem caducum corpus ab initio non habuiſſe. Sed quod refellit dicentes naturam Adami mediam fuiſſe inter mortalem, & immortalem, quæ eſt ſententia Philippi Solitarij [h], ſine cauſa facit: eſt namque ſenſus, potuiſſe nón mori, licèt poſſet etiam mori. Quod auctor dioptræ colligit, ſi corpus Adæ immortale eſſet, non egeret cibo, falſum eſt: cauſa enim dictæ immortalitatis ex parte proueniret ab arbore vitæ [i]. Lege Bellarminum [k], & Valentiam [l]. Errat autem Glycas negans Adamum in Paradiſo vſum fuiſſe vero & ſenſibili cibo. Lege cum citatis Molinam [m]. Refellitur ex hoc quoque loco fœdus error Manichæorum, de quo Theodoretus [n], & Nicephorus [o], Adam belluina forma conditum, Euam inanimam & immobilem: hanc liberaſſe virum ſuum feritate.

Denique ſecundùm animam per ſe factum hominem debemus intelligere ad imaginẽ Dei; quia ratione præditus eſt, & præterea in gratia conditus; non propter formam externam, quam Deus initio aſſumpſerit, vt loqueretur cum homine [p]; non ob humanam naturam aſſumendam à Dei Filio [q]; non quantum ad ideam prototypúmve hominis in Dei mente [r]; non quia Dei Filio ſimilis, qui eſt imago Patris [ſ]; non quòd inſtar corporis Dei corporei [t]. Sic etiam Plato, teſte Euſebio [u], locutus videtur de ſimilitudine hominis cum Deo, propter intellectum, & immortalitatem animæ.

Verſ. 24.] Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.

IMpij, vt antè dictum eſt [x], manibus & verbis accerſierunt mortem, & *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors* [y]. Vtrumque eſt. Nam diabolus inuidens felicitati primi hominis induxit ad peccandũ: peccatũ verò eiuſdem hominis fuit mortis cauſa, quam comminatus erat Deus [z], non animæ, atque damnationis æternæ per ſe, quoniam ipſomet peccato per ſe incurritur, ſed corporis. Illud quidem videtur Philo [a] velle, Gregorius [b], Eucherius [c], aliique: ſed hoc ſequitur Auguſtinus [d], multóque paſſim plures.

Cantacuzenus primum illud ex capite priore de morte, quam ſibi accerſierunt impij, explicat, non de generali cũctis hominibus moriendi neceſſitate, quam peperit inuidia diaboli, peccatúmque eodem ipſo auctore factum à primo parente: ſed veluti de propria cuique per ſuamet particularia peccata, & immodicum caducarum rerum amorem, qui ſimiles reddit illis, caducos & mortales.

Cyprianus [e], quẽ citat Auguſtinus [f], hinc valdè exaggerat zeli, liuoris, inuidiæ dãna, cùm diabolus hoc & petierit ipſe vitio primus (nec ta-

a in pandec.
b Gen. 2. 17. c. 3. 3.
c lib. de remediis fortuitorum.
d 1. Antiq.
e lege Pere. in Geneſ. lib. 4. & Bellar. l. de gratia primi hominis c. 2.
f Gen. 5. 3.
g 1. Cor. 15. 49. Coloſ. 3. 10.
h c. 9. 6.
i c. 17. 1.
k c. 3. 9.
l 1. Cor. 11. 7.
m Col. 3. 10.
n 1. Cor. 15. 49.
o 1. theo. c. 11.
p lib. qq. in Deut. q. 4.
q Gen. 1. 26.
r apud Aug. tom. 4. c. 106.
ſ ep. ad Ioan. Ieroſ.

a 1. con. Ari.
b de hæreſ. verb. Adam. hær. 2.
c in pandect.
d diſp. 2.
e de incarna.
f in Nazian. orat. 41.
g pro S. Ath.
h 2. diop. c. 8.
i Gen. 2. 9. c. 3. 22.
k lib. de gratia primi hominis c. 9.
l 1. p. diſp 7. q. 4. pun. 1. & 2.
m tra. de opere ſex dierũ. diſp. 28.
n 2. de fab. hæret.
o 6. hiſt. c. 31.
p Eugub. & Olraſt.
q Cæſar. dialo 3.
r Philo de opific. mundi, & lib. allego. legis.
ſ Orig. ho. 1. in Gene. Rup. lib. 2. c. 2.
t Audiani, & Anthropomor. hæretici.
u 11. de præp. c. 14.
x c. 1. 16.
y Rom. 5. 12.
z Gen. 2. 16.
a de allegor. legis.
b lib. 6. ep. 31.
c in Geneſ.
d 13. de ciui. c. 23.
e lib. de zelo, & liuore.
f 4. de bapt. c. 8.

men videtur hoc omnino primum Angeli peccatum, sed superbia) & perdiderit hominem, gratiâ ei datæ immortalitatis (etiam ac præsertim sanctitatis) inuidens. Diabolicum inuidiæ peccatum pariter Patres vocare propterea solét[a]. Cyrillus[b] autem Alexand. argumentatur aduersùs Origenē, qui animas priùs dicebat peccasse, quàm descenderent in corpora. Nam & corpora ipsa per se bona sunt ab auctore bonorum Deo facta: & mors in mundum istum ingressa est per diabolum, qui non esset inculpandus, cùm potiùs mortе supplicium animæ dissolueret.

a Greg. 31. moral. c. 34. 1. p. Pasto. admon. 11. Aug. de cōflict. virtutum, & vino. c. 6 & ep. 48. Cassian. coll 18. c. 17. Cæsarius ho. 23. Amb de paradiso c. 12.
b lib. 1. in Ioā. c. 9.
c 1. de pec. mer. c. 9.

Augustinus[c] admonet vt errorem Pelagij caueamus, negantis propagationem originalis peccati ab Adam, sed solam imitationem. Hoc modo nō Adā, inquit, sed diabolus princeps peccati dicendus esset, per quem peccatum intrauerit in mundum[d]. Propterea verò id non dicitur, quia mox hoc ipso loco subiicitur modus imitationis (*imitantur autem eum, qui sunt ex parte eius.*) Non cogendi potentiam diabolus habebat, ait alibi[e], sed persuadendi versutiam.

d Rom. 5. 12.
e tract. 12. in Ioan.

Diaboli.] De notione huius nominis aliàs egi[f], ac sæpe quidem, non tamē semper significare Luciferum: nec enim hic solus aduersarius est, & vt leo circuit[g]: neque Paulus de solo illo[h] scribit, dicens; *Nolite locum dare diabolo*: quemadmodū & Satanas crebrò eundem Luciferum, sed etiam aliquando alios significat, vt, *si*[i] *Satanas Satanam eiicit.* Ex nomine porrò *diaboli* colligitur, non ipsum per se mutum serpentem locutum[k], vt Iulianus Apostata obiiciebat tanquam fabulosum, teste Cyrillo[l] Alexandrino; sed diabolum per ipsum (quem & idcirco Ioānes in Apocalypsi[m] vocat serpentem antiquum) sicut Angeli boni operâ locuta est asina[n]. Quamquam non debuit Iulianus id adeò fabulosum arbitrari, vel reprehendere, cùm apud Ethnicos, vt Cyrillus argumentatur, quorū se fatebatur opiniones sequi, & equi, & tauri, & fluuij, & arbores aliquando locutæ credantur. Digrediendi locus non importunus esset in inuidiam, & quo pacto diabolus eam in se admiserit, quídque, & cui inuiderit. Celebres opiniones inuidisse homini incarnationem; felicitatem, quam ipse amiserat; imaginem, similitudinémque Dei.

f Act. 5. 3.
g 1. Pet. 5. 8.
h Eph. 4. 27.
i Mat. 12. 26.
k Gen. 3. 1.
l lib. 3. cont. Iulian.
m c. 20. 2.
n Num. 22. 23. 2. Pet. 2. 16.

Vers. 25.] Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

A Sic legunt quotquot legerim Latini Patres: & aptè argumentabatur Augustinus, vt vidimus, si peccasse dūtaxat imitatione diceremur in Adā, non propagatione, potiore id affirmandum iure de diabolo, cuius inuidia mors introiuit in orbē terrarum, qui ab initio peccans[a] primos ad peccandum parentes induxit[b]. Græcus textus habet (πειράζουσι δὲ αὐτὸν, *tentant autem illum*) vel διάβολον, vel θάνατον; est enim etiam θάνατος generis masculini. Sed quod sequitur (οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες, *qui partis illius sunt*, seu *ex parte illius*) innuit potiùs diabolum; quamquam in fine capitis præcedentis eadem verba sunt de morte.

a 1. Ioan. 3. 8.
b Genes. 3. 1 & seq.

Hunc sensum Interpres posuit, cúmque Patres, vt dixi, sequuntur. Iansenius & Osorius explicant de morte, quam experiantur hi, qui sunt
B partis diaboli, à quo mors est introducta; & volunt consentire sequentia per oppositionem (*iustorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis*) id est, non experientur mortem. Vatablus quoque vertit (*experiuntur illam.*) Eodem modo Cantacuzenus intellexit. [Nemo namque magis, inquit, mortis malitiam participat, quàm qui se prorsus dignum reddidit, qui esset in illius partibus; & mortem inuidia diaboli esse ingressam, illi optimè norunt, qui diligenter scrutantur.] Vbi postrema quoque verba refert
C ad mortem, nēpe (*qui sunt partis*, aut *ex parte illius.*) Sed Latinam editionem, & Latinorum sequi debemus interpretationem de imitatione diaboli, hoc est, de hominibus, qui parent prauis consiliis eius, & tanquam ex patre diabolo desideria patris sui volunt facere[c], vt primi parentes fecerunt; quæ ille consilia & illis suggessit, & nunc aliis suggerit propter summam inuidiam gratiæ, & felicitatis, ad quas facti sumus Dei beneficio singulari. Tuetur Iansenius versionem nostram hoc modo, quia πειράζω significat etiam *tento*: qui autem imitatur, tentat eam rem quam vult imi-
D tari. Imitati sunt in inuidia diabolum Cain, Esau, fratres Ioseph, Saül; deniq; Iudæi ex patre diabolo, eius desideria, qui homicida fuit ab initio, facientes[d], pleni inuidia homicidióque[e]: quæ vt vocibus φθόνου, καὶ φόνου, sic reipsa conueniunt. Imò in priore litera continetur (θ) infausta, & lethalis. Omnem, qui odit fratrem suum, Ioannes[f] affirmat homicidam esse, videlicet aut re, aut voluntate. Inuidus autem simul, & homicida diabolus, vt dixi, fuit, inimicus etiam homo[g], id est, hominis, & aduersarius[h], ἀντίδικος.

c Ioan. 8. 44.
d ibid.
e Rom. 1. 29.
f 1. Epist. 3. 15.
g Mat. 13. 28.
h 1. Pet. 5. 28.

SVMMARIVM.

EXPONITVR *iustorum felicitas, quos hîc spernunt impij, & probat Deus tentationibus: è regione ponitur infelicitas impiorum: celebratur castitas, contráque vituperatur soboles adulterina.*

CAPVT III.

1 Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.
2 Visi sunt oculis insipientium mo-
E ri: & æstimata est afflictio exitus illorum;
3 Et quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace.

4 Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.

5 In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.

6 Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum.

7 Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.

8 Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.

9 Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donum & pax est electis eius.

10 Impij autem secundùm quæ cogitauerunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt.

11 Sapiētiam enim & disciplinam qui abiicit, infelix est: & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum.

12 Mulieres eorum insensatæ sunt, & nequissimi filij eorum.

13 Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis: & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum:

14 Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersùs Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.

15 Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ.

16 Filij autem adulterorum in inconsummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur.

17 Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum.

18 Et si celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem.

19 Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

Vers. 1.] Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.

IMPII diabolum imitantur, ideóque mortem, cuius ille auctor, experiūtur, videlicet vt pœnam, & viam ad secundam æternæ damnationis. At iustorum animæ latent in Dei tutela, & patrocinio, vt propterea debilitari, frangíve cruciatu non possint. Cruciantur quidem iusti, maxime Martyres proximi imitatores Christi (de qua re actum priore capite) ab impiis, qui corpus etiam possunt occidere [a]; verumtamen eatenus duntaxat ipsa quoque corpora vexantur, quatenus Deo visū; animis autem illi nūquā concidunt, & oblectat, non torquet ipsos mors obita pro iustitia, pro Christo. Nec dolent in exitu, nec horrent in transitu, nec pudefiunt in conspectu Domini: quod est mortis triplex præcipuum tormentum. Sunt oues [b] occisionis, gratæque victimæ: ipsi se semper portant in manibus, periculum suum considerantes, Deo sese offerentes.

[a] Mat.10.28. [b] Psal.43.22. Rom.8.36.

Iustorum animæ.] Glossa, aliíque Martyres intelligunt præcipuè. *Iustus* enim *est, qui negligit damnum propter amicum* [c]. Talis Martyr potissimùm, qui despicit pro Christo facultates, amicos carnales, vitam ipsam. Est vniuersalis de omnibus iustis propositio, vt etiam intellexit Nicephorus Episcopus Cōstantinopolitanus ad Papam Leonem [d], indéque colligere videtur, eos ab se meritò inuocari, & Andreas [e] Cæsariensis: sed Ecclesia præter aliquos Patres, ad Martyres eam adaptat in officio diuino.

[c] Prou.12.26 [d] tom.5. Cōcil. Ephes. [e] in Apoca. c.63.

Anima.] Vitam quidem significat *anima* non rarò: hîc tamen substantiam ipsam animæ rationalis. Dedit Deus Iob in manu Sathan; sed animam, id est, vitam, vel vsum facultatémve rationis attingi vetuit [f].

[f] Iob 2.6.

In manu Dei sunt.] Sub eius potentia, ditione, conseruatione [g]: sub aspectu, & grata notitia, atque prouidentia [h]: sub peculiari cura Filij Dei; qui manus Patris dici potest, sicut Spiritus sanctus digitus [i]. Vtitur hoc loco Chrysostomus [k] contra vetularum verba, quibus animas dicebant in his regionibus errare: quem ipse errorem de huiusmodi errore pluribus aliis argumentis confutat. Portantur iusti manu Dei, vt nutritij portatur manu puer [l]: vt auis venatoris, ne auolet [m]: vt calix vini meri [n]: vt charta descripta [o]: vt corona gloriæ, & diadema regni in manu Domini [p]: vt infirmus in manu confortātis [q]: vt materia, vel instrumentū opificis: vt clypeus strenui militis, omnéve armorum genus. Non subtrahamus nos de talibus manibus, sed in eas ingiter commēdemus spiritū nostrum [r]. Lege Olcot [s]. Sit anima nostra in manib. Dei; sed simul in nostris semper [t], vt parati semper simus ad mortem, & pericula eius; vt nūquam vitæ, potissimùm æternæ, tanquam pretiosissimæ, curam deponamus de manibus. Augustinus [u] ait plures codices habere (*in manibus tuis*) id est, Dei, & exponit iuxta præsentem locum, aítque se nescire, quid sibi velit (*in meis*:) & ita etiam explicat Theodoretus. Sed Hieronymus [x] declarat, vt diximus, de quotidiano periculo; confirmatúrque id testimoniis Iob [y], & Iudicum [z]: adde historiam Regum [a]. Variam acceptionem *manus* notat hîc Carthusianus, & nos alibi [b].

[g] Ps.94.4. [h] Esa.49.2. [i] Matt.12.28. Luc.11.20. [k] hom.29. in Matth. [l] Ose.11.3. [m] Ose.9.11. [n] Ps.74.9. [o] Esa.49.16. [p] Esa.62.3. [q] Ezech.3.14. [r] Psal.30.6. Luc.23.46. [s] lect.30. [t] Ps.118.109. [u] in Ps.118. [x] ep. ad Suniā, & Fret. [y] c.13.14. [z] c.12.3. [a] lib.1.c.28.21. [b] Act.4.28.30. c.13.11.

Erudita, & prolixa oratione tractat præsentem locum Gonsaluus Ceruantes, cuī laudem, cū meretur, non detraho, licèt eā persæpe ex aliena vituperatione siue iusta, siue iniustā colligere

velle

velle videatur. Recitat verò Baronius [a] ex oratione Themistij ad Valentem nondum edita, picturam apud Assyrios fuisse, quæ Regis mentem in palma Dei repositam repræsentaret: periculum verò animaduertendum esse quantum sit ei, qui in actionem à Deo alienam prorumpat, cadere ex manu conseruante. Videri possunt Assyrij quibuscum Hebræi assueuerant, eam expressisse picturam ex hac sententia, vel etiam ex alia in Prouerbiis [b]; *Cor Regis in manu Dei.* Attamen *in manu eiusdem Dei sunt omnes fines terræ* [c]; licèt nonnullarum rerum curam peculiarem gerat, & maiorem prouidentiam habeat, vt Regum, ac Principum, tum verò iustarum animarum. Nemo de manibus istis [d] rapere nolentem potest. Præter indicata, hoc valdè simile testimonium est ex Deuteronomio [e]; *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt*; & de Angelorum custodia in Psalmo 90. [f] *In manibus portabunt.* Eodem facit esse in manu dextera Dei sicut annulū [g]: vel poni ab ipso quasi [h] signaculum, seu signum [i]; item signaculum super cor, & brachium [k].

B

Non tanget illos tormentum mortis.] Interpres addidit *(mortis)* quia mentio de morte proximè fuerat. Quidam codices habent *(malitia)* & ita legit Ecclesia in diuino officio. Lucifer [l] legit tantummodo *(tormentum)* Andreas Cæsariensis [m] auctor Græcus, cum nomine *mortis*: Augustinus [n] in quibusdam codicibus cum vocabulo *malitiæ*; quo tamen emendati carent. Ad sensum respiciens, vt opinor, Damascenus [o], ait, quòd iustorum animæ in manu Dei sint, nec mors eos attingat, literis sacris proditum esse. Dixi mortem secundam intelligi; sed & prima velut tormentum non tangit, ὡς θάνατος: aut leuiter experiuntur iusti mortem. Tangere siquidem aliquādo grauiorem percussionem significat, nonnunquam leuiorem: & pro grauiore apud Hebræos ipsamet lepra dicta est velut tactus, נגע *negahh.* Pessima hęc mors peccatoribus, mala in amissione mundi (sed iustus licèt sit in mundo, nō est de hoc mundo [p]:) peior in dissolutione carnis (at ille in carne ambulans non secundùm carnem militat [q]:) pessima in tormentis inferni (verùm nemo de manu Patris, neque Christi potest animam prædestinati rapere [r]) vt Bernardus [s] notat. Abest à iusto angor moriendi, periculosus cum diabolo conflictus, æterna damnatio; neque *confunditur cùm loquitur inimicis in porta* [t], inquit Hieronymus [u]. Equus mortis, quem vidit Ioannes [x], est χλωρὸς, *pallidus*, &, vt etiam Tertullianus [y] vertit, idque significat quoque Græca vox, *viridis*; quemadmodum Psalmo 67. [z] pro *pallore auri* reddit Hieronymus *virorem.* Est pallida tristisque mors, & luctuosa improbis: iustis leta ob spem cœlestium gaudiorum. Quamquam intelligo virorem lethiferum in venenatis esse. Impij sicut zizania colliguntur in fasciculos, ad comburendum [a]: iusti custodiuntur quasi flores in fasciculo viuentium apud Dominum Deum suum [b]. *Obaudite me*, ait auctor Ecclesiastici [c], *diuini fructus* (εἰσακούσατέ μου ὅσιοι, *exaudite me sancti*) *& quasi rosa plantata*, &c. Subditur comparatio cum Libano, & lilio [d]. Sunt enim bonus odor Dei in omni loco viri sancti [e], & Deo placent in odorem suauitatis: ac proinde tanquam Dei gestantur manu, vt ad nares quodammodo suas admoueat tam fragrantem odorem.

C D

a tomo 4. anno 364. pag. 170.
b c. 21. 1.
c Ps. 94. 4.
d Ioan. 10. 28.
e c. 33. 3.
f vers. 12.
g Ier. 22. 24.
h Agg. 2. 24.
i Eccli. 49. 14.
k Cant. 8. 6.
l pro Athanas.
m in Apocal. c. 6. 5.
n 19. cont. Faustum. c. 31.
o lib. 4 c. 16.
p Ioan. 15. 19. 1. Ioan. 4. 1.
q 2. Cor. 10. 3.
r Ioan. 10. 28. 29.
s Ser. 4 . ex paruis.
t Ps. 126 5.
u epist. 34.
x Apoc. 6. 8.
y de pudici. c. 19.
z vers. 14.
a Matth 13. 30
b 1. Reg. 25. 29.
c c. 39. 17.
d vers. 18. 19.
e 2. Corin. 2. 15.

A

Vers. 2.] Visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum.

Nihil impij reliquum faciunt post hanc vitam: idcirco perire iustis omnia cum vita putant, cósque iudicant infelices, quòd ærumnas perpeti soleant dum viuunt, quarum nullus deinde supersit, vel speretur fructus. Doctus Ioannes cœlesti voce scribere iussus est [a]; *beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Vox impiorum *de terra est, & de terra loquitur* [b], & est statuentium oculos declinare in terram [c]: iudicium falsum, & solam habens speciem veritatis. *Quasi morientes, & ecce viuimus*, inquit Paulus [d]. Tam sunt fictitia quæ reputant improbi mala, quàm quæ iudicant bona, & sibi somniant [e], vt Augustinus [f] obseruat. [Tantam præstitit Deus gratiam fidei, vt scribit idem Augustinus [g], vt mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam.] Sed plura de bono mortis integro libro Ambrosius.

Afflictio.] Græcè (κάκωσις.) Lucifer [h], & Augustinus [i] legunt (*malitia.*) Sed posterior monet per malitiam significari pœnam. Hæc notio haud infrequens. Tollitur tamē æquiuocatio, & aptiùs redditur verbale nomen κάκωσις à κακόω, nomine *afflictionis.*

Exitus.] Græcè (ἡ ἔξοδος) nimirum ex hac vita, qui & excessus ab Interprete dicitur apud Lucam [k]. Biblia Complutensia, & Regia, atque alij codices nonnulli omittunt hanc dictionem Latinam *exitus.*

Vers. 3.] Et quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace.

Arbitrantur impij abitum ex ista vita, recessum à societate mortalium, iter illud viámque mortis, quam ineunt iusti deserentes nos, esse exterminium, funestissimum exitum, totalem interitum. Sed aberrant longissimè: sunt namque iusti in pace, summáque animi tranquillitate fruuntur, dum supersunt, & defuncti versantur in pacatissima beatitudine.

Reiecta sunt ex emendatis Bibliis ista, quæ legebantur in Cóplutensibus, Regiis, aliísque, necnon ab Expositoribus (*& ab itinere iusto abierunt in exterminium*) quod autem ibidem sequebatur (*& quod à nobis est iter exterminij*) restitutum est (*& quod à nobis est iter, exterminium*) videlicet æstimatum est ab insipientibus. Congruit verò planè cum textu Græco (καὶ ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία, σύντριμμα, *& iter à nobis contritio.*) Si repeteretur bis vocabulum (*iter*) seu si iterum suppleretur, vetus lectio redderet eundem sensum (*& quod à nobis est iter, iter exterminij æstimatum est*) vt rectè notauit Iansenius. Lucifer ita legit locum totum nectēs prioribus (*& æstimata est malitia exitus illorum ab itinere iusto. Abierunt in exterminium*, &c.) Horum vltimorum verborum sensus esset, insipientes existimasse quòd iusti moriendo transierunt ab itinere, & viuendi modo, quem sibi persuadebant esse iustum, vt tolerando mortem, ac tormenta, &c. in exterminium, ita vt frustra & sine fructu coluerint iustitiam, cui nihil post mortem responderit.

E

Testatur Olcot [l], Rabanum notasse, hæc non pertinere ad textum (*& ab itinere iusto abierunt in exterminium.*) Quòd autem nec ea legerentur in officio Ecclesiastico, vel Missa de communi Mar-

a Apoc. 14. 13.
b Ioan. 3. 31.
c Psal. 16. 11.
d 2. Cor. 6. 9.
e Psal. 75. 6.
f in Psal. 48.
g 13 de ciuit. c. 4.
h pro Athanas.
i q. 143. in Exod.
k c. 9. 31.
l lect. 30.

tyrum, nihil me mouet, quia prætermittebatur quoque membrum illud (*& quod à nobis est iter, exterminium*; Chryſoſtomus ſermonem ſuper hoc loco ſcripſit de Martyrum laudibus.) Nam non ſemel id obſeruari poteſt factũ, vt quædam prætereantur in medio poſita, quòd minùs videantur ad propoſitum pertinere. Optimè factum, vt & cætera, quòd auctoritate Pontificia locus hic ſit reſtitutus eo modo, quem dixi, conſentaneè ad textum Græcum, licèt nullum Latinum, ſiue manuſcriptum, ſiue codicem excuſum viderim, qui veterem illam aliam lectionem non habeat.

A nobis.] Ab omnibus nobis hominibus, non à primis parentibus, vt explicant tamen Bonauentura, & Hugo. Reliqua prætereo de exterminio, & itinere exterminij, quæ curioſiùs, quàm veriùs diſtinguuntur, quia ſequimur, vt debemus, emendatam editionem.

B

Iter.] Græcè (πορεία, *profectio, migratio*) nempe ad aliam vitam beatiorem. Sic ipſiſmet vocibus profligat Auctor aduerſarios, ait Cantacuzenus.

Exterminium.] Græcè (σύντριμμα, *contritio.*) Ducta eſt, inquit Cantacuzenus, à vaſis teſtaceis translatio, quæ vbi ſemel contrita ſint, nulla ratione refici poſſunt. Inde ſæpe clades extrema deſignatur per confractionem vaſis fictilis [a].

Illi autem ſunt in pace.] In pace, *quæ exuperat omnem ſenſum* [b], & quam dare non poteſt mundus [c], in qua requieſcitur in idipſum [d], & quæ Deum diligentibus multa & copioſa eſt [e], ac velut teſtamentum conſtituta [f]; imò & hæreditas. Denique *pacis* vocabulo ſolent Hebræi felicitatis genus omne deſignare, & imprecari bona omnia, data pace ſalutando: de qua re copioſiùs alibi [g]. *Pax Christi*, ait Paulus [h], *exultet in cordibus veſtris*, βραβευέτω, in certamine Iudicis fungatur officio, brauium ferat contra omnes aduerſarios, ipſamque amaritudinem pacis mundi amariſſimam [i]. Si quis ab alio moleſtiam acceperit, habeat, ait Theodoretus [k], in corde pacem, agonothetæ officio fungentem, ſeu brabeutæ, & regentem: palmam ferat, ait Theophylactus [l], in cordibus veſtris is, qui iuſſit, vt ſimus longanimes, non ira, non contentio, non etiam pax humana, quæ ſcilicet ex vltione naſcitur. Nullum euidentius præſentiæ diuinæ in iuſti corde indicium, quàm animæ quies, pax, ſecuritas; factus enim eſt in pace locus eius [m]. Teſtantur id Antonius [n], Hieronymus [o], Gregorius [p], Chryſoſtomus [q], Theophylactus [r], Euthymius [ſ], Beda [t], S. Thomas [u], alij, & nonnulla etiam experientia. *Omnes* * *dies pauperis* (quales magna ex parte iuſti) *mali* (laborioſi, ærumnoſi) *ſecura mens* (טוֹב לֵב *tob leb, bonum cor, lætum*, propter virtutes, quibus eſt præditus) *quaſi iuge conuiuium.* De pace alterius vitæ agitur potiſſimùm, ſiue de beata, quam interim iuſti cõquieſcendo expectabãt in limbo, vſquequò Christus, aſcendendo, cœlum aperiret. Chriſtophorus Caſtrus noſter, quem, dum editionem ſecundã iſtam paro, cum meis confero, quæſtionem hîc mouet, an ſub iſtis verbis, & ſimilibus in iſto capite, regnum cœlorum intelligatur. Aliàs de ea eadem dixi [z] reſpondíque id, quod ille, adeò expreſſam regni cœleſtis mentionem in vetere Teſtamento non reperiri; ſed adumbratam ferè, ac præfiguratam, vt ſatis innuit Paulus [x]; qui degebant in eo, licèt addictiores eſſent bonis temporalibus, æterna credidiſſe, vt reſurrectionem [y], quamuis ipſa lex iſta nõ promitteret. Lege Auguſtinum [z], & Barradium [a] noſtrum.

a Pſal.2.9. Iere.19.11. Apoc.2.27. b Philip.4.7. c Ioan.14.27. d Pſal.4.9. e Pſal.118.165. f Eccli 45.30. g in 2. Epiſt. Ioan. h Coloſſ.3.15. i Eſa.38.17. k in c.3 Epiſt. ad Coloſſ. l in eundem Pauli locum. m Pſal.75.3. n apud Athanaſ in vita. o in Matth. c. ... p hom.26. in Euangelia. q hom.10. in Matth. r ibid. ſ ibid. t ibid. u 3.p.q.3.art. ... ad 3. * Prouer.15.15. ... Heb.11.9. ... c.12.22. ... Iob.19.25. ... Eſa.26.19. ... Dani.12.1.2. ... Machab.7.9. ... 23. ... 19.cont. ... Fauſt c.31.lib. ... de ciuit.c. ... epiſ.120. ... tomo 1.lib. ... 6.

A

Verſ. 4.] Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt.

Verſ. 5.] In paucis vexati, in multis bene diſponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos ſe.

ALuntur ac ſuſtentantur ſpe immortalitatis inter tot ceu mortalitates iuſti, præſertim Martyres, de quorum hîc tormentis Cyprianus [a] ait Scripturam loqui, quæ ipſos conſecrant, & in ipſa paſſionis probatione ſanctificant. Si de iam vita functis locus accipiatur, ſpes iis non propriè conuenit, quia corporis immortalitas quam nondum habent, ipſis omnino debetur, nec arduum bonum iiſdem eſt, vel per merita obtinendum. Dicetur ergo ſpes, vel quam nos bene concipimus de illis, de quibus nondum certi ſumus an ſint ſancti: vel accipitur ſpes pro certa & indubitata expectatione rei futuræ. Sic è cõtrario in capite 13.[b] idololatrarum iam mortuorum dicitur ſpes inter mortuos, id eſt, damnatos, vt ibi annotabimus. Non obeſt iuſtorum paci, ſiue hîc, ſiue in futura vita, quòd nonnihil vexentur: per minimas namque plagas eruditis maxima Deus præmia largietur, & exercitatos vario rerum diſcrimine, multiplicíque laborum aſperitate, dignos ducet, quos in bonorum ſocietatem aſciſcat.

a lib.4. ep.1. vel 8. & de exhortat. Martyrum c.11. vbi citat Salomonem. & 3. ad Quirinũ c. 16. & de laude martyrij.

b verſ.10.

C

Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt.] Græcè (καὶ γὰρ ἐν ὄψει ἀνθρώπων ἐὰν κολασθῶσιν, *etenim ſi in conſpectu hominum tormenta paſſi ſint.*) Eſto, aliquid iuſti patiantur, nec enim ſunt ἀπαθεῖς, & vexentur, ne quis vim faciat in eo quod antè dictum eſt, *non tanget eos tormentum mortis*; quod de ſecunda quoque morte potuit intelligi, tamen, &c. Solui calamitates, ac tolli, ſatis compertum eſt, & Philoſophi ipſi bonum in ipſa morte deprehenderunt, atque prædicauerunt, de quo & Ambroſius tractatum egregium fecit. Sed plus habent ſubtilitatis, quàm veritatis, quæ ad hoc illuſtrandum afferuntur etymologiæ [c] θανάτου, quòd extollat ἄνω εἰς θεὸν: ſicut è contrario γενέσεως, quaſi ſit νεύσις ἐπὶ γῆν: βίος ἀπὸ τῆς βίας: imò & Latinum *vitæ* nomen à vi. Violenta ſunt hæc, coacta, extorta.

D

c Caſtro hoc loco ex Themiſtio apud Stobæum ſer.119.

Spes illorum immortalitate plena eſt.] Immortalitate glorioſa, & quæ amitti deinceps non poſſit, vt eſt amiſſa, quam Adam habebat. Reſurgent etiam impij, &, quod maximè vellent, mori non poterũt: ſed erit illa potiùs immortalis vita mors ſecunda, ſiue tertia, aut quarta. Moritur namque anima per gratiæ iacturam, pérque pœnam damnationis: moritur corpus per ſeparationem animæ ab ipſo, & per pœnam ſenſus iterum cum anima coniunctum. Plena eſt ſpes iuſtorum, non vacua, & inanis, vel confundens, quia nixa meritis Chriſti, & propria cooperatione cum illa, pérque illam. Si enim ſocij paſſionum, & conſolationis erimus [d]: ſi compatimur, & conglorificabimur [e]. Reſurgent pueri ſine remedio peccati originalis defuncti, ſed abſque ea gloria, quam beati conſequentur.

E

d 2.Cor.1.7.

e Rom.8.17.

In paucis vexati.] Græcè (καὶ ὀλίγα παιδευθέντες, *& in paucis caſtigati, correpti, eruditi*, &c.) Eſt vexatio dans intellectum. Non ſunt tormenta propriè loquendo, inquit Cantacuzenus, ſed παιδεία, *caſtigatio*; & nec quidem grauis caſtigatio, ſed in paucis: non enim reſpiciebat

Auctor

Auctor ad acerbitatem tortorum, sæuitiámque, sed ad spem eorum, qui torquebantur, & retributionem futurorum bonorum. Sic profectò Paulus post enumerata tot Patrum tormenta [a], dum ad similem patientiam hortatur, appellat disciplinam Domini, παιδείαν, esséque id vocabulum τῆς παρακλήσεως: illam verò reddere fructum εἰρηνικὸν, *pacatissimum* [b]. Iusti enim, vt antè dictum est, sunt in pace, scientes erudiri se à Deo tanquam à Patre filios quibuslibet flagellis. Lege Riberam in Epistolam ad Hebræos, qui notat *erudire* poni pro flagellare, *disciplinam* pro flagellatione, &c.

Pauca sunt porrò, in quibus erudiuntur iusti, hoc est, flagellantur, si comparentur cum Christo: nec enim est dolor sicut dolor eius [c]: si cum amoris magnitudine, quo iusti omnia tolerant, sicut Iacob dies laboris videbantur pauci [d]: si cum præmij dignitate & gloriæ, ad quam *non sunt condignæ passiones huius temporis* [e]: si cum æternitate felicitatis, ita vt momentanea, leuísque censeatur quãtauis tribulatio [f]: si cum infinitis debitis, quibus obstricti sunt Deo [g]: si cum præcedentibus peccatis, quibus offenderũt ipsum: si cum his quæ tolerat homo pro homine, aut pro turpi, & iniusta voluptate: si cum syncera, quam sibi bene conscius animus percipit, iucunditate, etiam ex sola patiente perpessione rerum aduersarum: si cum suppliciis æternis, imò & purgatoriis. Denique omnia, quouis contineantur numero, & quantalibet grauitate, pauca sunt, ita vt verè dicturus sit paterfamilias cuiuis fideli seruo; *super pauca fuisti fidelis* [h], siue duo, siue quinque, siue decem millia talenta fuerint.

In multis bene disponentur.] Græcè (μεγάλα εὐεργεθήσονται, *magna beneficia consequentur, supra multa constituentur* [i].) Attendit Hugo propriã notionem verbi *disponendi*, vt denotet qualitatem præmij respondentem meritis in illa domo, vbi mansiones multæ sunt [k]: aptam quandam & iucundam collocationem, qualem innuunt Christi verba; *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum* [l]: & quia priùs iusti disposuerunt domui suæ [m], corpus scilicet animo subiicientes, & omnes sermones [n] ac negotia sua.

Piè veréque dicuntur ista; sed non ita respondent exactè Græca. Imò pro illis aliis verbis Lucæ; *Ego dispono sicut disposuit*, exponit Syrus Interpres; *promitto sicut promisit*, διατίθεμαι καθὼς διέθετο: alij, *decerno sicut decreuit*, *constituo sicut constituit*. Interpres ibi bene vertit, *dispono*, & *disposuit*: non tamen id verbum semper importat ordinem in collocatione, & quasi partium distributionem; sed fixum decretum, quod etiam dicitur διαθήκη. Huc arbitror Interpretem hîc respexisse, licèt Græcum εὐεργεθήσονται non inuoluat eam significationem per se. Apud Esaiam [o] disponere domui, est mandare de domo, dare domesticis mandata, quid fieri velit Rex post mortem suam, צַו לְבֵיתֶךָ *tsau lebethecha*, τάξαι περὶ τοῦ οἴκου σου.

Deus tentauit eos.] *Deus intentator malorum est, ac neminem tentat* [p]. Nihilominus tentare dicitur nos, non vt sciat, quod ignoraret antè, sed vt nos ipsi, vel alij. Hanc vocat Augustinus [q] tentionem probationis, non deceptionis. Gaudentius Brixiensis [r] scribit quòd non probat Deus sibi, qui antè nouit vniuersa quàm fiant, sed Angelis & hominibus, vt eos quos probat, ex factis probos nouerint, quoniam conscientias intueri non possunt; & illi lætentur de cõsummata Sanctorum iustitia, hi prouocentur exemplo. Addit & de diabolo, vt intelligat iure ad amicitiam Dei & regnum cæli per merita, vnde ceciderit se scit ac ingemiscit, homines peruenire, nec audeat quidquam de diuino iudicio causari. Adiice prætereа, vt sibi ipsi qui tentatur, bene sit notus, atque tum de virtutis dono, si id agnoscit in se, gratias agat, & in eodem magis proficiat: tum doleat, si deesse deprehendat, & à Deo impetrare studeat. Verùm hæc de re disputauimus alias fusè [a]: & multa postea congesta legi a Barradio nostro [b]. Lege quoque Gregorium [c]. Nimis subtile quod notat Oleot [d], tribulationes, vel afflictiones esse in pœnis, vexationes in verbis, tentationes in diuinis promissis: contra primas esse spẽ immortalitatis: contra secundas spem æternæ tranquillitatis: contra tertias spem præcipuæ dignitatis.

a Heb. 11. 35. & seq.
b infra. c. 12. 5. 11.
c Thren. 1. 12.
d Gen. 29. 20.
e Rom. 8. 18.
f 2. Cor. 4. 17.
g Psal. 115. 12.
h Matt. 25. 21. 23.
i ibid.
k Ioan. 14. 2.
l Luc. 22. 29.
m Esa. 38. 1.
n Psal. 112. 5.
o supra.
p Iac. 1. 13.
q epist. 146. 16. de ciuit. c. 32. tract. 34. in Ioan.
r praxi in tract.

Inuenit eos dignos se.] Græcè (ἀξίους ἑαυτοῦ.) Cyprianus [e] legit aliquando (*dignos sui.*) Possumus ergo cum Dei gratia dignos nos præbere, & à Deo digni censeri amicitia ipsius, & consortio beatitudinis; quod negare nostri solent hæretici. *Illi qui digni habebuntur*, ait Christus [f], *seculo illo, & resurrectione ex mortuis*, οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν, &c. Item; *Vigilate* [g] *itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis*, ἵνα καταξιωθῆτε: præterea Dominus in Apocalypsi [h]; *ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Adhæc; *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus: & qui amat patrem, aut matrem plusquàm me, non est me dignus* [i]: quasi dignum fore dicat, si plus ipsum amet, quàm illos, & crucem suam accipiens, illum sequatur. Paulus item ad Thessalonicenses [k], *vt digni habeamini regno Dei*, εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. Rursus [l], *vt ambuletis dignè Deo*; & Ioannes [m], *deduces dignè Deo.* Tandem precari solemus B. Virginem, aliósque Sanctos, vt dignos fieri nos impetrent promissionibus Christi. Hæc tractantur alibi copiosiùs. Lege Bellarminum [n].

Quo pacto huic dignitati, siue condignitatem velis appellare, non repugnet illud, quòd *non sunt condignæ* [o] *passiones huius temporis ad futuram gloriam*, satis intelligitur ex his, quæ paulo antè dixi. Siquidem loquitur Apostolus de substãtia ipsorum operum secundùm se, non de proportione absoluta: nam alioqui nec passiones Christi condignę fuissent, quæ fuerũt multo breuiores pœnis damnatorum æternis, pro quibus satisfecerunt: & vice versa voluptates peccatoris longè minores sunt gehennæ tormentis, quibus tamen dignæ sunt. Digna sunt opera iusti iuxta moralem proportionem, &, eodem Paulo teste [p], ipsummet *momentaneum & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, videlicet moraliter, atque meritoriè, posita gratia Dei, quæ dignos nos facit in partem sortis Sanctorum [q], & promisso diuino. Plura de expositione huius loci Pauli Toletus & Pererius. Quo item pacto dicantur iusti serui inutiles, alibi demonstratum est. Hi se inutiles reputant, & indignos, *quibus dignus non est mundus* [r]; & à Deo, qui nec fallitur, nec fallit, habentur, vt dixi, seipso digni. [Aurum ignitum, ait Paulinus [s], Deo Sancti sunt; quia videlicet eos per examina passionum in huius mundi fornace conflatos *inuenit*, vt scriptum est, *dignos se.*] Illa porrò similitudo hîc statim subiicitur.

a in Euang. de tentat. Christi.
b tom. 2. concord. Euang. lib. 2. c. 8 & seq.
c 23. moral. 18. aut 28.
d lect. 53.
e de laude martyrij.
f Luc. 20. 35.
g Luc. 21. 36.
h c. 3. 4.
i Mat. 10. 37.
k 2. Thes. 1.
l 1. Thes. 2. 12.
m Epist. 3. 6.
n lib. 5. de iustificat.
o Rom. 8. 18.
p 2. Cor. 4.
q Coloss. 1. 12.
r Hebr. 11. 38.
s epist. 4.

Verſ. 6.] Tanquam aurum in fornace probauit illos, & tanquam holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum.

SIc Deo digni iuſti, quoniam laboribus ab omni etiam leui peccatorum ſcoria ſecreti purgatíque ſunt: præterea, quia per alacrem, conſtantem, ardentem cruciatuum tolerantiam gratiſſimum ſe Deo holocauſtum obtulerunt. Trita ſatis & nota comparatio probati per ignem auri argentíque. *Quoniam in igne probatur aurum & argentum*, inquit Eccleſiaſticus [a], *homines verò receptibiles* (δεκτοὶ, *acceptabiles, accipiendi* à Deo, Deo grati) *in camino humiliationis*. & Iob [b]; *Ipſe verò* (Deus) *ſcit viam meam, & probauit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit.* Aliis locis vtitur eadem comparatione Scriptura [c]: & qui apud Danielem eligi dicuntur Latinè, ac dealbari, Hebraicis verbis יִתְבָּרְרוּ וְיִתְלַבְּנוּ וְיִצָּרְפוּ *yithbareru veyithlabenu veyiſſarephu* ſignificantur mundari, atque ſicut igni probari, vel fundi, ad modum metallorum.

a c.2.5.
b c.23.10.
c Prou.17.3. c.27.21. Pſal. 65.10. Eſa. 48.10. Zach. 13.9.

Auri metallo nobilitas, inquit Cantacuzenus, oſtenditur, & ſynceritas iuſtorum, quæ abſumi violaríque non poteſt. Philo Carpathius [d] huius ſimilitudinis, & cum reclinatorio aureo, cuius aſcenſus erat purpureus, rationem dat de Martyribus, exponens fidei probationẽ, & ærumnarum, tentationúmque firmiſſimum argumentum: ſed eò perueniri per gradus purpureos vſque ad effuſionem ſanguinis. Certè vt metallorum præſtantiſſimum eſt aurum, ſic maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt animam pro Deo ponat [e].

d in Cant.
e Ioan.15.13.

Vis præterea comparationis in eo eſt, quòd nõ læditur igni tribulationis iuſtus, ſed iniuſtus. Expreſſit id egregiè Zacharias [f], apud quem partitur Deus trifariam populum, prædicitque fore, vt duæ diſperdantur partes ac deficiant: de tertia dicit; *Ducam tertiam partem per ignem, & vram eos ſicut vritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum. Ipſe inuocabit nomen meum* (eo modo probatus) *& ego exaudiam eum: dicam, Populus meus es, & ipſe dicet, Dominus Deus meus.* Hoc eſt, quod antè dictum eſt (*inuenit eos dignos ſe.*)

f c.13.8.9.

Inde etiam fit, vt cæteri eoſdem probent, & celebrent, quod ſequentibus innuitur verbis; *Fulgebunt iuſti*, &c. Impij ſunt ſcoriæ, vnde Pſalmo 118. [g] *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ*, Hebraicè eſt, *ſcorias ceſſare feciſti omnes impios terræ*: in editione Hieronymi, & in ea quæ eſt Symmachi, teſte Theodoreto, *quaſi ſcoriam computaſti omnes impios terræ*: in Theodotionis, *pro nihilo reputaſti*: vnde Ieremias [h]; *Æs, ait, & ferrum, vniuerſi corrupti ſunt. Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum: fruſtra conflauit conflator: malitiæ eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Chriſtus ipſe velut lapis ſtanneus [i] ſeſe iuſtis in igne tribulationis admiſcet, ne exurantur, ſed purgentur, vt notauit idem Hieronymus [k]. Ipſemet ſimul Chriſtus ſedit cõflans, & emundans argentum, & purgans filios Leui [l]. At verendum ne multo in multis labore ſudatum ſit, & non exierit de ipſis nimia rubigo, neque per ignem [m]. Rogemus Dominũ, vt tentet hîc nos ac probet, vrátque renes noſtros, & cor [n] velut peritus argentarius, vel aurifex: vrat & ſecet, vt Auguſtinus dicit, vt illîc pareat.

g verſ.119.
h c.6.28.29. 30.
i Zach.4.10.
k ibid.
l Malach.3.3.
m Ezec.24. 12.
n Pſal.25.3.

Rectè verò etiã de auro mentio eſt; hoc enim A probari purgaríque poteſt, non vri, & conſumi, vt argentum, licèt & hoc ne vratur, adhiberi remedium ſoleat. Zachariam Tertullianus [a] intellexit de Martyribus. [Audio enim & alibi dicentem Deum, inquit, *vram illos, ſicut vritur argentum, & probabo illos ſicut probatur aurum*, vtique per tormenta ignium, & ſuppliciorum, per martyria fidei examinatoria.] Iob [b] teſtatur ſe probatum à Deo, *quaſi aurum, quod per ignem tranſit.*

a in Scorpiaco.c.7.
b c.23.10.

Quaſi holocauſti hoſtiam.] Græcè (ὡς ὁλοκάρπωμα θυσίας.) Vatablus (*vt ſolidum ſacrificium.*) Parum ſolidè Lucifer [c] (*holocauſtam hoſtiam*) & Cyprianus [d] in aliquibus codicibus, licèt in aliis (*holocauſta hoſtia*) cenſétque Pamelius hoc modo legendum apud Cyprianum. Eſt ὁλοκάρπωμα, integra, tota, ſiue totalis oblatio, idem ferè quod B ὁλοκαύτωμα, ſiue ὁλόκαυστον, niſi quòd hoc magis exprimit ignis conſumptionem. Sed adiectione θυσίας contrahitur ad holocauſtum, ſeu victimam, quæ tota cremabatur: & rectiùs quidem diceretur holocauſtum hoſtiæ. Senſus tamen prorſus idem.

c pro Athanaſio.
d de exhort. martyr. c.12. & de laude martyrij.

Sacrificiorum perfectiſſimum erat holocauſtum, quod conſumebatur totum igne, humana cupiditate nihil inde ſibi vſurpante, præter pellem, quę cedebat Sacerdoti [e], vt Philo loquitur [f], ad honorẽ Dei; qui honor ſemper debetur Deo, etiamſi nihil, inquit, expectaremus ab eo gratiæ. Franciſcus Ribera noſter [g] eleganter expreſſit C quo modo myſticè Chriſtus holocauſti hoſtia fuerit, ſicut vitulus: Martyres veluti pecora, ſiue aut agni, aut hœdi: Confeſſores tanquam aues, ſiue turtures, & columbæ. Sic omnibus conuenire poteſt, vt exhibeant ſe hoſtiã viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium [h]: item, vt mortificent membra ſua quæ ſunt ſuper terram [i]: vt ceu Sacerdotium ſanctum Sacerdotéſque ſancti offerant ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum [k]. Lege Baſilium [l]. Auguſtinus [m] autem docet verum eſſe ſacrificiũ omne opus quod agitur, vt in ſancta ſocietate inhæreamus Deo. Gregorius [n] quoque oſtendit, fidelem populũ eſſe templum Dei, mẽtem & cor, altare, corpus, hoſtiã. Addi potuit anima & ſpiritus D præſertim contribulatus [o]. Dicit prętere [p], quòd nos ipſos ſacrificium Deo offerimus, cùm vitam noſtram diuino cultui dedicamus. Auguſtinus [q], quòd ipſe homo Dei nomini conſecratus, ac deuotus, in quantum mundo moritur, vt Deo viuat, ſacrificium eſt.

e Leuit.7.8.
f de victimis.
g 4.de templo.c.3.
h Rom.12.1.
i Coloſſ.3.5.
k 1.Pet.2.5.
l regu.230. & 265. ex breuiorib.
m 10.de ciu. Dei c.6.
n homil.22. in Ezech.
o Pſ.50.19.
p 9.moral.c. 11.
q 10.de ciu. c.6.

Bonum animæ offertur per deuotionem, & orationem, alióſque ſimiles internos actus: bonum corporis per martyrium, abſtinentiam, continentiam, & cęteram afflictionem: bonum rerum externarũ per immediatam oblationem ipſi Deo factam, vel per communicationem cum proximis. Hac ratione diſtinguit S.Thomas [r] triplex ſacrificium. Sed & de alio triplici meminit holocauſti [ſ], E quòd perfectis conueniat Chriſti ſequentibus conſilia, pro peccato, quod pœnitentibus, pacificum pro gratiarum actione, vel ſalute, & proſperitate offerentium, quod proficientibus. Piè iuxtà & doctè diſſerit Platus [t] noſter de religioſo ſtatu, demonſtrans in eo ſpectari rationem tẽpli, atque ſacrificij. Itaque iuſtos cunctos quaſi holocauſti accipit hoſtiam Deus, quia diligitur ab ipſis ex toto corde, anima, mente, viribus [u], & abrenunciant Satanæ, & pompis eius. [Sed qui ſic operantur ea, quæ Dei ſunt, vt tamen & quædam quæ ſunt ſeculi, nõ relinquant, ait Gregor. [x]

r 2.2 q.85. 3.ad 1.
ſ 1.2.q.102. art.3.ad 8.
t 2.de bono ſtatus religioſi.c.14.& 15.
u Matth.22. 37.
x hom.12.in Ezech.

nimirum

nimirum sacrificium, & non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta quæ mundi sunt, deserunt,& totam mentem igne diuini amoris incendunt, hi nimirum omnipotenti Domino sacrificium & holocaustum fiunt.]

Conuenit id in religiosos, vt religiosissimus vir docet B.Thomas [a], quoniam omnia tradunt, offerúntque creatori suo, tum interiora, tum exteriora. Sed maximè holocausti meretur nomen Martyr, qui non solo voto & affectu, sed reipsa, factóque totum sese sacrificat Deo. Potest religiosus Martyr quodam modo dici, & Martyris merito non carere, vt Platus [b] idem probat; tamen verè Martyr esse, peculiarémque laudem illam,& aureolam martyrij,ac propriè absolutéque Martyris nomen obtinere nō valet. Augustinus [c] sapientiam increatam ait domum sibi ædificasse corpus humanum in vtero virginali, Martyrum autē victimas immolasse [d], &c. Themistius apud Stobæum [e] asserit quamlibet, sed iusti nempe, mortem similem esse initiationi magnæ, ipsáque vocabula id innuere τὸ τελευτᾶν pro *sacris*, & τελεῖσθαι, quod *mori* significat: primùm errores vitam occupare, & discursus fatigantes, ac veluti per tenebras itinera suspecta, & propè infinita, vel absque exitu,& fructu:deinde ante finem vitę grauia,seu molesta omnia, horrorem, tremorem, sudorem: at post mortem occurrere mirabilem quandam lucem,loca pura,& amœna prata, hortósve,voces,atque choreas, ac venerabiles de rebus sacris,& sanctis visis narrationes:ibi iam perfectum,& initiatum, παντελῆ, καὶ μεμυημένον, liberúmque ac sui iuris factum,obambulare coronatum,sacra celebrantem,ὀργιάζοντα:conuersari cum viris sanctis, purísque;profanam, ἀμύητον, in terra turbam inspiciendo, quæ in cœno, & caligine multa conculcatur à seipsa,& compellitur: metu autem mortis,& ancipiti cogitatione,diffidentiáque de bonis, quæ illic sunt,in terrestribus malis suis permanet. Cæterùm non citat nominatim hunc locum Chrysostomus [f], nec etiam hoc modo,vt [g] quidam hoc loco cum refert (& Sapientiæ cap.3. *sine morte eos hostiam fecit, & oblationem*) Græcè sic habetur apud ipsum immediatè post citatum Psalmum 43. [h] *Facti, seu æstimati sumus sicut oues occisionis*, καὶ χωρὶς θανάτου θυσίαν αὐτοὺς ἐργάζεται καὶ προσφοράν, *& sine morte hostiam eam facit & oblationem.*

Et in tempore erit respectus illorum.] In textu Græco pendent hæc ex sequentibus,atque hinc incipit noua sententia (καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσι, &c. *& in tempore respectus*, vel *inspectionis*, vel *visitationis ipsorum refulgebunt*, &c.) videlicet in die iudicij;quem vocat quoque Petrus [i] diem visitationis; etsi alij sumant de Gentilium inquisitione in vitam,& mores Christianorum, quando magis exaltati sunt,& clariùs eluxit sanctitas eorum. Sequitur huius loci priorem sensum Cantacuzenus. Vteruis non abhorret ab editione nostra,quæ videtur legisse in casu recto ἐπισκοπή, & suppleuisse verbum ἔσται. Expositores Latini pariter declarāt respiciendos in iudicio iustos à Deo, qui despiciuntur nunc in mundo:vel certè in hac etiam interdum vita,cùm videbitur opportunum (id significat propriè ἐν καιρῷ) ac tempestiuum Deo. Sed iuxta ea quæ priùs diximus ad versum vigesimum capitis præcedētis circa idem nomen ἐπισκοπὴ (*erit enim respectus ex sermonibus illius*) sensus erit; licèt ad tempus lateant iusti,futurum tamen cùm palàm inspiciantur & celebrentur. Id

a 2.2.q.186. art.7.
b supr.c.12.
c 17.de ciu. c.20.
d Pro.9.1.2.
e ser.119.
f hom.82.vel 83.in Ioan.
g Ceruantes.
h vers.22.
i 1.Pet.2.12.

A autem aut in hac quoque vita, aut certè longè illustriùs in altera.

Minùs apta eorundem Latinorum ad *respiciendi* verbum annotatio,quòd benignis ac beneficis oculis Deus sit illos respecturus.Postremò *visitationis* nomine, quod significat etiam ἐπισκοπή, si tempus intelligatur, vt intelligi potest, tribulationis,eliciemus alium istum sensum,seruato nexu Græci textus:in tempore, quo iusti visitabuntur,id est,tribulationem patientur,fulgebūt, ipse ignis tribulationis clariores reddet. *Cum ipso sum in tribulatione*, ait Deus per Prophetam, *eripiam eum, & glorificabo eum* [a].

B *Vers.* 7.] Fulgebunt iusti,& tanquam scintillæ in arundineto discurrent.

OMittere videtur hanc sententiam Cyprianus [b], citans priorem & posteriorem simul sine ista. Pamelius [c] tamen vno loco restituit,& est in alio eiusdem Cypriani opere [d],quamuis de auctore nonnulli dubitent; & legit Athanasius [e]. Paulo antè dixi de connexione verborū istorum cum præcedentibus,vt leguntur Græcè (καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσι, *& in tempore visitationis ipsorum refulgebunt.*) Item, fulgorem docui esse celebritatis & famæ, atque laudis, quæ in iudicio erit iustis à Deo,& nonnunquam in hac ipsa vita per doctrinā,virtutes,miracula,honorem. Agnoscunt hîc præterea Bonauentura, Lyranus, Car-
C thusianus dotem claritatis,& agilitatis:addit Olcot [f] subtilitatem, quia scintillæ non discurrunt modò, sed subeunt ac penetrant; & impassibilitatis sub dictione (*iusti*) quia dicitur iustitia perpetua & immortalis [g]. Coactius istud vltimum, meliúsque poneretur (*ignis scintillarum.*) Cætera non adeò etiam sponte fluunt,quamuis indicentur etiam ab Innocentio III. [h] sicut & de lumine beatifico,siue glorię,vt Hugoni placet,cùm satis constet sensum esse quem dixi. Fauet Athanasius [i], vsurpans præsentem locum de Sanctis fugientibus persecutores: sic namque magis vt scintillas resplenduisse,ac populos erudiuisse, & præclarum fortitudinis testimonium obtinuisse.
D Gregorius [k] idem innuit, volens arundinetum vitam secularium esse,vanam gloriam sectātium, inter quos iusti ceu scintillæ volitent, & vel ab inuitis sui laudationem & admirationem eliciāt.

Luminis qualitas inter corporeas nobilissima crebrò beatis & iustis attribuitur [l]; ac beatitudinis quoque inæqualitas ex eius discrepantia petitur per analogiam [m]. Christus se lucem dixit mundi [n], licèt figuratè,& Ioannem lucernam vocauit [o]:nec alia re magis declarauit in transfiguratione gloriam suam quàm splendore, & luculentissimo calore [p]. Sed hac de re dixi ad primā Ioannis Epistolam [q]. Augustinus [r] putat eorum qui omnibus relictis,Dominū secuti fuerint, fo-
E re lumē honoris in hac vita septemplicitier,id est, valdè magnum, necnō in futura septem partibus maius,quàm cæterorum, ita vt hi stellis, illi Soli ac Lunæ comparentur, & qui hîc habet claritatem tanquam Lunę,ibi habeat instar Solis,& qui Solis,luceat septies magis, iuxta Esaiam [s]. Promittitur Doctoribus apud Danielem [t] peculiariter splendescētia:de qua Hieronymus [u],& Theologi disputantes de aureolis. Quamquam Daniel per doctos ibi quosuis intelligere videatur iustos,qui veram de Deo notitiam habentes,piéque

a Ps.90.15.
b lib.1.ep.4. vel 81.de exhorta. martyr. c.12.1.ad Quirin.c.15.
c lib.1.e p.4. vel 81.
d de laude. martyrij.
e de fuga sua.
f lect.33.
g Sap.1.15.
h 4.de myster.Missæ. c.12.
i de fuga sua.
k 33.moral. c.3.vel 4.
l Esa.40.26. Dan.12.3. Matt.13.43. item 5.14.
Cor 15.41.4 Philip.2.15.
m 1.Cor.15. 41.42.Dan. 12.3.
n Ioan.8.12. c.9.5.c.12.35 36.
o Ioan.5.35.
p Matt.17.2.
q c.2.5.
r q.105.ex vtroque Testamento.
s c.30.26.
t c.12.3.
u epist.102.ad Paulin.

viuen

viuentes, exemplo ſint aliis, ſicque erudiant ad iuſtitiam. Hoc præterea modo doctos alias vſurpat idem Propheta [a], vocans Hebraice הַמַּשְׂכִּלִים *hammaſchilim*, quod nomen Græcè redditur *οἱ συνιέντες*. Nebienſis in explanatione verborum vltimorum Pſalmi decimi, *æquitatem vidit vultus eius*; quod ex Hebræo vertunt, *recti videbunt faciem eius*, refert Rabbinos ibi obſeruare ſeptem iuſtorum diuerſitates, ſiue fulgendi modos; vt nempe facies eorum fulgeát ſicut Sol, Luna, cœlum, ſtellæ, fulgura, lilia, lampades. Quod comprobant Scripturæ teſtimoniis [b]. Sed non ſatis aptè huc applicatur Eſaiæ [c] locus de *futura luce Solis ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum* [d].

Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.] Græcè (*ὡς σπινθῆρες ἐν καλάμῃ διαδραμοῦνται.*) Malunt alij vertamus (*in ſtipula.*) Hoc quidem pacto reddit Interpres alibi [e] vocem eandem, pro qua Hebr. eſt קַשׁ *kaſch*. Videtur legiſſe hoc loco *κάλαμος*. Non admodum refert ad ſenſum vtro legamus modo; niſi quòd frequentiùs accidit ſtipulis, & paleis ignium ſcintillis vri, quàm arundineto. Ignem paleis minantur Eſaias [f], Ioël [g], Nahum [h], Abdias [i], Malachias [k], Ioãnes [l], vt zizaniis Chriſtus [m]. Paleæ ſunt homines diſſoluti, huc illúcque omni vento circumlati perturbationum ſuarum, & peccatorum, vt Iſidorus Peluſiota [n], & Euthymius [o] docent: attamen iuſtis vtiles, vt ſunt paleæ tritico, inquit Baſilius [p]. Diſcurrunt iuſti inter paleas, vel arundines, hoc eſt, inter improbos, leues, viles, infirmos, illos incendendo virtutum ſuarum excellentia, propter inuidiam, quam inde concipiunt: reſplendeſcendo, quaſi fomitem laudis ipſis improbi ſubminiſtrent, quò magis ab iis vexantur, vt retuli priùs ex Athanaſio & Gregorio, quibus conſentit Cantacuzenus: inflammando etiam reprehenſionibus. Scintillarum proprietates ad iuſtos accommodant Hugo & Bonauentura: ſubtilitatem, leuitatem, paruitatem, proceſſionem de igne magno, magnam rerum aliarum inflammationem: item ad improbos arundineti qualitates, quoniam creſcit arundo in luto, cedit vento, inanis eſt ac ſonora, igni apta.

a c.11.33.c.12.10.
b Iudith.5.31. Pſ.88.38. Dan.12.3. bis Nahũ 2.4. Pſ.44. initulo. Nahũ 2.4.
c c.30.26.
d ſic hoc loco Ceruantes.
e Pſal.82.14. Iob.41.20.1. Cor.3.12.
f c 9.24. c.47.14.
g c.2.5.
h c.1.10.
i c.1.18.
k c.3 19.
l Matt.3.12. Luc.3.17.
m Matth.13.30.40.
n lib.1. epiſt.65.
o in Matth. c 3.
p reg.237. ex breui.

Verſ. 8.] Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.

IVſti vt ſcintillæ culmis, aut arundinibus implicatæ ſplendeſcentes, ardentéſque, ac improbos conſumentes, de illis iudicabunt, & imperio continebunt; & muniti omnium Regis Dei præſidio, nunquam decident de gradu ſuo. Hoc aliquando quidem etiam in præſenti tempore accidit; at certiùs & illuſtriùs in futuro, quãdo Niniuitæ [q], & Auſtri Regina cõuincent Iudæos, & per comparationem, atque approbationem omnes iuſti condemnabunt, ac ſententiam quodammodo ferent aduersùs improbos, quibus erunt meritis, dignitate, gloria, beatitudine ſuperiores, *cùm tradiderit Chriſtus regnum Deo & Patri, eritque Deus omnia in omnibus* [r], Rex nempe Dominúſque, cùm omnia ipſi ſubiecta fuerint, etiam Filius, vt homo eſt, euacuato omni principatu, & poteſtate, & virtute.

Solent Expoſitores, & alij nonnulli de extremo iudicio hunc locum intelligere. Indicat Martyres Tertullianus [t], de quibus præcipuè iſta omnia ſumuntur, iudicaturos de Iudicibus ſuis, non modò Deum. Sed latior eſt propoſitio de iudicandis, nempe nationibus. Apoſtolis & Apoſtolicis viris peculiari ratione iudiciaria poteſtas tribuitur [a], vt probat Platus [b]; & de re tota pluribus agit Suarez [c], tandémque definit, inſignioribus quibuſcumque iuſtis videri aſſignandam, nõ religioſis quibuſlibet, aut aliis ad certum gradum ſtatúmve pertinentibus. Anſelmus [d] docet, quòd iudicabunt Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Monachi, Virgines, & quidem iuſtos, nempe minùs perfectos, monſtrantes, inquit, eos ſuam doctrinam, & ſua exempla fuiſſe imitatos, & ideo regno dignos. Hoc loco tribuit Bonauentura iudicium Sanctis perfectis aſſeſſoriæ dignitatis: omnibus iuſtis approbationis: comparationis minùs malis, vt Niniuitis, &c. Chriſto ſoli diſceptationis: auctoritatis toti Trinitati. [Tot Iudicibus inops aſtabo, inquit Auguſtinus [e], quot me præceſſerunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene viuendi exempla: tot conuincar teſtibus, quot me monuerunt proficuis ſermonibus, ſéque imitandos iuſtis dederunt actionibus.] Lege Hieronymum [f] de modo iudicandi per comparationem, qui conueniat quoque quadam ex parte improbis, & Cantapetrenſem [g]. Approbando dicent iuſti, quia vera & iuſta iudicia Dei ſunt [h]: & *Sancti de hoc mundo iudicabunt* [i], & Angelos ipſos.

q Matth.12.41.42.
r 1.Cor.15.24.28.
t ad Martyres c.2.

Negat Ribera [k], locum præſentem, ſicut & Apocalypſis; *dabo illi poteſtatem ſuper Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur*, intelligi poſſe in hac vita, quoniam quod attinet ad Apocalypſum, illud promittitur ei, qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera Dei, ſcilicet vſque ad mortem. Eodem putat ſpectare illa ex Pſalmis [l]; *iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum*; &, *gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus* [m], &c. & Malachiæ [n]; *calcabitis impios, cùm fuerint cinis, ſub planta pedum veſtrorum*; & de Chriſto iudicaturo; *peperit* [o] *filium maſculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea*; &, *de* [p] *ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat Gentes; & ipſe reget eas in virga ferrea: & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Nam quòd vltima ſententia, quæ ſuo etiam modo feretur à iuſtis, omni ſupplicio grauior ſit, declaratur acerbiſſimis illis verbis; & perpetuitas damnationis per vaſis figlini confractionem. Verùm quidquid ſit de primo Apocalypſis teſtimonio, quod aliter Viegas explicat, aliíque, necnon de aliis, quibus vtuntur quoque loci huius noſtri Enarratores, locus Malachiæ magis videtur ad rem, iuxta ſatis communem expoſitionem, & contextum Prophetæ in antecedentibus & conſequentibus.

Iudicabunt.] Crebrò *iudicare* idem valet quod condemnare, ſuppliciis addicere, decretoriã ſententiam ferre. *Ecce venit Dominus*, ait Iudas [q], *in Sanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt cõtra Deum peccatores impij.* Zacharias [r] inducit Deum ſic loquentem: *Ponam duces Iuda ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut facem ignis in fœno, & deuorabũt ad dexteram, & ad ſiniſtram omnes populos in circuitu.* Qui tamen locus ab aliis intelligitur de efficacia prædicationis Apoſtolicæ.

Nationes.] Quid hæc differant à *populis*, & ἔθνη, ac λαοὶ, aliàs [ſ] dictum eſt.

a Matth.19.28.
b 2 de bono ſtatus relig. c.17.
c 3 p.tom.2. diſput.57. ſect 4.
d in elucidario longè poſt med.
e medit.c.4.
f epiſt de filio prodigo.
g hypotypoſ. c.4.
h Apoc 19.2.
i 1. Cor.6.2.3.
k in c.2. Apoc.n.43. in verſ.26.
l Pſal.109.6.
m Pſ.149.6.7.
n c.4.1.
o Apoc.12.5.
p infr.19.15.
q in Ep. verſ. 14.15.
r c.12 6.
ſ Act.2.5.c. 10.22.45.

Dominabũtur populis.] Minùs commoda translatio cuiusdam [a] (*continebunt populos:*) licèt enim κρατήσουσι λαῶν id possit significare, clarior, & expressior translatio per verbum *dominandi*, quod constat eodem Græco verbo significari. Plus est dominari, quam iudicare, & vtrõque maius regnare cum Domino.

Et regnabit Dominus illorum in perpetuum.] Non placent, qui non à (*Dominus*) sed a (*regnabit*) regi volunt pronomen (*illorum* [b]) vt sit sensus; Dominus regnabit super illos, seu in eis; Dominus erit Rex coram, cùm scilicet *erit Deus omnia in omnibus* [c]. Nec probari potest ex Cypriano [d], apud quẽ est (*regnabit eorum Dominus.*) Tam enim sic regi potest (*eorum*) ab alterutro, quàm (*illorum.*) Sed & falsum est, quod alius [e] ait extare in codẽ Patre (*regnabit cum eis.*) Sensus est, quòd qui iustorum est Dominus, videlicet Deus, regnabit; & si verũ est, quòd super eosdem regnabit, & ipsi cum illo; quia *dabitur Regnum, & potestas, & magnitudo Regni, quæ est subter omne cœlum, populo sanctorum Altissimi, cuius Regnũ, Regnum sempiternum est, & omnes Reges seruient ei, & obedient ei* [f]. Quamquam Danielis locus ille per se intelligatur de Regno spirituali militantis Ecclesiæ: quo abutuntur Hebræi pro temporali Regno Messiæ.

a Ceruantes.
b Castro.
c 1.Cor.15.28.
d epist 81. & exhor. marty. c.11.
e Ceruantes.
f Dani.7.27.

Vers.9.] Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam donum & pax est electis eius.

HI sunt qui iudicabunt nationes, dominabũtur populis, regnabunt perpetuò cum Deo, qui toti subnixi Deo, & suas in eum spes collocantes, veritatem ab eo docentur, & in eiusdem Dei fixi amore persistũt: quod totum prouenit ex singulari dono gratiáque diuinæ electionis & beneplaciti, quo sibi Deus cõfœderat quos vult.

Qui confidunt in illo, intelligent veritatem.] Cognitio veritatis & præcedit, & sequitur confidẽtiam, spémque. Fides omnino prior est: spes tamen potest obtinere fidei augmentum, aut alterius generis cognitionis. Nisi enim crediderimus, non intelligemus [g]. *Nos credidimus, & cognouimus*, inquit Petrus [h], *quia tu es Christus Filius Dei.* [Sunt enim, ait Augustinus [i], credenda Dei mysteria, vt cognoscantur: Iudæi dicebãt [k]; *quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus?* & Thomas [l]; *nisi videro in manibus eius fixuras clauorum, &c. non credã:* & Christus [m]; *nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*] Eadem ferè ratio de fiducia in Deum; ex ea enim sequi solet perfectior de eodem Deo cognitio etiam in hac vita, & perfectissima illa beatificæ visionis in alia: de qua potest quoque intelligi Esaias cum Augustino [n].

Plurimi refert in impetrandis à Deo beneficiis fiducia in ipsum, quam & Christus toties ea præstiturus exigebat. Atque in rebus etiam humanis experimur magnum habere locum fiduciam, amorémque erga personam, à qua beneficium, remediúmve expectatur. Hanc ad rem confert sanè Senecæ [o] controuersia de priuigno medico, qui patrẽ, à quo fuerat abdicatus, curauit, nouercã curare noluit, sanitatem ascribens nõ arti, sed amori, quo se renocãs pater prosecutus esset. [Nihil magis, inquit ibi ille, ægris prodest, quàm ab eo curari, à quo volunt.]

Fideles in dilectione.] Qui fidelitatem seruant in
A dilectione, fideles ac perseuerantes amici, qui cõstãter diligũt, nec separãtur a charitate Dei [a]. Meliùs hoc modo, quàm de iis, qui fidẽ habent operantẽ per dilectionem. Non sufficit id, vt dicantur aliqui fideles in dilectione; & sic potiùs dicendi essent fideles per dilectionem, aut cũ dilectione.

Acquiscent illi.] Græcè (προσμενοῦσιν αὐτῷ, *manebũt cũ illo, adhærebunt illi, conquiescent in illo*, vel *assiduè expectabũt illũ:*) & quidẽ priora de beatitudinis statu maximè vera sũt, quam dicebamus vocari vnam de animæ beatæ dotibus tensionem siue cõprehẽsionem. Sed quia Latinè nõ dicimus acquiescere alicui, pro eo quod est in aliquo quiescere, sed cõsentire, & obedire, suámque cũ alterius volun-
B tate, tãquam in termino sistere, atq; cõformare; malim sensum esse, veros Dei amicos, & fidos, quíque fidant ipsi, totos pendere è voluntate nutibúsque ipsius; sícque nihil vereri, sed liberè ac tutò dominium exercere in improbos, &c.

Placet nihilominus hìc innui tria cognoscendæ, ac persuadendæ veritatis, potissimùm de Dei prouidẽtia, præsidia; fidem in intellectu, fiduciã, spémve, & charitatem in affectu. Nõ deficit in tribulationibus, nec nutat in iis, in quo Christus habitat per fidẽ, fiduciámque, atque in charitate radicatus, & fundatus est: sed prouidẽtiæ diuinæ in pœnis, & beneficiis comprehendit cum omnibus sanctis latitudinem, longitudinem, sublimi-
C tatem, profundum [b].

Quoniam donũ & pax est electis eius.] Græcè plura sunt (ὅτι χάρις, καὶ ἔλεος ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ, καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ, *quoniam gratia, & misericordia in sanctis eius, & visitatio*, vel *inspectio in electis eius.*) Cãtacuzenus gratiam declarat, quia nihil offerri Deo potest à nobis, quod possit adæquare bona, quibus diuino beneficio fruimur: misericordiam, quia gratis nos Deus noster humana carne suscepta saluauit: visitationẽ, aut inspectionẽ, proclamationem cum gloria, & splendore coniunctam eorũ, qui digni habiti fuerint, qui vocem illam audiãt; *Venite* [c] *benedicti Patris mei*, &c. Suspicatur Iãsanius hæc esse transcripta ex capite sequenti [d], vbi toti-
D dẽ verbis habentur etiã in editione Latina (*quoniã gratia Dei, & misericordia est in sãctos eius, & respectus in electos illius.*) In Bibliis quidem Sixtianis abrasa sunt ab illo capite, præsertim cùm Augustinus [e] legat sicut & nũc nos. Illud aliquo modo obstat, quòd Græca χάρις, & ἔλεος non propriè significant *donum*, & *pacem*, sed *gratiam*, & *misericordiam*. Attamen nihil magis donum dici potest quàm gratia, quæ liberaliter ac gratis datur; & misericordiæ suauissimus fructus pax est. Hugo donum interpretatur gratiam quæ gratis datur, vel vitam æternam, atque societatem, pacem, æternitatem, quam vocare licet securitatem. Græcè donum dicitur quoque χάρισμα.

E Cæterùm per fideles intelligi queũt fidei virtute Theologicarum prima præditi, simúlque fiducia siue spe, cũ tertia, quæ est dilectio, siue charitas. Præterea, qui non simulatè, & in hypocrisi procedũt, sed candidè, syncerè, verè, secũdùm virtutẽ legis. Item, quibus Deus fidere, & quasi credere seipsum tutò valeat, eo quòd sint certi, securi, stabiles, firmi, constantes, perseuerantes, explorati, ac bene probati.

g Esa. 7.9. iuxta LXX.
h Ioan.6.70.
i tracta.27.in Ioann.
k Ioan.6.30.
l Ioan.20. 25.
m Ioan 4.48.
n 2 de libero arbit. c.2.
o lib.4 contro.uer. 5.
a Rom.8.35.
b Ephes.3.18.
c Mat.25.34.
d vers.15.
e in speculo Scripturæ ex vtroque Testamento.

Vers.10.] Impij autem secundùm quæ cogitauerunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt.

A
EXposita iustorum laude,atque mercede, opponit iis impios, declarans non abituros impunè, sed passuros quod metuebant supplicium in hac ipsa vita, vel etiam in alia;tametsi subuerebantur potiùs huiusmodi futuram vitam, quã sibi certò persuadebant:in hac,inquam, vita vexandos scelerum conscientia, & diuini metu iudicij, quantumuis propriis abrepti libidinibus omnem spreuerint institiam, ius fasque calcauerint,Deum ipsum contempserint, ab eoque defecerint,& rebellauerint.

Secundùm quæ cogitauerũt.] Græcè(*καθὰ ἐλογίσαντο.*) Vel pro vt merebantur eorum cogitationes malæ,vnde mala processerunt verba,& opera, vt exponit Bonauentura,& Carthusianus, & Lyra-
B
a lect.36. nus,& Olcot [a] ; ita vt si cogitationes puniantur, multo magis cætera:vel quemadmodum cõsciẽtia extimulante,ac vellicante,sibi ipsis timebant,
b Iob.3.25. ita vt timor,quem timebant,euenturus sit eis [b],& accidat quod verebãtur.Infelicitatis pars est præsagitio, ac deploratio malorum futurorum cum angore animi. Sapientia subsannat impios, cùm
c Pro.1.26. illis quod timebant euenerit [c]:& prædicit fore,vt
d Pro.10.24. *quod timet impius, veniat super eum* [d] : imò trepidat
e Ps.13.5. ille, vbi non est timor [e], hoc est,timendi causa;
f Iob.15.21. *cùm pax sit, insidias suspicatur* [f] : præsumit semper
g Sap.17.10. sæua ob perturbatam conscientiam [g].

Denique(*secundùm quod cogitauerunt*)nimirum in alios,quos bonis,honore,vita spoliare machinati
C
h Ps.7.16. sunt;ita vt incidant in foueam, quam fecerunt [h];
i Esther 7. vt suimet ipsius exemplo Aman [i] docuit,& alij,de quibus aliàs. Venientes Romani tulerunt gentẽ, & locum Iudæorum, pro vt ipsimet malè sibi
k Ioan.11.48. ominati fuerant [k];&,quẽadmodũ imprecati [l],san-
l Mat.27.25. guis Christi fuit super ipsos,& super filios ipsorũ.

Correptionem habebunt.] Græcè (*ἕξουσιν ἐπιτιμίαν, habebunt pœnam,punientur,mulctabuntur*,&c.) Habet *ἐπιτιμία* cognationem cum *τιμωρία*, per quã animaduertitur in aliquã propter tuendã leſi hominis dignitatẽ,auctoritatẽ, *τιμὴν*.i. *honorem*,vt cum
m lib.6 c.14. Tauro Philosopho Gellius [m] obseruauit,differẽs de aliis duabus puniendi causis,quæ vocãtur *νουθεσία*, siue *κόλασις*,aut *παραίνεσις*,& *παράδειγμα*. Cõuenit
D
distinctio proposito,vbi mẽtio est *περὶ τῶν ἀσεβῶν, de impiis*, qui Deum lædunt, *ἀποστάντες ἀπ' αὐτοῦ, recedentes & apostatantes ab ipso.*

Qui neglexerunt iustum.]Græcè(*οἱ ἀμελήσαντες τοῦ δικαίου.*)Vel substantiuè *iustum* significat iustitiam, vel Deum,seu Christũ,qui est *κατ' ἐξοχὴν* iustus. Vtrumuis glossa interlinearis, & Hugo,& Bonauentura proponunt:Lyranus, & Carthusianus,&
n lect.36. Osorius,& Olcot [n] eligũt primum.Cantacuzenus videtur legisse modo contrario, licèt sensu non valdè diuerso(*qui neglexerunt Dominum, & à iustitia recesserunt.*)Primum enim illud,inquit,est,vt negligatur Dominus, & ab eius gloria simul & cultu recedatur:deinde vt illius quoque præcepta contemnantur.De negligẽtiæ siue peccato distincto,
E
siue generali quadam vitiorum multorum mala
o ibid. conditione agit Olcot [o].Est quandoque negligẽtia nõ mera diligentiæ debitæ negatio, sed etiam contemptus. Hunc arbitror hîc significari:quia coniungitur cum apostasia à Deo.

Nemo repentè fit malus ; sed gradibus veluti quibusdam descẽdit in profundum malorũ,túnc-
p Prou.18.3. que cõtemnit [p]. Sicut vice versa,nemo repẽtè fit summus,nec volando,sed ascendẽdo,siue scandẽdo, scalæ summitatem pertingit, vt alicubi Ber-
q vers.1. nardus scripsit.In 2.Regum c.23.[q] quod legimus dixisse Dauidem de seipso; *dixit vir,cui constitutum est de Christo Dei Iacob*,Hebraice legitur,*cui cõstituta est scala de Christo Dei Iacob*, vt quidem docet Hieronymus in traditionibus [a] Hebraicis;nec enim a ibid.
in textu ipso nũc extat.Expõnit autem quòd scala eidem Christo Dei Iacob [b], id est,Dauid,con- b Gene.28.12.13.
stituta est,per quam cõscenderet ad Deũ:eo quòd idem scilicet confessus fuerit se peccasse Domino in Vria Hethæo;& pœnitentiam agens [c], per c 2.Reg.12.13.
hanc scalam conscenderit ad Deum.

Et à Domino recesserunt.] Græcè (*καὶ τοῦ κυρίου ἀποστάντες.*) Quisquis peccat mortaliter, deseritque penitus iustitiam, auertitur à Deo, & recedit,ac quodam modo apostatat à Deo. Sed peculiariter conuenit impiis apostasia,his videlicet qui Deũ negant relicta vera ipsius fide & cultu:& accommodatur id nomen quoque ad illos qui deficiũt à sanctiore statu atque religioso, in quo erant.
Hebræi vocant בְּלִיַּעַל *belibhal*,id est,*sine iugo* [d] aut, d Iud.19.22.
sine honore,& vilitate,à עֹל *bhol,iugũ*, & à עָלָה *bhalah,ascendit*,vel à יַעַל *iahhal.profuit*, & בְּלִי *beli,nõ*,aut
sine.Scripturæ Belial pro dæmone [e], filios Belial e 2.Cor 6.15. Nahum 2.1.
pro filiis dæmonis accipiunt,id est,valdè sceleratis,qui abiecto Dei timore peccant, & noxij sunt sibi,atque aliis, etiãsi fortasse nõ defecerint à fide. Sic vir apostata describitur esse vir inutilis,
gradiens ore peruerso [f], &c. & dicitur *initium su-* f Prou 6.12.
perbiæ hominis esse *apostatare à Deo* [g],id est,primam g Eccli.10.14.
superbiam hominis cœpisse in ipsa defectione à Deo,& diuina eius obedientia : quod suo modo
C
reperitur etiam in quouis grauiter peccãte.Simili sensu dicũtur vinum & mulieres apostatare facere sapientes [h],id est,deficere à sapientia,à tempe- h Eccli.19.2.
rantia, à iustitia,à virtute qualibet,&c. Denique
apud Iob [i],*qui dicit Regi,apostata*,est, qui Regem ini- i c.34.18.
quũ nominat,vel qui Deũ ipsũ : vel est Deus, qui hominem talem pronunciat. Aliquãdo Interpres
pro Belial reddit *impium* [k], *iniquum* [l], *dispersorem* [m], k Prou.16.27.
seu *qui dispergit, qui tractat præuaricationem* [n], *diabo-* l Deut.13.9. Ps.17.5 14.
lum [o].Lege Hieronymum [p],& Pinedam [q] nostrũ, m Nahũ 2.1.
atque Ioannem Ferdinandum [r].Agitur hoc loco, n Nahũ 1.11.
& libro toto contra viros potentes,diuites,Iudi- o 3.Reg.21.13.
ces,Reges,&c.qui sunt absque iugo legis,qui iu- p in c.37.Esa. & c.2. Nahũ, & c.4.Ep. ad Ephes.
D
ra violant,qui à Dei nonnunquam Religione deficiunt;qui ad quoduis vitium proiectissimi sunt, q in c.34 Iob. vers.18.n.5.
& aliis maximè noxij, ac proinde quibus notio- r in thesau. Script. litera b.c.27.
nes Belial,& apostatæ conueniunt.

*Vers.*11.] Sapiẽtiam enim & disciplinam qui abiicit, infelix est: & vacua est spes illorum,& labores sine fructu, & inutilia opera eorum.

VIdetur sententia ista continere dictam priùs *apostata*,& *Belial* etymologiam pro desertore,sine iugo, inutili:qui sit proinde etiam infelix, omnique spe bona vacuus.

Qui abiicit.] Græcè(*ὁ ἐξουθενῶν,contemnens,nihili fa-*
E
ciens,aut *pendens.*)

Infelix est.] Græcè (*ταλαίπωρος, ærumnosus,calamitosus,luctuosus* (*πῶρος* est *luctus*)*miser.*)Magna infelicitas profectò sine sapientia viuere, sine disciplina,& quid agere debeas, nescire,& si scias, non exequi. Non illepidè Poëta quidam citatus
ab Olcot [f] dixit: f lect.36.

Tres infelices in mundo dicimus esse.
Infelix qui pauca sapit spernitque doceri:
Infelix qui recta docet,operatur iniqua.

Contrà beatus pronunciatur homo, qui inuenit
sapientiã [t],& iuxta Hesiod.qui saltẽ quod per se t Prou.3.13.
non potest,ab aliis discit.Hãc infelicitatẽ Cypr. [u] u lib.1. ep. 11.aut 62.

confirmat

confirmat minacibus illis verbis Psalmi [a]: *Continete disciplinam, ne fortè irascatur Dominus, & pereatis à via recta, cum exarserit in breui ira eius*; & ibi quidem sermo est ad Reges terræ, sicut hîc. Eadem repetit ad Quirinum [b] sub initium libri de disciplina, & habitu virginum; sic etiam inchoans à disciplinæ descriptione. [Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ idolis, magistra virtutis. Facit in Christo manere sēper, ac iugiter Deo viuere, & ad promissa cœlestia, & diuina præmia peruenire. Hanc & sectari salubre est, & auersari ac negligere lethale, &c.] Videtur disciplinam pro ea sumere, quæ seuera est, atque pro seueritate castigatrice, vt loquitur etiam Tertullianus, profaníque scriptores, teste Pamelio [c]. Ita quoq; se loqui significat auctor libri de bono disciplinæ apud Augustinum [d], qui etiam aliter legit hunc locū [e] (*qui spernit disciplinam, odit animam suam.*) *Conticuit* [f] *populus meus eo quòd non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te*, ait Dominus, *ne Sacerdotio fungaris mihi*: & ; *propterea* [g] *captiuus ductus est populus, quia non habuit scientiam.* Nos παιδείαν pro institutione vitæ honesta generaliùs accipimus. Ex illa priore acceptione manauit, vt, quod aliàs dixi, *disciplina* pro flagellatione flagellóque sumatur vsu Scripturæ & Ecclesiastico.

Vacua est spes illorum.] At iustorum, vt antè vidimus [h], spes immortalitate plena est. Sunt impiorum, omniúmque qui versantur in mortali peccato, quod attinet ad meritum condignum, opera alioqui bona, mortua, quia carent vita gratiæ sanctificantis, & donec hæc aduenit, omnis alia gratia, respectu consequendæ vitæ æternæ, in vacuum recipitur [i]; omne opus est in circuitu [k], & instabile [l], & frustra [m]. Illustrat Cantacuzenus exemplis Euangelicis, ædificantis in arena [n]; non valentis consummare cœptā turrim [o]; nō habētis idoneum exercitū ad pugnandum [p]. Christus suos posuit, vt fructum ferrent, & fructus maneret [q].

Labores sine fructu.] Græcè (ἀνόνητοι, *sine pretio, sine vtilitate:*) imò verò perniciosi, si de laboribus agatur impiorum, vt sunt impij. Nam eorum nō sunt omnia mala opera, sed nonnulla bona interdum, vel per auxilium gratiæ, vel per naturales liberi arbitrij vires.

Inutilia opera.] Inutili, & corrupto vsus codice Olcot est [r], in quo legit (*inhabitabilia*) & exponere voluit, quòd conuictui & habitationi hominum naturali repugnēt, & Deus per ea ab habitatione ciuitatis humanæ expellatur. Sic legit etiam Hugo: & præterea declarauit tum quòd talium ædificia, similiáque opera corruent, tum quòd impediunt ne operatores cœlum inhabitent. Hoc idē prior notat glossa interlinearis. Addit Carthusianus, nec in Ecclesia militante tales vt membra viua habitare. Errorem ego istum cōdono (quem deprehendi quoque in tribus manuscriptis) ignaris linguæ Græcæ; illam qui nouerunt, sed non consuluerunt, minùs venia digni.

a Psal. 2. 12.
b lib. 3. c. 66. ibi vocat Sapientiam Salomonis.
c in Cyprian. de disciplin.
d rom. 9.
e c. 5.
f Osee. 4. 6.
g Esa. 5. 13.
h vers. 4.
i 2. Cor. 6. 1.
k Psal. 11. 9.
l Prou. 10. 18.
m Esa. 1. 13.
n Matt. 7. 26.
o Luc. 14. 30.
p ibid. 31.
q Ioan. 15. 16.
r lect. 37.

Vers. 12.] Mulieres eorum insensatæ sunt & nequissimi filij eorum.

HOc aliud graue supplicium impiorum, vxores habere fatuas, pessimósque filios. Iansenius per γυναῖκας, quod nomen & sexus, & vxorū est, negat hîc vxores intelligendas, quoniam ex sequentibus constat sermonem esse de adulteris. Atqui vxores possūt esse tales, de quibus quoque Cantacuzenus explicat; ad se namque conuocare prætereuntes, & viris, dum spurios filios colligūt, insignem facere iniuriam: improbos autem ex improbis nasci. Consentiunt Expositores Latini. Latinum quoque vocabulum *mulieris* quandoque pro vxore sumitur, vt notat Tertullianus [a], sicut Italicum (*donna*) & à muliere deductum (*moglie*) & Hispanicum (*muger*) & Gallicum (*femme*:) qua de re & nos alibi [b]. Orin autem putant quòd vxores insensatæ sint, ἄφρονες, *insipientes, imprudentes*, &c. ex virorum, quos imitantur, moribus: est enim vir caput mulieris [c]. Æquum in vtroque coniuge ius debitúmque fidelitatis, nec minùs adulter vir quàm vxor frangendo thori fidem; licèt in vxore turpius videatur adulterium, quia magis eo modo redditur proles incerta, vt docet Augustinus [d], diligenter hoc de argumento disserens.

Persequitur præ alijs Philo [e] disertissimè hoc, & plura incommoda adulterij. Consultum apponi custodes vxoribus à maritis, ne quid committerent contra thori fidem. Testes Tibullus [f], Propertius [g], Iuuenalis [h], Martialis [i]. Hi duo postremi [k] vxores nolebant doctissimas, nimis eruditas, nimis facundas; credo, ne domi dominari, ne foris allicere alios velint, aut possint. Inter laudes mulieris vxorísve fortis ponitur, vt os aperiat sapientiæ, sed ita vt vacet domesticæ curæ, considerando semitas domus suæ [l], &c.

Nequissimi filij eorum.] Græcè (πονηρὰ τὰ τέκνα.) Sed positiua nomina superlatiua Interpres sæpe facit, vt non rarò monuimus. De spuriis Cantacuzenus interpretatur. Generalior forsan propositio; & de spuriis magis propriè postea. Frequēs, at non perpetuum, vt sint improborum improbi filij. Temperamentum profectò corporis confert aliquid; sed educatio, institutio, paternum exemplum multo magis: vt meritò patrem mali filij Diogenes percusserit, cùm filio auctorem diceret malitiæ fuisse [m]. Delectantur parentes summopere si referant liberi similitudinem typúmque ipsorum. Nam, vt ille cecinit de quopiam [n];

Et tibi quæ patrij signatur imagine vultus,
Testis materna nata pudicitiæ.

Nihilominus non est argumentum certum adulterij dissimilitudo filij. Qua de re Quintiliani declamatio est pro fæmina, cui natus Æthiops, vt meminit etiam Hieronymus [o], narrans præterea Hippocratem liberasse quādam suspicione adulterij, quæ pulcherrimum pepcrat, quòd in eius cubiculo pulcherrima reperta esset imago, quam solebat illa inspicere. Similia narrat Augustinus [p]. Extat & argutum de eadē re Thomæ Mori martyris Anglicani carmen ad Sabinum, qui quatuor sibi dissimiles liberos adulterinos putabat, & alium legitimum, quòd assimilis esset, cùm tamen omnes essent adulterini.

Quos antè coniunx quatuor
Natos Sabine protulit,
Multum ecce dissimiles tibi,
Tuos nec ipse deputas.
Sed quem tibi puellulum
Enixa nuperrimè est,
Solum tibi simillimum,
Pro quatuor complecteris:
Adulterinos quatuor
Vocas, repellis, abdicas,
Hunc vnicum ceu γνήσιον,
Qui sit tibi heres destinas.
Hunc ergo in vlnis gestiens

a de virginib. velan. c.
b Act. 1. 14.
c 1. Cor. 11. 3.
d lib. 2. de adulter. coniug. c. 8 & seq.
e lib. de decalogo.
f lib. 1.
g lib. 1.
h Saty 6.
i lib. 1. epig vel 70 59.
k Iuuenal supra Martial. lib. 2. epig. 50. aut 62.
l Prou. vlt. 26. 27.
m Laertius in vita.
n Martial. lib. 6. ep. 27. vel 30.
o in qq. Heb. in Genes.
p 2. retract. c. 62.

Exosculanaum ab omnibus,
Vt filium fert simia,
Totam per vrbem baulas.
Atqui graues tradunt Sophi,
Quibus labor studiúmque id est,
Secreta quidquid efficit
Natura, perscrutarier.
Ergo graues tradunt Sophi,
Quodcumque matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis datur opera,
Eius latenter & notas
Certas & indelebiles,
Modóque inexplicabili
In semen ipsum congeri;
Quibus receptis intimè,
Simúlque concrescentibus,
A mente matris insitam
Natus refert imaginem.
Cùm tot abesses millibus,
Dum gignit vxor quatuor,
Quòd esset admodum tui
Secura, dissimiles parit,
Sed vnus omnium hic puer
Tui refert imaginem,
Quòd mater hunc dum concipit,
Sollicita de te plurimùm,
Te tota cogitauerat,
Dum pertimescit anxia,
Ne tu Sabine incommodus,
Velútque lupus in fabula
Superuenires interim.

Haud dubium quin perplaceat & morum similitudo. Sed tristissimum, simúlque verissimum prouerbium, κακῦ κόρακος κακὸν ὠὸν, *mali corui malum ouum:* & illud Horatianum [a];

a ode 4. libro 4.

Fortes creantur fortibus & bonis.

Item Senecæ [b];

b in Hippol.

Redit ad auctores genus,
Stirpémque primam degener sanguis refert.

Vulgatus quoque versus ille;

Sæpe solet similis filius esse patri.

Esdræ præterea sunt, licèt in apocrypho libro [c], aptæ ad hoc propositum similitudines: *Qualis ager; talia & semina: & quales flores, tales & tinctura: & qualis operator, talis & creatio: & qualis agricola, talis & cultura.* Id non perpetuum esse, nonnullis etiam Scripturarum exemplis doceri potest, tum bonorum ex malis, tum ex bonis malorum liberorum. Demonstrat hoc exemplis, multáque opportuna proposito affert Tiraquellus [d].

c lib. 4. 9. 17.

d in 7. legem connubial. à n. 1. & deinceps, & maximè in 9.

Vers. 13.] Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis: & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

Filij impiorum nequissimi cùm sint, ipsa quoque videtur execrabilis generatio, nec expetenda generis propagatio talis, quæ tantorum relinquit hæredes scelerum obnoxios pœnis iisdem, quas genitores commeruerunt. Meliùs cum muliere agitur quæ non parit, eo quòd nolit se libidine coinquinare. Hæc nominis sui memoriam consequetur æternam, nec filios videbit flagitiis infames, & ærumnis implicitos.

Maledicta creatura eorum.] Græcè (ἐπικατάρατος ἡ γένεσις αὐτῶν.) Generatio, & progenies: vel, vt placet Cantacuzeno, etiam educatio, atque institutio, non solùm natalis, & ortus. Carthusianus explicat de posteritate, domesticis, cognatis, & qui pertinent ad illos impios: Lyranus de promotis per eos, qui dicuntur, inquit, creatura eorum, & conformant se illis. Multarum vernacularum linguarum sermone dicitur creatura tum filius, tum ad aliquod munus gradúve ab alio prouectus; & creatus vocatur is qui vt famulus alteri addictus est. Præterea *creare* idem est quod educare, instituere, & bene, vel malè creatus, quod ciuiliter, aut inciuiliter; ipsíque mores appellantur (*creanze.*)

Videtur Cãtacuzenus eiusmodi agnouisse notionem τῆς γενέσεως. Sumitur quidem apud profanos auctores pro eo ipso quod genitum est, quæ etiam generatio interdum Latinè appellatur; imò & pro rei etiam inanimatæ natura. Sed illam aliam apud grauem scriptorem non reperio significationem. Fortassis ætate Cantacuzeni erat vulgaris ea loquendi formula; vt subinde mutationes experimur in re tali contingere. Scriptura *creaturam* vsurpat pro homine, Græcè κτίσιν, vt cùm iubet Christus Euangelium prædicari omni creaturæ [a]; cùm, vt quidam exponunt, dicit Paulus [b], *quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit:* necnon, vt nonnullis placet, cùm scribit, quòd *inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* [c]. Item cùm ait prædicatum esse in omni creatura, quæ sub cœlo est [d]. In Esdra [e], licèt apocrypho, *creatio* accipitur pro quouis opere. Lege Pauli Interpretes.

a Marc. vlt. 15.
b Rom. 8. 22.
c Rom. 1. 20.
d Coloss. 1. 23.
e 4. Esdr. 9. 17.

Felix est sterilis, & incoinquinata.] Græcè (στεῖρα ἡ ἀμίαντος, *sterilis incoinquinata*) absque coniunctione (&) quo pacto etiam legit Budæus [f] (*execrabilis eorum genitura, quando beata sterilis non inquinata.*) Non enim omnem sterilem beatificat, inquit Iãsenius, sed non inquinatam: sicut nec postea omnem spadonem, sed eum qui non est operatus iniquitatem, & non cogitauit praua contra Deum. Imò beatæ olim erant, quæ filiorum esse matres, ac dici potuissent; & excludebantur penitus, ait Cantacuzenus, neque admittebantur ad sacrificia, quę ob sterilitatem per omnem vitam liberis caruissent. Quare non contradicit legi, sed loquitur de illis, quæ cubile in delicto nescierunt, seu continentiam maritalem seruauerunt: quippe quæ longè iis præstent, quæ ex flagitio pariunt, & cubilia scelere commaculant. Sic auctor ille. Hieronymus [g] legit (*beata sterilis immaculata.*) Sed Augustinus [h] vtitur editione nostra: nec officit dicto sensui. Porrò non vetabat lex sterilitatem, seu abstinentiam ab vsu coniugali; sed cunctis pollicebatur fœcunditatem, etiã gregibus [i]: & statum legis decebat vacare proli ad genus humanum propagandum, & propter futurum Messiam; ita vt sterilitas ac infœcunditas maledictionis loco potiùs haberetur, quemadmodum notauit Augustinus [k]. Ambrosius [l] videtur indicare locũ istum, præferens nuptiis virginitatem, sed verbis differentibus; *melior est sterilitas cum virtute.* Sed sunt prima verba Græca sequentis capitis κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς. Hieronymus [m] accipit disertè hoc testimonium pro virginitate; licèt etiam pro Catholico, qui comparatione hæretici, in errore filios non procrearit [n]. Comparat verò differens de virginitate cum loco Esaiæ [o], in quo laudatur eunuchus; de quo loco multa Bellarminus [p].

f in pandect.
g in c. 56. Esa. & in c. 9. Oseæ.
h in speculo.
i Exod. 23. 26. Deut. 7. 14.
k q. 92. in Exodum.
l libro 1. de virginib.
m in c. 56. Esaiæ.
n in c. 9. Oseæ.
o c. 56.
p 2. de Monachis c. 9.

Prætereà Enarratores passim de castitate inter-

pretantur aut maritali, aut virginali; aut de puritate ab hæresi; aut etiam de virginitate Deiparæ. Nō respuenda sunt hæc vllo modo: tamē literalis primus, si nō primarius, est is, quē dixi, sensus. Ecclesia in diuino officio de communi Virginum vnius antiphonæ loco ad laudes ponit verba sequentia (*quæ nesciuit thorum*, &c.)

a in c.56. Esa. b in c.9. Oseę. *Quæ nesciuit thorum in delicto.*] Hieronymus [a] (*quæ non cognouit stratum in delicto*) vel [b] (*quæ non cognouit cubile in peccato.*) Græcè (ἥτις οὐκ ἔγνω κοίτην ἐν παραπτώματι.) Delictum adulterij glossa interlinearis accipit, necnon Lyranus, Hugo, Bonauentura, Carthusianus; licèt extendat Hugo ad castitatem coniugalem mentis, & ad moderatum vsum coniugij: vt sit honorabile connubium, & thorus immaculatus [c]: aut ad virginitatem Matris Christi: Carthusianus ad virginitatem cuiuscumque mulieris. Olcot [d] hanc solam intelligit, de qua disputat an sit virtus.

c Heb. 13.4. d lect. 38.

Porrò cùm delictum, quod in thoro committitur, possit esse graue, vt adulterij, non est perpetuum illud discrimen inter delictum, & peccatū, vt delictum sit leuius, & quasi per incuriam, vel per inconsideratam omissionem. Sed & παράπτωμα, quod hîc habetur, non sumitur modò pro peccato, quod quasi casu aliquo admittatur, vt ipsa vox sonat.

Habebit fructum in respectione animarum sanctarū.] Græcè respectio est ἐπισκοπῇ, & deest (*sanctarum*) quod etiam non legit Augustinus [e], nec Hieronymus [f], apud quem est (*in visitatione.*) Sensus est, habituram eiusmodi sterilem pro fructu, id est, prole, quam indicat καρπὸς, qui dicitur fructus vētris [g], singulare quoddam præmium, quando cognoscētur causæ animarum per accuratam inspectionem & visitationem, atque diiudicationem Dei in iudicio, seu per remunerationem. Quæ remuneratio, fructúsque, quia solis animabus sanctis dabitur, meritò addidit Interpres (*sanctarum.*)

e in speculo. f in c.56. Esa. g sæpe.

Ad castitatis varios gradus accommodant nōnulli [h] fructū centesimū, sexagesimum, trigesimū [i]. Pleni sunt tractatus Patrum de laude castitatis, & virginitatis, déque remediis libidinosæ voluptatis. Illa egō copiosè alibi digressi [k]. Nec pauca etiam ex profanis præterea colligi possent de cōmodis quæ inde proueniāt tam in corpus, quàm in animū. Denique *omnis ponderatio*, inquit auctor Ecclesiastici [l], *non est digna continentis animæ*. Lege S. Thomam [m], qui Iouinianum refellit præferentem nuptias virginitati, quod tot ante ipsum Patres fecerunt: & error etiam Heluidij fuit, æqualis meriti esse.

h vt Hieron. in c.13. Mat. & contra Iouinian. & apolog. ad Pammac. Athanas. epist. ad Amm. i Mat.13.23. k in Euang. de Samarit. l c.26.20. m 2.2.q.152. art. 4. & q. 186. ar. 2.

Vers. 14.] Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersùs Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.

NOn illa duntaxat sterilis, de qua diximus, fructum continentiæ suæ consequetur; sed pariter eunuchus, qui non tam naturæ vitio, hominúmve talis est iniuria [n], quàm puritatis ardēti studio, sibique ipsi libidinis genus omne præcidit, à iure cœlestis ciuitatis nullo modo excludetur, quippe qui nec homines, nec Deū offenderit. Excludebatur eunuchus corporalis olim quidē à tēplo [o], iā à Domini domo spirituali spiritualis nō prohibetur. Dedecebat illud sanè, nuncque indecorum habetur. At cur deceat minùs, mystica ratio est, vt intelligatur, qui probitatis edat fructū nullum, cœlestis ingressu ciuitatis indignum esse. Minimè verò talis eunuchus, qui gignat exemplo filios sanctitatis imitatione propagatos. Dabitur ei præmium fidei religionísque perampluum, atque iucundissimam in Dei templo cernet hæreditatem.

n Mat.19.12. p Deut.23.1.

Affinis, vt pridem monui, apud Esaiam [a] locus, quod hîc obseruat quoque Cantacuzenus, & alij Enarratores; *Et nōn dicat eunuchus: ecce ego lignū aridum; quia hæc dicit Dominus eunuchis: qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum* (hoc est non operari, vt hîc dicitur, per manus suas iniquitatem, nec cogitare aduersùs Deum nequissima) *dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit* (hoc etiam est donum fidei electum, & sors in templo Dei acceptissima.) Duo ista loca Hieronymus [b] inuicem comparat, eundémque vtrique assignat sensum, quem dedimus. Esaiam verò ita quoque Cyrillus Alexandrinus [c], Basilus [d], Ambrosius [e], August. [f] Gregor. [g] Bernardus [h] declarant de cōtinentibus volūtariis, de quibus dicitur; *qui elegerint quæ ego volui.*

a c.56.4.5. b in comm. c in comm. d de vera virginit. e exhort. ad virgin. f de sancta virginit. c. 24 & 25. g 3.p. Past. ral c.29. h de modo bene viuēd. serm.21.

Probatur id communiter de vtroque loco, ex præmio quod promittitur eunuchis: cur enim tātū, adeóque magnum abscissis, vel sic natis promitteretur? Quòd si & istis, qui nō possunt aliud facere, maior gloria promittitur quàm iustis cōiugatis: quāto magis, vt argumētatur Augustinus, illis, qui se continent, quamuis possent nō continere? Sermonē fieri Lyranus vult de impotēte ad generandū, sed qui sit sanctæ vitæ. Carthusianus idē dicit. Vatablus exponit de orbo liberis. Non hoc eunuchus, aut spado significat. De virginitate autē siue de cōtinentia, præter citatos Patres, glossa quoque interlinearis, & ordinaria, & Hugo, & Bonauentura, & Olcot [i] interpretantur, necnō Sà: Anastasius Nicenus [k] de vero eunucho.

i lect.39. k q. 79. in Scrip.

Spado.] Grecè (εὐνοῦχος.) De his vocibus, ac de re ipsa consule dicta in c.8. Actuum Apostolorum [l], vbi retinetur nomen *eunuchi*. Hieronymus [m] citans hunc locum, eodem vtitur: & Interpres *spadonis* vocem vsurpauit duntaxat hîc, & iterum, ac tertiò in libro Ecclesiastici [n], vbi est eadem dictio Græca εὐνοῦχος.

l vers.27. m in c. 56. Esaiæ. n c 20.2. c 30. 21.

Qui nō operatus est per manus suas iniquitatē.] Grecè (ἐν χειρὶ, in manu.) Hieronymus [o] (*qui non est operatus manu.*) Peccatum operis intelligi solet quodcūque illud sit: sed forsitan innuitur turpitudo manibus perpetrata, & fæminarum constupratio, vt innui videtur alibi [p], résque nimis est historiis contestata, & nos citato loco significauimus. Olcot [q] accipit de tactibus impudicis simpliciter. Epiphanius, ab Anastasio [r] Niceno citatus, opus hoc manuum interpretatur de mutilatione genitalium, quam quis suismet manibus exerceat.

o in c.56. Esa. p suprà. q suprà. r q. 79. in Scrip.

Nec cogitauit aduersùs Deum nequissima.] Græcè (πονηρὰ) positiuè, sicut πονηροὶ, *nequissimi* versu 12. Denotantur intemperantię peccata in mēte: quæ autem sic admittūtur peccata, quia vno fiūt conscio Deo, aduersùs Deum rectè dicuntur, licèt ferantur directè in aliud obiectum. Simili de causa Dauid occultè committens adulterium homicidiúmque, dicit se soli Deo peccasse [f], quod aliis mox verbis explicans, dixit, & se malum coram ipso fecisse. Carthusianus explicat etiā de dolore,

f Psal.50.6.

& querimonia contra Deum propter impotentiam coeundi. Colligit Olcot [a], delectationem morosam esse peccatum. *Quid nequius, quam quod excogitauit caro & sanguis? & hoc arguetur* [b].

a lect.39.
b Eccli.17.30.

A

Dabitur enim illi fidei donum electum.] Græcè (*δοθήσεται γὰρ αὐτῷ τῆς πίστεως χάρις ἐκλεκτὴ, fidei gratia electa.*) Vt sit χάρις pro χάρισμα: & est præmium fidelitatis Deo seruatæ, iuxta illud quod præcessit, *fideles in dilectione acquiescent illi.* Hieronymus legit [c] (*dabitur enim fidei eius electa gratia.*) Dignus erit, ait Cantacuzenus, qui in eorum numero censeatur, qui ad Saluatoris dexteram statuentur. Hoc enim est electorum expetendum & pretiosum donum.

c in c.56.Esa.

Satius videtur intelligere, non de communi omnibus electis dono, siue de gloria, quẽadmodũ Lyrano quoq; placet, Hugoni, & Carthus. nec de dono puritatis internæ, & interioris profectus, vt eidem vltimo auctori: nec, vt Bonauenturæ, & Vatablo, de virtute fidei, quæ in spe beatificat, & ex diuina electione datur, & homines perfectos facit: sed de electo quodam dono, id est singulari, proprióque, atque quod peculiariter fidelitati cõtinentium respondeat, quæ, si sint virgines, aureola nominatur, de qua idem Olcot; in quo tamen auctore quædam nõ probo, vt quòd Christi Mater de carne tentata fuerit à dæmone: quòd si quis salua carnis integritate, propositum habuit de actu Venereo; si eum postea pœniteat, consequetur aureolam: quòd comparans merita Sãctorum, præfert Magdalenam Catharinæ. Nam non videtur decuisse, vt permitteretur dæmon sic tẽtare purissimam Virginem: virginitas videtur includere perpetuum, nec interruptum propositum: non est nostrum de meritis Sanctorum iudicare, sed solius spirituum ponderatoris Domini, *cuius oculis omnes viæ hominum patent* [d].

B

Mentiris bestia [illegible], et insane

C

d Prou. 16.2.

Et sors in templo Dei acceptissima.] Græcè (*καὶ κλῆρος ἐν ναῷ κυρίου θυμηρέστερος.*) Hieronymus[e] (*& pars in templo Domini delectabilis.*) Videtur legisse θυμηδέστερος: nam ab ἥδω erit *delectabilior animo, gratior, iucundior*, ab ἀρέσκω, *animo conuenientior, placens magis,* &c. sensu ac significato parum differente. Ponitur autem ab Interprete superlatiuum pro comparatiuo. *Templi* nomine cœlum intelligitur. *Dominus* enim *in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius* [f]: sanctior enim quodãmodo, & sacratior cœli locus, vbi se Deus manifestat, licèt ibi templum Ioannes nullum viderit [g], scilicet quale hîc apud nos visitur, & quò prouocamur ad laudandum Deum: ipse namque per seipsum Deus ibi prouocat immediatè.

e in c.56.Esa.

D

f Psal.10.5.
g Apo.21.22.

Sors hæreditas est beatitudinis, quæ bonis naturæ gratiæque cũ præstet, acceptissima vocatur, maximè cõueniens, ac delectabilis. Intelligit Carthusianus de charismatis supernis tam in militãti, quàm in triumphanti Ecclesia. Videtur allusio esse ab opposito ad legem, quæ vetabat ne intraret eunuchus Ecclesiam Domini [h], id est, iuxta varias expositiones, vel cœtũ populi, vel congregationem seniorũ, vel atria templi; ex quibus vltimæ duæ probabiles. Iure canonico remouẽtur à ministerio sacro eunuchi; & leges præterea ciuiles contra hoc genus hominũ fuerũt, vt vidimus capite octauo Actuũ Apostolorum [i]. In templo cœlesti omnes dicẽt Deo gloriam [k]: sed eunuchi spirituales, siue virgines, qui cũ mulieribus non sunt coinquinati, sequentes Agnũ quocũque ierit, cuius sunt primitiæ, ob paucitatem, excellentiam, consecrationem, & acquisitionem per sanguinẽ ipsius Agni, cantabũt quasi canticum nouum, quod nemo alius dicere poterit [a], vel discere, μαθεῖν: quia qui virgines non sunt ex aliis beatis, propter virtutis præstantiam habere illam cuperent, si possent, vt indicat Gregorius [b]. Hæc est sors θυμηδέστερος, καὶ θυμηρέστερος, *iucundior, & gratior.* Sors acceptissima prorsus eorum qui sunt in Ecclesia maximè sublimes [c], & sicut Angeli [d], atque quodammodo illis superiores [e], &, vt Esaias [f] loquitur, habentes locum, ac nomẽ meliùs in domo Dei à filiis, & filiabus, & Deo quàm simillimi [g], flos morum, honor corporum, decor sexuũ, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præiudiciũ omnis bonæ mentis [h], flos Ecclesiastici germinis [i], gaudium Prophetarum, gloria Apostolorũ, Angelorum vita, corona Sanctorum [k], beata species, Deóque digna, cui nihil comparandũ [l], Angelica corona, super hominem perfectio [m]. De Constantino refert Eusebius [n], virgineum chorũ tantùm nõ adorasse, istîc habitare Deum, cui se puellæ deuouerant, arbitratũ. Posset eò spectare quoquo modo illud Psalmi [o], vt ex Hebræo quidam interpretãtur pro verbis nostris, *apprehendite disciplinam (osculamini puritatẽ.)* Ex Gentilibus hanc in rem nonnulla cõfert Hieronymus [p], vt de Minerua, & Diana virginibus, de vno ex signis cœlestibus, de Sibylla, quæ Æolicè idẽ sit quod θεοβύλη, *consilium Dei.* Acutè Tertullianus [q], cùm omnes templum Dei simus [r], illato in nos & consecrato Spiritu sancto, eius templi æditum, & antistitem pudicitiam vocat, quæ nihil immundum, aut profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedẽ offensus derelinquat. Lege Viegam [s] nostrũ subtiliter ac eruditè quædam hac de re differentem, necnon Bellarminum [t]. De solis castis coniugatis, qui cùm filios ob vxorum sterilitatem procreare non possent, quod erat adeò in votis, continebãt se ab vsu aliarum fœminarum, locum hunc totũ quidam [u] accipi volunt: ita vt opponantur mulieri sterili, quę priùs vocata est felix; & meliorẽ illam sortem in templo interpretantur de bonis, quæ talibus in templo precantibus libentiùs, ac liberaliùs Deus communicaret. Sed malunt alij [x], de iisdem illis castis coniugatis intelligendo, sortem in templo fuisse peculiare aliquod in eo ministerium, ad quod admitterentur, ex iis quæ non erant Leuitica, velutíque initiarẽtur; sicut & de Rechabitis etiam existimant [y]. Vatablus, & Clarius eò referunt, vt filiæ Rechabitarum fierent vxores Leuitarum. Fauent Egesippus [z], ac Eusebius [a], narrantes, cùm Iacobum Iudæi lapidibus obterere pergerent, Sacerdotem de filiis Rechab, qui sunt Ieremiæ testimonio commendati, voce contentiùs emissa, dixisse; *Quid agitis? Iustus pro vobis Deum precatur.* Paraphrastes Chaldæus innuit ministerium peculiare, vsurpans participium מְשַׁמֵּשׁ *meschammesch.* Confirmat demum ex sequẽti antithesi; *filij autem adulterorum in inconsummatione erunt, τέκνα ἄτελεστα,* declarando, quòd non initiarentur, sed à sacris arcerentur. Placet mihi tamen communior antè tradita sententia.

h Deu.23.1.
i verf.27.
k Ps.28.9.

E

a Apo.14.3.4.
b 3.p. Past.c.29.
c Naz. in id Mat. 19. non omnes capiũt verbũ illud & orat. exhortat. ad virgin. Greg. l.3. in 1 Reg. c.4.
d Mat.22.30.
e Ambr. de virg. Cypr. de habitu virg. Aug. de virg. c.23. Ber. ep. 42. Tertul. ad vxorem.
f c.56.4
g Naz. car. de virgini. Basil. de virg. Cypr. de habitu virgin.
h Ter. de pudicitia. Cyp. de pud.
i Cyp. de habitu virgin.
k Athan. de virgini.
l Sulp. dia. 1.
m Cyr. Hierof. catech. 12.
n in vita lib. 4.
o Ps. 2.12.
p 1 con. Iou.
q de cultu fœmina.
r 1 Cor.3.16.
s in c.14. Apoc. com. 1. sect. 2.3.4.5.6.7.8.
t 2. de Mona. c. 22. & aliquot seqq.
u apud Castro.
x idẽ Castro.
y idem in Ier. 35.
z lib.5.
a lib.2 c.23.

Verſ. 15.] Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ.

QVid mirum, si talis continentibus promissa merces? Debetur bonis laboribus, & quasi seminibus, vel arboribus adeò bonus, & gloriosus

fructus:

fructus:arbor enim bona bonos fructus facit [a];& qui suas cum prudentia res gerit, altas veluti laborum suorum & bene fixas radices iacit. Familiaris est Scripturis comparatio ex seminibus, & seminatione,& fructibus [b]:sæpe præterea monemur labores alacriter spe fructus inire ac persequi [c], siue propter mercedem [d].Merces ista,laúsque continentiæ demonstrat profectò illam,cum Dei tamen gratia, esse in nostra potestate. *Dicite iusto, quoniam bene; quoniam fructum adinuentionum suarum comedet* [e]. & ; *labores manuum tuarum quia manducabis beatus es,& bene tibi erit* [f]: & ; *qui manet in me,& ego in eo, hic fert fructum multum* [g].

Bona radix Christus,bona vitis:non altum sapiamus,hæreamus illi,nõ excidamur [h]:non enim radicem portamus,sed radix nos [i]: *non colligunt ex tribulis ficus,ex spinis vuas* [k]; spinas & tribulos terra germinat sponte [l]:excolendus diligenter ager, imbres diuini verbi excipiendi conseruandíque, alioquin minimè fructificantes,maledicto proximi [m] erimus, & paterfamilias ficum sterilem excindet, aut arefaciet [n]; & vineam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis [o].

A virtutis templo ad templum honoris rectus iustúsque processus [p];gloria laborem cohonestat, iucundior ex labore laus. Virginitatis labor maximus, ideo centesimus ei assignatur fructus [q], viduali continentiæ sexagesimus,trigesimus coniugali,vt priùs quoque diximus.Tantam difficultatem Christus significans ait [r]; *qui potest capere, capiat:* opus fuit Christum ipsum venire, vt rem adeò difficilem proponeret,& suo doceret exemplo,ac de virgine nascendo, virginitatem, velut lata lege, vt scribit Nazianzenus [s], sanciret. Id Ambrosius [t] quoque tradit, & Damascenus [u] de Christo & Matre. Sola duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria, inquit Augustinus [x]. Virginem oportet esse armatam, sicut veteres Deas suas virgines armis induebant,vt notat Hieronymus [y].Lectulum Salomonis istum floridum sexaginta ex fortissimis Israël ambire debent [z]; quos Berengosius [a] Abbas interpretatur contra carnalis concupiscentiæ luxus spiritali gladio semper pugnãtes:& quemadmodum Astronomi signum Virginis in cœlo medium locãt inter Leonem,Librámque; ita hîc virginem septam oportet esse fortitudine atque temperantia.In duplici columna ærea fortissima, quam fortitudinem nomina ipsa Iachin, & Booz denotabant, inerant super summitatem lilia [b]. Auxilium gratiæ singulare desideratur, & hominis accuratum studium ad sustinenda ista lilia. Ex hac radice prodeuntes flores sunt fructus honoris,& honestatis [c]. Legenda tropologia Amalech,& Regis Agag apud Gregorium [d] de pugna contra carnem, vbi fusè, piè, eleganter describit quàm sit hæc acris pugna; & affert Mosis exemplum,qui cùm aduersùs alios armis,contra Amalech oratione pugnabat brachiis extensis, quæ si remitteret, vincebat ille:ita vt sustentandus esset ab Aaron, qui est mons fortitudinis, nempe ab altitudine supernæ contemplationis cum magna charitate, & ab Hur qui est ignis huiusce charitatis.

Et quæ non concidat radix sapientiæ.] Græcè (καὶ ἀδιάπτωτος ἡ ῥίζα τῆς φρονήσεως, *& non cadens, stabilis, firma est radix prudentiæ.*) Non deperit timor Domini,radix & initium sapientiæ [e]; vel etiam consummatio, si filialis est, permanet in sæculum

a Matt.7.17.
b Psal.125.5. Oseæ 10. 11.12. Matth.3.10 & 7.17.& 13.3 to 8. 1.Cor.9. 2.Cor.9.10. Iac.5.7.
c 1.Cor.3.8.9. c.15.16.& seqq. Iac.5.7.
d 2 Par.15.7.
e Esa.3.10.
f Psal.127.2.
g Ioan.15.5.
h Rom.11. 20.21. Ioan.15.6.
i Rom.11.18.
k Matt.7.16.
l Gen 3.18.
m Heb.6.7.8.
n Mat.21.19. Luc.13.8.
o ibid. Matth.21.41.
p Plutar. indicat opusc. de fortu. Roma.& in M. Marcel. Aug.5.de ciu.c.12.
r Matth.13.23.
r Matth.19.12.
s ora.in Basil. & carm.de virgin.
t epist.81.ad Siricium, & lib.de institu. virg.c.5.& 1. de virgin.
u 4 de fide. c.25.
x serm.250. de temp.
y ep.ad Princip.
z Cant.3.7.
a lib.de myst. ligni Dominici,& duplici luce.to.2. bibl. Patrum.
b 3. Reg.7.21.22.
c Eccli.24.23.
d libro 6.in c.25 lib.1.Regum.c.1.& 2.
e Psal.110.10. Eccli.1.16.25.

A sæculi [a]. *Charitas nunquam excidit* [b], in qua radicati [c] fructificamus, in qua fundati [d] superædificamus. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit:quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare; quoniam ex Deo natus est* [e].

Simul tamen cauendum, ac videndum, ne qui stat, cadat [f]. Gratiæ Dei dona ἀμεταμέλητα sunt, καὶ ἀδιάπτωτα, *sine pœnitentia*, nec vnquam, quod in se est, *decidentia* [g]. Nostra culpa fit, si decidant, pereant,euellantur, exhumentur. Hæc radix sapientiæ paucis reuelata [h],& bene cognita, vt par est: qui namque sciret hoc donum Dei [i], æstimaret, custodiret,eripi sibi non sineret: qui nosset radicem veram, & propriã causam Deum esse, atque in eius cognitionem intimè descenderet,minimè B contentus notitia ramorum, fructus perpetuos proferret.Rectè autem de castitate priùs locutus, quæ est σωφροσύνη,radicem eius dixit esse φρόνησιν. Maxima requiritur ad castitatem prudentia & sapientia, eáque est ceu radix illius:rursus verò prudentiam atque sapientiam σώζει, conseruat,& custodit castitas,atque temperãtia.Vnde illud Apostoli quod legimus, *sapere ad sobrietatem* [k], εἰς τὸ σωφρονεῖν, Hieronymus [l] vertit, *ad pudicitiam*, licèt Augustinus [m], *ad temperantiam*; Irenæus [n], *ad prudentiam.*

Vers. 16.] Filij autem adulterorum in inconsummatione erunt, & ab iniquo C thoro semen exterminabitur.

LOngè dispar adulterinorum conditio filiorum:cùm enim per intemperantiã editi sint, breui concident tanquam vitiata radice, nec ad maturitatem procedent perfectam.Solent parentum hærere vestigiis,& ob indignitatem,turpitudinémque originis ab aditu templi,& à sacris arceri,vt antè dictum est.Hoc vltimum sequitur in paraphrasi Osorius, & Vatablus in sua versione (*liberi verò adulterorum à sacris arcebuntur.*) Sed hic in scholiis ponit quoque primum, quòd imperfecti erunt,nec assequentur maturitatem. Iansenius amplectitur vtrumque,cõfirmans secundum editione Complutensi (*filij autem adulterorum non* D *initiati erunt.*) Budæus [o] meminit alterius lectionis (*filij adulterorum cum consummatione erunt*) & præfert istam (*liberi adulterorum imperfecti erunt*) id est, non consummati. Græca sensum duplicem patiuntur (τέκνα δὲ μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται.) Verum est filios adulterorum,spurios ac nothos,siue bastardos,merè naturales,atque illegitimos initiari sacris non posse iuxta canones [p]:prohibitũ etiam in lege veteri esse [q],ne manzer,hoc est,de scorto natus, ingrederetur in Ecclesiam Domini, vsque ad decimam generationẽ, multáque contra istos legibus ciuilibus decerni [r]; nec recipi Menandri, & Euripidis contrarium debere super hac re iudicium [s], omnium communi iudicio planè con- E trarium; & multis historiis probari, quot inde damna consecuta sint. Vtitur Ambrosius [t] præsenti testimonio contra copulam fornicariam: Bonifacius verò Martyr malè ominatur suæ Anglorum genti propter huiusmodi crimina, sicut contigerat Hispaniæ prouinciæ,& Burgũdionum populis [u], quos Dei permissu Saraceni deuicerant. Iustinus Martyr [x], siue quis alius, quærit, quo pacto vera sit hæc sententia,cùm genealogia Christi ducatur ex Dauid adultero. Respondet, Dauid pœnituisse, atque Vriæ defuncti relictam

a Psal.18.10.
b 1.Cor.13.8.
c Ephes.3.17.
d ibid.
e 1.Ioan.3.9.
f 1.Cor.10.12. Rom.11.20.
g ibid. Rom.11.29.
h Eccli.1.6.
i Ioan.4.10.
1.Cor.2.12.
k Rom.12.3.
l l.con.Iou.
m epist.47.
n lib.5.c.20.
o in pandec.
p citat Petr. Gregor.7.de Repub.c.8.& 10 syntag.c.3. & lib.45.c.6.
q Deut.23.2.
r Tiraquel. citat de nobilita.c.15.à n.10. Petrus Gregorius supra.
s apud Tiraq. suprà, & Stobæum ser.75.
t ser.65.qui est de S.Ioanne,& habetur 32.q.4.c.dicat aliquis.
u d.56.c.si gens.
x q 78.ad Ortho.

uiduam, quam priùs viuente viro violauerat, vxorem duxisse; Deinque pœnitentiam Dauid eo quoque modo honorare voluisse, vt mentio nominatim fieret vxoris quondam Vriæ. Hieronymus [a], Chrysostomus [b], Euthymius [c], Ambrosius [d] aliam reddunt causam, quam innuit quoque Augustinus [e], cur nulla sancta mulier, excepta Christi sanctissima Matre, ibi exprimatur, sed Thamar, Ruth, Bersabee; vt appareret, Christum, qui propter peccatores venerat [f], de peccatricibus voluisse nasci. At cur Ochosiam, Ioam, Amasiam Reges omissos dicunt, quia impietatem Iezabel secuti essent? Simplicior Maldonati ratio [g], quia cæteræ mulieres Iudææ, ac legitimæ vxores fuerant, de tribus illis dubitari poterat, an filij, qui recensebantur, essent ex iis procreati; siquidem conceperat Thamar extra legitimũ coniugiũ, Ruth erat Moabitis, Bersabee fuerat adultera.

a in c.1. Matthæi. b ibid. c ibid. d in Luc. e 22. cont. Faust. c.64. f Matth. 9. Lucæ 15. g in Matth. c.1.

Adulterorum.] Græcè (*μοιχῶν, mœchorum.*) Latinæ voces *adulteri*, & *adultera* hanc vim habent, vt adulter ad alteram, adultera ad alterum se cõferat, vt ait Festus, alterum, inquam, virum, alteram vxorem. Tamen sumitur aliquãdo pro amatore, stuprisque dedito adulter. Tale illud [h]:

Inclusam Danaën turris ahenea,
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteriis.

h Hor. lib. 3. carm. ode 16.

Græcum, ac Latinum iam factum nomen *mœchi* videri potest ampliùs sic sumi apud Plautum [i];

Herus meus ita magnus mœchus est mulierum, vt neminem
Fuisse æquè, neque futurum credam.

i in Milite.

Sexto Decalogi præcepto [k]; *Non mœchaberis*, sicut & nono [l]; *Non concupisces vxorem proximi tui*, putant quidam solum adulterium propriè dictum prohiberi: nec negat Augustinus [m], sed aliunde confirmat prohibitionem simplicis fornicationis contra vtentem pro hac argumento, quasi licita esset. Præterea cùm Græci mœchos nonnisi adulteros dicant, disputat idem Doctor eandem quæstionem magis ex professo in quæstionibus Exodi [n]. Ostendit fornicationis nomine interdum mœchiam significari; *qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, πορνείας λόγου, facit eam mœchari* [o]: sed non occurrere exemplum, in quo omnis fornicatio mœchia dici possit. Tandem argumentatur, quemadmodum furti nomine, quod vetatur [p], bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ, etiam rapina, & multo quidem magis, à parte totum intelligendo, quidquid illicitè rerum proximi aufertur; sic & nomine mœchiæ debere intelligi prohibitum omnem illicitum concubitum, atque illotum membrorum nõ legitimum vsum.

k Exo. 20. 13. l ibid. 17. m de decem chordis c.10. n q.71. o Matt. 5. 32. p Exo. 20. 14.

Rabbi Abenezra præceptum illud Decalogi exposuit de quolibet concubitu, qui non est viri cum vxore: & videri posset Christus ita interpretatus dicendo [q]; *Audistis quia dictum est antiquis; Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, id est, qui quamlibet fœminam concupierit, *mœchatus est eam in corde suo*, id est, admisit contra legem, in qua sub mœchia includitur fornicatio. De hac expositione Christi minùs laboro, quæ placet tamen Gregorio [r], & facilè concedo de sola tunc alienæ vxoris concupiscentia locutum. At quidquid sit de vocibus, non etiam prohibitam fornicationem sexto, nonóque Decalogi præcepto, Oleastro [s] non credo, cùm tam multis aliis locis post

q Matt. 5. 27. r 21. morali. c.9. s in Exo. c.20.

A legem scriptam, vt nihil modò dicam de locis noui Testamenti, prohibita sit [a], & senior Tobias filio ante matrimonium prohibuerit omnem fornicationem, & ne præter vxorem suam pateretur vnquam crimen scire [b]; & in lege naturæ in Thamar voluerit Iudas morte punire [c]: Lege Abulensem [d]. Plura hac de re diximus ad c.15. Actuum Apostolorum.

a Deuter. 23. 17. 23. Num. 25. 6. & seq. Oseæ 4. 12. b Tob. 4. 13. c Gen. 38. 25. & seq. d in Exod. q. 23.

Stulta verò quorundam quæstio cum conquestione, cur Deus, quasi voluptatibus nostris inuidens, vetet simplicem fornicationem, cùm vir fœminaque quod in eorum situm est potestate, concedant vltrò. Quæram & ego, quare paterfamilias non hoc permittit filiabus. Multo magis Dei sunt omnes & Christi, quàm parentum suorum B filiæ. Meretrix nesciens quamdiu cum ea vir maneat, aufert quæcumque potest: vir sæpe post conceptum prolémve deserit fœminam; prolis nulla à talibus, vel permodica haberi solet cura: denique plurima inde in Repub. existunt damna. Pœnitere tanti emere nolle respõdit Demosthenes, cùm posceret Lais formosissima meretrix pro flagitio *μυριὰς δραχμὰς ἢ τάλαντον, decem millia nummorum milléve coronatos* [e], & erit qui æterna sibi emere velit supplicia!

e Gellius lib. 1. c.8.

In inconsummatione erunt.] Sic meliùs emendatum ex Græco (*ἀτέλεστα ἔσται*) cùm passim codices multi, & Ambrosius [f] legerent (*in consummatione.*) Dixi *ἀτέλεστα* significare etiam nõ initiatos filios C sacris, seu prohibitos; non solùm minimè peruenientes ad consummationem & perfectionem, aut maturitatem sine corporis, siue ætatis, siue prosperitatis. Iuxta aliam lectionem sensus esset, accipiendo *consummationem* pro consumptione, ferè idem, quòd breui consumentur, non hîc diu permanebunt.

f serm. 65.

Ab iniquo thoro.] Græcè (*ἐκ παρανόμου κοίτης.*) Iniquus thorus videtur adulter esse: continet enim adulterium iniustitiam, & de adulterij crimine sermo magis propriè videtur esse. Quamquam *παράνομον* est quicquid legi repugnat. Hieronymus [g] (*ex iniquo concubitu semen peribit.*)

g in c.9. Ose.

Semen exterminabitur.] Proles abolebitur. Prolem significat semen; exciditur enim ab animali D ad prolificandum, & omnino ante semen præcedit animal: sunt namque rerum indiuidua perfecta initio creata. Vel, vt exponit Carthusianus; coniugati adulteri priuabuntur prolis fœcunditate: cuius etiam rei ratio naturalis est.

Vers. 17.] Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum.

Hieronymus [h] (*cùm longi fuerint temporis, reputabuntur in nihilum, & ignobilis in nouissimis erit* E *senectus eorum.*) Quamuis cernamus aliquos ex flagitio natos ad extremam vsque senectutem peruenire, aut diuitiis, gloriáque perfrui, non effugient illi tamen diuinum supplicium, vel serò. Tam rancidi, nimiáve maturitate vieti fructus noxij sunt, quàm acerbi & immaturi. Hoc ferè modo Cantacuzenus, qui filios istos ponere videtur imitatores esse parentum, quósque vocat Esaias [i] semen nequam, & filios sceleratos, quia visitat puniteque Deus iniquitaté patrũ in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt illum [k]. Tamen temporalis pœna per-

h supra. i c.1.4. k Exo. 20. 5.

uenit

uenit quoque nonnunquam in innoxios noxiorum parentum liberos, vt in istis illi velut in re sua puniantur, & cæteri exemplo hoc remoueantur à licentia peccandi; imò & ipsimet liberi. Sic Hieronymus [a], Augustinus [b], Gregorius [c], S. Thomas [d], Chrysostomus [e], Theodoretus [f], Acacius [g], Seuerus [h], Hugo de S. Victore [i]. Hoc pacto comminatur Christus, ac prædicit fore, *vt veniat* super Iudæos *omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram* [k]. Hieronymus [l], quæ hîc habentur, spiritualiter duntaxat accipi debere sentit: [neque enim existimare debemus, inquit, quòd vuluam sterilem, & vbera arentia deprecatus sit.] Explicat verò de hæreticis. Sed non dubito literalem sensum esse quem dixi, tradúntque passim cæteri.

Tractat Fulgentius [m] egregie totam sententiam istam, vt Gallam consoletur super morte mariti iuuenis: docétque, Christiano pióque viro, qualis Gallæ maritus fuerat, non obesse breuitatem vitæ; sed impiis nec prodesse longam: quia quantumlibet longæui moriantur, acerbo funere demerguntur; & quamuis ætas eorum matura videatur in corpore, mortifera tamen mundi dilectio immaturæ mentis acerbitatem retentat in corde: & vita mala, inquit [n], quanto magis fuerit temporaliter prolongata, tanto magis delinquentibus multiplicat pœnam, atque immaturos, acerbósque senes demergit in tartarum. Beneficij loco deputandum est ipsissimet impiis, quos præuidet Deus non corrigendos, si maturiùs extrahantur de hac vita; leniores enim ferent in inferno pœnas.

Sine honore erit nouissima senectus illorum.] Cùm alioqui, vt pridem [o] diximus, honorem senectus mereatur, & præceperit Deus [p] honorari personam senis; & præter alia huius ætatis priuilegia, de quibus opere integro Gabriel Palæotus, Gadibus illi templũ dicatum prodat Philostratus [q], tanquam rerum magistræ. Verùm fatuo nil sene contemptibilius, & bis puero, ac repuerascente, vel qui potiùs puer fuerit semper, vel puer centum annorum maledictus [r]. *Tres species odiuit anima mea,* inquit Deus [s], *& aggrauor valdè anima illorum: pauperem superbum: diuitem mendacem: senem fatuum, & insensatum,* γέροντα μοιχὸν ἐλαττούμενον συνέσει, *senem adulterum diminutum intellectu:* quales redarguti & conuicti à Daniele puero [t]. Non diu vixisse dicendus, qui vitę cursum ad felicitatis metam non direxit, sed diu fuisse, ait Seneca [u]. Quamuis autem seniorem nolit Paulus [x] increpari, sed obsecrari vt patrem; tamen id Gregorius [y] intelligendum scribit, cùm culpa senioris exemplo suo, ceu laqueo, non trahit ad interitum corda iuniorum [z]; tunc verò, districta increpatione feriendum. Fecit id Daniel [a], crebróque Christus. Inhumanitas, & immanis feritas earum Gentium censetur, senio confectos etiam parentes esitare, vel canibus obiectare, vel occlusos fame necare, vel in solitudinem dimittere sine viatico, vel præcipitare de rupe in mare, vel fustibus interimere [b].

Vers. 18.] Et si celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem.

NEc talibus breuem proderit vitam viuere, post quam nulla sit spes melioris; sed sententia potiùs Iudicis damnentur extremo illo

A tempore. Non eget res hæc, summopere deploranda, exaggeratione: quàm amara iuuenibus, & florentibus hac felicitate mors [a]; at amarissima propter desperationem salutis, cùm sibi culpa sua præcisam videbunt spem, ac toties antè vocanti renuentes Deo, à Deo ipso in proprio interitu rideri [b]. Huius rei narrat terribile exemplum B. Antoninus [c] eius qui neglectò religionis voto factus canonicus, moribundus hortantibus ad confessionem respondit nil opus esse, quòd ab irato Deo accepisset; vocaui, & renuisti, ideo vade ad pœnas inferni.

In die agnitionis.] Græcè (διαγνώσεως, *inquisitionis, diiudicationis, cognoscendæ causæ, animaduersionis*) in die iudicij, tum particularis, tum generalis, quando velut ex libris omnium recitabuntur res
B gestæ, & pronunciabitur sua cuique sententia; & cognoscet nõ Deus modò, sed suam quilibet intimè conscientiam. Idem valet quod ἐπισκοπῆ, quem Interpres *respectum* vertit. Budæus [d] refert aliam lectionem (*in die agnitionis allocutionis*) ipse verò sic interpretatur (*in die diiudicationis solamen, vel solatium.*) Vnum vidi Fulgentium [e], qui multo legat aliter (*in die magnitudinis.*) Expedit sic, diem vocari, in qua non iudicandus, sed iudicaturus veniet Dominus: quando iudicabatur pro nobis, diem minorationis fuisse, in qua minoratus est paulo minùs ab Angelis [f]; tunc futurum diem magnitudinis, cùm omnes mali cupient abscondi in cauernis montium, dicentes montibus, &
C petris [g]; *Cadite super nos, & abscondite nos à conspectu Patris sedentis super thronum, & ab ira Agni; quoniam venit dies magnus iræ illorum, & quis poterit stare?* Concedimus libenter diem Iudicij magnum dici ob eam causam, quam affert, vt etiam ipsi alibi docuimus [h]. Sed aio nouam planè mihi lectionem istam videri, & valdè, si non à re sensúque, certè à nomine Latino *agnitionis* abhorrentem, & Græco διαγνώσεως. Legi postea Iansenium reprehendentem eam lectionem, nominando quoque Fulgentium.

Quare meritò quidam [i], acerbus aliorum reprehensor, deprecatur veniam, veretúrque se ait, ne de diei iudicij magnitudine adeò multa proferens, vim faciendo in Fulgentiana lectione, ipsa
D commentarij magnitudine grauis molestúsque sit. Idipsum pro cõmentario toto deprecari potuit, tam sæpe, tam longè, tam multis, digrediens etiam ad pura puta Grammatica; in aliis verò nec breuiores quidem, & forsitan suis aptiores obseruationes æquo animo ferens; sed mira contradicendi, & continua libidine discerpens, non tantùm carpens. Laude digna de *agnitionis* vocabulo annotatio, pro diuino iudicio respectu Dei, qui tunc *cognoscetur iudicia faciens* [k], & vindicans iniurias tum proprias, tum iustis hîc ab iniustis illatas; quando etiam *videbunt* Christum, *qui eum pupugerunt*, seu *transfixerunt*, siue insultauerunt [l].
E Deinde respectu iustorum, qui nunc despici videntur, nec agnosci à Deo; quósque nihili faciendo, ne aspectu quidem dignantur iniusti. Tandem respectu vitij, ac virtutis, meriti, & demeriti, supplicij, præmíique, quorum perexigua, & à paucis modò habetur notitia, vel æstimatio.

Allocutionem.] Græcè (παραμύθιον, *solatium, leuamen, blandimentum, delinimentum, mulcimentum,* veluti *piaculum,* aut *piaculare sacrificium, consolationem*) quasi dicas locutionem ad cor [m], & gratam. Vnde quod habetur in Genesi [n]; *tristémque deliniuit blanditiis*, Hebraicè legitur, *& locutus est ad cor adole-*

scentulæ.

a in c. 32. Ieremiæ, & in c. 18. Ezechiel.
b qq. vtriusque Testam. q. 14. & cont. Adim. c. 7. & ep. 75.
c 5. moral. c. 22.
d 1. 2. q. 81. art. 2. ad 1. & q. 87. art. 8. ad 1.
e in Psal. 84.
f q. 40. in Exod.
g cate. in Exodum.
h ibid.
i annot. elucidat. in Exodum.
k Matth. 23. 35.
l in c. 9. Oseæ.
m epis. 2. c. 3.
n c. 4.
o c. 2. 10.
p Leu. 19. 32.
q libro 5. de vita Apollo.
r Esa. 65. 20.
s Eccli. 25. 3. 4.
t c. 13.
u de breuit. vitæ. c. 8.
x 1. Tim. 5. 1.
y lib. 7. epist. indic. 2. epistol. 1.
z Esai. 42. 22.
a c. 13.
b Alex. ab Alex. lib. 3. c. 2. tum Tiraq. & Rhodig. libr. 18 c. 28. quia lios citant, sicut & Theatrum vitæ hu. volu. 19. lib. 2. pag. 3606.

a 1. Reg. 15. 32. Eccli. 41. 1.
b Prou. 1. 2[6]
c 3. p hist. ... 24. c. 9. §. 7.
d in pande[c]...
e epist. 2. c. 3
f Psal. 8. 6. Heb. 2. 7.
g Apoc. 6. 16. 17.
h Act. 2. 20.
i Ceruantes
k Psal. 9. 17.
l Zach. 12. 10. Ioan. 19. 37. Apoca. 1. 7.
m Ruth 2. 13. Esa. 40. 2. Ose. 2. 14. Iudic. 19. 3. Græcè.
n Gen. 34. 3.

ſcentulæ. Alij haud ita bene declarant, defore adulteris, vel adulterinis quoque filiis imitatoribus parentum excuſationem, aut appellationem. Græcæ voci ſenſus primus aptior; eadémque notione adhuc bis eadem videtur hoc libro [a] poni. Firmari idem poteſt Syra interpretatione verborum illorum apud Ioannem [b]; *Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt conſolarentur eas de fratre ſuo, ἵνα παραμυθήσωνται*: Syriacè, *vt loquerentur cum corde earum.*

a c.8.9.c.19.12.
b c.11.19.

Muretus [c], poſt Petrum Victorium, quem citat, notauit, *alloquendi* verbum propriè admodum, & venuſtè vſurpatú eſſe à veteribus in eo ſermone, qui leuandi ac minuendi alieni doloris causâ habetur: id autem acceptum videri à Græcis παραμυθεῖσθαι, παρηγορεῖν, παραμυθία, vel παραμύθιον, & παρηγορία. Confirmat auctoritate Senecæ [d], Catulli [e], Horatij [f]. Sed prima optima;

Alios parentes alloqui in luctu decet,
Tibi gratulandum eſt.

Catullus ait;

Quem tu, quod minimum, facillimúmque eſt,
Qua ſolatus es allocutione?

Horatius vinum, cantúmque vocat dulcia alloquia.

Illic omne malum vino, cantúque leuato
Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis.

Delrius [g] noſter addit alia duo teſtimonia Ouidij [h]. Accedit Varro [i] citatus à Victorio, & quem Lambinus [k] affert, Valerius Maximus [l]. Sed theſauri linguæ Latinæ Auctori deferendum, qui prior hæc ferè omnia videtur obſeruaſſe. Legantur prætereà Paſſeratius [m], noſtérque Cerda [n]. Hinc intelliges Interpretem noſtrum non aptè ſolùm, ſed etiam eruditè τὸ παραμύθιον, *allocutionem* conuertiſſe. Lege etiam cap.8. [a] Grauis hæc vna ſeueri circumſtantia Iudicij extremi, nihil in eo futurum, vnde tãtillum improbis percipere conſolationis liceat, non à Chriſto Iudice, non ab aduocata patronáque peccatorum Maria, non à cæteris, vel Angelis, vel hominibus ſanctis, non ab amicis & coniunctiſſimis.

c 2.vari.lect. c.4.
d in Troade.
e in hendecaſyllabo ad Cornific.
f lib.epod. ode 13.
g in Senecæ Troad.verſ. 618.
h 1.Triſt eleg. 4.& 7.
i 6.de lingua Latina.
k in Horat.
l lib.2.c.7. lib.4.c.6.
m in Catulli epig.66.
n in Virg.6. Aene verſ. 450.nota 11.
a verſ.9.

Verſ. 19.] Nationis enim iniquæ diræ ſunt conſummationes.

NVllum ſupereſt in extremo ſolatium: ſed aſperum impiis ſupplicium. Fulminatrix percellet eos vltima ſententia [b]; *Diſcedite à me maledicti,* &c. Acerbi, duri, & permoleſti erũt fines exitúſque: γενεᾶς γὰρ ἀδίκου χαλεπὰ τὰ τέλη. Sic melior Latina lectio iſta, quàm aliorum codicum (*nationes enim iniquæ diræ ſunt conſummationis.*) Mitto pluribus in adulteros inuehi, vel huc ex profana literatura inuehere, quibus crimen hoc doceam quàm ſemper horruerint mortales. Nam licèt Plato coniugum probaſſe communitatem videatur, quod in Platone leniùs tamen quidam interpretantur, adulterium, quæ eſt alienæ vſurpatio vxoris, id non eſſet. De pœnis Theatrum vitæ humanæ multa [c], Rhodiginus [d], Alexander ab Alexandro [e]. Ciuiles leges permittunt occidi adulteram à viro, quod & Plato [f] tradidit, & Solon [g]: Chriſtiana lex nefas putat. Tam erant ab eo vitio Lacedæmones alieni, vt ne lege quidem, pœnáve prohibendum cenſerent [h]. Diſſerit Salmeron [i] noſter de adulterij fornicationíſque peccatis diligenter & doctè.

b Mat 25.41.
c vol.18.libr. 5.pag.3404.
d lib.19.c.6. & libr.21.c. 48.& lib.27. c.4.
e lib.4.c.1.
f 9.de legib.
g Plut.in Solone.
h Plutarc.in Lycurgo.
i tom.5.tract. 38.

SVMMARIVM.

PERGIT Sapiens in inchoata diſceptatione de adulterina prole; nunc ex oppoſitorum comparatione præferens vel in totum liberis carere, ſalua caſtimonia: inde verò nactus occaſionem tacitæ videtur obiectioni ſatisfacere, quòd & breui finiant interdum iuſti vitam: hoc enim ipſum ſingulari Dei fieri beneficio ne ſeducantur; nec tam longæuitate mereri nos laudem, quàm integritate vitæ: denique longè diſparem exitum vtrique contingere.

CAPVT IV.

1 O Quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines.

2 Cùm præſens eſt, imitantur illam: & deſiderant eam cùm ſe eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

3 Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & ſpuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt.

4 Et ſi in ramis in tempore germinauerint, infirmiter poſita, à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur.

5 Confringentur enim rami inconſummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.

6 Ex iniquis enim ſomnis filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua.

7 Iuſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

8 Senectus enim venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis:

9 Et ætas ſenectutis vita immaculata.

10 Placens

10 Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est.

11 Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius: aut ne fictio deciperet animam illius.

12 Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.

13 Consummatus in breui expleuit tempora multa:

14 Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia:

15 Quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos eius, & respectus in electos illius.

16 Condemnat autem iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celeriùs consummata longam vitam iniusti.

17 Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus.

18 Videbunt & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit.

19 Et erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur, & erunt gementes, & memoria illorum peribit.

20 Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum.

Vers. 1.] O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.

PRÆCLARIVS ad elegantiam decoris, ad nominis firmius immortalitatem filiis carere ob studium virtutis. Non delet memoriam virtutis prauo æstimata iudicio, perinde vt calamitas foret, orbitas: sed est, si cum virtute sit coniuncta, Deo grata, suspicienda mortalibus. Virginitatem celebrat Cantacuzenus, & Expositorum pars melior putat, seu orbitatem non ex sterilitatis impotentia natam, sed ex moderatione cupiditatum, temperantique consilio susceptam, quo quis ab omni se prorsus complexu seiungit. Falluntur qui generis, ac filiorum successiones arbitrãtur immortalitatem: illa potiùs immortalitas vera, quæ conspicuam laudem cõtinet, & communem Deique, hominúmque approbationem.

O quàm pulchra est.] Græcè (*κρείσσων, melior*) sine epiphonemate: quo etiam pacto legit Cyprianus [a] (*melius est sine filiis esse*, &c.) Hieronymus [b] (*melius est filios non habere*, &c.) aut [c] (*melior est ste-* A *rilitas*) Ambrosius [a] (*melior est virginitas*, &c.)

Casta generatio.] Græcè (*ἀτεκνία, sine filiis esse, filios non habere, sterilitas*) vt modò retulimus ex Cypriano, Hieronymo, & Ambrosio. Vatablus (*potior est sterilitas*) Isidorus Clarius (*melius est carere liberis*) Iansenius (*melior est sterilitas & carentia filiorum.*) Hoc propriè significat ἀτεκνία. Sed quia vulua sterilis & orbitas, vt indicat Hieronymus, per se non sunt expetibilia, rectè *generationem castam* Interpres vertit; siue *generationem* pro genitis accipiamus, & vt opponitur nationi iniquæ, de qua prioris capitis extremis verbis, ita vt sint boni penitùs continentes, aut oppositi adulterinis filiis; siue pro generandi actione, seruata continentia coniugali: vel pro spirituali, cùm quis habet B filios spirituales. Sed primo modo melius; & quidem præsertim de prorsus continentibus, non tantùm de abstinentibus ab illicito carnis vsu, sicut Lyranus exposuit, iustorũ vniuersitatem generaliter intelligens; cùm cæteri tamen Enarratores sic, vt dixi, declarent, necnon, præter accommodatum sensum Ecclesiæ in diuino officio de communi Virginum, Bernardus [b], Petrus Blesensis [c], Cyprianus [d], vel Origenes, & Ambrosius [e].

Vltimus sensus magis allegoricus est, quem glossa sequitur ordinaria, & Hieronymus [f], vt nempe hæresibus, & erroribus exclusis, Catholicè sentiant, doceántque.

Anagogicè nonnulli [g] generationem castam C cum claritate sumunt de conceptione ac natiuitate Christi ex Matre Virgine; imò & de eiusdem diuino ortu ex Patre. Nam ideo Mater vocatur aurora, quasi genitrix Solis, & genitus dicitur Dei Filius in splendoribus [h]: vtroque modo sine difficultate, sine diminutione integritatis Matris, substantiæ Patris.

Virginitatis porrò pulchritudo talis est ac tanta, vt eam Interpres exclamando indicare voluerit, *ô quàm pulchra est*, &c. plenus admiratione, atque laudibus imparem se ipsius agnoscẽs. Neque verò plura etiam ego de argumento isto, quod adeò copiosè tam multi tractauerunt, & ex recentioribus Ioánes Dominicus, Candela noster [i], & in opere de bono status religiosi Platus [k]. D Liliis, rosis, & aliis suaueolentibus comparari floribus, oculósque mira colorum elegantia oblectantibus virginitatis pulchritudo solet: vt meritò Climacus [l] odoriferã vocet, & Cassianus [m] dulcedinis plusquàm melleæ, & inexplicabilis. Narrant [n], cùm Iulianum inter ac Basilissam celebratæ nuptiæ fuissent, & Iulianus continentiæ votum suscepisset; brumæ verò tempore florum omnium in cubili fragrantiam sensissent, Iulianum Basilissæ obstupescenti dixisse: hic odor munditię virginalis est; mox sponsam virtutis captam suauitate, voto eodem sese obstrinxisse; vtrumque diuinis visis ac responsis illicò mirificè recreatos esse: quæ responsa, quia laudationem continent E virtutis huius, digna sunt quæ legantur.

Cum claritate.] Græcè (*μετὰ ἀρετῆς, cum virtute*) quemadmodum legit nõ Græcus tantùm auctor Cantacuzenus, verùm etiam Hieronymus [o], & Ambrosius [p]: qua in re fallitur Scholiastes Petri Blesensis, dum ait lectionem (*cum claritate*) esse iuxta editionem Græcam. Sed Origenes eo libro, qui apud Cyprianum est de singularitate Clericorum (ei enim potiùs tribuendum censent plures, quibus assentit Pamelius [q], nisi malè versum Latinè dicas) habet (*cum claritate*) Bernardus [r], &

a de singularitate clerico. vbi tribuit Salomoni.
b in c. 9. Osee.
c in c. 63. Esaiæ.

a 1. de virginibus.
b ep. 42.
c ep. 16.
d de singularitate clerico.
e 1. de virginib.
f in c. 9. Osee.
g Angelus del Pas 5 exposit in Sym c. 14.
h Psal. 109. 3
i lib. de vir. idiomate Italico.
k libr. 2. c. 4. lib. 3. c. 9.
l grado 15.
m collat. 12. c. 13.
n Sabellicus libr. 5. c. 6. Marul. lib. 4 c. 7. Metaphr. 9. Ianuarij.
o in c. 9. Osee.
p 1. de virg.
q in Cypri
r epist. 42

Blesen

a epist. 36.
b 1. Tim. 1. 5.
c Matt. 25. 3.

Bieſentis [a] *(cum charitate)* Et quidem probat hinc Bernardus, abſque charitate de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta [b], caſtitatem non placere, ſed eſſe lampadem ſine oleo [c]. Interpres *claritatem* poſuit, vt exiſtimo, vt ſignificaret virtutem caſtitatis adiunctam habere ſolere laudem, ac celebritatem, decorem, & claritatem aliarum virtutum. Qui autem legerunt (*cum charitate*) voluerunt κατ' ἐξοχὴν nomine *virtutis* omnium reginam denotari charitatem. Pulchra igitur eſt caſta generatio cum claritate: caſti pulchri ſunt, & clari, lumbis præcinctis, lucernis ardentibus [d], nitore conſcientiæ, bono exemplo. Lyranus claritatem ſapientiæ, quæ iuſtis datur, declarat: & conſtat, eam communicari præſertim caſtis, atque hanc virtutem adminiculo eſſe ſapientiæ. Olcot [e] de caſtitate coniugali totum locum accipit. Sed plurium ſequimur ſententiam. Quòd ſi legitimos quoque filios intelligamus, hi ſunt cum claritate, hoc eſt, nobilitate, quæ ſpuriis illegitimíſque denegatur.

d Luc. 12. 35.
e lect. 43.

Immortalis eſt enim memoria illius.] Græcè (ἀθανασία γάρ ἐστιν ἐν μνήμῃ αὐτῆς, *immortalitas enim eſt in memoria illius*) nempe virtutis, vel charitatis, vel potiùs caſtæ generationis; ita vt illam eſſe cum claritate, & iuxta editionem Græcam cum virtute, ſit conſeruari perpetuò memoriam ipſius. Parum diſſimilis phraſis in Pſalmo [f]: *in memoria æterna erit iuſtus*, εἰς μνημόσυνον αἰώνιον ἔσται δίκαιος. Senſus idem; licèt Cyprianus [g], vel Origenes, ſeu qui hunc Latinum fecit, editionem Græcam expreſſerit, quod Eraſmus in libro Cypriani corrigere non debuit. Gratis omnino facit Cyprianũ quidam [h] Interpretem, ac tranſlatorem Origenis, quamuis phraſes, ac ſchemata Latina æuo vſitata quo viuebat Cyprianus, habeat. Generatione perpetuatur corruptibilium ſpecies, vt docuit Philoſophus [i]; at viuit ſemper memoria caſti iuſtique, non in poſteris, ſed in ſemetipſo.

f Pſal. 111. 6.
g de ſingul. cleric.
h Ceruantes.
i lib. de generat.

Apud Deum nota eſt.] Cum approbatione, non ſolùm quia non cadit in eum obliuio. Nota hæc verbi *noſcendi* notio Scripturis familiaris, vt & oppoſiti *neſcio, ignoro*, &c. *Nouit Dominus qui ſunt eius* [k]: *nouit Dominus viam iuſtorum* [l]: *neſcio vos* [m]. Memoria porrò approbatiua perpetua, quam retinet Deus de pulchra illa generatione caſtorum, arguit eos eſſe immortales. Huc ſpectat quod pridem innui de virginum cantico proprio, quódque Agnum ſequantur ſemper [n].

k 2. Timot. 2. 19 Num. 16. 5.
l Pſal. 1. 6.
m Mat. 7. 23. c. 25. 12.
n Apocal. 14. 3. 4.

Apud homines.] Etiam coniugatos, etiam impudicos, qui non poſſunt quin crebrò caſtos admirentur, & laudent, non ſolùm apud iuſtos hîc degentes, & apud beatos. Petrus [o] hoc inter alia innocentiæ cuſtodiam ſuadet argumento, quòd impuri ac impij admirentur, non concurrentibus piis caſtíſque Chriſtianis in eandem luxuriæ confuſionem. Rectè, quòd admirari dicit; nec libet enim imitari rem adeò ſublimem, &, vt Ambroſius [p] loquitur, ſupra vſum naturæ, &, vt Caſſianus [q], vltra naturam, &, vt Bernardus [r], ac Baſilius [ſ], pluſquàm Angelicam. Sed hoc quoque ſuperiùs attigimus. Nec verò forſitan de minoribus profeſſio tantæ ſanctitatis rationibus eſt, quibus Religionis Chriſtianæ veritas ſanctitáſque ſectis aliis perſuadeatur; quamuis ſimul plurimi rei tantæ difficultate ab eius retardari proſecutione ſoleant. Ipſiuſmet etiam caſti coniugij moleſtiæ multæ, ídque quamuis liberi ſuppetant. Auguſti quidem, Suetonio teſte, felicitatem infelicem fecerunt filia, neptes, nepotes; adeò vt ipſe ad eorũ

o 1. Epi. 4. 4.
p 2. de virgi.
q 6 inſtit. c. 6.
r epiſt. 42.
ſ de virginitat.

A mentionem proclamare ſoleret, vtile eſſe ſine nuptiis manere, & abſque liberis interire; appellare quoque illos vomicas, & carcinomata ſua; quod vno Euripides verbo dixit ἄτεκνον ſuo hoc infortunio feliẽ eſſe. Quod verò attinet ad immortalem de caſtis memoriam celebritatémque, habet etiam illam ſuauitatem, quæ deſcribitur in libro Eccleſiaſtici [a] de Ioſia; *nomen* verò *impiorum*, tum verò impudicorum, *putreſcit* [b]; & memoriale eorumdem ſicut vinum Libani [c]; ſûntque iuſti, & caſti bonus odor Chriſti, ac Dei in omni loco [d].

a c. 49. 1. & ſeqq.
b Prou. 10. 6.
c Oſeæ 14. 7. 8.
d 2. Cor. 2. 14. 15.

Verſ. 2.] Cùm præſens eſt, imitantur illam; & deſiderant eam, cùm ſe eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

B

SIc apud homines nota caſta generatio eſt, vt præſentem mirentur, & imitari conentur aliqui; abſens ſui relinquat deſiderium, & in æternitatem immortaliter coronata procedat, percepturã de incontaminato certamine triumphum.

Imitantur illam.] Cantacuzenus legit non (μιμοῦνται, *imitantur*) ſed (τιμῶνται, *honorant.*) At non poteſt maior cuipiam honor haberi, quàm illum imitando. Magna vis exempli. Prouocatum ſe teſtis eſt Auguſtinus [e], & pertractum exemplorum gregibus bonorum, in tot pueris, puellis, iuuentute multa, omni ætate, grauibus viduis, anubus, virginibus, ad cõtinentiam nequaquam ſterilem, ſed fœcundam, matrem filiorum gaudiorum de marito Deo per gratiam Dei.

C

e 8. confeſſ. c. 11.

Deſiderant eam, cùm ſe eduxerit.] Minuit aliquãdo præſentia opinionem, ſæpéque augetur per abſentiam; & boni priuatio venire facit in æſtimationem ac deſiderium eius, vel quia non ſuccedit amiſſo aliud bonum tantum: vel quia deficiunt eæ difficultates, quę præſenti bono videbantur ineſſe: vel quia naturali quodam vitio vetuſtiora quæ præceſſerunt, ſolent anteferri: vel interdum etiam, quoniam rei ipſius dignitas hoc meretur.

D

Cùm ſe eduxerit.] Græcè (ἀπελθοῦσαν, *cùm ex hac vita abierit.*) Cyprianus [f] (*cùm ſe abduxerit*) nempe caſta generatio. Nil opus ergo vim facere in eo, quòd quem Deus educat ex hac vita effectiuè [g], & quòd quis ſe conſentiendo, deſiderando, petendo; quod tamen faciunt Hugo, & Bonauentura. Neque educere ſe, eſt præ ſenio mori morte, magis quodam modo naturali, vt ait Lyranus: vel per localem abſentiam, quemadmodum idem addit.

f de ſingularit. clericorum.
g Pſa. 141. 8.

Eſt illud tamen etiam verum, quòd
Virtutem incolumem odimus;
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

E Sed & vniuersè
Iam [h] *denique homines noſtra intelligimus bona,*
Cùm quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

h Plaut. in Capt.

Præterea,
Οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τἀγαθὸν χεροῖν
Ἔχοντες, οὐκ ἴσασι πρίν τις ἐκβάλῃ.
Mali enim ſententiis (qui malè ſentiunt) bonum manibus
Habentes non ſciunt, priuſquàm quis id eiecerit.

Qua de re copioſè M. Tullius [i] ſic demum concludens. [Sed tanquam bona valetudo iucundior eſt eis, qui è graui morbo recreati ſunt, quàm qui

i ora. poſt reditum ad Quirit.

nunquam

nunquam ægro corpore fuerunt; sic ea omnia desiderata magis, quã assiduè percepta delectãt.]

In perpetuum coronata triumphat.] Arbitratur Petrus Faber[a] hic alludi ad comitatũ,deductionémque hieronicè coronati per mediũ stadiũ à summo ad imũ cum fastu,& pompa: & dici præmiũ incôtaminatorum certaminũ, vel prælium incôtaminatorũ præmiorum,comparatione ad Ethnicos,apud quos honori dæmonum erãt agones dicati. Addit huiusmodi præmiũ,coronámque non in perpetuũ hoc loco intelligi, vt Interpres vertit;sed in isto iam seculo, ἐν τῷ αἰῶνι. Idẽ [b] rursus docet exemplis,& auctorum testimoniis[c],vsitatũ Gentilibus fuisse,coronas castitati decernere. Reprehensionem Interpretis nostri nõ fero:apud citatos auctores abstinentes pugiles coronari solitos reperio,nõ ob abstinentiã, sed propter victoriam. Imò lego potiùs,amatores olim coronatos incessisse,etiam apud Chrysostomũ, quẽ ipse citat,& illorũ,quos amarẽt, valuas coronasse:quod Athenæus [d] præterea disertè prodidit; & parta velut victoria,hoc est, dũ potirentur concupitis, coronã deposuisse, vt magis adhuc docet Theocritus [e]. Ea de re Roa [f] noster. At hoc loco castis, & de carne victoriam referentibus, déque amoribus inhonestis,corona promittitur. Illud autem ex pugilibus huc transferri potest, quòd qui abstinebant,superare solebant,vt meminit Clemens Alexandrinus [g]; idcóque coronari victores pugillatus,& certaminum.

Incoinquinatorum certaminũ præmium vincẽs.] Grecè(τὸν τῶν ἀμιάντων ἄθλων ἀγῶνα νικήσασα(vltimum hoc participium in Cõplutensibus, & Regiis Bibliis corruptè legitur pro νικῶσα) *incontaminatorũ*,siue *impollutorum præmiorum certamen superans*) id est, cui sunt deputata præmia talia, quæ scilicet nullo possunt mœrore pollui,sed liquida sũt,pura,syncera. Sic Iansenius. Vatablus (*incontaminata præmia certamine victrix assecuta*) Cyprianus [h] (*incôtaminatorum certaminum prælium vincens.*) Idem genitinus ἄθλων à casu recto singulari masculino *certamina*:à neutro *præmia certaminum* significat. Sẽsus non discrepat,licuit Interpreti, vt magis perspicuè redderet,paulum immutare:etsi enim certamen quoque vinci dicitur,præliúmque, meliùs tamen præmium,vt significat id consequi.

Posset hîc quoque hysterologia inesse (*incoinquinatorum certaminum præmium vincens*)pro (*incoinquinatorum præmiorum certamen vincens.*)Incorruptibilẽ coronam Paulus [i], & Petrus[k] hæreditatẽ incorruptibilem,& incôtaminatam,& immarcescibilẽ vocat. Tali hysterologia in Sole positũ tabernaculũ dicitur[l],id est,in tabernaculo positus Sol: positæ in thesauris abyssi[m],hoc est,in abyssis thesauri. Sic hoc loco antea,quod legebamus,*immortalis est memoria illius*, extat Græcè, ἀθανασία ἐστὶν ἐν μνήμῃ αὐτῆς,*immortalitas est in memoria illius.*

Vix est,qui nõ inquinetur in certamine,id tamẽ incoinquinatũ esse debet, quod est vltimum, vt indicat Bonauentura: sed quæ contra carnem sunt,in virginibus,de quibus videtur hîc esse sermo, sine grauiore macula omnia oportet esse. Rarum id, & paucis contingere docui priore capite vnà cum Augustino.

Sermo Bonauẽturæ 33.cõsumitur totus in explanãda sentẽtia ista de Virginis quadruplici corona;luminosa,propter splẽdorẽ sapiẽtiæ;speciosa,propter pulchritudinẽ carnalis mũditiæ; pretiosa,propter donum patientiæ; gloriæ, propter virtutem pœnitentiæ. Vsitatum quoque profanis

A præsertim Poëtis,rẽ,vsúmque Venereũ appellare nomine certaminis, palæstræ,armorũ:& misceri vsurpãt tam in eadẽ re Venerea, quam in bellica. Paulus [a] quidem sic se pugnare asserebat, vt non aërem verberaret,sed corpus castigaret;in illa nimirũ cõcertatione carnis extimulãtis [b]. Erat deforme olim filios nõ habere,ait Ambr.[c]quod etiã legũ ciuilium fuit auctoritate mulctatu:vt è cõtrario,præmiis multa prole præditos afficiebant, vt proditũ est ab Halicarnasseo [d], Tacito [e], Gellio[f],Suetonio[g],Statio [h],Martiale[i],Tertulliano[k]. Appellãt id ius triũ liberorum,ius parentũ,priuilegium parentũ,auctoritatẽ liberorum; de qua re

B Raderus [l] noster,citãs præter nominatos,Appianũ,Dionẽ,Plinium,Liuium,Iuuenalem,Vlpianũ, Paulum,Sozomenum,& ex recentioribus Alexãdrũ ab Alexãdro,cũ Tiraquello,Lipsiũ. Postremò ad 3. Taciti annaliũ pleraq; ex priscis testimonia colligit, & à Plutar. τριταιδας vocatos memorat, ac præterea recitat quæ contra orbos,& cælibes. Quò mos ille spectat,léxq; Lacedæmoniorũ,vt à spectaculo ludorũ cælibes prohiberẽtur; imò ignominia afficerẽtur,atq; eo honore,ac reuerẽtia priuarẽtur,quã senibus iuuenes exhibebant. Dercyllidæ quidẽ præclaro alioquin Imperatori accedenti quidã iuniorũ sede non decessit, inquiens; Neque enim tu genuisti, qui mihi olim cessurus sit[m]. Lõgè pòst Constãtinus Christian° cælibatus sustulit pœnas,potiúsque in honore habuit τὴν τῶν

C παρθενίαν, καὶ ἀπαιδίαν διὰ τὸν θεὸν ἀσκοῦντας. Maiora quoque multo præmia castorum à Deo,& Christo decreta.

Vers. 3.] Multigena autem impiorũ multitudo non erit vtilis, & spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.

VIctrix est generatio casta;sed impię nationis propago vtilẽ fructũ nõn fert,nec adulterini malleoli, & stolones altas agent radices, vel vllam stabilitatis habebunt sedem. Itaque liberorum multitudo ex illegitimo inhonestóque concubitu damnanda est;cùm alioquin multis liberis

D abundare malum non sit,sed Dei beneficium, in vetere præsertim lege magno æstimatum.

Multigena multitudo.] Græcè(πολύγονον πλῆθος, *multi genum*, non verò *generantes*, vel *fœcundi*:) tunc enim esset cum accentu in penultima πολυγόνον.

Nõ erit vtilis.]Imò,vt aliàs exposui κατ᾽ ἀντίφρασιν, noxia. Sed quia nõ nocet sẽper,qui vellet,saltem hoc ipso quòd malus, non est vtilis:tametsi Deus ex impiorũ tãta multitudine, quæ longo superat bonos internallo, plures colligat secũdùm sapiẽtiã suam vtilitates. Abel nõ esset,nisi Cain illum exerceret[n]:si mali pauciores essẽt,nõ auderẽt bonos exercere[o]. Sic enitescit magis Dei misericor-

E dia,iustitiáq;:& sunt quãdoque temporaliter etiã bonis cõmodi mali suis laboribus, opificiis, &c. quibus vacãt diligẽtiùs. Difficilis est etiã inter legitimos fratres concordia, quanto magis inter illegitimos ex parentibus, & aliquando ex nationibus diuersis?

Et spuria vitulamina nõ dabũt radices altas.]Græcè (καὶ ἐκ νόθων μοσχευμάτων οὐ δώσει ῥίζαν εἰς βάθος, *&* *ex spuriis,adulterinisve propaginibus nõ dabit multigena illa impiorum multitudo radicem in profundũ.*)August.[p] μοσχεύματα deriuans à μόσχος,quod est *vitulus*, putat, qui reddidit *vitulamina* (quæ lectio extat etiam apud Optatum [q] Augustino antiquiorem) non intellexisse vim Græci vocabuli pro

a 1. agonisticon.c.12.
b lib.3.c.4.
c Basil. ora. de nõ adhæren. &c. Chry. ho. 1. in 1. Tim.2. Paulus epi.2. Chrysolog. serm.119. & alij profani apud eund. Fabrũ.
d lib.15. c.11.
e idyllio 3.
f 1. singular. c.11.
g 2. pædago. c.10.
h de singular. clerico.
i 1. Cor.9.25.
k 1 Ep.1.4.
l Ps.18.6.
m Ps.32.7.

a 1.Cor.9 26.
b c.12.7.
c in Luc.c.3.
d lib.45.
e lib.11.
f lib 11.c.15.
g in Iulio.c.20.
h 4.Sylua.
i l.2. epig.91.
k cõt. Valẽt.
l in Martt.
m Plutar. apoph.Laco.
n Greg hom. 9.in Ezech.
o Aug. serm. 254.de temp.
p 2.de doctri. Christ.c.12.
q lib.4.

plantationibus; & quamuis plurimi codices eam lectionem, & errorem, vt ipse loquitur, habeant, conuenientiùs dici, *adulterinæ plantationes*, quam *vitulamina*, quæ velut pedibus, inquit, per terram gradiuntur, & non hærent radicibus.

a in notationib.

b lect. 45.

Lucas [a] Brugensis profert nō paucos codices (præter eos, quibus Hugo, Lyranus, Carthusianus, addi debet Bonauentura, & Olcot [b], vsi sunt) in quibus sit (*adulterinæ plantationes*) & nōnullos qui simul vtramque lectionem complectantur: at fatetur esse recētiores, minúsque integros. Nō vult Augustino concedere, Interpretem ignorasse μοσχεύματα plantationes esse: sed cùm Græcus magis esset quàm Latinus, id est, illius quàm huius linguæ peritior, Græcam vocem sic reddere voluisse: ant à stolida vituli vitulatione stolidas plātas, quæ stolones Latinè dicūtur, ad Græcæ vocis similitudinem appellare. Refert præterea nescio quos fratres S. Dominici docentes, ita quoque videri legisse Ambrosiū quadam epistola, cùm scribit; [vos estis nobilia vitulamina:] dici autē à vite, quæ est generosa plantatio; tamen propter auctoritatem Augustini eiusmodi lectionem dimitti. Potuit Lucas certiorem & meliorē citare auctorem B. Bonauenturam, apud quē hæc ipsa leguntur. Hugo refert Augustinum dixisse, quòd μόσχος est æquiuocum nomen ad plantam, & ad vitulum. Non hoc habet Augustinus.

Iansenio placet annotatio Augustini, censétq; correctiorem editionem esse (*adulterinæ plantationes*) hoc est, malleoli, viuiradices, stolones, ecu nimirum taleam, siue clauolam ex olea, malleolum ex vite. Quamquam Theophrastus [c] discrimē ponit inter φυτεύματα, id est, *plantaria*, & *viuiradices*, quæ iam alicubi radices egerint, alióque transferantur, & μεμοσχευμένα, hoc est, *quæ ex arbore auulsa in humum delata sunt*, quos vocat Plinius [d] abscissos surculos, qui serantur, aut nouellas, aut plantaria, aut pullulos, siue pullos, vt Scholiastes Dalecampius emendat, & aliqui codices habēt. Quid si placuit Interpreti nouum excogitare vocabulum, quod minoris factitant auctoritatis alij, præsertim Græci, quò propiùs æmularetur Græcum, simúlque retineret allusionem, quæ est in Latino alio *pullorum*, & quasi *puellorum*, quod modò dixi? Si *vitulari* deducere placeat à vitulo exultante in prato; hoc sicut lasciuire, luxuriari, ridere dicitur, ita plātæ vitulari dici poterunt, cùm effusiùs pullulant: & qui vocantur inde pulli, aut pulluli, poterunt, nouo licèt vocabulo, appellari vitulamina, & verbum ipsum *vitulandi* ad plantas transferri pullulantes.

c 5. de causis plantarum. c. 17.

d lib. 17. c. 10.

Non improbabiles hæ coniecturæ illis, quibus nōstrum probatur studium Interpretis nostri defendendi, maximè post vltimam Pontificiam approbationem, ante quam ferri potuit vtcumque Iansenius, reiiciens, ob Augustini auctoritatem, lectionem præsentem; quæ auctoritas Augustini mouit quoque Bonauenturam, & Hugonē: præterea Vatablus & Clarius in editionibus suis, & Polydorus Virgilius [e], non dubitans etiam nostram reprehendere. Sed placet eius interpretatio, vt allegoria ducatur ab arboribus quæ iam syluestres effectæ sint, quarum plantaria vel nunquam bonos faciunt fructus, vel malè radicata citò arescunt; significétque tum malum genus hominum haud diuturnum fore; tum præsertim ex vxore non legitima natos negligi, aut inopia pressos rarò bene educari.

e in adagiis sacris, siue lib. 2. adagio 379.

Illud est item verum, altas radices adulterino- A rum liberorum non esse; quoniam arbor, quam vocāt genealogiæ, vsque ad auos, abauos, atauos, longiúsque non habet in his locum. Optatus [a], citans Salomonem Prophetam, legit *spuria vitulamina*, & *filios adulterorum inconsummatos*; & explicat de hæreticis, apud quos sunt Sacramentorum falsa connubia, & in quorum thoris iniquitas innectitur, vbi in exterminium fidei corrupta sunt semina.

a lib. 4. cont. Parmeni.

Cantacuzenus videtur riuulos interpretatus. Exponit namque metaphoram ex iis esse, qui serendis arboribus exercentur. [Hi enim, inquit, si quidem aquas habeant prætereuntes, optimi plātarum cultores videntur: at si deriuent aliunde, B moliantúrque suam irrigationem ex adulterinis canalibus, non solùm eorum erunt labores inanes, verùm etiam à naturali decident expectentia.] Verùm μοσχεύματα id significare non legi qui afferat.

Vers. 4.] Et si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita, à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur.

OCcurritur obiectioni, fieri quidem posse, vt adulterini filij tanquam rami habeant ad tēpus viriditatem; sed quia periculosè procedūt, C primo plantarum veluti satu & receptaculo agitari à vento: deinde hoc vehementiùs flante, pluribúsve simul, turbinis in morem, etiā cōcuti, radicitúsque extirpari. Nō retinent firmiter adulterini filij parentum institutionem, & vbi adoleuerint, rescientes nō syncerū coniugalem affectum; sed libidinosū ardorem generationi dedisse causam, minùs afficiūtur ad parentes, nec tāti faciunt monita eorum, quos & malo exemplo præiuisse sciunt, & se minùs ab iis diligi cognoscūt. Christus vsurpauit similitudinem ex irruentibus ventis [b], atque de plantatione, quam nō plantauerit Pater cœlestis (qui solus est legitimus Pater noster) eradicanda [c]: & Esaias [d] inducit impios di- D centes; *cecidimus quasi folium vniuersi, iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos*. Ait præterea [e], quòd *immatura perfectio germinat, sed præcidentur rami eius falcibus, & quæ derelicta fuerint, abscindentur, & excutientur*.

b Matt. 7. 24. & seq.

c Matt. 15. 13.

d c. 64. 6.

e c. 18. 5.

Obseruat Augustinus [f], hominum generationes aptè conferri cum foliis arborum, quæ decidunt vento flante sub autumnum, sed verno tempore alia succrescunt. Adulterini stirpitus euellūtur, & si parentum imitantur peccata, delentur omnino de libro viuentium. Auctor Ecclesiastici pronunciat sententiam maledictionis in adulteram cum filiis. *Hæc* [g], ait, *in Ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur. Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum.* (*Adducetur in Ecclesiā*) E id est, in cœtum populi; vt aut lapidetur, quod ex pœna talionis vtcumque colligitur in senes falsos Susannæ Iudices [h], & clariùs ex historia adulteræ ad Christum adductæ [i]: aut combureretur, vt ex sententia Iudæ contra Thamar fornicariā [k]: (*& in filios eius respicietur*, ἐπισκοπὴ ἔσται) adhibebitur diligens inquisitio, vt secernantur spurij à legitimis, carcántque honore, & hæreditate: (*non tradent radices*) longioris vitæ, successionísque: (*rami eius non dabunt fructum*) non procreabunt filios per quos maneant veluti post mortem superstites.

f in Ps. 101. conc. 2.

g c. 23. 34.

h Dan. 13.

i Ioan. 8. 5.

k Gen. 38. 24.

Etſi in ramis.] Græcè (κἂν γὰρ, *etſi enim*, &c.)

In tempore.] Græcè (πρὸς καιρὸν, *ad tempus, opportunè*, καιρίως.)

Infirmiter poſita.] Græcè (ἐπισφαλῶς βεβηκότα, *infirmiter aſcendentia, prouenientia.*) Sic Ariſtoteles [a] dicit, ἐν καθαρῷ χώρῳ βεβηκώς, *in puro agro ſitus*, vel *poſitus*.

a lib. de mũdo.

A vento commouebuntur, &c.] Similitudine cadẽ vtitur Iob [b], ſtirpis nimirum, arboriſve, cuius defluunt, decidúntque folia, ſeu frondes. Quo item pacto Cicero [c] loquitur: [Nolite, Iudices, hunc nunc primùm floreſcentem, firmata iam ſtirpe virtutis, tanquam turbine aliquo, aut ſubita tempeſtate, peruertere.]

b c.5.3.c. 22. 24.

c pro Cælio ſub finem.

Verſ. 5.] Confringentur enim rami inconſummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.

PErſiſtit in eadem plantarum ſimilitudine. Rami priuſquàm perueniant ad maturitatem frangentur: fructus erunt ob acerbitatem ad cibũ inutiles, ingrati, inſalubres. Mali mores, duræ pœnæ comparantur cum vua acerba [d], vel amara, & fellea [e].

d Ezec.18. 2.

e Deut.32.32.

Inconſummati.] Græcè (ἀτέλεστοι, *qui non perueniunt ad finem, conſummationem, perfectionem.*) Lege caput præcedens [f].

f verſ.16.

Inutiles.] Græcè (ἄχρηστος) in ſingulari, ſicut & (καρπὸς, *fructus.*)

Acerbi.] Græcè (ἄωρος, *immaturus*) item in numero vnius. Impios ait Iob [g] auferri ante tẽpus ſuũ; vbi Septuaginta vertũt capi immaturos: & sũt, vt ibi Gregorius docet, abutentes tempore, quod ſibi ad pœnitentiam conceditur; vel longiora ſibi tempora promittentes in vita, quam diligunt.

g c.22.16.

Tropologia eſt, incõſummatos intelligere, quibus deſit charitas vinculũ perfectionis [h], ſiue cõiũctio cum Deo per cognitionem, & amorẽ, quæ hominis perfectio, atque complementum eſt: per confractionem ſumere violentam mortem, quæ nulla propriè probis talis ſit, libenter ac ſuauiter morientibus, aut potiùs diſſolutis [i], ſed improbis; ita vt illos probos Deus affabrè ſecet aptandos cœleſti ædificio, non inconditè diffringat, quaſi deſtinatos igni [k]; cùm eorum rami ſint honoris & gratiæ [l]: item, opera eſſe velut cibos, quibus alij paſcuntur noxiè aut ſalubriter. De his Oleaſt. [m], déque prolixa hominis comparatione cum arbore, ac de vario genere fructuum malorum.

h Col.3.14.

i Phil.1.23.

k Mat.7.19.

l Eccli.24.22.

m lect.46.

Verſ. 6.] Ex iniquis enim ſomnis filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua.

QVæ vtilitas, quis vſus eſſe talium liberorum poteſt ex fœda, iniquáque coniunctione natorũ, cùm dent parentibus ipſis iniquitatis teſtimoniũ, quoties illorũ vita in iudicij examen adducitur; vel in hac vita, cùm ipſi quoque ſpurij quibus orti ſint parẽtibus, reſpõdent; vel, multóque magis, niſi pœnitentia præceſſerit, in futura? Remouere ſpurios castè deberent, ſi ſapiunt, à ſe, qui non caſtè illos ſuſceperunt, nec in oculis propriis, aliorúmque viuũ quaſi trophæum impudicitiæ gerere, perinde ac gloriarẽtur in rebus peſſimis [n]. Auguſtinus Adeodatũ ex ſe natũ carnaliter de peccato ſuo quem bene fecerat Deus (ipſiuſmet vtar verbis) reformãs in eo deformia patris, enutriebat in diſciplina Dei: teſtis verò eſt ipſe, citò de terra ablatũ a Deo, & ſe ſecuriorem recordari eũ, non timendo quidquã pueritiæ, nec adoleſcẽtiæ, nec omnino homini illi [a]. Hoc eſt de peccati veneno mel elicere: credóque tãti Præſulis ac Doctoris famæ conſulere Deũ voluiſſe, ſic abripiendo ſpuriũ, licèt iam ſanctificatũ fœtum. Videri etiã poſſit Dauid mortuo infantulo, quem ex adulterio ſuſceperat, lætior fuiſſe vſq; ad ſtuporẽ ſuorũ [b], quia eò præceſſerat ille, quò ſe ſperabat iturũ, hoc eſt, ad iuſtorũ domiciliũ: ſimúlq; quòd extraxiſſet Deus illũ quaſi teſtem adulterij; cùm cõtrà luxerit improbũ in bello trucidatum filium Abſalonem [c]. Gauiſus poſtea ſum probatã Paulino [d] coniecturam iſtam meam, quam tradit etiam Theodoretus [e].

n Pro.2.14.

a 9.conf. c 6.

b 2.Reg. 12. 20. & ſeq.

c 2.Reg 18.33.

d epiſt.35.

e in 2 Reg. 12.q.16.

In tanto ſpuriorũ numero ſunt & aliqui nonnũquam, quos præter peccatũ non pœniteat genuiſſe. Nã ſunt qui ferant [f] Gratianũ decretorum collectorem, Petrũ Lombardum, qui ſententiarũ vocatur Magiſter, Petrũ Comeſtorem, quẽ appellant auctorẽ Scholaſticæ hiſtoriæ, natos ex adulterio: cuius admiſſi adulterij mater pœnitere cùm nõ poſſet, quòd viros tãtos edidiſſet, idque confeſſario planè profiteretur, pœniteas ergo, illũ reſpõdiſſe, quòd pœnitere non potes. Negat tamen B. Antoninus [g] fratres iſtos fuiſſe, imò cõtemporaneos. Id patũ referi; & quamlibet boni valeant quãdoque eſſe malorũ & adulterorum parentum filij, vt exemplis demõſtrari poſſet [h], inde non fit, quo minus vera ſit hæc ſentẽtia, ex iniquis ſomnis qui naſcũtur, filios teſtes eſſe nequitiæ aduerſùs parẽtes. Crebrò quoque cõtingit, vt ſolius immodicæ nati libidinis æſtu æſtuẽt & ipſi animo, & ex temperamento corrupto corruptiorẽ trahant ad vitia propẽſionem, vafro & præferuido ingenio: ita vt ex oppoſito liceat argumentari; *ſi delibatio mala eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami* [i]. Nec hoc tamen locũ habet in vitio magis ſpirituali, quod vocãt originale. Pendet eius cõtractio ex generali propagatione naturæ, quam quia quãlibet ſancti parẽtes habent, filios generant nõ ſanctos, ſed peccatores: quemadmodum ex iacto ſine palea tritico exiſtit palea veſtitum: & ex homine circumciſo præputiatus: & ex oleæ ſemine non tantùm ex oleaſtri oleaſter: & ex decimato Abraham Leui etiam decimatus [k].

f Tiraquel. de nobilit. c.15 n.32.

g 3 p. hiſtor. tit. 18.c.6.

h apud. Tiraq. ſuprà.

i Rom.11. 16.

k Heb.7.2.5. Aug 2. de pec. orig. c. 40.c. de nup. & concup: c. 19. 2. de pec. mer. c.25.

Somnis.] Enarratores omnes pro *ſomnis* legerũt *omnes* (ἐκ γὰρ ἀνόμων ὕπνων, *ex iniquis enim ſomnis*, vel *ſomniis qui naſcuntur.*) Putauit forſan aliquis abſurdam locutionem eſſe, naſci ex ſomnis, ideóque illud (*omnes*) repoſuit. At auctor de ſe ipſo dicet poſtea [l], ſe cõceptũ delectamento ſomni conueniẽte. Iniqui ſomni ſunt cõcubitus iniqui, cuius nequitiæ teſtes sũt ſic geniti filij. Medicis relinquamus quæ tempeſtiua Venus dicẽda ſit. Illud propoſito congruit, quòd ante ſomnum tempeſtiuior, auctore Celſo [m], videlicet modico poſt cibum tempore, cùm calidius, & plenius corpus eſt. Sed iterum dicto loco hac de re nonnihil.

l c 7.2.

m libr.1 c.1.

Somnus porrò, & dormitio pro cõcubitu ſæpe ſumũtur in ſacra Scriptura vetere [n], vt auctores omittã profanos, maximè de verbo *dormiẽdi*. Citò tranſit voluptas Venerea velut ſomnus, ea tanquã ſomno ratio cõſopitur, ſeu tãquam parua epilepſia: excepto ſemine mulier, ſi ſõnũ capit, firmiùs concipit: ipſe fœtus habet in vtero figuram dormientis, dormitque ibi quodammodo; tunc matris calor in interna confluit, ad materiam meliùs commutandam & elaborandam, vt contingit in ſomno noſtro quotidiano. Lege Pinedã noſtrũ [o].

n Gene.29.32. vſque ad 35. c.30.15.16 c. 34.2.c 35 22. c.39.7. 12. Exo. 22. 16. Leuit.15.33.c. 19 20. c. 20. 10.12 13 Nu. 5.13.19. Deut. 20.15.c.21. 22. 29. c. 28. 30.2. Reg 11. 4.11. c. 12. 11. 12.24. Iudith 14 13 Baruch 6 43 Ezech. 23 8. Michæ. 7 5.

o 1. de rebus Salom. c.14 n. 8 & ſeqq.

Teſtes ſunt nequitiæ.] Non ſolùm eius, ex qua geniti ſunt, ſed ſimilis non infrequenter. Nam parẽtes imitantur, & immodicus feruor libidinis quo cõcepti ſunt, reddit nõ rarò ſalaces, præferuidos, acutos, vafros, & ad vitia procliues. Sed bona educatio, diligentia, induſtriáque propria, multo verò maximè gratia diuina his medetur incommodis, & peccati effectum, anſam virtutis facit.

In interrogatione ſua.] Græcè (ἐν ἐξετασμῷ αὐτῶν) vel parentum, vel filiorum; ſed illorum potiùs. Filij autem interrogantur quorum filij ſint: cui ſi quæſtioni verum reſpondeãt, produnt neceſſariò iniquitatem parentum. *De patre impio querumtur filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrio* [a]. Faciunt hoc filij hîc, faciẽtque ante tribunal Dei, ſiue boni fuerint, ſiue mali, parentes autem mali. Naſcitur aliquando ex pio impius, vt Manaſſes ex Ezechia (quem ad extremũ tamen pœnituit [b]:) & ex peſſimo optimus, vt ex Amõ Ioſias, [c] vt Ezechias ex Achaz [d]; ac vtriuſq; generis afferri plura poſſent exempla. Denique non rarò contingit impurorum hominum ſobolem haud longiùs vitam producere, ac ne numeroſam quidem ſuſcipi.

a Eccli. 41. 10.
b 4. Reg. 21.
c Matt. 1. 10.
d 4. Reg. 18.

Verſ.7.] Iuſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

HActenus in impios, quibus mors ſiue iam ſeneſcẽtibus adueniat, ſiue immatura illos opprimat, nihil eis proſit; nũc de morte iuſtorũ. Hos licèt mors anteuertat præter opportunum tempus, nihilominus pacatam ac tranquillam futuram, & ab ea mox ſecuturam vitæ melioris requietem. Sed nec immatura iuſtis accidere mors poteſt, qui ſemper mori parati eſſe ab exercitio virtutũ didicerũt, & meliore quàm philoſophico more, vel inſtituto ſemper, quoad viuere licuit, mortẽ ſunt meditati, animam ſemper in manibus velut geſtãtes [e], id eſt, vitam, vt ei ad nutũ offerãt, quem prouidẽt in conſpectu ſuo ſemper [f]. Talis erat, de quo narrat Olcot [g], qui cùm bene doctus inter libros mortuus inuentus eſſet, attoniti tam ſubita morte ſpectatores deprehenderũt mortui intentum indicem in præſentem ſententiam quam tractamus. Bene occupatum non præoccupat mors, tam efficit ſibi cogitatione familiarem, vt ei potiùs obuiam eat.

Præoccupatur ergo morte iuſtus, φθάνει τελευτῆσαι, *pergit mori*, non improuidus, non imparatus; ſed quia mors citiùs aduenit quàm vulgò crederetur, quàm exigere videretur ætas, & optima conſtitutio corporis. Solatur Paulinus [h] Pammachium ſuper cita vxoris morte, afferens prolixè totum locum iſtum, quòd nempe iuſta eſſet, & eam præueniſſet mors annorum adhuc virentem flore, ſed canam ſanctitate morum. Vtitur eodem Fulgentius [i] argumento ſcribens Gallæ de morte iunioris mariti. Lege quæ notaui explicans Eccleſiaſten [k], quid ſit in tempore non ſuo mori; quod iuſtis oſtendi nunquam conuenire, ſed improbis, qui etiam longæuiſſimi & μακροβιώτατοι, dies dicuntur non dimidiare [l], quoniam vitæ auidi plus viuere vellent ſemper. Legatur de bono mortis Ambroſius, præſenti autem loco percommoda Bernardi epiſtola [m] ad Romanum Romanę curiæ ſubdiaconum.

Morte præoccupatus.] Expoſui quid ſit præoccupari morte. Acutè verò Auguſtinus [n] docens nos

e Pſ. 118. 109.
f Pſal. 15. 8.
g lect. 47.
h epiſt. 35.
i ep. 2. c. 4.
k c. 7. 18.
l Pſ. 54. 24.
m epiſt. 105.
n 13. de ciuit. c. 11.

A dum viuimus mortuos dici poſſe, obſeruauit Latinum participium *mortuus*. [Vnde non importunè, inquit, neque incongrue arbitror accidiſſe, etſi non humana induſtria, iudicio fortaſſe diuino, vt hoc verbum, quod eſt (moritur) in Latina lingua nec Grammatici declinare potuerint ea regula, qua cætera talia declinantur. Namque ab eo quod eſt oritur, fit verbum præteriti temporis, ortus eſt: & ſiqua ſimilia ſunt, quæ per temporis præteriti participia declinãtur. Ab eo verò, quod eſt moritur, ſi quæramus præteriti temporis verbum, reſponderi ſolet, mortuus eſt, v, litera geminata. Sic enim dicitur, mortuus eſt, quomodo fatuus, arduus, conſpicuus, & ſiqua ſimilia, quæ

B non ſunt præteriti temporis: ſed quoniam nomina ſunt, ſine tempore declinantur. Illud autem vt declinetur, quod declinari non poteſt, pro participio præteriti temporis ponitur nomen. Conuenienter itaque factum eſt, vt quemadmodum id quod ſignificat non poteſt agendo, ita ipſum verbum declinari loquendo non poſſit.] Retuli præter morem tam multa, quibus acuta percipiatur ad talia etiam ſe abiicientis Auguſtini pietas. Videtur Roberto Olcot [a] non minùs mirum quòd negatio trium duntaxat verborum Latinorum compoſitionem ingrediatur, neſcio, nolo, nequeo, quia ob originale peccatum debilitatus eſt intellectus, voluntas, vis motiua. Tamen con-

C ſtant quoque negatione, nego, negligo, negotior.

In refrigerio erit.] Græcè (ἐν ἀναπαύσει, *in requie.*) Refrigerium aliàs dicitur, vbi Græcè eſt ἀναψυχὴ [b], vel ἀνάψυξις [c]. Etiam in Purgatorio eſt refrigerium, propter certitudinem de ſalute, viuorum ſuffragia, conſolationem Angelorum, inquit Carthuſianus.

a lect. 47. vbi citat auctorẽ libri Catholicon.
b Pſ. 65. 12.
c Act. 3. 20.

Verſ.8.] Senectus enim venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis.

D MElior vita breuis pręferenda malæ longiori: nec honore ſenes proſequimur, niſi propter opinionem ſcientiæ virtutíſque. Nihil ergo rȩfert citò mori, dummodo bene: ſicut non qui abſonè canit diu, cantoris adipiſcitur laudem, aut cuiuſuis alterius artis, qui ſit eam multo tempore profeſſus profectu nullo, vel exiguo; verùm qui modica licèt mora cõſẽtanea arti exequatur.

Iam ſuperiùs [d] docui de veneratione ſenectutis. Egregiè Bernardus [e] & copiosè tractat, nullam ætatem Dei gratiæ præmaturam, ſicut nec ſeram, & iuxta admonitionem Apoſtoli [f], adoleſcentiam non eſſe contemnendam Doctoris aut

E Præſulis: meliores eſſe bonæ indolis adoleſcẽtes inueteratis dierum malorũ [g], aut centum annorũ pueris [h]: bonum fuiſſe puerum Samuëlem, promptum auditorem Dei [i]: Ieremiam antę ſanctificatum, quàm natum [k]: Danielem conuincentem ſenes impudicos [l]. Potuit Salomonem duodennẽ adiungere adeò prudenter de meretricibus iudicantem [m]: & Tobiam nihil in pueritia pueriliter gerentem in opere [n]. Addit verò idem Bernardus, ſicubi huiuſmodi puer ſenex promotus inueniatur (ſcilicet ad Eccleſiaſticam dignitatem) opus Dei eſſe, his qui tales non ſunt mirandum, non imitandum. Non ſunt, vt aliquoties ridet Hieronymus [o], à vetuſtate hominum æſtimanda

d c. 2. 10.
e epiſt. 42.
f 1. Timot. 4. 12.
g Daniel. 13. 52.
h Eſa. 65. 20.
i 1. Reg. 3. 5. & ſeq.
k Ierem. 1. 5.
l Daniel. 13. 45. & ſeq.
m 3. Reg. 3. 16. & ſeq.
n Tob. 1. 4.
o vt ep. 104.

ingenia,

ingenia, sed à probitate, eruditione, morum grauitate.

Inuchitur meritò Moyses Abbas [a] in senes iã inde ab adolescentia in tempore ignauiáque viuentes, & auctoritatẽ sibi non maturitate morũ, sed annorum numerositate conquirentes: quorũ proinde diabolus præiudicata auctoritate ad iuniores decipiendos abutatur: de illis esse illud Oseæ [b]; *comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit.* Denique cõfirmat exemplo, quod tu apud Cassianum [c] lege. Iustinianus [d] cauit, & Iulianus [e], vt inter Clericos (quando prouehendi sunt) non temporis antiquitas, sed doctrina, & probitas spectetur. [Sapiens nihilo se minoris æstimat, inquit Seneca [f], quòd virtutes eius spatio breuiore clauduntur; & ex duobus sapientibus qui senior decessit, non est beatior eo, cuius intra pauciores annos terminata est virtus: non est virtus maior, quæ longior.]

B

Potest pluribus res eadem exemplis illustrari profanis, sacris. Sed his cõtẽti sumus, & ad ea quæ protulimus ex vetere Testamento, adiici potest Eleutherius Illyricus Episcopus ascitus in Clerũ anno ætatis decimoquinto, Diaconus factus anno decimooctauo, creatus Episcòpus anno vigesimo, vt narrat Nicephorus [g]: Remigius, qui Rhemẽsem administrauit Episcopatum anno vigesimosecundo [h]. Macarius Alexãdrinus vocatus est παιδαριογέρων, quòd in puerili ætate senex haberetur, citiúsque multo quàm ætas ferret, virtutibus profecisset [i]. De Benedicto Gregorius [k] scribit, quòd ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerebat senile, ac ætatem moribus transibat: de Agnete Ambrosius [l], corpore iuuenculam, senectutem mẽtis habuisse immẽsam. Dositheum Dorotheus breui spatio narrat æqualle sanctitatem seniorũ, & hoc etiam diuinitus reuelatum. Seni cogitãda cum Eleazaro ætatis atque senectutis eminentia digna, & ingenitæ nobilitatis canicies [m]. Multa de senectute congerit Olcot [n], præter citatum priùs Paleoti de ea opus. Paucis verbis mirificè laudatur ab Ambrosio [o]. [Senectus in bonis moribus dulcior, in consiliis vtilior, ad constantiã subeũdæ mortis paratior, ad reprimẽdas libidines firmior.]

C

Senectus enim venerabilis.] Hieronymus [p] (*honorabilis.*) Erubescat senectus, ait Ambrosius [q], quæ emendare se non potest: non annorum canicies est laudanda, sed morum.

Non diuturna.] Græcè (ὁ τὸ πολυχρόνιον, *non ea, quæ est multi temporis*) videlicet tantùm: Hieronymus [r] (*non multi temporis.*)

Neque annorum numero computata.] Græcè (οὐδὲ ἀριθμῷ ἐτῶν μεμέτρηται, *neque numero annorũ mensurata est.*) Hieronymus [s] (*nec numero annorum æstimabilis*) Ambrosius [t] (*neque numero annorum computatur.*)

Cani autem sunt sensus hominis.] Alij codices referunt hæc ad sequentẽ versũ; πολιὰ δέ ἐστι φρόνησις ἀνθρώποις, *canicies autem est prudentia hominibus.* Hieronymus [u] (*cani autem sunt hominum prudentia*) vel [x] (*cani hominis sapientia eius*) Ambrosius [y] (*canicies enim est sapientia in hominibus.*) Canicies in corpore caloris defectu nascitur: dum fomes peccati minuitur, crescit prudentia. *Quàm speciosum caniciei iudicium, & presbyteris cognoscere consilium! Quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosis intellectus, & consilium* [z]! *Dignitas senum canicies* [a]. [Verè senectus illa venerabilis, ait Ambrosius [b], quæ non canis, sed meritis albescit: ea est enim reuerenda canicies, quæ est canicies animæ, in canis cogitationibus

a Cassia. coll. b c. 7. 9. c collat. 2. c. 13. d in Nouell. de Monach. c. 9. e Nouell. 4. c. 21. f epist. 74. g lib. 3. c. 19. h Hermanus contractus in chro. i Pallad. in Macar. c. 19. k 2. dialog. prin. l sermo. m 2. Machab 6. 23. n lect. 48. o 1. hexam. c. 8. p in c. 8. Zacha. q ep. 12. ad Valent. Imp. r suprà. s suprà t ser 55. de Dom. resurr. u suprà. x in c. 21. Esa. & in c. 1. Iere. & in c. 7. Oseæ. y suprà. z Eccli. 25. 6. 7. a Prou. 20. 29. b lib. 1. ep. 21. ad Anysium, edit. Rom.

A

& operibus effulgens.] Trita M. Tullij sententia [a]: [Nõ cani, non rugæ repente auctoritatem afferre possũt; sed honeste acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos.] Haud multũ Senecæ [b] diuersa sentẽtia. [Sed neque vetulus canterius, dicebat Varro, quàm nouellus melior, nec canitudini comes virtus.] Multi iuuenes morũ grauitatẽ maturi sunt: è contrà quidam senes morũ leuitate maculãtur, ait Cassiodorus [c]. Quædam prætera iocosè hac de re Horatius [d], & Ausonius [e]; *cornix non ideo ante cygnum.* Hyeme pauciores quidem sunt morbi, quam æstate, sed periculosiores, vt Aristoteles [f] docet, quia æstate leui de causa cõtrahũtur; hyeme melior est concoctio: ideóque maiora sunt mala, quæ maiore de causa proueniunt. Ad eundem modum facilior curatu ægritudo spiritualis iuuenis, quàm senis.

Placuit Lacedæmoniis γερουσίαν appellare sapiẽtum concilium, & Senatum Romanis: & presbyteros nostros ita voluerũt dici propter sapientiam potiùs quàm ætatem [g]. Indigni senũ vocabulo imprudẽtes, inexperti, indocti, immoderati. Sic Plato [h] pueros nominabat Græcos ignaros antiquitatis: Zeno turpe esse seni dicebat, aut prospicienti senectutem, ex cõmentario sapere [i]; Seneca [k], turpem & ridiculam rẽ esse elemẽtariũ senem; iuueni enim parandum, seni vtẽdũ: nec vetat propterea plus ediscẽdi studiũ, sed laudat. Id in eo erat qui dicebat, vt & faciebat, ἀεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος: qua ipsa de re Seneca propria epistola [l]. Multo reprehendendus magis senex, éstque longè turpius, vt adhuc recitat ex Epicuro [m], in sene, si viuere semper incipiat.

Cani sunt, &c.] De illis qui cano capillo nati sũt, præter Plinium lib. 7. c. 2. aliósque citatos, testis Valerius Flaccus 6. Argon. & apud Photium in Bibliotheca Ctesias, & de aliis Lælius Bisciola noster commẽtario in locum Plinij nõdũ edito.

Vers. 9.] Et ætas senectutis vita immaculata.

D

PLana satis hæc ex priore sentẽtia, vel vnicam quoq; cũ illa conflãs. Vult ætatis senilis loco esse vitã immaculatã, sicut sapientiã, prudentiámve pro canicie. Hæc ætas nõ diebus, aut mensibus, sed seculis propagatur, cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate lõgæuitas: quo enim diuturnior, eo fortior; & quo quis diutiùs eam vitã vixerit, eo fortiùs in virum perfectum excrescit, ait Ambrosius [n]. Multos iuniorũ videmus super senes intelligere [o], moribus, inquit Bernardus [p], anticipare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deest, compensare virtutibus.

Vers. 10.] Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est.

E

HInc per aliquot sequẽtes versus probat modicæ hominem ætatis, sed studiosum, si è vita discedat, nõ ante tẽpus obire: imò cùm sit charus Deo, qui res bonorum nõ negligit, singulari quodam beneficio ex malorum collunie ab ipso liberari, ac in meliorem statum traduci. Cantacuzenus de quocumque iuuene iusto ex viuis erepto vniuersè intelligit. Eodem modo Expositores cæteri. Sed Ambrosius [q], quẽ citat sequitúrq;

a de Senect. b de breuit. vitæ. c. 8. c lib. 9. var. ep. 22. & in Psal. 24. d lib. 2. epi. 1. e epist. 4. f 1. p. proble. prob. 18. g d. 84. c. por rò. ex Anacleto h in Timæo. i Seneca. ep. 33. k epist. 36. l epist. 76. m epist. 13. n epist. 31 ad Anysium, edit Rom. o Psal. 118. 108. p epist. 42. q in Ps. 45. & 1. de apolog. Dauid. c. 4 & ora. de obitu Satyri frat.

a hic, & in c. 44. Eccli.
* c. 5. 24.

lantenius [a], interpretatur ad literam ac nominatim de Enoch, de quo scribitur in Genesi*, quòd *συνηρέστησε τῷ Θεῷ, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός, placuit Deo, & non inueniebatur, quia transtulit eum Deus*: hîc autem dicitur, *εὐάρεστος τῷ Θεῷ γενόμενος*, &c. & *μετετέθη*. Pluribus adhæresco, quibus Anastasius [b] Nicenus iungi debet, ita tamen vt rem putem exemplo Enoch bene confirmari, atque de eodem, sensu accommodationis locum præsentem rectè accipi. Similis est in libro Ecclesiastici [c]; *Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum*: & in Epistola ad Hebræos [d]; *fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.*

b q. 17. in Script.
c c. 44. 16.
d c. 11. 5.

Non hîc disputabo de Enoch, quem non esse mortuum cùm adeò perspicuè testentur sacræ literæ, & communis Ecclesiæ traditio, negétque Augustinus [e] fas esse dubitare, atque Paraphrastes Chaldæus in Genesi consentiat, Oleaster sanè temerè hoc duntaxat probabilius ducit, non absolutè verum, & certum; cur enim id faciam, cùm negem de illo nunc propriè sermonem esse? Vltimam libri septimi commentariorum in Genesim disputationem Pererius noster totam consumpsit circa Enoch, rectéque Oleastrum refellit, necnon Ribera [f]. Legendi quoque de nostris in Apocalypsis c. 11. Viegas, & Alcaçar cum eodē Ribera: præterea Iustinianus, & Cornelius in c. 11. Epistolæ ad Hebræos. Quem locum Chrysostomus [g] si attendisset, non scripsisset, nū vsque ad præsens tempus vixerit, non conuenire explorare. Est id exploratissimum ex illo in primis loco. Consulatur item Sixtus [h] Senensis, Thomas Maluenda [i], & adhuc ex hoc ordine nostro Ioseph A Costa de nouissimis temporibus [k]; & in Genesis c. 5. Delrius.

e 2. de grat. Christi c. 23.
f in c. 11. Ep. ad Heb.
g hom. 22. in Gene.
h lib. 2. Biblioth.
i de Antichrist. lib. 9. c. 1. & de parad. c. 87. & 86.
k lib. 3. c. 6. 8 de nouissi. tempor.

Licèt verò tollere aliquem, phrasi Scripturæ sit idem quod tollere cū e vita [l], idémq; de *transferendi* verbo dici posset, quia moriendo transit aliò anima, & corpus in alium transfertur locum: tamen de Enoch habetur citato loco Epistolæ ad Hebræos, quòd est trāslatus, vt non videret mortem, & in alio ex Ecclesiastico [m], vt daret Gentibus pœnitentiam, siue Antichristi tempore prædicando [n], siue iuxta textum Græcum *ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς, exemplum pœnitentiæ generationibus*; dum scilicet animaduerterent quantam de piis Deus habeat curam, quantóque peccatores odio prosequatur, ex quorum consortio ante tempus pium illum rapuerit, vtpote quòd eo mundus erat indignus, & eodē ipsū infici nolebat.

l 3. Reg. 19. 4. Ionæ 4. 3. Ioann. 19. 15.
m c. 44. 15.
n Apoc. 11. 3.

Congruit hęc ratio proposito, vbi generaliter, sicut diximus, agitur de quouis iusto hinc maturiùs educto, atque translato per mortem. Si cui placet agi de Enoch, vt prę se fert Ambrosius, fauétque nonnihil similis dictio huius loci, & aliorum qui sunt omnino de illo, nec aliud modò tamen apponendum censeo, nisi minùs verisimiliter Procopium [o] docere, aliquando Enoch improbum fuisse: Oleastrum [p] quoque haud conuenienter tradere, forsitan priùs male vixisse. Vnde isti hoc eliciunt? & cur non potiùs oppositum ex eo, quòd ambulasse coram Deo, & ei gratus fuisse scribitur? Ephrem [q] quidem certè, vt socordiam nostram excutiat, ait: [Enoch ducentis (iuxta LXX. sed secundùm editionem nostram trecentis) annis placuit Deo, & nos in breui hoc vitæ tempore negligentes sumus?]

o in c. 5. Genesis.
p ibid.
q tom. 2. paræne. 48.

Obiici posset ætas Enoch trecentorum sexaginta quinque annorum, quando translatus est, quæ profectò senilis videtur. Verùm, quia eo mūdi principio longæuior producebatur hominum vita, & plusquàm duplo, triplóve longior erat interdum, haberi poterat tempus illud breue, magísque ad iuuentutem vergens, quam ad senectutem. Sed, quod primo dixi loco, magis credo generalem esse, non ad vnum Enoch adstrictam hîc orationem, propter communem Enarratorum sententiam, a qua non reperi qui discreparet præter Iansenium; tantùm abest vt oppositum nimis apertè demonstretur, in eóque omnes consentiāt, quod Thomas Maluenda [a] scripsit. Carthusianus permittit eam expositionē, aliam magis probans. Supponit eandem Cyprianus [b], August. [c] Prosper [d], Fulgentius [e], Paulinus [f], & Molina noster [g] vocat communem. Imò qui Genesim, Epistolámque ad Hebræos enarrant, quæ ibi dicuntur de Enoch, hoc ex loco minimè confirmant: Abulensis [h] tantùm ait innui: Ludouicus [i] Ystella prudenter docet loqui Auctorem de quolibet iusto. Certè quod postea [k] sequitur de iusto, qui mortuus condemnet viuos impios, déque iuuentute celeriùs consummata, innuit non tā propriè de translato adhúcq; viuente, quàm de verè iam mortuo, sermonem esse generalem. Sic paulo antè actum de iusto morte præoccupato.

a 9. de Antichri. c. 1.
b de mortalit. & 3 ad Quirinum. c. 58. quibus locis Salomonem citat.
c ep. 105. & 107. de præd. Sanct. c. 14. de corre. & gra. c. 8.
d de ingrat. c. 32.
e ep. 2. c. 4.
f epist. 35.
g 1. p. q. 14. a. 13 disput. 14.
h in Gen. c. 5. q. 5.
i ibid.
k vers. 16.
l lect. 49.

Viuens inter peccatores.] Magna laus inter malos esse bonum; qua de re dixi aliàs: hícque Olcot [l] ex Augustino, & Gregorio docentibus effugi non posse, quin viuatur in hac vita inter malos.

Translatus est.] Distinguitur translatio de potestate tenebrarum in regnum Filij Dei [m], & de morte ad vitam [n]: translatio de laxiore ad religiosam vitam, velut in hortum conclusum [o], & vt vineam de Ægypto [p]: translatio de ista peregrinatione ad æternæ vitæ quietem, cuius typus translatio Enoch, de qua egimus. Indicantur hæc à Bonauentura, Hugone, Olcot.

m Coloss. 1. 13.
n 1. Ioa. 3. 14.
o Cant. 5. 12.
p Ps. 79. 9.

Vers. 11.] Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius: aut ne fictio deciperet animam illius.

VAriis de causis Deus aut diu viuere bonum etiā sinit, aut citiùs hinc abducit. Huius prima priùs causa data est, quia Deo charus est, & sibi Deus charum, qui cupit etiam dissolui, & esse cum illo [q], arctiùs coniungit euocando ex hac vita. Altera hîc ponitur, ne diutiùs viuens, malis aliorum exemplis, ac suasionibus, variísque occasionibus innocentiam perdat. Ambrosius [r] seipsum de Satyri fratris: Gallam Fulgentius [s] de mariti eius: Paulinus [t] Pammachium de vxoris morte solantur hoc ipso argumento; vltimúsque propterea scribit postulasse Dauid, notum sibi fieri finem suum, & numerum dierum [u]: & quoniam didicerat prorogata sibi tempora, ingemuisse [x]; *heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*: quia nimirum habitabat cum habitantibus Cedar, id est, tenebris huius mundi.

q Phil. 1. 23.
r oratione de obitu fratris.
s epist. 2. c. 4.
t epist. 35.
u Psal. 38. 5.
x Ps. 119. 5.

Porrò hinc primò sequitur, prædestinationis causam in Deum reiiciendam, & doni perseuerantiæ. Sic Prosper [y] infert;

y de ingratis. c. 32.

Sed Deus & tales discernit, quò mage Christi
Excellat bonitas, quæ sola est causa vocatis
Et fidei, & meriti, quoniam sapientia diues
Hoc etiam tribuit multis, vt sancta operatis
In finem vitæ, fieret de munere merces.

[a ibid. b epist. 107. & aliis infra citatis locis.]

Deducitur secundum argumentũ ab eodem Prospero [a]; sed clariùs ab Augustino [b], auxilium gratiæ Dei, licèt omnibus sufficienter, non æqualiter tamen omnibus dari: nam non omnibus præstat vt eos rapiat, antequam in peccata labantur. Tertium ab eodem Augustino [c] colligitur, nonnullos in fide, & sanctitate Christiana, & gratia non permanere, sed dimitti viuere donec cadãt. Contrarius est error hæreticorum nostri temporis, semel habitam iustitiam amitti non posse. Quartum inferimus, cognitionem certam de futuris contingentibus sub conditione, siue conditionalibus possibilibus haberi à Deo, non coniecturalem duntaxat.

[c supra.]

Huic autem testimonio similia sunt alia, vt quòd Hebræi certissimè commissuri essent idololatriam, si adamarét mulieres alienigenas [d]; quòd nisi reliquisset semen Deus, omnes sicut Sodoma & Gomorrha periissent [e]; quòd nisi breuiarentur dies extremæ tribulationis, *non fieret salua omnis caro* [f]. Itaque non est huius loci sensus duntaxat, raptum esse iustum, ne malitia mutaret intellectum eius, id est, ne exponeretur vrgenti periculo, & moraliter solùm esse certum, quòd incideret in peccatum; sed quòd certò, & infallibiter id præuisum est futurum, quamuis non necessariò ex parte ipsius rei, nisi ex suppositione. Frustra verò nonnulli dicunt, Deum non aliter huiusmodi res cognoscere, nisi quia decreuit ac determinauit, vt hoc posito illud sit. Nam ipsæ res sub hypothesi præscindendo à decreto Dei, eo modo quo sunt, certò scibiles sunt, non minùs quàm vt subsunt decreto solùm conditionato ac hypothetico.

[d 3. Reg. 11. 2. e Esa. 1. 9. f Matt. 24. 22.]

Quintum est, peccata, quæ quis patraturus esset, si maneret in hac vita, non iudicanda, vel punienda à Deo: nec ideo paruulis nonnullis morientibus negari Baptismũ ab ipso propter opera mala quæ facturi præuidentur, si perdurarent in vita, tanquam propter veram causam demeritoriam: contrà verò propter præuisa bona aliis concedi, tanquam propter veram causam meritoriam.

Vtrumque elicitur disertè ex doctrina Augustini [g]. [Dictum est, ait [h], *raptus est*, secundùm pericula vitæ huius, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præsciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat (quia scilicet merita sub conditione non sunt verè merita, propter quæ præmium, pœnámve aliquis de facto consequatur) id est, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto, non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.] Nihilominus videtur verum, quòd bona opera præuisa per scientiam illam Dei, quæ dicitur media, possunt ipsum mouere per modum finis proximi, ad gratiam dandam, qua illa fiant, & ad tollendas mali occasiones, &, si opus sit, ad tollendam quoque vitam. Hac ratione loquitur Paulus dicens [i], quòd *elegit nos Deus, vt essemus sancti.* Ex tali item scientia pendet quòd tali potiùs tempore Christus venerit, quàm alio, vt Augustinus [k] docet: denique tota series prædestinationis, imò & prouidẽtiæ sine illa percipi satis non potest. Sed quod cõtendimus contra Semipelagianos nunc est, non puniri quempiam à Deo propriè ob peccata quæ facturus esset. Nam iustus, de quo hîc sermo est, si non raperetur, peccaret, & raptus, non pœnas luit, sed felicitatem adeptus est, mansitque iustus.

[g de prædestinat. Sanctor. c. 14. & epist. 105 & de correpț. & gratia c. 8. h primo loco. i Ephes. 1. 4. k de prædest. Sanct. c. 9. epist. 49. q. 2.]

Sextò sequitur, quod priore quoque versu docuimus, magni fieri iustum à Deo, & mortem iusto beneficium esse, tum ne peccet, tum ne intersit peccatis, vel etiam damnis temporalibus suorum. Obseruarunt id ex isto loco citati sæpiùs Ambrosius, Paulinus, Fulgentius, & præterea Cyprianus [a]: & Esaias [b] innuit dicens; *à facie malitiæ collectus est iustus*: & Iudas Machabæus in oratione ad suos; *melius* [c], aiebat, *est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ.* Sic Possidius [d] ereptum tradit Augustinum ex hac vita tædio malorum patriæ suæ, præsertim Hipponensis ciuitatis, cùm dimissionem de hoc seculo poposcisset à Deo. Anastasium Papam scribit Hieronymus [e] idcirco raptum atque translatum esse, ne orbis caput sub tali Episcopo truncaretur, & ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur. Eiusdem generis exempla similia prætermittimus.

[a de mortal. & 3. ad Quirinum. c. 58. b c. 57. 2. c 1. Machab. 3. 59. d in vita c. 28. & 29. e epist. 16.]

Malitia.] Exponit Ambrosius [f] de malitia seculi; & potest intelligi labor, vel ærumna, quæ interdum peccandi occasio est.

Intellectum eius.] Græcè (*σύνεσιν αὐτοῦ, intelligentiam, sensum, prudentiam.*) Ambrosius [g] vertit *cor.*

Aut ne fictio deciperet animam illius.] Omittit hæc Cyprianus [h], citans extrema sententiæ. Nec tamen sequitur ab eo reiecta. Solemus enim & ipsi illa decerpere, quæ proposito satis esse iudicamus, media interdũ præterire. Fictio talis, qualis fictus, quem Spiritus sanctus disciplinæ capite primo [i] effugisse dicitur. Nihil nisi fictum procedit ex mundi schola, & simulatum, longè semper minùs in recessu habet, quàm in fronte: simulata eius æquitas, duplex est iniquitas, vt ait Augustinus [k], quia est iniquitas, & simulatio.

[f in Psal. 45. g de apolog. Dauid c. 4. & de obitu fratris. h de mortal. & 3 ad Quirinum. c. 58. i vers. 5. k in Psal. 63.]

Vers. 12.] Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.

Difficilis euasio ex vitæ huius mundique periculis & insidiis. Agendum cum fictis: præterea verò cum liuidis, ac inuidia furentibus, qui qua possint ope, studiũ virtutis exagitent vsque eò dum claritati ęqui, honestíque tenebras offundant, & subire turpitudinem compellant: necnon præ libidinis impotẽtia simplicem mentem fraudibus illiciant.

Fascinatio.] Græcè (*βασκανία.*) Fascinum vix est qui non norit, puerique ipsi cum Virgiliano illo versu ex Eclogis [l] quid sit, imbiberunt;

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

De quo Gellius [m] quoque citans Plinium [n], & ex instituto in libris de fascino Leonardus Vairus, & in disquisitionibus magicis noster Delrius [o], Lælius [p] Bisciola, & Raderus [q], & in Virgilij Eclogam 3. Pontanus, & Cerda, & in Epist. ad Galat. cap. 3. Iustinianus, Corneliúsque. Inuidiæ fascinum tribuunt Plinius [r], Augustinus [s], Sidonius [t], Symmachus [u], atque alij, quos citant isti; prætérque illos Lælius Gyraldus [x], & Abulẽsis [y], & Vallesius [z].

Probabilis etymologia verbi *fascino* à *βασκαίνω* pro *φασκαίνω*, quod est *inuideo*, quasi *φάεσι καίνω*, *oculis occido*; hoc autem quasi nimiùm video: qui namque inuidet, ab inuidendo nequit oculos auertere. Græcum verbum reddidit alicubi [a] Interpres per *inuidendi* verbum; Augustinus [b] verò per *fascinandi*; Chaldæus per *habere oculum nequam.* Id voluit etiam Paulus Galatis scribendo [c];

[l Eclog. 3. m lib. 9. c. 4. n lib. 7. o lib. 1. c. 3. q. 4. & fusè lib. 3. p. 1. q. 4. sect. 1. p 10. 2. hora. subse lib. 3. c. 6. q in Martial. lib. 9 epig. r lib. 28. c. 4. s lib. 5. locut. in Deut. c. 28. t lib. 2. epist. u lib. 1. epist. 7. & 42. lib. 6. epist. 78. x dialogismo 7. y n. 21. q. 14. vsque ad 18. inclusiuè. z de sacra Phil. c. 62. a Deut. 28. 56. b in locut. Hebra. c c. 3. 1.]

A *Quis vos fascinauit non obedire veritati?* id est, quis vobis inuidens fidem veram salutémque, adeò vos dementauit, vt ad clarissimã caligetis lucem? De re ipsa consentio meliùs philosophantibus, quos profert ac sectatur Delrius, esse fascinationem, vt quidem vulgò accipitur, fabulosum quid superstitiosúmque, optimis & antiquissimis Medicis Hippocrati, Galeno, &c. tractatibus de morbis naturalibus penitus ignotum, nec vlla idonea ratione probatum: sed ex pacto dæmonis ad cuiuspiam aspectum malignum, aut maliriosam laudem. Has tamen fabulas, quas Poëtæ libenter vsurpant, sicut ante Virgilium Theocritus [a], remedium assignans trinam expuitionem in sinum;

Ὡς μὴ βασκανθῶ, τρὶς ἐς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

B nec non Tibullus [b]:

Hunc puer, hunc iuuenis turba circumstetit arcta,
Despuit in molles & sibi quisque sinus.

Fabulas, inquam, istas bene moraliter exprimunt sacræ literæ, quæ populares non rarò sermones vsurpant. Diximus de Epistola ad Galatas. Ad eundem modum explicandus præsens locus, vt fascinatio nugacitatis Hebræa phrasi, *βασκανία φαυλότητος, fascinum leue, vile, nihili, nugax,* sit vana quæcumque res, quam fictionem priùs auctor appellarat, vel nullius pretij, ac velut viles quisquiliæ, quibus possit etiam iustus ludificari. Quo in genere vim habet adulatoria & inanis, atque C falsa rerum malarum laudatio, quæ stimulos adhiber, vel ad suscipiendum, vel ad prosequendũ. Sed qui despuit in sinum suum ter, semetipsum humiliter diiudicat & abiicit, facilè soluit hoc fascinum.

Basilius [c] iuxta receptam à vulgo sententiam docet, inuidos officere per ipsos etiam oculos; sed subiicit: [Ego verò horum sententiam dimittam, vt vulgò latam, ac per mulieres vetulas in opinionem muliebrem subinductam.] Tropologicè igitur fascinatio obscurat bona, si, quæ mala sunt, vel si is etiam qui bona nonnulla facit, immodicè laudentur. Vtrouis enim modo mentis velantur oculi, ne perspiciant intimè veritatem. Quamquam si *βασκανίαν* quoque suma- D mus cum Budæo [d], vt sit idem quod *συκοφαντία*, hoc est, *obtrectatio*, non parum inde obscurantur bona, & retardatur quis à studio virtutis; ita vt enixè flagitaret ille redimi se à calumniis hominum, vt custodiret Dei mandata [e], hominum, inquam, iniquorum, qui delectantur narrandis fabulationibus [f], nugísque aduersùs legem Dei. *Popule meus,* ait Deus [g], *qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant,* ne scilicet incedas rectà, sed in gyrum per deuia, per ambages, in circuitu, sicut impij [h].

Quid si eodem spectare dicamus *τὰ βασκάνια* apud Pollucem, quædam ridicula, quæ fabri fer- E rarij ante fornaculam appendere solebãt inuidiæ auertendæ gratiã? Magno ad virtutem impedimento est inuidia, laus iniqua, obtrectatio iniusta, irrisio; atque in his omnibus visitur *φαυλότης*, leuitas, vilitas, nugacitas, ineptia, imbecillitas, &c. Nugas Hebræi vocant etiam נוגי *noghe* [i], vt Hieronymus [k] perpendit; Cicero [l] nugas maximas, vel meras vsurpat de hominibus nihili, prorsúsque reiiciendis. Plura de hac voce Delrius [m] noster.

Nugacitatis.] Præter ea, quæ modò dixi, lege caput secundum [n], quamuis ibi sit aliud vocabulum Græcum *εἰς κίβδηλον*, hîc *φαυλότητος*.

Obscurat bona.] Illis modis quos antè dixi, & vt

existimentur bona, quæ mala sunt, contráque mala quæ bona, perstrictis veluti fascino oculis mentis. Emphasis est in verbo *ἀμαυροῖ*: est enim *ἀμαυρὸν* idem quod *σκοτεινὸν*.

Inconstantia concupiscentiæ.] Fulgentius [a] *(instantia)* quo pacto & quidam codices. Græcè (*ῥεμβασμὸς ἐπιθυμίας, circumrotatio* sicut fundæ, quæ dicitur *ῥεμβὼν, perpetua quædam, ac in gyrum veluti mutatio, euagatio, erratio, vertigo, circuitio, turbo concupiscentiæ)* dum vna succedit alteri, nec satiatur quis vnquam, sed ambulat in circuitu [b], sempérque dicit, affer, affer [c]. Sed quoniam est quoque *ῥόμβος*, & Latinitate donatus rhombus, veneficarum proprium instrumentum, quod filis impletum in orbem agebant, de quo,

Staminea (non *straminea*) *rhombi ducitur ille rota* [d], non abluderet à vero, qui diceret alludere auctorem eò voluisse, qui priùs de fascinatione meminerit. Non sat aptè Lexicographi citantes hunc locum, *ῥεμβασμὸν* interpretantur *occupationem mentis.*

Cantacuzenus vult priore mẽbro notari alienam deceptionem, hoc quando quis sponte improbus euadit, quasi dicas, à concupiscentia propria abstractus, & illectus [e], *ἐξελκόμενος, καὶ δελεαζόμενος*, ob varias, & effrenes cupiditates. Parum refert: nam & malefici illius instrumenti metaphora bellè cadere potest in insitam cuique concupiscentiam, quæ cuiuis est serpens vafritie decipiens Euam [f]. Impius peccando fit instabilis [g], & *facit opus instabile* [h]; éstque maximè propria impio mentis instabilitas, & vt ambulet *in vanitate sensus sui* [i], & meritò dici póssit *filia vaga*, quæ deliciis dissoluitur [k], atque *cursor leuis explicans vias suas* [l]; vel iuxta vocem Hebræam, *dromedarius iterans ac replicans, & mutans inconstantissimè vias.* Quid mirum? non est in charitate radicatus, & fundatus [m], nõ fundatus super firmam petram [n], nec est quasi fundamentum sempiternum, sicut iustus [o].

Transuertit.] Græcè (*μεταλλεύει, eruit, effodit, scrutatur, indagat, immutat, & euertit)* vt solent metalla cùm effodiuntur. Vis denotatur concupiscentiæ, ac peruersitas, dum elocat, quæ collocauit bene ac disposuit Deus. De senibus impudicis Daniel [p] scribit quòd *euerterant sensum suum.*

Sensum sine malitia.] Græcè (*νοῦν ἄκακον, animum*, siue *mentem expertem malitiæ, synceram, simplicem, innocentem.)* Plutarchus [q] *ἀκάκους* ait, sicut & *θαυμαστικοὺς ὑπὸ τῶν λεγόντων μᾶλλον βλάπτεσθαι, simplices, & admiratiuos à dicentibus magis lædi*: & Dionysius [r] illos esse, qui mala minimè prospiciunt. Facilè deprauantur ac peruertuntur simpliciũ mentes cupiditatibus. Qui sensum propriè pro sentiendi vi sumunt, sensum loci minùs assequi videntur [f]; nec satis ad rem notare, dici sensum transuerti, cùm non paret rationi, ad quod tamen habet appetitum naturalem. Fateor prævalente cupiditate sensúque perturbari rectum ordinem, secundùm quem regere deberet ratio, & peruerti rectum rationis iudicium æstimationémque de rebus pro earum dignitate & conditione. *Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum,* dixit vni impudicorum senum Daniel [t].

Vers. 13.] Consummatus in breui expleuit tempora multa.

REdit ad præreptum ex hac vita citò iustum, qui vitauerit incommoda, quæ modò dicta sunt:

Margin notes (left column):
a in idyll.
b lib. 1. ele 2.
c hom. 11. de inuidia.
d comment. ling. Græcæ.
e Psal. 118. 134.
f Psal. eod. 85.
g Esa. 3. 12.
h Psal. 11. 9.
i Sopho. 3. 18.
k ibid
l 1. ad fratrem. epist. 18. & 6. ad Attic. epist. 11 & 13.
m tomo 3. adagial. 1030.
n vers. 16.

Margin notes (right column):
a ep. 4. c. 4.
b Psal. 11. 9.
c Prou. 30. 15.
d Propert. lib. 3. eleg. 6. & plura et Martiale, aliísque. Raderus in lib. 9. Martialis epig. 22.
e Iacob. 1. 14.
f Genes. 3. 2. & seq.
g Thren. 1. 8.
h Prou. 11. 18.
i Ephe. 4. 17.
k Iere. 31 22.
l Iere. 2. 23.
m Eph. 3. 17.
n Matth. 7. 25.
o Prouer. 10. 25.
p c. 13. 9.
q de audiendo.
r epistol. ad Demophi.
f Olcot lect. 50.
t c. 13. 56.

sunt: & quod maximè propositum, & gratum est Deo, ad consummationem perfectionémve virtutis breui cursu peruenerit, ad quam alius non ante senectutis annos multos. Nil ergo mirum si maturiùs euocet Deus talem iustum: est enim, quod antea vidimus, charus Deo, & de periculis liberandus fuit, in quæ alioqui cecidisset: præterea (quod hic continetur) attigit maturitatem virtutis, quam scilicet iuxta beneplacitum diuinæ prædestinationis debebat attingere: est verò quādoque par, vel maior etiam iis gradibus, quos qui viuunt diutiùs, adipiscuntur. Qua tamen in re sua cuique laus ob liberi concursum arbitrij; sed minor sanè illi, qui lentiùs incedit. Quemadmodum eundem ad locum peruenit citius, qui ocyùs, quàm qui segniùs peregrinando mouetur: & inter simplicia corpora quod leuius est, velociùs ascendit breuiore tempore, quod grauius, descēdit: & quem multis debiliter pulsando ictibus infigit vnus clauum, alter vno, aut altero immergit in parietem, si strenuè lacertos exerat. Sic fiunt aliquando qui primi erant, nouissimi [a], vicéque versa. Quod & in negotiis ac studiis humanis quotidie contingit. Nec enim merces tempori, quo quis laborat, sed operi respondet, quod facit, nec est cuiquam antiquitate vocationis suæ gloriandum: quod cùm facere Iudæi viderentur, adhibuit Christus [b] parabolam de operariis, ex quibus vndecima venientes hora eundem receperunt denarium, quia tantū laborauerant, quantum priores; priùs verò quàm illi, quoniam hoc ipsum, quòd nempe breuiore tempore fuerāt diligentiores, eam merebatur laudem.

[a] Matth. 19. 30. c. 20. 16.
[b] Matth. 20. 1. & seq.

Consummatus in breui.] Græcè (τελειωθεὶς ἐν ὀλίγῳ, nimirum χρόνῳ, *in breui tempore perfectus*) non autem consumptus, & vita functus, vt innuit Vatablus, vertens (*defunctus paucis.*) Virtute perfectus est per exiguum spatium temporis, ideo censetur longum tempus expleuisse, atque ætatem senectutis habuisse immaculatam, quæ non computatur annorum numero, & quæ vix alij longissima ætate absoluissent, paucis peregit annis. Transferunt hæc glossa ordinaria, & Hugo ad Martyres, qui breui tormento æternitatem sibi pepererunt. Idem de annosissimo quouis, & iustissimo dici posset sene. Est enim modicum ac leue quidquid in præsenti toleratur, & quamlibet diu, tribulationis, cum æternæ gloriæ pondere comparatum [d]. At sensus est quem attulimus.

Expleuit tempora multa.] Græcè (ἐπλήρωσε χρόνους μακρούς.) Fulgentius [e] (*repleuit tempora longa.*) Sæpe discreta pro continua quātitate ponitur, vt quod est magnum, dicatur multum, & contrà. Non plenè respondet gratiæ, qui nō pro quantitate ipsius meliùs operatur: nec eius opera censeri plena [e] possunt coram Deo, vel etiam tempora, quæ plenis carent operibus. Menses vacuos habuisse se Iob [f] querebatur illos, vt placet B. Thomæ, quibus in humana versatus esset felicitate, quæ non explet desiderium, non complet labores, vt postea [g] dicetur, qui frustra pro tantilla re suscipiantur. Hoc est redimere tempus [h]; quamuis ista phrasis quandoque significet extrahere tempus ac tergiuersari, vt apud Danielem [i]; *noui quòd tempus redimitis.* Hæc dici potest consummatio abbreuiata, quæ inundat iustitiam [k].

Longam vitam Seneca [l] censet, si sit plena; qui diu vixit, sed malè, non vixisse, sed in vita moratum esse: Ambrosius [m] perfectam ætatem, vbi perfecta virtus. Sed & iustis nonnullis vt citò moriantur prodesse hac Anastasius [a] Nicenus probat sententia. Quo modo iniustis etiam prodest, ne diutiùs viuendò reatum maiorem contrahant. Primi generis domesticorum exemplorum par in ordine nostro habemus BB. Stanislaum Kostkam, & Ludouicū, siue Aloysium, siue Luysium Gonzagā. Valerius item Petronianus annos tres & viginti natus, quę ferè ætas duorū illorum fuit, cognominatus est ὑπέρογκος, quòd breui multa percurrisset, vtpote diuina humanáque iura callens, medicinam politiámque professus, legatione vrbica & peregrina quinquies defunctus [b].

[c] 2 Corin. 4. 17.
[d] epist. 4.
[e] Apoc. 3. 2.
[f] c. 7. 3.
[g] c. 10. 20.
[h] Ephe. 5. 16.
[i] c. 2. 8.
[k] Esa. 10. 22.
[l] epist. 94.
[m] de obitu Theodos.
[a] q. 17. in Scrip.
[b] Alciat. proœ. lib. 6. paradox. Pasleot. de bono senect. p. 2. pag. 106.

Vers. 14.] Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia.

OMnis boni Deus causa; & placens Deo factúsque dilectus ei translatus ac raptus est iustus iunior: & cur consummatus sit in breui, tantúmque tam breui spatio profecerit, ratio eadem, quia Deo placuit. Idcirco properantem bene agere properauit ipse hinc de iniquorum consortio, déque peccandi periculis eruere. At imperita multitudo probi iuuenis videns mortem, neque illius percipiens rationem, quasi vel indignū fuerit, vt tam citò moreretur, vel id peccato aliquo suo commeruerit, aut aduersùs Deum quiritantur, aut innocentem accusant, aut pietatis studium inutile prorsus dicūt. Quæ similis aliquando cogitatio turbauit Dauid [c], Ieremiam [d], Abacuc [e], Iob [f]; qua de re etiam Boëtius [g].

Placita enim erat Deo anima illius.] Probatur isto loco, gratum esse Deo, & cur quis obiiciatur eius dilectioni, tanquam à formali causa oriri ex interno inhærente gratiæ dono. Nam hic significatur placitam Deo esse animam iusti secundùm propriam ipsius iustitiam, quam habet, quamuis diuino beneficio, & propter meritum Christi.

Propter hoc properauit educere illum.] Paulinus [h] quoque legit (*properauit eam* (de fœmina enim mortui scribit) *de medio iniquitatis educere*) & Fulgentius [i] (*properauit de media iniquitate illum educere*) & Cyprianus [k] (*propter hoc properauit educere eum de medio iniquitatis*) quamuis in aliquibus codicibus eiusdem legatur (*de media iniquitate.*) Græcè solùm est (διὰ τοῦτο ἔσπευσεν ἐκ μέσου πονηρίας) & ait Iansenius referri non ad Deum, sed ad eum, cuius anima placita fuit Deo. Sic etiam Cantacuzenus per metaphrasim exponit; tametsi in adolescentiâ obiit, anima tamen illius cùm fuerit Deo chara, festinauit de medio improbitatis huius vitæ discedere. Meliùs ab Interprete suppleta sunt duo illa (*educere illum*) referendo ad Deum, qui eduxerit quem diligebat. Quomodo educat se quis ex ista vita, & illum Deus, obseruat Hugo. Lege capitis præsentis versum secundum.

De medio iniquitatum.] Græcè (ἐκ μέσου πονηρίας, *de medio iniquitatis*) quo etiam pacto nonnullos legere modò retuli, aut (*de media iniquitate*) sensu tamen eodem pro multitudine iniquorum. Si de Enoch sermo esset, sequeretur eius quoque tempore multo ante Noë viguisse improbitatem, etsi cùm viueret Noë, *omnis caro corruperat viā suam* [l]. *A facie malitiæ*, inquit Esaias [m], *collectus est iustus.*

Populi autem.] Emendata editio vulgata hæc

[c] Psal. 72. 2. & seq.
[d] c. 12. 1. & seq.
[e] c. 1. 13.
[f] c. 21. 7.
[g] 1. de consol. metro 5.
[h] epist. 35.
[i] epi. 2. c. 4.
[k] de mortal.
[l] Gen. 6. 12.
[m] Esai. 57. 1.

nectit

nectit prioribus vnum conflans versum: alij codices hinc nouum inchoabant. Populi in plurali sæpe malè sonant, vt alias [a] notaui.

[a] Act.4.25.

Videntes, & non intelligentes.] Nimirum fuerunt, vel quid aliud suppleri debet.

Nec ponentes in præcordiis.] Græcè (ἐπὶ διανοίᾳ, *in intellectu, in mente*, &c.) Ponere in corde quid sit, & his similia, dixi alibi [b]. Vulgata editio, versus distinguens eo quem dixi modo, aliud videtur subintellexisse in hac ellipsi, siue defectu orationis; scilicet cùm hi non caperent quamobrem Deus subtraheret iustum ex hac vita maturiùs, errauerunt, vt explicat Clarius; vel, vt Cantacuzenus, pœna mulctabuntur.

[b] Act.5.4.

Talia.] Græcè (τὸ τοῦτο, *tale*) siue quod est proximè dictum, siue quod statim subiicitur; esse beneficium hoc Dei singulare, quòd educat iustum, &c. Grauis profectò & crassus error, Dei obtrectantium bonitati, atque prouidentiæ, quòd res interdum aduersas iusti tolerare, prosperis abundare mali videantur. Memini paulo antè iustos etiam viros pulsatos praua ista cogitatione. Legendi tractatus varij de prouidentia. *Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam nõ tenebit* [c]: *præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius* [d].

[c] Eccli.21.17.
[d] Eccli.33.5.

Vers. 15.] Quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos eius, & respectus in electos illius.

HOc illud potest esse, quòd populi vulgarésque homines minimè intellexerint ex Dei gratia & beneficentia proficisci quod antè dictum est de præmatura iustorum morte, quorum peculiarem Deus habet rationem.

Quoniam.] Græcè (ὅτι, *quòd*) vt sæpe aliàs, quemadmodum & similis particula (*quia.*)

Gratia Dei.] Græce (χάρις) ad bene operandum, ait Bonauentura subueniens, & peccata dimittens, inquit Hugo: ita vt misericordia, quæ statim subditur, sit gratia concomitans, & subsequens, quæ liberat à miseriis & pœnis. Existimo συνωνύμως hæc poni ad significandam pietatem, & beneuolentiam diuinam erga Sanctos.

Respectus super electos illius.] Græcè (ἐπισκοπὴ ἐν ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ, *obseruatio*, & *inspectio*) vt antea non semel diximus [e], oculis nempe benignis respiciendo, & peculiarem rationem habendo. Sæpe hanc vim habent in Scripturis illæ formulæ, quibus Deus, vel Christus dicuntur respicere aliquẽ, & videre, firmare, vel habere oculos super aliquẽ, aut visitare [f], ἐπισκέψασθαι.

[e] vt c.3.6.
[f] Luc.1.78.

Vers. 16.] Condemnat autem iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celeriùs consummata longam vitam iniusti.

OCcupatio tacitæ obiectionis: licèt impurissimi vitam quandoque perducant ad summam senectam, non omnem iusti hominis cum morte statum extingui, habebit in improbos iurisdictionem, quia nomen eius & gloria ferent quodammodo sententiam contra impios, constabítque apud omnes, quàm præstet citò honestam finiuisse, quàm turpem diu vitam duxisse. Hæc & sequentia de Christo Cantacuzenus, déque Christi occisoribus Iudæis interpretatur. [Nam iuuenis Christus quamuis interfectus sit, vitalis tamen mors eius, inquit, in ipsum credentes ab interitu vindicabit, ac immortalitate donabit: illos qui non crediderunt, & præsertim qui desæuire in ipsum sunt ausi, apertè redarguet atque damnabit: redemptionis quoque mysterium, quod ipse florenti absoluit ætate, peccati legem, quæ consenuerat, de medio tollet.] Glossa interlinearis, & ordinaria, & alij explicant de Martyre. Quo generalior, eo melior de omni iusto sensus.

Hoc genus iudicij & condemnationis est per comparationem, & exemplum: quo pacto etiam malis, sed minùs malis competet iudicare & condemnare, sicut aliàs dictum est de Regina Austri, atque de Niniuitis [a], quos non constat salutem consecutos esse. Ad eundem modum dixit Cicero [b], quòd ipsi amici Pisonis silentio suo temeritatem atque audaciam eius condemnarũt, id est, facto illo, cùm tabulas abderent, reum illum ostenderunt temeritatis. *Condemnabit te os tuum, non ego* [c], id est, ex verbis tuis conuinceris reus, ac pœna dignus, *ex verbis tuis condemnaberis* [d]: & nunc animæ interfectorũ propter verbum Dei [e], vindictam clamant; & Deum Christus prædixit vindictam facturum seruorum suorum, clamantium die ac nocte [f]. Quo viuit quis diutiùs, & minùs sapit, minùs virtutem colit, eo vituperandus magis.

[a] Matth.12.41.42.
[b] ora. in Pisonem.
[c] Iob.15.6.
[d] Matt.12.37.
[e] Apo.6.9.10.
[f] Luc.18.7.

Condemnat.] In editione Græca emendata (κατακρινεῖ, *condemnabit.*) Videntur sequentia meliùs cohærere cum verbo isto futuri tẽporis: expressa tamen de Græca illa Latina habet præsens tempus. Potuit mendosè ibi positum esse κατακρινεῖ pro κατακρίνει. Quanquam non rarò præsens vicem futuri subit.

Mortuus.] Græcè (θανὼν.) Sic etiam Cantacuzenus: at in correcta versione L x x. (καμὼν, *laborans.*) Videri posset mendum, quia qui Latinè interpretatur, ponit (*mortuus.*) Vel καμὼν est grauiter laborans morbo, & moribundus, fatiscens, deficiens: eo tempore solet enitescere iusti virtus, Déique aduersùs illum prouidentia. Sed & καμόντες quandoque, sicut & κεκμηκότες, vocantur mortui, vt exemplis docetur in thesauro linguæ Græcæ.

Iuuentus celeriùs consummata.] Hoc loco videtur significare consumptam: quem sensum non respuit versus 13. Ad comparandas virtutes opus est tempore longiore: sed infusæ sunt efficaciores, hísque præditus iustus, & gratiæ respondens, breui cõsequi perfectionem valet. Ad idem confert educatio, de qua Olcot [g] quanti referat, nósque alibi [h]. Diximus priùs quoque solos vitæ annos computandos, qui sint bene transacti. Propterea Barlaam plusquàm septuagenarius respondet de annis regio puero Iosaphat, se quadraginta quinque duntaxat natum, intelligens de iis, quibus vixerat religiosè [i]: Saül vnius anni puer dicitur cùm regnare cœpit [k], propter innocentiam vitæ, vt obseruat Gregorius [l]. Epicuræum illud prouerbium, *vixit, dum vixit bene*, id est, genialiter, huc accommodandum ad vitam ex virtute actam.

[g] lect.51.
[h] Act.7.22. c.16.4.
[i] apud Dam.
[k] 1.Reg.13.
[l] in eundem locum lib.5. c.3.

Longam vitam.] Lucifer [m] (*longæuitatem*) Græcè (πολυετὲς γῆρας, *multorum annorum senectutem*, siue *annosam.*) Satis pro instituto dictũm adhuc de comparatione illaudatæ senectæ, laudatæque iuuentutis.

[m] pro Atha.

a lib. 10 ἐπιγρ. 22. vel 23. — uentutis. Non debet omitti aurea Epigrammatarij [a] γνώμη. Hic post laudatum senem M. Antonium, qui æuo egerat quindecim olympiadas, id est, annos sexaginta, pro receptiore sententia, olympiadem esse τετραετηρίδα, *quatuor annorum*; vel septuaginta quinque, si, computando partem ac initium pro anno toto, quinquennium velis olympiade contineri, siue lustro, concludit Epigramma hoc pacto;

Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus; hoc est
Viuere bis, vita posse priore frui.

Scilicet bis vixit, qui ad senectutem bene vixit; nam grata vitæ recordatio præteritæ præsentem alit, facitque gratiorem.

Vers. 17.] Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus.

MOrs quidem iusti ab vnoquoque cernitur, nec videtur ab aliorum differre morte secundùm externam imaginem; sed improbi non penetrant intelligentia quid decreuerit de iusto Deus, quàm magno illum præsidio sub id tempus cõstabiliuerit. Hæc etiam Cantacuzenus accipit de Christo, & Iudæis; & alij de Martyribus, eorúmque persecutoribus.

Finem.] Græce (τελευτὴν, *mortem.*)

Non intelligent.] Excœcati à Deo huius seculi, vt in eis non fulgeat illuminatio veritatis [b], vel à vero Deo, vel à diabolo, qui vocatur princeps mundi huius [c], ac tenebrarum harum [d], ac potestatis aëris huius; *qui nunc operatur in filios diffidentiæ* [e].

b 2. Cor. 4. 4. c Ioan 14. 30. & 16. 11. d Ephes. 6. 12. e Ephe. 2. 2.

Quid cogitauerit de illo Deus.] In Regiis, & Complutensibus libris (τί ἐβουλεύσαντο περὶ αὐτοῦ, *quid consultauerint de ipso*) in emendatis (τί ἐβουλεύσατο) in singulari. Priorem lectionem Cantacuzenus sequitur, intelligens, vt dixi, de consilio Iudæorum aduersùs Christum. Sed posterior sequenda, vtpote eadem cum nostra editione vulgata, quæ rectè perspicuitatis causâ nomẽ addidit Dei. Probat ex Aldina Iansenius eandem lectionem; nec dubitat aliam esse mendosam. Non cogitat propriè Deus, aut consultat, aut eligit, si hæc sumantur cum inuestigatione atque deliberatione, quã præ se ferũt ista vocabula, vt rectè Damascenus [f] monet. Qui retinent plurale (*cogitauerint*, ἐβουλεύσαντο) explicant de tribus personis Trinitatis [g]. Verùm id coactius est.

f lib. 3. de fide c. 14. g Ceruantes.

Munierit.] Error apertus legere (*minuerit*) sicut codices Regij, atque Complutenses, aliíque habent, & Lyranus legit, atque Carthusianus, & Rabanus, teste Olcot [h], exponentes de imminutione vitæ. Græcum verbum est ἠσφαλίσατο, *tutò conseruauit, securitate donauit.* Monet de hoc errore Budæus [i]. Qui munitus est, securus est: munimentum verò iusti est ab illis armis, quæ describit Apostolus [k], & vocat armaturam Dei. Aptum proposito exemplum Lazari mendici, & diuitis [l], in quibus cognoscitur quàm diuersæ fuerint cogitationes Dei. *Ego scio cogitationes quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem, & patientiam* [m]. Alius error indicatis codicibus, ἑαυτὸν pro αὐτόν. Nec enim sensus est, quòd seipsum Deus munierit, dum liberauit, ac eripuit iuniorem iustum, vt decretum suum de seipso tutum redderet: sed quòd illum Deus munierit, tutúmque, ac tectum ab omni malo reddiderit.

h lect. 54. i in pandec. k Ephes. 6. 14. & seq. 1. Thess. 5. 8. l Luc. 16. 20. & seq. m Ier. 29. 11.

Vers. 18.] Videbunt & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit.

CErnent, inquam, impij finem ac exitum hominis in hac vita, & statum eius; at pro nihilo ducent: Deus verò illos irridebit. Non satis fuit non intellexisse, etiam quæ ignorauerunt, blasphemauerunt [a] spernendo, condemnando, non submissa, vt par erat, reuerentia diuinum consilium venerando. Digni qui rideantur irrisores mysteriorum Dei. De hac irrisione, qua Deus irridet impios, meminerunt Scripturæ [b], siue de contemptu, quo se contemnentes contemnit [c]. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos: Dominus irridebit eum, quoniam prospicit quòd veniet dies eius: despexistis omne consilium meum,* &c. *ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis, aduenerit: qui spernis, nónne & ipse sperneris?* &c. *cùm fatigatus desieris contemnere, contemnêris.*

a Epi. Iud. 10. b Psal. 2. 4. Psal. 36. 13. Prou. 1. 25. 26. c Esa. 33. 1.

Non sunt hi affectus in Deo; sed talibus locutionibus indicantur effectus, cùm Deus declarat aliquos irrisione dignos. Eadem mensura remetitur [d]: sicut qui occidit gladio, gladio occiditur [e]: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur* [f]: & quãtum quis in deliciis fuerit, tantum dabitur ei tormentum & luctus [g]: denique numquid *cùm cæteros irriseris, à nullo confutaberis* [h]? Hebraicè, *non confunderis*, aut *pudefies*; à verbo כָּלַם *chalam*, id est, non patieris ruborem ex confutatione.

d Matth. 7. 2. e infrà 26. 52. f Prou. 21. 13. g Apoc. 18. 7. h Iob. 11. 3.

Contemnent eum.] Deest Græcè (*eum*) licèt Cantacuzenus aut legerit, aut subintellexerit, Christum intelligens. Non est delendum, vt voluit Iansenius; quamuis si demàtur, sensus erit vel de contemptu iusti, vel Dei, consiliorúmve ipsius.

Irridebit.] Nihil misero molestius accidit, quàm si simul irrideatur: irrisor enim miseri delectari videtur miseria ipsius, & dignum censere miseria miserum. Voluit Christus & inter tormenta, & in ipsamet Cruce irrideri, & opprobriis saturari [i], nunquam satur tormentis aliis, sed sitiens adhuc [k]. Debita improbis pœna, qui capite sequenti [l] fatebuntur habuisse se aliquando iustos in derisum, & in similitudinem improperij, deridendo iustorum simplicitatem.

i Thren. 3. 30. k Ioan. 19. 28. l vers. 3.

Vers. 19.] Et erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur, & erunt gementes, & memoria illorum peribit.

HÆc alia impiorum pœna, vt infami pereant morte, ignominiáque perpetua deformentur, tanto terrore perculsi à Deo, vt nec lamentari quidẽ queant. Excindetur omne quoque ipsorum genus, & multis cruciatibus affecti, æterna obliuione sepelientur. Cantacuzenus de Iudæis & hoc explicat, qui fuerint omnibus ad ignominiam propositi, partim vt cum bestiis depugnarent, partim vt seruirent, partim vt probrosa

quæque

quæque alia subirent supplicia, & post mortem etiam summa vbique laboraretur ignominia.

Id si de Iudæis ad literam intelligeremus, multa haberemus quæ de ipsorum dissereremus post summum illud occisi Christi facinus suppliciis: eodémque modo si de Tyrannis Martyrum persecutoribus, quàm hi funestis mortibus interierint. Quo vniuersalior oratio, eo à nobis exigitur breuiorem de infelici improborum exitu, qui male de iustis merentur, siue sentiendo, siue loquendo, siue agendo, sermonem.

a lect.55. Olcot [a] deiectionem sumit pœnam ambitiosæ superbiæ Tyrannorum: contumeliam pro ea, qua Sanctos affecerunt: perpetuitatem pro tormentis, quibus vexauerunt: diruptionem inflatorum, priuationem responsionis Deo in iudicio, ob cauillos eorum: commotionem à fundamentis, quia solent abuti auctoritate, vel suprema sua, vel inferiores videri volunt quæ faciunt, hac freti facere: desolationem vsque ad supremum, vt puniantur absque consolatione: gemitum loco voluptatum ac deliciarum: memoriam eorum pereuntem, quia bonorum obliuio erat apud ipsos.

Erunt decidentes sine honore.] Græcè (*ἔσονται εἰς πτῶμα ἄτιμοι.*) Vatablus (*turpiter corruent*) Iansenius (*erunt in ruinam ingloriam, aut in vile cadauer.*) Pro turpi ruina interitúque Cantacuzenus declarat. Casum damnationis in manus dæmonum Lyranus: sine obsequio Angelorum, Hugo: in inferno, Carthusianus (licèt forsan alioquin eorũ honorifica sit sepultura:) Bonauentura, & glossa interlinearis, instar olerum, herbarum, quæ citò decidunt, exponunt. Græca vox πτῶμα *casum* significat, & *lapsum, rem quæ cadit*, peculiariter quod à cadendo Latinè dicitur *cadauer*; & per metaphoram *delictum*, & *erratum*. Crebrior in Scripturis acceptio pro *cadauere*, vt ibi; *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ* [b]: quod vertit quidẽ Ambrosius [c] *ruinam*; quo item pacto Interpres quodam Psalmo [d]. Eadem parœmia est in libro Iob [e]: *Vbicumque cadauer fuerit, statim adest aquila.* Marcus [f] quoque sublatum occisi Ioannis corpus appellat πτῶμα, siue Latinus Interpres; denique iacentia corpora quæ vidit Ioannes [g], πτώματα sunt. Adhuc viuentem hominem improbum Nazianzenus [h], & Chrysologus [i] vocant cadauer, seu hominis sepulchrum, & vbi in homine non homo cernatur, sed cadauer.

b Matth.24.28. c in Psal.48. d Psa.109.6. e c.39.30. f c.6.29. g Apo.11.8. h orat.de seipso. i ser.129.

In contumelia inter mortuos in perpetuum.] Lucifer [k] (*in contumelia mortis in perpetuo.*) Græcè (*εἰς ὕβριν ἐν νεκροῖς δι' αἰῶνος.*) Non video quo pacto quidam [l] Græca εἰς ὕβριν explicet in faustum (fastum fortassis dicere voluit) in superbiam, in licentiam, in incuriam (iniuriam scribi debet) in delicias prænimias, licentiosas, & insolentes: his autem verissimam ironiam perspicuè contineri, quasi verò ibi cessura sint illis omnia ad libidinem, &c. Simplex, nõ ironica oratio est: nec ὕβρις delicias denotat, etiamsi has improbi compararent sibi cum aliorum iniuria. De æternitate pœnarum in inferno ille idem satis commode hîc disserit; nos alibi.

k 1.pro Atha. l Ceruantes.

Disrumpet illos inflatos sine voce.] Græcè (*ἀφώνους πρηνεῖς, mutos, & pronos.*) Exponit Iansenius præ rubore ac timore vultu in terram demisso loqui non ausuros, sicut ille ex Euangelio qui obmutuit [m]: Interpretem ob verbum ῥήξει, *rumpet*, putasse πρηνεῖς a πρήθω significare *inflammatos*, nempe præ verecundia, licèt Latini codices passim habeant *inflatos*, & ita credendum sit ab eo positum. Lucifer [a] sanè legit hoc eodem modo, nisi quòd ordinem mutetur (*sine voce inflatos.*) πρήθω non id significat, quod ait Iansenius, sed πρήθω, quod est præterea *inflammo*, non solùm *inflo*. Iudas medius crepuisse scribitur, qui antea distentus, ac inflatus admodum erat, vt docuimus ad caput primum Actuum [b], vbi est πρηνὴς γενόμενος. Voluit ergo forsitan auctor alludere ad infame mortis genus, cùm franguntur ceruices, & suffocatione ac strangulatione vox impeditur: atque denotare futurum, vt ne mutire quidem improbi audeant, quamlibet ira inflati inflammatíve sint. Pronitas illa quoque, vt inquit Cantacuzenus, importat adeò grauem ruinam, vt surgere non liceat. In nonnullis libris duplex in vno nomine error est; ἀφρόνες: ἀφώνες enim dici debet, & illo alio retento, non ἀφρόνες, sed ἄφρονας. Vatablus non satis aptè ῥήξει reddidit, *conquassabit.*

m Matth.22.12. a pro Atha. b vers.18.

Commouebit illos à fundamentis.] Similis in Iob [c] locutio; *Fluuius subuertit fundamentum eorum, qui dicebant Deo: Recede à nobis*, &c. id est, fluxu ipso temporis præcipitantis ad mortem impiorũ commoda omnia diffluunt, vel ira Dei destruuntur, dissipantis cuncta opera manuũ ipsorum [d]. Euersio à fundamentis denotat subitam & integram ruinam, vt accidit statuę Nabuchodonosor [e] percussæ in extremis, & à fundamentis pedum. Facilis euersio domus in arena fundatæ [f].

c c.22.16.17. d Eccle.5.6. e Dan.2.34.35. f Matt.7.24.

Vsque ad supremum.] Magna vastitas est ista, qualis Tyri, vt radatur puluis ex ea [g]. Cùm homo diruit, incipit à tecto, aliísque partibus superioribus; *exinanite*, ait Propheta, *exinanite vsque ad fundamentum in ea* [h]. Terræ motu concutiuntur fundamenta, quibuscum reliqua decidit moles.

g Ezech.26.4. h Psal.136.7.

Desolabuntur.] Lucifer [i] (*deserentur.*) Græcè (*χερσωθήσονται.*)

i supra.

Erunt gementes.] Græcè (*ἔσονται ἐν ὀδύνῃ, erunt in dolore*) quo modo etiã Lucifer. Ὀδύνη est acerbior dolor lacrymas elicere & gemitum valens, seu ærumna & ægritudo laboriosior, ac veluti parturientium.

Vers. 20.] Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum.

TAntæ illæ pœnæ cogent quidem impios cogitationem suscipere de peccatis, verùm sine fructu id erit: discruciabit illos ipsamet conscientia: occurrent animo quas intulerunt multis iniuriæ, indéque conuincetur amentia ipsorum, & crudeliùs exagitabũtur: horror occupabit eos atque trepidatio perpetua. De Iudæis hæc, vt & superiora, satis commodè Cantacuzenus exponit.

In cogitatione.] Græcè (*ἐν συλλογισμῷ, in ratiocinatione, & supputatione.*) Venient, accedent, prodibunt ad rationes reddendas: reputabunt secum quid respondeant, &c. *Angustia vallabit impium, sicut Regem qui præparatur ad prælium: sonitus terroris in auribus impij* [k]. De Regibus ac Iudicibus loquitur liber noster pręcipuè: Reges autem atque Tyrannos Cicero [l] scribit, qui aliis legibus, & iudiciis non tenentur, naturæ tamen lege, & conscientiæ iudicio vexari & torqueri. Verum illud Senecæ [m]: [Dat pœnas quisquis expectat, perpetua malam conscientiam sollicitudo vrget, ac verberat: proprium nocentium trepidare: in locum pœnitentiæ timor cedit.] Lucifer [n] sic (*venient in cognitionem.*)

k Iob.15.21.24. l 1 & 2 de finib. & orat. pro Roscio. m epist.97. & 105. n 1.pro Athanasio.

A *Traducent.*] Græcè (ἐλέγξει, *conuincent, coarguent, palam declarabunt, & ante omnium oculos proponent.*) Lege caput secundum [a]. Minùs aptè Carthusianus scorsum ducere, & abducere se à societate Sanctorum, exposuit. Lucifer [b] (*transducent.*) Eo loco exposui *traductionem*, & *traducere* iuxta propriã notionem, de qua Laurẽtius Ramirez [c] accuratè, meritò commendans Interpretem Matthæi [d], reddentem παραδειγματίσαι, *traducere*: cùm etiam ibidem velle occultè, λάθρα, dimittere, opponatur dicto verbo Græco, quo significatur publicatio ad ignominiam.

Ex aduerso.] Græcè (ἐξ ἐναντίας.) Meliùs Interpres, quàm Vatablus (*coràm.*) Dicunt namq; Græci ἐξ ἐναντίας ἵσταται, *ex aduerso stare*, quod aliter ἀντικρὺ. B Significatur ergo nĩl tũc opus fore aliena vel accusatione, vel testimonio, vt conuincantur impij; ipsamet iis eorum aduersatura flagitia. *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te* [e]: cõsciẽtia ipsa testimonium reddit, *inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Deus* [f], &c. Cogitationes autem Paulus λογισμοὺς vocat, quasi *ratiocinationes*; quibus nempe conscientia conuincit, & certa ratione concludit aduersùs malè operantem, idque signis quoque externis in die Iudicij, vt omnes intelligant.

Hæc fecisti, & tacui, ait Deus quodam [a] Psalmo, *existimasti inique, quòd ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Cuius loci consule, si ita videtur, Commentarium nostrum. Maximum discrimen inter iusti iniustique morientis, ac in extremo mortis illo discrimine versantis, ac sui rationem Deo tunc reddentis, conditionem. Memoria instum, & conscientia meritorum præteritorum lætum, ac fortem, fiduciáque sancta plenũ reddit. Exemplis id plurimis demonstrare possim. Illustria sunt Martini, & Ambrosij. Mori talibus lucrum, quia viuere Christus, Deúsque, vt Apostolus [b] longè veriùs, quàm ille dicebat, sua iactabundè canens facinora, quibus leniret mortis dolorem;

Mors [c] mihi munus erit.———

& erat

Haud alio vultu, quàm si conuiua iaceret
Inter plena meri redimitus pocula sertis, &c.

a vers. 14. — b supra. — c in Martial. de spect. epigr. 4. — d c. 5. 19. — e Iere. 2. 19. — f Rom. 2. 15. 16. — a Ps. 49. 21. — b Philip. 1. 21. — c Ouid. 9. Metamorph.

SVMMARIVM.

IMPII, quorũ extremo càpite priore de suppliciis post hanc vitam nõnihil actum est, inducuntur hîc deflentes ante tribunal Dei, vel in inferno etiã ipso, infelicem statum suum comparatum cum momentanea præterita felicitate, simúlque cum sempiterna iustorum, quos antè contempserant, beatitudine. Præterea traditur quantopere Deus, & per seipsum, & per creaturas in impios sub id tempus animaduersurus sit.

CAPVT V.

1 TVnc stabunt iusti in magna constã-
tia aduersus eos qui se angustiaue-
runt, & qui abstulerunt labores eorum.
2 Videntes turbabuntur timore horri-
bili, & mirabuntur in subitatione inspe-
ratæ salutis:
3 Dicentes intra se, pœnitentiam agen-
tes, & præ angustia spiritus gementes: Hi
sunt quos habuimus aliquando in deri-
sum, & in similitudinem improperij.
4 Nos insensati vitam illorum æstima-
bamus insaniam, & finem illorum sine ho- D
nore:
5 Ecce quomodo computati sunt in-
ter filios Dei, & inter sanctos sors illorum
est.
6 Ergo errauimus à via veritatis, & iu-
stitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelli-
gentiæ non est ortus nobis:
7 Lassati sumus in via iniquitatis & per-
ditionis, & ambulauimus vias difficiles, E
viam autem Domini ignorauimus.
8 Quid nobis profuit superbia? aut di-
uitiarum iactantia quid contulit nobis?
9 Transierunt omnia illa tamquã vm-
bra, & tamquam nuncius percurrens:

C 10 Et tamquam nauis, quæ pertransit
fluctuantem aquam: cuius, cùm præterierit,
non est vestigium inuenire, neque semitam
carinæ illius in fluctibus:
11 Aut tamquam auis, quæ transuolat
in aëre, cuius nullum inuenitur argumentũ
itineris, sed tantùm sonitus alarum verbe-
rans leuem ventum, & scindens per vim
itineris aërem: commotis alis transuolauit,
& post hoc nullum signum inuenitur iti-
neris illius:
12 Aut tamquam sagitta emissa in lo-
cum destinatum, diuisus aër continuo in
se reclusus est, vt ignoretur transitus illius:
13 Sic & nos nati continuò desiuimus
esse: & virtutis quidem nullum signum va-
luimus ostendere: in malignitate autem
nostra consumpti sumus.
14 Talia dixerunt in inferno hi, qui
peccauerunt:
15 Quoniam spes impij tamquam la-
nugo est, quæ à vento tollitur: & tamquam
spuma gracilis, quæ à procella dispergitur:
& tamquam fumus, qui à vento diffusus est:
& tamquam memoria hospitis vnius diei
prætereuntis.

16 Iuſti autem in perpetuum viuent,& apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum.

17 Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini: quoniam dextera ſua teget eos,& brachio ſancto ſuo defendet illos.

18 Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.

19 Induet pro thorace iuſtitiam,& accipiet pro galea iudicium certum.

20 Sumet ſcutum inexpugnabile ęquitatem:

21 Acuet autem duram iram in lanceam,& pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.

22 Ibunt directè emiſſiones fulgurum, & tamquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum inſilient.

23 Et à petroſa ira plenæ mittentur grandines,excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.

24 Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tamquam turbo venti diuidet illos: & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet ſedes potentium.

*Verſ.*1.] Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum.

IN Iudicio iuſtus erecto animo,& cõfidẽti aduersùs eos inſurget,à quibus incommodis & contumeliis affectus eſt, atque labore partis rebus expoliatus. Pergit porrò Cantacuzenus hæc interpretari de Chriſto, qui Iudex venturus ſit contra Iudæos crucifixores ſuos, alióſque qui alia quacumque ratione viuifica ipſius eloquia repudiauerint. Fauet quoquo modo ſingularis numerus in textu Græco (*τότε στήσεται ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ ὁ δίκαιος*:) & quoniam Chriſto iuſti epithetum peculiariter conuenit,vt & nos alibi[a] docuimus.Nec obeſſet *ſtandi* verbum ſedi ac tribunali Iudicis; quoniam ſtare ſumitur non rarò non pro poſitione ſitúve, ſed pro eo quod eſt alacriter, ſtrenuè, fortiter, quidpiam facere,vt eſt quoque notatum [b]. Non eſt recedendum tamen à communi ſententia de quouis iuſto, qui confidenter in Iudicio tutus ac ſecurus ſtabit, ſuíſque etiã aduerſariis quodãmodo inſultabit,cóſque iudicabit ac cõdemnabit,vel ſententiam ferendo,vel approbando latã, vel per quandã comparationem.Hunc Interpres innuere ſenſum volens,numerum pluralem expreſſit.

[a Act.3.14. 7.52.]
[b ibid. c.1.15. & c. 2. 14. & c.5.20.]

Stabunt.]Iam dixi quid valeat hoc verbum, & quare plurali numero ponatur,cũ Gręce ſit in ſingulari.Eſt nempe ſynedoche, vt ibi Græcè, *qui* [c] *tollit peccatum mundi*, & alibi ſæpe. Citant eodem pacto Cyprianus [d],Lucifer [e],Auguſtinus [f], Paulinus [g], intelligentes de Iudicio. Impij illo modo quia non ſtabunt, dicitur quòd non reſurgent [a], לֹא יָקֻמוּ *lo iakumu*.Significat autem id verbum *conſiſtere* ac *ſtare*: nec enim leuabunt caput, non ſe erigent, ſed veluti pondere peccatorum iacebunt oppreſſi.

[c Ioan.1.29.]
[d ad Demetrianũ, & de exhort. Martyr.c.12. & 3. ad Quirin. c. 16.]
[e pro Atha.]
[f ep.50.c.1.& 2.cõtra Gaudẽt c.36 &37.]
[g ep.27.]
[a Pſ.1.5.]

Iuſti.] Abutentibus Donatiſtis loco iſto, cùm interficerentur à Catholicis, reſpondet Auguſtinus [b], de ipſis qui iuſti non eſſent,non intelligi: quemadmodum nec beati quicumque perſecutionem patiuntur, ſed qui propter iuſtitiam [c]. [Abſit,abſit,inquit,vt ſtent cum magna conſtantia,cùm ſtabunt cum tam mala conſcientia.]

[b 2.contra Gaud.c.37.]
[c Mat.5.10.]

In magna conſtantia.] Græcè (*ἐν πολλῇ*, *in multa.*) Sed frequenter commutantur continua diſcretáque quantitas.De voce *παῤῥησίας* lege aliàs [d] dicta.Antitheſis eſt ad impios,quos prędixit auctor in fine præcedentis capitis vẽturos in cogitatione peccatorũ ſuorum timidos.Confidentiam atque ſecuritatem iuſto pariet iuſtitia cauſæ:parata probatio: aduocatus Chriſtus, Spiritus ſanctus, Beata Virgo:aduerſatiorum impotentia: amicitia,affinitáſque cum Iudice:beneuolentia aſſeſſorum Apoſtolorum:familiaritas cum Angelis Iudicis officialibus. De his Bonauentura, confirmans per Scripturarum teſtimonia,quæ tu ſimilibus illuſtrare poteris.

[d Act.4.13.]

Aduersùs eos qui ſe anguſtiauerunt.] Græcè (*κατὰ πρόσωπον τῶν θλιψάντων αὐτόν.*) Vatablus(*coram oppreſſoribus ſuis*) ita vt non ſit aliquid contra iſtos, ſed conſtantia, fiduciáque iuſtorum coram iſtis, quando hi toti contremiſcent. Nihilominus *κατὰ πρόσωπον ἵστασθαι* aliquãdo eſt *in faciem,in os*, denique *ſtare contrà*, & *aduersùs*:& ipſummet ſtare corã aduerſario in magna conſtantia, eſt veluti cõtra illũ ſtare aduerſando. *Κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην*, ait Paulus [e] de Petro, *in faciem ei reſtiti.* Tale illud in libro Iob [f]: *Videbunt iuſti, & lætabuntur, & innocens ſubſannabit eos.* Vbi Gregorius explicat de tempore Iudicij:quamuis negari non poſſit,& hîc nonnunquam lætari iuſtum de vindicta impij [g].Sed omiſſa tum hac vita,tum lætitia,de qua priùs egi nonnihil,ſubſannatio,& quam Septuaginta priore membro citati loci Iob vocant riſum, iuſtis congruit,non tam cogendo, quàm facto ipſo declarando dignos eſſe improbos riſu & ſannis,vtpote qui adeò riſerint & ſubsãnauerint hîc adhuc degentes iuſtos. Nil quoque vetat,ſi exprobient cũ quodam tamẽ decoro,verbis,geſtúque corporis improbis iuſti,eo ferè modo, quo etiã oratione ſententiam ipſam Chriſti pronũciabunt,& cõfirmabunt contra illos.Ferunt [h] Robertum Francorum Regem piiſſimum compoſitorem aliquot antiphonarum Eccleſiaſticarum,vt importunitati vxoris Conſtantiæ ſatisfaceret, quæ de ſe ipſa quiddam ab eo componi flagitabat, illãm compoſuiſſe, quæ ſic inchoat; *O conſtantia Martyrum*, &c. alludendo ſine dubio ad præſentem locum: qui quamuis cæteris etiam iuſtis conueniat, maximè tamen Martyribus.

[e Gal.2.11.]
[f c.22.19.]
[g Pſ. 57. 18. Thren.1.21.]
[h Olcot lect. 57.& alij.]

Et qui abſtulerunt labores eorum.] Græcè (*καὶ τῶν ἀθετούντων τοὺς πόνους αὐτοῦ*, *qui depoſuerunt, irritauerunt, ſpreuerunt, irritos & inanes cenſuerunt:*) imò & quod ipſis fuit, in nihilum redegerunt, ſine opera ex virtute peracta intelligas, ſine res, ac bona, quæ ſibi labore pepererant. Agitur enim de Iudicibus iniquis, & Principibus expilatoribus iuſtorum. In quibuſdam Cypriani codicibus [i] vno in loco [k] profertur citatus hic locus cum verbo (*diripuerunt*) pro (*abſtulerunt.*) Plura ſuppetunt exempla, in quibus *ἀθετεῖν* Interpres reddit *ſpernere* [l],vel *abiicere* [m],vel *reprobare* [n].

[i impreſſis Antuerpiæ ann. 1541. apud Ioannem Crinitum.]
[k 3. ad Quirin.n.16.]
[l Ioan 12.48. Luc.10.16.]
[m Gal.2.21.]
[n Pſ.32.10.]

De

De vtrisque laboribus tum corporalibus, tum spiritualibus, & de expoliatione facultatum Bonauentura, Carthusianus, & Lyranus explicant, iuxta illud [a]; *labores populorum possederunt*: rapinam enim bonorum suorum iusti cum gaudio suscipiunt [b]. De bonis temporalibus Augustinus [c] disertè accipit. Nimis argutus Hugo, ablatos labores explicando per mortem illatam iustis; quòd eo compendio liberauerint hi illos ab omnibus pœnis miseriísque, licèt præter voluntatem. Vt de Martyribus hæc intelligantur, pro vt cum Ecclesia possumus accommodatè, non est ille sensus admodum necessarius, aut verosimilis. Exactior quoque videri potest, qui sexdecim modis idem verbum interpretatur [d], cùm aut synonymi sint, aut ad multo pauciores faciliùs reuocari possint. Qua in re sæpe ad nauseam nimius est.

a Psal.104.44.
b Hebr.10.34.
c epist.50.
d Coruantes.

Vers.2.] Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.

ADeò magna iustorum in Iudicio constantia ab improbis conspecta illos vehementi cópleb t horrore, ingentique panore concutiet, & præ stupore alienabit a mente, considerantes quam contra suam opinionem euaserint iusti gloriosi, & ad quam excelsum dignitatis gradum euecti, & quam lætam consecuti salutem.

Videntes.] Cantacuzenus legit (*αὐτὸν*, *eum*) & Christum intelligit: nos, si recipiamus illud pronomen, iustum quemcunque. Visus autem sensu potest intelligi quiuis alius, vt auditus, quod attinet ad rem præsentem, necnon mentis intelligentia, siue cognitio, & consideratio. Videbunt oculis maiestatem Iudicis, & beatorum gloriam, deformes suorummet corporum effigies, & turpissimas à dæmonibus assumptas formas. Confer hæc tu cum visis, quibus etiam viri sancti adeò terrefacti sunt, Daniel, Ioannes, &c. Visio hæc penitùs infelix, inuidia ex visione maior consurgens. At iustos miserum spectaculum damnatorum recreabit & exhilarabit. [Spectabitur illic tortor, ait Cyprianus [e], à Martyribus semper, qui Martyres in suppliciis spectauit ad tempus.]

e ad Demetrianum.

Timore horribili.] Græcè (*φόβῳ δεινῷ, timore graui, acri, summo:*) *δεινὸν* enim dicitur id quod est in quouis rerum genere summum; vnde *ἡ λόγων δεινότης, summa in dicendo vis, facultásque, δεινὸς πράγμασι χρῆσθαι, in rebus gerendis acerrimus*, & similia. Maximus verò timor habetur, ex quo sequitur horror. Rectè igitur *horribilem* vertit Interpres.

Mirabuntur.] Græcè (*ἐκστήσονται, stupescent, de statu mentis deiicientur, patientur extasin.*) *Ego* [f] *dixi in excessu meo, omnis homo mendax: ἐν ἐκστάσει, in stupore, & pauore, & perturbatione mentis*, dum cernerem vndique mihi persecutionem imminere, reputabam fallax humanum auxilium, &c.

f Psal.115.11.

In subitatione insperatæ salutis.] Græcè (*ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας, in paradoxo, & inopinatione salutis, in minimè opinata, vel sperata, in admiranda, quæque præter opinionem acciderit, salute*) id est, propter talem salutem, quá sint adepti iusti, & impij amiserint. Cantacuzenus hoc admittit, illud negat. Sed nihil impedit vtrumque recipere. Alij, vt glossa interlinearis, Hugo, Bonauentura, Carthusianus, explicant subitationem insperatæ salutis, quòd subitò, ex improuiso, repente (*quoniam dies Domini sicut fur* [a], *& venit in hora, qua* malus seruus *non sperat* [b]) tantam consequantur salutem, & gloriam iusti, quam nunquam sperauerant, id est, existimauerant illos improbi consecuturos.

a 1.Thes.5.2. 2.Pet 3.10. Apo.3.3.c.16.15.
b Luc.12.46

Magni, & improuisi casus propemodum exanimant, seu tristes, seu læti. Sanato paralytico, *stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum; & repleti sunt timore, dicentes; quia vidimus mirabilia hodie* [c]: *καὶ ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας, καὶ ἐπλήσθησαν φόβου, λέγοντες, ὅτι εἴδομεν παράδοξα σήμερον.* Ibi est pro *stupore* *ἔκστασις*, & *παράδοξα* pro *mirabilia*, quæ & incredibilia dici solent, nimirum difficilia creditu præ magnitudine, & humanam fidem superantia, atque illorum qui vident, scientiam & expectationem. *Opus fiet*, ait Abacuc [d], *in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur.* Quis Aman occupauit stupor super Mardochæo tantis honoribus affecto [e]? Quæ mixta lætitiæ admiratio Iacob corripuit super nuncio de superstite filio Ioseph, dominantéque in omni terra Ægypti [f]? Fratres verò cùm illum conspexissent, *non poterant respondere nimio terrore perterriti* [g]. Nulla calamitosior conditio quàm vilis ex alta: nihil adeò vrit animum inimici, quàm si ex humili euehi cernat inimicum in altam, se deprimi ex hac in illam. Exemplis historiæ plenæ. Omnis in iudicio priùs humiliatus exaltabitur, exaltatus humiliabitur [h]: potentes deponentur de sede, exaltabuntur humiles [i]. Lege quam narrat B. Antoninus [k] historiam Principis superbissimi, cuius Angelus induens formam, vestésque relictas in balneo, ei fastum magna cum irrisione exprobrauit. Petrus [l] Damianus refert superbum Clericum negantem esse veram sententiam (*omnis qui se humiliat, exaltabitur*) ense fulgureo transfixum.

c Luc.5.26.
d c.1.5.
e Esther 6.
f Gene.45.26.27.
g vers.3.
h Luc.14.10.11.
i Luc.1.52.
k 3.p. summæ Theol. tit.3.c.2 fol.136.col.4.
l ep.14.c.6.

Vers. 3.] Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij.

STupor ille has ab impiis expressit voces, pœnitudinis inanis indices, ac infiniti angoris, cum lacrymis, & gemitu. Istine verò illi ludibrio quondam à nobis habiti, quorum vel nomen crebrò ad exemplum contumeliæ vsurpabamus, ridentes, iocantes, subsannantes tantam innocentiam vitæ ipsorum, aspernationem facultatum, deliciarum, honorum, probris, & iniuriosis verbis afficientes? Quo pacto sic à Iudæis Christus tractatus fuerit, demonstrat Cantacuzenus; de Martyribus alij.

Dicentes intra se.] Græcè (*καὶ ἐροῦσιν ἐν ἑαυτοῖς, & dicent*, &c.) In codicibus Latinis Complutensibus, & Regiis post vltima prioris versus verba legitur (*gementes præ angustia spiritus.*) In Græcis nil tale cernitur, quamuis eam sectionem omnes Enarratores sequantur. Cyprianus [m] legit (*inter se*) & Gaudentius Donatista [n]: & meminit glossa interlin. (*dicent inter se impij colloquentes: intra se in animo secum reputantes*; vel *intra se pœnitentiam agentes*) Lucifer [o] (*dicent inter se.*) Tamen *ἐν ἑαυτοῖς* magis sonat, *intra se*. Sed non inuerisimile, palàm publicéque compellendos impios hoc edere de iustorum innocentia, & gloria testimonium:

m citatis locis.
n apud Aug. 1.cont. Gau. c.36.
o libr. 1 pro Athanasio.

monium: ita vt diserta externa oratione dicant hæc seu inter se, seu intra se, id est, intra cœtum suum, quamuis audientibus quoque iustis.

Pœnitentiam agentes.] Lucifer [a] (*pœnitentiam habentes.*) Nimis serò: *in inferno enim quis confitebitur tibi* [b]? Talis Antiochi pœnitentia [c], & Esau [d], & Iudæ [e], & diuitis [f], & Cain [g], & reproborum, qui mori quidem vellent morte iustorum [h], sed eorũ viuere vitam nolunt; vt indicat Gregorius [i]. Sera veritatis agnitio, inquit Cyprianus [k]: alieno tempore missa suspiria, vt indicat Basilius [l]. Non est, nec esse potest in damnatis vera pœnitentia, vllúsve veræ virtutis actus, vndecumque id tãdem oriatur. Saltem affirmari potest, cõstituisse Deum non concurrere ad huiusmodi actum. Sulpitius [m] narrat B. Martinum diabolo promisisse verè confisum in Domino, si ab hominum insectatione desisteret, & ipsum factorum suorum vel nunc pœniteret, Christi misericordiam. Vnde error Origenis, quòd aliquando dæmones, & alios damnatos pœnitebit.

Præ angustia spiritus gementes.] Id solet esse nobis gemitus causa, inquit Cantacuzenus, atque suspirij, spiritus angustia, respirandíque difficultas. Cùm enim præcordia dolore comprimuntur, & maior spiritus vis intercipitur; simul verò deinde totus erumpere conatur, in gemitum suspiriúmque conuertitur. Aliquando legit Cyprianus [n] (*per angustiam*) & Gaudentius Donatista apud Augustinum [o], & Lucifer [p]. Græcè est (διὰ στενοχωρίαν πνεύματος) quod etiam bene redditur (*præ angustia spiritus.*) Huc etiam referri potest quod Esaias prędicit [q]; *vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis.* Dolor parturiẽtis grauissimus: illa spiritu interclusõ gemit. Hinc Apostolus [r], οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ φύσις συστενάζει (hoc loco est simplex στενάζοντας, *gement*, & in emẽdatione Lxx. στενάζοντες) καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν, *scimus enim quòd omnis creatura (natura) ingemiscit (congemiscit) & parturit (comparturit) vsque adhuc.* Verum fletum lacrymásque, non tantùm gemitum ac suspiria in damnatis post resurrectionem fore credo: Christus namque dicit; *ibi erit fletus* [s]: ex quo etiam Hieronymus [t] ipsam resurrectionem confirmat. Nec verendum ne siccetur lacrymarum fons, ne nimis plorando perdant oculos, vitámve damnati.

Hi sunt quos, &c.] Græcè (καὶ ἐροῦσιν, *& dicent*, οὗτος ἦν, *hic erat.*) Sed apud Græcos huius verbi tempus imperfectum non rarò pro præsenti sumitur.

In derisum.] Græcè (εἰς γέλωτα.) Nonnulli codices Cypriani (*in risu*) necnon aliqui Bibliorum manuscripti, & Lucifer [u].

In similitudinem improperij.] Græcè (εἰς παραβολὴν ὀνειδισμοῦ.) Eandem vocem παραβολῆς Interpres sæpe retinet, ponens *parabolam*, aliquando reddit *similitudinem*, interdum *prouerbium*. *Posuit me quasi in prouerbium vulgi*, ait Iob [x], *& exemplum sum coram eis*: &; *Nunc* [y] *in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in prouerbium*; & Dauid [z], *factus sum eis in parabolam*; & Ezechiel [a], *omnis qui dicit vulgò prouerbium, in te assumet istud, dicens: Sicut mater, ita & filia eius: mater vestra Cethæa*, &c. & in Deuteronom. [b] *eris perditus in prouerbium, & in fabulam cunctis populis.* Significant hæc omnia ludibrio haberi, probris, dicteriis, improperiis configi. Eodem spectant verba Ieremiæ [c], *erit Moab in derisum, & in exemplum omnibus.* Canticum quoque, de quo Iob loquentem audiuimus [d], & vocatur à Lxx. citharæ; vel is, de quo rursum Ieremias [e], psalmus, *ego sũ psalmus eorum*, denotant cantilenas ad instrumentum quoque musicũ decantatas ridiculè: & Paulus Iurisconsultus [a] inter iniurias facit mentionẽ psalterij, quod, inquit, vulgò sic dicatur, sitque canticum in alterius infamiam compositum, & publicè cantatum. In priore prætereà loco Iob [b] per *exemplum*, Hebraicè *topheth*, quasi *toph*, intelligunt aliqui tympanum, ad cuius pulsum talia carmina dicerentur; & Gregorius [c] existimauit, *parabolam* aliquando vsurpari pro musico instrumento. Eodem referri prætereà possit illud, *in me psallebant, qui bibebant vinum* [d].

In his nominibus, εἰς παραβολὴν ὀνειδισμοῦ, maximè si & priora coniungamus, εἰς γέλωτα, omnia illa quæ dixi genera iniuriarum continentur. Cõplexus est adhuc Dauid simul multa [e]: *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his qui in circuitu nostro sunt. Posuisti nos in similitudinem Gentibus, commotionem capitis in populis*, ὄνειδος, μυκτηρισμὸν, χλευασμὸν, παραβολὴν, κίνησιν κεφαλῆς. Verumtamen *illusores ipse* (Deus) *illudet* [f]; *parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus* [g]. Hanc sententiam Valerianus Cæciliæ sponsus, Almachio præfecto respondens constanter, vsurpauit.

Vers. 4.] Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.

Serò sapiunt, si tamen sapientia habere locum in damnatis potest, quòd se insipientes agnoscunt, quámque grauiter antea falsi sint, profitentur, dum sapiẽtes pro insanis, pro infamibus maximo dignos honore duxerunt. *Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi* [h]: Christum irriserunt Pharisæi, diuites auari disputantem de diuitiarum contemptu [i]: Herodes cum exercitu iam reũ factum [k], & Principes crucifixum [l]: milites offerentes acetum [m]: vulgares homines, quando suscitandam mortuam dicebat dormire, non esse mortuam [n]. Tales Christi Discipuli, stulti videlicet, vt ait Paulus [o] (qui ipse insanus vocatus [p] est; iterum Christus in furorem actus creditus [q], & Gentibus stultitia [r]) habiti propter illum, irrisi sunt, & habiti ebrij, quando receperunt Spiritum sanctum [s]. Tritum illud Senecæ: [Nondum felix es, si non te turba irriserit.] Videbunt in Iudicio impij, *quem pupugerunt, plangéntque se super eum* [t], κόψονται, dilacerabunt se præ doloris impatientia, quódque adeò se desipuisse deprehenderint circa Christum, de quo pergit Cantacuzenus præsentem locum intelligere; vbi etiam est numerus singularis, τὸν βίον αὐτοῦ, *vitam illius*, &c. *Commanducabunt linguas suas præ dolore, & blasphemabunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus suis, & non agent pœnitentiam* (videlicet salutarem) *ex operibus suis* [u].

Nos insensati.] Græcè (οἱ ἄφρονες.) Cantacuzenus videtur insertas legisse dictiones priori versiculo hoc modo (οὗτος ἦν, ὃν οἱ ἄφρονες ἔσχομεν ποτὲ εἰς γέλωτα, &c.) Interpres, vt vim exprimeret articuli, proprietatémque Latini sermonis, suppleuit pronomen (*nos.*)

Vitam illorum.] Græcè (βίον αὐτοῦ, *vitam illius*:) & sumitur vita pro viuendi ratione, atque instituto, vt aliàs [x] notauimus.

Insaniã.] Græcè (μανίαν.) Existimatus est Christus

a ibid. b Psal. 6. 6. c 2. Mach. 9. d Gene. 27. 38. Heb. 12. 17. e Matt. 27. 3. f Luc. 16. 23. & seq. g Gen. 4. 13. h Num. 23. 10. i 33. moral. c. 27. k ad Demetrianum. l reg. 261. ex breuiorib. m in vita, c. 24. n 3. ad Quirinum, c. 16. o lib. 1. cont. Gauden. c. 36. p suprà. q c. 65. 14. r Rom. 8. 22. s Mat. 8. 12. c. 13. 42. 50. c. 22. 13. c. 24. 51. c. 25. 30. Luc. 13. 28. t in c. 8. Mat. u libr. 1. pro Athana. x c. 17. 6. y c. 30. 9. z Ps. 68. 12. a c. 16. 44. b c. 28. 37. c c. 48. 39. d c. 30. 9. e Thre. 3. 63.

a lib. 5. senten. tit. 4. de iniuriis. b c. 17. 6. c in c. 17. Iob in prin. d Ps. 68. 13. e Ps. 43. 14. 15. f Prou. 3. 34. g Pro. 19. 29. h 1. Cor. 2. 20. i Luc. 16. 14. 15. k Luc. 23. 11. l ibid. 35. m ibid. 36. n Mat. 9. 24. 25. Mar. 5. 39. 40. Luc. 8. 53. 55. o 1. Cor. 4. 10. p Actuum 26. 24. q Marci 3. 21. r 1. Cor. 1. 23. s Act. 2. 13. t Apoc. 1. 7. u Apoca. 16. 10. 11. x Act. 5. 20.

stus

stus furiosus *, Paulus insanus [a], & nuncius Elisæi [b], & stultus Propheta, atque insanus vir spiritualis [c], & ebrij Apostoli [d], qua de re diximus in eorum historia [e].

Et finem illorum sine honore.] Non sunt in hoc ἄφρονες: rectè inferunt, sed ex antecedente falso. Insaniæ finis cõuenit sine honore: sed nõ sunt insani iusti, nisi eorũ qui tales sunt iudicio. Imò studiosè aliquando volũt insani videri, & stulti fieri, vt sint sapiẽtes in Christo [f]. Talis Simõ Salius, & alij. Habentur iusti vt purgamenta, & peripsema mũdi [g], vt portentum [h], vt prodigium [i], quæ nõ tam ridentur, quàm cum contemptu, horrore, & execratione proiiciũtur. Qui Eliam ridẽdo iustum & hominem Dei vocabant, igne cõsumpti sunt [k]: qui Elisæum caluum, ab vrsis discerpti [l]: quæ duo exempla Chrysostomus [m] contra virginitatis, & religiosæ vitæ irrisores vnà cum præsenti testimonio profert.

* Mar. 3. 21. a Act. 26. 24. b 4. Reg. 9. 11. c Oseæ 9. 7. d Act. 2. 13. e ibid. f 1. Cor. 3. 18. c. 4. 10. g 1. Cor. 4. 13. h Ezech. 12. 6. c. 24. 24. 27. i Psal. 70. 7. k 4. Reg. 1. 9. & seq. l infrà 2. 23. 24. m de virginitate c. 23.

Vers. 5.] Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

NOn rident ampliùs iustũ, quasi se nominantem filium Dei [n], nec falsum putãt iudicium eius, cùm illos nugaces æstimaret [o]: cognoscunt rei vtriusque veritatem, & sermones illius veros fuisse [p]. *Nimis honorati sunt amici Dei* [q]; & ministrãtes Christo Pater honorificat [r]. Non potest Dei filius, Filij Dei, qui est Verbum & Sapientia, frater, insanus esse: sine honore finis esse nequit eius, qui sortem habeat inter sanctos, beatósque. De dignitate filiationis diuinæ per gratiam & adoptionem egimus in Commentario Epistolæ primæ Ioannis [s].

Ecce quomodo.] Græcè deest (*ecce*) nec legit Cyprianus [t], vel Augustinus [u], vel Lucifer [x]: & primus nonnũquam subiicit particulam *ergo* (*quomodo ergo.*) Maiorem emphasim continet particula *ecce*, indicans admirationem atque stuporem, & rei nouitatem. Hugo meminit lectionis (*quomodo ergo*) sed nostram præfert (*ecce quomodo.*)

Computati sunt.] Græcè (κατελογίσθη) in singulari. Non denotatur isto verbo habitos iustos in pretio, &, vt vulgus loquitur, sub computo, siue computatione, vt placet Olcot [y]; sed æstimatos, & iudicatos.

Sors illorum est.] Nec illud placet obseruatum ab eodem [z], impios istos & in hoc prodere fatuitatem suam, quòd statũ beatitudinis nõ meritis tribuant, sed sorti. Nõ enim cadet in damnatos tãta stultitia, vel ignorantia, cùm bona pœnæ pars sit intelligere damnari se propter demerita, cæteros adeptos beatitudinem propter merita, quod ipsimet potuissent, si voluissent. Cur tamẽ meritis acquisita beatitudo dicatur sors, antea declarauimus [a]. Sors videbitur quodammodo, vt vnus assumatur, alter relinquatur [b], vt è complexu quodammodo & gremio suo videbunt impij iustos statui à dextris inter oues, se inter hœdos à sinistris [c]; illos velut ad mensam regiam acciri, se ad crucem tradi, vt accidit seruis Pharaonis [d]. Paucitas electorum sortis quoque meretur nomen. *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo* [e]: quippe *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum* [f]; quo autem venalis rei caritas maior, eo maius pretiũ; & *probatio fidei iustorum multo pretiosior auro, quod*

n c. 2. 13. 16. o ibid. 16. p ibid. 7. q Psal. 138. 17. r Ioan. 12. 26. s c. 3. 1. t citatis locis. u con. Gauden. c. 16. x 1. pro Athanasio. y lect. 59. z ibid. a c. 3. 14. b Matth. 24. 40. 41. c infrà 5. 33. d Gen. 40. 19. c. 41. 13. e Esa. 13. 12. f Psal. 115. 15.

A

per ignem probatur, inuenietur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi [a]. Quidni? redemit enim nos *non corruptibilibus auro, vel argento, sed pretioso sanguine* [b]. De quo loco nostrum Commentarium, qui volet, consulat.

a 1. Pet. 1. 7. b ibid. 18. 19.

Vers. 6.] Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.

BOna & vera, sed inutilis illatio. Nec diuina admittere monita sustinuerũt, nec si quid lucis intrò susceperũt, permiserunt diu cõsistere lumini rebelles [c]: & semen diuinum aut excipiẽtes tanquam in via, aut in sola terræ superficie, sub

B

qua petræ sunt, aut in spinis [d]. Omnibus insitum est studium veritatis naturalis, & nõnulla facultas percipiẽdi præcipua saltẽ practica principia: Deus deinde Pater luminum [e] communicat vberiorem cognitionem etiam de pertinentibus ad mores, quæ naturaliter omnia comparari nõ possent: tandem Sol ipse illuminare dicitur per supernaturalium rerum manifestationem. Impij aberrant è via veritatis, in qua conditi sunt: iustitiæ lumen, Sólque intelligentiæ nõ lucet, vel oritur ipsis, cùm tamen omnibus radij isti sufficienter exhibeantur; quoniam, vt dixi, rebelles sunt lumini, & illuminationi, quam non possunt non admittere, postea resistunt, atque aditum prohi-

C

bent, ne penetret efficaciter. Hũc suum impij serò cognoscent errorem, cùm Deus reuelabit pudenda ipsorum in facie eorum [f]: & oculos, quos culpa clausit, aperiet [g]: & conuertentur in ærumna sua, dum configetur non ampliùs refigenda spina [h]. *Stultus populus non cognouit, filij insipientes & vecordes fuerunt, & sapientes* duntaxat, *vt facerent mala, bene facere nescientes* [i].

Solis nomine Christum Cantacuzenus literali sensu intelligit, quoniam ipse se mundi lucem dixit [k]; & Ioannes lucem veram appellat, quæ illuminet omnem hominem [l]; & quo mulier amicta [m] fuit, nempe Mater eius. Fauent Gregorius [n] & Ambrosius [o]; & iuxta saltem mysticum

D

sensum Expositores præsentis loci, maximè Bonauentura, Hugo, & Olcot [p]: qui præterea quo pacto tropologicè nubes, terra, Luna Solis eripiant lumen; & qua ratione transeat iste Sol per duodecim signa: quod ingeniosũ potiùs est, quàm vel ita decẽs, vel etiam vtile. Mitto errorem Manichæorum, quòd esset Christus materialis hic Sol; sæpe hos refellit August. [q] etsi doceat sæpe de Christo hoc nomen dici, sicut & Eusebius [r].

Sol intelligentiæ.] Græcè (ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης) quemadmodum prioribus proximè verbis, τὸ τῆς δικαιοσύνης φῶς, *iustitiæ lumen*. Ita quidem Græcè in editione Complutensi, & Regia: sed in emenda-

E

ta solùm legimus (ὁ ἥλιος:) quo item modo Latinè Cyprianus [f], Ambrosius [t], Lucifer [u], Gregorius [x], Augustinus [y]: Gaudentius [z] verò Donatista citãs priora, & sequentia, hæc media penitùs omittit (*& Sol intelligentiæ*, vel *iustitiæ, non est ortus nobis.*) Suspicatur Iansenius ex margine nomen (*intelligentiæ*) esse redactum in textum. Expositores omnes hoc retinent, & retinendum nobis est ob auctoritatem approbationis Põtificiæ. Malachias [a] appellat Solem iustitiæ; quò forsitan alluserunt, qui hîc etiam dixerunt ἥλιον τῆς δικαιοσύνης, de Christo intelligentes. Nam & apud Malachiam

c Iob. 24. 13. d Matt. 13. 4. 5. 6. e Iacobi 1. 17. f Nahum 3. 5. g Gregor. 25. moral. c. 2. h Psal. 31. 4. i Ierem. 4. 22. k Ioan. 8. 12. c. 9. 5. l Ioann. 1. 9. m Apoc. 12. 1. n 34. moral. c. 12. aut 6. o in Psal. p lect. 60. q lege præfatum in Psal. 13. & 105. r 5. de demonstrat. c. 29. f sæpe citat. t serm. 3. in Psal. 118. & serm. 10. u pro Athan. x 34. moral. 12 vel 6. y in Psal. 57. & 104. & 143. & 148. z apud August. 1. cõtra Gaudent. c. 36. a c. 4. 2.

Christo vt Iudici tribuitur id epithetum, pro vt tempore Iudicij reddet sanctitati, quæ prius erat ignota & despecta, claritatem, atque lætitiam: ipsemet splendore collucens apparebit: *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*[a], vt ibi notat Hieronymus. Cyrillus autem Alexandrinus [b] caussam cur ita vocetur Christus, dat, quia frigore delictorum spiritus corruptos reficit ardore ad iustitiam. Affectaturum Antichristum eandem istam appellationem, docet Albertus [c]. Eusebius porrò in Euangelicis demonstrationibus [d] docet Solis appellatione tribui Christo intelligibiliter, quemadmodum & vt dicatur lux mundi [e]. Idem traditur ab Ambrosio [f], Augustino [g], Hieronymo [h], quive nomine illius nuncupatur, & aliis. Videor mihi alicubi meminisse de iis, qui per quandam allusionem soni in vocibus, Eliam nominatum dicebant quasi ἠλίαν, aut ἥλιον, hoc est, *Solem*.

a 1.Cor.4.5. b libro 4. in Ioan.c.28. c in c. 13. Apoc. vt refert Prateol. hæres.42.n.13. d lib.5.c.29. e Ioan.8.12. c.9.5.c.12.46. f ser.3. g in Ps.13.57. & 103. h in Ps.57.

Vers. 7.] Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.

QVi ignota incedit via difficilique fatigatus pericula subit, præsertim in tenebris, & in solitudine, vbi nec videre possit, ne interrogare. Admirabile, sed verissimũ paradoxũ, in voluptate, quæ sine rationis præscripto, contráque Dei legẽ percipiatur, laborem & fatigationem molestissimam inesse: in legis autẽ iugo, atque onere summam suauitatem & delicias. Propterea Christus ad se laborantes & oneratos inuitabat, & pro his laboribus oneribúsque iugum suũ suaue, ac onus leue proponebat [i]. Sine causa & vanè fortitudinem suam impij consumunt [k]: seruiunt diis alienis die ac nocte, qui non dabunt eis requiem [l]: menses vacuos habent, noctes laboriosas enumerant sibi [m]: molam circumagunt, velut Samson, ludibrio habiti [n]: plus decem vicibus mutatur eis merces, illáque fraudantur [o]: seminant, & plantant, nec inde colligunt, comedúntve fructus, vel certè non satiantur, & mercedes mittunt in sacculum pertusum [q]: per totam noctem laborantes nihil capiunt [p]: dissipantur, nec compunguntur [r]: erubescentia ipsa fructus est, sed sine fructu [s]. Probat hoc testimonio auctor operis imperfecti [t] maiores labores ac sollicitudines pati peccatores, quàm seruos Dei, & ex Psalmo 13.[u] *contritio & infelicitas in viis eorum*: quamuis id aliqui actiuè sumant, quia vexant alios.

Si de veritatis inquisitione per scientias naturales agitur, testis apud Theodoretum [x] Porphyrius, perpetuã apud Philosophos λογομαχίαν fuisse: & Prosper [y], Græciæ scholas, Romanam eloquentiam, totius mundi inquisitionem frustra in inueniendo summo bono laborasse. Rectè studia hæc omnia, & laborem quoque cæterum cũ araneæ tela comparant Iob [z], Oseas [a], Esaias [b], Dauid [c]: quod præ cæteris optimè declarant Gregorius [d], Ambrosius [e], & Origenes [f]. Qui saltat, qui venatur, qui se ingurgitat, inebriátque, tantisper oblectatur; sed paulo pòst virium dissolutionem, & languorem experiuntur. Lassatos ergo se impij affirmant; quia lassitudini dederunt causam, & iniquitates sicut onus graue grauantur super eos [g], & sunt veluti talentum plumbi [h]. *Ibi*

i Matt. 11.28. 29.30. k Esai.49.4. l Iere.16.13. m Iob.7.3. n Iudic.16.21. o Genes.31.7. q Mich 6 14. 15. Aggæi 1.6. Oseæ 8 6.7. Deut.28.38. & seq. p Luc.5.5. r Ps.34.16. s Rom.6.21. t homil.28.in Matth. u vers.3. x lib.1. de curan Græc.affect. y Collat. c.26. z c 8 14. a c 8.6. b c.59.5. c Psal.38.12. Ps.89.10. d in Iob. e in Ps.38. f hom. 3. in Ps.38. g Ps.37.5. h Zach.5.7.

A *cessauerunt impij a tumultu*, inquit Iob [a], *ibi requieuerunt fessi robore*, hoc est, vt explicat Gregorius [b], ipso robore, ac fortitudine, qua iniustitiæ & iniquitati ad iniquitatem seruierũt [c], lassati sunt & fessi. Meritò monet Deus [d]; *quiescite agere peruerse*. Hoc ipso in tempore, non modò post vitam istam vexantur impij, vel interna saltem praua conscientia. [Iussisti enim Domine, & sic est, ait Augustinus [e], vt pœna sibi sit ipse inordinatus animus.] DeniqueGræci πονηρίαν denominãt ἀπὸ τοῦ πόνου, & πονεῖν, vt obseruauit Chrysostomus [f], quòd laborem & ærumnam afferat, dicens id scire plurimi referre; sic verò à Scriptura semper laborem malitiam vocari & fatigationem. Id alio in libro ipsi
B priùs adnotauimus [*].

Lassati sumus in via iniquitatis.] Græcè (ἀνομίας ἐνεπλήσθημεν τρίβοις, *iniquitatis impleti sumus viis.*) Aptè (*lassati*) vertit Interpres, quasi ex pondere grauium rerum: & repleri præterea est satiari vsque ad nauseam, vsque ad stomachum prægrauatum.

Ambulauimus vias difficiles.] Græcè (ἐρήμους ἀβάτους, *deserta inaccessibilia*, vel *inuia*) Lucifer [g] (*eremos difficiles*) Cyprianus [h], & Gaudentius [i] (*solitudines difficiles.*) Nil discrepat sensus: est enim eremus via inuia, difficilísque: alia verò ex parte, cùm lata sit via, quæ ducit ad perditionem, multíque ingrediantur per eam [k], faciliùs intelligitur, impiorum,
C qui multi sunt (nam *stultorum*, ait Sapiens [l], *infinitus est numerus*) & lata ingrediuntur via, fuisse vias difficiles, quæ priùs quoque dictę sunt τρίβοι, quòd terantur, quàm solitudines.

Videtur via perditionis facilis, quia *facilis descensus Auerni*[m], & ad malũ procliues sumus: quia ibi meretrix cócupiscentia insidiás delicias pollicetur & obiicit, & ad vincula trahit [n]: quia est tenebrosa, ita vt nesciãt impij, vbi corruãt [o]: quia lubrica [p]: quia cóplanata lapidib. habẽs in fine infernos, tenebras, pœnas [q]: quia in illa est cõtritio & infelicitas [r]. Aut fœdãtur luto intẽperãtes: aut lapidibus lædũtur auari: aut arduo lassantur ascẽsu ambitiosi superbíque: aut spinis cruentantur iracũdi: aut tenebris inuidi cœcãtur: aut turba adulatores comprimũtur, malisve exemplis: aut in-
D æqualitate & cõfragositate accediosi retardantur. Sunt solitudines & deserta, quia deseri deberent ab hominibus; deserũtur à Deo, Angelis, iustis; deserti malas qualitates habent; obsidentur à dæmonibus. Postremò, quia res hæ quo expetuntur magis, eo videntur se magis subtrahere, & secedere, ac velut in solitudinem abire. Ideo hortabãtur impij se superiùs [s], *fruamur bonis quæ sunt*, quasi extemplò futuranõ sint. *Labor stultorũ affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere* [t], & *vt iniquè agerent laborauerunt* [u]. Denique *inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum: ambulabũt in vacuũ, & peribunt* [x]. Nil opus in antithesi viæ iustorum immorari, quæ est quasi lux
E splendẽs [y], absque offendiculo [z], pulchra, & pacifica [a], sancta, ac directa [b], & prudẽs [c]. Rogandus Deus vt vias suas demonstret, semitas edoceat [d], notam faciat viã, in qua ambulemus [e]: Nobis etiã consilio Ieremiæ [f] obediendum; *State super vias*, inquit, *& interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium* (Lxx. ἁγνισμὸν, *purificationem*) *animabus vestris*.

Vnica est, singulque varia via Domini propter multiplicem rationem distinctarum virtutum, & actionis, atque contemplationis. Idcirco qui prudenter in his alternat vices, leuiùs incedit, minúsque fatigatur, sicut Aristoteles [g] docet,

a c.3.17. b 4 moral. c. 30. c Rom.6.19. d Esai.1.17. e in confess. f in Ps.119 & hom.7. in Actus. * Act.17.5. g pro Athanasio. h ad Demet. de exhortat. martyr c.12.3. ad Quirin. c. 16. i apud Aug 1. cõtra Gaud. c.14. k Matt.7.13. l Eccle.1.15. m Virg.6. Aeneid. n Prou.7.7. & seq. o Prou.4.19. p Ps.34.9. q Eccl.21.11. r Ps.13.3. s c.2.6. t Eccle 10 15. vide ibi cõment. nostra. u Ierem.9.5. x Iob.6.18. y Prou 4.18 z Prou.3.23. a Prou.3.17. b Esa.35.8. c Prou.19.20. d Ps.24.3. e Ps 142.8. f c.6.16. g sect.5 problem.in 10.

nos

nos locis æqualibus magis fatigari, quàm inæqualibus;& [a] iter videri longius,quando ignoramus quantum sit:adde multo magis, si nesciamus quò ferat. Pollicetur Deus [b]; *Viam sapientiæ monstrabo tibi, & ducam te per semitas æquitatis* (τροχιαῖς ὀρθαῖς) *quas cùm ingressus fueris,non arctabuntur gressus tui,& currens non habebis offendiculum* (οὐ κοπιάσεις,*non laborabis.*) Promittamus non Domino; *propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras* [c]: imò curram,cùm nempe dilatauerit cor meum [d].

Viam autem Domini ignorauimus.] *Viam pacis non cognouerunt* [e] practica formatáque notitia,cum approbatione & vsu coniuncta. Sed sic ignorantes ignorantur [f], id est,improbantur,ait Augustinus [g],iisque à Deo dicitur,*nunquam noui vos,nescio vos* [h]. Nemo excusationẽ prætexere potest ignorantiæ; *qui omnes vult saluos fieri*, ad agnitionem quoque veritatis perueniendi suppeditat modũ [i]; nec deficit in necessariis, & si quis faciat quod naturali lumine instructus posset præstare, obtinebit à Deo dictam de rebus quæ sunt saluti necessariæ,notitiam; tametsi huiusmodi opera veri ac proprij meriti etiam de congruo non mereantur nomen. Lege Vegam [k]. Non abhorret ab impiorum peruersitate,vt mendaciter,ac etiam blasphemè accusent Deum,quasi iniquum,& exigẽtem iniustè pœnas à se,qui penitùs ignorauerint, nec etiam scire quiuerint. Sed tunc scient, ait Augustinus [l], qui modò scire nolunt, dicentes quod sequitur.

Vers. 8.] Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?

FAcilis sententia. Duobus autem istis cætera possunt comprehendi; quia *pecuniæ obediunt omnia* [m], superbúsque, & dignitate ac ambitione fretus comparare sibi studet quæ placent. Qui præsunt, Principésque, quos respicere præsertim hunc librum dixi,facultatibus & dignitate antecellunt: τίκτει δὲ κόρος ὕβριν, iuxta vetus dictum, de quo Philo [n], *parit autem saturitas iniuriam*,quam scilicet solent isti verbis factisque facere. Ex diuitiis oritur superbia; idcirco priore loco tanquam grauius inde natum malum impij ponunt, *quid nobis profuit superbia?* tum verò,*aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* vbi non nudæ diuitiæ reprehenduntur, sed iactantia,fastus:denique, vt rectè Cantacuzenus notat,abusus. Hoc idem innuitur,cùm meretrix quantum glorificauit se, & in deliciis fuit (quasi ex copia diuitiarum glorificauerit se) tantum passura dicitur tormentum & luctum; *quia in corde suo dixerit:Sedeo Regina* [o]. Scribitur quoque Dauid in Ecclesiastico [p] in tollendo manum,in saxo fundæ deiecisse exultationem Goliæ, γαυρίαμα. Ipsi modò se impij, qui ridebant pios, rident,insanos ac stultos se pronunciant,& qui labores eorum abstulerat,id est,contempserant,diripuerant,suosmet cassos vanósque deprehendunt, experti Deum ipsum in proprio suo interitu irrisorem ac subsannatorem [q], dicentémque; stulti [r], quæ parastis, cuius sunt, quo abierunt? &c. *quem fructum habuistis tunc in illis,in quibus nunc erubescitis* [s]? [Quæ irrisio stultitiæ istius à Deo profecta, superat, inquit Basilius [t], æternam pœnam.]

[a] id 25.
[b] Prou. 4. 11. 12.
[c] Psal. 16. 4.
[d] Psal. 118. 32.
[e] Psal. 13. 3.
[f] 1. Cor. 14. 38.
[g] ep 102.
[h] Matth. 7. 23; 25. 12.
[i] 1. Tim. 2. 4.
[k] lib. 13 in Concil. Trid. sess. 6 c. 12.
[l] in Psal. 52.
[m] Eccle. 10. 19.
[n] lib. de charita siue de humanit.
[o] Apoc. 18 7.
[p] c. 47. 5. 1. Reg. 17. 49. 50.
[q] Prou. 1. 26.
[r] Luc. 12. 20.
[s] Rom. 6. 21.
[t] homil in id, destruam horrea mea. Luc. 12. 18.

A *Quid nobis profuit.*] Imò etiam, quàm obfuit? Sed hoc illa phrasi significatũ est,vt cùm prius [a] inutile dicitur quod valde noxium. *Nolite declinare*, ait Samuel [b], *post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos,quia vana sunt*:de quo loco Gregorius [c]. *Retribuet Deus abundanter facientibus superbiam* [d]; & *contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus* [e]; & *dispersit Deus superbos* [f].

Superbia.] Græcè (ἡ ὑπερηφανία) paulò pòst erit ἀλαζονία, *iactantia,& arrogantia*,de qua disseruimus in prima Ioannis Epistola [g]. Vocant præterea Græci ὑπεροψίαν [h], *despicientiã,& contemptum aliorum*: ὕψωμα, *sublimitatem*: φρόνημα, *animi fastidium*: θράσος [i], *audaciam,insolentiámve*: ὄγκον,*tumorem, & fastum*: ὕβριν [k], *contumeliam, & iniuriam*: ἐπίδειξιν,

B *ostentationem, & iactantiam*: αὐθάδειαν, *ferociam*, quà quis Deum ipsum contemnat. Superbus & arrogans vocatur indoctus [l]: θρασὺς, καὶ αὐθάδης, καὶ ἀλαζὼν λοιμὸς καλεῖται, *temerarius, & ferox audaxve, & arrogans pestis vocatur*, Hebraicè לץ *lets, irrisor,illusor*, aut etiam *pestis,& pestilentia*, vt in Psalmo primo [m]. Sed non vacat superbiæ gradus exponere. Lege S. Thomam [n].

Aut diuitiarum iactantia.] Græcè (καὶ τί πλοῦτος μετὰ ἀλαζονίας,*& quid diuitiæ cum iactãtia*) Lucifer [o] (*diuitiæ cum exultatione.*) Qui se iactat,id lætus facit & exultans. Cyprianus [p] ponit *iactationem.*

Quid contulit nobis?] Nihil. Nam *qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis* [q]: imò væ diuitibus, qui habuerunt hîc consolationem suam [r]; Ter-

C tullianus [s], aduocationẽ, παράκλησιν, quæ vtrumque significat;quia nullos post mortem habebũt aduocatos. Verùm in diuites aliàs egimus, & satis magnam continent declamationem quæ hîc subiiciuntur.

Vers. 9.] Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius velociter percurrens.

VAriis vanitas diuitiarum describitur similitudinibus,quæ leuiore indigẽt expositione.

Tanquam vmbra.] Non enim sunt bona solida;

D & lucem eripiunt cognitionémque, & amorem meliorum bonorum.Lege quæ diximus ad caput septimum Ecclesiastæ [t]. Triplicem vmbræ proiectionem ad mores accõmodat Olcot [u], pro peccati originalis pœna, mortalis actualis,& venialis:vt primo respondeat vmbra cylindroides, secundo chalatoides, tertio conoides.

Tanquam nuncius percurrens.] Alij minùs rectè (*præcurrens*) ὡς ἀγγελία παρατρέχουσα, *annunciatio,nuncium,fama.* Hugo,& Olcot vim faciunt in præpositione (*præ*) sed frustra, vt dixi. Vtitur Iob eadem similitudine [x]; *Dies mei velociores fuere cursore, fugerunt, & non viderunt bonum.* Nuncium quidem cùm affertur, tandiu solùm consistit quoad

E ab ore in aures migrat. Nuncius cursórve nunquam consistit. Non fugiunt impij vitæ præsentis prosperitatem, sed hæc illos fugit:& ipsi non vident bonum, hoc est, vix datur eis vt videant, adeò citò dilabuntur. Denotatur simul vana hominum sciendi curiositas. *Vide vias tuas*, inquit Ieremias [y], *in conualle: scito quid feceris: cursor leuis explicans vias suas.*

[a] c 2. 11. & alibi.
[b] 1. Reg. 12. 21.
[c] lib. 5. in 1. Reg.
[d] Psal. 30. 24.
[e] Prou. 16. 18.
[f] Luc. 1. 51.
[g] c. 2. 16.
[h] Iob. 35. 24.
[i] Iob 31. 13.
[k] Prou. 8. 13. c. 11. 2. Iob. 35. 12.
[l] Pro. 21. 24.
[m] vers. 1.
[n] 2. 2. q. 162. art. 4. ad 4.
[o] pro Athan.
[p] sæpe citatis locis.
[q] Eccle. 5. 9.
[r] Luc. 6. 24.
[s] 4. cont. Marcio. c. 15.
[t] vers. 1.
[u] lect. 63.
[x] c. 9. 25.
[y] c. 2. 23.

Verſ. 10.] Et tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus.

INdicat hæc ſimilitudo tum negotioſam hominum vitam, deſcendentium mare in nauibus, vt faciant operationem in aquis multis [a], *ἐργασίαν, negotiationem, mercaturam*: tum fluctuantem in periculis, ita vt aſcendant nunc vſque ad cœlos, nunc deſcendant vſque ad abyſſos, & in malis tabeſcant [b].

Tollimur in cœlum (ait quidam [c]) *nunc imas radimus vndas.*

tum luxuriis immerſam. Creſcit oratio & exaggeratio, ſicut & apud Iob [d]. Nam qui currit, vel eques, vel pedes, fatigatur: vecti naue non item, & edentes, dormientes, denique nullo non tempore nauigant ſine laſſitudine, aut quieſcendi neceſſitate. Quod addit Iob de pomis, auget celeritatem, ſiue ob leuitatem ponderis, ſiue ob feſtinationem, ne marceſcant. Primum exemplum ductum eſt à terra, hoc ſecundum ab aquis.

Semitam carinæ.] In Complutenſibus, & Regiis libris (ἀτραπὸν πορείας) non autem, vt Ianſenius, vnde neſcio (τεκμήριον πορείας) quæ pertinent ad ſequẽtem verſum. Sed in editione correcta legitur (ἀτραπὸν τρόπιος.) Alij (ἀτραπὸν τρίβων.) Hoc vltimum ſuperfluum: eſſet enim *ſemita ſemitarum*: *carinam* verò τρόπις, quæ & στεῖρα, ſignificat, τὸ κατώτατον τῆς νηὸς, *imam nauis infimámque partem*; & per ſynecdochen, nauim totam. Sed hîc pro parte præſtat accipere; quoniam ea eſt, quæ vndas immediatè tangit, non relicta ſemita, ſeu non terendo viam. Metaphoricè Martialis [e] tropin lagenæ partem imam dixit. Vocant alij carinam ventrem nauis;

Prora [f] *prior pars eſt nauis, pars vltima puppis,*
Dic latus eſſe ratem, ventrem dic eſſe carinam.

Inter difficiles res viam nauis ponit Salomon [g] in medio mari. Tropologiam nauis pro pœnitentia affert Olcot [h], ſed non ad rem.

Verſ. 11.] Aut auis, quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, ſed tantùm ſonitus alarum verberans leuem ventum; & ſcindens per vim itineris aërem, commotis alis tranſuolauit; & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius.

EXemplum tertium ab aëre, per quem auis volat non relicto veſtigio. Quæ tria exempla non in diſſimili propoſito Iob [i], & Salomon [k] antè citati proferunt, licèt aquilam exprimant auium perniciſſimam, maximéque volucrem, & Iob ei famis addat ſtimulum. Poſſumus hîc autem obſeruare ſuperbiam faſtúmque impiorum, *qua aſcendit ſemper* [l]; aut, vt exponit per tropologiam Olcot [m], deprædationem impiorum.

Sonitus alarum.] Græcè (πληγῆ ταρσῶν, *ſonitu alarum.*) Ταρσὸς propriè *crates* eſt, *fiſcella, calathus.* Transfertur & ad πτέρυγα τῶν ὀρνίθων, quæ ſpeciem cratis habet è vimine, vel arundine: vel ad στίχον τῶν κωπῶν, *ad ordinem remorum*; vel ad πλατυσμὸν eorumdem, id eſt, latiores eorum partes, quas palmulas, vel palmas vocant; ſicut & volatus appellatur quoddam remigium alarum. Et dicitur præterea, miſſis aliis notionibus, poſt calcem anterior veſtigij pars, atque σωεκδοχικῶς totus pes. Volatus inſtrumenta ſunt alæ, pedéſque: ſed illæ magis. Idcirco meliùs Interpres *alas* poſuit, licèt Cantacuzenus videatur de pedibus interpretari. Clarius quoque πληγὴν non *percuſſionem*, quam ſignificat, ſed *ſonitum* vertit, qui ſequitur ex percuſſione.

Scindens per vim itineris aërem.] Βία ῥοίζου eſt vis, ſeu violentia ſtridoris, qui editur dum auis tranſuolat ſcindendo: vel, quod valet verbum Græcum, διοδεύσας, *pertranſiit iter, quod eſt in aere*, ſiue, vt habet Interpres, *itineris aërem*, id eſt, aërem, quem pertranſit iter faciendo.

Verſ. 12.] Aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aër continuò in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius.

ALiud exemplum in aëre ſciſſo paulo vehementiùs, quàm cùm auis volat; alioqui valdè huic ſimile. Denotari verò poteſt impiorum ſæuitia, qua ſagittant in obſcuro rectos corde, & immaculatos [a]. Aër diuiſus recluditur, vbi ſagitta pertrãſiit: ſic ſubtracto impio, qui perturbabat Rempublicam, illicò illa coit in ſeſe, atque reconciliatur. Myſticas arcus ſagittæve ſignificationes Olcot [b] perſequitur.

Latiſſimè patet de mundi vanitate diſſertatio. Nos nonnulla in expoſitione libri Eccleſiaſtę attulimus: legendus etiam præter alios Damaſcenus [c]. Quamlibet magna, iucunda, vtilia æſtimentur huius vitæ bona, ipſa ſufficit eorum inſtabilitas, vt imminuat deſiderium, vt guſtum turbet, vt poſſeſſionem euertat. Fuit neſcio quis, quem cùm Rex maioribus ac pluribus in dies afficeret beneficiis, quid optaret ampliùs interrogatus, reſponderit, nihil aliud, niſi vnum clauum; opinor adamantinum, quem vocat Horatius [d], ac trabalem, & firmiſſimum. Significare volebat, fixam ſe felicitatem, ac velut trabali fortíque firmatam clauo deſiderare; in tanta, quam vocant, volubilitate fortunæ non poſſe ſpem locari, ſedémque certam obtineri. [Qui tot momentanearũ rerum exempla congeſſit, ait Petrus Damiani [e], non tam vile quid eſſe omnem reproborum gloriam, quàm nihil eſſe ſignauit.]

In ſe recluſus.] Græcè (εἰς ἑαυτὸν ἀνελύθη, *in ſeipſum reſolutus eſt*) id eſt, ſolutus extra ſe, denuò ſoluitur, vt redeat ad ſe, diſſipatus & rarefactus condenſatur. Videri poteſt Interpres legiſſe (ἀνεκλείσθη.)

Verſ. 13.] Sic & nos nati continuò deſiuimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus.

APta prudénſque ſtultorum licèt, ſed à veritate ipſa conuictorum, ſententia, & ad allata priùs exempla accommodatio. Solius iuſti memoria æterna propriè [f], atque in benedictione [g]: ſola ſemper virtus perennitatem habet: ſigna virtutis vera nulla poſſunt impij relinquere. Templa, collegia, hoſpitalia, ſtatuæ, idque genus alia

permulta,

[a] Pſal.106.23. [b] ibid.26. [c] Ouid. [d] c.9.25.26. [e] lib.12. epig. 67. vel 84. [f] citat Bonauen. & alij. [g] Prou.30.19. [h] lect.63. [i] c.9.26. [k] Pro.30.19. [l] Pſal.73.23. [m] lect.64.

[a] Pſal.10.2. [b] lect.65. [c] in hiſtoria Barlaam, & Ioſaphat c.34. [d] lib.3.car. ode 24. [e] epiſt.38. [f] Pſal.111.7. [g] Eccli.45.1.

permulta, etiam ſictæ ſigna virtutis poſſunt eſſe: & honorantur in terris non pauci, qui cruciantur in inferis. Nec inde fit, nullum impios edere nonnunquam, etiam dum ſunt tales, virtutis opus, aut nō potuiſſe veram pietatem colere, ac reipſa fortaſſis aliquando coluiſſe, ac iuſtos fuiſſe. Impiorum ſunt hi errores hæreticorum, vel certè mendacium, mendacitérque loquentium damnatorū. Aut non valuiſſe, idem eſt quod non voluiſſe.

Nos nati continuò deſiuimus eſſe.] Non eſt Græcè *(continuò)* bene tamen additum eſt ob vim allatorum exemplorum, & propter verbum ἐξελείπομεν. Tritum illud Senecæ [a]. [Quotidie morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cùm creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam: vſque ad heſternum quidquid tranſiit temporis, periit: hunc ipſum quem agimus diem, cum morte diuidimus. Quemadmodum clepſydram non extremum ſtillicidium exhaurit, ſed quidquid antè defluxit: ſic vltima hora, qua eſſe deſinimus, nō ſola mortem facit, ſed ſola conſummat. Tunc ad illam peruenimus, ſed diu venimus:

Mors nō vna venit, ſed quæ rapit vltima mors eſt.] Hæc ille omnia: & his ſimilia Plutarchus [b], aliíque complures profani, ſacri. Ex his Auguſtinus [c] acutè admodum diſſerit, vitæ tempus nihil aliud eſſe, quàm curſum ad mortem: ſimúlque illud affert, de quo antè meminimus, cur ſit participium non *mortus*, ſed *mortuus*.

Et virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere.] Virtus hîc, Græcè ἀρετὴ, ſignificat habitum cum recta ratione actiuum, & moraliter laudabilem. Nec eſt ad rem, quidquid alij dicāt [d], alia notio, ſi tamen & ipſa exemplis probari poſſit, pro excellentia, ſuperbia, bona fama, robore, opibus, experientia. Nam opponitur malignitati, τῇ κακίᾳ, in membro, quod ſtatim ſequitur.

Conſumpti ſumus.] Græcè (*κατεδαπανήθημεν, quaſi ſumptu, & impendio exhauſti.*) Nam pretioſum vocatur tempus occaſióque, quam Paulus [e] hortatur vt redimamus, ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ita videlicet, vt vtiliter inſumamus. Dicuntur inſignes peccatores venundati vt faciant malum [f]: & Paulus [g] carnalem, & fomitis moleſtia vexatum vocat venundatum ſub peccato; quaſi pleraque opera velut ſumptus facere ac impendere cogatur. Peccata & voluptates pretia ſunt dæmonis, quæ ſe ipſi vendentibus dat, inquit Origenes [h]. Mala omnia vendibilia ſemper, ait Polybius [i], vt Tyrannis, libido, ingluuies, turpitudo, luxuria. Qui delectatur iſtis, pecunias profundit, & ſe corrumpere his Iudices poſſe ſperat, atque impunè omnia facere. Sic Achaz ille pro vinea poſſidenda non dubitauit occidere Naboth [k], & Iaſon, vt impetraret ſummū Sacerdotium, & Iudæi, vt liceret reiectis patriis legibus, ritu ac iure viuere Gentilitio, argenti trecenta ſexaginta talenta, & ex reditibus alia octoginta obtulerunt Antiocho [l]: & ſuper hæc alia centum quinquaginta. Ipſi quanti quanti ſumus, impendere nos ipſos ac ſuperimpendere debemus [m], vt ei ſeruiamus, qui nos pretio redemit magno [n], cunctas facultates noſtras eò conferre, vt margaritam emamus pretioſam [o]. [Sicut das nummos, inquit Auguſtinus [p], & panem emis, itáque aliquid amittis, & aliquid acquiris: ſic perde nummos, vt emas tibi quietem, &c.] Imò renunciandum omnibus, ac ſibi ipſi [q], & negotiandum [r] ſtrenuè, donec veniat, qui pretium reſtituat.

a epiſt. 24.
b opuſcu. de Ei Delphico.
c 13. de ciui. c. 10. & 11.
d Ceruantes.
e Ephe. 5. 16.
f 3. Reg. 21. 20. 1. Machab. 1. 16.
g Rom. 7. 14.
h homil. 6. in Exod.
i lib. 4.
k 3 Reg. 21. 13.
l 2 Machab. 4. 8. 9. 10.
m 2. Cor. 12. 15.
n 1. Cor. 6. 20. c. 7. 23.
o Matth. 13. 46.
p ſerm. 24. de verb. Apoſt.
q Luc. 14. 33.
r Luc. 19. 13.

Verſ. 14.] Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt:

Verſ. 15.] Quoniam ſpes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis diei vnius prætereuntis.

His aliis quatuor ſimilitudinibus confirmatur ab ipſo Auctore inanitas ac ſtultitia ſpei, quam impij dum viuerent habebant, fore, vt conſiſterent fluxa vitæ præſentis bona, vel vt euaderent impunè futuræ ſupplicia.

Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt.] Videntur hæc ab Interprete addita: nec enim extant Græcè. Dixiſſe Auctor cognouit ex reuelatione, aut dicere poſſe veriſimiliter coniecit. Dictio autem ante reſurrectionem interna eſt mentiſque, non externo prolata ſermone, ſicut & is quem habuiſſe memoratur diues epulo [a]. Inſeritur in ſacrum librum, & approbatur impiorū vera ſententia; quoniam, vt ait Ambroſius [b], quidquid verum à quocumque dicatur, à ſancto dicitur Spiritu. Alioquin alius quoque canon Auguſtini [c] verus eſt, non pro auctoritate diuina recipiendum eſſe quidquid Scriptura ſacra continetur, quamuis verum ſit, vel geſtum eſſe, vel dictū, pro vt ibi narratur. Affirmat id ille de quibuſdā ſententiis amicorum Iob, & vxoris, necnon & de aliis in Euangelio impiorum Iudæorum, quas verax Scriptura dictas ab illis teſtatur.

Tanquam lanugo.] Græcè (ὡς χνοῦς) vt & in Pſalmo primo [d], *tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ,* Hebraicè מוץ *mots, palea minutiſſima, & leuiſſima.* Idem nomen Hebræum in ſimili ſententia eſt apud Eſaiam [e], ſed Græcum χνοῦς. Crebrò comparantur cum paleis impij. Sed lanugo eandem vim habet, ſi accipiatur leuis in ſiccato exiſtens herbæ flore materia, vel pro tenera quaſi lanæ cuiuſdam mollitia in quibuſdam pomis. Sed χνοῦν Heſychius ait dici quoque de primis pilis in gena erumpentibus, & Pollux ἐν τοῖς μήλοις, *in malis*, ſiue *pomis*. Magis vſitatum vocabulum in hac ſignificatione eſt ἴουλος. Licuit iure ſuo Interpreti *lanuginem* vertere, licèt id minùs probare videatur Ianſenius. Lanuginis inſtar eſt quidquid carnem delectat; caro enim ipſa fœnū eſt, & flos fœni [f], & *homo, ſicut fœnum dies eius* [g]. Expendunt Hieronymus [h] & Gregorius [i] diligenter iſtam ſimilitudinem totius humanæ vitæ cum fœno, cum flore, ac proinde etiam cum lanugine, atque ætatum fluentem ſucceſſionem, quam antè dixi, conſiderant cum dilabente pulchritudine ac robore. Atque ducitur quidē comparatio hæc à terra, & à viuentibus.

Tanquam ſpuma gracilis.] Græcè (ὡς πάχνη λεπτὴ.) Ab aquis trahitur ſimilitudo fortiter colliſis: & hominem deſignat ſpiritu faſtúque turgidum, ſiue potentia, honore, ſcientia, quæ inflant [k], & ceu quædam animi ſordes exiſtunt. *Tranſire faciet Samaria Regem ſuum,* inquit Oſeas [l], *quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ,* ὡς φρύγανον (de hac voce alibi [m]) *vt cremiū, vt paleam minutiſſimā,* aliáſve quiſquilias. Πάχνη eſt *pruina, róſve glaciatus.* Figuratè dici puto de ſpuma propter nonnullā ſimilitudinē. *Spumam* verò reddere debuit Interpres, ob procellam, quæ diſpergi ſcribitur: quod non ita conuenit pruinæ,

a Luc. 16. 24. & ſeq.
b in 1. ad Corinth. c. 12.
c lib contra Priſci & Origen. c. 9. tom. 6.
d verſ. 4.
e c. 17. 13.
f Eſai. 40. 6. 7.
g Pſ. 102. 15.
h in dictum locum Eſaiæ.
i 1. moral. c. 16.
k 1. Cor. 8. 1.
l c. 10. 7.
m Act. vlt. 3.

aut tori. Posset huc vulgaris parœmia reuocari; *homo bulla.* Quod si flebiliter vocari licet, Italicè dicere possemus (*burla*) quasi ludibrium naturæ ac fortunæ, vt dicunt, ludus dæmonum aduersariorum, fabula & spectaculum in hac vniuersitatis scena.

Clemens [a] Romanus recitás ex Prouerbiis [b] libidinosæ mulieris illecebrosa oratione captũ iuuenem, pro eo quod legimus, *statim eum sequitur,* habet iuxta Latinam translationem, *ille verò secutus est illam instar Cepphi delusus.* Id extat Græcè apud eũdem, & in codicibus Biblicis multis, ὁ δὲ ἐπηκολούθησεν αὐτῇ κεπφωθείς. Vbi Turrianus noster annotat, Cepphum auem esse, de qua Nicander, Aratus, Callimachus, magnis alis, & paruo corpore, ex marina spuma viuentem: capi à piscatore proiecta procul spuma, quam sensim postea attrahat proximè, donec Cepphus paulatim cupiditate spumæ tractus & illectus, in manus incidat. Ambrosius [c] vtens eo loco, vertit per illusum esse. De eadem aue, & verbo meminit auctor Græci thesauri ex Hesychio, Suida, Scholiaste Aristophanis; paulo autem plura ex aliis Aldrouandus [d] inter genera lari auis. Congruit proposito, quòd symbolũ sit stoliditatis, & eius, qui polliceatur ingentia, & multa præ se ferat, nil, aut parum præster.

a 2. constitu. c. 7.
b c. 7.
c 1. de Cain. c. 4.
d 19. ornitho. c. 12.

Tanquam fumus.] Ex igne surgit fumus, denotátque vel ambitionẽ, vel iræ impetum. Sed quo diffunditur, & attollitur fumus magis, eo deficit citiùs. *Deiecisti eos, dũ alleuarentur* [e]: *deficientes quemadmodum fumus deficient* [f]. Plura diximus in Psalmum 67. [g]

e Psal. 72. 18.
f Psal. 36. 20.
g vers. 2.

Tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.] Si nonnulli, ait Cantacuzenus, qui diu nobiscum sæpéque familiariter egerunt, ob annorum multorum absentiam nostra memoria excidunt; quomodo illorum conseruetur memoria, qui apud nos vnum diem diuersati, à nobis deinde longiùs discesserunt? Hospitium est vita præsens, atque peregrinatio. Excipit nos mundus, breuique dimittit; rerum concedit vsum, non absolutum dominium, ita vt hinc eas auferamus, cùm interierimus [h]: modò huic, modò illi apparat domum & mensam, hoc est, variis subinde, non iisdem sua partitur bona: non sinit, vel ægrè fert coëmi necessaria ad victum extra hospitium, quamuis meliora sint, hoc est, cœlestem panẽ, & vitæ æternæ verba, & nunquam pereuntem sibi cibum comparare [i]: hilarem exhibet se ac facilem vultu, verbis in primo aditu; at à discessuris exigit nouissimum quadrantem. Abstineamus ergo vt aduenæ, & peregrini à carnalibus desideriis [k]. Infidus & ingratus hospes in Ecclesiastico [l] egregiè describitur, ita vt eiiciat exceptum prætextu amicorum superuenientium. Idem hospes olim, qui hostis.

h Psal. 48. 18. Eccle. 5. 14. 1. Tim. 6. 7. Iob. 1. 21.
i Ioan. 6. 27.
k 1. Pet. 2. 11.
l c. 29. 30. & seq.

Vers. 16.] Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum.

REdit ad antithesim & oppositam iustorum collationem cum impiis: perfruuntur iusti æterna vita, laborísque præmium consequuntur à Deo, cui erit de ipsis cura [m], & singularis prouidentia. Cantacuzenus iustos hos numero multitudinis vult Iudæis impiis, qui vexauerunt Christum, opponi, de quorum præsenti futuráque agatur felicitate.

m Psal. 54. 23. 1. Pet. 5. 7.

Viuent.] Græcè (ζῶσι, *viuunt.*) Viuent, & viuunt vtraque de vita sumi potest: viuunt inchoatione quadam æternæ vitæ, tenentes spem, *sicut anchoram animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis* [a]: viuent & quamdiu hîc superetunt vita spirituali, quæ est præceptio futuræ, & vbi hinc excesserint, felicitate perpetua. Sed (*viuent*) meliùs hoc secundum, quod pluris refert, exprimit. Si conditio vitæ animalis vergentis ad interitum semper facit, vt iure dici mors possit, non vita; potest sanè quisquis iustitiæ incedit ad æternam vitam via, censeri viuere perpetuò, non mori, ac illud vsurpare; *Non moriar, sed viuam* [b].

a Heb. 6. 18. 19.
b Psal. 117. 17.

Apud Dominum est merces eorum.] Ergo debetur operibus iustorum merces, de qua capite etiam decimo [c], & Christus in parabola [d] de operariis, & aliàs nõ rarò [e], atque Paulus [f], & Ioannes [g], vt prætercam synonyma vocabula coronæ, iustitiæ, retributionis, debiti, redditionis: quæ tamen diuino promisso & liberalitate, atque gratia nituntur [h]. Sed hæc aliàs accuratiùs. Præsens vita mercedem quoque habet etiam de condigno maioris gratiæ, quam promeretur iustus. Sed absoluta *mercedis* vox meritò plenæ debetur mercedi beatitudinis.

c vers. 17.
d Matth. 20. 8.
e Matth. 5. 12. c. 6. 1. c. 10. 41.
f Rom. 4. 4. 1. Cor. 3. 8. 14.
g Epist. 2. 8. Apoc. 11. 18. c. 22. 12.
h Conc. Trid. sess. 6. c. 16.

Apud Dominum.] Græcè (ἐν κυρίῳ, *in Domino*) qui reddere solus potest, & ipsemet merces eorũ est magna nimis [i]. Hoc est quod Esaias ait [k], *ecce merces eius cum eo*; quamuis *mercedis* nomen ἀδιάφορον sit etiam ad supplicium; sicut & in Apocalypsi [l], vbi Christus ipse inquit; *merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.*

i Gen. 15. 1.
k c. 40. 10. & 62. 11.
l c. 22. 12.

Tuto in loco est merces nostra apud Dominum, & in Domino, & *cum Christo abscondita in Deo* [m], tanquam in thesauro, tanquam margarita in conchilio, tanquam pecuniæ in ærario sacro, siue in templo. Quæ pluribus amplificari possunt. Hæc ipsa merces vita æterna est; quam Bonauentura quodam sermone de Martyribus [n] tractans hunc locum, rectè negat quantum sit bonum exprimi posse lingua carnis. Comparat autem cum bono vitæ nostræ mortalis, pro qua seruãda tanta est cura naturæ. [Si tam nobilis est, ait, vita ima, quàm nobilis est vita summa? si sic amatur vita miseriis plena, quid est vita, omnia cõtinens in se bona, & nulla penitus mala? si est sic vita terrena, quæ citò destruitur, quid est vita beata perpetuò duratura? &c.]. Tum distinguit iustitiam, per quam redeamus citò ad Deum; quæ humiliter exerceatur; qua nos puniamus veraciter; qua seruiamus perseueranter: item vitam naturæ, culpæ, carnísve, gratiæ, gloriæ; & hanc vltimam esse æternam.

m Colos. 3. 3.
n ser. 22. de Sanctis in communi.

Et cogitatio illorum.] Græcè (καὶ ἡ φροντὶς αὐτῶν, *cura, sollicitudo, prouidentia, cogitatio de illis*) vulgò (*il pensiero di loro.*) Sic malim, quàm vt cogitationem dicamus iis esse de Altissimo, seu cogitare de illo. Nec vsus Latinæ locutionis ita fert, vt cogitatio alicuius apud aliquem actiuè accipiatur, quòd is de illo cogitet, quòd ille obiiciatur cogitationi eius: sed contrà quòd ille de eo cogitationem curámque suscipiat. Enarratores tamen Latini eum sequuntur sensum, cui ego alterum præfero cum Cantacuzeno auctore Græco; licèt negare non possim propter homonymiam & illum recipi posse, vt iusti cogitent de Deo, vel vt Deus ipsam quoque illorum cogitationem præmio afficiat. At mentio mercedis ac vitæ per-

ſuadet id quod dixi, nempe de ſingulari quam Deus habet ſuorum cura. Sic exponit etiam Oſorius, & Vatablus. φροντὶς *cogitationis* nominè bene reddita eſt; ſic enim reddit Cicero [a] tritum illud, δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, *poſteriores cogitationes ſapientiores ſolent eſſe.* Sed etiam conſtat cogitationem pro cura dici: & verum eſt quoque iuſtos curam habere, ac ſollicitos eſſe quomodo placeant Deo, & cogitare quæ Domini ſunt [b]. Alioqui negari non poteſt, quin ſit homini aſſiduè cogitandum de Deo; nec tam ſæpe, vt ait Nazianzenus [c], ducere ſpiritum, quàm Dei debet meminiſſe; ita vt meditatio cordis ſit in conſpectu Dei ſemper [d], & omnis ſpiritus, πνοὴ, *ſpiratio,* ſeu ἀναπνοὴ, *reſpiratio,* laudet Dominum [e].

a Philip. 1. 23.
b 1. Cor. 7. 32.
c orat. 4. de Theo.
d Pſ. 18. vlt.
e Pſ. 150. vlt.

Apud Altiſſimum.] Hoc epithetum Dei alibi declaratum eſt [f]. Non eſt vera cuiuſdam [g], qui tam facilè alios carpit, etymologia עֹלֵם *hholem, pueri,* à עָלָה *hhalah,* quòd aſcendat, & creſcat. *Puerum* ſignificat non עוֹלֵם *hholem,* quod ne extat quidem, ſed עֶלֶם *hhelem,* & hoc non à עָלָה *hhalah,* ſed à עָלַם *hhalam,* vnde & עַלְמָה *hhalmah.*

f Act. 7. 48.
g Ceruantes.

Verſ. 17.] Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini: quoniam dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos.

Ecce mercedem, ecce cogitationem curámve, quam reddit, & habet Deus iuſtis, & circa iuſtos: quod ad calcem vſque capitis pertractatur. Nam pollicetur Sapiẽs Regnum ampliſſimis ornamentis excultum, maximis opibus exaggeratũ, coronam ſummis illuſtratam luminibus decoris, & elegantiæ, inuictarum brachij ſui virium protectionem, qua propulſetur immanitas hoſtium.

Regnum decoris.] Regnum decorum, præclarum, ſpecioſum, elegans, τῆς εὐπρεπείας, *eximij decoris & pulchritudinis, decoræ & honeſtæ formæ,* quod τοῖς εὐπρεπέσι κατ' ἦθη, *decoris, honeſtíſque ſecundùm mores,* ac diligentibus decorem domus Dei [h], id eſt, templi, & locum habitationis gloriæ eius, id eſt, Arcæ, & multo magis Eccleſiæ, tribuetur. Ibi Dominus erit nobis in lucem ſempiternam, & Deus noſter in gloriam noſtram [i]: ibi gloriam regni Dei dicemus, & gloriam magnificentiæ regni eius [k]: imò & noſtri, ſi facti fuerimus Deo noſtro regnum [l], & regnauerimus cum Chriſto [m]. Non valet hæc niſi expertus declarare. Bonauentura *regni* nomine beatitudinem accipit, quam vocant eſſentialem, & auream; ſequentibus autem verbis ait deſignari accidentalem, quæque dicitur aureola. Piè magis dictum, quàm neceſſariò.

h Pſal. 25. 8.
i Eſa. 60. 20.
k Pſal. 144. 11.
l Apoc. 5. 10.
m Apoc. 20. 4. 6.

Diadema ſpeciei.] Græcè (τὸ διάδημα τοῦ κάλλους, *diadema pulchritudinis.*) Oportet corruptam lectionem fateri, cuius Hugo meminit *(diadema ſpei)* & error facilis fuit ex ſcribendi compẽdio *ſpei* cum impoſita linea tranſuerſali supernè, *ſpẽi,* pro *ſpeciei.* Sed & id ineptum, quod idem Hugo, & Olcot [n] comminiſcuntur circa falſam etymologiam nominis *diadema* à *duo,* & *demo, demis. Diadema* à Græcis ſumptum eſt παρὰ τὸ διαδεῖν, quod valet *circumligare,* ſicut Hebraicè צָנִיף *tſaniph,* à verbo צָנַף *tſanaph, circumuoluit, circumdedit.* Nam nihil aliud erat niſi vitta, aut faſcia, aut tænia, qua capitis tempora circumligabantur, & redimiebatur caput Sacerdotis, Iudicis, Principis. Hebræam vocem reddit aliquando Interpres *cidarim* [o], quæ item Græca eſt: aliàs *coronam* [p], pro qua Græcè

n lect. 69.
o Leuit. 16. 4.
p Eſa. 29. 1.

A eſt σίφαρος: & ſunt his interdum ſynonyma tiara, infula, mitra; licet hæc fæminarum potiùs erat [a]. Ex vſu loquendi

Virginis eſt ſertum: clerique corona: Poetæ
Laurea: Rex geſtat diadema, vel Induperator.

Color diadematis vel candidus fuit, vel purpureus, vel apud Perſas cœruleus albo intermicante, vel apud Romanos quoque in ſimilitudinem arcus cœleſtis [b]. Poſſis etiam appellare tiaram rectam, & mitram, pileúmve, qui ex panno compingatur, & in capite voluminibus turbinetur, qui nunc vulgò appellatur *(turbante.)* Cùm Reges Romanis imperarent, diadema erat laurea corona, candida faſcia præcincta, quæ frontem præligabat. Primum inuentorem Plinius [c] Liberum

B facit. Sed hac de re plura Petrus Faber [d], Pradus noſter [e], Ioſeph Stephanus [f], Rhodiginus [g], Alexander ab Alexandro [h], Bayfius [i], Briſſonius [k], Gyraldus [l], Curopalata [m]. Hic verò teſtis eſt, labente Romana Republica, & Conſtantinopolitano florente Imperio, aureum textile cum lapidibus & margaritis ad Imperatoris frontem poſitum, & pone caput reuinctum, vocatúmque nomine diadematis: cuius rei numiſmata profert Antonius Auguſtinus [n]. Nam alioquin laurea etiam corona famulis inaurabatur, vel argentabatur, teſte Plinio [o], & Tertulliano [p]. Legendum coronarium Caroli Paſchalij opus [q], quod poſtea prodiit, accuratũ ſanè, ac eruditum: præterea, quæ in ſuo Imperatore Romano Bulengerus lib. 2. c. 3.

C pari eruditione, quamuis breuiore oratione diſputat.

a Eſa. 3. 23. Iudith 10. 3. & l. veſtis. ſ. mulierib. ff. de auro & argento.
b Velleius lib. 2.
c lib. 7. c. 56.
d 3. ſemeſt. c. 25.
e in c. 21. Ezech.
f in 1. Macha. c. 1. n. 10. & lib. de coron. Pontificis.
g lib. 16 c. 10. lib. 24. c. 6.
h lib. 1. c. 28. lib. 4. c. 17.
i de re veſtiaria.
k 1. de Regno Perſarum.
l ſyntag. 17.
m de official. Palatij.
n de numiſmate.
o lib. 21. c. 3.
p de corona mil.
q lib. 9. c. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 11. 13. 16. 17. 18. 21. lib. 10. c. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Itaque pollicetur Sapiens iuſtis diadema ſpeciei, quam dicit Ezechiel [r] coronam decoris, & ſpecioſam [ſ], καυχήσεως, *gloriationis:* Eſaias [t] coronam gloriæ, & diadema regni; & apud eundem [u] Septuaginta δόξαν, id eſt, *gloriam,* quæ à noſtro Interprete vertitur *corona:* Dauid [x] coronam de lapide pretioſo: liber Exodi [y] tiaram in gloriam: liber Eccleſiaſtici [z] coronam exultationis, & gratulationis [a], vtrobique ἀγαλλιάματος: Iacobus [b], & Ioannes [c] coronam vitæ: Petrus [d] immarceſcibilem gloriæ coronam: Paulus [e] incorruptam. Hæc, híſque ſimilia continentur epitheto præſentis loci (τὸ διάδημα τοῦ κάλλους.)

r c. 16. 12.
ſ c. 23. 42.
t c. 62. 3.
u c. 61. 3.
x Pſa. 20. 4.
y c. 28. 39.
z c. 1. 11.
a c. 6. 32.
b c. 1. 12.
c Apo. 2. 10.
d 1. Epiſt. 5. 4.
e 1. Cor. 9. 25.

D Fatale erat priuatis capiti diadema regium vel etiam caſu imponere, vt vel immineret periculũ vitæ, vel ſumma felicitas portenderetur. Boni ominis exemplũ narrãt in Lyſimacho Iuſtinus [f], Appianus [g], & Arrianus [h] in Seleuco; quamuis de hoc diſcrepent, & ſententiam inſerant alterum de alio, cui res ea ſupplicium pepererit: & vniuerſè idipſum Dion [i] Chryſoſtomus tradit de Perſis loquens. Regem quendam ſubtilis iudicij cenſet Valerius Maximus [k], qui priuſquàm traditum ſibi diadema capiti imponeret, retentum diu conſiderauerit, dixeritque: ô nobilem magis, quàm felicem pannum, quem ſi quis penitùs cognoſcat, quàm multis ſollicitudinibus, &

E periculis, & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet. Rex ille Antigonus fuit, etſi Seleucum nominet Plutarchus [l].

f lib. 15.
g in Syriacis.
h lib. 7.
i orat. 1.
k lib 7 c. 3. vel 7. 9.
l an ſeni Reſpub. gerenda.

Quod dat Deus diadema poſt hãc vitam, ſummæ, lætiſſimæ, ſecuriſſimæ felicitatis eſt, ſic arctè διαδεῖ, *vincit, ligat, redimit* caput, vt nunquam detrahatur, licèt beatus quo recognoſcat beneficiũ, ad Agni, cuius pretio diadema conſecutus eſt, quíque habet diademata multa [m] (ſcilicet quæ aliis det) pedes id mittere, ſiue abiicere dicatur [n]. Sed hic ipſe Agnus ipſamet beatorum ſuorum

m Apoc. 4. 10.
n Apo. 19. 12.

felicitate

felicitate meritiſque coronari quodammodo cẽſetur, atque vt de corona gloriari; quomodo & Paulus [a] fideles à ſe conuerſos coronam ſuam, ſpem & gaudium vocabat, atque coronam gloriæ. *Eris*, ait Eſaias [b], *corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Quis rapiet oues de manu iſtius Paſtoris [c]? quis auferet de capite Regis regum, ac Domini dominantium iſta diademata multa [d]? Hunc Apocalypſis locum ſic explicant Beda, Rupertus, Ricardus: illum Eſaiæ Hieronymus, Cyrillus, necnon Auguſtinus [e]. Quanta lætitia, quàm magnus honor, cùm cuiuis beatorũ dicetur ab illo qui coronari dignatus eſt carnis noſtræ corona in die, qua diſpenſauit ſibi naturam noſtram in vtero Matris cõtextam formatámque [f]; *Veni, coronaberis* [g]: quando inſuſpicabilis (id eſt, de quo nulla erat Regni ſuſpicio, ὁ ἀνυπονόητος) portabit diadema [h], vt viles piſcatores, vt publicani, & peccatores, ac meretrices [i], vt latro [k], &c. Confer hoc, ſi potes, cum viliſſimis perſonis, quas produnt hiſtoriæ ad Regni perueniſſe faſtigium: compara cum Ioſeph [l], cum Eſther [m], & Mardochæo [n], cum Daniele [o], primos honores adeptis poſt regios. Denique *ſuper ipſum* (beatum) *efflorebit ſanctificatio mea* [p], inquit Deus, ἐξανθήσει τὸ ἁγίασμά μου, Hebraicè & Chaldaicè *corona*, ſiue *diadema eius*, נזרו *nizero*. Rectè: nam ſolis corona ſanctis datur, corona, inquam, iuſtitiæ, quam reddit iuſtus Iudex [q], non coronãs niſi legitimè certantes [r], & ſpirituales Nazaræos Domino ſeparatos, atq; ſanctificatos [ſ] per ipſiuſmet Domini gratiã, qui eſt ſanctus ſanctorum [t], *factus nobis* non ſolùm *ſapientia à Deo*, ſed etiam *iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio* [u].

Pone tibi ob oculos quotquot, vel vidiſti, vel audiſti, vel legiſti coronatos Papas, Imperatores, Reges, &c. de quo ritu Paſchalius [x], & animum reflecte ad diadema, quod accipient iuſti de manu Dei. [Qualis ſit gloria futura, inquit Auguſtinus [y], quibus diuitiis floreat, quãtóque ſplẽdore præfulgeat, laudare poſſumus, explicare non poſſumus, &c.] Regni quoque, Imperiíve cuiuſlibet dignitas, maieſtas, pompa, inſignia, ornamenta, nihil ſunt, ſi cum regno illo cœleſti conferantur. Illius regni corona amarantina eſt; quem florem, inquit Clemens [z] Alexandrinus, terra ferre nõ poteſt, ſed cœlum duntaxat. Alludit nimirum ad coronam immarceſcibilem, de qua ſcripſit Petrus [a], & nos de eadem in eiuſdem Commentario. Legendi Innocentius III. [b] & Bonauentura [c] de beatorum præſertim Martyrum, Virginúmque coronis. Diſtinguit prior coronã argenteam, viæ, gratiæ, virtutis, militantium, & ad meritum: aliam verò auream, patriæ, ſalutis, gloriæ, atque triumphantium ad præmium; & ambas eleganter deſcribit: poſteriorem quidem cum quatuor in gyro pretioſis lapidibus dotis quadruplicis corporeæ; cum tribus in ſummo triplicis dotis animæ glorificatæ, quæ ſunt comprehenſiua cognitio, dilectio, delectatio. Manus tanti artificis Dei incomparabiliter commendat magis diadema, quod eademmet ipſe manu ſua tradit beato, illiúſque capiti imponit, quàm Vulcani factus manu crater, tantopere celebratus, quem dono dedit Telemacho Menelaus [d].

Δώσω τοι κρητῆρα τετυγμένον, ἀργύρεος δὲ
Ἐστὶν ἅπας, χρυσῷ δ' ἐπὶ χείλεα κεκράανται.
Ἔργον δ' Ἡφαίστοιο, πόρεν δέ ἑ Φαίδιμος ἥρως
Σιδονίων βασιλεὺς ὅτ' ἑὸς δόμος ἀμφεκάλυψε
Κεῖσέ με νοστήσαντα. ———

a Philip.4.1. Theſ.2.19.
b c.62.3.
c Ioan.10.28.
d Apoc.19.12. 16.
e de vnitate Eccleſ.c.7.
f Cant.3.11.
g Cant.4.8.
h Eccli.11.5.
i Luc.15.1. Matt.21.31.
k Luc.23.43.
l Gen.41.
m Eſther 2.
n ibid.c.6.
o Dan.2.48. c.6.2.& ſeq.
p Pſal.131.vltimo.
q 2.Tim.4.8.
r 2.Tim.2.5.
ſ Num.6.2.
t Dan.9.24.
u 1.Cor.1.30.
x 10.de coronis.c.7.
y ſerm.1.de verbis Apoſt. c.1.
z 2.pædag. c.8.
a 1.Epiſt.1.4. c.5.4.
b ſer.3.de vno Mart.
c ſer.1.& 2.de de vno Mart. & ſer.1.de vna Virgine.
d Home.Ody. 4.Strabo lib. 1.

A *Craterem tibi donabo, mira arte paratum*
Argento ex ſolido, labia vndique circuit aurum.
Mulciber hunc fecit: dono mihi ſplendidus heros
Olim Rex Sidonum, redeuntem tempore quo me
Hoſpitio excepit, dederat. ———

Quamquam Strabo admonet intelligendum id eſſe πρὸς ὑπερβολὴν, *hyperbolicè*, ſicut præſtantia opera Mineruæ Gratiis, & Muſis aſcribuntur.

Arguit præterea maximè beneuolentiam, quòd ſuamet Deus, Chriſtúſve manu imponat diadema; & in Chriſto, quòd ei diademata multa data ſunt; imò ab ipſomet confecta, tanquam Agno occiſo, quíque merito paſſionis ſuę illa acceperit, & veluti cõfecerit, & quibus vult det. Eſt hac de re luculẽtus planè in Eſdrę lib.4. licèt apocrypho,
B locus [a]; *Ego Eſdras vidi in monte Sion turbam magnã, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabãt Dominum. Et in medio eorum erat iuuenis ſtatura celſus, eminentior omnibus illis, & ſingulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogaui Angelum, & dixi. Qui ſunt hi Domine? Qui reſpondens dixit mihi: Hi ſunt, qui mortalem tunicam depoſuerunt, & immortalem ſumpſerunt, & confeſſi ſunt nomen Dei. Modo coronantur, & accipiunt palmas. Et dixi Angelo: Ille iuuenis, quis eſt, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? Et reſpondens dixit mihi: Ipſe eſt Filius Dei, quem in ſeculo confeſſi ſunt. Ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini ſteterunt.* Coronas dans Chriſtus
C reputat adhuc ſuas: ſicut iuſtus quiuis alterius iuſti corona coronari ſe putat, præſertim ſi ſaluti eius cooperatus eſt, vt Paulus [b] loquebatur, appellans diſcipulos coronam ſuam, & gaudium, & gloriam. Vltima Pſalmi 141. verba; *me expectant iuſti, donec retribuas mihi*, transfert Hieronymus ex Hebræo, *in me coronabũtur iuſti, cùm retribueris mihi*; Chaldaicè, *in mei gratiam facient tibi coronam laudis iuſti, quoniam reddes retributionem bonam mibi.* Adi Commentarium noſtrum.

Dextera ſua teget eos.] Hinc elici poteſt, quod aliàs dixi [c], ad alterius dexteram eſſe, idem ſæpenumerò valere, quod protegere ac defendere, indéque dictos qui latus obſident, vt tueantur, laterones, ſeu latrones; & idcirco ratione iſtius
D obſequij cenſeri minoris dignitatis, inferioriſque conditionis, qui alteri eſt ad dexteram. Hinc ſpectat illud ex Pſalmo [d]; *Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.* Solet felicitas per dexteram ſignificari; ibi enim cõſtituentur electi [e], & ſponſus Chriſtus dextera ſponſam amplexabitur [f].

Brachio ſancto ſuo.] Deeſt Græcè (*ſancto*) quod epithetum attribuitur brachio in Pſalmo 97. [g] Maximæ vires hominis in manu dextera, & in brachio: vt autem dicuntur de Deo, ſicut cætera omnia, ita & illa ſancta ſunt. Nihilominus agendo de protectione, qua proteguntur ſancti, meritò vis ac potentia, quam in ea re Deus exerit, appellatur ſancta. Quemadmodum dicto Pſalmo
E ſaluaſſe dicitur ſibi de Chriſto, hoc eſt, ſe (nimirum in paſſione ſua) dextera eius, & brachium ſanctum eius. Aliquando vt magis res exprimatur, additur brachio potentia, vt ibi [h]; *tuum brachium cum potentia*: interdum paucis interiectis explicationis causâ poſt brachium ſubiicitur potentia; vt, *donec* [i] *annunciem brachium tuum generationi omni quæ ventura eſt; potentiam tuam*, & c. aliàs [k] vocatur fortitudo brachij. Inde fit, vt brachia cõterere [l], ſit vires infringere, potentiam robúrque atterere: & idem eſt brachium ariditate ſiccare [m], conſumere [n]. Allegorias de brachio Dei, qui eſt

a c.2.41.& ſeqq.
b Philip.4.1. 1.Theſſ.2.19.
c Act.2.25. c.7.55.
d Pſal.110.5.
e Matth.25.33.
f Cant.2.6.
g verſ.1.
h Pſal.88.14.
i Pſal 70.18.19.
k Iob.22.8.
l Pſal.10.15. Pſal.36.17. Iob.38.15.
m Zac.11.17.
n Iob.18.13.

a lect. 69. Christus, affert Olcor [a], & multo plures Rutilius Benzonus[b], varias notiones alias brachij enumerans, pro fortitudine, seu fulcimento, pro Dei virtute gubernatiua, & operatiua, pro Ecclesia, pro tyrannide, violentáque potestate, pro Apostolis, & Prædicatoribus.

Defēdet illos.] Græcè (ὑπερασπιεῖ) velut hyperaspistes, satelles, stipator, propugnator, latero, qui clypeo protegat. *Veruntamen*, inquit Deus, *seruire me fecisti in peccatis tuis*; ἀλλ' ἐν ταῖς ἁμαρτίαις σου ὑπερήσπισά σε, *sed in peccatis tuis defendi te, fui hyperaspistes tuus*; velut scutum opposui me ipsum, & passionem meam Satanæ, vt explicat Cyrillus [d] Alexandrinus: item [e], *ego protector tuus sum*, ἐγὼ ὑπερασπίζω σε: rursus, *quoniam tu es protector meus* [f], ὅτι σὺ εἶ ὁ ὑπερασπιστής μου: præterea, *protector noster aspice Deus* [g], ὑπερασπιστὰ ἡμῶν Θεός.

c in cant. Magnificat. lib. 3. c. 14. & seqq. — c Esa. 43. 24. — d 5. de ador. in spirit. & lit. — e Gen. 15. 1. — f Ps. 90. 5. — g Ps. 83. 10.

Vers. 18.] Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.

Describitur egregiè armatus hyperaspistes & protector iustorum Deus. Nam primo loco acri impiorū offensione irritatus, & iustis illata ab ipsis iniuria, vltionis armatur studio, & naturam vniuersam armis instructam vehementer incitat ad repetendas de impiis pœnas.

Accipiet armaturam zelus illius.] Græcè (λήψεται πανοπλίαν τὸν ζῆλον αὐτοῦ, *accipiet armaturam omnem zelum suum.*) Quid sit zelus, & quotuplex, disserit Olcot [h], nos alibi [i]. Videntur hæc, & sequentia potissimùm ad tempus pertinere, quod erit paulo ante supremum Iudicium. Colligi porrò hinc potest vetus ille mos, de quo nonnihil etiam alio loco dixi [k], vt prodiret Magistratus ad ius dicendum peculiari ornamento conspicuus, vel instructus quoque armis. Id Virgilius [l] de Priamo tradit;

h lect. 7. — i Act. 5. 17. — k Act. 22. 28. — l Aeneid. 7. vbi Pontan.

Hoc Priami gestamen erat, cùm iura vocatis
More daret populis, sceptrumq; sacerq; tiaras,
Iliadúmque labor vestes. ———

& Polyænus [m] de Alexandro, de aliis Bayfius [n], & alij. Prosequitur Deus iustos amore maiore, quàm sponsam sponsus. Idcirco zelotes est, ac zelotypus, nec fert aduersùs fideles suos iniuriam, qui nempe constanter inhonestis procis & riualibus restiterint, separare conantibus à charitate ipsius. *Zelus* [o] *& furor viri non parcet in die vindictæ.* Simili figura prouocat Deum Dauid [p], *Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi: effunde phrameam, &c. &, accingere gladio tuo* [q], *&c. sagittæ tuæ acutæ* [r]. Item de Deo dicitur; *Gladium* [s] *suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum: & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Quæ omnia, & his affinia cur Deo tribuantur, doctè disputat Chrysostomus [t], & ostendit more nostro hæc dici, & ad emphasim, cùm alibi legamus [u]; *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius*: imò solo eius aspectu terram tremere [x]; sed & omnia quæcunque vult facere [y]. Poëtæ Deos armant suos, tam seriò ipsi quàm sunt falsi Dij.

m 4. stratag. — n de re vestia. — o Prou. 6. 34. — p Ps. 34. 2. 3. — q Ps. 44. 4. — r ibid. 6. — s Ps. 7. 13. 14. — t in Ps. 44. — u Ps. 67. 1. — x Ps. 103. 32. — y Ps. 113. 3.

Armabit creaturam.] Non ipsemet armatus ad prælium prodibit Deus, inquit Cantacuzenus; esset id enim Deo indignum, si armis ad hostes vlciscendos indigeret. Vtetur opera creaturæ. Creaturam, non hominem solum, vt exponit Hugo, imò nec illum quidem intelligendum puto; licèt homo nomine *creaturæ* soleat interdum sumi [a]. Nam etsi damnabunt iusti impios in Iudicio, non tamen propriè pugnabunt exteriùs. Vniuersitas creaturarum rectiùs accipitur, qui paulo pòst vocatur orbis terrarum, vbi & quædam exprimuntur inanimatæ creaturæ. Angelos quoque sine dubio adhibebit Deus & bonos, & malos. Messiæ seu Christi bellum hoc sub Iudicij tempus erit, vt diximus; at non coget hominum, sicut Iudæi fabulantur, exercitū, qui potiùs proponitur nobis vt agnus [b], vt prædicator [c], vt Rex mansuetus [d], vt nec linum quidem fumigans extinguens, vel calamum quassatum confringens [e], vt Princeps pacis [f], vt saluans in Domino Deo nostro, non in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus [g], vt emittens vinctos de lacu in sanguine testamenti sui [h], vt descendens tanquam ros ac pluuia in vellus [i]. Talia eius arma, qualia suorum, *non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum* [k]: cornua Crucis sunt in quibus abscondita est fortitudo [l]: torcular calcauit Christus solus, & de gentibus non fuit vir cum illo [m], id est, ne vnus quidem miles. Imò neque summus aduersarius Antichristus à Christo superabitur alio gladio, quàm quem gestabit in ore [n], *interficiétque eum spiritu oris sui* [o]: quę cædes subvocibus *Gog, & Magog* describitur ab Ezechiele [p]. Nihilominus erunt externa signa in Sole, Luna, stellis [q], &c. antequam descendat Christus ad Iudicium, quod appellari potest bellum, exercitúsve creaturarum.

a Marc. vlt. & alibi. — b Esa. 53. 7. Ioan. 1. 29. & alibi. — c Ps. 2. 6. — d Zach. 9. 9. Matth. 21. 5. — e Esai. 42. 3. Matt. 12. 20. — f Esai. 9. 6. — g Osee 1. 7. — h Zach. 9. 11. — i Ps. 71. 6. — k 2. Cor. 10. 4. — l Abac. 3. 4. — m Esai. 63. 3. — n Apoc 19. 15. — o 2. Thess. 2. 8. Esa 11. 4. — p c. 38. & 39. & Apoc. 20. 7. — q Luc. 21.

Vers. 19.] Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum.

Monet Cantacuzenus, hæc eò dici ne suspicetur quis vulgare armorum in Deo genus. Ad eundem modum [r] Messias inuitatur vt accingat latus gladio velut potentissimus heros, qui gladius sit species, & pulchritudo, seu decor, ornamentū, maiestas: & mox subiiciuntur virtutes veritatis, mansuetudinis, iustitiæ, quibus mirabiliter deducat eum dextera [f], id est, potentia, & perducat ad optatas victorias atque triumphos.

Pro thorace iustitiam.] Græcè (ἐνδύσεται θώρακα δικαιοσύνην.) Apud Esaiam [t] huiusmodi describuntur Dei arma; *Indutus est iustitia vt lorica, & galea salutis in capite eius: indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio zeli.* Vocat quoque Paulus [u] loricam iustitiæ, & fidei, atque charitatis [x]. Iob [y] ait de se; *Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento.* Tegit lorica thoráxve maiorem corporis partem, vbi cor ac vitales partes: sic iustitia maximè generalis & necessaria virtus est; nec lædi potest, nec alios sinit lædi. Hæ sunt quas Ioui dāt ceu assidentes consiliarias, Dice, Themísque, Ius, Fásque, Iustitia, & Iudicium. Easdem Princeps exemplo Iob [z], de quo dixi, qui & diademate cinctum se scribit iudicio, adhibere semper debet. De Deo quoque canitur; *Iustitia, & iudicium præparatio sedis tuæ* [a]. Hoc Alexander si fecisset, Clitum non occidisset; quem tamen Alexandrum facti pœnitentem frustra consolari Anaxarchus adulatione falsa conatus est, cùm diceret; An ignoras Ius, & Fas Ioui assidere, vt quidquid Rex agat, id fas, iustúmque putetur? Non rectè, nec vtiliter, ait Plutarchus [b], cùm eius mentem errati

r Ps. 44. 4. 5. — f ibid. — t c. 59. 17. — u Eph. 6. 14. — x 1. Thess. 5. 8. — y c. 29. 14. — z supra. — a Ps. 88. 15. — b Plutar. lib. ad Princip. inerud.

pœnitentem instigatione ad sinistra patranda saturaret: neque Ioui, hoc est (Deo) allideat propriè iustitia, sed ipse iustitia sitque sit. Loricam thoracémve hamis & annulis ferreis olim consertam ferunt fuisse[a], siue squamis ahenis[b] (de vario genere Lipsius[c];) talis iustitia, quæ nexum requirit legum virtutúmque.

a Virgil. 3. Aeneid. b idem 11. Aeneid. Plutarch. in Lucullo. 3. Reg. 17.5. c c.3. de mili. Rom. dialo. 6.

Accipiet pro galea iudicium certum.] Græcè (περιθήσεται κόρυθα κρίσιν ἀνυπόκριτον, *circumponet galeam iudicium non simulatum, syncerum, simplex*, atque vt ita dicam, *non hypocriticum.*) Quidam codices habebāt (*iudicium rectum*) & textus glossæ in margine, meminitque Hugo; ac ita legit Bonauentura. Non aberrabit Deus iudicando, nec ei poterit contradici. *Diuinatio in labiis Regis* (Dei, vel Christi, vt exponit Beda) *& non errabit in iudicio os eius*[*]. Nō erit hypocrita, vel histrio, fictáve persona, non dissimulabit etiam: verus erit Iudex, atque iudicabit verè. De vultu eius iudicium prodibit[d]; sed tecto galea, hoc est, non respiciente personam cuiuscumque, & quod infringi non possit prece, vel pretio. Huc allusit in paraphrasi Cantacuzenus. Quamuis aliunde aperto vultu, iræque pleno proferet, imò fulminabit in impios sententiam; ita vt statim diuidantur ab ira vultus eius[e]. In Græcis (κρίσιν ἀνυπόκριτον) paronomasia inest elegans, & iucunda.

* Pro. 16. 10. d Psal. 16. 2. e Ps. 54. 22.

Vers. 20.] Sumet scutum inexpugnabile æquitatem.

Hoc postremum armorum genus ex iis, quæ vocant defensiua. Græcè (λήψεται ἀσπίδα ἀκαταμάχητον ὁσιότητα, *sanctitatem.*) Magnum & inexpugnabile scutum ab innocentia, & vitæ sanctitate. Est scutum siue clypeus veritatis[f], fidei[g], sermonis Dei[h], cordis[i]. Complectitur sanctitas hæc omnia, hísque plura, vt temperantiam, ac reliquas virtutes, vt ait Cantacuzenus. Dabit Christus in Iudicio scutum cordis laborem suum[k], quando exprobrabit passionem innocenter obitam, eiúsque immensum fructum ab impiis spretum & conculcatum. Iustos autem scuto bonæ voluntatis coronabit[l], qui se videlicet munierunt velut scuto, meritis passionis Christi[m].

f Ps. 90. 4. g Ephe. 6. 16. h Prou. 30. 5. i Thren. 3. 65. k ibid. l Ps. 5. 13. m hoc modo Carthus. & Pint. in Thr.

Porrò nomen ὁσιότητος Interpres solet interpretari *sanctitatem*, & ὁσίως, *sanctè*, & ὅσιον, *sanctum*, vel *purum*, & non rarò iungere nominibus δικαίῳ, & δικαιοσύνης, *iusti*, atque *iustitiæ*[n], tanquam rei diuersæ. Attamen constat habere etiam significationem *iustitiæ*, & *æquitatis*, *æqui*, ac *iusti*. Hoc loco Interpres variauit vocem, ponens pro *iustitia*, quam posuerat priùs, *æquitatem*. Sed licèt æquitas denotet interdum moderationem quandam iuris ac iustitiæ, quæ vocatur aliter ἐπιείκεια, non videtur ad rem hæc acceptio, quamuis placeat Carthusiano: nisi dicas mentionem de exhibita quondam lenitate ista & pietate, futuram loco scuti inexpugnabilis, ita vt non possint impij causari nimium rigorem Dei. Verùm Carthusianus loquitur de æquitate in ipsomet Iudicio, vbi licèt citra condignum decernenda sit in impios sententia; tamen totus hic locus in antecedentibus, & consequentibus continet potiùs exaggerationem diuinæ seueritatis. Nec illo modo aptè diceretur æquitas scutum inexpugnabile. Principis, Iudicis, Pastoris inexpugnabile scutum sanctitas est, cùm reprehendi, arguíve de pec-

n Luc. 1. 75. Ephes. 4. 24.

A cato non potest[g]; sed pascit *in innocentia cordis, & in intellectibus manuum*[h], vt nec in intellectu sit error, nec vitium in voluntate. Vide loci vltimi Commentarium nostrum.

g Ioan. 8. 46. h Ps. 77. 72.

Vers. 21.] Acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Iam sermo de armis ad oppugnādum & offendendum, cui rei vniuersitas quoque seruiat creaturarum.

B *Acuet.*] Hæc metaphora satis frequens est ad significandam vehementem iram Dei[c], vt dicatur acui gladius.

c Deut. 32. 41. Ezech. 21. 9. 10. 11. 16.

Duram iram.] Meliùs in emendatis (*duram*) quàm in aliis codicibus non paucis (*diram:*) ἀπότομος tamen patitur vtramque significationem, & capite sequenti[d] redditur *durissimum*. Hic Deus irascitur, sed miseretur[e], cùm iratus fuerit, misericordiæ recordatur[f], non obliuiscitur misereri, neque continet in ira misericordias suas[g]. Ibi arguet in ira, & corripiet in furore[h]: ibi iudiciū sine misericordia[i]: ibi claudetur ianua[k], & nesciet[l] peccatores, vt approbet, vel parcat.

d vers. 6. e Ps. 59. 3. f Abac. 3. 2. g Ps. 76. 10. h Ps. 6. 2. Ps. 37. 2. i Iacob. 2. 13. k Mat. 25. 10. l ibid. 12.

C *In lanceam.*] Quæ ferit etiam eminùs; quoniam attinget etiam quæcūque remota, & penetrabit, inquit Bonauentura. Et quidem postremum vulnus Christo mucro diræ lanceæ intulit[m] (idcirco diræ, quia in mortuum sæuiit:) vt videant in quē transfixerunt[n]. Longinus vulnerator fertur, cui forsan nomē à λόγχη, id est, *lancea*; tametsi paronomasia potiùs est, quàm veritas, cùm alios ita vocatos sciamus, vt qui primus exarchatum gessit in Italia, & alij plures eiusdem nominis, quamuis illo posteriores.

m Ioan. 19. 34. n ibid. 37. Apoc. 1. 7.

Lancea quidem propriè longius telum est, tamen videtur aliquando poni pro quouis iaculo, seu spiculo[o], etiam pro sagitta[p]. Hoc loco est ῥομφαία, non λόγχη, à qua deriuat Latinum *lancea* vocabulum Festus[q]; sed Varro[r], & Gellius[s] Hispanicum, Diodorus[t] Gallicum esse vult, dicique D à Gallis λαγκίαν. Lege de telis Petrum[u] Crinitum, & Lipsium[x]. Lanceæ inuentionem Plinius[y] Ætolis tribuit, & indicat Martialis[z]. Nihilominus *romphea* quoque, qua vsus est Ennius, pro framea sumitur, pro ense, pro iaculo longo, vt notat Hesychius[a]. Gellius[b] Ennium[c] citat, & ait esse Thracæ nationis telum. At Ennius *rumpheam* dicit, & penultimam corripit, necnon Valerius Flaccus[d];

o Budæus. p Iob. 16. 14. q de verbo signific. r 24. rerum diuina. s lib. 16. c. 30. t lib. 6. u lib. 13. c. 6. x 4. poliorcet. dial. 4. y lib. 7. c. 56. z 1. 7. epig. a in Lexico. b lib. 10. c. 25. c 14. annal. d lib. 6.

Æquáque nec ferro breuior, nec romphea ligno.

Interpres ῥομφαίαν solet interpretari *gladium*[e]: hoc autē loco voluit, & potuit *lanceam* reddere.

e Luc. 2. 35. Apoc. 2. 16. c 19. 15.

E *Pugnabit cum illo orbis terrarum.*] Armabit enim, vt dictum est, creaturam. Sic *de cœlo* quondam *dimicatum est* contra hostes Hebræorum, & *stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt*[f]. Huius belli si meminissent impij, nunc resipiscerent. *Memento belli*, dixit Iob Deus, *nec vltrà addas loqui*[g]. [Qui in cunctis deliquimus, ait Gregorius[h], in cunctis ferimur, vt impleatur quod dicitur; *& pugnabit pro eo orbis terrarum contra insēsatos.*] Liberabitur tūc creatura à seruitute corruptionis[i], ac ipsa se quodam modo liberabit, & vi quadā seruiens Deo ad puniendos impios, asseret in libertatem, quā videntur ei impij Deum offendendo, & abutendo illa, eripere.

f Iudic. 5. 20. g c. 40. 27. h hom. 15. in Euang. i Rom. 8. 21.

Contra insensatos.] Græcè (ἐπὶ τοὺς παράφρονας) quibus cùm licebat, non dedit vexatio intellectum[a], nec sentientes hîc diuinas animaduersiones, ei consentire voluerunt. Fecit aliquando quasi flagellũ Christus de funiculis[b]; at in Iudicio flagellum inundans cùm transierit, erunt impij ei in conculcationem[c]. Insensati hæc sibi ipsis creant mala, suisque peccatis arcessunt. Nam *de humo non egredietur dolor*, ait Iob[d]; quia nequaquam pœna de ea nascitur creatura, inquit Gregorius[e], quæ percutit: sed de ea proculdubio, quæ peccando vim percussionis extorsit. Sic autem orbis terrarum cũ Domino contra insensatos pugnat, quando in pœna delinquentium & elementorum aduersitas militat. Verum id est, saltem referendo ad originale peccatum: fieri autem interdũ potest, vt quis pœnam, vel potiùs pœnalitatem ferat, nõ propter peccatum à se perpetratum, sed ob alias causas. Ad rem tamen præsentem accommodatur sententia rectè, quia de impiis agitur. Sic quando Adæ dictum est[f]; *maledicta terra in opere tuo*, Chaldæus, & Aquila vertũt, *propter te*; Theodotio, *in transgressione tua*, & monet Hieronymus opera hîc non ruris colendi, vt plerique, inquit, putant, sed peccata significare; citátque quos dixi Aquilam, & Theodotionem. Eò spectant qui spinas ac tribulos, noxiásque herbas natas dicunt solùm post peccatum primi parentis: de qua re nonnihil in cap. 12.*

Prodigia quæ contigerunt patiente Christo in omni creaturarum genere, & creaturarum prodebant quodam modo pro Domino suo cõpassionem, & simul indignationem contra tam immane scelus Deicidij. Vergente ad exitum humano genere, propter quod omnia creata sunt, totus contristabitur mũdus, inquit auctor operis imperfecti[g], vt turbari domus tota solet patrefamilias moriente (sic Dionysius[h] eclipsi Solis visa, dicebat naturæ auctorem pati:) simul tamen etiam indignabitur, ac pugnabit aduersùs impios iudicio mox sistendos, statim etiam reformandus, & vindicandus in libertatem, in gratiam iustorum, siue filiorum Dei, vt paulo antè diximus. Mirari verò quis possit à diligente posteriore Enarratore[i], qui cribrat mea omnia, excutitque, prætermissam explanationem huiusce versus 21. aut adeò leuiter, breuitérque perstrictam.

Vers. 22.] Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.

Describitur pugna, & proditurì milites in pugnam: ac primo quidem loco fulgurum iacula probè collimata iacientur, & instar sagittarũ à nimis intento arcu vehementer emissarum desilient. Signa Iudicium præcedentia numerantur non pauca: sed haud satis certo auctore. Disserit de his noster Suarez[k] ex posterioribus accuratè, & Hieronymus Magius propriè de exustione mundi. Hoc illustrissimum signum erit, isto, vt videtur, indicatum loco per emissiones fulgurum, & in Euangelio[l] per stellas cadentes de cœlo. Licèt verò velint nonnulli conflagrationem futuram tantùm post generalem anastasim finitúmque Iudicium; dicendum ante Iudicium ignem futurũ. Cõmunis opinio est Scripturæ testi-

A moniis non obscurè significata[a]: quæ tamen non euincũt necessariò qua de causa, siue vt eo tẽpore viuentes quoscumque homines interficiat, illicò suscitandos: siue vt maculas purget iustorum, si quas aliqui tunc habeant: siue vt expurgentur elementa, mundúsque inferior. Sed sunt hi dicendi modi minùs probabiles, vt rectè Suarez[b] probat. Itaque Iudex ignem emittet, & fulgura multiplicabit, vt conturbet[c], ac inflammet in circuitu inimicos suos[d]: *accelerabit coruscationes emittere Iudicij sui*[e]: fulgurabit coruscationem, vt dissipet eos, emittet sagittas vt conturbet[f]; imò & cruciet illorum corpora suscitata, quemadmodum & corporum suorum iusti dotibus

B gloriosis incipient frui, & eodem igne dicentur quodam modo purgari, quia illius molestum sensum non experientur. Hac ratione potest intelligi quod solenniter canimus (*qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem*) & similes quorundam Patrum sententiæ.

Tunc autem satis erit, si mittatur ignis vbi primùm resurrexerint omnes, ea mole spatióque, quæ sufficiant impiis inuoluendis, donec Iudicium perficiatur; quo finito tanta sumat incrementa, vt valeat amburere mundum vniuersum. Porrò etsi sciri nequeat, vt Augustinus[g] profitetur, vnde generandus sit hic ignis, aliqui verò ab ipsomet inferno euocandum putent; nihilo-

C minus magis facit ad repræsentandam diuinam iustitiam, irámque, & ad incutiendum terrorem impiis, si è regione superiore, quod Lactantius[h], pluresque affirmant, & magis præ se ferunt Scripturæ, demittendum dicamus. Hoc sibi volunt illæ, cùm præcedentem describunt ignem ante faciem Iudicis, ac veluti prodeuntem de throno, & de ore ipsius; stellas casuras de cœlo; & in præsenti loco fulgurum emissiones directè futuras: vel certè fulgura ista, & similes ignitæ impressiones, quas vocant sydera discurrentia, & volantia, erunt velut prodromi ac prænuncij dictæ exustionis per copiosiorem ignem tanquam ab alto missum, quo eum cumque Deus modo aut aduehat, aut producat.

D Non sunt quidem sanè stellæ, veræ cœlestésque, quas meliores Philosophi faciunt incorruptibiles cum cœlis[i]: tamen trito sermone multorum φάσματα quoque illa ignita stellarum habent nomen[k], quando ὑπέκκαυμα distenditur in longum, & in particulas modicas dispergitur cum latitudine, ac magnitudine conuenienti[l]. Non etiam cadent sydera cœlestia, quòd claritate luminis euicta diuini, non amplius esse videbuntur in cœlo, ac idcirco decidisse[m]; vel quia fumo exustionis obscurabuntur[n], quo pacto cecinit Ouidius[o];

E *At Phaëton rutilos flamma populante capillos*
Voluitur in preceps, longóque per aëra tractu
Fertur, vt interdum de cœlo stella sereno,
Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.

Multo minùs per casum astrorum accipi dæmonum lapsus debet[p]. Iuxta ea quæ hactenus sunt dicta, oportet nos intelligere alios Scripturæ locos, in quibus cecidisse de cœlo stellæ dicuntur super terram[q].

Ibunt directè emissiones fulgurum.] Græcè (πορεύσονται εὔστοχοι βολίδες ἀστραπῶν, *ferentur bene collimata, seu certa, non irrita iacula fulgurum*, siue *fulminum*) Synonymè namque sumuntur ista: quamuis propriè fulmen telum sit quod emittitur: fulgur, ignis, & coruscatio emicans cum fulmine: ful-

a Esa. 28. 19.
b Ioan. 2. 15.
c Esa. 28. 18.
d c. 5. 6.
e 6. moral. c. 8.
f Gene. 3. 17.
* vers. 4.
g hom. 49. in Matth.
h epistol. ad Demophil.
i Ceruantes.
k tom. 2. in 3. p. disp 56.
l Mat. 24. 29.

a Ps. 49. 3. Ps. 96. ... 15 16 Dan. 9. ... Ioel. 2. 3. 2. Cor. 3. 13. 2. Thess. 1. 8. 2. Petri 3. 10. 11. 12.
b tom. disp. 57. sect. 1.
c Ps. 17. 15.
d Ps. 96. 3. 4.
e Eccli. 43. 14.
f Ps. 143. 6.
g 20. de ciui. c. 16.
h 7. institut. c. 19.
i Chrysost. & Euthym. & Maldona. aiunt. corruscandas, & casuras stellas.
k Virgil. 1. Georg. & 5. Aeneid. Senec. in Hippoly act. 2.
l Arist. 3. Meteor.
m Hilar. & Hierony. & Matth. c. 24.
n Orige.
o 2. Metamorpho.
p Euseb. in catena.
q Apoc. 6. 13. Esa. 34. 4.

getrum, fulgor sine fulmine. Cecidisse dicitur de cœlo Satanas tanquam fulgur [a], id est, fulmen, quod cadit, non autem fulgur præcisè sumptum. Eodē sensu exire scribitur vt fulgur iaculū Dei [b]. Vocem βολίδες exposui in Actibus Apostolicis [c]. Plinius [d] bolida facem cognominat, dicitque quòd perpetua ardēs longiorem trahit limitem. Haud absimilem Iob [e] profert de Deo sententiam: *subter omnes cœlos ipse considerat* (Hebr. ישר *iaschar, dirigit*, vt à שרה *scharah, distorquet, dissoluit*) nimirū fulgura. Diuina virtus inest in fulgure, fulminéque, vt Senecæ videtur [f]; quoniam eadem necessitate cadit, qua excutitur, cùm tamen ignis sua natura in verticem surgat. Dirigit ea Deus quò vult, sicut & alias omnes meteorologicas impressiones, vt paulo pòst hîc subiicitur; docétque ipsemet Deus apud Amos [g] 8. Brutum est ac vanum fulmina vocare bruta, vt Plinius [h] facit, vanáque: nec error est vulgi, vt sibi Seneca persuasit [i], figmentúmque Poëticum, Iouem dicere fulminātem, fulgurantem, fulgentem, tonantem, vt coërceantur imperitorum animi. Non erant imperiti hi, quos fulgura multiplicando conturbauit Deus [k]. Ipse rursum Deus ait; *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi: Adsumus* [l]? scilicet vt repercutiātur, ac resiliāt quo ille voluerit modo, & quasi ad eius nutum reflectant, ac sistāt rectum cursum suum. Admirabilis quædam obedientia fulminis, quod tanto fertur, ac tam obliquo, atque præ rapido impetu, sicut Meteorologici [m] testantur; ita vt non immeritò à Iob [n] intelligi putent nonnulli [o] per colubrum tortuosum, obstetricante Dei manu eductum, quando nubibus magna vi præruptis quodam quasi non solùm mugitu, sed etiam gemitu, parturientis instar, exit. Postremò potentiam Dei hac ipsa re non absque epiphonemate Iob [p] exaggerat; *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter: qui facit magna & inscrutabilia*; propter admirabiles fulminis effectus, vt exponit Caietanus [q], quos modò perscrutari nō vacat. De his disseruimus in Meteorologicis.

Credidit antiquitas iratum Iouem tonare, ac fulminare, vt impios ac periuros vlciscatur, vel violata loca sacra. De hoc Turnebus [r], Scaliger [f], Renardus [t]: præterea quæ fulmine tangerentur, nefasta sunt habita, ac malè ominosa. Testes Plinius [u], Liuius [x], Iulius [y] Obsequens. Talis Lutherus fulmine consternatus [z]: talis Anastasius Imperator hæreticus ictus eodem & extinctus. Nos his tamen omnibus certā fidem denegamus, cùm non minùs possint proborum virorum similia proferri exempla; & Lutherus ipse adhuc Catholicus & adolescens piam inde mentem religiosi susceperit instituti.

Et tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur.] Desideratur vltimum verbum Græcè: in Bibliis autem Regiis irrepsit νεφρῶν pro νεφῶν, sine sensu; νεφρὸς enim *ren* est. Legunt etiam aliqui, teste Hugone pro (*à bene*) *habene*, vel in datiuo singulari, vel in nominatiuo plurali, vel *habena* in ablatiuo singulari: præfert ex his secundam lectionem, & exponit (*ibunt emissiones fulgurum directè, & tanquam habena*) id est, ac si regerentur habenis: tum inchoat nouam orationem (*curuato arcu*, &c.) Nil opus istis, si Græca inspiciantur (ὡς ἀπὸ εὐκύκλου τόξου.) Perseuerat porrò eadem sententia de fulguribus, seu fulminibus, quæ tanquam βολίδες, id est, *iacula*, & *sagitta* ex intentissimo arcu dimittantur, & aduersarios exterminent. Nec est ad iridem, qui dicitur arcus cœlestis, allusio, vt voluit Bonauentura, Olcot [a], & Carthusianus, quasi denotetur, tam citò dissoluendos impios, quàm celeriter arcus ille resolui solet. Vocantur fulmina sagittæ Dei [b], & fulgurans hasta [c].

a Luc.10.18. b Zachar. 9.14. c c.27.28. d lib.2.c.26. e c.37.3. f 2.qq.natural.c.25.& 31. g c.4.7. h lib.2.c.43. i 2.nat.qq.c.41.42.43. k Psal.17. l Iob.38.35. m Arist. 1. Meteor. Senec.2.qq.nat. c 28. Alber. tract. de fulminib c.21. n c 26 13. o Pineda ibidem p c.37.5. q ibid. r 16. aduers. c.22. & lib. 29 c 29. f in Festum, voce occisū. t c.22. in leg. 12. tabu. u lib 14.c.19. x lib.2 dec.3. y de prodig. c.71.& 87. z Cochlæus in gestis Luth.

Et ad certum locum insilient.] Græcè (ἐπὶ σκοπὸν, *ad scopum*) quem scilicet, vt ante dixi, Deus sibi proposuerit, & intenderit. Sic, exempli causâ, in Gessen Hebræi plagas non experiebātur, quas ibi circum ac Ægypto tota habitantes Ægyptij [d]. Hoc aptissimè declaratur per fulmen, quod quasi delectum haberet, certumve consilium, ouum consumit illæso putamine: dolium exhaurit, id relinquens integrum: exanimat fœtum absque matris noxa: æs liquefacit intacta crumena, ensem in vagina, &c.

Vers. 23.] Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.

ALia duo tela, grandinis, & aquarum inferiorum in mari fluminibúsque. Primum ex his non de duris tantùm verbis Iudicis Christi, qui & ipse petra dicitur [e], debet intelligi cum glossa interlineari, Hugone, & Olcot [f]: est namque mysticus hic sensus, vt Lyranus monet; sed de veris grandinis petris. In libro Apocalypsis [g] præter fulgura, voces, tonitrua, terræmotum, inūdationes, recensetur grando magna sicut talētum descendens de cœlo in homines. Inter grandiores plagas Ægypti grando fuit [h]; & plures occidit sub Iosue Deus grandine, quàm gladio ex hostibus [i]: quam admirabilem Dei potentiam exaggerat Ecclesiastici auctor [k] his verbis. *Inuocauit* (Iosue) *Altissimum potentem in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum magnus & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valdè fortis*, &c. *vt cognoscant Gentes potentiam eius, quia contra Deum pugnare non est facile.* Item [l]: *In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis.* Vtrunque Deus ipse apud Iob [m] complexus est, potentiam scilicet suam, & vsum grandinis tanquam teli; *Numquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti: quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?* & apud Ezechielem [n] cum peste, sanguine, imbre vehemēti, ignes, & sulphuris pluuiam, lapides immensos, id est, grandines, minatur Deus. Lege quæ diximus ad illa verba Psalmi 67. [o] *Dum discernit cœlestis Reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon.* Huc etiam facere potest illud Horatij [p];

Iam satis terris niuis, atque diræ
Grandinis misit pater.———

A petrosa ira.] Græcè (ἐκ πετροβόλου θυμοῦ, *à petras iaciente ira*) ab ira, quæ tanquam funda, vel catapulta petras iaciat, vt exponit etiam Cantacuzenus. Erant in exercitu πετροβόλοι, *lapidum iaculatores*, & πετροβόλα, *petraria machina ad lapides iaculandos*, quales balistæ, catapultæ, &c. Adi poliorcetica Lipsij.

Excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.] Inter quindecim signa quæ solent ex Hieronymo recitari [q] (sed affert ea Emissenus [r] ex annalibus Iudæorum, nec vspiam repetiuntur apud Hieronymum) præcessura Iudicium, primum est, fore vt omnia maria cubitis quindecim supra montes omnes intumescant, nec refluāt, sed velut muri consistant. Apud Lucam [f] Christus

a lect.71. b Psal.7.14. Ps.17.15. Ps.139.4. Abac.3.11. c ibid. d Exod.9. e 1.Cor.10.4. f lect.71. g c.16.18.19.20.21. h Exod.9.18. & seq Ps.17.13.14. Ps.77.47.48. i Iosue 10.11. k c.46.6. l c.43.16. m c.38.22.23. n c.38.22. o vers.15. p lib.1.car. ode 2. q à Bonau. Olcot, & aliis. r ser. in Dom. 2. aduent. f Luc.21.25.26.

A prædicit fore confusionem sonitus maris & fluctuum, id est, ἀπορίαν, passuros mortales videlicet mentis quandam inopiam, hæsitantiam, stuporem, vt reddit Tertullianus[a]: quamuis Eusebius[b] intelligat aquarum arefactarum penuriam, vel congelatarum (tale comminatur Esaias[c] supplicium) Euthymius legat ἀπὸρροιαν, explicétque de maiore quodam fluxu refluxúque. Significantur autem dictis verbis horribiles aquarum commotiones, tempestatésque sonoræ, mirabiles elationes maris, in quibus, & in aliis, id est, in profundis eius, mirabilis apparebit Dominus[d]; ingens sonitus strepitúsque[e]. Eodem referri possunt effusæ phialæ, atque tubæ super mare, de quibus liber Apocalypsis[f].

B Spectauimus ipsi Romanorum in Tyberis eluuione consternationem. Antiquum malum, frustráque olim Christianis eius à Gentilibus obiecta causa, tanquam iratis contra ipsos Diis[g].

a de resurr. carn. c. 22.
b in catena.
c c. 19. 5. 6.
d Ps. 92. 4. Ps. 106. 24.
e Esa. 5. 30.
f 8. 12. & seq. c. 16. 3. 12.
g Tert. apol. & alij.

Excandescet.] Græcè (ἀγανακτήσει.) Malè igitur legunt aliqui (*scandescet*, aut *candescet*) quasi vel ascendat, vel allisione candidam spumam contrahat, vt solent irati; vel stridat, vt aqua candentis iniectione ferri. Hanc maris iram furorémque magis exprimit verbum *excandescendi*. Ipsum per se sua natura mare feruet, ac in eo comprimendo potentia Dei commendatur. Ipsius esse dicitur mare, ac fecisse illud[h]: ipse *conclusit* illud *ostiis, quando erumpebat* (LXX. *fremebat*) Aquila (*luctabatur*) *quasi de vulua procedens*[i], *& caligine illud quasi pannis*

C *infantiæ obuoluit*[k]; *& circumdedit illud terminis, & posuit vectem, & ostia*[l]: *& dixit* (siue *præcepit*) *Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*[m]. *Posuit arenam terminũ* illi, *præceptum sempiternum, quod non præteribit: & cõmouebũtur, & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud*[n]. Deum ergo qui hoc exemplo commoti non timent, nec à facie eius nunc dolent, quod ipse illis exprobrat[o], timere compellentur, quando reserabit maris ostia, fascias soluet, terminos auferet, vltrà procedere permittet, imò præcipiet. *Impij quasi mare feruens, quod conquiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum*[p].

h Ps. 94. 5.
i Iob 38. 8.
k ibid. 9.
l ibid. 10.
m ibid. 11.
n Ierem. 5. 22.
o ibid. 21.
p Esa. 57. 20.

D *Flumina concurrent.*] Græcè (συγκλύσουσιν, *inundabunt, obruent, submergent.*) Vnde κατάκλυσις, & κατακλυσμὸς, *diluuium*, & *inundatio*. Deduxit forsitan Interpres à συγκλύω, quod est *consentio*, non autem à συγκλύζω. Nihil tamen sensus variat.

Duriter.] Græcè (ἀποτόμως, *præruptè, furenter, sæuè*, &c.) Lege versum 21.

Vers. 24.] Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti diuidet illos: & ad eremum perducet omnem

E terram iniquitas illorum, & malignitas euertet sedes potentium.

NOn euadent impij: ventus quoque vehementissimus aduersùs illos prosiliet, ac turbine procelláque peruertet, cùm ipsosmet montes, ac terram totam concussurus sit. Nec alia verò stragis tantæ quærenda causa, quàm improbitas, quæ quamlibet potentes perdere idonea est.

Spiritus virtutis.] Græcè (πνεῦμα δυνάμεως, *ventus validus, vehemens*) sicut etiam appellatur in Psalmo[q]; *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis*; & in Actibus[r], *tanquam spiritus vehementis*. Lege à nobis

q Ps. 47. 8.
r c. 2. 2.

A ibi annotata. Reiiciendæ igitur expositiones de verbis voce Christi proferendis[a], vel de Angelis ministris in diuino Iudicio[b]. *Dominus in tempestate & turbine via eius*[c]. *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet*[d]. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis*[e]. Sunt hæ descriptiones iræ diuinæ ad rem præsentem accommodatæ. Ventos omnes proferre dicitur Deus de thesauris suis[f], imò & ore proprio efflare[g], ita vt vocentur quoque spiritus oris eius[h], & spiritus illius[i]. Id peculiariter conueniet ventis validioribus, qui propterea potiore iure virtutis Dei spi-

a sic Hugo, & Olcot, & glossa interl.
b sic Carthusianus
c Nahum 1. 3.
d Ierem. 23. 19.
e Esa. vlt. 15.
f Psal. 134. 3. Ierem. 10. 13.
g Iob 37. 10.
h Iob. 15. 30.
i Dan. 3. 65.

B ritus cognominentur. In ventis inequitat quodammodo Deus, supérque pennas eorum[k]: illis pondus facit[l], imperat iis, & comminatur, & increpat[m], & non fabulosè fictitiéque, vt Æolus, sed efficaciter ac verè

Luctantes[n] *ventos, tempestatésque sonoras*
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frenat.

ventorũ ratione quadam singulari creator vocatur[o]. Auctor Ecclesiastici[p] spiritus, id est, ventos (licèt alij angelos malos interpretentur) ad vindictam scribit esse creatos, & vt in furore suo confirment tormenta, cùm igne, grandine (pro qua corruptè legitur in Bibliis Regiis, & Complutensibus, aliisq; *mare*, θάλασσα, cùm debeat esse χάλαζα, *grando*, vt est in emendatis, quod non vidit,

k Ps. 17. 11. Ps. 103. 3.
l Iob. 28. 25.
m Matt. 8. 26. Mar. 4. 39. Luc. 8. 25.
n Virg. 1. Aeneid.
o Amos 4. 13.
p c. 39. 33. 34. 35. 36.

C qui tam oculatè non corrigenda corrigit[q]) fame, morte (hoc est, pestilentia:) præterea cum bestiarum dentibus, scorpiis, serpẽtibus, romphæa: fore, vt in mandatis Dei epulentur (quasi oblectentur punitione impiorum) & super terram in necessitatem præparentur, & in temporibus suis non prætereant verbum.

q Cerusates.

Turbo venti.] Græcè (λαίλαψ.) Potuit omitti (*venti*) nil tamen officit; sed rem exprimit magis. Alibi sæpiùs Interpres omitit. Quid sit, notum, scilicet ventus procellosus ac violentus, infernè sursum versùs repentè conuolutus[r]; qui vocatur etiam vortex, siue etiam ventus repercussus, circumactus, sæpiùs in se volutatus, eundem am-

r Arist. de mundo.

D biens locum, se in vertigine concitans[s], è maiore specu depressæ nubis erumpens absque fragore[t]. Sed nonnunquam *turbinis* voce Interpres idem vsus est, ad comprehendendam simul tempestatẽ & nubem, vt quando Deum locutum Iob de turbine narratur[u]; quod congruenter nequit procelloso vento perstrepenti, sed nubi, vnde fragor exitit, eóque peracto manet. Lege Pinedam[x], & Petrum Thyræum[y]. Hac forsitan de causa visum est Interpreti hoc loco turbinem venti exprimere; apud Iob autem[z], licèt eadem Græca dictio sit, tamen LXX. præter eam adiunxerunt aliam,

s Senec. 5. natural qq c. 13.
t Plin. lib. 2. c. 48.
u Iob. 38. 1. c. 40. 1.
x in c. 38. Iob
y lib. 1. de app. visibili. c. 1. 4. 8.
z c. 38. 1.

E διὰ λαίλαπος καὶ νεφέλης, & pro Latino vocabulo *turbinis* posuerunt νέφος, quod est *nubes*[a].

a c. 40. 1.

Diuidet illos.] Græcè (ἐκλικμήσει, *ventilabit*) ventilabro, seu vanno, qui dicitur λικμὸς, purgabit; vnde λικμάω, & ἐκλικμάω.

Ad eremum perducet omnem terram.] Græcè (ἐρημώσει, *desolabit, in solitudinem rediget.*) Communior expositio eremum pro inferno, terram pro terrenis hominibus accipit, quos eò perducat iniquitas: Lyranus de terræ elemento, cæterísque corporibus elementaribus, quæ conflagrationis igne purganda sint propter iniquitates factas in illis. Quidquid sit de huiusmodi purgatione, quã non arbitror propter peccata, sed in gratiam

beatorum futuram, mihi videtur istis vltimis verbis generalis clausula contineri, qua doceatur originem malorum esse iniquitatem, ita vt non sit Iudicij supremum tempus expectandum; sed etiam antè adhuc in ista vita percipiantur iniquitatis effecta mala, qualis vastitas & solitudo terræ, hoc est, regionis, ac prouinciæ alicuius totius, imò & habitabilis orbis.

Etenus porrò, desertum, solitudo, vel dari, ponique in desertum, &c. denotant extremũ quoddam malum, cùm quis non tam loco, quàm fauore, auxilio, commercio, rebus necessariis, vtilibus, iucũdis destituitur. *Dabo te in desertum,* ait Deus [a], *& in opprobrium Gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis. Ecce* [b] *dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea.*

a Ezech. 5. 14.
b Esa. 13. 9.

Rectè iniquitati Scriptura tribuit, vt vastet, destruat, deleat, in solitudinem redigat terram; cùm sit etiam inter nomina iniquitatis, ac desolationis affinitas, הַוָּה *hauuah*, seu הֹוָה *houah*, & עַוָּה *hhauuah*. Id obseruauimus in Commentario Psalmi 106. [c] *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim: terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Cui similis sententia est in priore Psalmo 105. [d] item in Threnis [e], & in historia Regum [a]. Quò spectat subtilis Pradi nostri, quem citat non ingratus discipulus [b], enumeratio rerũ per sex dies creatarum, quæ à peccato deprauentur, & peruertantur; lux quidẽ, vt indicatur apud Ieremiam [c]; firmamentum verò apud Esaiam [d]; herba, lignúmque pomiferum rursus apud Ieremiam [e]; luminaria iterum apud Esaiam [f]; volatilia cœli, & pisces adhuc apud Ieremiam [g], & Ezechielem [h]; quadrupedia, homóque ipse apud Oseam [i], cum eodem Ieremia [k]. Attinguntur omnia ab Euangelistis [l] præcedentia Iudicium signa describentibus.

c vers. 33. 34.
d vers. 38. & seqq.
e c. 1. 4.
a lib. 4. 22. 23
b Ceruantes.
c c. 4. 23.
d c. 34. 4.
e c. 7. 20. & 12. 4.
f c. 13. 9. 10.
g c. 4. 25.
h c. 38. 10.
i c. 4. 1.
k c. 4. 24.
l Mat. 24. 29. & seqq. Luc. 21. 25. & seqq.

Iniquitas illorum.] Græcè (ἀνομία.) Restituta nunc est germana lectio pro ea quæ priùs erat in Complutensibus, Regiis, aliisque codicibus (*iniquitatis.*) sicut legit etiam Carthusianus, & immeritò præfert Olcot [m] alteri: Bonauentura & Hugo lectionem vtramque declarant.

m lect. 72.

Malignitas.] Græcè (κακοπραγία.) Non est peccatum solum ex malitia, vt ait Olcot [n], sed quodlibet malè factum; quamuis ad illud possit restringi, vt & κακοπραγὴς non tantùm ad maleficum, sed etiam ad dolosum; quemadmodum κακοῦργος & κακουργία. In hoc Latinum vocabulum effutilissimè digreditur is [o], qui ne breues quidem, & opportunas in aliis ferre notationes potest. Quod & in opere toto solenne eidẽ est ad nauseã vsque.

n suprà.
o Ceruantes.

SVMMARIVM.

TRACTATO priùs hinc inde impiorum iustorúmque discrimine, atque opposita conditione & statu, redit Auctor ad salutaria monita, quæ dat propriè Regibus, ac Iudicibus, quibuscum illi hoc libro esse præsertim sermonem, iam non semel admonui. Hos exhortatur ad sapientiam, iustitiámque sectandam, insistens in eo adhuc, vt quàm grauia malè regentes maneant supplicia, demonstret. Docet præterea obuiam esse sapientiam quærentibus eam, & eius acquisitionem vtilem; sed impedimentum fieri ab inuidia.

CAPVT VI.

1 MElior est sapientia quàm vires: & vir prudens quàm fortis.

2 Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ.

3 Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum.

4 Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur:

5 Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis.

6 Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.

7 Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.

8 Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.

9 Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

10 Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis.

11 Qui enim custodierint iusta iustè, iustificabuntur: & qui didicerint ista, inuenient quid respondeant.

12 Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam.

13 Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam.

14 Præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.

15 Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet.

16 Cogitare ergo de illa sensus est consummatus: & qui vigilauerit propter illam, citò securus erit.

17 Quoniã dignos se ipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.

18 Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia.

19 Cura ergo disciplinæ, dilectio est: & dilectio, custodia legum illius est: custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est:

20 Incorruptio autem facit esse proximum Deo.

21 Concupiscentia itaque sapiẽtiæ deducit ad regnum perpetuum.

22 Si ergo delectamini sedibus & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.

23 Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis.

24 Quid est autem sapientia, & quemadmodum facta sit referam: & nõ abscondam à vobis sacramenta Dei, sed ab initio natiuitatis inuestigabo, & ponam in lucem scientiam illius, & nõ præteribo veritatem:

25 Neque cum inuidia tabescente iter habebo; quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.

26 Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum: & Rex sapiens stabilimentum populi est.

27 Ergo accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis.

Vers. 1.] Melior est sapientia quàm vires: & vir prudens quàm fortis.

BONAVENTVRA, & Carthusianus hæc priori capiti connectunt: in Græcis verò libris omnino desunt, nec ea Cantacuzenus legit. Facilis porrò sententia similis ei quæ habetur Ecclesiastis extremo capite nono; *Melior est sapientia, quàm arma bellica, & qui in vno peccauerit* (minùs prudens) *multa bona perdet*. Repete quæ nos ibi annotauimus. Nemroticum Imperium nititur viribus, roboréque corporis [a]; & barbarorum est hinc metiri duntaxat regiam dignitatem, & Regis electionem. Videri potest versus iste sumptus ex Prouerbiis [b]: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

a Gen.10.8. 9.
b c.16.32.

A *Vers.* 2.] Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ.

Vers. 3.] Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum.

ET in sententiis, & in verbis commoratur, inquit Cantacuzenus, vt auditorum animos excitet, idque humaniter. Humanitati emphasim coniunctam puto, iis positis quæ præcesserunt. Nec enim tanto apparatu exorsus est sermonem, verùm simpliciter illis verbis; *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram*, &c.

Audite ergo Reges.] Qui regunt, docere debent;
B iidémque sunt apud Apostolum [a] doctores qui pastores; &, auctore Varrone [b], magistratus vocantur quasi magistri. Hoc ipsi per se cùm non possint, aliena libenter vti doctrina, & consilio debent. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram* [c], &c. *Si* enim *dilexeris audire, sapiens eris* [d]. Salomon cum sapientia poposcit à Deo sibi quoque dari cor docile [e], לֵב שֹׁמֵעַ *leb someahh, cor audiens*, καρδίαν φρονίμην, *cor sapiens*; quasi pars sapientiæ sit audire. Pater huius Dauid affirmabat [f] consilium suum esse iustificationes Dei; Hebraicè גַּם־עֵדֹתֶיךָ שַׁעֲשֻׁעָי אַנְשֵׁי עֲצָתִי *gam hhadothecha schahhaschuhhai ansche hhatsathi, sed & testimonia tua voluptas*, aut *voluntas mea, quasi viri amicissimi mei*, vt
C vertit Hieronymus. Docilitatem Plato, Macrobio [g] teste, ac approbatore B. Thoma [h], posuit inter partes prudentiæ; & vltimus docet, maioribus quoque, nec subditis duntaxat, necessariam esse [i]. Hispani ac Itali quosdam Iudices vocant auditores: debent namque qui rectè iudicare volunt, partes audire. Qua phrasi præceptum istis legimus; *Audite illos, & quod iustum est iudicate* [k]; & Iob optando dicebat [l]; *Quis mihi det auditorem, vt desiderium meum audiat?* Existimo nominis quoque rationem esse posse, vt faciles sint ad audiendã, capiendáque consilia. Habent omnes Principes Consiliarios suos, Senatum, Parlamentum, Diætam, Consistorium, aut quo alio nomine vocetur. Audire vt minimum debent, qualis qualis
D tandem decernẽdi penes ipsos potestas sit, quam ferè omnes ita moderantur, vt in edictis ac legibus de suorum consilio adhibito meminerint. Assuero *aderant semper more regio sapientes, quorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac iura maiorum* [m]. *Dissipantur cogitationes vbi non est consilium; vbi verò sunt plures consiliarij, confirmantur* [n]: & *ibi salus, vbi multa consilia*, quibus si gubernator non vtatur, *populus corruet* [o].

a Ephes.4.11.
b 4. de ling. Latina.
c Psal.2.10.
d Eccli.6.14.
e 3.Reg.3.9.
f Ps.118.24.
g libro 1. in Somn. Scipio. c.8.
h 2.2.q.49. art.3.
i ibid. ad 3.
k Deut.1.16.
l c.31.35.
m Esther 1.13.
n Prouer.15.22.
o Prou.11.14.

Disputat vbertim hoc argumentum Cardinalis Palæotus eo opere quod fecit de sacri Consistorij consultationibus, Martinus Laudensis tractatu de consiliariis, Boërius de auctoritate magni Consilij. Quis autem sapientiam, quæ hîc
E loquitur, quamlibet sibi sapere videatur, non audiat? Christus solus, quem nihil fugit, non egebat consilio, tamen præ se tulit petere cõsilium; *vnde ememus panes* [p]? Omnium suffragio damnatur Cæsar, nec in Dictatura, nec in Consulatu cõsilio Senatus vsus [q]: Nero, qui Senatum capitaliter oderat [r]: Hieronymus Siciliæ Rex, qui nulla de re conuocauit, vel consuluit publicum consilium [f]. Ruat necesse est omnis sine cõsilio, quod Hebræi סוֹד *sod* vocant, tanquam fundamentum, à verbo יָסַד *iasad*, Respublica. Igitur & rectè pro-

p Ioan.6.5.6.
q Suet. in vita.
r idem in vita.
f Liui lib.4. secundi belli Punici.

uocantur modò Reges ad audiendum, & saltem ad legendum præcepta ad se spectantia: sicut & Ptolomæum Demetrius Phalereus legere libros hortabatur huius ipsius argumenti, quòd propterea scriberentur, quia nemo ea Regibus, ac Ducibus dicere auderet [a]. Paulus inter Episcopi conditiones exigit, vt quamuis pertineat ad eum docere, sit nihilominus docibilis [b]. Fateor tamen *διδακτικὸν* significare, vt ita dicam, *doctiuum*, quem Paulus [c] doctorem nominat, scribens de conditionibus Episcopi, vbi est eadem vox Græca. Cyprianus [d], & Augustinus [e] eundem citans, docibilem passiue accipiunt pro eo, qui se doceri sinat, qui ad discendum sit patientia lenis, & mitis, nec tantùm doceat, sed & discat; quia & ille meliùs docet, qui quotidie crescit, & proficit discendo, ad meliora. Ex quo infert, de Baptismo disputans, quem aliquando Cyprianus nullum esse sensit, si conferretur ab hæreticis, sicut multa erant, quæ ille doctus doceret, sic fuisse & aliquid, quod docibilis disceret. Iacobus [f] sapientiæ quæ desursum est qualitatem vnam ponit, vt sit suadibilis, *εὐπειθὴς*, facile obtemperans sanis aliorum consiliis.

Quod verò attinet ad faciles aditus, audiendíque subditos facilitatem, oportet meminisse Magistratum illius, qui alteram sibi præberi aurem flagitauit, & à segniùs audiente pronocauit ad attentiùs audientem. In Psalmo 19. extremo quod legimus; *Domine saluum fac Regem, & exaudi nos*, &c. aliqui, interposita virgula, sic legunt; *Domine saluum fac, Rex exaudiat*, &c. Hieronymus autem ex Hebræo; *Domine salua, Rex audi*, vel *exaudiet, quoties inuocauerimus*. Lege loci illius Commentarium nostrum.

Discite Iudices finium terræ.] Sunt qui distinguãt audire, intelligere, discere, præbere aures, quod aliter dici solet, auribus audire. De primo, & extremo aliàs egi: intelligere, pertinere potest ad comprehensionem eorum, quæ dicuntur: discere, vt animo commendentur. Fines terræ designant amplitudinem dominij, vt in Psalmo 18. [g] non autem peccatores, nisi mysticè, quorum dicuntur oculi esse in finibus terræ [h].

Vos qui continetis multitudines.] Græcè (*οἱ κρατοῦντες πλήθους*, *qui regitis*, vel *dominamini multitudini.*) Nam *πλήθους* est genitiuus singularis, in quo etiam numero Lucifer [i] legit, licèt Augustinus [k] in plurali. *Κρατεῖν* verò significat non solùm *tenere*, aut *continere*, quod est *includere*; verùm etiam *voti compotem, & propositi fieri, obtinere*, necnon *dominari*. Et hanc Interpres innuit notionem; dicitur enim subditus contineri in obedientia, in officio, &c. & simpliciter, quasi inuitus teneri, & cohiberi. Valet præterea *κράτος* idem quod *robur, potentiam*, denique *dominium* & *imperium, potestatem*, vt versu quarto, vbi est *κράτησις*. Potest hoc in deteriorem sumi partem pro violento ac tyrannico dominio; alloquitur enim Auctor iniquos Principes, quod sequentia quoque denotant. Alioqui haud improbabiliter loquuntur, qui considerant in *continendi* verbo, & *τῷ κρατεῖν*, quasi Principes manu pugnóve potentiæ suæ concludant subditos; eos cohibeant, atque coërceant; legum veluti finibus, iugóque constrictos teneant; in sese habeant simul collecta omnia bona, ac virtutes, quas in illis requirunt, dispersæve in iisdem reperiuntur, quod innuitur nomine רב *rab* pro Principe, perinde ac si dicas multum, multiplicatum, multiplicem, denique electum ex millibus; qui

a Plutarch. in apophtheg.
b 2. Timo. 2. 24.
c 1. Tim. 3. 2.
d epist. 74.
e 5. de Bapt. contra Donat. c. 26.
f c. 3. 17.
g vers. 5.
h Prouer. 17. 24.
i pro Athanasio.
k in speculo.

gestet in ipsa veste orbem terrarũ, & parentum tribuúmque nomina, & magnalia [a]; præterea qui, exemplo Christi, dici possit respectu subditorum alpha, & omega, principium, & finis, primus, & nouissimus [b].

Politicè disputatur, vtrùm diuturnius Imperiũ plurium, an pauciorum regionum. Paulus Paruta clarissimus vir in discursibus politicis Italicè scriptis agens de Republica sua Veneta, vnam hanc assignat causam, cur diu steterit ea Respublica, quia ditioni potiùs conseruandæ studuit, quàm ampliandæ: contrà verò parum durauisse Regna, vel Respublicas, quarum amplior ditio fuit. Et id sanè aperta ratio cum experimento saltem in pluribus persuadet.

Placetis vobis in turbis nationum.] Græcè (*γεγαυρωμένοι*, *gloriantes, superbientes, exultantes.*) Hos monet Ecclesiasticus [c] sub persona præfecti conuiuij, *συμποσιάρχου*, modiperatoris, qui & magnus magister, atque rex conuiuij vocabatur, vel magister pincernarum, vel architriclinus, vel *τραπεζοποιὸς* [d]: *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Hac de re præcipuè Gregorius [e], cuius illa trita sententia.[Toties Prælatus in apostasiæ crimen labitur, quoties præesse hominibus delectatur.]

Parùm solida videtur mihi distinctio, vt Reges, & Iudices politicum designent Magistratum; Ecclesiasticum hi, qui continent multitudines, & placent sibi in turbis nationum [f]. Nec magis probabilis ratio petita ex נדבים *nedauim*, id est, *voluntariis*, quo primi principes generis vocentur quasi voluntarij, hoc est, sua, non alterius, ac ne Dei quidem, voluntate gubernantes.

a Exo. 28. 12. Sapien. 18. 24.
b Apoc. 21. 6. c. 22. 13.
c c. 32. 1.
d Rhodig. lib. 27. c. 18. & auctor antiq. conuiu.
e 2. p. Pastor. c. 6. & in moral. sæpe.
f Cerantes.

Vers. 4.] Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.

HOc ante omnia exigit, vt attendãt, quo gloriantur imperium, sibi à Deo esse commissum ac delegatum, non scilicet in proprium sui ipsorum commodum, sed aliorũ: Deum in actiones eorum inquisiturum, ipsásque cogitationes consiliáque diligenter examinaturũ, quæ in opus perduci nequiuerunt.

Data est à Domino potestas vobis.] *Non est potestas nisi à Deo* [g]: imò in manu Dei est potestas hominis [h], quasi quæ sceptrum gerit manus, videatur Dei manus; sicut & cor Regis in eiusdem Dei manu est [i]: nec potestatis Tyranni sine ipsius permissu haberent vsum, carentes iurisdictione, vt Pilato Christus protestatus est [k], atque diabolus ipse significauit, petita potestate in Iob [l], & in porcos [m]. Qui sine iurisdictione regnant, non ex Deo regnant [n], regnãdi potestatem legitimam dante, sed vsum permittente: vel legitimi Reges ex eodem non regnant, si non legitimè regant, abusi potestate contra Dei voluntatis præscriptũ. Permittens tamen Deus abusum illum, dare dicitur potestatem, ac Principes tales, sed in furore suo [o], sed propter peccata populi [p]. Vidit id etiã Plutarchus [q], aliíque: nos ipsi etiam nonnulla in eandem sententiam aliàs diximus [r], & afferuntur à Pineda nostro [s], & partim à Ribera [t].

Vt omnis porrò à Deo data potestas intelligatur, vel esse, non opus est, vt eam per seipsum im-

g Rom. 13. 1.
h Eccli. 10. 5.
i Prou. 21. 1.
k Ioan. 19. 11.
l c. 1. 11. & 2. 5.
m Matth. 8. 31.
n Osee 8. 4.
o Osee 13. 11.
p Iob. 34. 30.
q de sera numinis vindicta c. 4.
r in Eccle. c. 5.
s in c. 34. Iob.
t in c. 8. Osee. n. 6. & c. 13.

mediatè

mediatè instituerit: satis est quòd ab illo procedat per intermedias hominum voluntates, tanquam à primo principio & causa. *Per me Reges regnant*, inquit Sapientia [a]. Mentitus est diabolus Christo dicens [b]; *tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam eorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa*; vt bene notauit Irenæus [c]. Falsò item nonnulli primis illis Ecclesiæ temporibus exemptos existimarunt homines ciuili potestate, quæ res omnes reddidit exosos. Legendi Chrysostomus [d], Basilius [e], Augustinus [f].

a Prou. 8. 15.
b Lucæ 4. 6.
c lib. 5. c. 24.
d in c. 13. Ep. ad Rom.
e de constit. monast. c. 23.
f ep. 54.

Virtus.]. Græcè (ἡ δυναστεία, *dominatus.*) Referũt Expositores potestatem ad iudicandum, virtutem ad puniendum; vel illam ad causas ciuiles, hanc ad criminales. Synonyma videntur κράτησις καὶ δυναστεία.

Ab Altissimo.] De hoc epitheto Dei dictum alibi [g], tractando simile *Excelsi*.

g Act. 7. 48.

Interrogabit opera vestra.] Græcè (ἐξετάσει, *inquiret.*) Lege cap. 1. [h] vbi pro *interrogatione* habetur ἐξέτασις. Nil aquè valet ad coërcendos, & in officio continendos Principes, quàm si cogitent sibi rationem exactè reddendam omnium communi Domino. Sunt de hoc plures loci Scripturarum [i], tum in Ecclesiaste [k], quem nos exposuimus.

h vers. 9.
i Iob. 31. 14. Esa. 10. 1. Ierem. 5. 28. Ephes. 6. 9. Coloss. 4. 1.
k c. 5. 7.

Cogitationes scrutabitur.] Græcè (βουλὰς, *consilia, cogitata, & animo agitata*, vel *voluntates, siue volita.*) Propriũ id esse Dei alio loco [l] demonstrauimus.

l Act. 1. 24.

Vers. 5.] Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis.

NOn simpliciter dedit Deus rerum dominiũ hominúmque gubernationem; sed vice ac loco suo: noluit, imò non potuit, absolutos dominos constituere. Nec ideo non propriè dici homines domini possunt: sicut veræ sunt ac propriæ quæ vocantur secundæ causæ; tametsi respectu primæ, sine qua nihil possunt, soleant appellari instrumenta, perinde vt inferiores domini, supremi illius Domini ministri, seu de ciuili, seu de hierarchica & Ecclesiastica potestate, dominióve sit sermo. Quo pacto appellare solet Apostolus se, & sibi similes, seruos, adiutores, cooperatores, ministros, dispensatores Dei, ac mysteriorum ipsius.

Non rectè iudicastis.] Quamuis forsitan recta & iusta; quod non sufficit, vel Aristotele teste: sed & præcepit Deus; *iustè indica proximo tuo* [m]: *iustè quod iustum est persequeris* [n]; ex iustitiæ amore, ex interno habitu virtutis, proposito fine honesto, iuris ordine seruato, absque personarum respectu, non prece, non pretio, non odio, vel amore inordinato, non metu. De his ex Gregorio recitantur in decreto sententiæ causa 11. q. 3. [o] & ex Ambrosio causa 3. q. 7. [p] Tandem nemo rectè iudicat, nisi qui Iosaphat (meretur id nomen quod à iudicando ductum) monitũ ponit ob oculos [q]; *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini* (hoc idẽ est in Deuteronomio [r]) *& quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Dedecet ius ab iniusto dici, & sordescit, quamuis iusta ab iniusto Iudice prolata sententia, qui scilicet iustũ, at non iustè iudicat. Propterea vetabant Lacedæmonij pronunciari publicè sententiam iustam ab eo, qui fœdam egisset vitam; sed id iubebant fieri ab alio, cuius esset probata vita moré sque.

m Leuit. 19. 15.
n Deut. 16. 20.
o c. quatuor. & c. qui rectè. & c. iudicet.
q 2. Par. 19. 6.
r c. 1. 17.

Legem iustitiæ.] Græcè deest (*iustitiæ*) nec legit etiam Lucifer [a]. Legit verò Augustinus [b], & alij; & rem meliùs exprimit. Hîc digredi possemus in omnes partes boni Iudicis, & quando satisfacere debeat, si suo non satisfecerit officio. Sed Commentarij nolo fines iniustè egredi. Attingit Olcot [c] aliqua, & S. Thomas [d].

a pro Athan.
b in Speculo.

Valdenses [e] & Anabaptistæ putant illicita inter Christianos esse Iudicum munera atque iudicia. Non eget res confutatione, quam tamen qui desiderat, legat apud Interpretes B. Thomæ [f], qui posita veritate, quòd sit licitum iudicij munus, requirunt auctoritatem, ne sit vsurpatum; conformitatem cum iustitiæ regula & inclinatione, ne iniquum; conformitatem cum regulis prudentiæ, ne temerarium.

c lect. 76.
d in c. 2. Epistol. ad Rom. & 2. 2. q. 60.
e refert Guido.
f vt Valentiam 2. 2. disp. 5. q. 4. puncto

Alius error fuit Vvicleff, per quoduis peccatum mortale amitti auctoritatẽ iudicandi; quem errorem damnat Concilium Constantiense [g]. Minùs cõmunis etiam, & minùs probabilis opinio est, peccare mortaliter Iudicem, si exerceat iudicium in peccato mortali; licèt qui id facit seipsum damnabilem ostendat, & minore dignum excusatione [h].

g sess. 8. art. 15.
h S. Thom. sup. & 2. 2. q. 60. art. 2. ad 3.

Neque secundùm voluntatem Dei ambulastis.] Græcè (κατὰ τὴν βουλὴν, *secundùm voluntatem* signi, *secundùm consilium*) vel etiam præceptum. Posset cum Bonauentura exponi, non rectè aliquem iudicare, quando non subest causa iusta: nõ custodire legem, quando nõ seruat iuris ordinem: non ambulare secundùm Dei voluntatem, quãdo prauo fine, vel intentione procedit. Quid sit ambulare secundùm voluntatem Dei, & quàm sit necessarium se cõformare cum illa, docuimus aliàs. Cantacuzenus ait in primo notari iudicium rectum sine corruptela munerum, & personarum acceptione: in secundo legum obseruantiam: in tertio pietatem circa cultum Dei. Possunt quoque tota illa sententia innui tria munera Christiani officij; erga seipsum, vt lex custodiatur; erga proximum, vt rectè iudicetur; erga Deum, vt secundùm voluntatem eius ambuletur. Quod est sobriè, iustè, piè viuere [i].

i Tit. 2. 12.

Vers. 6.] Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.

DEinceps impiis, ac iniquis Principibus pœnarum comminatio fit, repentinæ, horribilísque calamitatis, & seuerissimi sine clementiæ spe iudicij, quam spem faciliùs tenues ac obscuri habent. Nam quibus plura commissa sunt, ab iis reposcetur expensi ratio maior [k], & pro re malè gesta punientur acriùs. Non veretur omniũ Dominus potentiam cuiusquam, nec vllius personam respicit: omnibus consulit, qui paruum, vt magnum fecit.

k Luc. 12. 48.

Apparebit vobis.] Græcè (ἐπιστήσεται, *instabit, ingruet, imminebit, adueniet, super vos stabit, superueniet.*) Itali (*soprastare*) dicunt de eo quod breui erit.

Iudicium durissimum.] Græcè (κρίσις ἀπότομος) pro positiuo superlatiuum. In superlatiuo vim faciunt Enarratores: vt τοῖς ὑπερέχουσι, *his qui præ-*

sunt,

sunt,qui super alios alios habent,fiat iudicium durum, quia male (aliquando) intrauerunt:durius,quoniam malè vixerunt:durissimum,quia malè rexerunt. Vel propter peccata subditorum, ministrorum, propria: vel ratione muneris, & peccati, quod, cæteris paribus, maius est,& dati damni: vel ob scandalum:& quia a iudicante se superioris priuantur officio:& quoniam iudiciū de aliis perperam fecerunt. Nec improbabile insinuari supplicij genus triplex, quo iure Gentium Iudices iniqui plecti solerent,pecuniariæ mulctæ,priuationis officij,amissionis vitæ. Extant leges ciuiles Codicis,& Digesti: meminitque tum Cicero [a],tum Gellius [b];& trita narratio de pelle,quæ ab iniusto Iudice detracta, sellæ iudiciariæ prætensa est [c]. In iure autem [d] orientali diras imprecantur Imperatores contra leges iudicantibus, horroris plenas. Lege Petrum [e] Gregorium.

Dominus patienter quidem tales *expectat* sæpenumerò, *vt cum iudicij dies aduenerit,eos in plenitudine puniat* [f]; qui scilicet magis fregerunt iugum [g] Domini,& Deo soli peccauerunt [h],quia non erat qui coërcere posset: & scandalizarunt plurimos in lege [i], & ipsi se condemnauerunt eadem facientes quæ iudicabant,damnabántque in aliis [k]: & cùm plus eis datum sit, plus quoque exigetur ab eis [l]. Nihilominus & ipse Iudicij, etiam vniuersalis horrendus dies, celer,citúsque dici solet, quia improuisus: & non rarò in hac etiam vita repentinus talibus interitus horribiliter superuenit, ipsáque mors illos occupat violenta, turpis, inexpectata, & post mortem particulare iudicium [m], Iudice ante ianuam assistente [n]. *Nolite plures magistri fieri, fratres mei*, ait Iacobus [o], *scientes quoniam maius iudicium sumitis*. Ista sanctissimos viros cogitatio remouit ab Ecclesiasticis præfecturis,vt Ambrosium [p], Augustinum [q], Chrysostomū [r], Synesium [s], Ephrem [t],Nilammonem [u], Ammonium [x], Euagrium [y],Marcum exercitatorem , Gregorium [z], Bernardum [a], S. Thomam Aquinatem [b], alios permultos. In regula Monacharum, quæ tribuitur Hieronymo [c], narratur, iuuenem patruo,qui dissuaserat Episcopatum,apparuisse post mortem,dixisséque;Gratias pater tibi refero ex dissuasione Episcopatus. Nam sciro quia nunc essem de numero damnatorum,si fuissem de numero Episcoporum.

De omnibus iudiciū sine dubio generale fiet, sed de iis maximè, qui iudiciariam in hac vita potestatem exercuerint; *eos, qui iudicauerunt te*,inquit Deus [d], *ego iudicabo*. Idololatriam exercente populo,iratus Dominus præcepit Mosi suspendere cunctos Principes populi, & suspendere contra Solem in patibulis [e]; nō verò solùm,vt Principes reos de populo suspenderent: quod immeritò probabilius ducunt Oleaster, & Abulensis contra communiorem aliorum sententiam,quam præcipuè ad hoc propositum egregiè tractant Origenes [f], & Augustinus, qui perpendit Græcum verbum παραδειγμάτισον, nimirum ad edendum in illis Principibus exemplum, qui, vt ait Origenes, non docuerint, non monuerint, non solliciè arguerint. Subdit: [Hæc si cogitarent homines, Principatus non ambirent:sufficit cuique propriis argui, & reddere rationem.] Meritò iniqui Iudices in Dei manus incident [g] horrendè, qui solent cum austeritate atque potentia imperare [h]: *Videntes turbabuntur timore horribili* [i] in die illo Domini magno,& horribili [k].

a pro lege Manilia.
b lib.20.c.1.
c Herodot. lib.5.Valer. Max.lib.6.c.3. Ammianus lib.23.
d lib.1.
e lib.50.synt. c.An.49.
f 2.Mach 6. 14.
g Ier.5.5.
h Psal 50.6.
i Malac.2.8.
k Rom.2.1.
l Luc.12.48.
m Heb.9.27.
n Iacob.5.9.
o c.3.1.
p in vita.
q in vita, & apud illum epist.148.
r in vita,& li bris de Sacerdotio.
s ep 57.
t Ni epho. lib.9 c.16.
u in martyrolog.
x Nicepho. lib.11.c.37.
y idem ibid.
z in vita, ipséque in epist.
a in vita.
b in vita.
c tom 9.c.15.
d Esa.49.25.
e Num.25 4.
f hom.20.in Num.
g Heb.10.31.
h Exe.14.4.
i Sap.5.2.
k Ioel 2 31. Act.2.20.

A *Vers.* 7.] Exiguo enim conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur.

MAiore dignus supplicio est, qui præditus maiore ad virtutem præsidio peccat; qui minore,minus meretur. Vel qui potentia impotenter vsus est, vt alios opprimeret, nec aliorum tactus misericordia est, magis in se concitat seueritatem Dei, qui *iudicium* facit *sine misericordia ei,qui non facit misericordiam* [a] : inops ac tenuis,etsi forsan peccet ipse, peccatum tamen ipsius non ita redundat in aliorum damnum,ideóque leuiùs puniri meretur.Exemplum dat Cantacuzenus in duobus,quorum alter stricto nos adoriatur ense, vt inermemat;alter res nostras diripiat:illū,si possemus,eodē momento vita spoliaremus, húc forsan verberibus duntaxat mulctaremus.Regiū est,

Parcere [b] *subiectis,& debellare superbos.*

Hinc porrò bene colligit Anastasius [c] Nicenus, Mosem propter paruum delictum prohibitum esse ingressu terræ promissionis: Deúmque ab iis, qui sunt in virtute perfecti (vel id profitentur) exigere perfectionem; in alios, qui magna admittunt scelera , lenem & clementem esse, Sanctis non dare hanc veniam. Infert etiam Hieronymus contra Iouinianum [d], disparia esse bonorum malorúmque merita:item [e] Ecclesiastiсos,v.g. si iisdem quibus hæretici sceleribus cōtineantur,maioribus suppliciis subiiciendos:præterea [f] in genere, illos duriora passuros,qui masculam valentes offerre Deo ac robústam actionem,offerant debilem,nimia mollitia fœmineam, &c. Adhæc [g], quòd qui seipsum consideret, & sciat, quia potentes potenter tormenta patientur,retrahet se ab Episcopatus non tam honore, quàm onere; & aliorum locum,qui magis digni sunt, non ambiet occupare. Quantum glorificauit se quis, & in deliciis fuit,tantum dabitur ei tormentum,& luctus [h].

Exiguo enim conceditur misericordia.] Græcè (ὁ γὰρ ἐλάχιστος συγγνωστός ἐστιν ἐλέους, *nam minimus, plebeius, vulgaris,pauper,veniabilis est,ac ignoscibilis* (vt ita dicam cum Gellio [i]) *misericordia dignus est, & venia, facilè parci ei potest, dignus cui parcatur ex misericordia.*) Verum est quod Interpretes dicunt de peccante ex infirmitate, passione,ignorantia,vel etiā de humili: sed simplex sensus est,ignosci faciliùs pauperibus, quos vel adigit quodammodo necessitas ad peccandum, vel minùs lædere alios solent.

Potentes autem potenter tormenta patientur.] Græcè (δυνατοὶ δὲ δυνατῶς ἐτασθήσονται, *validè, firmiter, vehementer inquirentur proceres , primores* (οἱ δυνατοὶ Περσῶν apud Thucydidem [k]) *magna exactáque de iis inquisitio fiet, quæstioni ac tormentis rigidè & seuerè subiicientur*, ἐμβριθῶς, πικρῶς, λίαν ἀκριβῶς, *vt veritas palàm constet*) hoc est, quàm iniqui sint & impij.

Vers. 8.] Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus , nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.

NEc acceptator est personarum Deus , vt aliis toties locis testatur Scriptura [l], & de

a Iac.2.13.
b 6.Aeneid.
c q.7.& 35. in Sénp.
d lib.2.
e in c.11. Oseæ,& c.5. Matthæi.
f in c.1.Malach.
g in c.1.Epist. ad Tit.
h Apoc.18.7.
i lib.13.c.20.
k lib 1.
l Deuteron. 10 17.1.Paral. 19.7 Iob 34. 19. Eccli.35. 15. Rom.2.11. Gal.2.6 Ephe. 6.9 Coloss. 3. 25.1.Pet.1.17. Act.10.34.

Christo

a Mat.22.16. b Act.10.34. Christo ipsiusmet aduersarij [a], nosque nonnihil alibi [b] docuimus: nec omnipotenti resistere quis, quamlibet potens, valet: nec sui creatoris vlla res effugit prouidentiam. Sed quod attinet ad primum sententiæ caput, admodum simile illud, & aptum proposito, quod est in libro Iob [c] (c c.34.19.20.): *Qui non accipit personas Principum, nec cognouit Tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius sunt vniuersi. Subitò morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu*, &c. Deus etiam apud Ezechielem [d] (d c.18.30.), *vnumquemque*, ait, *iuxta vias suas iudicabo*; & Plato in iudicio Deum docuit nec Achillis, nec Thersitis rationem habiturum, summi, infimi.

Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, qui est omnium dominator.] Græcè (οὐ γὰρ ὑποστελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης, *non enim demittet vultum suum, quasi timeat, omnium Dominus.*) Quidam codices, de quibus Iansenius, habent *(non enim subtrahet personam cuiusquam Dominus)* detractis illis *(qui est omnium dominator.)* Sic est quoque apud Luciferum [e], & Augustinum [f] (e 1. pro Atha. f in speculo.), qui tamen legit tempore præsenti (*subtrahit.*) Eodem redit sensus. Nam qui non timet, liberè iudicat, nec subtrahit, seu eximit quemquam à iudicio: & ὑποστέλλειν ac ὑποστέλλεσθαι significat *subterfugere, subducere*, item *animo demitti*, & *contrahi, metuere, refugere, vires remittere*. Interpres editionis noui Testamenti vertit per *subtraho* [g], & *subterfugio* [h] (g Gal.2.12. Heb.10.38.39. Act.20.20. h ibid.27.). Quamuis autem sæpiùs verbum Græcum relatiuè sumatur ad personam propriam, & non ad alienam, vt ὑποστέλλειν sit *subtrahere seipsum*, & addendo πρόσωπον, *faciem, personámve propriam*; tamen sensus ab Interprete expressus non est discrepans, vt dixi: quin etiam ad significãdum non esse personarum acceptatorem Deum, aptiùs eo modo dicitur.

Ad eas verbi ὑποστέλλειν acceptiones referri possunt adeò multæ aliæ, quas nimis anxio, ne dicam superfluo, studio quidã [i] (i Ceruantes.) colligit hoc loco, nempe vt sit eximere se, vel alium, alienam personam captando propter metum, spémve: subterfugere animo demisso, remisso, contracto, ac se subducere damno siue periculo: separare, diuidere, distinguere ab aliis: decenter componere, inuoluere, tegere, operire: segniter ac remissè agere: subtrahere iustæ possessioni; coarctare, definire, concludere. Non satis aptè dixeris hæc omnia de nõ subtrahente personam alterius, vt perpendenti constabit.

Magnitudinem cuiusquam.] Posteriori dictioni nulla respondet Græca.

Magnitudo porrò abstractè, vt & maiestas, dominatio, principatus, potestas, virtus, capitur pro prædito magnitudine, maiestate, dominatione, principatu, potestate, virtute. Nec tamen placet [k] (k Ceruantes.) magnitudine hic significari eam, quæ re ipsa sit talis, & vera; per personam, quæ solùm ficta & simulata. Frustra quoque tam prolixa digressio de ore, seu pro facie, seu pro sermonis instrumento, Videtur velle omnia simul effundere, nimísque superfuturæ vitæ diffidere.

Pusillum & magnum ipse fecit.] Etiam mediocrem. Sed extremis media concluduntur. Lege caput primum Actuum Apostolorum [l]. Ordo hic alibi aliquoties [m] seruatur, vt priore pusilli ponãtur loco, & interdum cùm agitur de aliis rebus [n]; quamuis etiam aliquando [o] immutetur. Iuxta similem quoque modum nunc pueri præponuntur senibus [p], nunc hi illis [q]. Videtur nobis familiarior, ac vsitatior loquendi forma, vt ordiamur à

(l vers.22. m Psl.113.13. ...18. Ier. ... poca. ...c.19.5. ...uc 1.17. ...5.9.c. ...lib.4. ...515. Iob.3.19. n 4.Reg.25. ...6 Psl 103.25. Leuit.11.18. o 1.Reg.30.2. Ier.16 6. Apoca 20.12. p Esther 3.13. q Psl.148.12.)

A parulis, pusillis, pueris, erga quos etiam naturali quadam symphatia, & compassione magis afficimur, ob simpliciores, facilioréśque mores, & imbecillitatem opis nostræ indigam. *Iustifica pusillum, & magnũ similiter*, inquit auctor Ecclesiastici [a] (a c.5.18.): & Deus, *ita paruum audietis vt magnũ* [b] (b Deut.1.17). Quod autem hic alius [c] (c Ceruantes) notat, pronomen, *ipse*; αὐτὸς, הוּא *hu*, attribui Deo, & idem valere ac Dominum, herum, patremfamilias, valdè mihi videtur incertum, ne dicam friuolum; nec nisi ex adiunctis verum, non autem per se. Idem dico de differentia הוּ *hu* absque א, *aleph*, & eiusdem הוּא *hu* cum א, *aleph*; quam vel referre otiosum est. Idem de permultis eiusdem generis ab Interpretis munere admodum alienis.

B *Æqualiter est illi cura de omnibus*] Non tantùm de incorruptibilibus, vt videtur sensisse Auerroës [d], &, si Clementi Alexandrino [e] credimus, Theodoreto [f], Nemesio [g], vel Nysseno, Ambrosio [h], Nazianzeno [i], Eusebio [k], Epiphanio [l], ex recentioribus, Gabrieli Vazquez [m] cum Durando, Gregorio, & aliis, vt Rabbi Mose [n], etiam Aristoteles; qui meritò tamen ab aliis ab hoc errore vindicatur, vt à Suarez [o], citante S. Thomam, & alios. Nec excipiendi sunt actus humani liberi, quod refert de nõnullis B. Thomas [p]. Non etiam dicẽdum, quod voluisse Platonem idem [q], ac Nemesius [r], & Marsilius Ficinus [f] (cùm tamen libro decimo de legibus adeò disertè veram sententiam tradat) referunt, cadere tantùm mediatè in prouidentiã Dei res generabiles, corru-

C ptibiléśque; proximè ab Angelis regi, nominatim humanas. Cicero [t] videtur Deo abstulisse præcognitionem futurorum contingentium, quæ pendent ex arbitrio nostro, proindéque horum effectuum ac operationum prouidentiã. Rabbi Moses [u] agnoscit solùm istam erga homines, negans aliam circa res alias in Scriptura reperiri, loquendo non de speciebus ipsis, sed de singulis indiuiduis.

(d 12. Metaph. com.51. & 52. e 5 stromat. 6. f 6. de cur. aff. Græco. g 8. Philoso. c.4. h 1. offic. c.13. i oratio. 1 de Theolog. k 15. de præp. Euang. c.4. l hæres. vlt. m 1. p. q.22. disp.87. c.1. n 3. ductor. dubio. c.18. o in Metaph. disp.30. sect. 15. p 3. cont. Gent. c.89. q 1. p. q.22. art.3. r 8. de Philosoph. c.3. s in argum. Protagoræ. t 2. de diuinat. & apud August. 5. de ciuit. c.9. u suprà.)

Multo sunt absurdiores penitúsque athei, qui necessitate naturæ omnia euenire docuerunt, vt sit Dei cura & prouidentia superuacanea. Referunt id Lactantius [x], & Nemesius [y], aut Nyssenus de Epicuro, Democrito, Heraclito. Præterea pe-

D nitus falsum est, quod Iulius Sireuius docet [z], monstra, & omnes defectus naturales non solùm casu euenire secundis causis, sed etiam Deo. Nec admodum tutum, quod opinantur nonnulli recentiores, nõ prædefiniuisse prouidẽtia sua Deum opera singula; vt numerum formicarum, motum earum in hanc, aut illam partem, actiones nostras liberas. De modo nunc non disputo; sed pono tamen simul præuisum concursum causæ secundæ, atque nostræ voluntatis. Dei autem de singulis etiam minimis prouidentiam hic, quem tractamus locus apertè confirmat, & alius paulo pòst [a], & istius eiusdem libri caput 8.[b] & 12.[c] & 14.[d] Item *ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum*

E *faciunt verbum Dei* [e]: Christus quoque dixit Deo curæ esse fœnum, passerem, capillos nostros [f], &c. Admonet Ecclesiastes [g], ne quis dicat coram Angelo, quòd non est prouidentia, ne fortè iratus Deus contra sermones istos, dissipet cuncta opera manuum eius. Lege Commentarium nostrum. Ieremias item deplorans exclamat [h]; *Quis est iste qui dixit, vt fieret, Domino non iubente?* Lege Augustinum [i], & Ambrosium [k]. Hic ait, si non est iniuria & probrum Dei minutissimas quasque res fecisse, multo minùs probrum illius esse eas factas

(x 3. de ira Dei c.9. & 10. y 8. Philoso. c.3. z 2. de fato. c.25. a vers.17. b vers.1. c vers.13. d vers.3. e Psl.148.8. f Matt.6.25. & seq. c.10.29. & seq Luc. 12.23. & seq. g c.5.5. h Thren.3.38. i 5. Genes. ad lit. c.21. k 1. offic. c.13.)

regere.

a c.7. de diui. nom.

regere. Sed & Dionysius scribit [a], si aliquid est in rebus non cognitum à Deo, oportere vt circa illud diuina prouidentia vacet.

Eædem porrò demonstrationes euincunt Deũ esse, & omnium particularem prouidentiam habere, cùm pendeát necessariò ab illo tum vt sint, tum vt conseruentur, tum vt operentur: idémque omnium respectu causæ rationem habeat, & efficientis, & finalis, & quodammodo formalis, pro vt ordinem terminat, quem per se res omnes creatæ inoluunt veluti participationes quędam entis independentis ac infiniti.

b supra.
c Numer.22. 32.

Rabbi Moses [b] obiicit sibi asinam Balaam, quam Angelus percuti prohibebat [c]: nec satisfacit, vt constabit legenti. Possunt item alia testimonia proferri ex diuinis literis, quibus prouidentia particularis confirmetur, quidquid ille Rabbi contradicat.

d 5. stromat. c.6.
e Psal. 35.6.
f catech. 8.
g Psal. 138.8.

Cùm veteres Philosophi sacras legisse Scripturas credantur, suspicatur Clemens Alexandrinus [d], Aristotelem vsque ad Lunam à primo orbe deduxisse prouidentiã, ex his verbis Psalmi [e]; *Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes:* quo item dicto abusos aliquos Cyrillus Ierosolymitanus [f] testis est, vt Dei prouidentiam nubibus, & cœlo circumscriberent, & terram ab illa alienarent: sed oblitos alterius Psalmi [g]: *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* [Si enim nihil, inquit, sit cœlo excelsius, nihil inferno profundius; qui dominatur extremis, attingit & terram mediam.]

h 1. Corin. 9. 10.
i Deut. 25.4.
k in c.1. Abacuc.

Omissa verò prioris Psalmi expositione allegorica, veritatem verbi Dei prędicatam per Apostolos, qui sunt ceu nubes, apertus sensus est, tam sublimem esse misericordiam Dei, quàm sunt alti cœli; promissionum fidem tam certã, adeò conspicuam, vt se porrigat ad nubes vsque, & omnibus cõspicua sit. Consulendi inter Patres illi maximè, qui ex professo confecerunt tractatus de prouidentia, Chrysostomus, Saluianus, Theodoretus, &c. Quòd si Paulus dicat; *Nunquid de bobus cura est Deo* [h]? sensus est, multo maiorem gerere de ministris Euangelij, & illo præcepto; *Non alligabis os bouis triturantis* [i], per allegoriam significari curam istorum tanquam potiorem, vt præ illa, boum cura quasi nulla æstimari videatur. Hieronymus [k] docet, sicut in hominibus per singulos cųrrit Dei prouidentia; sic in cæteris animalibus generalem Dei dispositionem, & ordinem, cursúmque rerum intelligere nos posse, verbi gratiã, quomodo nascatur piscium multitudo, & viuat in aquis, quomodo reptilia, & quadrupedia oriãtur in terra, & quibus alantur cibis: cæterùm absurdum esse ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per momenta singula quot nascantur culices, quótve moriantur; quæ cimicum, & pulicũ, & muscarum sit in terra multitudo; quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus maiorũ prædæ cedere debeant. [Non simus, inquit, tam fatui adulatores Dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos iniuriosi simus, eandem rationabilium, & irrationabilium prouidentiã esse dicentes.] Tunc infert: [Ex quo liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quendam Angelũ nomine Tyri præesse reptilibus; & in hanc similitudinem piscibus quoque, & arboribus, & bestiis vniuersis proprios in custodiam Angelos assignatos.] Hactenus Hieronymus. Qui vel ex aliorum, vt sæpe solet, loquitur sententia, quod de suis commenta-

A riis in Prophetas testatur in apologia cõtra Ruffinum: vel ea ratione intelligendus est, qua prior Pauli locus, nempe per comparationem. Quamuis vix admittat hanc, aut aliam commodam solutionem.

a 2. de gratia & lib. arb. c.5.

Æqualiter est illi cura de omnibus.] Græce (*ὁμοίως pariter, similiter, προνοεῖται, prouidet.*) Emendata Biblia legũt in actiua voce *προνοεῖ*. Nescio vbi Cardinalis [a] Bellarminus legerit *κοινῇ, communiter* pro *ὁμοίως*. Cura prouidentiáque in Deo sine labore est, simplex est; sicut & omnipotentia, & attributa alia: tamen ratione effectuum maiorem de nonnullis rebus habere videtur, quæ meliores sunt, & inter homines de iustis & electis, & quo
B hic, aut ille virtutis, vel beatitudinis gradu præcellit. Postremò æqualis est prouidentia Dei circa res omnes, & homines iuxta proportionem, & conuenientem cuique rationem. Omnibus hominibus, nullo excepto, prospicit Deus, quantum satis est, licèt aliis aliter, nonnullis gratia duntaxat sufficiente, quæ suam etiã habet latitudinem; quibusdam efficaci, eáque vel maiore, vel minore secundùm beneplacitum voluntatis suæ. Sic intelligendi Patres, quãdo dicunt æqualiter omnibus à Deo consuli. Cyprianus [b] breui, acutáque sententia rem omnem declarauit: [Deus se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem æqualitate librata (perpende duo hæc hæc nomina)
C præbet parem.]

b lib.3. ep.8.

Quocirca nihil hinc habent Pelagiani, híque qui fauebant ipsis occultè in Gallia Faustus, & Cassianus, & alij, dicentes gratiam omnibus paratam esse, dummodo velint petere, & excipere per vires liberi arbitrij, absque alia gratia præueniente, vt meminit Augustinus [c], Hilarius [d], Prosper [e], Petrus [f] Diaconus. Nam sensus est, vt dixi, nullam rem, licèt vilem ac infimam, subtrahi à prouidentia Dei, non quòd non magis vnam rem curet, quàm aliam, iuxta modum allatum. Præterea loquitur Auctor de retributione pœnarũ præmiorúmque, non de beneficio gratiæ. Cùm enim dixisset, quòd horrendè, & citò appareret Deus
D iniquis Iudicibus, & iudiciũ de illis qui præsunt durissimum faceret, subdidit, nullam fore acceptationem Regum & Principum, sed ex æqualitate iustitiæ Deum sententiam laturum.

c epist. 106. & 107. lib. 2 contra duas epist. Pelag. c.5. lib. de prædesti nat. Sancto. c.1. & 2.
d ep. ad August.
e ibid.
f de incarn. & gratia Christi c. vlt.

De omnibus.] Augustinus [g], Paulinus [h], Concilium Parisiense [i] *(pro omnibus.)*

g in speculo
h epist. 4 ad Seuerum.
i lib. 3. c.3.

Vers. 9.] Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

ALiis repetitur verbis versus septimi partis posterioris sententia.

Cruciatio.] Græcè (*ἔρευνα, perscrutatio*) sicut vet
E su septimo reddit Interpres *ἐτασθήσονται, tormenta patientur*, quod est, *examinabuntur*. Sensum curauit magis, quàm verba. His autem Græcis verbis arbitror data opera significari quàm iustè ac probè cognita priùs causa damnationis proferetur in iniquos Iudices, Principésve sententia, qui subditos non iure, sed iniuria, non ex legis præscripto, sed ex animi arbitrio oppresserunt. Tunc Deus iustitias iudicabit [k].

k Ps. 74.3.

Vers. 10.] Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis.

A Cris apostrophe crebrior emphasim habet, præsertim facta proximè de iudicij, pœnarúmque seueritate, mentione. Qui pollet auctoritate, suæ fretus opinione scientiæ, haud alios monentes facilè admittit: & cùm quæ peccantur ab iis redundent in alios, atque sit Imperatoris colluuio, lex flagitiorum [a], plurimi refert, vt sæpe seriòque necessaria ipsis inculcentur præcepta. Iussi sunt diligere iustitiam [b], audire, intelligere, discere, præbere aures [c]: nunc vrgentur vt discant sapientiam; & paulo pòst ad eiusdem studium variis modis extimulantur.

a Hegeſ. 2. de excidio Ierosol. 5. b c. 1. 1. c c. 6. 2. 3.

Reges.] Græcè (ὦ τύραννοι.) Lucifer [d] (*ò mali Tyranni*) Augustinus [e] (*mali Reges.*) Nomen ἀδιάφορον est τῦ τυράννυ, licèt deflexerit in deteriorem partem eius vsus. Videri potest capite 12. [f] ita sumi, cùm distinguitur à Rege; nec non capite 14. [g] Lege quæ dixi Actuum 19.* Qui Salomonem libri huius auctorem faciunt, nominare Reges hîc obseruant; quia *veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiã Salomonis, & ab vniuersis Regibus terræ* (nempe missi) *qui audiebant sapientiam eius* [h]; & ipsamet Regina Saba eundẽ hac de causa adiuit [i]. Illum, qui monere Reges velit, & mouere, zelo, auctoritate, opinione probitatis, & sanctitatis, contemptu bonorum externorum, vitæque ipsius, præditum oportet esse, ac similem Eliæ, Nathan, Esaiæ, Ioanni Baptistæ, Ambrosio, Basilio, Aphraati, Chrysostomo, &c.

d 1. pro Atha. e in speculo. f vers. 14. g vers. 16. * vers. 9. h 3. Reg. 4. 34. i c. 10.

Ne excidatis.] Græcè (μὴ παραπέσητε, *ne offensetis, siue offendiculum patiamini corruendo:*) ne offendatis, & labamini in peccatum, quod vocant etiã παράπτωμα, ne iacturam faciatis Regni, ne cadatis de statu iustitiæ: ne, quod Dauid dixit [k], *pereatis de via iusta, siue recta*, & in medio cursu deficiatis: vel iter vestrum pereat [l], omnes cogitationes, studia, conatus, opera, viuendi ratio, &c. *Charitas nunquam excidit* [m], οὐδέποτε ἐκπίπτει: ipsa est summa sapientia, atque iustitia.

k Ps. 2. 12. l Ps. 1. 6. m 1. Cor. 13. 8.

Vers. 11.] Qui enim custodierint iusta iustè, iustificabuntur: & qui didicerint ista, inuenient quid respondeant.

HÆc ratio ac modus non excidendi, vitandíque priùs exposita pericula supremi iudicij, & sese periculoso illo tempore defendendi, atque optatam sententiam referendi. Non potest indoctus ad interrogata quæ nescit, respondere, siue illorũ sibi cognitionem comparauerit nunquam, siue tradiderit obliuioni. Nõ indutus in cõuiuio nuptialem vestem, cur sic intrasset interrogatus, obmutuit [n]: quia in illa districtione vltimæ increpationis, ait Gregorius [o], omne argumentũ cessat excusationis; quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientiæ intus animum accusat. Ibi Iudex idem testísque [p]: *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum* [q]: *si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit ei respondere vnum pro mille* [r].

n Mat. 22. 12. o hom. 38. in Euangel. p Ier. 29. 23. q Ps. 145. 4. r Iob. 9. 3.

Qui enim custodierint iusta iustè, iustificabuntur.] Sic restitutũ ex Græco (οἱ γὰρ φυλάξαντες ὁσίως τὰ ὅσια, ὁσιωθήσονται.) Vbi, quod antè notauimus, *iustitia* Latinè ponitur pro *sanctitate*, pro *sancto, iustum*, *iustificari* pro *sanctificari*: cùm plures codices haberent (*qui enim custodierint iustitiam, iustè iudicabuntur.*) Sic legit quoque Cyprianus [s], vel Origenes, probans inde, non esse sanctum quod geritur sanctum, nisi sanctè quod sanctum est, peragatur. Videlicet

s de singularit. clerico. vbi citat Salomonem.

A hoc illud est, quod antè [a] dicebamus ex Aristotele, iustum iustè fieri debere. Augustinus [b] ex vtraque lectione tertiam veluti conflat (*qui enim custodierint iustitiam, iustè iustificabuntur.*)

a vers. 5. b in speculo.

Non improbabilis coniectura Iansenij, putasse scriptorem aliquem aduerbium (*iustè*) cum sequẽti verbo esse construendum, & quasi superfluè diceretur (*qui custodierint iusta, iustè iustificabuntur*) vertisse hoc vltimum verbum in illud (*iudicabuntur.*) Potuit & ipsum ratio non mala mouere, vt *iustificandi* verbum obscurius exponeret hîc non de iustificatione, qua fiunt homines iusti, sed de declaratione iustitiæ operum per iudicialem sentẽtiam. Erat sermo de extremo Iudicio; & qui cu-
B stodiunt ὁσίως τὰ ὅσια, sanctè sancta, iusta iustè, iusti sunt, & sancti, sanctificati, & iusti. Et quamuis opera etiam iusta sanctáque tanquam dispositiones possint præcedere infusionem iustitiæ, ita vt dicantur qui custodiunt ea, iustificari; tamen ad rem magis facit verbi *iustificandi* notio, quam dixi, quæ satis aliis in locis trita est. Deus ipse iustificari dicitur, quando pronunciatur iustus [c]: pauper & humilis, cùm absoluitur [d]: & si *Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet* [e]? Itaque iustificare, vel est iustum facere [f], vel iustiorem [g], vel declarare iustum [h].

c Ps. 50. 6. d Ps. 81. 3. e Rom. 8. 33. f Rom. 3. 30. c. 4. 5. Gal. 3. 8. Act. 13. 39. g Apo. 22. 11. h Eccli. 7. 5. c. 18. 1. Matt. 12. 37. Luc. 10. 29.

Qui didicerint ista.] Græcè (αὐτά.) Alij (*iusta.*) Sed error est sine damno: refertur enim ad ὅσια, ad
C sancta, siue iusta. Apud Augustinum [i] est (*iusta*) in editione Louaniensium; in aliis editionibus (*ista*) itémque apud Cyprianum [k].

i in speculo. k de singularit. clericor.

Inuenient quid respondeant.] Græcè (εὑρήσουσιν ἀπολογίαν, *reperient apologiam.*) *Contemplabor, vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me*, ait quidam Propheta [l]. *Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipsum* [m]: qui seipsum diiudicat, non iudicatur, id est, non damnatur, à Domino [n]; sed optat etiam vt librum scribat ipse qui iudicat, paratúsque est portare illum, & circumdare quasi coronam, per singulos gradus (vitæ ac ætatis) pronunciare, & offerre Principi, vt pro ipso ferat testimonium [o]; cùm ei sit conscientiæ, in qua gloriatur [p], testimonium
D loco mille testium. Extendit Carthusianus ad eos, qui bene in Scripturis, in iure, & rebus instituti quæstionibus de fide satisfaciant. Sed proposito id non congruit. De eo autem consule, si libet, Commentarium nostrum in priorem Petri Epistolam [q].

l Abac. 2. 1. m Eccli. 18. 20. n 1. Cor. 11. 31. o Iob. 31. 35. 36. 37. p 2. Cor. 1. 12. q 1. Pet. 3. 15.

Vers. 12.] Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam.

SImplex rei appetitio præcedere solet, amor
E deinde ingénsque cupiditas, ac vehemens studium, priusquàm quid consequamur. Has Auctor dispositiones exigit; & hanc vim habent verba ἐπιθυμήσατε, & ποθήσατε. Non erit σοφὸς, qui non fuerit φιλόσοφος: & Plato [r] rectores Reipub. volebat philosophari, aut qui Philosophi essent, eam regere; in quibus tamẽ rectoribus constat sapiẽtia quàm sit necessaria. Deum Iob [s] scribit præparasse sapientiam, id est, proposuisse homini vt humanæ vitæ regulã certam, & inuestigasse, hoc est, quæsiuisse studiosos illius, & iis quærendi studium indidisse. Nemo causari potest, vel excusare quòd sapientiam ob difficultatem non assequatur. Qui appetit, diligit, quærit, etiam adispicitur.

r 5. de legibus, & ep. 7. s c. 28. 27.

Habebitis disciplinã.]Græcè(παιδευθήσεσθε, *erudiemini.*) Vera ſapientia, ſeu Philoſophia refertur ad vitam rectè inſtituendam [a], ad animum potiùs excolendum, quàm ingenium [b]. *Diſciplinæ* vox Eccleſiaſtica eſt, aptam in omni vita rationem agendi ex virtute ſignificans. Extất de ea quorũdam Patrum tractatus, vt Hugonis Victorini, Auguſtini. Propriè denominatur à diſcendo, & reſpectum inuoluit ad docentem. Sed quia ſæpe diſcipulus vel ob ruditatem, vel propter leuitatem, & negligentiam non attendit ad magiſtri doctrinã,nec ediſcit niſi verberib. cõpulſus, inde fit vt caſtigatio Dei diſciplina quoq; ſatis crebrò appelletur. Hoc ſenſu diſciplinam pacis noſtræ ſuper Chriſtum fuiſſe [c]Hieronymus explicat,hoc eſt,caſtigationem,quam noſtra peccata meruerãt, vt pacem cum Deo iniremus, eſſétque ſic Chriſtus pax noſtra [d]. Eodem ſpectat, vt erudire ſit idem atque caſtigare, & flagellare [e]: ſiquidem Deus hoc intendit in ſuis flagellis, vt reducat in ſemitam virtutis.

a Cicer.l. de natura deorum.
b Seneca.
c Eſa.53.5.
d Ephef.2.14.
e Deut. 8.5. Prou.17. 24.

Probat Auguſtinus [f] acceptionem iſtam *diſciplinæ* teſtimonio Pauli ad Hebræos [g], & Prouerbiorũ [h].Pro materiali flagello vtimur paſſim hac voce. Ita etiã videri poteſt *diſciplinæ* vocem vſurpauiſſe Tertullianus [i], cùm ſcribit Valentinianorũ collegium diſciplina terreri minimè ſolitum fuiſſe. Ammianus eodem modo ſcripſit,referens Vadomarium Germanorum Regem ſcribentem ad Conſtantium Auguſtũ de Iuliano Cæſare;Cęſar tuus diſciplinam non habet. Sed & antiquiores auctores,qui meminerunt quoque de proprij corporis diuerberatione,vt Petrus Bleſenſis[k],qui quotundam refert obiectionem [l], quæ hodiéque auditur:& ſi præcipitur aſſumere diſciplinã, ipſe reſpondet;nõ poteſt pati natura mea, ſtatim moreter:docet etiam duo eſſe, quæ hominem mirabiliter à peccato conſeruant,frequentem confeſſionem,& frequentiorem diſciplinam: ſcribit [m] quoque S.Thomam Cantuarienſem eam frequẽtaſſe [n]. Sed & vno antiquior ſeculo Petrus Damianus narrat de Dominico Loricato [o]. Nam de poſterioribus temporibus teſtis locuples B. Antoninus [p]. Imò Paulus [q] Apoſtolus dicit ſe caſtigaſſe corpus,quod Græcè eſt ὑπωπιάζειν, ſiue ὑπωπιάζειν,*liuidum facere,lidere*: & quamuis ſit quoque ſimpliciter *vexare,deprimere,* &c.tamen Paulinus [r] interpretatur primo illo modo; & nos de eodem loco alibi adhuc egimus [ſ]. Nilus Abbas [t] refert vſos quoſdam fuſte, vt ardorem libidinis dolore propellerent.

f 14. de Trinit. c.1. & in Pſal8.cõc.17.
g c.12.7.
h c.3.11.
i cont.Valen. c.2.
k ep.11.& 16. &27.& 46.& 57.in cãcul. & 58. & 74. & 102.& 126.& 142. & 205. ſerm.6.& libr. de Iob. c. 2 & lib de cõkſ ſacram. & tra. de inſtitutione Epiſc. & in inuect.in deprauatorem operum.
l ſerm.6.
m epiſt.27.
n habetur quoque in vita.
o in vita.
p 3.p.hiſt.tit. 22.c.3.§.32.
q 1.Cor.9.27.
r epiſt.2.
ſ 1.Pet.2.24.
t de octo vitioſis cogita.

*Verſ.*13.] Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam.

ELogio ſapientiæ accendit deſiderium ac ſtudium ipſius, ſimúlque remouet ſuſpicionem difficultatis.Summæ dignitatis eſt & eximij ſplẽdoris:retinet perpetuò ſtatum ſuum nullis obnoxia caſibus: nemini non obuia, ſi velit ſuum in eam amorem conferre, quem in fluxis fruſtra rebus conſumit.

Clara.]Græcè(λαμπρά.)Non tam hîc euidentia denotatur, quàm dignitatis ſplendor, qui magis quoque quæ ſequitur voce ἀμάραντος declaratur. Inter omnes corporeas qualitates lux immortalis maximè videtur; & flos amaranti nomẽ obtinuit à quadam immortalitate, quia marceſcit nunquam,μαραίνεται. Cætera præſentis vitæ bona intereunt & computreſcunt.

A

Facilè videtur ab his qui diligunt eam.] Amori nil difficile; calcar eſt ad inueſtigandum quod amatur.Non amatur quidem niſi præuiſũ aliquo modo,& præcognitũ: tamen vbi rei aliquantum cognitæ amor exarſerit, ad eiuſdem cognitionem maiorem perurget.[Scientiã veritatis,inquit Auguſtinus [a], neque omnes à quibus quæritur, docere poſſunt;neque omnes qui quærunt, diſcere digni ſunt.Et diligentia igitur,&pietas adhibenda eſt:altero fit,vt ſcientes inueniamus;altero,vt ſcire mereamur.]

a de morib. Eccle.c.1.

Inuenitur ab his qui quærunt illam.] *Non in terra ſuauiter viuentium* [b];ſed,vt capite primo[c]dictũ eſt, ſi quærant in ſimplicitate cordis, quaſi pecuniã, & theſaurum [d];ſi petendo,& pulſando [e].Aliquãdo primæ ſimplici petitioni Deus ſatisfacit: ſin minùs,quærẽdum erit:quòd ſi ne tũc quidem inuenias, pulſare debebis, videlicet magna animi contentione,atque perſeuerantia. Et quærit quidem is,qui cuncta alia è mente proiiciens,vni illi intentus eſt quod quærit, ac præſentium rerum nihil conſiderat,vt Chryſoſtomus [f] docet:vel, vt Dorotheus [g] Abbas, qui non contentus orando petiuiſſe,ſcrutatur diligenter quid potiſſimùm ſit quo adueniat id, quod quærit; quid agendum ſit vt illud conſequatur & poſſideat: pulſationem verò,quæ manibus fit, vult deſignare obſeruantiam diuinorum præceptorum.

B

b Iob. 28.13.
c verſ.2.
d Pro.2.4.
e Luc.11.9.10.
f hom.24.in Matth.
g doct.12.

C

Verſ. 14.]Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat.

ADeò humana eſt ſapientia, vt non ſinat ex iis nos rebus moleſtiam capere,inquit Cantacuzenus,quibus eam quærẽtes non inuenimus: ipſam cordis præparationem exaudiens[h]:præueniẽs miſericordia [i]:ſtans ad oſtium,pulſánſque [k]: poſcens aperiri ſibi [l]:gratis excitans inueniri poteſt,præueniri non poteſt [m].Non elegimus eum, ſed ipſe nos [n];non priores nos illum, ſed ille dilexit nos[o].*Qui continens eſt iuſtitiæ* [p](compos cognitionis legis,tenẽnſve cognitionem illius)*apprehẽdet illam* (ſapientiam) (concupiſcens enim ſapientiam [q], conſeruat iuſtitiam,& Deus præbet eam ipſi) *& obuiabit illi quaſi mater honorificata* (non eſt quòd multum fatigetur; occurret enim Deo ipſi iam venienti, imò præuenienti, vt olim ſponſa ſponſo ſolebat occurrere venienti, quæ vocabatur etiam materfamilias.)

D

h Pſ.9.17.
i Pſ.58.11.
k Apo.3.20.
l Cant.5.2.
m Bernar.de gra. & libero arb.
n Ioan.15.16.
o 1.Ioan.4.10
p Eccli.15.1.
q Eccli.2.33.

Ad eundem prætereà modum dicitur occurrere Deus in tempore afflictionis [r],& laboranti, vt præmium largiatur [ſ]:& myſticè Chriſtus egreſſæ mulieri de finibus Tyri & Sidonis obuius factus eſt ſtatim [t], & elato extra portã Naim mortuo[u].Qui orat Deum,videtur,& dici ſolet phraſi Scripturæ,occurre ipſi [x], & præoccupare [y]: qua dicendi formula indicatur non ſolùm honor ei exhibitus, vt honoratis ſolet hominibus aſſurgi, &obuiam procedi; vel apponi Deo irato velut impedimentum: verùm etiam propenſior eiuſdem affectus voluntáſque benefaciendi, cui iam venienti, imò præuenienti, & occurrenti prodeatur obuiam, occurratur,reſpondeatur.

E

r Ier.15.11.
ſ Eſa.26.3.
t Mat.15. 21. 22.
u Luc 7.12.
x Eſa.59.16. Ier.27.18.
y Pſ.94.2.

Qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat.]Senſus eſſe poteſt, vel quòd præoccupat Deus eos,

qui

qui concupiſcunt ipſum,ita vt prior ſe oſtendat; & in hoc conſiſtit præoccupatio Dei: vel quòd præoccupat eos,qui hoc ipſum concupiſcunt, vt ſe illis ipſe prior oſtendat. Græcè (φθάνει τοὺς ἐπιθυμοῦντας προγνωσθῆναι, *preuenit cupientes præcognoſci*(videlicet ipſum:)*qui cupiunt vt eum valeant præcognoſcere.*) Sic erit ſecundus ſenſus. Vt autem ſit primus,ſubintelligendum erit ὡς ante προγνωσθῆναι: & hic magis placet, etſi modicè differat ab altero. Vatablus reddit (*vltrò ſe cupidis offert cognoſcendam.*) Chriſtum, qui Sapientia dicitur, narrant Euangeliſtæ præoccupauiſſe,ac ſe priorem oſtendiſſe illis,quos vocauit,vel etiam curauit; vt Petrum, & Andream, cum filiis Zebedæi [a], Matthæum [b],paralyticum [c],cæcum à natiuitate [d], & alios cæcos [e]. Denique *prior dilexit nos* [f],& elegit, non illũ nos [g]:&,vt Bernardus [h] ait,inueniri poteſt,præueniri non poteſt:[ſed amorem noſtrum pium, quo colimus Deum, inquit Auguſtinus [i], fecit Deus,amans quod fecit, qui non faceret, quod amaret,niſi antequam id faceret, nos amaret.]

a Mat.4.18. & ſeqq. b c.9.9. c Ioan 5.6. d c.9.1.& ſeqq. e Mat.10.30. f 1.Ioan.4.10. g Ioan.15.16. h de gratia, & libero arb. i tra. 102. in Ioan.

Verſ. 15.]Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet.

ELegans & accurata, & ſuauis exhortatio, atque facilitatis deſcriptio. Nec enim labores in ea quærenda vigiliáſque inaniter conſumi, vt fit in perueſtigatione aliarum rerum: propè eſſe in ore,& in corde,non ſuprà, vel procul, non in cœlo,& trans mare [k]:denique eſſe intra nos [l], & in poteſtate noſtra,ſi vocanti, pulſantique [m] reſpondere velimus,& aperire [n].Sic exponunt Cyrillus Alexãdrinus [o],& Theophylactus [p] regnum Dei intra nos eſſe,& aliis reiectis expoſitionibus approbat noſter Maldonatus.

k Deuter.30. 11. 12.13.14. 15.Rom. 10. 6.7.8. l Luc.17.20. m Apoc.3.3. n Cant.5. o in catena Lucæ. p in Luc. c. 17.

Qui de luce vigilauerit.]Græcè(ὁ ὀρθρίσας, *qui manicauerit*[q],*qui manè*,ſiue *diluculo ſurrexerit*,aut *quæſierit.*)Tale prorſus illud ex Pſalmo[r];*Deus,Deus meus ad te de luce vigilo*,πρὸς σὲ ὀρθρίζω, Hebraicè אֲשַׁחֲרֶךָ *aſchacharecha*:& accipitur hoc verbũ pro eo quod eſt ſimpliciter quærere, ſiue manè, ſine quouis alio tempore, vt cùm in Prouerbiis dicitur [ſ]; *qui diligit illum* (filium)*inſtanter erudit*, שִׁחֲרוֹ מוּסָר *ſicharo muſar,quærit illi caſtigationem*; & quidem quamprimùm,abſque dilatione,maturè,etiam primo manè,vel à primis ætatis annis; vel iubebit matutino tempore ſurgere, vt eum doceat. Sed multis aliis locis reperietur idem iſtius verbi vſus, licèt Interpres vertat eo modo qui hîc eſt [t]: vel *egredi in occurſum alicuius* [u]:vel *manè quærere* [x]:vel *diluculo venire* [y]:vel *vigilare* [z]:vel *vigilare de manè* [a]:vel *diluculo conſurgere* [b]: vel *manè conſurgere* [c]. In his locis eſt idem verbum Hebræum; Græcum vel ὀρθρίζειν, vel ζητεῖν. Dic ac luce *exit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam* [d]: idcirco quidpiam diligenter operari, aut quærere, primámque de re quapiam habere curam, declaratur per manè, aut diluculo ſurgere, vigilare, &c. Hnc igitur & illud de iuſto ſpectat [e], quòd *cor ſuum tradit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum*, ὀρθρίσαι πρὸς τὸν ποιήσαντα αὐτόν: quæ verba libenter vſurpat Eccleſia in diuino officio tum de Martyre, tum de Confeſſore.

q Luc.21.38. r Pſ.62.2. ſ c.13.24. t Pro. 8. 17. u Pro.7.15. x Iob.7.21. y Pſ.77.34. z Iob.24.5. a Eſa.26.9. b Iob 8.5. c Oſeæ 6. 1. Prou.1.18. d Pſ.103.23. e Eccli.39. 6.

Non laborabit.] Diu,& fruſtra,moleſto labore: lenit laborem amor, & nihil amanti difficile. *In opere* [a] *ipſius*(doctrinæ ac ſapientiæ) *exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.* Vtitur Auctor Eccleſiaſtici comparatione ducta ex agricultura, cuius labor per ſe quidem moleſtiſſimus eſt, & *laborare* propria quadam notione de agris vſurpatur;ſicut & in Campania regio quædam vocatur Laboriæ [b], ſiue terra laboris, & laborinus cãpus [c], ad ſui cultũ laboris plurimùm exigens, ſed miræ fertilitatis. Galli vocant agricolas,laboratores, *laboureurs.* Eandẽ adhibet Dauid [d] ſimilitudinem, & Iacobus [e]. Idem, quem dixi Auctor, vbi narraſſet ſe ſapientiam quæſiuiſſe in oratione [f], & inueſtigaſſe [g],& colluctatam animam ſuam eſſe in illa [h], & conturbatum ventrem, quærendo illam [i], alios ad eandem hortatur,quoniam in proximo ſit inuenire eam [k], ac tandem dicit: *Videte oculis veſtris, quia modicum laboraui,& inueni mihi multam requiem* [l]: quod prioribus verbis eſt ſimile [m]; *Inclinaui modicè aurem meam,& excepi illam: multam inueni in meipſo ſapientiam,& multum profeci in ea.*

a Eccli.6. 20. b Plin.lib.18. c.11. c idem libr. 17.c.4. d Pſ.125.6. e in Epiſtol. c.5.7. f Eccli 51.18. g verſ.20. h verſ.25. i verſ.29. k verſ.34. l verſ.35. m verſ.21. & 22.

Sed prætera verbum Græcum, quod habetur hîc (κοπιᾶν) ſignificat *laſſeſcere, fatigari, fatiſcere.* Sic verò ſapientiæ ſtudioſus licèt ſubeat labores, tamen non deficit. *Deficient* [n] (πεινάσουσι, *eſurient*) *pueri* (νεώτεροι,ſenſibus tales,& ſapientiæ parum ſtudioſi) *& laborabunt*(κοπιάσουσι)*& iuuenes in infirmitate* (ἀνίσχυες) *cadent. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ: current, & non laborabunt* (καὶ οὐ κοπιάσουσι, & tamen laboratur currendo; ſed non deficient) *ambulabunt, & non deficient* (οὐ πεινάσουσι, *non eſurient*, non ſic exhaurient vires, vt ſolent qui fameſcunt.) Nec hoc mirum; quoniam *Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit; dabit laſſo virtutem,& his qui non ſunt,fortitudinem & robur multiplicabit* [o].

n Eſa.40 30. 31. o ibid.28.29.

Aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet.] Vt enim diximus,ſtat ad oſtium, & pulſat [p], petit vt aperiatur, intra nos eſt [q], omnibus ſufficienter proponitur, non arceſſenda longè.Habet ipſa fores,ad quas inuitat, poſtéſque oſtij,vt vigilemus, & obſeruemus [r]. Doctores ſunt fores & oſtia [ſ]; ipſéque Chriſtus hoc ſe nomine appellat [t]: noſtrum liberum arbitrium porta eſt, ad quam aſſidet Deus illud conſeruans, & per id admitti volens: fores ſunt prima principia, ſynderesis; ſenſus ipſi, creaturæ. Turpe eſt errare in limine: ibi ſapientia loquitur & clamitat [u]. Iam otiosè & patienter aſſidet Deus, præſtolatur, tantùm non emendicat ad fores tuas: tempus erit cùm vociferans, pulſánſque, Domine, Domine aperi mihi, non exaudieris, ſed qui à te ſpretus eſt, ſpernet te,dicens;neſcio te [x],& confunderis tunc loquens inimicis in porta [y]. Sponſa vbi primùm ſponſi audiuit vocem; *aperi mihi*, agnouit ſponſi vocem eſſe; *vox*, inquit [z], *dilecti mei pulſantis*: & oues paſtoris vocem audiunt [a].

p Apoc.3.20. Cant 5.2. q Luc.17. 21. r Prou.8. 34. ſ Eccli.6.16. t Ioan.10. 9. u Pro.8.3. 4. x Mat.25. 11. y Pſ.126.5. z Canti.5.2. a Ioan.10.27.

Turpium ſectatores amorum obſident importunè etiam de nocte amicarum fores:hoc honeſtiſſimus amator noſtri Deus ſactitat; & nos idipſum facere viciſſim oportere, illo etiam inhoneſto exemplo confirmarit Philo [b],& Plotinus [c]: ſed meliùs multo in Apocalypſi [d] aliquoties citata Ioannes, quem locum cum alio illo ex Canticis Ambroſius [e] aptiſſimè nectit, & explicat, necnon Hieronymus [f].[Qui venit, & ianuam pulſat, ait Ambroſ. [g] vult ſemper intrare,

b libr. quis rerum diuin. hæres. c Ennead. 6 lib.5.c.10. d c.3. e in Pſ. 118 ſerm.1 & 12. f epiſt.22. g ſupr. ſerm. 12.

sed in nobis est quòd non semper ingrediatur, non semper maneat, &c.& si potuit intrare, non vult tamen importunus irruere(dederat exemplū claudentis fenestram solaribus radiis) non vult inuitos cogere.]Postea subdit exhortationem,ne bono amatori faciamus moras,quia citò recedit, sicut quando serùs sponsa pessulum ostij aperuit sponso,hic declinauerat atque transierat [a]. (a Cant.5.6.)

Sic autem assidet Deus etiam exclusus,vt non singulis pulset momentis.Pulsat tamen quantum satis est.[Si per moram fuerit exclusus,inquit idē Ambrosius [b], recedit, sed citò redit,& iterū pulsat, vt vel postea sponsam inueniat præparatam.] (b supra.) Tam longas nonnulli susceperunt peregrinationes philosophandi gratiâ, vt Pythagoras, Apollonius Tyanæus,Plato,alij;& Regina quoque Saba, quod exprobrat Christus [c]:medius nostrûm, ac inter nos est Christus sapientia Patris [d], nec agnoscitur tamen,vel auditur,vel excipitur. (c Mat.12.42. d Ioan.1.26.)

Exercebantur olim in porta iudicia, vt consuleretur commoditati vltrò citróque ventitantiū. Ibi Absalon deliniebat ac sollicitabat corda virorū Israël [e]: illuc etiam ad Regem Dauid omnis concurrit multitudo [f]. Ille typus diaboli est, iste Christi:astat ille cum assidente Christo. Non est deliberandum quem audiamus, cui obediamus. (e 2.Reg.15.2. & seq. f 2.Reg.19.8.) Galbæ in somnis Fortuna dixit,stare se ante fores defessam,& nisi ocyùs reciperetur, cuicūque obuio prædæ futuram. Euigilans aperto atrio simulachrum æneum Deæ cubitali maius iuxta limē inuenit, & in lariario collocatum coluit. Longè pòst monile pretiosissimum Fortunæ destinatum, Veneri Capitolinę imposuit.Proxima nocte somniauit speciem Fortunæ, querentis fraudatam se dono destinato,minantísque erepturam & ipsam quæ dedisset [g]. Adepti, ademptique omen Imperij vtrumque fuit. (g Sueton. in Galba.c.4.& 18.) Omnis à sapientia,qui Deus est,pendet fortuna(vt vulgi verbo vtar)imò vera felicitas nostra. Sapientiam, Deúmque intrò in intima penetralia cordis admittamus, admissum summis honoribus afficiamus,delatos ei debitos honores nulli alteri communicemus, non Veneri,non ventri,&c.Finge tibi sapientiam Raphaëli similem Angelo, quem egressus iunior Tobias, inuenit in forma iuuenis splendidi,stantis præcincti,& quasi parati ad ambulandum, licèt ignoraret quòd esset Angelus [h]. (h Tob.5.5.6.)

Vers. 16.] Cogitare ergo de illa sensus est consummatus: & qui vigilauerit propter illam,citò securus erit.

POst acquirendæ facilitatem sapientiæ, felicitatem persequitur in eius acquisitione. Hæc autem est duplex,perfectio intellectus,mentis securitas,siue tum erroris,tum mali exclusio;ita vt falsas euellat opiniones, inflammando mentes veritatis cognitione, demat sollicitudines,curas inanes expellat.

Sensus est consummatus.]Græcè(φρονήσεως τελειότης, *scientiæ*, vel *prudentiæ perfectio,& consummatio.*) Pertinet ad perfectionem sapientiæ de illa cogitasse; & prudentia perfecta est suscipere cogitationem de comparanda sapientia;quæ prudentiæ finis est; quemadmodum, inquit Cantacuzenus, tectum, hoc est,tegi,est finis domus, vrbis incolarum conseruatio,sanitas medicinæ. Cùm verò nomen *sensus* hîc, vt & alibi, dicatur de intellectu, frustra nonnulli Enarratores [a] laborant in demonstranda sensuum materialiū imperfectione,quam corrigat sapientia. (a Olcot lect. 82.) Beatum pronunciat apud Augustinum Cicero [b],qui veritatem inuestiget,etiamsi ad eius inuentionem nō valeat peruenire. (b 1. contr Academ.c.3.) Sed Academicus erat; quæ secta percipi quidquam negat. Diuina vera sapientia comprehensionem vtilem continet earum rerum, quæ veram quoque felicitatē suo tribuant tempore; in hoc autem nōnullam inchoationem eius,quæ comparatione cuiuslibet alterius notitiæ, perfectio nominari & consummatio potest. Hominis finis est perfectè quærere veritatem,qui est Deus; & quisquis tantum, quantum homo potest, ac debet,inquit in eodem Augustini dialogo Trigetius,dat operam inueniendæ veritati,etiamsi eam non inueniat, beatus est: totum enim facit, quod vt faciat, ita natus est. Addendum de mente eiusdem Augustini pluribus locis, homini, vt à Deo primùm creatus est in gratia & iustitia originali,& recreatus per gratiam, finem propositū veritatis altioris cognitionem, ad quā comparandam cuius Deus sufficiens det gratiæ auxilium, per quod hîc interim beatus in spe, tandem in re ac specie perfectam beatitudinem consequatur, quæ versatur in perfecta & clara notitia summæ ac primæ veritatis,hoc est,Dei.

Commentum est recentioris Enarratoris [c] circa Græcam istius loci vocem τελειότης,vt nuptias innuat cum sapientia expetitas; ita vt in titulo Psalmi 44.quod alium [d] ab se mutuatū affirmat, εἰς τέλος, *in finē*,eam vim habeat. (c Cerusotet. d Pined.15.de reb.Salom c 4.n.5.) Extat quidē vsus τῦ τελεῖν pro eo,qui jam ætatis maturæ cùm esset, vxorem duxit,& velut epithetum Iunonis,ac Iouis,qui nuptiis præsidebant. Exemplum verò τῆς τελειότητος in ea significatione, vel idoneum auctorem, qui afferat, non reperi. Atque hîc ille, more suo,longiùs digrediens inutiliter, plura in me congerit,distinguens φυλάττειν, ὀρθρίζειν, ἀγρυπνεῖν, pro triplici vigilia diuersa ardenter adamantis,& quærentis nuptias cum sapientia.

Qui vigilauerit.] Græcè(ὁ ἀγρυπνήσας, *qui sedulò studuerit, & quæsierit*) eodem sensu,quo versu decimoquinto vsurpatur ὁ ὀρθρίσας. Quamquam nemo dormiens vacat negotio;licèt alio id tempore possit,quàm diluculi & matutino.

Erit securus.]Græcè (ἀμέριμνος, *sine cura*) & veluti celebrans iuge conuiuium cum bona conscientia [e], טוב לב *tob leb,corde bono*,& propter virtutes hilari,ac nihil verente. (e Prou.15.15.) *Vir sapiens,fortis est, & vir doctus,robustus,& validus* [f],& domi, & foris, & secum ipse, & aduersùs alios. (f Prou.24.5.) { Plerumque inde nobis curæ nascuntur, ait Cantacuzenus, quòd res ex sententia non succedant:id ex inscitia manare solet,ac imperitia rerum gerendarum, quòd non opportunè fiant, vt oportet: inscitiæ igitur contraria sapientia securitatem affert paulisper per eam vigilantibus.]

*Vers.*17.] Quoniam dignos se ipsa circuit quærens,& in viis ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.

REpetit benignitatem ac beneficentiam sapientiæ,quæ cunctos se dignos, id est, illos qui faciles dociléśque præbent sese, nec repudiāt obstinatè beneficium tantum, inquirat ac inuestiget circumquaque, vt sui compotes faciat;

& in omnibus vitæ actionibus,institutis,officiis, atque Reipublicæ gerendæ rationibus obiiciat clementer speciem suam, & incensis cupiditate sui occurrat magna quadam cum hilaritate.

Circuit.] Græcè (περιέρχεται.) Hugo & Carthusianus *circuire* sumunt pro munire, ac protegere. Alienus planè sensus hic est & à re, & à Græco verbo. Hæc subinde moneo, ne quis hos legens auctores,impingat.Certè non aliud,opinor,dabit quis exemplum verbi *circuire*, vt sit aliquem circuire,illum circumdare,vel munire,atque protegere.Iungi debet cum participio ζητοῦσα,*quærens*,vt etiam fecit Bonauentura, qui declarat,quòd cōtinuè se offerat sapientia & indesinenter; motus enim rectus non sic potest continuari sicut circularis. Sponsa in Cantico Canticorum [a] circūeundo ciuitatem per vicos, & plateas, quærit dilectum suum:sicut etiam *mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas,vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis,nunc foris,nunc in plateis,nunc iuxta angulos insidiatur* [b].

a 3.2.
b Prou.7.10. 11.12.

Dignos se.]Quos quærendo facit tales: præoccupat enim,vt antea dictum est.Igitur potest quis effici dignus Deo verè ac propriè, non externa sola imputatione.

In viis.]Græcè(ἐν ταῖς τρίβοις.)Indefinitè,absque pronomine(*suis*) quod remouit emendata editio, nec est apud Gregorium [c] citantem hoc testimonium: sicut & verba (*ostendit*) atque (*occurrit*) quæ pariter Græcè sunt præsentis temporis φαντάζεται,ἀπαντᾷ,multi alij codices in futuro legebant. Iansenius sic quoque vult intelligi de omnibus viis,non sapientiæ,sed hominum, quocumque hi diuerterint.Cantacuzeni eadem expositio,vt qui semel sapientia sit dignus effectus, cùm in omnibus quæ ab ipso geruntur præsentem habeat,tum verò in iis actionibus, quæ præclaræ sunt,& admirabiles,ostendentem se humaniter. Quare per τὰς τρίβους arctiores accipit semitas, non communes,& latiores vias.Enarratores cæteri recipiētes illud (*suis*) interpretantur de sapientiæ viis,quæ variæ sunt, omnes pulchræ, omnes pacificæ [d], omnes æquitatis,& sine offendiculo [e],vel præceptorum, vel consiliorum; ad quemlibet sexum, statum,conditionem spectantes.

c 26. moral. c.8.
d Prou.3.17.
e Prou.4.11. c.15.19.

Gregorius [f] vias explicat opera creatoris,quibus peruenitur ad ipsum, & quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur.Solent hæc vocari vestigia Dei, & distingui ab imagine, de qua re Scholastici [g],& B.Thomas [h],& Bessarion Cardinalis [i]. Per omnes creaturas circuit Deus, prouocans nos ad sui amorem, vt piè confitetur Augustinus [k], & ingerit se non quærentibus se, quærens non quærentes, vt quæramus eum, vt idem argutè scribit [l].

f 26. moral. c.8.
g 2.d.3.
h 1.p.q.5.art. 5.& q.45.a.7.
i 3.cont. cal. Plat.c.15.& 36.
k 4.confess. c.8.
l 11.confess. c.2.

Hilariter.] Græcè (εὐμενῶς, *libenter,benignè,placidè, beneuolè.*)Vnde fiat vt hilariter incedant homines in illis viis,quoniam *hilarem datorem diligit Deus* [m]. Gratias Poëtæ finxerunt tres,Aglaiam, quòd hilariter præstandum sit beneficium: Thaliam, vt beneficij vireat semper, vigeátque memoria: Euphrosynem, quia non minùs in dando, quàm in accipiendo nos delectari conueniat. Addiderunt inter alia ornamenta pedibus talaria, quoniam

m 2.Cor.9.7.

———*bis dat*
Qui citò dat,minimi gratia tarda preti est [n].

Qua de re multa Seneca [o]. Est vetus etiam adagium; χάρις βραδῦς ἄχαρις, quod sic magis expressit Lucianus:

n Alciat.emb. 162.
o 2.de benef. c.1.& 5.

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι. ἢν δὲ βραδύνῃ
Πᾶσα χάρις κενὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις.
Gratia quæ tarda est,ingrata est gratia;namque
Cùm fieri properat,gratia grata magis.

In omni prouidentia occurrit illis.] Græcè (ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ ἀπαντᾷ αὐτοῖς, *in omni consilio, adinuentione, excogitatione,cura,studio.*)Vatablus(*studióque summo occurrit.*) Cantacuzenus non refert ad sapientiam, quasi eius sit hoc studium & consilium, &c. sed ad nos, vt illa in omni consilio nostro nobis occurrat. [Non enim rectè factis, inquit, tantùm præsidet;verùm etiam iis consiliis,quæ quis inire prudenter solet, vt etiam antequam res agantur, ob ea, quæ rectè cogitat, probetur & placeat.] Hunc intendit sensum Interpres,reddens (*prouidentia*)prò qua quidam,vt Carthusianus,legerunt (*prudentia*)& meminit illius lectionis Hugo. Hic autem intelligit communicari à sapientia prouidentiam de futuris, quæ multum valet ad ipsam custodiendam:Carthusianus,quòd in omni actu, quo prudenter,& discretè,& rationabiliter occupant se homines,præbet eis subsidium:Bonauentura, quòd prouideat de necessariis ad salutem. Addit Carthusianus de sapientia ipsa,vt antè retuli ex Vatablo, quòd cū perfecta & summa prudentia facit id quod hîc habetur.Gregorius [a] eūdem amplexus est sensum; nam dicit quòd à sapientia in viis suis, id est, in creaturis, omni nobis prouidentia occurritur.

a suprà.

Occursus porrò, aut occursatio sapientiæ denotat vehemens & concitatum studium, desideriúmque sese communicandi,seu præoccupationem, de qua [b] priùs actum est: præterea innuit auidam cupiditatē in aliis, cui vltrò ipsa,& quāprimùm satisfacere velit,quasi certatim,& ex improuiso, atque cum quadam veneranda,& adorabunda supplicatione;ad eum modum,quo non nemo [c] *occursare Numinibus* vsurpauit. Meretrix quidem turpiter sollicitans iuuenem, victimas pro salute vouisse dicebat, votáque reddidisse [d]; ita vt suppeterent opimæ carnes,quarum, qui ad sacrificium pacificum obtulerant,domum referre partes solebant. Incarnata Sapientia suimet ipsius vero propriόque sacrificio, & immolatione inuitauit omnes ad se,ac etiamnum inuitat.

b vers.14.
c Plin.in panegy.
d Prou.7.14. 15.

---

*Vers.*18.] Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia.

INfert sapientiam acquiri non posse, nisi priùs expetatur disciplina. Nam cùm,quod proximè dictum est,quærat sapientia & prouideat sui studiosis,hinc inchoandum,hoc est,ab studio & cupiditate illius; ita vt qui verissimè concupiscit habere sapientiam, huius iam censeatur initium habere; quemadmodum pars sanitatis dici solet velle fieri sanum,pars bonitatis,velle fieri bonū.

Verissima.]Interpres retulit ad concupiscentiam sapientiæ.Debet concupiscentia ista verissima esse,id est, syncera, longiúsque remota à duplici, mala & falsa,carnis, & oculorum, cum superbia vitæ [e]: non pigra, non ambitiosa, non curiosa, nō quæstuosa,sed feruens,humilis,pia,pura,prudens; vt ædificet, vel ædificetur, qui eam sibi comparare studet, vt egregiè docet Bernardus [f]. Iansenius Græca quæ sic habent (ἀρχὴ γὰρ αὐτῆς ἡ ἀληθεστάτη παιδείας ἐπιθυμία) vt possit adiectiuū ἡ ἀληθεστάτη referri vel ad substantiuum ἀρχὴ,vel ad

e 1.Ioan.2.16.
f serm. 36. in Cantica.

ἐπιθυμία, sic explicat, vt ad primum potiùs referat,& quia sensus id postulet, & quia articulus indicet. Consentit Osorius,declarans verissimum sapientiæ fundamentum illius cupiditate & inflammato studio contineri. Interpretem sequitur Vatablus,& Clarius. Nec sensui quidquam officit ita cum cæteris intelligere : nec articulus distrahit nomen necessariò ad præcedens nomen; sicut aliis exemplis multis docere possemus. Fateor Cantacuzenum. Græcum Iansenio fauere. Obiicit Bonauentura sapientiæ initium tradi timorem Dei aliis locis [a]. At respondet,initium primum ac extrinsecum timorem esse, amorem siue concupiscentiam verissimam, proximum & intrinsecum. De timore seruili loquitur : castus namque,siue filialis,non est sine charitate. Timor ille applicat ad studium sapientiæ retrahendo à malo: concupiscentia verò trahendo suopte quodam pondere ad honestatē & bonitatem ipsiusmet sapientiæ. Plurimi refert quam afferas cuius negotio animi inductionem,voluntatem,desiderium,concupiscentiam vel magnam,vel paruam. Inest omnibus desiderium sapientiæ: inde orta *φιλοσοφία, amicum studium sapientiæ.*

a Eccli. 1. 16. Psal. 110. 10. Prou. 1. 7. & 9. 10.

Placet mihi hinc vsque ad versum 22. texi quasi catenam, & inseri collo studiosi sapientiæ, vt edificat rationem perueniendi ad supremam eiusdem perfectionem. Talis nexus & conglobatio extat in Epistola ad Romanos [b],atque in posteriore Petri Epistola [c],vt postea moneo: præterea in Vvisigothorum lege sexta, siue vltima libri primi,qua docetur legem triumphare de hostibus. Cæterùm non est audiendus [d],qui hoc loco confundit concupiscentiam disciplinæ cum dilectione, istámque dilectionem cum spe: & de hac Tridentinum [e] Concilium interpretatur,cùm affirmat inter dispositiones ad gratiam iustificantem vnam esse,vt incipiat quis Christum iustitiæ fontem diligere. Distinguitur à Concilio actus iste ab actu spei, fidei, timoris, pœnitentiæ. Nec valet ratio auctoris illius, in eodem Concilio postea [f] decerni, quòd infundatur gratia iustificans,& dona, quódq; fiat quis ex amico amicus, quasi sequatur actum dilectionis non præcedere ante infusionem gratiæ. Nam amicus nō fit quis per actum,qui præcedit vt dispositio : & inde efficeretur,nec actum spei, & fidei præcedere tanquam dispositiones,si necessarium est,vt ab habitibus elicitantur, quemadmodum supponi videtur ab eodem auctore : quoniam hi infunduntur in iustificatione. Videtur ea opinio sentire per actum charitatis, qui prior est infusione gratiæ habitualis iustificantis, & consequenter charitatis, quam etiam probabile est ab illa non distingui, reddi hominem formaliter, & propriè iustum,Deíque amicum. Quæ opinio non est admodum recepta.

b c. 5. 3. & seqq. c c. 1. 5. & seqq.
d Ceruantes.
e sess. 6. c. 6.
f c. 7.

Vers. 19.] Cura ergo disciplinæ, dilectio est: & dilectio, custodia legum illius est : custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est.

EX dictis efficitur, sapientiam consequi, qui concupiscit illam;siquidem cupiditas incēdit animū,& vigilantē strenuúmque reddit: disciplinę verò studiū consistit in charitate,quæ charitas diuinæ legis obseruationem secum implicat: hác obseruationem quisquis habet, immortalitatis habere firmamentū censeri potest. Igitur ex concupiscentia,de qua priore dictū versu, oritur cura, siue diligentia & sollicitudo addiscendi : ex hac sequitur dilectio sapientiæ, Deíque: qui namque sciendo vt oportet, proficit,crescit etiam in amore: amor efficit custodiam legis diuinæ [a]: qui legē custodit,immortalitatē consequitur; est autē immortalitas Deo proxima, vt habetur versu sequenti; nec per se conuenit creaturæ, sed per Dei donū,& communicationē beatitudinis, quæ vocatur regnum æternum. Quocirca,vt est in versu 21. peruenit quis à concupiscentia sapientiæ inchoando,pérque illos deinceps gradus, qui dicti sunt,scandendo,ad adoptionem regni æterni. Hic est *κλίμαξ*,vel *σωρείτης*,quam Latini vocant gradationem,aut argumentum à primo ad vltimū,quo vtitur Spiritus sanctus peritissimus ratiocinandi artifex,nec falsus,nec fallens. Demonstrat Augustinus [b] in diuinis inesse Scripturis eloquentiam diuinam,probátque huius ipsius figuræ vsu apud Paulum [c],addc quoque Petrum [*].

a Ioan. 14. 15.
b lib. 4. de doct. Christ. c. 6. 7.
c Rom. 5. 3. 4. 5.
* 2. Epist. 1. 5. 6. 7.

Cura ergo disciplinæ, dilectio est.] Græcè nō est particula illatiua,sed aduersatiua δὲ, *autem* : & si altiùs incipiat gradatio à priore versu,meliùs ita legeremus,vt notat Iansenius. Potest verò & hinc incipere,& nonūquam mutuas hæ sibi particulæ operas præstant. Est porrò,vt vocant,propositio causalis in hoc, & sequentibus membris, & non formalis. Nam nō est dilectio formaliter cura disciplinæ, nec dilectio custodia legum disciplinæ, nec custoditio legum consummatio incorruptionis: sed ordine suo vnū ab alio pendet, velut effectus à causa; ad eundem modū,quo dicitur versu sequenti,quòd *incorruptio facit esse proximum Deo:* & versu 21. quòd *concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.*

Custoditio autem legum.] Græcè (προσοχὴ) proxime verò antè τήρησις, Latinè *custodia*. Προσοχὴ est attentio, accurata diligentia: &, vt Suidæ [d] placet, attentio & cura, qua id quod nobis ab aliquo persuasum fuit, & quod facere in nobis animus est,perficimus : seu quæ versatur circa perfectionem eius quod audiuimus,cùm præcesserit circa auditionem eius.

d verbo εἰσβολή.

Consummatio incorruptionis est.] Græcè (βεβαίωσις ἀφθαρσίας, *confirmatio* (vt legit Augustinus [e]) *constitutio, firmamentum immortalitatis*,vel *integritatis*) & in anima,& in corpore, *vt integer spiritus & anima seruetur* [f]. *Qui custodit praeceptum, non experietur quidquam mali* [g]; de quo loco egimus in Commentario. Ex præuaricatione præcepti, & ex peccato mortalitas corruptibilitásque processit, hoc est, necessitas moriendi, quæ licèt sit naturalis, per donum iustitiæ originalis ablata erat, ita vt qui eam retinerent, possent non mori : & denuò per gratiam sanctificantem ius idem acquiritur, sed suo tempore post generalem resurrectionem executioni mandandum.

e in specul.
f 1. Thess. 5. 23.
g Eccle 8 5.

Vers. 20.] Incorruptio autem facit esse proximum Deo.

HIc noster finis,proximè accedere ad Deum, illum imitari, obscuratam ac deletam quoque similitudinem, quæ erat per gratiam, in qua conditi fueramus, recuperare, tum in anima per sanctitatem, tum in corpore per immortalitatem. Hæc immortalitas & incorruptio corporis, quamuis futura sit etiam in damnatis,

& in pueris, aliisque, quos cum solo peccato originali retinet limbus, ob Christi priuilegiũ (*qui est primitiæ dormientium*, siue *primogenitus mortuorum*, aut *ex mortuis* [a]) accipiendo pro mortis inexperientia; tamen sumendo, vt solet, pro cæteris perfectionibus, dotibúsque corporis, conuenit beatis duntaxat, qui Deo fruentes, proximi fiunt illi, atque similes, videndo sicuti est [b]. Damnati contrà in perpetuis miseriis dici potiùs debent corruptibiliter incorruptibiles, mortaliter immortales, semper viuendo semper mori, nunquámve viuere. Nihil à Deo separat ac diuidit, nisi peccatum; & *qui adhæret Domino, vnus spiritus est* cum ipso [c]. Cùm igitur sit Deus incorruptibilis, ac solus habens immortalitatem [d] per se, & à se, talis efficietur participatione, qui iungetur illi inseparabiliter. Hanc habet vim custodia legum, amor Dei, gratia Dei: solę iniquitates diuidunt inter Deum & nos.

a 1. Cor. 15. 20. Coloss. 1. 18.
b 1. Ioan. 3. 2.
c 1. Cor. 6. 17.
d 1. Tim. 6. 16.

Bonauentura de virginibus locum istum interpretatur secundùm animum & carnem incorruptis, atque de quibus habetur in Apocalypsi [e], quòd *sequuntur Agnum quocumque ierit*, scilicet vt ei maximè similes. Erit sensus hic accommodationis, non autem proprius, quem constat esse vniuersalem, communémque omnibus qui custodiunt præcepta, licèt non sectentur consilia. Præclarè Plutarchus [f] negat, vel maius hominem accipere, vel dignius dare munus homini Deum posse veritate: reliqua non sibi propria & peculiaria Deum homini largiri; & argentum aurúmque Deo beatitatem, tonitru ac fulmen vim Deo nõ parare, sed scientiam & prudentiam.

e c. 14. 4.
f de Iside, & Osiride.

Facit esse proximũ Deo.] Græcè (ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ, *propè esse facit.*) Sæpiùs vidimus reddita positiua per superlatiua. Plinius [g] ait nil præstabilius, aut pulchrius Deorum, quàm castum, & sanctum, & Diis simillimum Principem.

g in panegyr. Traiani.

Vers. 21.] Concupiscentia itaque sapiẽtiæ deducit ad regnum perpetuum.

GRæcæ dictiones, causalis simúlque illatiua γὰρ, ἄρα, innuunt præcedentium consecutionem & rationem; nimirum propterea reddi proximum Deo, & incorruptibilem, qui leges custodit, qui disciplinam, & sapientiam diligit & concupiscit, quoniã hisce ornato virtutibus regnum (qua re nihil maius æstimant homines) decernitur, ac traditur. Quod regnum cum incorruptione non potest non esse perpetuum. Propterea sapienter additũ ab Interprete *perpetui* epithetum, quod etiam legit Augustinus [h], & Cantacuzenus in paraphrasi suppleuit; & satis colligitur ex sequenti versu (*vt in perpetuum regnetis.*)

h in speculo.

Vers. 22.] Si ergo delectamini sedibus & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis.

HOc illud est regnum, de quo loquebatur. Non adimit regnandi appetitum, sed melius proponit regnum; imò & rationem regni huius etiam temporalis acquirendi, administrandi, conseruandi, propagãdi. Christus piscatores piscium ad hominum inuitat piscationem [i], sicut Deus *David sustulerat de gregibus ouium, & de post fœtantes acceperat eum, pascere Iacob seruum suum, & Israël hæ-*

i Matth. 4. 19.

A *reditatem suam* [a]. Ad eundem Gregorius [b] hortatur modum: [Si ergo, fratres charissimi, verè esse diuites cupitis, veras diuitias amate: si culmen veri honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite: si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia ascribi festinate.] Hieronymus item nescio quo loco iubet nos veræ gloriæ cupidos, & quodam modo superbos spretis vilioribus honoribus ac bonis esse, atque indignum arbitrari subdere rebus infimis appetitum suum.

a Psal. 77. 70. 71.
b hom. 15 in Euang.

Si delectamini.] Græcè (εἰ ἥδεσθε) moderata lætitia, non, vt antè [c], γεγαυρωμένοι ἐπὶ ὄχλοις ἐθνῶν, *placentes, exultantes, superbientes in turbis nationum.* Iam antè innui quàm vir probus minimè delectetur magistratu, & principatu. Ad id confert B apologus historiæ sacræ Iudicum [d], de quo Serarius noster [e]: & epistola Petri Damiani, qua se purgat de abdicato: & Nazianzeni apologeticus, & quæ referuntur [f] in decretis ex Gregorio, & Augustino: & præter allata exempla, etiam de Ephrem [g], & Goar [h], vt domestica nostri ordinis omittam, quæ annales nostri commemorant.

c vers 3.
d c. 9. 8. & seqq.
e q. 14. vsque ad 25.
f 18. q. 1. c. in scriptis. & 3. 1. c. qui Episcopatum.
g Sozo lib. c. 25.
h idem lib. 8 c. 19.

Sedibus.] Græcè (ἐπὶ θρόνοις, *in thronis.*) Hugo & Bonauentura meminerunt alterius lectionis (*sensibus*) quæ sine dubio absque sensu, & deprauata est. Sedes ac throni Regum hoc loco sunt, qui etiam nominatim exprimuntur. Plerumque synonymæ voces sunt sedis, throni, cathedrę, vel exedræ, solij, tribunalis, &c. licèt Grammatici distinguant hoc modo:

C *Rex* [i] *solium: Doctor cathedram: Iudéxque tribunal*
Possidet, ac sedem Præsul, Prætórque curulem.

i Eberardus apud Olcot lect. 84.

Haimo [k] attribuit solium Regibus, Consulibus tribunal, cathedram Doctoribus, vel Sacerdotibus. Athenæus [l] θρόνον deriuat παρὰ τοῦ θρήσασθαι, τοῦτ᾽ ἐστὶ καθίζεσθαι, *quod est sedere.* Thronus est sella augustior, ἐλευθέριος καθέδρα [m], & crebrò apponitur ei epithetum, vt dicatur βασίλειος. In Angelis Throni vocantur [n] ex vltimo choro summæ hierarchiæ, in quibus Deus quodammodo sedere ac præsidere cẽsetur, & sua per eos indicia exercere, ipsis immediatè operum suorum rationes manifestando, vt veluti Deũ ad inferiores ferant; cùm præter hoc quod est ab ipsomet Deo immediatè doceri, quasdam alias habeant proprietates Che- D rubim & Seraphim: & quemadmodum Angelorum ordo ab eo quod est cõmune omnibus spiritibus, nomen habet; ita Throni ab illo, quod Cherubim & Seraphim [o].

k in Matth. c. 23.
l lib. 5. c. 6.
m Athen. lib. 5.
n Coloss. 1. 16.

Porrò quem delectant sedes ac solia, meminerit sedentis super Thronos istos [p], & super Cherubim [q]; & quòd omnes ante supremum tribunal sistendi sumus [r]. Veniat & in memoriam Cambyses, qui Sisanni corrupto Iudici pellem viuo detraxit, & sellæ intendit, in eáque filium eius sedere voluit [s]. Ammianus [t] verò Marcellinus ita de hac re scribit, agens de suo, & Iuliani Imperatoris tempore. [Quòd supersedere coria E damnati ob iniquitatem Iudicis Iudex alius cogebatur, aut finxit vetustas, aut olim recepta consuetudo cessauit.] Illud autem factum cum monito quidam non omnino malus Poëta sic cecinit:

o B. Thom. 1. p. q. 108. a. 5. ad 6. & art. 6 & ad 2. Dionys. c. 7. cœle hierar.
p Psal. 9. 5.
q Psal 79. 2. Psal. 98. 1. Dan. 3. 55.
r 2. Cor. 5. 10. Rom. 14. 10.
s Herod lib. 5 Valer. lib. 6. c. 3.
t lib. 23.

Sede sedens ista Iudex inflexibilis sta,
A manibus reseces munus, ab aure preces.
Sit tibi lucerna sedes, pellisque paterna,
Qua resides natus, sponte pro patre datus.

Magnus meritò honor habitus cathedræ Iacobi Episcopi Ierosolymitani, vt est in historia Ecclesiastica: & Petri tum Antiochenæ, tum Romanæ;

& refert eadem historia Petrum Alexandrinum in sua non ausum sedere, quòd lumine diuino radiantem semper conspicaretur. Egimus in Apostolica historia [a] de Principis edita sede, siue suggesto.

Consulum olim sellæ aliæ curules erant, aliæ gestatoriæ. Imò hæ ipsæ curules nominatæ sunt à curru, quo qui Magistratū curulem gessissent honoris gratiâ in curia vehebantur, in quo curru sella esset, supra quam sederent [b]: nondum autem functi tali Magistratu Senatores, pedibus itarent [c]. Humiliores erant sellæ Prætorum, Tribunorum, Senatorum: Consulum verò excelsæ, sublimésque, ad quas per gradus ascendebatur. Alias gestatorias per vrbem, per agros lecticarij serui gestabant; quo in numero lecticæ censeri possunt. Legatur Bulengerus [d], qui pereruditè de istis tractat. Sed certum est, συνωνύμως, ac pro eadem re sumi apud auctores etiam sacros solium, cathedram, tribunal, sedem, sellam, &c.

Sceptris.] Græcè (σκήπτροις.) Augustinus [e] legit (*stemmatibus*) cuius lectionis meminit Hugo, & Carthusianus, qua etiam vtitur Saluianus [f]; & Bonauentura alterius (*schematibus.*) Sed procul dubio vitiosæ sunt. Insigne regium virga est ac sceptrum. Et quidem sceptrum virga olim erat ex ebeno, lignóve aliq. ex ebore, auro, aliáve materia; sed si auro non constabat, ære ornabatur, siue ferro, quale pastoritium pedum, vt propterea vocaretur etiam absolutè ferrea, quemadmodum & in Psalmo 2.[g] non ob seueritatem, sed ob firmitatem, & perpetuitatem, vt bene probat Roa [h] noster; hoc præterea ostendens quod notauimus de gestata virga, seu sceptro, vel quoque hasta. Hanc pro sceptro in vsu fuisse docet Pontanus [i] post Turnebum [k], & Alexandrum [l] ab Alexādro, & Petrum [m] Gregorium, & pro diademate, cùm Iustino [n]: at non erat, opinor, vt nūc longa. Alij [o] vtebantur securi, quod etiam exponit de virga ferrea in Psal. 2. Pineda [p]. Signum hoc est regiæ ac iudiciariæ potestatis, aut doctrinæ. Sceptro, scipione, baculo, virga niti solemus; Deo cuncta sustinentur, & eius nutu, & quasi manu dantur in manus Regibus sceptra, vt illius regāt loco: item & Sacerdotibus, quorum est concionari, & docere. De Chryse Apollinis Sacerdote, qui ab eo sceptrum concionaturus acceperit, meminit Homerus [q], & de senibus iudicaturis [r]: idémque proditum de Hesiodo, quòd id ei Musæ tradiderint: & notæ sunt virgæ Palladis, Mercurij, Circes, Abbaris [s], Iani [t], Osiridis cum oculo infixo; atque in diuinis literis Mosis & Aaron [u], Assueri; quódque vel beneuolentiæ causâ virgam ad aliquem extenderent [x], vel ad edendum iuramentum [y]; vt & per thronum iurabatur [z]. Hodiéque & in foro Iudices, & in bello duces sceptra virgásve gestant. Nec improbabile talem fuisse virgam, quam dux exercitus Ionathas filius Saül portabat [a], & quam Angelus apparens Gedeoni [b]. Appellant paulo recentiores Græci δικανίκιον, *iudiciale sceptrū*, vt Curopalata, cùm scribit de officialibus palatij. Concedi posset duodecim virgas totidem tribuum [c], & insuper virgam tribus Leui, siue Aaron [d], fuisse dignitatis quandam notam in Principibus illarum. Eadem secundùm quandam analogiam ratio de baculo pastorali, quem vocant, quique à Marino Adriani IV. Romani Pontificis Vicario iussus est Photio auferri in Cōcilio Constantinopolitano VIII. [e] quia esset signum dignitatis pastoralis, quod ille habere nullatenus

a c.22.11.
b Gabius Bassus.
c Gell. lib. 3. c. 18. Auson. in grat. act.
d in Imp. Rom. lib. 1. c. 23. lib. 2. c. 31. & lib. 3. c. 51.
e in speculo.
f lib. 2. ad Eccle. Cath.
g vers. 9.
h 2. singula. c. 5.
i in 12. Aen.
k lib. 22. c. 13.
l lib. 1. c. 28.
m 6. syntag. c. 14.
n lib. 41.
o Plutar. problem. 158. & Baruch 6. 14.
p Iob. 9. 34.
q Iliad. 1.
r Iliad. 18.
s Clem. Alex.
t Ouid. 6. Fastorum.
u Exo. 4. & 7. & alibi.
x Esther 4. 11. c. 5. 2. c. 8. 4. c. 15. 14.
y Aristot. 3. Polit. c. 10. Home. Iliad. 8. vers. 321.
z Iudith 1. 12.
a 1. Reg. 14. 27. 43.
b Iud. 6. 21.
c Num. 17. 2.
d ibid. 6. & seq.
e actione 7.

A deberet, vtpote lupus, non pastor.

De baculo isto, quod pedum quoque (sicut & pastoritia virga) vocatur, consule Ioannem Stephanum Durantum [a], & Iosephū Stephanum [b], & eo Papa cur non vtatur; cuius rei ratio assignatur ab Innocentio III. [c] Mihi placet illa, præter aliam, quòd olim Petrus baculum suum tradiderit, siue Martiali, siue alteri; quòd se illius vbique potestas extendat, nullo vel temporis, vel interuallo loci coarctata, &, vt ita dicam, recuruata. Eam rationem tradit quoque B. Thomas [d]; & Luitprandus [e] tamen scribit, vice baculi Pontificem detulisse ferulam insigne coërtionis, & castigationis. Amplissimam Petri iurisdictionem sub nomine item virgæ nunquam tacentis, vel

B quiescentis, expressit hoc modo Nonnus [f]:

Βόσκε μοι ἔμφρονας ἄρνας ἀσιγήτῳ σέο ῥάβδῳ.

Pasce mihi prudentes agnos non tacente tuo baculo.

Hæc satis, nec nimis, vel extra rem: spectare namque præsens potest locus rectores æquè vt ciuiles, sic Ecclesiasticos, qui sceptris delectentur, aut baculis pedísve.

Diligite sapientiam.] Σοφίαν & παιδείαν confundit Auctor aliquando: priùs namque concupisci disciplinam voluit initio libri, & nunc diligi sapientiam; nempe vt doceat sapientiam in actione virtutis versari, non in nuda cognitione. Cùm Cyrus Cambysem designaret Imperij successo-

C rem; Te mi Cambyses [g], dixit, scire volo, non aureum hoc sceptrum esse, quod Regnum tibi conseruet: sed amici fideles Regibus & verissimū, & tutissimum sceptrum sunt. Negari non potest; at multo melius ab ipsa sapientia præsidium, per quam Reges regnant [h]. Nero liberales disciplinas omnes ferè puer attigit; sed à Philosophia eum mater auertit, monens imperaturo contrariam [i]. Sapientius aliorum contrarium iudicium, de quo alibi memini.

a 2. de ritib. Eccl. c. 9. n. 38. 39. 40.
b de potest. coact. Roma. Pontif. c. 8. n. 5.
c c. vnic. de Sacr. vnct. vbi etiam glos. & idem Innoc. lib. 1. de myst. Missæ c. 62.
d 4. d. 24. q. 1. ad 8.
e lib. 6 c. 11.
f in Euange. Ioan. c. 21.
g Xenoph. 8. de insti. Cyri.
h Prou. 8. 15.
i Sueton. in Nero. c. 52.

Vers. 23.] Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis.

D DEsiderátur hæc in libris Græcis, neque Cantacuzenus legit. At omnes Latini recipiunt, & Enarratores, declarántque de lumine doctrinæ ad alios docendū, &, vt sapientia ipsa loquitur [k], ad illam elucidandam, ne cœcus cœcum ducat, ambóque in foueam cadant [l]. Tanta perfusos luce Doctores oportet esse, potissimùm Ecclesiasticos, vt sint ipsamet lux [m], sibi & cæteris sufficiens, non doctrina solùm, sed vita illuminans. Hi sunt cæteris oculi. *Claudet oculos vestros*, minatur Esaias [n], *Prophetas, Principes, & duces.* Oculos Augustus corporeos adeò claros ac nitidos ha-

E bebat, vt iis existimari vellet inesse diuinum vigorem, gaudirétque si quis sibi acriùs contuenti quasi ad fulgorem Solis vultum submitteret [o]. Mosis cornutam faciem ac splendescentem nemo non recordatur [p], & eximium transfigurati Christi lumen [q]. Recitatis his paucis, quæ dicuntur à me, posterior auctor [r] adiicit παρέργως de luminе notiones, pro fulgoribus, & primordiis lucis, pro die, pro oculis, pro re pretiosissima, & charissima, pro Doctoribus, pro inspiratione cœlesti.

k Eccli. 24. 31.
l Matth. 15. 14.
m Matt. 5. 14.
n c. 29. 10.
o Suet. in Augusto. c. 79.
p Exod. 19. 10. 34. 2. Cor. 3. 13.
q Matth. 17. 2.
r Ceruantes

Verſ. 24.] Quid eſt autem ſapientia, & quemadmodum facta ſit referam:& nō abſcondam à vobis ſacramenta Dei,ſed ab initio natiuitatis inueſtigabo, & ponam in lucem ſcientiam illius, & non præteribo veritatem.

PLena,inquit Cantacuzenus, humanitatis, & benignitatis oratio.Quaſi altiùs repetito principio,ſapientiæ naturam declarare vult,& qua ratione ſibi eam ipſe comparauerit, indicare, non facere contentus,ſed ſimul docens [a]. Et quidem magnopere prouocat ad diſcendum vocãdo myſteria Dei, pollicendo, profitendo ſe de ſuomet ipſius experimento etiam inde ab ipſa cõceptione ſermonem habiturum, recipiendo ſe ingenuè narraturum quæcumque nouerit in hoc genere. Debent autem hæc, & ſequentia propriè ad literam ſumi de ſapientia creata, de qua totus liber eſt; licèt allegoricè transferri poſſint ad increatam,ſiue ad Chriſtum. Hactenus præceſſit potiùs adhortatio,ac reprehenſio iniquorum; nunc opportunè proponitur expoſitio naturæ, atque deſcriptio proprietatum ſapientiæ.

a Matth.5.19. Act.1.1.

Quemadmodum facta ſit.] Græcè (πῶς ἐγένετο, *quomodo orta.*)Loquens Auctor in Salomonis perſona,vt Lyranus notat,agit de ſapientia,quæ fuit in Salomone tam per accidens infuſa, quàm per ſe.Nam Salomon ſimul accepit vtramque à Deo. Prior eſt de rebus naturalibus cognitio, quam naturæ viribus aſſequi alius poſſet, quamuis magno labore, longo tempore,cum errandi periculo.Poſterior de iis,quæ naturaliter ſciri non poſſunt. Qui ſequuntur allegoriam, ſapientiam factam propriè negãt,ſed factam dici pro genitam, ſicut eſt in Symbolo Niceno (*genitum,non factum*) & Athanaſij (*Filius à Patre ſolo eſt,nõ factus,nec creatus, ſed genitus.*) Sic gloſſa interlinearis, Hugo, & Bonauentura. Sed hîc nos non hæremus; & ſapienter monent Theologi cauendos eos dicendi modos, quibus procedens perſona videri poſſit inferior alia, à qua procedit, vt ſi diceretur vna eſſe cauſa alterius,vel auctor [b]: Patres verò, qui ita loquuntur, ſiue Græcos vſurpantes nomen αἰτίας, ſiue Latinos,commodè interpretãdos pro ratione principij,& ordinis vnius ab alio, abſque imperfectione cauſalitatis & effectus. Verbum Græcum ἐγένετο non includit neceſſariò iſtam imperfectionem.

b lege S.Thomam 1.p.q.33. art.1.& Scholaſtic 1.ſent. d.29.

Non abſcondam vobis ſacramenta Dei.] Ad μυςήρια Interpres addidit *Dei.* Alioqui myſteria in genere arcana ſunt & ſecreta,non diuina ſolùm, ſed etiam alia. Meretrix quidem illa magna in fronte habebit nomen ſcriptum, *myſterium* [c]. Sed Græcæ vocis primarius vſus eſt ad ſacra nõ communicanda niſi initiatis:ideóque hîc rectè reddita eſt, quamuis ab eodem Interprete quandoque ipſamet retineatur, & pro Eccleſiæ Sacramentis communiter à Græcis accipiatur.

c Apoc.17.5.

Magnum promiſſum de reuelanda ſapientia diuina, de qua Iob hoc pacto [d]; *Sapientia vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ?* &c. *Vnde* [e] *ergo ſapientia venit? & quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita* [f] *eſt ab oculis omniũ viuentium,* &c. *Deus* [g] *intelligit viam eius,& ipſe nouit locum illius.* Sapientiæ, ſicut & Dei, epithetum eſt, vt ſit παμκρυφὸς, & abſcondita,atque velut virgo obnupta,quam virginem Hebræi ab abſconſione עַלְמָה *hhalmah* [h] vocant. Dauid [i] appellat incerta, & occulta ſa-

d c.28,11. e verſ.20. f verſ.21. g verſ.23. h Eſai.7.14. i Pſal.50.8.

A pientiæ τὰ ἄδηλα, καὶ τὰ κρύφια. Ægyptij fabulis Philoſophiam ſuam velabant, obſcuriſque notis, atque ſphinges, de quibus Plinius [a], Solinus [b], Diodorus [c], Strabo [d], Philoſtorgus apud Nicephorum [e], Auguſtinus [f], & cum aliis,quos citat, Lælius [g] Biſciola noſter,vt Plutarchus [h] prodit, & Clemens [i] Alexandrinus, ante templa collocabant:ſed & cuidam fano Mineruæ, quæ Dea dicitur ſapientiæ (in cuius galeæ cono in ſtatua ſphinx eminebat,vt meminit Pauſanias [k]) ſic refert idem Plutarchus inſcriptum: EGO SVM OMNE QVOD EXISTIT, EST, ET ERIT, MEVMQVE PEPLVM NEMO ADHVC MORTALIVM DETEXIT: prætereà cognominatum ab Ægyptiis *Amun*, vel *Ammonem,* id eſt, *occultum*; hócque ipſo nomine inuocatum

a lib.8 ca.21 & 54. b c.30. c lib 4. d lib.16. e 9.hiſtor.c.19. f 16.de ciuitat.c.6. g 5.hor. ſubceſiuar.c.20. h de Iſide & Oſiride. i 5 ſtrom. k in Attic.

B oratúmque, vt ſe ipſe manifeſtare dignaretur. Denique ſolus Deus intelligit viam ſapientiæ, quia ſolus eius auctor eſt.

Nam ſi (ait Lucretius [l]) *vt ipſa petit maieſtas cognita rerum,*
Dicendum eſt; Deus ille fuit, Deus inclyte Memmi
Qui princeps vitæ rationem inuenit, eam quæ
Nunc appellatur ſapientia,quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantiſque tenebris
In tam tranquillo,& tam clara luce locauit.

l lib.5.

Socratem Iuſtinus [m] Martyr teſtis eſt hunc frequenter iambum vſurpauiſſe;

m de rectâ confeſſ.

Οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποις τῶν θείων σαφές.
Diuinorum nihil gnarum mortalibus.

C Id idem confirmat Pauli verbis quibus dixit [n], *quæ non licet homini loqui:&,nunc cognoſco ex parte* [o]. Porrò ad præſentem facit illa ſententia Raphaëlis Angeli [p]; *Etenim ſacramentum Regis* (id eſt, arcanum) *abſcondere bonum eſt: opera autem Dei reuelare, & confiteri, honorificum eſt.* Inter opera Dei cenſentur quæ appellantur myſteria. Hæc non porcis quidẽ,& canibus [q],id eſt, profanis ac omnino indignis hominibus proiicienda, ſine ſpe fructus: ſed potiùs *gloria Dei eſt celare verbum* [r] tales homines.

n 2.Cor.12.4. o 1.Cor.13.12. p Tob.12.7. q Matth.7.6. r Prou.25.2.

Ab initio natiuitatis inueſtigabo.] Natiuitatem, ſeu conceptionem intelligit ſuiipſius,de qua diſſerit ſequenti capite; non autem ſapientiæ, vt bene obſeruauit Hugo, niſi loquendo ſecundùm

D ſenſum myſticum de increata. Conducit plurimum ſapientiæ comparandæ cognitio generationis humanæ;ideóque de illa libenter mentionem faciunt ij, qui nobis mundi contemptum perſuadere nituntur,& Iob aliquoties.

Verſ. 25.] Neque cum inuidia tabeſcente iter habebo; quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ.

AMbigua oratio, vel quòd ipſemet nolit inuidum imitari,& inuidere alteri ſacramentorum

E Dei manifeſtationem:vel quòd nolit communicare ſapiẽtiam inuidia tabefacto. Prior ſenſus magis ad rem;quaſi dicat: non admittam in me inuidiam,certus quòd qui talis eſt, nec habere ſapientiam poteſt, ipſéque ſi inuidus eſſem, à me ſapientiam excluderem, quæ ſcilicet ſeipſam libenter impartitur,& fugit fictum [f], atque maleuolum,& eius veluti oſſa robúrve putreſiunt per inuidiam [t]: [licèt,inquit Carthuſianus,& verum eſt, ſapientia ſcholaſtica acquiſita, aut etiam infuſa poſſit cum mortali peccato haberi.] Hoc eſt

f Sap.1.5. t Prou.14.30.

quod

a verf.13.

quod Auctor capite sequenti [a] de se dicit; *Quam sine fictione* (ἀδόλως) *didici,& sine inuidia* (ἀφθόνως) *communico.* Diabolicum vitium est inuidia:inuidit diabolus nobis veram sapientiam, vana spe proposita scientiæ,& mentitus inuidere nobis illam Deum [b]. Aristoteles [c] deprehendit hoc in Poëtis inter alia multa mendacium, loquens de sapientia humana, quòd naturam diuinam inuidam dicerent esse. Refert verò etiam Aristotelis interpres Alexander [d] similem Platonis sententiam; [Inuidentia procul est à choro diuino.] Facit de eadem Philo [e] mentionem:sapientiam autẽ,cùm nihil ea sit diuinius,& magis expositum, nunquã claudere suum auditorium,sed patentibus ianuis admittere sitientes. Imò idem Aristoteles [f] fungentes muneribus menti consentaneis, Diis charissimos esse affirmat.

b Gen.3.4.5. c 1.Metaph. sum.1.c.2. post med.
d ibid.
e libr. quòd probus sit liber.
f 10.Eth.c.8.

Inuidia tabescente.] Græcè (φθόνῳ τετηκότι.) Frequens Poëtis,& aliis auctoribus epithetum inuidiæ, quæ tabificum dicitur malis venenum [g], & iustum malum,quia suum punit possessorem. Interdum tamen etiam iustus piúsque zelus similem operatur effectũ,non pœnæ, sed sympathiæ. *Tabescere me fecit Zelus meus,* ἐξέτηξέ με, inquit Dauid [h], *quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

g Virg.de liuore.
h Psal.118. 139.

Talis homo non erit particeps sapientiæ.] Nec docebit,nec discet. Doctor inuidens alienis commodis,nulli commodabit; discipulus alienæ sapientiæ splendore perculsus,lædetur inde,non proficiet,vt quondam Saulus Stephanũ persequens [i]. Signum scientis est posse docere [k], sapientis diuina sapientia, etiam velle: aliis enim bene vult præditus charitate, quæ cum illa sapientia coniuncta est. Sapiens obtrectatores negligit,vt studiosis & amatoribus prosit sapientiæ;quod de se Galenus [l] eleganter profitetur exemplo benefici Dei,& communis Solis.Nescio tamen quo modo simul verum sit,vt ad plurima docendum stimuler inuidia.

i Act.7.& 9.
k Arist.1. Metaph.sum.1. c.1.
l 12 de vsu part.c.6.
m Phile.apud Stob.ser.38.

Πολλά [m] με διδάσκεις ἀφθόνως διὰ φθόνον,
Ὅπως ἀκούων πολλὰ, μηδὲ ἓν μάθω.
Multa me doces abundè propter inuidiam,
Vt audiens quamplurima,ne vnum quidẽ addiscam.

Nec infrequens inuidis inimicos, atque diabolũ bona permittere & ingerere, vnde maiora sequantur damna. Indignè tulit Moses ægrè ferentem quòd alij præter ipsum quoque prophetarent [n]. *Quid,* inquit,*æmularis pro me?quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Compescuit pari ratione [o] Christus Ioannem, cùm se prohibuisse dixisset illum qui non sequens Christum, eiiciebat in nomine ipsius dæmonia.

n Num.11. 29.
o Mar.9.37. 38.39.

Vers. 26.] Multitudo autem sapiẽtium sanitas est orbis terrarum: & Rex sapiens stabilimentum populi est.

INuidus, qui continet apud se sapientiam, hac quidem in parte minimè sapiens, fraudat præterea genus humanum salute,quæ in sapientium consistit multitudine;præsertim Regum,quorum sapientia,& prudentia stabiliuntur Regna.

Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.] *Vbi non est gubernator, populus corruet:salus autem vbi multa consilia* [p]. *Dissipantur cogitationes vbi non est consilium,vbi verò sunt plures consiliarij,confirmantur* [q]. *Labia iusti erudiunt plurimos* [r]: *& pretiosi spiritus vir eruditus* [f]. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur*

p Pro.11.14.
q Pro.15.22.
r Pro.10.21.
f Pro.17.27.

A *sapientia* [a]. *Qui sapiens est, audit consilium* [b]. Rectè autem notauit Augustinus [c], non eloquentium, sed sapientium dici multitudinem sanitatem orbis terrarum; quamuis nihil sit salubri suauitate, & suaui salubritate melius, & quanto magis in diuinis literis sermonibúsque appetitur suauitas, tanto faciliùs salubritas prosit.

a Pro.13.10.
b Prou 12.15.
c 4.de doct. Christ.c.5.

Multitudinis autem sapientum Sapiens meminit,quia non vnus,aut alter,aut pauci omnem in se sapientiam complectuntur, veráque vetus parœmia est; *Plus vident oculi quàm oculus:* Ὀλίγα [d] γὰρ εἷς ἂν ἴδοι, καὶ εἷς ἀκούσειε, *pauca enim aliqua vnus videat,vnus audiat:* sed esse debent πολλοὶ [e] βασιλέως ὀφθαλμοὶ, καὶ πολλὰ ὦτα, *multi Regis oculi, &*

d Xenoph 8. Cyropædiæ.
e ibid.

B *multæ aures.* Celebrantur in historia Machabæorum [f] Romani hac de causa præ cæteris, *quòd curiam fecissent sibi* (βουλευτήριον, *consiliatorium*) *& quotidie consulerent trecentos viginti, consilium agentes semper de multitudine,vt quæ digna sunt,gererent.* Quamquam in Senatorum numero variatum est, vt Romulus centum constituerit, mox ducenti fuerint; paulo pòst treceenti, sublato Superbo Rege,idem,quem sustulerat,numerus restauratus [g]; additis insuper fortassis viginti,qui numerus Machabæorum vigeret ætate. Nec enim necessariò quæ narrantur ibi, vera sunt; sed necesse est verum esse sic Iudam,qui ea refert,accepisse, pro vt etiam ibidem dicitur [h]. Dum grassaretur seditio Gracchorum,

f lib.1.c.8.15.
g Liuius lib. 2.
h vers.1.& 2.

C peruenit numerus ad sexcentos, aliquanto pòst nongenti,tandémque mille,ampliúsque numerati sunt. Lege Sigonium [i],& Rosinum [k].

Non potest numerus definiri sapientum, quorum adhibeatur consilium:sed habenda tum amplitudinis Reipublicæ, tum multitudinis magnitudinísque, & qualitatis negotiorũ ratio:& aliud est priuatis de rebus alium consulere,aliud de publicis. Priuatus quisque de his quæ ad seipsum spectant, consultissimè fecerit si consulat paucissimos,ac ne vni quidem,si possit,plures præferat, cui seipsum suáque committat. Hoc præcipiunt rerum spiritualium magistri, tractatorésque sub nomine spiritualis Patris [l], quem sibi quiuis vnũ

i libr.2.de antiq. iure Rom.
k 7.antiq. Rom.c.5.

D deligat: & in libro Ecclesiastici [m] multos iubemur pacificos habere,id est,pacem tueri cum omnibus, sed consiliarium vnum de mille. Quæ tamen sententia de pluribus quoque vera consiliariis potest esse, si non absque delectu comparentur. Alioquin pauciores pluribus præferendi, si meliores. Nam, vt Pius II. [n] scribit, Scriptura quæ ait, *vbi multa consilia,ibi salus,* consiliorũ multitudinem non requirit,sed maturitatem & digestionem:quæ res in paucis, quàm in multis faciliùs reperitur. Neque enim honestas, aut iustitia multitudine facilè suadetur, quæ variis affectibus agitata, ad pronã frequenter inclinat confusioni. Subita est consulentium multitudo, ne-

l Dorothe. Abb doct.5. Cass.coll.2. c.10.
m c.6.6.
n lib.1.epist. 387.ad Lud. Gall. Regem.

E que bene res se habet, vbi suffragia numerantur, non ponderantur. Sæpe enim fit vt maior pars meliorem vincat. Iustinianus [o] edixit quoq; hoc modo: [Sed neque ex multitudine auctorũ quod melius,& æquius est,iudicatore,cùm possit vnius forsan,& deterioris sententia & multos,& maiores aliqua in parte superare.] Testis Cicero [p] Q. Scæuolam iuris peritissimum cùm de iure prædiorum consuleretur, suos interdum consultores ad Furium,& Casellium prædiatores reiecisse; & constat Bartolum ad iudicium mercatorum & opificum pleraque sua elucubrauisse. Nam,vt idẽ tradit M.Tullius [q], assiduus vsus vni rei deditus, & ingeniũ,& artem sæpe vincit.Prudens quoque

o C.de vete. iure enucleat. l.1.
p in Corneliane.
q ibid.

Vegetij

Vegetij in re militari, sed & in qualibet alia consilium, quid fieri debeat, tractare cum multis, quid facturus sis, cum paucissimis & fidelissimis, vel potiùs cum se ipso. Hac ipsa de re S. Benedictus in regula [a], & eius interpres Turrecremata [b]. Volebat ille congregationem omnem consuli super rebus grauioribus, quòd interdum Deus etiam minoribus reuelet. Seuerus Imperator nil statuit vnquam absque plurimorum Iurisconsultorum, aliorúmque peritorum corona [c]: Augustus ad consilium etiam priuatum adhibebat Mœcenatem, & Agrippam; sicut Iulius Cæsar Q. Pedium, & Cornelium Balbum [d]: & Augustus post mortem illorum, si quid, cuius eum pœniteret, accidisset, exclamabat; horum nihil mihi accidisset, si aut Aggrippa, aut Mœcenas vixisset [e].

a c.3. b tract.15. c Lamprid. in Seuero. d Dio Cassius lib.52. e Seneca 6. de benef. c.32.

Magni ergo faciendi sapientes consiliarij, periti, prudétes, eorúmque, vt ait Aristoteles [f], pronunciationibus & opinionibus absque demonstratione, non minùs quàm demonstrationibus attendendum est: quia namque ex ipsa experientia visum habent, principia intuentur. Quocirca debet esse

f 6 Ethic. c. 11.

Σοφὸς ὁ τύραννος τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Princeps sapiens sapientium commercio.

g Eurip.

Rex sapiens populi stabilimentum est.] Oportet igitur & Regem ipsum sapientem (φρόνιμον) prudentem esse, quamuis alienis vteretur consiliis: nec placet eorum consilium Regum, qui vetuisse leguntur ne filij, ad quos Regnum deferendum esset, scientiarum studiis informarentur, vt se videntes imperitos, aliorum aduocarent consilia, neque potestate freti, suæmet etiam scientiæ credétes, cunctáque idcirco arbitrij sui impulsu peragentes, Rempublicam perderét. Ludouicus XI. filium Carolum omnium expertem artium voluit, ne esset in capiendis refractior consiliis, tenaciórque sensus sui. Et sanè id accidit: nam iam Regem vilissimi duo, trésve homuli huc illuc magna cum subditorum indignatione, damnóque circumegerunt. Gothica barbaria ferre non potuit, vt Atalaricum mater Amalsuintha egregia fœmina bonis ac doctis magistris instituendum daret: literaria enim cultura effœminari animum, ad timorem traduci, abduci ab armis & robore. Longè secus Plato, de quo nuper, exigens Reges philosophantes, vel Philosophos regnantes; &, quod maximi fieri debet, longissimè noster hic Auctor, & omnis abest ab illo barbaro consilio diuina Scriptura, tot sententiis & exemplis commendans in iis qui præsunt, sapientiam; sed illam, de qua item antea dixi, quæ docibilis est, aliorum obsequens consiliis, nec reddit homines philosopha duntaxat sententia, ignaua opera [h], nec facit vt scholæ soli discant, sed vitæ. [i] Nam

h Pacuuius.

Ὁ χρήσιμ' [k] εἰδὼς, οὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφός.

Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.

i Seneca ep. 107. k Aeschylus.

Adrianus, Iulianus [l], Michaël [m] Imperatores ob nimis affectatam doctrinam malè audiuerunt. Lege Lipsium [n], & alios, tum antiquiores qui disputant de Principis institutione, vt Leonem ac Basilium Imperatores: tum recentiores, vt ex nostris Petrum Ribadeneiram, & Ioannem Marianam; tum etiam Hieronymum Osorium, & Ioannem Boterum Cockierum [o]. Adiice ianuis templorum Ethnicos appinxisse sapientiam velut Nympham, Diuámve pulcherrimam cum hoc epigrammate; VSVS ME GENVIT, PEPERIT MEMORIA, SOPHIAM ME VOCANT GRÆCI, VOS SAPIENTIAM.

l Ammia. Marcelli. m Zonaras tom.3 annalium. n 1. Politico. c.10. o 2. aphor. Politic c.23. 25. & lib.3. toto.

A Verissimè Menander;

Σοφοῖς ὁμιλῶν κ' αὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός.

Sapiens eris sapientibus sæpe assidens.

Item:

Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Vir literatus duplo acutiùs videt.

Homeri [a] præterea effatum omnino præclarum, quod compendij causâ Latinè tantùm pono;

a Iliad. θ.

——— *Maior adest, & plena duobus*
Pectoris, atque animi præstantia, copia rerum
Vberior, vis consilij præstantior omnis:
Dum nunc hic, nunc ille aliquid, quod & vtile credat
Inuenit; alter & alterius sæpe indiget vsu.
At qui solus erit, si fortè quid vtile rebus
Cogitet, inueniátque animo persæpe labanti,
B *Deficit, & timidum fugit omnis consilij vis.*

Verùm de sapientia, quæ in Rege, ac Principe requiritur, plura de nostris Ioannes Torres lib.6. toto philosophiæ moralis Principum idiomate Hispanico; Ribadeneira 2. de Rege, & Regis institutione [b]; Pineda 3. de rebus Salomonis [c].

b c.6. & 8. c c.9.

Populi stabilimentum est.] Græcè (εὐστάθεια δήμου.) *Principatus sensati stabilis erit* [d], ἡγεμονία συνετοῦ τεταγμένη ἔσται, *protensus*, vel τεταγμένη, *ordinatus*; ex ordine namque firmitas prouenit. *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternū fundabitur* [e]. Exemplum Cantacuzenus Mosem dat, qui *nisi stetisset in confractione* (id est, in perruptione muri) *in conspectu Dei, vt auerteret iram eius*, disperdisset Deus eos [f]: item Zorobabelem, reductoré populi C de captiuitate [g]. Huc autem etiam spectat lapis angularis, qué de Principe dici docuimus aliàs [h], vel de Regno, eo quòd, vt ait Hieronymus [i], populos contineat. Et significatur interdum per lapidem angularem ipsummet terræ centrum, quæ est ima basis atque fundamentum vniuersi. Ita quidem loqui videtur Iob [k], vt eum exponit S. Tho. & alij. Gregorius [l] Reges docet esse *qui portant orbem* [m]: idcóque terræ Principem nó incongruè Græco eloquio dici βασιλεύς: λαὸς enim, inquit, populus interpretatur; βασιλεὺς igitur basis λαοῦ vocatur, quod Latina videlicet lingua basis populi dicitur, quia videlicet ipse super se populum sustinet, qui motus illius, potestatis pondere fixus, regit. Quo enim subiectorum suorum onera D tolerat, eo quasi superpositam columnam basis portat. Sic nonnulli verba Psalmi [n], *imposuisti homines super capita nostra*, sensu saltem accommodationis, interpretantur de onere gubernationis: literalis enim videtur de Tyrannis, qui subditorum imminent capitibus, eáque calcant. Nomen illud Græcum propriè quidem significat, & vsurpatur sæpiùs pro Rege; tamen aliquando etiam pro inferioribus Magistratibus, & Iudicibus: sed præterea pro superiore Imperatore. Duo ferè soli auctores Græci Plutarchus, ac Herodianus obseruati sunt Imperatorem nominare αὐτοκράτορα; medij autem scriptores [o], Latinam vocem Græcam facientes, vocant ῥῆγας non modò Regulos, E sed Reges quoque magnos, vt Francorum: & quidam, vt suum Orientis Imperatorem Occidentis præferant Imperatori, ῥῆγα Ῥωμαίων nominant, illum βασιλέα. De Latino vocabulo penè ratio eadem, ac latiùs etiam patet. De Imperatore & Cæsare dixerunt Iudæi; *Non* [p] *habemus Regem, nisi Cæsarem.*

d Eccli.10.1. e Prou.29.14. f Psal.105.23. 24. Exo.32.9. & seq. g 1. Esd.2.2. h Act.4.11. & 1. Pet.2.6. i in c.20. Esa. k c.38.6. l 9. moral. c.10. vel 13. m Iob.9.13. n Psal.65.12. o Ioannes Cantacuzenus de reb. Andronici Palæologi. p Ioan.19.15.

Illud porrò de stabilimento, seu fundamento, vel basi populi, vt de Rege dicitur sapiente, comprobatur Ecclesiastici [q] testimonio; *Iudex sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit.*

q c.10.1.

a c.3.6. *erit.* Id ſibi quoque vult apud Eſaiam [a], quòd ſub manu Principis ruina eſſe dicitur; & quòd

b verſ.8. cùm puer eſt, *ruit Ieruſalem, & Iudas concidit* [b]; & quòd appellatur Ioſeph à patre ſimul lapis, & paſtor [c]; & quòd à Paulo [d] Apoſtoli, atque Prophetæ fundamenta, Chriſtus lapis angularis ſummus. Ineſt item alluſio nonnulla in vocibus אָדוֹן *adon*, & plurali אֲדוֹנִים *adonim* (vnde forſitan *Dominus*) pro Iudice, ac Principe; & אֶדֶן *eden* pro baſi, cuius plurale אֲדָנִים *adanim*. Tandem eodem Plutarchus [e] reſpexit, ſcribens, quòd ſi Regnum ſapientiæ beneficio, & inſtitutione ſeruet rectitudinem abſque inclinatione ad lineam, & ad angulos rectos, firma cõſiſtet ſuperimpoſita ædificij moles; ſin minùs à rectæ rationis, & ſapientiæ regula declinarit, quidquid ſuperſtruxeris, vnà cum ipſa baſi ruet.

c Gene.49.24.

d Epheſ.2.20.

e opuſc.in Principe requiri doctrinam.

Verſ. 27.] Ergo accipite diſciplinam per ſermones meos, & proderit vobis.

A AB vtilitate facit audientiam ſibi. Doctor verus Deum imitatur docentem vtilia [a]: ſed vtilitatem diuinæ propoſitæ ſapientiæ non percipit auditor, niſi doceat intus Deus. *Hæc* [b] *dicit Dominus redemptor tuus ſanctus Iſrael: Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas. Vtinam attendiſſes mandata mea; facta fuiſſet ſicut flumen pax tua*, &c. Ab hoc verſu caput ſequens inchoat Hugo: cæteri præſenti capiti aſſignant.

a Eſa.48.17.

b ibid.17.18.

Cæterùm in verbo *(proderit)* μείωσις eſt, indicans plurima, propéque infinita bona conferri à ſapientia. Vtilitatem autem proponit Auctor; quoniam ea potiſſimùm homines alliciuntur. Sic etiam in Deuteronomio [c]; *Quis det eos talem ha-*

c c.5.29.

B *bere mentem, vt timeant me, & cuſtodiant vniuerſa mandata mea in omni tempore, vt bene ſit eis, & filiis eorum in ſempiternum?* Quem locum omnino deprauatè citat is, qui vel apicem in aliis extra ordinem notat [d], digrediens in confutationem Pinedæ [e], quaſi Salomonem ludimagiſtrum, vel profeſſorem publicum faceret, de qua re aliàs.

d Ceruantes.

e 3.de reb. Salom.c.18.

SVMMARIVM.

ATTENTOS nactus capite priore Auctor auditores, aggreditur ſub ſua, vel Salomonis perſona vim, proprietatéſque ſapientiæ celebrare. Docet verò, cùm ſuiipſius, qui Rex fuerit, aliorúmque Regum idem ſit introitus ad vitam, qui quorumuis hominum cæterorum, exitúſque ſimilis, ac proinde mediam reliquam animalem vitam oporteat haud plurimum in illis diſcordare; ſine dubio præ omnibus eligendam ſapientiam cunctis affluentem bonis, & ſpiritum habentem multiplicem. Ponit præterea laudes alias eiuſdem; ſéque commemorat ea diuinitùs cumulatè donatum fuiſſe; vt nullus deſperare debeat, quin & illam ipſe valeat adipiſci.

CAPVT VII.

1 SVm quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro,

C

2 Decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conueniente.

3 Et ego natus accepi communem aërem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.

4 In inuolumentis nutritus ſum, & curis magnis.

5 Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium.

D

6 Vnus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.

7 Propter hoc optaui, & datus eſt mihi ſenſus: & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ:

8 Et præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius:

9 Nec comparaui illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.

10 Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illã: quoniam inextinguibile eſt lumen illius.

11 Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius;

12 Et lætatus ſum in omnibus: quoniã antecedebat me iſta ſapiẽtia, & ignorabam quoniam horum omnium mater eſt.

13 Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.

14 Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona cõmendati.

15 Mihi autem dedit Deus dicere ex ſententia, & præſumere digna horum quæ

mihi dantur: quoniam ipſe ſapientiæ dux eſt,& ſapientium emendator:

16 In manu enim illius & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientia & diſciplina.

17 Ipſe enim dedit mihi horum, quæ ſunt,ſcientiam veram: vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum,

18 Initium, & conſummationem, & medietatem temporum, viciſſitudinum permutationes, & commutationes temporum,

19 Anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones,

20 Naturas animalium, & iras beſtiarum,vim ventorum,& cogitationes hominum,differentias virgultorum, & virtutes radicum,

21 Et quæcumque ſunt abſconſa & improuiſa, didici: omnium enim artifex docuit me ſapientia.

22 Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ,ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus,mobilis,incoinquinatus,certus, ſuauis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat,benefaciens,

23 Humanus,benignus,ſtabilis,certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus: intelligibilis,mundus,ſubtilis.

24 Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia: attingit autem vbique propter ſuam munditiam.

25 Vapor eſt enim virtutis Dei,& emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſyncera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.

26 Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.

27 Et cùm ſit vna, omnia poteſt: & in ſe permanens omnia innouat,& per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & prophetas conſtituit.

28 Neminem enim diligit Deus, niſi eum,qui cum ſapientia inhabitat.

29 Eſt enim hæc ſpecioſior Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata inuenitur prior.

30 Illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia.

Verſ. 1.] Sum quidem & ego mortalis homo,ſimilis omnibus,& ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro.

A VT faciliùs quod promiſit de ſapientia præſtet,in ſeipſo exemplum proponit, vt iiſdē rationibus,quibus ipſe,ſibi qui volet ſapientiam comparet. Viſus eſt Salomon ipſe in proprio libro ſuo Prouerbiorū[a] ſimili loquendi forma ex ſuiipſius exemplo. Primo loco vilitatem conditionis ſuæ ac infirmitatem profitetur, velut hæreditarium malum iam inde à primo parente generis humani, à quo per ſanguinis propagationem acceperit carnem intra vterum maternum formatam. Matris atque mulieris mentio diſtinctè fit, quoniam *a muliere initium peccati*[b]; & nihil imbecillius & inſipientius muliere; *Adam* enim *non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit*[c]:& inter Palladis laudes,quæ ſapientiæ Dea fingitur, illa quoque fabuloſa ponitur;

B *Hanc de patre ferunt ſine matris fœdere natam*[d].

Et veram increatam ſapientiam ex ſolo Patre genitam, quoniã nos pueri communicaueramus carni & ſanguini,ſimiliter participare eiſdem decuit[e], ac fieri ex muliere[f] ſine carnali patre, & denominare non à Patre filiū Dei, ſed filium hominis ſeipſum voluit, ſicut Lyciis in more fuit à matribus,non à patribus generis nomē ſumere[g].

Mortalis homo.] Familiare ac frequens epithetū hominis,vt mortalis dicatur, θνητὸς, & מת *meth*: & quidem aliquando abſque addito *mortalis* hominem ſignificet, idque maiore quadam emphaſi,

C ad ampliorem deſignandam hominum multitudinem, ſi Frontoni credimus apud Gellium[h], quàm ſi tantùm homines dicantur; ita vt multorum hominum appellatio intra modicum quoque numerum cohiberi, atque includi poſſit; multi mortales neſcio quo pacto, & quonã ſenſu inenarrabili omne ferè genus quod in ciuitate eſt,& ordinum, & ætatum, & ſexus comprehendant.

Affinem notationem puto, vt per πλείονας & plures intelligantur mortui, quorū nempe quàm viuentium longè maior numerus. Sic vſurpat ex Græcis Ariſtides Sophiſta: *ταῦτα εἰπόντας ἂν αὐτοὺς οἶμαι ῥᾳδίως πάλιν πορεύεσθαι παρὰ τοὺς πλείονας, εἰ δὴ*

D *κἀκείνους μετὰ τῶν πλειόνων χρὴ κεῖσθαι δοκεῖν, ὅπερ ἔγωγε οὐκ οἶμαι, hæc eos locutos arbitror facilè ad plures*(id eſt, ad mortuos,ſeu ad inferos)*redituros, ſi modò etiã illi cum pluribus iacere exiſtimandi ſunt,quod mihi ſanè non videtur.* Eodem loquitur modo Ioannes Cantacuzenus[i] Matthæi,vt videtur,pater, qui Matthæus librum iſtum expoſuit, & à nobis citatur ſæpe. Affert item Auctor Theſauri Græci teſtimonia ex oraculo Tarentinis dato,& ex Pauſania. Citatur quoque Plauti Trinummus;

Lacrymas hæc mihi cùm video
Eiiciũt,quia ego ad hoc genus hominũ duraui; quin priùs
Me ad plures penetraui?

E Apud Perſas millia militū decē ſelecta cognomen habuerunt ἀθανάτων, *immortalium*, non quòd reipſa tales eſſent,ſed quòd in cuiuſuis eorum locū,vel nece, vel morte ſublati, vel ſi numerū deſeruiſſet, alius ſubſtituebatur,ne is vnquam numerus deficeret[k]. Illos Curtius[l] prodit aureos torques,veſtem auro diſtinctã, manicatáſque tunicas gēmis etiã adornatas habuiſſe.Eoſdem Græci nōnulli apud Rhodiginū[m] tradunt,Theodoſio imperãte,redactos in nihilum ab Ardaburio.Plura de iiſdem. Briſſonius in deſcriptione Regni[n] Perſarū,ex iiſdē auctoribus,ac præterea ex Pauſania[o],Suida[p],Athenæo[q],Euſtathio[r],Diodoro[s] Siculo,Arriano[t],Themiſtio[u],Heſychio[x],Procop.[y]

a c. 4. 1.
b Eccli. 25. 33.
c 1. Timot. 2. 14.
d Martianus in hymno Palladis.
e Heb. 2. 14.
f Galat. 4. 4.
g Herodot. lib. 1.
h lib. 13. c. 27.
i 1. hiſtor. c. 9. & 16.
k Rhodig. lib. 25 c. 1. ex Herodoto lib. 7. & 8. & ex Curtio lib. 3.
l ſuprà.
m ſuprà.
n lib. 2.
o in Phocicis, & in Eliacis.
p in voce Athanati, & Xerxes.
q lib. 3.
r in Odyſſ. 9.
s lib. 17 ſect. 2.
t lib 3.
u orat. 5.
x in Lexico.
y lib. 1. de bello Perſico.

Quamquam cùm Pausanias [a] scribat, ea in re Gallos Persarum exemplum secutos, discrimen Brissonius [b] notat fuisse, quòd in eorum, qui in acie cecidissent, locum Persæ, confecto prælio, alios succenturiabant; Galli in pugna ipsa cæsis, vel sauciis equitibus integros sufficiebant, confestimque, nulla interposita mora, equitum deficientium numerum supplebant.

Similis omnibus.] Græcè (ἴσ☉ ἅπασι, *æqualis.*) Rector, ne extollatur, debet in iis, quib. prædest, esse quasi vnus ex ipsis [c]. Alexander Magnus, cuius historia quoque sacra superbiam prodidit insanā [d], cùm diuinitatis opinionē affectaret, & ambiret [e], atque cōualescens ex diuturno morbo negaret se deteriùs affectū, vt immortalis, & à Deo satus ortúsque haberetur [f], tandem accepto vulnere, omnes, dixit, iurāt me Iouis esse filiū; sed vulnus hoc hominem esse me clamat [g]: de sua præterea mortalitate iudicabat ex somno, & cōcubitu, quòd ab eadē imbecillitate naturam incessat lassitudo, & voluptas [h]. Philosophiam Philosophi definierunt mortis meditationē. Cùm deferrentur honores diuini Apostolis, vestes discindentes exclamauerūt; *& nos mortales sumus similes vobis homines* [i]. Magnus Antonius simile monitū dedit Constantino per literas [k]; totúmque hunc locum egregiè perpendit ad idem propositum Petrus Damianus Agneti scribens Augustæ [l]. Tandem verò cōcludit: [Erubescat ergo cordis elata superbia; & qui se considerat inter ortum & exitum communi cum cæteris naturæ lege constringi, desinat de sublimiori gloriæ singularitate iactari.

Valet hæc etiam comparatio nō modò ad modestiam, demissionem, humilitatem, despicientiā sui; verùm etiam ad excutiendam socordiam, excitandam fiduciam, vrgendum studium prosequendæ virtutis. Tali argumento Iacobus [m] spem impetrandi suadebat, & ad orationem inuitabat; *Elias homo erat similis nobis passibilis, ὁμοιοπαθὴς, & oratione orauit,* &c.

Ex genere terreni illius, qui prior factus est.] Græcè (γηγενοῦς ἀπόγον☉ πρωτοπλάστου, *ex terrigena genitus protoplasto*, vel *vnus ex posteris eius, qui primus de terra factus est.*) Regij, Complutenses, & alij codices, necnō Ambro. [n] (cuius quoque lectionē Expositores sequuntur, dempto Hugone, qui meminit nostræ) minùs rectè legunt (*ex genere terreno:*) est enim protoplasti epithetum, vt γηγενὴς dicatur, quia de terra corpus eius immediatè formatum est: propter illum verò nobis communicatur, sicut & nomen ipsum *Adam* non rarò appellatiuū, & commune est, cui ab humo Latinū respōdet *homo*. *Quique* [o] *terrigenæ & filij hominum*, οἵ τε γηγενεῖς, καὶ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων: גם־בני איש גם־בני אדם *gam bene isch gam bene adam*; & *primus homo de terra, terrenus: qualis terrenus, tales & terreni* [p]; vel, vt legit Tertul. [q], *primus homo de terra choicus: qualis ergo choicus, tales & choici.* Græcè scripsit Paulus χοϊκὸς, & χοϊκοί: & Hieronymus [r] ea etiā voce vt Latina vsus est. Est autem χοῦς puluis ac tenuissima terra, & χοῦ lutosa, cœnosa, argillosa, limosa, seu limacea, fusilis, ac fluida, & veluti fermentata, vt loquitur Iosephus [s]. Idem Adā capite decimo [t] præsentis libri nominatur πρωτόπλαστ☉ πατὴρ κόσμου, *primus formatus pater orbis terrarum:* quæ phrasis trita est scriptoribus Ecclesiasticis. Admonemur hinc humiles esse, vtpote eodem progeniti patre Adam; imò Deo, qui simul tanquam lutum finxit nos [u], & pro vt voluerit, potest effingere, confringere [x]: sed & singulorum formatio, atque conceptio meritò comparatur cum

a in Phocicis. b supra. c Eccli. 32. 1. d 1. Machab. 1. 4. e Senec. 1. de benefic. c. 13. Gell lib. 13. c. 4. Ælian. 2 variæ hist. c 19. lib 5. c. 2. Dio Chrys. orat. 65 f Anton. Melissa ser. 74. tom. 5. bibl. Patrum. g Senec. ep. 60. Dio Chrysost. orat. 65. Plut. in apophtheg. h Plutarch. in Alex. & de discrimine adulator. & amici. i Act. 14. 14. k Athana. in Antonio. l apud. Baron. tom. 11. pag. 325. m Iacob. 5. 17. n serme 8. in Ps. 118. o Ps. 48. 3. p 1. Cor. 15. 47. 46. q de resurrectio. carnis c. 49. r 1. cont Rufinum. s 1. Antiquit. c. 2. t vers. 1.

u Esa. 64. 8. x Esa. 45. 9. Ierem. 18. 6. Rom. 9. 20.

A luto [a], quo nihil vilius. Stoicos Lactantius [b] meritò redarguit, dicentes hominum causâ mundum fabricatum, cùm dicere debuissent, hominis, nec ignorare vnum à Deo esse formatum; non etiam arbitrari homines in omnibus terris, & agris rāquam fungos esse generatos. *Fecit Dominus ex vno omne genus hominum,* inquit Paulus [c], *inhabitare super vniuersam faciem terræ.* Fabulosa ratio, cur se Athenienses αὐτόχθονας cognominarent, quasi ex ipsamet orti terra essent [d]. Gigantum fuit deinde idem cognomen, perinde ac si terra omnes profudisset in generatione illorum vires. Syluestribus Lucretius [e] id epithetum hominibus tribuit. Non dissimile figmentum de his, qui ex dentibus

B draconis à Cadmo seminatis armati prodierint è terra: quod Ammianus* de natis accipit summa quadam pernicitate, ac inopinè per varia dispersis. Tollitur sic etiam occasio errori Thalmudico, de quo Abulensis [f], Adamum ex alia vxore Lilis ante creationem Euæ per 130. annos, quibus ob præuaricationem fuit excommunicatus, suscepisse filios, qui essent non homines, sed dæmones. Faueret vtcumque, si legeremus hîc (*ex genere terreno*) quasi esset aliud dæmoniacum.

Qui prior factus est.] Græcè (πρωτοπλάστου.) Vox est sacrarum literarum, & Ecclesiasticorum auctorū, vt dixi. Interpres vtitur vocabulis *plasmandi* [g], & *plasta* [h]. Ambrosius [i] legit in hoc loco (*fictus*) saltem in multis codicibus. Plasmare ad corporis

C formationem Philippus [k] presbyter refert; Gregorius [l] ad animum: *faciendi* verbū hic ad corpus, ille ad animum. Πλάσσω, vel πλάττω est *more figuli fingo, & formo:* ideóque magis propriè de corpore dicitur; metaphoricè etiam de animo. Denotat accuratum quodammodo laborem studiúmque Dei, quo in humano corpore formando vsus est. [Deus quidē expers laboris est, ait Ambrosius [m]; sed tamen Scripturę verba quid aliud nisi studiosam tui ob gratiam operationem eius ostendūt?] Tum verò duo colligit documenta salutaria. Primū: [Ergo si Deus maiore quodam studio te creauit, cur ipse tui studium derelinquis? Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugi-

D tans sis laboris?] Secundū: [Opus tuum Domine ne deseras, nō derelinquas: te auctorem cōuenio, tē teneo conditorem; aliena præsidia non quæro: in adiumētū accingere, qui accinctus es vt creares.] Quæ cum labore facta sunt, magis diligunt omnes, & qui confert beneficium magis quàm qui accipit, inquit Philosophus [n].

Et in vêtre matris figuratus sū caro.] Hinc alij multi libri versus sequentis faciunt principium. Pro *figuratus sum*, Græcè est, ἐγλύφην, *sculptus sum:* vnde hieroglyphica, Ægyptiacæ literæ, notæ vè insculptæ. Videtur nonnullis Deum initio finxisse hominis statuam de limo, & subinde animam infu-

E disse. Vtitur ea loquendi formula Philo [o], Cyrillus [p] Alexandrinus, Hilarius [q], Nyssenus [r], aliíque plures; quibus fauet in apocrypho licèt libro Esdras [s]; *Dedisti Adam corpus mortuum, & ipsum figuratum opus manuum tuarum erat, & insufflasti in eum* [t], &c. & apud Sibyllam ita loquitur Pater ad Filiū:

Nunc ego curabo manibus; tu denique nostram
Effigiem verbis: vt opus commune statuamus.

Lege Gregorium de Valentia [u], & Pinedam [x]. Ad eundem ferè modum nunc in vteris maternis sculpuntur & effigiantur corpora nostra, súntque ante animationem rudes ac informes fœtus. Sed & ob animi nostri perfectiones dicitur quoque

a Iob. 10. 9. Ps. 102. 14. b lib. 7. c. 4. c Actuum 17. 26. d Plato in Menex. Cice. pro Flacco. e lib. 5. * lib. 19. f in Gene. 2. post q. 28. & in c. 13. q. 404. g 4. Reg. 19. 25. Iob. 10. 8. Ps. 73. 17. Ps. 118. 73. Eccli. 33. 13. Esa. 37. 26. h Esa. 41. 35. c. 44. 9. c. 45. 11. 18. i serm. 8. in Ps. 118. k in c. 10. Iob. l ibid. m in Ps. 118. serm. 10. n 9. Ethicor. c. 7. o lib. de opif. hominis. p in Genes. q in Ps. 118. r de hominis opif. c. 29. s lib. 4. 3. 5. t Genes. 2. u 1. p. disp. 7. q. 1. x in c. 10. Iob. vers. 11.

Deus illius respectu fictor atque statuarius, *qui finxerit sigillatim corda* [a], *κατὰ μόνας, solus absque cuiusquam opera*: solétque adhiberi eadem sermonis ratio ad aliarum quoque inanimatarum, & irrationalium rerum quasi affabrè factam productioné, vt terræ [*], cũ suo nimirum ornatu, dierum [b], cum serie horarum, ac tempestatum [c]; draconis, locustæ [d]. *Carnis* porrò nomine, tanquam corporeæ partis magis diffusæ, communísque cæteræ corporis partes intelliguntur, sicut & homo totus persæpe.

De diuino veluti opificio formationis humani corporis intra matris vterum, & quasi inuẽto, admirata mater quædam pia fortísque, dicebat; *Nescio* [e] *qualiter in vtero meo apparuistis*, &c. *neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi. Sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem*, &c. Lege si placet, quæ dixi ad Psalmum 138. [f] Cantacuzenus hoc loco docet, quòd Auctor procreationem nostram sigillatim persequitur, vt vel ex ipsa quoque naturæ nostræ fragilitatem redarguat. [Nam semen, inquit, ingressum in aluum, non quiescit, sed motu spiritum attrahit, spiritus verò dum illud calefacit, interualla quædam in tumores immittit: deinde conformatur, ac tanquam cælaturam, & figuram quandam capit suæ naturæ accommodatam.] Galenus [*] eadẽ vtitur similitudine sculptoriæ artis, cùm disputat de formatione fœtus, aitque Paxitilem, aut Phidiam, aut alium quempiam statuarium, foris tantùm ornasse materiam, qua scilicet parte licebat eá attingere: internam partem illaboratam, otiosam, artísque immunem, ac neglectam reliquisse; vt quibus in eam descendere, ingredique, ac omnes materiæ partes tangere minimè licuerit: naturam non item, sed ossis partem quamlibet os effecisse, & carnis carnem, & adipis adipem: nullam enim partem esse, quæ ab illa non tangatur, aut operam eius cultúmve effugiat, sed figurari fœtum extrinsecus intrinsecus.

a Ps. 32. 15.
* Ps. 94. 5.
b Ps. 118. 16.
c Ps. 103. 17.
d Amos 7. 1.
e 2. Macha. 7. 22. 23.
f vers. 15. 16.
* 2. de natu. facult. c. 3.

Vers. 2.] Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni conueniente.

TRia recenset de conceptione, atque formatione in vtero, tempus, materiam, actum.

Decem mensium tempore.] Græcè (δεκαμηνιαίῳ χρόνῳ.) Non idem est omnibus spatium intra matris vterum remanendi; nascuntur enim aliqui vel septimo, vel octauo, vel nono, vel decimo mense, vel etiam vndecimo aliquantisper inchoato. Sed octauus vitalis nõ habetur, decimus maximè perfectus, & frequentiùs celebratus etiã ab Ethnicis auctoribus, Plauto [g], Terentio [h], Virgilio [i], Ouidio [k] (hic Romuli meminit, qui annũ decimestrẽ constituerit hac de causa) Theocrito [l], Aristophane [m], Homero [n], Euripide [o], Aristotele [p], Auicẽna [q], Alexandro Aphrodisæo [r], quos affert Tiraquellus [f], quem ipsum refert, aliósque, prolixè argumentum tractans Federicus Bonauentura de octimesti partu; vt præterea Iacobũ Menochiũ [t] pluribus locis, in quibus citat Hippocratẽ [u], Pliniũ [x], Gellium [y] (qui duo vltimi meminerũt quoque de vndecimo, & Plinius adhuc de decimotertio, Auicenna [z] de decimoquarto, quos tamẽ partus quasi monstrosas raritates iura non reci-

g in Amphy.
h in Adelph.
i ecloga 4.
k 2. Fast.
l idyll. 10.
m in Cereal.
n in hymno Mercu.
o In Electra.
p sect. 10. proble. c. 41. 7. de histor. animal c. 3. & 4. 4. de gener. animal. c. 4.
q fen. 21. tertij, & 9. de animal.
r 2. proble. in 48.
f C. de reun. donat. l. si vnquam.
t 2. de arbi iudicũ casu 89. n. 26. & 6. de præsum. in 53. n. 6. 7. & præsum. 89. n. 111.
u de septim. partu, & lib. de natu. fœtus.
x 7. hist. c. 5.
y lib. 3. c. 16.
z 9. de anim.

A piunt) ius Ciuile [a]. Aristoteles [b], & Hippocrates [c] decimestrem partum præferũt, nõ perfectos exactè menses decẽ numerando, sed inchoationem decimi; ita vt sint septem quadragenarij dies, & omnes 280. & sic menses componendo ex diebus 30. essent nouem cum diebus decem.

Rabanus quoq; in præsentis loci expositione, quẽ sequitur Olcot [d], sentit natos decimo mense perfectiores, magísque vitales esse, tanquã tempore perfectissimo editos: & addit Olcot per synecdochem decẽ menses intelligendos, videlicet nouem cõpletos, dies insuper aliquos de decimo. Eadem opinio Bonauẽturæ, atque Lyrani. Augustinus [e] natũ scribit Christum post nouem menses, sexque dies, seu post 276. ab octauo Kal. Aprilis, vsque ad octauũ Kal. Ianuarij. Tot certè omnino numerantur (error est in Carthusiano numerãte cũ Rabano 270. dies, decem verò menses, & sex dies: & Chrysostomus [f] tradit suppletis nouem mensibus, initiante decimo Christum natũ. Idem affirmat de Ioanne Baptista. Quamuis Cornelius [g] Mussus Bitũtinus Episcopus Christi cõceptionis spatio dies alios quatuor addat, vt sint quadraginta hebdomadæ, siue septem quadragenarij, contra non solùm Augustinũ, sed communem Ecclesiæ traditionem, de qua Suárez [h]. Si quis natos intra quadragesimam hebdomadam, eáve currente, post 273. diem asserat censendos, ac si nati essent ipso die 280. vt innuit Censorinus [i], posset auctor ille excusari.

Refert Hugo ex communi opinione nullum ex Sanctis in Scriptura legi natũ ante mẽsem decimũ à conceptione. Sed quòd ex Scripturis positiuè id colligatur, equidem nõ video. Petrus Damiani [k] Alberico Cardinali quærenti de decem mensiũ in vtero materno conceptione & formatione fœtus, cùm Ioannes Baptista, imò & Christus institutor naturæ nouem solis intra vterum fuerint; ait apud veteres constitisse menses omnes diebus triginta, Romulum rudioris ingenij menses inchoasse, quo die Lunæ ortum primũ deprehendisset, qui modò citiùs, modò tardius cõtingebat: Auctorem nostrum, quem vocat Salomonẽ, ex vetere loqui consuetudine, secundùm quam, præter menses nouem, vt nũc sunt, aliquot alij erant dies, quos, partem pro toto ponentes, pro decimo mẽse computabant. Ibidem notat, & in alia epistola [l] obseruat duobus diebus diutiùs Christũ in matris vtero fuisse quàm Ioannẽ, quoniã hic tãquam metator hospitij domo maturiùs exiit, vt subsequenti mox Imperatori viam sterneret. Optimæ habitudinis fuit corpus Christi [m], & perfectè dispositum in instanti [n], non per quadraginta sex dies more cæterorum, vt dicere videtur S. Alphonsus [o], iuxta illud; *Quadraginta & sex annis ædificatum est* [p], &c. sumẽdo annos pro diebus; qui numerus quoque cõtineatur literis Græcis nominis Ἀδάμ, quia duo α efficiunt dualitatẽ, δ quatuor, μ quadraginta, quæ sunt 46. Basilius [q] ex illis verbis [r]; *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, infert id quod dixi, nempe simul ac in instanti perfectã fuisse conceptionem Christi. Attamen eo decuit augeri modo, quo alia humana perfectiora corpora, sicut Herculem Theocritus [f] decimo prodeuntem facit mense.

Ἡρακλέα δεκάμηνον ἐόντα ποχ' ἁ Μιδεᾶτις
Ἀλκμήνα, καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἰφικλῆα,
Ἀμφοτέρως λούσασα.——
Herculem decimo prognatũ mense quondã Mideatis
Alcmena, atq; vna iuniorem nocte Iphiclum,

a l. intest. 3. vlt. ff de suis & legit.
b supra.
c supra, & lib. de princ. sub finem.
d lect. 88.
e lib. 83. quæst. q. 56. & 4. de Trin. c. 5.
f ser. de Ioan. Baptista.
g concio. 10. de 1. Dom. Quadrag.
h in 3. p. tom. 2. disp. 12. sect. vlt.
i de natali die.
k lib. 2. epist. epist. 48.
l lib. 4. ep. 16.
m B. Thom. 3. p. q. 46. art. 3.
n idem q. 33. art. 1 ad 3.
o ser. 1. de Purificat.
p Ioan. 2. 20.
q ora. de natiuit. Christi.
r Mat. 1. 20.
f idyll. 24.

Cum ambos lauisset.——

Fabulosum prorsus, quod Empedoclem dixisse Plutarchus [a] memorat, cùm primùm genus humanum è terra enatum est, tantũ longitudine tẽporis diem fuisse propter Solis segnitiem, quanta nũc decem sit mensiũ dies: procedente deinde tẽpore tantum fuisse, quanta nunc septem mensiũ: propterea decimestres infantes, ac septimestres esse natales: itáque nimirum natura comparante vno partum adolescere die, qua prima poneretur dìe. Magis ordinarium tempus dici solet nouem mensium, teste Macrobio [b], hócque Machabæorum mater expressit [c] (quo pacto falsum videretur, quod priùs retuli dixisse Hugonem ex cõmuni opinione, nullum, ex Sanctis in Scriptura natũ legi ante mensem decimum à conceptione:) sed fieri potest, vt numerus minor in maiore claudatur, hoc est, dierum paucorum supra menses nouem intra istud mensium spatiũ. Turnebus [d] vult, cùm decem mensibus fœtum in ventre matris dicitur fuisse, de breuioribus nos mensibus intelligere, siue de lunaribus. At præstat acquiescere in allata explicatione, nõ integros accipi, sed inchoationem decimi supra nouem exactos. Augustinus [e] porrò more suo ludens in numeris, quadraginta sex annis ædificatum Christi corporis templum [f] dicit, quoniam quot diebus intra matris vterum fuit, multiplicantur per sex & quadraginta.

a 5. de placit. Philosop. c.18.
b 1.in somn. Scipionis. c. 6. longè post med.
c 2. Macha. 7.27.
d lib.4.c.15.
e supra.
f Ioan. 2. 20.

Etsi verò Drusus post trimestres cum Liuia Augusti nuptias natus feratur [g], nõ creditur. Nec magis verum, quod non verè sacer & canonicus liber Esdræ [h] habet, sub tempus iudicij fore, vt *anniculi infantes loquantur vocibus suis, & pregnantes immaturos pariant infantes trium, & quatuor mensium, qui viuant, & suscitentur.* Testis tamen Ludouicus de Peramato [i], quadrimestrem infantulum, & vitalem, atque adolescentulam suo tempore, ac sibi bene notam, extitisse; & aliam quinquemestrem ad 18. annum superuixisse. Cardanus item affirmat visos à se quinquemestres, quem citat Pineda [k] noster, simúlque alios de semestribus, septimestribus, octimestribus, & aliis, vsque ad partum sexdecim mensium. Legantur de nostris etiam Põtanus, & Cerda ad eclogæ Virgilij quartæ versũ;

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

& præter alios citatos à me, & ab aliis, Augenius in libro 2. de partu hominis; itémque noster Delrius in Senecæ Thebaidem.

g Sueto. in Claudio.
h lib.4.6.21.
i lib. de hominis procreat. c.8.
k 1. de Salo. c. 10. n. 9. & seqq.

Coagulatus sum in sanguine.] Græcè (παγεὶς ἐν αἵματι.) Sic Iob [l]; *Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?* ἐτύρωσας ἴσα τυρῷ, *caseasti vt caseum.* Sanguis pro materno sumitur semine, quod subrubicundum est, patris verò candidius; & hoc magis actiuum, illud magis passiuum [m], ac veluti coagulatum, siue densatum ab alio, vt à coagulo lac. Laudandum hoc opus Dei potiùs in genere quàm distinctè perpendendum: maximè cùm ignoretur ratio, *qua compinguntur ossa in ventre prægnantis* [n], ac reliquus embryo, quem vident ibi oculi Dei [o], seu imperfectum, atque informem fœtum, τὸ ἀκατέργαστον, גלם *golem, embryonem.*

l c.10.10.
m Arist. 2. de generat. animal. c.4.
n Eccle. 11.5.
o Ps.138. 16.

Omissa porrò participij (παγεὶς) multiplici acceptione, quam Eremita recentior haud satis ad rem affert, incurrens in id ipsum, quod in aliis reprehendit, contentos nos esse oportet nũc ea quã sequitur Interpres ex lactis coagulo, & à Iob vsurpatam notaui; vsurpatúrque præterea ab Aristotele [p], Galeno [q], Plinio [r], Gellio [s]. In eodem illo auctore probo, quòd vindicet conceptum Salomonis, in cuius persona hîc sermo habetur, à suspicione illegitimitatis, licèt ex præsenti loco nõ admodum firma ratio eruatur, propter nomen ἀνδρὸς, quod nonnunquam significat *maritum.* Lege Pinedam [a] nostrum.

p 2. de gener. animal. c 3.
q lib. 2. de semi.
r lib.7. c. 16.
s lib.3. c.16.
a 3. de Salom. c.11.

Delectamento somni conueniente.] Vitiosa lectio, *conuenientis*, etsi ea vtatur Ambrosius [b]; item, *somnij* (ἡδονῆς ὕπνῳ συνελθούσης, *voluptatéque cum somno comitante.*) Olcot [c] videtur intelligere de somno fœtus in matris vtero, & sic multos cùm pariũtur dormire, propter consuetudinem priùs dormiendi. Consentit Lyranus. Bonauentura & Carthusianus explicant de actu delectationis coniugũ, qui dormitio dici vulgò [d] solet, & comparari cũ somno; quia rationem ligat, & citò transit, sicut delectatio somni. Loquitur sine dubio de concubitus voluptate, déque somno, nõ pro concubitu, qui decet somnũ, vt placet Iansenio (nec enim id valet συνελθούσης) sed qui cõuenit, id est, concurrit post illũ, & conceptui prodest; vt proinde vtiliùs ineatur copula nocte, quàm interdiu, vt præcipit Celsus [e]; & apud Pythagoram, ac Platonem hominis conceptio noctis & tenebrarũ habeat rationem, Macrobio teste [f]. Hinc legimus Iob de conceptione sua sic loquentẽ [g]; *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est; conceptus est homo.*

b serm. 8. in Ps.118.
c lect.88.
d sæpe in Scripturis.
e lib.1. c.1.
f 1. in som. Scipio. c.11.
g c.3.3.

Cantacuzenum hîc non audio exponentem de conceptione in peccato, iuxta illud; *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea* [h]: nam, vt esset ad rem locus Psalmi, non de peccato deberet originali, sed de parentum ipsorum in ipso coniugali actu intelligi, quod peccatum non semper interuenit: eáque expositio eripit optimum testimonium pro peccato originali. Lege Bellarminum [i], qui accuratissimè locum expendit, ac probat sic omnino declarandum. Allegoricum, vel accommodationis de Christo sensum ex aliis petas.

h Ps.50.7.
i lib. 4. de amiss. gratiæ, & statu peccati origin. c. 4.

Vers.3.] Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.

HÆc sunt alia, in quibus homines nascendo conueniunt, cõmunis respiratio, eadem qua excipiũtur terra, gemitus, vagitus ac ploratus idẽ. Quæ tria demonstrant magnam naturæ humanę imbecillitatem, egentis, æquè vt animalia cætera, aëris inspiratione, non valentis in prima natiuitate propriis niti viribus, sed sponte cadentis in terram: denique deplorantis ad quam deuenit miseram conditionem.

Accepi communem aërem.] Græcè (ἔσπασα τὸν κοινὸν ἡμῖν ἀέρα, *traxi communẽ nobis aërem*) Ambrosius [k] (*hausi.*) Frustra verò circa Latini verbi *accipiendi* notionem variam laboratur, & nimis putidè circa participium (*natus*) coaceruatis plurimis parergis, & leuiculis obseruationibus, quæ ne in ludimagistro quidem ferri, ac probari possent; cũ tamen qui ista factitat [l], virgula, & ferula plusquàm Aristarchica, & pædagogica, cẽseat de aliorum commẽtariis, ex quibus absque dubio non pauca aufert, questus de furtis alienis. *Os meum aperui, & attraxi spiritum* [m], τὸ στόμα μου ἤνοιξα, καὶ εἵλκυσα πνεῦμα. *Similiter* [n] *spirant omnia, & nihil habet homo* (scilicet in hoc) *iumento amplius.* Quærunt Medici an fœtus nutriatur per os in-

k serm.8. in Ps.118.
l Ceruantes.
m Ps.118. 131.
n Eccle.3.19.

a lib. 20 animal. hic id quod in vtero est. c 3. b de natura pueri, nō longè à princ. c 2. de gener. animal. c. 4. vbi Philopo. d in opere anatomic. q. 13. & 14. e de octimest. partu lib. 8. c. 91. f 1. de ortu animæ hom. c. 44. * cōt. Symmach.

A tra matris vterum, & an spiret. Galenus [a], aut quis alius, hæc affirmat, & similia vitæ opera, citatque Hippocratem [b]. Aristoteles [c] in spiratione consentire videtur, licèt nō exprimat an ore fiat respiratio; nutrimentum autem excipi per vmbilicum. Hoc magis credo: nec ratio Galeni valet, quòd scilicet protinus post partū appetat fœtus mammā, quasi nisi antea huic viæ assuetus esset, non tam citò ferretur ad illam: nam & alia tunc instinctu facit naturæ, quæ non priùs profectò fecerat. Agit hoc loco Auctor de respiratione aëris externi, & cùm iam ab vtero secretus est fœtus. Lege Andream Laurentium [d], & Federicum Bonauenturam [e], & Fortunium [f] Lycetum. Hic sentit per os nutriri. Rectè Prudentius [*];

B *Viuere commune est, sed non commune mereri.*

Item:

——Vnus capit impius, & pius auras.

Rursus:

——nec alter
Ore Sacerdotis quàm mirmillionis anhelat
Spiritus, aereo vitam qui temperat haustu.

In similiter factam decidi terram.] Græcè (εἰς τὴν ὁμοιοπαθῆ κατέπεσα γῆν, *in similia passam*, aut *similiter affectam, similibus obnoxiam passionibus*) communibus præditam molestiis, quas viuentia hominésque perferunt, vt frigoris, caloris, &c. Eadē voce Græca Lucas [g] vsos refert Paulum & Barnabam, cùm refutauerunt honores diuinos: Iacobus [h] quoque sic Eliam nominat, vbi vertit Interpres (*similis nobis passibilis.*) Communem terram vocant omnes matrem, & quidem magnam, & in vniuerso alumnam, & almam [i], & maximè animalium; ita vt appellata quoque sit δημήτηρ, vt ait Philo [k], quasi γημήτηρ, vel, vt ait Theodoretus [l], tāquā δὴ μήτηρ, *reuera mater*. Auctor Ecclesiastici [m] appellat matrem omnium. Id edoctus Brutus, decidens terræ osculum cùm dedisset, Rex euasit Romanorum, iuxta oraculum [n].

g Act. 14. 14. h Ep. c. 5. 17. i Arist. 2. de gener. anim. c. 2. Lucr. l. 2. & 5. Suet. in Iulio. c. 7. k de opif. mundi. l 3. de affect. Græc. m c. 40. 1. n Liu. lib. 1. o 4. de lingua Latina. p de ling. Lat. q lib. 7. in principio. r in August. c. 5. in Neron. c. 6. f lib. de monib. t lib. 1. c. 12. u 4. de ciuit. c. 11. x in 10. Aeneid. y 1. Syluæ. legenem libro 3. & 5. z L. 3. C. de posthum. a supra. b Heauton. sce. 1.

C Morem etiam testantur fuisse Varro [o], ac Festus [p] natum infantem in terra nudum sternere, ac Opem Deam, quæ & ipsa terra est, implorare. Meminerunt eadem de re Plinius [q], Suetonius [r], Seneca [f], Macrobius [t], Augustinus [u], Seruius [x].

D Non finitur quidem infans exiens cadere; caderet ipse tamen, & pro illa consuetudine quasi cecidisset, statuebatur humi. Proptereà nascētes dicebātur absolutè in terrā cadere; vt verò educarētur, excipi, aut tolli. Casū absolutè nominat Statius [y];

——Tellure cadentem
Excepi fouique sinu.——

& Iustinianus [z]. Excipere vsurpat idem Statius [a], & Terentius [b];

Meministin' me esse grauidam,
Et mihi te magnopere interminatum,
Si puellam parerem, nolle tolli?

c Aug. suprà d Tertul. de anima. c. 39. e 4. de ciuit. c. 11. f lib. de liber. educat. g lib 11. de vita pop Rom. h in c. 1. Iob. n. 2. i lib. 4. c. 15.

E Leuanam Deam Gentiles appellabant quæ pueris de terra leuandis præesset [c]: Statinā, cui sacra erat constitutio infantis super terram [d]: qui vocatur ab Augustino [e] Statilinus Deus, iuuabat stātes infantes. Varro [f] Statanū Deū facit pueritiæ præsidem: scribit prætereà [g], quòd simul ac natus puer sublatus erat ab obstetrice, statuebatur in terra, vt auspicaretur rectus esse. Notauit ex his nonnulla Pineda [h]; sed hîc omitti non potuerūt. Consuli quoque Turnebus [i] potest, qui de *tollēdi* notione alia profert exēpla, & ex Tacito scribēte, quòd Iudæi omnes liberos tollerent, cùm aliæ nationes quos nolebant tolli, in terra exponerēt, nec leuarent. Congessit allatorum prætereà non

a lib. 11. obseruat. c. 30. b c. 1. 21. c ep 64. ad Sagrium.

pauca Cuiacius [a]. Coniicio *educandi* verbum inde deductum, & Italicum (*alleuare*) & obstetricium nomen (*leuatrici.*) Tandem huc nuditas Iob spectat [b], cum qua se natum dicit, & rediturum in terram. Ambrosius [c] obstetrices dici notat, quòd obstent, ne fœtus laxatis vteri genitalibus in terram defluat. Cecinit id etiam Palladas Poëta:

Γῆς ἐπέβην γυμνὸς, γυμνὸς θ' ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι,
Καὶ τί μάτην μοχθῶ, γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος;

In terram deueni nudus, nudúsque sub terram abeo,
Et quid frustra laboro, nudum videns finem?

d lib. 1. c. 11. & 13.

Iterum legendus Pineda in opere de rebus Salomonis [d], quod longè pòst prodiit.

e Lyranus & omnes Enarratores hoc obseruant. f Eccl. 25. 33.

Primam vocem similem omnibus emisi plorans.] Ploratus ortus ex peccato. Nam

Omnis [e] masculus, a, nascens: e, fœmina profert,
A dat Adam genitor: e dedit Eua prior.

Dedit Eua prior, vt origo & occasio peccati [f], non vt sola sufficiens causa peccati originalis, quia caput generis humani solus Adam fuit. [Infantia, quòd non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nesciēs, ait Augustinus [g], prophetat quodam modo.] Zoroastrē vnum excipit, qui quando natus est, riserit, nec ei boni tamen aliquid monstrosus risus ille portēderit. Salonium quoque, seu Saloninum, natum statim ridentem non multo pòst periisse, Seruius meminit ad illud ex ecloga 4.

g 21. de ciuit. c. 14. lege quoque Solinum. c. 14. & Plin. lib. 7. c. 16.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem.

Vbi consulatur noster Cerda. Virgilium & Phocas cecinit.

Infantem vagisse negant; nam fronte serena
Conspexit mundum, cui commoda tanta ferebat:
Ipse puerperiis adrisit lætior orbis.

h lib. 9. i Herodot. lib. 5.

Apud Nonnum [h] Bacchus natus ἐγέλασεν: & cùm Cypselus arrisisset, ille cui traditus erat occidendus, destitit hic, & eius exemplò alij à nefario facinore [i]. Sic non satis certa coniectatio de omine malo in risu infantis; præsertim si verum scripsit Hippocrates, pueros ridere statim natos.

k lib. 7. in proœm.

Deplorat hunc ploratum Plinius [k], ac lamentabiliter describit hoc sermone. [Hominē tantùm nudum, & in nuda humo natali die abiicit (natura) ad vagitus statim, & ploratum, nullúmque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio, &c. Itaque feliciter (ironicè dictū) natus iacet manibus pedibúsque deuinctus flens, animal cæteris imperaturum, & à suppliciis auspicatur vitam tantùm ob culpam, quia natū est.] Sed originale ignorauit peccatum, quod nos in hanc abiecit lacrymarum vallem. Geminam isti sententiam Tertullianus [l] habet de vagitu, quo vitam pueri salutant, & hac prima voce augurantur futura incommoda. Congruit proposito epigramma Palladæ:

l de anim. c. 19.

Δακρυχέων γενόμην, καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω,
Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον.
Ὦ γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυον ἀσθενὲς οἰκτρὸν,
Συρόμενον κατὰ γῆς, καὶ διαλυόμενον.

Plorans natus sum, & lacrymans morior,
Lacrymis autem in multis vitam reperi totam.
O genus hominum valdè flebile, infirmum, miserum,
Protractum in terram, & in terram resolutum!

m Lucret. lib. 5.

Adde Latinum Poëtam [m];

Tum porrò puer vt sæuis proiectus ab vndis
Nauita, nudus humi iacet infans, indigus omni
Vitali auxilio, cùm primum in luminis oras
Nixibus ex aluo matris natura profundit,
Vagitúque locum lugubri complet, vt æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.

Produnt Thracas, Trausos, Cæsias, Cansianos, Gadenses natum puerum lamentari [a], quemlibet morientem lætitia prosequi. Nos hac de re aliàs in Ecclesiasten [b]. Stulti Gentiles Vaticanū denominabant Deum ab aperiendo infantum in vagitu ore [c], quódque pueri simul atque parti sunt, eam primā vocem edunt, vt Varroni [d] placet, quę prima in Vaticano syllaba est; vt ideo vagire dicatur, exprimente verbo sonum vocis recentis. Rectè sedem locauit in Vaticano Petrus, quem Chrysostomus appellat os Apostolorum, & cuius est omnes loqui docere orthodoxè, tanquā infantes.

Censet inter portenta Philosophus [e], quòd aliqui pueri statim ac in lucem venerūt, locuti sint. Crœsi semestris filius [f] (etsi alij iam adultum, cùm esset mutus, volunt [g]) locutus est: & Sigebertus Dagoberti Frācorū Regis filius in Baptismo post quadragesimum ab ortu diem baptizatori Amādo respondit, Amen [h]: alius item semestris triumphū exclamauit [i]: imò & quidam in vtero matris [k]: & ex vtero vnus egressus, Aue dixit [l]: Philippus Elsatius Flandriæ Comes decimusnonus tertio postquam natus est die [m]: de quodam vixdum peractis vigintiquatuor horis Rhodiginus [n] prodit. Nec excipiendus à communi lege Christus, nobis per omnia similis factus, absque peccato [o], de quo canitur Fortunati carmine;

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia.

& idem Patres vt certum ponunt [p]. Si cui placent numerorum mysteria, colligat pœnitentię tropologiam, præsertim quadragesimalis, ex eo quòd pueri primis quadraginta diebus vigilantes non rident, quamuis nec lacrymentur etiam [q], sed vagiant. Verbū κλαίειν, quasi à κλᾷν, vt Eustathius [r] docet, id est, *frangere*, denotat potiùs vagitū, quàm lacrymationem; qūi vagitus fit per quandam partium quasi effractionem, seu compressionem: quo pacto dixit apud Homerum [s] quidam;

---ἐμοί γε κατεκλάσθη φίλον ἦτορ.
---*mihi confractum est charum cor.*

Sed quia & Græcum κλαίω confunditur quamdoque cum δακρύω, & Latina vagio, ploro, lacrymor, hísque similia, inde fit, vt pro vagitu lacrymæ ponantur.

Quocirca quod hîc dicitur (*primam vocem emisi plorans*, κλαίων) de vagitu, non de lacrymis intelligēdū erit. Eodémq; modo qui Christo statim nato lacrymas tribuunt, pro vagitu lacrymas vsurpasse censendum est, cū, vt ex Aristotele retuli, lacrymas non mittant pueri ante quadragesimum diem. Apologiam contra Plinij, & Plutarchi querelam de humanæ naturæ infirmitate Cœlius [t] Rhodiginus fecit, nihil attingit de lacrymis, ploratu, vagitúque. Cohibet Aristoteles [u] cohibitiones, ac interruptiones ploratus puerorum, quòd vtilis sit ad augmentum, & quædam velut exercitatio corporis: nam spiritus compressionem, siue contentionem facere robur laborāti. Cicero [x] tamen, si quis Deus illi largiretur, vt ex ea ætate, in qua erat, repuerasceret, & in cunis vagiret, valdè se recusaturū affirmabat. Quem imitatus Augustinus [y]: [Quis, ait, non exhorreat, & mori eligat, si ei proponatur aut mors perpetienda, aut rursus infantia? quæ quidem non à risu (etsi aliquibus contrà euenerit) sed à fletu orditur hanc lucem: quòd quid malorum ingressa sit nesciens prophetat quodam modo.] Id autem planè verū, & miserandum, quod videmus, & scripsit Plutarchus [z], nihil ita esse imperfectum, inops, nudum,

a citat auctores Tiraquell lib. de nobilit. c.31. n.103. & seq. & in Alexād. ab Alexand. lib.2. c.25.
b c.2.3.
c Aug. 4. de ciuit. c.10.
d apud Gell. lib.16. c.17.
e sect.11. problem. in 26.
f Plin. lib. 11. c.51.
g Herod. l.1.
h Sigebert. in chron. anno 663. Regin. Gaguinus, Aimoin. 4. hist. Franco. c. 20. auctor vitæ S. Rictrudis apud Suriū 12. Maij, auctor vitæ S. Amandi apud Suriū 6. Februarij.
i Iulius Obsequēs de prodigiis. c.31.
k idem c.34.
l idem c.101.
m Iacobus Meyerus libr. 6. hist. Fland.
n lib.29. c.14.
o Hebr.2.17. c.4.15.
p Bern. ser.3. de natali Domini.
q Arist.7. de hist. anima. c.10.
r in Odyss. δ.
s supra.
t lib.3. c.10.
u 7. Polit. c.17.
x de Senect.
y 21. de ciuit. c.24.
z de amore prolis.

informe, spurcum, vt homo est: à partu statim conspectus, cui soli ferè nę exitum quidem in lucem mundum natura concessit, sed sanguine inquinatus, tabóque oppletus, & occiso magis, quā nato similis, à nemine tangi, tolli, suauiari, ac amplexu foueri potest, nisi natura insitum gerente amorem. Ipsa vmbilici præcisio est veluti ancoræ, ancorariorúmve funium præcisio, quibus, quemadmodum ex Democrito idem auctor tradit, nitebatur infans intra vterum, ac retinebatur, tanquam contra fluctuationes; ita vt ex illo quasi portu digressus, maris exponatur vorticibus, donec ad alium perueniat portum, id est, ad mortem.

Vers.4.] In inuolumentis nutritus sum, & magnis curis.

HÆc est educatio minoris illius ætatis molesta, in fasciis primùm cuiusque, ne dilabatur infans, aut præ stultitia, mollitudinéque eiusdem ætatis membra labefactet: deinde sub pædagogis & ludimagistris. [Quis nō exhorreat, inquit Augustinus [a], & mori eligat, si ei proponatur aut mors perpetienda, aut rursus infantia?] Probat id tum testimonio Ecclesiastici [b], *graue* scribentis esse *iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium:* tum quòd per pœnas laboribus plenas pueri cogantur quæque artificia, vel literas discere; quòd ipsum discere tam pœnale sit eis, vt nonnūquam ipsas pœnas malint ferre, quā discere. Dicit quoque Cato [c], nolle se à calce ad carceres reuocari, hoc est, decurso spatio, à termino ad exordium reduci vitæ. Alius item senex; noli mihi compati quòd sim senex, sed compatere quòd iuuenis fui.

In inuolumentis nutritus sum.] Græcè (ἐν σπαργάνοις, *in pānis, seu fasciis inuolutus, & astrictus.*) Maria Christum filium ἐσπαργάνωσεν, *pannis inuoluit* [d], quibus postea templum pulcherrimum excitatum. Præclara hinc ducta similitudine apud Iob [e] Deus dixit, à se mare quasi pannis insgutiæ caligine obuolutū, ne liberè veluti brachia porrigere valeat, vagiens quodammodo in cunis suo fluxu, refluxúque; & vndis: ὁμίχλῃ δ' αὐτὴν, nempe θάλασσαν, ἐσπαργάνωσα. Ezechielem [f] quoque Græcè legimus eodem verbo de infante loquentem, σπαργάνοις οὐκ ἐσπαργανώθης, *nec inuoluta pannis.*

Inter præcepta tuendæ valetudinis infantilis primū dat Galenus [g], vt fasciis deligetur, sed corpori priùs toti sale modicè insperso (hoc etiā habet Ezechiel [h]) vt membra meliùs cōsolidentur ac formētur. Docet præterea [i], nisi cómodè fasciētur infantes, quorū sunt mollia, atque penè fluxibilia corpora, facilè inuerti cuiusque membri figuram & corrumpi. Hieronymus [k] testatur corpora Barbarorum Romanis rectiora fuisse, quia ad secundum vsque & tertium annum semper pannis inuoluebantur.

Et magnis curis.] Græcè (καὶ ἐν φροντίσιν.) Adiecit Interpres (*magnis.*) Nannius autem legit (*cunis*) pro (*curis*) contra fidem omnium codicum. Suspicatur Pineda [l] noster lectum vel κοιτίσιν, vel φορτίσιν, vel φορμοῖσιν: quia primum significat *cunas, & lectulos*; vnde βαβάζειν ἐν κοιτίσι, *in cunis vagire*, seu etiam *cistas paruas*: secundum *nauiculas onerarias*, quarum formam cunæ referunt; tertium *sportas, corbes, cophinos, calathos*, cuiusmodi materia,

a 21. de ciuit. c.14.
b c.40.1.
c Cicer. de Senect.
d Luc.2.7.
e c.38.9.
f c.16.4.
g 1. de sanit. tuen. c.7. & 2. de motu musculo. c.7.
h supra.
i de causis morbo. c.7.
k in Ezech.
l 1. de reb. Salo. c.14.

& figura cunæ olim fortassis constabant. Magnæ curæ sunt parentum, nutricum, pædagogorum. Natu minimum fortissima mater hortãs ad constantiam in morte; *Fili mi* [a], dicebat, *miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac biennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi.* Qui plura de tantis hisce curis auet cognoscere, legat tractatus de sanitate tuenda, & de educatione puerorum. Plato [b] censebat legem statui oportere, ne quis amaret pueros, ne multum studij in re dubia consumeretur: puerorum enim incertum esse finem, ad quem malitię, aut virtutis terminũ exeat, tum quod ad animam, tum quod ad corpus attinet. Anacharsis Scytha interrogatus qua de causa non operam daret proli, respondit; quia nimis essem amaturus liberos. Solon cùm ficto procurato nuncio, qui referret mortuum filium Thaletis, hic muliebriter ac indecorè plangeret, experiri se voluisse dixit, an liberos procreare conduceret, vt illi videbatur: sibi autem videri etiam multum obesse, quando ex sapientibus insani fiant filiorum causâ. Talis Agesilaus Rex cum filio in arundine equitans iudicatus, respondit; vbi pater euaseris, tunc etiam patres imitaberis. Tanto parentum de pueris cura debet maior esse, quanto de se ipsi minùs curare possunt, magis à natura destituti, magis alienæ curæ commissi, vt indicat Plinius [c], & Augustinus [d] comparatione quoque cum brutis facta. Eundem, quæso te, Patrem [e] legas, piè simul eruditéque describentem infantiam ac pueritiam suam.

a 2.Machab. 7.27.
b 2.de legib.
c libro 7. in prolo.
d 1.de pecc. meri. & remiss. c.38.
e 1.confess. c.6.7.8.9.10. & seq.

Vers. 5.] Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium.

DE hoc antè diximus, & indicant verba ista, qui librum præsentem scripsit, Salomonem fuisse, vel sub Salomonis loqui persona. Quamquam dici posset, Auctorem argumentum facere ex comparatione maiorum & minorum, mirum non esse, si sic ipse natus esset, cùm nec aliter nascerentur Reges.

Vers. 6.] Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.

ET hæc sententia facilis, atque satis antè declarata, necnon in Ecclesiastæ librum [f]. Christum priùs monui non excipi à communi nascentium lege in prima vagiendi voce. Cætera sunt quoque eidem cõmunia, præter coagulationem in sanguine ex semine viri, & introitum ad vitam ex ventre matris per claustri reserationem. Conceptus enim & natus est ex matre virgine. Quam virginitatem tueri non possunt, qui reseratum vterum dicunt, licèt illicò reclusus fuerit. Hinc porrò Cantacuzenus contra Genethliacos argumentatur, qui syderum obseruant aspectus & horoscopos; notant etiam ex qua quis domo, sine familia nascatur. Sola differunt inter ortum ac obitum quæ media vitæ nostræ sunt, in quibus egemus adiutrice virtute, & acriore studio, vt illa præclarè obeamus.

f c.3.19.

Nec hîc verò hærendum circa tot εἰσόδου, καὶ ἐξόδου notiones, quas exquisitiore, coactioréque cura congerit Hispalensis recens commentator. Simplex ingressus in hanc vitam, & ex eadem egressus significatur hoc loco: quamuis possit in

A ingressu ratio methodúsque certa tendendi ad destinatum locum significari, reditus, vectigal, tributum, videlicet ærumnarum, pendendum ab omni mortali; negotiatio quædam mercaturæ; celeritas, & cursus vitæ; actio veluti histrionica, theatralísve. Idem aio de exodo pro via; egressione; expeditione militari; parte postrema Tragœdiæ; exitu Solis; eruptione currus è carceribus in ludo; fine; incessu; festo exitus Hebræorum de Ægypto.

Vers. 7.] Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.

B HVmanæ imbecillitatis consideratio impulit ad concupiscendam, & poscendam à Deo sapientiam; respondítque voto ac precibus euentus: & animæ, quam sciebat esse immortalem, accommodatam perfectionem adeptus est; qua etiã posset sanare morbos, pericula depellere, firmare vires, mentem informare. Valuit natura, quæ communis est, maius aliquid, excellentiúsque acquirere. Vnde cognoscitur quid prosit meditatio mortalitatis, vt meritò Philosophiam, seu sapientiam definierint illã esse, definitione saltem, vt vocant, causali, quia gignit, vel occasio est acquirendæ sapientiæ. Deinde *optandi*, seù *petendi*, & *inuocandi* verba denotant, vt Cantacuzenus notat, C orandi assiduitatem similem illi, ad quam hortatur Christus verbis *petendi, quærendi, pulsandi* [a]. Auctor gratiæ Christus vocatur, desideratus cunctis gentibus [b], & desiderium collium æternorum [c], expectatio Gentium [d], non solùm Israël [e]. Debet gratia desiderari, & sitiri: *Si* [f] *quis sitit, veniat ad me, & bibat*; & ab orantibus receptus est Spiritus sanctus [g]. Simul indicat Auctor, vt idem Paraphrastes obseruat, orationis fiduciam singularem, cùm se dicit impetrasse, quam ab orantibus idẽ Christus fiduciam vehementer exigit [h]. Adhæc profitetur auctorem sapientiæ Deũ, à quo postulat [i], nec sibi, suísve viribus acquisitionem eius arrogat. *Omnis sapiẽtia à Domino Deo est* [k]; ipse dat eam sapientibus [l], & Christus *factus est nobis sapientia à* D *Deo* [m]. Scimus quid Salomon [n] Regni exordio potissimùm petierit: & constat multos Sanctos plus precibus, quàm studio promouisse in scientiis, vt Bernardum [o]. Extat oratio B. Thomæ ante studium (in cuius Missa recitatur Epistola ex hac & sequentibus sententiis:) nec dissimilis sancti Ephrem [p]. Leo Hebræus [q] illud ex Canticis [r], *Surge, propera amica mea*, &c. interpretatur de Salomone tanquam blanditiis amatoriis, quas innuit capite quoque sequenti, sapientiam inuocante. Habetur item Salomonis capite nono oratio, qua eandem flagitat, vel Auctor, quicumque sit, in eius persona.

a Mat.7.7.
b Aggæi 2.
c Gen.49.26.
d Ibid.10.
e Ier.14.8. c. 17.13.
f Ioan.7.37.
g Act.1.14. c. 2.2. & seq.
h Marc.11.23. 24.
i Iac.1.4.
k Eccli.1.1.
l Dan.2.21.
m 1.Cor.1.
n 3.Reg.3. & seq.
o in vita.
p lib. de armat. spir. c.8
q dial.3o. de amore. pag. 104.
r c.2.10. & seq.

Colligunt etiam Augustinus [s], & Ambrosius [t] E non modò impletionem præceptorum ex gratia pendere, cooperante libero arbitrio; sed etiam eadem nosse, atque intelligere, quoniam nõ oratur vt accipiatur, quod ab homine est vt habeatur. Inde fit præterea frustra sapientiã quæri in Gentilium libris, in quibus, si per se spectentur, nihil est liquidioris diuinæ sapientiæ: sed & in diuinis quoque libris, nisi Spiritum quis imploret, quo conditæ sunt [u]. Vnum de Spiritus sancti donis est sapientiæ spiritus [x]: fides autem est velut primus aditus ad sapientiam perducens, inquit

s de natu. & gra. c.16.
t de 42. mansionib. in 27
u Bernar. ep. ad fratres de monte Dei.
x Esa.11.2.

Cyrillus Alexandrinus [a],mentémque quodámodo ad diuini luminis receptionem aperit : & *qui non credit,non intelligit* [b]. Denique ordinem conuenienté demonstrat,vt monet Cantacuzenus,dum priùs ponit sensum , *φρόνησιν , prudentiam* , deinde sapientiam.Comprehenditur quidem sub sapientiæ generali notione prudentia ; tamen, presſiùs loquendo,sapientia perfectior est; atque gradum ad hanc ex illa facere oportet ; prudentia verò nexum includit aliarum virtutum, si perfecta sit.

a 9.de ador.in spir.
b Esa.18.16. iuxta LXX.

Optaui.] Græcè (*ηὐξάμην, optaui à Deo*) votum illi meum exposui, rogaui illum. Hugo [c] Ætherianus precibus istis videtur meritum impetratæ sapientiæ assignare. Credendum illas in vigilia susceptas à Salomone ; quamuis somnium acceperit de ipsa , & infusa sit dormienti , cùm quodammodo etiam redundarit idem meritum per quandam continuationem in dormientem. Propriam rationem, ac per se meriti , qualis vel in Christo fuit,vel in B.Virgine,dormienti concedi puto non debere , aut posse , absque præiudicio veritatis, ne quid grauius dicam.Neque qui illud contendit Vandalisiberus obtrectator vllo argumento probat , vel aliquo fideli testimonio confirmat. Consule Pinedam [d] nostrum , qui sentit hanc esse magis receptam sententiam,& quidem etiam Augustini [e],ac Aquinatis [f], quos ad se frustra rapit prior ille insectator Pinedæ,& aliorum.

c de regressu animæ.
d lib.3.de reb. Salom.c.8.n.6.
e 12.de Gene. ad lite.c.15.
f 2.2.q.154.a.5. ad 1. & 4.d.9. q.1.ad 1.& de verit.q.28. a.3.

Sensus.] Græcè (*φρόνησις, prudentia,intelligentia.*) Latinum nomen ex sensitiua facultate transfertur ad intellectiuam : & nunc ipsammet intellectus potentiam significat ; vt, *terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* [g] , *νοῦν πολυφροντίδα, mentem* : nunc mentis conceptum, & sententiam; vt , *vnusquisque in suo sensu abundet* [h], *ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ*: item [i] , *aperuit illis sensum* , *τὸν νοῦν* : nunc id quod verbis & oratione significatur ; vt, *hic* [k] *est sensus, qui habet sapientiam.* Vnde tot illi,qui distingui solent Scripturæ sensus. Cicero [l] ipse, [quod erat sensu comprehensum,Zeno id ipsum ,inquit,sensum appellabat:] & Quintilianus [m] scribit , sententiam Veteres quod animo sensissent vocauisse: sensa quoque sua nó raró dixisse,quia sensus corporis videbantur:sed consuetudinem iam tenuisse , vt mente concepta sensus vocemus : lumina autem , præcipuéque in clausulis positas sententias. Hoc ipso libro *sensum* Interpres posuit,vbi Græcè est non tantùm *φρόνησις* [n], sed etiam *νοῦς* [o], & *βουλή* [p].

g Sap 9.15.
h Rom.14.5.
i Luc.24.45.
k Apoc.17.9.
l 1.Acedem.
m lib.8.c.5.in princ.
n hic,& c.4.
9 c.6.16.c 8.6.
o c.4.11.c.9.15.
p c.9 17.
q Esa.11 2.3.

Spiritus sapientiæ.] Græcè (*πνεῦμα σοφίας.*) Dona Spiritus sancti spiritus nomen habent [q] , aut vt eorum designetur auctor, nempe per attributionem tertia Trinitatis persona ; aut vt intelligatur eorum vim in eo esse, vt nos habiles reddant ad excipiendum Spiritus sancti impulsum ; & instinctum,à quo faciliùs regamur:sicut virtutes morales perficiunt vires appetitiuas ad obediendum rationi.Lege quæ diximus ad caput secundum Actuum Apostolicorum [r],& in S.Thomam [s]. Hic Doctor sapientiæ spiritum, siue donum docet efficere,vt rectè iudicemus de speculatiuis secundùm rationes diuinas,ex quadā connaturalitate , siue vnione ad diuina per charitatem,& vt ipsæ res speculatiuæ bonæ sunt & expetibiles, simúlque iudicatur iis inhærendum.

r vers.2.& seq.
s 1.2 q.68. art.4.& 2.2. q.45.

Latiùs patet in hoc libro sapientia,vt sæpe vidimus,& nihilominus bene spiritus sapientię vocatur, saltem propter causam primam,& quia *spiritualis iudicat omnia* [t] per Spiritum,qui *omnia scrutatur,etiam profunda Dei* [u].Neutro modo peccatori sapientia inest , siquidem *neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat* [a]. Est acceptio tertia sapientiæ pro dono gratis dato, qui appellatur sermo sapientiæ [b],quādo aliquis altiora quædam mysteria cognoscit,aliísque manifestare valet ,aut certè secundùm regulas diuinas non seipsum duntaxat,sed etiā alios ordinare. Paulus [c] ait se loqui sapientiam inter perfectos,& in mysterio,atque absconditam. Mitto vulgarem acceptionem humanæ acquisitæ sapientiæ , vt cuiuis cognitioni conuenit etiā artis;vel Metaphysicæ.

t 1.Cor.2.15.
u ibid.10.
a Sap.7.28.
b 1.Cor.12.8.
c 1.Cor.2.6.

Vers. 8.] Et præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi.

DEinceps adeò concupitam , adeptámque sapientiam magnis laudibus ex suamet æstimatione de illa celebrat , profitens pluris ab se factam quàm quæcunque alia bona,quorū tanta est apud vulgus opinio, desiderium, amor , cura. [Dignus fide Salomon, quippe proprio loquens experimento,inquit Cantacuzenus,& ditissimus, & sapientissimus.]

Regnis.] Græcè (*σκήπτρων.*) Sunt enim sceptra regnorum insignia,de quibus antea diximus.

Sedibus.] Græcè (*θρόνων.*) Etiam de thronis priùs egimus. Hos Regibus,vel aliis quoq; Principibus, ac Iudicibus inferioribus assignare possumus. Omittimus autem tropologiam,vt regna denotent honesta bona,sedes delectabilia,& quæ sequuntur diuitiæ , vtilia. Meritò sapientia præfertur regnis,ac sedibus , quoniam per illam *Reges regnant* (nimirum bene) *& legum conditores iusta decernunt : Principes imperant:potentes decernunt iustitiam*:cum illa *sunt diuitiæ,& gloria,opes superbæ,& iustitia*:ditat diligentes se ; thesauros eorū replet [d].

d Prou.8.16. & seq.

Diuitias nihil esse duxi.] Has enim & illa dat,vt modò dixi. Imò quidam vt solam sapientiæ humanæ vmbram qualemcumque comparare possent,abiecerunt opes,ac regna.Exemplis supersedeo,tam multa sunt. Affert nonnulla Petrus Blesensis [e] in exhortatione ad studium literarum,vt Cratetis, Anaxagoræ, Democriti. Acutum illud Stilpontis Philosophi Demetrio datum responsum,quærenti cùm Megarā occupasset, num quis militum aliquid rerum abstulisset; nullum , quia neminem vidisset,qui scientiam sapientiámve rapuisset [f]. Affine aliud & vulgatissimum Biantis, cur cum Priene patria capta nihil vt cęteri asportaret;imò verò se id facere, omniáque sua secum portare,non pectore,non humeris, non brachiis; sed animi ac mentis inclusa benéque custodita domicilio,quę labefactari à quoquā nequirent [g].

e epist.81.
f Plutar.de inst. libero.& de tranquil. animi.
g Valer.lib.7. c.2.

In comparatione accurata, *ἐν συγκρίσει, in diiudicatione exacta*, in diligenti examine ,ac disceptatione deprehenditur , definitúrque diuitias nihil esse;quamuis,vt obseruauit, qui alios obseruat [h], diuitiarum Hebræa sex nomina הוה *houab* , הון *hon* , המון *hamon*, חיל *chail*, יתר *iether*, נכס *neches*, maximè reale quid, & substantiale, seu essentiale,solidum,ac firmum,abundans,atque copiosum videantur innuere. Quadrat per similitudinem quandam soni,& significati analogiam Hebręum ריק *rik* , quod *vanitatem , inanitatémque* valet, cùm vulgaribus linguis diuitiæ soleant nominari *richezze*. Longè antè Iob [i] negauerat putauisse se aurum robur suum , vel dixisse obrizo fiduciam suam, vel super multis diuitiis suis lætatum.

h Ceruantes.
i c.31.24.25.

Vers.9.]

Verſ. 9.] Nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.

STultorum voces illæ;
O [a] *ciues,ciues,quærenda pecunia primùm eſt,*
Virtus poſt nummos. ———
Contrà Sapiens [b]; *O viri*, ait, *ad vos clamito*, &c. & poſt multa,quibus exigit attentionem;*Accipite diſciplinam meam , & non pecuniam ; doctrinam magis quàm aurum eligite. Melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis;& omne deſiderabile ei non poteſt comparari. Melior eſt fructus meus,* inquit ſapientia, *auro,& lapide pretioſo , & genimina mea argento electo.* Item; *Beatus* [c] *homo qui inuenit ſapientiam , & qui affluit prudentia : melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri primi, & pretioſiſſimi fructus eius : pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur,huic non valent comparari.* Sed & Iob [d] præponit ſapientiam auro obrizo,argento,tinctis Indiæ coloribus, lapidi ſadonycho, ſapphiro,& vitro (adamanti,vel cryſtallo, vel vero vitro, quod initio erat in maximo pretio [e]) & vaſis auri (ob pretioſam cælaturam)& topazio de Æthiopia,& tincturæ mundiſſimæ. Similes comparationes ſunt etiam in Pſalmis [f]. Tantùm abeſt,vt diuitiis ſapientia cõparari valeat,vt perſæpe ſapientiam,ſi qua eſt,excutiant. *Quid prodeſt ſtulto habere diuitias,*inquit ditiſſimus,non opibus magis quàm ſapientia Salomon [g], *cùm ſapientiam emere non poſſit?* Hebr. *cùm cor non ſit illi*; Chald. *qui non habet cor,neque ſcientiã, ſiue ſapientiam.*

Rideri poſſet propter auctoris vanitatem, verè tamen ac ſapienter ab Ariſtippo, cur Philoſophi diuitum obſiderent domos,reſponſum;id facere Philoſophos, vt Medicos qui frequentant ægrotantium domos, cùm nemo ægrotus mallet eſſe quàm Medicus:Philoſophos luxui mederi diuitum.Amplificat Origenes [h] præſentem locum, ſumens aurum pro ſapientia huius mundi,argentum pro eloquentia.

Comparaui.] Græcè (ὡμοίωσα, *ſimilem feci.)*

In comparatione.] Græcè (ἐν ὄψει, *in viſione , in conſpectu*) vulgò dicimus (*riſpetto:*) verſu autem præcedente, ἐν συγκρίσει, *in diiudicatione.*

Omne aurum.] Id eſt,quidquid eſt auri vſpiam; vel quotquot eiuſdem quaſi ſpecies diſtinguantur, cuius Hebræa nomina ſeptem , vel octo, ac etiam nouem enumerat, explicátque , poſt Pinedam [i], is qui ex eodem non rarò carpit,decerpitque, quem ſæpiùs carpit. Nos ipſi de iiſdem aliis in locis egimus,necnon Delrius [k] noſter.

Lapidem pretioſum.] Græcè (τίμιον.) Alii codices (ἀτίμητον) vel corruptè,vel iſto ſenſu, vt qui vulgò pretioſus habetur, præ ſapientia ſit vilis.

Arena eſt exigua.] Græcè (ψάμμος ὀλίγη.) Triplex arena diſtinguitur,foſſititia, fluuiatilis, marina [l]; & poteſt quæuis hîc accipi , vt propter exiguitatem,ac vilitatem opponatur auro,& hoc ſapientiæ ; quidquid ſit de controuerſia nominis, pluraliterne poſſit efferri , an tantùm ſingulariter [m]. Græca vox craſſiorem arenam ſignificat, quæ Latinè dicitur ſabulum : ἄμμος quamlibet; vnde Iupiter Ammon & Ammonius. Sunt arenæ quædam flauæ & ſubrubeæ. Fortaſſis alluditur hîc ad illas; & ſcintillantes auri arenæ reperiuntur : cuius etiam ramenta,inquit Cantacuzenus, illis ſunt ſimillima.

a Horat.lib.1. epiſt.1.
b Prou.8.4. 10.11.19.
c Prou.3.13. 14.15.
d c.28.15.& ſeq.
e Plin.lib. 36 c.26.Clem. Alex.2.pæda-go.c.3.
f Pſal.18.11. Pſal. 118.127.
g Prou.17. 16.
h hom.19.in Ioan.
i 4.de reb. ſalom c.18.
k In Can.5. ſect.5.
l Plin.lib.36. c.23.Vitruui. lib.2.c.4.
m Gell.lib.19. c.8.

A

Tanquam lutum.] Græcè (ὡς πηλὸς.) Apta quoque comparatio luti cum argento:eſt enim ſubpallidum in ſuo principio argentum,nulla ſui ſpe (ob ſpeciem nempe coloriſve pulchritudinem) nullis, vt in auro,lucentibus ſcintillis,vt Plinius docet [a], ſcribens terram eſſe aliam rufam, aliam cineraceam.Quamuis nec argenteæ deſint arenę, ſed obſcuræ. Aurum potiùs terram rufam,argentum Bernardus [b] nominat albam , facta ſcilicet formatáque metalla. Cantacuzenus illam quoque aſſignat cauſam,quoniam argenti venæ dum effodiuntur à metallicis , ad miram altitudinem depreſſæ inſtar luti reperiuntur. *Væ* [c] *ei qui multiplicat non ſua : vſquequò & aggrauat contra ſe denſum lutum ?* Græcè eſt , τὸν κλοιὸν αὐτοῦ, *vinculum ſuum.*

B

Hæc eſt Pharaonica ſeruitus luti lateriſq; [d]. Lege Gregorium [e]. Paulus [f] exiſtimabat omnia detrimentum eſſe,& arbitrabatur vt ſtercora propter eminentem ſcientiam Domini noſtri Ieſu Chriſti. Emitur ſapientia & gratia abſque argento, & abſque vlla commutatione [g], ſiue pretio , quoniam concurrit quidem liberum arbitrium ; ſed quæuis opera illius ante gratiam , vel auxilium eius non habent proportionem , condignitatem, infallibilem connexionem cum gratia ipſa : ſed hæc ære alieno , id eſt , ſanguine Chriſti comparatur.

Æſtimabitur.] Nihili facienda, ſeu æſtimanda Vallæ [h] diſtinctio inter *æſtimare*,& *exiſtimare*;quaſi hoc ſit iudicare , illud conſiderare antequam iudices. Confunduntur non rarò , vt demonſtrat

C

Auſonius [i] Popma. Græcum eſt (λογισθήσεται.)

Verſ. 10.] Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam : quoniam inextinguibile eſt lumen illius.

SApientiæ nunc præſtantiam declarat ex comparatione bonorum non externorum,vt erant priora , & quæ caſu nobis fortunáque quodammodo eueniunt, & fortunæ vocantur bona , ſed quæ ſunt in nobis ; qualis bona corporis valetudo, & pulchritudo, & chariſſimus oculorũ vſus, luciſque viſus.

D

Super ſalutem.] Græcè (ὑπὲρ ὑγίειαν, *ſuper ſanitatem.)* Sub hac proſperitatem quoque corporalem Carthuſianus comprehendit.Propriè ſanitatem corporis ſalus importat:vnde apud Gentiles quæ præerat ſanitati Salus Dea , aut Valentia [k], & ὑγίεια. De hac aliquoties agit Pauſanias in Corinthiacis, Laconicis, Achaicis, Bœoticis , & Athenæus [l], & alij. Sanitatem animi ſapientiam Cicero [m] vocat:& Sapiens [n] affirmat, quòd cuſtodit rectorum ſalutem,σωτηρίαν,quæ de ſanitate aliquando intelligitur, ídque valere poteſt תושיה *thuſcijah*, ſignificans *eſſentiam*, ſeu *eſſe cum duratione.* Item ſapiẽtia ipſa pollicetur inuenienti ſe vitam,

E

& ſalutem [o]. Præterea [p] dicit quòd ſermones ac eloquia ſua *vita ſunt inuenientibus ea , & vniuerſæ carni ſanitas.* Sed circa Græcum ὑγίεια , quæ in aliis turpiculè dicta Hiſpalenſis neotoricus notat, de Hiſpano vocabulo *higa* , honeſtiùs profectò,cùm ſit etiam religioſus, tacuiſſet. In digreſſione quoq; de bono ſanitatis,quod potiſſimùm probat ex Eccleſiaſtico [q] , bene monet imprecationem Apocalypſis [r], *ſalus Deo noſtro,& Agno*,indicare acceptam illis referri incolumitatem ; aut innui ibidem gaudium , & adgratulationem de

a lib.33.c.6.
b ſerm. 4. de aduentu.
c. Abac.2. 6
d Exo.5.
e 34.moral. c.9.& 3 p. Paſtor.admonit. 21.
f Philip.3.7.8.
g Eſa.55.2.
h 5.elegan. ling Lat.c.20.
i lib.1. de differ.verbo.
k de hac Tertull in apolog.c.24.
l lib.1.& 7.
m Tuſc.3.
n Prou.2.7.
o c.8.35.
p c.4.20.21. 22.
q c.30.14.& ſeqq.
r c.7.10.c.12.

corum

A corum incolumitate,& immortalitate. Nec tamé video quid incommodi reperiat in eo quòd Pineda [a] noster indicari dicat hoc loco exercuisse se Salomonem circa sapientiam vsúmve illius, quamuis acquisitæ, vsque ad imbecillitatem, ac inualetudinem corporis, ac sic pluris fecisse sapientiam, quàm sanitatem; quod studiosis ferè contingit, atque de Aristotele [b] proditur. Simul potuit Salomon velle intelligi per salutem cui prætulerit sapientiam,vitam longiorem. Landatus hoc nomine à Deo est,quòd non petierit dies multos,nec diuitias,nec animas inimicorum, sed sapientiam [c]. Græcum hoc nomen in pentagono inscripsit Antiochus Soter,id est,in triplici triangulo inuicem inserto,ex lineis quinque constante,vt Lucianus [d] meminit,cùm malè contra Galatas pugnanti eam Alexander Magnus ipsi tesseram in somnis dedisset. Plato [e] dixit optimum esse bene valere: secundum,formosum esse: tertiũ, diuitias habere nulla fraude quæsitas; ὑγιαίνειν μὲν ἄριστόν ἐστι· τὸ δεύτερον καλὸν φῦναι· τρίτον δὲ (ὥς φησιν ὁ ποιητὴς τοῦ σκολιοῦ) τὸ πλουτεῖν ἀδόλως. Sed ex vulgi loquitur sententia; nec defuit Philosophus,qui ea in re summam constitueret felicitatis nostræ. Animum perficit,ornátque sapientia,sanitas & valetudo corpus. Diuinum & blandissimum condimentum sanitatem Plutarchus [f] vocauit; sed nil ea mutabilius & fragilius. De vtilitatibus tamen ægritudinis disserit Olcot [g].

a 3. de reb. Salom c. 10. n. 5.
b Laër. in Arist. Ammia. lib. 16. Cens. de die natali. Scotus noster in vita Arist. & Demost. comparata.
c 3. Reg. 3. 11.
d lib. de eo qui lapsus est verbo inter salutandum.
e in Gorgia.
f in salubribus præceptis.
g lect. 92.

Et speciem.] Græcè (εὐμορφίαν, *formæ elegantiam, & pulchritudinem.*) Hoc legit modo Petrus Blesensis [h],vrgens locum istum totum, vt hortetur ad studium literarum. Ponebatur, vt dixi, apud Platonem secundo post sanitatem loco. De illa egimus in Apostolica historia [i], cùm de Stephano,& cùm de Mose [k]. *Pulchritudo* autem *vana & fallax est* [l]. Summus artifex turpiter amandi hanc tamen vituperat illecebram amoris non rarò, & quandoque non insana dans consilia, postquam dixit, quòd

Forma [m] bonũ fragile est,quantumq́; accedit ad annos
Fit minor; & spatio carpitur ipsa suo.

Subdit:

Iam molire animum,qui duret,& astrue formam,
Solus ad extremos permanet ille rogos.
Nec leuis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit,& linguas edidicisse duas.

h epist. 81.
i c. 6. 15.
k c. 7. 20.
l Prou. 31. 30.
m Ouid. 2. de arte amandi.

Species decepit te, dixit Daniel [n] ad senem inueteratum dierum malorum, accusatorem Susannæ. [Quòd si lynceis oculis homines vterentur, vt obstantia penetrarent, nónne introspectis visceribus,inquit Boëtius [o],illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus, turpissimum videretur? Igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas.] Itaque neque laudandus quis (per se) in specie sita,neque spernendus homo in visu suo,id est,in deformitate sua: nam *breuis in volatilibus apis* (cùm tamen despici breuior in homine statura soleat) *& initium (principatũ) dulcoris habet fructus eius* [p] (ideo laus potior esse debet ab industria.) Denique Salomon captus amore formæ sapientiæ, illiúsque amator factus [q], quid mirum si speciem, formámve corpoream non tanti fecerit? Speciosiorem Sole nominat Auctor postea [r]. Comparat alius cum Sole mulieris bonæ speciem [s]. Sed & qui diligunt Deum auctorem sapientiæ,sicut Sol rutilant [t].

n c. 13. 56.
o 3. de consolat. prosa 8.
p Eccli. 11. 3.
q c. 8. 2.
r hic vers. 29.
s Eccli. 26. 21
t Iudic. 5. 31.

Et proposui pro luce habere illam.] Græcè (προείλόμην αὐτὴν ἀντὶ φωτὸς ἔχειν.) Vatablus (*vsúmque eius luci præoptaui*, vel *prælegi.*) Cantacuzenus vtrumque intelligit,& lumen oculorum,& Solis: vt vnum tamen sumi secundum cernendi naturam; quia lumen,sine lux, quæ in nobis est oculorum, dum extra fertur, & cum Solis luce permiscetur,atque vna ex duabus efficitur,visionem ipsam parit. Platonicum hoc est, eorúmque Philosophorum, qui visionem per extramissionem fieri censent; quæ senteñtia passim non recipitur. Solet nihilominus oculorum lumen quoddam etiam in Scripturis dici pro videndi facultate, & insitum videtur intra oculos. *Lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum*, inquit Dauid [a]. Charissimi sunt præ membris cæteris oculi, & super

B alios sensus,visus, Aristotele [b] teste: nec Tobias in tenebris sedés,& lumen cœli non videns, gaudium sibi liquidum videbatur posse percipere [c]. [Sensuum enim hic, ait Philosophus, vel maximè nos cognoscere quidquam facit, multásque differentias manifestat.] Mater quoque iunioris Tobiæ præ amoris teneritudine vocabat eum lumen oculorum [d]:& sæpe singularis amor per pupillam oculi parœmialiter exprimitur [e].

a Psal. 37. 11.
b 1. Metaph. sum. 1. c. 1.
c Tob. 5. 12.
d c. 10. 4.
e Deute. 32. 10 Psal. 16. 8. Prou. 7. 2. Eccli. 17. 18. c 19. 16. Thren. 2. 18. Zach. 2. 8.

Itaque verbis istis duo significari simul possunt, & pluris æstimatam sapientiã quàm videndi facultatem, ac lucis aspectũ visúmque, & horum loco habitam sapientiam,vt non aliis, quod vulgò dicitur, videre oculis,non per aliud lumen cernere,quàm per sapientiam voluerit: hanc ad-

C hibuerit lucernam ac lucem [f], hoc lucidum sapientiæ *preceptum illuminans oculos* [g]: pedes mouerit ad illam lucernam,semitas ad lumen illud ingressus sit [h]. *In sapientia luxit anima mea,& in agnitione inuenit eam* [i]:pro quo posteriore membro alij codices ante correctionem Sixtianam habebant (*& ignorantias meas illuminauit.*)Græcè solùm est,τὰ ἀγνοήματα αὐτῆς ἐνενόησα, *ignorantias eius intellexi*: sed in emendata editione ἐπένθησα,*luxi*, id est, fleui, à *lugeo*, non à *luceo*; quo tamen pacto Bonauentura [k] videtur intellexisse.

f Prou. 6. 23.
g Psal. 18. 9.
h Ps. 118. 105.
i Eccli. 51. 27.
k hoc loco.

Inextinguibile est lumen illius.] Corporea lux inextinguibilis potest esse,vt in astris, quamuis lumen quod in medio recipitur, extinguatur illis recedentibus ab hemisphærio nostro. De hoc lu-

D mine, quod volunt dictum quasi lucimen, id est, emanationem à luce,quæ corpori lucido naturaliter insita est,videtur Auctor loqui: ἀκοίμητον τὸ ἐκ ταύτης φέγγος, *irrequietum,insomne, peruigil.* Omnis quidem lux seu lumen sic appellari potest, quoniam est in continuo quodam motu & actione:censeri tamen etiam potest figurata hæc locutio alludere ad occasum eorundem astrorum,qui occasus,vel occubitus astris quodammodo somnus est, quiésque secundùm vulgatem æstimationem, quæ non attendit ab ipsis, dum subducuntur nobis,lustrati aliud hemisphærium.Huc facit libenter ac sæpiùs vsurpatus à Virgilio versus [l];

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

E Quò alludit Propertius [m].Crassior veterũ Astrologorum error, & Epicuri, Solem, quando apparere desinit, reipsa occidere ac interire:eùm rursus apparet, incipere nasci. Testis Cleomedes [n], narrans quoque antiquorum Hispanorum fabulam, ἦχον τῷ Ὠκεανῷ ἐμπίπτοντα ψόφον ἐμποιεῖν σβεννύμενον, ὡς διάπυρον σίδηρον ἐν ὕδατι, *Solem in Oceanum incidentem, & extinctum sonitum edere instar candentis ferri, quando intra aquam inijcitur.* Talia figmenta alia de mersis mari quadrigis,aut iubis Solis ipsius. Sed vulgarem illã de dormitione somnóque opinionem confirmant vocabula occum-

l 1. Georg. Aeneid 4. & 9.
m lib. 2 eleg. 18.
n lib. 2.

bendi,

a 4. carm. ode 15. b in Amphitr. act. 1. sc. 1. c Psal. 18. 6. d de ira Dei. c. 13.

bendi, & *occubitus*. Vocat & Horatius [a] Hesperium cubile. Sosia verò Plautinus [b], cùm tota vapulasset nocte, dicebat nocturnum obdormisse cœlum ebrium, & Solem appotum probè, seséque inuitasse in cœna plusculum. Quin & Psalmi [c] verba idem indicant, quibus comparatur sponso procedenti de thalamo suo. Lege Lactantium [d].

e hom. 30. in Euang. f Ioan. 1. 5. g Ioan. 12. 35. h 1. de Græc. affect. i c. 1. 5.

Rectè autem positum hîc φέγγος, quod splendorem & effulgescentiam luminis denotat, vt intelligatur non sapientiam modò ipsam, vel increatam, vel etiam habitum creatum suapte natura non interire; sed emicantem etiam inde veluti splendorem non extingui, quoniam præstò semper est, & radios eiaculatur, nisi per nos stet aditum obstruentes. Tale istud est cum eo quod Gregorius [e] de amore diuino scribit, nunquam esse otiosum, sed magna, si sit, sine adsit, operari; si renuat operari, non esse, hoc est, non adesse. Vrget nempe hic semper, mouétque ad operandum; sapientia nunquam non illuminat, & dirigit in opus. Sapientiæ, præsertim increatæ, *lux in tenebris lucet, nec tenebræ eam comprehendunt* [f], id est, non opprimunt, vel perdunt. Nec propriè quoque loquendo, diuinitùs communicata sapientia, gratiáve comprehendi sic potest, id est, corrumpi: sed auctor eius Deus eam retrahit, cùm quis operibus tenebrarũ id demeretur. Dicebat Christus [g]; *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant*, id est, extinguant illam. Priorem quidem locum Theodoretus [h] ita vt dixi, visus est intellexisse, scribens à tenebris non occultari lucem, iuxta id quod ibi scriptum est. Lege quæ diximus ad illa verba primæ Epistolæ Ioannis [i]; *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vlla.*

k Ceruantes. l Pausa. in Atticis, & Achaicis. m Pausa. in Atticis. n Prouer. 31. 18.

Satis aptè non nemo [k] cum Lucinæ, ac Promethei simulachris confert hoc inextinguibile sapientiæ lumen. Illius altera in manu fax apponebatur, quia parturiẽtes, quibus præerat, vincere dolores viderentur, haud secus ac ignis; vel quòd ipsa fœtus proferret in lucem [l]. Ante alterius aram, qui de cœlo ignem deduxisse credebatur, homines cum lampadibus decurrebant, léxque in eo ludo erat, vt cuius fax currentis extingueretur, indignus palma censeretur [m]. At sapientiæ diuinæ, gratiæque lumen per se inextinguibile est, nec extinguitur in nocte lucerna ista [n].

Vers. 11.] Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.

o 3. Regum 3. 13. p Matth. 6. 33. q Rom. 8. 32.

MEritò sapientia concupiscitur & adamatur, ex qua cæteræ proueniũt virtutes, quæ hominem bonum absolutè denominant, & cui opes quoque solent adiungi. Expertus id est Salomon, quem, quòd vnam petiisset à Deo sapientiã, Deus insuper copiosissimè locupletauit [o]. Promisit etiã Christus fore, vt iis qui quærerent primùm regnum Dei, hæc omnia (externa bona) adiicerentur [p]; non quòd non etiam quæri, ac peti possint, sed quoniam præ illo non videntur peti, quo sunt longissimè inferiora; ac sæpe ne cogitantibus quidem conceduntur. Sine dubio cum sapientia increata, & Filio suo nobis omnia Deus donauit [q]: cum creata, vt inuoluit gratiam sanctificantem, cæteræ nobis proueniunt virtutes, tanquam ex essentia proprietates: externa bona quatenus conferunt ad gratiam eandem, atque ad felicitatem.

a lect. 93. b Act. 7. 50. c vers. 1.

Carthusianus omnia bona interpretatur de externis, fama, gloria, honore, opulentia: per honestatem intelligit virtutes, aliáque infusa dona: Hugo exponit opposito modo, necnon Bonauentura, citans glossam, atque Cantacuzenus. Sed Bonauentura *honestatis* nomine sumit virtutes, quæ habitudinem ad alias externam includunt, qualis est modestia, &c. Lyranus bona quoque vult hîc externa significari. Consentit Olcot [a]. Ego idem & de his affirmo, & de honestate; nam *honestatis* nomen, & *honestandi* verbum hanc sæpe vim habere multis exẽplis constat, & nos alibi [b] docuimus; & hoc loco est Græcè πλοῦτος, id est, *diuitiæ*: sicut & Ecclesiastici 31. [c] *vigilia honestatis tabefaciet carnes*, μέριμνα πλούτου: & pro bonis τὰ ἀγαθὰ, quæ vsurpantur & Latinè, & Græcè pro facultatibus atque opibus. Sensus tamen ille alius de virtutibus cum sapientia nexis, non est aspernandus, qui placet præterea nonnullis Theologis, qui probãt inde virtutes simul infundi cum gratia, & ex hac veluti ex essentia proprietates effluere. Quamquam hæc probatio non admodum efficax est.

d 3. Reg. 3. 13. e c. vlt. f Num. 17. g Olcot citat lect. 93. h Luc. 6. 38.

Est porrò liberalis & munificus Deus, plus largiúsque tribuens quàm polliceatur. Exemplo est is, quem diximus, Salomon [d], præterea Iob [e]: denique virga Aaron, quæ non solùm floruit, vt promiserat Deus; verùm etiam foliis dilatatis, amygdala protulit [f]. Memoriæ causâ comprehenduntur ista his versibus [g];

Plus dare quàm tollas, rogitetur, polliceatur,
Iob, Salomone, Deus virga florente probatur.

Commune quoque axioma est, præmiare Deum vltra condignum, quæ vocatur mensura superefflueus [h].

i c. 2. k vers. 14. l c. 22. 10. m lib. 16. epist. 9. n Eccli 38. 1. o Num. 24. 11.

Innumerabilis honestas.] Græcè (ἀναρίθμητος πλοῦτος, *innumerabiles diuitiæ.*) De diuitiis Salomonis egimus in Ecclesiastis expositione [i]: honestatem verò pro diuitiis dici, proximè monuimus. Hyperbolem non vitat Scriptura: quo etiam pacto vocat paulo pòst [k] infinitum thesaurum sapientiæ; & in libro Iosue [l] altare infinitæ magnitudinis factum à filiis Ruben, & Gad. De istius figuræ vsu sacro priùs diximus. In eadem notione scribens Tironi [m] Cicero dixit: [Curio misi, vt Medico honos haberetur, & tibi daret quod opus esset; me cui iussisser curaturum.] De quo honore Sapiens [n] præcepit; *Honora Medicum propter necessitatem. Decreueram* [o] *quidem magnificè honorare te*, inquit Balac, Balaam alloquens, *sed Dominus priuauit te honore disposito.* Inde *honorary* nomen pro munere, quod clientes patronis danr.

p lib. 1.

Per manus illius.] Græcè (ἐν χερσὶν αὐτῆς, *in manibus illius*) id est, in potestate illius, vel pendentes ab illa, vel ex ea sequentes. Quare mysticum est, nec prorsus aptum proposito, per manus opera intelligere; siquidem nec virtutes infusæ propter opera sapientiæ primùm infunduntur, licèt postquam sunt infusæ, cum illa possint intendi propter opera meritoria: neque diuitiæ per se cadunt sub meritum, sed tantùm sub illud, quod vocant de congruo. Possent diuitiæ dici per manus, aut in manibus esse sapientiæ, quoniam ratio honestè ac iustè illas comparandi, tuendi, augendi, dispensandi, ab illa traditur. Viderunt id auctores etiam profani. Is qui edidit libros de inuentione [p]; [Ad Rempublicam, inquit, multa veniunt commoda, si moderatrix omnium rerum præstò est sapientia; hinc ad ipsos, qui eam adepti

sunt,

ſunt, laus, honor, dignitas confluit.] Accedat Poëtæ teſtimonium [a].

Ad ſummam ſapiens vno minor eſt Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum;
Præcipuè ſanus. ———

a Horat.lib.1. epiſt.1.

Verſ. 12.] Et lætatus ſum in omnibus: quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater eſt.

CVm tot externa quoque bona ſit conſecutus, depromit gaudium, quod inde perceperit; maximè quòd animaduerterit ex ſapientia ſibi ea prouenisſe præter ſiue ſpem, ſiue opinionem, quia vni ſapientiæ in primis ſtudens, illa ne curabat quidem, vel vna cum ſapientia eſſe poſſe non arbitrabatur. Non afferunt opes verum per ſe gaudium ſine ſapientia: hac præſente eſt vnde læteris, quoniā virtutis ac bene de aliis merendi ſunt inſtrumenta. Hoc eſt quod ex Platone [b] retuli, πλυτεῖν ἀδόλως. Verum eſt, quod Olcot [c] oſtēdit iugiter lætari iuſtum, & in omnibus rebus: at non hoc voluit Auctor iſta ſententia. Illud item, ducem in omni negotio præire ſapientiam debere per prouidum maturúmque iudicium; qua de re idem. Sed neque id nunc hîc agitur.

b in Gorgia. c lect.94.

Antecedebat me iſta ſapientia.] Græcè (*αὐτῶν ἡγεῖται σοφία, his præit, horum ceu dux, fons, & caput eſt*) me ipſum deducit ad acquiſitionem bonorum illorum.

Ignorabam.] Priuſquàm ſapientiam deſideraret, ac peteret, neſciebat emolumenta ſapientiæ pertinere vſque ad res externas. At eam adeptus, illud quoque cognouit, ac etiam non ſemel docuit, vt antè vidimus, vel ſi quo modo priùs ſciebat, non tamen experimento didicerat.

Horum.] Mendosè quidam codices (*honorum*) Græcè (*τούτων.*)

Omnium.] Græcè deeſt.

Mater eſt.] Græcè (*γενέτις, genitrix*) aut, vt quidam legunt (*γένεσις, generatio.*) Sapientiam, virtutes, artes, ſcientiáſque κατὰ προσωποποιίαν Veteres fœminino ſexu, ac virgineo matronalíve habitu exhibuerunt, vt aliàs monui: & Philo [d] ait ſapientiam vocari filiam Dei, ſed iure patrem dici poſſe; quamuis autem habeat nomen fœmininum, habere naturam maſculam, atque virtutibus omnibus eſſe fœmininas appellationes; vires autem & actiones virorum perfectiſſimorum. Philoſophi alteram vocabant matrem ſuam Philoſophiam, ſiue ſapiētiam longè meliorem, quàm quæ in lucem duntaxat rudes extuliſſet.

d lib. de profugis.

Extat reuerendæ iſtius matris, & nutricis graphica elegánſque deſcriptio apud Boëtium [e], ex qua id ad rem præſentem facit, quòd ſceptrum ſiniſtra, libellos tenet dextra, vt regat, doceátque: quorum hoc illo melius. Eodem pictura ſpectat [f] Reginæ conſidentis in ſolio, quam hinc inde genu flexo ſenes duo circumſtent, mammillarum eius lac ſugentes; quòd ſapientiæ nutrimento ſemper egeant quamlibet ſapientes. Ipſa ſe ſapientia nominat matrem pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis, ſanctæ ſpei [g], & Sapiens appellat eam matrem honorificatam [h]. Matris voce Olcot [i] obſeruat denotari cauſam minùs præcipuam meriti eſſe humanā induſtriam: adde præterea quoduis aliud donum creatum. Quæ ratio licèt locū quoque habeat in opere naturæ, Deus enim rerum omnium præcipua, & prima cauſa eſt; potiſſimùm tamen in his, quæ propriè collocantur intra ordinem ſupernaturalem.

e 1.de conſolat.phil. proſa 1. f Olcot.lect. 94. g Eccli.24. 24. h ibid.c.15.2. i lect.94.

Verſ. 13.] Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.

INuitauerat initio capitis prioris ad ſapientiæ ſtudium, & in præcedentibus huiuſce capitis ſententiis ſuomet exemplo, nunc poſt commemoratas nonnullas eius laudes, renouat mentiónem de modo, quo ſapientiam ipſe ſibi comparauerit, & quanto illam aliis communicandi deſiderio teneatur. Nam æquum eſſe, vt quam adeò facilè ſit adeptus, alios liberaliter doceat. Qui abſque dolo & deceptione res præclaras accipit, nullum prauum ob finem, vt cuipiam noceat, vt indulgeat ſibi, hic affatim libentérque impertit aliis eaſdem. Gratis accipiens, dare gratis debet [a]; *vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrare, ſicut boni diſpenſator multiformis gratiæ Dei* [b].

a Matth.10.8. b 1. Pet.4.10. vbi vide comment. noſtrū.

Sine fictione didici.] Græcè (*ἀδόλως ἔμαθον.*) Didicit Salomon etiam à matre, & à Nathan, aliiſque, non tantùm per infuſionem: ſine fictione, quoniam honeſtum ſibi virtutíſque propoſuit in ea re finem, ac voluntatem alios iuuandi; *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ*, vt dictum eſt [c], *effugiet fictum*, φεύξεται δόλον, *dolum*, ſiue *illum in quo dolus eſt*. Doctrinæ lac ſine dolo concupiſcendum & potandum eſt [d].

c c.1.5. d 1.Pet.2.2. vbi lege comment. noſtrū.

Non ſatis ad rem videntur quæ [e] quidam affert, vt abeſſet adulterium. Nec Pineda [f], quamuis præfigat in titulo præſentem ſentētiam, contendit ex ea probare Salomonem medicinæ, magiæque naturalis ſcientiſſimum fuiſſe, & ſapientiæ publicum in Gymnaſio profeſſorem.

e Ceruantes. f 3.de reb.Salom.c.23.& 27.

Sine inuidia communico.] Græcè (*ἀφθόνως, liberaliter, effusè, non ægrè, moleſtè, grauatè, inuidiosè, auarè.*) Sed fallitur qui ait inuidiam dictam Græcè à cæde, ſeu homicidio [g]. Eſt φθόνος *inuidia*, φόνος *cædes*. Cognatio quidem vocum, & rei eſt; ſed tamen illæ diuerſæ ſunt. *Mors in mundum ex inuidia diaboli introiuit* [h], & inuidia Cainum ad fratris cædem impulit [i]. At leuiculè alluditur [k] ad καίνω, *occido*, propter ſolam ſimilitudinem ſoni cum nomine Cain. In Patre, vel grauiore auctore ferri poſſet. Nec veræ ſunt notiones verbi μεταδίδωμι, cui (*communico*) reſpondet, pro *partem dono, munificè impertio, ex theſauro prohibito ſumo, porrigo manu larga, nuptui do.* Elicit quidam [l] ex confictis ſæpe huiuſcemodi ſignificatis, quos vult ſenſus, & infercit opus falſiloquiis. Nimius ſim ſingula ſi talis, vt ipſe loqui ſolet, metalli vel tantùm recenſeam, ſiue σφάλματα, ſiue ἁμαρτήματα: quod alius forſitan cum otio faciet, vt vindicet iniquas reprehenſiones eiuſdem. Lege caput præcedens [m].

g Ceruantes. h ſup c.2.24. i Gene.4.10.1. Ioan 3.12. k Ceruantes. l idem. m verſ.25.

Honeſtatem illius non abſcondo.] Græcè (*τὸν πλοῦτον, diuitias.*) *Non retineas verbum in die ſalutis, non abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo* [n]: *ſapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque* [o]? Nulla ſanè; nam

Scire [p] *tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.*

& malus ac piger ſeruus pecuniam domini in ſudario abſcondit, atque ſub terra [q]. Sapientis eſt docere poſſe [r]. Galenus [s] ſe vel vnius tantùm

n Eccli.4.28. 29. o Eccli.20. 32. p Perſius ſatyra.1. q Matt.25.25. r Auctor 1. Metaphyſ. c.1. s 1.method.& c.1.12. de vſu part.c.6.

gratia,

gratiâ, quem modò veritatis studiosum cognouisset, affirmabat dicturúmque, scripturúmque omnia. Scimus celeberrimi scientiarum omnium Lutetiani emporij factum ab iis principium, qui se profitebantur profiteri gratis, à Claudio, Rabano, Alcuino, Bedæ discipulis, imperante Carolo Magno [a]. Hoc ordinis mei placet hominibus institutum, qui honestam cæteris qui fungantur eodem munere mercedem tribui non solùm nō molestè ferunt, nec tantùm (quemadmodum præcipiebat Paulus de non manducantibus, vt manducantes non iudicarent [b]) non iudicant damnántve, sed etiam approbant vicissim aptantes, ne qui id factitant nos spernant [c]. Paulus quod vitabat ipse, non reprehendebat in aliis; imò etiam probabat, vt alienis militarent, ac ministrarent stipendiis [d]. Inhumani sunt, qui quam peperêre scientiam, artémve, aut facultatem, cū aliis communicare detrectant, & velut conditum in vagina gladium retinent. [Apostoli simpliciter, inquit Irenæus [e], & nemini inuidentes, quæ didicerant ipsi à Domino, hæc omnibus tradebant, necnō & Lucas, quæ ab ipsis didicerat.] Præcipit Basilius [f]; vt quod quis ab alio didicerit, nequaquam clàm habeat, vt meretrices adulterinos partus viris suis tollendos subiiciunt, ementientes patrem. Plinius [g] deplorat eos, qui cū pauca aliqua nouerint, recondunt, inuidentes aliis, & neminem docere, in auctoritatem scientiæ volunt esse. Is verò præfatur Vespasiano se ingenuè profiteri per quos profecerit.

a Crantius in metropol. lib. 1. c. 2.
b Rom. 14. 3.
c ibid.
d 1. Cor. 9. tot.
e lib. 3. c. 14.
f ep. 1. & oratione 6. de inst. & admo.
g Plin. lib. 25. c. 1.

Vers. 14.] Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati.

Non est quòd inuideam, mihíve timeam ex communicatione infinitæ rei, & quæ possessorem suum Deo charum facit; in quem non cadit inuidia, sed munificentissimus est in seipso, & maximo sapientiæ dono communicando, vnde tantopere homines commendantur. Tantùm abest, vt sapientiæ communicatori pereat quid de sapientia (sicut nec ob mutuatum facis lumen fax detrimentum patitur in lumine) vt multo quoque clarior celebriórque reddatur. Quinque panes [h], & iterum septem [i] cum paucis pisciculis ab Apostolis iussu Christi tot hominum dati myriadibus, suffecerunt, & superfuerunt: *habenti* (bene vtenti & distribuenti) *dabitur, & abundabit* [k]; & *qui non solùm fecerit, sed etiam docuerit, magnus vocabitur* (id est erit, ac celebrabitur) *in regno cœlorum* [l]. Fragmenta illa collecta sunt post impletionem, atque saturitatem manducantium: manna vltra necessitatem collectum computrescebat [m]: oleum ac farina, quæ multiplicauit Elias, dum pluuia descendit, desierunt multiplicari [n]; & oleum stetit, cùm defuit excipiens id vas [o]. Hæc est vis diuinæ sapientiæ, vt nunquam exhauriatur, sed sit *ἀνεκλείπτης θησαυρὸς ἀνθρώποις, indeficiens thesaurus hominibus*. Simul quoque designatum notat Cyrillus [p], quid valeat misericordia: qui enim dat, abūdat, auaro & nihil danti deest. Quòd si de largitione bonorum materialium id verum est, quanto magis cùm spiritualia sunt? Augustinus [q] Florentinæ promittit se quod quæritur, si sciat, non negaturum: si nesciat, sciendum tamen sit, vel à

h Mat. 14. 15. & seq.
i infrà 15. 32. & seq.
k ibid. c. 13. 12. c. 25. 30.
l Matt. 5. 19.
m Exo. 16. 23.
n 3. Reg. 17. 14.
o 4. Reg. 4. 6.
p lib. 3. in Ioan. c. 18.
q epist. 132.

A Domino impetraturum, ne illi desit; nam sæpe officium impertiēdi meritùm esse accipiendi: vel ita responsurum, vt nouerit ad quem pulsare vterque debeat. Quòd si quod nescit nescire possit, nullo fidei salutísque detrimento, de hoc illam certiorem facturum.

Infinitus.] Iam dixi Græcè esse (*ἀνεκλείπτης, indeficiens.*) Quod nōn deficit quodammodo infinitum est vel multitudine, vel duratione. Hic est puteus altus [a]. Apud Lucam * thesaurus, quē *indeficientem* Interpres exposuit, Græcè dicitur sicut hoc loco *ἀνεκλείπτης*: præterea hîc in c. sequenti [b] *honestas sine defectione, πλοῦτος ἀνεκλείπτης.*

Thesaurus.] Translatitium nomē Græcum, quod
B Isidorus [c] tamen ex *θὲς*, quasi *positum*, & ex auro deducit. Itaque non est repositio solùm auri, vt ille vult. Latiùs patet vox, ante linguæ Latinæ inuentionem, eius certè quam Roma accepit, apud antiquissimos Græcos vsitata, Hesiodum, Herodotum, Hellanicum, Thucydidem, Aristotelem, Platonem, & alios.

Veterem depositionem pecuniæ, cuius nō extet memoria, ita vt iam dominum non habeat, Iurisconsulti definiunt [d], vel condita ab ignotis dominis tempore vetustiori mobilia, quorum inuentio censeri possit beneficium Dei [e]. Floridus [f] Sabinus vocem hanc totam Græcam ait significare partem patrimonij, quam quis, vt rustici
C solēt senes, in numerato, & ad casus repentinos repositā habet. Id exprimeret notatio *θησαυρῦ*, quòd res sit deposita in crastinum, *θεῖσα εἰς αὔριον*: & sic reponere diceretur *θησαυρίζειν*. Vetuit Christus [g] ne quis thesaurizaret thesauros in terra, intelligens ne sollicitus esset in crastinum [h]. At Græcè tunc non est locutus, licèt ad vocabula Græca sit in iis sententiis allusio. Tandem omisso multiplici vsu istius vocabuli, quem pro magno thesauro ad opus suum ditandum neotericus commentator [i] congessit, nō omnino displicet si quis *θησαυρὸν* comparet cum Hebræo idem significante אוצר *otser*, ab אצר *atsar, abscondit*. Placuit verò etiā Iulio [k] Cæsari Scaligero etymon *thesauri* ab auro; & *auri* ab aurora; quæ *aurora* vox tota sit Græca. De quo equidem dubito.

D *Quo qui vsi sunt.*] Condonari potest trium linguarum apud Hispalenses professori [l], qui se adeò acrem profitetur mei, & aliorum reprehensorem, quòd pro *χρησάμενοι*, literis Latinis legat *cressi*; & à *κράω* per (*κ*) deriuet. Accusare namque Typographum potest, qui multo apertiores eiusdem mēdas in me pro meis acerbè coarguere solet. Sed quis non rideat Cressum prædiuitem illum inde deriuari, qui etiam Crœsus cum diphthongo, non Cressus, & à *χράω* scribi deberet aspiratè Chresus?

E Ad quid etiam exponere idem verbū corruptè adhuc scriptum *crao*, pro eo quod est esse imbutum, potiri, correspondere, administrare, oracula consulere, & accipere, erogare? Corrogat iste vndecumque sine delectu, ne dicam sine iudicio, & eruderat auidè Thesauros, atque Lexica; vt hoc ipso loco circa voces *participum, amicitiæ, donorum, commendatorum*: atque in his vt plurimùm non attendit vim editionis Græcæ, nec perpēdit quid præcisè Interpres noster intenderit; sed euagatur per omnia, quæ quoquo modo vocabulis quæ versat, congruere possunt.

Participes facti sunt amicitiæ Dei.] Græcè (*πρὸς Θεὸν ἐστείλαντο φιλίαν, iunxerunt*, seu *strinxerunt ad Deum*, vel *cum Deo amicitiam.*)

a Ioan. 4. 11.
* c. 12. 33.
b vers. 18.
c 16. etymo. c. 17.
d l. nunquam ff. de acquiren. re. dom.
e l. vnica C. lib. 10.
f lib. de iuris ciuilis interpretib. voce, peculium.
g Mat. 6. 19.
h ibid. 34.
i Cerueantes.
k exercit. 78.
l Cerueantes

Propter disciplina dona commendati.] Græcè (*διὰ τὰς ἐκ παιδείας δωρεὰς συστάθέντες, constituti, compositi propter dona, quæ procedunt ex disciplina*) hoc est, vel ex institutione, seu eruditione Doctoris, vel ex rebus aduersis, siue flagellis, quæ permittit, mittítve Deus eruditionis causâ. Placet Hugoni secundus sensus: & nos de hac istius vocis acce-
a c.6.12. ptione superiùs meminimus [a], quæ admodum trita est etiam pro materiali flagello.

Vers. 15.] Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna horum quæ mihi dantur, quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientum emendator.

DIcturus deinceps magis de sapientiæ laudibus, Deo has ac præteritas quoque sententias ascribit, qui recta tum dicendi, tum cogitandi sit auctor pro dignitate rerum, quæ proponũtur, & sapientes ipsos tum faciat, tum regat, atque conseruet, & eorumdemmet res ipse administret. Hoc igitur libentiùs & auidiùs audiendus videtur, quòd bene meditatus, & appositè sermonem instituat de sapientia.

Porrò cùm suas videtur laudes commemorare, non prouenit ex superbia, sed ex grati erga Deum animi significatione, & charitate erga pro-
b Ps.85.2. ximum; sic enim quando Dauid dixit [b]; *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*, notat Augusti-
c ibid. nus [c], quòd non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. [Imò & habere te cognosce, inquit, & nihil ex te habere, vt nec superbus sis, nec ingratus, dic Deo tuo, *sanctus sum*, quoniam sanctificasti me, quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, non quia ego merui.] Sed de honesta sui laude aliàs egi.

Mihi autem dedit Deus.] In emendatis Bibliis nõ est *δέδωκεν*, sed *δῴη, det*, per modum precantis; quo item pacto legit Cãtacuzenus, imò & Lati-
d 23.moral.c.10.vel 17. nus Gregorius [d]. Iuxta istam lectionem, sed & cõsentaneè ad nostram, duo intelligimus Prædicatori necessaria, meditationem, & congruentem rebus meditatis orationem: vtrumque verò pe-
e Act.c.6.4. tendum à Deo. Hac de re aliàs [e] egimus allato
f 4. de doct. Christ c.15.& 16. Augustini [f] præcepto, qui citat etiam sequentis versus verba; *in manu enim illius & nos, & sermones nostri*, &c.

Dicere ex sententia.] Græcè (*εἰπεῖν κατὰ γνώμην.*) Sen-
g vers.7. tentia à sensu vocata est. Dixi nonnihil antea [g]
h lib.8.c.5. ex Quintiliano [h] de hac voce. Ait Gregorius [i]:
i supra. [Et recta quæ intelligit, nõ ex sola scientia, sed ex sententia dicit, qui nequaquam tantũmodo sciẽdo dicit, sed sentiendo experitur quod dicit.] Bu-
k comment. linguæ Græc. dæus [k] phrasis vim docet esse, propria sponte dicere, liberè, libenter: Vatablus, & antiquiores sententiosè, grauitérque. Malim, ita vt cogitauerat, &
l vers.13. sine fictione, vt priùs dictum est [l]; vel vt animo destinarat ac voluerat, & vt etiam persuaderet.
m apud Stobæum. Hic finis eloquentiæ, quam meritò Musonius [m] appellauit Regiam virtutem. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est*
n Esa.50.4. *verbo* [n] (non vt quidam mendosè, *lapsus*:) & vt intelligas vsum Christum, de quo ibi sermo, eloquentia sua ex sententia, pro vt sentiebat, & fa-
o ibid. ciebat, subditur [o]: *erigit manè, manè erigit mihi aurem* (id est, quotidie, semper, vel ab æterno, & ab instanti conceptionis) *vt audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abij*; quasi diceret, sicut obediui, ita suadeo aliis obedientiam. *Aures perfecisti mihi* [a]. a Psal.39.9. Hebr.10.5.

Præsumere.] Græcè (*ἐνθυμηθῆναι, cogitare animo præcipere*, siue *præconcipere.*) Vnde enthymema, species argumentationis breuioris, quando *ἐν θυμῷ, in animo* retinetur altera propositio ex præmissis. Quocirca frustra laborant Enarratores in explicatione verbi *præsumendi*, varias eius notiones distinguendo, vt dicitur de nimia, vel moderata confidentia. Sicut vnam Dialectici propositionem vocant assumptionem, quæ post aliam sumitur, & est secunda; sic posset prima dici præsumptio. Dicit igitur Auctor sibi datum à Deo & eloqui, & quæ eloquatur, animo priùs complecti. q vers.10.
Lege caput 17.[b]

Digna horum quæ mihi dantur.] Græcè (*ἀξίως τῶν δεδομένων, vt his quæ ad dicendum dantur ac proponuntur, digna præmediter.*) Cãtacuzenus legit *λεγομένων*, & sic est in quibusdam libris: in emendatis *δεδομένων* in præterito. Hugo tamen perpendit non dici (*quæ data sunt*) sed (*quæ dantur*) vt notetur continuatio largitatis diuinæ. Sensus, quem dixi, simplicior meliórque, qui placuit etiam Osorio. Non hinc abhorrent Iansenius, Vatablus, & vetustiores Expositores, cùm intelligunt dignè datis, sicut dignum est donis suis, quemadmodum decet dona sua; vt pro eo, quod accepit gratiæ munere, atque sapientiæ, sapienter valeat de sapientia loqui; & quod Petrum [c] dixisse retuli [d], c 1.Ep.4.10. d vers.13.
sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrare, sicut boni dispensator multiformis gratiæ Dei.

Denique datum sibi ait dicere liberè ac planè, quemadmodum ipsius menti suggessit Deus; non solùm *κατὰ γνώμην, ex sua sententia*, & pro vt sentiat: item ita vt percipere possint alij, atque intelligere. *Sed in Ecclesia*, dicebat Paulus [e], *volo quinque verba* (id est, pauca) sensu meo loqui (*διὰ τοῦ νοός μου*, e 1.Cor.14.19.
quæ ipse, & qui me audiũt, intelligant; qui enim bene intelligit, faciliùs loquitur aptè ad aliorum intelligentiam captúmve) *quàm decem millia verborum* (id est, multa) *in lingua* (quæ non capiatur ab auditoribus.) Bernardus [f] locum illum Pauli paulo aliter legit; *Malo in Ecclesia quinque loqui verba sensu meo, quàm decem millia verborum sine intellectu.* f ep.vel tract. ad fratres de mõte Dei, circa medium.

Sapientiæ dux, & sapientum emendator.] Primum refert Hugo ad dictionem, secundum ad opus, ne in eo sit præsumptio: Lyranus & Carthusianus ad infusionem sapientiæ, similiúmque donorum, & ad rectum vsum eorum absque præsumptione præsertim. Vtrumque ad idem pertinet, significãs auctorem sapientiæ Deum esse, atque eiusdem conseruatorem, dirigendo, & corrigendo sapientes, ne errent, vel cùm errant: arguit, & castigat quos amat [g]; vt propitius vlciscitur in omnes adinuentiones (minùs bonas) iustorum [h]; perficit gressus eorum in semitis suis, vt non moueantur (ad malum) vestigia eorum [i]. g Apoc.3.19. Heb.12.6. Prou 3.10. h Ps.98.8. i Psal.16.5.

De nomine *ὁδηγὸς*, & *διορθωτὴς* plurima suo more coacetuat recens commentator [k], in id ipsum incurrens, quod meritò reprehendit in iis, qui cõfundendo notiones, commenta, vt ipse loquitur, imò & facit non rarò, pro commentariis dant: & imposuit Pinedæ [l], quasi restrinxerit emendatoris epithetum de Salomone ad eam emendationem, quæ fit à magistris Grammaticæ circa errores illius. Sic Pineda potest pro se ipso satisfacere crebris hominis illius redargutionibus. l Cerdanus. l 3 de reb. Salom c.11.1.c. 12 1.

Vers. 16.]

Vers. 16.] In manu enim illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientia & disciplina.

INculcat diuinum beneficium, sícque beneuolentiam, atque auctoritatem sibi magis conciliat, eo quòd modestè res tantas proponat, & se, ac quidquid sit, & calleat, loquẽdo, sapiendo, sciẽdo, transferat in Deum, *in quo viuimus, mouemur, sumus*[a], quíque omnia opera nostra operatur in nobis[b], habet flatum nostrum in manu sua[c], sine quo *non sumus sufficientes ne cogitare quidem, sed omnis sufficientia nostra ex ipso est*[d], *nemóque dicere potest, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*[e]. Quæ omnia, hísque similia, quamuis vera sint generaliter de omni quoque operatione cuiusuis causæ secundæ, vt sine concursu primæ non queat exerceri; multo tamen magis de operibus gratiæ, quæ speciali eiusdem ordinis egent auxilio, vt alias, quod attinet ad primum, contra Durandum, quod ad secundum spectat, demonstratum est contra Pelagium.

Trismegistus[f] Asclepium refutabat volentem thus Deo adolere, nimirum superstitiosè, quasi quidquã deesset ei, qui est omnia: iubebat potiùs agi gratias, vtpote summas gratissimásque incensiones, & ipsemet agebat eas cõceptis verbis pro sensu, quo Deus cognoscebatur, pro ratione, qua suspicionibus indagabatur, pro intelligẽtia, quòd ex Dei cognitione mortales lætabantur. Bernardus[g] laudatori suo respondet Ogerio, si quid fortè audisset ab ipso, quod illi prodesse posset, ipse gratias ageret Deo, *in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri*. De Augustino[h] antea retuli, Prædicatorem his ipsis verbis hortatũ ad deprecandum Deũ, vt exequi rectè munus possit, & vt sit priùs orator (Dei) quàm dictor; quoniam, vt quod oportet, & quemadmodum oportet, dicatur à nobis, non facit, nisi *in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri*. Solet hinc quoque gratiæ probari necessitas, vt à Prospero[i], siue Ambrosio[k].

In manu illius.] Trita phrasis est, de qua etiam capite tertio[l]. Acutè Olcot[m] in Dei manu pollici assignat puniendi potestatem: discernendi perspicacitatem indici: medio benignitatem differendi: pietatem miserendi medico: auriculari facilitatem exaudiendi; quæ sunt partes optimæ gubernationis.

Sermones nostri.] *Domini est gubernare linguam*[n]: *& linguas infantium facit disertas*[o]: & ipsa quoque persecutionis hora dat os, & quid loquamur[p]; quod etiam Esther dari sibi flagitabat[q], & Apostoli[r], & Dauid, vt labia ipsa Deus aperiret[s]. Pineda[t] per sermones, λόγους, intelligi vult sermocinales facultates Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ. Digreditur verò Triglottos[u] in explanationem variarum eiusdem Græci vocabuli notionum. Sed idem Pineda[x] copiosè demonstrat peritiam Salomonis in omni genere disciplinarum.

Omnis sapientia.] Græcè (φρόνησις) pro qua posuit antea[y] *sensum* Interpres. Quare minimè necessaria sapientiæ notio pro scientiis speculatiuis, & operum scientiæ disciplinæ pro practicis & factiuis, vt placet Olcot, & Carthusiano. Sed φρόνησις potiùs prudentiam denotat; operum verò scientiæ disciplina, ἐργατειῶν ἐπιστήμη, est *opificiorum scientia*.

Operum scientia, & disciplina.] Complutenses,

a Act. 17. 28.
b Esa. 26. 12.
c Dan. 5. 23.
d 2. Cor. 3. 6.
e 1. Cor. 12. 3.
f in Asclepio, sub finem
g epist. 87.
h 4. de doct. Christ. c. 15.
i 1. de vocat. Gentiũ c. 24.
k c. 9.
l vers. 1.
m lect. 97.
n Prou 16. 1.
o Sap. 10. 21.
p Mat. 10. 19. Luc. 21. 15.
q c. 14. 13.
r Act. 4. 19.
s Ps 50. 11.
t 3. de reb. Salom. c. 12. 1.
u Ceruantes.
x suprà vsque ad c. 27.
y vers 7.

A Regij, & alij libri (*operum scientiæ disciplina.*) Iam dixi quid hæc sibi velint. In libro de vocatione Gentium citato legitur (*& omnis sapientia, & operum scientia, & disciplina.*) Indicat Auctor sibi communicatam artium quoque peritiam à sapientia, quam paulo pòst vocat πάντων τεχνῖτιν, *omnium artificem*. Est τέχνη ars, & ἐργατεία, quod nomẽ habetur in isto versu (nec alibi quod sciam) opificium, vel opus rusticum, atque cuiuslibet etiam artis, vel industriæ. Credibile est Salomoni cum aliis habitibus scientificis infusas artes, & ex magna illa peritia, quam habebat, templi, & tot ac tantorum, támque illustrium aliorum ædificiorum formam, quæ multis eguit artibus, architectatum esse[a].

B Decent artes Regem, non quas quidem exerceat ipse, sed quarum rationem teneat, vt Reipublicæ possit consulere. Et verò non paucos legimus tum sciuisse, tum etiam factitasse, vt Ptolemæum Philadelphum[b], vt Demetrium Poliorcetem[c], cui cognomen hoc à fabricandis machinis bellicis; vt Neronem[d], vt Valentinianum[e], vt Catonem, cui Liuius[f] nullam scribit artem defuisse neque priuatæ, neque publicæ rei gerendę. Mathematicas disciplinas, ciuilem scientiam, & oratoriam, historiæ notitiam, architecturæ facultatem, venandi, ac digladiandi vsum, saltandi, natandi, nauigandi, & gymnasticas huiusmodi alias

C facultates præter cæteras comparare conuenit.

Vers. 17.] Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum.

DIstinctè percensetur quibus in rebus versaretur sapientia, quam Auctor acceperat à Deo; qui propterea creditur Salomon, quòd cum constet singulari horum omnium scientia præditum[g]. Nempe didicisse se dicit, mundus qua ra-

D tione sit conditus, quid sit, quorsum factus: de elementis, quantis polleant viribus. Exempli causâ, vt Cantacuzenus notat, cur ignis alia quidem animalia comburat, ac deleat, alia apud se viua conseruet, procreet, augeat, educet: vbi aqua sedem immotam habeat, vbi facilè mobilem: de aquatilibus animalibus, atque amphiuiis, & de rebus aliis intra aquas genitis: quare magni ponderis res sustineant aquæ, ac subleuent, leuiores demergant: & ita deinceps de aëre, déq; terra, licèt hanc putet Carthusianus intelligi *orbis terrarũ* nomine; sed κόσμος non vnam dicit terram, verùm vniuersitatem rerum creatarum. Qua de causa nec orbis terrarum, vt voluit Bonauentura, solùm significat cœli ambientis mundum.

E *Horum quæ sunt, scientiam.*] Colligit Bonauentura scientiam solùm esse propriè de rebus existentibus, hoc est, realibus. Docet id non semel Aristoteles[h]. At *scientiæ* vox non pressè hîc sumitur: ideóque nec licet hinc argumentari, Theologiam propriè scientiam esse, vt Canus[i] facit: quamuis non desit ei illa conditio, vt sit de obiecto reali, præterquàm quòd habetur hîc sermo de scientia rerum merè naturalium, licèt per accidens infundi possit. Omnium rerum naturaliũ species existimo scientiã infusã Salomoni, & carũ rerũ indiuidua, quę in sua specie nõ multiplicantur, vt cœlorũ, astrorũ, phœnicis; non autẽ eorum,

a 3. Reg. 5. & seq. multis, & Ioseph. 8. Antiq. c. 6.
b Ioseph. 12. Antiq. c. 2.
c Plutarc. in vita.
d Suet. in vita.
e Cuspinianus.
f lib. 33. 34. 39.
g 3. Reg. 3. 29 & seq.
h 2. Metaph. text. 4. 1. Post. tex. 10.
i 12. de locis c. 2.

quę non pertinebant ad ipsũ, nec ad alios instruẽdos necessaria erant, nec illorum, quæ vsu ipso experientiáque colligere poterat. Sic Aquinas [a] ferè de Christi scientia philosophatur,

a 3.p.q.9.4.a.3.

Veram.] In ea, quã per se dat, vel infundit Deus, abest periculũ falsitatis, vt Carthusianus notat; cui quæ acquiritur, obnoxia est: quamuis tũc verè scientia non sit, cùm nonnisi ex veris efficiatur, & ex veris vera duntaxat sequantur. Præstigię quoque & sola scientiæ apparentia excluduntur; & quas appellat Apostolus [b] *oppositiones falsi nominis scientiæ*; vel, vt Ambros. [c] legit, *oppositiones fallaces nominis scientiæ*, id est, quæ nomen tantùm scientiæ vsurpant, quales cauilli sophistarum, vt obseruat Bruno [d], & B. Thomas [e]; quam idem Paulus [f] Philosophiam nominat inanem fallaciam.

b 1. Timot. 6. 20.
c ibid.
d ibid.
e ibid.
f Coloss. 2. 8.

Dispositiones orbis terrarũ.] Græcè (σύστασιν κόσμου, *compositionem, constitutionem ex partibus suis, & secundùm variam collocationem*, &c.) Ambrosius [g] legit *compositionem*: Origenes [h] *rationem*.

g lib. de fide resurrect.
h hom. 21. in Lucam.

Et virtutes elementorum.] Græcè (ἐνέργειαν, *vim, efficaciam, vim operatricem*, &c.) Origenes [i] (*opera.*) Non est ista de elementis mundi cognitio, per quam inanes, fallacésque Philosophos decepisse monebat idem Paulus [k]. Quamquam ille per elementa mundi intelligit, quæ aliter vocamus rudimenta: perinde vt cùm dicuntur elementa literarum; & eadem vox vsurpatur de primis initiis cuiusque scientiæ. Idem vocabulum *elementorum mundi* extat in Epistola ad Galatas [l], partim pro creaturis, quas superstitiosè colerent; partim pro sacramentis & ceremoniis legis: atq; in ea quæ est ad Hebræos [m] pro principiis Christianæ fidei, vbi absque nomine *mundi* vocantur *elementa exordij sermonum Dei.*

i ibid.
k Coloss. 2. 8.
l c. 4. 3. 9.
m c. 5. 12.

Admirabilem porrò elementorum energiam, harmoniam, compositionem ad numerũ, & proportionem Physiologi tradunt; cœlúmque adiungi potest, cui *elementi* etiam vocabulum nonnunquam tribuitur. Redibit hac de re sermo in capite vltimo [n], vbi elegantissimè describitur iste concentus, vt dum *in se conuertuntur elementa, sicut in organo qualitatis sonus immutetur, & omnia suum sonum custodiant.*

n vers. 17.

Vers. 18.] Initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum.

Difficillimam temporis Augustino [o] visam cognitionem, testis ipsemet est, suam hac de re Deo confitens ignorantiam: cui annexa est rerum in eodem tempore tam vario vicissitudo, atque commutatio.

o 11. confess. c. 14.

Medietatem temporum.] Græcè (χρόνων.) Ambros. [p] legit (*omnium rerum*) Origenes [q] (*seculorum.*) Possunt μετωνυμικῶς sub temporibus res intelligi temporales, quarum cognita habuerit initia, progressus, exitus. [Non tamen quãdo desinat omnino tempus, cœlíve motus, à quo pendet, nouit, inquit Carthusianus: nam Iudicij dies ignoratur [r], nec est cuiusquam *nosse tempora, vel momenta; quæ Pater posuit in sua potestate* [f].]

p 2. de Abraham. c. 7. & de Salomone. c. 2.
q hom. 21. in Lucam.
r Mat. 24. 36. Marc. 13. 32.
f Act. 1. 7.

Vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum.] Codices aliqui Latini habent, necnõ Carthusianus; & meminit Bonauentura (*vicissitudinem, permutationes, & consummationes temporũ, & morũ mu*- A *tationes, diuisiones temporum.*) Ambrosius [a] legit vno loco (*& diuisiones temporum*) in alio [b] (*diuisiones temporum*) vbi tamen inter exponendum addit simul (*mutationes:*) in tertio [c] citans præcedentem versũ, & sequentem, præterit istum. Origenes [d] (*temporũ varietates, & translationes mensium.*) Græcus textus sic habet (τροπῶν ἀλλαγὰς, ϗ μεταβολὰς καιρῶν.) Vbi qui in Bibliis Complutensibus, ac Regiis verbatim Græca, in quibus habetur τρόπων, Latinè vertit, non rectè sanè posuit (*morum mutationes:*) τρόποι enim sunt mores, at nõ τροποὶ, vel τροπαὶ, cuius alterius genitiuus pluralis τροπῶν in emendatis libris est, non verò τρόπων, quod in aliis: ideóque à nomine τροπαὶ *mutationes* potiùs oportuit reddere, nec mores ad rem nũc faciunt. Vatablus interpretatur B solstitiorum vicissitudines, quod valent τροπαὶ, quãdo nẽpe conuertitur Sol, & aut à Meridie in Septentrionẽ reflectit cursum, aut à Septentrione in Meridiem. Eadẽ est opinio Clarij, imò & Cantacuzeni, qui disertè meminit de solstitio æstiuo à Septentrionalibus plagis ad Australes, & de hyberno ab Austro ad Aquilonem. [Nec facta, inquit, est maior vnquam adhuc in illo progressio, nec in hoc reuersio minor: sed eodem semper modo conficiuntur, siue ad Boream Sol ascendat, siue demitti videatur ad Austrum.] Fauet nonnihil Ambrosius [e]. Addi potest cum Bonauentura vicissitudo dierum & noctium. De varia autem præsentis loci lectione consulendi C Iansenius, & Lucas Brugensis.

a 2. de Abraham. c. 7.
b de Salom. c. 1.
c de fide resurrect.
d supra.
e de Salomo. c. 2.

Commutationes temporum.] Græcè (μεταβολὰς καιρῶν.) Iam dixi de lectione Origenis (*translationes mensium.*) Καιρὸς quid significet, alibi [f] exposui: inter alia est tẽpestiuitas. Idem Cãtacuzenus intelligit anni tempestates, veris, æstatis, autũni, hyemis, in quibus qua ratione fiat ex vna processus, transitúsve ad aliam, difficilè percipiatur: tũ prætereà quando præter morem æstate, verbi gratiâ, cernũtur hybernæ tempestates, contrà æstus hyeme, &c. Confudit Eremita hoc loco χρόνον cũ nomine καιρὸς, quod hîc est. Apud Ciceronem [g] verò legimus vicissitudinem dierũ & noctiũ, commutationésque temporum quadripartitas ad maturitatem D frugũ, & ad temperationem corporũ aptas. Experimur quàm sint fallacia Coniectorum iudicia, qui lunaria, almanacos, tacuinos, prognostica, vel si quo alio nomine vocantur, cudũt. Attamen peritiores Physiologi, & Astrologi minùs aberrant, ac in quibusdã etiam rebus, vt eclipsibus, certò demõstrant, & se cõtinent intra merè naturalia effecta, nihil iudicantes de liberis, quod sine manifesto errore, atque periculo fieri nequit: & ne fiat, Ecclesiasticis decretis seuerè cautum est; qua de re aliàs, ac de legibus etiam Gentilium, quarum vna apud Alexandrinos de tributo quod dicebatur βλακεννόμιον, Suida teste, E ídque pendebant Astrologi, eo quòd à stultis ac stupidis consulerentur.

f Act. 14.
g Tuscu. 1.

Cùm autem dicuntur facta luminaria, quæ *sint in signa, & tempora, & dies, & annos* [h], multis exponitur modis, vel de opportunitate rerũ generandarũ, vt in medicina, agricultura, nautica: vel de prognosticis prouentuũ, pestilentiæ, & similium effectuum: vel de statis ad festa diebus: vel de distinctione tẽporis in horas, aliásve partes; quibus modis Astrologiam vtilem docẽt Patres, præsertim Basilius [i], & Augustinus [k], & Philo [l], & S. Thomas [m], & alij plurimi. De Salomonis porrò in istis peritia, sub *Astronomiæ* nomine, seu *scientiæ omnium orientalium*, consule Pinedam [n] nostrum.

h Gen. 1. 14. Ps. 135. 7.
i hom. 6. hexam.
k 2 Genes. ad lit. c. 14.
l de mundi opificio.
m 1. p. q. 70. art. 2.
n 3. de reb. Salom. c. 18.

Vers. 19.]

Vers. 19.] Anni cursus, & stellarum dispositiones.

PAulo aliter in correctis Bibliis versus istius, & prioris dissectio facta est.

Anni cursus.] Græcè (*ἐνιαυτῦ κύκλυς, anni circulos.*) Aliqui sunt annui, quidam mẽstrui, alij aliis modis contingunt, pluribúsque, aut paucioribus annis conficiuntur, & est quem nominant annum magnum, de quo aliàs[a]. Ordinarius autem annus distinguitur in menses duodecim, & præcipuas illas quatuor tẽpestates, quas antea recensuimus.

Stellarum dispositiones.] Vel situs, *θέσεις*. Nã quædã celsiores, aliæ humiliores, aliæ intermediæ; & vel Australes, vel Boreales, vel Oriẽtales, vel Occidentales. Infamis natio Genethliacorum, Planetariorum, Iudiciariorum exosam reddit Astrologiam; quæ tamen, vt prædixi, dum naturales solas rimatur causas, laudabilis est, ac humanę vitę suauis & cõmoda, vt summus docet Philosophus[b]. Lege præfationem Clauij nostri in Sphæram. Summa verò sanè laus Auctoris nostri, quòd rem longè difficillimam diuinitùs cognouerit, quo stellæ numero sint: vt moueantur: quam figuram habeant: quam magnitudinem, iuxta sex differẽtias ab Astrologis assignatas: cur nunc maiores pluresque, nunc pauciores ac minores appareant: quid sit longitudo ac latitudo earum: quem locũ obtineant, & in quo signo gradúque zodiaci, ac eclipticæ: quales earum orbes, quique epicycli, quique vocantur excentrici: quomodo declinationes illarum deprehendantur: quare stellæ fixæ, atque planetæ supra Solem nõ patiantur eclipsim ob interiectam terram: quæ nunquam oriãtur, nunquámque occidant: quæ semper appareant, aut semper lateant in qualibet regione: quid sibi velit descensio, & ascensio, vel etiam horoscopus: quid oriri cosmicè, chronicè, heliacè: quam habeant singulæ propriam naturam: quam vim in hæc inferiora: qui sint aspectus illarum inter se, coniunctiones seu constellationes: alia demum plura, quæ ad theoriam spectant, paucis admodum, nec nisi longum post laborem, tempúsque, ac leuiter quidem cognita, quantauis vtantur diligentia, & quemcumque astrolabiorum, tabularum, & aliorum instrumentorum mathematicorum vsum habeant. Testis adhibeatur idem Salomon, de se ipso non vt diuinitùs edocto loquens, sed tanquam de homine ex numero cæterorum. *Et difficile*, inquit[c], *æstimamus, quæ in terra sunt; & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit?* Basilius[d] de hisce ipsis difficultatibus agens contra vanos Astrologos disserit, & Origenes[e], & Ambrosius[f], & Augustinus[g], & Gregorius[h], qui maximè vrgent quàm sit difficile, imò impossibile stellarum exactè scire situm (vocant Astrologi domos illarum) motum, aspectum, gradus, minuta. Philo[i], allatis de stellarum natura variis opinionibus, concludit, quæ de illis, cœlísque circumferuntur incerta, incomprehensibiliaque, coniecturis verisimilibus magis, quàm certis verísque rationibus niti, vt iurare fas sit, neminem mortalem posse vnquam quicquam horum rectè percipere.

*

a Eccle. 1. 9.
b Arist. 1. de parti. animal. c. 5.
c Sap. 9. 16.
d hom. 6. in hexam.
e apud Eusebium 6. de præpar. c 9.
f 4. hexa. c. 4.
g 5. de ciuit. c. 1.
h hom. 10. in Euangelia.
i de somniis.

A *Vers.* 20.] Naturas animalium, & iras bestiarum: vim ventorum, & cogitationes hominum: differentias virgultorum, & virtutes radicum.

IN his exspatiatur vniuersa Physiologia, suntque infinita de varia ista materia edita volumina; & incredibilis quædam promanat ex earũ scientia voluptas, vt optimus testis est, ex proprio loquens experimento Aristoteles[a], vtens etiam argumento minorum maiorúmque, quòd vel sola talium rerum effigiatio afferat singularem delectationem; & quòd nil adeò vile sit, in quo nõ mirandum aliquid ac diuinum inditum videatur. B Ille ipse Aristoteles quinquaginta de his edidit Regio incredibili sumptu[b] volumina, ita vt appellarentur *πολυτάλαντα βιβλία* (Athenæus[c] numerat octingẽta talenta, id est, 480. millia aureorum,) & inter Latinos Plinius, vt omittã Oppianum, Ælianum, Plutarchum, quos hoc nomine summis affecère beneficiis Vespasianus, Antoninus, Adrianus cum Nerua, & Traianus. Sed plusquàm isti Salomon, qui quæ infusa teneret scientia, infinitis, quibus pollebat, opibus poterat experiri. Ipsum prodit Regum historia[d] disputasse super lignis, à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, & disseruisse de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & pisci- C bus. Recentiorum his de rebus vtiles extant doctæque elucubrationes: at studio & eruditione nemini cedit Vlysses Aldrouandus, cuius plurimos alios edi, quos paratos reliquit libros, peroptat, qui ab ipso editos de insectis & de auibus degustauit.

Naturas animalium.] Nec solas eorum generationes intelligit, vt Olcot[e]: nec de mitibus duntaxat loquitur, vt ait Bonauẽtura; sed vniuersè de omnium essentia & proprietatibus; & Græca vox *φύσις* non generationem vnam, sed naturam significat. In paucis libris Salomonis qui extant, mentio inseritur de nonnullis animalibus accommodatè ad mores, vt leone, vrso, lepore, locusta, ape, musca, vulpe, cane, stellione, serpente, seu colubro, formica, ceruo, caprea, oue, hœdo, D agno, gallo, columba, &c. Non ignoti fuerũt Angeli Salomoni: sed nego Augustinianum[f] rectè id colligere ex nomine *animalium*; licèt id vtcúnque de Angelis nonnunquam intelligi queat apud Ezechielem[g], & in Apocalypsi[h], necnon in Psalmo 67.[i] illis verbis, *animalia tua habitabunt in ea*, vt notauimus in eiusdem Psalmi commentario.

Iras bestiarum.] Græcè (*θυμὺς θηρίων, furores, & ferocias ferarum.*) Sic meliùs, quàm *affectus*, vt etiam Vatablus exponit. Cãtacuzenus, & alij de cicuratione interpretãtur. Non memini *θυμὸν* sumi pro affectu, sed pro animo, vel anima, mẽte, ira. Sapiẽ- E tiæ non leue argumentũ feras cicurare, & excantare; sicut absque dubio in Adam fuit, quãdo singulis animantibus imposuit nomina[k]; & in Noë, quando intulit in Arcam[l], allata videlicet ab Angelis. Plato[m] terrestria animalia bifariam distinguit, in fera, & mansueta: addit Aristoteles[n] quæ ad vtrumque horum ita flexibili sunt ingenio, vt & efferari, & facilè cicurari possint.

Post peccatum primi parentis vsus dominij in animalia omnia, qualis priùs erat, sublatus est, ac non nisi priuilegio concessus eximiè sanctis viris, vt Francisco, Antonio Abbati, & Patauino, Bedæ, atque similibus. Super est nihilominus in quibusdam nonnulla cicurandi peritia.

a 1. de partib. animal. c. 5.
b Plin. libr. 8 c 16.
c lib. 9.
d 3. Reg. 4. 33
e lect. 98.
f Ceruantes.
g c 1. & 10.
h c. 4.
i vers. 11.
k Gen. 2. 20.
l infrà 7. 14. 15. 16.
m in Politic.
n 1. de historia animaliũ c. 1.

De aſpide Scripturæ meminerunt[a]: Plinius [b] elephantum hauſto hordei ſucco ſcribit celerrimè mitificari. Huc referre poſſemus qui credatur primi eicuratores, & domitores animaliū, quis equis frenos immiſerit, & illos inſeēderit, quis leones domuerit, vrſos, ceruos, ſerpētes, & alia[c]. Pſyllos, Marſios, Ophiogenas, & ſimiles omitto, qui propter neſcio quā antipathiam venenatas & diras alias beſtias manſuefaciant, atque veneni noxā vitent, tolläntve, quod attribuit Manilius [d] impreſſioni per ſydera. Aliàs expoſui olere id potiùs pactum conuentum cum dæmone. Ad ſpectaculum proferebātur cicuratæ belluæ, de quibus Martialis [e] ita concludit;

Quis ſpectacula non putet Deorum?

Multa tota de re Plinius [f], Ælianus [g], Seneca [h], Philoſtratus [i]. Hoc eliciamus morale Senecæ documentum: [Sic ſapiens eſt artifex domandi mala. Dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exilium, & cætera horrenda, cùm ad hunc peruenere, manſueta ſunt.]

Vim ventorū.] Græcè (πνευμάτων βίας, *ſpirituum*, ſiue *ventorum violentias & impetus*) quales in typhonibus, procellis, quæ dicuntur ecnephiæ, argitæ, &c. Superiùs [k] mentio fuit ἐκ πνεύματος δυνάμεως, καὶ λαίλαπος, *de ſpiritu aut vento virtutis & turbine venti*. Non eſt qui non ſit hoc aliquo expertus modo; ſed multo magis liberi Iob oppreſſi ruina domus vento diſiectæ [l]: & hunc impetum venti rectè Chriſtus [m] expreſſit loquens parabolicè de ruina domus ſpiritualis; licèt illum alium, non verum ventum, ſed dæmonem Origenes, atque Chryſoſtomus, aliique Græci [n] velint fuiſſe, necnon Hieronymus [o]. At πνευμάτων βίας, *vim ventorum*, de Angelis interpretatio prorſus aliena eſt, quæ profeſſori placet Hiſpalenſi [*]; quāuis πνεύματα dici poſſint de Angelis, & hi comparentur cum ventis.

De ventorum commodis meminimus alibi, ad pluuias, ſerenitatem, frugum maturitatem, nauigationem, aëris purgationem, & alia. Nec de his tamen Auctor vtilitatibus nūc loqui voluit, βίας nominans, quæ potiùs detrimenta indicant: & vis non ſolùm virtus eſt, vt ſumpſit Bonauentura, & Olcot [p], ſed etiam impetus violentus. Niſi *ventos* Interpres vertiſſet, ſuſpicari liceret locutum Auctorem de furore dæmonum, qui ſunt mali ſpiritus; & Origenes [q] ipſiúſve tralator fauet, *ſpirituum violentias* reddens: tum præterea quòd ſtatim ſubiiciatur mentio de cogitationibus hominum; & Salomon de exorciſmis libros edidiſſe ſcribatur aduersùs vexatores hominū dæmonas.

Cogitationes hominum.] Græcè (διαλογισμὸς.) Nec ipſi Angeli has cognoſcūt, ac ne naturaliter quidem poſſunt, vt plures putant; nec eſt probabile talem ſcientiam Salomoni eſſe infuſam. Intelligit ergo de coniecturali notitia per ſigna & effecta. Quo modo dici ſolet, quòd optimus vates eſt, qui optimè coniectat; & *quo modo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus* [r]; & *ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus* [ſ]: & Phyſiognomi, Medici, Iuriſconſulti non abſurdè iudicant ex delineatione temperamentóque corporis, quam appellant μετωποσκοπίαν, & χειρομαντίαν. Scripſit Delrius [t] noſter poſt Michaëlem [u] Medinam, Côradum Vvimpinam [x], Franciſcum [y] Valleſium, Franciſcum Georgium [z], & alios, necnō Pineda [a] de arte iſta coniecturali. Fundamenta prima artis eſſe ſolent ex quadam cum cæteris animalibus comparatione: vel ex moribus aliarum gentium; vel ex collatione ſexus cum ſexu: vel ex motu membrorum, & affectionibus corporis: vel ex compoſitione ſigni cum ſigno, vt paſſionis cum paſſione. Simia paruos habens oculos inuida eſt; ergo, inquiunt Coniectores iſti, etiam homo, cui oculi parui, inuidus: Æthiops pertinax & ſtupidus; talis igitur quiſquis nimiū fuſcus eſt: mulier mollem & candidam vt plurimum cutim habet, eſtque pauida & leuis; proinde vir eiuſmodi, qui candidus ac mollis: iratus fixis & immotis intuetur oculis; ideo nō nictantes oculi ſunt, vt Hippocrates dixit, iracundi. Eſt quis inuidus, itaque iracundus, triſtiſque. Huius ſcientiæ in Salomone leges non vno tantùm loco exempla [a], aut in libris qui ex eius doctrina conflati [b] ſunt; prætereà in nōnullis aliis libris ſacris [c]. Chiromantia fallacior, imo falſa, meritóq; dānata, ſi ſit aſtrologica, non merè phyſica, decreto Sixti V. quod ſimul tulit contra Chiromanticos, & Aſtrologos. Nam de phyſica bonus auctor Ariſtoteles, cuius liber eſt etiam de phyſiognomia, in problematis [d], & animalium [e] hiſtoria tradidit.

Poſtremò adiici hoc poteſt coniectatio ex ſōniis, Græcè ὀνειροπολία, de qua, quos dixi, Côradus Vvimpina [f], Delrius [g], Pererius [h] quoque, præter cæteros, nóſque ipſi nōnihil in Actibus [i], & ex Theologis ſanctus Thomas [k], & Antoninus [l]. Ex Salomonis doctrina [m] iubemur negligere vanitatem ſomniorū. Reuocandū item ad hoc caput videtur ſolers iudicium Salomonis de meretricibus [n], vt rem adeò tectam ac improbabilē erueret, & in lucem arcanas cogitationes, occultúmque crimen proferret: illud item aliud de Adonia poſtulante ſibi vxorē Abiſag [o], & nōnulla ſimilia.

Differentias virgultorum, & virtutes radicum.] De his diſputaſſe Salomonem iam antè retuli. Conſtat in hac ſcientia quantum inſit iucunditatis, & vtilitatis; ita vt hæc vna primo parenti data occupatio ſit in innocentiæ ſtatu, vt operaretur, & cuſtodiret Paradiſum [p]: qua itē de re dixi exponēs Eccleſiaſten [q], dicénſque claros viros, ac ſummos etiam Imperatores degrauandi ſenilis faſtidij cauſà, vel inſignis mitigandæ triſtitiæ, culturam terræ vſurpauiſſe, vt Cyrum [r], vt Diocletianum, vt qui ad centeſimum peruenit annum, M. Valerium Coruinum.

Quid referam ῥιζοτόμους, & βοτανολόγους, cæteróſque rei herbariæ, & plantariæ, & hortēſis ſcriptores & ſtudioſos [ſ]: quid infinitam hiſtoriam arborum, fruticū, ſubfruticum, herbarum, frondiū, ſeu foliorum, florum, fructuum, ſeminum, radicū, lignorum, caudicum? Hippocrates [t] ita Cratenæ ſcribit herbario: [At verò rem herbariam apud te ſæpe admiratus ſum, quemadmodū etiam & vniuerſorū naturā, ac conſtitutionem, & τὸ πρώτατον γῆς ἵδρυμα, *ſacerrimū terræ fundamentum*, ex qua animalia, & plantæ, & alimenta, & medicamenta, & fortuna, & ipſæ diuitiæ exoriūtur.] Rurſus Medicorum princeps [u] ſibi videri tradit omnes initio plantas ſylueſtres fuiſſe; verū homines ipſas māſuefeciſſe, ac effeciſſe vt fructū ferret vnaquęque iuxta ſuū ſemen. Vt eximium Dei munus hoc agnouerunt veteres illi, qui eius in Deos inuentionē retulerunt, vt Plinius [x] teſtatur, ac probat etiā.

Verſ. 12. [Et quæcumque ſunt abſconſa, & improuiſa didici; omnium enim artifex docuit me ſapientia.

Verſ. 21.]

a Pſ.57.5. Eccli.12.13.
b lib.8.c.7.
c Theatrum vitæ humanæ volu.20. lib.2. pag.3655. & ſeq.
d lib.4. & 5.
e lib.1. epigram.105.
f lib.36.c.11. lib.29.c.4. & 6. lib.36.c.11.
lib.8.c.41.
g lib.1. de natura animal. c.38. lib.2. c.11 & 35.
h epiſt.85.
i lib.7.
k c.5.24.
l Iob.1.19.
m Mat.7.25. 27.
n catena in Iob.
o in c.13. Oſeæ.
* Cerrantes.
p lect.98.
q hom.31. in Lucam.
r Pro.27.19.
ſ Eccli 19.26.
t 4. diſquiſit. magic. c.3.q. 3. & 5.
u 2. parænef. Chriſt. c.2.
x de ſignis. c. 8.9.10.11.12.
y de ſacra Philoſophia. c.32.
z in harm. cant 1. tono 6.c.4.
a in c.17. Iob. verſ.7.

a Prou.6.12. c.17.24.
b Eccli.8.1. c. 13.31.
c 1.Paral.12.8. Eſa.3.9.
d ſect.10. problem.48.
e lib.1. c.15.
f lib. de diuinat. c.14 & de inſomniis.
g 4. diſquiſ. magica. c.3. q. 6.
h 2 de magia. 1. c.3. vers.17.
k 2.2. q.95. a.6.
l 2. p. tit.12. c.3. §.7.
m Eccle.5.2. 6. Eccli.34.1. & ſeq.
n 3. Reg. 3.16. & ſeq.
o 3. Reg. 2.21. & ſeq.
p Gen.2.15.
q c.2.4.5.
r Xenoph. in œcono. Cic. de Senect.
ſ Theatr. vitæ hum. volu.5. Marſilio lib. 1.3. pa. 1321. in epiſt. nuncupat. Plin. lib.25. c.1. & 2.
t ep. ad Crateuam.
u libr. 4. de morbis lōgè ante med.
x lib.5. c.1.

PEnè incredibilis eſt hæc loquendi ratio, ait Cantacuzenus, nullam enim dicit ſe rerum cauſam ignoraſſe, ſiue obſcura eſſet, ſiue perſpicua: ſed ne cui videatur vel elatus, vel aliunde collegiſſe tantam ſcientiam, diuinæ ſapientiæ aſcribere, à qua ſupplex petiiſſet, ceu ab omnium opifice.

Quæcumque ſunt abſconſa.] Græcè (κρυπτὰ) vt quas appellant virtutes occultas, qualis eſt magnetis, vt notat Lyranus: & generaliter quæ paucis admodum cognita; quot ſanè innumerabilia in lapidibus, metalliſque, & foſſilibus rebus. Quamquam magnetis mirabilem vim Salomoni perſpectã audet Anglus Medicus negare Gulielmus [a] Gilbertus, nimis & ſuperciliosè cunctos deſpiciens, & glorioſè ſuſpici volens, paradoxa [B] quædam exſuſcitans & abſona, vt moueri circulariter terram [b], ſpatióque vigintiquatuor horarum totam circumferri. Nec quidquam efficit ea ratione, quòd Phœnices Iudææ contermini, nauigandi peritiſſimi, & à Salomone ad fabricandas naues, atque ad nauigationes ipſas adhibiri, vſum habuiſſent magnetis, hæcque tanti momẽti ſciẽtia vulgata, & per manus tradita cæteris nationibus eſſet, & hucuſque perſeueraſſet. Nam plurimarum aliarum obſcuriſſimarum, nobiliſſimarúmque notitiam rerum periiſſe, dubitare nemo poteſt. Fateor fatendam nobis quarundam rerum ignorantiam, & ad arcanas confugiendum qualitates, vbi nulla ſuppetit idonea cauſa, quam aſſignemus: at non eſt abutendum paſſim hoc aſylo [C] his, qui laborare in peruestigatione cauſarum nolunt. Conſule quæ de magnete diſſerunt Conimbricenſes noſtri [c], & Pineda [d], qui longè poſt me hac de re ſcripſit, ſed copioſiùs, probans acus magneticæ vſum peruetuſtum, & Salomoni non incognitum, vt ante illum quoque ſenſerat Leuinus [e] Lemnius, quem citat, cum Gyraldo [f], Caleagnino [g], Stephano [h], Ioanne Baptiſta Pio [i], Stuckio [k], Lambino [l], Alciato [m], Goropio [n]. Negat tamen Pineda ſatis ex Plauto colligi, nominante in naui verſoriam. Vtcumque ratio ſimilis de ſuccino, remora, & pluribus aliis, quorum abdita & occulta cauſa.

Improuiſa.] Sic Ambroſius [o] quoque, licèt Græcè [D] legatur (ἐμφανῆ, *perſpicua*) ſicut etiam interpretatus eſt Cantacuzenus. Aut (ἀφανῆ) legendum; aut, ne magnum quid videatur perſpicua cognoſcere, per (ἐμφανῆ) intelligemus ea, quæ incidunt ſubitò, & ex improuiſo in oculos, quorum tamen obſcuræ ac ignotæ cauſæ: per abſconſa, quæ ab oculis ipſis remota, vt pretioſiora nonnulla. Nam *& difficile*, inquit idem Auctor noſter [p], *æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore*, τὰ ἐπὶ γῆς, καὶ τὰ ἐν χερσὶν, *quæ in terra, & quæ in manibus.* Vatablus, Clarius, Oſorius, & Ianſenius vertunt (*manifeſta, & aperta.*) Sed non licet ab editione noſtra recedere. Hugo improuiſa ſumit de his, quorum neceſſaria reuelatio: item Carthuſianus, quæ tanquam ſubitò, inquit, & [E] impræmeditatè eueniunt: Bonauentura, vt ſynonymum prioris nominis, *abſconſa*, nimirum reſpectu cæterorum hominum, qui talia ſolent ignorare.

Omnium artifex docuit me ſapientia.] Per ſapientiam facta ſunt omnia, vt fuſe liber Eccleſiaſtici [q] explicat, & Prouerbiorum [r]; & capite nono [ſ] præſentis libri ait de illa, Deum alloquens Auctor; *& tecum ſapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc, cum orbem terrarum faceres*: & in Pſalmo [t] ca- [A] nunt; *omnia in ſapientia feciſti*: & iterum in Prouerbiis [a]; *Dominus ſapienter fundauit terram*: & Apoſtolus [b]; *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent*: & omnia per verbum facta ſunt [c]. Operatur Deus cuncta ſapienter, & per intellectum, atque more artificis per ideas & ſcientiam; vt idcirco vocetur ſapientia artifex, τεχνίτης.

An verò ſcientia Dei ſit immediatè cauſa efficiens, ſicut potentia ſecundùm noſtrum concipiendi modum, quem formamus inadæquatè de diuinis perfectionibus, diſputant Theologi. Nec improbabilem iudico Durandi [d] ſententiam, quę id de illa negat, necnon de voluntate. Nam productio rerum, quas Deus ſcit & vult, non cogita- [B] tur à nobis conceptu formaliter ſignificato nominibus ſcientiæ, aut voluntatis, quæ tribuimus Deo; ſed quãdo concipimus vſum, & exercitium potentiæ diuinæ. Quocirca ſecundùm cõceptum noſtrum ſcientia diuina formaliter eſt cauſa directiua rerum duntaxat; quemadmodum voluntas eſt cauſa inducens, & veluti applicans Deum ad res producendas: immediata verò cauſa effectiua eſt ſola potentia. Lege Ambroſium [e], Auguſtinum [f], Gregorium [g], Nyſſenum [h], Thomam [i]. Vltimus vtitur argumento petito ex artifice, cuius ſcientia eſt cauſa rerum, quæ per artem fiunt. Idem Doctor [k] diſſerit de ideis, pro vt in Deo tanquam in artifice concipiuntur, quæ eſt ipſamet eſſentia diuina, vt à Deo cognita, velut [C] id, ad cuius imitationem, atque ſimilitudinem quandam res producantur, & in quo res eædem ſicut in ſui quodam exemplari eminenti cognoſcantur à Deo.

Nomen *ideæ* primus vſurpauit Plato, teſte Auguſtino [l], quæcumque fuerit de re ipſa Platonis opinio, de qua in Philoſophicis noſtris. Auguſtinus [m] in Deo pro eodem ponit ideam, & artem. Seneca [n] naturam, & vſum eius in artificiis explicat, aítque [o] hoc eſſe, ad quod reſpiciẽs artifex, id quod deſtinabat, efficit, ſiue foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, ſiue intus, quod ſibi ipſi conceperit, & poſuerit.

Porrò quemadmodum perſonæ ſecundæ Trinitatis attribuitur eſſe verbum, & ſapientiam, ſic [D] & eſſe ideã. Nam quia quodlibet opus Dei ſummi artificis imitatur, non rem obiectiuè præſentem in intellectu diuino, quoniam hæc eſt ipſamet creatura tali modo cognita, quo re ipſa futura eſt, nec idem imitatur ſeipſum; & propterea non res obiectiuè præſens Deo idea cenſetur creaturæ producendæ; ſed eſſentia Dei, vt eſt ſpecies expreſſa, ſiue verbum illius; ſequitur verbo Dei peculiariter conuenire, vt ſit idea, & quodammodo ars, & vt dicatur ſapientia artifex. Denique verbum, ars, idea, ſcientia, ſapientia dicuntur per attributionem de Filio Dei, quoniam pertinent ad intellectum, per quem generatur; & eidem vi ſuæ generationis conuenire dicitur ra- [E] tio principij creaturarum, vt docet idem S. Thomas [p], quia procedit per intellectum. Fauſtinus, vel Gregorius Bæticus, & Concilium Sardicenſe [q] (vtrique namque tribuitur opus idem de fide contra Arianos) hunc accipit locum, noménque artificis ſapientiæ de ſecunda Trinitatis perſona. Maximo Salomon Doctore vſus eſt, ac θεοδίδακτος [r] poteſt cognominari, *docibilis Dei*, ſiue *doctus à Deo*. Sed parum aptè interpretatur, cui ferè inepta ſunt aliorum dicta [ſ] omnia, doctum, id eſt, qui doctor ſit, & magiſter. Eum, qui docetur

a lib. 2. de magnete, c. 2.
b libr. 2. c. 3. & 4. & 5. & 6.
c 7. Phyſ. c. 2. q. 2. art. 3.
d 4. de reb. Salo. c. 15. §. 4.
e 3. de occultis natu. mirac. c. 4.
f de nauigiis. c. 1.
g in ſupellectili nautica.
h in theſau. verb. copio.
i in Plauti Mercat.
k in Arriani periplum maris Erythræi.
l in Plauti Mercat. & Trinunmum.
m apud Lambi. in Plauti Mercat.
n in Hiſpanicis. lib. 3
o 2. de Abraham. c. 7.
p c. 9. verſ. 16.
q c. 24.
r c. 8.
ſ verſ. 9.
t Pſ. 103. 24.

a c. 3. 19.
b Hebr. 11. 3.
c Ioan. 1. 3.
d 1. d. 38. q. 1.
e 4. de Sacrament. c. 4.
f 15. de Trinit. c. 13. & 11. de ciuit. c. 10.
g 20. moral. c. 23. vel 24.
h in hexam. non longè ab initio.
i 1 p. q. 14. a art. 8.
k q. 15.
l lib. 83. quæſt. q. 46.
m tracta. 1. in Ioan. & 11. de ciuit. c. 29.
n epiſt. 58. & 65.
o epiſt. 65.
p 1. p. q. 45. art. 8.
q epiſt. ad omnes Epiſcopos.
r Eſa. 54. 13. Ioan. 6. 45.
ſ Ceruantes.

significat ea vox ;.qui verò docetur , vt ipsemet docet, non continuò etiam Doctor est.

Vers. 22.] Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus,vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens.

INgreditur elegantem prorsus & admirabilem laudum sapientiæ descriptionem, tanto illo priùs ad auditorem comparandum vsus apparatu;simul has pro ratione laudes afferens,cur tam multa ipse doceri potuerit. Putant autem Cantacuzenus,Bonauentura,Hugo, Lyranus, Olcot [a], Carthusianus de tertia persona Trinitatis agi, hoc est,de Spiritu sancto;& prætetea Patres nonnulli,quos citabimus. Cantacuzenus autem asserit, Auctorem clariùs multo, quàm cæteros omnes Prophetas, qui ipsum vel præcesserunt, vel consecuti sunt, de Spiritu sancto verba fecisse. Lyranus & Olcot addunt exponi modum, quo directus sit Auctor in supernaturali contemplatione, nempe per Spiritum sanctum à sapientia communicatum. Pendet sententiæ intelligentia ex singulorum verborum explicatione.

Est in illa spiritus intelligentiæ.] Græcè (πνεῦμα νοερὸν.) Regij , & Complutenses libri *(intelligentia)* Gregorius [b] (*spiritus intellectus*) Vatablus (*spiritus inest ei sagax.)* Sequitur lectionem nostram Ambrosius [c] , intelligens de Spiritu sancto , & hinc probans eius Diuinitatem;quàuis & alibi [d] vtens ad idem eodem testimonio,reddat (*spiritus Domini intelligens.*) Vocatur Spiritus intelligentiæ , vel intelligens,& quia intelligit, & quia vim tribuit intelligendi ; siquidem gratiæ munerum largitor per accommodationem dicitur, *& inspiratio omnipotentis dat intelligētiam* [e] Cantacuzenus, quia Spiritus sanctus , qui explet Trinitatem (est enim tertia persona)per Prophetas locutus est,omnem sensum vincit , solaque mente comprehenditur; imò in hac vita solùm creditur. Est in sapientia, id est,in Christo, secundùm humanitatem habitando [f], inquit Bonauentura, secundùm Diuinitatem ab illo emanando. Deus quoque spiritus est essentialiter [g],cui cætera quæ sequuntur,conuenire possunt,vt notat Carthusianus ; & Augustinus [h] totum hunc locum de Deo absolutè citat non semel.

Sanctus.] Siue Deus,siue tertia persona Trinitatis tum in se , tum alios sanctificando. Dixi alibi [i] de nomine Spiritus sācti,vt attribuitur dictæ personæ. Hæc est autē prima ex viginti conditionibus, vel attributis , quæ hîc ponuntur de Spiritu sancto. Vocatur ab Apostolo [k] Spiritus sanctificationis.

Si vis fiat in significatis verbi πνέω, quod sanè sine vi, ac violentia non fit, pro *spiro, odorem efflo, viuo, anhelo, sapio , reduco ad sanam mentem , studiosè operor* ; quæ studiosiùs corradit Augustinianus; æquè ac Spiritui sancto, Deo ipsi trino cōuenire potest,vt spiritus, ac etiam vento similis dicatur, odor,vita,halitus, sapientia, seu intelligentia, sanatio,operatio. Idem iudicium de nomine *intelligentiæ*,quod Græcè est νοερὸν,epithetum πνεύματος: ita vt νοέω sit *velle, intelligere, sapientem esse, perspicere, consulere* : idem de nomine *sanctus*,& ἅγιος, quod noua etymologia deducit ab ἄγω, *ago* , seu *duco*,

a lect.99.
b hom.5. in Ezechiel.
c de incarn. Dom myst c. vlt.in fine.l. de Spir.sancto c.19.& 21.
e in Symb c. 7.
e Iob.32.8.
f Esa.11.2.
g Ioan.4.24.
h 4 de Gen. ad lit c.12. de natura boni. c.29.1.de incarn. Verbi c 13.
i c.1 & 3. Actuum.
k Rom.1.4.

A *impello, moueo, allicio*, &c. Nauseam patit adeò minuta,inutilis, falsa etiam in nō paucis distinctio.

Vnicus.] Græcè (*μονογενὲς , vnigenitus Spiritus)* pro vt etiā vertit Hieronymus [a]. Cùm S.Spiritus non sit genitus,non propriè dicitur vnigenitus. Olcot vult illa verba *(est in illa Spiritus intelligentiæ sanctus)* idem valere quod illa, nimirum , sapientia,& spiritus intelligentiæ est idem. Hoc modo sapientia , & spiritus intelligentiæ esset persona secunda:licèt aliquando Spiritus sapientiæ sumatur [b] non pro dono tantùm , sed & pro persona tertia. Alioquin catachresis admittenda, vt vnigenitus dicatur Spiritus sanctus , quia vnus tantùm est. Cantacuzenus distinguit γέννησιν, & γένεσιν : hanc propriam esse Filij ; Spiritum verò sanctum dici μονογενῆ,eo quòd non in multis aliquibus B numeretur , sed singulariter in vno Deo sit Spiritus sanctus. Sed aliud exemplum μονογενοῦς,in quo non significet *vnigenitum* , saltem in Scripturis non reperio. Potest nihilominus ex vi vocis significare id quod vnius generis est ; & Spiritus sanctus dici vnius generis,id est,non diuisus.

Quare non possum dissimulare dutū videri,vt locus hic intelligatur de Spiritu sancto,& nō potiùs de Filio,si de vna certa persona intelligi debeat. Aliqui codices, vt is, quo vsa est glossa interlinearis, Bonauentura,Hugo,& Lyranus,postponunt hoc epithetum *(vnicus)* sequenti *(multiplex.)* Vnicum porrò glossa exponit:Hugo & Bo- C nauentura,quia vnit bonos vnitate fidei ; & charitatis , inquit Hugo, vt sit cor vnum , & anima vna [c] , & seruetur vnitas spiritus in vinculo pacis , tanquam sint omnes vnum corpus , & vnus spiritus [d] : Carthusianus, & Osorius, quia vnica est ac simplex eius natura : Lyranus , quia plurium donorum , propter quæ multiplex appellatur, vnus idémque est auctor , vtpote *vnus Spiritus,diuidens pro vt vult* [e].Ambrosius [f],vt paulo etiā pòst dicam , vnicum accipit Spiritum sanctum; quia per omnia, quæ operatur vnus est: Petrus [g] Damiani, quoniam efficit, vt Ecclesia sit vbique vna,in suis partibus tota,in vnum conflata , nec valeat à sua integritate corrumpi.Græcè μονογενὴς de Spiritu sancto dici posset, quatenus per amorem procedit ; maximè autem diligi solet vnige- D nitus, quíque solus natus est.

Multiplex.] Græcè (πολυμερὲς) ob infinitatem perfectionis, quæ continet infinitas perfectiones virtute,vt dicunt,& propter multiplicitatem donorum. Dispertitæ in morem tamen vnius flammæ linguæ id denotabant , vt in Actibus [h] vidimus. *Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis pro vt vult* [i]. Omnia peruadit, inquit Cantacuzenus,congruenti ratione, ne decidant. Multiplex, ait Ambrosius [k], appellatur , eo quòd multa in se habeat ; & per ea omnia vnus est,nec in aliquid eorum, quæ operatur ipse mutatur , sicut imago ex annulo , quæ in ceram E transit , & annulum non relinquit. Confirmat exemplo spiritus Mosis , qui communicatus est aliis [l] tanquam ignis de igniculo absque detrimento,& Ioannis Baptistæ,qui dicitur venisse in spiritu Eliæ [m].[Vnus est Spiritus,inquit Petrus [n] Damiani,in maiestatis essentia:multiplex per diuersa charismatum dona , quæ dat Ecclesiæ sanctæ,quam replet, vt & in vniuersitate sit vna , & in suis partibus sit tota.] Vnde colligit , licèt Ecclesia personatum sit multiplicitate (adde quoque rituum nonnullorum) diuersa, in vnum tamen esse sancti Spiritus igne conflatam : atque

a in c.16. Ezech.
b Eccli.15.5.
c Act.4.32.
d Ephes.4.3. 4.
e 1.Cor.12. 11
f in Symb. c.7.
g tract.de Dominus vobiscum.
h c.2.3.
i 1.Cor.12. 11.
k in Symbol. c.7.
l Numer.11 17.
m Luc.1.17. Mat.17.12.
n lib. de Dominus vobiscum.c.6.

ideo

ideo etsi per corporalem situm partibus videātur diuidi, vnitatis tamen intimæ sacramentum nullatenus à sua valere integritate corrumpi. Multiplicem Bernardus [a] docet esse, quoniam multipliciter filiis hominum inspiratur, ad vsum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad feruorem: item vt sanctus, principalis, rectus, bonus; quamuis per sanctum velit posse accipi tertiam personam: per rectum [b], secundam; per principalem, primam. Augustinus [c] multiplicem scribit esse, quoniam multa sunt quæ habet: simplicem, quia non aliud, quàm quod habet, est. Nazianzenus [d] innuit rationem ex donorũ multiplicitate. Sic verò etiam hominis ingenium à Cicerone [e] multiplex vocatur, id est, varium, quódque comprehendere multa, & colligere ratiocinando valet. Nimis multus est vsque ad stomachum in *multiplicis* disquisitione is, cui ne pauca quidem arrident ab aliis cum iudicio, & delectu perstricta [f], quæ ille tamen, vt sua profert, ferè non nominans nisi cùm vituperat.

a serm. 4. de Pentecο.
b Psal. 50. 12. 13. 14.
c epist. 102.
d orat. 5. Theo.
e 1. de legib.
f Ceruantes.

Subtilis.] Græcè (λεπτὸν) quia ad medullas vsque pertingit, & omnia, nulla cōtracta labe, init, atque percurrit, & in rebus minimis, quæque ferè ob exiguitatem diuidi nequeunt, totus perfectè ac penitus adest. Sic Paraphrastes Cantacuzenus. Sermoni Dei tribuit Paulus [g], hoc est, Filio Dei, qui dicitur sermo, aut verbum, vt rectè probat Ribera [h], vim penetrandi gladio maiorem ancipiti, pertingentem vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretionem cogitationum, & intentionum cordis, & non esse vllam creaturam inuisibilem in conspectu eius. Conueniunt eadem Spiritui sancto, qui *omnia scrutatur, etiā profunda Dei* [i]. Tales quoque reddit, in quibus est doctrina Spiritus: spiritualibus enim spiritualia comparat [k] (quæstiones obscuras, alias ex aliis dissoluendo [l], & locum noui ex loco veteris Testamenti [m]) & *iudicat omnia* [n]. *Lucerna Domini* (id est, lumen, & gratia Spiritus sancti) *spiraculum hominis* (viuit enim gratia hominis anima, vt corpus anima) *quæ inuestigat omnia secreta ventris* [o] (omnia quæ latent in omnibus animi quasi visceribus.) Lege Bedam [p], & Gregorium [q]. Tandem, saltem sensu mystico, posset huc illud Ezechielis [r] aptari; *Indui te subtilibus, & ornaui te ornamento.*

g Heb. 4. 12. 13.
h ibid. n. 15.
i 1. Cor. 2. 10.
k ibid. 13.
l Chrys. & Theophy. ibid.
m Theod. ibid.
n ibid. 15.
o Pro. 20. 27.
p ibid.
q 3. p. Past. c. 13 & 8. mor. c. 18. vel 23.
r c. 16. 10.

Quo loco Hieronymus obseruat, incrassato [s] populo tenuitatem vestium, quæ tenuitatem pilorum, & capillorum habere credantur, quod τρίχαπτον L x x. numero singulari, nouum nomen excogitantes, vocant, condonatam: in libro autem isto Sapiētiæ, qui à quibusdam Salomonis inscribitur, spiritum sapientiæ tenuem appellari: & manna, qui dicebatur panis Angelorum [t], tenuissimum fuisse, in similitudinem pruinæ, & seminis coriandri [u]. Sic nimirum decet spiritualem tenui contentum & victu, & vestitu esse.

s Deut. 32. 15.
t Ps. 77. 25.
u Exo. 16. 31.

Non minor animi dos, ingeniíque subtilitas, quàm corporis gloriosi, quod appellant étiam acumen. Summa duo ingeniorum bene à natura constitutorum genera distinguuntur [x], εὐφυῆ, καὶ στάσιμα, *mobilia* siue *acuta, & stabilia.* Rectè post epitherum *sancti*, positum est hoc, *subtilis.* Nam sicut acutiora sunt, vel auctore Cicerone [y] (qui probat inde, quoniam tenuissimus æther est, animal in eo gigni sensu celerrimo) & ad intelligendum aptiora, qui terras incolunt eas, in quibus aër sit purus, & tenuis, quàm illorum, qui vtuntur crasso cœlo, atque concreto: quin etiam cibo quo

x Aristot. 2. Rhet.
y 2. de nat. Deo.

A vtaris, interest, inquit, aliquid ad mentis aciem; ita profectò *animalis*, & carnalis *homo nō percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere* [a]. At in genere nocet humanæ quoque sapientię studio crassioris corporis immodica cura, & pinguis venter non gignit sensum tenuem, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον. Meminit Hieronymus [b] quadam epistola, & Galenus ad Thrasibulum.

> ——— *nam corpus onustum*
> *Hesternis vitiis* (ait Horatius [c]) *animum quoque prægrauat ipsum,*
> *Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.*

Apud Gellium [d] M. Varro, pluresque Medici & Philosophi tradunt, pueros impuberes plurimo cibo, nimióque somno vtentes hebetiores fieri, ac minùs improcera eorum corpora fieri. Inde B quoque forsan prouerbium, *pingui Minerua*, quæ artibus præest, & ingeniis. Augustinum, quisquis in se bonitatem agnoscit ingenij, gratiis Deo agendis imitetur, quas ille tum pro se [e], tum pro Adeodato filio [f] tam egit piè, ac demissè: atque cum eodem defleat, si eiusdem ingenij dorsum habeat ad verum lumen, & Spiritus sancti negligat dona, in quibus est qui dicitur intellectus, cum scientia, consilio, sapientia [g].

a 1. Cor. 2. 14
b epist. 2.
c 2. ser. saty. 2.
d lib. 4. c. 19.
e 4. conf. c. 16.
f 9. conf. c. 6.
g Esa. 11. 2.

Disertus.] Vatablus (*illustris.*) Aliqui Bibliorum libri, quibus vtuntur glossa interlin. Hugo, Bonauentura, Olcot, ante hoc nomen ponunt (*modestus.*) Huic Græcè nullum respondet. Pro C *diserto* est τρανὸς, quod Interpres bene reddidit; significat enim *clarum, manifestum, perspicuum, apertū*, ac si perforatum, & pertusum esset, ἀπὸ τοῦ τρεῖν, vel τραίνειν, vnde & τρανὴ γλῶσσα, *diserta lingua:* capite decimo [h] huius libri, γλώσσας νηπίων ἔθηκε τρανὰς, *linguas infantium fecit disertas.* Cantacuzenus vocem istam exponit pro solido, & integro, vt sit Spiritus sanctus indissolubiliter magnus, omnisque magnitudinis, atque amplitudinis effector, omnem rerũ earumdem coagmentationem continendi vim habens, & magnarũ rerum efficiendarum causa. Placet magis tamen prima notio, multo etiam frequentior, ad quam Nazianzenus [i] videtur respexisse, dum simul, & quasi συνωνύμως vocat ἅγιον πνεῦμα σαφὲς, καὶ τρανὸν, necnon τρα- D νωτικὸν πάντων, quoniam quidquid luminis est in nobis, beneficio Spiritus sancti est. Hic missus est ad Discipulos in linguis [k], & est qui difficillimo persecutionis tempore loquitur in nobis [l]. Spectat huc Esaiæ [m] oraculum; *aperta erit lingua mutorum*, τρανὴ ἔσται γλῶσσα μογιλάλων ἀνεωγμένη, *expedita erit lingua mutorum*, aut *balborum aperta.* Cùm autem idem primum nomen c. 10. [n] postea de linguis Interpres transtulerit, vt disertæ ibi cognominentur, non video cur quidam [o] negant hoc loco *diserti* vocabulo quidquam Græcè respondere. De disertitudine ista & eloquentia, vt est Spiritus sancti donum, vtque in Ecclesiasticis auctoribus reperitur, alio dixi loco [p], & redibit sermo E capite decimo. Defendit Augustinus [q] partes eloquentiæ, quam in ipso Cresconius, quia metuebat, vituperabat, & abutebatur Scripturæ loco [r], legens; *ex multa eloquentia non effugies peccatum*, quod vulgata editio habet, *in multiloquio non deerit peccatum.*

h vers. 21.
i orat. 2.
k Act. 2. 3.
l Mat. 10. 20.
m c. 35. 6.
n vers. 21.
o Pineda 3. de Salo. c. 12 n. 7.
p Act. 2 & 14.
q 1. côt. Cresc. c. 3. & lib. 4. c. 2.
r Pro. 10. 19.

Mobilis.] Vatablus (*vegetus.*) Hoc priore loco ante præcedens epithetum Græcè ponitur, vt apud Ambrosium [s], qui vertit εὐκίνητον, *bene mobilis*; etsi quidam eius codices mendosè habent, *bonus mobilis.* Hic dicitur à Theologis donorum

s 3. de Spiritu sancto. c. 19. & de incar. c. vlt.

Spiritus

Spiritus ſancti effectus, vt facilè mobiles reddat nos ad excipiendum impulſum eius, vt, myſticè loquendo, quocumque eat Spiritus, pariter & rotæ eleuentur ſequentes eum, & in ipſis rotis ſit ſpiritus vitæ [a]. Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia [b]. Id indicat vehemẽtia venti, quando Spiritus ſanctus in Pentecoſte deſcendit [c], vt nos annotauimus [d]. *Quicumque Spiritu Dei aguntur* (ſiue, vt legit Irenæus [e], *ducuntur) hi ſunt filij Dei* [f], ſicut Chriſtus ducebatur [g], agebatur [h], expellebatur [i] à Spiritu ſancto in deſertũ. Etſi verò paſſiuitatem quandam, vt ita dicam, denotat *mobilis*, & *εὐκίνητος*, & poteſt intelligi, quia Spiritus ſanctus operatur in nobis hunc effectum, qui, vt ait Boëtius [k],

——*ſtabiliſque manens dat cuncta moueri:*

tamen ſignificat etiam interdum actiuitatem, videlicet eſſe motiuum, hoc ſenſu, quatenus quid mouere ſeipſum poteſt, & ſe ad agendum, aliáve mouendum celeriter applicare. Quid ſi mobilem Spiritum ſanctum dicamus, quia pro ſua benignitate moueri à nobis facilè, flecti, perſuaderi poteſt? Caue autem quod proximè poſt diſertum, mobilem audis Spiritum ſanctum dici, laudabile putes, quod laudant imperiti, magno curſu verba conuoluere, properare, præcipitare. [Vis iſta dicendi, ait Seneca [l], rapida, atque abundans aptior eſt circulanti, quàm agenti rem magnam ac ſeriam, docentíque; nec regere poteſt oratio, quæ regi non poteſt: remedia non proſunt, niſi immorentur: Medicus ægros in tranſitu non curat: perennis placet vnda, non torrens, in morem niuis, vt Homerus deſcribit, ſuperueniens (vel, vt Moſes [m], tanquam ros ac ſtillæ.) Gradarius fuit Cicero in dicendo: nos etiam cùm ſcribimus, interpungere conſueuimus: aliud eſt concitatè, aliud expeditè dicere. Viri ſapientis pronunciatio, ſicut vita, debet eſſe compoſita: quemadmodum inceſſus ei modeſtior conuenit, ita oratio preſſa, non audax.] Hæc ex Seneca carptim tractímque contra præſertim Eccleſiaſtarũ ſermonem, qui multum habet inanitatis & vani, & plus ſonat, quàm valet: mouere vult turbam, & inconſultas aures impetu rapere, admirationem incitatione concitare, non incitare ad virtutem. Scholiaſtes Senecæ Muretus [n] grauiter in hoc hominum genus inuehitur. Profert quoque ex Gellio [o] Muſonij Philoſophi ad rem præſentẽ oppidò quàm congruentiſſimam ſententiam, vtriuſque continentem officium, & Philoſophi dicentis, & audientis Philoſophum. Eſt locus vterque Gellij ac Senecæ cum cura legendus. Non ſine decoro Spiritus ſanctus eius linguã mouebat, qui ſimilem aiebat eſſe ſcribæ velociter ſcribenti [p]. Appellatur verſu ſequenti Spiritus ſtabilis: ſed ne qua in his attributis videatur cõtradictio, & quomodo ſpiritus, qui implet omnia [q], ſimul mobilis, & ſtabilis dicatur, Gregorius [r] occurrit, ſtabilem eſſe, quia per naturam omnia continet: mobilem, quia vbique etiam neſcientibus occurrit.

Incoinquinatus.] Græcè (*ἀμόλυντον*.) Ambroſius [f] nunc (*immaculatus*) nunc (*incoinquinatus* [t]) Vatablus (*incontaminatus*.) Sicut enim lumen, inquit Ambroſius [u], tenebras non recipit; ſic & Spiritus ſanctus per naturam habet, vt omnium ſordium incapax ſit. Sed & omnium ſordium, vt ait Cantacuzenus, expiandarum vim habet, nihílque vel eſſe, vel permanere inquinatum patitur, ac ſine vlla inuidentia cunctis rebus illuceſcit, cunctáſque maculas delet. Baptiſmus potiſſimùm, in quo Spiritus ſanctus datur, dicitur lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti [a], & paſſim à Græcis *φωτισμός*, id eſt, *illuminatio*. Spiritui ſancto tribuitur peculiariter vt ſanctus nominetur iſtis de cauſis, de quibus aliàs [b] egimus; & capite primo [c] dictum eſt, quòd *non introit in animam maleuolam, nec habitat in corpore ſubdito peccatis:* & ne conſpurcentur fornicatione corpora noſtra, monet Apoſtolus eſſe templum Spiritus ſancti [d]. Ergo ſi peccatum non habet Spiritus ſanctus, Deus eſt, inquit Ambroſius [e]. Recipi quoque poſſunt, qui hanc, & reliquas, tum priores huius loci, tum poſteriores conditiones conſiderant, vt à Spiritu ſancto, ſiue notionaliter ſumpto pro tertia perſona, ſiue pro Deo eſſentialiter, quatenus tanquam à magiſtro alteri communicantur, qui pro Deo fungatur hìc magiſtri doctoríſve officio. Laus iſtius non exigua, non tantùm diſertè dicere, ſed etiam caſtigatè, & caſtè. Sunt enim eloquia Dei caſta, examinata, purgatiſſima [f]: nec Eſaias [g] proloqui, niſi labiis ignito carbone mundatis voluit: nec Apoſtoli prædicare, priuſquàm linguas igneas reciperent [h].

Certus.] Græcè (*σαφές*.) Ambroſius (*manifeſtus*) Vatablus (*euidens*) quippe qui è ſuis operibus, quo modo Cantacuzenus exponit, ante omnium oculos proponatur ad cognoſcendum, & nihil ſit, quod ſeſe obiiciat, & veluti luminibus obſtruat, quo minùs poſſit agnoſci. Non omne certum eſt itẽ euidens, ſi de cognitionis agatur qualitatibus. Exiſtimo certum Spiritũ hoc loco dici, qui ſit dilucidus, planus, perſpicuus, apertus, clarus, verus in iis quæ proponit, ita vt non ſimulet, aut decipiat: ſequẽti autẽ verſu, vbi iterum Latinè ponitur pro Græco *ἀσφαλής*, qui non erret, nec fallatur. Vtrumque cõprehenditur epitheto, quo Chriſtus [i] vocat illum Spiritum veritatis. *Σαφὴς πίστις* eſt *certa fides*: *τῶν γενομένων τὸ σαφές*, *rerum geſtarum veritas, vera, certa, clara narratio*; & Poëticè *σάφα εἰδώς*, *planè ſciens*, *εἰπών*, *loquens*. Fauet Lyranus, confirmans exemplo Prophetarum, qui ſine hæſitatione prophetabant dicentes; *in veritate miſit nos Dominus* [k]. Vulgò vocamus (*vn huomo ſchietto, ſincero, ſicuro, chiaro, riſoluto, piano, che ſi fa, & laſcia intendere.*) Latinum nomen *certi* pro claro ponitur, quaſi à *cerno*, ſiue pro indubitato, deliberato, conſtituto; & ſic ſignificaretur Spiritum ſanctũ fidelem & conſtantem eſſe, atque nos reddere conſtantes in fide, ſpe, fidelitate, ac virtutibus cæteris.

Suauis.] Græcè (*ἀπήμαντον*.) Ambroſius (*inuiolabilis*) Vatablus (*innocuus*) cui noceri non poſſit, qui permaneat illæſus, qui nemini quoque noceat, nullũ lædat. *ἀπήμων* & *ἀπήμαντος* vtrumque ſignificare poſſunt. Cantacuzenus actiuam & paſſiuam ſignificationem complexus eſt, explicans ab omni iactura liberum, vt nec rebus illam inferat, nec ipſe patiatur in earum ſe numerum adſcribi. Actiuè Interpres accepit: ſuauis enim eſt alterius reſpectu; & congruit cognomen *παρακλήτου*, id eſt, *conſolatoris*: tales quoque reddit quos poſſidet; ſpirituales enim lenitatis habent ſpiritum [l], & ſe Dei miniſtros in omnibus exhibent in longanimitate, & ſuauitate, in Spiritu ſancto [m]. In Eccleſiaſtici libro [n] ſapientia ſpiritum ſuum prædicat ſuper mel dulcem, & Auctor [o] noſter bonum, & ſuauem Dominũ. Gratior quoque ſuauiter ex ore Doctoris fluens oratio, vox dulcis [p], eloquium dulce [q], gratia in labiis [r], ſermo in gratia ſale conditus [ſ]: denique *dulcis*

eloquio

Margin notes (left column): a Ezech. 1. 20. — b Amb. in c. 1. Luc. in id, Abiit in montem cum feſtinatione. — c Act. 2. 2. — d ibid. — e lib. 5. c. 19. — f Rom. 8. 14. — g Matt. 4. 1. — h Luc. 4. 1. — i Mar. 1. 12. — k 3. de conſ. metro 9. — l epiſt. 40. — m Deut. 32. 2. — n in epi. 40. Senecæ. — o lib. 5. c. 1. — p Pſal. 44. 2. — q Sap. 1. 7. — r hom. 5. in Ezechiel. — ſ 3. de Spiritu ſanct. c. 19. de incarnat. c. vltimo — t in Symbolũ. c. 7. — u ibid.

Margin notes (right column): a Tit. 3. 5. — b Act. 1. & 2. — c verſ. 4. — d 1. Cor. 6. 19. — e 3. de Spiritu ſancto. c. 19. — f Pſal. 11. 7. — g Eſa. 6. 5. — h Actuum 2. — i Ioan. 14. 17. c. 15. 26. c. 16. 13. — k Ierem. 26. 15. — l Gal. 6. 1. — m 2. Cor. 6. 4. 6. — n c. 24. 27. — o c. 15. 1. — p Cant. 2. 14. — q c. 4. 1. — r Pſal. 44. — ſ Coloſ. 4. 6.

a Prou.16.21. b Eccli 6.5. c Actuum 2.41. d c.4.4. e Cant.5.3. c.7.5. f Roma.16.18. g Eccli.12.10.15. h Pausa. in Atticis.

eloquio maiora percipiet [a]. *Verbum dulce prædicationis multiplicauit amicos* [b], cùm Petrus [c] semel tria millia conuertit, iterum quinque [d]. Sed caue fauos meretriciorum labiorum [e]; dulces sermones corda innocentia seducentium [f]; indulcatum in labiis inimicum [g]. Dulcis hospes animæ Spiritus sanctus est, atque παράκλητος, id est, *consolator*, & *hortator*, ac malorum depulsor, ἀπήμιος, quod Ioui epithetum Gentilitius error attribuit [h].

i 1.Cor.13.6.

Amans bonum.] Græcè (φιλάγαθον.) Vatablus (*boni studiosus*) & hominis, & virtutis operisve boni; non gaudens super iniquitate, congaudens autem veritati [i]. Bonitatis attributum tertiæ personæ Trinitatis assignatur; sicut & amor, cuius est obiectum bonitas naturæ, gratiæ, gloriæ, Dei ipsius, & Pater ac Filius ex mutuo sui amore produxerunt, & producunt semper Spiritū sanctum; & quem sua mouit bonitas vt crearet Deus, vbi creauit, *vidit* quoniam *cuncta erant valdè bona* [k], sibi complacendo in iam factis, cui placuerat vt fierent, & vt in ea bonitate manerent, qua placuit vt fierent, vt placet Augustino [l], & passim cæteris, potissimùm Latinis in commentariis in Genesim, vel tractatibus de opere sex dierum.

k Gen.1.31. l 11.de ciuit. c.21.& 1.Genes.ad lite. c.8.

Notiones φίλω, καὶ ἀγαθὸν ex obuiis promptuariis extractas labore maiore, quàm industria, vel iudicio, applicat proposito suo, vt solet, is qui farcire ingentem commentarium hac præsertim ratione, & aliorum, quos explicat, immerita studuit confutatione [m]. Meretur, non Iupiter φίλιος, aut idem θεὸς ἀγαθὸς [n] dictus: sed verus, vnicus amor, & amator omnis boni, ac nostrûm Deus, φιλάγαθος, φίλος, καὶ ἀγαθὸς, solus, verè, essentialiter, per se bonus, & boni auctor, amatórque, aram in corde, atque aræ cultum externum in materia, & in opere.

m Cernantes. n Pausa.in Arcadicis.

Acutus.] Græcè (ὀξὺ.) In nonnullis codicibus est (*actum*) iungitúrque prioribus (*amans bonum actum.*) Ita legit glossa interlin. Hugo, Bonauentura, Olcot, Carthusianus, qui de actu non meminerunt, vt neque Lyranus. Sed Hugo refert aliam lectionem (*amans bonum actus*) in genitiuo casu singulari: Ambrosius verò sequitur lectionem nostram. Ὀξὺ est quidem *acutum*; sed aliquando etiam idem quod ὠκὺ, siue ταχὺ, *velox*. Hanc notionem sectatus est Cantacuzenus, quòd vbique præstò sit, precibus flectatur, adsit quoque priusquàm loquantur homines (sic est in Psalmo [o]; *preparationem cordis eorum audiuit auris tua*: & in Esaia [p], *antequam clament, ego exaudiam*; *adhuc illis loquentibus ego audiam*) ad honestas actiones omnes facilè accurrat, eas peragendi vim præbeat, omnem improbitatē velut acutie gladij exscindat (innuit hoc alteram notionem Græci vocabuli) omnem iustitiam ac probitatem in omnes fines explicet citò, celeritérque (hæc altera significatio est) orbis terræ. Habet hoc attributum similitudinem cum mobilitate, ac subtilitate, de quibus antè dictum est.

o Psal.10.17. p c.65.24.

Quem nihil vetat.] Correctus est error librorū Complutensium, & Regiorum (*qui nihil vetat benefacere*) & aliorum (*qui nullum*) quibus quoque modis vtuntur Expositores Latini. At Ambrosius [q] vel paraphrasticè, vel aliis quàm nostris vsus exemplaribus, in quibus est ἀκώλυτον, legit (*prouidens, possibilis.*) Est ἀκώλυτος, quem nihil, vel qui nihil, aut quem nemo, vel qui neminem vetat (inde acolyti, qui ab altari non arcentur, nisi malis acoluthos ab ἀκολουθεῖν, quòd sacrificantem comitentur) aliquid agere, & dicere. Quia verò

q de incarna. c.vlt.

A Spiritus sanctus, vt mox subiicitur, est benefaciens, εὐεργετικὸς, idcirco participium hoc transiit apud illos quos dixi, in verbum, & aduerbium (*bene facere*) aut in verbū compositum (*benefacere.*) Præterea quoniam is, qui nequit impediri, prouidentia valet, atque potentia, ideo Ambrosius duo illa vocabula posuit (*prouidens, possibilis.*) Vatablus expressit (*prohiberi nescius.*) Exponit Cantacuzenus, eius potentiæ resisti non posse, permeare corpora, animas, mentes, non impediri cuiusquam duritie, aut repulsu, quasi dicas, non esse *qui se abscondat à calore eius* [a]. Nazianzenus [b] hoc epithetum ἀκώλυτον cum præcedentibus νοερὸν, πολυμερὲς, σαφὲς, τρανὲς, ἀμόλυντον, declarat perinde ac si diceres σοφώτατον, καὶ πολύτροπον ταῖς ἐνεργείαις,

a Psal.18.7. b orat.5.Theol.

B καὶ σαφηνιστικὸν πάντων, καὶ τρανωτικὸν, καὶ αὐτεξούσιον, καὶ ἀναλλοίωτον, *sapientissimum, agendi facultate varium, ac multiplicem, omnia explicantem, declarantémque, arbitrij, ac iuris sui immutabilem.*

Aptari hoc potest efficaci gratiæ, decretóque beneplaciti diuini. *Voluntati eius quis resistit* [c]? non est qui possit, si decreuerit, saluare [d]. Nulla malitia tanta, quæ vincat sapientiæ bonitatem [e]: *& est præstabilis Deus super malitia* [f]. Mendaciter blasphemauit Cain, cùm dixit [g]; *Maior est iniquitas mea, quā vt veniam merear*; quasi sit irremissibilis, & veniam desperauerit. Quòd si velimus de Spiritus sancti effectu accipere, vt qui eum habet, non prohibeatur benefacere, id intelligetur dictum, vt indicat Lyranus, ea figura, qua minùs dicendo,

c Rom.9.19. d Esther 13.9. e hoc c.vers. vlt. f Ioël.2.13. g Gene.4.13.

C plus significatur, nempe, quia ad omne opus bonum inuitat. Qui hoc spiritu præditus est, nec prohibet bonum facere eum qui potest; si potest, & ipse benefacit [h]. Malum fieri nunquam debet: bonum aliquod propter maius aliud omitti potest, vel etiam, si exigat obedientia, debet. Sic inhibiti sunt Apostoli prædicare Gentilibus ante mortem Christi [i], Paulus & Silas Asianis [k].

h Pro 3.27. i Mat 10.5. K Act.16.6.

Benefaciens.] Græcè (εὐεργετικὸν.) Monui de alia lectione (*bene facere*) Ambrosius [l] (*munificus.*) Omnibus æquè munera sua tribuit, implet omnes benedictione [m]: radios benignitatis mittit in bonos, malósque [n]: non *est qui se abscondat ab hoc calore* [o]: *dat omnibus affluenter, nec improperat* [p]. Cui bonitas, rectè tribuitur liberalitas: bonum namque quo diuinius, communius.

l de inca. c.vlt. m Ps.144.16. n Mat.5.45. o Psal.18.7. p Iacob.1.5.

D Non tam timor primus in orbe Deos fecit, quàm beneficentia: plurimáque simulachrorum pars beneficij cuiuspiam accepti causâ excitata est. Pœnam, & beneficium Deos omnino duos Democritus, Plinio [q] teste, constituebat, qui Plinius maiorem ad socordiam accedere affirmat: fragilem verò, & laboriosam mortalitatem in partes ista digessisse, infirmitatis suæ memorem, vt portionibus quisque coleret quo maximè indigeret: Deum esse mortali iuuare mortalem: hūc vetustissimum referēdi benemerentibus gratiam morem, vt tales Numinibus ascribantur: omnium nomina Deorum, sydérúmque ex hominum nata

q lib.2 c.7.

E meritis. Profectò εὖ εἴρηται, inquit Strabo [r], καὶ τοῦτο, ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι θεοὺς, ὅταν εὐεργετῶσιν, *rectè dictum & hoc, homines maximè imitari Deos, quando benefecerint.* Cui gemina M. T. [f] sententia, homines ad Deos nulla re propiùs accedere, quàm salutem hominibus dando. Inde honestissimum Principum epithetum, de quo etiam Christus [t], vt benefici, εὐεργέται cognominentur; quo quidem Reges propriè gloriari sunt, vt Ptolomæus, qui Philadelpho successit: prodítque Stephanus in Scythia idem tributum Arimaspis cognomen, quòd

r lib.10. f pro Ligario. t Lucæ 22.25.

benefici

benefici fuissent in Argonautas maris tempestate ad eorũ littora delatos. Quamquam per antiphrasim cognominatos Philometoras, Philopatoras, Epiphanes, Philadelphos, quidam [a] tradiderunt: & pro Euergete quidẽ κακοεργέτην Athenæus [b] meminit appellatum ab Alexandrinis. Sed hoc πάρεργον nonnihil est. Inunctio Prophetarum, Sacerdotum, Regum, signa etiam lignea ex olea, & vite olim vsitata, insinuant beneficentiam.

a Alex. ab Alex. cũ Tiraq. lib. 1. c. 2. & lib. 2. c. 11 ex Pausania lib. 1.
b lib. 12. c. 27. apud Casaub. lib. 4. c. 25.

Vers. 23.] Humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis.

HÆ aliæ Spiritus sancti proprietates partim sunt prioribus affines; ideò nos minùs earum tenebit declaratio.

Humanus.] Græcè (φιλάνθρωπον.) Ambrosius [c] (*benignus.*) Idem est ac hominum amator. Quidni? cùm in hominis gratiam Deus suomet impulsus amore adeò multa condiderit; & creaturam omnem corpoream subiecerit sub pedibus illius [d]: cùm sic dilexerit eum, vt vnigenitum suũ daret [e]: ac talem dilectionem dederit nobis, vt filij eius nominaremur, & essemus [f]: tam pretiosa largitus sit dona, quibus diuinæ consortes redderemur naturæ [g]: tanta præparauerit diligentibus ipsum bona, quæ nec in cor nostrum ascendere possunt [h]: omnes Angelos voluerit esse ministros nostros [i], & delicias suas in nobis collocauerit [k]. Ipse *Spiritus adiuuat infirmitatẽ nostram* [l]: *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* [m]: est Spiritus lenitatis [n], docens quoniam oportet esse humanum [o], φιλάνθρωπον: qui verò sunt inhumani, & seueriores, nesciunt cuius spiritus sint [p]: non occidit sicut litera, sed viuificat [q]: nõ in spiritu forti, non in cõmotione, non in igne, sed in sibilo auræ tenuis [r]. Denique, vt priùs dicebam de liberalitate, ab amore amor, humanitas, & qui recensentur in fructibus Spiritus sancti, charitas est, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, modestia [s]; ex duodecim octo, qui nil nisi humanitatem sapiunt.

Philippus Solitarius [t] obseruat nunquam dici Deum φιλάγγελον, sed φιλάνθρωπον, nec Angelos Dei filios, sicut dicuntur homines. Chrysostomus [u] idem docet, quòd nunquã Angeli dicantur filij Dei; & amatum magis hominem, quàm Angelum à Deo, ita vt desiderent Angeli prospicere, id est, intrare; in Deum, id est, Christum [x] (alij de Spiritu sancto intelligunt: alij legunt, *in quæ*) vt nempe assumatur in vnionem hypostaticam, habeant claues regni cœlorum [y]: potestate iudicandi donentur [z]: quam homines habent etiam in Angelos, familiaritor super Christi pectus possint recumbere [a]. Arbitror in his exaggerationem esse. In libro quoque Iob [b] per *filios Dei* Angeli passim intelliguntur, licèt Septuaginta legant *Angelos Dei.* Si quo modo igitur talia desiderant, est, quia tanta sunt, vt sui desiderium excitare possint; sicut primi vineæ cultores accipientes denarium diurnum, dicuntur murmurare [c] contra nouissimos, quoniam, si fieri posset, murmurarent propter æqualis tantæ felicitatis adeptionem. Sed de Petri loco vide Commentarium nostrum. Si de Christo ipso intelligas ista omnia, constat mitem esse, & humilem corde, ac id ab illo discentibus polliceri requiem animarum [a], id est, vt & ipsis mansuefiat cor, quemadmodum exponit Nicolaus Cabasilas [b].

Benignus.] Legit quoque Ambrosius [c]; sed Græcè desideratur. Apage ineptam etymologiã, vt benignus sit bene igniens, atque nos amore inflammans. Synonymum est cum *humano*: nam capite primo [d] sic erat; φιλάνθρωπον γὰρ πνεῦμα σοφίας, *benignus est enim spiritus sapientiæ.* Recole quæ ibi dicta sunt.

Stabilis.] Græcè (βέβαιον.) Versu priore ad nomen (*mobilis*) nonnulla huc spectantia diximus. Facit Spiritus sanctus non solùm vt in proposito firmi simus; sed etiam vt promoueamus ac proficiamus. Illa ratione stabilis; hac mobilis est. Statuit [e] supra petram pedes nostros, vt stabilis; vt mobilis, dirigit gressus nostros; tanquam flumen, lætificat impetu suo [f], non egrediẽs alueum suum. Mobilis est secũdùm gratis data dona, quæ subinde abeunt, vt prophetiæ, miraculorum, &c. Stabilis propter gratiam sanctificantem, quam non subtrahit nisi indignis: stabilis in promissis, vt sit impossibile mentiri eum [g]; mobilis in iis præstandis: stabilis, nos contra mala stabiliendo; mobilis bona communicando: stabilis in contemplatione; mobilis in actione: mobilis in via; stabilis in patria. Hortatur Paulus vt simus stabiles, & immobiles, tamen etiam *abundantes in opere Domini semper* [h]: item, vt stemus in Domino [i], *in fide fundati & stabiles, & immobiles à spe Euangelij* [k]; quæ spes anchora est animæ tuta ac firma [l]; sed ita, vt videamus ne cadamus [m].

Certus.] Græcè (ἀσφαλές.) Lege priorem versum, vbi ab Interprete pro σαφές positum est idem nomen. Ambrosius [n] (*integer.*) Bonauentura constantem in vero interpretatur. Cæteri synonymum faciunt *securo*, quod sequitur.

Neptuni cognomen vnum ἀσφαλίε, siue ἀσφαλίωνος, & γαιήοχος, sicut & πελαγίε, ob maris, portuúmque securitatem [o], atque terræ firmitatem, τὸ μόνιμον καὶ δυσκίνητον: & ἀσφάλισμα pignus vocant, quo quis alium securum, tutum, certũ reddit. Est autem Spiritus sanctus pignus hæreditatis nostræ [p], deductor noster in terram rectam [q], confirmans nos [r], denique spiritus veritatis [s], in doctrina, & promissis.

Securus.] Græcè (ἀμέριμνον.) Ambrosius [t] (*sine sollicitudine:*) nec eam habet Spiritus sanctus, nec anxiam, qui eo sunt prædíti. Proiicit iustus in Deum omnem sollicitudinem, quia ipsi est cura de illo [u]: *quasi leo confidens, absque terrore est* [x]: ne occidentes quidem corpus timet [y]: non est sollicitus quid manducet, vel bibat, vel quo operiatur, nec omnino de crastino [z]: iugiter conuiuatur in sua mentis securitate [a], habens pignus hæreditatis Spiritum sanctum promissionis, quo signatus est [b]: scit quòd *opus iustitiæ pax est, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum* [c]: pax toties à Christo inculcata, est multa diligentibus legem Dei, sine scandalo [d], non autem impiis [e]: sedebunt illi *in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ* [f]; *in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluuia tentationum* [g].

Omnem habens virtutem.] Græcè (παντοδύναμον.) Ambrosius [h] (*qui omnia potest*) vel [i] (*omnipotens*) inde Diuinitatem Spiritus sancti probans, quia sicut Pater, & Filius, dicitur quoque omnipotens. Paulo pòst [k] de sapientia dicetur, quòd πάντα

c suprà.
d Psal. 8. 8.
e Ioan. 3. 16.
f 1. Ioan. 3. 1.
g 2. Pet. 1. 4.
h 1. Cor. 9. Esai. 64. 4.
i Heb. 1. 14.
k Prou. 8. 31.
l Rom. 8. 26.
m ibid. 27.
n Galat. 6. 1.
o Sap. 12. 19.
p Luc. 9. 55.
q 2. Cor. 3. 6.
r 3. Reg. 19. 11. 12.
s Gal. 5. 22. 23.
t 3. dioptræ. c. 3. & 5.
u hom. 21. in Genesim.
x 1. Pet. 1. 12.
y Matth. 16. 19 c. 18. 18.
z Matth. 19. 28. 1. Cor. 6. 3.
a Ioan. 13. 23.
b c. 1. 6. c. 38. 7.
c Matth. 20. 11.

a Matth. 11. 29.
b lib. 6 de vita in Christo.
c de incarnat. c. vlt.
d vers. 6.
e Psal. 39. 3.
f Ps. 45. 5.
g Heb. 6. 18. Tit. 1. 2.
h 1. Cor. 15. 58.
i Philip. 4. 1.
k Coloss. 1. 23.
l Hebr. 6 19.
m 1. Cor. 10. 12.
n de incarn. c. vlt.
o Pausa. lib. 3. & 7. Plutar. in Thes. Strab. lib. 1. Oppia. halieut. in fin. Macrob. lib. 1. c. 17. Cornut. seu Phurnutus de natura Deor. Gyral. de Diis Gent. syntag. 5. Rhodig. lib. 10. c. 37. ex Proclo.
p Ephes. 1. 14.
q Ps. 142. 10.
r Ps. 50. 14.
s Ioan. 14. 17. c. 15. 26. c. 16. 13.
t sup.
u 1. Pet. 5. 7. Psal. 54. 23.
x Prou. 28. 1.
y Matth. 10. 28.
z Mat. 6. 31.
a Prou. 15. 15.
b Ephes. 1. 13. 14.
c Esa. 32. 17.
d Psal. 118. 165.
e Esa. 47. 22.
f Esa. 32. 18.
g Esa. 4. 6.
h de incar. c. vlt.
i 3 de Spiritu sancto. c. vlt.
k vers. 27.

δυνάμεις,

αυτόπτας, omnia potest.) Cùm Deus omnipotentiam parcendo maximè, & miserando manifestare cẽseatur; hoc verò munus, sicut & alia gratiæ, proprio quodam modo attribuatur Spiritui sancto, eidem quoque conueniet omnipotentia ratione quadã peculiari: maximè cùm totus ordo gratiæ sit supernaturalis, qui ratione obiecti superat omnes res naturales, & requirat maiorem potentiam; licèt reapsa quæuis creatura omnipotentem, vt creetur, exigat causam, ac proinde infinitam: spiritũ oris Dei omnis virtus cœlorum [a], multóque magis aliorum corporum: *ferebatur* enim *Spiritus Domini super aquas* [b]: & Ecclesia creatorem Spiritum cognominat [c], atque profitetur eum esse viuificantem [d]. Priorem locum de Spiritu sancto intellexit Basilius [e], & Cyrillus [f], sicut & Basilius aliumq; *emittes Spiritum tuum & creabuntur* [g], vt Ambrosius [h], aliique exponunt; & illum, *Spiritus eius ornauit cœlos* [i]; itẽ, *Spiritus Dei fecit me* [k]: & in expositione Psalmorũ Hieronymus, Augustinus, Beda, Cassiodorus, Remigius, Thomas, Theodoretus, Euthymius, & alij. Posteriorem verò Tertullianus, aut Cyprianus [l], Claudius Marius Victor [m], Cyprianus [n], Clemens [o], Basilius [p], Nyssenus [q], Athanasius [r], Cyrillus [f], Diodorus [t], Procopius [u], Anastasius [x] Synaita, Damascenus [y], Optatus [z], Ambrosius [a], Hieronymus [b], Augustinus [c], Nemesianus [d], Philastrius [e], Eucherius [f], Isidorus [g], Beda [h], Rupertus [i], glossa interlin. [k] & ordinaria [l], Magister historiæ Scholasticæ [m], Albertus [n], B. Thomas [o], & alij posteriores: necnon Ecclesia ipsa in benedictione fontium: imò & Trismegistus [p]. Eodem spectat, quòd in Spiritu Dei, qui digitus quoque seu potentia vocatur, dicebat Christus [q] se dæmonia eiicere, & quod inductione quadam alibi [r] docui, singula redẽptionis nostræ mysteria in Spiritum sanctum, velut in auctorem transcribi. Est igitur Spiritus sanctus παντοδύναμος, *omnem habens virtutem*; quod minùs aptè Bonauentura de habitibus intellexit virtutum: quamuis & has eminenter habeat, ac per eam, quam dixi, attributionem in nobis efficiat.

Omnia prospiciens.] Græcè (πανεπίσκοπον.) Ambrosius [f] (*speculator omnium*) vel [t] (*qui omnia spectat.*) Cordis quoq; scrutator appellatus est capite primo [u], ἐπίσκοπος, vbi, & huius capitis præcedente versu, quæ huc pertinent, attulimus. Quamquam Cantacuzenus explicat de prouidentia, qua reb. omnibus prospicit, dirigẽdo, atque conseruãdo: cæteri præterea, quia facit vt de præteritis, præsentibus, futuris prudenter diiudicemus, scilicet per donũ cõsilij, cũ reliquis donis, quæ sunt in intellectu, & per prudentiam infusam, si placet hanc admittere, præter acquisitam. *Spiritus Dei omnia scrutatur*, ἐρευνᾷ, *etiam profunda Dei: & quæ sunt Dei, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei*, vel qui Spiritum qui ex Deo est, accepit: loquens etiam in doctrina Spiritus, & cùm sit spiritualis *omnia iudicat*, ἀνακρίνει: *ipse verò à nemine iudicatur* [x].

Et qui capiat omnes spiritus.] Cõplutenses, Regij, aliique plures libri, quibus etiã omnes Enarratores Latini vtuntur, quod sequitur vocabulum in correctis numero singulari (*intelligibilis*) iungunt verbis istis numero plurali (*intelligibiles.*) Quæ lectio cõsentanea Græco textui est, in quo etiam duo sequentia huius eiusdem versus nomina videntur epitheta eorundem spirituum, non autem Spiritus sancti (καὶ διὰ πάντων χωρῶν πνευμάτων νοερῶν, καθαρῶν, λεπτοτάτων, *& per omnes penetrans spiritus intelligibiles, mundos, subtilissimos.*) Ambrosius [a] item omissis duobus vltimis, ita reddidit, (*& per omnia penetrans spirituum intelligibilium;*) volens, opinor, significari hoc loco Spiritum sanctum omnia scrutari, etiam quæ spiritus intelligibiles apud se cogitant. Latini inemendati codices pauci, quos citat Iansenius, habent quoque (*mundos, subtiles.*) & vnum ego Bibliothecæ nostræ Romanæ manuscriptum legi, éstque ad marginem textus glossæ notata hæc lectio. Cantacuzenus vult notari dominium Spiritus sancti in omnes hierarchias, & ordines Angelorum, quos perficiat, in ipsis degendo & residendo. Assignat autem intelligibilibus, tanquam perfectissimè intelligentibus primam hierarchiam, in qua sunt Cherubim (hos primo ponit loco) Seraphim, Throni: secundam puris, quæ continet dominationes, virtutes, potestates; quia tranquillitate potiuntur sine perturbatione, ratione purè intelligendi, mentis idonea celsitudine ad imperandum; denique tertiam subtilissimis Principatuum, Archangelorum, Angelorum, qui nobis præsunt, sed propter tenuitatem eximiam (sunt enim incorporei) sub aspectum non cadunt, per hos omnes spiritus Spiritum sanctum peruadere, omnia in illis peragere, illos perficere, super omnes esse, eósque infinitis partibus superare.

Illi porrò expositioni de ordinibus Angelorum fauet Nazianzenus [b]; addens & spiritus Propheticos, ac Apostolicos, qui, citata sententia, vt extat Græcè in genitiuo plurali, πνευμάτων νοερῶν, &c. inquit, ἀγγελικῶν, οἶμαι, δυνάμεων, ὥσπερ καὶ προφητικῶν, καὶ ἀποστολικῶν. Vnde præterea colligit esse ἀπερίγραπτον, *incircunscriptum.*

Conueniunt ferè omnes Latini, vt per spiritus Angeli sumantur, necnon spiritus humani, quos addit glossa interlin. sed boni, malíque, quos sibi Spiritus sanctus subditos habeat, & quidquid in eis perfectionis est multipliciter, ac diuisim conseruet, & totum, inquit Lyranus, & Carthusianus, in se simpliciter, vnitúmque habeat: vel dona Spiritus sancti, quæ faciat ipse vt nos capiamus, & simus intelligibiles, Deum ac nos ipsos cognoscendo. Carthusianus meminit lectionis quam dixi esse in textu Græco vltimorum duorum nominum (*mũdos, subtiles*) & explicat alterum de puritate naturæ per separationem à materia: alterum de facultate intelligendi. Bonauentura vtrumque accipit de sanctis Angelis, & eam lectionem nostræ præponit propter auctoritatem Rabani, cuius est glossa. Idem faciunt Iansenius, Vatablus, Clarius.

Nobis grauior auctoritas Ecclesiæ, quæ sic imperat vt legamus, quo modo recitauimus in textu, scilicet separatim (*qui capiat omnes spiritus*) deinceps alia numero singulari (*intelligibilis, mũdus, subtilis.*) Expositiones verò traditæ à Latinis non abhorrent, nec egent, vt hæc tria numero plurali ad spiritus referantur, si nempe contentæ sint, vt capere, id est, continere intra se dicatur Spiritus sanctus spiritus, hoc est, omnes Angelos, & animas humanas, quo pacto vocatur Deus Pater spirituum [c], id est, animarum, quia cunctis dedit id quod sunt & naturaliter, & supernaturaliter: vel omnes spiritus, id est, dona, & instinctus etiam, quia donorum auctor est, & est discretor spirituum [d], & cùm non omnes ex Deo sint, facit vt probemus eos ac discernamus [e]

a Psal. 32. 6. b Genes. 1. 2. c In hymno Pentecostes. d in symbolo Nicæno. e hom. in Ps. 32. & 5. cont. Eunomium. f 7. de Trinit. g Ps. 103. 30. h hexam. c. 8. i Iob. 26. 13. k infr. 33. 4. l carm. cui titul. Genes. & Tertullia de Baptis. & 4. cont. Marcio. m 1. in Gen. n de Spiritu sancto. o 6. recognit. p hom. 1. hex. & cõt. Eunom. q de Trin. cont. Iudæ. r serm. cõtra hæres. & ep. ad Serap. f 1. & 3. cont. Iulian. t in catena. u in Genes. x in hexa. y 2. de fide. c. 9. z 3. cont. Parmen. a 1. tractat. c. 8. & prolo. 3. de Spiritu sancto. b qq. Hebr. in Genes. & ep. 83. c 2. Genes. ad litter. c. 7. de Gene imperfect. c. 4. 1. de incarn. c. 17. & alibi. d in sentent. Episcop. 80. in Conc. Carthagin. apud Cyprian. e de hæresib. f in Genesim. g 1. de sum. bono. c. 10. h qq. in Genesim, & de sex dierum creatione. i in Genes. lib. 1 c. 8. k in Genes. l ibid. m c. 2. n 1 p. de quæst. cox. q. 11. art. o 1 p. q. 74. art. 3. ad 4. p ad Asclepiũ, & item 3. q Mat. 12. 28. Luc. 11. 20. r Act. 1. f 1. de Spiritu sanct. c. vlt. t de incarn. c. vlt. u vers. 6. x 1. Cor. 2. 10. & seqq.

a de incarn. c. vlt. b oratione 5. Theol. c Heb. 12. 9. d 1. Cor. 12. 10. e 1. Ioa. 4. 1.

per peculiare donū diſcretionis ſpirituū [a], quod eſt gratis datum, & quantum ſufficit ſaluti noſtræ propriæ per alia, quæ comitantur gratiam iuſtificantem, ſuntque in quolibet iuſto, vt aliàs [b] docuimus.

a 1.Cor.12.10.
b in 1.Epiſt. Ioan.

Intelligibilis.] Hoc quoque pacto reperi in Bibliis editis à Sebaſtiano Gryphio anno 1550. Lugduni, & à Bartholomæo Grauio anno 1547. Louanij, & à Chriſtophoro Plantino anno 1565. Antuerpiæ; nec dubio quin aliæ bene correcta ſic habeant. Intelligibilis eſt Spiritus ſanctus, quia intelligendi vi maxima præditus; imò pura intelligentia; quia ſolo intellectu percepitibilis, tanquam immaterialis, quia intelligentibus dat intellectum.

B

Mundus.]Idem eſt quod *incoinquinatus*, de quo verſu præcedente, vt aſſerit Lyranus, & Carthuſianus. Hugo vult incoinquinatum dici, quia facit declinare a malo, & lauat à præteritis peccatis, purgátque in hac vita per gratiam à culpa: mundum, quoniam facit operari bonum, ſanat à futuris peccatis, mūdabit in alia vita ab omni miſeria, per gloriam. Bonauētura præter hæc munditiam declarat in eo, quod eſt expertem eſſe materię: incoinquinatum verò eſſe, pro vt nec in ſe, nec ab alio immūditiā contrahere poteſt. Forſitā in textu Græco aliàs legebatur καθαρὸν, & non καθαρῶν, ſicut & quod attinet ad prius epithetum νοερὸν, non νοερῶν, & ad ſequens λεπτότατον, nō λεπτοτάτων. Interpres quidem noſter ſic videtur legiſſe. Magnus, ac nimius ille Theſaurorū, Lexicorum, Calepinorum ſcrutator [c] eruit quo iure, qua iniuria τοῦ καθαρῶ, & *mundi* plures notiones: nec ſyllabam prætermittit, circa quam par ſtudium non adhibeat, non habens, opinor, vnde aliter ſupellectilem commentarij adaugeat.

C

c Ceruantes.

Subtilis.] Superlatiuum eſt Græcum pluralis numeri, pro quo fuit, vt modò dixi, aliquādo caſus rectus ſingularis. Sed interdum pro ſuperlatiuis poſitiua, pro his illa reddūtur. De re ipſa verò dictum priore verſu, vbi fuit idem nomē, vt citati notāt Lyranus & Carthuſianus. Sed Hugo ait illam aliam ſubtilitatem eſſe in affectu quantum ad donum ſapientiæ, hanc in intellectu quantum ad donum intelligentiæ (hoc etiam dicit Bonauentura:) vel primam naturalem, ſecūdā gratuitā.

D

---

*Verſ.*24.]Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia: attingit autem vbique propter ſuam munditiam.

MObilem verſu 22. mundum proximè præcedente, cui ſynonymum eodem 22. *incoinquinatus*, dixerat Spiritum ſanctum: hæc attributa repetit de ſapientia, in qua præfatus eſt eſſe Spiritum ſanctum (qui nil eſſentialiter differt à ſapiētia increata, vt notant Cantacazenus, & Hugo) maximè ſecundum; quod etiam confirmat ſequētibus vigeſimoquinto, & vigeſimoſexto, & ſubinde in aliis ad finem vſque capitis, ſimul huius effectum declarans in aliorum ſanctificatione.

E

Hactenus enumerata, ſeu epitheta, ſeu attributa, vel Spiritus ſancti perſonæ tertiæ Trinitatis, vel Dei, qui Spiritus etiā ſanctus eſſentialiter eſt, vel ſapiētiæ increatæ, tam communiter toti Trinitati, quàm notionaliter ſpectatæ in ſecunda, vel tertia perſona, ſpiritualia sūt, & à materia ſecreta: quæ ſequūtur hîc, & aliis capitibus, & quibus indicatur manifeſtatio ſapientiæ, includunt aliquid materiale, vt comparationem ex vapore, luce, Sole, ſpeculo, ſtellis, emanatione aquæ, ſeu flumine, imagine, connubio, ſiue commercio, &c.

Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia.] Nec enim eget ſpatio certo temporis, quidquid vult, quandocúmque vult, citiſſimè operans, & operādi cuiuis rei tribuens facultatem; quoniam in Deo, qui eſt ſapiētia, *viuimus, mouemur, ſumus* [a]. Auguſtinus [b] citat ſic locum iſtum, quòd motus eius agilior celeriórque ſit omnibus motibus: & ex eo, atque ex principio ſequentis capitis, & citato Actuum probat Deum in rebus à ſe conditis operari quādiu exiſtunt, alioqui continuò dilapſuras; & id quoque importari verbis Chriſti [c]; *Pater meus vſque modò operatur; & ego operor.* Græcè ſic legitur hoc loco (πάσης γὰρ κινήσεως κινητικώτερον σοφία, *omni enim motu mobilius, magiſve motiuum quid eſt ſapiētia*) id eſt, magis efficax, magis productrix motus, quā ipſemet motus, ſeu quælibet mouens cauſa. Apud Fulgentium [d] legitur (*omnium mobilitamium mobilior eſt ſapientia.*) Sumitur generali acceptione motus pro quauis mutatione, & actione, ſicut nonūquā apud Philoſophos. Venit æterna ſapientia, dilectus ſponſus humanæ naturæ, *ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis capreæ, hinnulóque ceruorum* [e]: *exultauit vt Gigas ad currendam viam* [f]. Lege de his ſaltibus Chriſti Gregorium [g], Ambroſium [h], Auguſtinum [i]. Denique nomen habet, Accelera [k], &c. Præoccupat Deus cauſas, præuenit vota, vt egregiè illa Cantici Canticorum verba declarat idem Ambroſius [l]: ipſammet præparationē cordis audit auris eius [m]: imò cordis ipſe oſtium pulſat [n]. Alas amor addidit æterno Verbo perniciores, quàm quas appinxerunt veſani Gentiles Cupidini: tales quos obſidet Sapientia & Spiritus, qui currunt poſt ſponſum [o]: talis Maria abiens in montana cum feſtinatione [p]: paſtores venientes feſtinanter ad Chriſtum natum, in ſtabulo manentem [q]: Petrus ac Ioannes currentes ad ſepulchrum [r], necnon Magdalena currens priùs ad illos [s]: Abraham cum vxore ad excipiendos hoſpites [t]. Nullus ignauus & deſes eſt in domo ſapiētiæ [u]: vberiores fructus habet celerata deuotio [x]: feſtinanter manducare Paſcha lex iubet [y].

a Act.17.
b 4.Geneſ. lit.c.12.
c Ioan. 5.17.
d in reſp cōtra Arianos, ad obiect.6.
e Cant 2.8.9.
f Pſal.18.6.
g hom.29.in Euang.
h de Iſaac c. 4.in Pſal.118 ſer 6.
i 4.conf.c.11.
k Eis.8.1.
l in Pſal. 118 ſerm 6.
m Pſ.10.17.
n Apoc.3.20 Cant.5.2.
o Cant.1.4.
p Luc.1.39.
q Luc.2.16.
r Ioan. 20.4
s ibid.2.
t Gene.18 & 6.7.
u Philo de ſacrif. Abel, & Cain.
x Ambr. de Abra. lib. c.5.
y Exo 12.11. ... Theol.

Nazianzenus [z] explicans de Spiritu ſancto, innuit reddi rationem cur capiat omnes ſpiritus intelligibiles, mundos, ſubtiles; quia omni re mobili, ac ipſomet quouis motu mobilior eſt, & ſubit, ac penetrat illos eodem temporis momento, nec tamen iiſdem in locis exiſtentes, κατὰ ταὐτὸν, καὶ οὐκ ἐν τοῖς αὐτοῖς τόποις, ἄλλων δὲ ἀλλαχοῦ νενεμημένων.

Attingit autem vbique.] Græcè (διήκει δὲ, καὶ χωρεῖ διὰ πάντων, *peruadit, & procedit per omnia.*) Auguſtinus [a] (*attingit omnia.*) Quæ ſunt alicubi, aliquo modo ſunt; quare in omnibus eſſe, eſt vbique eſſe. Idem Auguſtinus [b] vtitur etiam iſta lectione, docens, Deum eſſe vbique, ac in omnibus rebus. Eodem pacto legit quoque Fulgentius [c].

a de nat boni.c.29.
b epiſt 57.
c reſp contr Arian.ad obiect 6.

Propter ſuam munditiam.] Propter abſtr. ctionē ab omni materiæ fœculentia, inquit Bonauētura: adde præterea cum Carthuſiano, & Olcot [d], & Lyrano, potentiæ, atque cuiuſlibet defectus impermixtionem, vt ideo dicatur, & ſit actus purus. Inde fit, vt nullis finibus terminetur, ſed omnia ſubeat, & vbique ſit. Virginum, qui æmulantur Dei puritatem, quoniam *incorruptio facit eſſe proximum Deo* [e], prærogatiua eſt ſequi *Agnum, quocumque ierit* [f]; & caſtitas animum reddit

d lect.102.
e Sap 6.20.
f Apoc.14.4.

expeditio

expeditiorem. Solus illabitur in creaturam Deus, præsertim rationalem, & immensus est, sine vbiq; nō solùm per omnipotentiam, atque operationē: verùm, etiam, & quidem maximè formaliter, per dictam munditiam, quę simplicitatem naturæ dicit cum infinitate.

Hugo munditiam sumit pro luce scientiæ, per quam sapientia cuncta illuminet, ac videat, & sic attingat illa, quia non latent illam, sed in illis est per præsentiam, non tantùm per potentiam, & essentiam. Rectiùs hoc sensu munditia appellaretur lux qualitas mundissima, & diceretur de sapiētia, quatenus *tenebræ in ea non sunt vllæ* [a] potentialitatis & defectus, vt aliàs exposui [b]. Damascenus [c] docet, essentiam Dei omnia implere, complecti, continere, præhabere, penetrare sine vllius spurcitiei contagione, & ab omni alia essentia, qua sublimior est, exemptam.

a Ioan. 1.5.
b Ibid.
c lib. 1. de fide c. 8.

Attingit Olcot [d] dubitationē, possítne Deus in omni creatura, in qua est, adorari. Respondet, posse; at non expedire, ad vitandum periculū, vel opinionē idololatriæ, sed in iis tantùm, quæ proponuntur ex instituto ad eū finē, vt in illis Deus adoretur. Lege Gabrielem Vazquez [e], præter cæteros, & S. Thomæ [f] interpretes, & alios Scholasticos [g], & scriptores controuersiarum in tractatibus de imaginibus, & cultu Sanctorum, præcipuè Bellarminum [h].

d lect. 100.
e 3. de adur. disp. 1.
f 3. p. q. 25.
g 3. d. 9.
h lib. 2. & 3. de cultu Sanctorum.

Vers. 25.] Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.

HInc probatur sapientiæ priùs posita munditia, siue puritas, simplicitas, infinitas. Nā cōsubstantialis est Patri, sicut vapor aquæ, vnde vi caloris excitatur; & lumen, radiíque luci, ex qua procedunt. Concordant Expositores Latini his verbis hoc denotari. Sed Hugo in vapore calorem attendens, vim comparationis vult esse, vt, quemadmodum calor est ab igne, sic Filius à Patre. Bonauentura sistit in excitato vapore à calore. Primum, quod initio dixi, placet Carthusiano, & mihi magis, quoniam aptiùs ostendit consubstantialitatem. Cantacuzenus de processione loquitur, & hanc vaporis cum aqua consubstantialitatem bene ponderat: sed volens dici S. Spiritū hoc loco sapientiam, ait quoque appellari vaporem, sicut & apud Ioëlem [i], *sanguinem, & ignem, & vaporem fumi*; ita vt sanguis sit Filius Dei incarnatus, ignis, ac vapor, Spiritus sanctus missus in Pētecoste sub ignearū linguarū forma [k]. Fauet Spiritus sancti processio per amorem, qui dici calor & ignis solet. At constat etiam ignem totius Diuinitatis symbolum esse, vt alibi docuimus [l] cum Dionysio: & Latinorum non est deserenda sentētia, quā sequitur quoque Augustinus [m], vel alius, & plures de seqnētibus verbis, vt videbimus. Hic auctor expendit, Filium Dei appellari vaporem non gloriæ omnipotentis, neque æternæ lucis, neque inoperationis Patris, nec bonitatis eius, sed cum omni proprietate vaporem esse virtutis Dei, siue vigorem in propria subsistentia, quæ nunquam non extiterit. Addit præterea *virtutis* nomine dici iuxta Paulum [n], qui Christum appellat Dei virtutem, & Dei sapientiam. Hæc ad verbum ex Origene [o] transcripta sunt. Posset

i c. 2. 30. Act. 2. 19.
k Act. 2. 3.
l ibid.
m 1. de incar. c. 3.
n 1. Cor. 1. 24.
o 1. periarch.

A item vapor sapientia dici, qui exhalat ex floribus rebúsque odoriferis, vt idem innuit Cantacuzenus, tametsi loquens de Spiritu sancto. Videtur huc Eusebius [a] alludere, scribens, quòd Deus diuinam, vitalémque fragantiam, quæ animo & cogitatione duntaxat percipi potest, produxit.

a 4. de demō. c. 3.

Eodem spectare possunt res odoratæ, quibuscum ipsa se sapientia comparat in libro Ecclesiastici [b], cedrus, rosa, cinnamomum, balsamum, myrrha, storax, galbanus, vngula, gutta, libanus, vitis. Mittendas arbitror conquisitas curiosiùs, nec satis verè [c], vaporis acceptiones pro halitu, suffitu, fumo, splendore, vigore, &c.

b c. 24. 17. & seqq.
c à Cerusites.

Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei B *syncera.*] Arbitror errore legi in Fulgētio (*synceris.*) Metaphora (*quædam* enim indicat esse figuram) ducta à flumine, quod exit de fonte; dicitur enim ἀπόῤῥοια; & pro *claritate* nomē δόξης est, quod *gloriam* significat; quo pacto sæpe id Interpres vertit, & interdum *maiestatem*. *Syncera* vox, εἰλικρινὴς, denotat exactam identitatem personarum in eadem essentia; vel, vt ait Hugo, si de incarnatione loquamur, Christum omnis expertem peccati fuisse. Colligit Augustinus [d], habere sapientiam in omnipotentia gloriæ, cuius est aporrhœa, societatem. Item [e], quòd Filius mitti dicitur, non quia inæqualis Patri, sed quia manatio; & quod manat, atque id, de quo manat, vnius eiusdémque C substantiæ est. Idipsum extat apud indubitatum auctorem Augustinum operis de Trinitate [f]. [Ibi quod manat, inquit, & de quo manat, vnius eiusdémque substantiæ est. Neque enim sicut aqua de foramine terræ, aut lapidis, manat; sed sicut lux de luce.] Vbi non videtur manationem, quæ hîc habetur, de fluminis ex fonte manatione intelligi velle. Subtiliter notat idē Hugo, vapore ascensionem in cœlum, emanatione defluentis de fonte fluminis innui descensum Christi ad terras, & inferos: quoniam *qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos* [g].

d 1. de incar. c. 13.
e 4. de Trinit. c. 20.
f lib. 4. c. 20.
g Ephes. 4. 10.

Vtuntur Philosophi, Theologique *emanationis* voce, vt exprimant coquū causæ effectum, & proprietates essēntiæ, vel coæternitatē personæ procedētis cum illa à qua procedit. Theologi verò adD hibēt similitudines fontis, riuuli, fluminis, aut lucis, luminis, radij, seu effulgescentiæ, vt quoquo modo explicent mysterium Trinitatis. Prior similitudo habetur hîc, posterior sequenti versu. Nazianzenus [h] in vtraque similitudine versabatur periculum errandi: in prima fluxus, imperfectionem in re, quæ statum habet; in secunda, ne solus Pater, tanquam Sol, videretur habere substātiam, duæ aliæ personæ solas qualitates. Quare tandem hortatur, vt quisque huiusmodi valere vmbras & imagines sinat tanquam deceptrices, & à veritate fidei distantes. Laudabilem tamen AuE gustinus [i] docet piam istam per creaturas Trinitatis inuestigationem; & ipsemet [k] similitudinem assignat ex fonte, fluuio, potione: simili vtitur Anselmus [l]. Ambrosius [m] legit *manationem omnipotentis gloriæ*. Sapientia in Ecclesiastico [n] cum fluminibus cōparatur, & in vniuersum, atque distinctè cū Phison, Tygre, Euphrate, Geon, egredientibus de Paradiso. In Prouerbiis [o] vocatur torrens redundans fons sapientiæ.

h oratione 5. Theolog.
i 6. de Trin. c. vlt.
k de fide, & Symb. cap. 9.
l de process. Spiritus sancti.
m de paradiso, c. 1.
n c. 24. 35. & seqq.
o c. 18. 4.

Vers. 26.] Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.

HÆc est altera similitudo ex luminis à luce processione, necnon ex speculo, atque ex picturis imaginum, quas distinctè declarare oportet. Bonauentura autem attributa tria hîc innui vult, & repræsentari, sapientiæ, potentiæ, bonitatis. Hæc in Principe in primis requiruntur, dicique possunt in cæsiis colorísue cœlestis oculis Mineruæ, in armis eiusdem, & oliua, per symbolum quoddam significata.

Candor lucis æternæ.] Græcè (*ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, splendor,* siue *explendescentia.*) Candor sæpe pro albo colore, sed splendido, aliquando etiam pro alio sumitur, verùm qui etiã resplendeat, vt aliàs[a] docui. [Cãdor lucis æternæ quid aliud est, ait Augustinus [b], quàm lux lucis æternæ? Candor quippe lucis quid nisi lux est? & ideo coæterna luci, de qua lux est. Maluit autem dicere, *candor lucis,* quàm *lux lucis* (Interpres Latinus nempe) ne obscurior putaretur ista quæ manat, quã illa de qua manat. Ac ne minor videatur lux, quæ genuit, dictum est, *candor est lucis,* nec enim maior ex minore manat.] Videtur Apostolus huc allusisse scribens ad Hebræos [c]; *qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius,* ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Hoc est Christum esse lumen de lumine, vt profitemur in Niceno Symbolo, splendorem de lucido Patre prodeuntem, ac sine mutatione procedentem, sicut radius, inquit Chrysostomus [d], procedit à Sole: & esse Patri coæternũ, sicut radius æquæuus est Soli; atque, vt Damascenus[e] ait, esse inseparabilem à Patre, vt lux inseparabilis est à Sole: nec posse deficere, sicut neque lux Solis deficit. [Si separas, inquit Augustinus [f], candorem Solis à Sole, separa Verbum à Patre: imò & cùm lucem vides sparsam à quauis flammula generatam, emissionem vides, separationem non vides.] Item [g]: [Da mihi hîc ignem sine splendore, & credo tibi Patrem fuisse sine Filio.] Concilium Toletanum XI. [h] [Sicut, inquit, splendorem (legit, *splendor,* &c.) luci videmus inseparabiliter inhærere; sic confitemur Filium à Patre separari non posse.] Basilius [i] ait: [Totum Patrem in seipso Filius, vt imago genita, & splendor maiestatis Dei, ex tota eius maiestate resplendens; & absurdum est dicere maiestatem Dei non habere splendorem, & non vnà cũ Deo semper fuisse.] Ambrosius [k], qui legit (*splendor lucis æternæ*) hinc argumentatur consubstantialitatem, & coæternitatem Filij cum Patre. Fatetur [l] tamẽ etiã, legẽs quoque (*candor,* &c.) nec hoc, nec aliud exemplum esse, cui contradici non possit. Nam cùm dicitur lumen de lumine, quæri potest, an vt lucerna ex lucerna, Sol ex Sole: vtrùm duæ lucernæ, duóve Soles: an splendor luminis eiusdem lucernæ, aut claritas Solis de eodem Sole fulgente. Certè lumen à Sole productum differt vt accidens à substantia, & lumen receptum in medio aliud numero est ab ea luce, quæ est in Sole; imò, si verè quidam philosophantur, etiam essentia, quoniam fluens est ac transiens. Origenes [m] pluribus tractat præsentem locum ad idem propositum. Fulgentius [n] respondens Arianis, qui obiiciebant alium esse Patrem luminis, alium, & inæqualem, qui sit appellatus lumen, obiicit, & quòd absolutè de Deo pronuncietur nomen *lucis* [o], ideóque lumen esse de lumine Filium, quia de Deo natus est Deus; & quòd hîc nominetur candor lucis æternæ, id est, Patris. Gregorius Bæticus, vel Faustinus [p] ex isto loco probant consubstantialitatem personæ secundæ cum Patre. Honorius [a] III. præcipit Eucharistiam ferri ac referri lumine præcedẽte, quia est cãdor lucis æternæ.

[a] Act. 1. & c. 12. & Eccle. 9.
[b] 4. de Trinit. c. 20.
[c] c. 1. 3.
[d] ibid.
[e] 1. de fide. c. 9.
[f] tract. 20. in Ioan.
[g] serm. 38 de verb. Domin. c. 8.
[h] in confess. fidei.
[i] 2. cont. Eunom.
[k] 1. de fide. c. 4. & de parad. c. 1.
[l] lib. de Filij Diuinit. c. 5.
[m] 1. periarchon. c. 2.
[n] cõt. obiect. Arian. ad 6.
[o] 1. Ioan. 1. 5.
[p] de Trin.

Vincentius quoque Ferrerius [b] ad eamdẽ Eucharistiam applicat hunc locum; vt in ea sit candor lucis æternæ, quantum ad Diuinitatem, quæ est ibi, ac rotunditate etiam hostiæ indicatur æternitatem significante; speculum sine macula, quantum ad animam, cuius puritatem albedo hostiæ indicat; imago bonitatis Dei, quantum ad corpus, per quod compleuit suam bonitatem in opere redemptionis. Addit tropologiam, vt volens dignè communicare, habeat candorem lucis æternæ, per veram fidem; speculum sine macula, per castitatem; imaginem bonitatis Dei, per firmam amicitiam.

Speculum sine macula.] Deus essentialiter sumptus, ipsáque eius essentia solet à Theologis appellari speculum, pro vt in Deo videtur Deus, & in lumine lumen [c]; voluntarium autem, quatenus videtur Deus totus, at non totaliter, sed pro eiusdem voluntate, quæ respectum habet ad merita diuersa. Hoc loco attribuitur Filio, qui etiam dicebat [d]; *Qui videt me, videt & Patrem meum:* & sine macula dicitur, quia velut speculum læuissimum, tersissimum, nitidissimum, Patrem, atque diuinam essentiam, seu maiestatem Dei repræsẽtat. [Sicut enim in speculo, inquit Augustinus[e], omnibus motibus, atque omnibus actibus, quibus is qui speculũ intuetur, mouetur, vel agit, iisdẽ ipsis etiam imago, quæ per speculum deformatur, actibus, vel motibus commouetur, vel agit, in nullo prorsus declinans: ita etiã Sapientia de se vult intelligi, cùm speculum immaculatum paternæ virtutis (Græcè, τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, pro, *Dei maiestatis*) inoperationísque Dei nominatur: sicut & Dominus Iesus Christus, qui sapientia Dei est, de semetipso pronunciat, dicens[f], quia *opera quæ facit Pater, hæc etiam & Filius facit similiter:* & iterũ dicit [g], quoniam *non potest Filius à semetipso facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.*] Ambrosius [h] quoque rationem speculi declarat, quòd Pater videatur in Filio.

Conueniunt hac in re cæteri Expositores. Affert autem Hugo, & Bonauentura multiplex speculum. Nam omnis creatura speculum est, per quod speculum nunc intelligimus Deum [i]: homo, in quo relucet imago Dei [k], sed habet maculam tum potentia, tum actu: Angelus[l], verùm potentia maculosus est: Scriptura diuina & sacra, in qua consideramus vultum natiuitatis nostræ [m]. Vis exempli, vt de Filio speculũ dicitur, est, quoniam producitur per intellectum, tanquam expressa species, in qua reducet res cognita: in aliis multis differentiæ multæ sunt, in quibus non immoramur.

Ex speculari & perspectiua scientia possent huc tropologicè quædam trãsferri, ac de Christo allegoricè. Planum speculum Oleot [n] speculatur fuisse planè docendo: concauum, humiliter moriendo: conuexum, potenter resurgendo. In concauo ima summáque ordine apparent inuerso, & ignis à radiis illîc allisis excitari solet. Nil præposterum magis quàm mori Deum (peregrinum & alienum opus ab eo vocat Esaias [o]) & in hac meditatione exardescit ignis [p].

Ex physiologia speculorum, artificióque, ac varietate non iniucunda Ceruantes hoc loco refert; sed forsitan longiùs nonnihil à lege commentatoris. Nec sua carebit & iucunditate, & vtilitate lectio libri de duodecim speculis

à Ioanne

[a] c. sanè cũ olim. de celeb. Miss.
[b] ser. 4. de Festo corp. Christi.
[c] Psal 35. 10.
[d] Ioan. 14. 9.
[e] 1. de incarnat. c. 14
[f] Ioan. 5. 19.
[g] ibid.
[h] 1. de fide. c. 4.
[i] 1. Cor. 13.
[k] Gen. 1. 26.
[l] Diony. c. 4 de diuin. nomin. ante med.
[m] Iacob 1. 23. vt exponit Augu. serm. 4. in Psal. 118. Hierony. ep. ad Demetriadem, Gregor. 2. moral. c. 1.
[n] lect. 101
[o] c. 28. 21.
[p] Psal. 38. 4.

à Ioanne Dauid nostro cócinnatis, in gratiam Deũ aliquando videre desiderantis, nempe de communi, fallaci, vrente, complacentiæ oculorum alienorum, quod est laudis alienæ, propriæ vilitatis purgatiuum, creaturarum, sacræ Scripturæ, exemplare, ænigmaticum, visionis beatificæ.

Dei maiestatis.] Græcè (τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας) quod auctor librorum de incarnatione [a] apud Augustinum, sed Origenis in nonnullis transcriptor, vt dixi, sic vertit (*inoperationis Dei*) & ait esse vigorẽ, per quem inoperatur Pater (vocabula sunt inusitata, & ex Græcis expressa) vel cùm creat, vel cùm prouidet, vel cùm iudicat, vel cùm singula quæque in tempore suo disponit, atque dispensat. Suspicor legisse Interpretem (ἐναργείας) quæ vox significat *euidentiam*, & *illustrationem*, & simile quid ei, qui dictus est antè candor, Græcè ἀπαύγασμα: percussi verò ad nitidissimũ speculum radij eximium splendorem, & maiestatis quodammodo plenum reddunt. Inde forsitan visum est Interpreti, vt phrasim variaret, & magis rem declararet, *maiestatis* vti vocabulo; quo item nonnunquam vtitur, vbi Græcè est ἰσχὺς [b], cui similis ἐνέργεια: vel vbi est δόξα [c], cuius loco alibi describitur lumen ac splendor [d].

Imago bonitatis illius.] Origenes [e], & is, quem nõ semel vocaui transcriptorem ipsius [f], hominem dicunt, vt imago Dei vocatur, comparandum potiùs cum pictura, vel statua: Filiũ Dei, vt est quoque Patris imago, cũ illo homine, qui eius, à quo genitus est, lineaméta omnia refert. Ambrosius [g] docet sic vocari Filium, quòd non corpus in corpore, sed virtus Patris in Filio tota cernatur; & inde doceri non esse dissimilem. Vsurpat Paulus de Christo nomen idem [h]: præterea *figuræ*, & *characteris*, quo denotatur, vt ait idem Ambrosius [i], expressio, nimirum ex alio, per quod res manifesta cognitione percipitur, qualis est sigilli figura in cera impressa.

Scholastici [k] rationem cur conueniat Christo peculiariter nomen *imaginis*, & quidem propriè (quicquid Durandus [l] dicat, & Aureolus [m]) assignant, quoniam ex vi productionis suæ per intellectum, procedit vt similis, & veluti ad imitationem substantiæ Patris producentis, quæ substantia per modum speciei intelligibilis ad Verbi diuini productionem concurrit. Imago autem propriè similitudo est, non quælibet, sed per se id, vnde habet originem, repræsentans; & cuius imago dicitur, etiamsi non ideo producatur, vt repræsentet; quod exemplo Seth ostendi potest, quem genuit Adã ad imaginem & similitudinẽ suam [n]. Hoc pluribus tradit locis Augustinus [o]. Aliquando tamen minùs propriè vocatur imago id, ad cuius imitationem res producitur, quod potiùs dici deberet exemplar. Sic legitur in Genesi [p] Deum dixisse; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, id est, ad exemplar, vel ideam, vt exponit Fulgentius [q], & Chrysostomus [r], qui etiam scribit esse vnam & eamdem, æqualémque imaginem Patris, & Filij. Præterea Spiritum quoque sanctum vocant quidam Patres imaginem Patris, & Filij, vt Basilius [f], Damascenus [t], Thaumaturgus [u], Athanasius [x], Cyrillus [y] Alexandrinus; quia quidquid in illis est, habet, & in iisdem est similis Spiritus sanctus vtrique, in quibus Patri Filius; denique quoniam omnia essentialia cómunia sunt. Sed idem Athanasius [z] vnius Dei vnam solam imaginem appellat, quòd Verbum item vnum dicatur, & vnus Filius. Eodem loquũ-

a lib. 1. c. 1.
b Esa. 2. 10. 19.
c Luc. 9. 36. 31. 32.
d Matth. 17. Mar. 9.
e 1. periarchon c. 2.
f apud Aug. de incarnat. c. 11.
g 1. de fide. c. 4 & in c. 32. Luc & in c. 1. Epist. ad Heb.
h Coloss. 1. 15. 2. Cor. 4. 4. Rom. 8. 29.
i supra.
k S. Thom. 1. p. q. 35. alij in 1. d. 27. 28. 31.
l 1. d. 28. q. 3.
m apud Capreol. 1. d. 27. q. 2. art. 2. in arg. contra. 6.
n Gen. 5. 1.
o lib. 83. qq. q. 74 quæstio. in Deuteron. q. 4. de Genesi ad lit. imperf c 16.
p c. 1. 26.
q de fide. c. 1.
r serm 5. cót. Anomæos.
f s. cót Euno. c. 12. & lib. de Spiritu sãcto.
t 1. de fide. c. 18.
u in confess. fidei apud Nyssē. in vita, & Euseb. 7. histo. c. 25.
x ep ad Serap postmed.
y 7. thesaur. & 13.
z in decretis Nicenæ Synod. & serm. 4. contra Arianos.

A tur modo Didymus [a], Nazianzenus [b], Chrysostomus [c]; & ex Latinis Hilarius [d], Augustinus [e], Ricardus Victorinus [f], Rupertus [g], Anselmus [h]. Item Cyrillus [i] Alexand. ait Filium esse communicabilem Patris imaginem, qua Pater videtur.

Characteris autem nomen significat, vt dixi, Filium esse expressissimam & perfectissimam Patris imaginem. Id quoque docent Basilius [k], & Damascenus [l]. *Hunc Pater signauit Deus*, ait Christus [m] de seipso; ἐσφράγισεν ὁ Θεὸς, *veluti sigillo expressit.* Nõ est character, siue forma impressa, vel imago, is qui impressit, sed similis ei: atque ita Filius non est Pater, sed Patri similis; nec essentia gignit essentiam, sed Pater Filium: & idcirco Filius est character & imago Patris, non autem essentia ipsius, quæ est eadem in Patre, & Filio, & Spiritu

B sancto. Concedit Rupertus [n] Spiritum sanctum similem esse Patri & Filio, tamen imaginem cógruere soli Verbo. Ratio autem est, quam priùs attuli ex modo processionis per intellectum, qui terminum formaliter similem habet ex vi propria formali, non autem, vel vt Ricardus Victorinus, & Bonauentura dicunt, quia Filius accipiat à Patre virtutem spiratiuam, nõ Spiritus sanctus: vel, vt ait Rupertus, quia imago sit propriè vnius dũtaxat. Nam hoc quidem falsum est, quoniam potest plurium imago esse: virtus spiratiua rationẽ sui essentialis & formalis est etiam in Spiritu sancto, videlicet ratione essentiæ diuinæ, licet nõ sit ratione connotati, hoc est, relationis, qua constituitur spirator. Lege Molinam, & Vazquez in

C primam partem S. Thomæ [o].

Possunt quidem personæ diuinæ dici similes, pro vt similitudo metaphoricè vsurpatur de substantiis; quo etiam pacto loquitur Augustinus [p], B. Thomas [q], Scotus [r]: nec enim excludit similitudo æqualitatem; imò quo maior vnitas, eo similitudo maior. Tamẽ ad vitandum errorẽ Arianorũ, qui vtebantur τῷ ὁμοιουσίῳ pro ὁμοουσίῳ, vt patuit in Concilio Ariminensi, quod idcirco dãnatum est; & hoc quoque nomine Basilius [f] Macedonianos reprehendit, cósultius videtur abstinere ab ea formula. Lege Theodoretũ [t], & Epiphanium [u]. Hinc fortassis est, quòd Ambrosius [x] ne-

D gat æqualitatis homini (idem de quauis alia creatura negaret) ad Deum, sed similitudinis æmulationem esse: solum Christum esse plenam imaginem Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis vnitatem: iustum hominem, si propter mutandam diuinæ cóuersationis similitudinem, mundum hunc Dei cognitione contemnat, voluptatésque terrenas verbi perceptione despiciat, &c.

Bonitatis illius.] Est Filius imago Patris secundùm essentiam totam, & essentialia omnia attributa: sed bonitatis nũc mentio fit, quoniã loquitur Auctor de sibi communicata liberaliter sapiẽtia. Est autem bonitatis communicare se. Fuit verò etiã

E bonitatis infinitæ communicare seipsam substãtialiter, vt nempe Pater generaret Filium, sicut & vt hi Spiritum sanctum producerent. Hinc Diuinitas Filij bene probatur; est enim imago expressa & substantialis Dei, atque bonitatis ipsius, ac proinde ipsissima bonitas, Deúsque. Sumenda verò bonitas essentialiter, & vt communis personis, non vt attribuitur Spiritui sancto: nec enim Filius est imago Spiritus sancti, cuius cum Patre principium est. Pineda [y] noster hactenus enũmerata epitheta Theologicæ scientiæ satis commodè applicat, inchoando à vapore.

a 3. de Spiritu sancto.
b apolog. de fuga.
c hom. 74. in Ioan.
d 7. de Trin. sub finem.
e 3. de Trin. c. 2. lib 7. c. vlt. lib. 15 c. 27.
f 6. de Trin. c. 19.
g 2. de Trin. c. 2.
h in monolog. c. 37. & seqq.
i 1. thesauri. c. 1. & epist. 10.
k epist. 43.
l 1. de fide. c. 9.
m Ioan. 6. 27.
n supra.
o q. 35.
p 7. de Trin. c. vlt.
q 1. p. q. 31. a. 2.
r 1. d. 31.
f epist. 81.
t 2. histor. c. 6.
u hæresi 73.
x lib. 10. in Lucam.
y 5. de reb. Salo. c. 16. n. 4.

Verſ.27.] Et cùm ſit vna, omnia poteſt:& in ſe permanens omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & prophetas conſtituit.

ADeò nobilis, tótque titulis honeſtis deſcripta ſapientia, mirū nō eſt, ſi, cùm vnica ſit, ac immota, operetur, ſicut in cunctis aliis rebus pro cuiuſque natura; ita in ſeipſo tam multa, quæ prius dixi. Nec vnus ego hiſce muneribus affectus ſum: hoc eius munus videtur officiúmve, ditare donis ſuis quoſcumque, & animas exornare ſanctitate, amicitiáque Dei, non ſolùm prophetia, & ſimilibus, quæ gratis data dona nominantur.

Cùm ſit vna.] Vna in eadem eſſentia Patris: vna perſona Filij: ſimplex ac indiuiſa in ſua eſſentia, & perſona; nec vnquam in plura diſtracta, licèt faciat & regat plura, & infinitorum vim ac perfectionem in ſe contineat.

Omnia poteſt.] Sicut Pater: eſt enim omnipotens ſermo [a]; ſicut & de Spiritu ſancto antè dictum eſt [b] habere omnem virtutem, & eſſe παντοδύναμον πνεῦμα. Non hîc morabor in explicanda omnipotentia Dei, & quæ non poſſit, non quia potentiæ minùs habeat, ſed quoniam eſſe, fictive non poſſunt, vt peccata, & repugnantia omnia. Lege S.Thomam [c] cum ſuis. Illa porrò non ſatis idonea videtur Soti [d] regula, vt dignoſcamus quid non poſſit Deus facere, nempe quod ſtatim atque propoſitum fuerit, intellectus noſter reſpuit, etiamſi non implicet contradictionem: id verò ſolùm à Deo poſſe fieri, quod poteſt intellectus noſter cōcipere, iuxta illud; *nō erit impoſſibile apud Deū omne verbum* [e], id eſt, quod mēte concipi poteſt. Hinc fieret, multa fidei myſteria eſſe impoſſibilia, quæ nequit concipere noſter intellectus, & niſi fidei lumine confirmetur, etiam reſpuit. Angelus autem Gabriel per *verbum* intelligit quidquid vel a nobis, vel ab aliquo intellectu poteſt intelligi abſque contradictionis implicatione.

a Sap 18.15.
b verſ. 21.
c 1.p.q.25.
d 3.Phyſ.q.4.
e Luc.1.37.

In ſe permanens.] Græcè (μένουσα ἐν ἑαυτῇ:) quoniam ſummum eſſe ſibi eſt, ac immota & immobilis eſt. Non eſt verbum fluens ſicut noſtrum, ſed incommutabiliter manet, vt hinc probat Auguſtinus [f]. *Ipſi peribunt* (cœli) *tu autem permanes, & idem ipſe es* [g]. Abſolutè autem ſimplicitérque id intelligendum eſt, etiam de perfectionibus quibuſdam, quas Caietanus liberas vocat, & aduenire poſſe Deo putat. Cabbaliſtæ tradūt הוא *hu, ipſe*, primum eſſe Diuinitatis attributum, iuxta id; *Ego* [h] *Dominus, hoc eſt nomen meum*; &, *ego* [i] *ſum ipſe*. Hoc Latini exprimūt per *idem*, Græci per ταυτόν. Vnde Pythagoræi ſumebāt *idem* pro bono principio, vno, ſtabili, dextro, vero, finito: τὸ ἕτερον, *alterū* pro infinito, falſo, obliquo, mutabili, diuerſo, malo. Homerus [k] etiam ἕτερον καὶ ἄλλο ſummè deteſtabatur: & memorabile eſt in Apollinis templo inſcriptum τὸ, εἶ, *es* [l]; quòd idem ſemper Deus ſit, & abſolutiſſimus ſit. *Non eſt apud eum tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio* [m]: *non eſt Deus vt filius hominis, vt mutetur* [n]: *ſolus habet immortalitatem* [o] (immutabilitatis abſolutæ.) *Ego Dominus*, inquit Deus, *& non mutor* [p]. Legendi Dionyſius [q], Irenæus [r], Iuſtinus [ſ], Auguſtinus [t].

f de fide, & Symb.c.1.
g Pſ.101.27. 28.Heb.1.11.
h Eſa.42.8.
i c.43.25.
k Iliad 9.
l Plu.opu.de ei.
m Iacob.1.17.
n Nu.23.19
o 1.Tim.6.16.
p Malac.3.6.
q cœleſt hier. c.3. de diui. nomin.c.5.
r lib.2.c.28.& 47.
ſ q.36.& 51.ad Ortho.
t 1.deTrini.c.1.2.confe c.4. medit.c.19. manual. c.1. de Eccl dogmatib c.58.

Omnia innouat.] Græcè (τὰ πάντα καινίζει.) Siue res producat, ſiue conſeruet, innouat. Cùm enim pendeat eſſe à Deo, ipſa rei conſeruatio eſt veluti noua eiuſdem productio, & ſuccedentes circa eandem rem mutationes, atque operationes nouitatem important. *Ecce noua facio omnia* [a], cùm noui cœli, terráque [b] poſt Iudicium erit; & noua creatura efficitur [c], atque in nouitate vitæ ambulare poteſt [d], & ſpiritus [e], & ſenſus [f], qui accipit *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti* [g]; pro vt etiam proximis innuitur verbis.

a Apo.c.21.5
b Eſa.43.19. c.65.17.c.66 22.&2.Petr.3.13.Apoc 21.1.
c 2.Cor.5.17.
d Rom.6.4.
e Rom.7.6.
f Rom.12.2.
g Tit.3.5.

Et per nationes in animas ſanctas ſe transfert.] Græcè (κατὰ γενεὰς, *per ſingulas generationes*) ſine acceptione perſonarum, & in omni gente, in qua quis timet Deum [h], deſcendit, vel tranſit (μεταβαίνουσα) ad animas ſanctas, vt eas nempe ſanctificet, aut iam ſanctificatas ſanctitate maiore cumulet, aliiſve gratis datis donis exornet, vt ſe ad cuiuſq; captum accommodet, omnibus omnia facta [i]: eruditum Moſem Legiſlatorem conſtituens [k]: ex ouium paſtione ad hominum regimen Dauid vocans [l]: ex piſcium ad hominum piſcationem Apoſtolos [m]: ex impuris ad honeſtos amores Magdalenam [n]: ad Chriſtum paſtores per Angelum [o]: Magos per ſtellam [p]: Simeonem ſpiritualem in ſpiritu [q]: ac veluti virgarum colores in canalibus ouium varians [r]. Lege Chryſoſt. [ſ]

Tranſlatio hæc non ſitus, ſed effectus nouitatem denotat. Hæc eſt innouatio ſpiritualis, de qua paulo antè dixi: hic innouatus in viſceribus ſpiritus rectus [t]: hæc encænia diuina & ſacra, & feſtiua, quibus dedicamur in templum Dei, ac in eius ſemper honorem feriamur. Apud Quintilianum [u] patronus dicit neminem non aliquando cœpiſſe peccare, nec per ἐγκαίνια ducendum ſcelus primum, id eſt, non palàm, non publicè, non conſciis aliis, quemadmodum encæniorum feriæ magno hominum conuentu agitabantur, celebrabantúrque, vt Turnebus [x] notat. Vix latet ſanctitas; prodit & exerit ſe vel inuita.

h Act.10.34.35.
i 1.Cor.9.22.
k Act.7.22.
l Pſ.77.70.
m Mat 4.19.
n Luc.7.47.
o Luc 2.9.
p Matth.2.2.
q Luc 2.26.
r Gen.30.30. & ſeq.
ſ homil 6. in Matth.
t Pſ.50.12.
u lib.7.c.2.
x lib.12. aduerſ.c.11.

Amicos Dei, & Prophetas conſtituit.] Propheta nonnunquam in Scriptura ſanctum virum ſignificat, vt aliàs [y] notauimus, ſiue amicum Dei. Exemplum præſertim afferebam ex Geneſi [z], vbi Deus dixit Abimelech Regi Geraræ de Abraham; *Redde viro ſuo vxorem, quia Propheta eſt: & orabit pro te, & viues.* Eodem ſenſu cœcus natus reſpondit, ſibi videri Chriſtum, à quo viſum receperat, Prophetam eſſe [a], vt exponunt Cyrillus, & Leontius [b]; atque ita etiam ſæpiùs nominatum Chriſtum conſtat [c]: & Euthymius [d] notauit aliquando nomen eſſe non officij, ſed ſanctitatis. Poſſunt nihilominus Prophetæ hîc accipi prædicendi dono præditi, vt ſapientia non ſolùm perficiat voluntatem charitate, & animam gratia ſāctificante, & aliis cum hac neceſſariò connexis; verùm etiam, ſaltem aliquando, intellectum prophetia, & ſimilibus gratiis gratis datis, necnō alias potentias. Sed quia Prophetæ nomen, munúſque apud Hebræos erat percelebre, ſub illo cætera dona intelliguntur. De Prophetis vtriuſque Teſtamēti diximus in Actibus Apoſtolicis [e]. In nouo peculiariter ſumus amici Dei, quia vnigenitus eius quæ audiuit, nota fecit nobis, non tractans vt ſeruos, ſed vt amicos [f].

y Act.3.22.
z c.20.7.
a Ioan.9.17.
b ibid.
c Matt 21.11. Marc 6.4.15 Luc.7.16.c.24.19.Ioan.4.19 c 6.14.c.7.40 52.
d in c.7.Luc.
e Act.2.27.
f Ioan.15 14.

Verſ.28.] Neminem enim diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat.

QVi *manet in charitate, in Deo manet; & Deus in eo* [g]; quod nos ſuo loco expoſuimus [h] intelligi quoque de manſione ac inhabitatione

g 1.Ioan.4.16.
h ibid.

per

per habituale gratiæ charitatiſque donum. Manſionem facit Deus in eo, qui diligit ipſum, & mádata eius ſeruat [a], vel ſeruare paratus eſt, cùm oportet, per dictam qualitatem inhærentem, cum auxilio actuali. Tales diligit Deus ſecundùm præſentem ſaltẽ, vt dicunt, iuſtitiã, non tamen neceſſariò ſecũdùm prædeſtinationẽ, quę verſari poteſt circa eos, qui tali modo non diliguntur, videlicet circa peccatores, qui non diligunt, nec habitant cum ſapientia; diligent tamen ac diligentur per inhærens charitatis & gratiæ communicatũ donum ante vitæ terminum. Vtrumque ſi adſit, vt quis nempe in lege Domini meditetur die ac nocte [b], atque moretur in ſapientia [c], longè melius.

a Ioan. 14. 23.
b Pſal. 1. 2.
c Eccli. 14. 22.

Cauſa quidem cur Deus diligat iuſtum, eſt iuſtitia habitans in iuſto, & inhærens, quam ipſemet in illo produxit: nihilominus aſſeritur quòd neminem Deus diligit niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat, vt quiuis inducatur ad perſeuerantiam in hac ſapientia, & ad eius acquiſitionem, ſi non habeat, cùm ſit paratus Deus poſtulanti eam dare affluenter [d]. Simili phraſi, vel figura, quam vocant hypallagen, dicuntur dari claſſibus auſtri, ventíque alij, cum propriè nauis ventis, non hi naui dentur, ſiue committantur, vt obſeruat Iſidorus [e].

d Iacobi 1. 5.
e 1. etymol. c. 36.

Inhabitat.] Indicat inhabitatio iſta familiaritatem illam, quæ eſt inter cõiuges, ſicut & ſequenti capite dicit Auctor [f] quæſiuiſſe ſibi eam ſponſam aſſumere. Significat certè σύνοικος non ſolùm *quemlibet cohabitatorem*, & *contubernalem*, ſed etiam *coniugem*, & συνοίκησις *coniugium*, necnon συνοικέσιον, quo potiùs Eccleſiaſtici vtuntur, vt Concilium Chalcedonenſe [g]. Hoc loco eſt *συνοικῶν σοφίᾳ, connubio iunctus ſapientiæ.*

f verſ. 2.
g can. 27.

Verſ. 29.] Eſt enim hæc ſpecioſior Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata inuenitur prior.

IVſta cauſa cur diligat Deus inhabitantem cum ſapientia, quare quis hoc expetat cum ſapientia contubernium, atque cõiugium. Nam ſapientiæ pulchritudo Solis ac ſtellarum, omníſque lucis vincit pulchritudinem: pulchritudine autem illicitur & conciliatur amor. Huius pulchritudinem ſapientiæ Sol, ac Luna mirantur, vt ſpecioſiſſima dixit Agnes [h], refutans carnales nuptias. Hæc virginali elegantiſſima forma, & ſplendorem Solis facilè ſuperans, vultúque placidiſſimo ſapientia Laurentio Iuſtiniano [i] annum agenti vndeuigeſimum exhibuit ſeſe, ac ſponſam obtulit, nominatim exprimens ſe Dei ſapientiam, quæ ad reformandos homines formam induiſſet humanam; & iucundiſſimam pacem certiſſimè pollicens, ſi annueret: quod is vbi feciſſet, dato oſculo læta gaudénſque, vt videbatur, abſceſſit. Nazianzenus [k] haud abſimile narrat accidiſſe ſomnium ſibi de auguſtiſſimis puellis duabus Caſtitate, atque Temperãtia, quæ ipſum amplecterentur, faciei facies iungerent, & promitterent futurum, vt ſingulari quodam ſplendore præditum in cœlum ferrent, ac iuxta immortalis Trinitatis fulgorem collocarent.

h in vita.
i in vita.
k oratione de calam. animæ ſuæ.

Specioſior Sole.] Vis comparationis nequit intelligi, niſi Solis declarata pulchritudine. Sed ad hoc quis idoneus? Dixi nonnulla in Eccleſiaſtis enarratione [a]. Præcipit verò etiam Plato [b], vt rerum cœleſtium varietate ac pulchritudine vtamur ad ſupernarum rerum contemplationem. *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius* [c]: *vas admirabile, opus Excelſi, magnus Dominus qui fecit illum* [d]: *tanquàm ſponſus procedit de thalamo ſuo* [e]. Denique ſtulta Gentilitas Διὸς τέκος, *Iouis filium* appellauit. At *oculi Domini multo plus Sole lucidiores* [f]. Alibi Scriptura [g] pulchritudinem potiùs Lunæ attribuit, quia noſtris oculis magis eſt accommodata lux eius, non adeò acris veheménſque: Solem electũ nominat ob lucis exceſſum. Miror propterea minùs cultũ pro Deo Solẽ paſſim à Gentilibus, ac multitudinem priſcorum idolorum reuocatam ad vnum Solem ſub diuerſis appellationibus, vt Macrobius [h] prodidit. Lege de Solis encomio Ambroſium [i]. Defixus Dauid in admirabilis potentiæ Dei contemplatione, ac exclamans [k]; *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!* ſubdit [l]; *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti*: de Sole nil dicit, vel quia percellebat oculos ipſos non corporis tantùm, ſed mentis etiam: vel quoniam noctu illa meditabatur, & ſcribebat, ſerenum ac ſtellatum cum Luna ſpectans cœlum.

a c. 11.
b 7. de Repu.
c Eccli. 42. 16.
d ibid. c. 43. 5.
e Pſa. 18. 6.
f Eccli. 23. 28.
g Cant. 6. 9.
h 1. Saturnal. c. 21. 22. 23.
i 4. hexam. c. 1. 6. 7. 8.
k Pſal. 8. 2.
l verſ. 4.

Diſpoſitionem ſtellarum.] Græcè (θέσιν, *poſitionem, ſitum, collocationem ordinatam.*) Ab iſto ordine, qui requiritur ad pulchritudinem, vocantur interdum ſtellæ nomine *militia*, vel *exercitus*, ſiue *Sabaoth* [m], vt docuimus in Actibus Apoſtolicis [n].

m Iud. 5. 20. Deut. 17. 3. 4. Reg. 17. 16. c. 21. 3. 5. 2. Paral. 33. 3. Eſa. 24. 21. c. 34. 4. Ier. 19. 13. Act. 7. 42.
n c. 7. 42.

Luci comparata inuenitur prior.] Luce quacumque Solis, ac ſtellarum prior eſt ſecundùm dignitatem, atque etiam tempore, imò æternitate, ſi de luce, ac ſapiẽtia increata, Deíque Filio ſit ſermo. Creata verò ſapientia, infuſa, ſupernaturalis vincit dignitate vniuerſum ordinem rerum ſupernaturalium. Nomen ipſum σοφία Philoponus [o] dici vult quaſi σαφίαν, quoniam res diuinæ, circa quas verſatur, per ſe ac natura ſua ſint manifeſtiſſimæ: *omne* autem *quod manifeſtatur, lumen eſt*, inquit Paulus [p]. Alij malunt dici σοφίαν, quaſi ζόφον, id eſt, *caliginem*. Sed caligo iſta in oculis fit noſtris tanquam noctuarum nimio ſplendore perculſis. Verùm qui id probant verbis Eccleſiaſtici [q]; *Sapientia doctrinæ ſecundum nomen eſt eius*, ineptè faciunt, non minùs quàm ibi ſignificari eſſe quaſi ſapidam ſcientiam, quoniam liber ille Hebraicè primùm ſcriptus eſt, vt conſtat ex eius prologo, & Hieronymus Hebraicè ſe legiſſe teſtatur, & colligitur ex prologo.

o in 1. Poſterio. ſub finem.
p Epheſ. 5. 13.
q c. 6. 23.

Verùm, vt redeamus ad inſtitutum, ſi Angeli ante mundum corporeum creati ſunt, & concreata ipſis eſt ſapientia, gratiáque, tempore quoque ſapientia prior fuit luce materiali. Hoc quidem hîc docet Carthuſianus. Græcorum Patrum de illa creatione Angelorum priore opinio fuit, ac præterea ex Latinis Nouatiani [r], Caſſiani [ſ], Ambroſij [t], Hieronymi [u], Hilarij [x], Lactantij [y], Bedæ [z], Anſelmi [a]: quibus accedit Moſes Barcepha Syrus Epiſcopus [b]. Contraria Latinorum eſt; & qui diſtinguũt ſeptem dies, prima die creatos volunt; ac quidam quoque ſub *lucis* voce comprehendunt. Sed & de Græcis idem ſentit Theodoretus [c], Epiphanius [d], Acacius [e]. Hanc non dubito longè veriorem, tutioremque ſentẽtiam. Nam ſic præciditur occaſio errori aſſerentium creatum ab Angelis corporeum mundum: cùm lapſi quoque ſint breui pòſt creationem momento dæmones, abiectos deorſum de cœlo fatendum eſt;

r lib. de Tri. apud Tertul.
ſ collat. 8. c. 7.
t 1. hexam. c. 5.
u in c. 1. ad Titum, & epiſt. 142.
x 12. de Tri. ſub finem, & lib. contra Auxen. ſub finem.
y 2. inſt. c. 9.
z lib. ſeparatarum quæſt. q. 9.
a de imagine mundi. c. 1.
b de paradiſ. p. 1. c. 7.
c q. 3. in Gen.
d hæreſi 65.
e in ſelectis qq.

igitur in locum certum corporeum, paratum à constitutione mundi [a]. Fauet item valdè quod in Concilio Lateranensi primo sub Innocentio III. [b] decernitur, ab initio temporis vtramque de nihilo conditam creaturã, spiritualem & corpoream, Angelicam & mundanam. Lege Genesis Expositores, & S. Thomam [c], & Scholasticos [d].

a Matth. 25. 41.
b de sum. Tri. c firmiter.
c 1. p. q. 61.
d 2. d. 2.

Porrò post Solem ac stellas de luce mentio fit, quoniam existimauerunt nonnulli primo die factam lucem maiorem fuisse, & circum seipsam collectam atque coaceruatam, vniuersitatem rerum circumiuisse; postea, nimirum die quarto, propriis quasi particulis ad cognatas, sibíque accommodatas res redactam, diremptam, separatam esse. Hoc his ipsis verbis Nyssenus [e] tradit, Athanasius [f] etiam, Theodoretus [g], Procopius [h], Eugubinus [i]: Hieronymus [k] autem videtur velle nõ tridui duntaxat lucem; sed prima hebdomada tota splendidiùs emicasse. Neque tamen approbo hanc sententiam: sed vel æqualem semper lucem solarem, licèt non ita determinatam, vt sentit B. Thomas [l] citãs Dionysium [m], Catherinus [n] quoque, Vielmius [o], Carthusianus [p], Valentia [q], & alij recentiores: vel maiorem, postquam formata sunt astra, fuisse; quod docent Tertullianus [r], Ambrosius [s], Augustinus [t], Iunilius [u], glossa ordinaria [x], Hugo S. Victoris [y], Magister sententiarum [z], & Magister historiæ Scholasticæ [a], Beda [b], Lyranus [c], Abulensis [d], atque inter Græcos Chrysostomus [e], & ex recẽtioribus Ascanius Martinengus [f], Pererius [g].

e in hexam.
f q. 83. & 85.
g q. 16. in Genes.
h ibid.
i ibid.
k lib. 9. in c. 30 Isa.
l 1. p. q. 67. art. 4. ad 2. & q. 70. art. 1.
m de diui. nomi. c. 4. p. 1.
n in Genes.
o ibid.
p ibid. art. 9.
q 1. p. disp. 5. q. 3. puncto 4.
r contra Hermogenem.
s 4. hexam. c. 3.
t 1. Genes. ad lite. c. 11.
u in Genesim.
x ibid.
y lib. 1. de Sacram. 1. p. c. 11.
z 2. d. 13.
a c. 3.
b in hexam.
c in Genes.
d ibid.
e hom. 6. in Genes.
f in Genes. pag. 946.
g ibid.

Vers. 30.] Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia.

RAtio cur prior sit dignitate sapientia, quàm lux materialis: quoniam nihil est quod eam per se, ac propria vi possit expellere. Perenniter lucet sine detrimento, aut periculo tenebrosæ malitiæ. De sapientia quidem increata liquidò constat: creatam verò supernaturalem solus eius auctor subtrahit propter demerita possidentis illam, vt Lyranus monet. Vincit etiam sapiens in bono malum, non vincitur à malo [h]. Vicit aliquando malitia, vt perpendit Bernardus [i], quando persuasit serpens præuaricationem [k]: at æterna Sapientia non potuit vinci; vicit potiùs in bono Incarnationis suæ hoc tantum malum: & pro fatua superbáque muliere reddita nobis est prudens & humilis, quæ longè meliùs Angelo respondit [l], quàm diabolo Eua [m], deditque nobis de ligno veræ vitæ [n].

h Rom. 12. 21.
i hom. 2. super Missus est.
k Gen. 3. 3.
l Luc. 1. 34. 38.
m Gen. 3. 1. 2.
n ibid. 22.

Illi succedit nox.] Diei succedit nox; idcirco *lucis* nomine, quod præcessit, ea quæ Soli conuenit, debet intelligi. Quo fit, vt probabilis opinio sit, lucem primo factam die, non aliam fuisse à solari, licèt Sol, Lunaque cum astris die quarto secundùm quosdam peculiares modos creata narrentur [a]. *Lucis* nomen absolutè Solis designat lucem, trito quoque ac vulgari modo, quo lucem vocamus hodiernam, & recepta opinione, qua dies hebdomadæ primus, dies vocatur Solis. Illud præterea hinc effici videtur, præcessisse diem ante noctem. At neque proposito necessaria consecutio est, cùm sufficiat, si post diem nox succedat: neque forsitan est verum, cùm potiùs vesperum præponat historia Genesis [b] tempori matutino, dies distinguendo quibus res sigillatim conditæ sunt; & asserat tenebras fuisse priusquàm fieret lux, super faciem abyssi: quod interuallum Abulensis [c], & Molina [d] definiunt horarum duodecim æquinoctialium. Sed hæc exquisitè tractare nostrum modò non est.

a Gen. 1.
b Genes. 1.
c in Genes.
d 1. p. de opere sex dier. disput. 7.

Postremò, licèt cum nocte malitia comparetur, propter lucis priuationem, ac velut vmbram remotioris ab hemisphærio Solis, atque ob tenebras; nocti tamen commoda sua sunt, ad temporis constituendas mensuras: ad temperamentum diurni caloris: ad lenimẽtum laborum: ad leuandum fastidiũ: ad otium quoque pium & serium: ad liberum feris pabulum [e]. Qua de re, quotquot dissetunt de opere sex dierum, necnon de prouidentia Dei, vt Theodoretus [f], ac præterea Cyrillus [g] Ierosolymitanus, & Chrysostom. [h] Denique *sic cœli enarrant gloriam Dei* [i], vt non dies tantùm diei eructet verbum huiusce laudis; sed nox etiam nocti indicet scientiam, hoc est, & dum durat hęc vicissitudo, & tum dies, tum nox ipsa, quidlibet per se, celebrant Deum, atque in eius notitiam deducunt.

e Psal. 103. 20. 21.
f lib. 1.
g catechе 9.
h hom. 5. de incomprehensib. Dei natura.
i Psal. 18. 1.

Malitia.] Græcè (*κακία.*) Vel iniquitas est, vel occasio iniquitatis, vel aduersitas, & calamitas. Nihil horum valet contra sapientiam, vt expositum est. Diximus quoque aliàs de postrema *malitiæ* notione. Nec admodum diuersa significatio, vt iniquitas accipiatur pro iniquis insidiantibus, vt ibi [k]; *In vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*; Chaldaicè אתרגושא *ithraggoscha, tumultus multus*; Hebraicè הוות *hauuoth*; Hieronymus, *insidiæ*.

k Psal. 56. 2.

Cæterùm Hugo ab illis verbis inchoat sequẽs caput (*sapientiam autem non vincit malitia*) & meminit alterius lectionis (*in sapientiam autem non incidit malitia.*) Legi quoque alios codices impressos, in quibus principium ducitur ab aliis (*hanc amaui*, &c.) quam item sectionem Vatablus, & ex Græcis Cantacuzenus est secutus. Sed & primam in manuscriptis reperi.

SVMMARIVM.

PERGIT Auctor adhuc in sapientiæ laudatione, potissimùm verò ac per se increatæ: facitque inductionem in cunctis, quæ solent concupisci, docens hæc à Deo expectari & expeti debere; nominatim, præcipuéque continentiam, quam vnus dare potest Deus.

CAPVT VIII.

1 ATtingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

2 Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute

A mea,& quæsiui sponsam mihi eam assumere,& amator factus sum formæ illius.

3 Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed & omnium Dominus dilexit illam.

4 Doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius.

5 Et si diuitiæ appetuntur in vita, quid sapiētia locupletius, quæ operatur omnia?

6 Si autem sensus operatur, quis horum,quæ sunt,magis quàm illa est artifex?

7 Et si iustitiam quis diligit:labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem B enim,& prudentiam docet,& iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.

8 Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat: scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa & monstra scit antequam fiant,& euentus temporum & seculorum.

9 Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum,sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio C cogitationis,& tædij mei.

10 Habebo propter hanc claritatem ad turbas,& honorem apud seniores iuuenis:

11 Et acutus inueniar in iudicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me:

12 Tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.

13 Præterea habebo per hanc,immortalitatem: & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.

14 Disponam populos:& nationes mi- D hi erunt subditæ.

15 Timebunt me audiētes Reges horrendi:in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.

16 Intrans in domum meam, conquiescam cum illa:non enim habet amaritudinem conuersatio illius,nec tædium conuictus illius,sed lætitiam & gaudium.

17 Hæc cogitans apud me,& commemorans in corde meo: quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ:

18 Et in amicitia illius delectatio bona, E & in operibus manuū illius honestas sine defectione, & in certamine loquelæ illius sapientia,& præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quærens, vt mihi illam assumerem.

19 Puer autem eram ingeniosus,& sortitus sum animam bonam.

20 Et cùm essem magis bonus,veni ad corpus incoinquinatum.

21 Et vt sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum:adij Dominum,& deprecatus sum illum,& dixi ex totis præcordiis meis.

Vers. 1.] Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter,& disponit omnia suauiter.

DIXI extremo priore capite necti hæc à nonnullis cum iis quæ sunt ibi; & alios aliter secare ista capita. Cohærent sanè hæc prioribus, vt nulla possit sapientiæ lucem quasi malitiæ caligo extinguere, ac vincere, quoniā nihil est quod illa non moderetur. Nam infinita potentia sua vniuersæ principium naturæ,finémque complectitur; nec aptiùs quidlibet in quolibet genere, meliùs, elegantiùs,firmiùs constitui potest, quàm quo modo sapientia illud constituit. Punit præterea,cùm opus est, peccatores, eorúmque frangit superbiam; nec ibi tamen deficit misericordiæ suauitas,quæ conspicitur quoque dum eos tolerat, & expectat; necnon in calamitatibus,quibus exercet iustos. Præcipiendo parendi necessitatem imponit, sed obedientiam permittit libertati. Sunt *via Domini vniuersæ,misericordia & veritas* [a]. Efficax causa prima est; sed concursum suum quodammodo attemperat ad secundas, vt & hæ consentaneè ad insitas facultates operentur,cum liberis liberè (diximus & de hoc aliquid capite præcedente [b]) cum necessariis necessariò,cum contingentibus contingenter concurrendo,id est,vt sua cuique salua sit naturalis operandi ratio; &, vt Augustinus [c] scribit, sic administrat omnia quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.

Allegoria est, vel anagogia Bonauenturæ, vt secunda persona quæ dicitur Sapientia,attingat à Patre vsque ad Spiritū sanctum per identitatem substantiæ; fortiter ob Patrem, cui attribuitur potentia; suauiter propter Spiritum sanctum, cui bonitas. Vel à Diuinitate vsque ad humanitatem per incarnationem;fortiter,quia est incarnatio summæ potentiæ opus; suauiter,quoniam immensæ simul misericordiæ, & nulla Christo (qui tot simul hîc agens mortales afficiebat beneficiis) familiarior virtus, quàm mititas & humilitas [d], qui propterea quoque agnus & ouis dici voluit [e]. Fauet Augustinus [f],dicens,quòd diabolo insidiante, & furente vtitur ad salutem fidelium suorum excellentissima, seu excelsissima sapientia Dei, à fine superiore, quod est initium spiritalis creaturæ, vsque ad finem inferiorem, quod est mors corporis, pertendens fortiter, & disponens omnia suauiter. Applicat id quoque ad incarnationem,in qua summis ima coniuncta sunt [g]. Affert Hugo tropologiam de septem gradibus, quibus accedit malitia quodam modo ad expugnandam sapientiam, déque totidem, quæ sunt dona Spiritus sancti, quibus hæc fortiùs, suauiúsque illam impugnat,& expugnat. Lege, si vacat, & placet.

Primus allatus literalior sensus; ex quo Christi præsentiam in omnibus locis colligit Augustinus [h], & Christi Diuinitatem [i], per quem Pater fecit omnia [k], cum quo erat cuncta componens [l]. [Attingit à fine vsque ad finem, inquit

a Psa.24.10.
b vers.17.
c 7.de ciuit. Dei.c.30.
d Matth.11. 29.
e Esai.53.7. Ioan.1.36.
f 4.de Trinit. c.14.
g epist.3.
h epist.57.
i de fide, & Symb.c.3.
k Ioan.1.3.
l Prou.8.30.

Bernar

a tractat. de grat. & liber. arbitr. paulo post med.

Bernardus [a], à summo cœlo vsque ad inferiores partes terræ: à maximo Angelo vsque ad minimum vermiculum. Fortiter, non mobili discursione, vel locali diffusione, vel subiectæ creaturæ tantùm officiali administratione; sed substantiali quadam, & vbique præsenti fortitudine, qua vtique vniuersa potentissimè mouet, ordinat, administrat. Suauiter, sine necessitate, sine difficultate, sed placida voluntate. Item attingit à fine vsque ad finem, ab ortu creaturæ ad finem, quem ei destinauit ipse, siue in quem vrget natura, vel accelerat causa, vel concedit gratia. Fortiter, dum nihil horum euenit, quod non, pro vt vult, potenti præordinet prouidentia.] Tum verò hortatur, vt imitemur in hoc Deum, vt imperet ratio potenter sensui, suauiter, id est, prompta & alacri voluntate. [Item attingit, ait idem [b], à fine vsque ad finem fortiter in instituendis, & continendis rebus; & disponit omnia suauiter, in beandis, & ordinandis affectibus.] Sed adhuc de Christo Fulgentius [c], & iterum Augustinus [d]. Vti quoque possumus hoc testimonio pro gratiæ diuinæ, auxiliique efficacia coniuncta cum arbitrij nostri libertate, à fine, id est, à principio, & cogitatione operis, vsque ad finem, id est, vsque ad eius perfectionem & absolutionem, & superatis omnibus difficultatibus. Sed ita, vt fortitudo seu vis, & efficacia non intelligatur tanquam physicè prædefiniens; hoc enim repugnat suauitati, quæ saluam relinquat arbitrij libertatem, non euertat impediátve liberum eius vsum.

b ser. 50. in Cant.

c ad q. 1. Ferrandi.

d de cant. nouo c. 7.

Hoc sanè sensu Origenes [e], Nyssenus [f], aut Nemesius, Theodoretus [g], Damascenus [h] docuerunt, non à prouidentia Dei liberas hominum actiones fieri, sed ab hominū ratione, atque consilio; scilicet quoniam nō affert prouidentia necessitatem, nec ad vnum determinat illas, quemadmodum determinantur ea, quæ non sunt libera. Videtur id voluisse Dionysius [i], huc etiā alludendo, cùm scripsit, vocari Deū in sacris eloquiis λόγον, *rationem*, nō solùm quia rationis & mentis, sapientiæque auctor est; sed etiam quia causas omnium vniformiter in se anticipat, & quoniam per singula transeundo peruadit vsque ad omniū finem, sicut, inquit, tradunt eloquia. Λόγος δὲ ὁ Θεὸς ὑμνεῖται πρὸς τῶν ἱερῶν λογίων, οὐ μόνον ὅτι καὶ λόγου, καὶ νοῦ, καὶ σοφίας ἐστὶ χορηγὸς, ἀλλ᾽ ὅτι καὶ τὰς πάντων αἰτίας ἐν ἑαυτῷ μονοειδῶς προείληφε, καὶ ὅτι διὰ πάντων χωρεῖ διϊκνούμενος, ὡς τὰ λόγιά φησιν, ἄχρι τοῦ πάντων τέλους.

e 3. periarchon c. 1.
f 7. philosop. c. 1. lib. 8. c. vlt.
g epito. diuin. decreto. c. de prouid.
h 2. de fide. c. 29.
i c. 7. de diuin. nominib.

Attingit.] Græcè (*διατείνει*.) Augustinus [k] (*pertendit*) Vatablus (*pertingit*, aut *perspirat*.) Hoc vltimum non placet; sed alia prioribus synonyma, *protendit se, extendit, distendit, porrigit*, vel *peruenit, pertinet*; quemadmodum & Græca synonyma Budæus [l] facit διήκω, & διϊκνοῦμαι. Ipse [m] autem legens hoc loco διαπνεῖ, vocánsque, sed sanè non agens hac in parte vel iure, vel modo, absurdissimam versionem nostram, sic vertit (*perspirat autem ab extremo vsque ad extremum firmiter, & administrat omnia commodè*.) Gyrum cœli sapientia ipsa circuiuisse se solam dixit, profundum abyssi penetrauisse [n]; quando Deus præparabat cœlos adfuisse; quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, cum eo fuisse cuncta componendo [o].

k 4. de Trin. c. 14. & libr. 83. quæst. q. 53.
l com. ling. Græcæ.
m in pandect.
n Eccli. 24. 8.
o Prou. 8. 27.

Ergo.] Græcè (δὲ, *autem*.) Aliquando δὲ, & Latina particula *autem* idem valet quod *ergo* [p]: & οὖν, atque *ergo* non illatiuam semper vim habet, sed inceptiuam, aut continuatiuam sententiæ [q]. Interpres agnouit illationem ex præcedentibus.

p 1. Ioan. 4. 18.
q Mat. 6. 22. 1. Pet. 5. 1.

A *A fine vsque ad finem.*] Ab extremo ad extremum, per omnia quoque media. Nec enim finis causam finalem hoc loco significat, quam Græci non πέρας, quod hîc est, sed τέλος vocare magis solent. Videtur hîc quoque indicari, vt dixi, terminus cum victoria; vel perpetuitas concursus diuini, quandiu res existunt, vt à fine ad finem attingere, sit ab initio per omnem durationem. Viuere in finem dicitur Deus [a], id est, semper, ac sine fine: & in Psalmis inscriptio (*in finem*) idem valet quod in victoriam, vel victoriæ, seu victoriæ auctori, quasi finitor sit is, qui victor, & vice versa; quemadmodum docuimus in expositione Psalmi 67. Tandem per extrema intelliguntur creaturæ summæ & infimæ, quibus prouidet suo

a Psa. 48. 10.

B Deus modo, & vt exigit earum natura, summa quadā facilitate, & quasi velocitate: *velociter enim currit sermo eius* [b]. Quam velocitatem Augustinus [c] piè ac subtiliter admodum perpendit hunc ipsum expendens locum; dicitque hoc sapientiam facere, vt & vbique semper sit, & nusquam inclusa teneatur.

b Psa. 147. 15.
c ibid.

Fortiter.] Græcè (εὐρώστως, *bene fortiter, firmiter, constanter, penitus, intime, validè*.) Isti fortitudini cum suauitate, quæ mox hîc subiicitur, similis est species pulchritudóve, atque gladius Christi [d], siue decor, & fortitudo eiusdem [e], quæ sponsæ præterea tribuuntur [f]. Capite quoque [g] priore dicebatur sapientia attingere vbique propter suam

d Psal. 44. 3. 4.
e Ps. 92. 1.
f Prou. 31. 25.
g vers. 24.

C munditiam.

Disponit omnia suauiter.] Græcè (διοικεῖ τὰ πάντα χρηστῶς, *vtiliter, commodè, benignè*.) Sic Interpres ζυγὸν χρηστὸν vertit *iugum suaue* [h], & Saluatoris χρηστότητα, *benignitatem* [i]: χρηστὸν κύριον, *dulcem Dominum* [k]. Cùm vel barbarè, vel ridiculè, vel contemptim Gentiles pro Christo, & Christiano vsurparent Chrestum, atque Chrestianum, Tertullianus [l] de suauitate, vel benignitate composita nomina respondebat esse. Iustinus [m] eodem alludens, ait; χριστιανοὶ εἶναι κατηγορούμεθα. τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον, *Christiani esse accusamur: atqui quod vtile, & commodum est, odisse, iniquum est.*

h Matth. 11. 30.
i Tit. 3. 4.
k 1. Pet. 2. 3.
l apologe. 3.
m apol. 2.

Hinc porrò colligitur esse in Deo prouidentiam, quæ cùm propriè sit de mediis, & horum

D ratio consistat in vtilitate, rectè dictum, quòd sapientia disponit χρηστῶς, id est, *vtiliter*. Adolescentem adhuc Ephrem vexauit contraria suspicio, maturum quoque Basilium. Ille [n] diuino edoctus est viso, & carcere leuique supplicio: hic [o] post varios itineris errores, aliásque molestias, profitetur omnino res nostras Deum sua multo meliùs prouidētia dispensare, quàm nos optare possumus. Cum magna etiam reuerentia disponit nos, vt est in capite duodecimo [p]. Non id probandum pluribus. [Nam sicut ex quæstionibus, vt Clemens [q] docet Alexandrinus, aliæ sensu indigent, vt, an ignis sit calidus, nix alba: aliquæ admonitione, & increpatione, vt, an oporteat

n in sui reprehens. tom. 3. pag. 99. edit. Rom. & to. 2. de sua conuers. pag. 1.
o ep. 165. ad Eustath.
p vers. 18.
q 5. strom. c. 1. paulo post princ.

E honorare parentes: sic sunt, inquit, quædam dignæ quæ puniātur, cuiusmodi est, quærere probationes, an sit prouidentia.] Subdit paulo pòst: [& fortasse ne conari quidem oportet hæc probare, cùm sit manifesta diuina prouidentia ex aspectu omnium, quæ videntur effectorum, quæ arte consistunt, & sapientia, & quorum alia quidem fiunt ordine, alia verò ordine manifestantur.] De hoc tamen argumento plures extant profanorum sacrorúmque hominum tractatus.

Nil etiam affero de suauitate sapientiæ, quæ cernitur in cunctis operibus Dei, in damnatorum

quoque

quoque punitione, quæ est citra condignum. Legenda præclara Dionysij [a] sententia contra absurdam, vt ipse vocat, multorum rationem, qui aiunt oportuisse prouidétiam inuitos etiam nos ad virtutem ducere. [Atqui non est, inquit, prouidentiæ diuinæ violare naturam, sed est cuiusque naturæ conseruatrix, eis quæ per se mouentur, & libero aguntur arbitrio, conuenienter prouidens, omnibúsque & singulis propriè, vt omnium singulorúmque natura capit, pro modo cuiusque prouidentissimas bonitates impertiens.]

a de diuin. nomin. c. 4. p. 4.

Verf. 2.] Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui in sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.

TOt antè theologicis diuinísve laudatam sapientiam nominibus titulísque, & quantum fas fuit homini de Deo tum cogitare, tum loqui, nil mirum si tanto prosecutus amore fuerit, ac vnicè velut charissimá sponsam maturè adamauerit, omníque animi prouisione & studio, atque accuratissima diligentia peruestigauerit, nec ab ea, arcto constrictus vinculo coniugij, diuelli vnquam voluerit, conquiescens suauissimè in eius elegantissima pulchritudine. Videri potest loqués induci Salomon; cuius penè pueri vota precésque literis prodita sunt, quibus ardentem hunc sapientiæ amorem suum declarauit Deo [b]. Affert quoque in exemplum Cantacuzenus tres illos in Danielis libro celebratos pueros, quibus adiungi Daniel ipse, ac vterque Tobias, atque fortissimi Martyres Machabæi possent, præter innumerabiles ex vtroque sexu in nouo Testamento puerorum ac puellarum sapientissimos atque castissimos greges. Quanquã quod attinet ad tres illos socios Danielis, etsi passim pueri dicantur, itáque dici putentur propter ætatem, demonstrat Pererius [c] noster, cùm sunt in fornacem coniecti, extremam minimùm ætatem egisse, vt forsitan triginta quinque annorum, cùm essent etiã præpositi operibus prouinciæ: tamen retentum epithetum *puerorum*, vel respectu ad tépus quo sunt abducti; vel more Scripturarum, quo puer dicitur qui nondum senex; vel propter singularem animi puritatem. Sed hac de re dixi, cùm exponerem cur Saulus vocaretur adolescens [d]. Est autem hîc de sapientia, vt præmonui, præsertim increata sermo, etsi simul etiam de creata.

b 3. Reg. 3. 6. & seq.
c lib. 3. in Danielem.
d Act. 7. 57.

Amaui.) Græcè (ἐφίλησα.) Lege caput primum [e], vbi de discrimine τοῦ φιλεῖν, καὶ τοῦ ἀγαπᾶν. Hieronymus [f] legit (*dilexi.*)

Exquisiui.] Græcè (ἐξεζήτησα.) Compositio auget significationem; non tamen quasi hoc sit extrà quærere, id est, effectu boni operis diligendo, *non lingua, & verbo tantùm, sed opere & veritate* [g], vt voluit Bonauentura, & Olcot [h].

A iuuentute mea.] Dicebam paulo antè iuuentutem non exactè semper accipi pro ætate distincta ab aliis, vt ab adolescentia, & pueritia. Hieronymus [i] legit (*ab adolescentia mea.*) Refert autem quàm citò sapientiæ studeas, & iugum Domini portes ab adolescentia [k], & læteris cum sapientia tanquam *cum muliere adolescentiæ tuæ* [l]: si exceperis doctrinam eius, *vsque ad canos* (quando maximè necessaria est) *inuenies illam* [m] (nec te deseret.) Si quidem de acquisita loquamur sapientia, *in antiquis est, & in senibus prudentia* [a]; nec mens contingit nisi senibus [b], propter experimentum & edomitas passiones. Quod attinet ad infusam, minùs expeditè agit in minùs disposito subiecto. Propterea non differendum, sed maturandum, & hoc vtendum quasi viatico adolescentiæ ad vsque senectutem, vt Bias præcipiebat, Laërtio teste [c]. Lege Commentarium nostrum cap. 12. Ecclesiastę [d], & quem antè citaui in Actus Apostolorum [e].

e vers. 1.
f in c. 44. Ezechielis.
g 1. Ioan 3. 18.
h lect. 104.
i supra.
k Thren. 3. 27.
l Prou. 5. 18.
m Eccli. 6. 18.

a Iob. 12. 12.
b Arist. sect. 30 prob. in 4.
c lib. 1. de vitis Philoso.
d vers. 1.
e c. 7.

Et quæsiui in sponsam mihi eam assumere.] Græcè (νύμφην ἀγαγέσθαι ἐμαυτῷ, *sponsam ducere mihi.*) Hilarius [f] (*quæsiui sapientiam sponsam accipere mihi ipsi.*) Duci dicitur sponsa vxórve, quia domum sponsi seu viri & mariti deducitur. Sic Liam Laban introduxit ad Iacob [g]. Nec repugnat parabola, in qua dicitur exitum obuiam sponso [h]: veniebat enim sponsus vt sponsam acciperet. Vnde in Psalmo [i]; *Adducentur Regi virgines post eam; proximæ eius afferentur tibi,* nempe quando sponsa in sponsi deducetur domum. Fauet quod subiicitur hîc versu 16. *intrans in domum meam, conquiescam cum illa.* Lege versum quoque 18.

f in Psa. 127.
g Gen. 29. 23.
h Matth. 25. 1.
i Psal. 44. 15. 16.

Amor sapientiæ est vt sponsi erga sponsam ob singularem amorem, delectationem, coniunctionem, generationem spiritualem. Tenerior est *sponsa* vox, quàm *vxoris*, denotãs ardentiorem ac suauiorem amorem, vt Cantacuzenus notat: & in Canticis non vxor, sed sponsa passim nominatur, cum nominibus quoque *sororis* [k], & *amicæ* [l]: & in Prouerbiis [m] monet Sapiens; *Dic sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca amicam.* Ambrosius [n] tamen citans præsentem locum, pro sponsa coniugem vocat, legitque pro *quæsiui, proposui*, & probat ex voluntate sapientiam nasci, quam Sapiens, inquit, in matrimonium asciscit sibi, dicens (*proposui ego hanc adducere mihi in coniugem*) etsi suspicor ad versum nonum respectum habuisse: *proposui ergo hanc adducere ad conuiuendum.* Hilarius [o] apertè vxorem intelligit.

k c. 4. 9. 10. 12. c. 5. 1. 2. c. 8. 8.
l c. 1. 9. 15 c. 2. 2. 10. 13. c. 4. 1. 7. c. 5. 2. c. 6. 3.
m c. 7. 4.
n de viduis.
o in Ps. 127.

Cùm autem Christus Deúsque sponsus dicatur in iisdem Canticis Ecclesiæ, Mariæ (quæ Christi simul mater est) & cuiusuis animæ iustæ; tamen appellatur modò sponsa, tum quia fæminino genere sapientia exprimitur; quo pacto & Deus creator, creatríxque Trinitas dici solet: tum propter maximam coniunctionem capitis & corporis, quæ facit vt inuicem alterius alteri appellationes communicentur. Sic apud Esaiam [p] Christus loquitur; *Induit me* (Dominus) *vestimento salutis, & indumẽto iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Alioquin aptiùs Deo & Christo tribuitur *sponsi* nomen, quoniam maior est quàm sponsa; atque vt contingit in generatione corporali, sic in spirituali primas tenet omnia opera in sponsa operans [q], & velle, & perficere [r]. Parum aptè, ac decorè illa Ioannis [s] verba, quòd Christus *dilexit suos vsque in finem*, vsque ad nuptias interpretatur Vandalisbetus (effusior in disceptationem de puellari coniunctione, ritúque sponsalitij ac matrimonij) etiamsi τέλος pro nuptiis vsurpari posset; & quamuis nuptias Pater fecerit filio suo [t].

p c. 61. 10.
q Esa. 26. 12.
r Philip. 2. 13.
s c. 13. 1.
t Matth. 22. 2.

Amator factus sum formæ illius.] Græcè (τοῦ κάλλους, *pulchritudinis*) vt legit Hilarius [u], vel, vt Hieronymus [x] (*decoris.*) Quocirca non est ad rem quod de formali, id est, spirituali sensu tradunt, vt hîc ametur non materia, cortéxque literæ occidentis; vel de varia forma, vt qualitatem bonam dicit. Sic auté ferè Latini Enarratores. Dionys. [y] citat

u in Psal. 127.
x in c. 44. Ezech.
y c. 4. de diui. nomin. p. 1.

citat hæc verba, vt probet rectum vsum illorum nominum, ἔρως καὶ ἀγάπης. Sunt Græcè hoc loco ista. (ἐραστὴς ἐγενόμην τοῦ κάλλους αὐτῆς.) Profert illa quoque Ignatij; ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, *amor meus crucifixus est.*

Elegantissimus est decor hic, forma, species supra quamcumque aliam, vt idcirco dixerit priùs [a] Auctor se super speciem dilexisse sapientiam. Reiicio te, prudens lector, de pulchritudinis vi ad eliciendum amorem, ad ea quæ disserui capite septimo [b] Actuum, quando incidit de Mose mentio, qui gratus fuit Deo, ἀστεῖος. *Speciosus est forma* [c], ὡραῖος κάλλει, *præ filiis hominum* Christus filius hominis, idémque Dei, tum interna, tum externa quoque forma, vt aliàs docui. Aristoteles [d] Deum nominabat sicut δυνάμει ἰσχυρότατον, ζωῇ ἀθάνατον, ἀρετῇ κράτιστον, *potentia fortissimum, vita immortalem, virtute optimum,* ita κάλλει εὐπρεπέστατον, *pulchritudine speciocissimum.* Plato [e] etiam scripsit, quòd τὸ πρῶτον καλὸν πάντα καλὰ ποιεῖ, *primum pulchrum omnia pulchra facit;* & quòd pulchritudo hanc veluti dignitatem sortita est, vt & omniũ rerum illustrissima, & amabilis maximè existeret, κάλλος ἐρασμιώτατον: sapientiæ verò forma, & tanquam facies, si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sui; δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. Ipsum nomen κάλλος Dionysius [f] maximè de Deo docet dici, qui pulchritudinis causa sit cunctis rebus, & nominis videri notationem ὡς πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν, *quasi cuncta vocet, ac trahat ad seipsum,* καὶ ὡς ὅλα ἐν ὅλοις εἰς ταυτὸ συνάγον, *quasi omnia in omnibus in idem cogat & congreget.* Eodem recidit alia etymologia τοῦ καλοῦ ἀπὸ τοῦ κηλεῖν, quod est *permulcere.* Denique tritum prouerbium [g], τὸ καλὸν φίλον εἶναι, *quod pulchrum est, amicum esse.*

Quidni ametur ergo sapientia, quæ soli conuenit Deo, vt post Homerum, quem citat, dixit Ammonius [h], imò est ipsissimus Deus? huiúsque participatione sumus nos sapientes, vt ait S. Thomas [i]; quod Trismegistus [k] quoque per craterem illum suum exprimebat. Idem adumbratum est fabula Penelopes, quam adeò proci adamabant, reliquas omnes puellas ancillarum habentes loco. Sic Bion rem interpretabatur, vt Manutio [l] placet: id autem Laërtius [m] Aristippo tribuit, vel Aristoni. Augustinus [n] autem φιλοσοφίαν & φιλοκαλίαν quasi germanas, & eodem parente procreatas vocat, aítque quòd si quis veram pulchritudinem sanatis renudatísque paulisper oculis intueretur, magna voluptate Philosophiæ se inuolueret. Displicuit deinde iam Christiano Augustino ita locutum esse, idque retractauit [o], ac dixit esse prorsus non sorores, aut diuersas, sed idem. [Porrò si sapientia Deus est, ait adhuc ipse [p], per quem facta sunt omnia [q], verus Philosophus est amator Dei.] Carthusianus bene notat: attribui Filio pulchritudinem, quoniam est repræsentatio conceptus Patris intelligentis. Citat Hilarium dicentem, quòd æternitas est in Patre; species, id est, pulchritudo in imagine, nempe in Filio; vsus in munere, id est, communio in Spiritu sancto, qui est donum Patris ac Filij.

Quod verò attinet ad Salomonem, cui nuper dicebam valdè iuueni, imò adolescenti, ac penè puero contigisse amorem sapientiæ, communicationémque cum illa; Pineda [r] noster hoc tempus diligenter disquirit. Duodennem opinio satis communis regnare cœpisse, adhuc superstite patre Dauid; súntque, qui iam etiam mortuo illo, eam ipsi ætatem tribuant, & cùm iudicium de meretricibus exercuit, id ætatis fuisse asserant. Quidquid sit de illo, percontando scribit auctor Ecclesiastici [a], *quemadmodum eruditus es in iuuentute tua?* Apud [b] eundem præterea idem testatur, quòd cùm adhuc iunior esset, priusquàm oberraret, quæsiuit sapientiam palàm in oratione sua, &c. & à iuuentute inuestigauit eam. Tametsi hoc alij ab ipsomet auctore de seipso dictum contendunt. Quod si est, fecit id ille, Salomonis exemplum secutus. Idem Pineda [c] obseruat hîc Theologiam præsertim laudari, vt denique tantum excellat scientias naturales, quantum Sacerdos laicos; tanquam sit familiaris Deo, quantum hic Sacerdos. Adhæc notat, eodem isto loco dotes omnes optimæ sponsæ describi; propter quas connubium cum sapientia Salomon præposuerit carnali quando venter eius conturbabatur, quærendo illam [d], id est, sollicitabatur carnalibus voluptatibus. Numeratæ sunt hactenus dotes sponsæ, forma, seu pulchritudo, nobilitas generis, quòd ametur à Deo ipso, quòd scientia præstet, sanctitate, prudentia.

Vers. 3.] Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed & omnium Dominus dilexit illam.

HÆc est sponsa siue vxor non formosa solùm, sed diues, vt ait Hilarius [e], atque nobilis, & docta; quæ deinceps explicantur sigillatim distinctéque. Nobilitas autẽ inde probatur, quòd cum Deo ipso agat, illique charissima sit: Deus verò scilicet non dignetur amore suo nisi quod re ipsa promereatur amorem. Talis non ex auis longè arcessita sanguinis nobilitas, sed ex virtutibus, rectéque factis comparata. Ipsa nobilitatem sapientia nobilitat & glorificat, hoc est, facit & constituit, non aliunde mutuatur, εὐγένειαν δοξάζει. Iansenius non vult nos legere (*illius*) quod omittit quoque Hilarius [f], & (δοξάζει) exponit positum pro (*putat*) húncque sensum elicit. Sapientia putat esse nobilitatem habere conuictum cum Deo; vel sapientia habens contubernium, siue conuersationem cum Deo, celebrat eam rem, tanquam veram generositatem, id est, nobilitatem. Non displicet; dummodo retineatur pronomen (*illius*) vt non dissimili sententia dicatur, pronomine relato ad formam, quæ proximè præcesserat. Generositatem, nobilitatem, ornamentum formæ, pulchritudinísve sapiẽtia gloriosum reddit, ac perficit ob consortium, atque consuetudinem, & conuictum, quem habet cum Deo, cui tanto Domino tam chara est gratáque. Non assequuntur profectò sensum glossa interlinearis, Hugo, Bonauentura generositatem quasi à generando accipiẽtes, & Filium Dei, qui est sapientia, habétque contubernium Dei, id est, æqualitatem seu consubstantialitatem, interpretantes gloriam Patris quæsiuisse.

Generositatem.] Græcè (εὐγένειαν.) Hilarius [g] (*honestatem*) Vatablus & Iansenius (*nobilitatem.*) Hoc sanè Græca vox significat, non autem Patrem, à quo genita sit Sapientia, vt paulo antè monui. Aristoteles [h] asserit, quòd εὐγενὲς μέν ἐστι τὸ ἐξ ἀγαθοῦ γένους, γενναῖον τὸ μὴ ἐξιστάμενον ἐκ τῆς αὐτοῦ φύσεως: vel primum [i] κατὰ τὴν τοῦ γένους ἀρετήν: secundum κατὰ τὸ μὴ ἐξίστασθαι ἐκ τῆς φύσεως. Cornelius Fronto [k] nobilem Latinè scribit nobilitate rerum dici: generosum,

[a] c. 7. 10.
[b] vers. 20.
[c] Psal. 44. 3.
[d] Eugub. in Ps. 44. citat.
[e] in Phædro.
[f] c. 4. de diuin. nom. p. 1.
[g] Theognis in sent. eleg. & Plato in Lyside.
[h] in proœmio Porphyrij.
[i] 2. 2. q. 23. art. 2. ad 1.
[k] in Pimandro.
[l] Manutius in apophth.
[m] lib. 2. de vitis Philoso.
[n] 2. con. Academi. c. 3.
[o] 1. retract.
[p] 8. de ciuit. Dei. c. 1.
[q] Ioan. 1. 3.
[r] 3. de reb. Salo. c. 2.

[a] c. 47. 15.
[b] c. 51. 18. 20.
[c] 3. de reb. Salom. c. 16. n. 3.
[d] Eccli. 51. 29.
[e] in Ps. 127.
[f] in Ps. 127.
[g] supra.
[h] 1. de histo. anima. c. 1.
[i] 2. Rhetori. c. 15.
[k] lib. de nominum verborúmque differentiis.

generosum, qui Græcè εὐγενὴς appellatur; ita vt alter ex re, alter sit ex cognatione. M. Tullius [a] nobilem & generosam virginem vocans eandem, indicasse diuersam vim duplicis vocabuli videtur, necnon quando Roscium Amerinum [b] municipem genere nominat & nobilitate, non modò sui municipij, verùm & eius vicinitatis facile principem: præterea Ouidius [c];

a in parado.
b orat. pro Roscio Amerino.
c ep. Hypsipyle ad Iasoné.

Si te nobilitas, generosáque nomina tangunt.

& Iuuenalis [d];

d satyr. 7.

Felix, & sapiens, & nobilis, & generosus.

Confunduntur tamen aliquãdo, diciturque generosus quis etiã ex virtutibus. Imò de animalibus cæteris, nõ de solo homine, atque de inanimatis B vox hæc, sicut & nobilis, vsurpatur, vt exemplis ostendit Tiraquellus [e] (cuius illa sunt etiam quæ recitauimus) in equis, tauris, canibus, suibus, gallis, gallinísq; in herbis, floribus, vitibus, vineisve, seu vino, & vua, ficubus, pomis, prunis, metallis, gramine, syderibus. Existimat verò tandem idem auctor generositatem propriè respectum importare ad genus, nobilitatem latiùs patere. Opportunè, ac scitè posuit Interpres *generositatem*: conuenit enim ex genere, id est, ex natura, vel ex generatione nobilitas sapiẽtiæ increatæ, siue Filio Dei; quò allusit illa expositio, quam antè refutaui. Sed & sapientia infusa secundùm conditionem suam naturalem nobilis est, & quasi ex genere, id est, ex C participatione quadam Dei, quia est ordinis supernaturalis. Acquisita magis propriè diceretur nobilis, quoniam ex re, id est, ex opere, non ex genere, & per modum naturæ, ac necessariò.

e de nobilitate c. 2. n. 47 & seq.

Glorificat.] Græcè (δοξάζει.) Quamuis hoc verbum significet etiam *opinari*, non est nobis tamen liberum sic opinari de hoc loco; tantùm abest, vt, quod velle Iansenium dixi, necesse sit. Credendum optimo Interpreti.

Contubernium habens Dei.] Participium fœminini generis est, vt ex Græco ἔχουσα constat. Quare nõ rectè Latini, qui ferè extant Enarratores, explicãt de homine habente consortium Dei; sed intelligi de sapientia debet. Contubernium verò est συμβίωσις, conuictus. Vsurpat Cicero [f] hanc vocem D Græcam, quasi vix satis exprimi Latinè valeat: vocat [g] etiam suauissimum συμβιώτην integellũ, & Cicero [h] filius conuictionem. Nec habet vsum tamen illum συμβίωσις, quem apud Latinos *conuiuium*. Extendit se ad plura, & magis communem ac intimam familiaritatem dicit, qualis coniugum. Magnus conuictor Dei, cui dicere licuit [i]; *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.*

f lib. 13. ep. ad Attic ep. 23.
g lib. 9. ep. familiarium, epist. 10.
h apud Ciceronem lib. 16. ep. familiarium, epist. 21.
i Gala. 2. 20.

Sed & omnium Dominus dilexit illam.] Diligentes se diligit Deus [k]; & Filium Pater dilectum appellat [l]. Amplificatio est, quòd omnium Dominus vocatur: non enim diligit, quia egeat; *Deus meus es* E *tu*, ait Dauid, *quoniam bonorum meorum non eges* [m]; Diligit amantem se Filium ὁμοούσιον: sicque synonyma erunt, φιλεῖν in priore versu, & ἀγαπᾶν in isto. Vel si plus est hoc quàm illud, illud ad hominem referetur, qui sine dubio minore Deum prosequitur amore, quàm Deus illum. Censetur autem amare sapientiam creatam, quatenus eam homini communicando, reddit amore dignum, facitque vt amare ipsum possit. Nam res inanimata non propriè diligitur, sed natura rationalis dũtaxat. Ratione naturæ humanæ Christus amatus est plusquàm cæteræ omnes creaturæ, separatim simúlque sumptæ, quoniam assumptus est ad vnionem hypostaticam: sed eundem Pater tanquam consubstantialem Filium amat amore simpliciter infinito; vt annotat Carthusianus.

k Prou. 8. 17.
l Matt. 3. 17. c. 17. 5.
m Psal. 15. 2.

Vers. 4.] Doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius.

Nihil æquè conciliat, vel declarat amorem, quàm conscientia arcanorum. *Iam non vos dicam seruos, sed amicos, quia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis* [a]. Signum aliud est, conformem esse alterius voluntati in operibus; *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis* [b]. Æternæ Sapientiæ conuenit vtrumque. *Vnigenitus* B *Filius, qui est in sinu Patris* (id est, intimus illi, & secretorum eius cognitor, eique charissimus, vtpote vnigenitus.) *ipse enarrauit* [c]; nec eius doctrina est eius, sed eius qui misit eum Patris [d]. Facit quoque semper quæcumque videt eum facientem [e], & volentem [f]. Christus est doctor iustitiæ datus à Patre [g], qui præcepit vt eum audiremus [h]. Ipsemet vetuit, ne vocaremur Rabbi, & magistri, eo quòd vnus ille esset magister noster [i]. Ipse Redẽptor ac Dominus Deúsque docet nos vtilia [k], להועיל *lehohhil, ad accipiendum lenamen*; quò allusit Christus dicens [l], *inuenietis requiem, &c. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo* [m].

a Ioan. 15. 15.
b Ioan. 15. 14.
c Ioan. 1. 18.
d Ioan. 7. 16.
e Ioan. 5. 19.
f Ioan. 4. 34. c. 8. 28. 28.
g Ioel. 2. 23.
h Mat. 17. 5.
i Matth. 23. 8. 10.
k Esa. 48. 17.
l Matt. 11. 29.
m Baruch 3. 17.

C *Doctrix.*] Græcè (μύστις.) Mystes, initiatrix, Sacerdos (hæc duo Vatablus reddit) Budæus legens ex vulgata editione secundo etiam loco *doctrix* pro *electrix* (*initiatrix est enim scientiæ Dei, & inuentrix operum eius*) mystica est, atque arcanorum perita, & scientiæ Dei. [Residet, inquit Cantacuzenus, in eodem Dei consilio, ac penitus nouit quæ ad illum spectant.] Satis Interpres iudicauit expressisse se vim Græci vocabuli vocabulo *doctrix*. Agitur namque de laude sapientiæ, vt ad eius excitemur amorem studiúmque: quòd autem arcana diuina calleat, persuaderi nobis non potest, nisi quia eadem docet. Porrò certum est μύστιν significare non modò *initiatum sacris*, sed etiam *discipulum, conscíumque my-* D *steriorum*: & μύστιδα eadem ratione Budæus [n] ait hoc loco vel *initiatricem*, vel (quod editioni nostræ magis congruit) *ducem* ac *interpretem* esse. Vetus quoque Lexicon συμμύστην interpretatur *consortem conscíumque disciplinæ*. Alij vsurpant etiam pro *secretario*. Igitur sapientiæ nil absconsum & arcanum: ipsa in sinu Dei est [o], vt antè dicebam, id est, intimè familiaris; tota sacra est; secreta omnia nouit, & cui vult detegit. Est veluti discipula etiam æterna Sapientia Dei, quia doctrina eius non est eius, vt antè quoque obseruaui, sed Patris [p]: respectu autem nostri est doctrix.

n com. ling. Græcæ.
o Ioan. 1. 18.
p Ioan. 7. 16.

E *Disciplinæ.*] Græcè (ἐπιστήμης, *scientiæ.*) Seruauit Interpres relationem doctricis ad disciplinam. Discimus nos docente sapientia. Quamquam & hæc accepit quodammodo disciplinam, siue doctrinam ab alio, vt proximè monui.

Electrix operum illius.] Græcè (αἱρετίς.) Ponunt aliqui codices in margine (*inuentrix*) & vnus peruetustus habet pariter ad marginem (εὑρετίς:) quo etiam pacto legit, & exponit Cantacuzenus, necnon Budæus, de quo dixi. Quare non frustra fuit marginalis illa notatio, vt Iansenius, qui hæc forsan non viderat, aut non meminerat, dixit. Frustra tamen est quod attinet ad auctoritatem, quam primæ, ac maximè receptæ lectioni Græcæ attulit editio Latina.

Aptiùs quoque Sapientiæ æternæ procedenti à Patre tribuitur electio quã inuẽtio; indicat enim inuentio primam originem atque principium: & licet sapientiæ sit, vt prudentiam dicit, tum inuenire, tum eligere; hoc tamen censetur magis proprium. Vatablus *antistitem* reddit figuratè omnino, nec secũdùm Græcæ vocis notionẽ; sed ea ratione qua Seuerum Sulpitium propter eximiã peritiã appellares iuris antistitem, Platonem, vel Aristotelem sapientiæ. Mihi videtur Hilarius [a] velut per paraphrasim exposuisse verborum istorũ sensum, dicens (*in labore vtilium operum valida*) quasi velit per sapientiam aptam electionem, atque efficacem fieri circa media; mediis enim per se ac propter conuenit ratio vtilitatis, quæ respectum habet ad aliud, tanquam ad finem; & caueri à noxiis, ac inter vtilia delectum haberi.

a in Ps. 127.

Vers. 5.] Et si diuitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia?

EX his quæ apud nos videntur expetenda, nos ad sapientiæ amorem allicit, orsus à diuitiis, quæ primo loco solent expeti: multo namque ditiorem esse sapientiam, quæ cũcta pariat. Hoc est quærere primùm regnũ Dei, post quod adiiciuntur cætera [b]. Sed hac de re dictùm satis præcedente capite [c]. Esaias vno verbo complexus est omnia [d]; *diuitiæ salutis sapientia & scientia.*

Si appetuntur.] Cùm appetantur, quia appetuntur, εἰ ἐστὶν ἐπιθυμητὸν κτῆμα, *si est appetibilis possessio.*

In vita.] Præsenti; in victu, & necessariis ad tolerandam sustentandámque vitam, vel etiam liberaliter transigendam. Sic βίος pro *victu* sumitur apud Lucã [e]: αὕτη δὲ ἐκ τῆς ὑστερήματος αὐτῆς ἅπαντα τὸν βίον, ὃν εἶχεν, ἔβαλε, *hæc autem* (vidua) *ex eo quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit.* Notionem autem βίος pro *via*, quam recens Enarrator narrat [f], nullibi reperiò, nec apud auctores quos citat; sed ὁδὸν βίου.

Quæ operatur omnia?] Sic diuitias comparandi rationem tradere potest, ac Salomoni tradidisse testatur historia Regũ, ac Paralipomenõ; ex quo, atque ex aliis auctoribus Pineda noster colligit copiam diuitiarum eius, præter potiores, ac lõgè pluris faciendas spirituales. *Diuitias, & substantiam, & gloriam*, inquit illi Deus, *dabo tibi, ita vt nullus in Regibus nec ante te, nec post te fuerit similis tui.* [g] Dixi etiam nonnulla in c. 2. Ecclesiastæ. Egregia, optatáque solita dos in sponsa, vt sit diues.

b Matt. 6. 33.
c vers. 8. & seq.
d c. 33. 6.
e c. 21. 4.
f Ceruantes.
g 2. Paral. 1. 12.

Vers. 6.] Si autem sensus operatur, quis horum, quę sunt, magis quã illa est artifex?

ALterum sequitur, quod homines concupiscunt, φρόνησις, prudentia, vel peritia rerum gerendarum faciendarúmve, qua comparentur diuitiæ, & alia fortunæ bona: & hanc artem nouit, tradítque sapientia. Testis ipsemet Salomon tantus tanti templi, aliorúmque architectus ædificiorum [h]; testis Beseleel, & Ooliab cum sociis, impleri *spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandũ quidquid fabrefieri potest* [i].

Sensus.] Non dubiũ quin sit numeri singularis casus rectus; minimè verò pluralis accusatiuus, ita vt referatur ad sapientiam operantem hos sensus; quod tamen Hugoni non displicuit.

h 3. Reg. c. 6. & 7.
i Exo. 31. 2. & seq.

A *Operatur.*] Non sapientia, sed sensus ipse. Porrò ἐργάζεται, quod habetur etiam priore versu, ad opus externum pertinet vt plurimùm, & præsertim arte factum.

Quis horum quæ sunt.] Quamuis Græca (τίς τῶν ὄντων) possent reddi (*quis eorum quæ sunt*) & referri ad nomen τεχνίτης, *artifex*, vt significetur nullum esse artificem ipsa sapientia præstantiorem; retinenda translatio nostra, cui Pineda [a] videtur aliam præferre: est verò sensus, quòd rerum omnium, quæ sunt, & in aliquo pretio sunt, artifex est sapientia excellentissima.

Artifex.] Græcè (τεχνίτης.) Sic appellata priùs [b] sapientia est, sed cõparatione magis generali rerũ B omnium, vt ibi exposuimus; nunc magis angustè respectu arte factorum per homines ipsos. Laudabilis etiam in illustri spõsa dexteritas manuũ, ac peritia texendi, cõsuendi, variegandi, vt ita loquar; operandi consilio manuum, mittendi manũ ad fortia, digitis apprehendẽdi fusum, stragulatam vestẽ faciendi sibi, & sindonẽ [c]. Quod legimus Latinè in Iob [d]; *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?* Græcè habetur, τίς δὲ ἔδωκεν γυναιξὶν ὑφάσματος σοφίαν, ἢ ποικιλτικὴν ἐπιστήμην; *quis verò dedit mulieribus texturæ sapientiam, aut variegatiuam scientiam?* Doctas nendi vocat liber Exodi [e] mulieres: Græcè numero singulari, πᾶσαν γυναῖκα σοφὴν τῇ διανοίᾳ ταῖς χερσὶν C νήθειν, *omnem mulierem sapientem mente, manibus ad filandum*, siue *nendũ*; & consentit editio tũ Hebræa, tũ Chaldæa. Citato autem loco Iob Nicetas obseruat textricis artis studium neque cõtemptum, neque superuacaneum esse, in quo diuinę sapientiæ extant impressã vestigia: quam ipsam artem nec Deum puduit vt sibi propriã adsciscere; cùm non alium ac seipsum eius auctorem esse confirmauit. Palladi tribuit Homerus [f] huiusce artis inuentionem, & communicationem.

a l. de reb. Salo. c. 3. n. 6
b c. 7. 21.
c Prou. 31. 13. 19. 22. 24.
d c. 38. 35.
e 35. 25.
f Odyss. 13. & hymno in Venerem.

D *Vers. 7.*] Et si iustitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.

ALiis tertio loco grata iustitia est, qua ciuiliter viuitur in pace, cuique quod suum est reddendo, & omnia rectè moderando. Atqui sapientię labores in omnium virtutum studio, quas generalis & legalis continet iustitia, versantur. Nam erudit ad temperantiam, prescribit prudentiam, iustitiam suppeditat, fortitudine confirmat. His virtutibus quatuor cardinalibus & capitalibus, ad quas cæteræ facilè rediguntur, nihil vitæ E nostræ commodius & salutarius potest esse. Prætermitto quærere de virtutibus moralibus quid sint, quo numero, qua ratione obtineantur; vtrùm acquisitione, vel etiam infusione; in quo subiecto sint, an quoque in Deo; quæ dicantur exemplares, purgati animi, purgatoriæ, politicæ; sintne connexæ inter se necessariò; vtrùm eas recipiat non intellectus duntaxat, & voluntas, sed sensitiua quoque facultas; quæ habeant medium rei, quę rationis; quibus conueniat circa passiones, & erga se, quibus circa operationes, & erga alium versari; & alia huiusmodi, quæ tum vniuersè de omnibus, tũ distinctè de singulis tra-

ctatur ab Ethicis Philosophis, vel à Theologis. Lege B.Thomã [a].Hæ quatuor ab Ambros.[b], quod sciã, primo vocatæ sunt cardinales, hoc est, principes, eo modo quo legũtur septẽ Vrbis Cardinales in Cõcilio Romano [c] sub Syluestro cõstituti: & Augustinus [d] primarios Donatistas cardinales Donatistas vocat. Eatũ optat ipse ita esse in mentibus vim, vt nomina in ore sunt omniũ[e]: & Gregorius [f] comparat cum quatuor angulis domus Iob [g], & totidem Paradisi fluminibus[h], Philippus Solitarius cum quadriga [i]: & apud eũdẽ [k] appellat Maximus γενικάς. Cæterùm, etsi sapientiæ hîc tribuitur doctrina virtutũ istarum, non sequitur non etiam viribus propriis acquiri saltem imperfectas posse; sicut & artibus multo magis accidit, quæ tamen etiam ab eadem quasi artifice sapientia esse dicuntur.

Labores huius magnas habent virtutes.] Græcè (*οἱ πόνοι ταύτης εἰσὶν ἀρεταί, labores huius sunt virtutes.*) Simul in arduo difficilique cõsistit virtus, simul facilis est, vt capite sexto [l] vidimus. Laborat porrò circa labores nouissimus cõmẽtator [m], atque hac in parte labori parcitũ ab aliis cõqueritur. Labor autem ipsius nõ alius, quàm consultis Thesauris, ac Lexicis, vt solet labore tali commẽtarios suos elucubrare, proferre vndeuis istius vocabuli Græci τῶν πόνων acceptiones, nec admodum inter se discrepantes, nec valdè congruentes proposito.

Sobrietatem.] Græcè (*σωφροσύνην, temperantiam.*) Moderatur virtus hæc passiones appetitus cõcupiscibilis circa delectabilia corporis secũdùm sẽsum tactus in vsu cibi ac potus, & Venereorum[n]: sed cõsequenter prætereà secũdũ alios sensus, vel secũdùm alia delectabilia eiusdem sensus tactus; & magis generaliter adhuc circa obiecta alia minùs materialia: vnde species huius virtutis existunt, siue partes integrales, subiectiuæ, potentiales, de quibus B.Thomas [o]. Vox Græca significat *sanam mentem*, vel *sanitatem mentis*, cui quandoque opponitur *μανία*, & interdum sumitur pro prudẽtia. Aristoteles [p] etymologiam dat, quasi sit *σώζουσα τὴν φρόνησιν*. Prudẽtia namque pendet multum ex castigatis passionibus. Sed & *σώφρων* dicitur, quasi *σαόφρων*, qui est *σαός*, siue *σῶς τὴν φρένα*. Hecuba Veneri nomẽ *ἀφροδίτης* rectè dixit inditũ, quòd Dea esset τῆς ἀφροσύνης, id est, *amentiæ* præfecta [q]. Testatur id etiam Phidiæ signũ, repræsentãs Venerem pede prementem testudinem [r], quod animal, exẽpto adhuc corde, viuere creditur, & puluis ex eiusdẽ squamis accendere libidinem. Vt meritò sollicitatus à meretrice, ac persuasus iuuenis vecors cognominetur [s]; licet ineptũ sit etymon vocabuli *Venus*, quod Hispalẽsis professor post alios affert, quasi à *væ*; & *νῦς*: quemadmodum falsò asserit significare *βίον arcum*, & *neruum*. Id significat nõ *βίος*, sed *βιός*. Hispanica item illa sua nomina *betica*, & *botes* ipse viderit quàm aptè ex Græco malè intellecto deriuet. Quòd si adeò placuit coaceruatio significatorum, cur omisit χρέω pro eo quod est *oraculum edo*?

Aliam porrò caussam dicti signi refert Pierius [t] ex Plutarcho; Nugas autem puto, cùm idem ille recens scriptor, licet post Bartholomæum [u] Valuerdium, & Pinedam [x], philosophatur circa nomẽ ארגמן *argaman* pro purpura, & Angelica quadriga equorũ igneorum, instar purpuræ flammãtium, qui etiam dicatur in Canticõ[y] Canticorum ascensus purpureus, siue vehiculũ; vt exclusa prima litera א *aleph* sit emanthica, seu formatrice nominis, literis cæteris quatuor denotẽtur totidem

- a 1.2. q. 58. & 2.2. q. 61.
- b lib. 5. in Lucam.
- c can. 6.
- d 1. de baptis. mo. c. 6.
- e 1. de morib. Eccle. c. 15.
- f 2. moral. c. 16.
- g Iob 1. 19.
- h Gen. 2. 10.
- i 2. dioptra. c. 3.
- k 4. lib. c. 13.
- l vers. 15.
- m Ceruantes.
- n Arist. 3. Ethic. c. 10.
- o 2.2. q. 141. & seq.
- p 6. Ethic. c. 5.
- q Eurip. in Hecub quem citat Arist. 2. Rhet. c. 24.
- r Pausanias in Eliacis.
- s Prou. 7. 7.
- t lib. 28. c. 31.
- u in Pro. c. 31.
- x 5. de reb. Salo. c. 4. n. 9.
- y c. 3. 10.

A Angeli, Raphaël, Gabriel, Michaël, Nuriel, qui sit idem cũ Vriel; adhibeantur verò ad celebrandũ Incarnationis mysteriũ, primúsque respondeat tẽperantiæ, siue mansuetudini; secũdus potentiæ, seu fortitudini; tertius iustitiæ, sanctitatiue; vltimus prudentiæ, siue veritati, ac doctrinæ lucenti. Attigi nõnihil hac de re in Cõmentario Ps. 44. [a] Moderatio quoque Latinè vocatur, modestia, cõtinentia, & similibus nominibus. Sobrietas autẽ vel de sanitate mẽtis vsurpatur, cùm quis cõpos est sui, ac prudens: vel de abstinẽtia & moderato vini præsertim vsu. August. [b] per sobrietatem intellexit aliquando veritatem cõtemplationis: & fauere posset illud vtcumque [c]: *sapere ad sobrietatẽ*, μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Sed retractauit [d] postea, monẽs vsum se tũc

B codice, in quo erat (*sobrietatẽ sapientia docet*, &c.) docẽnsque veriores esse codices, qui legũt, vt modò legimus, atque Latinũ Interpretẽ his nominibus quatuor illas virtutes, quæ maximè in ore omniũ Philosophorum esse adsolent, nominasse, vocabulo *sobrietatis* intelligendo temperantiam.

Prudentiam.] Græcè (*φρόνησιν.*) Iam retuli aliam lectionem Augustini minùs probã, quæ casũ habebat rectũ, & *sapientiam* pro *prudentia*, licet in ea quam probat, retineretur vox *sapientia*, quam ipse sumi ait pro prudẽtia. Priore versu erat idem nomen Græcũ; sed pro peculiari prudentia circa res fabriles & arte faciẽdas. Generalis virtus prudẽtia est, atque singulis quadam ratione communis virtutibus, vt est prudẽtia recta ratio rerũ agendarũ circa ea, quæ & bona, & mala homini sũt [e],

C cõsultando per eubuliam, & inquirendo quæ cõferant ad actionem: per synesim rectè iudicando, atque cõcludẽdo ex lege communi: vel per gnomen, quando lex communis deficit: denique præcipiendo per actum rationis practicæ vltimum, qui appellatur imperium; & sunt hæ partes prudentiæ potentiales.

Distingui quoque solet prudentia tanquã in partes subiectiuas, in regalem, politicam, œconomicam, militarem. Integrales autẽ sunt memoria, intelligentia, docilitas, solertia, ratio (id est, cognitio per illationem vnius ex alio) prouidentia, circumspectio, cautio. Lege B.Thomam [f], & Aristotelem [g]. Socrates omnes virtutes vocabat pru-

D dentias; & Magnus Antonius discretioni deferebat primas [h].

Iustitiam.] Particularem virtutem; quæ multifariam tamen distinguitur: sed notior est, quàm vt explicari debeat; latior, quàm vt tam breui valeat: & nonnihil superiùs dictum est.

Virtutem.] Græcè (*ἀνδρείαν, fortitudinem*) vt monet Augustinus [i]. Græcum ἀπὸ τοῦ ἀνδρός: Latinum nomẽ deriuatur à *viro*. Hoc secũdũ testatur Cicero [k], quòd cæteris excellat, & viri propria maximè sit fortitudo. Quò pertinet versus Ennianus [l]:

Sed virum vera virtute animatum adiecit fortiter.

E Paulo antè in hoc ipso versu nostro pro virtutib. Græca vox fuit ἀρετῶν generalis ad omnes virtutes. Fortitudinis virtus, quæ vocabulo quoque Latino *virtutis* intelligitur in Ecclesiastico [m] (Græcum ἀρετή, quod ibi tamen non est, ab Ἄρης, qui est Mars, bellicam fortitudinem potest denotare) irascibilem frenat appetitum, facítque vt ea quæ sunt acerba, & terribilia, nec prauè quis timeat, nec temerè audeat, sed in rationis officio se cõtineat. Huius partes subiectiuæ nullæ traduntur; sed est vnica specie infima. Potentiales recensentur fiducia, magnanimitas, securitas animi, ma-

- a vers. 5.
- b 1. de moribus Eccl. c. 16.
- c Rom. 12. 3.
- d 1. retract. c. 7.
- e Aristot. 6. Ethic c. 5.
- f 1.2. q. 57. & 2.2. q. 47. & seq.
- g 6. Ethic. c. 5. & seq.
- h Athan. in vita, & Cassian.
- i 1 retract. c. 7.
- k Tuscul 2.
- l apud Gel. lib. 7. c. 17.
- m c 7. 6.

gnificentia, patientia, longanimitas, perseuerantia, constantia: & quibusdam his ipsis nominibus partes integrales designantur, fiducia, magnanimitatis, securitatis, magnificentiæ, patientiæ, longanimitatis, perseuerantiæ, constantiæ. Legendus B. Thomas [a].

a 2.2.q 123. & seq.

Quibus vtilius nihil est in vita hominibus.] Hugo sub quatuor virtutibus cardinalibus ait cōprehēdi tres Theologicas, fidē sub prudentia, spem sub fortitudine, charitatē sub iustitia. Melior alia eiusdē respōsio, sermonem nūc esse de virtutibus, quę magis consistūt in vsu operum, videlicet humanorū, secūdùm communem humanæ vitæ rationem: siue, vt Bonauentura loquitur, secūdùm vitā humanam hominis in comparatione ad hominē, nō ad Deum; quoniam sapientia bene dispositum hominem ad illū supponit, imò ipsa bene disponit. Carthusianus respondet, comparationem esse duntaxat hoc loco inter virtutes morales. Hæ sunt magnæ virtutes, quas habent, vt antè dictum est [b], sapientiæ labores; & hic *bonorum laborum gloriosus fructus* [c].

b in isto vers.
c c.3.15.

Vers. 8.] Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat: scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa & monstra scit antequam fiant, & euentus temporum & seculorum.

QVartum expetendarum rerum genus scientia est, & multiplex cognitio. Hanc suggerit sapietia totius antiquitatis memoriam replicans, futura multo antè quàm eueniāt, consequens cōiectura: contorta dissoluens sophismata, & quæ verborum sunt inuolucris obuoluta, perspiciens: prouidens signa & prodigia: atque consequentis omnis ætatis euentus explorans.

Multitudinem scientiæ.] Græce (πολυπειρίαν, *experientiam multam, siue multarū rerum.*) Aliqui codices habent (*similitudinē.*) Eos Hugo sequitur, exponítque de præsenti sciētia, quę sit potiùs quædā sciētiæ similitudo, quàm sciētia vera, propter admixtionē dubietatis & ignorātiæ. Recte monet Bonauentura falsam esse literā, vt ipse loquitur, hoc est, lectionem, quamuis apud antiquiorē Idaciū [d] reperiatur. Sed magis placet, vt sciētiam hîc practicam cum Lyrano intelligamus, quàm speculatiuam cū illo: id enim valet πολυπειρία: etsi verum quoque sit, omnem ferè ab experientia sciētiam gigni. Quæ sequuntur, magis fauēt: & ad politicā vitam, de qua videtur sermo, plus cōfert practica, quàm speculatiua sciētia; solétq; vulgò expertus nominari peritus rerum agendarum. [Parū placere, vel curari eæ debent literæ, quæ ad virtutem doctoribus ipsis nihil prosunt [e].] Præ cæteris id quod sapientius esset, Tassus Hermioneus respondit experientiam. Plato [f] hæc duo simul coniunxit, πολυπειρίαν, καὶ πολυμαθίαν.

d 3.cont. Varimandum.
e Sallust. in Iugurtha.
f 7. de legibus.

Scit præterita.] Valet plurimùm ad prudentiam historia, & quod per te ipsū nequeas experiri, ex alienis factis cognoscere. Sed de historiæ cōmodis aliàs disserui [g]. Scribit Diodorus [h], historias legētibus citra periculum ostendere præteritorū exemplis quid nobis appetendum sit, quídve fugiendum: & verbis res gestas repræsentādo, omnem complecti vtilitatem: cōsentientes ad honestum impellere, detestari vitia, probos extollere, deprimere improbos. Moses mūdi genesim, aliáque multa ante suam ætatem literis mādauit. Hi-

g præfat. in Act. Apost. c. vlt. & in c. 8. 18.
h procem. bibliothec.

A storiæ notitiam perutilē, ac ferè necessariā Principi, & consiliario eius, demonstrat Lipsius [a], & Ioānes Cockierius [b]. Vocauit Dionysius ἀρχὴν φρονήσεως, καὶ σοφίας, *principium prudentiæ & sapientiæ:* Polybius [c] ἀληθινωτάτην παιδείαν, καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις, *verissimam disciplinam, exercitationémque ad ciuiles actiones.*

a 1. de ciuili doct. c. 8. & 9. & lib. exépl. polit. c. 8.
b thesau politaphor lib. 2. c. 19.
c lib. 1.

De futuris æstimat.] Hoc difficilius. Quamquam nō de omnino certa, propheticáve præsciētia videtur loqui. Est enim εἰκάζειν, *coniectare, imaginari;* opponuntúrque ὁ εἰκάζων & ὁ εἰδώς. Quo pacto ex vetere parœmia; *Optimus vates, qui optimè coniectat.* Bonauentura & Lyranus explicāt de certa scientia: Hugo de cōiecturali: Carthusianus de hac, vel

B illā. Ad prudētiam, morésque, quibus maximè necessaria prouidētia, id est, prænotio futurorū, sufficit probabilis. Vitamque sapientia scit, hoc est, scire facit, vt lubet. Ex præteritorum cognitione cōiectura fit de exitu futurorū. Hūc modum magis indicat Auctor, vt obseruauit Cātacuzenus, & Iansenius. Quòd si de sapientia increata sermonē velis esse, déque cognitione, quā habet ipsa (Idacius quidem sic accepit; Clemens [d] Alexandrinus de eadem per Scripturā reuelante; Didymus item Alexandrinus [e] de Deo; Anastasius Nicenus [f] de sapientia) noli propterea existimare, solā eius cognitionem de rebus futuris esse cōiecturalē, etiā de liberis. Quandóque εἰκάζειν pro *scire* ponitur, & *æstimare*, pro *certò iudicare*. Vel more nostro sic di-

d 6 strom.
e in 1. Ioan. 4.
f q. 78. in Scrip.

C ctum est de cognitione practica, quā, vt quis practicè operetur, non est necessarium esse omnino certam; licet aliunde certum videatur esse in Deo omnino certam, etiam de merè contingentibus liberis possibilibus conditionalibus.

Scit versutias sermonum.] Græcè (στροφὰς λόγων.) Sic in Ecclesiastico [g] de sapiente, καὶ ἐν στροφαῖς παραβολῶν συνεισελεύσεται, *& in versutias parabolarum simul introibit.* Sūt versutiæ parabolarū, inquit Iāsenius [h], acutæ subtilésque sententiæ ad institutionē vitæ rectáque consilia danda pertinentes, siue in morem prouerbiorū & adagiorum, siue tanquam similitudines & comparationes vnius rei ad aliam, vt sunt Euāgelicæ parabolæ. Verùtamē hîc στροφαὶ

g c. 39. 2.
h ibid.

D λόγων in deteriorem sumūtur partem, vt deprehēdantur aliorum fraudulēta & fallacia verba; sicut deprehendebat Christus Herodianorum [i], & aliorum aduersariorum suorum; imò & diaboli, quē ex emphibolia sapienter, vt ait Clemens Alexandrinus [k], elusit in tempore tentationis [l]. Placet Cantacuzeno, & Lyrano, ac etiā Hugoni ex parte. A vertendo *versutia*, sicut à στρέφω στροφὴ dicebatúrque hæc in choro conuersio, quando ad spectatores conuersus, quosdam decantabat Poëta versus, præsertim anapæstos [m]. Latini in vsum suum Græcam vocem conuerterunt, ac *stropham* vsurparunt pro verbo ad fallendum detorto, pro ar-

i Matt. 22. 15 & seq.
k 1. strom. c. 4.
l Matt. 4. 4. & seq.
m Schol. Aristoph. in Nubib. in argu. & Triclin. in Sophocl.

E gutiarum versutia, pro sermonis fallacia.

Perniciosum Reipublicæ vitium, vel contra candorem morum, vel contra syncerititatem doctrinæ: nec sophistas practicos minùs auersari, quàm theoreticos oportet: vt adulterinū siue hîc, siue ibi nummū tanquam boni trapezitæ probemus, vt tradita à Christo, licèt non relata in Scripturas sacras sententia Clemens Alexandrinus [n] nos admonet. Sophistarum Hieronymus [o] tendiculas non tam vincula censet nominanda, quàm phasmata, id est, vmbras quasdā & imagines, quæ citò pereunt atque soluuntur. Quinetiam vim venenorum suorū hæreticos refert Adrianus [p] Papa I. in dialectica (sophistica) disputatione consti-

n 1. stro. c. 4.
o lib. 9. in c. 39. Esa. & refertur d. 37. c. 4.
p ep. ad Carolum Magnum. c. 49. & refertur d. 37. c. 6.

tuere,

tuere, quæ vim habet nō astruendi, sed destruendi, & in qua non complacuit Deo saluum facere populū suum. Idem prodit Ambrosius [a] de iisdē. Origenes [b] verò comparat cum plaga sciniphū[c]. Celebrantur in historia Ecclesiastica Spiridion[d], & Alexander [e] Episcopi, qui talem disseriationē compescuerunt imperio ac simplici verbo. Sūt & in chronicis B. Dominici quædam persimilia de S.Petro Martyre disputante cum hæreticis. Non χολῇ, sed χολῇ, non διατριβῇ, sed κατατριβῇ, vt vocabat Diogenes [f], huiusmodi genus disserendi vocandum est. Hæc, vt vites ac vineas, nosse pertinet ad sapientiam, vt possis ἐλέγχειν, hoc est, *redarguere*, atque *confutare*. Ad hoc opportunus est vsus Dialecticæ, vt docet Clemens [g] Alexandrinus, & Hieronymus [h], & Augustinus [i], qui sophismata simul reprehendit illa Scripturæ sententia; *qui sophisticè loquitur, odibilis est: non est illi data à Domino gratia; omni enim sapientia defraudatus est* [k]. Cùm Donatistæ verò Augustinum ob Dialecticam & reprehenderent, & fugiendum cauendúmque potiùs censerent, quàm refellendum reuincendúmque, docuit quid conferat vera Dialectica [l], & ea vsum Paulum, atque Christum ipsum, & Deum.

Dissolutiones argumentorum.] Græcè (λύσεις αἰνιγμάτων.) Præstitit hac in re Salomon vsque ad stuporem Reginæ Sabæ, & aliorum. Venerat illa *tentare eum in ænigmatibus* [m]: *docuit autem ipse illam omnia verba quæ proposuerat, nec fuit sermo, qui Regem posset latere, & non responderet ei* [n]. Ænigmata sūt sermones obscuri, & sub figuris occultati, aliud in superficie prætendentes, aliud significantes intus, qui duntaxat αἰνίττονται, *innuūtur*, sed pluribus explicandi sunt: Latinè scirpos, vel scrupos Gellius [o] docet dici. Apud Ezechielem [p] simul coniunguntur ænigma & parabola: & quod in Psalmo [q] recitatur, *loquar propositiones*, Hebraicè est חידות *chidoth*. Græcè προβλήματα, quæ sunt propositiones obscuræ, vt ait Euthymius [r]; Hieronymus, *loquar ænigmata*: & apud Matthæum [s], *eructabo abscondita*.

Modicum quoque discrimen est à parabola, prouerbio, seu parœmia, vel adagio, Hebraicè משל *masschal*. & ab allegoria; Quintilianus [t] enim allegoriam obscuriorem ait dici ænigma: referúntúrque etiam ad illa αἶνος, μῦθος, ἀπόλογος, γνώμη, γρῖφος, de quibus auctor [u] adagiorum, Salmerō [x], Ribera [y]. *Argumenta* dixit Interpres, quoniam interdum sumuntur pro qualibet sententia, vel oratione, præsertim ingeniosa, quæ comprehendat illa, quæ diximus ænigmata, hisque similia: vnde argumentosum opus apud eundem Quintilianum [z], nimia argumentorum mole, numerosius, nimio artificio: & in picturis quæ ingeniosa est, argumentosa dicitur; & apem argumentosam Cæciliam Ecclesia cognominat.

Meminit Olcot [a] alterius lectionis (*dispositiones argumentorum*) id est, variàs formas, siue figuras ac modos, varia genera, vt syllogismi, enthymematis, inductionis, exempli, &c. Repugnat Græcum nomen λύσεις: quamuis & dictis congruere possit ἀνάλυσις: disserit enim de his Aristoteles in prioribus Analyticis. Quæ vocant Hebræi חידות *chidoth*, acumen important, & quamdam quasi velocitatem, lævitatem, splendorem, coniūgendi vim, voluptatémque. Quo in genere Salomonem excelluisse testatur Scriptura [b], & Iosephus [c]: & videtur ab eodem Salomone [d] appellari *mala aurea in lectis argenteis*; de quib. præ cæteris R. Moyses [e], pôstque illū Pineda [f] noster, ex quo, vt solet, nouissimus libri huius commentator [g], cuncta mu-

a 3 de incar. nit. sacra. 9. — b hom. 4. in Exod. — c Exod 8. 16. — d Socrat lib. 1. c. 7 Sozom. in tripar. lib. 1. c. 3 Niceph. lib. 8. c. 15. — e Sozom. 2. trip. c. 4. — f Laert. lib. 6. — g 1 strom. — h ... Ep. ad T... — i 2. de doctri. Christ. c. 31. — k Eccli. 37. 23. — l 1. contra Crescon. c. 10. & seq. — m 3. Reg 10. 1. — n ibid. vers. 3. & 2. Para. 9. 1. 2. & Eccli. 47. 17. — o lib. 12. c. 6. — p c 17. 2. — q Psal. 77. 2. — r ibid. — s 13. 35. — t lib. 8. c. 6. — u in præfat. — x in 1. 7. tract. 1. — y Mich. 2. n. 8 & seq. — z lib. 5 c. 10. — a lect. 103. — b 3 Reg. 4. & 10. Eccli. 47. 16 17 Eccle. 12. 9. Pro. 1. 6. — c 8. Antiq c. 2. — d Prou. 25 11. — e lib. 1. ductoris dubiorum. c. 1. — f 3. de reb. Salo. c. 16. n 4. & 5. — g Ceruantes.

A tuatus ad id pertinentia, illum non nominat, *tali* vt refellat, & quidem frustra, & absque ratione.

Signa & monstra sciit antequam fiant.] Nō sequitur hæc Angelis ignota esse, siue de sapientia increata sermonē verba esse, siue de creata infusa, quę de ea, quā suo sibi modo cōparare potest homo. Respōdet hoc pacto Vazquez [a]. Cātacuzenus intelligit de signis cœlestibus, vt cometis, eclipsibus solaribus, ac lunaribus, de inde, plurimū Solis phasmate, de alo, & aliis impressionib. meteorologicis: item de mōstris, siue portētis in terra, vt anguibus ingentibus, & vario alio genere mōstrorum. Ex his namque sapiens præsagit mira quædam & grauia euentura, quæ ad copiam, vel ad gloriam

B aliquam referantur. Sic ille.

Sunt ista, quæ citatus dicit commētator, accipienda commodè de probabili tātùm cōiectura, si euenta quæ præsagiūtur libera sint. Nam nec Deus quidem ipse aliud cognoscit ex vi taliū signorum & portentorum, monstrorúmve, quàm naturales quosdam effectus, qui nōnullas ingerūt inclinationes ac propēsiones hominibus, absq; vlla necessitate. Et hæc quidē præsignificatio redigi potest in ordinē effectorū naturaliū, vt sterilitatis, ac famis, morborū, atque pestilētiæ, terræmotus, tempestatis, frigoris, æstus, imbriū, siccitatis, ventorū, & similium. Horū tamen quoque haud certa semper prænotio; quoniā ægrè admodū cōcto-

C rum syderum vis & concursus perspicitur, simúlque inferioris mundi natura, & adeò diuersus terrarum situs ac temperies, tantáque proximarum diuersitas causarum. De his in Philosophicis plura disserimus.

Porrò σημεῖα & τέρατα quid propriè significēt, docuimus in Cōmētariis Actuū Apostolicorū [b]. Posterius nomē, cui Latinū hic respondet (*monstra*) nō denotat sola quæ vulgò intelligimus *monstrorū* voce peccata naturæ, in animalibus præsertim, sed latiùs patet. Vana ex his auguratio & vaticinatio Gentiliū; licèt quādoq; de industria immittatur à Deo ad mala præsignificanda. Sed hoc ipsum intelligere, non humanum, sed diuinum censetur. Legendus Iulius Obsequens, Polydorus

D Virgilius; & malæ religionis sectatores Ioachimus Camerarius, Conradus Lycosthenes; sed secundus maximè, idque in tertio præsertim operis libro: item Delrius noster [c], & ab eo citati, potissimùm Vvimpina [d].

Euentus temporum, & seculorum.] Græcè (καιρῶν, καὶ χρόνων, *opportunitatum, & temporum*.) De his quoque citato loco dictū. Hæc autē cognitio vel cōiecturalis est, vel certa, pro vt antè declarauimus.

Vers. 9.] Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit al-

E locutio cogitationis, & tædij mei.

RENouat propositum asciscendæ sibi sapiētiæ in sociam perpetuam vitæ: quoniam tot bonis illa suos afficiat; curis ac molestiis leuet, ac blādè quodāmodo tacitis cogitationibus sollicitis occurrat, iisque medeatur per opportuna consilia. Magnæ sunt hæ dotes nobilissimæ, pulcherrimæque sponsæ, communicatio bonorum, ac remotio tædiorum: quibus deinceps aliæ subiiciūtur, veneratio apud multitudinem: in iudicando discretio: maiestas inter nobiles: immortalis fama post hanc vitam: dignitas regiminis: conscientiæ quies, atque iucunditas.

a tom. 1. in 1 p. disp 270. c. vlt. — b 4. 30. — c 3 disquisit. magic. c. 3. q 7. sect. 2. & lib. 5 p. 2. q 1. & seq. — d lib. de 6. gnis. c. 22. vsque ad 27.

Propositi.] Græcè (*ἔκρινα, indicaui, decreui.*) Hilarius [a] (*iudicaui.*)

a in Psal. 137.

Ad conuiuendum.] Græcè (*πρὸς συμβίωσιν, ad conuictum, ad contubernium*) de quo dictum versu tertio. Legunt quidam (*ad conuiuandum*) vt codices Complutenses, & Regij, glossa, Hugo, Bonauentura, Lyranus, Carthusianus; & meminit Olcot [b], licet hanc lectionem primo ponat loco, quam etiam sequitur Hilarius [c]: Ambrosius [d] verò (*ad coniugium.*) Græci certè conuiuari non dicunt συμβιῶσαι, aut συμβίωσιν conuiuium: sed συμπίνειν, & συμπόσιον, vt ex Luciano [e] colligitur: & Cicero [f] hoc nomine Latinos præfert Græcis, quòd accubationem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarint, nõ compotationem, vel concœnationem, συμπόσιον, ὑ σύνδειπνον. *Qui adhæret Deo, vnus spiritus cum eo efficitur* [g], & ita viuit, vt iam non ipse viuat, sed in ipso Deus [h].

b lect. 110.
c suprà.
d de viduis.
e in vitarum vend.
f de Senect.
g 1. Cor. 6. 17.
h Gal. 2. 20.

B

Mecum communicabit de bonis suis.] Græcè (*ἔσται μοι σύμβουλος ἀγαθῶν, erit mihi consultrix bonarum rerum,* vel *consiliorum.*) Vatablus (*vt quam mihi bona daturam consilia cognoscerem.*) Sapientiæ propria, & per se, ac, vt ita dicam, formalia sunt quæ pertinent ad intellectum. Communicare igitur cum aliquo de bonis suis censebitur docendo, sanáque consilia dando. Vnum de Spiritus sancti donis consilium est [i] contra præcipitationem, vt docet Gregorius [k], quando scilicet ex iudicio sapientiæ, vel scientiæ, quæ sunt alia duo dona, concluditur quid sit omnino agendum heroicè in aliquo casu particulari, quale fuit Salomonis iudicium de meretricibus [l].

i Esa. 11. 2.
k 2. moral. c. 36.
l 3. Reg. 3. 16. & seq.

C

Erit allocutio.] Græcè (*παραίνεσις, admonitio*) vt reddit Iansenius (*moderatio*) vt Clarius (*lenimentum*) vt Vatablus (*alleuiatio*) vt glossa interlinearis, & alij, sicut amicus amicum suas exponentem molestias consolatur. Addi potest (*cohortatio.*) Sic Iustinus inscripsit λόγον παραινετικὸν πρὸς Ἕλληνας, *cohortatoriam orationem ad Græcos,* siue *Gentiles*: similísque titulus est Clementis Alexandrini τοῦ προτρεπτικοῦ. Lege quæ capite tertio [m] hac ipsa de loquendi forma notata sunt, vbi pro *allocutione* Græca vox erat τῆς παραμυθίας. Fortassis eadem ratione possimus illud etiam interpretari quod est in Canticis [n]; *Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* ἐν ἡμέρᾳ ᾗ ἂν λαληθῇ ἐν αὐτῇ, id est, quando nuptui tradetur, quo tempore conueniri debet, vt consentiat ex corde, seu respondere ad id quod esse nubilibus gratissimum solet. Id sibi etiam volunt illa apud Oseam [o], *ducam eam in solitudinem, & loquar ei ad cor,* hoc est, consolabor, vt mos est amicis fidelibus. Videntur porrò superuacanea, quæ notantur circa nomen συμβόλου de symbola conuiuiali, de tessera theatrali, de contubernio, & similibus nimis auidè conquisitis [p]. Lyranus, & alij respiciunt ad verba mentis, & internam locutionem, qua vtitur sapientia.

m vers. 18.
n c. vlt. 8.
o c. 2. 14.
p à Ceruãtes.

D

E

Cogitationis.] Græcè (*φροντίδων, cogitationum, curarum.*) Græca dictio multo sæpiùs significat *cogitationes anxias, sollicitas, molestas.* Generalem significationem restringit satis præcedens παραίνεσις, & *allocutio* in sensu declarato. Sed & propria *cogitationis* Latina notio mentis agitationem importat, collectionem, coactionem, vt Augustinus [q] docet.

q 10. confess. c. 11.

Tædij mei.] Græcè (*λύπης, tristitiæ, mœroris*) sine pronomine (quod perspicuitatis causâ rectè adiectũ est.) Putat Bonauentura solatium sapientiæ significari aduersùs afflictionem in cogitando, siue meditando; quoniam *frequens meditatio, carnis est afflictio* [a]; & aduersùs tædium nimij laboris, ita vt tædeat etiam viuere [b].

a Eccle. 12. 12.
b 2. Cor. 1. 8.

Incomparabilis voluptas ex studio sapientiæ percipitur, nec tædet vnquam degustantem studium sapientiæ. Quamuis interdum ex eo ipso studio ac voluptate mentis atra bilis in corporis tẽperamento præualeat, vt scripsit Philosophus [c]. Nihil crebriùs vsurpant profani, ac sacri quoque auctores quàm admirabilem consolationem & gustũ ex Philosophia. Notus Boëtij liber de hoc argumento. Tanta vis fuit parænetica in Hortensio Ciceronis ad amorem sapientiæ, vt se vehementer excitatum inde fateatur Augustinus [d], cum tædio ac fastidio aliarum rerum. Ille verò ipse Cicero [e] Philosophiam nominabat oblectationem animi, requiémque curarum, & ei magnã habebat gratiam, quæ ipsum non modò à sollicitudine abduceret, sed etiam contra omnes fortunæ impetus armaret [f], & vitæ tranquillitatem largiretur [g]. Insulatum etiam esse loco dixit Seneca [h]; & in huius sacrario aut nos tutos dixit esse, aut tutiores [i]. Quid memorem abiectis cæteris curis omnibus curam vnam suauissimam, quam sapientes viri vna susceperũt de sapientia? quid hecatombas Pythagoricas, atque Archimedis illud εὕρηκα, veritatis agnitæ indicia iucundissima? Æmyliorum familiam Romæ à Numa sic ἀπὸ τῆς αἱμυλίας, *ab humana vrbanitate* nuncupatam testis Plutarchus [k], quam ex Pythagoræ consuetudine hauserat. Postremò, ad Philosophiã recurrere Aristoteles [l] iubebat, qui absque tristitia vellet delectari. Sed nihil hæc ad verè diuinã sapientiam, quæ multo præstat meliùs ne deiiciamur angoribus, si quid præter sententiam contingat.

c sect. 30. problem. in 1.
d 3. confess. c. 4.
e 2. de Offic.
f 12. ep. famil. epist. 23.
g Tuscul. 5.
h epist. 14.
i epist. 104.
k in Numa, & opusc. de audit.
l 2. Polit c. 5.

Vers. 10.] Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores iuuenis.

Externa hæc duo bonorum genera, famæ honorísque suppeditantur à sapientia: nec illustrius exemplum quàm Salomonis assignari potest, qui penè puer magnam habuit famę celebritatem, atque venerationem apud omnes. Philosophum Plato [m] comparatum cum aliis, etiamsi sint cæteris disciplinis absque Philosophia instructi, veluti liberum censet comparatum cum seruis: diuinum quoque ac Diis simillimum, summis afficiendum honoribus [n].

m in Theæt.
n in Sophista.

Claritatem.] Græcè (*δόξαν, gloriam.*) Sic inferiùs [o], & aliàs sæpe [p]; nonnunquã pro lucis splendore [q].

o c. 10. 14.
p Ioã. 5. 41. c. 17. 5. 22. 24. Apoc. 7. 12.
q Luc. 2. 9. Act. 22. 11. 1. Cor. 15. 41. & alibi.

Apud turbas.] Græcè (*ἐν ὄχλοις.*) De discrimine populi, ac turbæ alibi diximus [r], siue τοῦ ὄχλου, & λαοῦ, vel δήμου. Quocumque sumatur modo, fama viget præsertim apud multitudinem. De Salomone auctor Ecclesiastici [s] scribit, ipsummet alloquens; *Ad insulas longè diuulgatum est nomen tuum, & dilectus es in pace tua*: multo videlicet magis, quàm olim aliquo tempore Nero, quem testis est Seneca [t] suo Imperio charũ adeò fuisse, vt nemo vnus homo vni homini tam charus vnquã fuerit.

r Act. 5. 20.
s c. 47. 17.
t 1. de clem. c. 11.

Honorem apud seniores.] Senioribus potiores deferri partes solent, & Reipublicæ gubernacula, in qua sunt honores. Imò, vt alio loco docui [u], senior non ætatis duntaxat, sed nomen quoque dignitatis est. Exemplo idem Salomon est, Iob,

u Act. 4. 5.

ac Daniel. Lege caput quartum [a]. Honorari ab honoratis honor est, nempe à probis, & scientibus honorem [b].

Iuuenis.] Græcè (ὁ νέ☉.) Plurimi codices innectunt hoc nomen sequenti versui: quin etiam omnes Expositores Latini, vt sit sensus, fore, vt in iudicio habeatur fortis, strenuus, diligens, vt solent esse iuuenes. Meliùs emendati codices in hunc versum coniecerunt iuxta Græcam distributionem: in qua etiam articulus ante νέ☉, & quòd coniungens particula deficiat, planè demonstrat sic legi debere. Eandem ob causam nec alia aliorum librorum recipi lectio potest (*apud seniores, & iuuenes.*) Denique Cantacuzenus explicat honorem adolescenti deferendum à senioribus, quos vincat sapientia & consilio. Consentiunt Iansenius, Vatablus, Clarius, Osorius. Cuius autem Salomon esset ætatis cùm Regnum iniit, alio priùs loco monuimus: Pinedámque [c] nostrum ciuitauimus.

a vers. 8.
b Aristot. 8. Ethic. c. 8. & lib. 4 c. 5.
c 3. de reb. Salo. c. 2.

Vers. 11.] Et acutus inueniar in iudicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me.

HOnoris gradus est iudicia exercere: sed honorem adauget cum animi acrimonia & perspicacia id facere, momenta iuris penetrando, calumnias deprehendendo ac repellendo. Inde nascitur vt ad istam solertiam, industriámque, & ingeniosam iuris interpretationem, atque quæstionum facilem declarationem respicientes primarij ac principes viri, rapiantur in admirationẽ. Confirmauimus id pridem nobilissimis exemplis Salomonis [d], Danielis [e], Christi, super quorum, præcipuè postremi, *responsis & prudentia obstupescebant omnes* [f], eòque magis qui sapientia præstabant.

Acutus.] Græcè (ὀξύς.) Priùs exposuimus quid sit [g].

In iudicio.] Græcè (ἐν κρίσει) quando ferendum erit iudicium, dicenda sententia, causa agitanda.

In conspectu potentium.] Græcè (ἐν ὄψει δυναστῶν.) Hi Græcè appellantur ἀπὸ τοῦ δύνασθαι, à posse, ipsísque Regibus quandoque nomen id tribuitur. Sapientia seipsam laudans, de se in tertia persona dicit [h], quòd *in conspectu virtutis Altissimi gloriabitur*, id est, Angelorum: *& in plenitudine sancta admirabitur*, id est, erit in admiratione: *& in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur.*

Et facies Principum mirabuntur me.] Desiderantur hæc in textu Græco: sunt autem priorum maior explicatio, & expressior, in ore, vultu, gestu, habitúque corporis admiratio. Plusquàm Salomon Christus [i] fuit, quem sequebantur per deserta turbæ; non modò iuuenem, sed adhuc in cunis, postea duodennem, honore summo, ac diuino afficiebant viri sapientissimi, & nobilissimi, ac deinde Principes non pauci crediderunt in eũ; plurimi stupescebant super doctrina, & responsis eius, & suspensi hærebant audientes; Præsides ac Reges reuerebantur.

d 3. Reg. 3. c. 10. 6.
e Dan. 13.
f Lucæ 2. c. 4. Ioan. 7.
g c. 7. 22.
h Eccli. 24. 2.
i Matth. 12. 42.

Vers. 12.] Tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.

A HIc licet illud vsurpare [a];

Conticuêre omnes, intentique ora tenebant.

Vel dum me ipse colligo, ac tacitus ad memoriã reuoco quæ sunt mihi dicenda: vel dum oratione longiùs prouehor, exaudior attendissimè, nemine hiscente, sed ora manu admota obstruente. Describitur à Iob [b] in audiendo attentio haud admodum dissimili ratione. *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns, testimonium reddebat mihi* (quasi annuendo, approbando, admirando, venerando, cùm ipsos oculos qui audiebant humi demitterent.) Oratores magni, & concionatores sancti auribus libentissimis auditi, exceptíque ingenti plausu sunt, vt de seipsis
B Chrysostomus inter cæteros Augustinúsque meminerunt. Hinc acclamationes illæ; ἄξι☉ ὁ σοφὸς σοφῶς, ὀρθῶς, εὖ, ὑπέρδ θείως, μεγάλως, δαιμονίως, & apud Latinos, pulchrè, benè, rectè, bellè, egregiè, acutè, euge. Lege Raderum nostrum [c], & de aliis formulis Brissonium, & quæ diximus ad illa verba historiæ Apostolicæ [d], *Dei voces, & non hominis.*

Mirum quòd taceãt Principes, potẽtes, diuites: *diues enim locutus est, & omnes tacuerunt*, ait filius Sirach [e], *& verbum illius vsque ad nubes perducent. Pauper locutus est, & dicũt: Quis est hic?* Videlicet, vel quia metalla auri argentíque pondus addunt orationi apud imperitos: vel quoniã rara in talibus sapiẽtia concitat quadam nouitate, atque insolentia ad-
C mirationem: vel quia, vt sint ἄμουσοι, καὶ ἄσοφοι, solent ad loquendum promptiùs, audaciúsque prosilire, freti potentia. Cuius ergo auditur à talibus etiam sermo auidè ac veneranter, plenum emphasi, & energia oportet esse.

Sustinebunt.] Græcè (ὑπομενοῦσι, *expectabunt.*) Idem valet ὑπομένειν: nec tantùm significant *pati*, & *tolerare*; quæ tamen affinia sunt: expectans enim patiens est, atque vicissim patitur qui expectat, & differt. Creber in Scripturis est huius in hac significatione verbi vsus. *Expectabant me sicut pluuiam*, ait rursus Iob [f], *& os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.* Vulgò (*stauano a vdir con la bocca aperta*) quod Latini dicunt, hiante ore. Tale illud Ciceronis [g] de seipso dixisse Pætum refe-
D rentis: [in eo igitur, inquis, conuiuio Cicero ille, quem expectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant sua.]

Loquentem me respicient.] Græcè (φθεγγομένῳ προσέξουσιν.) Sonum edenti, non solùm loquenti attendent. Signum beneuoli ac attenti auditoris est oculos in dicentẽ conuertere, vt Plutarchus [h] docet. Et verò in ore, vultu, oculis dicentis vis inest permagna, atque in actione & pronunciatione principe oratoris parte, quæ oculis magis, quàm auribus percipitur. Hoc illud est antea recitatum;

——— *intentique* [i] *ora tenebant.*

Item:

E ——— *tenuitque* [k] *hians tria Cerberus ora.*

Adhæc ex Ennio [l] quidam proferunt;

Sic expectabat populus, atque ora tenebat
Rebus. ———

Sed legendum (*ore timebat*) sicque non est ad rem. Tandem Cicero [m]: [Video, ait, in me omnium vestrûm ora, atque oculos esse conuersos.]

Et sermocinante me plura.] Græcè (καὶ λαλοῦντ☉ ἐπὶ πλεῖον, *& loquenti super plus*) ac veluti nimis multa. Quod innuit magnam auditorum beneuolentiam, singularem dicentis modestiam, vt

a Aeneid lib. 2.
b cap. 29. 10. 11.
c in Martial lib. 1 epig. 4. vel 3.
d Act. 12. 22.
e Eccli. 13. 28. 29.
f c. 29. 23.
g lib. 9. epist. famil. epist. vlt.
h opusc. de audit.
i 2. Aeneid.
k 6 Aeneid.
l 1. annal.
m 4 Catilinaria.

huic sua videatur longior, illis breuior eius oratio. Anselmus [a] expendens verba Pauli ad Hebræos [b]; *Rogo autem vos, fratres, vt sufferatis verbum solatij: etenim perpaucis scripsi vobis*; infert adeò egregij magistri verbo exemplóque debere nos ea, quæ scimus valdè humiliter, & sine fastidiosa prolixitate dicere. Quod vtinam aduertant, & obseruent, qui dicunt ad populum, vel orando, vel concionando. Suos Franciscus hortatus proditur [c], vt cùm breuitate sermonis loquerentur. Nazianzeni [d] autem omnino vera sentẽtia, quòd est κόρ@ τῦ λόγυ πολέμι@ ἀκοαῖς, ὡς ὑπερβάλλυσα τροφὴ σώμασι, *sermonis saturitas non minus auribus inimica, quàm immodicus cibus corporibus*. Legãtur præcepta, quæ dat Augustinus [e] catechistæ. Legato Perinthiorum Agis Lacedæmoniorum Rex scitanti, postquam prolixiùs perorauerat, quid finis relaturus esset; ac rursus eodem pacto cùm Abderitarum Legatus idem quæsiuisset, longiore quoque vsus oratione, respondit, quantum ipsi temporis locuti essent, tantum se tacuisse [f]. Phocion dicenti in concione; Præ te fers, Phocion, meditari; Rectè diuinas, ait; meditor enim, an quid præcidere de oratione, quã habiturus sum, valeam [g]. Breuitati conducit orationis, præmeditatio eiusdem, vt sis non τῶν ἐμέτων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβέντων, *non ex vomentibus, sed ex eorum numero, qui accuratè dicunt*. Quanti porrò referat, vt Princeps sit eloquens, docet tum exemplis, tum testimoniis Pinedã [h] noster.

Manus ori suo imponent.] Græcè (χεῖρα, *manum*.) Iob [i] citatus, *digitũ superponebant ori suo*; Hebraicè כף *caph*, Chaldaicè אידא *aieda*, *manum*. Digito labellum cõpescitur, sed manu obstruitur os. *Omnis iniquitas oppilabit os suum* [k]: *obstructum est os loquentiũ iniqua* [l]. Hoc est quod in sacris Romanis prouerbialiter vsurpabatur, fauere linguis, vt exẽplis docet Brissonius [m], vel ore, vel faucibus, vt loquitur Ennius [n], vel verbis, quibus denotatur silentium, vt Senecæ [o] placet, ac Seruio & Donato [p]. Sed & præco non ea tantùm formula silentium imperabat in rebus diuinis publicis, verùm etiam ista in sacrificiis adhibebatur (*pascito linguam*) vt Paulus refert ex Festo, exponens, linguam coërceto, contineto, taceto. Legatur quoque Turnebus [q]: de silentio autẽ in nostris sacris tum idem Brissonius [r], tum Ioannes Stephanus Durantus [f]. Pattalorynchitæ fuerunt hæretici, sic dicti quòd veluti πάτ7αλον, hoc est, *digitum*, in morem pali τῷ ῥύγχῳ, id est, *naribus*, aut ori potiùs tenaces silentij imponerent. Meliùs dici Dactylorynchitas potuisse docet Augustinus [t].

a in Epist. ad Hebr. c. 13. b c. 13. 22.
c in chron.
d ora. de Baptismo.
e lib. de catechiz. rudib. c. 3. & 13.
f Plutar. apophteg.
g idem ibid.
h 3 de reb. Salo. c. 12.
i c. 29. 9.
k Psal. 106. 42.
l Psal. 62. 12.
m lib. 1. de formulis. pagin. 10. & seq.
n in fragm. ex incertis tragœd & comœd.
o lib. de vita beata. c. 26.
p in 5. Aenei. in id; ore fauete.
q ibid & in prolog. Andriæ Terẽtij.
r lib. 16 c. 17.
f lib. 1. de ritib. Eccl. c. 16. n 5.
t lib. de hæresib. c. 63.

Vers. 13.] Præterea habebo per hanc, immortalitatem: & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.

PRospiciendum est in posteritatem gerentibus Rempublicam, & virtutis monimenta, exempláque relinquenda; ac ita viuendum, vt iucundè posteri vtiliterque recordentur semper. Ad hunc modum partem vtramque sententiæ Cantacuzenus explicat. Latini primam de beata immortalitate apud Deum: secundam de memoria apud posteros. Delectat iustum ac studiosum hominem, ciuiliter etiam duntaxat agentem, nihílque de immortalitate animæ, beatitudinéve aut cogitantem, aut credentem, vt apud posteros viuat vigeátque ipsius cum laude memoria. Hic eum stimulus incitat vehementissimè ad res magnas suscipiendas & perficiendas, ad grauissima quæque obeunda, tolerandáque pericula. [Futuræ post mortem famæ, etiam detracto vsu, consulendum est,] inquit Cicero [a]. *In memoria æterna erit iustus* [b]: *memoria iusti cum laudibus* [c], *& in benedictione* [d], *& in compositionem odoris, & sicut mel, ac tanquam musica in conuiuio vini* [e]. Vna optimum senem causa mouit Eleazarum ad mortem fortiter tolerandam, ne maculam, atque execrationem suę senectuti conquireret, & prauum adolescentibus exemplum relinqueret [f].

Præterea.] Aliqui libri mendosè (*propterea*.) Neutrum Græcè legitur, sed aptè additur.

Immortalitatem.] Græcè (ἀθανασίαν.) Dixi dupliciter sumi posse. Si sumatur pro immortali fama, de qua est posterius membrũ sententiæ, probabilis inde colligi ratio potest pro animæ immortalitate, scilicet ex immortalis famæ desiderio, quam appetunt homines ceu subsidium mortalitatis, quam vitare non possunt; quasi superstite anima persuadeant sibi cogniturOS se quid qui viuunt de mortuis sentiant. Maximum iudicauit M. Tullius [g] hoc argumentum, valdéque multis exaggerauit cùm testimoniis, tum exemplis: ac tandem illud intulit ex omnium consensu, quæ naturæ vox est, verisimile esse, cùm etiam optimus quisque maximè posteritati seruiat, nõ agricola solùm, & qui liberos procreant, & filios adoptant, testamenta condunt, sepulchra excitant, describunt elogia; ex poëmatis, vel opificiis nobilitati post mortem volunt; pro patria offerunt se ad mortem: ex his, inquam, argumentatus est, esse aliquid, cuius post mortem sensum simus habituri. Nos hunc ipsum locum, differentes de animæ immortalitate, vberiùs tractauimus.

a 3 de finib.
b Ps. 111. 7.
c Prou. 10. 7.
d Eccli. 45. 1.
e Eccle. 49. 1.
f 2. Machab. 6. 25. 28.
g Tuscul. 1.

Vers. 14.] Disponam populos: & nationes mihi erunt subditæ.

TAle illud [h]; *Per me Reges regnant*, &c. Sapientiæ capaciores ad regendum aptiores; quod enim melius, regere debet id quod est deterius; veluti homo bestiam, vir fœminã, anima corpus, fortes ingenio ac ratione, licèt corpore sint debiles, eos qui ratione infirmi, robusti sunt corpore. Ad hunc ratiocinatur Aristoteles modum in Politicis [i], statuítque nonnullum ista ratione fundamentum esse in natura ipsa seruitutis, atque dominij.

Nimis amplificat eloquentiæ laudes Cicero, aut quis alius auctor librorum de inuentione [k], cùm ait olim fuisse tempus, quo vagarentur homines more bestiarum; deinde à quodam sapiente & eloquente homine persuasos eloquentiæ vi conuenire, simúlque viuere. Magna profectò vis est sapientiæ, cui seruit eloquentia: sed nec fuit, nec esse tẽpus illud potuit. Nam Adam, qui sapientissimus erat, id non permisit: Caiu filius eius ædificauit ciuitatem [l]. Eiusdem generis hyperbole illa de Orpheo, Amphione, & aliis, qui cantionibus suis ferinos homines ad humanitatem traduxerint, & aliò plantas transplãtauerint, vt Clemens Alexandrinus [m] meminit. Veriores, & mirabiliores metamorphoses Christus operatus est, suscitans quoque de lapidibus filios Abrahæ [n]; ac veluti transmutans in signa cœlestia, vt philosophatur Anastasius [o] Synaita.

h Prou. 8. 15.
i lib. 1.
k lib. 1.
l Gen. 4. 17.
m protrept. ab initio.
n Matth. 3. 9.
o 4. hexa.

Disp onam

Disponam populos.] Græcè (διακρίνω λαούς.) Fuit hoc idem verbum versu primo, & aliàs non rarò sic id Interpres Latinè reddit, & ei synonymum οἰκονομέω [a], & aliud διακρίνω [b], & διατάττω [c], vel τάττω [d], & κυβερνάω [e], & δικῶ [f], & διατίθημι [g]: quod vltimum verbo illo Latino maximè exprimitur. Præterea *bene disponi* superiùs [h] vidimus positum pro εὐεργετεῖσθαι, *beneficio affici*. Διοικέω est *seorsim habito*, & præterea *digero veluti per sua domicilia, sedésque*, postremò, *administro, & rego*, vel *constituo, ordino, decerno*. Inde διοίκησις, quam in vsum Latini sermonis Cicero [i] transtulit pro minore quasi prouincia sub alia maiore. Vtuntur frequẽter auctores Ecclesiastici hoc vocabulo, necnon Iurisconsulti: sed aliter quoque nominant *territorium*, vel *districtum*. Accipitur hîc *disponendi* verbum latiùs pro eo, quod comprehendit necessaria omnia rectæ gubernationi, siue suas cuique sedes assignando, & munera, vel gradus, siue leges ferendo tum communes, tum accommodatas diuerso hominum generi, atque conditioni. Tanti refert ordo, & recta collocatio, vt *disponendi* verbum tam libenter Interpres adhibeat ad adeò multiplicem significationem. [Ipsa est, inquit Augustinus [k], optima gubernatio, vt omnia suis temporibus distributa ex ordine gerantur (adde, suis locis, personis, aliísque circumstantiis) ne animum humanum turbulentis implicationibus inuoluta perturbent.] Extant eiusdem Patris de ordine libri duo: definit [l] autem esse per quem aguntur omnia, quæ Deus constituit.

Inutilis, & extra rem digressio [m] de ordine, quem seruauit Deus in omni genere rerum; vel quem Christus in operibus, atque doctrina: quãuis inde cognosci possit quanti referat dispositio, & ordo ad rectam gubernationem. Ecclesia quidem castrorum acies ordinata dicitur [n], ac choris castrorum constans [o]: & in eadem peculiariter ordo sacer est, quemadmodum & in cœlesti hierarchia; iubétque Apostolus [p] omnia honestè, & secundùm ordinem fieri. Tandem *ordinare* in Scriptura [q] idem valet quod gubernationi præficere.

Populos, nationes.] Græcè (λαοὺς, ἔθνη.) De his vocibus aliàs egi. Non arbitror hîc vllum discrimen esse: quamuis *nationes* de Gentilibus velint accipi, Lyranus de iis, quos Salomon subiecit sibi: alij magis mysticè de illis, qui redacti sunt sub iugum fidei, vt glossa interlin. & Bonauentura; [quasi nati tantùm dicantur, inquit vltimus, & sub præputio nondum renati, ac spiritualiter circumcisi.]

a Psal.121.5. b Sap.9.10. c c.11.21. d Esai.38.1. e Prou.24.6. f Sap.13.15. g c.18.9. h c.3.5. i 13. famil. epi. epist.8. & lib. 15. ep.13. k de opere Monacho. c. 18. l lib.2.c.10. m Ceruantes. n Cant.6.3.9. o ibid. vers. 12. p 1. Cor.14. 40. q 2. Paralip.9. 8. Prou.8.15.

Vers. 15.] Timebunt me audientes Reges horrendi: in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.

COlligit Olcot [r] ex his, & ex dictis priore versu, quæ sunt in primis necessaria iustæ ac rectæ gubernationi. Nam disponere populos vult esse, leges ferre: nationes subditas esse, vt subditi pareant: timeri à Regibus horrendis, victorias ac triumphos referre: videri bonum in multitudine, facilem esse ad parcendum subiectis: fortem esse in bello, debellare superbos, iuxta Virgilianum præceptum [f].

Reges horrendi.] Græcè (τύραννοι φρικτοί.) Vox *Tyranni* media, sed in deteriorem flexa partem, de qua aliàs [t]. Horrori est sapientia horrendis ho-

r lect.115. f lib.6. Aeneid. t Act.19.9.

A stibus, ab hísque etiam inuitis metum ac venerationem elicit. Rahab meretrix timorem gentis suæ professa est, & cordis languorem, atque deliquium animi propter famam victoriarum populi Hebræi de Sehon, & Og Regibus [a]. Nabuchodonosor audito Daniele sapientissimo, prostrauit se, adorauitque eum, *& hostias, & incensum præcepit vt sacrificarent ei* [b], &c. Sed noui Testamenti, ac historiarum Ecclesiasticarum exemplis abũdamus, quorum alio loco nonnulla protuli [c]. *Ioannem Herodes metuebat, sciens eum virum iustum & sanctum* [d].

Videbor bonus.] Græcè (φανοῦμαι ἀγαθός) non virtute præditus in genere duntaxat, vt Carthusianus; sed vel benignus ac beneficus, vt Latini
B cæteri; vel, vt explicat Cantacuzenus, iudicabunt me, dum apud eos concionabor, idoneum ad res administrandas nó domi magis ac in pace, quàm foris ac in bello. Ampla valdè τοῦ ἀγαθοῦ significatio. Vna est pro bene perito, aptóque ad rem aliquam: & altera congruens loco, pro commodo, vtili, benefico, humano. Eadem de bono ratio: quo pacto dicimus ex æquo & bono iudicare. Homeri tritum illud de Rege, quo nihil aptius præsenti sententiæ;

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
Vtrumque, Rex est bonus, & fortis miles.

Quo versu mirificus Homeri laudator, lectórque sedulus Alexander Magnus delectabatur in primis, teste Plutarcho [e], quòd in eo duo, quæ potis-
C simùm elucere in Rege debent, continerentur, benignitas, munificẽtiáve, & militaris bellicáque fortitudo; vt sit pacis mediúsque belli [f].

In bello fortis.] Græcè (ἀνδρεῖος) virtute bellica, de qua modò dixi, & quæ virum decet maximè; sed multo magis Regem, quem sibi hac etiã potissimùm de causa populi constituerunt, vt iudicaret eos, & egrederetur ante illos, & pugnaret bella ipsorum pro illis [g]. *Cum dispositione initur bellum* [h], μετὰ κυβερνήσεως. Omen fuit in nomine Regis Dauid: fortem enim manu significat, vel dilectum. Erat simul mansuetus [i], simul terribilis. Idem ipse, vel potiùs, vt demonstrat Abulensis [k], alius nomine Iesbaam, aut quispiam alter, vt alij, sapientissimus Princeps, & fortis erat, interficiẽs
D octingentos impetu vno, id est, in vno bello, aliásque trecentos, & quasi tenerrimus ligni vermiculus [l], ob eximiam mansuetudinem & facilitatem.

Omitto mysticum de Christo sensum, qui fortior fortem vicit armatum [m], Rex idem pacificus, atque mansuetus. [n]; & sapientissimus sedens in cathedra. Is seipsum nominauit vermem [o]: quia spretus & conculcatus: quia magnus piscis Leuiathan eo est inescatus, sed hamo Diuinitatis captus: quia teneritudine sua & humilitate robora ipsa corrosit & euertit: quia conceptus, & natus ex aqua, & terra, hoc est, ex matre, opera Spiritus sancti [p] sine carnali patre: quia occisus,
E tanquam cocci vermiculus infecit purpureo gratiæ suæ colore animas nostras. Lege Euthymiũ [q], & Augustinum [r], & Origenem [f], & Sanctem Pagninum [t], & Aldourandum [u]: qui quidem humilitatis in Christo virtutem, & generationis modum præcipuè in illis verbis attendunt. Sed vt redeamus ad institutum, confœderatas virtutes in Rege oportet esse fortitudinis, & mansuetudinis; quod initio quoque capitis vidimus. Hæc est veluti columna ignis, & nubis [x], aspectus fulgureus, vestimẽtúmque niueum [y]. Pineda [z] noster

a Iosue 2.10. 11. b Dan.2.46. c Act.5.13. d Mar.6.20. e in moral. f Horat 2. carmin. ode 19. g 1 Reg.8. 20. h Prou.24.6. i Psal.131.1. k 2. Reg.23. q 8. l 2. Reg.23.8. 2. Paral.11.11. m Luc.11.22. n Zach 9.8. o Psal.21.7. p Mat 1.20. q in Psal. r ibid. f hom. 14. in Lucam. t lib.10. Isagog Scriptur. c.30.& 31. u 4. de inse-ctis c.1. in hieroglyphic. & lib.6.c.3. in myst. moral. x Exo.13.21. 22. y Matth. vlt. 3. z 5. de reb. Salom. c.9. n.4.

hunc

hunc locum refert ad processum Salomonis ex Regia in publicum: Regi enim ac Principi prodeundum aliquando, vt exemplis, atque testimoniis probat, ostendens simul modum quo Salomon procedebat ad templum, rusticationes, & venationes; itē quo comitatu, quo vehiculo, &c.

Vers. 16.] Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.

RESpiranti à publicis negotiis, ac domestico fruenti otio, & in secessu vacanti, solatium atque voluptatem affert sapientia, docēs de multis arduis rebus, & in illis ipsis, quæ ad vsum ac praxim spectant, facilem, atque expeditam aperiens viam & opportunitatem, ita vt suauiter in istis cogitationibus agere liceat cubando, dormiendo, surgendo, edendo, quidlibet aliud faciendo. Huc quoque refertur animi, & conscientiæ summa tranquillitas, páxque iucūdissima, & pulchra, & opulenta [a], vt pridem [b] notatum est. Sapientiæ *spiritus* [c] *super mel dulcis & fauum*, sempérque magis, ac magis qui degustat, esurit, ac sitit: delectat cor, dat lætitiam, & gaudium [d], iucunditatem, & exultationem thesaurizat super illum. Vnde fit præterea, vt multo magis nullum capere tædium beatitudinis, ac visionis diuinæ ille, qui ea potitur, possit, nec voluntas ei esse ab ipsa vel ad momētum cessandi. Nam nemo actum vllum intermittit, nisi propterea quòd quidpiam desit, quo expleri concupiscat, vel adsit, quod incommodo afficiat. In beatitudine lætitia plena gaudiúmque inest, ab illa tædium & amaritudo abest. Prægustum talem ac præceptionem beatitudinis talem habent in hac vita nonnulli, vt exprimere verbis non possint. Sed *nemo* quid hoc manna sit, *scit, nisi qui accipit* [e]. Inexperti aspera putant & insuauia, quæ suo nunquam palato commiserunt: mores piorum hominum austeros molestósque: vsum & conuictum illis tristem ac difficilem: sermonem seuerum & horridū: aspectum sordidum trucémque. Accedant, illuminentur, dedoceantur; non confundentur [f]. Vt vereor, ne funiculos humanos, & vincula dilectionis [g] vereantur ipsi, deliniri nolint, capi refugiant, teneri detrectent; colla sapientiæ iugo subtrahant. Nec sapiēter sanè facere illos dicam, qui Christianam profitentes sapientiam, lenitatis spiritu carent [h], aut non præ se ferunt. Tales sint oportet qualis huius præfectus scholæ, mitis & humilis corde [i], mansuetus, & modestus [k]; hac omnes arte trahāt ad se, imò ad Christum: Christi non infament disciplinam, ciúsve fœtere odorem faciant [l]: non sint inconditi, inurbani, morosi, difficiles: temperent & condiant seueriorem cultum, habitúmque hilaritate vultus, orationis dulcedine, cōpositione membrorum: denique non vna, quod dicunt, manu trahant, altera retrahant. Hæc, & his plura documenta reperiet, qui eos leget quorum extāt libri de institutis Monachorum, Basilium præcipuè, Cassianum, Ephrem, atque quas vocant regulas ordinum, Benedicti potissimùm, & Augustini. Basilius [m] præcipit, vt mansuetudine Monachus plenus sit, tanquam scilicet particeps mansuetudinis Spiritus, cuius ipse hospes est; atque

a Esa.32.18.
b c præce.
c Eccli.24.27.30.
d Eccli.1.12.
e Apoc.2.17.
f Psal.33.6.
g Osee 11.4.
h Galat.6.1.
i Matth.11.29.
k 2.Cor.10.1.
l Exod.5.21.
m de constit. monast. c.14.

Mosem imitetur mortalium mitissimum [a], sed simul vbi ratio temporis exigeret, vehementissimè indignantem. Permittit præterea [b], vt remittendæ aliquantulum tristitiæ causâ sermone hilari, sed spirituali lepore, & Euangelico sale condito, vtatur, vt rectæ, quæ interius sit, sapientiæ gratum foras odorem aspiret, dupliciterque auditorem & animi relaxatione, & intelligentiæ festiuitate delectet. Sed & eos redarguit [c] qui arbitrantur Monachum diuersam planè ab humana induisse naturam, & naturales ex illius corpore omnes funditus affectus esse sublatos, & nolunt vllum prorsus, aut quàm minimum cibum assumere. Adhæc è contrario laudat [d], si Monachus quandoque mensa excipiat etiam externos; sed qui frugalitatem vel ibi recognoscant, vel discant. Abundamus exemplis anachoretarum, qui de abstinentiæ suæ contentione propter hospites vltrò ac hilariter remittebant. Testis Cassianus [e], recitans quoque Ioannis Euāgelistæ factum, perdicem manibus molliter demulcentis; multáque narrat alia humanitatis & vrbanitatis opera, quę illi, ab hominibus alioqui quodammodo auulsi, erga homines factitabant. Hæc non pro domo mea, sed pro sapientia, quam qui hoc vitæ genus ineunt, velut Philosophi profitentur, ac in eius studio versantur; ita vt Græci Ecclesiastici auctores φιλοσοφεῖν, atque φιλοσοφίαν vsurpare de illis soleant, quos Religiosos nominamus. Ipsosmet Gentiles permouit Antonij & Luciani modestia Martyris, vt veram crederent esse Religionē quæ tales mores præscriberet, & eius talium operá esse sectatores vellent [f]. Romualdum annosum ac venerabilem Patriarcham Camaldulensium tradunt læta semper facie intuentes exhilarasse. Lege quæ diximus in Apostolorum historia [g]. Sapientia tamen admittit indignationem, & dolorem, & tristitiam [h] de peccatis, de exilio, & absentia felicitatis.

a Num.12.3.
b ibid. c.13.
c c.7.
d ibi. & reg. 20 ex fusis.
e 5. de instit. renunc. c.23.24.25.26 & collat.24.c.20. & 21.
f Metaphr. apud Surium.
g c.5.13.
h Eccle.3.18. c.7.4.

Intrans in domū meam.] Sumitur simpliciter *domus* nomen, τοῦ οἴκου, vt sonat, pro habitatione priuata; non pro intima, & secretiore parte duntaxat. Sub priore autem notione omnis res domestica cum familia comprehenditur. Nec incommodè intelligi præterea potest suiipsius, ac salutis propriæ cura.

Conquiescam cum illa.] Græcè (προσαναπαύσομαι αὐτῇ.) Nimirum laborantes, & onerati reficiuntur à sapientia [i]; & quamuis foris ac in negotio quies non desit sapientia prædito: suauior tamen sese quodammodo ad se recipienti, & in se redeunti conceditur. Ex conuictu autem cum vxore similitudo sumi videtur, vt virum vxor nō pellat domo, quippe non litigiosa, similísve tectis perstillantibus [k], non stulta, & clamosa [l], sed reddens etiam viro bonum, & non malum [m], si quod fortè malum ab illo acceperit.

Non enim habet amaritudinem conuersatio illius.] Probabilis opinio, alludi ad coniugalem conuersationem, in qua nō sit, vt esse inter cōiuges non rarò solet, zelus amarus [n], nec sit vxor amarior morte [o]; nec vir ad vxorem sit amarus [p]; quia nullam det sapientia causam amaritudinis, nullis egeat zelotypiæ aquis [q]; tribulatio carnis inter virum & vxorem [r] non existat.

Nec tædium conuictus illius.] Loco *tædij* est ὀδύνη, & *conuictus*, συμβίωσις. Importat primum nomen molestiam, & dolorem, ac nominatim quem parturiens experitur, nec potest non afficere virum ipsum. Procul abest hoc malum à conuictu, con-

i Matth.11.28.
k Prou.19.13. c.27.15.
l c.9.13.
m c.31.12.
n Iacobi 3.14.
o Eccli.7.27.
p Colos.3.19.
q Num.5.12. & seqq.
r 1. Cor.7.28

tubernio,

tubernio, consuetudine cum virgine, sed fœcunda,& prolifica sapientia, quæ enititur, ac potiùs fundit prolem bonorum operum facilitate summa, maximo gaudio,atque lætitia, vt docent quæ sequuntur.

Sed lætitiam,& gaudium.] Sunt Græca εὐφροσύνη, καὶ χαρά. Primum vnius etiam ex Gratiis nomen est:& χαρὰ sono, ac significato nonnullam similitudinem habet cum nomine χάρις, quæ *gratiam* valet.

Vers. 17.] Hæc cogitans apud me,& commemorans in corde meo: quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ.

CVm hæc secum reputaret, atque bona omnia contineri animaduerteret in studio sapientiæ; tum verò maximè immortalitatem iis prouenire, qui cognationem haberent cum ipsa, iterum iterúmque vehementem suum illum erga illam amorem renouat, & declarat.

Cogitans apud me, & commemorans in corde meo.] Græcè (λογισάμενος ἐν ἐμαυτῷ, καὶ φροντίσας ἐν καρδίᾳ μου. (auritli sunt) *cum reputassem attentè, ac sollicitè cogitassem in corde meo*) conseruans, & conferens [a], morans in sapientia, in iustitia meditans, in sensu cogitans circumspectionem Dei [b].

a Luc.2.19. 51. b Eccli.14. 22.

Quoniam.] Græcè (ὅτι) pro, *quòd*, cùm nempe cogitassem quod antè dixi, núncque repeto.

Immortalitas est in cognatione sapientiæ.] Aliquot codices habebant (*in cogitatione*) nimirum quibus Enarratores Latini sunt vsi; prætereáque Idacius [c],& Fulgentius [d]: pauciores alij (*immortalitas in cogitatione sapientiæ.*) Græcè (ἀθανασία ἐστὶν ἐν συγγενείᾳ σοφίας.) Qui cognationem, vel affinitatem init cum sapientia, qui eam sibi fœderat, & deuincit, qui assumit in sponsam siue vxorem, vt antè dictum est (continetur enim hîc priorum repetitio) immortalem gloriam consequitur, euadit immortalis tum apud homines celebritate famæ, tum apud Deum ipsa felicitate. Cogitatio quidem de sapientia diligens, accurata, practica gignit immortalitatem, sicut postea capite decimoquinto [e] dicitur; quòd *scire iustitiam,& virtutem Dei radix est immortalitatis*; at non hunc efficiunt sensum verba Græca, quorum secuta est fidem editio emendata.

c 3.cont. Varimandum. d 3.ad Monimum.c 6.

e vers.3.

Cognatio affinitásve de animantibus vulgari sermone transfertur ad res etiam inanimatas; & apud Græcos, & apud Latinos, & apud cæteros, quemadmodum societas. Minùs impropriè cognationem tibi dixeris esse cum artibus,& virtutibus, quibus ornatur animus, aut cum vitiis, quæ illum dedecorant: non satis propriè cum magis externis rebus. Quo pacto Cincium dicebat Cicero [f] nunquam sibi cognationem cum suis prædiis esse existimauisse; quales alij, qui tanto amore suas possessiones complexi tenebant, vt ab his membra diuelli citiùs, ac distrahi posse diceres. Vulgò diceret Italus (*non mi sono sposato questa cosa, ò questo negotio*, &c.) Salomon & ipse hortatur hoc modo; *Dic sapientiæ, soror mea es,& prudentiam voca amicam tuam.* Vbi pro *amica* est Hebraicè, & Græcè *nota*, מודע *mohdad*, & γνώριμος. Malè autem citat [h] quidam ex Hebræo, *frater meus, soror mea tu*; quia solùm habetur אחתי את *achothi ath*.

f pro Sylla.

g Prou.7.4.

h Cernantes. hoc loco.

A *Vers.* 18.] Et in amicitia illius delectatio bona,& in operibus manuum illius honestas sine defectione, & in certamine loquelæ illius sapientia,& præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quærens, vt mihi illam assumerem.

ET hæc repetuntur; solent enim amantes eadem inculcare, ac eandem sententiam pluries pluribus verbis expromere.

In amicitia.] Hinc intelligitur antea legendum fuisse (*in cognatione.*) Est autem φιλία, non ἀγάπη, quoniam sæpe sunt synonyma; sicut & φιλεῖν, atque ἀγαπᾶν, vt aliàs notauimus: potéstque vel

B actiuè, vel passiuè sumi, vt quis amet sapientiam, & ametur ab illa.

Delectatio bona.] Græcè (τέρψις ἀγαθή, *honesta,& studiosa*) non turpis, non naturalis tantùm. Disputat Aristoteles decimi libri Ethicorum parte maiore de delectatione, siue voluptate, docens talem esse, qualis est materia, ex qua sequitur; summam verò percipi ex Philosophia & cótemplatione. De hoc antea diximus. Vera etiam amicitia vel virtus est, vel non sine virtute.

In operibus manuum illius.] Græcè (ἐν πόνοις, *in laboribus.*) Eodem pacto versu septimo; *labores huius magnas habent virtutes.* Manus per prosopopœiam tribuuntur inanimatæ sapientiæ creatæ;

C & per metaphoram increatæ. Opera sunt quæcumque per sapientiam efficiuntur vtriusque ordinis, naturalis,& supernaturalis.

Honestas sine defectione.] Græcè (πλοῦτος ἀνεκλειπής, *diuitiæ indeficientes.*) Sic priore capite [a], ἀνεκλειπὴς θησαυρός, *infinitus thesaurus*: item [b], ἀναρίθμητος πλοῦτος ἐν χερσὶν αὐτῆς, *innumerabilis honestas*, siue *diuitiæ*. a vers.14. b vers.11.

In certamine loquelæ illius sapientia.] Græcè (ἐν συγγυμνασίᾳ ὁμιλίας αὐτῆς φρόνησις, *in certamine colloquij illius prudentia*) vel (*in coexercitatione conuersationis illius prudentia.*) Vatablus (*in vsu colloquij illius prudentia*) Iansenius (*per hoc quòd quis exercetur simul cum ea colloquendo,& conuersando, acquiritur sapientia & prudentia.*) Cantacuzenus intelligit de tractatio-

D ne negotiorum politicorum,& frequenti sermone cum populo de rebus ipsorum, vnde compararet sibi quis laudem prudentiæ. Sic quidem est, vt fabricando fabri fiamus,& in omni facultate, arte, scientia, virtute, vsus & exercitatio magister est optimus; & quædam quasi concertatio manuum & consertatio. Hoc dicendi, ac disserendi, hoc quicumque habituum aliorum præceptores vehementiùs commendant: ac nescio quo pacto quæ mente cóceperis foras oratione deprompta, eadem in mente altiùs infiguntur; quæque delectat loqui, eadem vicissim cogitantur libentiùs, ac faciliùs reuocantur in opus.

Hîc dicere possem de scholasticæ disputatio-

E nis vtilitate, déque colloquiis vtilium rerũ, præsertim diuinarum, quas appellant collationes. Pertinet huc quod antè dixi de Dialectica, quam disputationis vocat Augustinus [c] disciplinam: quam præterea disputationem Ambrosius [d] in Ierusalem, id est, in Ecclesia, muri ac propugnaculi loco ait esse; vt minùs mirere, si scholasticam hæretici Theologiam adeò insectetur, sicut olim Donatistæ in Augustino Dialecticam, quod priùs quoque retulimus. Sed cauendum, ne nimiùm altercando amittatur veritas [e]; cáque moderatio

c 2.de doctr. c 31. d 1 apolog. Dauid. c.vlt.

e Teren.

adhibenda, de qua idem Augustinus [a], Nazianzenus [b], Concilium Toletanum X I. [c] & alij, nosque alibi [d]. Veruntamen non tam videtur mihi Auctor quomodo acquiratur sapientia vel prudentia, hîc ponere, quod Iansenius putat, & Bonauentura, quàm quid conferat ipsa, exponere, scilicet vt colloquia & dialogismi nostri, si sapientes sumus, tales quoque habeantur, & auidè recipiantur; vt cæteris Expositoribus videtur.

In certamine.] Græcè (ἐν συγγυμνασίᾳ.) Notum gymnasij nomen, in quo γυμνοὶ, *nudi* pugiles exercebantur: vnde ad scholasticam traductum est exercitationem. Colluctatam dicit alius [e] animam suam in acquirenda sapientia; sed annisum intelligit, & contentionem virium. Quod ibidem verò est, *in faciendo eam confirmatus sum*; Græcè legitur, ἐν ποιήσει λιμοῦ διηκριβωσάμην; *in factione famis diligentiam adhibui.* Solent enim pugiles abstinere, & famem ferre [f]. Lege Suidam [g]. Eodem reuocari potest magnum illud inscientiæ bellum, de quo in cap. 14. [h] præsertim consistens in errore circa Dei scientiam, vnde tot, & tam magna mala, cùm tamen errantes illa ipsa pacem appellēt. Sic etiam possit intelligi bonū certamen certatum à Paulo [i], videlicet de labore prędicationis.

Loquelæ.] Græcè (ὁμιλίας.) Loquitur quidem propriè quisquis loquitur alteri; sed non requiritur, vt vicissim loquatur alter. Et quia quid valeat sapientia, non quo pacto comparetur, hîc exprimitur, meliùs vertit Interpres (*loquelæ*) quàm (*colloquij*) licèt συγγυμνασία mutuum dicat respectum. In Concilio Ancyrano [k] est ὁμιλεῖν pro *concionari, siue sermonem habere ad populum*: & homilias Ecclesiastici vocant sermones ad populum de rebus diuinis, in quibus profectò cunctis audientibus tanquam Doctor loquitur vnus. Ὅμιλος autem in prima notione est cœtus, turba, multitudo: ὁμιλία ipsa actio versandi in cœtu, sed peculiariter colloquendo, quasi dicas ὁμοῦ λαλεῖν: vnde virtutes ὁμιλητικαὶ, vt loquitur Eustratius [l]. Sic in senario Menandri, quem citauit, &, vt ait Tertullianus [m]; sanctificauit Paulus [n];

φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

colloquia quidem praua intelliguntur, vt Interpres expressit;

Corrumpunt mores bonos colloquia praua.

Sed intelligi quoque posset prauus quiuis congressus, consuetudo, commercium, conuersatio. Tertullianus vertit nunc *congressus* [o], nunc *confabulationes* [p], exponens simul de conuictu, & commerciis: & *confabulationes* etiam legunt Cyprianus [q] (sed hic pro moribus *ingenia*, pro malis *pessima*) & Hieronymus [r].

Quare hoc loco certamen loquelæ principem habet locum, quoniam sermone potissimùm celebrantur commercia; & respondendo, excipiendo, præcipiendo, consilia dando, hortando, &c. quidam quasi cōtinuus belli congressus est. Paulus [s] prædicationis suæ munus certamen vocat: & Ephesi pugnasse se ad bestias dicit [t]; quod aliàs exponi posse dixi de aduersariis, quibuscum disputabat. Nec abhorret ab instituta comparatione cum coniugio notio vna eiusdem vocabuli; pro ipsa consuetudine coniugali. Talem namque vim etiam habere *alloquendi, colloquendi, loquendi* verba vidimus versu 9. & ex Cantici cap. 8. [u] ac Danielis 13. [x] constat.

Præclaritas in communicatione sermonum ipsius.] Græcè (εὔκλεια ἐν κοινωνίᾳ λόγων αὐτῆς.) Vatablus (*famæ claritas in communicatione sermonum eiusdem.*)

a supra, & epist. 147.
b oratione 1. Theolog. & de modera. in disput.
c c. 2.
d in Dialecticis, & 2. 2. disput. de fide.
e Eccli. 51. 25.
f 1. Cor. 9. 25.
g verb. gymnasia.
h vers. 12.
i 2. Tim. 4. 7.
k c. 2.
l in 4. Ethic. c. 6.
m 1 ad vxorem. c. 8.
n 1 Cor. 15. 33.
o lib. 1. ad vxor. c. 8.
p lib. 2. c. 3.
q de simplic. Prælato. siue de vnit. Eccles. & epist. 55. vel lib. 1. ep. 3. & 3. ad Quirin. c. 95.
r ep. 12.
s 2. Tim. 4. 7.
t 1. Cor. 15. 32.
u vers. 8.
x vers. 57.

A Idacius [a] legit (*claritas perpetua.*) Bene audit vbique sapiens, eiusque verba tanquam ἀξιώματα, & ἀποφθέγματα, & γνῶμαι audiuntur, circumferūtur, laudantur. Dum communicat sermones, inde præclarè celebratur: vel etiam decus laúsque habetur cum illo conferre, & colloqui.

Tertius posset esse sensus, in doctrina sapientis esse perspicuitatem, & elegantiam orationis, vt aptè & intelligenter sua declaret sensa. Hoc quidē pacto Hugo, Lyranus, Carthusianus, Olcot [b]. Sed placet magis quod dixi, & sequitur quoque Bonauentura, citans Danielis locum [c]; *qui ad iustitiam erudiunt multos (fulgebunt) quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Significat εὔκλεια *nominis celebritatem, & splendorem*, siue *gloriam*, à κλέος; quod est

B *fama*, & *rumor*, à κλύω, hoc est, *audio.* Vnde fortasse *clueo*, puto, nominor, perhibeor, & *cluo*, splendeo, &c.

Circuibam quærens.] Sic sponsa circuibat quærens quem diligebat [d]: & antea cap. 6. [e] sapientia ipsa dignos se ipsa circuibat quærens, & in viis ostendebat se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrebat illis. Satan siue diabolus aduersarius noster circuit vt perdat, & deuoret [f]: aduersarij alij sponsam malè tractantes [g]: omnis impius in circuitu ambulat [h], vt expleat cupiditates suas; aliísque aliis modis. Accurati sollicitíque studij descriptio est, audacis, & quodammodo impudentis, ac nihil verentis. Nam

C *Amor* [i] *timere neminem verus potest.*

&,

Audacem [k] *faciebat amor.* ———

Præterea [l];

Vritur infelix Dido, totáque vagatur

Vrbe furens. ———

Reprehendit Augustinus [m] se, quòd quęreret Deū foris à se; verùm idcirco quòd non circuiret, hoc est, non ad seipsum rediret, & ad Deum cordis sui [n]; cùm cœlum, terra, & omnia quæ in eis sunt, vndique illi dicerent vt amaret Deum. Ad centrum ex peripheria redeundum. Sed non alius exactus orbis præter eum, quem describunt reflexæ ad Deum res; orbiculi sunt alij, vel spiræ potiùs, ac flexus, nunquam rotundam perficientes

D figuram, extra figuræ perfectæ ambitum descriptæ. Indicat circuitio ista præterea vel peregrinationes ad varias orbis regiones, vt edisceret sapientiam; vel quæstiones, quas doctis mouebat, vel scriptorum lectionem.

Vt mihi illam assumerem.] Sponsam & vxorem, intimam contubernalem, & amicam, quemadmodum versu secundo dictum est, ὅπως λάβω αὐτὴν πρὸς ἐμαυτόν. Exposui eo loco proprium esse viri assumere & ducere, ac deducere sponsam. Hæc nubere dicitur; licèt quandoque καταχρηστικῶς etiam ducere, & vir nubere dicatur. Docet illud Caper [o] Grammaticus. Huius autem catachrestici sermonis exēpla Tiraquellus [p] affert. Apud Mar-

E tialem Priscus [q] inquit;

Vxorem quare locupletem ducere nolim

Quæritis? vxori nubere nolo meæ.

Hoc est, nolo subdi vxori propter opes eius, vt ducat potiùs & nubam, ducat illa & regat. Lege Raderū Scholiastem. Longiore digressione neotericus [r] Enarrator exponit quomodo Ioseph prohibitus sit temerè accipere Mariam cōiugem suam [s]. Vbi, ne singulis refellendis immorer, parū videtur apta, & ad rem notio Syri verbi apud Matthæum, pro eo quod est *operire*, & *velare*. Iam enim sine dubio veli illa ceremonia, si qua tunc

a 3. cont. Varimandum.
b lect. 115.
c c. 12. 3.
d Cant. 3. 2.
e vers. 17.
f 1. Petr. 5. 8.
Iob. 1. 7. c. 2. 2.
g Cant. 5. 7.
h Psal. 11. 9.
i Seneca in Medea.
k Ouid. 4. Metamorph.
l 4. Aeneid.
m 6 confess. c. 1.
n Psal. 72. 26.
o lib. de orthograph. & Latin verbo.
p in l. 5. connub. n. 4.
q lib. 8 epig. in 12.
r Ceruantes.
s Matth. 1. 20.

vsurpabatur,

vsurpabatur, in coniuge tanti temporis, & grauida [a] completa erat.

ibid. vers. 8.

Hugo & Bonauentura obseruant in aliquot versibus hactenus explicatis conditiones necessarias Prædicatori, & Doctori. Sed non conueniunt cum sensu, quem literalem esse diximus; & nos ad alia properantes remorantur. Cui non grauis mora, per otium cognoscat.

Vers. 19.] Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.

IVuabat studij laborem, atque industriam corporis à puero cõstitutio & habitudo cõmoda, quæ animum ad capessendam sapientiã reddebat idoneũ. Ingenium naturæ, gratiæ animã bonam Hugo tribuit, & Bonauentura, qui vim facit in sorte: Carthusianus etiam secũdũ deputat indoli naturali: Lyranus puritati affectus, cùm esset Salomõ sub disciplina Nathã, qui propterea cognomen imposuit ei, *amabilis Domino* [b]: Olcot [c] ait voce *pueri* designari munditiam corporis: per ingeniosum, peritiam intellectus: quòd sortitus dicitur animam bonam, esse supernaturalem gratiã. Existimo eum Cantacuzeno vtrumque membrũ parum differre, atque de naturali dono intelligi debere, & ψυχὴν ἀγαθὴν significare *animam idoneam*, sicut exposui versu decimoquinto. Quamquam, si de gratia supernaturali velimus esse sermonem, rectè sors appellatur, non quia casu cõfeτatur, sed quoniam non cadit prima gratia sub meritum, vt Olcot [d] admonet (vocans dispositionẽ operis boni naturalis meritoriam de cõgruo, qua præsente Deus gratiam, id est, auxilium eius conferat) nósque alibi [e] ostendimus; negando tamen tale opus propriè dici posse meritorium, etiam de congruo.

b 2. Reg. 12. 25. c lect. 18. d supra. d Act. 1. 17.

Augustinus [f] fauet omnino, dicens quæ sorte dantur, solere diuinitùs dari. Verùm terretur quæstione de origine animæ, sitne ex traduce, præsentémque de Christi anima sumens locũ, ait nõ ex Adam acceptam esse: dici autem sortitũ Christum animam bonam, ne aliquibus operibus prçcedẽtibus ad tantum apicẽ subuecta putaretur, vt cum ea Verbum caro fieret [g]. Sic proinde prætereca quod hic sequitur, accipi; *veni ad corpus incoinquinatum*, ob immaculatam de Spiritu sancto cõceptionem eiusdẽ Christi. Conatur idem Pater [h] euadere argumentum, quo hinc effici videtur, nõ esse animas ex traduce; quoniam, inquit, sequi videretur, etiam non eandem omnium naturam esse, cùm hîc dicatur animam bonã adeptus Auctor libri: sed verum esse quod Origeniani senserunt, pro meritis operum, quæ ante corpus egerunt, in corpora mitti animas. Argumentatur verò ipse, sortitionem istam animæ bonæ tanquam ex traduce videri esse ex paterno ingenio, vel corporali parentum temperamento, ex quo illa traducatur: venisse autem ad corpus matris incoinquinatum, vel à cruore menstruo, vnde grauãtur ingenia; vel à contaminatione adulterina, quæ, vt antea vidimus, obest sæpe moribus filiorum. Tandem deuoluitur in aliam illam expositionem de Christo.

f 10. de Gene. ã ad lit. c. 18. g Ioan. 1. 13. h ibid. c. 7. 17. & 18.

Existit itẽ apud Philosophos etiã Catholicos quæstio, vtrùm animæ omnes humanæ sint ab exordio pares secũdùm substãtialem perfectionẽ. Sed his ego de rebus, quas aliàs expẽdi [i], non agã hoc loco fusiùs. Id ero modò cõtentus monuisse, de traduce sententiam, quam definitè nunquã au-

i in Philosophicis.

A sus est August. teneræ, iudicio S. Thom. [a] qui parcissimus ac modestissimus solet esse in censendo, veritati ac fidei aduersari, secundùm quam fidem solus animatũ nostrarum Deus creator creditur prorsus immaterialium ac immortaliũ, & in quadam saltem operatione à corpore independẽtiũ. Fauet fortissima Machabæorũ mater, negans dedisse se filiis spiritũ & animam, & vitam: quamuis etiam eodem loquatur pacto de compactione membrorum [b]. Affertur quoque illud ex Esaia [c]; *flatus ego faciam*: & ex Psalmo [d], *qui finxit sigillatim corda eorum*. Tandem B. Thomas [e] ait, proferẽs testimoniũ libri de Ecclesiasticis dogmatibus [f], in quo vocantur Luciferiani (Cyrillus præsumptores nominat) quòd assererẽt animas per coitũ seminari, diligẽter consideranti apparere rationabiliter damnatam ab Ecclesia contrariã opinionẽ, quamuis aliquãdo sustineretur, teste Augustino. Appellat item hæresim [g], & ipsemet Augustinus [h] vt errorem condemnat; vt omittam librum quæstionum veteris ac noui Testamenti [i], qui eidem tribuitur.

B

a 2. contra Gent. c. 86. & seq. 1. p. q. 118. art. 2. q. 3. de potent. art. 9. b 2. Machab. 7. 22. c c. 57. 16. d Ps. 32. 15. e q. 3. de potentia. art. 9. f c. 14. in tom. 3 operum B. August. g 1. p. q. 118. art. 2. h lib. de hæresib. c. 86. i c. 23.

Altera de animæ ortu ante corpus opinio multo magis explodẽda. Legatur, vt de Patribus aliis nil dicã, Leo Papa I. [k] & Cõcilium Bracarense [l], & Hugo [m] Ætherianus. Hic pro illa opinione obiicientibus locum istũ occurrit, sapientem intelligere se sortitum animam bonam per datã sibi sapiẽtiæ abundantiã; cùm nouiter editus esset, sensum non habuisse, id est, prudẽtiam; optauisse, &

C datam illi esse; inuocauisse, & venisse super eum spiritũ sapientiæ; & cùm per datam sapientiã esset valdè bonus, venisse ad corpus incoinquinatũ; & sciuisse, quoniam aliter nõ posset esse continens, nisi Deus daret; ex eo apparere illum, quem vocat Salomonẽ, spiritum sapiẽtiæ ab artifice superno accepisse, precibus impetrauisse; bonitatẽ per gratiam inuenisse, & corpus sub ætatis incremẽto à gratia quam acceperat destitutum multipliciter inquinauisse. Forma nõ esset, si comparem & cõpartẽ præcederet materiã, licèt ab ea diuulsa, quia spiritualis, & per se subsistẽs est, immortalis perseueret. Absurdiores adhuc, qui antea quàm de-

k epi ad Turibium. l c. 6. m libr de regressu animarum c. 32.

D scẽderet in corpus, peccasse garriunt, vel metuisse. Intrauit per vnum hominẽ peccatum in mundum originale [n], ob actuale illius hominis: nõ est autem sola anima homo. Præterea Iacob & Esau priusquàm ederentur in lucẽ, nihil boni, aut mali egerant [o]; quod vltimum argumentum idem Hugo [p] Ætherianus facit. Dubitauit idem Augustinus, Hugo S. Victoris, Magister historiæ Scholasticæ, aliique, quos Sixtus Senensis [q] citat, de anima Adam. Sed eadem & huius ratio, húcque magis propendet Augustinus [r].

n Rom. 5. 12. o Rom. 9. 11. p supra. q 5. biblioth. anno 208. r 12. de ciuitat c. 23.

Postremò liberius est iudicium de animarum humanarũ dignitate ac perfectione, sintne pares, vel impares, non quidẽ secundũ naturç specificã rationẽ, id enim nullus negat, sed propter indiuiduales, quas vocãt, differẽtias. Melior mihi prorsus ac tutior sẽper visa pars, quæ pares facit. Toletus [f] oppositam periculosam cẽset. Vix namque intelligo, differẽtia hæc, quam indiuidualẽ vocãt, quid à specifica differat: cur non idẽ statuatur de animabus brutorum in certa specie, verbi gratiã, equorum; imò & de omnibus aliis formis, saltem substantialibus, quæ inæqualibus præditæ sunt operationibus: denique eadem anima mea nunc aptiùs, nunc minùs aptè operatur pro varia dispositione absque substantiali mutatione; quidni ergo reiiciantur meliores vnius operationes

E

f 3. de anima. c. 5. text. 19. q. 18.

in organa meliùs dispoſita, & deteriores alterius in detectius affecta? Nec terreat articulus Pariſienſis [a], vel horreat quis fateri, Chriſti etiam animam non eſſe perfectiorem, quàm Iudæ. Erat æquè homo Iudas, vt Chriſtus: & articuli auctoritas non per ſe negligenda, contrariæ opinionis indicat nonnullam probabilitatem. Quamuis Toletus [b] aliter exponat, loqui de intellectibus in genere, quos certum ſit nobilitate impares eſſe, humanos comparando cum Angelicis.

[a] apud Henric quodlib. 3 q. 5. & Durand. 2. d. 32. q. 5.

[b] ſuprà.

Optimè inter Patres quos viderim, Philippus [c] Solitarius demonſtrat, eam, quę in hominibus eſt, functionum diuerſitatem oriri non ex anima, ſed ex varia corporis criſi, ſeu temperamento: ſicut imber idem aliud operatur in olea, vite, & ſic de aliis: ſicut Sol idem nunc illuminat magis, nunc minùs, ſi liber ſit à nube, vel caligine, aut iis obductus: ſicut eadem aqua per varios cuniculos hîc amara, alibi dulcis eſt. Simul rationem dat cur tãta ſit in humanis vultibus diuerſitas, vt ſe homines inter ſe diſcernerent. Citat quoque Anaſtaſium Synaitam reſpondentem eodẽ pacto quæſtioni de animabus, ob temperamenta varia regionum, locorum, elementorum, aëris, ac temporum mutationes & viciſſitudines: neminem verò fieri à Deo ipſo procliuem ad malum, aut naturaliter bonum; quoniam ſic nec laudandus foret, nec vituperandus. Addi tamen debet [d], beneficium eſſe Dei aptam indolem, & corporis conſtitutionem bonam, atque complexionem; ſed opus virtutis requirere libertatem.

[c] 4. dioptræ. c. 2. 3. 4.

[d] ex c. 6.

Quapropter locus hic, qui nobis occaſionem nonnihil digrediendi dedit, nihil iuuat refutatas vel ſententias, vel hæreſes. Voluit dũtaxat Auctor ſignificare, vt priùs dixi, animæ, quam bonam ſe ſortitum ait, egregiam indolem ad ſapientiam & virtutes, non ex maiore nobilitate, perfectionéque ipſi animæ indita, vel potentiis; ſed ex corporis diſpoſitione & affectione, quæ multum confert ad ſpirituales actiones.

Puer eram ingenioſus.] Græcè (εὐφυὴς, *natura habilis, aptúſque, bene natus, factus, compoſitus à natura.*) Galli dicerent (*vn homme bien né*) ſicut etiam de ingenioſo vſurpant (*c'eſt vn homme qui a la teſte bien faite.*) Quæ denotant id quod antè dicebam, bonitatem animi, atque ingenij ex habitu, & affectione corporis pendere. Ariſtoteles [e] ait quòd is eſt εὐφυὴς, ᾧ τι πέφυκε καλῶς, *cui eſt quid innatum bene, qui ſit bene à natura informatus, & propenſus.* Auguſtinus [f] ingenia paruulorum cuiuſmodi præferant indolem, ait in his inſpici, an tenaciter faciléque meminerint, acriter acutéque intelligant, ſtudeant ardenter.

[e] 3. Ethic c. 9.

[f] 10. de Trinit c. 11.

Sortitus ſum animam bonam.] Quid hæc ſibi velint, dictum ſatis, nempe beneficium bonæ ad virtutem indolis, propter corporis aptam diſpoſitionem. Quamquam Græcùm verbum ἔλαχον nõ importat neceſſariò, ac ſemper propriè dictam ſortem: dicitur enim quòd etiã Deus τὴν ἀνωτάτω, καὶ πρώτην ἕδραν ἔλαχε [g]. Latinè quoque ſortiri dicimur aliquando quæ quouis modo conſequimur. Quòd ſi ſortis habenda propriè dictæ ratio, ingenium ac bonam indolem habere fortunæ potiùs, vt loqui ſolent, & felicitatis eſt, quàm virtutis, & induſtriæ.

[h] Ariſtot de mundo. Homer. Iliad.

Verſ. 20.] Et cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.

A Rectè Cantacuzenus his obſeruat verbis occupationem contineri, ne quis audiens priora, ſuſpicaretur illis ſignificatum, fuiſſe ante corpus animam, quæ bonitatẽ acceperit, vel poſteaquam corpori coniuncta eſt: nam ſimul vtrumque ipſi obtigiſſe, bonam animam, corpus intaminatum. Sed hoc modo diſtinguenda eſſet oratio: μᾶλλον δὲ, *magis autem*, id eſt, ſed potiùs, imò, per τὴν ἐπανόρθωσιν, id eſt, *correctionem*, ἀγαθὸς ὢν, *bonus exiſtens*, id eſt, habens bonam animæ propenſionẽ, ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον, *veni ad corpus incoinquinatum.* Vatablus (*imò bonus ipſe cùm eſſem, corpus incontaminatum adeptus ſum*) Olorius (*aut vt rectiùs dicam, cùm ipſe natura bonus eſſem, nimirum ſecundùm animam.*) B Verſionem noſtram ſequitur Auguſtinus [a], & videtur exponere, quòd acceſſerit bonitati, quia bonus erat, videlicet ſortitus animam bonam, vt etiam ad corpus incoinquinatũ veniret. Exponit autem, vt antè memini, de corpore, quod in materno ſit formatum, vel ſine adulterio, vel non tunc cùm pateretur mater menſtrua, vnde grauari dicuntur ingenia. Quocirca (*cùm eſſem magis bonus*) idem erit atque, vt magis eſſem bonus, vel quia maiorem conſequebar bonitatem, *veni ad corpus incoinquinatum.*

[a] 10. de Geneſ. ad liter. c. 17.

Porrò corpus incoinquinatum aut eſt matris illis modis, quos Auguſtinus dixit, ſine conceptione dum mater patitur menſtrua [b], vel ſine C adulterio, & ſimilibus, de quibus quoque agunt alij Patres, vt Philippus [c] Solitarius: aut fœtus proliſve, quæ de ſeipſa loquitur, vt ſit ſine labe, vitio, & imperfectione, quæ nocere ingenio ac indoli poſſit; ſed perfectum, bene conſtitutum, bonæ habitudinis, idoneum frugibus ſapientiæ, virtutúmque, ſecũdùm aptã ſymmetriam & proportionem, vt regi agíque facilè poſſet ab anima.

[b] Leuit. 15. 25. 33.

[c] 4. dioptræ. c. 10.

Gloſſa ordinaria, & cæteri præcedentem ſententiam Salomoni accõmodant, qui ſummæ indolis puer fuit: hanc vel negant ei cõuenire, ſed renatis Baptiſmo, vt eadem gloſſa; quia mulieres alienigenas adamauit [d]: vel intelligunt de continentia coniugali, cùm valdè iuuenis vxorem duxerit, licèt iam ſenex hanc etiam violauerit.

[d] 3. Reg. 11.

Bonauentura illud (*cùm eſſem magis bonus*) expo-D nit, per gratiam ſuperadditam, magis quàm eſſem priùs ex induſtria naturali. Olcot (*cùm eſſem magis bonus*) nempe quàm ingenioſus, & magis eminerer in me bonitas moralis, quàm bonitas naturalis ingenij (*veni ad corpus incoinquinatum*) id eſt, proficiendo attigi perfectionem virtutum moralium, ita vt ſeruarem corpus incoinquinatum à paſſionibus vitiorũ. Carthuſianus (*cùm eſſem magis bonus*) proficiendo in virtutibus (*veni ad corpus incoinquinatum*) conſeruans me ab impuritate. Hæc narro, vt allatus magis eluceſcat ſenſus collatus cum aliis qui minùs faciles, & contextui haud ita ad-E hærentes videntur.

Veni.] Loquitur totus homo, ſed ratione alterius partis, hoc eſt, venit anima mea: nec venire propriè accipitur pro locali motu, ſed veniſſe dicitur anima, quãdo creata in corpus immiſſa eſt, tãquam forma materiæ. Pineda [e] noſter locũ præſentem de Salomonis ſpecie, ſeu pulchritudine, conuenientíque forma, & ſtatura interpretatur, quam immeritò reprehẽdit is, cuius manus cõtra omnes, experturus, vel certè experiri dignus omniũ contra ſe manũ [f]. Is ſi diligentiùs excuſſiſſet, vt ad nauſeam vſque ſolet, Lexica, Calepinos, Theſauros, & bonũ pro pulchro, & ἀγαθὸν καὶ καλὸν ſynonymè ſumi reperiſſet, nõ tã præfractè negaſſet.

[e] lib. 5 de reb. Salom. c. 3.

[f] Ceruantes.

Cæterùm

Cæterùm corpus incoinquinatum, ἀμίαντον, pro illo quod vitio, ac defectu caret accipi, inde melius intelligere licet, quòd ad hunc modum victimæ solent immaculatæ cognominari [a], seu sine macula: & irrogare maculam alteri [b], est idem, atque noxam, vitiumve, aut aliquo pacto lædere. Sed & verbum (*veni*) posset hoc loco exponi pro (*creui*, siue *proueni*) vt cùm M. Tullius [c] scribit oratorum laudem ab humili venisse ad summum; & Virgilius [d], quòd

Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ.

Itémque quòd ex arboribus

——aliæ nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt.——

Hûc præcipuè sensum Castro noster, lectus à me in hac recognitione, approbat; sicut & quòd sortiri animam bonam, idem sit ac esse ingeniosum, vel habere naturam ad bonum procliuem.

a in Pentateucho. b Leuit. 24. 19. c Tuscul. 2. d 1. Geor.

Vers. 21.] Et vt sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.

C NOn contentus naturali bonitate, bonáve indole, & animi corporísve perfectione, quã natura dederat, siue vt naturæ auctor Deus, ac iudicans bonũ hoc quidem sapientiæ fundamẽtum esse, & bonam dispositionem, sed non sufficere ad illam comparandam, quæ planè diuinum ac supernaturale donum sit; quod ipsum probè intelligere, diuini beneficij ducat loco; ne frustra consumat operam tempúsque, illam humana naturalíque quærendo industria, decreuisse se refert ad auctorem tanti muneris precibus ac votis toto animo sese conuertere, & his verbis, quæ sequenti ponuntur capite, diuinam ardenter implorare clementiam, vt sibi tradere sapientiam dignaretur, & compotem facere tam honesti desiderij.

D *Aliter non possem esse continens.*] Græcè (οὐκ ἄλλως ἔσομαι ἐγκρατής, *non aliter ero continens.*) Homonymia est in Græca voce ἐγκρατὴς, & Latina cõtinens: nam vel significant præditum virtute continentiæ, quæ Græcè quoque dicitur ἐγκράτεια, siue temperantiæ, & castitatis: vel esse compotem, aut retinentem rei adeptæ, conseruare posse quod adeptus sis.

Primum sensum Latini Expositores dant, etsi continentiæ nomine complectãtur virtutem omnem moderatricem concupiscentiarum & vitiorum: & fauet proximè facta mentio de corpore incontaminato. Tertullianus [e] huc alludit dicens: [& si à Deo confertur continentiæ virtus, *quid gloriaris quasi non acceperis* [f]?] Augustinus [g] mágis disertè hunc ita locum intellexit, & de castitate, ac de temperantia à cibo, aliísque: Prosper [h] quoque,

E & Episcopi quinque epistola ad Innocentium Papam I. Vnde etiam colligũt necessitatẽ gratiæ, & possibilitatem continentiæ per gratiam, & remedium ad obtinendam continentiæ gratiam, quod est oratio inter alia: ita vt pessimè argumẽtentur hæretici, quia donum Dei sit, non esse in potestate nostra, vt id scilicet per gratiam consequamur, idcóque malè facere qui castitatem vouent, quam certi non sunt se posse seruare. *Sunt*

e de virginib. velan. c. 13. f 1. Cor. 4. 7. g 6. confess. c. 11. l. 10. c. 29. & 31. & lib. de cõtinen. c. 1 & ep. 89 q. 2. & ep. 130. & 141. 4. cõtra Iulia. c. 3. 2. de pecca. merit. c. 5. h cont. collato. c. 36.

A *quidã eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum* [a]; *qui potest capere, capiat* [b]. Lege Cardinalem Bellarminum [c], qui credit etiam [d] probabilius esse, nullam tentationem sine Dei auxilio vinci posse, si non secundùm entitatem supernaturali; certe quod singularem quandam Dei prouidentiam dicit. [Iubet ergo Deus continentiam, inquit Augustinus [e], & dat continentiam: iubet per legem, dat per gratiam: iubet per literam, dat per spiritum.]

Secundum sensum tenent Cantacuzenus, Iansenius, Vatablus, Osorius, Emmanuel Sa, collector scholiorum in Bibliis Latinis Sixtianis ex versione Lxx. Interpretum. Probari potest simili

B testimonio libri Ecclesiastici [f]; *Inuestiga illam, & manifestabitur tibi; & continens factus ne derelinquas eã*, ἐγκρατὴς γενόμενος. Idem iudicium de alio apud eundem Auctorem [g]; *Qui continens est iustitiæ, apprehendet illam*: ὁ ἐγκρατὴς γνώσεως νόμου εὑρήσει αὐτήν. Quæ duo loca declarant eadem ratione Iansenius, Palatius, & alij, ac sine dubio ita intelligi debent. In prima sua significatione est ἐγκρατὴς, ὁ ἐν κράτει ἔχων, *qui habet in sua potestate, qui potitur aliqua re.* Sic loquitur Demosthenes, ἐγκρατὴς γενόμενος τοῦ ἀργυρίου, *postquam in potestate habuit illam pecuniã.* ἐγκρατὴς τῶν πραγμάτων, *potiens, aut potitus rerum.* Deníque priùs c. 6. [h] οἱ κρατοῦντες πλήθους, *qui continent multitudines*, dicebantur in sua potestate illas habentes: & in c. 10. [i] vbi agitur de Adam,

C ἔδωκέ τε αὐτῷ ἰσχὺν κρατῆσαι ἁπάντων, *deditque illi vim, seu fortitudinem, continendi omnia.* Rursus in Ecclesiastico [k]; *Ira, & furor, vtraque execrabilia sunt; & vir peccator continens erit illorum*, ἐγκρατὴς ἔσται αὐτῶν, obnoxius illis, & subiectus, ac etiã tenax, seu retinens iræ, atque furoris. Inde alia deriuata significatio, pro eo qui continet se, vel qui in sua potestate continet voluptates, & temperans est. Distinguunt tamen Philosophi morales cum Aristotele [l] continentiam à temperantia, ἐγκράτειαν ἀπὸ τῆς σωφροσύνης, quòd illa sit inchoata tantùm virtus, & adhuc cum pugna, & quadã quasi seditione passionum, & inobedientia. Placet poste-

D rior sensus magis, à quo parum distat prior; sapientiæ enim non parua pars continere seipsum. Indicat oratio sequens, plura complectens quàm continentiæ flagitationem, non de vna illa hic sermonem esse.

Hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum] Sunt & naturæ quædam dona; nec aliter Pelagiani gratiam necessariam intelligebant (siue munus de foris adiunctum, vt faciliùs faceremus quod simpliciter poteramus per solum naturæ donũ:) sícque videtur hoc loco Cantacuzenus accipere, pro sola nimirum indole, quæ priùs dicebatur ingenium & anima bona; nec aliter ipsum Abrahã Dei notitiam habuisse, ac veneratum illum esse,

E quàm quòd bonam esset animam nactus, ingeniúmque præstantius. Cautiùs loqui debuit. Nam hûc ipsum tractans locum optimus gratiæ magister, cui credere hac in re debent omnes, Augustinus [m], docet, quòd non tantùm in hoc nos adiuuat Deus (gratia sua) vt amãdo agamus, quod discẽdo iam scimus, sed vt sciamus quid agendum sit; ita vt nemo possit esse nõ solùm cõtinens, nisi Deus det, verùm etiã sciens. Præterea scribit [n] Polemonem per diuinum gratiæ donũ ex ebrioso, atque etiã ebrio, ad temperantiæ frugẽ Xenocrate de moribus disserente conuersum repentè: nihílque superbius, vel ingratius cogitare posse humanam vecordiam, si putet, cùm carne pulchrum

a Mat 19. 12. b ibid c 1. de Gr... c. 11. & 2. de Monach c. ... p lib 5. c... gra & lib arb. c 7. e ep. 89. q. 2. f c. 6. 28. g c. 15. 1. h vers. 3. i vers. 2. k c. 27. 33. l 7. Ethico. toto. m epist. 141. n epist. 130.

A. faciat Deus hominem (naturali nempe munere) animo castum ab homine (exteriùs tantùm docéte, vt faciebat Xenocrates) fieri. Cirtenses ibi conuenit, qui magnum quoddam beneficium agnitæ veritatis, & receptæ pacis ipsi tribuebant Augustino, atque in suis ad eum literis illud Polemonis ac Xenocratis posuerant exemplum. Atqui non opinor negaret sanctus Doctor, nonnullam naturaliter continentiæ actionem fieri posse, atque etiam cognosci, hoc ipsum esse Dei donum, si non gratiæ supernaturalis, certè singularis cuiusdam prouidentiæ, vt antè dicebam: denique facultates intellectus ac voluntatis, quibus veritas cognoscitur, virtus exercetur, esse à Deo, simul quoque intus cooperante; quo modo non potest Prædicator & Doctor, cuius externa duntaxat est

B opera.

Scio nonnullis [a] videri, nullam tentationem superari posse sine auxilio gratiæ, quamuis aliqua bona moralia perfici possint. Sed si tentatio leuior sit, existimarem eandem ferè rationem esse atque de operibus moralibus bonis; vix enim vllum est, quod non contineat leuem aliquam difficultatem, quæ tentatio vocari potest. Polemonis continentia & temperantia tanta, tam improuisa, meritò adscribi debet auxilio gratiæ: sicut & in aliis impiis virtutes aliæ nõnullæ diuino muneri potiùs, quam eorum tantummodo voluntari, vt loquitur idem Augustinus [b], licèt, inquit, ipsi hoc nesciant, scilicet esse munus Dei. Concedit autem Cœlestino [c], sine adiutorio diuinæ misericordiæ posse aliquem nubere, &, vt Paulus [d] scri-

C bir, quod vult (in hac re per se) facere. Multo adhuc clariùs alibi [e] docet, aliqua bona opera impios facere posse, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. De cognitione concedet libentiùs; *est enim signatum super nos lumen vultus diuini* [f]: nec opus est in re perspicua testimonia alia proferre, cùm ratio persuadeat naturalis Deum esse, & auctorem esse omnis naturæ, ac proinde potiore iure boni moralis.

Adij Dominum.] Græcè (ἐνέτυχον τῷ κυρίῳ.) Voluntate, animo, votis, prece: ieiuniis quoque, vt Cátacuzenus ait, vigiliis, chameunia, id est, humi cubando. *Propè est Dominus inuocantibus eum* [g]: accedentes ad eum illuminantur [h]: qui sapientia indi-

D gent, postulare debent [i]. Attentionem Lyranus in his verbis attendit, in sequentibus deuotionem. Ἐντυγχάνειν est nõ solùm inuenire veluti fortuito casu, incidere in aliquem, occurrere; qua ratione vis gratiæ præuenientis indicari posset: sed præterea conuenire, & alloqui de negotiis, rogando, intercedendo, interpellando. *Semper viuens*, inquit de Pontifice Christo Paulus [k], *ad interpellandum pro nobis, εἰς τὸ ἐντυγχάνειν*: & de Spiritu sancto [l], *secundùm Deum postulat pro sanctis, ἐντυγχάνει.* Videtur metaphora à Legatis sumpta, qui dicuntur ἐντυγχάνειν cũ legatione funguntur; vel ab aliis qui

E causam aliquam agunt. Sic adhuc de Elia scribit idem Apostolus [m], quòd *interpellat Deum aduersùm Israel, ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ*: & in Actibus Apostolicis de Iudæis [n] contra Paulum, *de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me, ἐνέτυχόν μοι.* Itaque adiit Auctor Deum non sua ipsius tantùm causa, sed aliorum quoque quorum Rex erat, sapientiam flagitaturus, sicut de Salomone proditum est [o].

Non ineptè huc applicaueris virginis Thamar ad Amnonem fratrem, à quo impurè sollicitabatur, verba; *loquere* [p] *ad Regem, & non negabit me tibi.* Cassianus [q] verò, quod attinet ad continentiã, de qua dixi locum istum à multis exponi, docet tãdiu vitio fornicationis animam necesse esse impugnari, donec se bellum gerere supra vires suas agnoscat, nec labore, vel studio proprio victoriã obtinere se posse, nisi Domini fuerit auxilio, ac protectione suffulta. Item certos nos esse debere, sola diuinæ gratiæ largitate incorruptionem castitatis concedi: tanto autem erga illius acquisitionem ferri desiderio, quanto pecuniæ cupidissimum, vel honoris ambitiosissimum, vel intolerabili pulchræ mulieris amore raptatum. Hoc hîc sibi volunt sequentia.

Dixi ex totis præcordiis meis.] Græcè (ἐξ ὅλης τῆς καρδίας μου, *ex toto corde meo.*) Frequens phrasis confiteri [a], diligere [b], quærere [c], exquirere [d], sequi Deum [e], habere fiduciam in Deo [f], clamare [g], reuerti ad illum [h], & conuerti [i], ipsi seruire [k], memorem esse illius [l]; denique orare [m] ex toto, vel in toto corde. Imò Deus ipse dicit de seipso, se nos beneficio afficere in veritate, in toto corde suo, & in tota anima sua [n]. Potuit Interpres hîc etiam *cor* reddere: sed & capite quarto [o] *præcordia* vertit, vbi est διάνοια, *mens, intellectus.* Cor pro affectu, siue appetitu, & pro intelligendi vi ponitur. *Anima mea desiderauit te in nocte* (nocte Salomon, & in somnis orasse narratur [p]:) *sed & spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te*, inquit in cantico Esaias [q].

Orare ex totis præcordiis, & ex toto corde, est ex animo ac seriò, in spiritu & veritate [r]: summa fide & fiducia, corde non hæsitante (μὴ διακρινομένῳ, *non diiudicante* de Dei potentia, vel misericordia) aut fluctuante [f]: non duplici animo, & inconstante in viis [t], siue biuiis, vt velis & nolis, nec dirigas cor tuum cum Deo tuo [u], vt obseruat Augustinus [x], nec sit creditus cum eo spiritus tuus [y]. Talis erat in mari Petrus [z] dubitans. Talis Augustinus aliquando, quod ad rem præsentem facit magis. Illum audi [a]: nihil suauius, nihil modestius, nihil religiosius, vt necesse sit molliri & colliquescere legentis cor. [At ego adolescens miser valdè, miser in exordio ipsius adolescentiæ etiam petieram à te castitatem (nam de hac vidimus antè ipsummet aliósque multos hunc locum accipere) & dixeram. Da mihi castitatem, & continentiam; sed noli modò (en cor non integrum, duplicem animum, inconstantem in viis suis, non directũ cũ Deo.) Timebam enim ne me citò exaudires, & citò sanares à morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri quàm extingui.] Sic volebat, & nolebat, nec erat creditus cum Deo spiritus eius. Rursus [b] explicans alternantes ventos cogitationum, húcque atque illuc impellentes cor ipsius de ducenda vxore, vel non ducenda, & de sua conuersione ad Deum, ait: [Putabam me miserum fore nimis, si fœminæ priuarer amplexibus, & medicinam misericordiæ tuæ ad eandem infirmitatem sanandam non cogitabam; quia expertus non eram, & propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius; cùm tam stultus essem, vt nescirem, sicut scriptum est, neminem posse esse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te iactarem curam meam [c].] Sic ille summè pius, profundè humilis, ex totis nunc præcordiis, totóque corde loquens Deo.

***

a Beller. lib. 5. de gra. & lib. arb. c. 7.
b 4. con. Iulianum. c. 3.
c de perfect. iust. respons. penultima.
d 1. Cor. 7. 36.
e de spir. & lit. c. 27.
f Psal. 4. 7.
g Ps. 144. 18.
h Psal. 33. 6.
i Iacob. 1. 5.
k Heb. 7. 25
l Rom. 8. 27.
m Rom. 11. 2.
n c. 25. 24.
o 3. Reg. 3. 7. & seq.
p 2. Reg. 13. 13.
q 6. institu. c. 5 & colla. 12. c. 4.

a Ps. 9. 2 Psal. 85. 12 Ps. 110. 1. Ps. 137. 1.
b Deut 6. 5.
c Iere. 29. 13.
d Ps. 118. 2. 10.
e Dan. 3. 41.
f ibid. 3.
g Ps. 118. 145.
h Iere. 24. 7.
i Ioel. 2. 12.
k Deut. 10. 12. c. 11. 13.
l Tob. 1. 13.
m Iudith 4. 17.
n Iere. 32. 41.
o vers. 14.
p 3. Reg. 3. 5. & seq.
q c. 26. 9.
r Ioan. 4. 24.
f Iacobi 1. 6. Mat. 21. 21.
t Iaco. 1. 8.
u Ps. 77. 8.
x ibid.
y ibid.
z Mat. 14. 30. 31.
a 8. cõfess. c. 7.
b 6. confess. c. 11.
c Psal 54. 23. 1. Pet. 5. 7.

SVMMARIVM.

CONTINETVR hîc Auctoris precatio pro sapientia vsque ad finem libri. Sed in isto capite suam ipsius in regendo profitetur imbecillitatem, vt rem adeò necessariam sibi, subditisque bene regendis faciliùs impetret. Videri potest similis oratio ei, quam Salomoni Regum historia [a] tribuit: quæ vna inter alias ratio persuasit nonnullis, vt crederent compositum ab illo hunc librum.

CAPVT IX.

1 DEus patrum meorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo;

2 Et sapientia tua cõstituisti hominẽ, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta est,

3 Vt disponat orbem terrarum in æquitate & iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet:

4 Da mihi sedium tuarum assistricem sapiẽtiã, & noli me reprobare à pueris tuis.

5 Quoniã seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectũ iudicij & legũ.

6 Nam & si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.

7 Tu elegisti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum, & filiarum:

8 Et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio:

9 Et tecũ sapientia tua, quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cùm orbem terrarũ faceres, & sciebat quid esse placitũ oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.

10 Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuę, vt mecũ sit, & mecũ laboret, vt sciam quid acceptũ sit apud te:

11 Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia.

12 Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum iustè, & ero dignus sedium patris mei.

13 Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?

14 Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.

15 Corpus enim, quod corrũpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

16 Et difficilè æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt quis inuestigabit?

17 Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis:

18 Et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines?

19 Nam per sapientiã sanati sunt quicũque placuerũt tibi Domine à principio.

Vers. 1.] Deus patrũ meorũ, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo.

EGREGIVS apparatus & ingressus ad orandum. Patrum Deum vocat, vel illorum trium, quorum in precibus Hebræi nomina vsurpabant, vt aliàs notaui, nẽpe Abraham, Isaac, Iacob; vel, si Salomon loquẽs introducitur (numerum ponẽdo pro numero) patris sui Dauid. Nam isti percharì Deo fuerant, Deúsque in illorum gratiã libenter exaudiri se patiebatur, & beneficia præstabat: præterea familias, populúmq; optimè rexerãt; qua ipse in re illos imitari cùm velit, idem sapientiæ munus ab eodẽ eius auctore Deo flagitat; cui Deo nec velle hoc largiri desit, qui sit misericordiæ Dominus, nec posse, cùm fecerit omnia verbo suo.

Obseruat Cantacuzenus suppetere nobis hîc exẽplũ, quo pacto preces nos oporteat inchoare, nõ confidendo factis nostris, ac nobis ipsis placẽdo; sed in humilitate modestóque sensu nos ipsos tanquam indignos arbitrando, & alios proponẽdo, qui antea Deo accepti fuerint, vt pro nobis Deũ deprecẽtur. Quid igitur prohibent inuocationẽ Sanctorum hæretici? Nec refert verò iam Christi nos meritis munitos esse. Eadẽ in vetere quoque Testamẽto illis ipsis Patribus vim gratię, merẽdíque contulerũt: & tãtùm abest vt quidquã de dignitate pretióve Christi meritorũ detrahat Sãctorum apud Deum preces meritáque interponere, vt redũdet magis in gloriã ipsius, & Sãctorum laudem, vtpote quos tam insigni gratia Deus propter merita Christi donauerit, quæ tum ipsis, tũ aliis præterea impetrãdo prodesse possit. Imò, si Sãcti ante Christi aduẽtum, & reditum in cœlũ poterãt in limbo precari, quod aliquot exẽplis fecisse illos demõstrari [a] potest; multo magis nũc fruentes Deo in cœlo. Tunc inauditum est, vt quis diceret, verbi gratiã; Sãcte Abraham ora pro me, quia nõdum videbat Deum: sed orabãt homines Deum, allegãdo merita Sanctorum, qui obierãt, vt illorum iuuarẽtur orationibus. [Moses, ait Theodoretus [b], cùm se nõ existimaret sufficientẽ ad placãdum Deum, adhibuit etiã patrociniũ Patriarcharũ [c].] Simili oratione Salomõ; vel sub Salomone populus ædificato templo viẽs introducitur in Psalmo [d]; *Memento Domine Dauid, & omnis mãsuetudinis eius.* Sed ne putes, quod respõdet Caluinus, commemorari duntaxat pactum quod fecerat Deus cum Dauid, eodémque modo in

a 3. Reg. 3. 9 (Summarium)

a Ierem. 15. 1. 2. Machab. vltim. 12. & seq.

b q. 62. in Exod.

c Exod. 32. 13

d Psal. 131. 1.

similibus aliorum precibus,cum aliis Patriarchis. Subdit: *Propter* [a] *Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui.* Denique Augustinus [b] de veterum dictis precibus loquens, nos admoneri scribit, cùm merita nostra nos grauant ne diligamur à Deo(adde,ne ita facilè exaudiamur, quãuis alioqui dilecti ab ipso) releuari nos apud eum illorũ meritis posse,quos Deus diligit. Profectò si viui rectè pro viuis orant, meliùs id facient Sancti, maiore charitate præditi,de sua immortalitate,id est, beatitudine, securi, de nostra incolumitate solliciti, vt loquitur Cyprianus [c], magis id præstare valentes, edocti etiam de nostris rebus à Deo,pro vt nobis vtile,ipsis gloriosum est. Lege Bellarminum [d]. Philo [e] ait nomen suum humano generi elargitum Deum, vt habentes refugiũ ad preces, & supplicationes, à spe bona non excluderentur, tribus illis Patribus ob Dei oculos præmissis. Deus ipse facere se misericordiam dixit in millia his qui diligerent ipsum, & custodirent præcepta sua[f]. Videlicet in infinitum se obligauit, vt cum Seneca [g] loquar, quoniam, vt iis gratum se præberet, omnibus, qui ad eos pertinerent, beneficium dedit,aut daturum se promisit,nisi per illos staret. Quod verò spectat ad parentum Salomonis promerita, sanctitatémque, Dauidis nempe,ac Bethsabeę,consule Pinedam [h] nostrum,atque Barradium [i] & Salmeronem [k].

Deus Patrum meorum.]Non legitur Græcè (*meorum*)nec apud Luciferum [l]. Olcot [m] legit quoque (*nostrorum.*) Quòd *meorum* dicit,videri posset non de communibus illis Patribus intelligere Abraham,Isaac,Iacob,aliisque,sed de propriis,hoc est, de Dauid,& matre.Nam singularia beneficia extiterunt Dei in Dauid,& in Bethsabeam,propter quam Dauid adhuc viuens Regem constituit Salomonem, vti Regum narrat historia [n]. Non obstat nomen *patrum*: possunt namque sub patribus matres comprehendi;sicut parentes dicuntur nõ parientes solæ matres,verùm etiã & patres.Idem Lucifer [o] legit(*Deus parentum.*) Nihilominus Patriarchas nil quoque vetat cum cæteris Expositoribus intelligere,tum ob familiarem illũ vsum Hebræorum nomina eorum adhibendi ad singulas preces. Priuata autem oratio magis fert, vt ex affectu priuato sermo instituatur,tanquam de priuatis & propriis rebus.

Dos [p] *est magna parentum*
Virtus.——

Obseruare id possumus in variis precibus in vtroque Testamento, quæ vel communes publicæque,vel singulares essent ac priuatæ.At oratio, quam appellamus Dominicam, quia maximè generalis est,generaliter quoque fit,etiam cùm priuatim recitatur.

Domine misericordiæ.]Qui remisisti patri meo peccatũ de morte Vriæ[q],inquit Lyranus:adde peccatũ adulterij [r]: quod cõmuniter & pater & mater commiserant,antequam eius esset mater[s].Textus Græcus habet in emendatis libris (κύριε τοῦ ἐλέους σου.)Lucifer[t](*Domine misericordiarum.*) Cantacuzenus non legit σου, quod abest quoque à codicibus Regiis, Complutensibus, & aliis. Misericordia miseriam maximam respicit maximè, hoc est, peccatũ: *miseros autem facit populos peccatum* [u]. Deus Dominus rerum omnium est:dicitur tamen Dominus misericordiæ,non tãtùm vt sit idem quod Dominus misericors, quemadmodum appellatur Deus gloriæ [x], & Rex [y],sed quia dominium suũ declarat miserãdo potiùs, quàm quoduis aliud

a ibid.19. b q. 149. in Exod. c serm. de mortalitate. d lib. 1. de Sanct. beatitud. c. 15. & seq. e de Abrahã. f Exo.20.6. g 5.de benef. c.18.& 19. h 1. de reb. Salo.c.2.& 4. i to.1.harmo. lib.2.c.15. k to.3.trac.16. l 1.pro Athanas. m lect.117. n 3.Reg.1.17. & seq. o supra. p Horat. lib. 3.carm od.24. q 2.Reg.12.13. r ibid. s ibid. t supra. u Prou.14.34. x Act.7.2. y Psal.23.8.9.

A opus exercendo.Sic quidem credere videtur Ecclesia in illa solemni prece [a]: *Deus,qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas*;& in alia: *Deus, cui proprium est misereri semper & parcere.*

Ad misericordiã pertinere S.Thomas [b] docet, quòd aliis effundat,& defectus aliorum subleuet, idque maximè superioris esse, carentis videlicet omni penitus miseria,defectu,imperfectione.Misericors habet vnde largiatur in seipso,&ipso mouetur ad miserẽdum bonitatis peculio proprio, mouétq; misericordia quodãmodo, applicátque attributa cætera ad opus externum, etiã iustitiæ

B punientis,non solùm quia punit Deus citra cõdignum; sed quia puniendo tollit deformitatẽ iniquitatis,quæ est miseria maxima, vt nempe læsa maneat iustitia,impunita relinquatur malitia. Ex peccatis nostris iustitia Dei sumit puniendi occasionem,misericordia benefaciendi ex seipsa. *Miserationes eius super omnia opera eius* [c]:*misericordia superexaltat iudicium* [d]: *magna super cœlos misericordia* Dei [e],& *misericordia Domini plena est terra* [f].Misericordia nostra erga alios,quãtacumque sit, potiùs iustitiæ vocãda est nomine,vt Gregorius [g]docet, nósque alibi testimonio Christi [h], & Pauli [i], & Dauid [k], & Salomonis [l], qui eleemosynas ipsas appellant iustitias,quasi debitas.Quo quis maior ac potentior, eo benignior & magis misericors, quasi hac contẽtus veluti vindicta, quòd intelli-

C gant cæteri posse vindicare,si velit, nolle, quia misericors sit.Iracundiores ac sæuiores solent esse mulieres, & ex viris qui sunt imbecilliores; imò & inter bestias quæ minores ac inualidiores.

Videntur auctore Nysseno [m] attributa cætera in misericordiã absorberi.Cùm dixisset Dauid [n], *misericors Dominus,& iustus*;perinde ac seipsũ quòd iustum nominasset corrigens, vel in iustitia ipsa misericordiam reperiens,subiunxit;*& Deus noster miseretur*(cùm enim iratus fuerit,misericordiæ recordatur [o]:) de qua re Gregorius [p]. In eo verò Psalmo,in quo celebrat opera diuinæ potentię[q], ad singulos versus adnectit hemistichium, *quoniã in æternum misericordia eius*; ait quoque quòd *memo-*

D *riam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus.**Bonitas tribuitur quidem Spiritui sancto; sed Filio misericordia, quam suscepimus in medio templi sui [r], cùm liberauit nos de lacu miseriæ [s]: ideóque fortassis Pater nominatur pater misericordiarũ [t];quia est Pater huius Filij,qui est ipsamet misericordia; & vocatur *viscera misericordiæ*,siue, vt ita dicam, *misericordiosa, Dei nostri* [u] Hic Dei Filius exinaniuit se [x], & qui *diues est in misericordia* [y], habénsque diuitias [z] gratiæ & gloriæ abundantes,& inuestigabiles [a], profudit omnes thesauros suos. Magna solet cognominari

E misericordia, & miserationũm multitudo [b]: si quando furor Dei magnus dicitur [c], is est per modum stillarum [d]:misericordia tãquam fluuius & torrens [e].Hæc est dos quam dat sponsæ sponsus Deus præter aliorum coniugiorum magis receptam consuetudinem;*desponsabo te*, inquit [f], *in misericordia, & miserationibus*: ita vt vocari possit Dominus misericordiæ,id est, noster, non solùm cæterarum rerũ omnium (quas condidit,vt diximus,in misericordia:)quia per magnã misericordiã comparauit nos sibi, quemadmodũ Sephora Mosem spõsũm appellabat sanguinum [g];quoniã placato Deo per filij circumcisionem, auerterat iram Dei à Mose, vitámque illi cõseruauerat.

a Ecclesia in collecta Dominicæ 10. post Pẽtecost. b 2.2. q. 30. art.4. c Psal.144.9. d Iaco.2.13. e Psal.107.5. f Psal.32.5. g 3. p. Pastor. c.21. h Matth.6.1. i 2.Cor.9.10. k Psal.103.17.& 111.9. l Prou.13.10. m orat.5. de beatitud. n Psal.114.5. o Abac.3.2. p hom.1. in Ezech. q Psal. 135. * Psal.110.4. r Psal.47.10. s Psal.39.3. t 2.Cor.1.3. u Luc.1.78. x Philip.2.7. y Ephes.2.4. z Ephes.1.7. a ibid.18.c.3.8.16. b Psal.50.3.& alibi. c 2.Paral.28.11.c.34.21. d ibid.& alibi. e Esa.66.12. f Osee 2.19. g Exod.4.25.26.

Vnxit nos vnctus ac vnctio ipsa Christus vnctione sua. id est, misericordia (est namque misericordiæ symbolum olea) & Christianos fecit, hoc est, misericordia sibi deuinctos & coniunctos, tanquam seruos, filios, fratres, verus Dominus misericordiæ, Pater, primogenitus frater: nec alio suos signo recogniturus est in Iudicio, & alienos reiecturus, quàm misericordiæ [a]: in hac autem vita hanc suis tesseram tribuens notámve, si se inuicem diligant, bene velint, afficiant beneficiis [b]. Misericordiæ συμπάθειαν didicit ex his quæ passus est [c], cùm nosset priùs duntaxat speculatiuè figmentum nostrum [d], sícque creuit quodammodo cum ipso misericordia egressa de vtero matris cum eodem [e]. Quòd si tunc miserebatur propterea vt Pater [f], quanto nunc magis? Denique nemo non amat beneficia sua, causâque iterum dandi beneficij est semel dedisse; & cui initio non fuisset ratio præstandi, aliquid ei præstamus, quia præstitimus, inquit Seneca [g]. Aristoteles [h] id pluribus exequitur, afficíque beneficũ erga beneficia, vt artifices erga opus, Poëtas erga versus. Nec vis alia Claudianæ sententiæ;

——— meritísque obnoxia virtus
Quos seruauit, amat. ———

Fecisti omnia verbo tuo.] Dicendo Deum fecisse omnia, solóque verbo, multis aliis traditur locis [i]: quibus dicendi modis voluntatis diuinæ decretum & imperium, quamuis non externo prolatum sermone, vt voluit Oleaster [k], & antiquiores alij apud Mosem Barecepha [l], denotatur. Locutum interiùs ac dixisse Patrem Filio putant multi [m], quatenus per eum condidit omnia, dicitúrque Verbum Dei Patris: quod Ethnicos etiam auctores nouisse testantur [n], Orpheum, Pythagoram, Socratem, Platonẽ, Zenonem, Anaxagoram, Trismegistum, Sibyllas, & ex Iudæis Philonem.

Dicere Dei, vt refertur ad conceptum cordis, vt vocant, est æternum, & nihil est aliud, quatenus concipitur tanquam distinctum ab intelligere (quod est essentiale, & trium personarum) quàm generare Filium, qui est Verbum ipsius: sed quia res creatæ sunt in tempore, tunc dixisse censetur, & Verbo fecisse, quando per Verbum æternum voluit Deus in tempore illas fieri, & sine mutatione sua, vel Verbi easdem esse accipere. Ab æterno dixit vt fierent res, eo quòd ab æterno determinauit hoc verbum (*dixit*) non autem istud (*fiat*) inquit Albertus [o]. Non itaque dixit Deus ab æterno, fiat, sed vt fiat in plenitudine, seu impletione temporis, quod præsciuerat & prædeterminauerat. Dicendo Verbum, genuit Deus Pater Filium, qui dicitur Verbum: dicendo Verbo, aut per Verbum, Trinitas tota produxit creaturas, *portans omnia Verbo virtutis suæ* [p]; vel certè per quandam accommodationem fecit Pater per Filium suum. Significatur item hac formula, Deum summa facilitate cuncta condidisse, vt notauerunt Chrysostomus [q], Eucherius [r], Alcuinus [s], Comestor [t], Hugo [u] Cardinalis, Abulensis [x], glossa [y]. Sed Nyssenus [z] accommodatiùs fortassis ad locum præsentem, vbi Auctor inuocare sapientiam videtur increatam, refert dictionem (*dixit*) ad sapientiam, in qua factus est mundus.

a Matth. 25. 34. & seq.
b Ioan. 13. & 14. & 15.
c Heb. 5. 8.
d Ps. 102. 14.
e Iob. 31. 18.
f Ps. 102. 14.
g 4. de benef. c. 15.
h 9. Ethic. c. 7.
i Gen. 1. sæpe. Psal. 32. 6. Psal. 148. 5.
k in Genes. 1.
l de parad. 1. p.
m Athanasius serm. 3. contra Aria. & orat. cont. idola. Iustin. paræn. ad Gent. Clem. Alex. 5. strom. Lactan. lib. 4. c. 6. & 9. Euseb. 7. de præparat. c. 5. Augustin. & Latini passim: necnon Basilius, Cyrillus, Chrysostom. Theodoret.
n citati, & Eugub. in c. 1. Genes.
o 1. p. de quatuor coæuis. q. 4. a. 2. ar. 11.
p Heb. 1. 3.
q homil. in Psal. 148.
r in Genes.
s q. 31. in Genes.
t hist. Schol. in Genes. c. 3.
u in Genes.
x ibid.
y ibid.
z in hexam.

Vers. 2.] Et sapientia tua constituisti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta est.

A Qvi est omnipotens ac misericors (quæ iam duo posita sunt) idem sapiens est, atque sapientiâ suâ dedit homini dominium in reliquas creaturas corporeas, communicans proinde illi quoque sapientiam tali muneri necessariam. Dominium hoc in innocentiæ statu datum est in eas quas dixi homine inferiores, materiales nempe creaturas, non in Angelos, non propriè etiam in similes sibi homines rationales, vt nominatim docet Augustinus [a]. Quamuis tunc seruatus esset inter homines ordo ac subordinatio, sicut est in Angelis ipsis, vt constat ex vxoribus, filiis, &c. qui tunc essent; quod vocari posset liberum iucundúmque dominium. Scripsit de hoc dominio Moses [b] statim postquam dixerat esse factum hominem ad imaginem Dei, scilicet dignitate natu-
B ræ, & rationis dote, qua homo præstat cæteris animalibus. Qui animalibus autem dominabatur, quæ proximum in rerum corporatarum ordine post hominem tenent locum, haud dubium, quin & in imperfectiores inanimatas dominium exerceret. Extat aliis in locis Scripturarum de isto dominio mentio [c]: sed & in Genesi [d] præfectura terræ data homini legitur; & in Deuteronomio [e] dicitur, Solem, Lunam, omniáque sydera in ministerium & seruitium hominis esse à Deo creata. Peccato primi parentis ius potestásque dominij remansit cum natura; vsus & executio perfecta facilisque sublata est cum gratia, & iustitia originali, atque singulari erga hominem
C prouidentia Dei.

Sapientia tua constituisti hominem.] Græcum κατασκευάσας significat elaboratum opus ceu vas; & sapientia, singulare quasi artificium & consilium, quo factus est homo proposito creatori ipsius fine, qui mox additur, de dominatu. Hæc ipsa sibi voluit Moses, recitans verba Dei [f]; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit,* &c. Nolim tamen vim magnam in eo poni, quòd homo factus dicatur in sapientia, vel manibus Dei plasmatus [g]; nam cœli quoque perhibentur esse opera manuum [h], ac digitorum Dei [i], factique in intellectu [k], & stabiliti in prudentia [l], sicut & terra fundata sapientia [m]; sed & omnia facta in sapientia.

D Aliunde colligitur nobilitas hominis, & magis Dei sapientiã in eo condendo eluxisse, quàm in rebus cæteris, atque maius artificium; quod hîc indicat κατασκευάζειν, & illud ex ex Genesi velut consilium Dei [n]; *Faciamus hominem,* &c. est enim velut quidam epilogus rerum omnium ac μικρὸς κόσμος homo: & non tam imperio, quo alias res fecit, sed verbis consultatoriis, hortatoriísque condere illum voluit Deus, vt obseruant Nyssenus [o], Chrysostomus [p], Cyrillus [q], Gregorius [r]. Constituere, non est hoc loco ex partibus valdè diuersis componere, scilicet ex spiritu rationali, & luto terrestri, vt Bonauenturæ placet; vel in bono statu statuere, vt Hugoni, qui refert
E aliam lectionem (*fecisti*) sed quandam importat quasi materiæ præparationem, qualem opifices vsurpant; nam sic hominis corpus fictum dicitur ex limo terræ [s].

Vt dominaretur creaturæ, &c.] Non hîc finis primarius. Idem censendum de eo loco Genesis [t]; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit,* &c. si (*&*) seu Hebræum (ו) vt aliàs apud Hebræos non rarò, causam denotet, non coniunctionem solam. Absolutus finis hominis Deus, qui *propter semetipsum fecit omnia* [u].

a 19. de ciuit. Dei c. 15.
b Gen. 1. 26.
c Psal. 8. 8. Eccli. 17. 3.
d c. 1. 26. e c. 4. 19.
f Gen. 1. 26. 27.
g Psal. 118. 73.
h Psal. 101. 26. Heb. 1. 10.
i Psal. 8. 4.
k Psal. 135. 5.
l Prou. 3. 19.
m ibid.
n c. 1. 26.
o lib. de hominis opif.
p in Genes.
q 1. contra Iulianum.
r 9. moral. c. 27.
s Gen. 2. 7.
t c. 1. 26. 27.
u Prou. 16. 4.

Creaturæ.] Græcè (κτισμάτων, *creaturarum.*) De creatura creaturísve intelligit quæ sunt inferiores homine, sicut dixi. Angeli sunt administratorij spiritus Dei, in ministerium hominum missi [a]: nec tamen rectè dici possumus eorum domini; vt nec Magistratuum, qui nos regunt: sicut neque Angeli inferiores, superiorũ, à quibus perficiuntur; nam non sunt conditi per se Angeli, & proximè propter istum finem. De cœlis ratio maior, quia corporei sunt, hominéque inferiores, qui corporei mundi veluti princeps est, ac finis omnium, vt Aristoteles [b] loquitur, videlicet corporeorum. Quia tamen non ita potest, aut etiam potuisset homo in statu innocentiæ vti cœlis ad arbitrium, quemadmodum cæteris materialibus, hoc dominium minùs absolutum, & perfectum censeri debet. Vnde nominatim exprimi tantùm solet dominium nostrum circa res inferiores, & dici *cælum cæli Domino* (reseruatum:) quia supremum cœlum sedes eius peculiaris est, vt ibi peculiariter dominetur; *terram autem* datam *filiis hominum* [c]. Quamquam hinc tantùm fieret, non esse hominem dominum empyrei cœli, vbi Deus cum beatis habitat. Nostrum esse mundum totum, nostra omnia Paulus [d] asserit: at non vero dominio. Superiora perficiunt nos: cum æqualibus habemus conuictum: ex inferioribus vsum, possumúsque etiam eorundem istorum habere dominium. Plura disput. nostra de dominio.

a Heb. 1. 14.
b 3. Physic. tex. 24.
c Psal. 113. 16.
d 1. Cor. 3. 22.

A te facta est.] Scripturæ non ita exactè distinguunt verba, quibus creationem propriè designent, vt est diuersa ab aliis mutationibus, & est de nihilo: sed creare, facere, condere, fundare, firmare, stabilire, formare, fingere, præparare, constituere, & alia plura vsurpant de rebus, quæ non aliter quàm per creationem extiterint; licèt non negem deprehendi posse in his nonnullos proprios modos, quos Deus tenuerit res illas ipsas producendo & creando.

Vers. 3.] Vt disponat orbem terrarum in æquitate, & iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet.

IVre suo sapientiam, quæ complectatur virtutes cæteras, postulare se dicit; quia Deus his primum hominem ornamentis affecerat principem humani generis, & ab homine qui regat alios, exigit istas conditiones, vt rectè circa Deum sit compositus, proximo tribuat quod suum est, rectam habeat in omnibus intentionem.

Disponat.] Græcè (διέπῃ.) De verbo Latino diximus cap. 8. [e] Græcum significat *regere, administrare, dispensare*: quo modo vocatur Deus ab Aristotele [f] ὁ τὸ σύμπαν διέπων. Vnde διέπτος, *rector, administrator, dispensator, præfectus.*

e vers. 1.
f libro de mundo.

Orbem terrarum.] Græcè (τὸν κόσμον.) Aliàs ponitur οἰκουμένη, quæ est propriè *habitabilis terra*: qua de re alibi [g]. Incolas orbis homines potiùs intelligere debemus, quàm elementum terræ, résque in eo contentas, quibus bonus vsus habeatur, vt notat Carthusianus.

g Act. 11. 28.

In æquitate.] Græcè (ἐν ὁσιότητι.) Vatablus vertit (*cum sanctimonia.*) Id valet Græca vox; sed & *æquitatem, iustitiámve.* Osorius pietatem intellexit: Hugo æquitatem retulit ad Deum: Bonauentura misericordiam, quæ nimirum est æquitas quædam ac remissio lenior iuris, vel cùm in bonam partem, quantum licet, res accipimus, quæ dicitur

A ἐπιεικεία: Cantacuzenus animum sine perturbatione iudicantem, ac bene intus compositum, liberúmque à peccatis, ad eum ferè modum quo conditus fuerat primus parens. Libentiùs acciperem pro pietate, tum quia fauet Græcum nomen magis, tum quia prima boni rectoris ac principis conditio pietas debet esse. Definit Scholiastes Euripidis ὁσιότητα τὸ πρὸς θεὸν ἐξ ἀνθρώπων γινόμενον δίκαιον. Non repugnat *æquitatis* Latina dictio, si æqualitatem sonet; hæc enim, quoad licet, procuranda cum Deo primo loco est, cunctáque ad eam normam dirigere oportet.

In directione cordis.] Græcè (ἐν εὐθύτητι ψυχῆς, *in rectitudine animæ* (aut, vt [a] Lucifer legit) *animi.*)
B Clementiam Olcot [b] interpretatur: Osorius animi æquitatem: Lyranus dictamen rectæ rationis: Hugo, & Bonauentura rectam intentionem, posito, vt ait Carthusianus, præ oculis Deo, iuxta cõsilium Regis Iosaphat [c], & ab eodem quid iudicet quis, veluti perquirẽdo. Hoc postremũ malo. Nam *qui direxerit*, ait Iob [d], *ad eum* (Deum placet accommodatè interpretari, ad quem directio fiat) *cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet*, quem ceu anima corve Reipublicæ reliquis eius membris communicet. Qui discit iudicia iustitiæ Dei (hoc est, eius edicta, secundùm quæ improbi, probique iudicandi sint) confitetur illi in dire-
C ctione cordis [e], ἐν εὐθύτητι καρδίας, id est, laudat celebrátque palàm & publicè iustum esse Deum, efficítque vt quæ respondet, atque pronunciat, tanquam ex ore Dei accipiantur, & obseruentur.

a pro Athanasio.
b lect. 117.
c 2. Paral. 19. 6.
d c. 34. 14.
e Psal. 118. 7.

Posset præterea directio cordis denotare flecti nesciam iustitiam, cùm Iudici non adhæret cor prauum [f], id est, non concordat cum corde prauo, sed cum solo Deo, qui est prima & rectissima regula, sui, vt de recto dicitur, iudex (id est, sibi ipsi regula) & obliqui; ita vt nihil velit nisi quod Deum velle intelligit, vt Augustinus [g] docet. Rectitudo quoque, vel directio cordis posset significare promptitudinem, facilitatem, & quasi explanationem, & læuitatem asperitati contrariam, & prauitati ac obliquitati. Sic quidam ex-
D ponunt virgam directionis [h], sceptrum & Regni gubernationem blandam, iucundam, facilem, suauem, non duram, non asperam, non rigidam, vt nempe virga hæc baculúsque consolentur subditos [i]. Eadem videtur sententia verborum aliorum [k]; *ad omnia mandata tua dirigebar*, facilè scilicet, suauiter, promptè, & alacri animo ferebar ad illa: propterea *omnem viam iniquitatis odio habui.*

f Psal. 100. 4.
g ibid.
h Psal. 44. 7.
i Psal. 22. 4.
k Psal. 118. 128.

Vers. 4.] Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis.

E HOc illud tandem est quod petit, vt sedens in hoc inferiore tribunali puer ac famulus vicarius Dei, particeps sapientiæ fiat, quæ supremæ assidet sedi ipsius, & ipsissimus Deus est, vt Cantacuzenus obseruat, pueros interpretans ordines Angelorum supremos Cherubim, & Seraphim, qui defigere penitus oculos in eum nequeant: adde super illis Deum sedere [l]: istos super solium Dei excelsum & eleuatum stare [m]; ita vt possint *sedium* nomine hîc intelligi: denique alios Angelos propriè vocari Thronos. Hi omnes simul sedes, simul pueri sunt Dei. Allusio est ad assessores, de quibus meminit ius ciuile [n]. Modestinus [o] appellat συγκάθεδρον, pro quo hîc est πάρεδρος.

l Psal. 79. 2.
m Esa. 6. 2.
n ff. de off. assess. l. 1. & penult. C. de assess. l. 1. & 10.
o ff. de excus. l. 10. u μόνον.

παρεδρος. Vnde munus assessurę,& assessoria libri de his rebus,quas agi viderant Iurisconsulti cùm essent assessores. Demosthenes [a] facit mentionem παρεδρεύοντος τῷ ἄρχοντι, *assidentis Pretori.* Vbi Vlpianus notat, solitos dari assessores iunioribus, qui dicerentur πάρεδροι, deinde συγκάθεδροι.

a orat. cont. Midiam.

Quia porrò ortus in vna prouincia,non in eadem,sed in altera iure præscripto assidet [b]; petit postea versu 10. mitti sibi de cœlo sapientiam velut assistricem,& comitem (assessores enim dicti sunt deinde comites) vt sit eiusdem Regni consors,ac sedis; & Reginæ instat à dextris assistat [c]: & non modò vt πάρεδρος, aut σύνεδρος (vnde συνέδριον, *consessus, conciliúmve Iudicum:*) verùm etiam tanquam πρόεδρος, *præses, antistésque,* cui libentissimè cedat loco,& sede regia; imò & εὐπρόσεδρος, *constanter assidens,* nec de latere eius vnquam discedens. Apud Paulum [d], *id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrādi,* Græcè habetur, πρὸς τὸ εὔσχημον, καὶ εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως. Hieronymus [e] autem explicat εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ, *id quod intentè facit seruire Domino.* Negat etiam proprietatem Græcam Latino sermone satis explicarām: intentè autem seruire Domino, ait esse semper sollicitum,& expectare paratum Domini voluntatem,vt cùm quid imperauerit,quasi strenuus & armatus miles statim impleat quod præceptum est,& hoc faciat absque vlla distractione, seu distentione, quæ data est secundùm Ecclesiasten [f] hominibus huius mundi, vt distendantur in ea. Confert isthæc annotatio ad percipiendum meliùs præsentem locum.

b supra. c Psal.44.10. d 1.Cor.7.35. e 1.cont. Iouin. f c.3.10.

Sedium tuarum.] Lyranus, præter dictos sensus, quorum posteriorem sequitur etiam Hugo, & Olcot [g],sedes pro sedentibus Iudicibus sumit, vt talibus necessariam ad iudicādum sapientiam Auctor,siue Salomon,qui loquens inducitur, petat. Hugo adhuc, Bonauentura,& Carthusianus, post glossam interlinearem, mystico magis sensu iustos Dei sedes nominant, quorū hîc postuletur sapientia. Omnes commodi sunt sensus & conuenientes proposito. Vult enim Salomon sapientiam sibi necessariam,vt iustus sit,& præterea ciuilem & generalem, quæ requiritur ad bene gubernandum. In Psalmo [h] sedes ipsæ dicuntur sedere in iudicio,& super domum Dauid,id est, ad sedendum constitutæ, vt in iis collocarentur Iudices. Lege caput 6.[i]

g lect.118. h Psal.121.5. i vers.22.

Fingebant Poëtæ assidere Ioui θέμιν καὶ δίκην: & in Psalmo [k] dicuntur iustitia & iudicium præparatio sedis Dei, Deúsque in medio Deos ipsos, id est, Iudices diiudicare [l]: & tradunt Æthiopas sedem vacuam,in qua sederet nimirum Deus,celsiorem præter subsellia Iudicum relinquere: & eodem mos vetus Conciliorum [m] spectat, vt Euangeliorum codex honestiore statuatur loco, qui Christi Iudicis referat præsentiam: & quòd Petrus Alexandrinus in Episcopali nollet sedere throno, quem ingenti splendore circumseptum conspicabatur [n]. Hæc omnia declarant, numine quodam diuino afflatos esse debere Præsides & Magistratus.

k Psal.88.15. l Psal.81.1. m vt in Chalcedonen.& Ephes.tom.1. c.1. n Hist.Eccl.

Noli me reprobare à pueris tuis.] Græcè (μὴ με ἀποδοκιμάσῃς.) Ne repudies postulatū meum, non intercludas aditum ad familiam tuam: permitte ac largire,vt patres illos meos,quorum te Dominū nominaui & agnoui, seruos videlicet tuos imiter, eorum sapientiam consequar. Denique noli me reprobare, denegando mihi donum sa-

A pientię,inquit Lyranus;qui simplex ac verus sensus est. Fac audiam illa,quæ audiuit Abraham [a]; *num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* De reprobatione damnationis interpretantur Hugo, Bonauentura, Carthusianus, Olcot [b]: aut etiam de reprobo sensu, in quem tradidisse nonnullos dicitur Deus [c], εἰς ἀδόκιμον νοῦν. Paulus præterea timebat de se ipso, aut timere præ se ferebat, ne reprobus efficeretur [d]; & sic frequenter [e] vsurpat de aliis vocem τῶ ἀδόκιμος, & *reprobi,* atque passim Theologi. Sed proposito non ita congruit hæc acceptio. Credo latere nescio quid aliud, quasi diceret: noli me ἀποδοκιμάζειν, *abiudicare,* & eo destituere auxilio, quod ad bene iudicandum sufficiendo assessores iunioribus ac imperitis da-

B tur,qui,vt scribit Vlpianus [f], erāt συνδοκιμάζοντες, *simul iudicantes:* noli me eiicere,& abdicare, ac veluti censura notare,atque præterire,& ordine seu potestate mouere,& inter eiectos censere prætéritósque, vt de Senatoribus, qui remouerentur Festus loquitur; Græcéque, vt Budæus [g] notat, ἀποδεδοκιμασμένοι, aut ἀμνημόνευτοι appellantur. Huius rei necessitatem, vt assideret nempe sapientia, Salomon non sequenti solùm versu, sed in historia Regum supplicibus illis demississimis Deo verbis exponebat [h]; *Ego autem sum puer paruulus,& ignorans egressum & introitum meum,*hoc est, quid agam,quo me modo geram,nescio.

a Gen.18.17. b lect.118. c Rom.1.28. d 1.Cor.9.27. e 2.Cor.13.5 6.7.2.Tim 3. 8.Tit 1.16. Heb.6.8. f in Demosthenis orat. contra Midiam. g com.ling. Græcæ.pag. 68. h 3.Reg.3.7.

A pueris tuis.] Græcè (ἐκ παίδων σου.) Ex dictis liquet pueros hîc sumi vel pro seruis,vel pro

C imperitis, propter inexperientiam, quales qui ætate pueri sunt, solent esse. Tertia significatio pro filiis non adeò conuenit. Sed de notionibus huius vocis alibi copiosè [i]. Ex illis duabus prima melior,vt quæ sequuntur, docent. Quocirca non immoror in conditionibus puerilis ætatis, quas moraliter spectatas dispositiones ad sapientiā idoneas esse obseruant Enarratores hoc loco.

i Act.4. & 11.

Vers. 5.] Quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis,& minor ad intellectū iudicij & legum.

D

HÆc est quæ magis vrget causa,vt flagitet à Deo sapientiam; quia sit addictus seruituti diuinæ,verna seruúsque natus; imbecillus,ætatis modicæ,iudiciorum ac legum laborans ignorantia. Primùm requirit,vt altus, atque Religionem veram à maioribus adeptus, non neophytus & nuper in ea natus,vel ex alienigenis ad eam adductus, possit piè religiosèque Rempublicam administrare: secundùm exigit virium corporis subministrationem: tertiùm habitus gestúsque corporis honestam maturitatem, ne quis adolescentiam eius contemnat: simúlque,quod præcedenti quoque conuenit, celeritatem in agendo, vt be-

E ne deliberata maturè exequatur: quartùm peritiam & cognitionem iuris multiplicis, & communis, & municipalis. Imbecillitas virium, vitæque breuitas magno sunt impedimento ad comparandam sapientiam. Opus est experimentis, quæ, vt ait ille [k], fallacia sunt, nec experiri potest multa,cuius vita breuis, cùm sit ars etiam longa, & multo maior sit pars eorum quæ ignorantur,quàm eorum quæ sciuntur. Si accedat ingenij parua indoles,tanto difficultas auctior.

k Hippoc. in primo aphorismo.

Seruus tuus sum ego,& filius ancillæ tuæ.] Imitatur

Salomon,

Salomon, cuius hîc oratio, vt dixi, contingitur, patrem suũ Dauid, qui seipsum quoque Dei nominabat seruum, & filium ancillæ eius [a], id est, cultorem Dei, & filium eorum, qui coluissent Deum, ac nominatim matris suæ, religiosæ fæminæ, vel fortassis totius etiam Synagogæ. Videtur Bethsabee, quod ante monui [b], postquã legitimo matrimonio cõiũcta est Dauid, pia fuisse: & Salomon testis est ab ea se pie institutum, nõ solùm à patre. *Nam & ego*, inquit [c], *filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea, & docebat me, atque dicebat*: vbi Hebraice quidem est verbum singulare masculini generis וירני *vaijoreni*, & ויאמר לי *vaijomer li*; sed Græcè plurale, οἱ ἔλεγον, καὶ ἐδίδασκον, necnon Chaldaicè אליפן *allephan*. Non solent domini seruos docere suos, sed aptos quærunt seruitio. Deo non seruit, nisi quem seruire Deus ipse docuerit. Idcirco suo iure qui se Dei agnoscit seruum, à Deo doceri petit. *Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt discam mandata tua* [d]; & rursus [e]: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, da mihi intellectum.* Iure communi & natura omnes serui Dei sunt, ego etiam electione, affectu, propensissima voluntate. Rem tot nominibus tuam perficere debes. Sentiens Deo Princeps subditorum se quoque agnoscere seruum debet, vt eorum seruiat commodis, vt sint serui Dei, siue vt & ipsi seruiant Deo. Confirmabam hoc aliàs [f] Augustini, & Pontificum etiã summorum exemplo, qui se quibus præsunt, nominãt seruos, vel seruos seruorum Dei. Docebam præterea [g], summæ dignitatis esse, esse seruum Dei, & quo pacto idem Dei amicus, seruúsque dici simul possit. Glossa interlin. mysticè de Christo intelligit, cuius mater se Domini vocat ancillam [h]. Carthusianus putat nominatim matris merita à Salomone in precibus interponi. Quidni & Synagogæ? Communes Ecclesiæ preces iuuant multum. Coimus, ait Tertullianus [i], in cœtum, & congregationem, vt ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.] Optima porrò persuadendi ratio in oratione humilitas, cum qua nubes ipsæ penetrantur [k]. Videri autem potest Salomon sub vocabulis *serui, filij, ancillæ*, & cùm deinde [l] poscit, vt secum sapientia sit, ac secũ laboret, indicare conditionem operarum, quos præfecti operis vrgeãt, & laborantibus instent, nec torpere, segnitérve agere sinant, sed pensum exigant. Ad hunc videlicet modum agi secum à sapientia cupit, petítque, sicut & Regis est inspicere subditos, & quemque ad officium opúsque debitum peragendum incitare & compellere.

Homo infirmus.] Græcè (ἀσθενής.) Viribus quidem corporis, sed animi præterea procliuis ad malum, propter fomitem. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum* [m]: &, *misertus est Dominus, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum* [n]: Chaldaicè, *quoniam coram eo palàm est concupiscentia praua, quæ in errorem abripit nos*, יצרא בישא *ytsra bischa*. *Si qui seruiunt Deo* (qui sunt à natura magis dispositi, vel minùs impediti, magis veluti domestici, quia magis spirituales) *non sunt stabiles, & in Angelis suis* (seruis nempe illis Dei) *reperit* (Deus) *prauitatem; quanto magis hi, qui habitant domos luteas* (cùm habitarent Angeli in cœlo, quod domicilium & principatum reliquerunt [o]) *qui terrenum habent fundamentum* (inter tot illecebras peccandi, & in tanta rerũ inconstantia) *consumentur velut à tinea* [p] (a fomite, qui insitus est carni tanquam vesti.)

A

Exigui temporis.] Græcè (ὀλιγοχρόνιος.) De vitæ breuitate diximus alibi. *Homo natus de muliere breui viuit tempore* [a]; imò nihil aliud est nisi paucitas (מעט *mahhat*, *decrementum*, & *imminutio*) dierum, quæ finiuntur breui, & mensurabiles dies [b], siue pugillares, ac velut pugillo dimensi. Mouet hæc breuitas vitæ excitatque misericordiam. *Numerus dierum hominum, vt multum, centum anni; quasi gutta aquæ maris deputati sunt, & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui. Propter hoc* (hæc causa cur misereatur Deus, & exaudiat) *patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiã suam* [c]. Denotat præterea exiguum tempus exiguam experientiã: tum quòd quamlibet longa vita, censenda sit breuis; nec æterna possint esse quæ sanxerit ipse, sed à successore rescindantur, nisi sapientia illis auctoritatem, atque perpetuitatem largiatur.

B

Minor ad intellectum.] Græcè (ἐλάσσων.) Minorem esse ad aliquid, vel etiam aliquo, est minùs esse idoneum, habilem, capacem, sufficientem. Dicebat Iacob [d] Deo; *minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua, quã expleuisti seruo tuo*: Chaldaicè, *minora sunt merita mea omnibus misericordiis & beneficiis, quæ fecisti cum seruo tuo.* Aliter tamen Græcè legitur, ἱκανούσθω μοι, &c. *sufficiat mihi*, quasi dicat, non sum ferendo, & insufficiens sum ad respondendum, seu ad referendam gratiam.

Ad intellectum iudicij & legum.] Græcè (ἐν συνέσει κρίσεως καὶ νόμων.) Quid sit de rebus quæ incidunt iudicandum, quæ continentur lege naturali, diuina, positiua, item præceptis iudicialibus, ceremonialibus, moralibus, quorum numerus ex affirmatiuis quæ vocant, ducentorum decem & octo, ex negatiuis trecentorum sexaginta quinque, vt meminit Rabbi Moses [e]. *Quis poterit iudicare populum istum?* in sua Salomon oratione loquebatur Deo, postulans sapientiam, cùm se puerum fateretur paruulum, & ignorare egressum & introitum suum [f]. Et à Rege tamen, siue à Iudice, Duce, Principe cognitio legis, præsertim diuinæ, vehementer exigitur. Sic Iosue præcepit Deus [g]; *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.* Cuius iusto iugis hæc legis meditatio commendatur in Psalmo primo [h], promittitúrque felix meditanti successus omnium rerum instar ligni plantati secus decursus aquarum, quod fructum suum dat tempore suo, ne foliis quidem ipsius defluentibus [i]. Præterea in Deuteronomio [k] maiorem in modum cunctis inculcatur hoc legis studium. Acuere tot præcepta, tãtæque pollicitationes multo debẽt magis eum, cui Reipublicæ legúmque ipsarum commissa cura est. Iterum futuro Deus iniungit Regi per Mosem [l]; *Postquam sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, l egetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.* Sic Moses. Vnde intelligitur ita sapientiam à Deo petendam, vt sapientiæ studio diligenter vacemus; sed qui præsunt maximè, quos præire cæteris oportet exemplo, vt de legibus propriè loquentes Cicero [m], & Xenophon [n] tradunt.

C

D

E

Cùm Rabbi Ismaëlem, quod scribunt Thalmudici, sororis filius rogaret, liceretne sibi Græcorum iam scripta legere, postquam Mosis legem perlegisset; annuit, si quam reperiret horam,

quæ

a Psal.115.16. b vers.2. c Prou.4.3.4. d Psal.118.125. e ibid.73. f Act.5.18. g ibid. h Luc.1. i apolog.c.39. k Eccli.35.21. l vers.10. m Psal.6.3. n Psal.102.14. o Epist. Iudæ vers.6. p Iob.4.18.19.

a Iob.14.1. b Psal.38.6. c Eccli.18.9. d Gen.32.10. e 3. doctoris dubiorum c.36.37. f 3.Reg.3.7.9. g Iosue 1.8. h vers.2. i ibid. 3. Iere.17.8. k c.6.6.7.8.9. l Deute.17.18.19. m 3. de legib. n 8. Cyropæd.

quæ nec ad diem pertineret, nec ad noctem. Facilius censuit Rabbi Samuel Nehemanni filius perennem illam in lege meditationem non imperari; sed ostendi maximam in eo positam felicitatem, vt in legis meditatione quam possumus assiduè versemur: nimirum quia legis vniuersæ intelligentia suauis, vtilis, difficilis sit.

Vers. 6.] Nam & si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.

SVmma sapientiæ necessitas, sine qua quiduis aliud, quantæcumque perfectionis, nihili æstimetur sano, rectóque iudicio. Idem ferè cap. 13. repetitur [a], cùm dicitur; *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Similis de charitate, cum qua necessariò diuina sapientia coniuncta est, apud Paulum sententia [b] multis verbis, & inductione comprobata. Idem Apostolus [c] huiusce mundi sapientiam decernit esse stultitiam apud Deum, & quòd *stultam fecit Deus sapientiam huius mundi* [d]: & quòd *sapientiam* ipse loquitur *non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruuntur, sed inter perfectos* [e], ἐν τοῖς τελείοις.

Consummatus.] Græcè (τέλειος, *perfectus.*) Citato iam loco Pauli nomen idem Græcum plurale reddidit Interpres *perfectos*. Capite sexto [f] huius libri sensus consummatus est, quę Græcè φρονήσεως τελειότης: item cap. 12. [g] dicitur Deus in virtute consummatus: & cap. 15. [h] consummata iustitia. At verò in cap. 4. [i] & 16. [k] τελειοῦν est *ad finem perducere, consumendo consummare*, sicut & aliis locis. Notandus quoque locus duplex Epistolæ ad Hebræos. Prior [l]; *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum, per passionem consummare*, τελειῶσαι, id est, *perficere*, omnem ei gloriæ, & honoris bonorúmque aliorum cumulum dare, quæ Christo deerant ante resurrectionem. Posterior [m]; *consummatus*, τελειωθεὶς, *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*; nempe post resurrectionem & ascensionem misit Spiritum sanctum [n], & conuerti cœpit mundus. Græci locum vtrumque sic exponunt: licèt possit etiam de consummatione mortis cum aliis non ineptè intelligi.

Si abfuerit ab illo sapientia tua.] Græcè (τῆς ἀπὸ σοῦ σοφίας ἀπούσης, *absente*, vel *si abfuerit sapientia quæ est a te*) id est, à te datur & pendet, nimirum si abfuerit ab illo. Legunt Expositores Latini (*si ab illo fugerit*, vel *aufugerit*) & sumunt pro *fugari*, quóniam gratia diuina non fugiat ab homine, nisi priùs fugetur.

In nihilum computabitur.] Hoc est quod ait Paulus [o]; *si charitatem non habuero, nihil mihi prodest, nihil sum*, quod scilicet spectat ad vitam æternam. Quo modo peccatoris opera, licèt bona, nihil sunt, in nihilum computantur, nihil prosunt ad verum ius felicitatis acquirendum; quamuis remotè aliqua ratione disponant facta viribus naturæ, cum auxilio autem gratiæ magis propinquè.

Vers. 7.] Tu elegisti me regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum, & filiarum.

DVplicem affert causam cur opus ei sit magna sapientia. Primam versus hic continet, A quia regendo populo Dei sit præfectus, atque iudicandis filiis filiabúsque ipsius; quos, quòd Deo cordi sint, sapientiores oporteat esse, atque religiosiores; & idcirco multo magis semetipsum. Nam tanto interuallo ferè Gubernator præstare subditis debet, quanto pecudes, armenta, bestias antecellit homo: & licèt sapientum ac religiosorum facilior esse gubernatio videatur, tunc erit, si quod profitentur, factis impleant: & nihilominus talibus imminent grauiora pericula ab impiis ac impiorum auctore, atque principe diabolo: nec decet caput membris non eminere, cóque altiùs, quo sit illa meliora. De populo suo dixit Deus [a]; *Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens, & intelligens, gens magna, nec est alia natio tam* B *grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi*, &c.

Tu elegisti me Regem.] De Salomone sine dubio fit mentio, de quo pater ad omnem ecclesiam, siue concionem conuentúmque populi [b]; *Salomonem filium meum vnum elegit Deus adhuc puerum, & tenellum.* Et tamen Dauid ipse repudiato Adonia, qui erat secundus natu post Absalonem iam defunctum, voluit regnare Salomonem, sicut cum iuramento promiserat matri eius Bethsabee [c]; & simul ac impletum accepit quod iusserat, *adorauit in lectulo suo, & locutus est: Benedictus Dominus Deus Israël, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis* [d]. Sed & antea cognouerat ex Nathan Propheta successorem filium, qui templum erat C ædificaturus, futurum esse pacificum, imò sic vocandum [e]; id autem sonat Hebraicè *Salomon*; imò nominatim *Salomonis* vocabulum expressum ipsi fuerat, priusquàm Adonias Regnum affectaret, vel natus etiam esset [f]. Legitur & Saül electus à Deo immediatè [g], & Ieroboam [h], vel eorum permissa, simúlque prædicta electio, vt omittam Gedeonē Iudicem [i], aliósque. Institutio ciuilis quoque potestatis est à Deo, & qui eliguntur, dici possunt ab eo elegi, quia sine ipsius permissu nihil fieret, atque prouidentia sua præest ipse, & gubernat, ac per illum *Reges regnant, legúmque conditores iusta decernunt* [k], & omnis potestas à Deo est [l]. Vnde colligitur, honore afficiendos Principes seculares, iísque obediendum. Hac de re tota D fusiùs in Commentario Epistolæ primæ Petri [m].

Vers. 8.] Et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio.

ALtera grauis admodum ratio poscendæ sapientiæ, templi ædificatio est, altaris, ac tabernaculi. Prædixerat Dauidi futurum Deus, vt Salomon ædificaret templum [n]: & admirabilis E structura eius describitur in historia Regum [o], & Paralipomenon [p]. In his libris loci mentio fit, hoc est, montis Moria, qui demonstratus fuerat Dauid in area Ornam, siue in Areuna Iebusæi [q]. Sapientia planè diuina fuit opus ad tam affabrè facta opera; multóque maiori quàm quæ data est Beseleel, & aliis [r], ad fabricandum tabernaculum fœderis, arcam testimonij, propitiatorium, vasa, mensam, candelabrum, altaria thymiamatis, & holocausti, labrum, ad conficiendas vestes, oleū, thymiama, &c. Nam sine dubio longè plura,

& pul

Margin notes (left column): a vers. 1. — b 1.Cor.13. — c 1.Cor.1.19. — d 1.Cor.1.20. — e 1.Cor.2.6. — f vers.14. — g vers.17. — h vers.3. — i vers.13. — k vers.16. — l c.2.10. — m c.5.10. — n Act.2.2.& seq. — o 1.Cor.13.2.3.

Margin notes (right column): a Deut.4.6.7. — b 1 Paral. 29.1. — c 3.Reg.1.13. 17.30 & 29. 30.19. — d Ibid.47.48. — e 1.Paral.22.9. — f 1.Paral.28.6. — g 1.Reg.9.& 10. — h 3.Reg.11. — i Iud.6.& 7. — k Prou.8.15. — l Rom.13.1. — m c.2.17.& seq.c.5.1. — n 2.Reg.7.13. lib.3. c.5.6.& 7. — o 3.Reg.6 per totum. — p lib.2.c.3.& 4. — q 2.Reg. vlt. 18 & seq. — r Exo.31.& seq.

& pulchriora in templo, eiúsque supellectile constructa sunt à Salomone; ita vt hæc lustrãs consideransque Regina Saba Maleeda[a], maximè verò domum ipsam, id est, templum, vt placet Carthusiano[b], præ stupore animi quodammodo defecerit[c]. Idem sentit Abulensis[d], complectens quoque domos cæteras, ac Iosephum[e] citans.

Hinc maximè argumētantur, qui Salomonem libri huius auctorem affirmant. Sed in præfatione[f] respondimus. Cæterùm Dauid ipse dedit Salomoni descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, necnon & omnium quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum[g], &c. de quibus omnibus differunt Ribera in opere de templo Ierosolymitano, & Villalpandus in Ezechielem.

Hinc porrò intelligitur primam Regis curam de Religione esse oportere, de templo, de sacris, de cultu diuino. Inde potissimùm celebratus Salomon, & maxima ex parte in hunc finem collata ipsi sapientia: cuius contrarium faciunt, qui ex sacro peculio gloriam, opésque in rem suam deriuant. Videtur Dauidi datus in præmium deuotæ voluntatis ædificandi templum filius Salomon tanta sapientia præditus, atque felicitate; vt illam voluntatem opere compleret. Legendus Pineda[h] noster, qui hoc apertè elicit ex libris Regum, & Paralipomenon.

Dixisti.] Græcè (εἶπας) hoc est, voluisti, imperasti, vt notauimus versu primo. Suppetunt exempla permulta, vt, *dixit, & stetit spiritus procellæ*[i]: *dixit, fiat lux, & facta est lux*[k]: *dixit, & facta sunt*[l]: *dic vt lapides isti panes fiant*[m]: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splēdescere*[n]: *cæteris ego dico, non Dominus*[o].

In monte sancto tuo.] Moria, vt dictum est, vbi creditur oblatus Isaac[p], visa scala mystica[q], visus Angelus cædens populum[r], Abel & Cain sacrificasse[f], & Noë post diluuium[t]. Sed de loco immolati Isaac aliter alij[u], volētes esse vbi Christus crucifixus est, & Adam sepultus, qui vocatur mons Caluariæ, positus Christi seculo extra Ierusalem. Quamquam, quia propinqui erant, & videntur totius eiusdem partes montis, pro vno possent accipi. De sacrificio Abel & Cain bene Pererius ostendit factum alibi[x], necnon de visione scalæ[y]. B. Thomas[z] vocatum ait locum, siue montem, *Dominus videt*[a], quod est Moria, quoniam præuideret ibi templū futurum & oraculum. Hieronymus[b] in Moria scribit fuisse *Dabir*, id est, oraculum Dei, & legem, & Spiritum sanctum docentem homines veritatem, & prophetias; ideóque sic appellatum, hoc est, lucentem & illuminantem, καταφανῆ ab Aquila, τῆς ὀπτασίας à Symmacho. Oleaster[c] variè deducit ex Hebræo vocis notionem, à מר *mor*, *myrrha*, quòd locus abundaret myrrha, cinnamomo, aloë, iuxta illud[d], *vadam ad montem myrrhæ*: vel potiùs ob amarum dolorem Abrahæ de immolando Isaac; à ירא *iara*, *timuit*, quia ibi voluit postea Deus timeri, colique: vel à timore Isaac, iuxta id[e], *nisi timor Isaac affuisset mihi*: à ירה *iarah*, *docuit*, aut *descendit*, quoniam ex eo monte descensura, & proditura lex erat & doctrina, vt est apud Esaiā[f], & Michæam[g]; *de Sion exibit lex*: à ראה *raah*, *vidit*, propter visionem & apparitionem factā Abrahæ.

His, aut harum aliquibus de causis iure mons hic sanctus vocatus est tum hic, tum alibi non rarò[h], licet cum Sion confundatur, cuius compars habetur, eo quòd idem mons esset biiugus,

b sic vocatur in historia Aethiopica, quam citat gloss'a.
b in 3. Reg. 10.
c 3. Reg 10.4.5.
d ibid.
e 8. Antiq c.3.
f c.2.
g 1. Paral. 28. 11.
h 5. de reb. Salom. c.5. lect.3.
i Psal. 106. 25.
k Gen.1.3.
l Psal.148 5.
m Mat.4.3.
n 2.Cor.4.6.
o 1.Cor.7.12.
p Gen.22.2.
q infrà 28.12.
r 2.Reg.vlt. 17.
f Gen.4.3.4.
t Gen.8.20.
u Hierony.in c. 16. Marc. Aug serm.71. de temp. & alij.
x in c 22. Genes. n.16.
y in c.28. n.5.
z 2.2.q 102. art.4. ad 2.
a Gen.22.14.
b in tradit. Hebraic. in c. 22. Genes.
c in c.22. Genes.
d Cant.4.6.
e Gen.31.42.
f c.2.3.
g c 4.2.
h Psal.2.6. Psal.3.5. Psal.14.1. Psal 23.3. Psal.42.3. Psal.47.2. Psal 98.9.

A & in altero colle arx Dauid, templum in altero. Exauditum se Dauid quādo dicit de monte sancto Dei[a], quia nondum extabat templum, vel cœlum dicatum sanctitati Dei, ibi se beatis animabus manifestanti, & beatarum animarum domicilio[b], intelligebat: vel propitiatorium, quod erat in monte Sion cum Arca, & id ille construxerat[c]: vel prophetice futurum ibi templum. Multo maior obuenit monti postea sanctitas ab Eucharistiæ consecratione, Spiritus sancti missione, aliísque mysteriis, quemadmodum & ciuitati Ierosolymitanæ, quæ cognominatur quoque sancta, vt alias notauimus; eratque peculiaris locus habitationis diuinæ, sicut hîc etiam dicitur.
B Eadem ratio cur appelletur mons Domini[d], ciuitas Dei[e].

Altare.] Græcè (θυσιαστήριον.) Pro hoc templum constructum est, vt requiesceret in eo Arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei, vt Dauid exponens voluntatem super hac re suam locutus est[f]. Bonauentura vult intelligi de altari holocaustorum, non autem de æneo, quod erat in atrio ante templum (nempe intimum) sub dio: Carthusianus etiam de illo quod thymiamatis vocabatur. Altare holocausti, quod æneum dici potest, vt modò dicemus, à digniore denominatur oblatione, quamuis aliæ victimæ in eo quoque offerrentur. Fiebat quidem de lignis Setim,
C sed operiebatur ære, cubitis quinque longum, totidem latum, tribus altum erat sub Mose: quatuor cornua habebat: intus cauum: & annulis vectibúsque portabatur: includebatur in eo craticula secundùm illius concauitatem, similiter ænea in modum retis, ita vt inferri posset in illud, & efferri: huius fundum craticulæ dicebatur arula, cui imponebatur ignis in media altitudine altaris: superficies erat in summitate, super qua ponebantur carnes. Porrò altare plenum erat lapidibus dispositis, sed non sectis vsque ad medium, vt colligitur ex historia Machabæorum[g], & ex cap.27. Exod. vnde, ac ex cap.38. cætera petenda sunt. Sub dio collocabatur in atrio Sacerdotum,
D at non intra tabernaculum, templumve interius, propter ignem, odorémque sanguinis, & victimarum. Id quod erexit Salomon fuit multo maius, quippe, vt est in Paralipomenis[h], viginti cubitos habebat longitudinis, totidémque latitudinis, decem altitudinis: ad id non gradibus ascendebatur lapideis ligneísve, prohibebat enim lex[i]; sed erat, vt notat Abulensis[k], continuus ascensus de terra, qui paulatim vniformiter tollebatur in altum. Villalpandus[l] oppositum sentit contra Riberam in opere de templo, & Ystellam in Exodum, eo quòd apud Ezechielem[m] sit mētio graduum: solas autem scalas ligneas cum baculis transuersis in lege prohibitas, ne Sacerdotum per
E eas ascendentium ac descendentium turpitudo reuelaretur, sicut eam Sacerdotes Priapi data opera reuelabant: nec prohibitos gradus; sed ne in illis conuersi ad populum reuelarent turpitudinem data opera. Id ego valdè dubito, nec adeò probabile duco tale præceptum datum Deum fuisse, sed vt cauerent Sacerdotes ne aliquo casu nudaretur turpitudo: qua etiam de causa voluit vt fœminalia gestarent[n].

Iam verò altare thymiamatis, vel incensi in secunda parte templi, siue in domo exteriore inter mensam propositionis & candelabrum, scilicet extra velum (quo sancta sanctorum operiebantur, seu oraculum) sub Mose constructum est dē

a Psal.47.3.
b Esa. vlt. 1. 2. Paral. 30. 27.
c 1. Paral.15. 1.
d Mich.4.2. Esa.2.3. Psal.23.3. & alibi.
e Psal 45.5. Psal.47.2. Psal.86 3.
f 1. Paral 28. 2.
g lib.1.c.4.
h lib.2.c.4.
i Exod 20.26.
k ibid.
l tom.2. in Ezech. p.2. c. 78. & 79.
m c.43.17.
n Exod 28. 42. Leuit.6. 10. Ezech.44. 18.

lignis

A

lignis quoque Setim cubitalis tum longitudinis, tum latitudinis, altitudinis duorum cubitorum cum cornibus ex ipsismet lignis altaris prodeuntibus instar radiorum, aut obelisci sursum versùs. Vestiebatur auro: tectum, siue craticulam reticulatam deauratam habebat, vtpotè etiam cauum: craticulæ imponebatur in extima superficie ignis; eique thus, & alia aromata quotidie manè ac vespere vel à summo Sacerdote, quando veniebat, vel à minoribus secūdùm vices & sortes suas, vt à Zacharia patre Ioannis Baptistæ[a]: circumdabatur per gyrum corona aureola, id est, limbo aureo: sub ea corona duo annuli item aurei erát per singula latera, vt immissis vectibus portaretur. Habentur ista Exodi capite 27.30.& 40. Salomon autem non aliud nouum videtur altare thymiamatis fecisse, sed illud ipsum exornasse, ac vestiuisse cedro, & denuò texisse auro, vt legimus in historia Regum [b]; vnde aliquanto maius euasit. Abulensis [c], qui sentit oppositum, nititur lectione falsa [d] (*ipse ædificabit domum meam, & altaria mea:*) legi namque debet, *atria*, sicut est in emendatis codicibus, & in textu Hebræo, & Græco, חצרותי *chatserothai*, τὰς αὐλάς μου. Fauet valdè Iosephus [e], tradens disertè à Salomone constructum altare holocausti, quod æneum dicitur; nihil verò tale dicens de thymiamatis, quòd appellat illud aureum, quasi vetus indicans.

Porrò cùm nominetur hoc idem altare oraculi [f], ne credas intra oraculum & sancta sanctorū fuisse. Refellit id bene Ribera [g], docétque sic nominatum, quoniam erat ante, iuxtáque oraculum siue sancta sanctorum; & Hebraicè sic exprimi, המזבח אשר־לדביר *hammizbeach ascher laddebir, altare, quod erat ad oraculum*, vel *oraculi*, vel *oraculo*, id est, admotum illi, ad distinctionem altaris holocaustorum, quod erat remotū: Græcè verò, καὶ ἐποίησε θυσιαστήριον κατὰ πρόσωπον τοῦ δαβίρ, *& fecit altare ante faciem oraculi*; quod item vocatur in Leuitico [h] altare coram Domino. Putat idem auctor [i] cōuenire eidem altari nomen thuribuli aurei, de quo Paulus Epistola ad Hebræos [k], vbi de altari illo non meminit sub nomine altaris thymiamatis, sed appellat θυμιατήριον, quod etiā probabile est. Sed Ioseph Stephanus [l], atque Villalpandus [m] contrarium tenent, & de thuribulo, cuius est mētio apud Paulum, volentes fuisse intra sancta sanctorum, & de altari thymiamatis, quod Salomon fecerit nouum, iuxta illud [n]; *fecítque Salomon vasa in domo Domini, altare aureum, & mensam*, &c. Præterea quoniam Ezechiel describens templum, illud ipsum, vt videtur, quod Salomon ædificauerat, multo facit maius hoc altare aureum, quod ligneum vocat, & mensam coram Domino [o]. Quamquam non desunt qui descriptionem templi apud Ezechielem nouam prorsus velint, diuersámque à forma templi Salomonici, vel tabernaculi Mosis: qua de re nihil definio, sciens Hieronymum [p] comparare altare ostensum Ezechieli cum altari, quod Moses erexit.

Ex his intelligimus, neque satis aptè Bonauēturam priùs citatum altaria distinxisse, cùm esset æneum altare holocaustorum, & hoc sine dubio Salomon fecerit: neque Carthusiani sententiam omnino veram esse, quòd etiā fecerit altare thymiamatis; ornauit enim duntaxat. Propriè θυσιαστήριον de altari dicitur, in quo victimæ θύονται, *mactantur, & sacrificantur*, sicut & מזבח *mizbeach* à זבח *zabach*; quamuis apud Homerum [q] sic, & quidem solum, vt Eustathio placet, idem quod θυμιάσαι, *suffire, odores incendere*. Philo [a] ait, sed allegoricè, θυσιαστήριον vocatum quasi θυσιῶν τηρητικόν, quòd nō absumatur, sed integra cōseruetur voluntas, quæ vim ac valorem tribuit sacrificiis. Latinū nomen *altaris* ab altitudine ob sacrificium superis Diis factum dicebatur: terrenis namque in terra; inferis sub eadem effossa sacrificabatur [b]. *Arā* quoq; vocabant ab ardore oblati sacrificij [c].

a Luc.1.8.9. b 3 Reg.c.6. c ibid q.16. d 1 Paral. 28 6. e 8. Antiquit. c.2. f 3 Reg.6.19. g 1. de téplo. c.8.n.6 & seq. h c.16.18. i supra, & Heb. 9.n.45. k c.9.4. l in 1.Machab. c.1.vers.23. m tom. 2 in Ezech p. 2. c.51. n 3 Reg.7.48. o c.41.22. p in c. 43. Ezechielis. q Odyss. ξ.

a 3. de vita Mosis. b Varro, & Festus, & Isidorus 15 etymol. c 4. c ibid.

Similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio.] Deus Mosi præscripserat modum fabricandi arcam, & cætera ad cultum diuinum spectantia, dixerátque [d]; *inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Imitatus est Salomon in templo illa quæ erant in tabernaculo

B

Mosis; multa verò noua condidit, sed eadem retenta area cum suo tabernaculo, quæ cum vasis Sanctuarij intulit in templum, vt colligitur ex historia Regum [e], & scribit Iosephus [f]; qui præterea testis est in templi supellectile variatam nonnihil formam ab ea quā Moses expresserat [g].

Ab initio.] Græcè (ἀπ' ἀρχῆς.) Ponitur hæc interdum phrasis pro priore vetustiore tempore, quódque vno vocabulo dicimus (*olim*) aut (*priùs.*) Idem est de his verbis (*à principio.*) *Et erunt filij eius sicut à principio* [h]: *ædificabo eos sicut à principio* [i]; *reducam conuersionem terræ sicut à principio* [k]. Aliquādo secundùm subiectam materiam idem valent hæc atque (ab æterno [l].) Lege quæ notauimus ad Epi-

C

stolam primam Ioannis [m], & quæ Ribera [n]. Concedi tamen posset tabernaculum significari, vt ab æterno designatum est.

d Exo 25.vlt. e lib.Reg.3.8. f 8.Antiq.c.2. g 3. de bello Iud.c.24. h Iere.30.20. i Ierem.31.7. k ibid 11. l Mich.5.2. Prou.8.22.23. Ioan.1. m c 1. n Mich.5.37. 39.44.

Vers. 9.] Et tecum sapientia tua, quæ noui opera tua, quæ & affuit tunc cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.

D

IN sapientiam ipsam transfert tabernaculi, & templi constructionem artificiosam: præterea conditionem rerum omnium cum absolutissima cognitione voluntatis diuinæ, atque consiliorum, & præceptorum eius, quæ vel nobis dedit, vel indidit rebus.

Et tecum sapientia tua.] Scilicet præparauit. Communicatus enim est, vt dixi, ad opera ista Beseleeli spiritus Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia [o]. De sapientia increata sumunt Expositores, vel vt de Deo absolutè dicitur, vel vt attribuitur Filio.

Tua.] Desideratur in textu Græco; sed reddit magis perspicuum sensum.

Quæ nouit opera tua.] Templi, & altaris, atque alia omnia, non simplici duntaxat intelligentia, sed visionis, & practica.

E

Quæ & affuit cùm orbem terrarum faceres.] Velut cooperatrix; imò nec aliud, nec alio operans modo quàm Deus ipse, à quo sola differt ratione; vel si cōsideratur vt secunda persona, quàm aliæ duæ. *Quando præparabat cœlos, aderam. Cū eo eram cuncta componens*, ait ipsa de se ipsa [p]; Hebr. אמון *amon, eram iuxta eum alumnus, & velut nutritius*, videlicet creaturarū, eas fouendo atque gubernando, aut, *eram nutrita*, hoc est, accipiens esse à Patre, qui ex vtero dicitur gignere [q]: Chald. *eram in latere eius nutrita*, [illegible] *isiddoi mehemanthu*; vel, *eram fidelis*, quippe conscius eorundem, Patrem noscens [r],

o Exo.31.3. p Prou.8 27. 30. q Ps.109.3. r Matt.11.27.

eadémque faciens, quæ viderit eum facientem [a]. Sapientiam affuisse Deo,& cum Deo,idem potest esse atque Verbum apud Deum [b], nempe quatenus referebatur ad solum Deum, & nondum induerat carnem. De orbis autem terrarum conditione mentio fit, quia in templi fabrica exprimi voluit Deus quandam illius imaginem ac similitudinem. Villalpandus [c] quidem noster demonstrare nititur confectum esse adinstar primi tabernaculi,castrametationis populi, cœli, mundi, hominis.

Sciebat quid.]Sic meliùs,quàm(*quod,τί.*)

Esset placitum.] Græcè (ἀρεστόν.) De hac voce,vt etiam à Gallis vsurpatur,literam geminando (*arrest*)diximus alibi [d].

Oculis tuis.]Græcè (*ἐν ὀφθαλμοῖς σου,in oculis tuis.*) Placere oculis, aut in oculis, quo pacto loquitur Ieremias[e],& alij[f],vel in conspectu cuiuspiam,vel coram aliquo, idē est quod simpliciter placere. Dicuntur placuisse oculis Assueri puellæ [g]; sed Esther super omnes,& inuenisse gratiam in conspectu illius [h],sicut & Sāsoni Dalila[i]:nec de forma tantùm vsurpatur hæc formula, siue de pulchritudine, quæ propriè delectat oculos externos;sed de aliis quoque rebus,quæ mentis oculis approbantur, & quibus à voluntate consentitur; siquidem & sui dicuntur animo esse oculi,& ipse videre. In oculis corporis elucent omnes animi affectus siue passiones, nec dissimulare possunt quid placeat,quid minùs placeat.

Quid directum in præceptis tuis.] Græcè (*τί εὐθὲς, quid rectum*)in rerum cognitarum creatione, quæ præcepto fit,atque in propria earum natura,quæ legis præceptique instar habet. Est ergo *directum*, & *rectum* idem; nec vis in *directo* est, vt significet verè rectum, & relatum ad Deum, vt obseruant Olcot [k],& Carthusianus.Sæpe vertit pro *recto directum* Interpres,vt ibi;*pes meus stetit in directo*[l]:*erūt praua in directa*[m].Cantacuzenus exponens de Spiritu sancto hæc omnia, confirmat istam sentētiā, quia ille scrutatur omnia [n],rectus est[o],deducit in terram rectam [p]. Verùm de secunda persona sermonem esse docuimus, aut de attributo diuino.

*Vers.*10.] Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit apud te.

EXposita sapientiæ necessitate,vt regere populum,& ædificare possit templum,simul etiam eiusdem efficacitate in rebus omnibus efficiēdis, & gubernandis,atque diuinis cognoscendis consiliis,ac præceptis, petit supplex mitti sibi ab increata creatum sapientiæ munus de cœlo,vbi nihil nisi sanctū, & vbi tāquam Rex sedet in solio, vt in terris Dei gerens vicem,sanctam constituere Deo domum queat, & subditos ad voluntatis eius obsequiū perducere:certus nihil aggredi, nihil operari sine illa,si illam largiri dignetur; sed cuncta referre ad eius gratiam colligendam,conseruandam,augendam.

Mitte illam.] Græcè (ἐξαπόστειλον.)Augustinus [q] (*emitte.*) Docet verò mitti sapientiam, id est, Filium,ab illo à quo manat, scilicet à Patre:sed aliter mitti,vt sit cum homine,aliter, vt ipsa sit homo: missionem esse ab eo qui genuit(quo modo Spiritus sanctus mittitur à Patre & Filio, à quibus procedit:)mitti alicui,esse cùm ab eo cognoscitur, atque percipitur quantum cognosci, & percipi potest; ideoque fieri missionem in tēpore,siue sensibiliter,vt quando caro factus est [a],siue spiritualiter: nec tamen Patrem, cùm cognoscitur, mitti, quia non habet de quo sit,& à quo procedat [b].Magister[c] sententiarum non rectè intellexit,mitti personam diuinam nihil aliud esse, quàm aliquam exercere operationem circa creaturas,videlicet secundùm eam attributionem,qua certæ personæ certa tribuitur operatio,quæ alioqui communis est omnibus. Inde fieret, Patrem mitti à seipso.Bonauentura [d] consentit cùm docet non esse necessariam auctoritatem in mittēte respectu missi,sed sufficere processionē cū aliqua manifestatione in tempore.Ex eo sequeretur, Filium & Spiritum sanctum posse mitti à seipsis.In eadem sententia est sanctus Thomas quodam loco [e],Scotus[f],Gabriel [g],Marsilius [h]. Sed propriè loquendo,missio illud vtrumque importat quod diximus, nempe processionem missi à mittente, connotando effectum temporalem. Hoc in summa idem S. Thomas [i] tradit. Confirmat Gabriel Vazques[k] testimonio Hilarij [l],Gregorij[m],Bedæ[n]; & quoniam rectè inde contra Græcos probatur Spiritus sancti processio à Patre & Filio. Venit Pater ad creaturam,non solùm Filius, & Spiritus S.per donum gratiæ [o],vel per alium effectum,sed non mittitur; verùm sola persona quæ procedit.

Quo fit,vt vna sine alia mitti possit,nēpe Filius sine Spiritu sancto,& hic sine illo;quod secūdum de Spiritu sancto malè Cordubensis [p] negat,volens non mitti sine Filio.Quis dixerit missum Filium,quando apparuit in columba [q], vel in linguis [r] Spiritus sanctus? Certè cùm Christus missurum promisit,misitve Spiritum sanctum , non minùs de seipso intellexisset,quàm de Spiritu sācto,quod absurdum est. Aliquando persona dicitur donare se ipsam,vt Filius,quemadmodum loquitur Augustinus [s]:sed non intelligitur de dono secundùm propriam rationem,quæ requirit processionem,sicut missio.Ait præterea, mitti à Spiritu sancto Filium,vel impropriè,vel certè ratione humanitatis. Postremò quod docet nil aliud esse personam mitti, quàm cognosci ab alia procedere, debet intelligi, vt præter hunc effectum temporalem includatur processio realis & exitus secundùm originem.

Igitur Salomon petit à Patre mitti sapientiā, quia Filius,cui tribuitur sapientia,procedit à Patre,& ratione doni sapientiæ,quod accipitur, videtur ipsa sapientia increata & Filius per attributionem accipi,& mitti. Sed si Deus, cui fit nunc oratio,sumatur essentialiter, mittere sapientiam, erit producere; & mitti dici poterit cum Filio Spiritus sanctus, quia dona gratiæ tribuuntur Spiritui sancto , & sapientiæ attributum accommodatur Filio;non tamen Pater,quia non procedit ab alio. Hac ipsa de re nonnihil egimus in primam Epistolam Ioannis [t].

De cœlis sanctis tuis.] Græcè deest(*tuis.*) Cœli autem sancti vocantur,quia ibi Sanctus sanctorum cum sanctis suis habitat peculiari modo; nec ibi peccato iam locus est, licèt olim mali Angeli eo in loco peccauerint, vbi & creati cum bonis fuerant,vt quidem non pauci credunt; qua de re diximus in Commentario Epistolæ Petri secundæ [u]. Cœlum vnum, hoc est, empyreum, Dei

dicitur

Marginal notes (left column): a Ioan.5.19. — b Ioan.1.1. — c to.2.in Ezech. p.2.lib.5.disp. 3.c.28.29.30. 31. — d Act.6.5. — e c.18.4.c.27. 5. — f 1.Reg.24.5. lib.4.10.30. — g Esther.2.4. — h ibid.9.& c. 5.2. — i Iudic.14.3. — k lect.119. — l Ps.25.12. — m Esai.40.4. Luc.3.5. — n 1.Cor.2.10. — o Ps.50.12. — p Ps.142.10. — q 4.de Trinit. c.20.

Marginal notes (right column): a Ioan.1.14. — b idē habet 2.de Trin.c.5. — c 1.d.15. — d ibid.1.p.q 3.& 4. — e ibid.q.3.a.1. — f d 14.q.1. 4. licet autem. — g q.1. — h q.18.art.1. 2.3.4. — i 1.p.q.43 a.1. — k 1.p.q.43. disput 70. — l 3.de Trinit. — m homi.26. in Euang. — n lib.2. hom. ho.2. Dominicæ 5. post Ascensionē. — o Ioan.14.23. — p in quæstionat. q.4.2. — q Matt.3.16. — r Act.2. — s 4.de Trinit.c.20. — t c.1. — u c.2.4.

dicitur sedes, ac beatorum domicilium: tamen plurium mentio fit, vel Hebraico idiotismo, quia duali tantùm numero vsurpāt Hebræi שָׁמַיִם *schamaijm*: vel quia humano more loquendo, quod ex supremo mittitur cœlo in terrā, per medios quoque mitti cœlos debet. Quamuis propriè nihil opus sit medio, vt Deus qui est vbique immediatè, quidpiam producat; nec sapientiæ qualitas immaterialis egeat medio materiali, imò neç in eo recipi, saltem naturaliter, possit. Carthusianus intelligit quoque de Angelis, qui saluti nostræ cooperantur.

A sede maiestatis tuæ.] Græcè (ἀπὸ θρόνε δόξης σε, *à throno gloriæ tuæ.*) Alij legunt (*magnitudinis.*) Sapiētia increata quandoque, inquit Bonauentura, dicitur esse in sinu Patris [a]: gigni ex vtero [b]: ex ore procedere [c]; primum propter occultationem: secundum propter consubstantialitatem: tertium propter manifestationem. At de cœlo mitti propter illuminationem: sedere in anima sancta, propter tranquillitatem. Imperatur nobis Patrem inuocare de cœlis [d], qui de cœlo dat spiritum bonum [e], & rigat montes de superioribus suis [f]; & misit Spiritum habitantibus in monte Sion in cænaculo, ἐν ὑπερῴῳ, quæ est altior domus pars [g], dum hæc fortassis ipsa, hisve similia verba vsurparent, flagitando eundem Spiritum; donec *prospexit Deus de excelso sancto suo, de cœlo in terram aspexit, vt audiret gemitus* eorum, *&* (accepto Spiritu) *annunciarent in Sion nomen Domini, & laudem eius in Ierusalem* [h] *loquentes magnalia Dei* [i]. Græcè ad emphasim vehementiámque orationis repetitur *mittendi* verbum πέμψον, priori ἐξαπόστειλον simile, ac synonymum.

[a Ioan. 1. 18. b Psal. 109. 3. c Eccli. 24. 5. d Matt. 5. 9. e Luc. 11. 13. f Psal. 103. 13. g Act. 1. 13. & 2. 1. h Psal. 101. 21. 22. i Act. 2. 11.]

Vt mecum sit, & mecum laboret.] Græcè (ἵνα συμπαρῶσά μοι κοπιάσῃ, *vt simul præsens mihi laboret.*) Videtur Cantacuzenus legisse (παροῦσα συγκοπιάσῃ, *præsens simul laboret, seu collaboret mihi.*) Sed potest sub intelligi præpositio σὺν in posteriore verbo. Probatur autem hinc liberum arbitriū in actionibus piis & salutaribus, simul cum gratia. Nam non collaborat quis nisi laboranti; non iuuatur qui nihil agit, sed qui laborat in agendo. Talia sunt illa: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me* [k]: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina* [l]: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram* [m], συναντιλαμβάνεται, quasi è regione manibus capit onus, vt laboranti succurrat: abundantiùs illis omnibus laboraui; non autem ego, sed gratia Dei mecum [n].

[k Psal. 26. 9. l Psal. 69. 2. m Rom. 8. 26. n 1. Cor. 15. 10.]

Ad hunc vltimum locum Caluinus [o] respondet, tanquam ad festucam mirum esse tot non malos alioqui homines impegisse: non enim scribere Apostolum, gratiam Domini secum laborasse, vt se consortem laboris faciat, sed potiùs totā laboris laudem vni gratiæ transcripsisse. Verū nō potuit Interpres Græca, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, meliùs reddere, quàm quo reddidit modo, *sed gratia Dei mecum.* & Paulus videtur ad hunc ipsum nostrum locum allusisse. Quocirca rectè Augustinus [p] de illo Paulino loco loquitur, quod isti æquè conuenit. [*Non autem ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum*, id est, non solus, sed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.] Egregium verò Cassiani [q] de illo loco testimonium, qui alioqui nonnunquam gratiæ non admodū fauet. [Magister Gentium, licèt gratia Dei Apostolatus gradū sortitum se fuisse testetur, dicens; *& gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui, & obtinui; non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Nam cùm dicit *laboraui*, conatū proprij signat arbitrij: cùm dicit, *non autem ego, sed gratia Dei*, virtutem diuinæ protectionis ostendit: cùm dicit, *mecum*, non otioso, neque securo, sed laboranti, ac desudanti eam cooperatam fuisse declarat.] Hoc est iugum Christi [a], quod portat ipse nobiscum, non solùm exemplo suo, sed etiam gratia; imò grauiorem partem collo sustinet: sic Deo seruimus humero vno [b], quia noster hic Issachar suum supponit ad portandum [c]; sicut iuuabat Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis [d]; quasi seipsam portaret illa, nec pondus sentirent Leuitæ, quemadmodum ex Hebræorum refert expositione Lyranus [e].

[o Institut. l. 3. c. 5. n. 23. p de gratia & liber. arb. c. 5. q collat. 13. c. 13.]

[a Matt. 11. 29. 30. b Sopho. 3. 9. c Gen. 49. d 1. Paral. 15. 2. 14. e ibid.]

Posset præterea (*vt mecum sit*) indicare gratiam præuenientem, quæ quia sola operatur, operans quoque vocatur: (*& mecum laboret*) gratiam adiuuantem, quæ dicitur cooperans, concomitans, adiuuans, efficax. Hoc placet Carthusiano: sed Bonauentura priora refert ad gratiæ habitum, posteriora ad actualem influxum.

Laboret.] Verbum Græcū κοπιάσῃ laborē denotat cum fatigatione. Nimirum homo natus est ad laborem [f], & virtus labore paratur; nec minùs parādus in sudore panis animæ, quàm corporis [g].

[f Iob. 5. 7. g Gen. 3. 19.]

Vers. 11.] Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia.

Opus est scientia, & intelligentia rerum agēdarum faciendarúmque: præterea requiritur ad exequendum prudentia, & certus quidam modus, siue regula; denique vis, atque facultas prohibens impedimenta.

Scit, & intelligit.] Scire facit, & intelligere. Hæc videntur synonyma hoc loco, licèt scire pertineat ad notitiam conclusionis; intelligere, ad cognitionem principiorum [h]: & aliud sit scientiæ donum, aliud intellectus [i].

[h Aristot. 6. Ethicor. & 2. Poster. i Esa. 11. 2.]

Deducet me in operibus meis sobriè.] Grēcè (σωφρόνως, *iuxta præscriptum rectæ rationis, moderatè, discretè*) ne modus excedatur, vel mensura. Dei est deducere per semitas iustitiæ [k], omnísque virtutis, tenendo dexteram, & in voluntate sua [l], & in semitam ipsam mandatorum [m]. Est quædam sobrietas distincta virtus vna de cardinalibus, cuius facta mentio priore capite [n]. Latiùs nunc patet pro mediocritate, normáque recta in omni opere, non tantùm cuiuslibet virtutis, verùm etiam artis. Nam postulat Salomon sapientiam tum ad bene regendum, tum ad ædificandum templum. Præcipit Apostolus [o] μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, hoc est, vt Irenæo [p] placet, ad prudentiam, siue cum prudentia; licèt alij aliter explicent de moderatione, & modestia, quam vocant ταπεινοφροσύνη.

[k Psal. 22. 3. l Psal. 72. 24. m Psal. 118. 35. n vers. 7. o Rom. 12. 3. p lib. 5. c. 10.]

Custodiet me in sua potentia.] Græcè (ἐν τῇ δόξῃ αὐτῆς, *in gloria sua.*) Vertit Interpres δόξαν variis modis, his nempe, *gloriam, maiestatem, claritatem, potentiam.* Manifestatur Dei gloria per effecta potentiæ ipsius. Maximam gloriam Sallustius [q] in maximo Imperio ait esse. Porrò, *nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam* [r], id est, Rempublicam, salutémque populi, & eius rectorem; & perseuerantiæ munus singulare est: vtque primæ causæ continuatus necessarius requiritur

[q proœm. in Catil. r Psal. 126. 1.]

requiritur influxus ad omnium rerum conferuationé, sic Princeps si remittat, vel resiliat ab æquo & iusto, atque à vigili cura Reipublicæ, necesse est nutare Rempublicam, ac damnum pati. Testis Moses, cùm relaxat tensa in oratione brachia cōtra Amalec [a]. Denique sensus est, vel custodiet me per maiestatem suam; vel vt comparet sibi ex meis actionibus, atq; gubernatione gloriā, seu, vt in me ministro suo gloriosus ac potēs ostēdatur.

[a Exo 17.11.]

Vers. 12.] Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum iustè, & ero dignus sedium patris mei.

SI collaboret cum ipso sapientia, deducat, custodiat, id consequetur, vt sua sint Deo studia, operáque grata, vt populus regatur iustè, ac proinde vt tanti patris dignus hæres, Regnique gubernator habeatur.

Accepta opera mea.] Græcè (προσδεκτὰ τὰ ἔργα μου.) Acceptabilis est sectator bonorum operū; qui tamen Græcè ab Apostolo [b] nominatur περιούσιος, καὶ ζηλωτὴς καλῶν ἔργων, Syriacè חַדְתָּא חַשִּׁים *chadtha dechasim, nouus, & studiosus*, &c. Περιούσιος denotat peculiarem; sicque vocatur populus Hebræus [c], pro quo Hebraicè est סְגֻלָּה *segolah*, quod significat quoque *thesaurum*, rémve aliam dilectam, desiderabilem, pretiosam. Opera bona dicūtur accepta, quia Deus acceptat vt verè bona, non ideo bona sūt, quoniā acceptat, seu per externam solam acceptationē, cui perperam hæretici omnēm iustitiam nostram ascribunt, nolentes nos intrinsecè iustos esse, negantésque operibus, quæ vocantur iusta, internam formalem bonitatem inesse.

[b Tit.2.14. c Exod. 19. 5. Deute.14.7. c.26.18.]

Disponam.] Græcè (διακρινῶ, diiudicabo.) Sæpiùs occurrit Latinum verbum, non eidem tamen respondens Græco, vt antea monuimus. Forense verbum est, indicans iudicialem disceptationem, vt suum cuique ius reddatur.

Populum tuum.] Qui sunt quoque priùs [d] vocati filij, ac filiæ Dei. Quando fecerant sibi vitulum Hebræi, & adorauerāt, remittens ad eos Mosem Deus, dixit [e]; *Vade, descende, peccauit populus tuus*, nō iam suum nominare dignatus; quamuis orās pro populo Moses, cui pollicebatur Deus, deleto isto, maiorem [f], nihilominus appellaret populū Dei [g], nempe qui fuerat antea cultor eius, & quòd frustra nollet videri tot in illum à Deo collata beneficia [h]. Quare placatus dicitur Dominus populo suo [i]. Hieronymus id obseruauit, tractans verba illa Danielis [k]; *Septuaginta hebdomades abbreuiata sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuā*; quasi diceret Gabriel Danieli, qui populū Dei nominauerat; nequaquā populus Dei est, sed populus tuus: nec vrbs sācta Dei, sed sācta, vt dicis, tibi. Subdit locū Exodi, de quo nunc dixi; *Descende, peccauit enim populus tuus*, hoc est, non populus meus, quia me deseruit. E cōtrario, qui quondā propter idololatriam non populus erat Dei, ob veram Religionem obtinuit nomen filiorum Dei viuentis, & Iudæi vocabulum illud amiserunt [l]. Lege Commentarium nostrum in primam Petri Epistolam [m].

[d vers.7. e Exo.32.7. f vers.10. g vers.11. h ibid. & seq. i vers.14. k c.9.24. l Oseę 1.9.10. c. 2. 1. 24. Roma. 9.25. 1. Petr.2.10. m c.2.10.]

Ero dignus sedium patris mei.] Retinetur phrasis Græca (ἄξιος θρόνων, *dignus sedibus*, siue *solijs*, & *thronis*.) Eodem pacto in c.7. [n] *digna horum*: & in Euangelio [o]; *facite fructus dignos pœnitentiæ*. Nisi velis intelligere (*dignos*) esse epithetum fructuū, qui sunt fructus pœnitentiæ, quia non quilibet fructus pœnitentiæ sunt etiam digni fructus, id est, habentes aptam proportionem & paritatem cum peccato perpetrato, vt Gregorius [a] notauit.

[n vers.15. o Matt 3.8. & Luc.3.8. a hom.20. in Euang.]

Sedes numero multitudinis denotant varias prouincias, diuersáque iudiciorū tribunalia, sicut priùs hoc ipso capite [b]. His dignum sedibus futurum se affirmat, si quam petit, impetret sapientiam, qua nimirum & pater præditus fuerit, qui Regni sceptrum ipsi committēs, enixè cōmendauerat verbis Dei custodiam legis diuinæ; sic fore, vt nō auferretur familiæ suæ vir de solio Israël [c]. Ipsemet Salomon nominatim istius pollicitationis & conditionis meminit in ea oratione, quam prolixè fudit ad Deum finito templo [d]. Magnus ad pietatem, omnémque virtutem filiis parentum pietas, virtutésque cæteræ stimulus.

[b vers.4. c 3 Reg.2. 4. 1.Paral.22.10. 11.Ps.131.11. d 3 Reg.8.25.]

——— [e] Μιμοῦ τρόπους
Πατρὸς δικαίου. παισὶ γὰρ κλέος τόδε
Κάλλιστον, ὅστις ἐκ πατρὸς χρηστοῦ γεγὼς
Εἰς ταυτὸν ἦλθε τοῖς τεκοῦσι τοὺς τρόπους.

———*Imitare mores*
Patris iusti: filio enim gloria hæc
Pulcherrima, qui ex patre probo natus
Consentit cum parentibus moribus.

[e Eurip. in Helena.]

Paucorum id est, pluresque degenerant.
Ἕνα [f] γὰρ ἐν πολλοῖς ἴσως
Εὕροις ἄν, ὅστις ἐστὶ μὴ χείρων πατρός.
Vnum enim inter multos fortasse
Inuenias, qui non sit deterior patre.
&,
Παῦροι [g] γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.
Pauci filij similes patri sunt,
Plures peiores; pauci autem patre meliores.

[f idē Euripi. Heraclid. g Home. Odyss.2.]

Denique non rarò iuxta parœmiam, ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα, *virorum heroum filij noxa*. Suppetunt in sacra & profana historia exempla, vt hoc quodam modo fatale videri possit, vt sensit Demosthenes [h], τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν (ὥσπερ εἱμαρμένη τις) φαύλους ἀποβαίνειν τοὺς υἱούς, *à viris bonis (veluti fato quodā id accidat) improbos nasci filios*. Hæc de Tiraquello [i] mutuati sumus, apud quem plura extant.

[h Apud Aristid. in Cimone. i de nobilitat. c.22. n.23. & seq.]

Vers. 13.] Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?

HÆc summa necessitas diuinæ sapientię: cùm enim Dei voluntas velut norma proponi nobis debeat, ad quam se singuli conforment; qui autem alios regit, eorum debeat ad Dei voluntatem voluntates accommodare, à Deo ipso Dei sunt cognoscenda consilia, voluntásque, quæ nemo cognoscere per seipsum potest. Esaias [k], & ex eodem transcribens Paulus [l] geminam isti sententiam pronunciauerunt. *Quis adiuuit Spiritum Domini?* (apud Apost. *Quis cognouit sensum Domini, qui instruat eum?*) *aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi?* (in epistola Pauli, *aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*) *Cū quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiā, & viam prudentiæ ostendit illi?* Nec aliter locutus est Ieremias [m]. *Quis enim affuit in consilio Domini* (ἐν ὑποστήματι, *in subsedimento, subsistentia, fundamento.* est enim arcanum consilium rerum agendarum

[k c.40.13. l Rom.11.34. 1.Cor.2.16. m c.23.18.]

fundamentum; *consilium* enim *meum*, ait Dauid [a], *iustificationes tuæ*) *& vidit, & audiuit sermonem eius? quis considerauit verbum illius, & audiuit?* Habent principes viri assessores, & consiliarios, à quibus audiantur, moneantur, doceantur. Supremus monarcha Deus nihil incompertum habet, nullius eget consilio, aliena iuuari doctrina nec debet, nec potest.

Quis enim hominum poterit scire.] Græcè (τίς γὰρ ἀνθρώπων γνώσεται, *quis enim hominum sciet.*)

Consilium Dei?] Græcè (βουλήν.) Quæ Græca vox aliquando idem est quod simplex βούλησις, & θέλησις, *voluntas*, aut *volitio*. Vt verò consilium est, propriè non reperitur in Deo, sicut nec sententia, nec electio, vt nempe important ignotæ rei inuestigationem ac deliberationem [b]. Damascenus [c] hoc obseruat, nósque ipsi alibi [d], cùm declararemus qua ratione diceret Paulus se annunciasse Ephesiis omne consilium Dei. Nulli non cognitum consilium, decretum, voluntas Dei, vt sanctificemur [e], vt salui simus, & non pereamus, & ad pœnitentiam reuertamur, & ad agnitionem veritatis veniamus [f]. Sed singularia quædam præcepta eius non omnis nouit natio [g]; & beati sunt, quibus quæ placita sunt Deo, manifestantur [h]; & amici, quibus nota quæ Filius audiuit à Patre [i]. Subinde præterea egemus suggerente Spiritu, qui doceat omnem veritatem [k] in rebus agendis, & postulet pro nobis [l], adiuuétque infirmitatem nostram [m].

Aut quis poterit cogitare quid velit?] Neque possibile, neque necessarium est rationes consiliorum ac voluntatis Dei nosse, nisi quantũ conducit ad vitam ex eiusdem voluntate transigendam. Hoc modo vellet nos Apostolus probare, *quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, perfecta* [n]; intelligere, *quæ sit voluntas eius* [o]: imò sine cessatione orabat & postulabat, vt impleremur agnitione ista [p]. Iure id suo faciebat, & nos oportet facere, cùm iubeat Christus nos petere; *fiat voluntas tua* [q]; & dicere Deo quisque debeat: *doce me facere voluntatem tuã, quia Deus meus es tu* [r]. Ignoratio secretorum Dei, & an amore odióve digni simus [s], sintque illi accepta opera nostra [t], continet nos in humilitate ac timore, facítque vt verentes omnia opera nostra [u], semper pauidi operemur salutem nostrã [x], atque seruiamus Deo in timore & tremore tota animi viriúmque nostrarum contentione, in his quæ scimus voluntati eius esse consentanea, etiãsi fortassis videatur secundùm homines iniustum. Egregiè Cyprianus [y] præsentem vrget locum, vt id confirmet. Ait voluntatem Dei esse solam, & veram iustitiam. Tum à minoribus ponit argumentum; si serui non possunt quid dominis placeat scire, nisi horum sequantur imperium, multo magis mortales nescire immortalis Dei iustitiam comprehendere, nisi ipse iustitiarum suarum dignetur indicia demonstrare. Consulebat hac in re sibi qui dicebat [z]; *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.*

Gloria Dei est, inquit Sapiens [a], *celare verbum, & gloria Regum inuestigare sermonem*: Græcè, *gloria Dei celat verbum; gloria autem Regis honorat res.* Quod aliqui exponũt, vt gloriosum sit Regibus inuestigare vulgo ignotam Dei voluntatem. Cui sententiæ non aduersatur alia Tobiæ [b]; *Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei confiteri honorificum est.* Quæ Rex euulgari non vult, abscondi debent: nec tamẽ non honorificum ipsi est, si eius facta inquirantur, vt laudentur. Item honorificũ est Deo, illius opera reuelare, sed nõ omnia apud quoslibet, & vbiuis; verùm apud fideles, ac pios, pro cuiusque captu & affectu. Conducet ad hunc locum lectio tractatus nostri Ioannis Dauid, quo docet amputandum (*putabam*) radicem, stirpẽ, germẽ errorum; & prudentis nõ esse, vt Iphicrates [*]; ac Scipio [a] monebãt, dicere (*non putaram*) nec minùs verum quod vulgò dicitur (*stultum esse putare*) nimirũ tamẽ cùm quid præcaueri debebat, & poterat; cùm multa homini etiam maximè prouido, ac circumspecto quotidie obueniant, quorũ nec erat, nec esse poterat præscius, vt propterea vti cogatur hoc verbo (*putabam*) vel (*non putabam.*) Vtilis præterea eiusdem disputatio de occasione arrepta, & neglecta.

Vers. 14.] Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.

Tantùm abest, vt Dei attingere mortales cõsilium possint, & voluntatem, vt de propriis rebus timidè, & cum erroris periculo deliberent & consultent.

Cogitationes.] Græcè (λογισμοὶ, *ratiocinationes, discursus.*)

Mortalium.] Græcè (θνητῶν.) Lege caput 7. [b] Cantacuzenus ait hoc epitheto notari celerrimũ cogitationum nostrarum interitum, & quia morte præuenimur, & quia ne ipsæ quidem res manere solent; sed cùm iam quidem rectè de his deliberaueris, cras mutatis iisdem, accurata perit ipsarum contemplatio.

Timidæ.] Græcè (δειλοὶ.) Vel quoniã cogitatæ res non succedunt vt cogitabantur: vel quia hoc experti, segniùs ac timidiùs decernũt, diutiúsque deliberant, nec adeò facilè cogitationes ad opus applicãt, nec audent arduas res moliri ac suscipere. Iacobus monet [c], vt in negotiis aggrediẽdis cautionem adhibeamus, *Si Dominus voluerit: &, Si vixerimus. Hominis est animam preparare & Domini gubernare linguam. Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus eius* [d]. Cui simile tritum adagiũ: *Homo proponit, sed Deus disponit. A manè vsque ad vesperam mutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei* (ταχινὰ, *citò venientia*, vel *in promptu.*) *Homo sapiens in omnibus metuet* [e]. Significatur præterea, sciẽtiam ferè omnem quam nobis comparamus, præsertim de rebus humanis, admixtam habere partis oppositæ formidinem; neque tam scientiæ mereri nomen, quàm opinionis, ac perpaucas haberi demonstrationes etiam theoreticas, non solùm practicas; in quo posteriore genere rerum non sunt exigendæ rationes adeò exactæ, vt monuit Aristoteles [f].

Græcum epithetũ (δειλοὶ) significare potest præterea cogitationes infirmas ac debiles: cui conditioni annexa solet esse timiditas. Nec refert quòd nonnulli reperiantur audaces, celeres, præcipites, præfidẽtes: hi namque ipsi cùm descendũt in vsũ & praxim singulariũ rerum, titubant, hærent, cunctãtur, extimescunt. Denique ea est generalis cõditio ingenij nostri, vt quemadmodũ vespertilionũ oculi ad lumẽ diei se habẽt, ita & eius oculi se habeant ad ea quæ manifestissima omnium sunt [g]. Certè partim etiam sciendi reiicienda difficultas est ad res ipsas, partim ad nos ipsos. Verũ non vacat hîc immorari, cùm hæc de re disseruerimus in Philosophicis, ac nonnihil etiam in Ecclesiastis Commentario [h]. Legendi secundi Metaphysic. explanatores, tum Fonseca [i].

a Psal. 118. 24. b Arist. 3. Ethic. c 1. de fide. c. 22. lib. 3. c. 14. d Act. 20. 27. item c. 2. 23. c. 4. 28. e 1. Thess. 4. 3. f 1. Tim. 2. 4. 2. Pet. 3. 9. g Ps. 147. 20. h Baruch 4. 4. i Ioan. 15. 14. k inf. 16. 13. l Rom. 8. 26. m ibid. n Rom. 12. 2. o Ephes. 5. 17. p Coloss. 1. 9. q Matt. 6. 10. r Ps. 142. 10. s Eccle. 9. 1. t ibid. 7. u Iob. 9. 28. x Philipp. 2. 12. y de singularit. cleric. z 2. Paralip. 20. 12. a Prou. 25. 2. b c. 12. 7.

* apud Plut. in apoph. Græco. a apud Valer. Max. l. 7. c. 2. b vers. 1. c c. 4. 15. d Pro. 16. 1. 9. e Eccli. 18. 27. f 1. Moral c. 3. & 2. Metaph. t 14. ac 15. g 2. Metaph. t. 1. h c. 1. 8. i q. 1 & 2.

A *Incerta prouidentia nostra.*] Græcè (*ἐπισφαλεῖς αἱ ἐπίνοιαι ἡμῶν, fallaces opiniones, adinuentiones, consilia, conceptiones & commentationes animi.*) Quàm multis reciderũt in deterius excogitata consilia? quoties deprehensi paralogismi ratiocinationum nostrarum, & sophismata? vt aptè prouisa nescio quo impedimento cursum non tenuerunt? Illud verò (*non putatam*) quorus est vel ex sapientissimis qui non cogatur interdum vsurpare? Infinitas quædã est in casibus humanis, cui prospici, vel occurri ab humana, quanta quanta sit, peritia & prudentia non potest. Lex generalis est: ad singula nequit descendere: mentẽ eius, cùm hoc illúdve accidit, prudens interpretabitur: Princeps, vbi opus erit, moderabitur legem, vel dispensabit, vel mutabit etiam. Hinc orta iuris legitimi correctio, necnon quæ vocatur ἐπιείκεια, & æquitas, seu æquum & bonum; quo, si adesset, legislator vteretur, aut si sciuisset, ita præscripsisset, vt ait Philosophus [a]; docens quoque nonnunquam in totum mutari legem oportere [b].

a 5. Ethicor. c.10.
b 2. Polit. c.6.

Vers. 15.] Corpus enim, quod corrũpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

CORruptibilis corporis nexus cum animo incorruptibili magnum affert ad intelligendum impedimentum, curáque multiplex corporis distrahit animum à fixa & constanti meditatione, ita vt sæpiùs demittere se cogatur ad inferiora, & viliora obiecta.

C *Quod corrumpitur.*] Græcè (*φθαρτὸν, corruptibile*) vt etiam legit Augustinus [c], probans hoc ex loco non corpus esse animæ, sed corruptibile corpus onerosum; tale autem factum ex peccato, consequente vindicta (idem docet Bernardus [d]:) sed Dei potentia & munere immortale reddi posse, ita vt felicitatem animæ illud non impediat [e].

c 13. de ciui. c.16. & libr. 19. c. 4. & 6. contr. Iulian. c.11.
d sermo.1. de Septuag.
e Aug. 13. de ciui. c.16. & 17.

Aggrauat animam.] Græcè (*βαρύνει*) Reddit quodammodo crassam & onerosam; atque illi instar ergasterij videtur, & ferreorum vinculorum, sub quibus Paulus ipse gemens grauatum se querebatur [f], & infelicem [g], liberationémque [h], atque dissolutionem [i] flagitabat: & Dauid optabat D educi animam suam de custodia [k]. Quanquã de spelunca loquitur, in qua Saülis fugiens persecutionẽ latebat, vt liquet ex titulo Psalmi. Nil est opus Philosophorum testimoniis; illos potiùs refellit iam citatus Augustinus, vel asserentes obesse penitus corpus animæ felicitati, vel negantes effici posse à Deo incorruptibile. Addi potest cõfutatio Origenis [l], animas in corpora demittentis tãquã in supplicij loca, propter præcedẽtia peccata. Reuincit hanc hæresim Cyrillus Alexandrinus [m] viginti tribus argumentis; præterea Epiphanius [n], Hieronymus [o], Augustinus [p], Theophilus [q] Alexand. Damnat quoque Leo [r], & Concilium Bracarense primum [f]. Scribunt etiam aduersùs eandem hæreseologi, maximè Bellarminus [t]. Eadem propemodum possunt afferri cõtra illos, qui docent animas ante corpora factas: nam per se perfectæ fuissent, & vel corporum formę non essent, vel innitæ, ac pœnæ cuiusdam loco immissæ in corpora. Legatur idem Bellarminus.

f 2. Cor. 5. 4.
g Rom. 7. 24.
h ibid.
i Philip. 1. 23.
k Ps. 141. 8.
l 1. periarch. c.7. & alibi.
m 1. in Ioan. c.9.
n ep. ad Ioan. Ierosolym.
o ep. ad Pammachi. contra errores Ioan. Ierosol.
p ep. 28.
q 1. Paschali.
r ep. ad Turib. c.10.
f c.6.
t lib. 4. de grat. & statu pec. c.11.

Ex his verbis oppositum colligitur: agũt enim de anima & corpore tanquam de partibus hominis. Hoc est illud *iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium* [a]; quando σῶμα, quod nunc σώζει velut carcer animam, & in quo ipsa est ceu ἐν σήματι, tradetur & includetur terreo σήματι (sic Plato [b] ludit in his vocibus) donec corruptibile hoc induat incorruptionẽ [c]. Lenitur iugo Christi iugum istud [d], & constanter portantibus pondus diei, & æstus datur in fine denarius diurnus [e]. Iugum id ex coniugio natum est, cuius ex vsu qui nascitur, aggrauans trahit corpus, & originali obnoxium peccato, cui iunctum aratrum vomérque concupiscentiæ, quo proscinditur, hoc est, corrumpitur terra nostra, vt subtiliter scribit B auctor hypognosticon [f]. Pennas August. [g] aquilæ [h] sibi à Deo dari postulat (potuit & colũbæ [i]) vt onere pressus molis corporeæ, possit euolare vsque ad decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ eius [k]. *Cogitationes* terrei corporis *ascendunt* [l], & animum occupant grauántque, & impediunt ne diuina saliua de capite nostro, quod est Christus, decidens in os, glutiatur [m], hoc est, perfectè mente concipiatur, tanquam sinu ventris, & satiet, vt Gregorius [n] piè admodum interpretatur.

a Eccli. 40. 1.
b in Cratylo.
c 1. Cor. 15. 53.
d Matt. 11. 29.
e ibid. 20. 2. 12.
f lib. 5. c. 1. apud Augustinum tom. 7.
g lib. medit. c. 37.
h Esai. 40. 31.
i Psal. 54. 7.
k Psal. 25. 8.
l Luc. 24. 38.
m Iob. 7. 19.
n 8. moral. c. 18. vel 11.

Quò spectant querelæ Sanctorum inter diuinas contemplationes & consolationes, sub quibus fatiscebat animus, corporis pressus onere, ita vt deficerent, ac Deum precarentur, vt se continens, illas retraheret. Docet hoc inter alios Philo [o] Carpathius vel exẽplo sponsæ; & de Ephrẽ, ac Xauerio nostro, aliísque proditum est vociferantibus: *Satis est, satis est Domine.* Augustinus [p] hoc expertus lamentatur recidere se in hæc ærũnosa pondera, & resorberi solitis, & teneri, atque consuetudinis sarcina degrauari. Præterea infelicitatem deploratam à Paulo [q] corporis mortis huius accipit [r] de corpore quod corrumpitur, & aggrauat animam per legem in membris repugnantem legi mentis. Item [f] quòd idem Apostolus [t] fateatur se non apprehẽdisse, nec perfectum esse. Grauatur quidem corpore animus ac deprimitur ad peccandum; at non opprimitur. [Amoris, nõ molis hoc pondus est, ait Bernardus [u], & quoddam est voluntarium iugum seruitutis, non solùm ob volũtarium Adæ peccatum, cuius volũtas nostra etiam est: sed quoniã ipsa volũtas nostra est, quæ se sub peccato tenet voluntariè seruiendo. Vim se pati querebatur Ezechias [x], petebátque vt pro se respõderet Deus; sed sciens quòd nõ iuste causaretur aduersùs Dominum, cùm voluntas sua ipsius potiùs in causa foret, subiunxit; *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerim?* Quasi diceret; *factus sum mihimetipsi grauis* [y], imò & contrarius, non Deo tantùm: *& iniquitates meæ sicut onus graue grauatæ sunt super me* [z], dum *quod odi facio* [a].] Hæc Bernardi in summam redacta sententia, dignaquam verbatim legas, vt intelligas deponi posse libero arbitrio nostro per gratiam Dei adiuto, ac sublevato omne pondus, & circumstans peccatũ [b], ne regnet in mortali, grauíque corpore [c], ne ruamus, sub illo, ne ruina eius obruamur. Apud Esaiam verò, quẽ citat, emendatiores codices habent (*cùm ipse*, nempe Deus, *fecerit*) id est, creauerit, proindéque iure suo mihi vitam eripere possit. Idem confirmat Prosper [d], eundem hunc tractans locum. Ait, dum corpus quod corrumpitur, aggrauat animã, &c. non obtineri vt sine tentatione viuatur: tamen exhiberi gratiæ munus,

o in Cantic.
p 10. confess. c. 40.
q Rom. 7. 24.
r 1. de nupt. & concup. c. 31. & 6. cont. Iulian. c. 11.
f 3. cõt. duas ep. Pelag. & ep. 50.
t Philip. 3. 12. 13.
u serm. 81. in Cant.
x Esai. 38. 14.
y Iob. 7. 20.
z Psal. 37. 4.
a Rom. 7. 15.
b Heb. 12. 1.
c Rom. 6. 12.
d ad Demetriad. sub fine.

&

& charitatis, quæ lex mentis est, per quam resistatur legi peccati [a], quæ est in carne, & corpore aggrauante. Tota vigesimatertia Cassiani collatio est de hoc argumento, occupatúrque in declaratione Pauli [b] (*non enim quod volo bonum, facio, sed quod nolo malum, hoc ago:*) ac inter alia docet [c], impossibile esse menti, quæ tam crebris curis distenditur, tam molestis, tam variis angoribus præpeditur, diuino frui semper intuitu, etiam illo momento, quo Deo supplicat: & quamuis hæc illis, qui sunt crassioribus vitiis inuoluti, leuia videantur, atque à peccato penè aliena, scientibus tamen perfectionis bonum, etiam minimarū rerum multitudinem grauissimam esse. Tandem aggrauatio animæ facit, vt à corporeis in intelligēdo pendeat sensibus, atque phantasmatibus, & res spirituales non intelligat, nisi vestitas crassiore quadam veluti veste, verbi gratiâ, Angelum tanquam iuuenem pulcherrimū, Deum forma quadam humana, qua præditum crediderunt etiam Anthropomorphitæ, de quibus idem Cassianus [d].

a Rom. 7. 23.
b ibid. 19.
c c. 7. coll. 23.
d collat. 10. c. 3. & seq.

Terrena inhabitatio.] Græcè (γεῶδες σκῆνος, *terrenum tabernaculum, velum, integumentum.*) Sic appellatur corpus, non quòd anima sic in eo habitet, vt in naui nauta, vt in cœlo intelligentia, sítque assistens duntaxat forma, nō informans; sed quoniam recipitur in corpore, & cùm per se subsistat, dum recedit ab illo, perinde videtur ac si loco cederet abiens in alium. Significatur quoque, nexum animæ cum corpore, quamuis sit substantialis, & formalis, ipsa verò sit immortalis, non esse perpetuum; quemadmodum tabernaculum non fixa, sed temporaria & subitaria habitatio est vel peregrinorum, vel militū, vel pastorum, quod omne in hac vita munus exercet homo.

Tabernaculū.] Et Græcas voces σκηνὴν, & σκῆνος, & Hebræas סֻכָּה *succhah*, & מִשְׁכָּן *mischechan*, & אֹהֶל *ohel* pro corpore sumunt Paulus [e], & Petrus [f], & Christus ipse [g] corpus suum vocauit templum. Conficiebatur tabernaculum ex sagis, cilicio, pilis caprarum, aut camelorum; ex corio etiam & pellibus (vnde & pellis dicitur pro tabernaculo siue tentorio, pelliones verò opifices.) Corpus nostrum pelle tegitur contra externas iniurias cœli: neruis ceu funiculis distenditur: ossa veluti malus, aliáque armamenta sustentant illud: clauorum instar, quibus figatur, firmetúrque, videntur pedes: auellitur morte hoc tabernaculū, corrugatur cutis, laxantur nerui, nutant pedes. Descriptionem istam ponit disertè Pineda [h] noster, ac de tabernaculo digressionem generalem.

e 2. Cor. 5. 4.
f 2. Pet. c. 1. 13.
g Ioan. 2. 19.
h in Iob. c. 18. vers. 14.

Sensum.] Græcè (νοῦν, *intellectum, mentem.*) Per sensum, inquit Bernardus [i], hîc ego arbitror intellectum designari: animam (de qua priùs) hîc æstimo dici affectiones. Illum deprimi dicit, cùm non colligit se circa illam vnam & vnicam meditationem, quæ concipitur de ciuitate illa, *cuius participatio eius in idipsum* [k]; affectiones diuersis passionibus affici, quæ mitigari nunquam possunt, ne dum sanari, donec voluntas vnum quærat, & tendat ad vnum.

i serm. 3. de Ascens.
k Psal. 121. 3.

Multa cogitantem.] Græcè (πολυφρόντιδα, *mentem plenam curarum.*) Præter illa, quæ antè ex Gregorio, Bernardóque retulimus, sic exposuit & Cyprianus [l], inde probans cauenda fæminarum, vt ipse loquitur, participia, quādo geritur carnalium curarum continua vnanimiter frequentia, quoniam inter curas suas caro semper incitamenta cupidinis prouocat, & illîc parit fomenta peccandi, vbi pertractans commoda sua, temporalis vitæ

l de singul. cleric.

A cogitationibus senserit paululum relaxari. Molesta sane animi occupatio, curaque multiplex de corpore, animum ingenti onere deprimit, ne liberè possit attolli ac surrigi ad res cœlestes & diuinas. Ipsamet habitudo recta corporis humani, & os sublime iubet quidem cœlum videre, & erectos ad sydera tollere vultus [a]. Qua de re philosophatur egregiè Aristoteles [b], docens solum animalium omnium hominem erectum esse, quoniam eius natura, atque substantia diuina est: officium autem diuini est intelligere, atque sapere; quod non facile esset, si vasta moles corporis insideret; pondus enim tardiorem reddit & mentem, & sensum communem, ita vt concretione, & pondere grauiore oppriment corpora, vergere

a Ouid. 1. Metamorph.
b 4. de part. animal. c. 10.

B in terram necesse sit. At ex humo tractum corpus, & rebus victitans quę sunt humi, serpere humi cogitur, adhærere ventre in terra [c], oculos declinare in terram [d]. [Non inter sacra duntaxat, sed aliàs sæpenumerò cor attollere sursum debemus & leuare, ne putrescat in terra,] inquit Augustinus [e]. In liturgia [f] Basilij ex Arabico conuersa Sacerdos per interrogationem pronunciat; *vbi mentes vestræ?* populus respondet; *sunt apud Dominum.* Eodem ferè modo in ea, quæ est Gregorij Nazianzeni; *vbi corda vestra? habemus ad Dominum.* Item in alia Cyrilli Alexandrini. Adhibe tu curam, vt cogites quæ tuæ sint vt primùm de lecto consurgis, vsque dum cubile repetas, cogitationes; multo maximam deprehēdes illarum

c Psal. 43. 25.
d Psal. 16. 11.
e in Psal. 14[?] editæ sub August[o] V[...] delicorū [...] no 1604.

C versari partē in procurando corpore: videbis turbari te circa plurima, corpus sibi maiorē, melioremque vendicare portionem tēporis, nimis importuna, & dicam etiam, crudeli exactione. Multa de his Plato [g] disserens de impedimentis cibi, potus, vestis, domicilij, & citatus à Carth. Andreas Apost. Reuoca præterea cogitationem ad tam varium genus hominum, mercatorū, militum, opificum, in foro & causis versantiū: aduerte animum ad quotidianos sermones, epistolas, tractatus, sodalitates; penè omnia studia, sollicitudines, cogitationes in vnū corpus conferri, de animo leuissimè curari perspicies. Audiēdus Ecclesiasticus [h]; *Fili, ne in multis sint actus tui. Vnum est necessarium* [i]:

g in Phæd[o]ne.
h c. 11. 10.
i Luc. 10. 42.

D paucis natura contenta. Potest huius loci sensus alius esse, vt sensum, id est, intellectum, multa cogitantem diuina, deprimat terrena inhabitatio, nec liberè sinat in illis versari. Ad hunc modum Philo [k] Carpathius.

k in Cant.

Vers. 16.] Et difficilè æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt quis inuestigabit?

HOc facit prægrauans corporis pondus, ac terrenum tabernaculum, vt domesticas fa-

E miliarésque inferiores, & terrestres res ægrè cognoscamus; multo autem difficiliùs superiores, atque cœlestes. Non eget hoc longiore probatione; testis experientia. Diximus etiam eadem de re, cùm Ecclesiastæ [l] locum tractaremus; *Cuncta res difficiles; non potest eas homo explicare sermone.*

l c. 1. 8.

Difficilè æstimamus.] Græcè (μόλις εἰκάζομεν, *vix imaginamur,* vel *coniectura assequimur.*) Cantacuzenus imaginis videtur habere rationem, quam capiat intellectus à rebus per sensus, & in se ipso imprimat; ita vt colores quodammodo rerum

harum imbuat, & induat, quas cognoſcit; non ſyncerè, perfectéque cognoſcat formatis earum nudis conceptionibus. Vltimæ rerum differentiæ, & proprius ſubſtantiæ conceptus non attinguntur humano intellectu. Conuincit Deus ignorantiam noſtram de rebus iſtis etiam infimis, agens cum Iob [a], longa vſus inductione.

a c.38 & 39.

Quæ in proſpectu ſunt.] Græcè (τὰ ἐν χερσὶν, *quæ in manibus ſunt, quæ inter manus verſantur, ac penè nobiſcum aluntur, & creſcunt.*) Alij, vt Regij, & Complutenſes libri (*quæ in conſpectu.*) Nil intereſt ad ſenſum; niſi quòd proſpectus magis exprimit res ſenſibus ſubiectas, non ſolùm præſentes.

Inuenimus cum labore.] *Nos quippe inuoluimur tenebris*, ait idem Iob [b]. Magnæ habendæ gratiæ primis artium inuentoribus & ſcientiarum: imò & illis, inquit Ariſtoteles [c], qui ſuperficie tenus dixerunt: conferunt enim aliquid etiam iſti. Conſtat inuentionem diſciplina difficiliorem eſſe, atque facile eſſe, vt vulgò dicitur, inuentis addere. At forſitan *inueniendi* verbo Auctor cognitionem vndecumque partam intellexit.

b c.37.19.
c 2. Metaphyſic. tex. 2. 2 Elencho. c. vlt.

Quæ autem in cœlis ſunt quis inueſtigabit?] Græcè (ἐξιχνίασε, *inueſtigauit*) quo pacto legit etiam Hieronymus [d]. Ariſtoteles [e] docet de ſubſtantiis æternis, quales cœli, minùs cõtemplari licere nobis, quòd admodum pauca ſenſui pateant, quorum beneficio facultas nobis cogitandi, indagandíque ſuppeditetur. Fatetur ſimul maiorem capi voluptatem etiã ex leui rerum eiuſmodi cognitione; ſed & rerum caducarum ſcientiam non ſine labore comparari. Inter multa ſcitu difficilia, quæ perſequitur Deus ad conuincendam inſcitiam Iob, & quidem enumeratis pluribus aliis corruptibilibus, vrget in primis de cœlo ac ſtellis [f]; *Numquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris diſſipare? Numquid producis luciferum in tempore ſuo, & veſperum ſuper filios terræ conſurgere facis? Numquid noſti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* &c. *Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet?*

d in c.12. Zachar.
e 1. de part. animal. c.5.
f Iob 38.31. 32.33.37.

Verſ. 17.] Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapiẽtiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis.

MVlto difficilius eſt aſſequi quid velit Deus, quid intelligat, quæ ſint eius conſilia, quibus, quàm fieri poteſt maximè, debent mortales ſeſe accommodare, hi potiſſimùm qui Dei vice præſunt cæteris.

Senſum.] Græcè (βουλὴν, *conſilium*, & *voluntatem.*) Hieronymus [g] legit (*conſilium quis ſciet?* τίς ἔγνω; *quis cognouit?*) vt idem quoque auctor vertit. Apud Cyprianum [h] in præſenti tẽpore (*quis ſcit?*)

g in c.12. Zachariæ.
h de ſingularit. cleric.

Niſi tu dederis.] Ergo neceſſaria reuelatio & infuſa cognitio. Igitur non deſperandum, ſed poſtulanda à Deo ſapientia, *qui dat eam omnibus affluenter* [i], *& ſuper omnem carnem ſecundùm datum ſuum effundit, & præbet diligentibus ſe* [k]. Apud Hieronymum [l] (*niſi quòd tu dediſti ſapientiam*, &c.)

i Iacob.1.5.
k Eccli.1.10.
l ſuprà.

Et miſeris.] Hieronymus [m] (*miſiſti.*)

m ibid.

Spiritum ſanctum.] Carthuſianus intelligit de tertia perſona Trinitatis. Poteſt eſſentialiter quoque ſumi, quemadmodum & cùm Deus creaſſe ſapientiam dicitur in Spiritu ſancto [n]. Quomodo mittatur perſona Spiritus ſancti, lege quæ dicta ſunt verſu decimo. Eſſentialiter loquendo ibidem docui, non mitti Deum, ſed perſonam, quæ pendet ab alia, ita vt, licèt qui mittitur à Deo in diuinis, Deus ſit, non tamen mittatur niſi vt perſona à perſona, & quidem quæ ab alia procedit. Donum ſapientiæ creatũ dici poteſt mitti quando creatur, ſicut cùm orat Dauid [a] emitti ſibi lucem & veritatem. Itáque Spiritus ſanctus vt pro dono ſumitur, mittitur ab Spiritu ſancto, vt de Deo eſſentialiter dicitur, & per attributionem de perſona Spiritus ſancti.

n Eccli.1.9.
a Pſal.42.3.

Verſ. 18.] Et ſic correctæ ſint ſemitæ eorum qui ſunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines?

DVplex acquirendæ ſapientiæ commodiſſima ratio, vel geminus eiuſdem effectus, nimirum vitam emendare, viuendo purè ac ſanctè, atque iuxta normam rectam iuſtitiæ: præterea omnia vitæ cõſilia, operáque referre ad voluntatem Dei, ita vt de his doceatur quis quæ ſunt ei grata.

Et ſic.] Multi alij codices habent (*& ſi.*) Monet Ianſenius nos de hoc errore, illi dicens oppoſitum alibi eſſe, vt legatur (*ſic*) pro (*ſi*) vt in Pſalmo [b]; *Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum*, pro, *ſi*. Hæc loci noſtri emendatio eſt in Bibliis Sixtianis: ſed in dicto Pſalmo legitur (*ſi*) vbi etiã Græcè eſt εἰ, Hebraicè אם *im*: apud Ioannem [c] verò legunt: *ſic eum volo manere*, &c. quamuis Græcè ſit ἐὰν. Hieronymus [d] præſentis loci ſecutus eſt lectionem iſtam (*& ſic*) Græcè (καὶ οὕτως.)

b Pſal.62.7.
c c.21.22.
d ſuprà.

Correcta ſint ſemita.] Græcè (διωρθώθησαν αἱ τρίβοι.) Cantacuzenus in textu legit (διενοήθησαν, *excogitatæ ſint*) vt ſcilicet attendant diligenter quomodo cautè ambulent: ſed in commentario ſequitur iſtam lectionem. Exponit verò directionem, vt quis rectè ſentiat, & Deũ colat ἐκμυηθεὶς πίστιν, *fide dedicatus* in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Vocatur ὀρθόδοξος, qui rectam habet de Deo ſententiam. Qui legunt (*& ſi*) exponunt, abſque diuina reuelatione neſciri poſſe, ſi, vel verùm ſint correctæ ſemitæ hominum per reditum à culpa ad gratiam, & an ſint amore, vel odio digni [e]. Hoc modo Lyranus, & Carthuſianus.

e Eccle.9.1.

Didicerint homines.] Græcè (ἐδιδάχθησαν, *docti ſint.*) Hieronymus [f] (*eruditi ſint.*)

f in c.12. Zachar.

Verſ. 19.] Nam per ſapientiã ſanati ſunt quicumque placuerunt tibi Domine à principio.

GRæcè ſolùm eſt (καὶ τῇ σοφίᾳ ἐσώθησαν, *& ſapientia ſeruati ſint*) ita vt cõſtetur eadem ſententia cum priore, atque ſit eadem orationis ſyntaxis. Continuata quoque oratione legitur apud Cyprianum [g] (*& per ſapientiam ſanati ſunt.*) Verùm Interpres retulit ad ea, quæ capite ſequenti commemorantur de primis hominibus, quibus fuerit ſapientia ſalutaris. Monet Olcot [h] nonnullos exordiri caput ſequens ab iſtis verbis. Teſtatur id etiam Franciſcus Lucas Brugenſis [i], necnon & de quibuſdam Latinis libris, in quibus reddita ſunt duntaxat quæ habentur Græcè.

g de ſingularit. cleric.
h lect.134.
i In notationibus.

De ſalute porrò ſpirituali per Chriſtum, & fidem in ipſum, omnes interpretantur, quæ fides omnibus aliquo modo neceſſaria fuerit. *Tollit*

vnus *Agnus Dei peccata mundi* [a], *occisus ab origine mundi* [b]:&.qui præierunt,& qui secuti sunt, dixerunt ; *Osanna filio Dauid* [c] : *vnus mediator est Dei & hominum homo Christus Iesus* [d],qui venturus in carne,sic,inquit Augustinus [e], antiquis sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est,vt vna eadémque fides per ipsum omnes in Dei ciuitatem,in domũ Dei,in Dei templũ prædestinatos perducat ad Deum. Latiùs patet hæc de mediatore disputatio. Nec arbitror primum ac literalem loci sensum esse de Christo, sed de sapientia, gratiáque creata. Iuxta priorem verò illum accipi posset quod Pater de Filio dixit [a] ; *in quo mihi bene complacui*, hoc est, per quem grati mihi sunt,& fuerunt quicumque mihi placent, placuerunt, placebunt : vel per quem complacui mihi in omnibus,in quibus mihi beneplacitum est. Hoc sibi vult quod ait Paulus [b], nos gratificatos in dilecto Filio Dei,Eundẽ sequendo sensum, nomine *sapientiæ* quidam fidem intelligunt, per quam omnes sanati & saluati sint; sed videlicet cum aliis quæ requiruntur ad iustificationem.

Sanati sunt.] Græcè (ἐσώθησαν, *saluati sunt.*) Sanare & saluare,sanari atque saluari,vt synonyma in Scripturis poni aliàs notauimus.

a Ioan.1.29.
b Apoc.13.8.
c Matt.21.9.
d 1.Tim.2.5.
e 18.de ciuit. c.47.

a Matth.3.17. c.17.5. 2.Petr.1.17.
b Ephes.1.6.

SVMMARIVM.

PROBATVR isto capite, quod proximis prioris verbis vniuersè pronunciatum est de sanitate, siue salute, quam sint adepti per sapientiam veteres Patres. Nam afferuntur exempla Adam, Noë, Abraham, Lot, Iacob, Ioseph, Mosis, quo duce populus Hebræus transiit mare rubrum, Ægyptiis in eo mersis.

CAPVT X.

1 HÆc illum,qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit;

2 Et eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.

3 Ab hac vt recessit iniustus in ira sua, per iram homicidij fraterni deperiit.

4 Propter quem,cùm aqua deleret terram, sanauit iterum sapientia, per contemptibile lignum iustum gubernans.

5 Hæc & in consensu nequitiæ cùm se nationes contulissent,sciuit iustum,& conseruauit sine querela Deo,& in filij misericordia fortem custodiuit.

6 Hæc iustum à pereuntibus impiis liberauit fugientem, descendente igne in pentapolim:

7 Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores,& incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.

8 Sapientiam enim prætereuntes, non tantùm in hoc lapsi sunt vt ignorarent bona, sed & insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam,vt in his, quæ peccauerunt,nec latere potuissent.

9 Sapientia autem hos,qui se obseruãt, à doloribus liberauit.

10 Hæc profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei,& dedit illi scientiam sanctorũ: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.

11 In fraude circumuenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum.

12 Custodiuit illum ab inimicis & à seductoribus tutauit illum,& certamen forte dedit illi vt vinceret,& sciret quoniam omnium potentior est sapientia.

13 Hæc venditum iustum non dereliquit,sed à peccatoribus liberauit eum, descendítque cum illo in foueam:

14 Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni,& potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum,& dedit illi claritatem æternam.

15 Hæc populum iustum,& semen sine querela, liberauit à nationibus, quæ illum deprimebant.

16 Intrauit in animam serui Dei,& stetit contra Reges horrendos in portentis & signis.

17 Et reddidit iustis mercedem laborum suorum,& deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem:

18 Transtulit illos per mare rubrum,& transuexit illos per aquam nimiam.

19 Inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos.Ideo iusti tulerunt spolia impiorum:

20 Et decantauerunt Domine nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter:

21 Quoniam sapientia aperuit os mutorum,& linguas infantium fecit disertas.

Vers. 1.] Hæc illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodiuit;

Vers. 2.] Et eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.

PERTINENT hæc ad Adam auctorem generis humani, ac præsidem mũdi, qui quandiu solus fuit sine fæmina, custoditus est in innocẽtia per sapientiam, siue gratiam: post lapsum verò in peccatum, qui accidit suasu fæminæ, beneficio eiusdem sapientiæ liberatus est à peccato, & retinuit nihilominus vniuersitatis gubernationem.

Qui primus formatus est.] Græcè (πρωτόπλαστον, *qui primus factus est velut siglino opere.*) Vtitur quidem Interpres *plasmandi* verbo, & nominibus *plastæ, plasmationis*, & *plasmatis*, non tamen *protoplasti*, quod vsurpant alij scriptores Ecclesiastici: profani quoque voces *plastæ*, *plastices*, *plasmatis*, & *proplastices*, quæ est ars faciendi typos formásque ex argilla, vel gypso, quas in æreis marmoreísve operibus imiteris. Reperitur apud eosdem auctores Ethnicos allusio nonnulla ad traditam in sacris literis formationem primi hominis de limo terræ [a]: etenim Aristophanes πλάσματα πηλοῦ vocat ἀνθρώπους, & Lucianus [b] fingit, quòd Ἀθηνᾶ, id est, *Minerua*, συνεργάζετό τι, *operata est quiddam*, ἐμπνέουσα τὸν πηλὸν, *implens spiritu lutum*, καὶ ἔμψυχα εἶναι ποιοῦσα τὰ πλάσματα, *& animata esse faciens plasmata*, hoc est, typos, siue formas.

a Gen. 2. 7.
b lib. contra eum qui dixerat; Prometheus es in verbis.

Habet corporis Adami formatio multiplicem quæstionem non hoc tractandam loco. Suffecerit ponere, vocari πρωτόπλαστον, quia de limo formatus est, quod nomine ipso *Adam* denotatur, vt Eusebius [c] notauit, & alij. Significarũt hoc nonnulli vocabulis aliis, tum Græcè appellantes γηγενῆ, tum Latinè terrigenam; nisi respectum dicas habuisse ad fabulam Deucalionis & Pyrrhæ. Significantiùs diceretur *fictus*, quàm *formatus*; sed ambiguitas visa est deuitanda, inquit Augustinus [d], eo quòd in Latina lingua illud magis obtinuit consuetudo, vt ij dicantur fingere, qui aliquid mendacio simulante componunt. Idem asseri posset de Græco verbo πλάττειν, cui duplex quoque illa significatio conuenit. Testis Lucas Brugensis [e] in quibusdam codicibus legisse se (*fictus.*) Idem Augustinus [f] legit (*factus.*) Et Sallustius [g] tamen scribit, quòd pecora natura prona, atque ventri obedientia finxit: Cicero [h] de Catone minore; [Finxit te, inquit, ipsa natura ad honestatem, grauitatem, temperantiã, magnitudinem animi, iustitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem & excelsum.] Lege caput 7. [i] vbi duplex simul nomen γηγενοῦς, καὶ πρωτοπλάστου vidimus.

c 11. de præpa. c. 4.
d 13. de ciuit. c. 14.
e in notationibus.
f epist. 99.
g in historia.
h pro Murena.
i vers. 1.

A Deo.] Desunt hæc in textu Græco, & nonnullis codicibus Latinis, & in Augustino [k]. Et quæri verò potest an aliqua ex parte cõcurrerint Angeli ad hominis formationẽ, posita nimirum sex dierum distinctione vera propriáque, quibus res effectæ sint [l]. Humani corporis tanta perfectio est, vt id Angeli producere vi sola sua naturali non possint. Idirco negat Augustinus [m] de vera formatione, quòd in huiusmodi rebus nihil aliud possint, nisi causas naturales adaptare & applicare, vt ipsæmet agant, sicut agricola vinum ac segetes generare dicitur, sanitatem Medicus efficere. De aliquo ministerio nihil decernit. Potest concedi, collectum ab Angelis puluerem, & inde compactam materiam conformatámque, & configuratam ceu typum humani corporis; quo pacto collecturi creduntur Angeli pulueres resuscitandorum: sed necessarium temperamentum simul cum anima à Deo solo cõmunicatum, ita vt verum humanum corpus prius tempore nõ præcesserit animæ creationem, & illapsum in illud; quemadmodum nec anima prior extitit quàm corpus. De his accuratè noster Pererius [a], & alij tractantes de opere sex dierum.

k epist. 99.
l Gen. 1. vers. 1. & seqq.
m 9. Genes. ad lit. c. 15.
a lib. 4 in Genes. disp. de format. humani corp.

Absurdior hæresis Manichæorum, teste Nicephoro [b], factum Adam & Euam à principe materia Seucla. Augustinus [c] Saclam vocat patrem principum fumi, & cùm deuorasset sociorũ suorum fœtus, ab illis principibus natos Adam & Euam. Theodoretus [d] refert Basilidem, & Cerinthum sensisse factos à nonnullis Angelis: Sethianos autem à Ialdabaoth; sed ad Euæ formationem Nembrothũ cum Sacla cooperatorem fuisse. Clemens Alexand. [e] meminit quosdam tradidisse, hominem à diuersis potestatibus factum, & ea quidem quæ sunt vsque ad vmbilicum, esse artis diuinioris; quæ sub illo, minoris. Tribuit hoc ipsum Augustinus Paternianis, & Venustianis.

b 6. hist. c. 31.
c de hæresib. in 46.
d in epitom. & 1. de fab. hæret.
e 3. strom.

Pater orbis terrarũ.] Græcè (πατέρα κόσμου.) Nonnulli legunt (*patre*) referentes ad Deum. Sed rectè Adã sic vocatur. Nam ab illo processerũt omnes, etiam Eua, & princeps constitutus est cunctorum hominum, qui & ipsi sunt parui quidam mundi: præterea, quia propter ipsum, posterósque mundus totus corporeus creatus est. Decuit patrem talem corpore, animóque præstantissimis dotato muneribus creari, ac mole ætatéque iam perfecta, maximéque idonea generationi, & gubernationi, vt satis indicat Augustinus [f], & post ipsum Magister [g] sententiarum, aliíque. At improbabilis opinio est de prodigiosa supra Gigantes omnes magnitudine Adam, quam sequuntur quidam citati à Mose Barcepha [h], dicentes post peccatum pedibus suis transmisisse immensum Oceanum, necnon Ioannes Lucidus [i]; quos rectè confutat idem Pererius [k], respondens testimonio ex libro Iosue [l], quod eadem ratione Arias & Masius declarant, non de Adam, vt est nomen proprium, sed de alio, cui tribuitur idem nomen, vt est commune & appellatiuum.

f 6 de Genes. c. 13
g 2. d. 17.
h de paradiso. p. 1. c. 14.
i 1. de emendat. tempor. c. 4.
k suprà q. 3.
l c. 14. 15.

Porrò, quamuis Eua sic appellata sit quasi viuentium mater [m] (seu seriò, & ante peccatum: seu per sarcasmũ & amaram ironiam Adam post peccatum id ei nomen imposuerit, sicut furias nominant Eumenidas: seu ex peruicacia, quòd se suósque nihilominus victuros significare vellet [n]: seu quòd præsagiret aduentum Messiæ nasciturі ex fæmina, non ex viro [o]:) quamuis, inquam, Eua sic appellata sit quasi viuentium mater; tamen familiam regit non mater, sed pater, qui caput est mulieris [p], erátque etiam in statu innocentiæ. Ideo si Adam in obedientia diuini præcepti perstitisset, nullam filij ex Euæ peccato iacturam passi essent; quoniam ex solius istius patris orbis terrarum vel obedientia, vel inobedientia pendebat vel amissio, vel conseruatio iustitiæ originalis apud posteros. Nec est adeò improbabile, in eadem confirmandos, si Adam non peccasset: sic namque sentiunt præter alios Gregorius [q], & Anselmus [r]. Sed nihil modò definio.

m Gen. 3. 20.
n sic Rupert. 3. de Trinit. c. 26.
o Luc. 1. c. 2. Matth. 1.
p 1. Cor. 11. 7. 8. Ephes. 5. 23.
q 4. moral. c. 36 aut 28.
r 1. cur Deus homo. c. 18.

Vox *patris* admonet etiam in statu innocentiæ futuram veram generationem per cõiunctionem

viri

viri cum fœmina, sed absque feruore, pudore, dolore. Abhortuerunt ab hac sententia Nyssenus [a], Chrysostomus [b], Procopius [c], Euthymius [d]. Augustinus [e] negauit in generatione violandum signaculum virginale. Neutrum verendum, cùm sine vllo vitio possit esse, nec sit Augustinus negaturus ablatum iri integritatem corporalem per egressum prolis ex vtero; quod videtur quoque concedendum de concubitu & conceptu.

a de homine. c.18. b in Genes. c ibid. d in Psal. 50. e 14. de ciuit. c. 26.

Cùm solus esset.] Creatus enim est ante fœminã, licèt etiam sexta, non septima, vt voluit Catharinus [f], & innuit S. Thomas [g], die; nec extra, quæ videtur Iosephi [h], Tertulliani [i], & Ruperti [k] opinio, sed intra Paradisum. Fauet Paulus [l], cùm ait, quòd *Adam primus creatus est, deinde Eua.* Item alibi [m]; *fecit ex vno omne genus hominum:* rursum [n]; *non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro*: præterea Ecclesiastici auctor [o]; *Deus creauit de terra hominem, &c. creauit ex ipso adiutorium simile sibi.* Denique narratio de Eua ex Adæ costa educta (quam temerè Caietanus [p] parabolicè vult intelligi, non historicè, ita vt planè simul vir ac fœmina conditi sint eodem puncto) omnino persuadet. Nec obstat quod scribitur in Genesi post illud [q] (*faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram*) *masculum & fœminam fecit eos, benedixítque illis Deus, & ait; crescite, & multiplicamini* [r]. Nam ibi sextæ diei opus commemoratur, qua die concedimus vtrumque conditum, licèt non simul eodem temporis momento. At in capite secundo enucleatiùs declaratur tum virilis, tum fœminini corporis distincta formatio, illius ex puluere, siue limo terræ, huius ex costa viri. Quæ Caietano negotium fecit Adæ costa, ne vel monstrosum redderet Adam, cùm in eo erat, vel mutilum, cùm ab eo extracta est: quo pacto etiam narretur ad illum adducta, si ex ipso formata erat, & idcirco iuxta eundem, nõ dissita loco. Si qua demum sunt quæ non ita propriè sumi debeant, non tanti debuerunt esse, vt ad adeò nouam, & cunctis penitus aduersantem sentẽtiam Caietanum impellerent. Non erat costa illa necessaria Adamo tanquam priuatæ personæ, sed vt auctori humani generis, ad eum ferè modum, quo philosophamur de semine prolifico.

f in Genes. g 1. p. q. 73. ar. 1. ad 3. h 1. Antiq. c. 2. i contra Marcion. k 2. de Trinit. c. 5. l 1. Tim. 2. 13. m Act. 17. 26. n 1. Cor. 11. 8. o c. 17. 1. 5. p in Genes. q c. 1. 26. r ibid. 27. 28.

Illud insuper admitti debet, quo differebat à semine costa, quoniam pars erat integrans, futurum fuisse deformem Adamum, si diutiùs eam retinuisset; tantisper latebat decenter sub carne. Vel si necessariam velis, pro ea restituta est alia, vt probabile iudicat post Catharinũ [f] Pererius [t]; ita vt sub nomine carnis restitutæ intelligatur; cùm dixerit Adam, Euam esse os ex ossibus, & carnem de carne sua [u], nempe priùs pertinente ad integritatem. Monet Cantacuzenus his verbis coargui vesaniam dicentium vltrò è terra infinitos homines editos. Frustra teritur in re tam absona tempus; & nonnihil vno ex superioribus capitibus diximus. Tale & illud Hebræorum figmentum, de quo Rabbi Salomon [x], marem & fœminam initio factos coniunctos, & continuatos ex latere, postea diuina vi auulsos esse; *costa* autem nomine latus intelligi (Galli *coste* & *costé* dicunt costam & latus, Itali *costa* & *costato*) & latus ablatum, id est, separatum, non costam Adami: carnem restitutam, hoc est, repletam, extendendo cutem per carnem, vbi separatio facta erat. Non minùs id in Eua ipsa fieri debuisset.

f in Genes. c. 2. t ibid. lib. 4. disputat. de format. Euæ ex Adamo. q. 6. u Gen. 2. 23. x in Genes.

Custodiuit.] Græcè (διεφύλαξε.) Significaui, mihi hoc verbo significari videri per gratiæ, quæ

A *sapientiæ* quoque nomine dicitur, munus, cùm esset solus, nec a consorte sollicitatus Adam, custoditum esse in innocentia. Lyranus consentit, Carthusianus, Bonauentura. Sed quia cecidit, addit Hugo, custodiuisse Deum illo modo, quantum in ipso erat, sicut Babylonem curarunt Angeli, quãuis sanata non fuerit [a]. Innuit *custodiendi* verbum, præter gratiæ sanctificantis, & originalis iustitiæ dona, peculiarem curam, atque prouidentiam Dei circa hominem; cui ex quadam parte tribui potest facultas non moriendi, nec vllas externas iniurias patiendi. Custodiebat Deus custodem Paradisi [b] tum à bestiis, tum ne peccando perderet. [Homo in Paradiso ad se occidendum, ait Augustinus [c], relinquendo iustitiã, idoneus erat per

a Iere. 51. 9. b Genes. 2. 15. c in enchiridio. c. 106.

B voluntatem: vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adiuuaret.]

Scio quæri, fueritne Adam cum gratia creatus. Sed melior, vt communior, opinio est quæ ait, simúlque de iustitia originali, siue differant inter se, siue non. Nam antequam peccaret eo peccato, quod posteris originale est, sanctum & gratum Deo fuisse, pertinet ad fidem, quã expressit quoque Conciliũ Arausicanum [d], & Tridentinum [e]. Egimus hac de re aliquid ad caput Ecclesiastæ septimum [f]. Augustinus illa verba sacræ historiæ [g]; *posuit* (Deus) *eum* (hominem) *in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum,* accipit de Deo, vt in dies magis hominem excoleret, melio-

d c. 1. & 2. e sess. 5. c. 1. f vers. 30. g Gen. 2. 15.

C rem reddendo; & corpus eius à corruptione, atque offensione liberum seruaret. Sed Hebræus textus amputat homonymiam, in quo pronomen est fœmininum relatum ad Paradisum, non ad hominem, לְעָבְדָהּ וּלְשָׁמְרָהּ *lebhabdah vlschamrah.* Nec propriè dicitur Deus ἐργάζεσθαι hominem, cùm potiùs sit agricolarum, & opificum aliorum verbum.

Quanto tempore custoditus sit ab homine Paradisus, homo à Deo, priusquàm peccaret, nequeo diuinare inter tam discrepantes opiniones de sex solis horis, vel septem, vel decem: de tot annis, quot hìc annos nobiscum vixit Christus: de diebus quadraginta, quot ille ieiunauit in deserto [h] ad sanandam parentum intemperantiam: de die

h Matt. 4. 2.

D integro, vt fuerit Sabbati dies, quo peccauerunt & eiecti sunt: de octo, vt octauo quàm fuerant creati die, hoc est, feria sexta, vtrumque contigerit. Probatur hoc vltimum Pererio [i], qui recitat quid alij senserint. Fateor cum Osorio per *custodiendi* verbum commodè etiam intelligi posse nõ gratiam innocentiæ, sed pœnitentiæ, de qua disertè fit mentio sequenti sententia. [Cùm prolaberetur, & in crimen rebellionis incideret, inquit ille, iacentem excitauit.]

i lib. 6 in Genes. disputat. quãdiu Ad. & Eua commorati sint in paradiso.

Et eduxit illum à delicto suo.] Græcè (καὶ ἐξείλατο αὐτὸν ἐκ παραπτώματος ἰδίου) Aldina editio (ἐξήγαγεν.) Cantacuzenus custodiã, de qua priore membro, interpretatur, quatenus formatum *hominem Deus tulit, & in Paradiso posuit, vt operaretur illum, at-*

E *que custodiret* [k]. Eductionem verò siue liberationem istam intelligit esse præceptum de non edendo ligno scientiæ boni, & mali: quoniam si ei paruisset, non laberetur in peccatum; sicut pleuritide laborãs curabitur, si vino abstineat iuxta præscriptum Medici. Cæterùm tum Interpretes, tum auctores alij agnoscunt in his verbis peccatum, in quod Adam sit lapsus, & beneficio sapientiæ, gratiæque eductus. Qui sensus multo planior est: nec præceptum per se causa erat cur laberetur;

k Gen. 2. 15.

Adam

Adam; vel ideo datum est ne labetetur. Exemplum quoque de abstinentia vini non videtur ad rem, quia ponit præcedentem morbum.

Antequam doceo quod dixi de pœnitentia primi hominis, ponendum est, ideo certi ligni esum ipsi inhibitum, vt Dei cognosceretur dominium, & hominis liberi circa rem nō malam, vel per se illicitam obedientia, vt obseruant præsertim Augustinus [a], & Gregorius [b]. Statuimus deinde peccatum ipsius fuisse inobedientiæ, saltem materialis, licèt plures simul peccatorū aliorum rationes in eo permixtæ sint, & vna quidem infidelitatis cuiusdam, & idololatrię, si creditur nonnullis [c] (quod propriè loquendo dici minimè debet; sed qua ratione dicitur quorundam Deus venter [d], & auaritia idolorum seruitus [e]) præter superbiam, amorem vxoris immoderatū, nimiam curiositatem, effrenem gulam, opinionē de lenitate præcepti, vel impunitate violationis eius, excusationem peccati. Tanta non peccandi facilitas reddidit iniquitatem Adæ maiorem, vt ait Augustinus [f]: præterea commune damnum naturæ humanæ, quod secutum est ex illius, non ex Euæ peccato, licèt hæc occasionem peccādi dederit [g], & hæc magis credi possit, diabolo credendo, fidem abrogasse Deo, quasi Deus vel mendax esset, vel inuidus: stultè quoque sperasse scientiam boni & mali, atque similitudinem Dei. Paulus [h] negat Adam deceptum, sed mulierem, non quia non primus, nec à serpente immediatè, quæ tamē sunt vera; sed quia indulgens amori vxoris, quæ non animo fallendi falsum ei proposuit, in idem in quod illa consensit, cùm etiam animaduerteret illam adhuc viuere quæ comederat.

Postremò constare debet, nuditatis verecundiam, effectáque alia, præsertim mortalitatis, ex peccato secuta esse. Crassior apud Philastrium [i] error, cæcos antea, tum demum videndi vim adeptos, cùm se post peccatum vidisse nudos narrentur [k]. Crassissimus, de quo Bellarminus [l], quorundam Lutheranorum, nec peccasse primos parentes, nec peccare potuisse, *quia iusto lex non est posita* [m]; erant verò iusti: & *vbi non est lex, non est præuaricatio* [n], *& peccatum est ἀνομία* [o]: illísque non est prohibitum pomum lege, sed quadam admonitione; qualia sunt Medicorum præcepta. Iam ergo lapsus Adam per liberū arbitrij consensum, non ineuitabili necessitate, vt blasphemat Caluinus, refutatus à Feuardentio [p], surrexit per pœnitentiam, & eduxit eum à delicto suo sapientia, tandémque inter electos adnumeratus est. Augustinus [q] tradit Ecclesiam ferè totam consentire, quòd primum hominem Christus extraxerit de limbo; nec inaniter credere, quamuis deesset expressa Scripturarum auctoritas: tamen quæ hoc loco scribuntur magis pro hac sententia, quàm pro vllo alio intellectu facere videri. Docet [r] etiā quòd primi homines postea iustè viuendo, meritò creduntur per Domini sanguinem ab extremo iudicio liberati. Item [f], quòd Adam confitendo peccatum, veniæ redditus est: Cain, quia negauit, æterna pœna damnatus est. Rupertus [t] nimis audacter hoc testimonium reiicit velut libri non canonici, & confitens, qui contrà de salute senserint primorum hominum, hæreticos fuisse (horum dux Tatianus, de quo id memorát Irenæus [u], Tertullianus [x], Epiphanius [y], Philaster [z], Augustinus [a], Eusebius [b], Nicephorus [c], & alij posteriores, idémque sensit Saturninus, Seuerus, Marcion, Valentinus, Archontici; Caluinus [d] verò

a 8. Gen. c. 11. & 13.
b 35. moral. c. 10.
c apud Aug. lib. quæst. vtriusque Testa. q. 83.
d Philip. 3. 19. Rom. 16. 18.
e Galat. 5. 20. Coloss. 3. 5.
f 14. de ciu. c. 15.
g Eccli. 25. 33.
h 1. Timot. 2. 14. & idem indicatur 2. Cor. 11. 3.
i de hæres.
k Genes. 3. 7.
l 3. de statu peccati. c. 1.
m 1. Tim 1. 9.
n Rom. 4. 15.
o 1. Ioan. 3. 4.
p cont. hæres. verb. Adam. hæresi 4.
q epist. 99.
r 2. de peccat. meri. c. 34. & & habetur c. sicut primi. de pœnit. d. 1.
f serm 104. de temp.
t 3. in Genes. c. 31.
u lib. 1. c. 30. & 31.
x de præscrip. c. 52.
y hæres. 46.
z in catalo. hæres.
a cōtr. hæres. in 25.
b 4. hist. c. 29.
c 4. hist. c. 11.
d 3. instit. c. 23. sect. 7.

A quoque scribit decretum fuisse a Deo, vt periret Adam) parum consulit propendet in illos, magis idq; propter haud magni momēti rationes, quòd Adamo Paulus [a] opponat Christū, peccati, mortis, condemnationis auctori, iustitiæ, vitæ, felicitatis effectorem. Librum autem hunc esse canonicum iam pridem docuimus in præfatione [b]. Irenæus [c] probat salutem Adæ & Euæ etiam nō solùm quòd noua videretur cōtraria Tatiani sententia; sed prætereà, quoniam Deus his non maledixerit sicut serpenti [d] (vtitur eodem argumento Tertullianus [e], appellans restitutionis candidatos, confessione reuelatos, qui præterea [f] restitutos exomologesi dicit in Paradisum suum:) quia induerūt se perizomatis ex foliis ficulneis [g], **B** quasi sacco & cilicio; nec bonus pastor ouem centesimam quæ perierat, propriè reperisset [h], si primus homo, qui significabatur per illam, saluus non esset: diabolus verò gloriaretur se à Christo victum non esse, si quos verè ac propriè superauit, de potestate ipsius non liberarentur. Accedit quòd Adam plenus verecundia, & timore conspectum & colloquium Dei refugiebat [i].

Fauet multorum sententia ibi crucifixū Christum, vbi sepultus iacebat Adam, quasi sanguinis salutaris reciperet primus auctor cōmunis morbi medicinam. Sic produt Origenes [k], Athanasius [l], Basilius [m], Epiphanius [n], Chrysostomus [o], Anastasius Synaita [p], Germanus [q] Constantinop. senior, item iunior [r], Nonnus [f], **C** Moses Barcepha [t], Theophylactus [u], Euthymius [x]: ex Latinis Tertullianus [y], Cyprianus [z], Ambrosius [a], Augustinus [b], Hieronymus [c], licèt aliàs [d] de sepultura in Hebron videatur sensisse, quod paulo antè reiecimus. Refert idem Hieronymus [e] quosdam pro illis verbis [f]; *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*; legisse, *Surge Adam*, &c. & ἐπιψαύσει σου, non ἐπιφαύσει, id est, *continget te Christus*, non autem *illuminabit*. Id insinuat pictura Caluariæ sub crucifixo Christo, de qua Molanus lib. de picturis & imaginibus sacris [g]. Ambrosius [h] ait Adam post culpam statim eiectum de Paradiso, separatum à deliciis, & vt ageret pœnitentiam vestitum tunicam pelliceam [i], non sericeam. Chry- **D** sostomus [k] probat ex singulari amore, quo Deus ipse conuenit lapsum & erexit. Gregorius [l] scribit Adæ animam in peccato mortuam, non à substantia viuendi, sed à qualitate viuendi; tamen postmodum per pœnitentiam ad vitam rediisse. Leo IX. [m] reddit rationem, cur *Gloria in excelsis*, & *alleluiah* in Septuagesima intermittantur, quia, inquit, peccauit primus homo: cur in Paschate repetantur, quoniam Christo resurgente, resurrexit ille lapsus protoplastus. Anselmus [n]; [Adam & Euam ad illam pertinuisse redemptionem dubitandum, inquit, non est, quamuis hoc auctoritas diuina apertè non pronunciet: & incredibile videtur, quando Deus illos fecit, & proposuit im- **E** mutabiliter facere de illis omnes homines, quos ad cœlestem ciuitatem assumpturus erat, quòd illos duos ab hoc exclusérit proposito; imò illos maximè ad hoc fecisse credi debet, vt essent de illis propter quos facti sunt.] Quòd dicit auctoritatem diuinam hoc apertè non pronunciare, imitatur Augustinum citatum, qui præsentem locum asserit quidē non alio sensu, quàm isto commodè intelligi; tamen non vt exploratum prorsus affert apertúmque testimonium. Bonauentura notat expressiorem hūc aliis omnibus Scripturæ locis esse de pœnitētia Adam. Hugo S. Victoris [o]

a Rom. 5. & 1. Cor. 15.
b c. 2.
c lib. 3. c. 34. vsque ad 40.
d Gen. 3. 14. & seq.
e 2. contra Marcio.
f de pœnit. in fine.
g Genes. 3. 7.
h Luc. 15. 5.
i Gen. 3. 10.
k tracta. 35. in Matth.
l serm. de pass. Dom. quę incipit; Hominum.
m in c. 5 Esa.
n hæres. 45 & 46
o hom. 84. in Ioan.
p 7. in hexam.
q in theor rerum Eccles.
r orat. de cruce media Quadrage. & orat. post Pascha.
s carmine in Ioan c. 19
t de paradiso. 1. p. c. 14
u in c. 27. Matth.
x ibid
y 2. contra Marcio.
z serm. de resurrect.
a in c. 23 Luc & epist. 19.
b serm 71. de temp.
c epist. 7.
d in c. 27. Matth. & in c. 5 ad Ephes.
e ibid.
f Ephes. 5. 14.
g c. 78.
h 2. de pœnit. c. 1. vide etiā de bono mor. c. 13 in c. 5. Luc. de Isaac. c. 5 de Patriarch c. 7.
i Gen 3. 21.
k hom. 7. ad populum.
l lib. 6 ep 31.
m c. hi duo de cōsec d. 1.
n 1. cur Deus homo. c. 16.
o in Gen. c. 3.

ex verbis Dei ad ſerpentem;*inimicitias*[a] *ponam inter te & mulierem*, &c. infert Euæ pœnitentiam, quia fuit inimica diabolo, ac proinde grata & amica Deo. At mulieris nomine omne mulierum genus intelligitur, ſicut per ſerpētem omnes ſerpentes, per ſemen mulieris, qui ex mulieribus naſcituri erant. De rē autem ipſa concordat S. Thomas [b], & paſſim omnes, vtentes hoc ipſo loco. Accedit Hilarius [c], Hieronymus [d], Nazianzenus [e], Baſilius [f], Athanaſius [g], & rurſus Origenes [h], qui colligit ex præſenti hoc noſtro loco,

Qui orationes de Chriſti paſſione, deſcenſu ad inferos, reſurrectione, aſcenſione ſcripſerunt, hoc tradunt, vt Epiphanius[i]. Fertur quoque in hiſtoria paſſionis Chriſti ſub nomine Nicodemi, Chriſtū in inferno, id eſt, in limbo, manum Adami tenuiſſe, & dixiſſe; *Pax tibi cum omnibus filiis tuis, iuſtis meis:* Adamum verò reſpondiſſe Chriſti genibus aduolutum cum lacrymis & voce magna (tamen nondum receperat corpus, imò non liquet adhuc an receperit:) *Exaltabo*[k] *te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Domine Deus meus, clamaui ad te, & ſanaſti me. Domine, eduxiſti ab inferis animam meam; ſaluaſti me à deſcendētibus in lacum.* Reſurrexiſſe Adamum cum Chriſto docent Athanaſius [l], Auguſtinus [m], Origenes [n]. Legendi maximè Cantaperrenſis [o], Caſtro [p], Bellarminus [q], Eſpenſæus [r], Pererius [s]. Vt minimùm cenſenda contraria ſententia temeraria, cùm repugnet, vt Auguſtinus dicebat, illi quam tota ferè tenet Eccleſia, & cùm ſoleat hæreticis tribui; & locus hic noſter (qui eſt libri canonici) eodem auctore Auguſtino non videatur alium aptiorem ſenſum habere. Nihilominus, ne quid diſſimulem, legi apud Macarium [t] ſeniorem, quòd Adam per peccatum periit quantum ad Deum, licèt ſua viuat natura. Sed intellige de Adam cùm adhuc viueret in ſtatu peccati. Nam idem auctor [u] ſcribit eductam de inferno animam illius.

Teſtatur item Auguſtinus [x] Manichæorum opinionem fuiſſe, quòd Adam primus heros peccauit, ſed poſt peccatum fuit ſanctior; licèt fabuloſa quædam de illo & Eua cōminiſcerentur: vt & dubiæ fidei ſunt, quæ narrantur ex Methodio à Magiſtro hiſtoriæ Scholaſticæ [y], ſimul cum aſſeueratione de pœnitentia eorundem: præterea quod memorat Moſes Barcepha [z] ex Iacobo magiſtro Ephrem, de oſſibus Adam: & quod tradunt Hebræi de Pſalmo 92. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt*, &c. quem in exilio Adam compoſuerit. Cùm autem Bernardus [a] ait quòd Adam in infernum cecidit, quia inobediens fuit: Chriſtus ad cœlū aſcendit, quia vſque ad mortē Deo Patri obediuit, debet intelligi, vel quia per inobedientiā incurrit in reatū damnationis æternæ, deſcēdendíque in locum damnatorū, licèt poſtea pœnituerit illū: vel quia etiam poſt pœnitentiā deſcendēdum adhuc ipſi fuit, ſicut & omnibus aliis iuſtis, in eam inferni partem, quæ vocabatur limbus iuſtorum, donec per mortem, atque aſcenſionem ſuam Chriſtus cœli aditum patefaceret.

Hinc obiter confutatur error hæreticorum, ſemel iuſtum nunquam poſſe gratiam amittere: vel non aliud cenſeri peccatum mortale quàm reproborū; prædeſtinatorum verò omnia eſſe venialia. Adam iuſtus fuit, peccauit grauiter, prædeſtinatus & ſaluus eſt. Obiiciebat Rupertus opponi Adamo Chriſtum. Sed reſpondendum, propter peccati originalis propagationem, & re-

a Gen. 3. 15.
b 4. contra Gen. c. 52 & 53. & lect. 3. in c. 5. Ep. ad Ro.
c in Pſ. 119. & can. 8. in Mat.
d in Pſ. 98 & in c. 20. Matt.
e orat. in Cypr.
f ora. de exhor. ad bapt.
g ſerm. de Cruce.
h in c. 5. Ep. ad Rom.
i oratio. de Paſcha.
k Pſ. 29. 1. & ſeqq.
l oratione de paſſ.
m q. 161. in Geneſ.
n tract. 35. in Matth.
o 5. hypotypoſ. c. 1.
p de hæreſ. verb. Adam. hæreſ. 1.
q 3. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati c. vlt.
r in 1. Tim. 2.
ſ lib. 7. in Geneſ. diſp. vtrū Adam ſit ſaluus.
t hom. 12.
u hom. 17.
x de moribus Manich. c. 19.
y in Gen. c. 25.
z de parad. p. 1. c. 14.
a de modo bene viuendi ad ſororem. c. 19.

A medium; non quòd iniuſtus Adam remanſerit.

Et dedit illi virtutem continendi omnia.] Complutenſes, Regiíque codices, & alij, necnon Expoſitores Latini, hæc alia legunt priùs (*& eduxit illum de limo terræ.*) Sed reiecta ſunt ab emendatis libris, neque Græci agnoſcunt, nec Auguſtinus [a]; & ſēſum reddunt præpoſterum, vt fatentur qui illa declarant, cùm priùs formatus de terræ limo ſit eductúſve, quàm eductus de delicto ſuo. Hugo tamen myſticam affert eductionem, id eſt, liberationem de luto fecis, hoc eſt, de peccato. Fortaſſe aliquis pro illis verbis (*& eduxit illum à delicto ſuo*) ſuppoſuit (*& eduxit illum de limo terræ:*) conueniunt enim literis (*delicto*, & *de limo*) & in aliquibus libris

B legitur tantùm (*& eduxit illum de limo terræ.*) Poſtea retulit alius vtrumque in textum, nempe id quod iam dixi, & illud (*& eduxit illum à delicto ſuo.*) Hæc eſt Brugenſis haud vana coniectura. Virtus autē continendi omnia, ἰσχὺς κρατῆσαι ἁπάντων, ſignificat vim & facultatem dominandi omnibus, & gubernandi vniuerſum genus humanum; quod Cantacuzenus explicat, vt coërcere poſſet omnē cupiditatem: Latini ferè etiam de cunctis rerum gradibus, qui continentur in vno homine; vel quia noſtra quodammodo ſunt omnia, vt loquitur Apoſtolus [b], ſuperiora ad fruendum, media ad conuiuendum, inferiora ad vtendum: vel quia, ſi ſe in Dei continuiſſet obedientia, poſteritatem non perdidiſſet.

C Verior ſine dubio ſenſus primus, cui concinit Pſalmus [c]; *Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi; volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris:* & in Geneſi [d]; *& præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, vniuerſæque terræ, omníque reptili, quod mouetur in terra.* Ex animalibus ferri de rebus cæteris imperfectioribus iudicium poteſt, ſubiectas eſſe hominis dominio, tanquam vicarij Dei, cuius vel hac ratione factus ad imaginem ſimilitudinémque [e] rectè dicitur, vtpote ratione præditus, per quam res infra ſe regat, &, vt Iacobus [f] ſcribit, domet omnem naturam beſtiarum, & volucrum, & ſerpentum, cæterorúmque. Poſtremò non ſolùm de

D ſimili dominio Geneſis [g] liber in hiſtoria Noë meminit, ſed Eccleſiaſtici [h] quoque liber datam à Deo homini poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terrā, & poſuiſſe timorem illius ſuper omnem carnem, ipſúmque dominatum eſſe beſtiarum, & volatilium. Dominij ſignum fuit indere nomina cūctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli [i], ad ipſum adductis, vt ſolent mancipiis domini, quibus vtuntur. Piſcibus, opinor, impoſita quoque nomina; ſed extra aquas, ne interirent, & quia non ita ſunt ad famulatum hominis obſequiúmque apti, adduci non ita conueniebat. Huc facit, quod prodit ex quorundam ſententia Mo-

E ſes [k] Barcepha, impoſitionem eam nominum ab Adam factam cum auctoritate, vt nempe loco inſidens altiore, vultum gerens ſplendore radiantem, quali vultu deſcribitur Moſes [l], intelligibili voce pronunciaret ſuum cuique beſtiæ nomen; ſingulæ autem ſubmiſſis pronæ capitibus tantam lucem ferre non valentes præterirent ſingulatim, v.g. equus nominatim appellatus, vbi ſuum audiſſet nomen, coram Adamo tranſiret demittens ceruicem.

Quò autem intelligeretur dominium iſtud in Adamo eſſe tanquam in capite, non in Eua, in viro, non in fœmina, voluit Deus non ſolùm vt ipſe Adam imponeret nomina, ſed vt id etiam

a epiſt. 99.
b 1. Cor. 3. 22.
c Pſ. 8. 8. 9.
d c. 1. 26.
e ibid.
f c. 3. 7.
g c. 9. 2.
h c. 17. 4.
i Gen. 2. 19.
k de paradiſo.
l Exod. 34. 29. 30.

faceret priusquàm formata esset Eua. Sic de tempore sentit Hugo Victorinus [a]: imò putat Catharinus [b] ex inspectione bestiarum sexus vtriusque intellexisse id quoq; in humana specie fieri oportere ad prolis propagationem, ita vt adiutricis fœminæ procreationem ardentiùs expeteret, atque vehementiùs à Deo peteret. Quod ego vltimum non credo. Hoc dominium post lapsum periit quoad pleniorem vsum & executionem, támque singularem prouidentiam Dei, qua omnes animantes, résque subderentur imperio nostro prudenti ac iusto. Nihilominus remansit Adamo ius ac potestas, tum per scientiam, quæ relicta ei videtur; tum verò per sapientiam diuinam restitutam post pœnitentiam, vi præditus fuit continendi regendíque omnia, suásque ipsius perturbationes, licèt non tanta facilitate, quanta si perseuerasset in innocētia. Auctor de dominio vtroque loquitur, quamuis proximè de illo, quod post pœnitentiam fuit; vt nominatim exponit Osorius. Laudat Cātacuzenus Auctoris gratam modestiam, vt nihil de sui, & communis patris peccato grauius dicat, nihil de pœna: quemadmodū & capite secundo [c] in inuidiam diaboli reiecit mortis causam. [Et verò si priuato quis parenti maledicens puniendus est [d], multo magis, inquit, si communem conuitiis maledictísque proscindat.] Voluit, credo, accusare inolitum hominibus morem peruersum regerendi peccatorum, vel ærumnarum causas in Adamum.

a in Gen.c.1.
b ibid.
c vers.24.
d Exod.21.17. Leuit. 20. 9. Prou.20. 20. Matth.15.4.

Vers.3.] Ab hac vt recessit iniustus in ira sua, per iram homicidij fraterni deperiit.

IMprobus boni patris Adam filius Cain furens iracundia occidit fratrem [e], quoniam respuit sapientiam, & fraternitatis ius, quod sapientia ipsa constituit, immaniter violauit; sicque infelix periit. Satis multa de homicidio isto Cain memini dicere in explicatione primæ Ioannis Epistolæ [f]. Ibi vel nostra consule, vel Genesis Enarratores, præcipuè Pererium.

Ab hac vt recessit.] Græcè (ἀποστὰς δὲ ἀπ' αὐτῆς.) Hugo meminit alterius lectionis (*non recessit*) vt nō recesserit, quia puniuit illum sapientia, vel quia vitam ei conseruauit. Glossa interlin. sic etiam legens explicat, vt licèt ab illa recesserit ipse, non tamen à Deo puniente. Vitiosæ lectiones aliæ sunt (*ad hoc*) & (*cùm precessit.*) Sed meritò præfert Hugo nostram. Recessus non indicat necessariò terminum à quo fuisse sapientiam, qua Cain aliquando præditus fuerit: quamuis nec id certa ratione possit negari. Carthusianus intelligit de desperata salute Cain, quippe qui non resipuerit, sicut Adam, sed dixerit; *Maior* [g] *est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*, quemadmodum passim omnes exponunt. Hoc sibi quoque idem voluit cùm diceret [h], *à facie tua abscondar*, id est, non aspicies me iam oculis misericordiæ; & sententia Dei maledicentis [i], & pœna septupli, si eam cum Ruperto [k] de æterna intelligas. Legendus de flagitiosa vita Cain Iosephus [l]: de infelici verò etiam exitu Ambrosius [m], & Augustinus [n].

Iniustus.] Κατ' ἐξοχὴν sic nominatur Cain, & antonomasticè, inquit Bonauentura, quia caput fuit, & exemplar iniustorum: sicut è contrario cognominatur Abel iustus [o], vt citato quoque

e Gen.4.8.
f c.3.12.
g Gen. 4. 13.
h vers.14.
i vers.11.12.
k lib. 3. in Genes.c.8.
l 1. Antiq. c. 11.
m 1. de Cain, & Abel. c. 9. & 10.
n serm. 104. de tempore.
o Matt.23.35.

A loco prioris Epistolæ Ioannis notauimus [a]. Augustinus [b] appellat auctorem terrenæ ciuitatis, quæ cœlesti aduersatur. Et verò ciuitatem primus construxit denominatam à filio suo Henoc [c] (sicut fratricida Romulus Romam condidit) malè sibi timēs, & impunè prædari volens: prædas enim ac tyrannidem exercuisse Iosephus [d] memorat; & semetipsum cœlestis extorrem profitens ciuitatis, ac felicitatis, & à soliditate æternæ patriæ alienum, vt obseruat Gregorius [e].

In ira sua.] Græcè (ἐν ὀργῇ αὐτοῦ.) *Iratus est* enim *Cain vehementer, & concidit vultus eius* [f], cùm Deus ad ipsum & ad munera eius non respiceret, sed ad Abel. Ira in inuidiam euasit, in odium, postremò

B in fratricidium. In ira sua & indignatione recessit à sapientiā, & à Deo; quæ sequitur autem ira magis refertur ad fratrem, in quem exarsit.

Per iram homicidij fraterni deperiit.] Græcè (ἀδελφοκτόνοις συναπώλετο θυμοῖς, *fratricidialibus deperiit furoribus.*) Videri possent denotari his ipsis Græcis verbis prognati ex Cain, qui & ipsi homicidia exercuerint, seséque mutuis cædibus deleuerint, vt ad tollendum penitus adeò noxium semē diluuij Deus aquas immiserit [g]. Hoc sequentia narrant. Illud Origenes [h] ex hoc ipso colligit loco, &, vt dixi, denotat τὸ συναπώλετο. [Hanc ob causam, inquit ille, diluuium fit, vt deleatur Cain semen, &c.] Tum citat hunc locum sic; *Recedens au-*

C *tem ab ipsa* (nempe sapientia) *iniustus in ira sua, periit cum animis fratricidis.* Attamen hæc verba præcisè non id important, nec ex his argumentatur Origenes, verū ex sequentibus. Potiùs τὸ συναπώλετο indicat semper perseuerasse in ira, odióque concepto contra fratrem; quæ ira odiúmve, tum quia durauit tam diu, tum quia multis modis declaratum est, meritò nomine plurali τῶν θυμῶν exprimitur.

Cain autem periisse, ac reprobum & damnatū esse, docuimus Commentario illo nostro in Epistolā Ioannis primam [i] cōtra Cainanos, siue Caianos Caini cultores, qui à Marcione ortū habuerunt. Horum eadē hæresis erat de salute Sodomitarū, & Core, Dathā, & Abirō, imò & Iudę proditoris: contra verò de damnatione Abel, Enoch,

D Noë, Patriarcharum, Prophetarum, & reliquorū iustorum; hos enim omnes accessisse ad Christū apud inferos, illos autem non venisse. Quid absurdius? Cùm itaque periisse Cain intelligatur interitu damnationis, non placet, quod vellet Iāsenius, vt τὸ συναπώλετο accipiatur cum relatione ad fratrem Abel, vt simul cum ipso perierit. Nam Abel sine dubio non ita periit: longè post ipsum mortuus est Cain, licèt ærūnosam ac perturbatam vitam longam duxerit propter fratris cædē: qua ratione vtcúque censeri posset periisse cum Abel, hoc est, statim post huius cædē; & qui-

E dē propter illam cœpisse cū perpetuo tremore & pauore vagari huc illúcque, omnibus abominabilem & execrabilem, ac velut furiis agitatū, & corpore ipso vacillantem, vt Hebræi tradunt, & meminit Hieronymus [k]. Iosephus [l] pœnā fratricidij remissam Caino scribit à Deo, quem is placauerit sacrificio. Non credo: nec id suadent quæ ille de summis aliis eiusdē criminibus, quoad vixit, narrat, voluptatum, rapinarum, fraudum, &c.

Cantacuzenus συναπώλετο declarat, vt ea ira, qua fratrē occidit, & ipse sit occisus, simili scilicet morte per Lamech. Indicatur hęc mors in Genesi [m], & à multis creditur casu secuta, cū deditus venationi Lamech, significanre ipsi caliganti

a c.3.12.
b 15. de ciuit. c.5. & 7.
c Gen.4.17.
d 1. Antiq.
e 16. moral. c. 5.
f Genes.4.4. 5.6.
g Genes.6.
h tom. 20. in Ioan.
i c.3.12.
k epist.125.
l 1. Ant. q. c. 11.
m c.4.23.24.

adole

adolescente filio Tubalcain feram esse, pro illa delitescentem Cain confodisset, & hoc deprehenso, præ indignatione adolescentem quoque interemisset, ac dixisset vxoribus lamentans; *occidi virum* (id est, Cain) *in vulnus meum* (id est, vulnere meo, quod ei inflixi) *& adolescentulum* (filium Tubalcain) *in liuorem meum* (quia totum corpus arcu percutiens liuidum feci.) Negant Paulus Burgensis, Carthusianus, Oleaster; & primus ait Cain diluuio interiisse. Repugnat hoc rationi; quoniam sic vixisset Cain plus mille sexcentis annis, cùm ab Adam vsque ad diluuium præterierint mille sexcenti quinquaginta sex. Meminit Hieronymus [a] communis dictæ sententiæ. Vagum & profugum Scriptura describit [b]. Apta homicidij pœna, ab hominum consuetudine relegatio. Sic de Salamandra prodit Plinius [c], cùm percussit hominem, non amplius admitti ad terras.

a epist. 125. b Gen. 4. 12. c lib. 19. c. 4.

Fraterni.] Alij codices (*fraternitas*) quidam (*fraternitatis.*) Primæ lectionis, quam sequuntur Expositores Latini, sensus est, amorem fraternum periisse, vel fratrem à fratre occisum. Secunda lectio meliorem reddit, quòd per iram, siue propter irã fraternitatis, hoc est, fratris & contra fratrem, periit Cain. Lucas [d] Brugensis optat retineri lectionem, quam nunc habemus, refellens primá, quòd penè ridiculum videatur intelligere dici hoc loco sublatam fraternitatem inter Cain & Abel, id est, fraternitatis relationem, vel amicitiam, vel Abelem periisse. Quo nomine meritò præterea reiicit Buslidiani codicis manuscripti lectionem (*Abel iustus, cùm recessu iniustus* (Cain) *in ira sua, per iram odij fraternitatis deperiit.*) Glossema, non textus est, nec textui quidem congruum.

d in notationibus.

Vers. 4.] Propter quem, cùm aqua deleret terram, sanauit iterum sapientia, per contemptibile lignum iustum gubernans.

TErtium exemplum diluuij, quo mersi sunt mortales, dempto iusto Noë cum familia, eò quòd imitarentur scelera Cain, de quibus antea cum Iosepho meminimus, inter quæ voluptates, luxuriæve numerabantur, proxima scilicet mundũ per aquas delendi causa. Narratur hoc fusè in Genesi [e]. Sed priùs cõminatur Deus [f] quòd Cain septuplum puniretur, id est, vt Rabbi Salomon, Lyranus, Abulensis, Carthus. exponunt, vertítque Symmach. septimus, septimáq; generatione sua, quæ terminata est in filiis Lamech, qui creditur illum occidisse. Approbat id Iansenius hoc loco. Iosephus [g] insignem hominum multiplicationẽ traditam exordio narrationis de diluuio [h], & declinationem ad malum contigisse narrat septima post Adamum, cuius primogenitus Cain haud longè post susceptus quàm ille à paradiso exulare coactus est, generatione. Ait è contrario posteros Seth, qui Abelis loco natus est, per septẽ generationes in Dei cultu, virtutísque studio perdurasse. Eadem sunt apud Theodoretum [i], segregantem hos posteros Seth, tanquam nominatos filios Dei (Dei autem etiam nomine vocatum Seth, Suidas [k] tradit ob sanctitatem, & scientiam syderalem, sicut & de Enos Cyrillus Alexand. [l]) à posteris Cain, qui dicerentur homines [m], & quorum illi filias tandem adamauerint [n], seséque hac permixtione contaminauerint.

e c. 6. f Genes. 4. 15. g 1. Antiq. h Gen. 6. 1. i q. 47. in Genes. k verb. Seth. l 9. con. Iulianum. m Gen. 6. 2. n ibid.

Hi sanè ipsi, non Angeli, puniti sunt aquis, vt idcirco narratio illa de Angelis aptè intelligi nullo modo possit. Cyrillus verò quod de posteris Seth alij, de posteris Enos ipse tradit.

Propter quem.] Græcè (*δι' ὅν.*) Latini aliqui (*propter quod*, vel *quæ*) vt & Græci (*δι' ὅ.*) *Propter quod*, flagitium, collectiuè loquendo, id est, propter fratricidium, & alia, quæ fratricida ille cum suis posteris commisit. *Propter quem*, iniustum Cain; item cum cæteris iniustis eiusdem imitatoribus. Non rectè Lyranus, *propter quod*, id est, sapientiæ donũ. Minùs malè Carthusianus, propter sapientiæ derelictionem, vel recessum ab ea. Sed iuxta editionem nostram sensus est de Cain, quem sensum assignat quoque idem auctor, Hugo, Bonauentura, Olcot [a]. Inferiùs capite 14. [b] mentio fit peculiariter, periisse hoc diluuio superbos Gigantes. Hebraicè in Genesi [c] נְפִילִים *nephilim cadentes* denotant degenerantes à Seth.

a lect. 125. b vers. 6. c Gen. 6. 4.

Cùm aqua deleret terram.] *Ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli* [d]. Terra ergo incolas terræ significat homines bestiásque, & ex his illas, quæ in proximo terræ aëre versantur. Nam sublato homine, cui reliquæ bestiæ vsui essent? Et punitur quis etiam in re sua, licèt ratione carente. Sic præterea maior extitit peccati detestatio: maximè si verum est processisse luxuriam ad vsque peccatum illud, quod appellant bestialitatem. Lege Chrysostomum [e], & Ambrosium [f].

d ibid. e homil. 22. in Genes. f de arca & Noe. c. 10.

Græcè scribitur hoc loco (*κατακλυζομένη γῆ, inundata*, seu *cataclysmum, & diluuium passa terra*:) quod aliàs non contigit vnquam, neque continget, quidquid secus visum Senecę [g], Henrico Mechliniensi [h], Petro [i] Aliaco, Gulielmo Parisiensi [k], aliísque. Prodierunt foras tunc aquæ subterraneæ, quos historicus sacer [l] ruptos fontes vocat abyssi magnæ: profluxit etiam exundans mare, fluuiíque; *apertæ sunt cataractæ cæli* [m], cùm qui in media regione aëris imbres erant inter densas nubes, magna copia fragoréque deciderũt, pluítque quadraginta diebus, & quadraginta noctibus [n], vt altissimos montes aquæ cubitis quindecim excesserint [o]. Hoc pacto deleta est terra, vniuersitas nempe omnium hominum præter octo; quamuis nonnullos per pœnitentiam interim resipuisse, ac æternam damnationem euasisse Hieronymus [p] credat, ac Rupertus [q], aliíque præterea colligant ex prædicatione Christi facta in inferno iis, qui erant hoc tempore, vt Petrus [r] scripsit, quemadmodum Caietanus [s]. Sed vix id credo. Quòd autem prædicasse dicitur, quamuis perinde vi sonat concedam, non intelligam de prædicatione ad conuersionem, verùm ad manifestationem, quòd esset ille olim propositus Saluator, cui tamen tam multi, v.g. hi qui ætate Noë vixerunt, credere noluerunt. Illius loci accuratam expositionẽ posui in Comment. Petri.

g 3. qq. natural. c. 27. & seq. h comment. in Albumazarem. i qq. in Gene. & lib. de sectis & legib. & libr. de cõcord. Theol. & Astrol. k 1. p. de vniuerso. l Gen 7. 12. m ibid. n ibid. o ibid. 20. p de tradit. Heb. in c. 6. Genes. & Nahum 1. q 4. in Gen. c. 16. r 1 Epist. 3. 19. 20. s ibid.

Ipsamet materialis deleta est terra, cùm dixerit quoque Deus [t], *disperdam eos* (homines) *cum terra*, quantum ad ornatum superficiarium ex plantis, ædificiis, & aliis rebus; & quia propter confluxum aquarum, potissimùm salsarum, sterilior euasit: &, si credas Hebræis, ad trium palmorum altitudinem excesa & consumpta est, ac in aquam versa. Erit olim, cùm ignis aquas ipsas purgabit, nauigationibus tot sceleratorum contaminatas. Gentilium hoc de diluuio testimonia recitant Iosephus [u], Eusebius [x], Cyrillus [y] Alexand. Indicant præterea non obscurè

t Gen 6. 13. u 1 Antiq. x 9. de præparat. c. 4. y 1. contra Iulianum.

Plato [a], Plutarchus [b], Plinius [c], Mela [d], Solinus [e], Ouidius [f]: nec Augustinus [g] negat, nisi de Græcis & Romanis historiis.

Sanauit.] Græcè (ἔσωσε, *saluauit.*) Iam aliquoties ita vidimus vertentem Interpretem.

Iterum.] Græcè (πάλιν, *rursus*, vel *secundò.*) Significatur aut hoc esse aliud ex his, quæ proponũtur hîc, exemplum; aut cùm periisset semel propter Adæ peccatum mundus, iterúmque sub Noë, ab eo restitutum. Prior melior sensus, quia propter Adæ peccatum obnoxij facti sunt homines morti, sed nõ simul extincti, sicut in diluuio. Nisi velis in eo esse similitudinem, quòd sicut eduxit Adam Deus à delicto suo, ita sanauit terram præseruando Noë cum suis. *Rursum*, vel *iterum* dicimus non rarò, cùm afferimus nouum testimonium, nouámque rationem. Sic Paulus Epistola ad Hebræos [h] non semel loquitur, etsi de illo negandum loco, vbi ait [i]; *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Non dixit Apostolus (*& iterum cùm*, &c.) sed (*& cùm iterum*, ὅταν δὲ πάλιν) significans profectò secundam introductionem, quando veniet Christus ad iudicium, cùm prima fuerit per incarnationem & natiuitatem. Lege Riberam [k].

Per contemptibile lignum iustum gubernans.] Arcam vocat contemptibile lignum, εὐτελὲς ξύλον, non tantùm quia Noë, filiíque arcam fabricando contemnerentur ab aliis, & haberentur stulti, vt Lyranus & Bonauentura exponunt; sed quia constabat ex lignis nouóque artificio hactenus ignoto, quod ad arcendam tantam eluuionem aquarum, quantam Noë nomine Dei comminabatur, nullo pacto posse sufficere videbatur. Cantacuzenus vilitatem ligni facere notat ad amplificandam potentiam Dei, qui cùm munitas illas ac magnas vrbes, omnémque excelsum & sublimem montem aquarum impetus obruisset, népe quindecim cubitis extantium [l], vnum lignum vile, quod in medio natabat & circumferebatur, nec saxis allidi siuerit, nec vndis ventísve frangi.

Non equidem vile dixerim opus arcæ, quod annis centum fabricatum est architecto Deo [m]; quod tantæ capacitatis fuit; quod orbis vocari effugium salúsque potest. Pluris ausim quàm arcam & tabernaculum Mosis, templúmve Salomonis æstimare, cùm tot & tanta, quanta quótque non de illis, aliísve Patres scripto mandauerint, planè arcana & diuina liceat contemplari. Sed in his morari non libet, cùm præsertim simul collecta cognosci apud Pererium [n] possint. Huius, quod ad rem facit præsentem, placet iudicium [o], non vnicum fuisse ligni genus, vel cedri, vt Chaldæus [p] Paraphrastes vult, aut cypressi, aut abietis, aut buxi, aut laricis; &c. nam alia aliis arcæ partibus commodiora ligna sunt, non vnũ certumque cunctis. Augustinus [q] tradens in sacra Scriptura inueniri arcam Noë ex lignis imputribilibus esse fabricatam, huc accommodauit quod de arca Mosis in Exodo [r] scriptum est; monétque Ambrosius [f] ligna simpliciter nominari in arcæ Noë historia, in Exodo, cùm Mosis arca describitur, imputribilia. Non dubitandum quin comparata sint aptissima ligna, maximè aquis impenetrabilia, & incorruptibilia, præter bitumen quo sunt illita, cuiúsque vis incorrupta est, aquis contumax. Argumẽto est quòd arca durauit ad centum annos ante diluuium, diluuij sustinuit impetum; quædam post hoc ipsius reliquiæ vsque ad ætatem Iosephi [t] perdurarunt

a in Timæo. b de soler. animal. cùm de columbâ. c lib. 5. c. 13. cùm de Ioppe. d lib. 1. c. 11. cùm de eadẽ. e c. 17. cùm de eadem. f 1. Metamorphos. g 18. de ciuit. c. 8.

h c. 1. 5. c. 2. 11. 12. i c. 1. 6.

k ibid. n. 61. & seq.

l Gen. 7. 20.

m Genes. 6.

n lib. 10. in Genes. & seq.

o lib. 10. disput. 3. p Genes. 6.

q tract. 6. in Ioan.

r c. 25.

f lib. de Noë & arca. c. 7.

t 1. Antiq.

A per annos amplius bis mille, & bitumine eiusdem quidam vice amuleti vtebantur.

Iustum.] Rectè opponit Noë iustum iniusto Cain, & quidẽ de familia iusta Seth. Dicitur Noë gratiam inuenisse coram Domino, iustus, atque perfectus in generationibus suis, coram Deo ambulasse [a], cùm adeò peruersi forent cæteri. Adnumeratur quoque à Deo ipso cum Daniele, & Iob sanctissimis viris [b]. Repetitur item laus eius in Ecclesiastico [c], cùm scribitur *inuentus perfectus, ac iustus, & in tempore iracundiæ factus reconciliatio* (ἀντάλλαγμα, pretium quo redimeretur genus humanum) vt *ideo dimissum sit reliquum terræ cùm factum est diluuium* (id est, relictæ reliquiæ, per quas post diluuium denuò repararentur homines) *& testamenta seculi posita apud illum* (pactum

B fœdúsve perpetuum [d]) *ne deleri posset diluuio omnis caro.* Sed & Principes Apostolorum celebrant magnis laudibus hunc magnum Patriarcham. Paulus hoc modo [e]; *Fide, Noë responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum; & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.* Damnauit mundum vel per fidem credens quod nolebant alij, vel per arcam, quam qui videbant aduersùs imminens fabricari diluuium, nec sic quidem crediderunt: ipse verò seruatus cum suis, priscorum patrum suorum iustitiæ veluti factus est hæres, à qua posteri Cain, patrem imitati, desciuerant, *comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes* [f], omníque indulgentes voluptati.

C Petri de Noë sermo talis est [g]; *Et originali mundo* (qui fuit ante diluuium, seu hominibus tunc viuentibus, ac mundi primordio viciniotibus) *Deus non pepercit; sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens.* Præconem vocat non solùm vitæ exemplo, & arcæ tam diuturna fabrica; sed etiam oratione, qua, vt Iosephus [h] prodit, suadebat vt in melius voluntates & opera sua commutarent, donec nihil se proficere cognoscens, verénsque ne sibi familiæque mortem afferrent, secessit cum suis in aliam regionem. Eum Petri locum fusiùs in commentario eiusdem tractauimus.

Plura huius tanti viri encomia extant apud Ambrosium in libro de Noë & arca, apúdque

D Chrysostomum, & alios tractatores Genesis, atque Augustinum [i]. Hic eminuisse charitatem in Noë demonstrat, quæ *omnia tolerat* [k], eo quòd admonitus à Deo de diluuio, statim confugerit ad lignum: post camporum amœnorum faciem, angustiis se recluserit arcæ: tolerauerit cœli fremitum, sonitum aquarum, fragorem nimborum: solitus gaudere consortio hominum, socius quodam modo effectus sit serpentium ac ferarũ: non expauerit quòd cum eo essent feræ in arca; imò ibi agnouerit ordinem suum feritas, quia se cognouit humanitas, & iubenti homini obedie-

E rint feræ, quia hominem superiori Domino obedisse cognouerunt; quod Adam, præceptum contemnendo, perdiderat: expectarit & tolerarit finem diluuij, non antè feras ibi conclusas relinquens.

Gubernans.] Græcè (κυβερνήσασα.) Propriũ verbũ regiminis naualis. [An nõ, inquit Chrysostomus [l], arcam hinc & illinc moueri, & non submergi à tanta aquarũ vi, cùm nullus esset gubernator, supernæ erat gratiæ? Non enim dicere potes quòd fuerit ad modũ nauis, vt arte quadam illius iter dirigi potuerit (velis, remis.) Arca erat vndequaq;

a Gen. 6. 8. 9.

b Ezech. 14. 14. c c. 44. 17. 18. 19.

d Genes. 9.

e Heb. 11. 7.

f Matt. 24. 37. 38. Luc. 17. 26. 27. g 2. Ep. 2. 5.

h 1. Antiq. c. 4.

i sermo. 45. de temp. c. 2. & 3. k 1. Cor. 13. 7.

l hom. 25. in Genes.

clausa

clausa & munita,& propter præceptum conditoris non solùm eam lædere non potuit aquarum impetus, sed sublimior illis facta, inhabitantes admodū securos fecit.] Augustinus[a] pariter magis diuinam prouidentiam docet, quàm humanā prudentiam narantem gubernasse, ne incurreret alicubi naufragiū. Parebat Gubernatori per omnia Noë,& in arcæ fabrica, & in ea ingredienda, & in eam adductis Angelorum operâ recipiendis bestiis,& in inferendis escis, & vt ferret libenter à foris fores claudi ab iisdem Angelis,ne qua via, vel rima penetrarēt aquæ;quod ipsum Chaldæus exposuit (*protexit eum Dominus verbo suo.*) Chrysostomus[b] clausuræ aliam præterea dat causam,ne videns generalem omnium interitum, maximo dolore conficeretur.Singularem quoque perpendit Dei gratiam, vt in tali ac tam longo carcere tantam constantiam seruaret,adeò duraret sanus, neque venti,neque cœli,neque terræ libero fruēs aspectu,atque refrigerio. Nec egressus est iā arefacta terra, nisi sui Gubernatoris expresso præcepto[c].[Recedente aqua,inquit Ambrosius[d], & siccata terra exire potuit Noë de arca. Sed iustus nihil sibi arrogat;sed totum se diuino committit imperio. Et maximè qui cœlesti fuerat ingressus oraculo,cœleste debuit,vt egrederetur,expectare responsum.] Adde quòd clausum à Deo arcæ ostium reserare non alius poterat, quàm Deus. Transfer huc,si placet, historiam, quam Paulinus[e] narrat,cuiusdam naufragi, quem gubernabat ipsemet Christus beneuolentia singulari.

a 15. de ciuit. c. 27.
b hom. 25. in Genes.
c Gen. 8. 15.
d lib. de arca & Noe. c. 21.
e epist. 34.

Vers. 5.]Hæc & in consensu nequitiæ cùm se nationes contulissent,sciuit iustum,& conseruauit sine querela Deo,& in filij misericordia fortem custodiuit.

Locus hic & sensu, & verbis variat apud codices,& Enarratores. De verbis postea. Cantacuzenus duplicem persequitur sensum.Prior est de consilio turris ædificandæ, quod gloriæ vanæ studio susceptum est;ei autem non consensit Heber:ideóque confusis apud alios linguis (legit, *in consensione improbitatis confusis gentibus*, pro, *& in consensu nequitiæ, cùm se nationes contulissent*)apud ipsum linguæ vsus remansit,quæ priùs omnium erat, & ab illo Hebræa nominata est, vt & qui ab eodem descenderunt Hebræi dicti sunt.Eidem duo fuerunt filij, Phaleg (cuius nominis notio est à diuisa tunc terra) & Iectan. Ex Phaleg filius fuit Ragab (Reu voluit dicere) à quo quartus est Abram,& post istum vniuersa Hebræorum natio. Hac ratione fortis Heber dicitur in filij visceribus(*viscera* legit pro *misericordia*)tū ob gentis antiquissimæ nobilitatem, quæ ita numero creuit: tum quia ex Heber ortus est Abram, à quo secundùm carnem Christus duxit originem.Posterior sensus, quem magis probat Cantacuzenus, est de Abraham. Nam vbi orbis in linguas gentésque distributus fuit, cæteríque defecerunt à vera Dei Religione, ex illis quoque ipsis qui ab Heber ad Abraham vsque descenderant, vnus hic irreprehensibilis est conseruatus Deo, & vnigenam filium suum, ex promisso Dei susceptum, in sacrificium obtulit[f], vt eidem placeret Deo, summa quadam fortitudinę manus proprias ad occidendum illum extendens,nec visceribus parcens, nec fractus viscerum propriorum

f Genes. 22.

A commiseratione, ita vt nec amor superaret fortitudinem,nec ista vinceret amorem.

Quoscumque legi,solum hunc secundum tradunt sensum de Abraham, verùm non eodem modo, quia non eodem modo legunt, sed ita (*Hæc & in consensu superbiæ, cùm se nationes extulissent, sciuit iustum, & conseruauit sine querela Deo, & in filiis misericordiam fortem custodiuit.*) Docent itaque sapientiæ munere post tantam peruersitatem ac impietatem ædificatorum turris, & aliorum, Abraham in iustitia & pietate conseruatum, atque in eiusdem posteros misericordiam Dei magna potentia & perseuerantia declaratam esse. Iansenius, Osorius,Clarius, Brugensis[a] non re-
B cedunt à Cantacuzeno, quem, opinor, non legerunt, secuti eam lectionem, quæ modò in emendatis Bibliis restituta est,ac à nobis,vt semper solemus,hîc posita.

a In notationib.

Vatabli tertia expositio est, cuius, tacito nomine, meminit idem Brugensis, de Abraham quidem; sed vt in vltimo membro significetur, quòd eo affectu, quo solet parens filium protegere, sapientia Abraham inuictum custodiuit, & vt erga filium animata; vertit Vatablus (*conseruauit constantem.*) Cogimur Cantacuzeno,& cæteris in sensu secundo consentire, qui etiam enucleatis verbis magis dilucescet, atque persuadebitur.

Illa expositio de Abraham, quem sapientia
C agnouerit, & custodierit ex conspiratione superborum ad constructionē turris Babel congregatorum, videri potest longiùs petita, quia contigit confusio linguarum, vt non pauci supputant, post diluuium anno 130. Abraham de Vr Chaldæorum ereptus à confusione linguarum anno 243.cùm esset ætatis annorum 52. Quòd si sermonē interpreteris esse de beneficio nondum præstito, sed concepto,posses æquo iure asserere liberatum Abraham à diluuio. Aliis placet agi de Regibus quatuor superatis ab Abraham, liberatóque Lot ab eodem, ac restituta præda[b]. Malunt quidam innui liberationem eiusdem Patriarchæ de Vr Chaldæorum[c];seu de manu ibi eum
D persequentium.

b Gen. 14. 22. 23.
c c. 15. 7. 2 Esd. 7. Ioseph. 1. Antiq. c. 15. Hiero. in traditio. Aug. 16. de ciuit. c. 3. Burgen. Gen. 11. vbi citat R. Mosē. Phi. lo. lib. quis rerum diuin. hæres, & lib. de somniis.
d Genes. 11.

In consensu nequitiæ.] Græcè (ἐν ὁμονοίᾳ πονηρίας.) Complutenses,Regiique codices,& alij cum Expositoribus legunt (*superbiæ.*) Sic suspicor quempiam declarasse, quæ nequitia foret, nempe turrim ædificantium[d],& in textum postea (*superbiæ*) pro(*nequitiæ*)immigrasse.Miratus sum in versione Latina Sixtiana ex editione LXX.esse(*superbia.*)

Cùm se nationes contulissent.] Græcè (ἐθνῶν συγχυθέντων.) Qui (*superbiæ*) legunt,habent (*extulissent.*) *Cùm se contulissent* significat,cùm se congregassent, coniunxissent, commiscuissent, conspirassent ad ædificandam turrim. Vnde nata postea confusio
E linguarum, ἡ σύγχυσις, ad quam,& ad Hebræum vocabulum *Babel* magis alludere videtur τῶν συγχυθέντων. Nemrod,qui & Belus,nepos Cham filij Noë,Nini pater,quia Babylonem condidit[e],primus creditur auctor extitisse turris condendæ, quæ vocata est Babel, primus Tyrannus, primus idololatra.De turre tradit Augustinus[f], non solùm de ciuitate,Iosephus[g] quoq; & alij. Ex Armenia,in cuius montibus arca post diluuiū resederat[h],éstque magis Oriētalis quàm Babylonia, confluxerunt Noë posteri in campū Sennaar[i]:Id nomē postea loco inditum est,significans, vt obseruat Rupertus[k], vel excussionem dentium, id est, sermonum & verborum: vel fœtorem

e Gen. 10. 10.
f 16. de ciuit. c. 4.
g 1 Antiq.
h Gen. 8. 4.
i Gen. 11. 2.
k libr. 4. in Gen. c. 41.

corum; quoniam vsu communis linguæ priuati sunt ædificatores turris, & eorum superbiæ fœtor ascendit ad Deum. *Dixit alter ad proximum suum*, inquit Scriptura [a]; *Venite, faciamus lateres*, &c.; *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras.* Auctorem huius consilij Nemrod, de quo dixi, Iosephus [b] inducit gloriosè iactantem vires suas, & opem offerentem contra nouum diluuiũ, si Deus id vellet denuò mittere, atque pollicentem ædificaturum turrim altiorẽ quàm quò possent aquæ ascendere: præterea maiorum necem vlturũ, qui diluuio perierant. Sed quis adeò fatuum datum consilium credat, cùm certò sciretur ex diuino promisso non amplius fore diluuium; & si esset, constaret vnam ciuitatem turrímve, quantumuis altam, ei arcendo per vniuersitatem terrarũ sufficere non posse, tantopere iam multiplicatis hominibus, & Dei potentia infinita quamlibet altitudinem superare possit? Idem iudicium de illis, qui aduersùs exitium orbis per ignem, quod aliquando esset, id sibi præsidium fecisse dicũt. Alia causa probabilior, quam idem affert Iosephus, & ex recitatis elicitur Scripturæ verbis, vt præter celebritatem nominis certum haberent locũ, quò se reciperent, si quando, quod minimè volebant, & maximè iubebat Deus, dispergerentur in varias regiones, ac quasi colonias. Ibi quoque Regni locare sedem Nemrod ambitiosissimus decreuerat, vt cum familia securus alios facilè coërceret, vt ait Hugo [c] S. Victoris; imò si posset, Deum ipsum infestaret, atque se contra illum tueretur, vt scribit Augustinus [d].

a Gen. 11. 3. 4.
b supra.
c in Genes.
d 16. de ciuit. c. 4.

Mirum est excusari hoc factum ab Abulense [e], nec in eo illum vllum agnoscere peccatum. Iosephus [f], Philo [g], Chrysostomus [h], Augustinus [i], Cassianus [k], Gregorius [l], & vno verbo, præter Abulensem, cæteri omnes damnant in vno facto superbiam, inobedientiam, impudentiam, temeritatem, petulantiam, contemptum, violentiam, impietatem. Demonstrat id ipsum Dei descensus, vt videret ciuitatem ac turrim, & pœna confusionis linguarum [m]. Sic descendit ad videndum peccatum Sodomorum [n], & ad excutiendum iugum seruitutis Ægyptiacæ [o].

e in c. 11. Genes. q. 8.
f 1. Antiq.
g de confus. lingua.
h hom. 30. in Genes.
i supra
k collat. 4. c. 13.
l hom. 30. in Euang.
m Gen. 11. 5. 6.
n infra 18. 21.
o Exo. 3. 7.

Cæterùm hyperbolẽ vsurpat Moses, cùm scribit ædificatores voluisse ad cœlũ pertingere: nec verisimilia sunt quæ Hieronymo [p] retulerunt de altitudine illi qui se oculis dicebant spectasse, quatuor millia passuum tenuisse. Credo diu reliquias superfuisse, quod Theodoretus [q] quoque testatur de sua ætate. Quantæ fuerint, incertũ reor, vt & an ventis procellisque deiecerit partẽ Deus, vt auctoribus Sibylla & Abydeno historico referunt Iosephus [r], & Eusebius [s]. Non hoc, opinor, Scripturæ siluissent: solùm tradunt, quòd *cessauerunt*, linguis confusis, cùm se non intelligerent, *ædificare ciuitatem* [t], de turri simul sub nomine ciuitatis intelligi volentes. Consule de his Pererium [u].

p lib. 5. in c. 14. Esaiæ.
q q. 58. in Gẽ.
r 1. Antiq.
s 9. de præparat. c. vlt.
t Genes. 11. 8.
u tom. 2. in Genes.

Sciuit.] Græcè (ἔγνω.) Aldina, & alia quædam exemplaria (εὗρε, *inuenit.*) Sic de Dauid [x]; *Inueni Dauid seruum meum.* Vulgaris formula est, vt inuenire dicamur quod cognoscendo deprehendimus; alioqui, cùm cognitioni res cognoscenda subiiciatur, quodam modo prior est, atque inuenitur.

x Ps. 88. 21.

Iustum.] Hic Abraham est, vt antè diximus, eiúsque iustitia crebrò celebratur in vtroq; Te-

A

stamento propter eximiam fidem, obedientiã, patientiam, pietatem. Quæ pietas eo eluxit magis quòd parentes & affines idolis dediti essent, ipse planè liber ab illorum cultu; etsi contrà nonnullis de aliquo saltem tempore visum sit. Sed hac de re non repetam quæ sunt in Cõmentario nostro super Actibus Apostolorum [a]. Refert Abenezra [*], quẽ citat Tostatus [b], ex Hebræorum traditione inter illos, qui profecti dicuntur ab Oriẽte in campum Sennaar, fuisse Noë & Abraham. Negat idem Abulensis de Abraham, eo quòd natus sit centum & nonaginta annis post confusionem linguarum; hæc autem centum annis post diluuium acciderit, atque dicta natiuitas Abrahã

a c. 7. 2. 3. 4.
* Gen. 11.
b ibid.

B

ducentesimo nonagesimo secundo post illud. Si vera esset Hebræorum chronologia, linguarum diuisionem reiiciendam in vltimum annũ Phaleg, qui post diluuium fuit trecentesimus quadragesimus, & ætatis Abraham quadragesimus octauus, potuit Abraham interfuisse turris ædificationi. Sed ei non consensit; sicut neque Noë, qui creditur superuixisse post ortum Abraham octo & quinquaginta annos, aut secundùm Græcorum supputationem, octo & viginti.

Robertus [c] Alemanus, vt Brugensis [d] refert, negantem quoque de Abraham quòd fuerit tempore diuisionis linguarum, opinionem sequitur, quoniam accidit sub Phaleg, qui fuit sextus ante

c in hunc locum.
d in notationib.

C

Abraham. Verùm, si dicas Phaleg nomen accepisse à diuisione linguarum, quæ ipso nascente contigerit, non potuit eo tempore Abraham vixisse, cuius tritaui Phaleg pater fuit. Si autem sequaris Hebræorum nonnullorum sententiam, Heber prophetantem nomen filio indidisse à re, quæ ipsius tempore euentura erat, potuit Abraham eo tempore, quo diuisio facta est, in viuis fuisse, & quidem si sub finem vitæ Phaleg contigit diuisio, annúmque, vt antè dictum est, agebat Abraham quadragesimum octauum. Tunc non deberet concedi, post Nemrod, qui & Belus Nini pater, natum Abraham, vt multi volunt chronologi, tribus & quadraginta annis: vel certè falsum esset, Nemrod turris construendæ auctorem fuisse. Asserat quiuis vt libet: ad rem præsentem satis

D

est, vixisse iustum Abraham post flagitiosos illos fabricatores turris, siue cum illis etiam vixerit, siue non vixerit.

Conseruauit sine querela Deo.] Græcè (ἐτήρησεν αὐτὸν ἄμεμπτον τῷ Θεῷ, *inculpatum apud Deum, & in quo Deus non haberet quod reprehenderet*) grauius videlicet. Sic appellantur quoque parentes Ioannis [e] ἄμεμπτοι, *sine querela*, id est, sine graui peccato, quod in querelam venire meritò valeat, vt Augustinus [f] docet contra quosdam hæreticos, qui inde contendebant omni peccato hominem carere posse. Quanquam de parentibus Ioannis

e Luc. 1. 6.
f epist. 95.

E

querela potiùs intelligenda videtur apud homines; dictum enim fuerat eos esse iustos ante Deum. Quo pacto loquitur Paulus & de aliis [g], & de seipso [h]. Cùm autem hoc loco Abraham dicatur conseruatus Deo sine querela, conficitur argumentum aduersùs hæreticos, qui vniuersè negant nos esse posse reuera, & propriè iustos, sed secundùm externam solam denominationem, & non imputationem.

g Philip. 2. 15. ad Thess.
h Philip. 3. 6.

Porrò quod de Philone memorat Brugensis, prodidisse, cùm Abraham dissentiret consilio fabricæ turris, in succensum coquendis lateribus caminũ esse coniectum, sed illæsum inde à Deo eductum, liberatúmque, apud Philonẽ non lego,

nec etiam credo; quemadmodum nec quod alij volunt id contigisse in Chaldæa. Dilerit accuratè quæstionem istam Pererius [a]. Itaque quòd conseruasse sapientia Abrahã sine querela Deo scribitur, interpretor de vero cultu pietatéque ipsius inter tot impios, vel etiam ab aliis periculis, quale quod accidit in eius vxore, quando sine querela, id est, sine culpa, dissimulauit esse vxorem, sed sororem nominauit.

In filij misericordia fortem custodiuit.] Variæ lectionis leuiter antè meminimus (*in filiis misericordiam fortem*, vel *in filiis misericordiæ.*) Nostra verò lectio congruit editioni Græcæ (*ἐπὶ τέκνῳ σπλάγχνοις ἰσχυρὸν ἐφύλαξεν, in filij visceribus fortem custodiuit:*) hoc est, in filij, vt dicunt, viscerato amore, qui filius viscera quoque patris vocatur, constantem sapientia custodiuit Abraham, ne detrectaret imperium Dei de occidendo filio Isaac [b]. Tuentur hanc lectionem Ianseuius & Brugensis. Maximi roboris animi, & confirmatissimæ virtutis opus fuit filium, Dei mũnere ac miraculo cõcessum [c], vnicum, vnicè dilectum, spem posteritatis, propria mactare manu, ac totum flammis absumere, sicut disertè præ aliis expendit Philo [d]. Chrysostomus [e] autem fortem vocat mentem Abrahæ, ingens robur animi eius, rationem, omnem humanæ naturæ affectum vincentem. Idem Philo [f] respondet Gentilibus, fortiora quædam facta in eodem genere ex historia sua proferentibus, qualia legi apud Ciceronẽ [g] possunt de Erechthæo, Codro, Menecho, Iphigenia, Hermodio, & Aristogitone, Leonida, Epaminonda; item de L. Bruto, de Deciis, & aliis. Non ex aliorum more id Abraham fecisse dicit: non ad arcendum graue ingruens malum: non inuitum coactúmve: non cupidine gloriæ famæque, sed sola Deo parendi voluntate; qua re nihil honestius & præstabilius ducitur.

Extant encomia plurima apud Patres de Abraham. Ex his Ephrem [h] legendus, qui se testatur semper ad aspectum huius imaginis filium mactare parati illacrymasse; quod de Gregorio quoque Nysseno proditum est [i]: præterea Zeno Veronensis [k], Ambrosius [l], Chrysostomus [m], Augustinus [n]. Multa dicit Olcot [o] de misericordia Dei, quo pacto sit fortis secundùm intensionem, extensionem, durationem. Verùm proposito non congruunt, quia non est hoc hîc epithetum misericordiæ Dei, sed Abrahæ, quem fecit fortem sapientia, siue Deus, vt declaratum est.

a lib. 16 in Gen. disp. 15.
b Genes. 22.
c Genes. 21.
d de Abrahã.
e hom. 48. in Genes.
f suprà.
g Tuscul. 1.
h tom. 3. sermone de Abraham, & Isaac.
i in Concil. Niceno XI. act. 4.
k serm. 5.
l lib. de Abraham.
m homil. 47. in Genes. & serm. de fide Abraham.
n serm. 68. de temp.
o lect. 126.

Vers. 6.] Hæc iustum à pereuntibus impiis liberauit fugientem, descendente igne in pentapolim.

EXemplum quartum est Lot, quem sapientia, Deive cultus verus, ac Deus ipse de Sodomorum, & aliarum ciuitatum liberauit incendio.

Iustum.] Lot. Iusti epithetum in isto capite datum vidimus Noë, & Abrahæ, & deinceps datur Iacob, Ioseph, populo Hebræorum. Idcirco iustitia & sapientia confunduntur, & maximè dicuntur de vero cultu Dei per omnes virtutes quę ad illum spectant. Petrus [p] ad eundem modum de Lot loquitur, eum sic laudans; *Iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit Dominus: aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabãt.* Eo maior & conspectior iustitia Lot, quòd versaretur inter adeò sceleratos, volens, si quo modo posset, corrigere, vt obseruat Chrysostomus [a]. Nec obstat iustitiæ Lot, quòd filias obtulerit Sodomitarũ libidini [b]. Nam Ambrosius [c], Chrysostomus [d], Augustinus [e], beatus Thomas [f], Caietanus [g], & alij multi excusant, quoniam non stuprum per se filiarum voluit, sed paratis ad maius, minus malum proposuit, ne hoc quidem approbans vt malum, sed vt, ob minorem malitiam, aliquo pacto bonum. Quòd si non placet hæc excusandi ratio; quæ nec Augustino [h], glossæ interlin. in Genesim, ac pluribus præterea, dicendum ex magna quadam perturbatione, & ingenti amore tuendi hospites, & odio execrandi facinoris, permisisse se illi consilio, quod occurrit primum, & quòd simul fortasse propter ignorantiam honestum licitúmque credidit. Plura Pererius [i], & nos in Commentario Petri.

A pereuntibus impiis.] Videtur legisse Interpres, quo modo & Cantacuzenus, non, vt nunc legimus (ἐξαπολλυμένων) sed diuisim (ἐξ ἀπολλυμένων.) Nota historia ex Genesi [k], quo pacto Deus post communicatum de Sodomitis delendis consilium cum Abraham, & hoc frustra pro ipsis deprecante, cùm ne decem quidem inter eos reperirentur iusti [l], tandem igni ac sulphure consumpsit illos.

Peccati quoque Sodomitarũ genus non ignotum; & quamuis nefandum, de illo fari qui vult, non aliter quàm ab illis eius auctoribus id cognominat. Clamorem appellat Scriptura [m] propter impudentiam & libertatem peccandi, vt ait Augustinus [n], & Gregorius [o]; peccatum enim suũ prædicabant, nec abscondebant [p]. Præter infamem luxuriam numerat Ezechiel [q] superbiam, saturitatem panis & abundãtiam, otium, & quòd manum egeno & pauperi non porrigerent. Hæc est inhospitalitas & inhumanitas, quam iisdem Iosephus [r] tribuit, simul cum magna impietate aduersùs Deum. Philo [s] autem distinctè magis persequitur eorum scelera in omni genere libidinis etiam præposteræ, quam Iudas [t] vocat carnem alteram, quòd sit aliena ab vsu & opere generandi [u].

Liberauit.] Modum narrat Moses [x] quo liberatus est Lot cum familia, hoc est, cum vxore, & duabus filiabus; his namque destinati generi, de Sodomis egredi noluerunt [y], quòd rem ioco dici putarent: illos verò Angeli manu prehensos eduxerunt, & posuerunt extra ciuitatem, cùm adhuc Lot dissimularet ac tergiuersaretur. Alios præterea iustos ibi fuisse, atque euasisse, probabile ducit Abulẽsis [z]: ego qua ratione probare possit, non video, cùm potiùs indicet oppositum historia sacra, tradens vniuersos, demptis quos diximus, periisse: quod, si pueros innocentes excipias, quos forsan improbi parentes pio tamen ritu expiauerant, de damnationis quoque interitu accipi solet; quamuis contradicere videatur Hieronymus [a], vt & de diluuio submersis [b], vel in mari rubro [c]. Sic de istis æternam damnationẽ euasisse sentire videtur. Si decem iusti fuissent, pepercisset Deus [d], scilicet si de numero adultorum.

Fugientem.] Quæ sequuntur iuxta editionem nostram, ostendunt hoc participium referri duntaxat ad præcedens verbum (*liberauit*) non ad descendentem ignem; ita vt non significetur quòd fugiebat ignem, sed quòd fugientem de Sodomis liberauit sapiẽtia, Deúsque (*descendente igne*) dum descenderet ignis, nempe post fugam. Græcè

p 2. Epist. 2. 7. 8.
a hom. 41. in Genes.
b Gen. 19. 8.
c 1. de Abraham. c. 6.
d suprà.
e de mendacio c. 7.
f q. 1. de malo. art. 1. ad 14.
g 2. 2. q. 78. art. 4.
h cont. mendacium c. 9. & q. 42. in Gen.
i in c. 19. Gen. disp. 6.
k c. 19.
l c. 18.
m ibid. 20.
n 1. locutioni in Gen.
o 5. moral c. 7. 3. Pastor. c. 32.
p Esa. 3. 9.
q c. 16. 49.
r 1. Antiq. c. 12. vel 19.
s de Abrahã.
t in Epist. vers. 7.
u Rom. 1. 26.
x Gen. 19. 11 & seq.
y ibid. 14. 15.
z ibid.
a in Nahum. c. 1.
b Genes. 7. & 8.
c Exod. 14.
d Gen. 18. 32.

tamen efficitur ille sensus, quòd fugerit ignem.

Descendente igne.] Alij codices Latini (*descendentem ignem*) sicut & Græci (κατaβάσιον πῦρ) vel ordine opposito (πῦρ καταβάσιον.) Præter ignem addit liber Genesis [a] sulphur. *Igitur*, inquit, *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur a Domino de cœlo*; Chald. *pluit Dominus ignem & sulphur à facie Domini de cœlis.* Vt sit pluere à Domino idem quod pluere à se ipso, ac denotetur harum rerum minimè naturalis efficientia, sed auctore Deo præter naturæ ordinem entiúmque, nec incendium è terra extitisse, sicut scripsit Strabo [b], sed desuper missum in terram, quemadmodum prodidère Solinus [c] & Tacitus [d]. Sed alij Trinitatis ibi mysterium obseruant, maximè veteres Patres; quæ non sine obseruantia recipi expositio debet, quamuis nō tanquam pertinens necessariò ad Catholicam fidem, vt demonstrat rectè Pererius [e].

Exaggerant valdè scriptores alij sacri graue hoc supplicium. *Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei*, ait Ieremias [f], *peccato Sodomorum, quæ in momento subuersa est, & non ceperunt in ea manus.* Hoc vltimum denotat, vel Sodomitas eleemosynas nō dedisse; quod vnum de criminibus eorum fuisse retulimus antea ex Ezechiele [g], vt placet Carthusiano: vel sic absumptas res illorum cum ipsis, vt eas nemo alius sibi vsurpare postea quiuerit: vel non hominum quasi castrametantium & obsidentium manibus, sed Dei & Angelorum potentia destructos. Legatur Esaias [h], & iterum Ieremias [i], Amos [k], Sophonias [l], Psalmus 106. [m] Deuteronomiū [n], Matthæus [o], Petrus [p], Iudas [q], Paulus [r], Ioannes [s], qui tum peccatorum, tum pœnarum magnitudinem hoc exemplo confirmant, & illustrant, proponúntque ad incutiendum terrorem futuri iudicij, ac supplicij æterni. Hoc faciunt maximè Petrus & Iudas. Fuit ignea sulphureáque pluuia, vel densissimum sulphur ignitum: & in Deuteronomio exprimitur salis ardor; in Psalmo 106. salsugo; vnde lacus, vel mare mortuum & salsissimum, ac eius soli sterilitas: in Sophonia siccitas spinarum, aceruí salis, desertum vsque in sempiternum: in Petro redactio in cinerem. Tanta & tam ardens, ac fœtens libido ignis deflagratione, fœtoréque sulphuris aptè animaduersa est, vt annotauit Gregorius Papa [t]. Nazianzenus [u] videtur adiungere procellam, iuxta illud quod est in Psalmo 10. [x] *Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Ignis sulphureus idem videtur qui fulmineus: habent namque fulmina & fulgura sulphuris odorem, teste Plinio [y], ac lux ipsa eorum sulphurea est. Iosephus [z] fulminibus conflagrasse prodidit. Hoc sibi quoque voluit comminans Deus [a]; *Ignem & sulphur pluam super eum, & super exercitum eius.* Quia verò alimētum ignis sulphur est, designatur vtraque re perpetuitas pœnę, quod Iudas [b] vocat, de Sodomis loquens, vt dixi, exemplum ignis æterni; & Ioannes [c] stagnum ignis & sulphuris, agens de supplicio sempiterno, quod diabolus ipse patitur. Æternitas ignis atque sulphuris inexpiabili debetur culpæ: nam hæc duo ad expiandū adhibita, omnis testatur etiam profanorum historia, quam noster collegit Pineda [d].

In Pentapolim.] Græca vox à quinque ciuitatibus, sicut Tripolis [e] à tribus, Decapolis [f] à decem. In Genesi [g] legitur, subuersam Sodomam & Gomorrham, *& omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Liber Deuteronomij [a] nominatim exprimit præter Sodomam & Gomorrham, etiam Adamam & Seboim; sicut & Oseas [b] vltimas duas. Quinta erat ciuitas Segor, antè vocata Bala, & ætate Hieronymi [c], quādo adhuc extabat, Zoara, precibus Lot erepta ab incendio [d]. Quocirca minimè credēdum Stephano auctori libri de vrbibus, vrbes numerauti deletas decem: vel Straboni [e] tredecim; sed nec Egesippo [f], vel Iosepho [g] exactè quinque. Plerūque mentio fit in Scripturis de Sodoma & Gomorrha, necnon à Solino [h], tanquam de insignioribus regionis illius Pentapolitanæ ciuitatibus; quam regionem Auctor hoc loco significare voluit. Oseas [i] agens cum Israël, minoris notæ ciuitates expressit, quæ Principum aliarum prauum secutæ fuerant exemplum: alij agentes contra Iudam, protulerunt Principes ipsas ciuitates Sodomæ & Gomorrhæ, vt Hieronymus admonet exponens Prophetam.

Cùm autem superfuisse Segor ætate sua testetur idem Hieronymus [k], & mille pòst annis Borcardus [l], vt Iosephum [m] prætercam, haud sui inmemorem satis, & Esaiam [n], & Ieremiam [o], sequitur non videri verum, destructam Segor post discessum Lot ex ea, vt existimauit Lyranus [p], & hiatu terræ habitatores illius absorptos, vt Theodoretus [q], & Suidas [r]. Locum euersarum ciuitatum occupauit mare, quod vocant mortuum, salis seu salsum, & salsissimum: præterea campestre & planitiei, denique solitudinis, longitudinis plus centum millium passuum, latitudinis viginti, vt Plinius [s]; vel illius septuaginta millium & quingentorum, huius propè decem ac nouem millium, vt memorat Iosephus [t].

Vers. 7.] Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.

TRia ponit nequitiæ Pentapoleos extantia testimonia, diuinæque in eam vindictæ, vastitatem solitudinémque fumigantis terræ: plantarum immaturos fructus: statuam salis incredulæ monumentum vxoris Lot.

Quibus in testimonium nequitiæ.] Græcè (ἧς ἔτι μαρτύριον τῆς πονηρίας, *cuius adhuc*, &c.) sicut & quidam habent codices Latini. *Cuius*, nimirum Pentapolis: *quibus*, videlicet pereuntibus impiis Pentapolitanis. Forsitan legit Interpres οἷς pro ἧς, & ἐπὶ pro ἔτι.

Fumigabunda constat deserta terra.] Græcè (καπνιζομένη καθέστηκε χέρσος.) Significat χέρσος *desertam, asperam, & incultam terram*, ἔρημον γῆν, καὶ τραχεῖαν, καὶ ἄκαρπον, καὶ ἀνέργαστον, vt Hesychius loquitur. Vnde χερσόνησος, *peninsula.* Mare quod loca occupauit, quæ igne deflagrarunt, inter alia nomina vocari dixi solitudinis, quòd loca circumquaque vicina inficiantur euaporatione aquarum noxia & insalubri, ita vt sterilia sint, & viuētibus infesta, ideóque inhabitata & deserta. *Vidit* Abraham *ascendentem fauillam de terra* illa *quasi fumum fornacis* [u]. Testes eadem de re Iosephus [x], & Egesippus [y]. Multò autem recentior Borcardus [z], vt oculatus etiam testis prodit mare mortuum semper esse fumans, & tenebrosum, sicut os inferni, ob tetrum vaporem inde fumantem, qui quò

deferente

a c.19.24. b lib.17. c c.37. d 5.histor. e Genes.19. disput.4. f Thren.4.6. g c.16.49. h c.19. c.13.19. i c.23.14.c.49.18.c.50.40. k c.4.11. l c.2.9. m vers.34. n c.29.23. o c.10.15. c.11.24. p 2 Epi.2.6. q vers.7. r Rom.9.29. s Apoc.11.8. t 14.moral. c.10. u orat.40. x vers.7. y lib.35.c.15. z 5. de bello Iud.c.5. a Ezech.38.22. b in Ep.vers.7. c Apoc.19.20.c.20.9.10.c.21.8. d in c.18.Iob. vers.15.n.8. e 2.Machab.14.1. f Mat.4.25. g c.19.24.25.

a 29.23. b c.11.8. c de locis Hebr.p.i.c.7.n.18. d Gen.19.20.21. e lib.16. f 4.de excid. Ierosol c.18. g 5.de bello Iud.c.5. h c.37. i supra. k de loc.Hebraic. l de locis terræ sanctæ. m 1 Antiq. n c.15.5. o c.48.34. p in c.19. Genes. q q.69.in Genes. r verbo Lot. s lib.5.c.16. t 5. de bello Iud. c.5. u Gen.19.28. x 5. de bello Iud c.5. y 4. Antiq.c.19. y de excid.Ierosol.c.18 z de locis sanct.p.c.7. n.8.

deferente pertingit vento, cuncta ſterileſacit. Narrantur eadem à Tertulliano [a], Auguſtino [b], Oſorio [c].

a apolog. c. 40. & lib. de pall. c. 2. & carmin. de Sodo.
b 21. de ciuit. c. 5. & 8. 1. de mirabilibus Scrip. c. 10.
c 1. hiſt. c. 5. & 6.

Incerto tempore fructus habentes arbores.] Græcè (ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτὰ, *imperfectis tempeſtatibus fructus ferentes plantæ*, ſiue *fructus intempeſtiuos*, nec ὡραίους, & *immaturos* ac *imperfectos.*) Apertum mendum eſt in quibuſdam libris (*in certo.*) Imperfectis temporibus tempeſtatibúſve fructus ferri à plantis, ſiue arboribus, eſt nondum ferri tempore opportuno adueniente, quo ſolent maturari. Vocantur ſimiles fructus immaturi, intempeſtiui, deformati [d], in quibus nempe adhuc forma perfecta non eſt. Interpres autem Origenis [e], citans hunc locum, legit (*plantæ intempeſtiuum fructum ferentes.*) Hoc idem porrò citati referunt auctores, nempe feraciſſimam priùs pulcherrimarũ regionem plantarũ pomorúmque, aut nulla ferre præ ſterilitate, aut cum renaſcente in fructibus cinere, vt licèt hi colore fructus imitentur veros, in carpentium manibus in fumum & cinerem reſoluantur. Nec Ethnici non idem de his prodigiis memoriæ mandarunt, ſcilicet Solinus [f] de fuligine fauillacea intra fructus, & fumos exhalante ad tactum, puluereq́ue vago fatiſcente: Tacitus [g] de inanibus & atris, ac velut in puluerem vaneſcentibus herbis, floribus, fructibus, quòd lacus halitu inficiatur terra, atque ſuperfuſus corrumpatur ſpiritus, cóque fœtus ſegetum putreſcant, ſolo cœlóque iuxtà graui. Strabo [h] etiam ſimilia prodidit. Rem bellè deſcribit ſiue Tertullianus, ſiue Cyprianus carmine de Sodoma.

d ſic Quintilia.
e tract. 20. in Ioan.
f c. 38.
g 5. hiſtor.
h lib. 17.

Tota rogus regio eſt, hinc atro horrore fauillæ,
Hincque ſitu cauo cineris incendia ſignant,
Semperempta etiam ſi qua illic ſugera latas
Autumni conantur opes, facilè optima quæque
Promittunt oculis, pyra, perſica, & omnia mala.
Donec carpantur: nam protinus indice tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauilláque pomum.

Mira narrant inſuper de lacu iidem vtrique ſcriptores, nullum inde bibere poſſe; nullũ illîc animal viuere; nihil quamlibet graue demergi; bitumen ex eo tam copioſum colligi támque tenax, vt non ferro, ſed filo, quod menſtruo muliebri ſit imbutum, diuidi valeat.

Incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis.] Vxorem Lot intelligit, quæ eùm non paruiſſet præcepto diuino, ne reſpiceret poſt tergum [i], *verſa eſt in ſtatuam ſalis* [k]. Præuaricatio hæc orta videtur ex quadam infidelitate ſeu incredulitate: vocatur enim hîc ἀπιστούσα ψυχὴ, quaſi non crederet referre ad incolumitatem ſalutémque, ſi reſpiceret retrò, nécne: aut, vt ait Cantacuzenus, nollet ſibi perſuadere conterendam Sodomam: aut, vt idem, virum ac filias per vim reuocare cogitaret, interim dum adhuc incendium non videbat. Coniunctum ſimul curioſitatis fæminis familiare poſt Euam (quæ incredulitate quoque laborauit) vitium fuit, vt Ioſephus [l] ſcribit, nimis attentè ac moroſè cladem regionis, ſi accideret, contemplando, atque, vt ſuſpicor, indigniùs ferendo, vt ſæuam nimis, ac ſupra delicti meritum. Hieronymus [m] affirmat priſtinis vitiis aſtrictam Lot ſaluare voluiſſe: at cùm reſpexiſſet poſt tergum, æterno infidelitatis titulo condemnatam. Vnde colligunt nonnulli æternam damnationem incurriſſe. Lenior placet ſententia, quamuis patronum eius non reperiam. Quod Hieronymus dicit, verum eſt, quatenus per ſtatuam ſalis prior damnata infidelitas eſt; quam neſcimus aliquo

i Gen. 19. 17.
k ibid. 26.
l 1. Antiq. c. 19. vel 12.
m epiſt. 46.

temporis momento ab ipſa correctam non eſſe. Deinde non adhuc planè conſtat peccatum id mortale fuiſſe. Lege, ſi placet, quæ de Anania & Saphira diſputauimus in hiſtoria Apoſtolica [a].

a c. 5.

Cæterùm quod de memoria ſiue monumento dicitur (μνημεῖον vocatur) & de ſtante figmento ſiue columna (ἑστηκυῖα στήλη appellatur) demonſtrat non hoc fingi, vel figuratè ſolùm ſcribi, ſed ſeriò, ac propriè. [Non fabulam aliquam fingit ſacra hiſtoria, inquit Philo [b], ſed veram ipſius rei proprietatem indicat.] Quapropter non eſt ſenſus, quem Abenezra [c] tradit, eam mulierem verſam dici in ſtatuam ſalis, quia perierit igneo imbre, qui admixtum haberet ſulphur & ſal. Nam ſic dicere poſſemus euaſiſſe in ſulphuream ſtatuã: & Sodomitas cum iumentis, & aliis eorum rebus illo imbre percuſſis, vel in ſulphuris, vel in ſalis. Nec recedendum quoque à ſalis proprietate, ita vt ideo duntaxat ſalis nominetur ſtatua, quòd eſſet monumentum perpetuum, & perpetuitatis ſymbolum ſit ſal, ſaliſque pactum ſempiternum dici ſoleat [d].

b lib. de profugis.
c in Geneſ.
d Nume. 18. 19. 2. Paral. 13. 5.

Loquuntur de ſalis vel columna, vel ſtatua, vel aceruo, & cumulo, quotquot eius hiſtoriæ meminerunt, velut de vera & propria ſalis materia, quam etiam lamberent greges. Hoc vltimum Benjaminus [e] Tudelenſis ſcripſit; ſed poſtquam lambendo cumulus imminutus eſſet, denuò ad priſtinam molem creſcere ſolitum. Borcardus [f] & Ioſephus [g] ſua ætate perduraſſe tradũt, & Borcardus colloeat inter Segor, & Sodomam. Thargum verò Ieroſolymitanum vxorem Lot dicens fuiſſe de filiis populi Sodomæ, & reſpexiſſe poſt ſe, vt videret quidnam futurum eſſet cum domo patris ſui, ait verſam eſſe in columnam ſalis, quæ duratura ſit vſque ad tempus reſurrectionis, quo mortui reuiuiſcent. Itaque variant auctores in modo loquendi, dum vocant vel ſtatuam, vel columnam, vel cumulum ſiue aceruum: quæ tamen omnia ſimul quodammodo vera poſſunt eſſe, vt aggeſtum ſal extiterit columna, in qua fæminæ expreſſa imago eſſet. Audi porrò quæ Tertullianus carmine de Sodoma cecinit.

e in Itinerario.
f de locis ſãctis p. 1. c. 7. n. 34.
g 1. Antiq. c. 19.

Namque comes coniux, heu me, malè tum quoque legis
Fœmina non patiens (vt Eua priùs) *diuina ad murmura cœli*
Audaces oculos nequicquam ſola retorſit,
Nec habitura loqui quod viderit; & ſimul illic
In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulchrum,
Ipſáque imago ſibi formam ſine corpore ſeruans,
Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub æthram,
Nec pluuiis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.
Quin etiam ſi quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.

Addit poſtea miram & parum credibilem de eadem fæmina famam.

Dicitur & viuens alio iam corpore ſexus
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.

De modo quo euaſerit vxor Lot in ſtatuam ſalis dicam poſtea. Nugantur Hebræi, teſte Lyrano [h], quòd in pridiano vxor Lot conuiuio ſalem præbere noluiſſet hoſpitibus, eam ſubiiſſe pœnam. Illi quoque minùs loquuntur propriè, qui aſſerunt, quia ſine quodam ſale leporis & comitatis triſtis ac tetrica illos excepiſſet. Chriſtus portentoſæ mutationis finem noſtrorum condimentum morum fuiſſe ſignificat, ne reſpiciamus retrò, & reſiliamus ab inſtituto ſalutari. *Memores*, ait [i], *eſtote vxoris Lot.* Idem exiſtimo ſibi velle hoc loco τὸ μνημεῖον, *memoriam, monumentúmque.* Legendus de

h Gen. 19.
i Luc. 17. 32.

hac

hac ratione Philo [a], Ambrosius [b], Augustinus [c], Rupertus [d], Origenes [e], Albinus [f], Optatus [g]. Sedulius autem sic rem versu expressit:

Lot Sodoma fugiente chaos, dum respicit uxor,
In statuam mutata salis stupefacta remansit
Ad pœnam conuersa suam: quia nemo retrorsum
Noxia contempti vitans discrimina mundi
Respiciens saluandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens; vultum in sua terga referre [h].

Irenæi [i] allegoria non adeò placet, vt designet statua salis, siue columna Ecclesiã, *quæ*, teste Apostolo [k], *columna est, atque firmamentum veritatis*, & frugiferæ doctrinæ, cuius sal symbolum.

Incredibilis.] Casus gignendi est iungẽdus cum (*animæ.*) Græcè (ἀπιστούσης ψυχῆς.) Mendum itaque est vel (*incredibiles*) legere, vel omittere (*animæ.*) Non congruit quoque vt accipiatur tanquam casus rectus pertinens ad (*memoria*) vt facit Hugo. Meliùs dixisset Interpres (*incredulæ*) quàm (*incredibilis.*) hoc enim potiùs indicat cui, aut quod ęgrè potest credi: denique passiuæ magis quàm actiuæ significationis est. Eodem tamen etiam pacto alibi vtitur hac voce [l], & interdũ [m] ei iungit aliud nomen (*contumax.*)

Memoria.] Græcè (μνημεῖον.) *Memoriam* vsurpat Interpres pro *memoriali*, siue *monumento*; sicut & sequenti versu, vbi est μνημόσυνον, & aliis locis: licèt non rarò quoque dicat *memoriale*, atque aliquando [n] *monimentum.*

Figmentum.] Στήλη ab ἵστημι, *statuo*, lapis est extãs è terra, vel signi, vel munitionis gratiã, quæ statua dici potest, atque columna, & cippus. In stadio, in sepulchro, in platea, alibi collocabatur. Huiusmodi quoque quem vocant lapidem titularem, in quo quid inscribatur aliquando ad memoriam posteritatis. Stilites appellatus est Simon, & Daniel, & nonnullus alius, quasi columnarius, quoniam degebant in columna. Stelas Plinius [o], mutuatus Græcum vocabulum in hac ipsa significatione, dixit literis incognitis inscriptas. Priùs retuli ex Tertulliano fœminæ imaginem perseuerasse in statua. Id Abulensis [p] disertè affirmat. In Genesi *statuam* Interpres posuit: Septuaginta στήλην: textus Chaldæus קמתא *kamtha*, quæ propriè est *statua*: Hebræus, נציב *netsib, tumulus, & cumulus.*

Salis.] Pridem dixi, propriè sal, seu lapidem salis accipi debere. Si modum quæras quo id factum, sit respondebit auctor [q] operis de mirabilibus sacræ Scripturæ, nomen gerens Augustini, Deum, quod in vxoris Lot corpore, sicut & in cuiusuis alterius hominis est, salsæ materiæ erat, vt indicant lacrymę atque phlegma, siue sputum, per omne illius corpus infudisse, & id ea infecisse, ita vt sal euaderet. S. Thomas [r] operam hîc Angelorum interuenisse nō negat, aut bonorum, aut etiam malorum; quoniam per vtrosuis puniat interdum Deus: verùm ita, vt præcipua virtus in ea conuersione fuerit diuina; Angeli duntaxàt extiterint dictæ virtutis instrumenta. De sale iustum opus composuit Bernardinus Gomesius.

Vers. 8.] Sapientiam enim prætereuntes, non tantùm in hoc lapsi sunt vt ignorarent bona, sed & insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, vt in his, quæ peccauerunt, nec latere potuissent.

---

a 2. allegor. legis. lib. de temulentia. lib. de profugis. lib. de somniis.
b in Ps. 43.
c 16. de ciui c. 30. in Ps. 75 & 83.
d 6 in Genes. c. 12.
e in Genes.
f ibid.
g 13. contra Parmen.
h Luc. 9. 62. Nemo mittens manum suam ad aratrũ, &c.
i lib. 4 c 51.
k 1. Tim. 3. 15
l Eccli 1. 34. c. 2. 18. c. 16. 7. 29. c. 23. 31. c. 41. 4. Baruch. 1. 19.
m Eccli. 1. 34.
n 2. Reg. 18. 18.
o lib. 6. c. 29.
p Gen. 19.
q lib. 3. c. 12.
r q. 16. de malo. art. 9. ad 3.

A *Vers.* 9.] Sapientia autem hos, qui se obseruant, à doloribus liberauit.

CONtinetur hoc duplici versu γνώμη ex pereuntium diluuio, eoque liberatorum pendẽs exemplo, atque ex perditione tum Sodomitarũ, tum vxoris Lot, huius autem salute ac filiarum collecta. Est autem hæc; qui sapientiam spernat, & pœnam istam sustinere, quòd eius dignitatem minimè percipiat, & quòd amẽtiæ relinquat memoriam dedecorosam ac indelebilem: cùm è contrario sapientiæ sectator ab omnibus eripiatur malis.

Sapientiam prætereuntes.] Græcè (σοφίαν παροδεύσαντες, *qui sapientiam contempserint*, vel *extra viam eius excesserint, ab ea exorbitauerint.*)

B *Non tantùm in hoc lapsi sunt.*] Græcè (οὐ μόνον ἐβλάβησαν, *non tantùm læsi sunt, in hoc incommodum*, siue *damnum lapsi sunt, inciderunt*, &c.)

Vt ignorarent bona.] Græcè (καλά, *honesta*) necnon simul vtilia; & iucunda honestis annexa.

Reliquerunt hominibus memoriam.] Græcè (τῷ βίῳ μνημόσυνον.) Vatablus (*in vita monumentum.*) Rectè *monumentum*, vt diximus versu 7. non item *in vita*; nam non est Græca præpositio ἐν: & Sodomitæ, vxor Lot, hi quos deleuit diluuium, moriendo, atque post vitam reliquerunt insipientiæ suæ monumentum viuentibus & victuris. Interpres secutus sententiam, reddidit (*hominibus*) quasi

C diceret, reliquerunt hominibus ad vitam bene degendam tali exemplo memoriam, siue monumentum. Possunt commemorata supplicia nominari παραδείγματα, & exempla, non simplices κολάσεις, vel τιμωρίαι, de quibus Taurus Philosophus apud Gellium [a], non semel simili à nobis citatus in causa.

Id [b] arbitror apprimè in vita esse vtile,
Ex aliis periculum facere, sibi quod ex vsu siet,
Alieno malo sapere commodum est.

Optimum aliena insania frui, inquit Plinius [c]: qua de re Adagiographus plura, citans quoque tritum versum;

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Petrus [d] hoc monet de Sodomitarũ & Gomor-

D rhæorum ciuitatibus, quòd Deus exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, posuerit.

Nec latere potuissent.] Latiniùs & clariùs (*possent.*)

Hos, qui se obseruant.] Græcè (τοὺς θεραπεύοντας αὐτὴν, *colentes ipsam, admirantes, venerantes*: vel præterea *seruientes cum quodam obsequio, & officiosè, ac etiam religiosè.*) Omnia hæc significat τὸ θεραπεύειν, & his plura. Galli cultum Dei vocant (*le seruice diuin*) & colere Deum (*seruir Dieu:*) hócque secundum peculiariter adhuc magis de viris religiosis, qui multorum linguis vocari solent serui Dei; sicut olim iidem vocabantur θεραπευταὶ, qui & μοναχοὶ, vel ἀσκηταὶ, & genere fœminino θεραπευτρίδες. Sic nimirum commune religiosè colendi verbũ no-

E ménque ad eos accommodatum est, qui studio maiore illud faciant, facerévè profiteantur. Vnus religiosorum ordo Seruorum dicitur, quòd in colenda B. Virgine impẽsiùs obsequiosi velint esse. Quare desinant vel imperiti mirari, vel obloqui maleuoli, si qui se de Societate Iesu cognominent, de qua omnis Christianus est [e]. His ego aliàs pleniùs satisfeci [f].

A doloribus liberauit.] Græcè (ἐκ πόνων.) Rectè labores dolores dixit, scilicet ærumnosos labores. Per metonymiam, & actiuè posset dolor sumi pro eo quod efficit, vel infert dolorem, hoc

est,

---

a lib. 6. c. 14.
b Terent. in Andria.
c lib. 18. c. 5.
d 2. Epi. 2. 6.
e 1. Cor. 1. 9.
f in 1. Epist. Ioan. 1. 3.

est, pro peccato: sicut contrario modo peccatum, vel iniquitas pro pœna quæ infligitur illi accipitur. Denique ἀπὸ τοῦ πόνου deriuatur πονηρία, *à labore iniquitas.* Grauissima perturbationum dolor est, teste Plutarcho [a].

a de consolatione.

Vers. 10.] Hæc profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.

DEinceps in hoc, & sequẽtibus versibus duobus affertur exemplum Iacob. Hic insigni vir religione iratum fugiens Esau fratrem [b], recta deductus est via sapientiæ Deique munere. Prætulit illi lucem Deus tunc præcipuè, quando mysticam dormienti ostendit scalam, & in ea Angelorum præsidia, atque piis deferendũ regnum [c]. Docuit præterea de rebus sanctis, ac de iis quæ conducunt ad sanctitatem. Adhæc felices laboribus dedit successus, copioséque ditauit.

b Genes. 27. 42 & seq.
c infrà 28.

Hæc.] Redundat (*autem*) in codicibus Regiis, Complutensibus, & aliis.

Profugum iræ fratris iustum.] Græcè (φυγάδα ὀργῆς ἀδελφοῦ δίκαιον.) Profugus iræ est qui fugit ac declinat iram. Græcismus est, vt iungatur *profugus* genitiuo, vt, φυγὰς τῆς ἑαυτοῦ, nempe πατρίδος, vel μερόπων, siue ἀνθρώπων, *hominum*: licèt subaudiri possit præpositio ἐκ, aut ἀπό. Causa fugæ fuit fraternum odium, conceptum præsertim ex benedictione, quam Isaac pater impertierat Iacob. Cùm autem Rebeccæ matri minæ renunciatæ essent Esau contra Iacob, iussit vt fugeret ad Laban, donec remitteret furor ac indignatio Esau, & obliuio illum caperet eorum quæ fecerat Iacob in eum. Sunt hæc in Genesi [d].

d suprà.

Fraterna quàm grauia soleant esse odia, dixi aliàs [e]. Optimum consilium demitigandæ alienæ iræ, locum ei dare, cedere loco, & absentem esse, & mora mederi, vt præcipit Seneca [f]. Ad hunc modum declarant Pauli consilium [g], *date locum iræ*, Ambrosius [h], Anselmus [i], Basilius [k]. [Resiste iræ, ait Ambrosius, si potes, nempe patienter ferendo, aut iratum mitigando; si non potes, cede, quia scriptũ est, *date locum iræ*.] Confirmat exemplo Iacob. Iacob indignanti fratri piè cessit, & abesse maluit & peregrinari, quàm excitare fratris indignationem [l]. Basilius probat alio testimonio Christi [m], *cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.*

e Act. 1.
f 2. de ira. c. 28. lib. 4. c. 12.
g Rom. 12. 19.
h 1. offic. c. 21.
i in Epist. ad Rom.
k reg. 244. ex breui.
l Gen. 27.
m Mat. 10. 23.

Deduxit per vias rectas.] Græcè (ὡδήγησεν ἐν τρίβοις εὐθείαις, *in semitis rectis.*) Vias aut semitas rectas morum Lyranus interpretatur: alij, quæ tendebant in Mesopotamiam: Carthusianus vtroque modo, ita vt Iacob in sua illa peregrinatione recto itinere perduceretur à Deo vsque in domum Laban absque periculo, vel errore, sicut Eliezer, qui hoc nomine gratias agebat Deo, quòd perduxisset illum in domum fratris domini sui Abrahæ [n]; & inter peregrinandum constantiam retinuerit, nec inuidia, nec odio, iráve commotus in fratrem, vlláve in re ipsum lædens. Ecclesia partim in officio de Cõfessoribus, partim de Martyribus vsurpat hunc locum totum. Vtrosque, sed hos maximè, vt etiam obseruat glossa, Christi misericordia à persecutoribus liberauit, confortans eos gratia Spiritus sancti, & spe futuræ mercedis; &

n Gen. 24. 27.

A tandem victis hostibus ad regnum cœlorum perduxit.

Verisimile prorsus est, verbis istis præsentis sententiæ innui præter ordinarium Angeli tutelaris comitatum, singularem & eximiam de Iacob curam, quam Deus in hoc itinere, & Dei iussu idem ille Angelus, aliive susceperint. Is quem dixi Eliezer famulus Abraham, profectus quæsitum vxorem filio domini sui, ab Angelo per viam deductus est [a]. Angelus quoque proprius populo ductor datus est ac director in terrã promissam [b]: & Raphaël Tobiæ [c]. Egebat tali duce Iacob, qui opulentissimi licèt patris filius, & ab eo tam procul ad ducendam vxorem missus, solus, ac necessariis carens rebus, proficiscebatur. Hunc ad modum exercenda fides Iacob fuit, & fiducia, pietásque in Deum, ac patientia; & harum, similiúmque

a ibid. 7. 40.
b Exo. 23. 20. 23. c. 32. 34. c. 33. 2. Num. 20. 16.
c Tob. 5. 6. & seq.

B virtutum, necnon diuinæ aduersùs tantam solitudinem egestatémque prouidentiæ insigne præberi debuit exemplum, vt Philo [d] notat, Theodoretus [e], Rupertus [f], Chrysostomus [g], Thomas Anglicus [h]. Hic aliã valdè literalem dat causam, vt esset iter occultum fratri Esau, eiúsque consilia, insidias, conatus nocẽdi falleret ac declinaret. Paupertatem istam suã verbis illis præ se tulit [i]; *In baculo meo transiui Iordanem istum*: deductionem Angeli his aliis [k]; *Angelus, qui eruit me de cunctis malis* (non tantùm quando versabatur in domo Laban, & in reditu, sed cùm etiam pergeret in Mesopotamiam) *benedicat pueris istis.* Parœmiali

d lib. de somniis.
e q 82. in Genes.
f 7. in Gen. c. 21.
g hom. 54. in Genes.
h in Genes.
i Gen. 32. 10.
k infrà 48. 16.

C phrasi dicitur quis in baculo transire flumen, vel iter inire, quando solus (quo pacto vertit Chaldæus) & inermis, victi militis, aut spoliati cuiuslibet instar progreditur. Sed & de deductione per vias rectas, id est, securas, mentio fit in ea polliciatione Dei, quam in somnis audiuit vnà cum visione scalæ, de qua mox [l]. *Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam, nisi compleuero vniuersa quæ dixi.* Eidem Iacob responsum est [m]; *Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eróque tecum*: & [n]; *Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi.* Deus ipse inter beneficia quæ contulit in Iacob, hoc numerat apud Oseam [o]; *Fugit Iacob in regionem Syriæ.*

l Gen. 28. 15.
m Gen. 31. 3.
n infrà 32. 9.
o c. 12. 12.

D *Ostendit illi regnum Dei.*] Visionem scalæ mysticæ, quæ narratur in Genesi [p] Iacob dormienti facta; quæ scala stare videbatur super terram, & cacumen illius tangere cœlum; Angeli quoque Dei ascendere & descendere, & Dominus innixus scalæ multa ipsi pollicens. Illud erat regnũ Dei, quoniam significabatur quomodo regnaret ipse gerens omnium prouidentiam, & regni cœlestis incolarum Angelorũ opera vtens: præterea, quia reuelationem Iacob accepit de statu cœlestis Ierusalem, vt Lyranus & Carthusianus putant, dicentes id sibi velle quod Iacob euigilans dixit [q], *non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta cœli*: adhæc,

p c. 28. 12. 13. 14. 15.
q ibid. 17.

E quoniam tunc, vt aliis placet, didicit electionem ac prædestinationem suam ad vitam æternam, vt sic deinceps fortior alacriórque redderetur ad perferendum, & ad Deo seruiendum: item, vt addit Carthusianus, quia sub illo promisso [r]; *Benedicentur in te, & in semine tuo cuncta tribus terræ*; continebatur Christus non solùm huius regni Rex, sed etiam regnum ipsum.

r ibid. 14.

Posset vtcumque cum scala ista regnantis, ac regentis omnia Dei, Homerica [s] comparari catena aurea, quam ab Ioue de cœlo fingit demissam in terras, cuncta comprehendentem & constrin-

s Iliad. θ.

gentem,

gentem, atque ad eundem denuò retrahentem. Gradus ſcalæ ſuperiores, inferiores exprimunt multiformem res tam varias gubernandi rationem modúmque. Latera duo, duæ cenſeri poſſunt proprietates diuinæ prouidentiæ, quas vidimus capite octauo [a], vt *attingat à fine vſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuauiter.* Perſequitur hæc eleganter fuſéque Pererius [b]: ſed quod è re præſenti eſt, expendit rectè poſt Theodoretum [c], qui hoc attigit, quo pacto viſio pertinuerit ad ſingularem declarandam curam, quam Deus gerebat de Iacob. Nam dolorem ex abſentia parentum chariſſimorum mitigauit Deus cùm dixit [d]; *ero cuſtos tuus quocumque perrexeris; & non dimittam te, niſi compleuero vniuerſa quæ dixi.* Licuit tunc Iacob inuerſa Dauid ſententia reſpondere [e]; *Patrem meum, & matrem meam dereliqui, Dominus autem aſſumpſit me.* Deinde contra moleſtiam deſerendæ patriæ, & ignoræ petendæ regionis valuit; *Terram* [f], *in qua dormis* (patrium nempe ſolum, quod adhuc omnino egreſſus non erat) *tibi dabo, & ſemini tuo, & reducam te in terram hanc.* Pro mœrore metúque ob cognatorum & amicorum ſolitudinem, Angeli viſi ſunt aſcendentes & deſcendẽtes per ſcalam [g], ita vt potuerit illud Eliſæi vſurpare; *plures* [h] *nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* Abſterſit, quicumque in eo fuerit inopiæ, vel contemptus timor apud gentem cui eſſet ignotus, prolixum promiſſum de eadem terra, vbi ſe viſio illi obiecit, poſſidenda, de ſemine multiplicando, de dilatanda ditione ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem [i].

a verſ. 1.
b in c. 28. Gen. diſpu. 3.
c q. 82. in Geneſ.
d Gen. 28. 15.
e Pſ. 26. 10.
f Gen. 28. 13. 15.
g verſ. 12.
h 4. Reg. 6. 16.
i Geneſ. 28. 13. 14.

Dedit illi ſcientiam ſanctorum.] Rerum ſanctarũ, quæ ſpectant ad Eccleſiam tum militantem, tum triumphantem: vel ſcientiam quæ conuenit ſanctis, ſanctóſque facit, & eſt peculiare donum Spiritus ſancti: vel de Angelis viſis in ſcala, cæteriſque ſcalæ myſteriis. Eſt γνῶσις ſciendi actus potiùs quàm habitus; licèt habitui quoque ac etiã actui fidei *ſcientiæ* tribui nomen poſſit, propter euidentiam credibilitatis & certitudinem; & ſanctorum ſcientia dici fides poſſit, ſicut & prudentium [k], quoniam practicam continet cognitionem relatam ad amorem Dei, vt & quæ ſunt in Scripturis, quemadmodum docent Auguſtinus [l] & Gregorius [m]. Iſtorum, quæ diximus, omnium notitiam, vbi ſe collegit poſt ſomnum, hoc ſermone Iacob [n] declarauit cum ingenti pauore; *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Quàm terribilis eſt locus iſte! non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Quòd etiam doctus tunc fuerit Iacob quæ pertinerent ad ſanctitatem & animi ſui, & cultus diuini, re ipſa oſtendit, erigendo lapidem in titulum, deſupérque oleo vngendo, vota Deo faciendo, decimas bonorum ſuorum promittendo, locum, in quo viſionem illam habuerat, dicando & ſacrando diuino cultui, cum nomine *Bethel*, id eſt, domus Dei [o]. Non ignorabat Iacob vbique Deum eſſe, & coli oraríque poſſe, ſicut præcipit Apoſtolus [p], & monet Chriſtus [q], atque Dauid [r], vt in cruce [ſ], in mari [t], in ſterquilinio [u], in carcere [x], in lacu [y], in fornace [z], in ventre ceti [a], in luto [b], in lecto [c], in loco requiſitis naturæ deſtinato [d]. Hoc vltimum cùm religioſiſſima mater Auguſtini reprehenderet in Licentio, hic reſpondit etiam ibi exaudiri voces noſtras à Deo. Auguſtinus autem quod ille tunc noctu canebat; *Deus* [e] *virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*, docet conuenire tempori, & loco: nos enim orare, vt conuertamur à quodam cœno corporis, atque à ſordibus; & item a tenebris, quibus nos error vetus inuoluit, &c. Sciebat, inquam, Iacob hæc omnia: ſed & illud probè nouerat, ſanctiùs atque religioſiùs certis quibuſdam locis, in quibus gratiam & virtutem ſingulariter Deus manifeſtat, coli velle & orari. Verùm hoc alibi pluribus executi ſumus [a]. Conſule inter alios eundem Auguſtinum [b].

k Prou. 9. 10.
l 1. de doct. Chriſt. c. 11. lib. 2. c. 27.
m homil. 10. in Ezech.
n Gen. 28. 16. & 17.
o ibid. 18. & ſeq.
p 1. Tim. 2. 8.
q Ioan. 4. 23.
r Pſ. 102. 22.
ſ Luc. 23. 34.
t Exo. 15. 1.
u Iob. 2. 9. c. 3. toto.
x Act. 16. 25.
y Dan. 6. 21. c. 14. 37.
z Dan. 3. 51.
a Ionæ 2. 3.
b Ierem. 38.
c Pſ. 38. 10.
d Aug. 1. de ordine. c. 8.
e Pſ. 79. 5.
a Act. 1. 46.
b ep. 137.

Arbitrantur aliqui [c] eodem loco poſtea templum exædificatũ à Salomone, huiúſque rei cum cæteris rebus ſanctis quandam præſagitionem in Iacob fuiſſe. Refellit id Abulenſis [d], Borcardus [e], & Pererius [f]; quibus aſſentior. Nam diſtabat Bethel, teſte Hieronymo [g], ab Ieruſalem duodecim milliaribus: ibidémque Ieroboam vitulũ aureum collocauit [h], vt ſibi ſubiectas tribus retraheret à templo Ieroſolymitano; & idcirco mutato nomine dictus eſt locus ille *Bethauen* [i], id eſt, domus idoli, vel iniquitatis: denique filij Benjamin habitabant in Ieruſalem, filij Ioſeph in Bethel, quæ vocabatur priùs Luza [k]. Licèt verò & eiuſdem nominis Bethel alia fuerit in ditione Benjamitica, vt nonnullis placet (ſicut & Luza duplex fuit) diſtincta tamen ab Ieruſalem numeratur. Accedit quòd Iacob dormiuit foris in agro, quando extabat ciuitas Salem, quæ deinde Ieruſalem, quò ſanè diuertiſſet, ſi eadem erat cum Bethel, quoniam regnabat ibi Melchiſedech aui ſui Abrahæ amiciſſimus.

c Hebræi, Lyranus, C… ...etanus, Lip... man. hiſto... Schol. c. 7... Aug. q. 83... 85. in Gene...
d in c. 33. ... 38. Geneſ.
e de locis terræ ſanctæ. ... p. c. 7. n. 57.
f in c. 28. Gen. diſp. 1.
g de locis Hebraicis.
h 3. Reg. 12. 28.
i Oſe. 4. 15. c. 5. 8. c. 10. 5.
k Iudic. 1. 23. 26.

Honeſtauit illum in laboribus.] Græcè (εὐπόρησεν αὐτὸν ἐν μόχθοις, *locupletauit in ærumnis:*) vel per ærumnas & duros labores, qui narrantur in Geneſi [l] duraſſe per annos viginti, quatuordecim pro filiabus Laban, & ſex pro gregibus eius, cùm die noctúque æſtu vrebatur & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis ipſius [m]. *Honeſtandi* verbo, & nomine *honeſti*, & *honeſtum faciendi* vocabulis crebrò, in iſto maximè libro, ſignificatur locupletare & ditare, ac opes & diuitiæ. Sic paulo pòſt [n] pro, *honeſtum fecit illum*, eſt ἐπλούτισεν αὐτόν. Reiicio te ad Commentarium noſtrum hiſtoriæ Apoſtolicæ [o]. Vtcumq; poſſet videri dictæ notionis vſus ab הוֹן *hon* Hebræo deriuatus, quod ſignificat *ſubſtantiam, opes, diuitias, id quod ſat eſt, ſufficítque. Honora Dominum de tua ſubſtantia*, inquit Sapiens [p], מֵהוֹנֶךָ *mehonecha*. Indicatur ſordes à diuitiis abeſſe debere, & honeſtis artibus comparari oportere, ac liberaliter expendi; cùm tamen non ſint bonum per ſe appetendum & honeſtum, ſed illecebra omnium peccatorum. Pauperi Iacob laborandum fuit, locandáque opera pro vxoribus, quia ex more illius gentis (qui & apud Germanos viguit [q] alióſque) non habebat vnde illas veluti coëmeret pecunia muneribúſque, quæ ſponſalia vocabantur [r], aut dos [ſ]. Lege Briſſonium [t]. Propter Iacob [u] falſus eſt Laban benedixiſſe ſibi Dominum; & hoc agnouit, ac veluti exprobrauit ipſi ſocero ſuo idem Iacob [x]. Deus viciſſim iuſtitiæ laboribúſque reſpondentem copioſè mercedem dedit illi, fauens etiam ſolerti artificio conceptus ouium & caprarum, imò id etiam ſuggerens ac præcipiens per verſicolores virgas impoſitas canalibus [y], aduerſùs dolum, & iniuſtitiam Laban, cùm pro Rachele inelegãtem ſubſtituit Liam ſine dote, quam nec pendit Racheli, ſed quaſi ſeruas vendidit, atque decies, id eſt, ſæpiùs, pactam mercedem commutauit [z].

l c. 29. & 30. & 31.
m c. 31. 40. 41.
n verſ. 11.
o in c. 13. 50. & c. 17. 11.
p Prou. 3. 9.
q Tacit. lib. de morib. Germanorum.
r 1. Reg. 18. 25.
ſ Gen. 34. 12.
t lib. de ritu nuptiarum.
u Gen. 30. 27.
x ibid. 30.
y ibid. 32. & ſeq.
z c. 31. 6. 7. 12. 14. 15.

Exiſtimarunt Chryſoſtomus [a] & Theodoretus [b] conceptuum illorum modum naturæ vires ſuperaſſe. Verumtamen ſimile quid Phyſiologi,

a hom. 57. in Geneſ.
b q. 88. in Geneſ.

aliíque

A aliíque narrant crebrò contingere, & eius naturales assignant causas, vt Hippocrates[a], Galenus[b], Plinius [c], Quintilianus [d], Franciscus [e] Vallesius, Abulensis [f], Pererius [g]. Attulimus nonnulla exépla in caput tertium [h] post Hieronymum [i] iis ipsis vtentem ad hoc propositum; qui præterea memorat idem fieri apud Hispanos in gregibus equorum. Talia refert Augustinus [k], & Isidorus [l]. Thomas quoque Morus carmine ad Sabinum egregiè cum illo iocatur, quòd cùm quatuor filios adulterinos arbitraretur, quia sibi matríque dissimiles, quintum putaret legitimum, quia similis, cùm ideo similis hic esset, quòd absentis vxor viri similitudinem sibi perfectè impressisset, deprehendi verita in flagitio. Nihilominus tanta illa

B istiusmodi prolificatio non perfecta penitus credi potest absque interuentu operáque Angeli, vel docentis Iacob dictam artem, vel pecudes eiusdé applicantis in tempore concipiendi ad virgarum colores intentissimè aspiciendum, & interiori phantasia vehementiùs apprehendendum. Hoc sanè Iacob præ se fert, narrans edoctũ se in somnis ab Angelo rationem illius rei peragendæ [m]. Quo modo scimus accepisse Tobiam à Raphaële de virtute piscis [n]: & Salomon creditur per scientiam rerum naturalium sibi diuinitus traditam mira efficere potuisse, atque reipsa effecisse [o]. Inde factum, vt ditaretur Iacob vltra modum, & haberet greges multos, ancillas & seruos, camelos & asinos.

C *Compleuit labores illius.*] Græcè (ἐπλήθυνε τοὺς πόνους αὐτοῦ, *multiplicauit*:) hoc est, vt antè vidimus, labores Iacob in pascendis gregibus soceri fœtu multiplici compensauit. Non igitur intelligi debet de completa mercede beatitudinis cum Hugone, & Olcot [p]: vel de perseuerantia cum Carthusiano: vel de protectione Dei conseruantis ac protegentis redeuntem de Mesopotamia cum vxoribus, liberis, diuitiis, reducendo ad parentes, cum Bonauentura & Lyrano; etsi hæc etiam vera sũt. Argutulũ est dici cõpletos labores, in quibus honesteris. i. diteris, quasi res vna integra fiat ex la-

D boribus & diuitiis, & hæ sine labore non habeát debitũ & naturale initium, atque fundamentum, vnde possint exurgere: labor quoque sine diuitiis & præmio non habeat debitum, & congruentem finem & absolutionem. Nihil tale significat Græcum ἐπλήθυνε.

Testis porrò [q] Scriptura Iacob ditatum valdè vltra modum, & habuisse greges multos, ancillas & seruos, camelos & asinos. Addunt LXX. ἡμιόνους, *mulos*. Non erant hæ suspectæ opes tanto labore, ac tã longo partæ, non subitò, & præproperè. Syllæ sese iactanti respondit quidã non videre quomodo bonus esse posset, qui tantas possideret opes, cùm à patre nihil ei relictum esset [r]. Sapienter dictum à diuino scriptore [f]; *Qui festinat ditari non erit innocens*. Inde forsitan mutuatus Poëta pro-

E fanus [t];

Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως, δίκαιος ὤν.

Nunquam vir æquus diues euasit citò.

Malè parta, & citò, citò etiam dilabi solent, & breui factus diues, breui quoque pauper efficitur.

Μὴ [u] σπεῦδε πλουτῆσαι μὴ ταχὺ πένης γένῃ.

Ne festina ditescere, ne citò pauper fias.

Substantia festinata, inquit idem Sapiens [x], *minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur: hereditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.* Satyricus [y] demum de huiuscemodi viro ita cecinit;

a citatus ab Hieronymo, & August.
b lib. de theriaca.
c lib. 7. c. 12.
d citatus ab Hieronymo.
e de sacra philosophia. c. 11.
f in Genes. c. 30. q. 10.
g ibid. disp. 1. & 4.
h vers. 16.
i de tradit. Heb.
k q. 93. in Genes. & 18. de ciuit. c. 5.
l 12. etymol. c. 1.
m Genes. 31. 10. & seq.
n Tob. 6. 5.
o Ioseph. 8. Antiq. c. 2.
p lect. 119.
q Gen. 34. 30.
r Plutar. in Sylla.
f Pro. 28. 20.
t Menander.
u Idem.
x Prou. 13. 11. c. 20. 21.
y Iuue. satyr. 14.

———*Nam diues qui fieri vult,*
Et citò vult fieri. Sed quæ reuerentia legum?
Quis metus, aut pudor est vnquã properantis auari?
Attamen *facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem*, vt sacræ item Scripturæ [a] testimonio comprobatur, cùm scilicet placet Deo, & expedit.

Quæ hactenus ad literã declarata sunt de Iacob, exponũtur accommodationis sensu, & vsurpantur etiam ab Ecclesia de sanctis tũ Confessoribus, tũ Martyribus, & in Ecclesiastico officio, & in Missa, vt antè monui. Id quo modo fiat attingendũ, propter loci celebritaté. Bonauentura vult denotari beneficia, quæ confert Deus in sanctos suos. Primũ est iustificare. Id vox (*iustũ*) importat: secundum, deducere in profectu conuersationis: tertiũ, ostendere regnũ in gratia, vel secreto contemplationis: quartum, dare scientiam sanctorũ, instruendo in agnitione diuinæ voluntatis: quintum, honestare in laboribus, ditando meritis: sextũ, complere labores, tribuendo præmium cum perseuerantia. Hæc eadem aliis cõfirmat Scripturæ testimoniis [b]. Haud absimilia tradũtur ab Hugone, qui præterea hîc obseruat in deductione gratiam operanté; cooperantem, in honestatione laborũ; cõsummantem, in eorundé completione.

Bernardus in proprio sermone super isto loco iustũ sumit, qui in principio sermonis accusator est sui [c]. Hunc auté ait deduci non ab alio, quàm à Domino, cuius est de via iniquitatis ad viã veritatis reducere, ac per eam deducere: huiusmodi viam esse rectam, & præterea pulchram, planam, plenã, sine errore, sorde, difficultate, & quia omnes capit: ostédi iusto regnum Dei, quando iustificatur; concedi enim in prædestinatione, promitti in vocatione, percipi in glorificatione: scientiã sanctorum esse hîc temporaliter cruciari, & delectari in æternum: honestatem in laboribus, cùm & referunt ad vnitatis vinculum opera, & vilitatem conditionis habitúsque iusti honorant, atque adorant etiam Principes terræ: complementum in iisdem laboribus, vt hîc perseueretur, illîc gloria in æternum obtineatur.

Pineda [d] noster instituit Patriarchæ Iacob in Rachelis, & Salomonis in sapientię studio parallela. Ex iis decimũ sextum est, quòd sicut Rachel quondã sterilis peperit denique filios duos, quorum alter Ioseph ditissimus postea euasit; ita sapientia eundemmet Iacob Iosephi patrem honestauit in laboribus, & compleuit labores illius, vt hîc vidimus.

Vers. 11.] In fraude circumuenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum.

Exprimitur illud idé quod est priùs dictũ de opibus Iacob; sed addita ea circũstãtia, quòd Labã cũ suis toties fraudauerit illũ pacta mercede. Græca (ἐν πλεονεξίᾳ κατισχυόντων αὐτόν) is qui alterius versionis à vulgata in Bibliis Regiis est auctor, sic reddit (*in superioritate inualescentium in eum*) Iansenius (*in auaritia opprimentium eum*, vel *præualentium ei*) Vatablus (*cùm per auaritiã opprimeretur*.) Recidit eodé sensus. Nam deditus auaritiæ Laban, totúsque in lucra inhians, cũ iure nõ posset, multiplici fecit fraude dolóque, vt aduersùs facilib. ac lenibus morib. Iacob præualeret, ac frustraret debito stipendio. Decem vicibus id factũ Iacob conquestus est apud vxores [e]; *Sed & pater vester*, inquit, *circumuenit me, & mutauit mercedem meam*

a Eccli. 11. 23.
b Rom. 8. Ps. 142. Exod. 33. Baruch 4. Iob. 5. Sap. 3. & 4.
c Prou. 18. 17.
d 3. de reb. Salo. c. 4.
e Gen. 31. 7.

decem vicibus:& tamen non dimisit eum Deus vt noceret mihi. Iterum apud ipſummet ſocerum [a]; *immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus.* Caietanus [b] putat eſſe hyperbolen, ita vt non tot vicibus Laban fraudauerit: alij maiorem potiùs numerum hoc definito indicari, ſicut alibi [c]. Sed Hieronymo [d], ac Auguſtino [e] videtur præcisè numerum ſumendum vt ponitur, tótque vicibus exactè per ſex annos, quibus Iacob pro mercede curauit greges Laban, factam ei mercedis immutationem & fraudem. Nónihil hac de re in Commentario noſtro ſuper Eccleſiaſten [f]. Illud de Iacob Græci ex paraphraſi Syriaca exponunt ſæpiùs, vt Origenes, Euſebius, Diodorus, Procopius, quia denarius perfectionem denotat, vt etiam docet Cyrillus [g] Alexandrinus. Citat exempla multa Delrius [h] noſter.

a ibid. 41.
b ibid.
c Num. 14. 22. Iob. 19. 3.
d in tradit. Heb. in Gen.
e q. 95. in Gen.
f c. 7. 20.
g in Zach. c. 8 & Oſeæ c. 3.
h to. 1. Adagial. in 35.

Cæterùm rectè Interpres πλεονεξίαν expoſuit *fraudem*: id enim valet nomen hoc, non auaritiam duntaxat, vel commoditatem, quam quis habeat præ aliis; vt & πλεονέκτημα apud bonos auctores, qui etiam *fraudare* dicunt πλεονεκτεῖν. Solent namque fraudare qui plus habendi quàm alij cupidi ſunt. Si verum dicerent, qui verbum hoc eſſe propriè volunt in ſortitione, vel diſtributione potiores ſibi partes vendicare, & ſuam conditionem meliorem facere, iuſta parte ac portione alios priuando, congrueret aptiſſimè propoſito ea ſignificatio, illámque fraus commodè ſatis exprimeret. Vſus eſt verbo πλεονεκτεῖν Paulus [i], quod Interpres per *circumuenire* expoſuit. Vulgò dicimus (*ſtar ſu li auantaggi, & far ſoperchierie*) de illo, qui commodis ac lucris vacat cum alieno damno. Hieron. [k] πλεονεξίαν interpretatur inexplebilem voluptatis cupiditatem, cùm quis inſatiabilis, & inexpletus per omnia turpitudinum genera, laſciuiæque diſcurrit. *Pluribahentiam* barbarè diceres.

i 1. Theſ. 4. 6.
k in Epiſt. ad Epheſ. c. 5.

Aſſuit illi.] Græcè (παρέστη.) Hoc eſt quod antè dixi, artem illam pecoris multiplicandi per virgas canalibus iniectas diuina doctrina traditam, & Angelorum ope adiutam.

Verſ. 12.] Cuſtodiuit illum ab inimicis & à ſeductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi vt vinceret, & ſciret quoniam omnium potentior eſt ſapientia.

REuertentem domum Iacob inſecutus eſt Laban ſeptem dierum itinere, & aſſecutus, de medio ſuſtuliſſet, niſi prohibitus in ſomnis fuiſſet. Defenſus etiam eſt contra fratrem Eſau, ipſi cum quadringentis occurrentem: ex luctā cum Angelo ſuperior euaſit; ſymbolum certum victoriæ aduersùs fratrem: à Chananæis, cùm parum abfuit, quin vniuerſa familia deleretur; quando Simeon, & Leui filij eius, ob ſororem Dinam violatam à Sichem, furore perciti, Sichimitas omnes trucidauerunt [l]. Vnde intellectum eſt, quanta ſit vis ſapientiæ, atque pietatis. Continentur hæc Geneſis 31. 32. 33. & 34. & ſunt, vt adhuc fecimus, quantum fert inſtituti ratio, paucis explicanda.

l Gen. 34. 25. 26.

Cuſtodiuit illum ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum.] Pro *ſeductoribus* Græcè ſunt ἐνεδρεύοντες, *inſidiantes*. Per vtroſque poſſunt intelligi Laban & cognati eius, qui recedentem perſequebantur; vel etiam Eſau, qui redeunti inſidiabatur: vel præterea Chananæi & Pherezæi, quos Iacob poſt cæ-

A dem Sichimitarum timebat valdè [a]: ſed *terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes* [b].

Quod attinet ad primos, Deus in ſomnis dixit Laban, poſtquam ſeptem diebus fuerat perſecutus, ac tandem aſſecutus Iacob; *Caue ne quidquam aſperè loquaris contra Iacob* [c], Hebraicè מִטּוֹב עַד־רָע *mittob hhad rahh, à bono vſque ad malum, nec blandè, nec aſperè*: offenſus enim animus ſi quid loquatur initio blandè, facilè prorumpit in aſperitatem. Addit Ioſephus [d], Deum imperaſſe, vt fœdus cum eo feriret, neve paucitatem fugientium contemneret, alioqui ſe illis propugnatorem futurum. Exprobrans ſocero Iacob, obiecit compreſſam iram eius à Deo patris ſui Abraham, atque ſibi

B affuiſſe timorē Iſaac [e]; ſignificare volens, hinc inhibitione Dei, hinc reuerentia quadā erga Iſaac, cui ſoror Laban Rebecca nupſerat, ipſius Iacob mater, à nocendi voluntate retardatum; aut quòd Iſaac ſeipſum piis ad Deum precibus abſentem iuuaret. Alias expoſitiones affert Pererius [f].

a Gen. 34. 30.
b infrà 35. 5.
c Gen. 31. 24.
d 1. Antiq. c. 19. aut 17.
e Gen. 31. 42.
f ibid.

De Eſau memorat ſacra hiſtoria [g], vbi remiſiſſet nuncium, ſe cum quadringentis velociter occurſurum Iacob, hunc ingenti pauore perterritum fuiſſe, preces Deo enixè fudiſſe, denuò nuncios cum donis miſiſſe, iam præſentem ſumma veneratione proſecutum eſſe, ad accipiendum munera compuliſſe, conſequi volentem ſolerter deuitaſſe. Non diſſimulauit quoque timorem ſuum Iacob Deo [h], etiamſi certiſſimam accepiſſet

C diuinæ protectionis, curæque promiſſionem, imò & reuertendi iuſſionem, vt antè vidimus; ſed & viſionem Angelorum in morem caſtorum, qui eſſent ipſum defenſuri [i]. Timebat forſan, ne non abſque magna ſuorum clade poſſet euadere, ac Eſau *perceuteret matrem cum filiis* [k] (id eſt, per parœmiam, omnia, cùm nempe diripitur in nido cum pullis mater:) aut greges ipſos [l]; & quamuis diuinis promiſſis minimè dubiam fidem haberet, ſecundùm tamen inferiorem partem, atque humani ſenſus infirmitatem naturali metu quatiebatur. Angelorum bina videntur fuiſſe caſtra, qui ſe obtulerunt Iacob [m], fortaſſis Palæſtinæ cuſtodum, quam tunc inibat ipſe, & Meſopotamiæ, de qua

D reueniebat. Ad hoc alluſiſſe Dauid credibile fit, canendo [n]; *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*; Hebraicè pro (*immittet*) *caſtrametabitur*, ſiue *caſtramentans eſt*, vel *erit*, חֹנֶה *choneh*: rurſum [o]; *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis*: quod & pari caſtrorum forma Eliſæus eſt expertus [p].

g Gen. 32. & & 33.
h ibid. 11.
i ibid. 1. 2.
k ibid. 11.
l Gen. 31. 8.
m ibid. 1. 2.
n Pſ. 33. 8.
o Pſ. 90. 11.
p 4. Reg. 6. 17.

Poſtremò, poſt hoc effugium, & celebrata pacis amicitiæque fœdera primùm cum ſocero Laban in Galaad [q], partim cum Eſau fratre [r], ingentem alium pauorem, quem Iacob habebat de Chananæis & Pherezæis [f], excuſſit ab eo

E Deus, maiorem iſtis multo iniiciendo, ita vt non auderent perſequi recedentem [t]. A Deo ipſo hunc iniectum timorem docent Auguſtinus [u] & Chryſoſtomus [x]. Idem hoc poſtea promiſit Deus ſuis, ne hoſtes pertimeſcerent [y], ac reipſā præſtitit non ſemel [z], ſicut faſſa eſt Rahab meretrix [a], Dauídque carmine celebrauit [b]; *Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum ſuper eos.* Reuocari huc præterea fortaſſis poſſet pars agri, quam ſub mortem filio Ioſepli tradens, dixit tuliſſe ſe de manu Amorrhæorum in gladio & arcu ſuos [c]; de quo conſule Pererium.

q Geneſ. 31. 44. & ſeq.
r infrà 33. 1. & ſeq.
f infrà 34. 30.
t Gen 35. 5.
u q. 112. in Gen.
x hom. 59. in Geneſ.
y Exo. 23. 27. Deut. 2. 25.
z Ioſue 2. & ſeq. c. 5. 1. Paral. 14. 17.
a Ioſue 2. 9. & ſeq.
b Pſ. 104. 38.
c Geneſ. 48. vlt.

Certamen

Certamen forte dedit illi, vt vinceret.]Græcè (*ἀγῶνα ἰσχυρὸν ἐβράβευσεν αὐτῷ, agonem propoſuit illi cum præmio.*) Vatablus (*obeundum ei certamen arduum conſtituit.*) Eſt βραβευὺς iudex, arbiter, moderator certaminis, & qui præmium decernit, dátque. Inde βραβεύειν tranſlatum ad aliarum quoque rerum arbitrium, atque aliorum factorum præmium, quod appellatur βραβεῖον. Indidem videri poſſit qui aliquot linguis vocatur (*brano.*) Hic agon certaménque deſcribitur capite 32. Geneſis.[a] Luctatus eſt Iacob noctem totam cum Angelo: ſed cùm ſuperare illum Angelus nequiret, *tetigit neruum femoris, & ſtatim emarcuit*, ipséque claudicauit: nec Angelum tamen antè dimiſit, quàm benediceret ſibi; quamuis cùm nouum ei nomẽ Iſraël Angelus impoſuiſſet, quo ipſe nomine appellaretur, aperire noluerit. Noui nominis ratio fuit, quoniam præualuerat contra Deum, quem colluctator Angelus repræſentabat; vnde colligere debebat, ſe contra Eſau, alióſque homines valentiorem fore. Dedit Deus Iacob certamẽ forte, vt vinceret, quoniam dictum eſt Eſau[b]; *viues in gladio, & fratri tuo ſeruies*, nempe quatenus & poſteri Eſau Idumæi fuerunt tributarij Dauid[c], qui deſcendebat ex Iacob; & quia Eſau dãdo per perſecutiones, quas ille patienter ferebat, materiam triumphorum, ſeruiebat illi. Non ergo *Iſraël* videntem Deum ſignificat, vt tam multi tamen paſſim ſentiunt; ſed dimicantem, aut præualentem Deo. Verùm hoc alias[d] accuratè demonſtraui.

Quod ad rem verò præſentem pertinet, quæſtionibus multis implicita eſt, quas Geneſis explicant tractatores, præſertim Peretius, fueritne Deus in lucta, vel Angelus: an bonus Angelus cũ Iacob aduersùs malum contendente, ipſum iuuãdo luctatus cenſeri debeat, aut ſolus ipſe cum eodem Iacob bonus: vtrùm corporaliter luctatum ſit; vel ſolùm ſpiritualiter: corporalis lucta propriáne fuerit corporum complexu, compreſſu, coagitatione, aut retentione duntaxat, ac tractione violenta, dum Iacob Angeli diutiùs aſpectu colloquióque volebat frui: quo modo non valuerit Angelus, longè valentior potentiórque quouis homine, ſuperare Iacob: qua de cauſa præualentem Iacob Angelus in neruo femoris percuſſerit. Definiam ſine diſputatione quid his in controuerſiis tenendum putem, vt præſenti ſatisfiat loco.

Angelus colluctator fuit, iſque Dei exhibens perſonam, ideóque ſanctus; quod ipſum in aliis apparitionibus contingere docui pluribus alibi[e]. Angelum fuiſſe Oſeas[f] verbis docet perſpicuis, ipséque Iacob tam enixè flagitans ab eo benedictionem, atque ab illo cum nouo nomine nominis accipiens rationem, quòd fortis fuiſſet contra Deum. Tum diſertum *luctandi* verbum in Geneſi; tum Græcum ἐπάλαιεν, quo vtuntur Septuaginta, atque quo Symmachus, & Aquila, ἐκυλίετο, *verſabat, & iactabat ſe*; tum Hebræum יֵאָבֵק *ieabek*, vnà cum longè communiore auctorum ſentẽtia, non ſinunt nos ambigere veram conſertis corporibus luctam fuiſſe. Fauet etymon Hebraicum ab אָבָק *abak*, quod eſt aut puluis, in quo luctatores certãt, aut exhalatio, quam certantes præ laboris contentione mittunt anhelando; quod ſecundum Oleaſter notat. Accedit Oſeæ[g] citati teſtimonium: *Inualuit ad Angelum; & in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum.* Quòd autem inualuit, cauſa non eſt, quia vel

a verſ. 24. ad finem.
b Geneſ. 27. 40.
c 2. Reg. 8. 14.
d Act. 1. 6.
e Act. 7. & diſp. de Angelis.
f c. 12. 3. 4.
g c. 12. 3. 4.

ſe vinci Angelus paſſus ſit: vel ſimulauerit[a]: vel maiorem vim communicauerit Iacob Deus[b]; ſed quia Deus ipſe non permiſit, vt quantum poterat, tantum Angelus reluctaretur[c]. Nihilominus ex lucta remanſit Iacob claudus luxatis oſſibus, & muſculo ſeu neruo localis motus miniſtro reſoluto, atque debilitato, vt non inſoleſceret ex victoria: aut vt etiam animos maiores ſumeret, cùm nec ſic quidẽ à lucta deſtitiſſet: aut hoc ceu impreſſo ſigno beneficij memoriam perpetuò cõſeruaret. Quamquam an etiam claudicationis vitiũ perpetuum deinceps fuerit, diuinare non auſim: ſicut auſus eſt Abulenſis aſſerere, die proximè ſequenti ceſſaſſe. Claudicat certè quam affert ratio, quòd ob eam fœditatem claudicationis irriſui, atque cõtemptui fuiſſet fratri, nec is occaſionem prætermiſiſſet ſcitandi cauſam morbi, cùm tamen indignus eſſet, vt ei luctæ ac viſionis myſterium declararetur.

De luctæ certamine quæ ad inſtitutum conferant, peti poterunt ex Mercurialis[d] gymnaſticis, & agonoſticis Fabri[e]. Adeò vetus eſt hæc exercitatio, vt πάλην quaſi à πάλλειν dictam velint[f]: etſi aliter deriuent alij ἀπὸ πηλοῦ, *luto*; ἀπὸ παλεύειν, *dolo, & inſidiis deiicere*; ἀπὸ πάλλειν eiuſdem ſignificationis; ἀπὸ πλησιάζειν, *appropinquare*; ἀπὸ παλαιστῆς coniunctis ſimul quatuor digitis.

Vt vinceret.] Interpres hoc modo vertit rectè (τὸ ἐβράβευσεν) vt prænotauimus. De hac victoria eſt illud Oſeæ[g]; *in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo*, hoc eſt, proſperos habuit ſucceſſus: id enim valet ea phraſis aliis quoq; in locis[h]; licèt ibi Hebraicè ſit שָׂרָה *ſarah, præualuit, dominatus eſt*, ſicut & in Geneſi; & Græcè, ἐνίσχυσεν πρὸς θεὸν, *præualuit ad Deum.* Carthuſianus victoriam quoque ſumit importunas preces, quibus extorſit benedictionẽ, atq; lacrymas, de quibus Oſeas[i]. Bernard.[k] piè admodum certamen forte Martyrum docens eſſe, deſidiam ac ignauiam noſtram in leuiſſimis perferendis caſtigat. Quales nos Paulus pũgiles velit, leges in Epiſtolis[l], & quo pacto neget ſine legitimo certamine coronam[m].

Et ſciret.] Græcè (*ἵνα γνῷ, vt ſciret.*) Sed quia proximè poſita eſt cauſalis particula (*vt*) ſubſtituere maluit Interpres coniunctionem, licèt in quibuſdam Latinis reperiatur (*vt.*)

Omnium potentior eſt ſapientia.] Græciſmus eſt (*omniũ*) pro (*omnibus*) vt[n], *maior horum eſt charitas*: pro ſingulari παντὸς, *omnium*: *ſapientia* pro εὐσέβεια, *pietas, ſiue religio*; quam aliquoties obſeruauimus *ſapientiæ* vocabulo appellari, vel comprehendi.

Verſ. 13.] Hæc venditum iuſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberauit eum, deſcenditque cum illo in foueam.

AFfertur iſto, ſequentique verſu Ioſeph exẽplum, quem liberauerit ſapientia ab inuidis fratribus, qui vendiderant ipſum cùm voluiſſent interficere, ſed mutato conſilio in ciſternam deieciſſent; & in Ægypto ab iniquis dominis, à quibus miſſus fuerat in carcerem: vnde tandem extractus primos poſt Regem honores adeptus eſt, atque ſuos illos fratres, & alios falſos accuſatores conuicit, & ſub ſuam poteſtatem redegit, cum proprij nominis eximia celebritate. Diximus circa hiſtoriam hanc nonnihil, dum Apoſtolicam[o] exponeremus; fuſiùs autem narratur in Geneſi[p]:

a Thom. Anglicus, & Abulenſis in Geneſim.
b Hebr. apud Abulenſem.
c Caiet. & Peter. ibid.
d lib. 2. c. 8. lib 5. c. 5.
e lib. 1. c. 10. & 11.
f Plutarch. refert Sympoſ. problem. 4.
g c. 12. 3.
h Pro. 16. 1. 9. 13. c. 28. 11 Geneſ. 39. 3. 23. Pſ. 5. 9. & alibi.
i c. 12. 3.
k ſermo de S. Clement.
l 1. Cor 9. 24. & ſeq. Ephe. vlt. 11. & ſeq.
m 2. Tim. 2. 5.
n 1. Cor. 13. 13.
o Act. 7. 9. & ſeq.
p c. 37. 18. & ſeq. c. 39. & 41 & 42. & 43. & 44. & 45. & 46. & 47.

neque consultum puto non necessaria hîc repetere, quæ ex nostro illo peti Commentario, vel aliorum in Genesim possunt, præsertim ex copiosiore Pererij.

a Act.7.9. *Non dereliquit.*] Imò affuit, fuit cum eo [a], iuuit & protexit ipsum. Exaggeratior sententia plerûque minùs in speciem significanti oratione exprimitur, vt sæpe notatum est. Vbique Deus cùm sit, nunquam subtrahendo præsentiam derelinquit, sed fauore, auxilióque præsentior nonnunquam fit, interdum absentior. Hinc aliquoties flagitant sancti ne se derelinquat Deus, aut quòd dereliquerit, piè queruntur, etiam in Cruce Christus [b]: Paulus autem gratulatur, quòd etsi persecutionem pateretur, non tamen derelinquebatur [c].

b Mat.27.46. c 2. Cor.4.9.

Sed à peccatoribus liberauit eum.] Græcè (ἐξ ἁμαρτίας, *à peccato*) quemadmodum & Vatablus, Clariúsque reddunt. Hoc Iansenius peccatum vult esse, ad quod sollicitabatur Ioseph ab vxore Putipharis [d], sed tanta constantia detrectauit, cùm inter alia responderet; *quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum* [e]? Iuuare posset hanc expositionem, quòd *peccati* nomen absolutè de turpi dicitur, & peccatores inhonesti, sicut Magdalena peccatrix [f], quam turpia carnis peccata patrasse, melior fert opinio Lucæ Expositorum Ambrosij, Bedæ, &c. Gregorij [g] quoque, & Laurentij Nouariensis [h], qui appellat meretricem, sed omnium meretricantium medicam. Loquitur eodem pacto Chrysostomus [i], Isidorus Pelusiota [k], Hieronymus [l], Augustinus [m]. Ecclesia quoque canebat;

d Gene.39.7. & seq. e ibid.9. f Luc.7.37. g hom. 33. in Euang. h hom. 2. de pœnit. to. 2. biblioth. Patrum. i hom 63. ad popul. & hom. 15. in Act. k libr. 1. epist. 343. l in c.26. Mat. m serm. 58. de tempore.

Post fluxa carnis scandala, &c.

Sed honestiore vocabulo κατὰ τὸν εὐφημισμὸν res minùs honesta declaratur. Non esset miratus à Christo tangi Pharisæus aliis quàm impudicitiæ vitio infamem [n].

n Luc.7.39.

Quamuis autem vna illa mulier sollicitauerit Ioseph, nihilominus & sexus pro sexu, & pro numero numerus aliquando ponitur: & Hugo & Bonauentura impudicæ mulieri famulos adiungunt, adiutores nimirum impudici consilij. Quis id credat de famulis? nō communicantur talibus talia consilia: solos ac solitudinem requirunt; arbitros præter criminis sodalem vitant: quod & fecisse insanam amore mulierē historia sacra memorat [o]. Carthusiano placet eadem sententia, sicut & Osorio, atque Cantacuzeno; sed aliorū, præter dominam adulteram, non meminit. Hac ratione fit mihi quoque non improbabilis; tum prætereà quòd præteriti temporis participio (*venditum*) innuitur Dei prouidentiam fuisse circa Ioseph postquam venditus est. Quamuis alteram opinionem de fratribus Ioseph, quam solam Lyranus tenet, atque Olcot [p], & cæteris etiam probatur, quibus prior, indicare magis videri possit textus aduersatiua particula (*sed.*) *Hæc venditum iustum* (sine dubio à fratribus) *non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum* (scilicet ab iisdem, ne occideretur, sed coniiceretur in cisternam, atque venderetur [q].) Itaque *peccatum* Interpres metonymicè pro peccatoribus positum intellexit. De isto peccato peccatores hi postea vel serò dolentes dicebant [r]; *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum*, &c. & Ruben auctor seruandæ illi vitæ [s]; *Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum* [t], &c.

o Gen.39. 11. p lect.191. q Genes.37. 24.28. r Gen 42.21. s Genes.37. 21.22. t Gen.42.22.

Cui primum attidet, dicere poterit vocē (*sed*) non aduersandi vim nunc habere, sed augendi, vt non modò venditum Ioseph sapientia non dere-

A liquerit, sed in maius illud peccandi periculū adductū, beneficio pluris æstimando liberauerit. Dictæ notionis (*sed*) exempla minimè desunt; vt [a], *quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem*, &c. Quid si de fratribus intelligendo, illos, quos accusauit Ioseph de crimine pessimo [b], pudicum adolescentulum sollicitasse dicamus ad turpia?

a 2. Cor.7.11. b Gen.37.2.

Descenditque cum illo in foueam.] Græcè (συγκατέβη αὐτῷ εἰς λάκκον.) Carcerem Ægypti cuncti explicant; Hugo etiam cisternam, in quam fratres miserunt eum, *quæ non habebat aquam* [c]. Vtroque modo descendit sapientia Deúsve, quia propter sapientiam, & Dei singularem curam, animi constantiam retinuit, & euasit.

c Ibid.24.

B Nam quod attinet ad carcerem, ibi *Dominus erat cum Ioseph, & misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris: qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos, & quidquid fiebat, sub ipso erat, & omnia opera eius Dominus dirigebat* [d]. Philo [e] principem carceris ait honestissima indole huius adolescentis ad humanitatem traductum, & locum illum non tam carcerem, quàm disciplinæ mediatorium fuisse vniuersis custodiis. Alia item ex parte Chrysostomus [f] perpendit supernam Dei manum detinuisse barbarum herum, ne in iusti rueret cædem, carcere contentus. Ambrosius [g] nil ait mirum esse, si visitet Deus in carcere positos, qui seipsum in suis

d Genes. 39. 21.22.23. e de Ioseph. f hom. 63. in Genes. g de Ioseph. c.5.

C inclusum esse memorauit [h].

h Mat.25.36.

Nomina λάκκος, & *fouea* potiùs indicant cisternam, quàm carcerem: nec memini Græcum pro carcere; sicut nec Latinitate donatum *lacum*, vel *foueam*. Tamen quia subterraneus carcer solet esse, dici lacus potest; quemadmodum & ita præcipitium quoduis, profundáve scrobs, aut sepulchrum, aut mors ipsa non rarò lacus dicitur [i]. Ieremias in lacum cōiectus est velut in carcerem [k]. Accommodatitium potiùs est quàm literale, quòd Christi Diuinitas descenderit cum anima in foueam inferorum, & corpus in sepulchri vinculis non dereliquerit.

i Ps.7.16. Ps. 27.1. Ps.29.4. Ps.39.3. Ps.87. 5.7. Ps.142.7. & alibi. k Iere.37.15. c.38.6. & seq.

D *Vers.* 14.] Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.

PLana satis, & antè etiam exposita sententia: sed modò per partes enucleanda.

E *In vinculis.*] Græcè (ἐν δεσμοῖς.) *Vincula* pro carcere sumuntur aliquando, licèt carcere conclusus ipsis vinculis catenísve non stringatur. In Psalmo [l] est, quòd *humiliauerunt in compedibus pedes eius, & ferrum pertransiit animam eius*; Hebraicè posset esse (*anima eius*) Septuaginta (σίδηρον διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ) Chald. (*in catenam ferream transiit anima eius*) Symmachus apud Theodoretum (εἰς σίδηρον ἦλθεν, aut διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, hoc est, μέχρι σφαγῆς ἐκινδύνευεν, *vsque ad cædem est periclitatus.*) Meminit & vinculorum Iosephus [m], à quibus intra carcerem custos carceris eum absoluerit, victu etiam commodiore, quàm reliquos vinctos vti permittens.

l Ps.104.19. m 2. Antiq. c. 3. vel 4.

Donec afferret illi sceptrum Regni,] Græcè in plurali (σκῆπτρα.) Pharao vno tantùm Regni solio

præce

præcedere volens, iussit Ioseph esse super domum suam, vt ad oris eius imperium cunctus populus obediret, dato ei annulo manus propriæ (signatorium appellat Philo [a]) stola byssina, torque aurea, & vt sederet super currum suum secundum, cùm clamaret præco, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti, cognominando Saluatorem mundi (Thargum Ierosolymitanum addit Principem in sapientia.) Sic in Genesi [b]. In Psalmo [c] præterea, quòd *constituit eum Rex dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ*; item, *vt erudiret Principes sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* In libris Machabæorum [d]; cùm *in tempore angustiæ suæ custodiuisset mandatum, factus est dominus Ægypti.* In Actibus [e], quòd *constituit eum præpositum super Ægyptum, & super omnem domum suam.* Philo [f] Proregem nominat, vel Regem potiùs.

a de Ioseph.
b c. 41. 40. & seq.
c Ps. 104. 21. 22.
d lib. 1. 2. 53.
e c. 7. 10.
f de Ioseph.

Et potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant.] Græcè (καὶ ἐξουσίαν τυραννούντων αὐτοῦ, *& potentiam eorum* (id est, in eos) *qui eam exercebant contra ipsum*, vel *qui simpliciter dominabantur ei.*) Cantacuzenus comprehendit & illos, qui malè tractabant cum cædendo, vinciendo, & qui huius ei vexationis, atque carceris auctores fuerant, Putipharem scilicet, vxorémque: Lyranus & Carthusianus istos: Hugo vel hos eosdem, vel fratres; hi namque descendentes in Ægyptum, cum adorare compulsi sunt [g]: Bonauentura & Olcot [h] solos fratres; ego omnes. Quàm se suauiter de fratribus vltus sit, cognosces legendo Genesim [i], vbi tanto apparatu res huiusmodi prolixè narratur. Putipharis sui quondam domini, & accusatoris de adulterio iniusti, filiam duxit vxorem, si credimus Hieronymo, Ruperto, Comestori, Abulensi, Hebræis; licèt opposita non minùs videatur, ac forsan quoque magis probabilis opinio. Expendit ambas Pererius [k], pronior ad secundam.

g Gen. 42. & seq. capitib.
h lect. 131.
i c. 42. & 43. & 44. & 45.
k Genes. 41. disp. 5.

Et mendaces ostendit qui maculauerunt illum.] Græcè (τοὺς μωμησαμένους αὐτόν, *qui vituperauerant, reprehenderant, accusauerant, contra eum testati fuerant, coarguit mendacij.*) Cãtacuzenus complectitur hac oratione fratres Ioseph, eos qui emerant, Putipharé cum vxore, omnes calumniatores. Cæteri magis propriè interpretantur de crimine adulterij. Quo autem pacto falsa criminatio adulterij fuerit detecta, non produnt sacræ literæ: solùm narrant quanta valuerit apud carceris custodem gratia [l]; & Pharaonis iussu extractum, vt coniectaret de somnio ipsius [m], cùm priùs in carcere somnia pincernæ, atque magistri pistorum feliciter exposuisset [n].

l Genes. 39. 21. 22. 23.
m c. 41. 14. & seq.
n ibid. 9. & seq. & c. 40. 8. & seq.

Multis in carcere probata iuuenis experimentis virtus, de quibus Philo [o] disertissimè, nimiùm quàm declarauit innocentiam & castimoniam eius. Et emarcuisset fortassis tamen in carcere, periissétque accusatorum oppressus potentia, destitutus ab omni humana ope, emptitius, alienigena, nisi cognoscendi mysterium somnij voluntas Regem ad euocandum inuitasset, imò compulisset. [Hi sunt euentus piorum, ait Philo [p]: nam etiamsi proclinantur, tamen non corruunt, sed erecti stant firmiter, ne supplantari queãt.] Tũ post descriptionem dignitatis augustæ, quæ Ioseph collata est, admirans addit. [Facta sunt tamen hæc, & fient sæpiùs, quando Deo placuerit, modò subsidat aliqua probitatis scintilla in animo, quam necesse est per occasionem excandescere.] Sed & Ambrosius [q]: [Non turbentur innocentes, inquit, cùm falsis criminibus appetuntur, & oppressa iustitia detruduntur in carcerem. Visitat Deus & in carcere suos, & ideo ibi est plus auxilij, vbi est plus periculi.] Idem Doctor [a] negat iniuriam illam ante id tempus cognitam fuisse à Rege. Facilè credo, nec obscurè facer textus indicat [b]. Lenior causa visa est, quàm quæ Regis cognitione digna esset. Non dubium, quin Putiphar, vxórque, si tamen adhuc viuebant, & maximè si filiam ipsorum duxit Ioseph coniugem, falsæ accusationis culpam agnouerint, præ se tulerint, ignosci petiuerint. Bonauentura suspicatur de vxore Putiphar postea resciuisse, deprehensam & cognitam technam suam, & innocentis virtutem. Iosephus [c] historicus scribit, Iosephum nostrum Deo commisisse innocentiam suam, neque se defendere curasse, neque rem ita vt gesta erat, indicare. Omnino reor deprecatum pro criminatoribus, & in Regis gratia conatum retinere. Illustrari tota res potest historia profana, & sacra seu Ecclesiastica, quo pacto reorum deprehensa, liberata, honorata sit sæpiùs innocentia.

o de Ioseph.
p supra.
q de Ioseph. c. 5.
a ibid. c. 7.
b Genes. 41. 10. & seq.
c 2. Antiq. c. 3. vel 4.

Et dedit illi claritatem æternam.] Græcè (δόξαν αἰώνιον, *gloriam æternam.*) Pro *gloria* sæpiùs Interpres *claritatem* ponit. Intelligit splendorem illum Ægyptiacæ præfecturæ, cuius antè meminimus, atque tota Ægypto, extráque Ægyptum latè, famæ celebritatem, & eximium nomen Saluatoris mũdi [d]. Æterna claritas est ista, quoniam durat adhuc, durabítque huius iusti memoria; & in gentem suam splendor ac fructus eius longè, diúque manauit. De æterna quoque felicitate accipit Bonauentura, quãdo cum reliquis Sanctis Christus ex limbo illum retraxit. Sed prior sensus magis adhæréscit literæ. Is autem, quem tropologicè tradit, propter acumen cum pietate præteriri non debet. In sex personis, quæ adhuc sunt commemoratæ, tentationum totidem obseruat modos idem Bonauentura, à quibus sapientia liberat sanctos; iuxta illud [e]; *in sex tribulationibus, & in septima non tanget te malum.* Adam, vel Eua sunt à diabolo liberati: Noë à fomite, quo corrupta erat omnis caro: Abraham ab interna superbia, cuius exemplum turris ædificatores præbebant: Lot ab externo prauo exemplo, & improba sollicitatione Sodomitarum: Iacob à dolis ac fraudibus: Ioseph ab aduersitatibus mundi. Rursus notat inimicum triplicem, diabolum, carnem, mundum, quos adumbrabant tres hostes Salomonis [f], variis nos modis adoriri. Nam diabolus aggressus est primos parentes visibiliter: Abraham inuisibiliter: carnis tentatio secundùm naturalem viam obiecta est Noë: Lot contra naturam: mundus fraudibus egit cum Iacob: vi, atque potentia cum Ioseph.

d Genes. 41. 45.
e Iob. 5. 9.
f 3. Reg. 11.

Vers. 15.] Hæc populum iustum, & semen sine querela, liberauit à nationibus, quæ illum deprimebant.

PRæter allata sex exẽpla singularia, totius Hebræi populi generale profertur exemplum, vt ait Bonauen. & Olcot [g], erga quem põpulum tot tantáque contulerit auctor sapientiæ beneficia. Primum est liberatio de Ægyptiaca seruitute, grauissimísque oneribus eius. Cantacuzenus de Mose ista explicat, quo duce liberatus est populus, ac tantis beneficiis affectus à Deo. Sic

g lect. 132.

numerari posset exemplum singulare septimum, quod & Lyranus facit. Sed res eodem recidit. Nos autem non hîc repetemus quæ sunt in Exodo[a], & quæ cum Stephano eadem fusè narrante persecuti sumus[b], contenti necessariis ad intelligentiam præsentis loci.

a c.1. & seq.
b Act.7.17. & seq.

Populum iustum.] Græcè (ὅσιον, *sanctum.*) Priores Noë, Abraham, Lot, Iacob, Ioseph appellati sunt δίκαιοι. Populus nunc vocatur ὅσιος, *sanctus*, quia generalis iustitia complectitur sanctitatem, & hæc vicissim illam. Etsi verò in populi tanta multitudine non omnes iusti, vel sancti; tamen conuenit ei hoc nomen, si iustitiam generaliter, & Dei cultum verum profiteatur, & orthodoxam de illo sententiam; quibus, inter alias, de causis Ecclesia sancta dicitur. Hebræi verò luti ac laterum opere pressi, grauibúsque aliis in Ægypto laboribus, à pietate in Deum dimoueri non potuerunt; quamuis plurima eorum pars duræ ceruicis esset, nec adeò commodis prædita moribus. Carthusianus non placet, dum hoc de illis confitens, voléńsque de morali iustitia, cæterísque huiusmodi virtutibus sermonem hîc esse, à multo minore parte iustum populum asserit denominari. Nostra expositio Cantacuzeni est, atque reliquorum; licèt Bonauentura illam quoque aliam de iustitia operum recipere videatur.

Cæterùm cùm Ezechiel[c] indicat populum illum idololatriæ studuisse in Ægypto, intelligendus de vitulo adorato ad imitationem Ægyptiorum, non ita multo post exitum ex Ægypto[d], nempe circiter mense quarto. Nam ante id tempus nusquam leguntur de isto crimine notati Hebræi. Imò Deus, ac Moses locuti narrantur de ipsis tanquam de Deo deuotis, quíque, vt eidem immolarent, egredi flagitarent. Iidem præterea plagas experti non sunt, quas communiter Ægyptij tolerabant.

c c.23.2.3.8.
d Exo.32.4.5.6.

Semen sine querela.] Græcè (σπέρμα ἄμεμπτον, *irreprehensibile, inculpatum.*) Vitiosè legunt aliqui (*sanctum*) pro (*semen.*) Idem epithetum fuit in versu quinto de Abraham, qui nulla superstitione maculari se passus sit in medio nationis prauæ. Et quia talis præterea Isaac, & Iacob, auctores ac Patriarchæ populi, vocatur idcircò semen cultorum Dei. *Si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami*[e]: quod vtrumque de Patriarchis, & Prophetis antiquis Chrysostomus[f] accipit: Theodoretus[g] radicem.

e Rom.11.16.
f hom. 19. in Ep. ad Rom.
g ibid.
h Act.1.5.

Liberauit à nationibus.] Græcè (ἐξ ἔθνους, *à natione.*) Quid ἔθνος, quid natio propriè, alibi[h] declaratum.

Quæ illum deprimebant.] Alij vel (*comprimebant*) vel (*opprimebant.*) Versu priore verbo eidem respondebat τὸ τυραννούντων: hîc est autem θλιβόντων, quod non incommodè per idem *deprimendi* verbum exposuit Interpres; vt nihil necesse sit alias lectiones præferre, quod vellet Lucas Brugensis[i]. Qui (*opprimebant*) legunt, respiciunt, opinor, ad verba Exodi[k], *venite, sapienter opprimamus eum*; vbi tamen nihil est quod propriè respondeat oppressioni: sed tantùm significatur sapiens, hoc est, callidum, &, vt ita dicam, sophisticum consilium contra populum, נִתְחַכְּמָה nithchachmah, κατασοφισώμεθα. Alio in loco eiusdem libri[l]; *vidíque afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur*, est verbum θλίβω (κἀγὼ ἑώρακα τὸν θλιμμὸν, ὃν οἱ αἰγύπτιοι θλίβουσιν αὐτούς.) Est θλίβω, *premo, stringo, elido, affligo*: vnde frequens apud Scripturas, & Ecclesiasticos auctores vocabulum θλῖψις pro *afflictione*, atque *tribulatione*, vel θλιμμῷ.

i in notationibus.
k c.1.10.
l c.3.9.

Vers. 16.] Intrauit in animam serui Dei, & stetit contra Reges horrendos in portentis & signis.

MOses hic fuit, cuius animum impleuit sapientia, cùm obsequi Deo decreuisset in rebus omnibus, eíque placere, spretis honoribus Regiis, qui tanquam Regis adoptiuo filio deferebantur[a]; & Regi ipsi fortiter pro populo suo restitit, eiúsque Principibus, illos adeò formidabiles terribilibus plagis decem ad id quod volebat, compellens.

a Exod. 2. 11. Heb.11.24.

Intrauit in animam.] Sapientia increata Deúsque per donum creatæ sapientiæ: vel hæc ipsa per infusionem Dei, atque inspirationem; quamuis & omni externa disciplina cumulatè institutus fuerit[b]. Deus ipse præcepit Mosi, vt populum educeret[c]; ac rem tantam verenti dixit: *Ego ero tecum*[d]; &, *ego ero in ore tuo, docebóque te quid loquaris*[e]. Capite septimo[f] audiuimus quòd sapientia per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, & Prophetas constituit.

b Act.7.22.
c Exod.3.9.& seq.
d ibid 12.
e c.4.12.
f vers.27.

Serui Dei.] Græcè (κυρίου, *Domini.*) De hac Dei seruitute lege quæ notauimus ad Actus Apostolorum[g]. Deus ipse Mosem, quod sciam, primum hac serui sui appellatione dignatus est[h]; nisi præferendus videatur hac in re Iob[i]. Plus est esse seruum Dei, quàm iustum. Idcirco primus qui inter Gentiles cultor erat Dei Iob, seruus nominatur, & legislator Moses, qui peculiarem Dei cultum instituit.

g c.2.18.
h Num.12.7.
i Iob.1.8.

Stetit contra Reges.] Græcè (ἀντέστη βασιλεῦσι, *restiuit Regibus.*) *Standi* verbum militare est, denotátque stationem ad congrediendum, vel resistendum[k]. Sic stetisse Angelus dicitur contra Balaam[l], & Iosue[m], & pro filiis populi[n]. Rex vnus fuit Pharao, contra quem stetit Moses: verumtamen Regum nomine intelliguntur quoque Principes Pharaonis, coram quibus editæ sunt plagæ[o]; sicut & apud Latinos[p] Rex non rarò diuitem dominúmque significat. Vel quemadmodum Interpres antea nationes pro natione posuit, ita Reges Auctor pro Rege. Vtrouis modo licet interpretari Psalmum[q] Reges quoque nominantem, cùm eadem de re loquitur; *Edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipsorum*: qui appellantur in Exodo[r] serui Pharaonis. Potuerunt & nonnulli ex iisdem Principibus Regio nomine vocari, & Reges esse gentium suarum, licèt subiecti essent Pharaoni.

k Ephes.6.13.
l Num.22.27.
m Iosue 5.1.
n Dan. 12.1.
o Exod.7.10. & seq.
p Teren. in Phor. Plaut. in Captiuis. Columella in præfat. Horat. 1. carmin. ode 14. Martial. l. 2. epig. in 18.
q Ps 104. 30.
r c.8.2.4.

Horrendos.] Græcè (φοβεροῖς.) Vexabant namque crudeliter populum laboribus, irrisionibus, cæde masculinorum infantium, flagellatione eorum qui præerant operibus; sempérque ingruentium malorum aliorum angebat, ac sollicitos & mœstos timor tenebat.

In portentis & signis.] In decem plagis. De his vocibus Latinis, ac de prodigiis, ostentis, & synonymis aliis, déque Græcis τέρατα, καὶ σημεῖα diximus aliàs[f].

f Act.2.19.

Vers. 17.] Et reddidit iustis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.

Memo

MEmorantur alia tria beneficia, quòd in diſceſſu ſecum abſtulerint compenſationem copioſam mercedis pro tot præteritis laboribus: quòd ſe ſapientiæ largitor illis ducem præbuerit in longo difficilique itinere: quòd inducta nube à diurno Solis ardore protexerit; nocturnas verò tenebras diſcuſſerit ſplendore clariſſimo.

Reddidit iuſtis mercedem laborum ſuorum.] Qui iuſti, Græcè hîc etiam ὅσιοι. Rectè iuſti, qui res alienas non vſurpauerint; ſed ſtipendia debita, ſic etiam volente ac iubente his Deo [a], per compenſationem receperint: qui Deus cùm ſit omniũ Dominus, potuit abſque iniuria liberaliter & gratis aliis erepta donare Hebræo populo. Itaque duplici nomine iuſtè poſſederunt Hebræi vaſa argẽtea, & aurea, ac veſtes, aliámve ſupellectilem mutuò ab Ægyptiis acceptam. Mentio huius etiã eſt in Pſalmo [b]. Quocirca falsò ſcripſit Ioſephus [c], Ægyptios ſponte ac dono hæc Hebræis dediſſe, vel vt abſcederent citiùs, vel propter vicinitatis conſuetudinẽ. Nec placet mihi, vt ſola, cur Deus Ægyptios per Hebræos tanquam per miniſtros ſuos voluerit ſpoliare, cauſa dicatur fuiſſe, alia ipſorum ſcelera permulta, præſertim idololatriæ, vt Auguſtinus [d] docet: & hoc illa merebantur quidem; ſicut etiam Chanaanitidem regionem à poſſeſſoribus ablatam dedit iiſdem Hebræis Deus [e]. Neque hîc ſolam Dei diſpenſationem, præceptúmque cum Bernardo [f] cognoſco. Merces fuit iſta ὁ. ἰσότης κόπων τῶν ὁσίων, *iuſtitia laborum, quos iuſti tolerauerant* (emendati codices non habent ὁσιότης, neque Cantacuzenus, aut alij probiores auctores) & quibus illam commeruerant; & præterea iniuriarũ, vt pluribus exaggerat Philo [g], maximè verò libertatis oppreſſæ, quæ pretio haud ſatis æſtimari valet, compenſatio: ita vt per ſe ipſi vendicare ſibi potuerint, quæ debebantur, nec aliter poterant recuperare, quamuis nõ præcepiſſet id illis nominatim Deus. Adde cum Irenæo [h], quòd indigniſſimè ac ingratiſſimè gentem eam Ægyptij tractauerant, cui & rerum & vitæ debitores erant ob Patriarchæ Ioſeph præcedentem benignitatem.

Adiice inſuper traditionem, quam narrat Tertullianus [i], repetiiſſe per legatos Ægyptios ab Hebræis, quæ commodatò dederãt: illos ea conditione reſpõdiſſe reddituros, ſi viciſſim debitam mercedem rependerent: ſed cùm ſubducta ratio fuiſſet, debitæ mercedis ſummam tantam euaſiſſe, vt ſatius Ægyptij ducerent bona illa ipſis dimittere, quàm mercedẽ diſſoluere, præter actionem iniuriarum. Quanquam id quando contingere potuerit, non video; nec probabile cenſeo, poſtquam Hebræi mare rubrum tranſmiſerant. Quid enim animi eſſe potuit poſt tãtam ſuorum intra mare ſubmerſionem, & curruum equorúmque iacturam, & aliarum rerum inæſtimabilem, remittere qui minoris res momenti repeterent? Omnes concordi ſententia confirmant, Hebræos ablata iuſtè ſibi habuiſſe, tum quòd ita etiã Deus fieri præcepiſſet. Legendi tractatores Exodi, potiſſimùm Auguſtinus [k], Rupertus [l], Theodoretus [m], Abulenſis [n], & de recentioribus Pererius [o], & Yſtella [p]: præterea Clemens [q] Alexandrinus, Baſilius [r], Epiphanius [ſ], B. Thomas [t], Alcimus [u]. Huius hæc de multis præclara carmina;

——— *tollumur auari*
Sic Pharaonis opes: quem tunc mercede ſoluta
Seruitij longum credas taxaſſe laborem.

Clemens autẽ: [Sine ergo, inquit, vt in bello quis

a Exod. 3. 21. 22. & 11. 2. & 12. 35
b Pſ. 104. 37.
c 2. Antiq. c. 13.
d lib. 22. cõtra Fauſtũ. c. 71.
e Leuiti. 18. 27. & ſeq.
f de præcepto & diſpẽſat. c. 5.
g 1. de vita Moſis.
h lib. 4. c. 49.
i 2. contra Marcio. c. 20 & lib. 4. c. 24.
k q. 6. 39. 43.
l lib. 1. c. 13.
m q. 23.
n in c. 3. q. 10.
o in c. 22. diſput. 11
p in Exod.
q 1. ſtrom. c. 23.
r hom. 12. in princip. Prou.
ſ in Ancorato.
t 2. 2. q. 66. a. 5. ad 1. & q. 104. art 4 ad 2.
u lib. 5. carminum.

A hoc factum eſſe dixerit, res hoſtium victoriæ iure auferre volebant, vt potentiores inferiorum; belli autẽ iuſta erat cauſa. Supplices propter famem Hebræi venerunt ad Ægyptios: illi autem hoſpites redactos in ſeruitutem, inſtar mancipiorum ſeruire coëgerunt, ne mercedem quidem eis ſoluentes. Siue vt in pace; mercedem prædam ab inuitis acceperunt, qui longo tempore non ſoluebant, ſed ipſos ea priuabant.] Proſper [a] approbat hæc præſenti teſtimonio huius libri, & indicat, dum vacant funeribus primogenitorum ſuorum Ægyptij, ſibique magis adhuc timent, ocyùs Hebræos cum vniuerſis quæ dederant pepuliſſe; vt redderetur iuſtis merces laborũ illorum. Non nemo huc alluſum credit in Canticis [b]; *murenulas*

B *aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, ſcilicet ad pretioſam ſupellectilem, quam abſtulerunt ab Ægyptiis Hebræi. Carthuſianus adiicit mercedis locó terram promiſſionis, atque dona multa ſpiritualia. Sed alia ratio fuit cur terra illa daretur; & diu antè promiſſa fuerat Patriarchis.

Et deduxit illos in via mirabili.] Mirabilis fuit deſerti via, quia non peruia ſine multis miraculis, & diuinæ prouidentiæ magnis muneribus per annos quadraginta, vt meminimus in exponendo ſermone Stephani [c]. Dux fuit Deus in miſericordia ſua populo quem redemit, & portauit eum in fortitudine ſua [d]. *Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis: circumduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit eum quaſi pupillam oculi*

C *ſui. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis. Dominus ſolus dux eius fuit; & non erat cum eo Deus alienus* [e]. Hanc præterea viam mirabilem cum exprobratione deſcribit apud Ieremiam [f] Deus ipſe his verbis. *Et non dixerunt: Vbi eſt Dominus, qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti: qui traduxit nos per deſertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram ſitis, & imaginem mortis, per terram, in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo?* Ibi ſcilicet deerat qui oſtendere viã poſſet: ibi nec ad potum, nec ad cibum quicquam reperiebatur: ibi pericula multa ob difficultatem ipſam regionis aſperæ, præcipitiíſque, & propter feras ac beſtias. Sed & Moſes exponit diſertè mi-

D rabilitatem einſdem viæ, cauſámque cur quod decem circiter diebus confici poſſet iter, voluerit Deus peragi per tot diuerticula, & ambages annorum quadraginta ſpatio. Legantur aliquot de primis capitibus Deuteronomij. Sed in capite octauo [g] ſic eſt. *Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, vtrùm cuſtodires mandata illius, an non. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna* [h], *quod ignorabas tu, & patres tui* (ab admiratione *man* dictum volunt:) *vt oſtenderet tibi quòd non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei* [i]. *Veſtimentum tuum, quo operiebaris,*

E *nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt. Vt recogites in corde tuo, quia ſicut erudit filium homo, ſic Dominus Deus tuus erudiuit te; vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis eius, & timeas eum.*

Præter iſtam cauſam, vt nempe populus hac ratione doceretur, & exerceretur ad patientiam, & obedientiam, redditur ab eodem Moſe alia in Exodo [k]. *Igitur cùm emiſiſſet Pharao populum, non eos eduxit Dominus per viam terræ Philiſtiim, quæ vicina eſt: reputans ne fortè pœniteret eum, ſi vidiſſet aduerſum*

a 1 p. de prædic. c. 17.
b c. 1. 11.
c Act. 7. 36.
d Exod. 15. 1
e Deut. 1. 31. 32. 10. 11. 12
f c. 2. 6.
g verſ. 2. 3. 4.
h Exod. 1 14. & ſeq.
i Matt. 4.
k c. 13. 17

se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum. Sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum. Nugantur Hebræi in via ouem ex improuiso apparuisse, locutámque demonstrasse viam, idque significari verbis illis [a]; *qui deducis velut ouem Ioseph.* At verba illa solam indicant pastoralem curam Dei, sicut & cùm dicitur [b]; *Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moysi & Aaron*: item [c] quòd *abstulit Deus sicut oues populum suum, & perduxit eos tanquam gregem in deserto.* Mitto fabulam aliam de onagro, qui sitienti populo prædux ad aquas fuerit; vt idcirco postea cultus ab Hebræis asinus sit: quæ Christianis quoque postea superstitio, quòd iidem haberentur qui Iudæi, obiecta est. Refellunt hæc Patres in apologiis, & Iosephus contra Apionem.

a Ps.79.2.
b Ps.76.21.
c Ps.77.52.

B *Fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.*] Græcè (ἐγένετο αὐτοῖς εἰς σκέπην ἡμέρας, καὶ εἰς φλόγα ἀστέρων τὴν νύκτα, *in velamentum diei, & in flammam stellarum per noctem.*) Illud velamentum vocatur in Psalmo [d] nubes diei; & quidem (*diei*) hîc, & ibi Græco more pro (*die*) lux autem stellarum, illuminatio ignis: item expansa [e] nubes in protectionem, εἰς σκέπην, & ignis lucens per noctem. Sed in Exodo [f] vtraque nominatur columna nubis, & ignis. *Dominus*, inquit, *præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in colũna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, & columna ignis per noctem corã populo.* Idem *columnæ* vocabulum aliis in locis [g] reperitur. Interdum appellantur nubes, & species ignis [h], aut nubes & ignis [i], aut ignis, & columna nubis [k]. Est quoque in hoc ipso libro postea mentio de ignis ardente columna, quam ducem habuerint ignotæ viæ [l], & de nube castra obumbrante [m]. Dicitur etiam Deus in columna nubis apparuisse [n], & locutus [o]; & cum Angelo præcedente castra, vel stante, nubis stetisse columna [p] (idémque est de columna ignis) & præcessisse, à quo mouebatur & dirigebatur, vt etiam scripsit Philo [q].

d Ps.77.14.
e Ps.104.39.
f c.13.21.22.
g Exo.14.19. 20.24. Num. 14.14. 2.Esd. 9.12.
h Num 9.16.
i Exo.40.33.
k Deut.1.33.
l c.18.3.
m c.19.7.
n Deut.31.15.
o Ps.98.7.
p Exo.14.19. Nume.12.5.c. 14.14.
q 1. de vita Mosis.

Itaque nubes erat secundùm colorem candoris, lucisque, & qualitaté materiæ ipsius: columna secundùm rectam figuram, ac solidam & consistentem densitatem, cuius quasi basis tegebat tabernaculum; altitudo præcelsa, vtpote cùm ab omnibus Hebræis ex suis mansionibus, atque tabernaculis videretur. Verùm quoniam nubes erat pro velaméto, vt hîc habetur, & innuunt præterea liber Numerorum [r], & ex Psalmis duo [s], & libri huius capitis 18. [t] verba illa, *Solem sine læsura boni hospitij præstitisti eis*; columnaris autem figura angustior est ad obumbranda contra æstum diurnum castra, cõtinentia tricies centena hominum millia, & idcirco non minorem locum occupantia, quàm decem, vel duodecim milliarium; necessarium videtur, vt præter columnam, quæ præcedebat quoque castra, dum mouebantur, alia nubes fuerit. Admittit Pererius [u], nec Abulensis [x] omnino reiicit; imò reipsa concedere cogitur, cùm asserat protectionem ac defensionem aduersùs calorem Solis factam à Deo, qui aërem omnem castris circumfusum temperaret: quod sanè non aliter fieri, quàm per nubem solet.

r c.14.14.
s Psal.104.39. Ps.120.9.
t vers.3.
u in c.13.Exo. disp.5.
x ibid.q.13.

De hac nubis protectione consentiunt cum Scriptura Hebræi [y], Lyranus [z], Hugo [a] Victorinus, Clemés [b] Romanus, Iustinus [c], Ambrosius [d], Genebrardus [e]. At nomen *columnæ* retinent excepto Iustino, qui aliud addit talis velaméti munus, scilicet contra frigus quoque. Fateor duplicem nominatim nubem non distinguere Scripturas; distinctionis tamen ratio euidens ex iisdem colligitur. Quòd si vnica retinetur, ea sine dubio protegendi etiam, nó vt Caietanus [a] voluit, viam monstrandi duntaxat officium habuit, vt Carthusianus [b] docet.

y in Exo.c.13.
z ibid.
a ibid.
b 8. constitu. Apostolic.
c in Trypho nem.
d in Ps. 118. octon.5.
e in Ps.104.

a in c.13. Exo.
b ibid.

Quod attinet ad columnam ignis, eadem, seruata proportione, dici debent quæ de nubis columna, aut etiam de differente à columna nubis nube, si protegendi vsum excipias, & viam commonstrandi ordinariè. Nam interdum potuit cótingere, vt nocte, vel sub vesperam, aut obscuro cœlo iter ineundum foret. Quo sensu sumenda, quæ sunt in capite 18. [c] *ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ.* Nisi ducatum intelligamus id omne, quod confert ad perficiendam viã, B siue in via cõsistatur, siue procedatur. Arcere poterat stans ignis columna noctu & feras, & hostes. De his legimus in Exodo [d]. Processui magis per se nubis columna seruiebat, maximè cùm in illis desertis nulla viarum extarent vestigia ob arenas leui ventorum flatu mobiles [e], ita vt cogantur viatores, quemadmodum in mari nautæ, instrumentis vti, ad mundi plagas indicãdas, itérque dirigendum. Oleaster [f] nonnullum columnæ ignis agnoscit vsum ad noctu incedédum, & Lucas Brugens. hoc loco. Ambrosius [g] disertè dicit noctu columnam ignis ostendisse viam ambulantibus; Pererius [h] negat. Id etiã hîc affirmat Cantacuzenus, aliique. Certè ad remouẽdas tenebras C domesticas, vt ita dicam, poterant ignes alij excitari, licèt non adeò luculenti, vt non solus hic igneus columnæ vsus videatur fuisse; sed saltem interdum ad iter. Sed pollent eo quem dixi modo conciliari sententiæ istæ.

c vers.3.
d c.14.19.
e Geneb. in Ps.104.
f in c.13.Exo.
g in Ps. 118. octon.5.
h in c.13.Exo. disp.6.& 8.

Satius verò sit speciem ignis, pro vt etiam loqui Scripturam antè vidimus, quàm verum igné existimare. Cur enim dicemus absque necessaria ratione ignem extra sphæram suam detentum? vel quod ei pabulum assignabimus? Non poterat absque miraculo tanta moles ignis non comburere, ac etiam absumere, quæ circa illum erant, & tabernaculum ipsum. Ignis erat, dicebatúrque, non densior, qui vrit multum, parum lucet; qualis carbo ignitus, vel ferrum: non similis D flammæ, cui par cum lucendi, vis vrendi; sed ad modum puræ lucis, atque stellarum, quæ nihil vrunt per se, at lucent plurimùm. Distinctio triplicis huius ignis traditur à Platone [i], & Aristotele [k], soléntque sydera ipsa ignes cœlestes appellari. Hoc sibi forsan Auctor hoc loco voluit, cùm dixit (*in luce stellarum*:) quamuis, quia lux densior fuit, Græcè posuit (εἰς φλόγα, *in flammam*) & Ambrosius [l] nebulam, & columnam lucis [m] nominat.

i in Timæo.
k in Topicis.
l in. Psal.118. octon.5.
m 1.de Sacra. c.6.

Ad extremum, probabilem censeo sententiam, nubem quidem obumbrantem interdiu diuersam fuisse, vt antè docui, à columna nubis, & ignis: E attamen eandem præter illam nubem, & nubis, & ignis columnam censendam, officiis nocturnis & diurnis inseruientem. Lyranus existimat non esse improbabile. Sic autem asserunt Abulensis [n], Caietanus, Pererius, omnes in caput Exodi 13. Indicant id non obscurè verba libri Numerorum in capite 9. [o] *Si fuisset nubes à vespera vsque manè, & statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: & si post diem, & noctem recessisset, dissipabant tentoria. Si verò biduo, aut vno mense, vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filij Israël*, &c. Item quod est in Exodo capite 14. [p] *Iámque aduenerat*

n q.114.
o vers.21. 22.
p vers.24.

vigilia

vigilia matutina,& ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum. Ibidem paulo antè scribitur [a], nubem partim tenebrosam fuisse, nimirum versùs Ægyptios, illis aspectum Hebræorum adimendo; partim lucentem ac illuminantem noctem, scilicet apud Hebræos. Atqui duas columnas simul aliquando fuisse nemo dicit: & quemadmodum vnicæ tunc pars illuminabat, pars obscurabat; ita facilè percipitur, eandem fuisse per singulos dies tum nubis, tum ignis, ob diuersum modú vsúmque. Ambrosius [b] appellans nebulam lucis, innuit eandem sententiam.

a vers.20.
b in Psal.118. octon 5.

Vers. 18.] Transtulit illos per mare rubrum, & transuexit illos per aquam nimiam.

EXtendit Dei iussu Moses *manum super mare, & abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisáque est aqua. Et ingressi sunt filij Israël per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & laua.* Hæc in Exodo [c]. In Psalmis autem [d]; *Interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in vtre:* &; [e] *increpuit mare rubrum, & exsiccatum est, & deduxit eos in abyssis sicut in deserto:* & rursus [f]; *diuisit mare rubrum in diuisiones, & eduxit Israel per medium eius:* item [g]; *Mare vidit, & fugit:* Paulus [h] quoque; *Fide,* inquit, *transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram; quod experti Ægyptij, deuorati sunt:* & Achior [i]; *fugientibus his Deus cœli mare aperuit, ita vt hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & isti pede sicco fundum maris perambulando transirent:* & Rahab [k]; *Audiuimus quòd Dominus siccauerit aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto.* Relege, si lubet, quæ de hac ipsa re ad Actus Apostolicos [l] diximus, & de nomine maris rubri, & de orbitis rotarum ibi relictis; atque superiùs de altitudine seu profunditate aquæ. Plura Exodi Enarratores in cap. 14. maximè Pererius.

Per aquam nimiam.] Græcè (*διὰ ὕδατος πολλοῦ; per aquam multam.*) Sicut *nimis* pro *valdè* quandoque ponitur. Opus fuit hoc diuinæ potentiæ, vt loco superiùs citato monuimus, ac demonstrat Pererius [m], præferens meritò diuisioni Iordanis sub Iosue [n]. *Saluauit* enim *eos* (Deus) *propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam* [o]. Angelorum ministerio aquæ hinc & hinc separatæ sunt instar muri: ventus orientalis immissus fundum siccauit maris limosum ac lutulentum; atque per latam viam vnam cunctæ multitudini transitus fuit, non per duodecim, vt fabulātur Hebræi, pro tribubus totidem, diuisiones. Hos ex Psalmo [p] argumentantes *(qui diuisit mare rubrum in diuisiones)* refellit Turonensis [q]. Consulātur Theodoretus [r], Caietanus [s], Lyranus [t], Pererius [u]. Postremi tres volunt Hebræos transisse mare rubrum vsque in littus oppositum; & id confirmat auctoritas Nysseni [x], Iosephi [y], Philonis [z]: licèt aliis aliud videatur, vt Abulensi [a], Burgensi [b], & B.Thomæ [c]. Fauet isti sententiæ quæ hîc appellatur nimia aqua; nempe non in profunditate sola, sed etiam in extensione: & quod habetur in Psalmo [d]; *eduxit Israël per medium eius.* Cùm autem dicitur Deus per aquam transtulisse, & transuexisse, significatur locus & alueus aquæ, aqua ipsa nudatus, non quòd super aquas ipsas Hebræi ambulauerint, vt tamen sentit Rabbi Samuel Marrochianus [e].

c c.14. 21. 22.
d Ps.77.13.
e Ps.105.9.
f Ps.135. 13.14.
g Ps.113.3.
h Heb.11.29.
i Iudith 5.12.
k Iosue 2.10.
l c.7.36.
m disp.4.& 5.
n Iosue 3. 13. & seq.
o Ps.105. 8.
p Ps.135.13.
q 1. histor Franco. c.10.
r in Exo.q.25.
s in c.14.
t ibid.
u ibid.disp.2.
x 1. de vita Mosis.
y 2. Antiq. c. vlt.
z 3. de vita Mosis.
a Exo.14.q 9.
b ibid.
c in 1.Cor 10.
d Ps.135.14.
e de aduentu Messiæ c.15.

Vers. 19.] Inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum.

ÆGyptiorum in mari rubro submersio interitúsque describitur in Exodo [a], & in libro Iudith [b], & cap. 18. huius libri [c] (vbi causa innuitur, vt qui infantes Hebræorum aquis perdiderant, simili ratione interirent) & in Psalmo 105. [d] & 135. [e] & in Epistola ad Hebræos [f], ita vt ne vnus quidem remaneret ex innumerabili exercitu, hoc est, ex omni populo, nempe militari, ex sexcentis curribus electis, aliísque omnibus, qui erant in Ægypto, cum ducibus totius exercitus, & omni equitatu [g]; quem numerum distinctè Iosephus [h] exprimit curruum septingentorū, septuaginta millium equitum, scutatorum peditum ducentorum millium. [Æstimari numerus eorum potest hoc solo vel maximè argumento, inquit Orosius [i], quòd Hebræorum virorum sexcenta millia timuerunt Ægyptios, & fugerunt.] Nec Pharao euasit, quidquid contradicat Manethon apud eundem Iosephum [k], vt ex iisdem locis colligitur, quibus narratur, vt dixi, neminem superfuisse ex iis, qui insequebantur Hebræos. Sed & nominatim Pharao apertè ingressus mare memoratur [l]; & Deus excussisse Pharaonem, & virtutem eius (id est, exercitū) in mari rubro [m]. Freculphus [n] disertè hoc sentit de interitu Pharaonis; præterea Sulpitius [o], Orosius [p]. Putant Hebræi recitati ab Abulense [q], vltimum periisse Pharaonem, vt antè spectata suorum clade magis cruciaretur. Præter aquarum refluxum vehementiorem, addit Artapanus apud Eusebium [r] immissa fulmina: Philo [s] micantem ex nube numinis effigiem: Iosephus [t] ventorum vim cum imbribus, tonitruis, fulguribus: Seuerus Episcopus [u], & Rabbi Salomon [x] igne accensas curruum rotas. Tandem eiecta cadauera sunt propulsu eorūdem ventorum, tempestatísque procellosæ, vt ait idem Philo, in littus aduersum, quò certior, iucundior, gratior Hebræis salus, & de hostibus liberatio foret; vtilior etiam ex spoliis, & armis, quibus in posterum audaciùs pugnare possent contra alios hostes, vt notat quoque Iosephus.

Mirum est sanè ausos Ægyptios committere se mari, quamuis siccato. Non fuit proculdubio ea maris diuisio naturalis propter fluxum & refluxum, vt nonnullos Ægyptios Artapanus [y] refert sibi persuasisse; nec Iosephus [z] de hoc dubitare debuit, sic detrahens de præcipuo gentis suæ miraculo. Refellit Diodorus [a] Tharsensis Chrysostomi præceptor inanem istam suspicionem, tum præsertim ob viam, quæ in medio mari remotis aquis patefacta est. Igitur Ægyptij præcipiti furore acti, seséque inuehentes, ac in suam ruentes perniciem, neque consilium in tempore capientes, siue falsa illa de fluxu ac refluxu opinione cæcati, miniméque vel credentes, vel cogitantes diuini numinis fauore Hebræos mare trāsiisse, idem experiri voluerunt. Videtur hoc Paulus [b] paucis verbis tetigisse; *fide transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram: quod experti Ægyptij, ἧς πεῖραν λαβόντες* (id est, maris, cùm videlicet experiri voluissent, an etiam ipsi transire similiter possent) *deuorati sunt.*

Etsi verò populus ille trepidauerit vehementer, vt vidit Ægyptiorum exercitum, acerbéque

a c.14 24. & seq. c.15. 4. & seq.
b c.5.12.13.
c vers.5.
d vers.11.
e vers.15.
f c.11.29.
g Exod.14.6. & seq.
h 2.Antiq. c. vlt.
i lib.1.c.10.
k 1.cont. Apionem.
l Exod.14. 6.8.10.17.18. c.15. 19.
m Ps 135.15.
n lib.2. chrō. c.8.
o 1.hist sacræ.
p lib.1.c.10.
q in Exod.
r 9. de præp. Euang. c vlt.
s 3. de vita Mosis.
t 2. Antiq. c. vlt.
u in catena Lipomani.
x Exod.14.
y apud Euseb.9.de præpar. c.vlt.
z 2. Antiq. c. vlt.
a citat Lipomanus in catena.
b Heb.11.29.

contra Mosem locutus sit, cogitans etiam de reditu in Ægyptum; nihilominus & Mosis eiusdem oratione, & prodigio subito confirmatus, verbis Mosis, Deóque fidem habuit. Vt verè proinde Paulus Hebræos à fide hac in re commendauerit. Quin etiam vulgi fidem in medium affert, vt magis eos confundat quibus scribit, si sibi deesse fidem patiantur. Vel certè saltem paucorum fidei tantum beneficium deputat; vt nonnullis placet. A

Ab altitudine inferorum eduxit illos.] Græcè (ἐκ βάθυς ἀβύσσυ ἀνέβρασεν αὐτὺς, *ex profunditate abyssi ebullire eos fecit*) hoc est, ascendere. Iansenius exponit de Ægyptiis eiectis in littus aduersum, vt antè diximus. Eodem pacto Cantacuzenus. Vatablus vertit (*imas profundi scatebras in eos emisit.*) Caietanus [a] ait, quòd impetus maris propellebat Ægyptios, quos suffocabat versùs alterum littus, in quod iam peruenerant Hebræi. Philo [b], vt retuli, tribuit id tempestati procellosæ, quæ cumulos enectorum Ægyptiorum in littus aduersum eiiceret. Iosephus [c] pariter transcribit causam in validissimum impetum ventorum. Latini præsentem interpretantur locum de Hebræis ipsis liberatis ab altitudine inferorum, ne mergerentur profundo maris, neu interirent, ac descenderent mortui in quempiam ex locis inferis. Confirmat Carthusianus, quoniam tres pueri benedixerunt Dominum, quia eruerat eos de inferno, & saluos fecerat de manu mortis [d]: & quoniam Iesus filius Sirach [e] gratias egit Deo, quòd liberasset eum de altitudine ventris inferi. Vtitur & Bonauentura posteriore loco. Sed profectò verus est sensus quem dixi. B C

Altitudinem porrò pro *profunditate* Latinè quoque dicimus. Abyssus aquam significat copiosam, ad cuius fundum non facilè penetretur deorsum versùs, vt docent Basilius [f], Theodoretus [g], Augustinus [h], Suidas [i], & alij; sæpéque Scriptura per abyssum intelligit mare [k].

Postremò Græcum verbum ἀνέβρασεν significat, *æstuando expulit, vi æstus & agitationis eiecit*: & vsurpatur potissimùm de mari, sicut & simplex βράζειν, vel βράσσειν, & βράττειν. Maris aqua terreis exhalationibus permixta, ideóque crassa, salsa, calida, faciliùs sustinet ac leuat pondera, & ob æstū, quem patitur, euomit in littora cadauera, quæ propter putrefactionem quoque, quam resolutus facit calor, attenuata & inflata, leuiùs enatant & propelluntur [l]. Sed præter naturalem, diuina hîc quoque virtus proculdubio interuenit. In cantico Mosis est [m], quòd istos deuorauit terra; & in Epistola ad Hebræos [n], quòd deuorati sunt. Virtute diuina nudata aquis terra cōsolidata fuerat, ac si congelata esset, aut constrata silice, indurascente sabulo, & ex suis minutiis concreto, vt Philo [o] scribit. Cessit deinde mollificatum sabulum, & absorpti sunt primùm Ægyptij descendentes in profundum quasi lapis [p]; postea ebullientium aquarum impetu sursum reiecti. D E

Ideo iusti tulerunt spolia impiorum.] Hæc alij reiiciunt in sequentem versum. Loquitur Auctor de spoliis detractis ab Ægyptiis in littus eiectis, vt rectè sentit Lyranus, & Carthusianus; quamuis Cantacuzenus simul de mutuò acceptis accipiat, necnon Hugo, & Olcot [q]: de his autē solis glossa interlin. & Bonauentura. Fauet nostræ sententiæ tum particula causalis, *ideo*, διὰ τῦτο: respicit enim id quod proximè antecessit; tum Græcū verbum ἐσκύλευσαν, & nomen Latinum *spoliorum*: dicuntur

[a] Exod.14.
[b] 3. de vita Mosis.
[c] 2. Antiq. c. vlt.
[d] Dan.3.88.
[e] Eccli.51.7.
[f] hom. 2. in Genes.
[g] in Ps.103.
[h] in Ps.41.
[i] verb. abyssus.
[k] Ps.32.7. Ps. 76.18. Ps.103. Ps.106.26. Pro.8.24.27. Ionæ 2.5. Luc. 8.31. Exo.15.5. Iob.38.19.
[l] Plin. lib.2.c. 103. & quos citat Franciscus Bonamicus 5. de motu c.30. Aristoteles, & Plutarch.
[m] Exo.15.12.
[n] c.11.29.
[o] 3. de vita Mosis.
[p] Exod.15.5.
[q] lect.214.

namque propriè de his quæ ab hostibus victis mortuísve detrahuntur: primæ autem illæ res, licèt ad hostes antea pertinerēt, ab iis tamen velut ab amicis mutuò datæ acceptæque sunt. Volunt Græci λάφυρα viuo hosti detrahi, σκῦλα mortuo. Vnde & σκῦλον, pellis feræ alicui detracta, quod vocamus exuuium & spolium. Quamquam hæc transferantur quoque ad viuos.

Multo feruntur ditiores Hebræi facti ex hac quàm ex prima præda, vt Lyranus & Carthusianus notant; atque ratio suadet sumpta ex tanta multitudine persequentium, atque pereuntium Ægyptiorum; quæ sanè longè maior videtur fuisse quàm illorum à quibus mutuata fuerant vasa, qui nimirum vel vnà cum Hebræis habitarent in terra Gessen, vel etiam extra illam domi suæ vterentur ipsis vt mancipiis. Iosephus [a] tradit, postera post submersionem die, cùm æstus & ventus arma Ægyptiorum in littus expulisset, Mosem collecta viritim distribuisse. Porrò congruit proposito id quod est in Prouerbiis [b]; *custoditur iusto substantia peccatoris*; Græcè, θησαυρίζεται δὲ δικαίοις πλῦτος, *thesaurizantur autem iustis diuitiæ*, &c. Item (vt quidem citatur in decreto [c]) in Esaia [d], δώσω τὸν μόχθον αὐτῶν δικαίοις, pro eo quod legimus; *dabo opus eorum in veritate*. Hac de re videatur Augustinus [e], qui probat ex his locis, quæ ab hæreticis malè possidentur, à Catholicis iustè auferri.

[a] lib.2. Antiq. c. vlt.
[b] c.13.22.
[c] 23. q.7. c. 1. annot. 1. lege etiam c. vlt.
[d] c.61.8.
[e] ep.48. & 50. 2. cōtra. liter. Petil. c.43. & 59.

Vers. 20.] Et decantauerunt Domine nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter.

TAnta hostium strages, euasio tam grauis periculi, tam opima præda timorem Dei ab Hebræis extorsit, fidémque ac fiduciam, & obseruantiam maiorem erga Deum Mosémque [f]. Moses verò, & filij Israël eucharisticum Deo carmen ediderunt [g]: & soror Mosis & Aaron Maria Prophetissa tympanū manu sumpsit, ac deinceps post eam mulieres aliæ cum tympanis & choris, præcinens eiusdem carminis versum primum; *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem eius deiecit in mare* [h]. Philo [i] tradit à Mose gentem omnem in choros duos distributam, virorum, quibus præiret ipse carmen, & mulierū, quibus soror, atque alternis versibus vtrosque cecinisse. Iosephus [k] ait præ gaudio incredibili hymnis & hilaritate totam noctem cunctos exegisse, & Mosem carmē hexametro versu composuisse. Huc spectat quod est in Psalmo [l]; *præuenerunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum*, sicut nos ibi declarauimus. Sed de metro Scripturę legēdus Eusebius [m], Augustinus [n], Hieronymus [o], eiúsque Scholiastes Marianus [p] Victorius, Sixtus [q] Senensis, Lilius [r] Gyraldus, Polydorus Virgilius [s], Genebrardus [t], Alphonsus [u] Mendoza, Andreas Masius [x], Robertus Bellarminus [y], & post istos Ludouicus Lusitanus [z].

Satius duco ignorantiam fateri poëseos istius sacræ, quam fatentur peritiores etiam Hebræi, atque Hieronymus ipse; non tamen ita, vt cum Elia Leuita [a] negemus cantica Mosis vlla lege poëseos constare. Vt autem non refellam opinionem de multo recentioribus poëtices inuentoribus, quàm fuerit Moses, nec Mosi quoque primá deferendam censeo inuentionem, cùm Iob etiam

[f] Exod.14.31.
[g] c.15.1.
[h] ibid.20.21.
[i] 3. de vita Mosis, & lib. de agricult.
[k] 2. Antiq. c. vlt.
[l] Ps.67.26.
[m] 11. de præparat c.3.
[n] epist.131.
[o] ep.103. & 106. & 113. & 117. & 155.
[p] in ep. 113. 117. & 155.
[q] biblioth. lib.8. hær.2.
[r] dialo.1. de poeti.
[s] 1. de inuent. c.8.
[t] in chron. ann.1013. & 3106.
[u] q. an Psalmi Dauid sint vera carmina.
[x] in Iosue. c. 10. vers.12.
[y] in institu. Hebr.
[z] l.9. globi linguæ sanctæ toto.
[a] in Masoreth.

priorem

A Priorem nonnulla versu cecinisse Hieronymus velit; & credibile sit inter alias artes diu antè excogitatam esse, præsertim cùm censeatur proles quædam musices, huius autem tradatur inuentor Tubalcaim. Quod attinet ad cantica, commentarius Mechilta [a] in Exodi caput 15. enumerat decem ex sacra Scriptura: primum Hebræorum in Ægypto, quod ait innui ab Esaia [b]; *Canticum erit vobis sicut in nocte sanctificatæ solemnitatis*: secundum hoc de quo agimus: tertium ad puteum [c]: quartum Mosis paulo ante mortem [d]: quintum Iosue [e]: sextum Debboræ, & Barac [f]: septimum Dauid, quando liberatus est à Saül [g]: octauum Salomonis dedicato templo [h]: nonum cantorum à Iosaphat institutorum [i]: decimum erit Beatorum in altera vita, de quo Esaias [k], post quod nulla calamitas. Prætermissum est matris Samuelis canticum [l], Iudith [m], nonnulla Esaiæ [n], vnum Abacuc [o], aliud trium puerorum in fornace [p]; item Ezechiæ [q], præter illud, quod κατ' ἐξοχὴν Canticum canticorum vocatur.

a refert Masius. b c.30.29. c Num.21.17.18. d Deut 32. e Iosu.10.12. f Iud.5. g 2.Reg.22. & Ps 17. h 2.Paral. 6. i 2. Paral.20. k c.42.10. & 48.20. l 1.Reg.2. m Iudith 16. n c.5.& 12.& 26. o c.3. p Dan.3. q Esa.38.

B *Decantauerunt.*] Græcè (ὕμνησαν.) Cum carmine modi musici adhibiti sunt & vocum, & instrumentorum: cuius vtriusque artis peruetus inuentio, de qua nonnihil dictum aliàs [r].

r in Ps.67. & in Eccle. c.2.

Nomen sanctum tuum.] Nomen pro Deo poni aliàs dixi, sicut & nomen rei alterius pro re ipsa, vel pro inuocatione nominis Dei.

C *Et victricem manum tuam.*] Græcè (τὴν τε ὑπέρμαχόν σου χεῖρα, *superpugnacem, fortissimam in pugna belloque, bellicosissimam, fortissimam, magnificatam in fortitudine,* בַּכֹּחַ *bechoach* [f], ἐν ἰσχυῒ, *in robore.*) Cantantes Hebræi quasi virum pugnatorem nominant Deum [t], vbi Hebraicè sine particula comparatiua vocatur vir belli, אִישׁ מִלְחָמָה *isch milchamah*: à Septuaginta συντρίβων πολέμους, *conterens bella*: Chaldaicè נִצְחָן קְרָבַיָּא *nitschan kerabaya, victor bellorum.* Oleaster [u] putat nomen tetragrammaton, quod in textu Hebræo ibi ponitur, propterea Patribus ante Mosem indicatum nõ esse, quantum ad rem significatam [x], quia deriuatur ab הוָה *houah*, quod est *contritio*, adhuc autem non se ostenderat Deus conterentem inimicos, & tanquam virum belli: & hac de causa Hebræos cecinisse, *Iehouah vir belli, Iehouah nomen eius.* Fauet proposito notatio & ratio Oleastri: sed de nominis vera etymologia magna altercatio, minimè propria huius loci.

f Exo.15.6. t ibid.3. u Exo.6.& 15. x Exod.6.3.

D Victorias ac triumphos Deo solet ascribere Scriptura. Testes tituli Psalmorum, in quibus est *(victori)* vt docui in Psal.67. testis Abacuc [y] in fine cantici sui: testis Iephte [z], Dauid [a]. Nominatim hæc de Christo intelliguntur; de quo Paulus reportante victoriam de fortissima & inuincibili morte post exprobrationem; *Vbi est mors victoria tua* [b] *? Deo*, inquit, *gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.*

y c.3. z Iudic.11.24. a 1. Paral.29.11. b 1.Cor.15.55.57.

Pariter.] Græcè (ὁμοθυμαδὸν, *vno animo, eodémque ore.*) De hac voce diximus in Actibus [c]. Mosaici autem istius cantici explanationem nostri ex professo habent Pererius & Magalianus; ille in selectis Exodi quæstionibus, hic in separato per se opere; qui etiam peculiariter de metro Hebraico.

c c.1.10.

A *Vers. 21.*] Quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.

HÆc ætiologia redditióque causæ demõstrat esse sermonem de illis, qui proximè dicti sunt decantauisse nomen sanctum Dei, & victricem manum eius. Cantacuzenus obseruat hoc exprimi, quoniam paulo ante populus Hebræus, Ægyptiorum contra ipsum copiis aduentantibus, oblocutus erat aduersùs Deum, & vociferatus contra Mosem, minimè vel memor, vel gratus ob præcedentia signa tam multa, & præsentes mirificas columnas nubis, ignísque; ac tandem præ ingenti pauore tanquam puer, aut infans timidus, vbi clamorem & eiulatum inconditum B edidisset, conticuit. Sed periculo defunctus, & hostibus deletis in tuto collocatus, cùm se collegisset, linguam in Dei laudationem soluit, illúmque diserto cantu celebrauit.

Lyranus considerat liberam orationem Hebræorum contra Ægyptios, cùm antea ab his oppressi in Ægypto, & à persequentibus vsque ad mare in summas angustias redacti, ne mutire quidem auderent. Ad eundem modum cæteri. Nisi quòd glossa interlinearis de restituto vsu sermonis mutis à Christo, dat optionem nobis vt intelligamus vel ad literam, vel mysticè. Hoc ego malo. Quod verò etiam Carthusianus addit, forsan aliquos naturaliter mutos loquendi tunc fa- C cultatem supernaturaliter recepisse; atque in quibusdam infantibus anticipatum linguæ vsum, fieri potest; factum affirmare non ausim. Mœror ac dolor voluntatem & facilitatem loquendi eripit minuítve: lætitia hilaritásque reddit orationem magis promptam, expeditam, alacrem. Interdum exclamatio cum indignatione reddit ex elingui articulatè loquentem, vt de Crœsi filio prodit Herodotus [a], quando in Persam, qui patrem occisurus erat, exclamauit ne faceret. Quamuis Plinius [b] rem narrat aliter.

a lib.1. b lib.11.c. 5[?]

Transferri huc posset Psalmi [c] sententia; *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, vt destruas inimicum & vltorem*: Hebraicè pro, *perfecisti* D *laudem*, est, *fundasti fortitudinem*, יִסַּדְתָּ עֹז *iasadthah hhoz*, quasi dicat, declarasti potentiam, vel esse stabilem ac firmam laudem tuam. Per τεττίγων vocantur infantes qui simplices sunt, imbelles, ineloquentes. Ita quidem seipsum Dauid eo Psalmo [d] appellat, postquam Goliam [e] strauerat, cóque nomine gratias egerat, & magnam Deus laudem consecutus fuerat. Christus eandem sententiam ad pueros canentes Osanna accommodauit [f]; quos etiam infantes fuisse Chrysostomus putat, & Enthymius, & Theophylactus; quod Christi certè gloriam magis auget.

c Ps.8.3. d Psal 8.3. e 1.Reg.17. f Mat.21.16.

Mysticam totius capitis expositionem de Martyribus & Confessoribus, quibus id adaptat Ecclesia, perstringit aptè Carthusianus, & hinc inde Hugo. Porrò partitionem textus non eandem sequuntur omnes. Ex Græcis Cantacuzenus hanc nostram seruat. Hugo præsenti capiti iungit alios duos versus: Carthusianus & Olcot vnum.

SVMMARIVM.

ALIA deinceps collata populo post fugam ex Ægypto beneficia tractantur, præcipuè aquarum de petra excussarum, facta comparatione cum tinctis Ægyptiorum aquis sanguine; vt siti propterea eorum multi perirent. Fit quoque mentio de vexatis iisdem Ægyptiis per bestiolas, quò Dei sic potentia conspectior foret, qui etiam pro sua benignitate tolerauit, atque tolerare solet peccatores, vt resipiscant, cùm tamen illos continuò, nutúque solo perdere posset.

CAPVT XI.

1 DIrexit opera eorum in manibus Prophetæ sancti. A

2 Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: & in locis desertis fixerunt casas.

3 Steterunt contra hostes, & de inimicis se vindicauerunt.

4 Sitierunt, & inuocauerunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro.

5 Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, à defectione potus sui, & in eis, cùm abundarent filij Israël, lætati sunt;

6 Per hæc, cùm illis deessent, bene cum illis actum est.

7 Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti iniustis.

8 Qui cùm minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperatè,

9 Ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & aduersarios illorum necares.

10 Cùm enim tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur.

11 Hos quidem tanquam pater monẽs probasti: illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnasti.

12 Absentes enim & præsentes similiter torquebantur.

13 Duplex enim illos acceperat tædiũ, & gemitus cum memoria præteritorum.

14 Cùm enim audirẽt per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus.

15 Quem enim in expositione praua proiectum deriserũt, in finem euentus mirati sunt, non similiter iustis sitientes.

16 Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quòd quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias superuacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam:

17 Vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

18 Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorũ, aut audaces leones:

19 Aut noui generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes:

20 Quarum non solùm læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere.

B 21 Sed & sine his vno spiritu poterant occidi persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.

22 Multum enim valere, tibi soli supererat semper: & virtuti brachij tui quis resistet?

23 Quoniam tanquam momẽtum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.

C 24 Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.

25 Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorũ quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.

26 Quomodo autẽ posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?

27 Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.

D *Vers.* 1.] Direxit opera eorum in manibus Prophetæ sancti.

MOSIS prudentia precibúsque apud Deum miraculo, exemplo vitæ cuncta populo per annos illos quadraginta prosperè successerunt. Vestes calceíque detriti non sunt; cibus absque labore paratus cum copia, & voluptate; itineris ratio aptè disposita; hostes vel vitati, vel victi.

Direxit.]

A *Direxit.*] Græcè (εὐώδωσε, *prosperè duxit, bona duxit via*) fecit vt exitus felices haberent eorū opera. Persæquens est huius verbi *dirigendi* vsus in ista significatione, aut vt dirigi dicantur opera [a], aut viæ [b], siue gressus [c], aut corda [d], aut cogitationes [e], aut simpliciter & sine additio quispiam [f]. Iacob ab Osea [g] dicitur directus cum Angelo in fortitudine sua (vnde quidam, quod aliàs retulimui, *Israel* Græcè interpretantur εὐθύτατον:) quia superari non potuit in lucta, sed potiùs vicit illū [h]. Sed non eadem semper Hebræa, Græcáve sunt verba, quibus Latinum istud respondeat. In Epistola ad Romanos [i] prosperum iter habere Græcè dicitur εὐοδωθήσομαι.

B *In manibus.*] Græcè (ἐν χειρὶ, *in manu.*) Quia manu tanquam generali organo tam multa operamur, in manu alicuius aliquid fieri, est illius opera fieri. Dominus Iosephi *optimè nouerat Dominum esse cum eo, & omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius* [k]: in manu quoque Iudæ Machabæi directa est salus [l], id est, victoria; εὐωδώθη σωτηρία ἐν χειρὶ αὐτοῦ. Sic etiam Samson cùm mille viros occidisset asini mandibula, valdè sitiens clamauit ad Dominum; *Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, atque victoriam; en siti morior* [m], &c.

Prophetæ sancti.] Moses Propheta nonnunquam nominatur, vt etiam notauimus in historia Apostolica [n]; vbi præterea [o] de communi cæteris Prophetis epitheto, vt sancti dicantur. Lege etiam quæ antea notauimus capite septimo [p]. Sed Moysi κατ' ἐξοχὴν vtrumque conuenit: *non enim surrexit vltrà Propheta in Israël sicut Moyses; quem nosset Dominus facie ad faciem* [q]. Aaron quoque pro sua parte populi ductor fuit, vt Dauid prædicat [r]; *Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moysi & Aaron*: tamen Moysis præcipuę hac in re partes fuerunt; neque sacerdotalis ei defuit dignitas, eodem teste, cùm ait [s]; *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius*: ita vt hoc ipso titulo vocari peculiariter sanctus potuerit, quem Sacerdotum quoque Sacerdotem, כֹּהֵן הַכֹּהֲנִים *chohen hacchohanim*, appellat Rabbi Abenezra [t]. Sancti Patres, vt Genebrardus [u] obseruauit, eandem Moysi sacerdotalem dignitatem tribuunt, Dionysius [x], Nazianzenus [y] (hic vocat Sacerdotum Sacerdotem) Hieronymus [z], Augustinus [a], Leo [b], vt Philonē [c] taceam, Hebræósque cæteros. Denique constat Mosem sæpiùs obiisse munia sacerdotalia, & antè [d], & postquam Aaron consecratus est [e]; imò ipse illum consecrauit [f]. Nec tamen ignoro כֹּהֵן *chohen* quandoque pro Principe vsurpari [g]: cuius rei forsan ea possit esse ratio, quoniam ius primogenituræ in lege naturæ adiunctam habebat dignitatem sacerdotalem.

a Gen.39. 23. Psal.89.17. b Genes. 24. 40. & alibi. c Ps.36.23. & alibi d 1.Thess.3.4. e Prou.16.3. f Psal 7.10. & Ps.44.5. 9. & alibi. g c. 12.3. h Gen.32. 2. i c.1.10. k Gen.39 3. l 1.Machab.3. 6. m Iudic. 15. 15.16.17.18. n Act.3.22. o vers.21. p vers.27. q Deut. vlt. 10. r Ps.76.21. s Ps.98.6. t in c.28. Exo u in Psal. 98. x hierar. Eccles.c.5. y ad Gregor. Nyssenum. z 1. cont. Iouin. a in Ps.98. b epist 88. c 3. de vita Mosis in fine. d Leuit. 8. e Exod.24. & 28. & 29. Num.7. f Leuit.8. g 2.Reg.18.

E *Vers.2.*] Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: & in locis desertis fixerunt casas.

CVr voluerit Deus populum vagari & circumduci tandiu per desertum, antequam perueniret ad terram promissam, ad quam poterat via temporéque multo breuiore peruenire, diximus capite præcedente. Ipsemet Moyses describit deserta illa, inquiens; *Inuenit* [h] *eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis*; αὐτάρκησεν αὐτὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἐν δίψει καύματος, ἐν ἀνύδρῳ, *sufficientiam dedit ei in deserto, in siti æstus, in inaquoso.* Eodem pacto reddit Chaldæus. Aquila verò terram illam vocat ἄτακτον, ἀοίκητον, ἠφανισμένην, *inordinatam, siue incultam, inhabitabilem, exterminatam, vel obscuratam.* Idcirco columnis opus fuit nubis, ignísque ad commonstrandum iter, de quibus eodem capite priore. Sed & in expositione sermonis Stephani [a] egimus de annis, quibus fuit populus in deserto, an exactè fuerint quadraginta, pluresve, aut pauciores.

h Deut.32.10.

a Act.7.36.

Per deserta.] Fuerunt quidem plura loca deserta, Sin, Cades, Ethan, Pharan, Sur, Moab, Idumææ, &c. vt idcirco numero multitudinis Interpres vsus sit. At Græcè numerus est singularis (διώδευσαν ἔρημον) vt ex pluribus vnum quodammodo integretur.

Fixerunt casas.] Hoc modo meliùs, quā (*fecerunt*) vt habent Complutenses, Regij, aliíque codices. Græcè (ἐν ἀβάτοις ἔπηξαν σκηνὰς, *in inuiis, aut inaccessibilibus fixerunt scenas, tabernacula, tentoria.*) Quadraginta duæ numerantur mansiones deserti, Græcè ἀπάρσεις, vel σταθμοί, Hebraicè מַסָּעִים *massebhim*, quæ dici quoque Latinè possunt *profectiones*. Vno in loco Hebræi diutiùs, breuiùs in alio consistebant, præter temporariam moram quotidianam ad comedendum, vel quiescendum. De his quadraginta duabus mansionibus habetur in Numeris [b] mentio, atque de iisdem differit, præter alios Expositores, propria quadam epistola Hieronymus [c], & singulari tractatu Ambrosius. Casæ, quas casulas alibi [d] vocat Interpres, vbi tamen est eadem Græca vox τῶν σκηνῶν, aut Latinitate donato nomine scenæ, aut tentoria, aut tabernacula, rectè dicuntur figi, quoniam clauis magnis, seu palis paxillísve, ne vento huc illúcve transferrentur, figebantur. Vnde cùm de tabernaculorum collocatione mentio fit, simul fit de clauis [e], & vsurpatur *figendi* [f] verbum.

Vnum de celebrioribus Iudæorum festis fuit חַג הַסֻּכּוֹת *chag hassuccoth*, *festum tabernaculorum* [g], ἑορτὴ σκηνῶν, siue σκηνοπηγία, quam Interpres [h] vocat scenopegiam, alij corruptè scenophegiam; & est multo absurdior notatio vocis, quam tradit Abulensis [i], & Radulphus [k], à comedendo, quod est φαγεῖν, & à publico, siue communi, quod est κοινὸν: commune κοινὸν dicitur, non κενόν. Vocant Itali Iudæi (*la festa delle cabelle.*) Causam festi reddit Deus in Leuitico [l], præcipiens vt habitarent in vmbraculis septem diebus, vt discerent posteri eorum, quòd in tabernaculis habitare fecerit filios Israel, cùm educeret eos de terra Ægypti.

Constructa porrò videntur in deserto tabernacula è lignis, linteis, pellibus. Vnde tendi dicuntur, seu extendi [m]; & de pellibus, quibus nempe lintea tegebantur extrinsecus contra iniurias cœli, non rara mentio in Scripturis [n]. Potuerunt ex frondibus quoque sibi tentoria tenuiores conficere: verùm non ea sola omnium fuit materia, vt Abulensi [o] videtur (hoc loco Lyranus idem innuit, & Carthusianus) quem Ribera [p] confutat. Desertum fuit in Arabia, quæ deserta cognominatur; vbi quoque Scenitæ dicti sunt [q], qui eam regionem sub scenis incolebant, quos & Nomades vocauerunt, quòd pascendis gregibus vacarent [r]. De festo autem scenopegiæ diligentiùs egimus in Commentario Leuitici.

b c.33.1.& seq. c ep.127. d Hebr.11.9. e Esa.33.20. c. 42.7. c. 54.2. f Genes.33.3. & alibi sæpe, necnon Heb. 8.2. g Leuit. 23. 34. h Ioan.10. i in Leu.23. k ibid. lib. 17.c 3. l suprà. m Gen.12. 18. c.26.25.[?]35. Esai 14.2. n Cant.1.5. Esai.54 2. Abac.3.7. Iere. 10.20. o Leuit.23.q. 21. p 5. de téplo. c.13. q Plin.lib.6. c.28. r Hier. in c. 27. Ezech. quē Prophetā legeuer.23.

Vers.3.] Steterunt contra hostes, & de inimicis se vindicauerunt.

PVgnam intelligit contra Amalec in Raphidim, cùm dimicante armis Iosue Moses certabat precibus[a]: occurrerat enim Amalec Hebræis, cædens extremos agminis qui lassi residebant, eránque fame & labore confecti[b]; & à Iosue fugatus est in ore gladij[c]: iussit autem Deus vt perpetuas in posterum cum illo gererent inimicitias[d]. Iudith adeò insignem victoriam non ferro, sed precibus scribit[e]. Addi possunt & Madianitæ cum quinque Regibus eorum, siue Principibus[f], & siqui sunt alij, quos duce Mose populus Hebræus vicerit.

a Exo.17.8. & seq.
b Deuter.25.17.& seq.
c Exod.17.13.
d ibid. 14. & seq. Deut.25.19.
e Iudith 4 13.
f Num.31 7.8. Iosue 13. 21. 22.

Steterunt contra hostes.] Græcè (ἀντέστησαν πολεμίοις.) Stare contra aliquem, & resistere, defensionem præcipuè denotat.

Se vindicauerunt.] Græcè (ἠμύναντο, vlti sunt.) Hoc pertinet ad offensionem, plenámque victoriam. Iustum ac licitum potest esse bellum non in vetere duntaxat, sed in nouo quoque Testamento, vt alibi[g] probatum est contra nónullos hæreticos. Minùs probanda quorūdam opinio, hîc agi contra eos, qui aduersùs Mosem iurgati querebantur, quòd Israëlem eduxisset de Ægypto, vt siti periret in deserto[h]. Nam non nominarentur Israëlitæ nomine inimicorum; & de illis querulis vltio sumpta non est, sed de Mose, qui dubitauit.

g 2.2.disp.de bello.
h Exo. 17. 3. Num.20.4.

Vers. 4.] Sitierunt, & inuocauerunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro.

DEscribitur hîc ac deinceps pluribus beneficium extractæ de silice aquæ, dum laboraret in deserto populus siti ob inopiam naturalis aquæ. Continet Exodi[i], & Numerorum[k] liber hanc historiam, fitque præterea aliis in locis[l] mentio.

i c.17.2.&seq.
k c.20.2.&seq.
l Ps 77.5.16. 20. Psal.104. 41. Ps.105.32. Deuter. 8. 15. Esa 43. 20. c. 48.21. 1.Cor. 10.4.
m Exod. 16. 13.21.

Sitierunt.] Erat enim, vt diximus, ἔρημος ἄνυδρος, desertum inaquosum. Manna, quod iam acceperant, & incalescente quoque Sole liquefiebat[m], & erat vt ros, humidæque naturæ, non valebat tot hominū, pecorúmque sitim extinguere, vt rectè monet Oleaster aduersùs Hebræos, qui temeritate quadam potiùs quàm necessitate postularā dicūt aquam. Sic verò etiam sæpiùs exercere populum & probare Deus volebat, nunc penuria cibi, nūc aquæ, sicut & antè in Mara, vbi erant aquæ amaræ[n]. In Exodo[o] ex editione LXX. dicitur populus sitisse aquam; cui consonat Hebræa. Qua in re mysticum sensum Augustinus[p] venatur, vt & in historia hac tota non semel[q], & alij, licèt minùs id Hieronymus[r] probare videatur. Ambrosius[s] hinc probat mixtionem aquæ in calice.

n Exo.15. 22. & seq.
o c.17.3.
p serm.93. de temp.
q ibid & ho. 27.ex lib.50. hom.
r in c.1.Ionæ.
s 5. de Sacram.c.1.

Inuocauerunt te.] Non populus, iurgatus contra Moysem & Aaron, versúsque in seditionē, ac pœnitens quòd exisset de Ægypto; sed Moyses & Aaron, cùm priùs intra tabernaculū fœderis corruentes proni in terram, clamantésque ad Dominum, dixissent; *Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiati, cesset murmuratio eorum*[t]. Addebat Moyses; *Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me*[u]. Alia præcedentia beneficia sustentare populi fiduciam debebant, vt non tentarent Deū, nec eò prorumperent, vt etiam dicerent; *Estne Dominus in nobis, an non*[x]? ita vt loco *tentationis* nomen Moyses imponeret, &, vt est in textu Hebræo & Græco, etiam *iurgationis*, מַסָּה וּמְרִיבָה *massah vmeribah*, πειρασμὸς καὶ λοιδόρησις. Sed & Moyses ipse atque Aaron nonnihil nutasse in eadē fiducia videntur, vel non adeò promptè, & alacriter Dei paruisse præcepto in educendo aquam de petra, sed cum hæsitatione; *Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere*[a]? & quia bis percussit petram Moyses, quasi non suffecisset semel: atque ita si non dubitauerunt ipsi, vt Augustinus[b] tamē concedit, fuerunt in causa, vt populus magis obfirmaretur in incredulitate sua. Qua de causa prohibiti sunt ingressu promissæ terræ[c].

t Num. 20. 6.
u Exo.17.4.
x ibid.7.
a Num.20.10.
b q 19 in Nu. hom. 27. ex lib. 50. hom. lib. 6. contra Faustum.c. 17. & apud illum auct. de mirabil. Scriptu.lib.1. c.32.tom.3.
c Num.20.12. Deut.1.37.
d c.17.
e c.20.

Credunt aliqui, aquæ de petra extractionem duplicem distinctè in Scriptura narrari, vnam in Exodo[d], alterā in Numeris[e]; primā in mansione vndecima in Raphidim; secundam in trigesimatertia in deserto Sin apud Cades: illam priusquàm populus iret in montē Sina: hanc post perfectum tabernaculum, & post mortem Mariæ: denique nomina esse diuersa *tentationis ac iurgij*, & *aquæ contradictionis*. Hæc est Caietani[f] sententia, quem sequi videtur Ystella[g], quam satis indicat Abulensis[h], & Genebrardus[i], & auctor de mirabil. Scripturæ[k]. Oleaster[l] contradicit; sed absque argumēto, quod nō aliud potest afferri, nisi quædam similitudo narrationis in vtroque loco. Nec verò desunt, qui sæpiùs id adhuc velint contigisse, quamuis sacris literis proditum non sit. Nihil definio, quia proposito necessarium non est. Nec Philo, nec Iosephus rem plusquàm semel narrant.

f Exod. 17. & Num.20.q.4.
g Exod 17.
h Num.20.
i in Ps.77. & in Ps.113.
k supra.
l Num 20.

Data est illis aqua de petra altissima.] Narratur in Exodo Moses virga percussisse petram Horeb: in Numeris, bis id fecisse in silice, indéque egressas aquas largissimas, ita vt populus biberet, & iumēta[m]. *Eduxit*, inquit Dauid[n], *tanquā flumina aquas, & adaquauit eos velut in abysso multa.* Apud Esaiā[o] Deus: *dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo*: &[p]; *Non sitierunt in deserto cùm educeret eos: aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ.* Item Moses[q]; *qui eduxit riuos de petra durissima.* Virga illa ipsa erat, qua reliqua miracula sunt edita in Ægypto, & percussus tum Nilus, tum mare rubrum: ex qua posteriore percussione beneficium populus euasionis adeptus est; vt non idcirco adhibita nunc sit, ne putaretur vsus illius esse solùm ad mala, vt existimauit Rabbi Salomon, quem refellit Abulensis[r]. Dixi, quòd bis percussa est eadem petra, videri posse signum alicuius dubitationis: tamen Patres ibi agnoscunt Crucis mysterium, Crucémq; duplici percussione, recta & transuersali, expressisse. Id de Seueriano[s] Gabalorum Episcopo refert Damascenus[t]; consentit Augustinus[u], & quamuis non tanti nominis auctor Apiarij[x].

m Deut. 32.
n Ps.77.16.
o c.43.20.
p c.48.21.
q Deut.8.15.
r Exod.17.
s orat. 4. de Cruce.
t orat. 3. de imaginibus.
u tract.26. & 28. in Ioan. sermo. 93. de tempore.
x 4. p c.5.

De petra altissima.] Græcè (ἐκ πέτρας ἀκροτόμου.) In Pentateucho vocatur simpliciter Græcè ac Latinè petra, Hebraicè צוּר *tsur*[y], & סֶלַע *selahh*[z], & חַלָּמִישׁ *challamis*[a]: in Psalmo 77.[b] est numerus pluralis Hebraicus צֻרִים *tsurim* propter duplex diuersum miraculum, vt placet Genebrardo[c], qui etiam docet prima vice exundasse fluuium manantem quatuor milliaria ab Horeb vsque Raphidim: secunda puteum extitisse. Meminit prætereà traditionis Hebraicæ, vnicam petram fuisse diuerso loco temporéque percussam, & circumductam pēr totum tempus, quo fuit populus in deserto, sicut nobis, ac ignis columna comitabatur eum: sed Maria mortua defecisse aquæ scaturiginem ex petra illa; túncque murmur populi

y Exod 17.
z Num. 20.
a Ps.113.8.
b vers. 15. & 19.
c ibid.

A secundum exortum propter aquæ penuriam. Cõfirmat verbis Apostoli [a]; *bibebant omnes eundem potum, de spirituali eos consequente petra*, ἀκολουθούσης πέτρας: Syriacè דְּאָתְיָא הֲוָת עַמְּהוֹן· *datheia hauath bhammehum, quæ cum ipsis veniebat.*

b 1. Cor. 10. 4.

Placuit eadem de circumlata eadem per desertum petra, opinio Cantacuzeno. Hic vim facit in epitheto ἀκροτόμου, quod propterea positum sit, ne fortè quispiam ex petra simpliciter audiens editam aquam, non esse id magnum aliquid, sed naturale censeret; multa enim ex petris aquarum genera scaturire: petram verò illam non collis alicuius fuisse, neque radices alicubi profundas egisse, vt cum terræ partibus continuaretur; sed casu ab aliquibus ad vsum excisam, vel etiam abruptam per se: non etiam fuisse ingenti aliqua B magnitudine, sed eiusmodi vt posset plaustro portari: & ex ea Deum voluisse supra naturæ vires tantam vim aquarum effluere, quanta multis hominum millibus esset satis: & quocumque proficiscerentur, illam portauisse, nec in deserto ab eo tempore, quo cœpit scaturire, desinisse.

Videtur hoc ex iisdem Hebræorum haustum lacunis, quemadmodum & quod refert ac refutat Abulensis [b], viuente Maria, & propter illius merita semper cum populo præcessisse puteum: propter Aaron, quandiu vixit, nubem, quę castra protegeret, diuersam à columna nubis: manna propter Mosem. Itaque siue bis, siue tantùm semel C percussa dederit aquas petra, fabulosum reor dicere petram illam vnicam, & in castris portatam esse: & apertè falsum est, nubẽ, vel manna cessasse post mortem Aaron & Mosis. Quin etiam epithetum quod hîc Græcè est ἀκροτόμου, pro vt ab Interprete redditum est (*de petra altissima*) satis innuit ingens saxum fuisse, ac rupem altè extantem.

b Nume. 20. q. 2.

Non placet Iansenio hac in re Interpres, malléque duram, vel durissimam dici, sicut idem ille vertit in Deuteronomio [c]; & quia petræ altæ mẽtio non est in Scriptura vnde fluxerint aquæ: denique Interpretem videri legisse hoc loco ἀκροτάτου ab ἄκρος. Verùm habuit Interpres rationem D loci editi, cui petra inerat, & vnde commodiùs aqua defluere valebat. Is fuit mons Horeb, vel in territorio, vt dicunt, quod pertinebat ad illum; præalta rupes; vel in loco, qui eodem nomine appellabatur, quo mons Horeb. Præterea, quamuis ἀκρότομος πέτρα dicatur quæ est σκληρὰ & ἄτμητος, *dura & insectilis*, & silex vocari potest, Hieronymo [d] teste; tamen de rupe quoque dicitur, cuius τὰ ἄκρα τέτμηται, *extremitates veluti ferro secta sunt*, ob adeò prærupta latera, perinde ac si prominentes partes resecarentur; vel quia, per antiphrasim, secari non possunt [e].

c c. 8. 15.

d in c. 3. Amos.

e lege thesaurum linguæ Græcæ.

Adhæc, quòd petra scribitur scissa [f] & interrupta [g], ostendit non iam excisam repertam, vt E asserebat Cantacuzenus, sed virga Mosem illam scidisse, & rupisse, cedẽte duritie tanta vi diuinæ, quæ indita erat ligno fragili, ac obediẽte petra, & veluti obsequente imperio diuino, & necessitati, atque desiderio populi. Hoc pacto Photius [h] ἀκολουθοῦσαν πέτραν intelligit apud Paulum, nec discrepat S. Thomas [i]. Alij verò eundẽ explicant, quòd riuus profluens de petra populum sit comitatus, ita vt videretur ipsamet petra comitata. Innuit Ambrosius [k], dicens quòd aqua de petra fugientes se populos sequebatur, vt biberent. Chrysostomus [l] videtur dicere quòd ipsamet eos petra sequebatur, & fluuios emittebat. Basilius [m] & Ca-

f Esa. 48. 21.
g Ps. 77. 15.

h citat Oecu. in 1. Cor. 10.

i ibid.

k in Psal. 18.
l tract. quòd nemo læditur nisi à seipso.
m de Spiritu San. c. 14.

A ietanus [*] dictum id volunt de Christo, qui erat petra spiritualis ac mystica, & consequebatur populum, quoniam propter Christi præuisa merita tot quotidie populo beneficia conferebantur, & aliquando dicturus erat; Si [a] *quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Claudius de Sainctes [b] addit opponi spiritualem petram materiali, quòd hæc staret, & maneret in Horeb; illa sequeretur populum. De Iesu ipso Iudas in Epistola [c] scribit, quòd *populum de terra Ægypti saluans, secundò eos qui non crediderunt perdidit.*

* in 1. Cor. 10.
a Ioan. 7. 37.
b de Eucharist. repet. 7. c. 3.
c vers. 5.

Postremò, qua ratione profluxerint aquæ, an quæ intus altè latentes per se prodire non poterant, an denuò creatæ à Deo, Abulensis [d] optionem nobis facit. Philo [e] quoque id factum ait B seu vena opportuno ictu aperta, seu aquis tunc primùm eo corriuatis per occultos cuniculos, erumpentibúsque præ impetu, more fontis. Si primus placet modus, ruptio & scissio propriè sumpta significabit magnũ hiatum patefactum in petra, siue in rupe. Iosephus [f] scribit quòd petra mox vt percussa est, dehiscens euomuit aquam copiosissimam simul ac limpidissimam, & dulcissimam, qualem diuinitùs datam esse cõueniebat. Si secundum sequaris, dices aut ruptam scissámque petram ex parte, conuersam in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum, vt est in Psalmo [g], aut siue reali scissione & ruptione, partis alicuius factam conuersionem; dici autem scissam C & ruptam petram, quia non secus ex petra defluxit aqua, ac si remota quasi pars eius esset, quę impediebat defluxum.

d Num. 20. q. 4.
e 1. de vita Mosis.
f 3. Antiq.
g Ps. 113. 8.

Secunda melior sententia, quam tradit Maximus [h] Taurinensis comparãs cũ conuersione aquę in vinũ [i], & Nyssenus [k], qui ait duram & solidam lapidis naturam in aquarum esse mollitiẽ cõuersam. Inde quoque cõfirmãt Eucharisticam cõuersionem & trãsubstantiationem Cyrillus [l] Alexãd. & Ambros. [m]. Omnino admirabile opus id fuit; cui tamen qui non credit, vt Philo [n] monet, non nouit Deũ, nec quærit noscere; qui cœlũ creauit, aliáque tot ac tãta (quorum nõnulla memorat) vt D hoc illorum comparatione ludicrũ videri possit: admirationem verò illa non commouere, sed cõtemni propter consuetudinem: minora, quia inusitata, nos mirari indulgẽtes nouis imaginationibus. Huic vltimæ similem habet sententiam Augustinus [o]. Innsinuit aliquo modo auctor operis de mirabilibus Scripturæ [p] istud miraculum dum adducit lapidum ex aquis naturalem productionem, quò illud minùs credibile videatur.

h hom. 1. de Epiphan.
i Ioan. 2. 9.
k in vita Mosis.
l 4. in Ioan c. 13.
m de initiandis c. 9.
n 1. de vita Mosis.
o tract. 24 in Ioan. & serm. 147. de temp.
p apud August. tom. 3. lib. 2. c. 24.

Paulum verò coactè omnino intellexit Origenes [q] locutũ de nube; quoniam præibat illa, non sequebatur: nec occurrit, quare vocabulo *petræ* appellari nubes possit. De riuo, qui ex rupe defluens nũquam defuerit, ac si rupes ipsa comitata esset, quod Chaldæus Paraphrastes [r], & cũ eodẽ Hebręi E non pauci asserũt, & nonnihil fauẽt Hieron. [s] atque Tertullianus [t], meritò refellit Theodoretus [u]. Etenim populus postquã discessit ex Horeb, vbi petra fudit aquas, denuò sitiuit, & alias impetrauit, si vera est sententia de duplici hoc miraculo. Nisi etiã ratio conuincat, admitti nõ debet continuus comitatus ille aquarum per tot deuia loca. Christo id beneficiũ, quomodo à nobis sumi debere dictũ est, rectè tribuendũ æstimant Apostoli Explanatores Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Oecumenius, citans Photium; prætereáque Athanasius [x], & Basil. quem antè citaui: etsi hic de Christi prævisis meritis videtur intelligere;

q hom. 5. in Exod.
r Num. 20.
s in 1 Cor. 10.
t de patien. c. 6.
u in 1. Cor. 10
x de incar. Christi, & de commu. essen. Pat. & c.

alij de eodem secundùm Diuinitatem: quod etiam insinuat Tertullianus [a]. (a lib. de bapt. c. 9. & 3. cont. Marcio. c. 5.)

Requies sitis.] Græcè (*ἴαμα, sani as, curatio, remediũ.*)

De lapide duro.] Græcè (*ἐξ λίθυ σκληρῦ.*) Rectè Interpres *ἀκρότομον* aliter reddidit quàm *durum*, vel *durissimum*, cùm aliam admittat significationem, vt voces variaret. Variam quoque Cantacuzenus notionem nominis vtriusque secutus est, notans ad augendam admirationem additum hoc aliud epithetum *duri lapidis*, qui nulla ratione ad aquas gignendas esset idoneus.

Vers. 5.] Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, à defectione potus sui, & in eis, cùm abundarent filij Israël, lætati sunt;

Vers. 6.] Per hæc, cùm illis deessent, bene cum illis actum est.

HVmanitatem illam Dei amplificat in aqua largienda per comparationem ad supplicium, quo affecerat Ægyptios populi Hebræorũ oppressores, quando vniuersas Ægypti aquas vertit in sanguinem [b]. (b Exod. 7. 20.) Nam sicut eo tempore non habentes Ægyptij quid biberent, peribant siti, sed Hebræis aquæ suppetebant ad bibendum; ad eundem modum Hebræis in deserto aquarum penuria laborantibus accidisset, nisi Deus aquas copiosè suppeditasset.

A defectione potus sui, & in eis, cùm abundarent filij Israël, lætati sunt.] Addita sunt hæc ab Interprete perspicuitatis causâ: in hoc enim pœnas passi sũt Ægyptij Hebræorũ inimici, pro vt magis exprimitur verbis sequentibus, cùm è contrario Hebræi tunc ob aquarum potabilium copiam lætarentur. Quare non licet hanc lectionem amplius respuere, sicut fecit Lucas Brugensis, & omisit editio Regia, & Complutensis.

Cùm abundarent filij Israël.] Non in deserto percussa petra, vt glossa interlinearis vult, sed in Ægypto.

Per hæc.] Mendosè quidam (*per hoc*:) quod Carthusianus explicat, per hoc beneficium. Græcè (*διὰ τούτων.*)

Cùm illis deessent.] Hebræis cùm deessent aquæ in deserto.

Bene cum illis actum est.] Cum iisdem Hebræis, quando de petra eductę sunt aquæ. Sic Iansenius, & Vatablus, & Hugo in altera expositionum, quę mihi aptior videtur, quàm vt de Ægyptiis aquis, quibus tunc Hebræi vterentur, intelligamus, vt cætæri faciunt, illa verba priora (*cùm illis deessent.*)

Vers. 7. [Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti iniustis.

REcitatur plaga sanguinis in Exodo [c], ita vt cùm virga percussisset Aaron fluuium, vasis quoq; ligneis & saxeis contętę verterentur aquæ in sanguinẽ, pisces morerentur (de quibus etiam Psalm. 104. [d] & vulgatissimus erat, atque communissimus, & propter copiam nullius fermè pretij in Ægypto cibus [e], cõputresceret fluuius, fœderẽt Ægyptij per circuitũ fluminis aquam (vt biberẽt, & per septem dies ea calamitas duraret; quamuis (c c. 7. 17. & seq. d vers. 29. e Num. 11. 5. 22.)

A per vnum duntaxat Eusebius [a] velit, non satis aptè declarans quòd tot dies abierint ab hac ad sequentem plagam. Philo septiduanam fuisse asserit, donec Moses permotus humili supplicatu Ægyptiorum deprecatus est Deum. Quod vltintunt à Scriptura tacitum, quæ modum narrat cessationis aliarum plagarum, haud ita verisimile videtur: sed isti plagæ finem Deum sponte imposuisse cùm secundam inflixit; quæ est etiam communis opinio. Psalmus septuagesimus septimus [b] adiicit imbres conuersos in sanguinem; *Et conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent.* Sed quia non decidunt imbres in Ægyptũ, vt produnt Philo [c], Plinius [d], Mela [e], imò Scriptura [f], Augustinus ibi potiùs *manationes aquarum* vertendum censuit *τὰ ὀμβρήματα*. Hebræam quoque vocem נוזלים *nozelim* vertunt *riuos, stillationes, & fluenta.* (a in catena Exodi. b vers. 44. c 1. de vita Mosis. d lib. 6. c. 29. e lib. 4. c. 9. f Deut. 10. 11.)

B Latinum nomen, quod ab *ὄμβρος* deriuatum videtur, vsurpant Poëtæ præsertim pro aquarum copia vberiore ac vehementiore. Imò Nonius docet, solam consuetudinem induxisse, vt dicatur imber duntaxat agmen cœlestium aquarum & pluuiarum, cùm tamen auctoritas variet, significétque omnem humorem aqueum. Sic satis exemplum Lucretij;

Ex igni, terra, atque anima nascuntur, & imbri.

Ὄμβρος dicitur ab *ὁμῶ καὶ ῥέω*, hoc est, *simul fluo.* Hieronymi versio habet (*riuos*:) quamuis Psalterium Romanum (*pluuiales aquas*) necnon Ambrosianum. Fortassis intelligunt de aquis torrentiũ, si quę erãt: etsi nõ plueret nisi rarò, aliquando tamẽ.

C Philo [g] prodit versum fluuium Nilum in sanguinem quàm longus est ab Æthiopia vsque ad mare: & præter alias omnes aquas in stagnis etiã, fossis, puteis, fontibus nouas venas aperientibus, pro limpido liquore sanguinem emicasse tanquã è vulnere: hominum siti enectorum magnũ numerum iacuisse in triuiis, non sufficientibus domesticis ad sepulturę officia. Adnectit Ioseph. [h] si quis siti coactus aquam sanguineã gustasset, cõfestim acri dolore correptum. Scribit verò Ægyptios præter aquam fluminis nullum fontem habere; quod est item apud Plinium [i]: licèt Philo diu ibi versatus, quem modò retuli, fontes quoque nominet; cui tamen non in eo credendum quòd Nilum totum versum dicit in sanguinem: (g 1. de vita Mosis. h 2. Antiq. c. 5. vel 13. i lib. 6 c. 29.)

D profluit namque longiùs extra Ægyptum; Ægyptios autẽ solos plaga illa percussos tradit Scriptura [k], & ratio suadet, quia soli Ægyptij noxij erant, quod attinet ad peccatum cõtra Hebræos. Quo maius censendum miraculum, vt sc. pars fluminis superior ante ingressum in Ægyptum naturales ac puras ferret aquas, cùm fines attingeret Ægypti, verteretur in sanguinem. (k Exod. 7. 21.)

Magi narrantur idem prodigium edidisse [l], non post septem dies, cùm naturæ suæ restitutæ sunt aquæ [m]; nec allata ex Gessen aqua, quam Moses, eo quòd ibi habitarent Hebræi, reliquerit intactam (quæ duo docet Augustinus [n], & indicat Iosephus secundum [o]:) sed petendo de mari vicino aquam, sicut Theodoro [p] placet, eidémque Augustino [q]; quorsum enim aquæ illæ verterentur in sanguinem, vt Genebrardus [r] voluit, cùm ad potum sint ineptæ nisi post diutinam excolationem? Nam non est credibile tamdiu Magos distulisse, percupidos potentiæ ac sapientiæ suæ ostentandæ: Scriptura quoque habet, vt iam dixi, fuisse sanguinem in omni terra Ægypti & in Gessen habitabant etiam Ægyptij. Lyranus & Abulensis volunt dæmonum opera extra Ægyptum (l ibid. 22. m ibid. 25. n q. 23. in Exo. o 2. Antiq. c. 5. vel 13. p q. 20. in Exod. q epist. 7. r in Ps. 104)

allatam

allatam aquam ante conspectum Pharaonis. Et hoc probabile est.

Quod autem apud Lyranum Hebræi respondent de solis aquis fluminis versis in sanguinem, & quæ inde manabát ad riuos & paludes, & quæ indidem haustæ in vasis erant, repugnat Scripturæ [a], affirmanti de omnibus aquis fluuiorum, riuorum, paludum, lacuum, quæque in vasis erant ligneis & saxeis [b], & Ægyptios siti coactos fodisse per circuitum fluminis aquam, vt biberent; quod cùm fecissent, non repererunt tamen nisi sanguinem, teste Iosepho [c]. Quocirca nec persuaderi potest Magos fossione simili potabilem & salubrem aquam elicuisse, ac deinde in sanguinem vertisse; quod docuit Iustinus [d].

Neque Caietani recipiendum responsum, non omnes simul aquas versas in sanguinem, sed primò Nili, deinde riuorum è Nilo, postea lacuum, paludúmque, denique quæ in vasis ligneis & saxeis erant: sed & contentas testaceis aut metallicis naturam suam retinuisse. Multo minùs, quod ait Lipomanus, Scripturam intelligendam non simpliciter, sed maxima solùm ex parte, cuius cõparatione aquæ non conuersæ pro nihilo æstimarentur. Id minimè, traditum quoque à nonnullis, Magos aquam sanguineam denuò restituisse naturali qualitati, tum rursus in sanguinem vertisse. Haud probabiliora quæ de Græco Lipomanus recitat, vel diuina dispensatione factum, vt nonnihil aquæ superesset non conuersæ ab Aaron: vel eodem momento Magos quo Aaron conuertisse: vel ab Hebræis commodatã fuisse: vel Mosem ipsum, siue Aaron iterum reduxisse in pristinam naturam, vt illi haberent vnde artem suam ostenderent. Potuit igitur à Magis in sanguinem verti de mari, vel extra Ægyptum per maximam celeritatem & agilitatem dæmonũ adducta aqua. Dicere quoque licet, ne penitus omnes siti perirent Ægyptij, ea, quam refert Scriptura [e], fossione per circuitum fluminis aquas colasse, vt colore ac sapore saltem paulum immutato, libentiùs salubriúsque biberentur. Id indicatur eodem loco, cùm ratio redditur, *non enim poterant bibere de aqua fluminis*. Et satis constat animæ esurienti (adde sitienti) etiam amara dulcia videri, & quæ priùs nolebat tangere, præ angustia sumere in cibos [f]. De sanguine qualis fuerit, paulo pòst.

Pro fonte sempiterni fluminis.] Græcè (ἀεννάου ποταμοῦ, *perennis ac semper fluentis.*) Quocirca non est recurrendum ad sempiternitatem, quòd fuerit Nilus ab initio mundi, idémque qui Gehón vnus de quatuor fluuiis paradisi [g], vt explicant Bonauentura, Lyranus, Carthusianus; licèt de Nilo sit hîc sermo, & non, vt Hugo voluit, de loco aquarũ petræ Horeb, quæ sequebantur Hebræos per desertum tanquam fluuius. Græca vox ἀέννα@ significat id quod dixi, quasi ἀεὶ νάων, *semper ac perennibus fluens aquis.* Nilum non esse eundem cum Gehon probat Pererius [h]. Colebatur ab Ægyptiis aqua velut rerum omnium prima & principium; vt idcirco aquam Deum ad castigandos Ægyptios adhibuisse velit Philo [i]: & Nilo diuinos quoque honores habebant, de quibus Plinius [k], Solinus [l], Athanasius [m], Lucianus [n]; qui duo vltimi meminerunt, cùm inferretur vas aquæ in templum religionis causâ, genibus flexis, & sublatis ad sydera manibus gratias egisse. Refert præterea Rhodiginus [o] veterem salutationem;

Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε.

Iuppiter Ægypti Nile.

eóque fluuio mirifice gloriabantur propter ingentes commoditates eius, & quòd aliis carerent aquis.

Humanum sanguinem dedisti iniustis] Græcè (αἵματι λυθρώδει, *sanguine cruento*, vel *sanioso*) nimirum (quod sequitur) ταραχθέντες, *turbati* (nempe sunt Ægyptij) vel, vt suspicatur Iansenius, ταραχθέντ@, videlicet ποταμοῦ, *turbato flumine, cùm turbatum esset sanguine cruento.* Vsus est Clarius mendoso codice, legitque λυτρώδει non per θ, sed per τ. Ideo frustra laborat dum vertit (*sanguine redemptorio*) & explicat vel sanguinem, qui positus in postibus domorum seruauit eas [a], & Ægyptij turbati sunt, ac moniti dum occiderentur primogenita, illam esse vltionem crudelis mandati de interficiendis infantibus Hebræorum [b]: vel de aquis in cruorem versis, qui fuerit signum, quòd liberare vellet Deus populum suum, & innocentem vlcisci sanguinem. Hoc secundum verum est, vt postea videbimus: at non idcirco sanguis redemptorius dicendus hoc loco fuit.

Humanum sanguinem vocat Interpres, quia similis erat humano sanguini, vt Expositores docent. Est λύθρον cruor, seu puluerulentus sanguis, aut puluis sanguine, sudoréque permistus, μετὰ κονιορτοῦ καὶ ἱδρῶτ@ αἷμα [c]. vnde λυθρώδης καὶ λυθρώδει. Et quoniam ea permixtio sit præsertim in pugillatu, agone, certamine, quod ineunt homines, idcirco rectè Interpres humanum sanguinem dixit: qualis quoque videtur fuisse aquarum Nili post conuersionem in sanguinem, siquidem erant turbidæ [d], vocabatúrque Nilus μέλας, & μελάμβωλ@, *niger*, ac *nigrigleba* [e], Hebraicè שיחור *schichor*, *ater* ac *turbidus*; quemadmodum Tyberim Poëtæ [f] flauum cognominauerunt propter arenas. Philo scribit sanguinem emicasse tanquam ex vulnere, quando circumfodiebatur terra.

Verum porrò sanguinem illum fuisse Iustinus [g] & Augustinus [h] docent; etsi Iustinus [i] neget de illo, quem Magi exhibuerunt, sed hunc apparentem duntaxat & præstigiosum. Eodem prorsus modo loquitur Moses de vtroque sanguine, ac similiter fecisse maleficos Ægyptiorũ incantationibus suis. Facilius autem creditu est, nõ fuisse animalem sanguinem à Magis exhibitum, ab iisdem proximè de aqua productum, quia difficile est ex aqua immediatè generare sanguinem; nec extra animal, vel nonnisi per animalis facultates naturaliter generabilis est: & is, quem biberunt Ægyptij, sanguis afflixit illos [k], & acri dolore affecit [l], & innumerabilibus interitum attulit [m]; sanguis autem verus sine noxa bibitur interdum, vt de Sarmata, quem pastũ vocat epoto equo, Martialis [n] tradit; aut pro medicina sumitur [o]. De iisdem Sarmatis Plinius [p], Strabo [q], Dionysius [r], Homerus [f]; Horatius [t] verò nominat Concanos Cantabriæ populos. Lege Brodæũ [u]. Crediderim dæmonas aliunde latenter sanguinem verum adnexisse, ac subtracta ex oculis spectantium inuisibiliter aqua, repræsentasse: at per virtutem diuinam, quæ præstò aderat Aaroni, ex aqua in sanguinem conuersionem factam esse. Hæc est Carthusiani, Lyrani, & Abulensis, communiórque sententia, quam perspicuè præterea, quod attinet ad conuersionem in verum sanguinem, Proclus [x] Constantinopolitanus tradit, & auctor [y] de mirabilibus Scripturæ, qui id quoque probat.

Marginal notes (left): a Exod. 7. 19. b ibid. 24. c 3. Antiq. c. 5. vel 13. d q. 26. & 27. ad orthodo. e Exod. 7. 24. f Prou. 27. 7. lib. 6. 7. g Gen. 2. 13. h lib. 3. in Genes. i 1. de vita Mosis. k lib. 8. c. 46. l c. 35. m orat. cont. idola. & lib. de Incarnat. n in Ioue trag. o lib. 27. c. 6.

Marginal notes (right): a Exod. 12. b Exod. 1. c Eustathius Odyss. χ. d Ierem. 2. 18. e ibid. & Esa. 23. f Hor. 2. carmin ode 3 & 8. lib. 1. ode 3. g q. 26. ad orthodo. h lib. 73. qq. q. 79. & 3. de Trin. c. 8. i supra. k Exo. 7. 18. l Iosephus 2. Antiq. c. 5. vel 13. m Philo 1 de vita Mosis. & auctor de mirabilibus Scrip lib. 1. c. 18. n lib. de spectacu epig. 3. o Plin lib 28. c. 9. Rhodig. lib. 14. c. 13. p lib. 18. c. 10. q lib. 7. r de situ orbis. f Iliad. 13. t lib. 3. ode 4. u 3. miscella. c. 31. x epi. ad Armen. tom. 3. biblioth. Pat. y lib. 1. c. 18.

Hebræis bibere licuit, aut quia certi erant rubeam aquam damno minimè futuram detracto sapore & aliis qualitatibus sanguinis: aut quia sumpta ad bibendum, colorem ipsum rubeum exuebat. Iosephus [a] lethiferam Ægyptiis, eandem Hebræis fuisse potabilem scribit, ac pristinam naturam retinuisse: meliùs dixisset, recuperasse, ne verum sit, quod antè reiecimus, aquas Gessen in sanguinem conuersas nó esse; aut, quod Cantacuzenus loco hoc ait, aquá Ægyptiis fuisse sanguinem & cœnum; Iudæis limpidam ac potabilem, idque cùm ex eodem flumine pariter vtrique simul haurirent.

a 2. Antiq. c. 5. vel 13.

Vers. 8.] Qui cùm minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperatè;

Vers. 9.] Ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & aduersarios illorum necares.

CAusa magis exprimitur, ob quam plaga illa sanguinis Ægyptij puniti sunt, & sitim passi, nempe quia Hebræorum masculos aquis suffocauerant [b], cùm & interim liberi essent ab eo sanguinis ac sitis supplicio Hebræi: & postea in deserto permissis tantisper sitim pati, vt beneficij magnitudinem magis æstimarent, memores quid priùs Ægyptij tolerauissent, vberes aquas miro ac insperato Deus dedit modo. Eadem causa redditur ab Origene, Eusebio, auctore de mirabilibus Scripturæ, quos Lipomanus [c] citat: præterea à Theodoreto [d], & posterioribus passim Enarratoribus, vt, quod paulo pòst subditur [e], *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*; quod ipsum videri etiam potest contigisse, quando deinde submersi sunt in mari, vt antè vidimus.

b Exod. 1.
c in catena Exodi. 7.
d q. 19. in Exo.
e vers. 17.

Confirmari potest idē exemplo mox tractãdo de idololatris, necnon Adonizebec [f], & Iezabel [g], & Absalon [h]. Hic suspensus capillo periit, quo gloriabatur: illa in vinea ipsa Naboth præcipitata est, atque à canibus lacerata, propter quam vineā lapidari illum fecerat: primo sūmitates manuum pedúmque præcisæ sunt, sicut quondam ipse fecerat septuaginta Regibus. Eodem reuocari potest gladius Goliæ [i], & Holofernis [k], & patibulum Aman [l], &, de quo pridem egimus, sulphur, ignísque feruentis ac fœtidę Sodomorum libidinis [m], epulonis quoque ardor in lingua [n]. Adde lapidatos senes, qui lapidare voluerant Susannam [o], Agag concisum in frusta à Samuele [p], meretricem in Apocalypsi [q], cui reddetur sicut reddidit, & in poculo, in quo miscuit, miscebitur illi duplum. Ridiculum est quod Lyranus [r] post Rabbi Salomon dicit, Dauid senem vestibus calefieri nequiuisse, quoniam absciderat oram chlamydis Saül [f]. Sunt quoque profana exempla Thrasij, qui consilium dederat Busiridi, vt humano sanguine auerteret Ægypti siccitatem, illum verò Busiris occisum sacrificauit [t]: & Phalaridis, qui Perillum coëgit æneum bouem experiri, quem is ad alios torquendos excogitauerat [u]. Sic solet consilium malum consultori esse pessimum.

f Iudic. 1.
g 3. Reg. 21. lib. 4. 9.
h 2. Reg. 18.
i 1. Reg. 17.
k Iudith 13.
l Esther 7.
m Gen. 19.
n Luc. 16.
o Dan. 13.
p 1. Reg. 15.
q c. 18.
r 3. Reg. 1.
f 1. Reg. 24.
t Ouid. 1. de arte amandi, & alij.
u Ouid. sup. & alij.

Iustus vterque fuit; nec enim lex æquior vlla est,
Quàm necis artifices arte perire sua.

Lege quæ adferuntur ad versum 17. Quadrare in

A hanc plagam potest quod scribitur apud Ezech. [a] *quoniam sanguini tradam te, & sanguis te persequetur: & cùm sanguinem oderis, sanguis persequetur te.* Item illud ex Apocalypsi [b], quod Angelus tertius dixit, qui effudit phialā iræ Dei super flumina, & super fótes aquarū, & factus est sanguis, *Iustus es Domine, qui es, & qui eras, qui hoc indicasti: quia sanguinem Sanctorum tuorum, & Prophetarum effuderunt, & sanguinem dedisti eis bibere; digni enim sunt.*

a c. 35. 6.
b c. 16. 5.

Hinc porrò quis effici credat, nón modò Hebræos ab ista plaga (eadémque ratio de cæteris) liberos fuisse, verùm etiam aduenas & peregrinos, qui tunc versabantur in Ægypto, vtpote minimè participes eorum scelerum, propter quæ

B plectebantur Ægyptij, & vt manifestè innotesceret horum hanc esse propriam animauersionem, qua non inuoluerentur alij. Eodem argumento ducti probabile quidam [c] credunt, si qui de Ægyptiis nihil in Iudæos peccauerant, sine noxa fuisse. August. [d] intactos quoque facit qui cum Hebræis habitabant in Gessen, præter vltimam plagam. Neutrum valdè necessarium videtur, quoniam aliquando in generali punitione ciuitatis, aut gentis, eadem ferit iustos cum iniustis calamitas, occiditque Deus iustum & impium [e]: quod qua ratione iustè fieri possit, alibi docuimus. At qui cohabitabant cum Hebræis in Gessen, non minore quàm Ægyptij cæ-

C teri odio illos persequebantur & insectabantur, nec minùs proinde puniri merebantur. Legendus in primis Pererius [f], qui claram nobis in hac disputatione facem prætulit post Abulensem, Lipomanum, & alios.

c Pererius in Exod. c. 7. disp. 12. q. 7.
d q. 24. in Exod.
e Ezech 21. 3. 4.
f in Exod c. 7. disp. 12. & 13.

Qui cùm minuerentur.] Græcè (ταραχθέντες, *turbati*) scilicet Ægyptij cùm fuissent: vel ταραχθέντος, nempe ποταμοῦ, *turbato flumine* propter sanguinem, in quem versus est. Hoc priùs monui cum Iansenio. Iuxta editionem nostram sensus est, cùm minuerentur Ægyptij propter dictam plagam, vtpote tam multis siti morientibus, sicut antè quoque retuli ex Philone; quæ res maximam perturbationem ipsis attulit. Latini Expositores paulo vetustiores accipiunt hæc de Hebræis, qui ob suorum infantium mersionem numero minuti sint, propter verba sequentia

D (*in traductione infantium occisorum.*) Sed hæc potiùs confirmant quod diximus de Ægyptiis, vt nunc ostendam, & sentiunt Vatablus, Iansenius, Clarius, Osorius, Sà, qui scilicet attenderunt Græcum textum, vt omittam Græcum Paraphrastem Cantacuzenum.

In traductione infantium occisorum.] Iidem Latini vetustiores pergunt interpretari de traductione, siue translatione infantium Hebræorum in flumen, vt mergerentur, vnde minuti sunt, hoc est, eorum numerus imminutus. Longè aliter tex-

E tum Græcum consideranti locus intelligendus (εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος, nimirum quod proximè præcessit, ταραχθέντες Ægyptij, *in correctionem* siue *redargutionē infanticidialis præcepti.*) Clarius vertit (*turbati in redargutionem præcepta cædis infantium*) Vatablus (*ad exprobrandum illis de occidendis infantibus edictum.*) Ista est causa nuperrimè à nobis exposita plagæ sanguinis. De nominibus *traductionis*, & ἐλέγχου in ea notione, quam dicti posteriores auctores hîc sumunt, diximus superiùs non semel.

Dedisti illis abundantē aquā.] Hebræis in deserto.

Insperatè.] Græcè (ἀνελπίστως.) Non enim Hebræi duntaxat desperauerant & murmurauerant,

sed

fed nonnihil etiam Aaron & Mofes fubdubitauerant [a], vt antè diximus.

a Num.20.& 11.

Necares.] Græcè (ἐκόλασας, *caftigafti.*) Interpres intellexit fiti enectos Ægyptios:quod antea Philonem confirmantem audiuimus.

Verf. 10.] Cùm enim tentati funt, & quidem cum mifericordia difciplinam accipientes,fcierunt quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur.

DOcet, Hebræis permiffam mifericorditer fitim,& ad probationem, vtque difcerent ab irato Deo aliam illam prouenifse, ac tanquã fupplicium,qua vexauit Ægyptios,dum verti voluit aquas in fanguinem. Non fentimus, vel æftimamus aliena mala , nifi cùm paria nobis acciderit experiri. Ipfemet Dei Filius pati voluit,vt magis quodammodo compateretur, & tentari per omnia [b]. Non intendebat Deus tentando Hebræos fiti,vt præteritæ compaterētur Ægyptiorum ; fed vt fimili calamitate preffi , breui autem tempore mirificè liberati , magni æftimarent beneficium. Tamen verum etiam illud eft,fympathiam, atque commiferationem ex eiufdem participatione miferiæ vel nafci , vel augeri. Ideo crudeliores qui ditiores plerumque.

b Heb.2. 18. 4.15.

Tentati funt , & quidem cum mifericordia.] Non memini legere in Scripturis,Deum tentantem in ira : licèt autem oretur ne inducat in tentationem [c] , non oratur ne tentet ipfe , *intentator enim malorum eft,ac neminem tentat* [d] , fcilicet ad peccatum ; ac ne quidem, quod fciam, tentare dicitur in ira puniendo : fed ne permittat nos tentationi diaboli,carnis, mundi fuccumbere. Additum ergo eft, *cum*, fiue *in mifericordia*, ἐν ἐλέει, vt modus quo tentat Deus,magis exprimatur. Quamquam ad verbum fic eft Græcè (ὅτι γὰρ ἐπειράσθησαν, καίπερ ἐν ἐλέει παιδευόμενοι) quafi hoc membrum fit expreffio modi,quo tentat Deus.

c Mat.6.13. d Iacobi 1.13.

Difciplinam accipientes.] Græcè (παιδευόμενοι.) (*cum ira iudicati impij.*] Græcè (ἐν ὀργῇ κρινόμενοι ἀσεβεῖς.) Colligunt Expofitores hinc damnationē Ægyptiorum , qui fæpe dicta perierunt fiti , vel aliis plagis animaduerfi funt.Idem paffim fēntiūt de illis , quos in furóre arguit Deus , vel in ira corripit [e]; quamuis Auguftinus [f] & Gregorius [g] furorem accipiant de pœnis inferni , iram de Purgatorij.

e Pf.6.1. Pfal. 37.1. Iere. 10. f in Pfal.6. g ibid.

Verf. 11.] Hos quidem tãquam pater monens probafti:illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnafti.

DVplici comparatione patris , durique Regis demonftrat eandem differentiam inter Hebræos ; & Ægyptios fitim paffos Dei voluntate. Prima comparatio placuit valdè Paulo Hebrǽis [h] fcribenti,quòd *flagellat Deus omnem filium,quem recipit* ; nec effe filium, quem non corripiat pater; adulterinos filios effe,qui extra hanc difciplinam fint ; fi patres carnis,quia nos erudierunt, fumus reueriti, multo magis obtemperare debere Patri fpirituum,qui non,vt illi, fecundùm voluntatem fuam, hoc eft,in rebus duntaxat humanis, huiúfque vitæ,fed ad fummam,& diuinam noftræ fanctificationis vtilitatem nos erudit. Mutuatus videtur ex Prouerbiis [a],necnon & ex eodem Ioannes in Apocalypfi [b] : & his prior eft locus in Deuteronomio [c] , vbi Deus ; *ficut* , inquit , *erudit homo filium fuum : fic Dominus Deus erudiuit te,vt cuftodias mandata eius*. Item loquens cum Dauid de filio [d] ; *qui fi inique aliquid gefferit* (is cui fe fore Patrem in terris promittebat , & ipfum illi in filium) *arguam eum in virga virorum,& in plagis filiorum hominum*. Adhuc apud Ofeam [e],*ego erudiui eos, & in me cogitauerunt malitiam. Reuerfi funt vt effent abfque iugo*. Hunc receffum agnouit Efaias [f] ; *in forti manu erudiuit me, ne irem in via populi huius* : & Ieremias [g] ; *caftigafti me Domine , & eruditus fum, quafi iuuenculus indomitus*. Auctor hiftoriæ Machabæorum [h] narraturus martyrium fortiffimorum Machabæorum,inter alia præfatur; *fed reputent ea, quæ acciderunt,non ad interitum, fed ad correptionem effe generis noftri. Etenim multo tempore non finere peccatoribus ex fententia agere , fed ftatim vltiones adhibere, magni beneficij eft indicium*. Recipiamus Patris noftri Dei difciplinam abfque neglectu , & fatigatione fiue defectu animi ; in illa perfeueremus,ac libenter eam fuftineamus [i]. Meminerimus eafdē Deum erga nos habere conditiones titulófque, quibus illum primogenitus frater nofter Chriftus appellauit,videlicet Patris fancti [k],& omnipotentis [l],Dominíq; cœli & terrę [m],& quo Paulus [n],Patris mifericordiarū,& totius confolationis,atque confolantis nos in omni tribulatione noftra.Mifericors,omnipotens,fanctus,adde,fapientiffimus Pater, nec per ignorantiam, nec per inualetudinem, nec per malignitatem filios caftigat & punit,vel malis affici finit.

a c.3.11.12. b c.3.19. c c.8.5. d 2. Reg. 7. 14. 15. Pf. 88. 41.& feq. e c.7.15.16. f c.8.11. g c.31.18. h lib.2.6. 12. 13. i Heb.12.5. 7. k Ioan.17. 11. l Marc.14.36. m Mat.11.25. n 2.Cor.1.3.4.

Illos autem.] Ægyptios ; non etiam quos addit gloffa interlinearis, Chananæos : eft enim fermo de fiti ob aquas verfas in fanguinem.

Tanquam durus Rex.] Græcè (ἀπότομος, *præfractus, præruptus*) quale faxum, vnde durior defcenfus ac præcipitatio.Non placet Olcot [o],cùm notat,non Regem fimpliciter, fed cum addito durū dici,quòd bonus Rex habeat fe ad fubditos ficut paftor ad oues , & pater ad filios , tefte Ariftotele [p]. Nam bonus Rex fimul iuftus ac durus eft in peruicaces,& abdicat interdum filios refractarios pater:certúmque eft,quamuis damnati non adeò bonitatem Dei experiantur , tamen nihil minùs effe bonum Deum , qui etiam citra condignum illos punit. *Vide feueritatem & bonitatem Dei* , ait Paulus [q]; *feueritatem* (ἀποτομίαν) *in eos,qui perierunt: in te autem bonitatem* (χρηστότητα) *fi tamen permanferis in bonitate*.

o lect.138. p 8.Ethic. q Rom.11.22.

Seueritas eft exacta iuftitia , quando Iudex de fupplicio vero ac debito nihil remittit. Non habet in Deo propriè locū, qui,vt dixi, punit citra condignū,vtens mifericordia.Vocatur tamen feuerus durúfque,vel ἀνθρωπαθῶς, more, atque iudicio, fiue opinione humana;vel quādo plus adhibet iuftitię quàm mifericordiæ.Ifto fenfu Chriftus [r] in parabola non negauit Deū fimilem homini auftero,tollēti quod nō pofuit,metēti quod non feminauit. Accedit,quòd cùm Deus malitiæ magnitudinē infinitis partibus meliùs intelligat quàm nos, & iuftitiæ debitum magis cognofcat, & ad vindicandum potentior fit,& nullis affectibus ducatur,maiore pœna, præfertim damnatos, punit, quàm æftimare valeamus. Quo fit,vt aliquando etiam crudelis Deus nominetur.*Mutatus es mihi in crudelem*, inquit Iob [f], *& in duritia manus tua aduerfaris mihi*. Efaias [t] quoque vocat diem Domini crudelem (L x x. ἀνίατον, *infanabilem*) in-

r Luc.19.21. f c.30.21. t c.13.9.

~ f 4 dignationis,

dignationis,iræ,furoris.Ieremias [a] inducit Deum loquentem; *in plaga inimici percussi te castigatione crudeli*; Septuaginta nominat στερεὰν, *fortem*. [Crudelem diem vocat Esaias [b], inquit Hieronymus [c], non quia crudelis futurus sit Dominus, qui in die illo iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua [d]: sed quia crudelis videbitur peccatoribus. Nam & latro suspensus patibulo crudelem Iudicem putat.] Quamquam (vt ad Iobi dictum reuertamur) videri possit Iob ex amoris affectu vehementiore loqui, cui sit & coniuncta ira; quemadmodum apud Poëtam [e] Corydon, qui formosum ardebat Alexin, dixit:

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,
Nil nostri miserere, mori me denique cogis.

B

Præterea charissimus Veneri Æneas [f];

Quid natum toties, crudelis, tu quoque falsis
Ludis imaginibus? ———

Ab amato deseri, vel fictè secum duriúsve agi, amanti crudelitatis instar videtur. Dixit apud eundem Iob postea Deus [g], quòd non quasi crudelis suscitarit eum, id est, Leuiathan, qui nominari potest Tyrannus maris, id est, quamuis adeò potentem feram, indomitámque bestiam creauerit, non ideo crudelis censendus sit. *Quis enim resistere potest vultui meo?* quasi dicat, qui potentiæ diffidunt, sæuiunt cùm possunt. Vitium est crudelitas, nempe, finitore Seneca [h], atrocitas animi in exigendis pœnis: vel inclinatio animi ad asperiora, vt licèt puniendi causam habeas, modum non habeas.

C

Interrogans condemnasti.] Græcè (κατεδικάζων ἐξήτασας, *condemnans examinasti.*) Interrogatio eadem quæ quæstio per tormenta ad eliciendam veritatem, vt aliàs dictum est. Indicat æquitatem iustitiæ diligens interrogatio.

Vers. 12.] Absentes enim & præsentes similiter torquebantur.

Siue ab Hebræis Ægyptij recederent, neque se cum illis miscerent, siti similiter vexabantur: siue cum illis versarentur, idem sustinebant; & tum absentes ab aquis non habebāt quibus vterentur, tum præsentes in idem incommodum recidebant, quia bibere non poterant. Hoc & modo, & sermone ipso Cantacuzenus. Olcot [i] sequitur secundum membrum de præsentia, & absentia ab aquis. Lyranus, Carthusianus, & Bonauentura explicant de Ægyptiis, qui erant præsentes Pharaoni, & qui aberant ab eius præsentia. Osorius ait vexatos Ægyptios, & cùm adhuc Hebræi viuebant inter ipsos, & postquam recesserunt. Hugo Hebræos exponit, cum respectu ad Pharaonem, qui temporali tantùm pœna torti sint, non æterna: vel primos Chananæos, & Amalecitas, quos Israëlitæ occidebant: secundos alios, qui audita fama Israëlitarum torquebantur, sicut referebat Rahab meretrix [k]. Bonauentura etiam affert hanc vltimam expositionem, necnon glossa ordinaria, & interlinearis.

Melior quæ de Ægyptiis, déque absentia, & præsentia secundùm habitudinem ad aquas; vt ita declaretur non minùs siti laborasse, quibus affatim suppetebant aquæ, quia saniosæ, tabificæ, lethiferæ. Memini aliquando dicere [l], nonnullos tolerare perdiu sitim posse, & inbibesiam, ac ne in omni quidem vita bibere, vt memoria mea Marchionem Pisanellum Christianissimi Regis

a c.30.14. b c.13.9. c ibid. d Ps.95.13. e Virg.eclo.2. f Aenid.6. g c.41.1. h libro de clemēt.2.c.4. i lect.138. k Iosue c.9. & seq. l in Euange. de ieiunio Christi, Math.4.

A

Oratorem apud Romanum Pontificem. Disserit de hac re aliquid noster Delrius [a]. Non talis Ægyptiorum populus. Potuisset Deus per id tempus septiduanum Hebræos à bibendi necessitate liberare; sed illustrius miraculum fuit, quòd coram Ægyptiis eandem biberint aquam, quæ illis lethifera erat, vt antè vidimus.

Iansenius vult nos legere (*absentes autem*) non (*enim*) & nouam hic incipere materiam, ac sensum esse, tormento Ægyptios affectos & cùm præsentes fuissent Hebræis, quando hi bibebant puram aquam, ipsi sanguinem: & absentes, quando peruenit ad eos fama, in siti, quam patiebantur in deserto Hebræi [b], mirificè aquam de petra extractam. Iudico & ego aptiùs conuenire sensum istum sequentibus verbis, cui non admodum officit, siue (*autem*) legamus, siue (*enim*) cùm sit quoque particularum harum promiscuus interdum vsus.

Torquebantur.] Græcè (ἐτρύχοντο, *atterebantur, absumebantur, attenuabantur, fatiscebant*) vt solent, qui macie, fame, siti consumuntur. Sed sensum Iansenij sequendo, latior erit verbi significatio. Illi similis;

——— *rumpantur vt ilia Codro* [c].

Vers. 13.] Duplex enim illos acceperat tædium, & gemitus cum memoria præteritorum.

DVplici nomine tædio ac dolore affecti sunt Ægyptij, vbi acceperunt mirabile diuinúmque sitis remedium in deserto Hebræis datum, simúlque ad memoriam reuocauerunt, quàm ipsos quondam dirè vexauisset sitis, tum cùm etiam nullam Hebræi paterentur, sed innoxiè biberent easdem aquas, quæ ipsis nocumento essent. Hic, quem dicebam cum Iansenio, commodior sensus, quàm qui traditur ab aliis, de Israëlitis, quos cruciaret calamitas in Ægypto, cum memoria vel prioris afflictionis in eadem prouincia, vel præteritæ felicitatis, cùm viueret Ioseph [d], &c.

D

Infelicissimum infortunij genus ait Boëtius esse, fuisse felicem; hincque Iob [e] ærumnas suas exaggerabat, & posset aliis tum sententiis, tum exemplis confirmari & illustrari. Sed non est recedendum ab assignata expositione. Illam verò applicant Osorius & Cantacuzenus non ad beneficium aquarum eductarum de petra, sed ad illa beneficia omnia, quæ recipiebant in Ægypto Hebræi, interim dum plagis Ægyptij discruciarentur. At præteritorum memoria longiùs respicere videtur, scilicet ad sitim propriè, de qua sermo institutus est, quam passi olim essent Ægyptij, quæque illorum succurrit memoriæ, quando nuncius allatus est de mirificis illis aquis excitatis in deserto in gratiam Hebræorum [f].

E

Duplex.] Aliquando non certum hunc numerum designat, sicut in isto loco, vt sentit Sà: sed idem quod multiplex valet, vt cùm domestici mulieris fortis dicuntur vestiri duplicibus [g]: cùm vocantur duplicia peccata [h], mala [i], sine iniquitates [k], id est, pœnæ pro illis, & absolutè in eodem sensu [l]: duplex ruina [m], contritio [n], tribulatio [o], confusio [p] (quæ comparatur cum diploide, id est, duplicato pallio [q]:) duplex retributio [r], honor [s], anni [t]; item duplicia bona [u]: præterea duplex spiritus [x]. Tam familiaris hæc Hebræis formula, quàm Latinis, vt vocent decumana quæ magna sunt.

a lib.2.disquisi. magica. q. 21. b Exo.17.1 & seq. c Virg.eclog. 7. d Gen.40. e c.16. f Exod.17. & Num.20. g Prou.31.21. h Eccli 7.8. i infra ca.7. Esa.40.2. k Iere.16.18. l Apoc.18.6. m Eccli.41.25. n Iere.17.18. o Nah.1.9. p Is.61.7. q Psal.108.29. r Eccli.20.10. s 1.Tim.5.17. t Eccli 26.1. u Esai.61.7. Zacha.9.12. x 4.Reg.2.9.

sunt. Exigit magis contextus, vt hîc duplex tædium non pro multo, siue grandi & magno, sed reuera pro duplici, vel cuius causa duplex fuit, accipiamus, quemadmodum declarauimus.

Tedium.] Græcè (*λύπη, dolor, tristitia.*)

Et gemitus cum memoria præteritorum.] In Sixtianis codicibus Græcis sic est: (*καὶ στεναγμὸς μνημῶν τῶν παρελθόντων, & gemitus memoriarum præteritarum*) in aliis (*τῶν παρελθόντων, eorum quæ præterierunt*) id est, è memoriis, vel memoria rerum præteritarum. Iansenius priorem lectionem, quę est quoque Aldinæ editionis, minùs probat, ob articulum *τῶν* præpositum adiectiuo, mallétque vt legeremus accentu tetracto *μνήμων*, id est, *gemitus memor*, &c. Præualet auctoritas Pontificia; nec obest articulus, quem sic non rarò collocati probare possumus exemplis aliis. Dura nonnihil phrasis, vt dicatur gemitus memoriarum; sed non ideo comminisci licet nouam lectionem. Nec mollior sermo appellare gemitum memorem.

Vers. 14.] Cùm enim audirét per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus.

Ægyptij cùm audirent ea in te beneficio affectos Hebræos, in qua ipsi afflicti punitíque fuerant, videlicet in aqua sedante sitim illorum & in Ægypto, & postea in deserto, vel inuiti compulsi sunt Deum agnoscere, atque confiteri, cuius nolebant priùs virtutem satis agnoscere, & confiteri; præterea demirari, quò res Hebræorũ, hoc est, quàm feliciter euasissent. Persequor indicatum iam antè de Ægyptiis sensum, eo omisso, quem alij sequuntur de Hebræis. Pronomen (*secum*) occasionem præbet huic expositioni; sed non minùs obest verbum (*audirent*) quod non ita propriè Lyranus interpretatur per (cognoscerent:) audimus enim potiùs quæ aliunde afferuntur, quàm ea quæ nobiscũ aguntur & experimur ipsi. Græcus textus reddit magis perspicuã sententiam (*ὅτε γὰρ ἤκουσαν διὰ τῶν ἰδίων κολάσεων εὐεργετημένους αὐτούς, cùm enim audirent per proprias punitiones*, siue *tormenta* (Ægyptij, dum ipsimet cruciabantur) *affectos esse*, aut *affici beneficio illos* (Hebræos.) Sic etiam exponit Sà. Dicitur quoque, licèt minùs Latinè (*secum*) pro (*cum illis*) vel (*cum ipso*) quemadmodum (*suum*) pro eo quod aliorũ est, vt; *dispersit superbos mente cordis sui* [a]: in Breuiario Ambrosiano (*eorum.*) Scripsit Laurentius Valla tractatum de reciprocatione *sui*, & *suus*.

a Luc. 1. 51.

Commemorati sunt Dominum.] Græcè (*ᾔσθοντο τοῦ κυρίου, senserunt, deprehenderunt, cognouerunt*) propter memoriam præteritorum, de qua versu priore.

Admirantes in finem exitus.] Græcè desiderantur ista; suspicatúrque Iansenius repetita ex sequenti versu, in quo est (*in finem euentus mirati sunt.*) Sensus est, miratos Ægyptios, quò tandem res Hebræorum felicitatis euaserat.

Vers. 15.] Quem enim in expositione praua proiectum deriserũt, in finem euentus mirati sunt, non similiter iustis sitientes.

In hoc diuinæ prouidentiæ ac iustitiæ vis eluxit, quòd illius opera, quem, cùm in flumen

A expositus & abiectus est, irriserant Ægyptij tanquam extinctum, non secus ac alij Hebræorum pueri fuerant, hoc est, Mosis, intellexerunt longè dissimilem gentis Hebræorũ exitum fuisse, quàm putarant; nominatim autem cùm resciuerunt nõ eadem ratione passos sitim vel in ipsa Ægypto, vel deinde in deserto, vt ipsi passi erant, quando biberunt sanguineas aquas.

Quem enim in expositione praua proiectum deriserunt.] Græcè (*τὸν γὰρ ἐν ἐκθέσει πάλαι ῥιφέντα ἀπεῖπον χλευάζοντες, proiectum enim olim in expositione negarunt subsannantes.*) Legunt Sixtiani codices *τὸν*, non vt alij, *ὄν*. Sensus idem remanet, ac etiam clariùs expressus ab Interprete. Moses intelligitur, vt dixi, cuius in flumen expositio narratur in

B Exodo [a]; nósque nonnihil egimus in Actibus Apostolorum [b]. Verisimile est, cùm Moses accederet ad Pharaonem, vt populum dimitti peteret [c], ab Ægyptiis irrisum esse, secum reputantibus, ac etiam dictitantibus, qui proiectus fuisset in aquas, & Ægyptiæ mulieris miseratione seruatus, nihili faciendum videri, nec verendum ne nocere posset Ægyptiis, qui Ægyptiorum viueret beneficio.

a c. 2. 3.
b c. 7. 21.
c Exod. 7.

Lyranus & Hugo hoc, vt superiora, interpretantur de Hebræis, qui Mosem initio irriserint, quando vel dixerunt Mosi [d]; *quis constituit te Iudicem super nos?* vel eidem & Aaroni [e]; *fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius.* Priora recitans Lucas verba, scribit; *hunc* [f] *Moysem, quem*

d Exo. 2. 14.
e Exo. 6. 21.
f Act. 7. 35.

C *negauerunt* (*ὃν ἠρνήσαντο.*) Cùm essent item adhuc in Ægypto dicebant ei [g]; *Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptiis.* Denique sæpiùs risu, & murmuratione Mosem Hebræi vexauerunt. Nihilominus hærendum in sensu de Ægyptiis, qui placet etiam ex parte Carthusiano, & solum istum tradũt Olcot [h] & Bonauentura, præter alios recentiores, quos pridem citaui.

g Exod. 14. 12
h lect. 139.

In expositione.] Quidam corruptè (*in expectatione.*) Græcè (*ἐν ἐκθέσει.*)

Praua.] Addidit hoc Interpres, vt intelligeretur qualis fuerit expositio. Praua verò dicitur Mosis expositio, vel quia illius causa fuit mandarum, quod antea *νηπιοκτόνον* vocatum est, *infanticidiale*: vel quia periculosa fuit puero Mosi; non autem

D quòd in ea re prauè parẽtes Mosis fecerint, & peccauerint, sicut citato loco historiæ Apostolicæ docuimus.

Proiectum.] Deest (*olim.*) Græcè (*πάλαι.*)

Deriserunt.] Græcè (*ἀπεῖπον χλευάζοντες, negauerunt, refutauerunt, abiecerunt irridentes, & subsannantes.*)

In finem euentus.] Græcè (*ἐπὶ τέλει τῶν ἐκβάσεων, in fine, vel exitu euentuum*, siue *rerum*) vbi res longè aliter successit Hebræis, & Mosi eorũ duci, quàm existimassent Ægyptij.

Non similiter iustis sitientes.] Hoc pacto restiturum in Sixtianis Bibliis Latinis ex editione Græca (*οὐχ ὅμοια δικαίοις διψήσαντες.*) Legunt Regia, &

E Complutensia (*faciens*) & quibus vtuntur Enarratores paulo antiquiores, isto sensu, quòd non idem fecerit, seu non eodem se modo gesserit Deus cum iustis Hebræis, dum tantisper sitire permisit illos in deserto, vt cùm priùs Ægyptios vexauerat siti, vsque nimirum ad grauem eorum cruciatum, atque etiam interitum plurimorum. Hic sensus non discrepat ab eo, quem præ se fert editio nostra Latina emendata, & Græca. Lucas Brugensis refert alias lectiones (*similiter iniustis faciens*) id est, vt ego exponerem, deridens Deus

illos,

illos, ſicut illi deriſerant Moſem: vel (*ſimiliter non iuſtis faciens*; aut *non ſimiliter iniuſtis faciens*) id eſt, vt iniuſti euentum haberent felicem, ſicut iuſti; aut non deridens iuſtos, ſicut deriſit iniuſtos: vel (*non ſimiliter iuſtis facientem*) quæ vltima lectio commodam explicationem non admittit. Iſidorus Clarius putat Interpretem vertiſſe (*non ſimiliter iuſtis facientes*) cùm pro ἀψήσαντες legiſſet ποιήσαντες, eſſe autem ſenſum; iſti non fecerunt vt ſolent iuſti, qui non expectant caſtigationes, vt admirentur diuina facta. Malè facit, quòd Græcam & Latinam lectionem, quæ nunc eſt, non approbat. Illa recipienda ſola, cæteræ vt hanc quoquo modo iuuant & illuſtrant. Dicerem in gratiam Clarij (*non ſimiliter iuſtis facientes*) ſignificare non eundem exitum habentes, nempe proſperum & felicem. Sic vulgò loquimur (*non l'hanno fatto coſi, ò coſi bene.*) Sed alienas editiones quid moror?

Verſ. 16.] Pro cogitationibus autem inſenſatis iniquitatis illorum, quòd quidam errantes colebant mutos ſerpentes, & beſtias ſuperuacuas, immiſiſti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam.

PRofertur Ægyptiorum idololatria, cultúſque reptilium ac vilium animalium, pro quo ſcelere commeruerint plagas maximè vilium quoque & abiectorum animaliũ. Superſtitioſiſſimos omnium mortaliũ fuiſſe conſtat Ægyptios, Deorúmque plurimorum cultores, ita vt Romani toties eorum Deos & ſacra proſcripſerint, Dione [a], Tacito [b], Suetonio [c], Ioſepho [d] teſtibus: ſed & idem eſſet Ægyptium vocare & magum, vt videre eſt apud Porphyrium [e], Ioſephũ [f], Zozimum [g], qui Hiſpanum Ægyptium videtur intelligere Oſium Cordubenſem, ſicut & Euagrius Zozimum citans. Gallis vulgò (*vn Egyptien*) magus eſt.

Figmentum eſt [h], cùm Gigantes Diis metum ipſo aſpectu inieciſſent, præſertim Typhœus, Deos in Ægyptum confugiſſe, ſed longo feſſos itinere, ac fugæ ſpe deſtitutos, in varias animalium ſe formas, vt occultarẽt ſe, transformaſſe, eáque ipſa animalia, quorum ſpeciem induerant, Ægyptios pro Diis coluiſſe. Sed & iuſto quodam veri Dei permiſſu virgam tantæ idololatriæ vindicatricem, ac tot plagarum effectricem Ægyptij magno in honore habuerunt, ita vt, quod prodit apud Euſebium [i] Artapanus, ob illius memoriam virgæ baculum in templis Iſidis ponerent & colerent; nam Iſidem putaſſe terram eſſe, quæ virgæ percuſſione tot ediderit prodigia. Diodorus Siculus [k] fusè deſcribit animalia viua, mortuáque, quæ præter modum, fidémque humanam, vt ipſe loquitur, honore proſequebãtur Ægyptij, vt feles, ichneumonas, ſiue ichneutas, qui ſunt canes venatici, canes alios, accipitres, ibides, aquilas, lupos, crocodilos, æluros, apim, ac mneuim, qui ſunt tauri; mygalam, id eſt, murem araneum, vrſum, vulpãſerem, fluuialem equum, anguillam, phœnicem, hircum, ouem, leonem, &c. Refert autem ſuperſtitionis cauſam vnam illi fabulæ ſimilem, de qua memini; primos Deos, cùm pauci numero eſſent, viribúſque populo impares, impietatem verò hominum timerent, ſimiles ſe quibuſdam animalibus finxiſſe, eóque modo crudelitatem vimque illorum effugiſſe: parto deinde im-

a hiſt. Rom. lib. 40. 41. 47. 51. 54.
b 2. annal.
c in Tiberio. c. 36.
d 18. Antiq. c. 4.
e in vita Plotini.
f 20. Ant. c. 6. lib. 2. de bell. c. 12.
g lib. 2.
h Ouid. 5. Metamorph.
i 9. de præp. c. vlt.
K lib. 2. rerum antiq. c. 4. toto.

A perio, vt redderent gratiam, conſecraſſe quorum acceperant formam. Altera ſcribitur à Diodoro cauſa, quòd ſub talibus ſignis vexilliſque pugnaſſent feliciter: tertia propter vtilitatem victus ac veſtitus, aliámque multiplicem in vita humana ex eiuſmodi animalibus. Similia narrat Herodotus [a], aítque in Deos ſupra modum, ſupráque omnes homines religioſos (id eſt, ſuperſtitioſos) fuiſſe, & cùm beſtiis non admodum abundent, omnes quæ ſint in prouincia, pro ſacris habere partim mãſuetas, partim immanſuetas. Inter alias beſtias memorat ſerpentes innoxios hominibus, puſillo corpore, binis cornibus. Plures alij literis hæc eadem prodiderunt tum ex profanis, vt Strabo [b], Apuleius [c], Iuuenalis [d], tum etiam ex

B noſtris, qui declamant contra Gentes & idola; præſertim Epiphanius [e] (qui plus etiam vocat omnino quàm omnes homines errantes Ægyptios) Theophilus [f] Antiochenus, Euſebius [g] (qui addit vulturem & ſcarabæum, de quo etiam Plinius [h], & quos citat Dalecampius, Plutarchus, Porphyrius, Horus, & in genere quoſlibet ſerpentes) Theodoretus [i] (qui nominat columbam & turturem) Lactantius [k], Auguſtinus [l], Prudentius [m]. Cantacuzenus hoc loco addit muſcas & culices: Lyranus talpas & veſpertiliones, iuxta Eſaiam [n], qui tamen non videtur loqui de Ægyptiis. Omitto res viliſſimas & ſordidiſſimas inanimatas, cepas, allia, &c. ipſos etiam crepitus

C ventris. Legatur quoque Rhodiginus [o]. Virgilius [p] Ægyptum intelligit, cùm dicit;

Omnigenúmque Deûm monſtra, & latrator Anubis.

Sed Iuuenalis [q] deſcribit Ægypti ſuperſtitionem vt notiſſimam vulgo:

Quis neſcit Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodylon adorat
Pars hæc, illa pauet ſaturam ſerpentibus ibin.
Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci.

Scribit de his quoque Gulielmus Pariſienſis [r], & obſeruat, ideo pauca ex lege animalia munda habita, quia plurima reddita erant abominabilia per idololatriam, cùm apud Ægyptios ſexcenta, & ſexaginta ſex genera ſacrificiorum eſſent, teſte Miglidoro, poſtea miſeratione Deorum redacta ad

D vigintiquinque præcipua.

Hîc videlicet Chriſtus maximè triumphauit, & adhuc puer illuc illatus idola euertendo, & longè poſt infinita ſanctorum virorum, maximè anachoretarum piiſſimorum multitudine Ægyptum ſanctificando. Vaticinatus id erat Eſaias [ſ]; *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulachra Ægypti à facie eius.* De infantis Chriſti deſcenſu in Ægyptum intellexit Procopius [t], & auctor operis imperfecti in Matthæum [u], & Euſebius [x], qui cauſam præterea reddit, quia cœpiſſet ibi idololatria, & videbantur Ægyptij omnium hominum ſuperſtitioſiſſimi, maximíque hoſtes populi Dei,

E & Pharao negauerat ſe non noſſe Dominum [y]. Eſaiam eodem quoque modo Sozomenus [z] rem ita geſtam narrans, necnon Nicephorus [a], Athanaſius [b], Origenes [c], auctor libri de vitis Patrum, ſcribens de Apollonio, ſunt interpretati. Alium Eſaiæ [d] locum idem Euſebius [e] explicat ad eundem ſenſum, aliíque præterea, quos citat Leo [f] Caſtro, qui pro priore loco abſolutè ſumpto alios affert; quibus addi poteſt Auguſtinus [g].

Pro cogitationibus autem inſenſatis iniquitatis illorum.] Alij (*iniquitates.*) Græcè (ἀντὶ δὲ λογισμῶν ἀσυνέτων ἀδικίας αὐτῶν.) Et quamuis ſecundùm ſo-

a lib. 2.
b lib. 18.
c lib. 11.
d ſaty. 15.
e in Ancorato.
f 1. ad Autolycum.
g 3. de præp. c. 3.
h lib. 30. c. 11.
i de cultu Dei.
k lib. 1. c. 20. lib. 2. c. 13. lib. 5. c. 20.
l 2. de ciuit. c. 22. lib. 4. c. 23. & 24.
m in Romano martyrol.
n c. 2. 20.
o lib. 2. c. 17. lib. 16. c. 5.
p Aeneid 8. ſub finem.
q ſaty. 15. in princ. & inde.
r de legib. c. 7.
ſ c. 19. v.
t ibid.
u in c. 2. homil. 2.
x 6. de præp. c. 20 lib. 8. c. vlt. lib. 9. c. 2.
y Exod. 5. 2.
z lib. 5. c. 20. hiſt.
a lib. 10. c. 31.
b lib de incarnat. Verbi.
c hom. 3. in diuerſos.
d c. 45. 14.
e 5. de demonſtrat. c. 4.
f in Eſaiam.
g 8. de ciuit. c. 23.

A num posset ἀδικίας esse accusatiuus, exigit tamen sensus, vt sit genitiuus; qui sensus pendet ex sequentibus. Nonnulli legentes (*iniquitates*) addiderunt (*prodeunt*) aut (*secutæ sunt.*) Illud suppleuit glossa interlinearis, hoc Hugo; & reliqui explicant de operibus externis malis, in quæ processerint cogitationes prauæ.

Quod quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias superuacuas.] Includenda hæc essent parenthesi, cùm adhuc pendeat sensus, solúmque significetur quales, & quò prodierint cogitationes illę insensatæ plenæ iniquitatis. Græcè (ἐν οἷς πλανηθέντες, *in quibus errantes*, vel *cùm errauissent*) scilicet in cogitationibus insensatis. *Euanuerunt*, inquit Apostolus [a], *in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt: & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in* B *similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Vitandi errores (*quidem*) & (*multos*) pro (*quidam*) & (*mutos.*)

[a] Rom. 1. 21. 22. 23.

Mutos serpentes.] Græcè (ἄλογα ἑρπετά.) Glossa interlinearis & Hugo intelligunt de Æsculapio sub serpentis specie. Potuit Interpres vertere *irrationabilia*. Sermo proprius est ratione vtentis hominis, vt Philosophus [b] docet, satísque per se cōstat; & epitheto mutorum nominari solent animalia irrationabilia. Sed Interpres *mutum* ponere solet, vbi est Græcè nomen ἄλαλον, vel ἄφωνον, vel κωφὸς: & apud Petrum [c] *irrationabilia pecora* exponit ἄλογα ζῶα, & ibidem [d] *subiugale mutum animal*, ὑποζύγιον ἄφωνον: nec nisi semel, quod sciam, vltra præsentem locum, ἄλογον reddidit *mutum*, nempe in Epistola Iudæ [e]. Auctores profani ἄλογον vsurpant non solùm pro experte rationis, verùm etiam pro illo, cui dicendi non inest facultas, & pro eo qui sileat, nec verbū proferat: pro muto, & qui nec id quidem possit, nō memini. Quocirca mutum non est hoc loco voce prorsus carens, vt solent dici pisces muti, sed loqui nesciēs, & articulatas proferre voces: quo pacto dicimus quoque hominem mutum, quando inarticulatè vociferatur. Discunt garrulæ aues humanas voces, at non propriè loquuntur, & sermocinantur; vt nec deceptor Euę serpens [f], aut asina Balaam [g] vera sunt locuti oratione. Reprehendit meritò Iosephum [h] Abulensis [i] arbitrantē naturale fuisse vero ac naturali serpenti, qui tentauit Euam, intelligere ac loqui, sed iratum Deum illi vocem ademisse, & venenū linguæ ipsius indidisse. Quin & Basilius [k] docuit, omnia animalia ante peccatum Adami concorditer inter se vixisse, inuicem audiuisse, & collocuta esse. De Platone [l] prodit Eusebius [m] idem affirmasse, saltem vigente seculo aureo, & regnante Saturno. Minùs absona, sed nec probabilis tamen Ephrem sententia, cuius & Moses [n] Barcepha commeminit, rogatu Satanæ tum serpenti tentatori, tum asinæ arioli communicatam à Deo, saltem ad tēpus, & rationis vim, & orationis. Absque cunctatione affirmandum, asinam boni Angeli, serpentē cacodæmonis opera locutum, vt communis habet opinio, & certa ratio persuadet; sicut & latrauit sub Tarquinio serpens, & interdum bestiæ voces humanas ediderunt, quæ propterea in prodigiis recensentur à Plinio [o], Valerio [p] Maximo, Iulio [q] Obsequente, & aliis, qui collegerunt prodigia atque ostenta. Legendus de serpente, cuius est in Genesi mentio, Augustinus [r]. Putat hoc loco Bonauentura dici serpentes mutos comparatione ad illum, qui cum Eua locutus est.

[b] 4. de histor. animal. c. 9.
[c] 2. Ep. 2. 12.
[d] vers. 16.
[e] vers. 10.
[f] Genes. 3. 1. & 4.
[g] Num. 22. 28.
[h] 1. Antiq. c. 1.
[i] in c. 3 Gen. q. 419.
[k] hom. de paradiso.
[l] in Politic.
[m] 12. de præparat. c. 9.
[n] de parad. c. 17.
[o] lib. 8 c. 41.
[p] lib. 1. c. 8.
[q] lib. de prodig. c. 7. & 104.
[r] 11. Genes. ad lit. c. 14. lib. 14. de ciuit. c. 11.

Bestias superuacuas.] Græcè (κνώδαλα εὐτελῆ.) Etsi κνώδαλον de marina bestia dici quidam velint, quasi sit τὸ ἐν ἁλὶ κινούμενον: alij de fera venatu capta, quasi τὸ κυσὶν ἁλισκόμενον, tamen adiectum epithetum indicat quaslibet intelligi, & boni auctores extendunt ad terrestria animalia omnia, vt ad boues: item ad serpentes, vermes, aliáque insecta, καὶ μικρὰ ζῶα, *parua animalia*, vt exemplis docet auctor Thesauri Græci [a]. Imò Nicander [b] accommodat propriè ad animalia insecta venenata. De hac etiā voce Aldourandus [c]. Intelligit Cantacuzenus muscas & culices: glossa interlin. & Hugo arietes & canes: Lyranus & Carthusianus talpas & vespertiliones. De his meminit Esaias [d], non tamen meminit cultos ab Ægyptiis. Sub specie serpentis colebant Æsculapium, Iouem sub arietis, Mercurium sub canis, Apim sub bouis, vt notant Hugo & Bonauentura. Quidquid sit de aliis, Apis non Dei sub specie bouis nomen erat, sed bos pro Deo cultus, de quo egimus alibi [e]. Bestiæ superuacuæ, κνώδαλα εὐτελῆ, videntur esse viliores bestiolæ, non autem canes, arietes, & similes.

[a] verbo κνώδαλον.
[b] in theriaci.
[c] 6. de insectis, in synonymis.
[d] c. 2. 20.
[e] Act. 7. 41.

Immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam.] Ex animalibus immissis in Ægyptios argumentum fit, quales fuerint bestiæ illæ superuacuæ, de quibus proximè dictum, necnon ex sententia sequentis versus. Fuerunt autem ranæ, sciniphes, muscæ [f], locustæ [g]. His similia, sciniphibus exceptis, fecerunt magi, quemadmodum C & virgas in serpentes conuertendo, & aquas in sanguinem: at non sunt permissi easdem res in pristinam naturam reuocare, vt notauit Theodoretus [h], vel earum auferre incommoda.

[f] Exod. 8. 10. 10.
[g] c. 10. 4. & seq.
[h] q. 18. in Exodum.

Per muscam grauissimam, vt Interpres Latinus vertit [i], quod est Hebraicè חבוב *habub*, intelligunt Hebræi mixturam variorum animalculorum, & præterea Iosephus [k], qualia, inquit, nemo ante eam diem videat. Vocat Rabbi Kimhi multarum specierum animalia: Vatablus varij generis insecta: Pagninus omne genus ferarum: Paraphrastes mixturam bestiarum noxiarum: Rab. Salomon turbam serpentium & scorpionum, atque aliorum venenatorum animalium: Rab. Sephardi, & Abenezra incursionem leonum, pardo- D rum, ac luporum: Schol. Samarit. in Exodum κόρακα, *coruum*: Caietanus mixturam prauorum animalium agrestium, distinctorum à muscis, & quæ rebus Ægyptiorum nocuerint, non autem personis: L x x. [l] & Philo [m] κυνόμυιαν, *muscam caninam*; itáque legunt Græci, vt Origenes, Theodoretus, &c. atque etiam Augustinus [n]; quamuis putet Hieronymus [o] à Septuaginta positum nomen κοινόμυια, id est, *communis musca*, siue *omne genus muscarum*, quam vocat Aquila παμμυῖαν, *omnimodam muscam*. In Bibliis emendatis Latinis Psal. 77. [p] & 104. [q] ponitur cœnomya: in hoc nostro libro cap. 16. [r] mentio est de muscis cum locustis, quæ proprio nomine vocantur Græcè μυῖαι.

[i] Exo. 8. 24. 31.
[k] 2. Antiq. c. 6.
[l] Exo. 8. 24. Psal. 77. 45. Psal. 104. 31.
[m] 1. de vita Mosis.
[n] in locutionibus Exod. & q. 26.
[o] epist. 135.
[p] vers. 45.
[q] vers. 31.
[r] vers. 9.

E Quocirca per multitudinem mutorum animalium immissorum in vindictam, quia coluerant Ægyptij bestias superuacuas, hoc est, parui pretij, κνώδαλα εὐτελῆ videntur intelligenda, iuxta etiam ea quæ diximus de voce τοῦ κνωδάλου, de insectis, ranis, sciniphibus, muscis, locustis. Idirco minimè probandi, qui lupos, pardos, leones, vel in genere feras quascumq; nomine illo Hebræo exponebant significari: paulò pòst [s] enim de leonibus negatur, & vrsis. Nec omnia insecta possunt sumi, cùm distinctè recenseantur plures co-

[s] in isto c. vers. 18.

rum species, inter quas muscæ, quas nescio Caietanus quo pacto veras fuisse negare possit, & Ægyptiorum nocuisse personis, cùm de muscis disertè suo nomine expressis prodat Scriptura [a], quòd comederunt Ægyptios, & suis morsibus occiderunt [b]. Sunt infestiores quæ vocantur muscæ caninæ, quas ideo L x x. Philo, & alij memorandas potiùs censuerunt, non exclusis aliis communibus, viridibus, quæ fœtent, crassis, quæ sonant, generatis ex aquis mortuis & lacunaribus, iis, quæ iumenta maximè inuadunt, aliis, quæ morsu venenum infigunt, sicut Abulensis [c] distinxit: sed accuratiùs Vlysses Aldrouandus [d]; & nos nonnulla disseruimus ad caput 10. Ecclesiastæ [e], atque Pererius in Exodum [f].

a Psal.77.45.
b Sap.16.9.
c in c.8. Exodi.
d lib.5. de insectis.
e vers.1.
f c.8. disput. 6.

Vers. 17.] Vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

SCilicet per animalia similia iis quæ colebant Ægyptij; quamuis non per omnia, sed per viliora, vt satis antea dictum est, ac ostensum præterea coluisse illos alia quædam maiora & nobiliora. Quod autem de vilibus intelligat, suadet quod subiicit sequentibus versibus, non immissos vrsos, aut leones, aut ignotas sæuas bestias: tum etiam quod diximus de bestiis superuacuis priore versu. In octauo autem & nono sententiam istam illustrauimus exemplis, cùm ageremus de plaga sanguinis. Repetit quodammodo Auctor eandem sententiam capite 16.[g] loquens adhuc de supplicio per multitudinem bestiarum, διὰ πλήθους κνωδάλων. Eodem facit illud Christi [h]; *omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt:* & Ioannis in Apocalypsi [i]; *Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi:* & libri Genesis [k]; *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*, nimirum vel facto, vel merito, quia aut reipsa interficietur, aut hoc ei supplicium debebitur, vt explicant Theophylactus [l], Augustinus [m], & alij. Petes ex locis quæ citaui ad versus illos octauum & nonum admodum apta præsenti loco testimonia, maximè Samuelis [n]. Adiice verba Esaiæ [o]; *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? cùm consummaueris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Item Abacuc [p]; *Quia tu spoliasti gentes multas* (alloquitur Deus Regem Babylonis) *spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis.* Adiice cruciatam præ cæteris mébris diuitis epulonis linguam [q], quia plus lingua sua & ore peccauerat, inquit Cyprianus [r]. Trita quoque sententia illa; peccati pœna iustissima, vt in eo vitio vnusquisque plectatur, in quo deliquit, atque vt amittat illud quo bene vti noluit, cùm sine difficultate posset, si vellet. Puellæ, quæ caput Ioannis impetrauerat, cùm in glacie ambularet, & ea resoluta mox constricta fuisset, caput item abscissum saltitanti [f]. Celebris narratio de blasphemo, qui cùm non dubitasset cataphrastus Deum ad singulare certamen prouocare, diu vexatus à petexigua musca, quæ per galeæ foramen subierat, ac tandem cum musca certare fessus, & humi se deiicere coactus, insaniam confessus est.

In vita Theclæ [t] Basilius Seleuciensis narrans quo pacto coniecta esset in medium multitudinis ferarum, θηρίων, scribit, quòd solet Deus non totis potentiæ suæ viribus contra eos, qui pro-

g vers.1.
h Matth.26. 52.
i c.13.10.
k c.9.6.
l in Matth. 26.
m in qq. veteris ac noui Testam. q.104.
n 1.Reg.15. 27.28.
o c.33.1.
p c.2.
q Luc.16 24.
r epist.55.
f Niceph. lib. 1. c.10. Metaphrastes in Ioan.
t lib.1.

A miscuè in ipsum nefaria committunt, irruere; sed culicibus, ranis, muscis, locustis, aliisque id genus, nimiam potentiam affectantes semper debellare; quò velut per ludum potiùs, quàm seriò agendo, παιδιᾶς μᾶλλον, ἢ σπουδῆς ἔργον ποιούμενος, sublimes, vt esse sibi videtur, illos impiósque numinis contemptores se perdere ostendat. Philo [a] ait Deum huiusmodi animalculis voluisse castigare Ægyptios, non è medio tollere: homines, cùm bella gerere volunt, auxilia sibi consciscere potentissima, quibus infirmitatem suam suppleant: Deum omnipotentem, ac nullius egentem, si quando velit tanquam instrumentis quibusdam vti ad exigenda supplicia, non valida eligere, sed vilia

B paruaque.

a 1.de vita Mosis.

Vers. 18.] Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones.

HInc ad finem vsque capitis amplificat Dei etiam inter puniendum benignitatem, qui sensim ac lente procedat, vtatúrque facilioribus

C pœnarum generibus, non durioribus & efficacioribus, bestiis nullius pretij, & virium infirmarum potiùs, quàm grandioribus atque robustioribus. Quamquam & in ea re simul extitit ea quæ notatur à Cantacuzeno ratio, priúsque tractata est, vt vilitas idololatriæ, & viliorum animalium quę coluerunt Ægyptij, aptiore huiusmodi per vilia item animalia supplicio puniretur. Denique apparet hoc modo Dei omnipotentia, quæ quod vult non vna facit ratione, sed pari facilitate nũc istam tenet, nunc aliam, quamuis humano iudicio plurimùm discrepent. Facit hoc valdè ad efficacitatem volũtatis diuinæ, quòd per eam Deus efficiat omnia liberè, non autem necessitate aliqua compulsus, nec ad vnum determinatus. Nam

D & liber est Deus, & habet esse continens omnem perfectionem entis in se: vnde si produceret necessariò, faceret effectum indeterminatum, ac infinitum, quatenus est ipse. Lege S. Thomam [b]. Sequitur hinc quoque, in Deo esse scientiam possibilium futurorum contingentium liberorũ, quam vocant mediam: sine quà non videtur concipi posse prouidentia. Nam Deus ex multis mediis quæ poterat eligere, hæc potiùs elegit, quàm illa, saluam relinquens libertatem. Ergo bene ac certò sciebat quid eueniret, si alia elegisset.

Non enim impossibilis erat.] Græcè (οὐ γὰρ ἠπόρει, *non erat redacta in angustias, non æstuabat, non hæsitabat*) vel nesciens, vel dubia quid faceret (*non dee-*

E *rat omnipotenti manui tuæ*) vt legit Origenis Latinus Interpres [c]. Latiniùs Interpres dixisset *impotens*: sed variauit, quia subdidit; *omnipotens manus tua.* Inde *aporiandi* Latinum factum verbum, quo bis Interpres vtitur [d], semélque [e] nomine *aporia.* Quamquam pro aporia Græcè sint σκῦλα, *spolia*, vel in quibusdam exemplaribus σκύβαλα, quæ idem valent. Apud Apostolum [f]; *aporiamur, sed non destituimur*, editio Græca per participia extulit, ἀπορούμενοι, ἀλλ᾽ οὐκ ἐξαπορούμενοι, quæ variis modis exponuntur; *indigentes, seu inopiam passi, sed non planè destituti*: quæ indigentia, siue inopia referri potest vel ad consilium, vel ad rerum egestatem necessariarum. Vltimum est Anselmi, cuius tamen

b 1.p.q.19. art.4.
c 4. peri archon c. penul.
d Esa.59.16. 2.Cor.4.8.
e Eccli.27.5.
f 2.Cor.4.8.

circa

circa verbum *aporiandi* non probamus etymon, vt sit idem, quod laborando sudare. Nihil cum sudore habet omnino Græcum verbum.

Quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa.] Græcè (ἐξ ἀμόρφου ὕλης, *ex informi materia*) sicut quædam exēplaria tenere monet Augustinus [a], & est apud Origenem. Videtur alludi ad verba Genesis [b]; *terra autem erat inanis, & vacua*, vbi Lxx. reddunt, ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος, *inuisibilis, & incomposita*, siue *imparata*, vel *inordinata*, vt notat Augustinus [c]: Aquila, κένωμα, καὶ οὐδὲν, *inanitas, & nihil:* Symmachus, ἀργὸν, καὶ ἀδιάκριτον, *iners, & indiscretum:* Theodotion, κενὸν, καὶ οὐδὲν, *inane, & nihil* (nihil autem ponitur pro absentia vnitatis & compositionis, aut formæ:) Hebraicè תהו ובהו *thohu vabohu*, quas voces variè declarant; sed vnus modus est Rabbinorū [d] (*informis & inanis*) qui placet Hamero [e], dicenti primi etymon esse ab stupore & pauore propter deformitatem; secundi, quasi dicas (*in eo est*) nempe velut inchoatio ac rudimentum, vel aptitudo, atque appetitus ad formam: quam formam ineptè Rabbi Kimhi [f] dixit significari per בהו *bohu*. Augustinus [g] verbis illis Genesis informem materiam vult intelligi, quem sequuntur Eucherius [h], Beda [i], Alensis [k], Albertus [l], Bonauentura [m], glossa [n], & alij: cuius etiam sententiæ meminit Origenes [o]. Quidam agnoscunt formam quandam vniuersalem, sed sine qualitatibus & proprietatibus; vt Nyssenus [p]: aliqui formam corporeitatis, vt Abulensis [q], quod item significat Lyranus [r]: nonnulli nominant rude chaos, vt Catherinus, quod est à Poëtis decantatum.

Mihi, prætermissis aliis opinionibus, quas post reliquos expendit Ascanius Martinengus [s], videtur dici mundum (quem Interpres hoc loco de inferiori sublunari, vocans orbem terrarum, intelligit) conditum ex materia inuisa seu inuisibili, & informi, quoniam primo die nondum erat, antequam lux fieret, aspectabilis, omni etiam ornatu carebat & decore, non terram vestiebant plantæ, non homines & animalia incolebāt; aquis quoque adoperta erat. Sic denique nec videri poterat, nec videri digna erat. Fauent in suis commentariis de opere sex dierum Patres Græci & Latini, quos affert idem Martinengus. Ex his rem benè declarant Seuerianus [t] & Procopius [u]: quoniam soleamus quempiam appellare informem, non quia expers sit formæ, sed quia turpi sit forma, & mutum, quia malæ vocis: eodē modo terram vocari inuisibilem, hoc est, sine ornatu, minimè aspectu & visu dignam. Confirmāt, quoniā Scriptura [x] celebrans vnum de triginta fortissimis Dauid, ait percussisse virum Ægyptium ὁρατὸν, id est, *visibilem, visu dignum, speciosum*, &, vt Interpres vertit, *dignum spectaculo*, Hebraicè מראה *madeh*. Lege B. Thomam [y].

Si Eugubino antiquiores & grauiores auctores consentirent, non displiceret terram interpretari inanem & vacuam, & materiam informem & inuisam inuisibilémve, atque, vt verterunt citati Aquila & Theodotion, nihil, quia de nihilo factus est mundus, & hoc quod fuit postea terra, vnde mundus sublunaris maximè denominatur, & congeries elementorum, antea fuit omnino nihil. Sed plures ac meliores sequendo, ex materia mundus inuisa & informi factus est, quia cōpositus & compactus ex ea parte, quæ per se non habet formam: res autem compositas vocare solemus quæ constant materia, quæ pars eiusdem

A rationis inest omnibus, licèt compositi pars potior sit forma. Improbabilem duco sententiam [a], priùs duratione temporis imaginabilis extitisse sine forma materiam. Disputat oppositum Argētinas [b], nec est quòd id quis affirmet de materia Christi, quandiu separata fuit anima ipsius ab illa; quod tamen sensit Marsilius [c]. Lege Molinā [d]. In ea tamen priore sententia Salmeron [e] etiā est de materia informi, ex qua res cæteræ conditæ sint. Tantùm abest vt rem adeò miram re ipsa fuisse concedere debeamus, vt passim Thomistæ negent esse posse: quibus tamen minimè credo.

B Hæresis fuit, materiam æternam esse, vt ex ea fierent cætera. Refellunt Tertullianus [f], Ambrosius [g], Augustinus [h], Theodoretus [i], Procopius [k], Lactantius [l], Eusebius [m], qui Philonis quoq; hac de re, Dionysij, Maximi, & Origenis argumenta recitat, & Epiphanius [n]. Basilius [o] autē putat Platonicos, de quibus etiam Iustinus [p], idē opinandi de materia occasionem ex illis Genesis verbis accepisse, quibus terram dicitur fuisse inanē & vacuam, necnon Pythagoricos & Stoicos: & alij illi Patres obseruant vim ab iis factam in verbo (*erat*) cùm debuissent attendere ad verbū (*fecit*) vel (*creauit*) quod priore ponitur loco. Nugamenta Manichæorum de materia Nicephorus [q] narrat, aliique, quorum illud vnum, quòd materia, similiter vt

C Deus, ingenita sit. Negantes materiam factam refert, ac refellit Alphonsus [r] de Castro, Prateolus [s], Augustinus [t], Origenes [u]: disseruit præterea S. Thomas [x] contra Dauid de Dinanto, asserentem materiam primam Deum esse.

Nec verò ad rem est, si quis orbem terrarum dicat factum ex materia inuisa, vel terra, hoc est ex idea, quæ inuisibilis sit in mundo intelligibili, quo pacto philosophatur Platonizās Philo [y]. Cōcedi potest, sensum Pauli [z] esse, aptata esse (κατηρτίσθαι, *coagmētata, & congruenter atque ordine composita*) secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent; quoniam nō aliunde quæsita materia, vel artificio adhibito, sed iussione sola, virtutéque

D Verbi ex ideis formísve, quæ sunt in mente Dei. Est quidem materia, quia propè nihil, & physicè pura potentia, difficilis admodum cognitu: sed non idcirco dicitur hîc inuisa, vt Lyranus vult, & Carthusianus; licèt iste communem quoque sensum traditum sequatur de materia informi. Apud Franciscum [a] Vallesium caput integrum est de tractatione præsentis loci: sed nihil discrepat ab his, quæ diximus.

Illud potiùs colligere licet, ex eo quòd orbis terrarum vnus exprimitur, vnicum esse, non plures, vt quidam commenti sunt, & Alexandro Magno persuaserunt, eique hac de causa lacrymas elicuerunt nondum vnius totius domino [b]. Albertus [c] hæresim nominat, & Isidorus [d]

E hæresibus adnumerat. Sanè quidem, vt similes omittam formas loquendi de mundo in numero singulari, vnde hoc ipsum argumentatur B. Thomas [e], vt cùm Ioannes [f] scribit; *mundus per ipsum factus est*; fauet admodum, quod Paulus [g] in disputatione ad Athenienses dixit; *fecitque ex vno* (Adam) *omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ*: alioqui vel mundus alius erit, in quo nulli sint homines: vel hinc transuexit aliquos Deus, velut in colonias, quæ cogitatu etiam absurda sunt.

De Philosophis opinantibus mundi multiplicitatem Theodoretus [h], Cyrillus [i] Alexandrinus, Hermias,

a de fide, & Symbolo. c. 2. b c. 1. 2.
c de Genesi ad lit. imperfect. c. 4.
d in Gen. c. 1.
e ibid.
f ibid.
g 12. confess. c. 7. lib. de Genesi ad lit. imperfect. c. 4. libr. 1. de Gen. ad lit. c. 15. lib. 1. de Genes. cont. Manich. c. 7.
h libr. 1. in Genes. c. 1.
i in c. 1. Gen.
k 10 qq. in Genes.
l in sum. q. 45. memb. 3.
l p. 2. de creatu q. 12. a. 11.
m 2. d. 12. in text.
n Genes. 1.
o 4. periarch. c. penult.
p in hexam.
q in c. 1. Gen.
r ibid.
s in glossa magna in c. 1. Genes.
t in catena Lipomani.
u in c. 1. Gen.
x 2. Reg. 23. 21.
y 1. p. q. 66. art. 1.

a Est Pinti in c. 1. Dan. & Salmeronis tom. 1. prolegom. 10. canone 4.
b 2. d. 12. q. vnica. art. 2.
c in 3. q. 13. a. 1. & Gabriel 3. d. 21. q. vnica. art. 3.
d 1. p. de opere sex dierū. disp. 4.
e to. 4. pag. 170. & 471.
f cont. Hermogen. c. 17.
g in hexam. c. 7.
h de Genesi imperf. c. 4. 1. de Genesi cōtra Manich. c. 3. de fide, & Symbolo c. 2.
i q. 4 in Gen.
k in c. 1. Gen.
l 2. instit. c. 8.
m 7. de præparat. c. 8.
n hæres. 66.
o hom. 2. hexameron.
p orat. 2. pro Christianis.
q lib. 6. c. 31.
r aduersus hæreses. verb. mundus.
s in Elench.
t cont. hæreses. c. 59.
u 4. periarch. c. penult.
x 1. cōt. Gent. c. 17. 1. p. q. 3. art. 8.
y lib. de mūdi opificio.
z Heb. 11. 3.
a de sacra Philosophia. c. 69.
b Plutarc. de animi tranquillitate.
c 2. p. sum. de homine
d 8. etymol. c. 5. & habetur 24 q. 3. c. quidā autem.
e 1. p. q. 47. art. 3.
f c. 1. 3.
g Act. 17. 26.
h lib. 4. de nat. & mūdo.
i 2. cont. Iul.

a lib.Philoso. Genial. irris. b in apolo. Nazianzeni. c 1.hexa. c.1. d 18.de ciu.c. 41. e sum.de homin.q.de homin. habit. art.2. f de mundi incorrupt. g l. de placitis.c.5. h 2.Acad. & 3.de finib. i in c.2.Ep.ad Ephes. k orat. cont. idola. l 1.de cœlo.c. 94.

Hermias [a],Elias [b] Cretensis,Ambrosius [c],Augustinus [d],Albertus [e],Philo [f],Plutarchus [g],Cicero [h], & alij.Hieronymus [i] Clementi Romano ascribit sententiam de pluribus mundis. Ratio Athanasij [k],vnum esse mundum, quòd vnicus sit opifex Deus,probabilis , non necessaria est, vt ipsemet fatetur. Probabilius est,Deum vnum non plures fecisse mundos , ne ob istorum pluralitatem suspicarentur homines Deos plures.Non concludit argumentum, quoniam poterat, inquit , & alios mundos construere Deus. Negauit hoc Aristoteles [l] , non propter defectum artis , aut potestatis artificis,nec quia id ipsi secundùm formam repugnet mundo,sed quoniam deficit materia, quam in se totam complexus est hic mundus. Concluderet Philosophus,si materiam non fecisset Deus ipse ex nihilo : hoc autem posito , quidni aliam possit eodem pacto facere ?

B

m in doctrinali d c.10. n cont. Aristotelem. o hom.2.hexam. p 2.hexam. c. 2. q de defectu orac. r lib.de Homero.

Maiorem merentur reprehensioné mali Christiani, imò hæretici Vviclef , & Abailardus , qui concedentes creationem in tempore , tamen voluerunt non posse plures effectus à Deo produci, quàm quos produxit, quippe quòd etiam contédant nó liberè,sed necessitate naturæ Deú agere. Lege Valdensem [m] cótra istos:aduersùs verò Aristotelem agit Iustinus [n],Basilius [o], Ambrosius [p]: ex Plutarcho [q] præterea peti potest erroris confutatio,qui tribuens eandem sententiam Homero [r],scribit eam illum indicasse nomine τῦ ὅλυ, id est, *vniuersi*.Eandem rationem innuit idem Aristoteles,sed constat quàm sit infirma. Pridem de his egimus in scholis Philosophicis.

C

s 4.Reg.2.24. t ibid.q. 40. & 41. u 1.Reg.17. 34.Eccli. 47. 3. x Iudic.14.6. y 2. Reg. 23. 20. z 4.patriarch. c.penult. a 3. Reg. 13. 24.

Multitudiné vrsorum.]Ex his duo pueros paruos quadraginta duos , qui Elisæo illuserant,& ab eo maledicti fuerant in nomine Domini , lacerauerunt [s] , missi proculdubio à Domino versùs vrbem Bethel:& ne quis effugeret puerorum, adeò multos lacerauerunt soli duo , abstinentes interim à deuoratione:& cùm forsan plures essent, quàm quadraginta duo, aliis pepercerunt qui non illuserant Prophetæ.Lege Abulensé [t].Videtur Palæstina vrsis abundasse & leonibus : vtrosque enim Dauid pastor occidebat [u] , & leones Samson [x],& Banaias vnus de viris Dauid [y].

D

Audaces leones.] Græcè (θαρσεῖς λέοντας.) Apud Origenem [z](*feroces leones.*) Quemadmodum inobedientem Prophetam vnus interfecerat [a] , asinum eius non attingendo , nec Prophetæ cadauer , ad id etiam consistendo , vt omnes intelligerent mortis auctorem Deum esse , cuius quoque imperio interritus ibi asinus manebat. Immisit præterea leones Deus in Assyrios , quorum coloniæ de Babylone,aliísque locis in Samariam deductæ fuerant, qui leones interficiebant eos [b]. Deniquè celebrantur leones, vrsíque in Scripturis tanquam animalia sæuiora [c] : minantur item quòd in relinquentes Deum immittetur leo , & pardus [d]:*dentes* etiam *bestiarum,* בהמות *behemoth, θηρίων,cum furore trahentium super terram , atque serpentium* [e].

b 4. Reg. 17. 25. c Amos 5.19. d Eccli.38. 37. e Deut 32.24.

E

Hinc planè sequitur, inter bestias, & animalia muta,quæ 16.versu memorabantur, comprehensos non esse vrsos, & leones,nec sub nomine Hebræo ערוב *hharob* in Exodo [f] intelligi debere omne genus ferarum , etiam grandiorum,vt ibidem quosdam velle notauimus. Excipiuntur hîc nominatim vrsi,leonésque.

f c.8.24.31.

*Vers.*19.]Aut noui generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes , aut horrendas ab oculis scintillas emittentes.

*Vers.*20.]Quarum non solùm læsura poterat illos exterminare,sed & aspectus per timorem occidere.

HI sunt alij modi,quibus posset Deus bestiarum opera vti ad castigandos & perdendos impios tum damno,tum terrore.

Noui generis ira plenas ignotas bestias.]Græcè (νεοκτίστους θυμοῦ πλήρεις θῆρας ἀγνώστους , *nouiter creatæ ira plenas bestias ignotas*) vel (*feras plenas furore nouiter creatas.*)Id intelligi potest,vel vt Deus bestiis ac feris,quæ iam sunt,nouum , inusitatú,solito ac naturali maiorem furoré inserat : vel nouas earum formas,quæ adhuc penitus nó fuerint, multo diriores condat. Posterior sensus aptiùs conuenit editioni Græcæ emédatæ:quòd auté alij codices, vt Cóplutenses,atque Regij,habent νεοκτίστου,fauet priori,quia refertur ad θυμοῦ:patitur tamen etiam secundú sensum.Tertius valdè diuersus à Cantacuzeno traditur,legente νεοκτίστου θυμοῦ. Explicat de nouiter creata ira, quá in se ipso creauerit Deus, atque Auctorem ingeniosè vsum voce νεοκτίστου. [Nam cùm sit,inquit,naturà bonus Deus, nó habet naturaliter iracundiam;sed ex nostra ignauia, & incuria illi dicitur adesse.] Meliores duo primi sensus. Ex secundo sequitur,plures rerum species à Deo produci posse,quàm quæ initio productæ sint,atque etiam meliores.Id facilè concedet qui alios mundos plures hoc perfectiores admittet creari posse : qua de re Scholastici [a] , & Philosophi [b],demonstrantes quo pacto tamen hic appelletur perfectus mundus , & vniuersi nomen meritò sortiatur.

a 1.d.43. & 44. b disput.de cœlo & mundo : vel de gradib.entis.

Vaporem ignium spirantes.]Græcè (πυρπνόον φυσῶντας ἆσθμα , *igniuomum spirantes halitum.*) Vatablus (*quæ in modum ignis vrentem efflarent spiritum*)codices Latini Complutenses, ac Regij (*vaporem igneum.*) Calidiores bestiæ calidú exhalantes vaporem,videtur ignes ex ore mittere.Dici hoc solet de leonibus,draconibus,& similibus. Alia ratione vocantur in libro Numerorum [c] serpentes igniti, & in Deuteronomio [d]flatu adurentes;nó quòd per aërem volantes emitterent flammas , sed quia, quamuis hoc non facerent,nec essent formaliter calidi (venenata enim frigida sunt) veneno suo, quod est virtute calidum,inflammabant.Libycos serpentes Lucanus [e] canit ad vsque ossa consumere quos inficiant. Igne non constat animal secundùm formam ipsius,vt nec ex igne vllum generari potest , Aristotele [f] teste , quidquid secus nonnulli de Salamandra ignibus nutrita existiment. Sed hæc ad rem non faciunt ; & postea commodiùs repetentur [g].

c c.21.6. d c.8.15. e lib.9.

f s de histo. animal.c.9.

g c.16.5.

Fumi odorem proferentes.]Græcè(βρόμους λικμωμένους καπνοῦ.)Iansenius ex λικμωμένους sigma demi vult,& reprehendit lectioné quam alij habent,vt Regij, atque Complutenses libri (βρόμον λικμένῳ καπνῷ.) Secundú cócedimus ipsi;nec enim λίκμομαι in vsu est,sed λικμάω,& λικμάομαι,*vanno ventilo* , à λικμὸς, id est,*vannus,& ventilabrú*.Significat autem βρόμος *fremitum, fragorem ingentem, sonitum* ,qualem venti, vel maris edunt vndæ, vel concussa terra , vel crepitans ignis. Quare ad verbú redderemus hîc (*sonitus ventilantes fumi*)vel(*fremitus torquentes fumi.*) Iuxta aliam verò lectioné,quá sequitur Cátacuz.

(*sonitum*

(*sonitum fumi agitati*) scilicet spirantes, vel proferentes, ita vt simul fremant, simul expirent ceu fumi nimbum. Descriptio est furentis bestiæ, ac frementis cum anhela exhalatione, quæ fumum exhibet. Vulgò iracundos etiam homines fumare
a Psl.17.9. dicimus. Sed & de irato Deo legimus in Psalmo[a]; *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit:*
b lib.2.22.9. *carbones succensi sunt ab eo.* Item in historia Regũ[b]; *Ascendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorabit: carbones succensi sunt ab eo.* Describens Iob Le-
c c.41. 9. 10. 11.12. uiathan siue cetum, ait[c]; *Sternutatio eius vt splendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus; sicut ollæ succensæ atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.* Poëtæ huiusmodi descriptionibus vtuntur,
d 7. Metamorphos. vt Ouidius[d] de tauris agens;

Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
Æripedes tauri, tactaque vaporibus herbæ
Ardent, vtque solent primi resonare camini,
Aut vbi terrena silices fornace soluti
Concipiunt ignem liquidarum aspergine aquarum.
Pectora sic intus clausas voluentia flammas,
Gutturaque vsta sonant. ———

Item:

Fumificisque locum mugitibus impleuêre.

Dicuntur hæc poëticè sine dubio, atque figuratè. Sed quæ de ceto Iob dixit, siue balena, quodam modo sunt vera, & de nonnullis aliis
e lib.6. c. 27. & 61. etiã piscibus, quos lucernas, & dactylos Plinius[e] appellat, illis tribuens linguas igneas, quę per noctem exertæ reluceant, vel conchas splendentes in tenebris: de Nouergianis quoque balenis O-
f lib.21.c.5. laus[f] prodit, earum oculos noctu coruscare ingentium flammarum modo, procúlque visos à piscatoribus ignes grandes putari. Idem Auctor
g vers.2. noster capite secũdo[g] dixit de nobis ipsis, quòd *fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum, (ideo) cinis erit corpus nostrum.* Relege Commentarium illius loci, & quæ ad citatũ locũ Iob affert noster Pineda. Odorem porrò fumi Bonauentura, Olcot, Carthusianus accipiunt de tetra fœtidáque exhalatione, quæ inficiendo interficiat: Hugo de ingenti copia emissi spiritus, quæ excæcet. Physiteres, quasi dicas flatores, à φυσᾶν, quod hoc loco verbum ha-
h lib.15. sub finem. bemus, memorat Strabo[h] fluctum maximum & accumulatum, & caliginem reflationibus excitare, vt nauigantes quæ ante pedes sunt conspicere nequeant.

Horrendas ab oculis scintillas emittentes.] Græcè (ἀστράπτοντας, *fulgurantes, more fulgurum emittentes.*) Præter id quod modò dixi de lucidis quorundam animaliũ oculis & scintillantibus (vnde tamẽ opinio de visione per extramissionem nihil habet, vt
i Num. 21. q. 11. bene probat Abulensis[i]) constat noxios ex oculis quarundam mulierum, vt menstruatarum, & aliorum animalium spiritus emitti, vt basilisci, & lu-
k lib. 5. disquisit.magic. c.1.q.4. pi. Legatur quoque de his Delrius[k]. Dictum non-
l c.4.12. nihil suprà cùm de fascinatione[l].

Sed & aspectus per timorem occidere.] Horribilium formarum solus aspectus metũ, morbos, ac mortem interdum affert: cuius rei testes sunt Daniel, Ioannes, Pharao, Nabuchodonosor, Baltasar, tot alij visis ac spectris vel territi, vel malè affecti,
m lect.141. vel etiam extincti. Olcot[m] ad peccatorum genera varia varium bestiarum genus hactenus hîc positum transfert.

A *Vers.21.*] Sed & sine his vno spiritu poterant occidi persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.

POtetat Deus excitare nouas bestias, & in improbos incitare: nec id solùm, sed absque hoc, nisi se cohibuisset ipse, licebat ei per seipsum vnico potentiæ suæ flatu nutúque illos perdere, iustã exercendo vltionem. Sed iram moderatus est, non minùs in inferendis pœnæ malis, quàm in
B beneficiis conferendis, certa quadam ratione, atque proportione, & æquitate vtens.

Sed & sine his.] Iansenius refert nonnullos codices Græcos, in quibus sit (ἀλλὰ καὶ, *sed &.*) Hos videtur secutus Interpres. Quos vidi, habent (καὶ χωρὶς δὲ τούτων:) Latini Complutenses, ac Regij (*nam & sine his.*)

Vno spiritu.] Græcè (ἑνὶ πνεύματι.) Vulgò (*in vn soffio, ò fiato.*) Cantacuz. de vehementi vento ac violento, qui montes ipsos transferat, interpretatur: Latini de Dei vel indignatione, vel iussu: vel de vnico aliquo Angelo, qualis qui deleuit exercitum Sennacherib[a]. Hæc omnia nomen *Spiritus* significat, vt aliàs notaui. Sed vulgaris illa formula valet magis ad facilitatem denotandam, qua pu- a 4. Reg. 19. 35. Esa.37. 36.
C nire possit Deus; quod hîc videtur Auctor velle denotare. Fauet Cantacuzeno verbum πεσεῖν, quod sequitur.

Poterant occidi.] Græcè (πεσεῖν ἠδύναντο, *cadere poterant*) vel spiritu siue flatu venti concussi, vel aliter occisi. Nam & occidere, aut cadere dicitur qui moritur & interficitur. Vnde à cadendo *cadauer*, & Græcè πτῶμα. Impendentis à simplici Dei nutu nobis mortis consideratio perutilis, maximéque necessaria est ad timorem & venerationem Dei. Auertente illo faciem suam, turbantur omnia[b], & vel respiciendo terram, facit eam tremere[c]. b Ps.103.29. c ibid.32.

Persecutionem passi ab ipsis factis suis.] Græcè (ὑπὸ
D τῆς δίκης διωχθέντες, *à iudicio*, vel *pœna propulsati*, vel *impulsi, & agitati.*) Iansenius iudicium, Vatablus & Osorius pœnam, aut calamitatẽ exponunt. Significat δίκη iudicium, & pœnam, quæ Iudicis decernitur sententia contra reum; quem reum non Iudex persequitur, sed propria ipsiusmet demerita. Iniquitates nostræ diuidũt inter nos & Deum nostrum, & peccata nostra abscondunt faciem eius à nobis, ne exaudiat[d]: *vltio non sinit impium* d Esa.59.2.
viuere[e], ἡ δίκη ζῆν οὐκ εἴασεν. Peccatum statim in fo- e Act.28.4.
ribus adest agenti malè, vt cognoscat, & eius luat pœnam[f]. Augustinus[g] Donatistis querentibus se à Catholicis, cùm punirentur, persecutionem f Gen 4.7. g 2. cont lit. Petiliani.c.
E pati, respondet, quia ipsi iniustè se separauerint à communione orbis terrarum, non esse quòd mirentur, si non desint ministri Deo, per quos flagellentur; nec enim persecutionem pati à Catholicis, sed ab ipsis factis suis. 19.& habetur 23.q.4 c. qui peccat.

Dispersi.] Græcè (λικμηθέντες, *agitati tanquam ventilabro.*) Erat idem verbum priore versu. *Et dispergam eos*, ait Deus[h], *ventilabro in portis terræ; interfeci, & disperdidi populum meum: &*[i] *immittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt eam, & demolientur terram eius.* Sæpiùs vsurpatur à Prophetis, & in Psalmis hæc metaphora; quamuis interdum addito cornu. Ventilabri autem similitudine Ioannes Baptista vsus est[k]. Nec videtur aliter quàm in malã h Ierem.15.7. i infr.51.2. k Mat.3.12.

partem adhibere Scriptura has formulas. Hoc autem loco *dispergi* idem valet quod disperdi, & exterminari, & non tantùm per varia loca dissipari.

Per spiritum virtutis tuæ.] Per spiritum validum & vehementem, iuxta vnam ex allatis acceptionibus *spiritus*, quarum prima de vento congruit valdè verbo *dispergendi*,& præsertim Græco λικμᾶν. Facit huc satis sententia Iob [a]; *Quin potiùs vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo periisse, & spiritu iræ eius esse consumptos.*

a c.4.8.9.

Omnia in mensura,& numero,& pondere disposuisti.] Locus celeberrimus, & variè ab Interpretibus ac Patribus tractatus, quamuis de moderatione in pœnis ab Auctore propriè pronuncietur: quo etiam pacto Theodoretus, quem citat sequitúrque Anastasius [b] Nicenus, explicat, afferens alia testimonia & exempla; vt de calice in manu Domini [c]; de dilato supplicio Amorrhæorum, quòd nondum essent completæ iniquitates eorum [d]. Locum Psalmi hoc sensu intellexit Nazianzenus [e], & Isidorus [f]. Mensura pœnæ in Apocalypsi [g] est; *quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*: in Esaia [h]; *In mensura contra mensuram, cùm abiecta fuerit, iudicabis eã*: in Euangelio [i]; *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* De numero iterum in Apocalypsi [k]; *Duplicate duplicia secũdùm opera eius*: & in Esaia [l]; *suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Pondus iam positũ est superiùs [m]; *Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur*: & apud Esaiam [n]; *Ponam iudicium in pondere, & iustitiam in mensura.* Punire in mensura, est non plus quàm exigat culpæ quantitas: in numero, non plus quàm multiplicitas: in pondere, non plus quàm peccantis conditio siue qualitas. Hoc ex Bonauentura.

b qq.in Script.q.17.
c Psal.74.9.
d Gene.15.16.
e oratio. de grandine.
f lib. 2. epist. 172.
g c.18.7.
h c.27.8.
i Matt.7.2.
k c.18.6.
l c.40.2.
m c.6. ver. 7.
n c.28.17.

Augustinus [o] generalem propositionem sumit de conditione rerum omnium: & docet non esse quidem Deum ex genere eorum, quæ mensurantur, numerantur, appenduntur; neque mensuram, numerum, pondus, vt concipiũtur in rebus, priùs fuisse quàm crearentur res; tamen pro vt mensura est id, quod omni rei modum præfigit, numerus speciem præbet, pondus ad quietem, ac stabilitatem trahit, Deum dicit ista omnia esse, vtpote qui terminet, formet, ordinet omnia, & in seipso disponat, mensura sine mensura, numerus sine numero, pondus sine pondere. Itaque vel ait omnia disposita in mensura, numero, pondere, quia Deus inseipso, seu per seipsum illa disposuit: vel quoniam sic eadem disposuit, vt haberent mensuram, numerum, pondus.

o 4.de Gene. ad lit. c.3. & 4. & 5. & qq. Orosij c.39.

Quamuis antẽ videatur de rebus materialibus propriè loqui, quæ patiantur augmẽta & diminutiones, multitudinem & paucitatem, leuitatem & grauitatem: nihilominus in spiritualibus & incorruptibilibus eadem illa tria locum habent; in quibus & prouidentia Dei, quam hinc vniuersè Augustinus [p] probat. Auctor putatus Augustinus in libro quæstionum vnius & viginti [q] mensuram attribuit Patri, numerum Filio (est secunda persona) pondus Spiritui sancto, qui & amor dicitur. Bonauentura per mensuram sumit clementiam Spiritus sancti conseruantis: per numerum, sapientiam Filij ordinantis: per pondus, potentiam Patris operantis. Alius gerens eiusdem nomen Augustini in hypognost. [r] in mensura qualitatem, in numero quantitatem, in pondere

p 5. de Gen. ad lit. c.22.
q c.18.
r lib.6.c.4.

A rationem peræquatam agnoscit. Eodem referri potest, quod verus Augustinus [a] tradit, omne bonum creatum consistere in modo, specie, ordine. Nam B.Thomas [b] vult modum esse commensurationem effectus ad causam, habentis limitem ab illa: speciem, ipsam formam, siue causam formalem effectus: ordinem, perfectionem accidentalem, quatenus hæc ordine quodam ex forma sequitur. Multis ostendit Franciscus Vallesius [c], hunc tractans locum, quo pacto Deus condiderit omnia secundùm certam proportionem, ponens mensuras terræ [d]; librans fontes aquarum [e]; Digreditur maximè circa Pythagoreorum Philosophiam de numeris. Affert etiam ex Esdra [f]; *in* B *statera ponderauit seculum, & mensura mensurauit tempora, & numero numerauit tempora.* Item ex Daniele [g]; *mane, thecel, phares.* Citat quoque picturam Michaëlis cum gladio & statera. Bernardus [h] docet, Deum, sicut antè Augustinus, his tribus carere: pondus in rebus creatis designare dignitatem: mensuram esse locum & tempus, aut definitionem, seu limitationem essentiæ: numerũ spectari vel in compositione partium, vel in varietate & mutabilitate. Hugo Cardinalis hoc loco ex Rabano interpretatur de veritate, iudicio, iustitia: quoniam Deus rebus dedit verũ esse, distinctionem sine confusione, debitam cuique perfectionem. Olcot [i] limitatam perfectionem tam in es- C sentia, quàm in potentia: distantiã certam à Deo, quo modo numeri ab vnitate distant; sunt enim essentiæ sicut numeri [k]: naturalem appetitum ad id in quo natura perficitur. Moraliter hæc omnia idem auctor & fusè declarat. Metaphoram porrò sumpsit Auctor noster à negotiationibus, in quibus dati, acceptique ratio seruatur mensurando, numerando, ponderando.

a 4. de Gen. ad lit. c.3. lib. de natura boni c.3.
b 1.p.q.5. a.5.
c de sacra Philosophia. c.70.
d Iob.38.5.
e Prou.8.24.
f 4.lib.c.4. 36.37.
g c.5.25.
h serm.52 ex paruis.
i lect.142.
k 8.Metaphy. sec.text.10.

Vers. 22.] Multum enim valere, tibi soli supererat semper: & virtuti brachij tui quis resistet?

D Solus mensuram, numerum, pondus in pœnis potes imponere; nemo tibi, cùm sis omnipotens, nec valeat quisquam potentiæ tuæ resistere. Tot aliis locis, adeóque sæpe omnipotentia hæc Dei asseritur, vt superfluum sit afferre. Et vni quidem soli conuenire potest, quia si cui alteri, neuter in alterum exercere potentiam posset, nec impedire alterius efficientiam.

Multum valere.] Græcè (μεγάλως ἰσχύειν, *valdè posse, viribus pollere, magnas vires habere; magnificè fortem esse,*)

Supererat semper.] Complutenses, & Regij libri (*superat.*) Quo verbo significatur aliquando non E id quod vincit, sed quod superest & restat; quoniam id quod vincit aliud, eo deleto restat & adhuc est. Sic apud Marcum [l], & Ioannem [m] panis fragmenta superare dicũtur, id est, superesse, quæ vocantur Græcè τὰ περισσεύματα κλασμάτων, vel τὰ περισσεύσαντα κλάσματα: & apud Petrum [n]; *Hæc enim si vobiscum adsint, & superent,* πλεονάζοντα. Cicero diceret, de eo quod tibi superat, aliis gratificare. Sed hoc loco legimus Græcè πάρεστι, *adest.*

Virtuti brachij tui.] Græcè (κράτει βραχίονός σου, *robori, vel fortitudini brachij tui.*) Ἀνθρωποπαθῶς corporea membra tribuuntur Deo, brachium hîc, & alibi crebrò, quia robustissimum, & virtutem, atque gubernationem eius denotat, qua,

l c.8.8.
m c.6.12.
n 2.Epist.1.8.

inquit Caſſianus [a], ſuſtentat, moderatur, ac regit. Sed ad magis exprimendas Dei vires, dicitur brachium Dei excelſum [b], & extentum [c], & fortitudinis [d], & cum potentia [e], & Deus facere potentiam in brachio ſuo [f]. Vocatur quoque ſanctũ [g], & ſempiternum [h]; ac de Filio etiam Dei incarnato myſticè ſolet intelligi, quoniam humanitas eſt velut organum coniunctum Deitatis. Manauit hic vſus loquendi in vulgus, vt brachium ſeculare, aut Eccleſiaſticum dicatur pro poteſtate; & ſymbolum poteſtatis Regiæ eſt brachium cum manu.

a 8. de inſtit. renun. c. 4.
b Exod. 6. 6.
c Deut. 5. 15. c. 7. 19. 3. Reg. 8. 42.
d Eſai. 62. 8. Iob. 22. 8.
e Pſ. 88. 14.
f Luc. 1. 51.
g Pſal. 97. 1. Eſai. 52. 10.
h Deut. 33. 27.

Ad hunc modum Chriſtus etiam vt Deus appellatur brachium Dei Patris, quia Pater omnia per illum operatur [i]. Vt brachium à corpore, ſic Filius procedit à Patre: & quemadmodum digitus à brachio, ita à Patre per Filium, ab ipſóque etiã Filio, quibus eſt conſubſtantialis, Spiritus ſanctus. Suſtinentur omnia virtute huius brachij: hoc Pater brachium extendit ad peccatores, vt excipiat & amplexetur; & ad eorum ſanitatem venam illius incidit: punit præterea tum perſecutores cum ira, tum alios peccatores, vt erudiat: & quod adhuc extentum eſt, in Iudicio extremo ſummis viribus exeretur, ad reprobos perdẽdos.

i Ioan. 1. 3.

Pro Filio Dei brachium ſumit Hieronymus [k], Cyrillus [l], Tertullianus [m], Fulgentius [n], Auguſtinus [o], Gregorius [p], Eucherius [q], & alij, qui conueniunt in ea vna ratione de operatione Patris per Filium. Sed Gregorius exprimit præterea proceſſionem, vt Deum brachium habere, ſit operantem Filium gignere. Cyrillus autem loco in Ioan. citato non verus Cyrillus eſt, ſed Clictouæus, qui nonnullos in vero ſuppleuit libros: recitat enim, tacito licèt nomine, ipſiſſima verba Auguſtini. Quamquam idem verus Cyrillus [r], necnon Eucherius, brachia in numero plurali apud Eſaiam [f] (*brachia mea populos iudicabunt*) de Filio, & Spiritu ſancto, qui à Patre procedunt, intelligant.

k in c. 27. Ierem. & c. 51. Eſaiæ.
l ibid. in Eſa. & lib. 8. in Ioan. c. 20.
m cótr. Praxeam. c. 13.
n 3. ad Traſimundum. c. 39.
o tracta. 53. in Ioan.
p 32. moral. c. 5. vel 6.
q de formul. ſpirit. intelligentiæ.
r de eſſent. Diuinit.
ſ c. 51. 5.

Verſ. 23.] Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.

Rerum cunctarum ad Dei omnipotentiam infirmitas & exiguitas duplici præclaro exẽplo confirmatur & illuſtratur. Nam æquè omnia Dei leuiſſimo nutu regi ac dirigi, & commigrare, vt in lances omni ex parte, & accuratè, exactéque perfectas, & collibratas vel minimus ſcrupus atomúſve illapſus, alterutram commutat ad momenta ac deprimit: præterea tanta perdere Deum cuncta poſſe facilitate, quanta roris gutta matutina Sole corrumpitur exoriente, vel ab aliquo prætercũte excutitur, vel ab ipſa terra, in quã decidit, conſumitur. Similes comparationes habet Eſaias [t]; *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt*; videlicet, vt Hieronymus [u] & Ambroſius [x] obſeruant, comparatione creaturarum cœleſtium, quæ multæ ſunt, nempe Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Poteſtatum, Thronorum, Dominationum, millium, & decem millium, & innumerabilium millium. Maior exaggeratio Dauid [y]; *ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te*; &, *vniuerſa vanitas omnis homo viuẽs* [z].

t c. 40. 15.
u ibid.
x in Pſ. 1.
y Pſal. 38. 6.
z ibid.

Momentũ ſtateræ.] Græcè (ῥοπὴ ἐκ πλαστίγγων, *momentum ex lancibus.*) Gloſſa interlin. ſtateram exponit linguam: Hugo lingulam ſtateræ ipsũ quod hîc vocatur momentum ſtateræ, cuius, inquit, rectitudine indicatur æqualitas ponderum, & facillimè mouetur: quæ ſimilitudo indicat, vt ait Carthuſianus, continuam rerum à Deo dependentiam. Cantacuzenus affert illam aliam rationem, quam priùs diximus, de atomo, qui ſatis ſit ad lancem alteram deprimendam. Id vocat Bonauentura modicum, quo ſtatera huc aut illuc inclinatur: & ait dici momentum à mouendo. Innuit tamen etiam aliam expoſitionem de ſtateræ lingua, quæ facilè mouetur ad motum lancium. Arbitrium noſtrum cùm inter bonum & malum agitatur, in neutram partem pronum & præceps, ac velut æquipondium habens, Tertullianus [a] parœmiali ſermone ait mediæ aginæ (foramen eſt, in quo agitur, ſeu vertitur trutina, auctore Feſto, ſiue ſcapus, ac ſtylus eius) æquilibrato impetu ferri. Græcum vocabulum πλάστιγξ eſt lanx è iugo ſeu librili ſuſpenſa, cui pondus imponitur: ῥοπὴ, propenſio, deuergentia, inclinatio, nutus, momentum lancis ad imum vergentis. Ambroſius [b] admonet ſimul nos cognoſcere per hanc ſtateram omnia Deum cum iuſtitia condidiſſe, atque in nobis eſſe quiddam naturaliter, in quo iuſtitiæ videatur vel exiguum eſſe momentum.

a cont. Hermogen. c. 41.
b in Pſal. 1.

Gutta roris antelucani.] Græcè (ῥανὶς δρόσου ὀρθρινῆ, *gutta roris matutini.*) Poteſt Deus nullo negotio agere in omnia, vt prima denotat comparatio: nõ poteſt vllo modo quidquam pati à rebus aliis, quas etiam valet in nihil redigere, vt hæc docet ſimilitudo. Rorem lucis nominat Eſaias [c]. Oſeas [d] vtitur eodem exemplo roris manè pertranſeuntis. Magnifiebat ros apud Iudæos, quoniam raræ illis erant pluuiæ, & vix vllæ à Maio, ſiue Aprili, cuius vocatur pluuia temporanea, ad Octobrem, quando dicitur ſerotina: & nominatim eius vnius Iſaac meminit in benedictione ſua [e], non autem imbris, niuis, & ſimilium.

c c. 26. 19.
d c. 6. 4. c. 13. 3.
e Geneſ. 27. 28. 39.

Quæ deſcendit in terram.] Complutenſes, & Regij, atque alij codices (*qui*) quaſi referatur ad rorem. Græcum participium fœmininum κατελθοῦσα pertinet ad ῥανίδα eiuſdem generis, non ad δρόσον maſculini, ad guttam, non ad rorem.

Verſ. 24.] Sed miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.

Refertur omnis cauſa veniæ, vel mitioris pœnæ in Dei benignitatẽ, vt ſic ſimul eiuſdẽ potentia manifeſtior euadat, ſimul homines ad reſipiſcendum & pœnitendum prouocentur. His verbis Eccleſia inchoat Miſſam primam Quadrageſimæ.

Sed.] Alij (*&*) quidam (*ſed &.*) Græcè (ἐλεεῖς δὲ, *misereris autem.*)

Miſereris omnium.] Græcè (ἐλεεῖς πάντας.) De hominibus loquitur, & miſeriæ capax ſolũ eſt propriè creatura rationalis; quamuis quodam modo dicantur Dei miſerationes eſſe ſuper omnia opera eius [f]: quæ tamen ipſa opera intelliguntur de iis quæ Deus in nos exercet, quoniam opera miſerationum, vt exponit Hilarius [g], nobis magis vtilia ſunt & ſalutaria.

f Pſ. 144. 9.
g ibid.

Quia omnia potes.] Miſeretur enim qui ſe vlciſci poſſet, nec vlla re indiget, nec vllum ſe ſuperiorem agnoſcit, quia miſeria inferiorem conſtituit.

a vers.16. Sic est in capite sequenti [a]; *ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis*: & in Ecclesiastico [b]; *Secundum magnitudinem ipsius sic & misericordia illius cum ipso est*: & Dauid [c]; *tibi Domine potestas est, & misericordia*: quasi dicat, ideo ista, quia illa. Regia virtus clementia, & qui praeualet potentia, excellit quoque clementia, nisi abutatur potentia. Posse vlcisci satis est potenti. Legatur opus Senecae de clementia prae caeteris. Summa est, quòd

b c.2.23.
c Psal.61.12.13.

——cùm vincamur in omni
Munere, sola Deos aequat clementia nobis.

d orat. pro M. Marcello. Nota illa Caesaris laudatio apud Ciceronem [d], vt hac in parte non cum summis viris comparandus, sed simillimus Deo iudicandus videretur. [Nullum, ait Seneca [e], clementia ex omnibus magis, quàm Regem, aut Principem decet. Ita enim virtutes magnis viris decori gloriaeque sunt, si illis salutaris potentia est: pestifera vis est, valere ad nocendum.] Confirmat [f] apis regis exemplo, qui sine aculeo est; adde leonis ingenium, vt stratis parcat. Scriptura hoc nomine laudat Reges Israël [g], & Romanos [h]. De his inter alia tradit, quòd cùm essent potentes viribus, acquiescebant ad omnia, quae postulabantur ab eis. Ostendimus quodam loco superiùs ostendere maximè miserando potentiam suam Deum. Moses sic orans compellat Deum [i]. *Dominator Domine Deus, misericors & clemens*; priùs Dominatorem & Dominum vocat: imò pro (*misericors & clemens*) Hebraicè legimus אֵל רַחוּם *el rachum, fortis, misericors*. Dauid [k] quoque priùs fortem, deinde patientem vocat, אֵל *el*, & ἰσχυρὸν. Pertinet eodē Pauli [l] sententia; *volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae*. Appellatur impos sui, ac impotens, qui vt valeat potentia, non potest irae imperare, ac se cohibere. Deus caetera omnia, atque hoc ipsum potest, itavt nullus alius. *Melior* [m] *est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Fortem intelligit valentem robore, גִּבּוֹר *gibbor*, & ἰσχυρὸν: & pro *animo* est ὀργὴ, *ira*. Tractat illum locum Gregorius [n] egregiè. Quia verò irae videtur parere qui vindicat, propterea id facit Deus *tactus dolore cordis intrinsecus* [o], ac velut alienum opus à se, & peregrinum [p]; *neque ex corde suo humiliat, & abiicit filios hominum* [q]. Lege Hieronymum [r].

e 1.de clemēt. c.3.
f c.19.
g 3.Reg. 20. 31.
h 1.Machab. 8.
i Exod.34. 6.
k Psal.7.12.
l Rom.9.22.
m Pro.16.32.
n 3. p. Past. c. 10. & hom.35. in Euang. & hom. 18. in Ezech.
o Genes.6. 7.
p Esa.28 21.
q Thren.3.33.
r in Esai. & Thre.

Non posset alius praeter Deum omnipotentem tot ac tam graues iniurias tolerare. *Non faciam furorem irae meae*, inquit Deus [s], *non conuertar vt disperdam Ephraim, quoniam Deus ego, & non homo*: & paulo antè [t], quasi rem aggrederetur alienam à se, atque ab omnipotentia sua, ait; *Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est poenitudo mea, quoniam Deus ego, & non homo*: exponit Cyrillus [u], quia bonus, vt non concedam irae, vt non vincar ab ira; Hebraicè אֵל *el, fortis*, & Chaldaicè pro *homine* ponuntur *filij carnis*, בְּנֵי בִשְׂרָא *bene bisra, imbelles, & infirmi*. Ne quis tamen putet è contrario Deum facilè flecti & frangi, Samuel coarguens inobedientem Saülem, ait [x]; *Porrò triumphator in Israël non parcet, & poenitudine non flectetur: neque enim homo est, vt agat poenitentiam*. Tandem Deus misereri rectè dicitur, quia omnia potest, eo quòd cùm sit omnipotens, nihil reputat, vel dignum ducit ira sua; sicut quidam de quodam canit Poëta:

s Oseae 11.9.
t vers.8.
u ibid.
x 1.Reg. 15. 29.

——dignum te Caesaris ira
Nullus honor faciet.——

Dissimulas peccata hominum propter poenitentiam.] Graecè (παρορᾷς ἁμαρτήματα ἀνθρώπων εἰς μετάνοιαν, *dissimulas peccata hominum ad poenitentiam.*) Hugo [a] Aetherianus legit (*negligis poenam hominum.*) De hominibus peccatoribus loquitur, quia non datur malis Angelis locus poenitentiae, vt hoc loco notant Enarratores. Dissimulatio Dei est non punire vel aeterna poena simul atque quis eam meretur: vel etiam temporali, certè non quanta debetur. Propter poenitentiam, aut superuenientem, ita vt idcirco poena aeterna commutetur in temporalem, aut vt detur tempus poenitendi. Vtrumque sensum dant Hugo, Olcot [b], Lyranus, & Carthusianus: ac primi duo Rabanum citant pro priore. Bonauentura sequitur posteriorem, necnon Cantacuzenus, vt omittam Vatablum, Iansenium, Osorium, & Sà: fauéntque magis Graeca εἰς μετάνοιαν.

a de regressu animarū.c.9.
b lect.141.

Porrò sequitur, peccati mortalis remissionem esse singulare gratiae beneficium, quod confertur homini poenitentiam agenti, diuersum à poenitentia, hoc est, à gratia contritionis, siue dilectionis Dei super omnia, per quam disponitur ad ipsam remissionem suscipiendam. Hoc, inquam, quod verissimum est, & à S.Thoma [c], aliisque passim traditum, & fusè à Suarez [d] probatum, sequitur, si (*dissimulare*) hîc sumamus pro remittere, & (*propter poentientiam*) pro dispositione, atque pro causa quae moueat Deum ad remittendum. Quòd si alium teneamus sensum, fiet solùm vt intelligatur dilatio poenae, vt sit homini locus ad poenitendum, iuxta illud; *benignitas Dei ad poenitentiam te adducit* [e]: &, *expectat Dominus vt misereatur vestri* [f].

c 1.2.q.113.a. 8. 3.p.q.86. tota, maximè art.1.4.6.3.d. 19.q.1.art.1.
d 3.p.to 1.disp.4.sect.8.
e Rom.2.4.
f Esai 30. 18.

Praeterea colligi potest, sequendo praesertim secundum sensum, semper in hac vita haberi posse gratiam poenitentiae sufficientem ad remittenda peccata, quamlibet multa & grauia sint; licèt aliqui sint arbitrati cum esse posse cumulum, vt iam quis non valeat eam sufficientem poenitentiam agere, qua exeat à statu peccati, quia non detur ad hoc sufficiens gratia personae alicui particulari, quamuis alteri in aequalibus peccatis constitutae, vel etiam in maioribus, tribuatur, quoniam *cuius vult Deus miseretur, & quem vult indurat* [g]. Explicat, & refellit sententiam istam diligenter idem Suarez [h], demonstrans illam, quam nos hinc deducimus, éstque omnino melior, & tenenda. Similia sunt Esaiae & Pauli allata testimonia. Qui Paulus disertè loquitur de duro ac impoenitente corde, quod tamen Deus adducit ad poenitentiam. Laudat Petrus [i] eandem Pauli sententiam de tanta Dei longanimitate: aítque quòd *patienter agit Deus, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reuerti* [k]. Lege Commentarium nostrum in Petrum.

g Rom.9.18.
h 3 p. tom.4. disp.8.sect.2.
i 2.Epist.3.15.
k ibid 9.

Hoc, vt alia omittam argumenta, exigit tum Dei promissio non obscurè in Scripturis [l] expressa, & ipsius benignitati conueniens: tum ratio praesentis vitae, quae via est: quandiu autem quis in via est, perueniendi ad terminum facultatem habet, ita vt, quod ait Prosper [m], nemini Deus correctionis adimat viam, neque quemquam boni possibilitate spoliet: vel, vt docet Concilium Tridentinum [n], deserat, nisi priùs deseratur in hac vita. Obiici posset Esau, quem Paulus [o] negat *inuenisse poenitentiae locū, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*. Sed vel non verè serióq; poenituit, cogitās de fratris interfectione,

l Ezech. 18. 23.c.33.11. Ierem.3.1.3. 12. Esa. 49. 15. Mat.9.13.c.11. 28. 1.Tim.2. 4. Ioan. 1. 9. Apoc.3.20.
m ad obiectiones Vincent.resp.25.
n sess.6.c.14. & sess. tota 14.
o Heb.12.17.

solùm

solùm curans de damno temporali, inuidens felicitati fratris, vt ait Theodoretus [a]: vel potiùs non scribit Apostolus de pœnitentia Esau; verùm de Isaac, quem non potuit Esau ad pœnitentiam, siue ad retractationem benedictionis, quam impertierat Iacob, inducere, vt rectè Theophylactus notat [b].

Confirmantur autem hæc omnia ex capite sequente istius libri, vbi de perditissimis Ægyptiis, eorúmque obduratissimo duce sermo est, vel etiã de aliis nequissimis hostibus Hebræorũ. Ibi scribitur, Deum illos puniuisse, vt relicta malitia crederent in eum [c], dedisséque *locum pœnitentiæ* [d], *& tempus ac locum, per quæ possent mutari à malitia* [e], licèt his abusi sint; quemadmodum & is, de quo Iob [f], loco pœnitentiæ abusus est in superbiam, & de quo Paulus [g], vt thesaurizaret sibi iram Dei, propter duritiam & impœnitens cor.

S. Thomas [h] oppositam opinionem erroneam vocat, fortasse si vel cumulo & qualitate peccatorum obrui liberum arbitrium quis putaret: vel gratiam non habere tantam vim, vt per eam possit aliquis pœnitere: vel Deum decreuisse negare etiam sufficientem gratiam ad pœnitendum cuilibet ad certum numerum, aut qualitatem peccatorum peruenienti. Restaret alius modus, si id assereret indefinitè de hoc, aut illo tali peccatore, quamuis & æqualibus, & maioribus quoque peccatoribus pro sua benignitate ac beneplacito non deneget Deus dictam gratiam, imò & efficacem, ac etiam eximiam. Hoc modo minùs mala esset illa sententia; verumtamen nullo pacto ferenda. Censuræ verò modum Ecclesiæ permitto; nec mihi satis constat, an in vltimo isto sensu erroneam iudicauerit modestissimus censor B. Thomas [i].

Itaque dissimulat (παρορᾷ) Deus, & conniuet peccata nostra εἰς μετάνοιαν, vt ad pœnitentiam nos conferamus, quandiu viuimus, auertit faciem à peccatis nostris [k], non respicit, & tacet [l]: inclinat se in terram vultu prono [m], ita vt Ionas [n] fugeret officium prædicandi, minas veritus irritas Dei futuras, & ne mutando Deus sententiam, falsum Prophetam quodam modo redderet. [Quando istinc excessum fuerit, ait Cyprianus [o], tunc non erit locus pœnitẽtiæ: hîc vita aut amittitur, aut tenetur, neque quisquam aut peccatis retardatur, aut annis.] Est nunc tempus acceptabile, siue acceptum & placitum, diésque salutis [p]; quẽ Iurisconsultus [q] appellat ὡρισμένον, & vtilem, & legitimum diem, vt notat Budæus [r], quando nimirum datur dilatio ordinaria, & pro se agere licet, antequam dies ille veniat fatalis, dies sessionis, dies iustus, dies faciendi iudicati, vt etiam Iurisconsulti loquuntur [f]. Eadem ratio de quolibet peccato, quantumuis graui, & quod irremissibile dicatur; nec enim dũ viuitur est penitus irremissibile, sed remitti difficilè potest. Interim qui dũ viuit, spe veniæ peccat obtinẽdæ per pœnitentiã, malè quidem facit, sed quadam ex parte minùs, quàm non solùm qui veniã præsumit absque pœnitentiæ medio, sed etiã qui nihil prorsus de futura pœnitentia cogitans, peccatum committit. Nam prior ille cogitatione ac spe minùs affici ad malum videtur. Hoc sentit Magister [t], & B. Thomas [u] cum Scholiaste, atque Nauarrus [x], & alij.

Periculosa, & cauenda diligenter dilatio pœnitendi, vt adeò multi moneant Patres, maximè qui de pœnitentia siue compunctione cordis tractatus ediderunt, vt Augustinus, Chrysostomus,

a ibid.
b ibid.
c vers.2.
d vers.10.& 19.
e vers.20.
f c.24.13.
g Rom.2.5.
h suprà.
i 3.p.q.86.
k Psal.50.11.
l Abac.1.13.
m Ioan.8.6.9.
n Ionæ 1.
o lib.4.ep.2. & ad Demetrianum.
p Esa.49 8.2. Cor.6.2. Psal. 68.15.
q l.1.ff. de diuers.temp. præscrip.
r in forensib.
f Cuiac.2. obseruat. c.18. Duar.1.disp. c.16.
t 2. d.22.§. ex quo manifestum.
u 2.2.q.13 art. 2 ad 3.4. d.22. q.3.art.3.ad 3.
x in summa. c.6.n.3.

A Ephrem; præterea Gregorius [a], & Basilius [b], & ij quos citat Ioannes Lopez [c]. Nihil melius Augustino in Psalmum 102. dum explanat illa verba; *miserator, & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors*: item dum parabolã euoluit de operariis [d]. Volui ad verbum referre, tam est elegans, tam efficax: sed tempori pepeci. Vide quid de sua etiam ante conuersionem mora piè apud Deum queratur & confiteatur [e]. Sanè certè quod Ethnicus [f] vidit, vt minimùm tarditatem Deus grauitate supplicij compenset: nos autem differendo pœnitentiam Deum honore fraudamus, emolumento maximo priuamus nos ipsos, & ingenti damno afficimus, & pessimo exemplo alios lædimus.

B

Vers. 25.] Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorũ quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.

CAusa cur in pœnis Deus incedat lentè, nec illicò peccantes deleat, & cõmunis est, quoniam nullum operum suorum ipse odio prosequitur, vtpote qui ad omnia condenda solo sit amore impulsus: & propria, versu vltimo expressa, quia singulari quadam ratione animas hominésque amat, eximium planè opus inter alia omnia opera, quorum homo finis quodammodo. Prima ratio satis corroboratur ex Genesi [g], vbi C ad singulas penè res conditas adiicitur, Deum vidisse, quòd essent bonæ, ac demum postquam omnes condidisset, valdè bonæ [h]. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus* [i] summa libertate, atque bonum communicandi liberali voluntate.

Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus (sed nec opus immateriale:) *verùm insita summi*
Forma boni [k]. ———

Illud toties in Genesi repetitum (*vidit quòd esset bonum, &, vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*) innuit bonitatem causam fuisse, qua Deus cuncta condidit, vt obseruant Tertullianus [l], & Augustinus [m], Platonem citans, & Prosper [n]. Augustinus [o] autem adhuc explicat, vt placuerint D Deo iam facta, quæ placuerant in sapientia, vel in arte facienda. Plato [p] etiam addidit, Deum gaudio elatum vniuersitate mũdi perfecta, quem idem Augustinus eo quem dixit modo intelligendum putat. Qui præterea [q] docet placuisse, vt ea bonitate manerent, qua placuit, vt fierent. Transcripsit hoc Eucherius [r], Comestor [f], glossa ordinaria [t], Alensis [u], B. Thomas [x], & alij. Denique vidit Deus, vt placet Gregorio [y], & Hieronymo [z], & Ambrosio [a], & Iunilio [b], & Isidoro [c], & Theodoreto [d], quoniam fecit, vt nos ipsi videremus omnia creatoris opera esse bona, & vt talia approbaremus & laudaremus, non sperneremus, aut vituperaremus. Quamobrem aptè colligere Theologi solent, peccatum non esse positiuum ens. Nam diligit Deus omnia quæ sunt: E odit verò peccatũ & peccatores [e] propter peccatum: necnon quodam etiam pacto res nonnullas, pro vt iis homines ad peccandum abutuntur, & in malum conuertunt, vt calendas, & solemnitates [f].

Odisti.] Græcè (βδελύσσῃ, *abominaris, execraris, detestaris, auersaris vt fœtidum quid.*) Hieronymus [g] legit (*abiicis.*)

Constituisti, aut fecisti.] Græcè (κατεσκεύασας.)

a hom.11.& 13. in Ezech.
b hom. de baptismo.
c epitome ad concio. lib.4. c.4.
d serm.59. de verb. Domini.
e 8.confess. c.5.& 11.
f Val. Max.
g c.1.4.10.12. 18.21.25.
h ibid.31.
i Prou.16 4.
k Boët.3.de consolat.metro 9.
l 2.cont.Marcionem.c.4.
m 11.de ciuit. c.21.
n in sententiis.
o suprà, & 1. de Gen cont. Manich c 8.
p in Timæo.
q 1. de Genesi ad lit.c.8.
r in c.1.Genesis.
f in Gen.c.5.
t in Gen.c.1.
u p.2.q.49. memb.2.
x 1.p.q.74. art.3.
y 19.moral. c.5.
z epist.15.
a 1.hexam. c.5.
b in Genes.
c 1.de sum. bono.c 10.
d q.10.in Genes.
e Ps.5.7.Ps. 44 8.Sap.14. 9.Eccli.12.3. & alibi.
f Esa.1.14.
g in c.1.Epi. ad Ephes.

Vnicum verbum illo duplici reddere voluit Interpres, quod propriè significat *præparare, & ordinatè componere,* vt solent vasa. Aliqui codices non habent duo vltima, nec Augustinus [a] recitans præsentem locum, aut Hieronymus [b], qui etiam aliàs [c] legit tantùm *(condidisti.)*

a lib.1. qq.ad Simplicianu. q.2.
b in c.3. Threnorum.
c in c.1. Epist. ad Ephes.

Vers. 26.] Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?

EVidens argumentum, Deum nihil eorum quę fecerit odisse, quia nulla necessitate quidquā procreare cogebatur: nihil est quod Dei nō egeat adminiculo, vt vel ád momentū permanere possit. Vnde ducitur quoque ratio pro efficacia voluntatis primæ causæ, vt sine illa, ciúsque concursu & cooperatione nihil esse, vel operari possit: ipsa namque operatio dum fit, est; & idcirco etiā vt fiat, eget præsenti & actuali concursu Dei, vt aliàs [d] contra Durandum demonstratum est. Nec hinc tamen sequitur, non aliqua esse intrinsecus incorruptibilia, vt cœlos, Angelos, animas nostras; sed solùm vt ex nihilo hæc facta sunt, ita posse in nihilum redigi à solo ipsorum auctore Deo, *qui solus habet immortalitatem* [e] non solùm peccati, & mutabilitatis, & habita comparatione ad Reges mortales; sed etiam secundùm suum esse, quod habet à seipso. Lege de hac re tota Gabrielem Vazquez [f].

Quod à te vocatum non esset.] *Vocat Deus ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* [g], τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα, *non entia, quasi entia:* facit namque verbo Deus cuncta, & solo imperio, vt notant Chrysostomus [h] & Athanasius [i]. Augustinus verba illa Pauli paulo aliter alicubi [k] legit *(vocat ea quæ non sunt, tanquam sint)* id est, ita parent præcepto Dei quæ nō sunt, atque ipsamet cùm sunt. Nostræ autem lectionis sensus includit comparationem in æquali potestate Dei tam respectu corū quæ non sunt, quàm aliorum quæ sunt. Vtrumuis potest importare alia lectio, qua vtitur Hieronymus [l] *(qui vocauit ea quæ non erant, quasi ea quæ essent.)* Igitur vocare quæ non sunt, est efficere vt sint, ad eum ipsum modum, quo dicitur etiam Deus vocare famem [m]. Aliæ autem notiones huius verbi *vocandi* non sunt ad rem, pro eo quod est excitare peccatorem, & incitare ad iustificationem [n]: eligere ac prædestinare [o]: expressè ac distinctè cognoscere [p]. Vocatio item sumitur pro professione disciplinæ Christianæ, vel intra ipsam pro alia peculiari siue certo vitæ statu [q]. Sed & per ea quæ nō sunt intelligere possumus non modò quæ non existunt in rerum natura, sed præterea res nullius pretij & honoris [r]: sicut contrariæ significationis est id quod est, aut videtur aliquid esse [s].

d in Physicis.
e 1.Tim.6. 15.
f tom 2. in 1. p. disp 182.
g Rom.4.17.
h ibid.
i serm. de cruce, & pass.
k in Ps.104.
l in Ierem. lib.1. in c.1.
m 4. Reg 8.1. Ps.104.16.
n Rom.8.28. Prou.1.24. Esai.65.12. Iob 14.15.
o Rom.8.30. & 9.12.
p Psal.146.4. Baruch 3.35.
q Ephes.4.1.
r 1.Cor.1.28.
s c.13.3. Gal.2.2.

Vers. 27.] Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.

HÆc altera causa, quare toleret ac ferat Deus diutiùs peccatores, quia iure quodam peculiari, præter alias res, pertinent ad ipsum homines, & hominum pars nobilior magis, videlicet anima, vt idcirco φιλόψυχος, quod epithetum hoc loco est, appelletur, licèt cùm de aliis dicitur apud alios auctores, vitæ nimis cupidum studentémve significet, vt & φιλοψυχία huiusmodi amorem ac studium. Nec obstat quòd odio Deus habuisse dicatur Esau [a]. Nam B. Thomas [b], & Græci Expositores [c], atque Hieronymus [d] docent, Deum odio habuisse, quia præuidit peccata Esau, & reprobauit illum, quantum ad vltimum effectum punitionis æternæ: Caietanus, quoniā noluit dare gratiam efficacem; cui fauet omnino Augustinus [e]. Qui posterior dicendi modus paulo aptiùs congruit scribenti, cur Esau odio habuerit Deus, vel Iacob dilexerit, non fuisse propter eorum opera, sed æternum propositum voluntatis ipsius. Catharinus [f] reiectam ab Augustino [g] expositionem, quæ est etiā Hieronymi [h], amplectitur, loqui Apostolum, non de odio reprobationis, sed tantùm priuationis bonorū temporalium, hoc est, primogenituræ, & hæreditatis Isaac. Est quidem verum aliquando vsurpari *odij* nomen illo modo, & pro minore quadam beneuolentia, amorísve minoribus indiciis & effectis: tamē voluit Apostolus, vt & Malachias, nec Hieronymus negat, per hanc temporalem significare allegoricè spiritualem posteritatem, & quòd in hominū diuina electione non spectantur propria eorum merita, sed gratuita Dei voluntas. Voluit etiam hoc ipsum idem Paulus per semen Isaac comparati cum Ismaële, necnon cùm illud de eodem Iacob citat, *maior seruiet minori.* Legendi Pauli & Malachiæ Expositores, atque Genesis [i].

a Malach.1.3. Rom.9.13.
b in c.9. Epi. ad Rom. & 1. p.q.23.a.3.
c ibid.
d in c.1. Malach & c.5. Epi. ad Galat. & epist. ad Hedib. q.10.
e lib.1. qq.ad Simplicianū. q.2.
f in c.9. Epist. ad Rom.
g supra.
h in c.1. Malach.
i præsertim Pererius in c. 25. disp.6.

Igitur odium quo Esau odit Deus, fuit, vt ait B. Thomas [k], negare vitam æternam, quoniam diligere Dei est ei velle aliquod bonum. Sed quia multa alia bona illi voluit, nec quidquam est, cui non aliquod velit; idcirco & illū, & omnia censetur Deus diligere. Sic S. quoque Augustinus [l] prior docuerat, peccatorem, vt homo est, à Deo diligi, & secundùm omnia quæ in ipso fecit, cique tribuit: præterea quatenus ipsamet eius peccata destinat punitioni: vel refert ad iustitiæ suæ atque potentiæ declarationem: vel ad electorum vtilitatem: vel ad manifestationem misericordiæ suæ, illa sanando.

k 1.p.q.23. art.3. ad 1.
l supra, & tract. 110. in Ioan.

Intelligebat porrò vel ex traditione, vel etiā ex reuelatione Paulus quas afferebat historias Testamenti veteris aptas esse conficiendo instituto, atque à Deo ipso institutas velut figuras certas quorundam mysteriorum; ita vt licuerit ex illis ei rectè argumentari: quemadmodum cùm ex coniugio primorum parentum, verbísque Adam: [m] collegit coniunctionem Christi cum Ecclesia [n]: cùm petram, de qua sunt eductæ aquæ [o], de Christo exposuit [p]: cùm maris rubri transitum, & in eo mersionem Ægyptiorum [q], atque ductum columnæ nubis [r] de Baptismo nostro [s] interpretatus est. Denique vniuersè pronunciauit omnia populo illi contigisse in figura [t]; & legem vmbram habuisse futurorum bonorum, non ipsam imaginem [u], id est, veritatem rerum.

m Gen 2.23.
n Ephes.5.31.
o Nume.20. 10.
p 1.Cor.10.4.
q Exod.14. 21.
r Exo.13.21.
s 1 Cor.10.1. 2.
t ibid.6.
u Heb.10.1.

Argumentum validum ex sensu mystico ad res fidei probandas tunc ducitur, vt id obiter dicamus, quando constat ab Spiritu sancto sub specie ac figura historiæ intentū præsertim fuisse. Constat id verò quoties Canonici scriptores noui Testamenti quidpiam ex vetere vsurpant hoc modo, vt fecit Matthæus [x], Ioannes [y], Petrus [z]; imò Christus [a] ipse, præter Paulum, quem dixi. Certi quoque sumus eadem de re, quoties in ea conueniunt omnes ferè Patres ac Theologi, vt cùm casum Regis Babylonis [b] transferunt ad

x c.2.15.18.
y c.19.36.
z 1 Epist.3. 20.
a Matth.12. 40.
b Esa 14.10. & seq.

Luciferum:

[a Ezech. 28. 1. & seq.] [b infrà 32. 3. & seq.] Luciferum: vel ornamenta Regis Tyri [a], & Assur [b] de eadem, priusquàm caderet, intelligunt. Iudicandum eadem ratione de testimoniis eiusdem veteris Testamenti, si ab illis, aut ab istis ad confirmanda dogmata nostra proferantur. Alioqui verum est axioma, quòd à Dionysio Theologi acceptum approbant, sensum mysticum non esse argumentatiuum.

Parcis omnibus, quoniam tua sunt.] Illud est, inquit Cantacuzenus, optimæ procurationis, aliquibus rebus earum quas habemus, parcere, nec temerè ac sine fructu ipsas velle consumere. Ergo si apud nos, in quibus incontinentia & luxus viget, rationem aliquam in his rebus reperimus, quæ expediat, quãto magis omnium procurator, & qui omnia prouidet ac procurat Deus, etiam vt omnes crines nostros numeratos habeat [c], & res nostræ omnes, non modò vt omnino sint, sed vt rectè etiam sint constitutæ, perficiet? Illam capillorum enumerationem pro immensa Dei erga nos prouidentia, & ineffabili affectu Hieronymus [d] & Cyrillus [e] interpretantur.

[c Matth. 10. 30.] [d ibid.] [e 4. de adorat. in spirit.]

Quia verò genere neutro dicitur (*quoniam tua sunt*) *parcendi* verbum, quod propriè spectat ad culpas, pœnásque iis debitas quæ condonantur & relaxantur, extendi videtur longiùs ad alias res, in quibus nimirum punit quandoque homines Deus, dum hos illis priuat, aut illas etiam destruit, aut armat in vltionem eorum, ac veluti expendit & consumit occupando in tali opere. Significat quoque *parcere* non solùm ignoscere, sed cessare, desinere, abstinere ab aliquo, aliquid parum, vel omnino non tangere, vt conseruetur, seruare, non perdere, moderari. Exemplis ipse parco, adeò multa sunt. Inde parcitas, siue parsimonia, magnum, vt vocat Cicero [f], vectigal, qua cauetur ne quod dispendium vltra modum fiat, & res nostræ sine cuiusquam iniuria conseruentur.

[f in paradoxis.]

Argumentatur proinde auctor bene, parcere Deum hominibus cùm sit φιλόψυχος, & amator animarum humanarum, quoniam ipsius sunt omnia, nec decet patremfamilias potissimùm prodigere res pretiosiores. Conuicit eiusmodi ratione Ionam Deus, & velut prudens œconomus consumpsit viliorem hederam [g], vt hoc exemplo disceret Ionas, qui dolebat super arefactam hederam, in qua non laborauerat, meritò abstentum à consumptione tot hominum, quorũ natura adeò pretiosa & nobilis, atque iumentorũ, quæ pariter dignitate naturæ longè superant hederam.

[g Ionæ 4. 7. & seq.]

A *Qui amas animas.*] Iam dixi vocari nouo, ac nescio an in hac significatione ab aliis vsurpato epitheto Deum φιλόψυχον. Cantacuzenus exponit amatorem animæ ac vitæ nostræ. Rectè; nam maximè sermo est de Dei benignitate; atque moderatione in infligendis pœnis, ne scilicet exitium afferant, ne vitam auferant. Haud dubium quin animam ipsam rationalem multo diligat magis, quàm vitam quæ corpori tribuitur animæ præsentia. Quam vitam, & vt eam *anima* significamus nomine, etiam animam odisse debemus ac perdere propter Deum, vt sic in vitam æternam custodiamus [a] animæ substantiam. Hanc adamat Deus animam, cuius causâ homo fieri voluit, & B similem nostræ animam assumere, vt similitudine alliceret, & pretio meritorum suorum recuperaret.

[a Ioan. 12. 25]

Potest huc accommodari quod alio ex præcedentibus capite docuimus de alio cognomine Dei τοῦ φιλανθρώπου, cùm nusquam legatur appellatus φιλάγγελος. Amor hic distingui potest in naturalem, gratiæ, gloriæ, substantialem, quoniam confert naturam, & alia illa duo supernaturalia dona, & ad substantialem hypostaticam vnionem adiunxit animam simul cum corpore humano. Sed qui φιλάνθρωπος est, *amator totius hominis*, à principe parte meritò nominatur φιλόψυχος, *amator animæ*. Liberet accommodationis li- C centiâ Deum inducere verba vsurpantem Regis Sodomorum; *Da mihi animas, cætera tolle tibi* [b]. Specimen edidit flagitiosus alioqui Rex, iusti Regis, & suorum amãtis, vt sua bona omnia saluti postponeret ac libertati subditorum.

[b Gen 14. 21]

Animæ vocabulo hominem integrum significari, sicut & *carnis*, nemo nescit; attamen videtur cum delectatione Deus vocem illam vsurpare, inquiens, gestiendo quodammodo, & res suas chariores ostentando [c]; *Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ita & anima filij mea est.* Ipse ore proprio inspirauit animam [d]; ita vt inde ansam quidam, licèt malè, arripuerint existimandi portionem esse substantiæ Dei, vt Apocaritæ, & Brachi- D tæ, & Dicaritæ, omnes germina Manichæorum, & Faustus eiusdem sectæ, & Gnostici, & alij; vt videre est apud Prateolum, & hæreseologos. At nos hinc discimus, quanti nosmet facere debeamus, & in quanto pretio animas nostras tanto redemptas pretio habere [e], nec vllam commutationem pro illis dare [f]; sed omnium aliorum iacturam libenter pati, vt saluæ sint.

[c Ezech. 18.] [d Gen. 2. 7.] [e 1. Pet. 1. 18] [f Matth. 16. 26.]

SVMMARIVM.

VERSATVR caput hoc in eodem, in quo præcedens, argumento, vt ostendatur quanta Deus peccatores clementia, præsertim veteres terræ sanctæ incolas, corripuerit, cùm posset omnes perdere absolutus omnium Dominus. Vnde magna electis occasio data bene de Deo sperandi, & à peccatis, si quæ committant, resiliendi.

CAPVT XII.

1 O Quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus!

2 Ideóque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris: vt relicta malitia, credant in te Domine.

3 Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti;

A 4 Quoniam odibilia opera tibi faciebãt per medicamina,& sacrificia iniusta,

5 Et filiorum suorũ necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum,& deuoratores sanguinis à medio sacramento tuo,

6 Et auctores parentes animarũ inauxiliatarum perdere voluisti per manus parentum nostrorum,

7 Vt dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei,quę tibi omnium charior est terra.

B 8 Sed & his tanquam hominibus pepercisti,& misisti antecessores exercitus tui vespas,vt illos paulatim exterminarent.

9 Non quia impotens eras in bello subiicere impios iustis,aut bestiis sæuis,aut verbo duro simul exterminare:

10 Sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ,non ignorans,quoniã nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum,& quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.

C 11 Semen enim erat maledictũ ab initio:nec timens aliquem,veniam dabas peccatis illorum.

12 Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes,quas tu fecisti?

13 Non enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium.

D 14 Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirẽt de his quos perdidisti.

15 Cùm ergo sis iustus,iustè omnia disponis:ipsum quoque qui non debet puniri,condemnare,exterum æstimas à tua virtute.

16 Virtus enim tua iustitiæ initium est, & ob hoc quòd omnium Dominus es,omnibus te parcere facis.

17 Virtutem enim ostendis tu,qui non crederis esse in virtute consummatus, & horum qui te nesciunt,audaciam traducis.

E 18 Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas,& cum magna reuerentia disponis nos: subest enim tibi, cùm volueris, posse.

19 Docuisti autem populum tuum per talia opera,quoniam oportet iustum esse & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ.

20 Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti,cum tanta cruciasti attentione,dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia:

21 Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos,quorum parentibus iuramenta & conuentiones dedisti bonarum promissionum?

22 Cùm ergo das nobis disciplinã, inimicos nostros multipliciter flagellas,vt bonitatem tuam cogitemus iudicãtes:& cùm de nobis iudicatur, speremus misericordiã tuam.

23 Vnde & illis,qui in vita sua insensatè & iniustè vixerunt, per hæc,quæ coluerunt,dedisti summa tormenta.

24 Etenim in erroris via diutiùs errauerunt,Deos æstimantes hęc,quæ in animalibus sunt superuacua, infantium insensatorum more viuentes.

25 Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti.

26 Qui autem ludibriis & increpationibus non sunt correcti,dignum Dei iudicium experti sunt.

27 In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant Deos, in ipsis cùm exterminarentur videntes illum quem olim negabãt se nosse,verum Deum agnouerunt;propter quod & finis condemnationis eorum venit super illos.

Vers. 1.] O quàm bonus & suauis est Domine Spiritus tuus in omnibus!

COMMODVM & opportunum epiphonema, admirationem & laudem continens diuinæ benignitatis, post proximè pluribus verbis demõstratam vim & effecta ipsius. Sapienter Interpres notam suppleuit epiphonematis, sicut & initio capitis quarti, quæ Græcè desideratur; nec legunt non modò Græci, sed etiã Hieronymus [a]. Sed & sententia tota Græca discrepat aliquantulum (τὸ γὰρ ἄφθαρτόν σου πνεῦμά ἐστιν ἐν πᾶσι, *nam incorruptibilis Spiritus tuus est in omnibus.*) Quasi hæc sit ratio, vt Clario placet, cur extremo priore capite dicatur Deus amare animas, quia videlicet incorruptus Spiritus eius in illis est,imò & in omnibus,vt nõ possit non amare:atque,vt addit Osorius,propter sequentem versum,non corrigere in errorem lapsos;in quibus etiam cùm sit,& in reprobis ipsis, non inde polluitur, quoniam incorruptibilis est.

[a] in Epist. ad Galatas. c. 5. & in Lamen. 2. c. 3.

Videtur mihi idẽ noster Interpres in hac versione,quæ à verbis Græcis diuersa est (licèt Hieronymus, qui editionem Græcam sequitur alicubi [b], aliàs [c] quoque vtatur ista) sensum illum respexisse,de quo dicebam [d] verbis ipsis Dei,quòd quia ipse Deus est,& non homo,nempe vinci ab ira nescius, vel corrrumpi, benignitatem ac suauitatem conseruat quandiu vult,non corrumpendo res per se,earúmve corruptionem & perditionem intendendo, sed vtilem commodámque gubernationem.

[b] in c. 5. Epist. ad Galatas. [c] in c. 3. Lamentat. [d] c. præced. vers. 24.

Bonitas ista suauitásque Spiritus, vel Dei substantialiter,vel per attributionem tertiæ personę, celebratur sæpe in Scripturis sanctis, maximè vt peccatores attingit. *Dulcis & rectus Dominus*, ait

a Psal.24.8. Dauid [a], *propter hoc legem dabit delinquentibus in via*, vt redeant ad pœnitentiam. Suauis aliquoties appellatur Deus [b], & Spiritus eius super mel dulcis [c], dicitúrque magna multitudo dulcedinis eius [d]. (b Psal.33.9. Psal.144.9. c Eccli.24.27. d Psal.30.20.) Christus Apostolis seuerioribus negauit scire, cuius spiritus essent, nimirũ lenitatis, quam profitebatur ipse [e], quódque hi soli spirituales dici mereantur, qui alios instruunt in spiritu lenitatis [f], adhibitis debitis circumstantiis. (e Matth.11.29.30. Luc.9.55. f Gal.6.1.) Amica Spiritui sancto columba, symbolum est clementiæ. Clementiam animo retinens tranquilla conscientia est, sentítque testimonium Spiritus sancti in se, quòd sit filius Dei [g]. Methodius [h] quidem spiritum, de quo hîc sermo est, intelligit conscientiam, (g Rom.8.16. h in catena Iob.c.27.) quæ iuxta editionem Græcam vocatur incorrupta, quia verum dat aut innocentię, aut sceleris testimonium; quasi sensus præsentis loci esset, probè quemque scire dum punitur à Deo, hoc esse commeritum; illum enim id manifestum facere per spiritum conscientiæ incorruptum, cùm alia ex parte ipse omnibus bene velit, neminem oderit.

Itaque triplicem habere potest locus explicationem: de Spiritus diuini benignitate in puniendo præcipuè: de eodem res incorruptè gubernando, hoc est, conseruando & præseruando ne corrumpantur, aut etiam corruptas restaurando: de spiritu conscientiæ nostræ, quẽ dedit Deus, quæ conscientia non sinit nos de Deo vindice benigno peccatorum nostrorum sinisteriùs sentire, sed facit vt nosmet ipsos tanquam reos damnemus [i]. (i 1.Cor.11.31.)

Spiritus.] Hieronymus [k] docet nomẽ hoc absque additamento sanctum significare, quem ex dono Dei consequimur. (k in c.5.Epi. ad Gal.) Addere potuit tertiam personam Trinitatis. De his, & aliis vocis istius acceptionibus aliàs [l] egimus. Cæterùm Athanasius [m] legens *Spiritum incorruptum*, probat Spiritum sanctum esse Deum. Adnectit Petrum [n] *(in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus.)* (l Act.1. m ep.ad Serapionem. n 1.Ep.3.4) Sed Petrus per spiritum illum intelligit conscientiam, vt docent antecedentia & consequentia, necnon Interpretes, nósque ibi.

In omnibus.] In omnibus rebus, maximè in hominibus; tam in pœnis, quàm in præmiis. Olcot [o], & alij quidam legunt *(in nobis)* & ille de Iudæis explicat, quia *non fecit Deus taliter omni nationi* [p]. Mendosa lectio; nimis angusta explicatio. (o lect.145. p Ps.147.20.)

Vers. 2.] Ideóque eos qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te, Domine.

NOn habet difficultatem sententia; sed egent verba expositione, quæ lucem quoque afferet sententiæ.

Ideóque.] Vatablus *(per quem)* scilicet spiritum (δι' ὃ πνεῦμα.) At omnes ferè libri Græci habent (διὸ) quidam Latini *(propter quod:)* quod significari posset per (δι' ὃ) non referendo ad spiritum.

Eos qui exerrant.] Græcè (τοὺς παραπίπτοντας, *cadentes, labentes*) nempe in peccata. Nonnulli codices *(hos qui exeunt)* vel *(hos qui oberrant)* vel *(excitant)* vel *(exercuerant.)* Duo postrema sunt prorsus à sensu aliena, nisi fortassis eorum loco legas *(excidant)* aut *(exciderant)* aut *(exerrauerant.)* Hoc libro sæpe παραπίπτειν est peccare, ac delinquere, vt

A & παράπτωμα *delictum*, atque *peccatum*. Legendi Brugensis [a] ac Iansenius. (a in notis.)

Partibus.] Græcè (κατ' ὀλίγον.) Quidam *(à partibus)* vel *(ex parte)* vel *(partibus tuis)* vel *(partibus suis.)* Ponunt verò hic alij comma & distinctionem, ita vt simul iungantur *(eos qui exerrant partibus)* id est, qui errant ex partibus, siue extra limites à te, ô Deus, constitutos, aut ab iis qui sunt ipsis constituti. Plures nectũt cum sequenti verbo *(corripis)* hoc modo *(partibus, aut ex parte corripis.)* Sunt & qui legant *(patribus)* vt istis, hoc est, patrũ doctrinis, vt ait Hugo, corripiat illos Deus. At non est dubium quin legere debeamus *(partibus)* licèt eundem sensum faciat *(ex parte)* scilicet quòd sensim paulatímque corripit & punit Deus, B non totam simul effundens, seu non omnem accendens iram suam [b], leniter ac moderatè id facit, vt ad pœnitentiam inuitet. (b Ps.77.38.) Id sibi vult (κατ' ὀλίγον) quemadmodum versu decimo (κατὰ βραχύ.) vbi rursus Interpres vertit *(partibus indicans dabas locum pœnitentiæ.)* Vnde quamuis eadem verba (τοὺς παραπίπτοντας κατ' ὀλίγον ἐλέγχεις) patiantur hunc sensum, peccantes ex parte, id est, non adeò grauiter, corripis, nec destituis: tamẽ id Auctor nunc non vult; sed potiùs exaggerate benignitatem Dei, quæ non desæuiat etiam in grauiùs peccantes. Traditur ab omnibus iste sensus, declarantibus corripere partibus, esse corripere partialiter, & partialibus pœnis.

Sed id adhuc duobus intelligi modis potest; C aut vt aliqui duntaxat, non omnes peccatores puniantur etiam acerbè, nimirum vt non omnes de medio tollantur, sed nonnulli ad aliorũ exemplum: aut vt quicumque puniuntur, cum dicta moderatione puniantur, siue omnes, siue nonnulli, siue multi, siue pauci. Vtrumque ponit Bonauentura: primum, Carthusianus; secundum cæteri. [Quamuis interdũ plures simul corripiantur, ait Carthusianus; rarò tamen, aut nunquam iniquorum collectio, vniuersęve gentes, & nationes iniquæ. Diluuio perierunt omnes præter octo [c]: incendio habitatores infamium ciuitatũ cuncti [d], extractis tamen inde aduenis Lot cum vxore & filiabus: (c Genes.7.4. & seq. d Genes.19.24.25.) sed qui promissam incolebant terram nõ vno anno eiecti sunt, verùm paulatim, ne terra in D solitudinem redigeretur, & crescerent contra populum bestiæ, & vt Hebręus populus interim augeretur [e]. Quod fuit Hebræis magis vtile, quàm Gentibus illis.] (e Exod.23.29.30.)

Placet communior expositio, quam iuuat præter ea quæ priùs dicta sunt, sententia Eliu de Deo [f]; *nunc non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valdè.* Tale illud [g]; *Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos; & abundauit vt auerteret iram suam, & non accendit omnem iram suam.* (f Iob.35.15. g Ps.77.38.) Etsi (*non omnem*) pro (*nullam*) Hebræa phrasi possimus intelligere.

Corripis.] Græcè (ἐλέγχεις, *ita punis, vt conuincas*) ac veluti argumento demonstres peccasse, atque E punitionem eò referas, vt id puniri cognoscant. Nec perpetua tamen videtur hæc notio; vt cùm dicitur [h]; *corripuit pro eis Reges*, ἤλεγξεν, יוכח *iochach*: Reges enim illi deleti sunt, qui obstiterunt ingredientibus terrã promissionis [i]. Quamquam posset correptio illa, & verborum reprehensio, quam Hebræum verbum importat, necnon & verberum, accipi de ea quæ facta est Pharaoni propter Abræ vxorem [k], & Abimelech eandem ob causam [l], sicut & alter Pharao longè post ab Aaron & Mose correptus est [m]. *Beatus homo, qui*

(h Ps.104.14. i vt est lib. Num & Deuter. & Iosue, & Ps.134.10. & seq. & Ps.135.17. & seq. k Gen 12.17. l infrà 20.3. & seq. m Exod 5. & seq.)

corripitur

a Iob.5.17. corripitur à Deo [a]: & ; *Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium*
b Eccli. 20.4. *peccatum* [b]. Porrò apertus error est vt legatur *(corporis)* ita *(eos qui exerrant partibus corporis.)* Vtitur
c lect. 245. ea lectione Olcot [c].

De quibus peccant.] Græcè (*ἐν οἷς ἁμαρτάνει, in quibus peccant.*) Regij, & Complutenses (*ἁμαρτάνουσι, peccent*, vel *peccauerint.*)

Admones & alloqueris.] Græcè (*ὑπομιμνήσκων νουθετεῖς, in memoriam reuocando instituis, admones, castigas*, & *increpas.*) Lucifer [d] (*admonens alloqueris.*)
d de Regib. apost.
e c.3.18. Verbum (*alloqui*) docui suprà [e] lenitatem quandam aliquando significare.[Non est ergo in pœnis animus abiiciendus; verùm diligentissimè quçrendum, inquit Cantacuzenus, vnde nobis illæ contigerint, atque peccatorum procuranda correctio.] Extendunt Latini has admonitiones ad promissionem veniæ & præmiorum, ad minas malorum maiorum, ad inspirationes diuinas, & instinctus Angelorum, ad beneficia, miracula, doctrinam externam, exempla. Propriè de pœnis duntaxat est sermo. *Audiant aures nostræ* (mentis, non corporis tantùm, ita vt obediamus) *verbum post tergum monentis* (assiduè, sedulò, seriò.) *Hæc est*
f Esa.30.21. *via; ambulate in ea* [f].

Vt relicta malitia.] Græcè (*ἵνα ἀπαλλαγέντες τῆς κακίας, vt mutati à malitia.*) Meliùs reddidit Interpres. Quia de Gentilibus præsertim loquitur, absolutum *malitiæ* vocabulum potest intelligi de infidelitate, & idololatria, cum qua cætera vitiorum colluuio solet esse.

Credant in te.] Fidem formatam plures hîc significatam volunt: necnon ipse quoque volo; at non quòd credere in Deum semper eam vim habeat, vt crebrò monui. Bonauetura notat motum pœnitentiæ inter terminos à quo, & ad quem, à malo ad bonum, contrarium motui malitiæ à bono ad malum. Ratio motus indicatur clariùs participio illo Græco *ἀπαλλαγέντες*. Posset prætereà *credere* hîc sumi pro fidere & sperare, atque spem veniæ concipere pro peccatis, quæ Deus adeò leniter castiget. Cantacuzenus priorem sensum secutus, monet, fidem erga Deum synceram (audiant hæretici) non esse illum simpliciter confiteri, sed cum confessione, illius quoque seruare mandata.

Vers. 3.] Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti.

CHananæorum exemplo probat quanta Deus peccatores clemētia puniat; (sic) vt Ægyptios capite præcedente adduxerat in exemplū. Chananæorum gentes quidam septem, alij decem numerant; de qua re disseruimus ad caput 7. histo-
g vers.45. riæ Apostolicæ [g].

Illos antiquos.] Ad tempus id pertinet, non quia in peccati vetustate, quod Hugo vult, manerent. Nec pertinet pronomen (*illos*) ad emphasim, quia notabiles essent, vt idem ait. Græcè est (*τοὺς παλαιοὺς.*)

Terræ sanctæ.] Ierusalem sanctam cognominant sæpiùs diuinæ literæ, vt alibi obseruauimus, & montem Sion, & populum Israël. Eædem causæ sunt ferè cur tota promissa terra vocetur sancta: vel quia sanctis Patriarchis promissa, in qua & peregrinati sunt: vel quia populus illam sanctus eiectis impiis incoluit: vel quia viguit ibi cultus Dei tempore veteris Testamenti: vel quia Chri-

A stus sua illam præsentia, doctrina, miraculis, morte, resurrectione, Ecclesiæ fundatione erat illustraturus & sanctificaturus: vel quia typus domicilij Sanctorum in æterna felicitate. Non memini Palæstinam omnem nominatam terram sanctam, nisi iterum in libris Machabæorum [a]; aut, a lib.2.1.7.
si placet, in Psalmo, quando dicitur *facta Iudæa sanctificatio eius* [b]: quamuis & gens Iudæorum potest intelligi, & pars terræ promissæ Iudæa erat; b Psal.113.2.
quæ quandoque etiam sumitur pro tota illa.

Quos exhorruisti.] Græcè (*μισήσας, odio habens*, vel *cum odio habuisses*, vel *quia odio habuisti.*) Causa odij statim subiicitur.

B *Vers.* 4.] Quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina & sacrificia iniusta.

REcensentur crimina, propter quæ gentes illæ Chananæorum incurrerint odium Dei, & opera Deo inuisa.

Odibilia.] Græcè (*ἔχθιστα, maximè exosa, inimicissima, odiosissima.*)

Per medicamina.] Græcè (*ἔργα φαρμακειῶν, opera medicaminum*, seu *medicamentorum*) id est, veneficiorum: sicut in capite primo [c] *φάρμακον ὀλέθρου, medicamentum exterminij* appellabatur venenum. c vers.14.
Nonius Marcellus docet, vt *venenum* aliquando
C in bonam sumitur partem, ita *medicamentum* in malā; & *de veneni* significato duplici Caius Iurisconsultus [d] monet. Venenarium Græci nominăt d de verb. significat.
φαρμακὸν, φαρμακέα, φαρμακοντὴν, & vsurpăt etiam pro quouis magiæ professore *συνωνύμως* cū illo qui dicitur *ἐπαοιδὸς, incantator, μάντις, ariolus*, aut *diuinus, γόης, præstigiator.* Latini quoque *venenariorum* & *veneficorum* vocabulum, quod propriè significat eos qui lædunt malis pharmacis, transtulerunt ad alias malas artes. LXX. Interpretes pro præstigiatoribus dixerunt simul *φαρμακοὺς καὶ ἐπαοιδοὺς* [e], e Exod.7.11.
quos Latinus vnica voce maleficos appellat; & quas incantationes dicit, illi *φαρμακείας*: & quod malis artibus inseruire, iidem *φαρμακεύεσθαι*. Posset idem ostendi testimoniis Platonis, Herodoti, Sy-
D nesij, Chrysostomi, & aliorum, constátque id ex Hesychij Lexico, & ex Philone, cùm disputat de specialibus legibus. Hoc loco generalior videtur notio; & Lyranus extendit ad sortilegia & auguria, necnon Cantacuzenus, Hugo, Olcot, & Carthusianus, ex quibus vltimi duo nominis *medicaminū* rationem dăt, quia talibus artibus sibi, & aliis medebătur. Demonstrat Delrius [f] noster accuratè, non modò naturali veneno qui hăc factitant artem nocere, sed etiam à dæmonibus comparato. Cham (quem ferunt eundem cum Zoroastre) creditur à Gigătibus ante diluuium imbutus magia, hanc posteros suos docuisse [g]. Hu- f lib.3.disquisit. magic. p.1.q.4.sect.1.
ius filius Chanaan appellationem Chananæis de- g Cassa.coll.8. c.21. histo. Schol.inGen. c.39.
E dit [h], qui propter impuram in patrem Noë auctoris sui Cham ingratitudinem diuina maledi- h Gen.10.
ctione percussi sunt [i]. Scilicet turpis omnis magorum natio; & perantiqua magiæ, maleficij, veneficijque inuentio ante Hecatem, Circem, Medeam, de quibus auctores profani [k]. De hoc argumento is quem citaui Delrius; præterea Pererius in proprio opere, & alij non pauci. i Gene.9. k Diodo Siculus lib.5. c.4.

Origo magiæ in genere meritò refertur in diabolum à Lactantio [l], & Cypriano [m], necnon à Porphyrio [n], & ab Aristotele [o] ipso: at auctoritatem ipsi primùm medicina fecit, ac specie illa l 2.institut. c.14. m de idolorū vanitate. n apud Eusebium l.5. de præpar. c.7. o apud Laërtium. lib.1.

salutari

salutari irrepsit, Plinio [a] teste. Herbas venenatas ab initio mundi negant fuisse, atque post peccatum dútaxat natas Iunilius & Beda in caput primum Genes. Augustinus [b], Rupertus [c], Alensis [d]. Verumtamen probabilius multo naturalia venena, vt helleborum, cicutam, similia cum reliquis creata rebus, vt sentit Basilius [e], Ambrosius [f], Augustinus [g], aliique multi, qui de spinis ac tribulis, & similibus huius generis aliis rebus idem docent; licet hominum postea peruersitas edocta etiam sine dubio à diabolo, plurima confecerit ex arte. Legendus Hieronymus [h] Vielmius, qui probat de herbis venenatis, vt & de animalibus, & Matthiolus [i], & Cœlius [k] Rhodiginus, & Petrus de Apono [l], qui de perniciosis istis inuentionibus. Compertum est, lethales per se sumptas herbas arte medica temperari ad sanitatem conferendum, & quæ noxiæ nobis sunt, aliis animalibus salubres esse, vt Patres obseruant citati, prætérque illos Theodoretus, Procopius, Eucherius in Genesim, & Prosper carmine de prouidentia, dicens;

Quidquid in arboribus, quidquid variatur in herbis,
In laudem auctoris certis subsistere causis:
At quæ sola nocent, eadem collata mederi.

Sacrificia iniusta.] Quibus læderetur honor Dei, sicut per medicamina, de quibus actum est, proximus peculiari quadam ratione. Vocantur τελεταὶ ἄνομοι, *sacrificia iniusta*, quæ falsis fiunt Diis, cùm vni ac vero debeantur ex iustitia. Significat quoque idem epithetum sacrificia nó sancta, profana, impia. Quód indicat pium esse posse sacrificij vsum, & non tantùm permissum, vt hîc subnotat Bonauentura; de qua re aliàs. Sunt etiam τελεταὶ initiationes, vel sacra, quibus aut quis initiatus sit, aut alios quoque initiet. Lucifer vertit (*sacramenta*.)

Vers. 5.] Et filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis à medio sacramento tuo;

Vers. 6.] Et auctores parentes animarũ inauxiliatarum perdere voluisti per manus parentum nostrorum.

HÆc alia crimina propter quæ Chananæos perdere voluit Deus armis populi Hebræi. Cædebant proprios filios, eorum vescebãtur visceribus; sanguinem sorbebant indigni paterno nomine, qui sic tractarent illos omni destitutos auxilio.

Filiorum suorum necatores sine misericordia.] Sacrificij genus hoc erat, vt sentiunt Cãtacuzenus, Bonauentura, Carthusianus, Olcot [m]. Glossa interlinearis negat hoc legi in diuinis literis. Qua de causa Hugo & Lyranus putant esse figuratam locutionem, vt cùm prædo, vel auarus dicitur comedere carnes, & bibere sanguinem humanum: & in Psalmo [n]; *dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas*, id est, ferarum more persequãtur, vel detrahant: item [o]; *comederunt Iacob*, id est, perdiderunt, consumpserunt: præterea, *zelus* [p] *domus tuæ comedit me*, id est, confecit, absorpsit: & in Iob [q]; *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* item [r]; *quis det de carnibus eius, vt saturemur?* & in Michæa [s]; *qui comederunt carnem populi mei.* Item apud Paulum; *Quòd si inuicem mordetis, videte ne ab inuicem consumamini* [a].

A

Priori sententiæ fauet, quòd hîc mentio fit de sacrificiis iniustis & execrandis. Deinde, quòd Hebræi ipsi reprehenduntur, quia more Gentiũ, quibus miscuerant sese, immolarent filios suos & filias suas dæmoniis, & effunderent sanguinem innocẽtem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificabãt sculptilibus Chanaan; ita vt inficeretur terra in sanguinibus, & cõtaminaretur in operibus eorum. Sunt hæc omnia in Psalmo 105. [b] Lege quæ diximus in Act. Apostolorum [c], cùm ageremus de Chananæorũ idolo Moloch. Constat vetitum Hebræis, ne de semine suo, hoc est, de liberis darent, vt consecrarentur idolo Moloch [d], scilicet per ignẽ: & de Hebræis cõquestum Deum apud Ieremiam [e], quòd in excelsis Baalim comburerẽt filios suos igni, in holocaustum; *quæ*, inquit, *non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Narrantur id quoque fecisse Achaz [f] & Manasses [g]. Quãuis de istis possumus intelligere nó mactasse filios, sed ritu solũ sacrilego transtulisse per ignem: quo pacto Tartaros prodit Abul. [h] nullum externũ ad Imperatorẽ suum admittere, nisi priùs trãsierit inter duos ignes, & ita se purgauerit. Attamen Iosephus [i] testis est Achaz filium obtulisse in holocaustũ Diis Chananæorum. Sed & in profanis historiis est, sacrificatos homines Diis, præsertim iis qui vocantur inferi Dij, quorúmque dicebantur tristia sacrificia, in quibus victima erat humana [k]. Prodit Plinius [l] Senatuscõsulto cautum esse, ne immolaretur homo. Qui id verò faciebant Gentiles, saltẽ aliqui, simul tales carnes vorabant aliquando. Quod quãuis alibi de Chananæis nó legamus in Scriptura, tamẽ credendũ id fecisse, cùm hîc adeò disertè prodatur. Nam & de plagis, v.g. Ægypti nonnulla sunt in Psalmis, quæ desunt in Exodo.

B

C

Videntur autem exemplo non tantùm malo Chananæi Hebræis esse potuisse, aliive Gentiles, apud quos celebratur Iphigeniæ mactatio: filiæ Agamemnonis: filiarũ Erichtei Attici: filij Creõtis; sed etiam bono Abraham & Iephte. Nam prior aggressus est sacrificare filiũ, & perfecisset, ni Deus qui præceperat, progressũ inhibuisset [m]: posterior deuotã Deo filiã reipsa immolauit. [n] De Abrahã nihil est quod respõdeatur; quia bene fit, quod Deo fit auctore. Iephte nonnulli vel nó excusant, vel animum duntaxat, & ignorantiam, nó factum: vel iussionem hac in re quoque Dei fuisse dicunt: vel negant filiam mactauisse, quia non erat res, quę cadere sub votum sacrificij posset, sed tantùm diuino cultui dedicari, sicut & Anna Samuëlem dedicauit [o]. De Iephte præ aliis legantur Azor [p] noster & Ribera [q]. Potiùs credo dæmonas talem exigendi cultum occasionem ex huiusmodi exemplis, saltem ex Abraham, sumpsisse.

D

E

Comestores viscerum hominum.] Græcè (σπλαγχνοφάγους ἀνθρωπίνων σαρκῶν θοῖναν, *comestores viscerum humanarum carnium conuiuium.*) Potest videri conuiuium hoc, & epulum sacrum, quod fiebat de filiis, non per ignem, sed per gladium. [Non satis æstimari potest, ait Plinius [r], quantum Romanis debeatur, qui sustulêre monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum, mandi verò etiam saluberrimum.] Fortassis intelligit quoque Auctor de conuiuio profano, quale celebratur ab anthropophagis, & olim à variis Gentibus, quas enumerat cum Alexandro [s] Neapolitano Tiraquellus, quæ nec parentibus parcerent.

a lib. 31. c. 1.
b 1. de Genesi contra Manichæ. c. 25.
c 1. in Genes. c. 17.
d p. 2. q. 51. m. 3.
e ho. 5. hexa.
f 3. hexa. c. 9.
g 3. Gene. ad lit. c. 18. lib. 65. quæst. q. 18.
h lect. 16. de opere sex dierum.
i in lib. 6. Dioscoridis.
k lib. 23. c. 10.
l lib. de venenis.
m lect. 146.
n Psal. 26. 2.
o Psal. 78. 7.
p Ps. 68. 10. Ioan. 2. 17.
q c. 19. 22
r Iob. 31. 31.
s c. 3. 3.

a Gal. 5. 15.
b vers. 35. & seqq.
c c. 7. 43.
d Leuit. 18. 21 c. 20. 2.
e c. 19. 5. c. 32. 35.
f 4. Reg. 16. 3 2. Paral. 28. 3
g 4. Reg. 21. 6
h 4. Reg. 16. q. 3.
i 9. Antiq.
k ex plurimis auctoribus Delrius in Troadem Senec. versu 297. Genebrar. in Psal mũ 105; versu 37. potissimũ Clemẽt. Alex. Tertulliano, Eusebio: itẽ Prad us in Ezechiel. 20. vers. 26. Alex. ab Alex. cum Tiraquello. lib. 6 c. 26.
l lib. 30. c. 1.
m Gen. 22.
n Iud. 11. 30. & seq.
o 1. Reg. 1.
p lib. 11. institut. moral. c. 34 q. 2.
q in Epist. ad Heb. c. 11 n. 89.
r lib. 30 c. 1.
s lib. 3. c. 2.

Meminit etiam Tertullianus [a], Hieronymus [b], Eusebius [c], Chrysostomus [d]. Taceo de strygibus, & magis nostri quoque temporis, qui pueros maximè adhibent ad sacrificia, corúmque sanguinē lambunt, & carnes vorant, ita vt in Glossario vetere cognominentur λαιστρύγονες, à Leystrgonibus Homeri [e] anthropophagis: quod cùm olim factitarent Euchetæ, & Gnostici, ea etiam in Catholicos ab Ethnicis deriuata calumnia est, vt apologiarum pro Christianis meminerunt scriptores.

Cæterùm per viscera non tantùm exta, sed caro etiam ipsa intelligi potest; quemadmodum & à veteribus carnis crudæ distributio appellabatur visceratio fieri solita solemnioribus festis, aut in excellentis funere personæ; περίδειπνον hoc genus conuiuij nominabant, vel cum addito, τῶν νεκρῶν, vel δαῖτα ἐπιτάφιον, vel τάφον ἐπιδόρπιον, quia cœna illa fiebat sub vesperam. Nominatim Liuius [f] meminit de illa, quæ in funere matris data est à M. Flauio. Tale quod Poëta [g] cecinit;

Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Ibi Seruius [h] viscera docet esse carnes, & quidquid est inter ossa & cutem. Vnde & in extis pro parte totum concipi debet. Idem sibi vult apud eundem Virgilium [i] viscera nudare. Scripsit quoque Lucretius [k],

———de pauxillis atque minutis
Visceribus viscus gigni, sanguémque creari.

Nec aliter intelligendum apud Suetonium [l], viscus & farra à foco rapi: & apud Arnobium [m], viscus aris tradi, commaculari viscera [n]: apud Solinum [o], magnitudine aurium viscera reliqua contegi; inscribi notis viscera. Viscerationis præterea facit mentionem cum eodem Suetonio [p] Seneca [q], iungens epulo. Alioqui pro extis intestinísve sumpta viscera conuiuantes in pretio constat habuisse [r].

Et deuoratores sanguinis.] Sixtiani codices Græci legunt (θοίναν καὶ αἵματος) alij (καὶ θοίναν αἵματος.) Iuxta priorem lectionem subscribendum esset comma nomini θοίναν. Ac sensus vtrolibet modo idē, Deū cœnam odisse, vel epulum, & conuiuium, in quo humanæ carnes vorarentur, & sanguis, videlicet etiam humanus, licèt cuiusuis quoque animalis Hebræis esset interdictus, vt aliàs [s] docuimus. Est θοίνα id quod dixi, aut simpliciter τροφὴ, *cibus*, & *dapes*: &, si credimus etymologis, ita dicitur, ὅτι διὰ Θεὸν οἰνοῦσθαι δεῖ, καὶ Θεοῦ ἕνεκα, *quòd non nisi propter Deum, Deique gratiâ vinum sumendum sit*; quæ est itē Pauli de cibo potúque admonitio [t]. Itali cœnationem appellant (*il tinello.*) Hęc à Chananæis quo pacto facta sint, vt immolatorum filiorum carnes, ac sanguinem gustarent, licèt alibi Scripturæ non prodant, priùs docui. Congruit proposito epiphonema Ouidianum [u]:

Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi,
Congestóque auidum pinguescere corpore corpus!

A medio sacramento tuo.] Nimirum quod sequitur (*perdere voluisti*) vt quidem volunt Expositores vetustiores Latini. Quem etiam ordinem Complutenses, Regij, multíque alij seruant libri, hoc modo (*& deuoratores sanguinis, & auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti à medio sacramento tuo.*) Græcè (ἐκ μέσου μυσταθείας σου.) Latina editio è Græca LXX. emendata, cum mendo, vt opinor, typographico legit (*suo.*) Perdere à medio sacramento Dei exponunt vetustiores iidem Latini à terra, quam Chananæi habitabant; quæ sacra erat eo modo, quo sanctam priùs vocari di-

a 1. contra Marcio. c. 1.
b 2. cont. Iouin.
c 1. de præpa/rat. c. 3.
d hom. 10. in Matth.
e Odyss. x.
f lib. 8.
g 6. Aeneid.
h ibid. & in lib. 1.
i 1. Aeneid.
k lib. 1.
l Sueto. in Vitell. c. 13.
m lib. 7.
n lib. 2.
o c. 22. & 25.
p in Cæsare. c. 18.
q ep. 19. 73.
r Athen. lib. 3.
s Act. 15.
t 1. Cor. 10. 31.
u 15. Metamorphos.

A ximus: tum verò, vt ait Hugo, quia rei sacræ, id est, terræ viuentium signum; adde Ecclesiam cum Olcot [a]. In nomine autem (*medij*) Lyranus vult innui fuisse in medio climate terræ habitabilis, vt hoc sensu dicatur Christus operatus salutem in medio terræ [b].

Præter dictam lectionem Græcam, quam ex Sixtianis codicibus retuli, Lucas Brugensis alias ponit. Prima est (θοίναν καὶ αἵματος ἐκ μύσους μύστας τε θιασμοῦ, *conuiuium* siue *cibum* (ἀνθρωπίνων σαρκῶν, *humanarum carnium*) *& sanguinis ex odio* (quod significat non tantùm μῖσος, sed etiam μύσος) siue *ex fastidio, & scelere* (quia abominabilis cibus erat generans nauseam, necnon sceleratus) *& mystas,* B siue *Sacerdotes diuini furoris, & fanaticos.*) Secunda differt à priore in vltimo vocabulo, quod est θιάσου, iuxta quam vocantur Sacerdotes in casu obliquo mystæ, seu Sacerdotes thiasi. Thiasus verò est aut conuiuium in alicuius Dei honorem celebratum: aut saltatio, & pompa Deo exhibita, propriè Baccho: aut bacchantium cœtus, reíve diuinæ vacantium, quem Clemens [c] Alexandrinus thiasum vocat insanum: aut thyrsus Bacchicus, quasi θίασος deducatur ἀπὸ τοῦ θεῖα ᾄσαι, *diuina cantare*, vel ἀπὸ τοῦ θέειν, quod est *currere*; vnde θιάσαι idem quod χορεῦσαι, *choros ducere, tripudiare*: vel perinde ac si dicas σίασος, παρὰ τοὺς σιοὺς τοὺς θεοὺς, Doricè, quòd sit colentium Deos cœtus. C Hinc Poëta [d];

Daphnis & Armenias curru subiungere tigres
Instituit: Daphnis thiasos inducere Baccho.

hoc est, turbas hominum Bacchicas choreas agitantium. Item [e]:

Insultant thiasis (neque enim leue nomen Amatæ)
Vndique collecti coëunt.———

Est præterea θίασος conuiuantium cœtus, aut cōuiuium ipsum, etiā sacrum. Has omnes notiones explicat, & illustrat testimoniis auctor Græci Thesauri. Tertia isti similis est Cantacuzeni (ἐκ μέσου μύστας θιάσου, *ex medio initiatos thiaso*) quod accipit de Sacerdotibus & immolatoribus huiuscemodi chori homicidarum, qui res illas nefarias prædictas agerent. Quarta codicum Complutē- D sium, & Regiorum (καὶ θοίναν αἵματος ἐκ μέσου μύστας θείας σου, *& dapem sanguinis à medio Sacerdotes diuinæ tuæ*) scilicet dapis. Quinta est Aldina (ἐκ μύσου μύστας τε θείας σου) ita vt τε coniungat μύστας cum sequenti, καὶ αὐθέντας.

Iansenius vltimam hanc lectionem Græcam maximè probat: sed vult in vnam dictionem coalescere ἐκ & μύσου, vt sit ἐκμύσου, pro vt in Aldina impressione legi potest, & referri ad αἵματος, & suppleri participium significans *deuoratores*, id est, deuoratores sanguinis abominandi aut scelesti: præterea μύστας significare *occultatores, & suppresso-* E *res*, à μύω, *occulto*: θείας σου, *cultus tui*. Vt efficiatur hic sensus, quòd illi inhabitatores antiqui terræ sanctæ Chananæi abominanda illa patrādo quæ memorata sunt, vt vorando viscera humana & sanguinem, fuerunt μύσται θείας σου, *mystæ*, hoc est, *occultatores, & suppressores cultus tui*, quem acceperāt à Patribus, qui olim vero cultu verum Deū coluerant. Aliter item Iansenius exponit, si ἐκμύσου non cū αἵματος iungatur, sed cum sequētibus, & μύστας accipiamus in tritiori significatione pro Sacerdotibus, & pro θείας σου legamus θιασμοῦ, & sic nectantur ista (μύστας ἐκμύσου θιασμοῦ, *Sacerdotes abominandi conuiuij, aut scelestæ epulationis, & diuinationis*:) quia θιασμὸν in hac significatione Va-

a lect. 146.
b Psal. 73. 12.
c orat. protrept.
d Virg. eclog. 5.
e Aeneid. 7.

rini Lexicon posuit, vt sit idem quod εὐωχία, *conuiuium publicum*, quale celebrabatur in Deorum sacrificiis, dum idolothyta comederentur. Quamquam illud de voratione viscerum humanorum, & sanguinis metaphoricè dictum velit, eo modo quem de vetustioribus Enarratoribus Latinis latiùs antea retuli.

Vatablus vtens hac lectione (καὶ θοίναν αἵματος ἐκ μέσου, μύστας τεθιασμοῦ) & nectens sequentib. (καὶ αὐθέντας φονεῖς, pro (γονεῖς) ψυχῶν ἀβοηθήτων) vertit (*cúmque dapes cruentas ex scelere, Sacerdotésq; fanaticos, cum cædis animarum miserarum auctoribus per manus maiorum nostrorum delere decreuisses.*) Hieronymus Osorius per paraphrasim ad hunc modum declarat: mystæque ex medio sanguine, quem fuderant (legit nimirum ἐκ μέσου) funestum epulum, vt numen tuum placarent (vt θείας σου sit, *numinis tui*) instituebant. Emmanuel Sà (*à medio sacramento*) interpretatur, interposito iuramento tuo. Forsitan intelligit vel impios istos abusos iuramento veri Dei in sacrilegis sacrificiis suis: vel Deum interposito iuramento decreuisse illos perdere: vel illos eosdem dira illa sacrificia fecisse contra expressum præceptum Dei, quod haberi poterat pro iuramento, & quo statim post diluuium cauetat fundi humanum sanguinem, aut edi omnino vllum sanguinem [a]. Non dubito Emmanueli secundum ex his dicendi modis placuisse, quoniam secutus est lectionem Bibliorum ante correctionem Sixti, in quibus, vt monui, verba illa (*à medio sacramento tuo*) collocantur versu 6. immediatè post hæc (*perdere voluisti.*) Iuramentum autem de perdendis Chananæis idem fuit, quod de tradendis eorum regionibus accepit Abrahamà Deo cum fœdere [b], ac deinceps quoque populus Hebræus [c]. Sed editio nostra, quæ longiùs remouit (*à medio sacramento tuo*) post (*deuoratores sanguinis*) & immediatè ante (*& auctores parentes animarum, &c.*) ægrè patitur sensum istū. Præterquàm quòd insolens prorsus phrasis est, *perdere à iuramento*, id est, per iuramentum, vel interposito iuraměto.

a Gen. 9. 4. 5. 6.
b Gen. 12. 7. c. 13. 15. c. 15. 18. c. 22. 16. c. 26. 3.
c Exo. 23. 22. 23.

Non licet nobis discrepantem expositionem ab editione nostra vulgata iam correcta sequi. Nihil quod ad eā accedat ferè habent Græcæ tot lectiones quas recitauimus, præter illam, quā hîc etiam posuimus acceptam ex emendatis Bibliis Græcis (ἐκ μέσου μυσαθείας σου:) quorū verborum interpretationem versio Latina ex editione LXX. iussu quoque Sixti V. facta non aliam expressit, quàm quæ habetur in nostra vulgata (*à medio sacramento tuo.*) Verumtamen τῆς μυσαθείας vocē hactenus non reperi; sed Phauorinum duntaxat legi, qui meminerit μυσάδης esse εἶδός τι καὶ φατρίαν μάντεων, *speciem quandam, seu genus, & agmen, conuentum, collegium, sodalitium, societatem vatum.* Singularia, & Auctori propria in hoc libro vocabula alia notauimus. Itaque sacramentum esset hoc loco sacer conuentus, sicut pro militibus iuratis & sacramento rogatis vsurpauit ille [d];

Præmia nunc alia, atque emolumenta notemus
Sacramentorum. ———

d Iuue. saty. 15.

Quid ergo sibi vult in editione nostra (*& deuoratores sanguinis à medio sacramento tuo?*) & in Græca (καὶ θοίναν αἵματος ἐκ μέσου μυσαθείας σου.) Equidem hîc æstuo, & doceri quàm docere malo. Si à μυσάδης legeremus μυσαδείας, à singulari μυσαδία, coniectare possemus, innui sacrilegos illos fuisse ἐκ μέσου μυσαδείας σου, ex medio sodalitij Dei, hoc est, Sacerdotum, qui ritè quondam coluissent Deum; sed ab iis defecisse, & descendisse ab Esau, non

A tantùm à Chanaan, quem Esau Paulus [a] vocat profanum.

a Heb. 12. 16

Quòd si μυσαθείαν, vt par est, retinemus, & significare dicamus *mysterium & cultum diuinum ac sacrum*; asseremus voratores illos sanguinis à medio sacramento Dei vocari aut vno ex assignatis modis, excepto secundo, dum de Emmanuelis expositione disséreremus: aut (aliquid supplendo) quòd tales Deus de medio sacramenti sui, hoc est, ne Sacerdotio fungerentur tam sacrilegè, tollere voluerit, atque penitus delere ac perdere. Dixi quod quærēdo, & diu meditando mihi occurrit. Studiū fuit vulgatam editionē tueri; compensabit piam hanc, vt spero, voluntatem Deus, alteri meliora dictando, cui obscuri loci perspe-
B ctior intelligentia innotescat. Nam mediū sacramentum esse terram Chananæorum, siue promissam aut sanctam, quod & Iansenius recipit iuxta editionis vulgatæ sensum, ipse probare non possum, tum quia, quod Emmanueli obiiciebā, verba illa (*à medio sacramento tuo*) retrahenda sunt altiùs, vt est in emendatis libris, non inferiùs detrudēda: tum quia dura *sacramenti* acceptio videtur pro terra sancta; neque satis aptè sacramentū dicitur quidquid rem sacrā aliqua ratione præsignificat.

De thiaso, licèt ad rem præsentem non ita faciat, retenta, vt oportet, emendata editione, lege Bisciolam [b] nostrum, quem longè pòst legi, qui
C profert Athenæum [c], Demosthenem [d], Aristophanem, Suidam, Hesychium; præterea Areopagitā. Aristoteles addi potuit, qui θιασώτας, & συνθιασώτας vocat Sacerdotum ordinem (thyadas, sed à θύειν, etiam Latini [e] nominant sacrificulas) & ex Virgilio [f];

Instituit Daphnis thiasos inducere Baccho.

Item [g]:

Tum quorum attonitæ Baccho nemora auia matres
Insultant thiasis. ———

b to. 1. hora. subseciu. c. 13. & lib. 12. c. 22.
c lib. 8. c. 12. sed est c. 17.
d pro corona.
e Catullus epig. 65. Virgil. 4. Aené. Hora. lib. 2. ode 19. lib. 3. ode 15.
f Eclo. 5.
g 8. Aeneid.

Legantur iis locis Scholiastæ nostri Pontanus & Cerda. Vltimus monet scribi à quibusdam *thyasus*, à θυάζω, *orgia celebro*; ab aliis doctioribus *thiasus*, παρὰ τὸ θεῖα ᾄδειν, *diuina cantare.* Etsi nonnulli
D malunt deriuare à θέειν, *currere*, ob saltationes choreásque. Attingit nonnihil de eodem vocabulo *thiasi* Rodiginus [h]. Athenæi verò Scholiastes [i] dānatæ religionis homo, sectatus auctorem suum, θίασον dici vult quasi σίασον, id est, *diuinum*, quia Laconicè σιὸς idem est ac θεός, & σῖος, atque θεῖος. Præter allata ab eo testimonia Platonis [k], & Aristotelis [l], qui, cùm laudare maximè vellent quempiam Lacones, testantur nominasse σεῖον ἄνδρα, potest adiungi etymologia Sibyllę ab eodem σιὸς, *Deus*, & βουλή, quasi Dei consilia perspecta haberet. Testis Hesychius eadem illa Spartiatarum lingua dictum Deum σιὸς, & σιὸρ. Quid si Gallicus honoris titulus (*Sieur*) inde sit? Cōsule scriptores de affinitate Gallicæ linguæ cum Græca.

h lib. 27. c. 24.
i in lib. 8. c. 17.
k in Menone.
l 7. Ethic.

E *Et auctores parentes.*] Græcè (καὶ αὐθέντας γονεῖς.) Vatablus legit secundo loco (φονεῖς, *auctores occisores, auctores cædis*) Cantacuzenus primo loco (λυθέντας, *solutos*:) quippe qui, inquit, vincula naturæ perruperint, vt genitores desiisse viderentur eorum, quorū erant interfectores. Negat Iansenius assecutū Interpretem significationem, quā habet nomen αὐθεντῶν: exigeréque loci sensum, vt significet αὐτόχειρας, *propria occidentes manu*: quæ propria & vetustior notio eius esse traditur à Gaza, licèt post mille annos, aut paulo suprà cœperit idem valere quod apud Latinos *auctor.*

Obseruauit prior Budæus [m] hoc ipsum de

m comm. linguæ Græ pag. 813.

isto loco, quem sic reddit (*animarum destitutarum percussores voluisti perdere.*) Interpres per *auctores* intellexit auctores cædis. Sed quidam scribunt Latinè *auctor* ab augeo: alij *author* ab *αὐθέντης*: nonnulli *autor* quasi ab *αὐτέργος*. Primus modus totus Latinus est, & antiquis inscriptionibus magis consentaneus: & Angelo placet Decembrio [a], & qui illo longè antiquior est, Seruio [b]; qui tamen vult, cùm ab *autoritate* descendit, scribi sine *c*. Videtur plus quiddam auctorem esse, quàm suasorem, vt ex Tiberio colligitur Imperatore apud Suetonium [c]. Sed confunduntur apud Ciceronē [d], Liuium [e], aliósque bonos scriptores: & Paulus [f] Iurisconsultus eum qui quod agitur, probat, auctorem nominat, non qui dignitate polleat, aut inuentione. Lege Robertum Titium [g], qui Petrū Nanniū [h] refellit illud aliud affirmantem. Aldus [i] Manutius cum *c auctor* deriuat ab augeo. Porrò quod legit Vatablus *φονῆς* pro *γονῆς*, sine alio, quod sciam, facit auctore, vt auctoritatem propterea non mereatur: ad sensum verò nihil interest, hoc an illo legas modo.

a 7. de politia liter. c. 83.
b in 12. Aen. auctor ego audendi.
c in Tiberio. c. 27.
d orat. pro Flacco, & orat. pro A. Cecinna.
e lib. 1. & 37.
f l. etiamsi. ff. de auct. tuto.
g 1. controuersi. c. 22.
h lib. 5. c. 21.
i de orthographia pag. 89.

Animarum inauxiliatarum.] Græcè (*ψυχῶν ἀβοηθήτων, destitutarum ope & auxilio:*) vt nec cæli se defendere possent, nec parentes ipsi cæsores tueri eos vellent, cùm bestiæ suos occidere fœtus non modò non sustineant: sed etiam pro illis dum pugnant, sæpe ipsæmet moriantur. Animæ integros homines denotant, vt alibi sæpe: & homo hominem generat, attingendo vnionem animæ cum corpore quod disponit; non verò ipsam entitatem animæ, quæ cùm sit immaterialis, à solo Deo creari potest. *Neque enim ego spiritum*, dixit virago fortissima [k], *& animam donaui vobis, & vitam*, &c. *sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem.*

k 2. Machab. 7. 22. 23.

Perdere voluisti.] Iebusæos non potuit Iosue delere, vnam ex gentibus Chananæorum [l], nec post eum alij Iudæi [m], vsque ad Dauid [n]. Refutant meritò Masius & Arias Hebraicum commētum, Iebusæos, qui superfuerunt, & cum Hebræis vixerunt in terra promissionis, alios fuisse ab illis duodecim gentibus Chananæis, & pacti cum Abrahamo quondam & Abimelech, à quo descenderint, initi causâ non fuisse vrbe Iebus expulsos, quę aliter dicebatur Salem, postea Ierusalem. Sed nec promissam terram totam Iudæos possedisse, Hieronymus [o] demonstrat, propter ipsorum idololatriam.

l Iosue 15. 63.
m Iud. c. 21. c. 2. 21.
n 2. Reg. 5. 6. 7. 8.
o ep. 129.

Per manus parentum nostrorum.] Qui potissimùm fuerunt Iosue, vt copiosè narrat historia eius, & hi qui illi successerunt Iudices, vt memorat denominatus ab ipsis Iudicum liber.

Vers. 7.] Vt dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra.

HÆc alia causa, & veluti ius, quo venerunt Hebræi in possessionem regionis Chananæorum, quia in ea regione Patriarchæ peregrinati fuerant, & multa passi, & illis eam Deus promiserat: quare perdendi fuerunt habitatores eius, vt habitaretur, atque possideretur ab Hebræis. Græca paulo diuersum efficiunt sensum (*ἵνα ἀξίαν ἀποικίαν δέξηται Θεοῦ παίδων ἡ παρὰ σοὶ πασῶν τιμιωτάτη γῆ, vt dignam coloniam acciperet Dei seruorum apud te omnium pretiosissima*, vel *honoratissima terra*) id est, acciperet dignam se coloniam constantem pueris, siue seruis & cultoribus Dei. Si legeremus in singulari numero (*perciperet*) redderetur hic idem sensus, & referretur ad (*terra.*) Tertium dat Hugo exponendo (*perciperent*) vt significet intelligerent. Voluit Deus Chananæos perdere, vt Hebræi perciperent, nempe animo, ac intelligerent illam terram esse dignam peregrinationem, id est, egere labore ipsorum, nec ipsis in otio versandum, sed pugnandum cum parte hostium qui remanserant, vt cum Iebusæis. Quartus addi posset, vt Chananæi cognoscerent se indignos tam opima terra, dignos Hebræos, qui Deū ritè colerent. At posteriores duo sensus exigerēt, vt legeremus (*peregrinatione*) nō autem (*peregrinationem.*) Oporteret quoque *δέχεσθαι* significare *animo comprehendere*, atque *intelligere*; quæ significatio non est ita in vsu. Nam in prima ad Corinthios [a], *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*, *οὐ δέχεται*, sensus est, non recipit, Syriacè לָא מְקַבֵּל *lo mekabbel*. Quamquam non alienus est ab illa alia notione vsus verbi *δέχεσθαι*, pro eo quod est *interpretari*, & *in bonam malámve partem accipere*: vel etiam *intelligere*, illo sensu, quo quis dicitur Grammaticè aliquod vocabulum sumere tali, aut tali modo.

a c. 2. 14.

Peregrinationem.] Græcè (*ἀποικίαν, coloniam*) id est, eam terram, in quam velut in coloniam transmigrarent. Vbi admonemur, quemadmodum terra illa promissa typus erat terræ viuentium; sic promissionis filios gerere se debere tanquam aduenas & peregrinos [b], æstimantes ciuitatem futuram inquirendam [c], & abstinendum *à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam* [d]: cauendam in hoc itinere societatem dæmonis proditoris, prodigi mundi, carnis tardæ: cogitādum de sumptu profectúque spirituali, & de loco ad quem tendimus: celandam spiritualem pecuniam: sarcinam exonerandam: cauendas hospitis technas, vt cùm peruenerimus quò intendimus, occurrant Sancti, & requiescamus à laboribus in sancta Ierusalem, *quæ est mater nostra* [e]. Abitus noster viáque in cœlum, & peregrinatio est, & colonia, quoniam redimus, vnde per peccatum exclusi sumus, eóque pergimus ex loco, vbi nascimur, vt ibi nouas fixásque sedes constituamus.

b 1. Pet. 2. 11.
c Heb. 13. 14.
d 1. Pet. 2. 11.
e Gal. 4. 26.

Puerorum Dei.] Græcè (*παίδων Θεοῦ, seruorum Dei.*) Græcæ ac Latinæ vocis notiones aliàs [f] exposui, pro filio, pro adolescente, pro seruo.

f Act. 4. 25.

Quæ tibi omnium charior est terra.] Potuit Interpres Latiniùs, & ad Græcum textum accommodatiùs dicere (*omnium charissima, πασῶν τιμιωτάτη.*) Aliquando pro comparatiuis è contrario ponit superlatiua, vt aliquoties antea in hoc libro vidimus: tunc verò interdum etiam constructionem Latinæ repugnantem, vt ibi [g]; *minimum est omnibus seminibus*, pro (*omnium*) vel pro (*minus est*) *μικρότερον πάντων τῶν σπερμάτων*. *Cariorem* rectiùs diceremus, quàm *chariorem* cum aspiratione: est enim *τίμιος*, cuius superlatiuum *τιμιώτατος*, *pretiosus*, & *honoratus*. At quæ amamus, habemus in honore & pretio. Sed & amorem synonymo alio *caritatis* dici quidam contendunt, nec id nomen proferendum, vel scribendum aspiratè, ne non Latinum videatur, sed Græcum à *χάρις*. Quod ne fieri quidem aptè potest, cùm in *charus* prior sit producta syllaba, in nomine autem *χάρις* correpta: sicut vice versa verbi *careo* prima breuis; nominis *carus*, quod à carendo quidā deducunt, longa. Sed hæc Grāmaticis permittamus.

g Matt. 13. 32.

Exhibet

a de orthograph pag. 144. & seq. vique ad 160.

Exhibet Aldus[a] Manutius libros veteres, pandectas Florentinas, & lapides, in quibus *carus* & *caritas* sine asperatione scribantur.

Eædem porrò cur charior, charissimáque dicatur terra illa Deo super alias sunt rationes, quę cur sancta, vel, vt alij quoque volunt, sacramentum Dei; illas priùs attigimus. Hyperbolem Cantacuzenus appellat, quòd appelletur pretiosissima terra. Pretij sanè maximi fuit apud Deum ob supernaturalia priuilegia enumerata: præterea nominari potuit pretiosa propter soli fœcunditatē, & cœli temperiem; ita vt lacte ac melle fluere diceretur[b]: alebat incredibilem pecoris, armenti, hominum multitudinem: proferebat optimum balsamum: plurimos fontes: aquas calidas ac salubres: metalla: fruges ac fructus: situs eius in quarto climate, ac velut in meditullio habitabilis terræ; tótque maria, flumina, lacus, portus, maximam commercij opportunitatem præbebant: illam regionem tanquam prædiuitem non vicini modò Reges, verùm etiam remotiores Ægyptij, Assyrij, Babylonij, Romani, in suam redigere potestatem studebant.

b Exod. 3. 8. 17. c. 13. 5. & sæpe lib. Leuit. Nu. Deut. Iosue.

Vers. 8.] Sed & his tanquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent.

QVáuis odisser Deus improbos Chananæos, & perdere vellet, tamen quia homines erát, hoc est, ad improbitatem procliues, misertus est illorum; atque priusquàm facerent impressionem in ipsos armis suis Hebræi, vesparum vim infinitam misit, quæ cuncta latè vastaret; sed paulatim, vt otium sese corrigendi haberent.

Tanquam hominibus pepercisti.] Rationem, quam dixi, Cantacuzenus assignat; potéstque confirmari verbis Dei[c]: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*; vt quidem à nonnullis exponuntur de ira Dei, quæ remittat se, nec diu puniat, ac summo iure agat cum fragilibus hominibus. Similis alia eiusdem Dei sententia[d]: *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines; sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur vltrà percutiam omnem animam viuentem, sicut feci.* Naturalis nobis propensio est ad malum: impellit dæmon; ignorantia malum celat: debilitat passio & perturbatio: ipsamet ratio delinitur & capitur à sensu. Hebraicè vocatur[e] יֵצֶר לֵב *iesser leb, figmentum cordis.*

c Genes. 6. 3.

d Gen. 8. 21.

e ibid.

Eadē vtitur voce Dauid, eadémque ratione, cur Deus aduersùs nos sit misericors. *Miserator*[f], *& misericors Dominus, longanimis, & multum misericors. Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis, &c. quoniam ipse cognouit figmentum nostrum* (quippe pater & fictor, probè noscens opus suum, יִצְרֵנוּ *iitsrenu*, πλάσμα ἡμῶν. *Recordatus est quoniam puluis sumus*, &c. Chaldaicè, *ipse nouit figmentum prauum, quod peccatum suggerit*, &c. Obliuiscimur aliquando nos esse homines. Idcirco petit idem Propheta[g]; *Constitue Domine legislatorem super eos*; vel (*terrorem*, מוֹרָה *morah*) *vt sciant Gentes quoniam homines sunt* (אֱנוֹשׁ *enos, homo miser, ærumnosus, laboribus obnoxius, æger, imbecillus.*) Hæc vulgò causa, quare naturæ humanæ ignouerit potiùs Deus, quàm Angelicæ, datur, quo-

f Psal. 102. 8. & seq.

g Psal. 9. 21.

A uiam peccauit primus Angelus absque alterius inductione, alij sine insita infirmitate. Huic rationi non ita congruit quam dat Hugo, quòd homo sit factus ad imaginem & similitudinem Dei; sic enim & Angelus conditus est, & quidem propter maiorem naturæ perfectionem, secundùm perfectiorem quoque imitationem naturalem. Idem auctor illos quibus parcitum dicitur, intelligit Iebusæos, quos viuere siuit Deus inter Hebræos, vt antè diximus. Aliqui, quorū meminit Bonauētura, explicant de Hebræis introducendis in promissam terram. Rectiùs ipse, cæterique Chananæorum gentes omnes interpretantur. Hebræis quæ sequuntur de vespis, non conueniunt.

B *Et misisti antecessores exercitus tui vespas.*] Græcè (ἀπέστειλάς τε προδρόμους τοῦ στρατοπέδου σου σφῆκας.) Isidorus Clarius codice Greco corrupto vsus est, vbi esset (ἀπέστειλάς τε προδρόμους, τοῦ στρατοπέδου σου ἐσφῆκας, *misistiq́; præcursores, exercitus tuos misisti.*) Verū, inquit, cùm σφῆκας, & ἐσφῆκας, quorū alterum *vespas*, alterum *misisti*, significat, habeant vocum vicinitatem, vtra lectio melior sit, nolui temerè indicare. Iam temerarius esset qui dubitaret, & non assereret solam bonam nostram esse. De re ipsa lis etiam est. Nam glossa[a] interlinearis figuratè vespas accipit pro acerrimis timoribus, quibus corda Gentium pungebantur. Idem habet glossa ordinaria Deuteronomij[b], & Iosue[c]: atque in hūc, & illa loca, & in Exodum[d] Hugo, Bonauentura,

a hic & Exo. 23. & Deut. 7.

b c. 7. c c. 24. d c. 23.

C Lyranus, Carthusianus non contradicunt. Fauet Augustinus quæstionibus in Iosue[e], & in Exodū[f], vespas appellans, quos Interpres crabrones, & faciens loci præsentis ex libro isto mentionē. Nam cùm id nusquam factū in iis, quæ gesta sunt inueniatur, ait vel timores intelligēdos, quasique volátes rumores: vel aërios occultos spiritus, qui etiam Angeli dicuntur maligni[g]. Eusebius[h] negat in Exodo crabrones propriè intelligi; sed quia Hebræi multitudinem alienigenarum formidabant, declarari quàm nullo negotio & labore Deus illos quasi per minuta animalia deleturus esset. Diodorus idem affirmare dicitur, & auctorem citare Philonem[i].

e q. 27.

f q. 93.

g Ps. 77. 47. h in catena Lipomani.

i Vlysses Aldrouan. lib. 1. de insectis. c. vlt.

D Ego tamen cum Cantacuzeno, Oleot[k], Osorio, Iansenio rem, vt sonat, interpretor, perinde atque priore capite[l] dicta de bestiis supernacuis, id est, vilibus & exilibus. Hoc ipso exemplo plagarum Ægyptiarum animans Moses populū contra Chananæos, pollicetur[m]; *Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat, qui te fugerint, & latere potuerint.* Item; *Terrorem meum*, ait Deus ipse[n], *mittam in præcursion tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingrederis: cunctorúmque inimicorum tuorū coram te terga vertam, emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas.* Postremò Io-

k lect. 147. l vers. 16.

m Deut 7. 20.

n Exo. 23. 28.

E sue in postrema sua concione inter beneficia Dei collata populo hoc numerat, & quidem Deum ipsum loquententem faciens[o]; *Misique ante vos crabrones, & eieci eos* (Chananæorum gentes) *de locis suis.*

o Ios. 24 12.

Abulensis[p] præsenti loco libri huius nostri cōfutat priorem illam sententiam; & quia crabrones occidebant omnes fugiētes venenatis aculeis suis: non est verò probabile quòd omnes fugientes solo timore deficerent; & quia Paraphrastes Chaldæus interpretatur parnas aniculas, quæ oculos Chananæorum impeterēt; & quia præter timorem, quem Deus in hostes missurum se dicit, sit expressa mentio crabronum; & quia hoc loco

p in Exod. c. 23. q. 84. & in Deut. c. 7. in exposit. tex. & in Iosue. c. 24. q. 9.

mox subditur vespas missas, etiamsi potuissent mitti aliæ sæuæ bestiæ. Præterea reiicit opinionem R. Abenezra, crabrones nihil aliud fuisse, nisi quandam infirmitatem quæ occideret Chananæos fugientes ac latentes, & laxaret vires eorum, donec fugerent, nec consistere possent coram Israëlitis.

Andreas [a] Masius Hebræum nomen צִרְעָה *tsirhhah* verti putat posse, καὶ τὰς σφῆκας, καὶ τὰς ἀνθρήνας, *& vespas, & crabrones,* atque alia quoque animalia, quæ aculeis armata, hominibus infesta, volatu strepitum edūt, quem strepitum ac stridorem Hebræa vox innuat κατ' ὀνοματοποιίαν. Sequitur autē de historica proprietate sententiā propter huius ipsius loci auctoritatem, quem tractamus, tū ob rationem, quam subiici hîc etiam dixi cum Abulense. Occurrit deinde, mirum videri nō debere, si liber Iosue illa de re priùs nihil prodiderit, quoniam gesta sit ante aduētum populi in terram promissam, & priusquàm Iosue populo dux præfuisset. Alter de recentioribus Enarrator Iosue Arias Montanus in eadem sententia est persuasus præcedente promisso per Mosem scripto: & quia non dixerat Moses mittendas huiusmodi bestiolas, quæ Gentium animos perterrefacerēt; sed quę eos qui transfugissent, quique latere voluissent: denique conuictus testimonio præsentis loci, cū ea, quam subiicit Auctor, ratione. Oleaster [b] consentit, & Caietanus [c], & Ystella [d]. Sed & Augustinus [e] huc propendet magis, docens, non omnia quæ facta sunt esse conscripta; & hoc visibiliter factum videri posse, vt veras vespas intelligi voluerit scriptor libri Iosue. Comparat [f] etiam has vespas cū rana, & locusta, quibus vexati sunt Ægyptij. Hoc idem facit Theod. [g] in vtroque dicēs declaratā immensam Dei potentiā, qui minutorū animalculorum ministerio succurrat suis, & eorū aduersarios perdat: quod cecinit Dauid [h] esse pro nihilo inimicos amicorum Dei humiliare. Legi postea dum secūdam editionem apparare, Commentarium in Iosue [i] nostrorū Serarij [k], & Magaliani, qui cōsentiunt veros crabrones, seu vespas, seu œstros, seu obscœnarum vilissimarum muscarum genus fuisse, quæ inuolarēt in hominū oculos, eósque morsicarent, & effuso veneno sauciarent. Refellitur etiam peculiariter alius dicendi modus positus ab Augustino [l], de dæmonibus occultisve spiritibus aëreis; quoniam paulo pòst [m], vt antea etiam retuli, dicitur, *non quia impotens eras in bello,* &c. Videtur namque maioris potentiæ vti dæmonibus administris, quàm vespis, imò quàm hominibus, belluis, verbis, rebus aliis, quantumuis asperis, ac tonitruosis.

Cæterùm hæc animalcula, quæ tūc à Deo primùm creata quidam autumant, Oleaster [n] iuxta radicem Hebræam צרע *tsarahh*, quæ *leprosum esse* significat, vult nōnullam habere cum lepra cognationem, vel in colore, vel in fœtore, vel quòd molesta sit leprosis: & esse muscas magno longóque corpore, deserta colētes, varios colores habentes, similes leprosis, iumētis infestas; atq; de sētētia R. Gerundensis ab apibus parū differentes. Pro crabronibus, qui ab aliis cabrones, crabones, scabrones, scrabroges, scabrei vocantur, vespas vocatas ab Augustino iam dixi. Isidorus [o] crabrones, siue cabrones vocatos tradit à cabo, id est, caballo, quòd ex istius crearentur putridis carnibus. Quemadmodum de tauris & bobus apes nascuntur, de mulis fuci, de asinis vespæ, alia de aliis.

In Pentateucho, & libro Iosue perpetuò est

A vocabulum Hebræum צִרְעָה *tsirhhah*, & Græcum σφηκία. Latina vox *vesparum* de syluestribus apibus accipitur, & quos σφῆκας appellat Aristoteles [a], quod nomen hîc habemus, illū Plinius [b] Latinè transcribens, interpretatur *crabrones*. Gaza ἀνθρήνην (quæ dicitur etiam ἀνθηδὼν παρὰ τὸ τὰ ἄνθη ἔδειν, quod est *flores edere*) modò *vespam*, modò *crabronem* reddit. De his copiosè Vlysses Adourandus [c]. Ad rem facit, quòd, Plinio [d] teste, vespæ & crabrones carne vescuntur, vt Aristoteles [e] quoque prodit: & quia serpentes quoque ac viperas gustant, vt scribit Plinius [f], morsus carū sunt venenati. Deinde, quòd vindicatrices maximè, audaces, veloces. Notum Prouerbium, σφηκίαν κινεῖν, *crabronem*

B (eiúsve cellam) *irritare*. Pharsalitas vespæ pepulerunt sedibus propriis [g]: Francorum item exercitum Getunda Hispaniæ oppido, cùm illæ de B. Narcisci corpore viderentur exiisse [h]: Gallus à vespis punctus, biennio insaniuit [i]. Similis illa plaga, quam in copias Persarum Nisibin obsidentium Iacobus eius vrbis Episcopus, id est, in equos, elephantes, homines impetrauit immitti [k].

Paulatim.] Græcè (κατὰ βραχὺ) quod versu decimo vertit Interpres (*partibus*) quo modo versu secundo (κατ' ὀλίγον.)

C *Vers. 9.*] Non quia impotens eras in bello subiicere impios iustis, aut bestiis sæuis, aut verbo duro simul exterminare.

Gemina hæc sententia illi, quæ capite præcedente occurrit [l]; ex qua etiam paulo antè cùm magnis auctoribus probabamus crabrones veros immissos esse contra Chananæos.

In bello.] Græcè (ἐν παρατάξει, *in instructione aciei, in acie instructa, in acie, in prælio, in conflictu.*) *Castrorum acies ordinatas* vertit Interpres [m], vbi est solum ac simplex participium fœmininum τεταγμέναι, Heb. & Chald. *vt vexillata*, כַּנִּדְגָּלוֹת *nidgaloth*; Symmachus, τάγματα παρεμβολῶν.

Subiicere.] Græcè (ὑποχειρίους δοῦναι, *subditos, ac sub manus dare, in potestatem redigere.*)

D *Impios iustis.*] Chananæos idololatras Hebræis Dei cultoribus.

Verbo duro.] Græcè (λόγῳ ἀποτόμῳ.) Pelicanum Iansenius meritò reiicit, volentē *verbum* hîc positum pro pestilentia; eo quòd dictio Hebræa דבר pro punctorum varietate significet *verbum*, & *pestem*, hanc hoc modo דֶּבֶר, illud isto דָּבָר. Nec scimus librum hunc alia compositum lingua, quàm Græca: & sensus facilior est quem omnes tradūt, vt sit verbum iussio simplex Dei; quemadmodum priore capite [n], vbi de terribilibus bestiis facta mentio fuerat, dictum est [o]; *Sed & sine his vno spiritu poterant occidi*, &c. Carthusianus legit (*in bello duro:*) Bonauentura exponit visum siue spectrum

E horrificum. In Psalmo 90. [p] verbū asperū dicitur Hebr. דֶּבֶר הַוּוֹת *deuer hauuoth*, & Græcè λόγος ταραχώδης, in Hieronymi translatione mors insidiarū; ab aliis pestis prauitatum, fallaciarum, confractionum, & aliis modis, de quibus in eiusdē Psal. commentario egi. Legerunt ibi LXX. דָּבָר *dauar*, quos Interpres noster sequitur, alij דֶּבֶר *deuer*.

Simul.] Græcè (ὑφ' ἕν, *ad vnum omnes, eodem temporis momento*) vt exponit Cantacuzenus.

Vers. 10.] Sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorās, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis

mali

a in Iosue. c. 24.12.
b Exo. 23. & Deut. 7.
c ibid. & Iosue 24.
d Exod. 23.
e q. 27. in Iosue.
f locutionum in Exo. c. 101.
g q. 58. in Exodum.
h Ps. 80. 15.
i in c. 24.
k q. 4.
l in Iosue. q. 27.
m vers. 9.
n supra.
o 12. etymolog. c. vlt.

a 9. de histo. animal. c. 4.
b lib. 11. c. 21.
c lib. 1. de insectis c. 6. & 7.
d supra.
e lib. supradicto. c. 41.
f lib. 11. c. 53.
g Aelian. in histo. animal.
h Ystella Exod. 23.
i Franciscus de Rosieres. de stemma. Lotharing.
k Theodoret. hist. Patrum. c. 1.
l vers. 18. 19. 20. 21.
m Cāt. 6. 3. 9.
n vers. 18. 19. 20.
o vers. 21.
p vers. 3.

malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.

Vers. 11.] Semen enim erat maledictum ab initio: nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum.

POtuit, sed noluit Deus omnes impios Chananæos simul ac eodem tempore delere; sed paulatim ac sensim, atque per partes, & successu temporis, vt pœnitere possent. A qua lenitate nec temouit quidem Deum, quòd probè sciret genus illud hominum insita quadam improbitate deprauatum, atque à sua prima origine impios errores veluti cum lacte suxisse: necnon domesticis malis exemplis institutísque aluisse; sed & ob diuturnam peccandi consuetudinem sic esse morbum illum in eorum animis confirmatum, vt sanari nullo remedio propter contumaciá tantam posset: denique adeò dira execratione deuinctũ, vt omnem respuerent disciplinam. Non, inquam, horum omnium certa præscientia fuit impedimento, quominus ad clementiæ fructum Deus illos alliceret, ac supplicium differret & temperaret; quod inferre totum semel poterat, neminem penitus verens, nec vllius personam respiciens. De re ipsa priùs actum priore capite: propria quædam loci huius nunc expendenda. Interim reuocandum in memoriam, hinc inferri Dei scientiam infallibilem de futuris contingentibus liberis possibilibus.

Partibus iudicans.] Græcè (κατὰ βραχὺ.) Et hoc antea declaratum est, ac versu quidem octauo vertebat Interpres (*paulatim.*) Quocirca non est ad rem expositio Hugonis (*vtrique parti secundùm merita sua reddens*) nempe Chananæorum & Hebræorum: est namque de solis Chananæis punitis mentio. Iudicare autem & κρίνειν pro punire, pœnámve decernere vsurpant non rarò sacræ literæ, vt aliàs obseruauimus.

Dabas locum pœnitentiæ.] De nomine *pœnitentiæ*, Græcóque τῆς μετανοίας dictum [a] alibi. Locus pœnitentiæ significat spatium, & opportunitatem: sicut è contrario dicitur, quòd *nemini* [b] *mandauit Deus impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi* (ἄνεσιν, *licentiã, facultatem, relaxationem.*) Aliquando tamen Deus dum praua, & parata ad malum alicuius voluntate, quam permittit, bene ad aliquid vtitur, præcipere etiam malum dicitur, vt Augustinus docet [c]; & confirmatur tum exemplo Semei [d], tum sententia Dei apud Esaiam [e] loquentis de Rege Assyriorum.

a Act.2.38.
b Eccli.15.21.
c de gra. & lib. arb. c. 20.
d 2.Reg.16. 10.
e c.10.6.

Nequam est natio eorum.] Græcè (πονηρὰ ἡ γένεσις αὐτῶν, *generatio, origo, prosapia, natales, genitores, maiores*) & similis origini institutio, atque educatio. Vel genesis & natio, siue generatio significat vniuersitatem hominum ab vno descendentium. Chananæorum verò caput & auctor erat Cham, & filius Chanaan [f]. Nihil habet ergo Manichæus, aliúsve hæreticus pro altero malorum Deo, qui corpora cuncta fecerit. In corporibus peccati quoddam semen est, qui dicitur fomes, & naturalis eorum constitutio ac temperamentum pronitatem habet ad peccandum, propter nexum animarum cum corporibus, horúmque dispositionibus.

f Genes.9. & 10.

Naturalis malitia eorum.] Græcè (ἔμφυτος ἡ κακία αὐτῶν, *insita malitia eorum.*) Sic etiam dicuntur quidam peccatores alienati à vulua, & errantes A ab vtero [a], id est, qui vix nati se dent vitiis, & originalis peccati vim ab ipsis incunabulis ostendant; idque, vt antè dixi, vel propter ipsam crasim corporis, ad quod non parum etiam confert parentum improbitas, vt & educatio; nec raro soli ac cœli, & alimenti qualitas. E contrario contrariis de causis apparent in nonnullis ad virtutem igniculi atque seminaria; & animam videntur, vt de se priùs dicebat Auctor [b], sortiti bonã. Originale peccatum hoc ex loco probat Augustinus [c], quemadmodum ex illo Pauli, in quo nos vocat naturâ filios iræ [d] (φύσει, quod significare etiam potest *reuera, prorsus*, &c.) & ex alio Petri [e], cùm nominat *velut muta animalia procreata naturaliter in captiuitate & interitu*; iuxta versionem vulgatam, *irrationabilia pecora naturaliter in captionem* B *& in perniciem*: postremò ex trita sententia eiusdem Pauli [f]; *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Arbitror equidem præsentem locum potiùs esse de inueterata malitia, & per imitationem maiorum contracta, atque per consuetudinem corrupta, quæque idcirco euaserit in alteram naturam. Placet hoc Enarratoribus.

a Psal.57.4.
b c.8.19.
c 2.de nupt. & concupisc. c.8.
d Ephes.2.3.
e 2.Pet.2.12.
f Rom.5.12.

Non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.] Cognoscebat hoc Deus media scientia contingentium liberorum sub conditione possibilium; scilicet talibus circumstantiis positis, talique auxilio gratiæ, licèt sufficienti, nõ posse Chananæos C mutare sententiam, & vitam: non quòd simpliciter id non possent, quia liberi erant; sed hypotheticè, quoniam præsciebat illos libera voluntate recusaturos oblatam dictam gratiam sufficientem, quæ sola non habet, nec habebit vnquam effectum; hic enim quando est, iam dicitur efficax, & non solùm sufficiens gratia.

Ad hanc, vt ita dicam, impossibilitatem, sed & ad aliam moralem, quæ vincitur per gratiam efficacem, facit multum praua, quam antè dixi, consuetudo. De huius in vtramque partem vi Aristoteles [g] & alij. Crebrò parœmia vsurpatur, quòd *consuetudo est altera natura*, γέγονε οἷον φύσις τὸ ἔθος, &, *nihil assuetudine maius* [h]; &, *adeò in teneris consuescere multum est* [i]. Affinitatem cum hoc D habent loco verba Ieremiæ [k]; *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Chald. אלופין *aluphin*, *assueti.* Vbi Theodoretus: [Verus, inquit, Prophetæ sermo, consuetudinem esse alteram naturam; omnia enim quæ longa consuetudine comparauit animus, paria censentur cum naturalibus.]

g 2.Metaph. tex.14.2.Ethic.c.1. in fine.lib.7.c.10. in fine.lib. de mem.& reminisc.c.3.sect. 28. problem.
q 1.2.Rhetor.
h Ouid.
i Virg 2.Georg.
k c.13.23.

Sed & ibidem Hieronymus opportunè illud admonet, quod nuper nos ipsi notabamus, abuti hoc Ieremiæ testimonio (sicut & præsenti) aduersùs Ecclesiam, qui diuersas cupiunt asserere naturas, & tantam dicunt esse vel nigredinem, vel varietatem peccatorum, vt in candorem, & E vnius coloris pulchritudinem transire non possint; non attendentes, inquit, hoc quod sequitur (apud Ieremiam) *& vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Quidquid enim discitur (consuetudo verò discendo & agendo acquiritur) non naturæ est, sed studij, & propriæ voluntatis, quæ nimia consuetudine & amore peccandi quodammodo in naturam conuertitur. Subdit, hoc quod hominibus impossibile est, Deo possibile esse, vt nequaquam Æthiops & pardus suam videantur mutare naturam, sed ille qui in Æthiope operatur

& pardo, Deus nempe per gratiam: quod confirmat auctoritate Pauli aliquot locis.

Tres à Christo suscitati mortui triplicem peccatorum secundùm tropologiam designant statum: Lazarus sepulturæ aggere pressus [a], illum, vt obseruat Gregorius [b], qui in perpetratione nequitiæ etiam vsu consuetudinis pressus grauatur. Tradiderat prior Augustinus [c] eandem tropologiam, docens de nullo desperandum, cùm præterea Lazari soror de magna malæ consuetudinis mole fuerit liberata [d]: sed rei tamē difficultatem ostendisse Christum, quando infremuit, lacrymatus est, clamauit; quoniam multo clamore obiurgationis opus est ad eos, qui consuetudine duruerunt. Appellat Ezechiel [e] rubiginem nimiam, quę multo labore, sudoréque nec per ignem exit, obstinatam & pertinacē peccati consuetudinem; immunditiam quoq; nominat execrabilem (verti potest זמה *Zimmah, obstinationis*) quam mundare Deus voluerit, nec sit mundata. Chaldaicè legitur pro (*multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius*) *occasionibus plena est* (תקפין *thiskuphin*) *& non egredientur de ea* (terra) *operantes malum.*

Chrysostomus [f] docet, solere voluntatis vehementiam appellari potestatem à Scriptura. Sic, vt exemplum aliud afferatur, apud Ioannem [g] scribitur; *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias* [h]; *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos:* &c; *Non potest mundus vos odio habere* [i], &c. Eodem pacto in Prouerbiis [k] habetur, quòd *adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Quod porrò priùs dixi de corporis temperamento, quantum in vtramque partem valeat, vel ad virtutem, vel ad vitium, rectè demonstrat Crombeccius noster, disputans de studio perfectionis [l], simul & de valetudine, & de passionibus. Id satis indicat Augustinus, aut Hugo S. Victoris, aut alius auctor libri de spiritu, & anima [m], præter Galenum in eo, quo ostendit, quòd mores animi sequantur corporis temperamentum.

Semen enim erat maledictum ab initio.] Glossa interlinearis id refert ad præscientiam Dei: vel ad tempus, ex quo esse cœperunt improbi illi, in iisque quandam prauam qualitatem fuisse maledictione dignam. Hugo glossam exponit de fomite, qui sit dignus maledictione, nó propter se, sed propter sequelam, id est, propter peccatum, ratione cuius præsciti ac reprobati fuerint. Cæteri pertinere id putant ad maledictionem quam Noë pronunciauit in Chanaan Chananæorum auctorem [n] (Olcot [o] nimis longè reuocat vsque ad Cain [p]:) ex qua maledictione, quæ addicebat illos seruituti, occasionem sumpserint, cùm eam molestiùs ferrent, peccandi, vt placet Carthusiano. Augustinus [q] pridem citatus intelligebat de originali peccato hominis, de cuius non natura, quæ habet auctorem Deum, sed vitio trahatur, hoc est, per naturalem propagationem descendentium à primo parente, per quem *peccatum intrauit in mundum, & in quo omnes peccauerunt* [r].

Proposito aptior sensus de maledictione Chanaan, ita vt quemadmodum pessimos homines Esaias [s] appellat Principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ; sic Ezechiel [t] radicem & generationem eorum de terra Chanaan, patrémque Amorrhæum, & matrem Cethæam. Quo loco quamuis Hieronymus existimet Ægyptum intel-

a Ioan.11. b 4.moral c. 25.vel 29. c tract.49.in Ioan. & serm.44.de verb Dom. lib 50.hom. in 27. d Luc.7. e c.24.12.13. f hom.67.in Ioan. g c.12.39. h c.6.10. i Ioan 7.7. k c.22.6. l lib.1.c.10 11. 12.13.14.15. 16. m c.15. n Genes.9. o lect.147. p Genes.4. q 2.de nupt. & concup c. 8. r Rom.5.12. s c.1.10. t c.16.3.

A ligi, quā fundauit Chā, & in qua diu morati sunt Hebræi, & vocantur tabernacula Cham [a] quæ erant in Ægypto, & ipsa Ægyptus terra Cham [b]; tamen nec ibi, nec alibi per Chanaan videntur intelligendi alij quàm habitatores terræ promissæ Chananæi; vt præterea colligitur ex Genesi [c], & ex his quæ passim antè dicta sunt, & quòd ab Ezechiele coniunguntur Amorrhæi, atque Cethæi, quos constat habitasse non in Ægypto, sed in Palæstina. Illis ergo parentibus adeò vilibus prognati dicuntur, qui naturales habebant sanctos Patriarchas, quibus adeò efferebantur [d] (nec enim Abraham Amorrhæus erat, Sara Cethæa, vt nugatur R. Salomon [e]) ac se nemini seruiuisse B iactabant [f], quoniam, vt idem Hieronymus, ac Origenes, & Theodoretus ibidem obseruāt, quorum æmulati fuerant impietatem, eorum meritò dicuntur cognationem cōtraxisse. Eadem de causa, & pari dicendi libertate Daniel [g] penè puer impudicum senem compellauit semen Chanaan, & non Iuda. Lege eundem Origenem in Ioannem [h], vbi disserit de semine carnali & spirituali.

Porrò quod attinet ad Chanaan, quando narratur [i] impudentia Cham impietásque aduersùs patrem Noë, vocatur cum adiectione pater Chanaan, qui erat etiam natu minimus filius Cham, vt significetur maxima in improbitate similitudo, nec magis natura, quàm sceleribus Cham genuisse similem filium: C præterea, quoniam propter scelus Cham maledictio & pœna ei erat infligēda in filio ipsius Chanaan, ac deinde in posteros Chananæos deriuanda: postremò, quia Chanaan puer primus aui verenda vidit, suóque narrauit patri, non absque Noë irrisione ac illusione; vt idcirco & Noë dicatur à somno suscitatus cognouisse quę fecerat ei filius iunior, hoc est, Chanaan nepos; qui nepos vocari filius solet (erat namque Cham medius inter Sem & Iaphet) & illi maledixerit.

Primam causam æquè Theodoretus [k] affert, & Ambrosius [l]; vltimam quidam Hebræus à Theodoreto citatus, quam ipse non improbat, approbat D verò Caietanus. Berosus Annij addit Cham odio prosecutum patrem, quòd cum pater minùs diligeret, magísque despiceret, & moribus dissideret: temulenti autem virilia comprehendisse manibus, tacitéque submurmurãdo carmine magico (quam profitebatur artem alio nomine dictus Zoroaster) ei illusisse, ac sterilem non secus ac si castratus esset, effecisse, ita vt post id tempus nullam Noë fœminam potuerit fœcundare. Hæc incerta, nec credibilia, & ex ficto auctore profecta: sicut & illud aliud ex Hebræo recitatum de visis verendis aui Noë à Chanaan. Concedo post diluuium nullos alios Noë sexcentos annos natum filios suscepisse ob effœtam ætatem, & ærumnis E contritam (quidquid secus Caietano [m] sit visum, vel Methodio apud auctorem [n] historiæ Scholasticæ:) alioqui Moses non præteriisset, qui de aliis aliorum filiis tam exactè meminit. At de excantatis verendis non minùs fabulosum duco, quàm quod R. Leui finxit ex suorum sententia Hebræorum, etiam abscissa fuisse: quemadmodum de cœlo, déque Saturno comminiscuntur Poëtæ. Ambrosius [o] quidem iuniorem filiū vult ipsummet Cham vocari, tametsi maiorem quàm Iaphet, sensu, moribúsque, nó ætate: Chrysostomus [p] postpositum esse cæteris propter scelus, sicut contigit Esau respectu Iacob [q], & Ruben respectu Iudæ [r]: alij [s] comparatione ad Sem, quem Hebrçi faciant

a Psal.77.51. b Psal.104.27. c c.10.15. d Matth.3.7. e in Ezech. c.16. f Ioan.8.33. g c.13.56. h tom.10. i Genes.9. k q.17. in Genesim. l 1.de Noe & arca c.30. m Genes.9. n in Genes.c. 37. o 1. de Noe & arca c.32. p hom.29.in Genes. q Genes.27. r ibid 49. s Pererius lib. 14.in Genes. n.155.

annis minimum,sed ob sanctitatem prælatum, & quòd ex eo descenderint Patriarchæ,Reges,Prophetæ, populus Hebræorum vniuersus.

In sua igitur Noë maledictione perculit Chanaan filiũ Cham; quod magis constat ex emendatis Bibliis L x x. ἐπικατάρατος χαναὰν παῖς, *maledictus Chanaan puer*; quam lectionem Augustinus [a] & Chrysostomus [b] sequuntur:quamuis referri posset ad sequens nomen οἰκέτης,& verbum ἔσται, *puer*, siue *famulus domesticus erit*. Quo fit, vt videatur eo tempore iam natus puer Chanaan,licèt aliter iudicent Origenes [c], Ambrosius [d], Rupertus [e]. Cur verò Noë maledixerit hunc filium Cham,causa est, quia prior auũ irriserat, & patri auctor, vel occasio idem faciendi fuerat, si vera sunt quæ antè narrata sunt: & vt intelligeretur maledictionem pertingere non ad omnem posteritatem Cham, hoc est,etiã per Chus, Mesraim, Phut filios eius alios,sed per solum Chanaan: & quia cui Deus cum duobus aliis fratribus filiis Noë, Sem & Iaphet, benedictionem impertitus fuerat,Noë non est ausus maledictionem tribuere. Docent hoc vltimum Chrysostomus [f] atque Theodoretus [g].

a 16. de ciuit. c. 2.
b hom 29. in Genesim.
c hom. 20. in Num.
d 2. de Noe & arca. c. 30.
e lib. 4 in Gen. c. 37.
f hom. 29. in Gen.
g q. 17. in Genes.

Voluit præterea Deus acerbiùs patrem in filio punire,quem vnicè diligebat vt natu minimum, & in improbitate simillimum: filium quoque vel similia iam opera patrantem, vel qui adhuc in futurum patraturus præuidebatur vnà cum posteris suis, vt Ambrosius [h] docet. Vaticinabatur Noë dum maledicebat potiùs, quàm imprecabatur,inquit Theodoretus, alíque: vel si imprecabatur,id zelo faciebat iustitiæ, nec sine instinctu diuino. Merebatur autem maledictionem pœnæ temporalis,& seruitutis vel Cham etiam in filio, & posteris,vel ipsemet filius Chanaan, si sceleris Cham patris sui auctor fuit,aut particeps:vel posteri quoque propter præuisionem improbitatis eorum,quam dixi. Ad hunc modum visitat Deus impietatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt illum [i], qui nempe patrum suorum crimina imitantur; ita vt videatur interdum quam oblitus erat irrogare patribus pœnam, ea punire posteros imitatores ipsorum, vt videre est in Psalmo 108. [k] in historia Regum [l], & Tobiæ [m]. Quamquam possunt à Deo insontes in hac vita propter aliorum, ad quos pertinent, peccata puniri; quæ ipsa tamen pœna insontibus medicina salutaris est siue ad præcauenda similia peccata, siue ad augenda virtutum opera & merita, siue ad edenda aliis bona exempla. Hodiernùm ac vetus docet experimentum, maiorem partem mancipiorum esse ex antiquo genere Chanaan, quos Æthiopas, Mauros, & Nigros vocamus; qui sunt etiam hebetioris ingenij, & abiectioris inter quoslibet seruos alios conditionis.

h de arca & Noë. c. 32.
i Exo. 20. 5.
k vers. 14.
l 3. Reg. 17. 18.
m c. 3. 3.

Nec timens aliquem veniam dabas peccatis illorum.] Solent non rarò peruerti iudicia metu, ne damnatus,damnatíve affines & amici damnantem,licèt iustè damnauerit, damno afficiant. Iustus Iudex damni metu non impeditur à iustitia,sed valet virtute irrumpere iniquitates,non extimescẽs faciem potentis,nec ponens scandalum in æquitate sua [n]. Sicut re nulla eget Deus [o], ita nihil timet, qui etiam solo aspectu tremere terram facit [p],& *ad cuius nutum columnæ cœli contremiscunt,& pauent* [q], id est,montes,aut Angeli,aut ipsa firmitas cœli. *Numquid timens arguet te,& veniet tecum in iudicium; & non propter malitiam tuam plurimam, &*

n Eccli 7. 6.
o Ps. 15. 2. 2. Mach. 14. 35.
p Ps. 103. 32.
q Iob. 9. 6. & c. 26. 11.

A *infinitas iniquitates tuas?* inquit Eliphaz Themanites [a]. Ergo veniam dat spontè,liberè,liberali benignitate,nullum ex semine illo nequam,& perditissimis, obstinatissimísque peccatoribus detrimentum valens pati, nulla ratione in sua circa alios,résve alias prouidentia impediri.

a Iob. 22. 4.

Quocirca quòd lentè ac sensim puniti sunt Chananæi,nec prouenit ex ignorantia Dei,quàm graues essent iniquitates eorũ:nec quia non posset citò,& acerbiùs castigare: nec ob metum potentiæ maioris. Hoc vltimum sibi volunt vltima ista verba; duo priora continentur in præcedentibus. Omnis Tyrannus ac iniustus est item timidus,ac proinde sæuus: nam

B *Quem [b] metuunt,oderunt; quem quisque odit, periisse expetit.*

&;

Qui [c] sceptra duro sæuiùs imperio regit,
Timet timentes,metus in auctorem redit.

Tyranno amici quoque suspecti sunt [d]. Abundamus exemplis: inter sacra numeratur exemplum Pharaonis [e], Athaliæ [f], Herodis [g].

b Ennius.
c Senec. in Oedip. act. 3.
d Periander apud Aristo. 5. Polit. c. 10.
e Exod. 1. & seq.
f 4. Reg. 11.
g Matth. 2.

Vers. 12.] Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit,si perierint nationes,quas
C tu fecisti?

QVatuor quæ retardare Iudicẽ possunt, quominus liberè pronunciet in reum sententiã, vel exequatur pronunciatam, remouet auctor à Deo, vt ita constet quanta vtatur clementia, cui nullum esse impedimentum possit,si velit punire. Nam,vt acutè obseruat Olcot [h],declinant Iudices à iustitiæ rigore, aut propter superiorum Iudicum reuocationes:aut propter interpositas appellationes:aut propter futuras visitationes: aut propter sequentes persecutiones. Deus est Iudex supremus,vt non sit qui cognoscere valeat & reuocare sententias eius:vel ad alium appellare:vel irritare decreta: vel ob pœnas quas de noxiis
D sumpserit, intentare quid molestum.

h lect. 148.

Quis enim dicet tibi; quid fecisti?] *Numquid dicet lutum figulo suo;quid facis* [i]? siue *figmentum ei, qui se finxit; quid me fecisti sic* [k]? *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo* [l]? ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ Θεῷ, *ex aduerso,seu contrario respondens.* Talis ipsiusmet Dei apud Ieremiam [m] sententia; *Numquid sicut figulus iste,non potero vobis facere, domus Israël? ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël.* Idem de potestate figuli disertè ponitur capite decimoquinto [n] huius libri. [Famuli responsatores dicuntur,ait Ambrosius [o], sine quis alius,qui contra dominorum iussa promptè sua adhibent responsa.] *Quis dicere potest,cur ita facis?* inquit Iob [p].
E Præstat illos imitari,quos Esaias [q] Deo loquentes facit his verbis: *Et nunc Domine, Pater noster es tu,nos verò lutum: & fictor noster tu,& opera manuum tuarum omnes nos.*

i Esai. 45. 9.
k Rom. 9. 20.
l ibid.
m c. 18. 5. 6.
n vers. 7.
o in c. 9. Epist. ad Rom.
p c. 9. 12.
q c. 64. 8.

Quis stabit contra iudicium tuum?] Scilicet,vt antè dicebamus cum Apostolo [r],ἀνταποκρινόμενος, & responsans, & veluti partiens imperium & principatum cum Deo, & Iudex existens eorum quæ ipsum oporteat facere,ac explorans quid sic deceat, vel non deceat facere, vt exponit Theophylactus [s]. Alioquin non reprehenditur fidelis

r Rom. 9. 20.
s ibid.

inuesti

inuestigator eorum quæ Deum decent, inquit Chrysostomus [a]; vt fecisse scimus Danielem virum desideriorum [b], Ananiam Pauli baptizatorem [c], Mariam [d] ipsam; qua de re dixi in expositione historiæ Apostolicæ [e].

a hom.16.in epist.ad Rom. b Dan.9. c Act.9. d Luc.1. e supra.

Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum?] Hæc in textu Græco postponuntur alteri sententiæ, seu membro, quod collocatur in editione Latina. Sic autem habent Græca (ἢ τίς εἰς κατάστασίν σοι ἐλεύσεται ἔκδικος κατὰ ἀδίκων ἀνθρώπων;) Aldini codices, & alij legunt (καλάστασιν) sed corruptè, sicut ex Latinis qui (*Iudex.*) Vatablus vertit (*aut quisnam contra te vindex iniustorum hominum intercedat?*) Iansenius (*quis veniet tibi in oppositionem, & resistentiam? quis contraponet, & opponet se tibi? quis stabit contra te, vel vt vindictam sumat de te pro iis malis, quæ impiis intulisti, vel vt possit impedire, quominus impios punias?*) Editio Latina Sixtiana Græcam interpretans (*aut quis ad standum contra te veniet vindex pro iniquis hominibus?*) Non admittit aliquando intercessionem Deus sanctissimorum hominum, vt Noë, Danielis, Iob [f], pro peccatoribus; ac vetat etiam ne Ieremias oret, ac obsistat sibi, quoniam decreuerit non exaudire [g]: quanto poterit quisquam minùs tanquam vindex, & pro potestate decretam contra sceleratos impedire sententiam? De primis illis tribus nominatim Deus mentionem facit, quia Noë, vt notat Origenes [h], & cum ipso Hieronymus [i], perditi diluuio mundi restitutor fuit [k]; Daniel vidit liberationem populi de Babylonis captiuitate [l]; Iob ad priorem fortunam rediit [m].

f Ezech.14. 14. g c.7.16 c.11. 14 c.14.11. h homi 4.in Ezech. i in Ezech. k Gen 9. l Dan 1. m Iob.42.

Addit Hieronymus, atque Polychronius, & Theodoretus, non potuisse Noë prohibere diluuium: Danielem nullis fletibus imminentem captiuitatem mitigare: Iob domum propriam, filiósque liberare. Chrysostomus [n] oppositam dat rationem, quoniam hi suis temporibus etiam aliis salutis fuerunt causa; Noë filiis, vxoríque; Iob amicis; Daniel iis, qui Regis exponere somnia nequibant [o]. Tertia ratio est Hieronymi Pradi [p] nostri, cui priores non probantur, eo quòd essent insignis iustitiæ, præsertim inter nationes prauas ac peruersas, & in orando præferuidi, & quorum Deus ipse auctoritatem reuereri solebat, & preces exaudire. *Factus est Noë, qui perfectus erat, & iustus, in tempore iracundiæ reconciliatio* [q]: *Iob vir simplex, rectus, timens Deum, sanctificabat filios, consurgénsque diluculo offerebat holocausta pro singulis* [r]: Daniel multorum iudicio [s] virgo, assiduus erat in precibus [t]. Potuerunt alij nominari, vt Moses, qui toties exorauit pro populo, etiam Deo veluti prohibente ne oraret, ac ne se teneret, sed sineret punire populum ob scelus idololatriæ [u]; vt Samuel, qui peculiariter numeratur inter eos qui inuocant nomen Dei [x], quique à Deo prohibitus quoque est ne pro Saül oraret inobediente, & ab ipso iam reprobato, & derelicto [y]. Sed trium illorum enituit magis pietas in medio nationum prauarum. Quamquam & illorum aliorum duorum Mosis & Samuelis mentio fit apud Ieremiam [z].

n hom.47.in Genes. o Dan.2. p in Ezech. c.14. q Eccli 44. 17. r Iob.1 5. s Hieron.1. contra Iouin. Epiphan.in vita Daniel. Doroth.in synopsi. Damasc.lib.4. c.15. t Dan.6.10. c.9.3.4.23. u Exod.32. 10. x Psal.98.6. y 1.Reg.15. z c.15.1.

Verumtamen melior sensus præsentis loci nostri videtur non de intercessore ac oratore, sed de contradictore, qui possit de vltricibus Dei manibus eripere sontes; aut quasi Deus puniendo illis faciat iniuriam, de Deo ipso vindictam repetere. Hoc vltimum magis præ se ferunt Græca. Nam εἰς κατάστασιν ἔρχεσθαι τινὶ, *in constitutionem venire alicui*, est iudiciū constituere contra aliquem, vt indicat Budæus [a]: vel sedationem, id est, vt sedet, atque compescat; definit enim Aristoteles [a] πραΰνσιν esse κατάστασιν, καὶ ἠρέμησιν ὀργῆς: vel exhibitionem, hoc est, vt se exhibeat tanquam defensorem, vltorem, &c. Interpres Latinus ad hanc vltimam notionem videtur respexisse cùm reddidit (*in conspectu tuo veniet*) nec tamen exclusit alias. Ἔκδικος verò *vltorem*, ac *defensorem* significat, necnon *assertorem*, & *vindicem*: præterea *persecutorem*, cuius erat munus iudicio experiri contra eos, qui aurum, vel argentum, vel pecuniam Reipublicæ debebant, quem vocant etiam ἐκδικητὴν, vt idem Budæus [b] tradit. Latinam fecit *ecdicorum* vocem Cicero [c], quos ait idem adhuc Budæus [d] in municipiis fuisse, vt Romæ erant Tribuni plebis, videlicet plebis causam aduersùs iniuriam optimatum tuentes. Quadrat optimè proposito hæc τοῦ ἐκδίκου acceptio, quasi esse possit aliquis, qui tueri causas valeat aduersùs iniurias Dei, iis ab ipso illatas quos punit. At *si fortitudo quæritur*, inquit Iob [e], *robustissimus est: si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere. Mea est vltio*, ait Deus [f], siue vt Paulus [g] citat (*mihi vindicta*) *& ego retribuam*, &c. *Videte quòd ego sim solus, & non est qui de manu mea possit eruere.*

a comment. ling.Græcæ. a in Rhetor. b in pandect. c lib.3.ep. famil.ep.56. d ibid. e c.9.19. f Deut.32. 35 g Rom.12. 19.

Aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?] Græcè (τίς δὲ ἐγκαλέσει σοι κατὰ ἐθνῶν ἀπολωλότων, ἃ σὺ ἐποίησας; *quis autem accusabit te*, vel *in crimen vocabit, quis queretur tecum de gentibus perditis*, seu *quæ perierunt, quas tu fecisti?*) Nam cùm eas feceris, & sis earum Dominus, potuisti iustè perdere, cùm id mererentur. Potuit idipsum quoque, licèt nulla præcederet demerita, vel hoc nomine duntaxat, quia dominium absolutū habet: imò si beatos omnes, nullo excepto, aut ad æternas deiiceret pœnas, aut redigeret in nihilum, nullam iis iniuriam faceret. Ad hoc valet comparatio, de qua diximus, ducta ex figulo & luto, quia in potestate figuli est, vel vas ex luto facere in contumeliā, vel vas quod in honorem fecit [h], conuertere in vsum contumeliosum, penitúsve confringere, hac sola de causa quia vult, & non quòd alia in vasis ipsis causa subsit, cur ita fiat, aut fieri debeat. Latini fere declarant ideo non posse imputari Deo, quòd pereant homines quos fecit, quia quos fecit, nollet perire, nec posuit illos in iram, sed in acquisitionem salutis [i], & *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* [k], & *sustinet in multa patientia vasa iræ apta in interitum* [l], quæ se nimirum ipsa, vt exponunt Hieronymus [m] & Oecumenius [n], hoc modo aptauerunt.

h Rom 9 21. 2.Tim.2.21. i 1. Thes.5.9. k 1.Tim.2.4. l Rom 9 22. m ad Hedib. q.10. n in c.9. Epist. ad Rom.

Colligitur porrò ex hac sententia confutatio facientium Deum auctorem reprobationis absque respectu ad opera mala: volentium ipsamet opera mala fieri ab ipso, nec euitari à nobis posse: asserentium Deum debuisse liberare genus humanum à peccato: dicentium fore iniquum si cui negaret auxiliū sufficiens ad salutem. Nam juxta posteriorem sensum damnatio imputanda est non Deo, sed peccatis, quæ qui damnantur contraxerunt. Iuxta priorem autem nulla imponitur Deo necessitas res, quarum plenissimum habet dominium, & quibus non eget, conseruandi & seruandi. Et quidem prima gratia datur inimicis, ideóque modis omnibus est indebita. [Non simus, inquit Augustinus [o], ingrati, quòd tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, vt si inde neminem liberaret, non esset iniustus. Si deleat Deus eos qui sunt, facere pro iis potest aliam gentem magnam [p], & de lapidibus

o de bono. perseu.c.8. p Exo.32.10.

suscitare

a Matt.3.9. b Iob.34.23.24. c Bonauent. in vita. d Luc.17.10. e Thren.3.22. f Psal.15.2. g Ps.103.29.

suscitare [a]. *Neque enim vltrà in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium:conteret multos,& innumerabiles,& stare faciet alios pro eis* [b].] Simile quid B.Francisco Deus respondit, cùm querimoniam apud eum exponeret de onere molesto tantæ familiæ,quam regebat [c]. Excitat hæc in nobis cogitatio valdè modestiæ timorísque studium,quoniam Deo necessarij non sumus, & quidlibet de nobis statuat,iure facit suo, etiamsi perdat, damnet,in nihilum redigat;ita vt misericordiæ ipsius sit, quòd inutiles serui [d] non consumamur [e]: & quid summum bonum eget bonis nostris [f], vel etiam creatis bonis vniuersis, quo auertente faciem suam,omnia turbantur, ablato ipsis spiritu suo deficiunt,in puluerem suum reuertuntur [g]?

Vers. 13.] Non enim est alius Deus quàm tu,cui cura est de omnibus, vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium.

h Deute.32.35. i vers.37. k vers.39. l c.45.c.5.6. & 21.22. m ibid.14. n Esa.43.10. o Esa.44.7. c.46.9. p Deut.4.39. 3.Reg.8.23. q Ps.82.19. r Ps.85.10. f Deut.6.4. Matth.19.17. 1.Cor.8.6. Gal.3.20. Ephes.4.5. 1.Tim.2.5. t vers.8.

IDcirco non est qui valeat Deo imputare nationum perditionem, vel de hac illum in ius vocare,quoniam nō est Deo alius superior. Dum loqueretur Moses de perdēdis iisdem populi aduersariis nationibus, inducit loquentem Deū [h]; *Mea est vltio*, &c. *Vbi* [i] *sunt Dij eorum,in quibus habebant fiduciam,*&c.*Videte* [k] *quòd ego sim solus,& non sit alius Deus præter me*,Hebr.*Videte nunc quia ego,ego ipse,& nō Dij mecum*,nempe alij,vt mecū & contra me pugnent.Repetit quoq; apud Esaiam Deus [l]; *Ego Dominus,& non est amplius:extra me non est Deus: ego Dominus, & non est alter: ego Dominus, & non est alius :numquid non ego Dominus,& non est vltrà Deus absque me? Deus iustus,& saluans* (qui iustè perdere valens,tamen saluo) *non est præter me:ego Deus,& non est alius*.Esaias [m] ipse idipsum profitetur;*Tantùm in te est Deus,& non est absque te Deus.* Id est,tu solus, ô popule Hebrææ, Deū colis,vel vos Apostoli, & Ecclesiæ Doctores orthodoxi, nec alius quærendus,qui colatur Deus. Sunt alia permulta loca, in quibus eadem vnitas Dei confirmatur. Ante ipsum negatur alius formatus,vel post eum futurus [n]:vocatur primus & nouissimus, cui non sit similis [o]: dicitur Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum [p]: nominatur Deus altissimus super omnem terram [q]: appellatur solus faciēs mirabilia [r]:denique vocatur vnus [f].

Cui est cura de omnibus.] De ista egimus capite sexto [t], vbi dicebatur æqualiter esse Deo curam de omnibus. Hinc optimè colligitur non esse alium præter vnum Deum, & ipsi aptissimè congruere quadriliterum Hebræum nomen יְהֹוָה *Iehouah*, quod putant ab *esse* deriuari, & significare Deum esse ipsissimum ens, omnísque fontem entis.

u Psal.50.6. Rom.3.4.

Iudicas iudicium.] Græcè (*ἔκρινας,indicasti*) videlicet puniendo;nec est Græcè nomē *iudicij*.Ostendit Deus se non iniustè iudicare ac punire, ex eo quòd inter puniendum adhibet curam, lentè ac remissè id faciendo,& pœnitendi spatium dando, vt antè dictum est. Sic vincit (Hebraicè תִּזְכֶּה *thizcheh, purus sis,irreprehensibilis,inculpatus*) quando iudicatur [u], id est, quando damnatur ab impiis, quasi nimis durus, ac sæuus,& iniquus;& deprehenditur misericorditer punire grauiora commeritos.

Vers. 14.] Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti.

A NOn modò cœlitum nullus,qui & à te creati sunt, sed nec præstantes potentia homines, seu eam iustè habeant,exerceántque, seu iniustè, aspicere contra te,ac in faciem contradicere possunt de his,in quos animaduertisti.

a Act.19.9. b Psal.118.137.

Tyrannus.] Græcè (*τύραννος.*) In malam partem videtur nunc accipi, & Regi opponi, licèt aliquādo sumatur in bonam,vt alias docuimus [a]. Iusti,iniustíque,quantauis polleant potentia, nec resistere,nec saltem meritò contradicere Deo valebunt; sed vel inuiti fateri debebunt; *Iustus es Domine,& rectum iudicium tuum* [b]: quod diuinitus animaduersum Imperatorem Mauritium ferunt respondisse.

c c.27.15.

In conspectu tuo inquirent.] Græcè (*ἀντοφθαλμῆσαι δυνήσεται σοι, ex aduerso obtueri poterit in te*) vt solent B in iudicio cōtendentes facie in sese mutuò versa aspicere;vultum vultui opponere; constanter ac fixè oculos alter in alterum conuertere. Denique contendentes haud æquis oculis intuentur seipsos. Vtitur hoc eodem verbo Lucas in Actibus Apostolorum [c], *ἀντοφθαλμεῖν ἀνέμῳ* dicens, quod Interpres *conari in ventum*. E contrario dicimus nos non audere oculos leuare contra illum qui nobis formidabilis est, & cui non audemus vllo modo reluctari,sed cedere cogimur.

Quos perdidisti.] Græcè (*περὶ ὧν ἐκόλασας,de quibus torsisti,* vel *punivisti.*)

C *Vers.* 15.] Cùm ergo sis iustus,iustè omnia disponis: ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute.

d lib.83. quæst.q.53. e 3.moral c.11. f 5. hypotyp. post.c.4.

REquirebat hic locus correctionem, si quis alius in hoc libro,imò & in aliis. Nam plurimi codices Latini, etiam quibus Expositores Latini vtuntur, legebant hoc modo (*cum ergo sis iustus, iustè omnia disponis:ipsum quoque qui non debet puniri condemnas, & exterum æstimas à tua virtute.*) Quamuis autē iuxta lectionem istam sensus tradatur quòd Deus illum,qui non debet puniri secundùm hominum iudicium, condemnet secundùm iudicium suū,& exterum æstimet à sua virtute, D id est, à pietate, quæ Deo maximè propria virtus est: vel quòd eum, qui non debet puniri pœna salutari, per quam emendetur, quia indignus est hoc beneficio, & præuidetur,si daretur, eo non vsurus, condemnat, ad pœnas nimirum æternas:vel quòd innocentem, qui non meretur pœnas ob peccata, temporalibus quandoque punit pœnis, ad maius eius meritum, & aliorum exemplū,permittitque vt à virtute,hoc est,à protectione sua exterus videatur, ac veluti destitutus:licèt, inquam, hæc vera sint,& dictæ lectioni accommodata (quam sequitur quoque Augustinus [d], & Gregorius [e], quamuis Louanienses in editione Augustini particulam (*non*) expunxerint) E quæ glossæ afferunt, Lyranus,Hugo,Bonauentura,Oleot,Carthusianus;tamen emendatæ lectioni non conueniunt,& sententiam, quæ in verbis haud ita bonum continet sensum, obscuram reddunt.

Quocirca iam non erit necessaria Cantapetrensis [f] annotatio, qua docens ironicè multa in Scripturis dici, id hoc illustrat loco, pro vt antea legebatur, vúltque suppleri (*absit vt hoc dicamus.*) Ait verò etiam sic legere,& exponere Gregorium in moralibus in loco quodam, qui sibi

non

non succurat: sed cum reperies in libro tertio capite 11. vbi de Christo interpretatur, qui quæ non rapuit, exsoluit [a]; & eum Pater puniendo, cuncta rectè disposuit, & iustificauit peccatores, quorum ille iniustitiæ damna sustinuit. Eundem mysticum sensum ponit hoc loco glossa interlinearis, & ordinaria, & defensor Romanæ Ecclesiæ in disceptatione synodali ad Osboriū in Germania ex Petro Damiani, quā recitat Baronius [b]. Qui sensus cum aliis, retenta eadem illa lectione, priùs allatis euertit argumentum eorum, qui probabant inde nullam dari causam reprobationis ex parte reproborum; sed ante præuisa peccata decreuisse Deum sola sua voluntate quosdam à regno excludere. Respondet Gabriel Vazquez [c] ad præsentem locum iuxta vnum ex dictis sensibus, si ea retineatur lectio; sed simul bene monet, emendatam, quæ retineri debet; omnem difficultatem remouere, sicut sanè remouet. Potiùs fauet hic locus eo lectus modo quo debet articulo de peccato originali. Nam omnis pœna, si iusta est, pœna peccati est, inquit Augustinus [d], & supplicium nominatur: morimur autem omnes, quia Deus minatus est in parente nostro nobis; *quacumque* [e] *die comederis ex eo, morte morieris, & per peccatum* [f] *intrauit mors in orbem terrarum*; illud, inquam, *peccatum per vnum hominem, in quo omnes peccauerunt*, ita vt mors sit stipendium peccati [g], & aculeus eius [h]. *Non portat filius iniquitatem patris, sed anima quæ peccat, ipsa morietur* [i]. Denique, vt est in Concilio Arausicano [k], iniustitiam Deo dare conuincitur, qui mortem, quæ est pœna peccati, sine peccato, quod est meritum mortis, ad nos transisse dicit. Vocat Concilium iniustitiam posita lege ac pacto Dei, & creatione primi hominis in iustitia originali, quæ, nisi peccaret, posteris erat communicanda. Alioquin iam antè docuimus, posse mortis damno, imò & annihilationis affici hominem, omnémque creaturam sine vlla iniuria, etiamsi nullum homo peccatum contraheret.

Porrò facile fuit errare in præsentis loci lectione, vt pro (*condemnare*) poneretur (*condemnas*) & adderetur coniunctio (*&*.) In omnibus codicibus Græcis constanter habetur (*αὐτὸν τὸν μὴ ὀφείλοντα κολασθῆναι καταδικάσαι, ἀλλότριον ἡγέμενος τῆς σῆς δυνάμεως, non debentem puniri condemnasse*, vel *condemnare, alienum arbitrans à tua virtute*, siue *potentia*) hoc est, vt potentia vtaris, non habendo rationem demeritorum in iis quos punis. Correctionem istius loci continent Biblia Latina Louanij excusa à Bartholomæo Grauio anno 1547. & Plantiniana anno 1565. & Sebastiani Gryphij Lugdunensia anno 1550. & alia non adeò vetera: atque hac de re monuerunt Vatablus, Ioannes Benedictus, Iansenius, Osorius. Legi præterea in quibusdam codicibus manuscriptis (*ipsum quoque, ô Pater*, &c.) Quod sine dubio addidit aliquis, illum secutus sensum de Christo, quem Pater pro nobis tradiderit, velutíque condemnauerit.

Exterum æstimas à tua virtute.] Græcè (*ἀλλότριον ἡγέμενος τῆς σῆς δυνάμεως.*) Non est *δύναμις* virtus moralis, sed potentia, facultas, robur, quæ dicitur etiam sequenti versu *ἰσχὺς*. Omnipotentiam suam Deus miserando & parcendo maximè manifestat; non puniendo etiam noxios: multo igitur minùs videri vult potens, si puniat innoxios. Hoc nescio quo alio capite priùs ostendi [l].

a Psal.68.5.
b tom.11.anno 1062.pag. 112.
c in 1.p tom. 1.disp.95.c.7. n.37.
d 1.retra.2&c. 9.
e Gen.2.17.
f Rom.5.12.
g infrà 6.21.
h 1.Cor.15. 55.
i Ezech 18. 20.
k can.1.
l c.11.24.

A

Vers. 16.] Virtus enim tua iustitiæ initium est, & ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.

SOlis prouocatus peccatis potentiam exeris ad puniendum: hæc namque non sciungitur à iustitia, sed illa huius est fundamentum, vt non adhibeatur nisi cùm ipsa exigit: clementia verò tua, quæ cum infinita potestate coniungitur, facit vt omnibus ignoscere velis; ideóque sua pereunt culpa qui pereunt, quippe qui ob insitam prauitatem, & perniciaciam, clementiæ participes esse noluerint.

B

Virtus.] Græcè (*ἰσχὺς, robur, potentia*) vt antè dixi. Quare neque Filius Dei immolatus, vt voluit glossa interlinearis, hìc intelligitur; neque, vt Lyranus, potentia Dei, quæ maximè in impij inflictione conspicitur; neque pietas & misericordia, secundùm quam saluamur, vt Hugo, Bonauentura, & Olcot [a]; vel fides in Deum; vel correctio, qua corrigit Deus, vt idem Hugo. Meliùs Carthusianus per virtutem & potentiam ipsummet, Deum intelligit, qui est regula & mensura omnis iustitiæ, vt hoc ipso quòd aliquid iudicet esse iustum, sit etiam tale.

Iustitiæ initium est.] Græcè (*ἀρχὴ.*) Significare quoque potest *principatum*, vt nempe potentia suum principatum iustitiâ moderetur; & sic Deus potens ac Princeps esse ac haberi velit, vt etiā iustus, & pro meritis cuique reddens. Impij vsurpāt

C

illud tyrannicum vt sermone, sic re ipsa, quod audiuimus capite secundo [b]; *sit fortitudo nostra lex iustitiæ, ἔστω ἡ ἡμῶν ἰσχὺς νόμος τῆς δικαιοσύνης. Potens es Domine*, inquit Dauid [c], *& veritas tua in circuitu tuo*; veritas in promissis, & iustitia ipsa.

Et ob hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.] Græcè (*καὶ τὸ πάντων σε δεσπόζειν, πάντων φείδεσθαί σε ποιεῖ, & omnium te dominari, omnibus parcere te facit*) id est, quòd omnibus domineris, efficit vt omnibus parcas: tuus in omnia dominatus facit vt parcas omnibus: hoc ipsum quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facit. Nimirum qui præest potētiā, mitescit naturâ, inquit glossa interlinearis, & punit citra condignum, ait Lyranus. Auctor naturæ pleraque animalia quo

D

robustiora fecit, hoc etiam ad clementiam quodammodo proniora, qualis est leo. Hę Romanorū in gubernando artes, quas laudat Augustinus [d];

Parcere [e] *subiectis, & debellare superbos.*

Sed nos hac de re satis capite priore. Collegit Cerda noster in Scholiis Virgilianis testes dicti præconij de gemina illa laude Romanorum. Affine illud ex Horatio de Augusto in carmine seculari;

Imperet bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.

E

Item de vrbe Romana cecinit Sulpicia Poëtria;

——— *duo sunt, quibus extulit ingens*
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.

Tribuit Græcis laudem Aristides [f] eamdem; *ἀνδρῶν γάρ ἐστι καθ' ὑμᾶς τὴν φύσιν, τοὺς μὲν ἀνθεστηκότας καθείργειν τοῖς ὅπλοις, τοὺς ὑποπεπτωκότας ἠπίως μεταχειρίζεσθαι: est enim vestrorum hominum ingenium, resistentes quidem cohibere armis, subiectos, ac veluti decidentes, leniter tractare.*

Vers. 17.] Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, & horum qui te nesciunt, audaciam traducis.

a lect.149.
b vers.11.
c Psal 88.9.
d 5.de ciuit. c.12.
e Aeneid.6.
f orat.1. de pace.

VIs quidem parcere tu qui vales potentia, latiſſiméque dominaris: at homines metu depoſito, potentiæ illius tuæ magnitudinem credere recuſant, nec volũt agnoſcere teneri te nõ poſſe, quominus quæ velis efficias: idcirco declaras potentiam operibus admirandis, atque impiorum pertuicaciam retundis, & planè conuincis; quales fuerunt Gigantes, qui turtim ad cœlum vſque
a Geneſ.11. excitare moliti ſunt [a], necnon Sodomitæ, atque Ægyptij, Chananæi, &c.

Virtutem.] Græcè (ἰσχὺν, *potentiam.*)

Qui non crederis eſſe in virtute conſummatus.] Complutenſes, Regij, aliique libri (*confirmatus.*) Græcè (ἀπιστούμενος ἐπὶ δυνάμεως τελειότητι, *qui non crederis vim, robur, potentiã habere perfectã; in vis, roboris, potẽtia perfectione eſſe.*) Idololatræ hoc non credunt: qui credunt, ſed operibus bonis nõ reſpondent, factis
b Tit.1.16. negant [b]; & infinitatem potentiæ cõprehẽdere nõ valentes, quam ſimul oderunt, obſtupeſcunt. Prouocant vtrique Deum, vt ſuam exerat in eos ſeuerè potentiam, & euidentia illis eius documenta edat. *Qui* [c] *dicebant Deo: recede à nobis; & quaſi*
c Iob.22.17. *nihil poſſet facere omnipotens, æſtimabant eum. Non fa-*
d Sopho.1.12. *ciet Dominus bene, & non faciet Dominus malè* [d]; dicunt viri defixi in fæcibus ſuis.

Et horum qui te neſciunt, audaciam traducis.] Græcè (καὶ ἐν τοῖς εἰδόσι τὸ θράσος (alij θάρσος) ἐξελέγχεις, *& in ſcientibus audaciam redarguis.*) Vatablus (*& contumacia preditos redarguis.*) Græca ſenſum triplicem gignunt: vel in iis, ac inter eos, qui ſciunt audaciam, id eſt, audaces ſunt, Deum potentiam ſuam declarare: vel eos, qui ſcientes probéque intelligentes potentiam infinitam Dei, ſed nihilominus pertuicacia quadam animi ſunt improbi, nec faciunt voluntatem Domini, quam ſciunt, Deum redarguere, ac efficere vt effecta experiantur potentiæ, quam non ignorant: vel inter eos, & in conſpectu eorum, qui ſciunt redargui audaciam ignorantium, verbi gratiâ, coram Hebræis auda-
e lib.83.qq. q.51. ciam Chananæorum, &c. Auguſtinus [e] quoque legit (*ſed in iis qui ſciunt, audaciam traducis.*) In Complutenſibus, Regiis, aliiſque libris ſic eſt (*& hos qui te neſciunt, in audacia traducis*) id eſt, aut qui præ audacia te neſciunt, aut quos neſcientes te, tu in audacia traducis & corripis, hoc eſt, liberè, nec iis parcẽdo. Expoſitores ferè legũt (*in audacia*, vel *in audaciam traducis*) ſenſúmque reddunt, quòd permittat Deus de peccato in peccatum illos labi qui neſciãt ipſum, ſcilicet infideles, quoniam ex hoc quòd ipſum ignorant, audacter peccant. Hoc modo Lyranus. Hugo autem explicat, tales Deum traducere à ſe, & à conſortio ſuo, in audaciam, quia punit ac eiicit illos à ſe audacter: vel eos qui neſciant correctionem Dei, ſeu quos ipſe non puniat, traducere Deum in audaciam, quia ſic peccandi liberiùs occaſionem præbet, *quia enim non proferiur citò contra malos ſententia, abſ-*
f Eccle.8.11. *que timore vllo filij hominum perpetrant mala* [f]. Carthuſianus, ob audaciam, qua ſe putant impij impunè peccare, & audacter prouocãt Deum, duci à Deo de culpis ad pœnas: vel permitti de vitiis in vitia labi; quamuis interdum tales Deus miſericorditer traducat de ignorantia & perfidia ad fidei veritatem, & ad gratiam. Bonauentura, traduci eos qui neſciunt Deum, & ſunt infideles, in audacia à Deo, quia Deus ducit eos audacter ad pœnam, quam merentur eorum iniquita-
g verſ.20. tes, de quibus cap.4. [g] *traducent eos ex aduerſo iniquitates ipſorum.*

Si verbi Græci ἐξελέγχεις notionem noſſent Latini iſti, non laborarent, vimve facerent in Latino (*traducis.*) Iam aliquoties monui, ſignificare *conuincere, redarguere, corripere*, &c. Præterea, ſi retineremus (*in audacia*) vel (*in audaciam*) diceremus ſenſum eſſe, quòd Deus hos qui neſciunt ipſum in audacia, id eſt, quos audacia in ignorantia obfirmat: aut in audaciam, id eſt, ita vt eos ignorantia in audaciam præcipitet, traducit, id eſt, conuincit, & pœnis redarguit. Hac ratione lectio illa à tam multis vſurpata (*& hos qui te neſciunt, in audacia*, vel *in audaciam, traducis*) non diſcrepabit ſenſu ab emendata (*& horum qui te neſciunt, audaciam traducis.*) Lucas Brugenſis præfert iſtam lectionem (*& horum qui ſciunt, audaciam traducis.*) Non hoc nunc faceret poſt approbationem Pontificiam editionis correctæ: nec Nannij reiiceret coniecturam, legiſſe Interpretem (καὶ ἐν μὴ εἰδόσι.)

Verſ. 18.] Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe.

ILlos quidem qui ſunt in peccando pertinaces, velut quadam adactus neceſſitate, ac inuitus punis. Attamẽ, quod in te eſt, potentiã iſtam tuam ita cohibes, tantáque moderaris æquitate & parcitate, vt omnes bene intelligant, te nõ niſi cùm libuerit, & quo modo placuerit, vti potentia, illámque ipſam tuo ſubiectam imperio ac voluntati nunc laxari, nunc retineri.

Dominus virtutis.] Græcè (δεσπόζων ἰσχύος, *qui dominaris fortitudini.*) Quod intelligi dupliciter poteſt: aut qui præditus es omni fortitudine, robore, potentia, & es in hac conſummatus & perfectus, quod non credunt quidam, vt præcedente verſu dictum eſt; aut qui vim ac potentiam ſub tua habes poteſtate, ita vt nec ſinas alios abuti ea, quam habent, in aliorum perniciem, nec ipſe tua niſi moderatè vtaris. Auguſtinus [a] legit (*Dominus* a lib.83.qq. q.51.
virtutum.) Sic vocatur crebrò, id eſt, exercituum Angelicorum, &c.

Cum tranquillitate iudicas.] Græcè (ἐν ἐπιεικείᾳ, *in æquitate*) non ſummo iure, cum moderatione; non pro poteſtate tua cuique reddens pœnas, vel peccata metiens ex propria eorum grauitate, & tua poteſtate, cùm poſſis puncto temporis peccatores funditus perdere; ſed cum hominum imbecillitate ſuppliciorum velut inducias faciẽs, non præcipitans ſententiam, non exactum iuſtitiæ rigorem exigens. Hoc quia faciunt qui ſunt ſedato, pacatóque animo, & perturbationibus, iræ potiſſimùm, libero; & qui proniores ſunt ad clementiam, & piam quam vocant iuris interpretationem, quod ἐπιείκεια ſignificat, Interpres rectè *tranquillitatem* poſuit; cum qua iungitur illa quæ à Carthuſiano additur vacuitas occupationis, hoc eſt, vt non egeat Deus mora & moleſta diſquiſitione.

Tributur Deo ira perſæpe, verùm abſque imperfectione. *Numquid* [b] *me ad iracundiam pro-* b Iere.7.19.
uocant, dicit Dominus? nõnne ſemetipſos in confuſionem vultus ſui? hoc eſt, non iraſcor ego propriè, nec turbor, ſed ipſi ſe dignos efficiunt ira mea propter ſcelera ſua, quibus theſaurizant iram [c], & c Rom.2.5.
euadunt vaſa iræ [d]. Lactantius librum de ira Dei d infra 9.22.
ſcripſit contra negantes omnino iraſci Deum.

a c.23.6. *Nolo*, ait Iob [a], *multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.* Cùm insurgit ira, suspendi debet sententia, præsertim capitalis, vt exemplo & lege Theodosij senioris probari potest, aliísque permultis, quæ sunt apud Senecam libris de ira, & nos alia occasione attulimus alibi. b 13. de Trin. c.16. Augustinus [b] adhuc legens (*tu autem Dómine virtutum*, &c.) & iram Dei nihil aliud, quàm iustam vindictam docens esse, infert ex hoc loco, non sicut hominis perturbationem esse iram Dei, sed illius iram esse, cui nunc ista dicuntur. Tunc verò argumentatur. [Si ergo iusta diuina vindicta tale nomen accepit, etiam reconciliatio Dei, quæ rectè non intelligitur, nisi cùm talis ira finitur, iuxta illud [c], *salui erimus ab ira per ipsum.*] c Roma.5.8.

Et cum magna reuerentia disponis nos.] Græcè (καὶ μετὰ πολλῆς φειδοῦς διοικεῖς ἡμᾶς, *& cum multa parcitate, parsimonia, indulgentia, venia, maximè parcens* (inquit Isidorus Clarius) *gubernas nos*) etiam quantum ad pœnas ipsas, in quib. valdè parcus esse soles. Aliter appellatur φειδωλὴ affectus ille, quo adducimur ad parcendum, commiseratio, misericordia; quod nomen Græcum alio Suidas exponit τῆς εὐσπλαγχνίας, quo denotatur viscerum commotio & sympathia. Talis Gordiani Imperatoris, cùm esset iunior; vt ad æqualium flagra quæ præceptor infligebat, tenere lacrymas non posset [d]. d Sabell. lib. 6. Ennead.7.

Reuerentia igitur hoc loco non est honoris, quo Deus prosequatur homines, vt voluit Carthusianus, benignè gubernando, ad pœnitentiam expectando, gratiam, amicitiámque suam offerédo, Angelos in custodiam deputando: nec est culmen dignitatis humanæ, vt Saluianus [e] loquitur, cui Deus quodammodo habeat honorem: nó etiam, vt priori videtur, significat Deum præclarè ac magnificè, vt eius decet Maiestatem, gubernare; sed est cum amore, qui quendam habeat adiúctum timorem, pœnas temperare, vt solet benignus pater, cauens ne ad iracundiam prouocet filios [f], & arguens in virga virorum בשבט אנשים [g], *bischebet anaschiman virga imbecillium*, quibus manus tremere videntur cùm filios castigant. Cantacuzenus illustrat exemplo cautè seruantis vitrum, ne fortè labatur, aut duriori cuipiam rei illisum pereat: præterea tractantis exile quid & admodum imbecillum, qualis aranearum tela. *Nouit Deus figmentum nostrum* [h], & fictilia vasa nostra [i], neque nos tentari finit supra id quod possumus [k]. Nec displicet, si quis interpretetur habere se Deum ad modum sinammer reuerentis potentiam, ne totam exerat, ne sine modo ea vtatur, ne demeritis exæquet puniendo.

e lib. 2. de prouid. f Ephes.6.4. g 2.Reg.14. h Ps.102.14. i 2.Cor.4.7. k 1.Cor.10.13.

Subest enim tibi, cùm volueris, posse.] Non punis statim peccata, nec merito supplicio; quia id potes quando, & quo modo vis: & cùm fuerit opportunum, tibíque placuerit, nullus euadet potentiam tuam. Hinc bene colligunt Hugo & Bonauentura, plura Deum posse quàm velit, nec operari necessitate naturæ, sed voluntatis arbitrio. Differit hac de re Anselmus [l] egregiè. [Quare, ait ille inter alia, quoniam omnia quæ vult (Deus) & non nisi quæ vult, facit, sicut nulla necessitas, siue impossibilitas præcedit eius velle, aut nolle; ita nec eius facere, aut non facere; quamuis multa velit immutabiliter, & faciat.] Sequitur præterea voluntatem efficacem Dei semper impleri, & eam esse, qua volente, vel permittente fit, quidquid fit, vt Augustinus [m] docet, ac B. Thomas [n]. Quædam Deus dicitur non posse, quia fieri ipsa non possunt, vt idem monet Anselmus [o], & impotentiam inuoluunt, non potentiam; vt ea non posse, sit potiùs maxima potentia, vt non posse mentiri [a], non posse seipsum negare [b], &c.

l 2. cur Deus homo c.17. m enchirid. c.96. n 1. p. q. 19. art.6. o sup. & in elucidario.

a Heb.6.18. b 2.Tim.2.13.

Videri hinc quoque posset colligi distinctio, iuxta modum nostrum concipiendi, attributi potentiæ ab attributo voluntatis in Deo, ita vt ratio agendi non sit voluntas, aut etiam intellectus, sed vis & facultas operatiua. Quamuis autem secundùm rationem intelligendi potentia præcedat voluntatem; tamen idcirco nunc dicitur (*subest tibi, cum volueris, posse*) & non è contrario (*subest tibi velle, cùm potueris*, seu *cùm possis*) quoniam, vt notat Bonauentura, potentia præcedit in essendo, sed voluntas in agendo, hoc est, applicat ad agendú potentiam: potest namque multa quæ non facit Deus, quia non vult. Postremò docemur hoc loco tam facile Deo esse posse, quàm velle: petitur tamé in oratione Dominica, vt eius volútas fiat [c]; sed ita vt ipsi faciamus, quæ vult ille volútate signi, hoc est, præcepti, aut consilij, fieri à nobis, non autem quæ vult voluntate beneplaciti absoluta. Docent id Expositores orationis Dominicæ, Cyprianus præsertim. c Matth.6.10.

Vers.19.] Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iustum esse & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ.

EX tanta illa Dei facilitate, & clemétia populo tuo exemplum extitit, clarissimúmque documentum, vt admisceatur iustitiæ humanitas, & beneficentia: præterea vt magnam spem conciperet fore, vt si cùm deliquerint, eos pœnituerit, illos denuò recipias.

Docuisti enim populum tuum per talia opera.] Homo imago Dei, debet eius esse, vt ita dicam, imitago, illúmque, quoad potest, imitari, & perfectus esse, sicut ille est [d], & sanctus, quemadmodum idem est [e], & imitator eius, sicut filius charissimus [f]. Quod quò faciliùs fieret, induit Deus naturam nostram, factus externum exemplum, vt sequeremur vestigia eius [g]; apparuítque gratia, benignitas, & humanitas Saluatoris erudiens nos [h], vt omnis eius actio nostra esset instructio [i]; & faceremus iuxta exemplar quod nobis in monte monstratum est [k], vbi ille tandem crucifixus est. *Nónne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum* [l]?

d Mat.5.48. e Leuit. 11. 44. c.19. & c. 20.7. 1.Pet.1. 16. f Ephes.5.1. g 1.Pet.2.21. h Tit.2.11. c.3. 4. i Gregorius. k Exo.25.40. Hebr.8.5. l Mat.18.33.

Per talia opera.] Habent interdum emphasim *talia*, & τοιαῦτα, ac velut qualitatem insignem. Opera autem clementiæ & misericordiæ solent insigniter notari, & approbari, & celebrari. Indicatur quoque huiusmodi esse hæc opera Dei, quæ quálibet conemur imitari, æquare non valeamus propter infinitatem.

Oportet iustum esse & humanum.] Græcè (δεῖ τὸν δίκαιον εἶναι φιλάνθρωπον, *oportet eum qui iustus est, esse humanum*) nempe etiam humanum; vt rectè adiecta sit ab Interprete coniunctio, quæ vim habet non tam coniungendi, quàm illam, quam dixi. Auctor libri de vita Christiana apud August. [m] sic recitat (*docuisti enim populú tuú per talia opera, quoniá oportet iustos esse & humanos.*) Id affert, vt probet populú Hebræum ob hanc causá cunctis afflictum esse miseriis, vt misereri alteri suo m tom.9.c.8.

doceretur exẽplo. Cantacuz. tum in textu, tũ in paraphrasi adhibuit particulã cõnectentẽ. Iustitia sine benignitate sæuitia videtur, cũ quis est iustus multum[a]: summum ius, summa iniuria. *Misericors, & miserator, & iustus Dominus* [b]: misericordia & veritas obuiant sibi, iustitia & pax osculãtur se [c]: misericordia & veritas præcedunt faciem Dei [d]: misericordiam & iudicium ipsi cantat Dauid [e]: cum vino miscendum ad vulnera oleum [f], vt sit iustè consolans misericordia, & pie sæuiens disciplina. & ex lenitate ac seueritate temperamẽtum fiat, vt neque multa asperitate exacerbentur subditi, neque nimia benignitate soluantur [g]. Demonstrat Clemens [h] Alexandrinus beneficum simul ac punitorem iustum esse Verbum pædagogum; multáque hanc in rem Scripturarum affert testimonia. Vtitur præclaro exemplo lanarum, quæ vt colorem meliùs suscipiant, solent antea constringi ac constipari. Docet, bonum, quod semper sit beneficum, omnino contemni; coli autem eũ qui beneuolo iustitiæ metu admoneat.

a Eccle.7.17. b Psal.111.4. c Psal.84.11. d Psal.88.15. e Psal.100.1. f Luc.10.34. g Gregor.20. moral.c.8. h 1. pædago. c.9.

Bonæ spei fecisti filios tuos.] Græcè (εὐέλπιδας ἐποίησας, *bene sperantes de te.*) Quare nemo putet significari eos redditos bonæ spei, hoc est, de quibus bene speraretur, quòd bonæ frugis essent futuri. Filij vocantur Hebræi non sola creatione, quæ cæteris hominibus communis est; sed quia colebant Deum, & hic singularibus eos beneficiis afficiebat. Vocauit Deus ipse populum istum filium suum, & quidem primogenitum [i]. Et tamen Testamentum vetus erat seruorum, & filiorum Agar ancillæ, atque in seruitutem generatorum [k], & habentium spiritum seruitutis in timore [l]: contrà verò venisse Christus dicitur, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus [m], & potestatem daret filios Dei fieri [n].

i Exo.4.22.23. Deut.32.19 Psal.88...Psal.81.6 Esa.1.2. Ierem.3.14 Ose.1.1.0. Malach.1.6 & alibi. & infrà hoc lib. c.16.10. k Gal.4.24. l Rom.8.15 m Gal.4.5. n Ioan.1.12.

Sine dubio iusti in vetere Testamento, & in quacumque lege sunt verè filij Dei; nec Hebræi solùm in typo ac figura eo nomine vocati sunt, vt videntur velle Cyril. Alexand.[o] atque Theophylactus [p]. Sed priusquàm primogenitus in multis fratribus, & naturalis Dei Filius veniret, erãt homines tanquam paruuli, nihil differẽtes à seruis, licèt sint omnium domini, & adhuc sub tutoribus, & actoribus vsque ad præfinitum tempus à Patre [q]; *qui Filium misit, vt eos qui sub lege erant, redimeret* (ablato seruili statu) *& adoptionem filiorum* Dei *reciperent* [r]: vt idcirco hinc iusserit Christus nos inchoare orationem [s], *Pater noster*; & vocauerit eundem Patrem suum, & nostrum [t]: Ioannes [u] autem scripserit datum nobis, vt filij Dei nominaremur & essemus, scilicet propter statum filiorũ. Lege Commentarium nostrum in primam Epistolam Ioannis, & Toleti [x] in cap.1. Euangelij eiusdem. Illud præterea verè dicitur, per aduentũ Christi datam potestatem filios Dei fieri, hoc est, frui filiorum hæreditate, quam gementes expectamus [y]; sed mortui consequi statim possumus. Hoc tradit quoque Theophylactus [z]. Vndè sequitur, animam iusti non impeditam vllo debito pœnæ persoluendæ consequi statim sibi debitam felicitatis hæreditatem, quæ consistit in visione Dei: alioqui non differret in hoc status nouæ legis à statu veteris.

o lib.1. in Ioan.c.14. p in c.1. Ioan. q Gal.4.1.2. r ibid.5. s Matt.6.9. t Ioan.20.17. u 1. Ioan.3.1. x annot.35. y Rom.8.23. z in c.1. Ioan.

Quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ.] Græcè (ὅτι δίδως ἐπὶ ἁμαρτήμασι μετάνοιαν, *quoniam das in peccatis pœnitentiam.*) Interpres perspicuitatis causâ quædã addidit: sed minùs emendati codices habent (*qui.*) *Iudicans* verò significat puniens, vt Bonauentura & Lyranus rectè declarant. Similis præcessit sententia versu decimo, & capite præcedente versu 24. Posset quoque *iudicandi* verbum sumi pro causæ cognitione, atque pro sententia, cùm decernuntur pœnæ peccatis, ita vt pœnitentiæ detur locus.

Vers. 20.] Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia;

Vers. 21.] Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos, quorum parentibus iuramenta & conuentiones dedisti bonarum promissionum?

ARgumentum ex comparatione minorum & maiorum. Si hostes Chananæos populi tui tibi addictissimi adeò leniter castigasti, quos ad mortem & interitum vocabant iniquitates eorum, vt opportunitatem haberent pœnitendi, ac resipiscendi; quanto maiore quadam cura & cautione populum ipsum tuum, quem filij loco habuisti, & quorum maioribus tanta tam sanctè promisisti, abs te diiudicatum credere debemus?

Seruorum tuorum.] Iidem serui, qui & filij tum priore versu, tum 21. & παῖδες quoque filij dicuntur. Rectiùs tamen *seruos* reddidit Interpres, vt sit exaggeratior comparatio: videntur enim peiùs tractandi à patre, qui malè filios eius, quàm qui seruos tractant. Aliàs [a] ostendi quàm sit honorifica Dei seruitus, nec repugnans filiis eiusdem.

a Act.2.18.

Debitos morti.] Græcè (ὀφειλομένους θανάτῳ, *obnoxios morti*) dignos morte tum temporali, tum æterna, capitalibus criminibus astrictos, vt passim obseruant Enarratores. Sic apud Apostolum [b] digni morte, ἄξιοι θανάτου, sunt qui merentur vtramque. Certè cui debita mors temporalis est tanquã pœna, meretur etiam æternam. Constat quoque non semel mortem absolutè positam sumi pro æterna, verbi gratiâ; *anima quæ peccauerit, ipsa morietur* [c]: nisi malis sub temporali mysticè aliam intelligere. Fingitur mors velut creditrix, cui peccator debeat, sed nomine Dei, qui peccaturis comminatus est mortem [d]; & vicissim debetur peccatoribus mors, quia peccati stipendiũ est [e]: sed verus ac vnus creditor Deus, qui rogatur vt dimittat debita [f], hoc est, peccata nostra, vti explicat sanctus Lucas [g], propter quæ dicta debetur æterna mors, & nos eam sustinere debemus; quia fraudantes ipsum debito, nos ipsos carnis debitores constituimus [h], ὀφειλέτας, messuri proculdubio de carne corruptionem [i]; nisi diues in misericordia [k], omne debitum rogatus dimittat [l], & in spiritus libertatem transferat [m], vt iam nihil debeamus, nisi vt inuicem diligamus [n], & spiritu facta carnis iniquæ dominæ mortificemus [o], non secundùm carnem viuendo [p], neque carne seruiendo legi peccati [q], vel carnis curam faciendo in desideriis [r]; licèt nec eam interim odisse possimus [s] ita, vt non eius necessitati seruiamus, vt notat Chrysostomus [t].

b Rom.1.vlt. c Ezech.18.4.20. d Gen.2.17. e Rom.6.23. f Matth.6.12 g c.11.4. h Rom.8.12 i Galat.6.8. k Ephes.2.4 l Mat.18.32. m Gal.5.13. n Rom.13.8. o c.8.13. p ibid.12. q ibid. r Rom.13.14 s Ephes.5.29 t hom.14. in Ep. ad Rom.

Cum tanta cruciasti attentione.] Græcè (μετὰ τοσαύτης ἐτιμωρήσω προσοχῆς, *cum tanta puniuisti circumspectione*) cum adeò prouida ratione, cura, & præmeditatione, quasi attenderes ne modum excederes in pœnis, & quæ puniendis congruerent pœnæ, vt non læderent, sed iuuarent; vel sensim ac pau-

latim irrogando attentus esses, & veluti aures animúmque applicares & admoueres ad eorum deprecationem, pœnitentiámve. Conuenit hæc προσοχὴ cum τῇ ἐπιεικείᾳ, de qua priùs actum est: possentque ista duo exemplo anatomen facientis, vel chirurgiam declarari, qui dissecat magna cũ cura subtiliores quasque particulas. Videtur Hugo attentionem ex vulgari sua lingua Gallica, cui similis hac in parte Italica, exponere pro expectatione & dilatione. Nam Galli (*attendre*) Itali (*attendere*) dicũt, quod Latinè dicimus expectare. Qui attendit ad aliquid siue considerando, siue loquẽdo, siue faciendo, siue audiendo, cum quadã mora & expectatione id facit: & προσέχειν est *attendere*, cui quandoque iungitur τὸν νοῦν, *mentem*, vel *animũ*. Potest præterea ἡ προσοχὴ & attentio non dilationem pœnæ denotare, sed vltimi interitus; pœnæ verò lenioris quidem, sed continuatæ irrogationem, ita vt differret supremum exitium, insisteret tamen Deus in puniẽdo, sicut contigit Ægyptiis, & postea Chananæis. In quibusdam libris pro (*attentione*) est (*obtestatione*:) sed nihil hoc commune habet cum Græco vocabulo προσοχὴ, sed cum προσευχὴ, quod in aliquibus exemplaribus etiam impressis legi. Addunt Cõplutenses, Regiíque codices, ac permulti alij, & quib. omnes Expositores vtuntur (*& liberasti*) sed Sixtiana Biblia Latina reiiciunt, & absunt à Græco textu. Quamquam legit Cantacuzenus; in Bibliis verò Sixtianis Græcis, & aliis habetur (καὶ δεήσεως:) quod nomen vertere possis aut *parsimoniam* & *indigentiam*, quasi careret suppliciis Deus quibus illos afficeret: vel etiã perinde esset, acsi egeret illis Deus, proptereáque nollet eos perdere: aut *precationem*, quasi precaretur inter puniendum, vt resipiscerent. In posteriore notione synonymum est cum alio nomine προσευχὴ, quod priore loco legitur à nonnullis, vt dixi. Fortassis pro δεήσεως fuerat ἐτήρησας, pro quo illud (*& liberasti.*)

Dans tempus & locum.] In Sixtianis, & aliis (χρόνους καὶ τόπον) quo item legit modo Cantacuzenus: in Complutensibus, & Regiis (χρόνον καὶ τρόπον, *tempus & modum.*)

Per quæ possent mutari à malitia.] Græcè (δι' ὧν ἀπαλλαγῶσι τῆς κακίας, *per quæ mutarẽtur à malitia.*) Videtur descriptio pœnitentiæ, τῆς μετανοίας, cui versu decimo dictum est datum à Deo locum. De Græca voce, déque Latina quid valeãt aliàs[a] dixi, necnon de alia Græca τῆς μεταμελείας cõtra Vallam[b], Erasmum[c], Bezam[d], Caluinum[e], & Lutherum[f], contendentes nihil istis Græcis dictionibus aliud significari, quàm resipiscere, vitã mutare, non includendo contritionis dolorem tristitiámve, neque pœnam satisfactionis: etsi Valla in *pœnitentia* Latino nomine tristitiam velit importari: Erasmus autem neget; sed à ponè dici, non à pœna, quasi sit duntaxat posterius consilium tenere: Beza μεταμέλειαν includere sollicitum anxiúmque studium, scilicet in re proposita, emendandi seipsum.

a Act. 2. 38.
b annota. in 2. Cor. c. 7.
c annotat. in Matth. c. 3. & 2. Cor. 7.
d in Mat. c. 3.
e 3. instit. c. 3. §. 5.
f ep. ad Vicariũ sui ordinis anno 1518. & sermo. de pœnit. & in retolu.

Quidquid sit de etymologia, sumendæ sunt verborum significationes ex communi Scripturæ, & Ecclesiasticorum scriptorum vsu: hunc verò constat esse, vt illa pœnam denotent etiam externam ex interna tristitia, conuersionéque profectam. Eruditè de his disserit Cardinalis Bellarminus[g]. Ad rem facit Lactantius[h], cùm scribit resipiscere quem errati piget, & seipsum castigat dementiæ, & confirmat ad rectiùs viuendum, & ne desit externa pœnæ satisfactio; à qua pœna sine dubio dicta pœnitentia est, quasi pœnæ tenentia, vt Augustinus[a] docet, vel ex Isidoro[b] punientia. Metanœam perinde vt vindicem Deam sic Ausonius[c] loquentem facit;

g lib. 1. de pœnit. c. 7.
h lib. 6. c. 24.

Sum Dea quæ facti, non factíq; exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.

a de vera, & falsa pœnit. c. 19.
b 3. etymolo. c. vlt.
c epig. 12. de occas. & pœnit.

Nihilominus nonnunquam dicitur Deus cum ira, & furore punire[d], more etiam crapulati à vino[e], necnon & vrsæ, cùm raptos quærit catulos[f]. Quibus dicendi formulis innuitur magna, sed iusta seueritas; tamen in qua semper modus adhibeatur, & illa, quæ hîc ponitur attentio, tranquillitas, reuerentia, προσοχὴ, ἐπιείκεια, φειδώ.

d Psal. 6. 2. Psal. 37. 2. & alibi.
e Ps. 77. 65.
f Oseæ 13. 8.

Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos.] Græcè (μετὰ πόσης ἀκριβείας ἔκρινας τοὺς υἱούς σου.) Cantacuzenus duo in textu suo legit, *moderationem* & *æquitatem*, siue *mansuetudinem*. Est ἀκρίβεια exacta, sollicita, exquisita, accurata diligentia & studium. Præterea significat eam curam, qua quis nimis attentus ad rem vtitur; quam vocant tenacitatem, aut parcitatem, & priùs est appellata φειδωλή, & φειδώ: necnon Latinè dicitur quis attentus, attentiórve ad rem, qui tenax est; quod sibi quoque volebat attentio & προσοχή. Vulgò diceremus (*giudicare ò castigare con risparmio, con riguardo, con rispetto.*) Patientiam ac pietatem, deliberationem quoque Enarratores interpretantur. Sed id quod dixi melius est, nec abhorrens ab illis. Videlicet adeò multis modis, & vocabulis ostenditur, quàm non sit Deus ad sumendum præceps ac promptus supplicium; quàm lentè, attentè, circumspectè diuina incedat vindicta.

Quorum parentibus iuramenta & conuentiones dedisti bonarum promissionum.] Græcè (ὅρκους καὶ συνθήκας ἀγαθῶν ὑποσχέσεων.) Patriarchis iurando & paciscẽdo promisit Deus terram à Chananæis occupatam, præsertim Abraham[g], & Iacob[h]; sub qua promissione multo melior cõtinebatur, de qua in cãticis suis B. Virgo[i], & Ioannis pater[k], Petrus[l] etiam ac Paulus[m]. Quo autem pacto iuret Deus, & qua de causa, petas, si vis, ex Commentario nostro in historiam Apostolicam[n]; vt & de ratione pacti siue testamenti diuini[o], quæ hoc loco vocatur συνθήκη, Latinè *conuentio*, pro qua mendosè quidam legunt (*conuersationes.*)

g Gen. 22. 16.
h c. 28. 13.
i Luc. 1. 55.
k ibid 73.
l Act. 3. 25.
m Heb. 6. 13.
n c. 2. 30.
o c. 3. 25. c. 7. 8.

De iuramento & pacto simul meminit Deus apud Ezechielẽ[p]; *& iuraui tibi*, inquit, *& ingressus sum pactum tecũ, & facta es mihi*. Addam notabilem Ambrosij[q] de Dei iuramento sententiam. [Neque enim ideo Deus iurat, quòd fide credentis indigeat, aut testimoniorũ adstipulationibus destitutus, suffragium sacramenti requirat, sicut homines, qui fidem nobis adsciscimus sacramento, & ideo iuramus, vt credamur vera dixisse. Deus autem & cùm loquitur fidelis est, cuius sermo sacramentum est. Non enim propter sacramentum fidelis Deus, sed propter Deum etiam sacramẽtum fidele est. Qua ratione igitur Moyses iurantem Deum inducit? Quia nos vsu quodam mortalium claudimur; & velut echini cortice quodam nos vulgaris opinionis inuoluimus, aut velut cochleæ, quæ nisi intra testæ operimentum sint, spirare non possunt, nec aërem liberum carpere, aut sustinere: sic nos non nisi intra quædam humanæ consuetudinis latibula terrena versamur. Vnde quia illud verius solemus credere, quod iureiurando firmatur, ne nostra claudicet fides, iurare describitur Deus; qui ipse non iurat, sed iurantium est iudex, & vltor est periurantium.

p c. 16. 8.
q 2. de Abel & Cain c. vlt.

Denique

a Psal.109.4. Denique scriptum est [a]: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum.* Seruauit vtique quod iurauit: dedit nobis æternum Principē Sacerdotum, vt & tu quod iuraueris, ita noueris esse seruandum, vt quia per eum iuras qui non mentitur, scias eum futurum, si mētiatis, vltorē.]

Tam multa præter morem transcripsi, quia tam paucis tam multa continent, ac tanta quidē elegantia, quæ faciunt ad rem præsentem, vt nec alibi, nec ex aliis sit quod requiras. Hærere peruelim in animis nostris postrema verba, vltorem Deum b 3. Offic. existere mentientis in iurando. [Est, ait Cicero [b], iusiurandum affirmatio religiosa: quod autem affirmatè, quasi Deo teste promiseris, id tenendum est. Nullum enim vinculum ad astringendam fidē iureiurando Maiores arctius esse voluerunt. Id B indicant leges in XII. tabulis, indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste deuincitur fides; indicant notationes, animaduersionésve Censorum, qui de re nulla diligentiùs, quàm de iureiurando iudicarunt.]

Vers. 22.] Cùm ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes: & cùm de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam.

HÆc est igitur differētia inter iustos Deóque charos, & inter horū inimicos impios; quòd cùm primos moderatis Deus castigat verberibus, imponit secundis pœnas permultas, vt cogitent illi perpetuò de Dei aduersùs se clementia; & si quando rursus de ipsis iudicium fiat, spem concipiant eandem benignitatem experiendi, non in hac modò vita (quem fortè sensum Auctor per se intendit:) verùm etiam quando abituris in aliam pronunciabitur extrema sententia.

Cùm ergo das nobis disciplinam.] Græcè (ἡμᾶς οὖν παιδεύων, *nos ergo instruens, erudiens, instituens, castigans tanquam pueros*) hoc est, siue seruos familiares, siue discipulos, siue filios. Mallet Iansenius verti (*cùm ergo des*) eo quòd (*cùm*) non aduerbium temporis, sed coniunctio sit subiunctiuum postulans. Attamen sensus vtrouis modo idem.

Multipliciter flagellas.] Græcè (ἐν μυριότητι, *in millecuplo, in infinito numero, ac multitudine:*) sicut & μύριος innumerabilis est, vel multiplex absque æstimatione. Et tamen antè dictum fuerat, adhibuisse in impiis puniendis Deum certum modum. *Multa* c Psal.31.10. *flagella peccatoris* sunt [c]: quamuis haud rarò iustus plura patiatur, cuius & multæ tribulationes di- d Ps.33.20. cuntur [d]; quia peccatori, propter impatientiam, ipsa etiam quæ sunt in se leuiora, duriora videntur, & fortitudinis gratiæque robore destitutus, grauiùs ea fert, nec meriti gaudio, spéque præmij sustentatur. *Sperantem autem in Domino misericordia* e Ps.31.10. *circumdabit* [e], quasi erigens vexati animum, vt idcirco prouocetur ad lætandum, & gloriandum. f Rom 12. 12. *Spe gaudentes* [f]; propterea *in tribulatione patientes* [g]. g ibid. Hoc est laborantibus & oneratis iugum suaue, h Mat.11.30. onus leue [h]: æstimatur omnis tribulatio momentanea & leuis, ob gloriæ pōdus, quod opera- i 2.Cor.4.17. tur [i]; vt etiam placeat quis sibi in infirmitati- k 2. Cor. 12. 10. bus [k], atque glorietur [l]. Dum mouet Deus velut l ibid.9. exercitum aduersùs filium suum, hoc est, iustum, m 2. Reg.18. 11. *custodite*, inquit, *mihi puerum* [m]: dum permittit n Iob.2.6. etiam diabolo vt sæuiat, cautionem adiungit [n];

A *verumtamen animam illius serua.* Multa & innumerabilia flagella peccatoris in futura saltem vita, & qui vigilante non emendatur virga [a], in ollam a Ierem.1.11. succensam conijcietur [b], in ignem deuorantem, b ibid.13. & ardores sempiternos [c]. c Isa.33.14.

Vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes.] Græcè (ἵνα σοῦ τὴν ἀγαθότητα μεριμνῶμεν κρίνοντες, *vt curemus, cum cura cogitemus, perpendamus sollicitè, iudicantes bonitatem tuam*) hoc est, vt expendentes cum iudicio bonitatem tuam, solliciti simus, ne nimirum ea excidamus. Sic Iansenius. Valet id quod dixi τὸ μεριμνᾶν, licèt Interpres ibi quoque per *cogitare* exposuerit [d]; *Quis vestrûm cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? τίς ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν.* Sed aliàs [e] reddit *sollicitum esse.* Cantacuzenus explicat, vt assiduè meditantes bonitatem Dei, iudicemus nos ipsi, ac reputemus, quot & quanta simus à Deo bona consecuti. Quò pertinet Carthusiani vna expositio, vt prudenter discernamus correctionem nostram à reproborum punitione. d Luc 12.25. e c.10.41. Mat. 6.25.1.Cor.7. 32. c. 12. 25. Philip.4.6.

Tertium sensum tradit Hugo, Bonauentura, Lyranus, Carthusianus, vt cum alios punimus, faciamus hoc modestè, Dei sequentes exemplum erga nos ipsos, & donemus aliis, sicut & Deus in Christo donauit nobis [f]; & conserui debitoris f Ephe.4.32. nostri misereamur, sicut & Deus omne debitum rogantibus nobis dimisit [g]. Quartus est Olcot [h], g Matt.18.32. C vt iudicantes quòd adeò multipliciter flagellati h lect.152. sunt impij, quoniā erant incorrigibiles, iusti verò leniùs, in eo spectandam nobis bonitatem Dei intelligamus, qua se communicat secundùm naturarum diuersarum capacitatem. Commodè dicūtur omnia, posséque velut integer cōflari ex omnibus sensus, si tertium excipias, qui minùs mihi proposito cōuenire videtur; licèt magnam ei dederint occasionem sequentia (*& cùm de nobis iudicatur*) ita vt (*iudicantes*) spectare censeatur ad nos ipsos, cùm de aliis iudicamus. Sed mox hæc explicabo.

Et cùm de nobis iudicatur.] Græcè (κρινόμενοι δέ, *iudicati autem.*) Sine dubio passiuum hoc verbum, D vt proximè dicebam, velut actiuo κρίνοντες oppositum, fauet allato illi tertio sensui, cùm iudicium facimus de aliis; atque ita sensus eiusdem auctores, necnon Olcot [i], & Iansenius, qui notat men- i supra. dum lectionis (*bonis*) pro (*nobis*) hîc exponunt, quādo de nobis pœna repetitur iudicio diuino, vel etiam humano, sed illius permissu, quamuis aliquando iniustè. Cantacuzenus intelligit, cùm ipsi à nobis ipsis iudicati, & res nostræ iudicatæ ac expensæ fuerint, quo pacto videlicet se nobiscum Deus beneuolè beneficéque gesserit, expectemus misericordiam, & præsens auxilium, quoties occasio feret. Placuit idem sensus Vatablo, qui sic euoluit priora, & ista (*vt bonitatē tuam perpendamus sollicitè, & ea perpensa, misericordiam tuam expectemus.*) Nec mihi displicet, quoniam ab editione E nostra non abhorret (*& cùm de nobis iudicatur*) nempe à nobis, ad eum ferè modum, quo Paulus [m] k 1. Cor. 11. 31. scripsit; *si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.*

Speremus.] Græcè (προσδοκῶμεν, *expectemus.*) Qui sperat, expectat, etsi nō ita prorsus vice versa. Hispani eodem verbo (*sperar*) vtrūque significāt. Dicimus quoque rem esse in expectatione, aliquem esse magnæ expectationis, vel respōdere expectationi, spē in omnibus his formulis intelligentes. l Matth. 24. 50. vbi est προσδοκᾶν. Quāuis verò *spes* etiā pro timore vsurpetur Latinè à bonis auctoribus quādoque, & ab Interprete [n],

sicut *expectatio*, verbáque, vnde nomina illa deducuntur; sæpiùs tamen *expectatio* [a], & *expectare*, tanquam magis adiaphora. Sed & expectatio interdum spem dicit cum vehementiore, atque inhiante, ac lógioris moræ impatiéte desiderio. *Expectat Dominus* (cui spes propriè non conuenit) ait Esaias [b], *vt misereatur vestri: beati omnes* (qui spem habere possunt) *qui expectant illum*. Sic Deus ipse vocatur expectatio Gentium [c], sicut & spes [d]. Itaque rectè positum est hîc verbum *sperandi*.

a Luc. 21. 26 vbi est προσδοκία. Iob. 35. 14.
b c. 30. 18.
c Gen 49. 10. Ierem. 14. 8. c 17. 13.
d Ps. 13. 16 Ps. 70. 5. Ps. 90. 9.

Vers. 23.] Vnde & illis, qui in vita sua insensatè & iniustè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta.

INculcatur animaduersio seuerior impiorũ pe eas ipsas res ceu per instrumenta, quas per summam insaniam, atque improbitaté coluerant.

Illis, qui in vita sua insensatè, & iniustè vixerunt, per hæc quæ coluerunt, dedisti summa tormenta.] Græcè (τοὺς ἐν ἀφροσύνῃ ζωῆς βιώσαντας ἀδίκως, διὰ τῶν ἰδίων ἐβασάνισας βδελυγμάτων, *eos qui in stultitia vitæ vixerunt iniustè, per proprias cruciasti abominationes*, vel *impuritates*.)

Insensatè.] Græcè (ἐν ἀφροσύνῃ ζωῆς, *in stultitia vitæ*.) Referunt hoc aliqui ad idololatriam, & peccatum contra Deum; sicut (*iniustè, ἀδίκως*) ad iniustitiam contra proximum: vel illud ad peccatum infidelitatis, hoc ad peccata malorum operũ. Volunt quoque (*in vita sua*) innuere vitam, qua sibi vixerint, non Deo. Non est in Græco textu pronomen; & planior sententia est de iniustitia, quá per stultitiam commiserint, hoc est, per ignorantiam, erroréinque culpabilem, sumendo generaliter iniustitiam, vt comprehendit etiam impietatem. Quamquam extrema insipientia est idololatrarum; *obscuratum est* enim *insipiens cor eorum* [e], & traditi sunt in reprobum sensum [f], εἰς ἀδόκιμον νοῦν, *in reprobam mentem*, quam nemo probare possit, omnibúsque meritò displiceat, quæ deprauatum & peruersum habeat iudicium: quæ dici præterea potest vanitas sensus, ac tenebris obscuratus intellectus, cum alienatione à vita Dei per ignorantiam, propter cœcitatem cordis [g].

e Rom. 1. 21.
f ibid. 28.
g Ephe. 4. 17. 18.

Per hæc quæ coluerunt.] Græcè (διὰ τῶν ἰδίων βδελυγμάτων) vt antè declarauimus. Interpres autem omissa explicatione nominum, ea per *colendi* significauit verbum; quem cultum satis constabat, cùm superstitiosus esset, esse abominandarũ rerũ.

Dedisti summa tormenta.] Græcè (ἐβασάνισας.) *Summa tormenta* Interpres dixit, cùm Græcum verbũ sit simpliciter *torquere*, ac *suppliciis afficere*. Quare summa tormenta non denotanr necessariò hîc æterna, vt Lyranus & Carthusianus explicant. Tormenta intelligit per viles bestiolas, de quibus pridem antea egimus.

Vers. 24.] Etenim in erroris via diutiùs errauerunt, Deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt superuacua, infantium insensatorum more viuentes.

PRocessit horum idololatria & vesana superstitio longiùs quàm cæterorum, qui videlicet cultum deferebant rebus maioris cuiusdam pretij, vt Soli, stellis, elementis, &c. ita vt isti hac ipsa in re sese infantissimos ac stolidissimos prodiderint, conquiescendo in veneratione tantillarum rerum, ac se, vt infantes solent, in illis oblectando.

In erroris via diutiùs errauerunt.] Græcè (τῶν πλάνης ὁδῶν μακρότερον ἐπλανήθησαν, *erroris viis longiùs errauerunt*, vel *ab ipsis erroris viis*, &c. vel *per incerta viarum*, &c.) Iansenius ait hoc sibi velle longiùs errasse, quàm erant erroris viæ, id est, etiam vias erroris egressos esse, longiùs errasse, quàm videbatur fieri posse, vt homo erraret: quo pacto stultitia ipsa stultiorem, qui sit stultissimus, & qui maximè sapiens, ipsa sapientiorem sapientia dicimus. Itaque hyperbolem esse ad significandam erroris magnitudinem, nimirum in colendis animalibus superuacuis. Cantacuzenus errorem vult in grauitate comparari cum aliorum idololatrarum errore colentium res minùs indignas. At editio Latina diuturnitatem erroris intelligivult, atque pertinaciam. Erit hoc pacto sub μακρότερον supplendum χρόνον, *tempus* (*longius tempus*, aut *longiore tempore*.) Est & in vsu aduerbium μακρὰν de tempore, vt, μακρὰν χαίρειν, *longè*, id est, *longum*, siue *diu valere*.

Hæc quæ in animalibus sunt superuacua.] Complutenses, ac Regij codices habent (*in animabus*) alij, quibus vtuntur Hugo & Olcot, & glossæ textus in margine (*in manibus*.) Vltimæ lectionis sensus esset, superuacua & inutilia esse adorata, quæ nimirum ab operibus residua sunt, qualia resecta ligna & fragmenta eorum, quæ non alium habét vsum, nisi vt comburantur, vel in iis aliqua imago insculpatur; vt est etiam apud Esaiam [a]. Secunda lectio significar idola nullam vtilitatem animabus conferre, vel esse vacua anima, & sine vita. Prima denotat animalia vilia, quæ Chananæi, vel etiam Ægyptij coluerint. Græcè vocantur ζῶα ἄτιμα, sicut capite præcedente [b] κνώδαλα εὐτελῆ. Est autem hîc isto modo (καὶ ἐν ζώοις τῶν ἐχθρῶν ἄτιμα, & *in animalibus inimicorum inhonorata*, siue *vilia*.) Non expressit Interpres inimicos, cùm satis intelligeretur esse sermonem de animalibus, quæ apud illos colebantur qui erant inimici populo Hebræo: vel certè quæ ab isto populo, qui vicissim illis erat inimicus, æstimabantur vilia, imò & abominanda. Quas verò Moses [c] vocabat abominationes Ægyptiorũ immolandas Domino Deo, erant animalia, quibus illi nec ad esum, nec ad sacrificium vtebantur, sed pro Diis colebant, cuiusmodi capræ, oues, tauri: qua item de causa pastores ouium detestabantur [d]; licèt ad lanam, caseum, lac, vel ad arationem, voluptatem, honorem, eadem animalia alerent, & in pretio haberent. *Inimicorum* nomen omisit Cantacuzenus etiam in suo textu.

a c. 44. 15. 16.
b vers. 16.
c Exod. 8. 26.
d Gen. 46 34.

Infantium insensatorum more viuentes.] Græcè (νηπίων δίκην ἀφρόνων ψευσθέντες, *infantium more stultorum decepti*.) Pueri dum ædificant, ait Cantacuzenus, nauigant, agros colunt, nuptias effingunt, simulachra quædã proferunt, & circa illa collætãtur & colludũt; sicut Hebræi ludum illum Ismaël cũ Isaac [e] interpretãtur, quòd hũc ille luteas imagines cogeret adorare, vt hoc loco notat Bonauentura, & in traditionibus Hebraicis Hieronymus, & Lyranus in Genesim: etsi conrradicant ibi Burgensis, Tostatus, Pererius, Oleaster, Ystella, volentes sumi ludum pro illusione, irrisione, subsannatione, ludicra gesticulatione, prouocatione aliorum puerorum ad idem faciendum, appellando se primogenitum & hæredem. Fauet citato loco Hieronymus, & Albinus in Genesim,

e Gene. 21. 9.

necnon

a tract.11. in Ioan. necnon Augustinus [a]. Hoc & ego puto cum eodem Augustino, & Hieronymo, Paulum velle, b Gal.4.29. cùm scribit [b], quòd *is qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur, ἐδίωκε, eum qui secundùm spiritum.* Sed hoc ad alium locum pertinet, vt & demonstrare neque percussionem cædémve, neque lasciuiam turpésve actus dicto ludo significari; neque ludum, in quo periclitaretur, & ex eo periculo vel mors, vel debilitatio sequeretur, vnde ad primogenituram inhabilis redderetur. Legendi quoque qui Epistolam ad Galatas exponunt, præsertim Haimo.

Vers. 25.] Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti.

c c.11.17. VT scirent, quod antè dictum est [c], per quæ peccat quis, per hæc & torqueri; ac se tanquam pueros puerilibus ac vilibus animalculis puniri: & qui Deum irritauerant in vanitatibus suis (ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν, Chald. בפלחן טעון *bephulchan tahhuuaon, in cultu idolorum*) irritarétur à d Deute.32.21. Deo in gente stulta [d], tractando illos vt stultos. Ludit verò etiam Auctor, & iocari videtur in verbis, dum istam describit irrisionem puerilem, ac festiua vtitur paronomasia, vel potiùs allusione (*διὰ τοῦτο ὡς παισὶν ἀλογίστοις τὴν κρίσιν εἰς ἐμπαιγμὸν ἔπεμψας, propter hoc tanquam pueris maximè irrationabilibus, vel ratione planè carentibus, iudicium, siue pœnam in ludibrium misisti.*) Nam παῖς dicitur quasi παίζων, id est, *ludens, παιδιὰ, ludus, ἐμπαίζω, illudo, ludificor, ἐμπαιγμα, ludificamentum, quo aliquem ludificamur, & illudimus alicui.* Nec dissimiles illi in derisum, siue ridiculi, puerilles, friuoli modi, ludibriáque, quibus præter vespas crabronésve, ac eiusdem generis vilia animalcula, Deus puniuit tum Chananæos, tum Ægyptios, velut pueros; quando corruit Iericho ad septem solos vrbis circuitus, clangorem tubarum, populi voces [e]; e Iosue 6.15. quando Hai capta clypeo in altum sublato à Iosue [f]; quando Gedeon cum trecentis viris tubas f c.8.19. personantibus, cúmque lampadibus splendentibus, post lagenas confractas, Madianiticum fudit g Iudic.7.19. exercitum [g]; quando ad sonitum gradientis in h 2.Reg.5.23.24. cacumine pyrorum percussi sunt Philistæi [h]. Non dubito, quin reprobos in generali iudicio mirificè discruciatura sit Iudicis publica irrisio & subi Psal.2.4. Prou.1.26. sannatio [i]; sed & electorum, quos illi habuerunt in hac vita in derisum, & in similitudinem improperij, æstimando vitam illorum insaniam, & finem illorum sine honore, quemadmodum capite quinto [k] huius libri vidimus. Sed legibus rei k vers.3.4. compelluntur pœnas non acerbas duntaxat, verùm etiam indecoras, infames, ludicras, viles pati; habetúrque ea in re ratio tum criminũ, tum status conditionísque personarũ. Constat Christum vtriusque generis mulctatum pœnis.

Vers. 26. Qui autem ludibriis & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei iudicium experti sunt.

QVibus non profuit per animalia illa viliora, vt per vespas, vel crabrones admonitio & coërcitio, Deus illos bello deleuit, quod iis mouerunt Hebræi. Glossa ordinaria, & cæteri Latini de pœna æterna explicant, quam incurrerint Ægyptij & Chananæi: Augustinus [l] de manifesto l in Psal.9.

A & generali iudicio. Sed putat Bonauentura simul indicari nonnullos ex vtrisque resipuisse, ac se ad Hebræorũ veram Religionem adiunxisse [a]; quod a Exod.12. Iosue 9. item asserit de Ægyptiis Gaudentius Brixiensis [b]. b tract.vlt. in Exod. Prima expositio est Cantacuzeni, atque ad literam magis adhærens. Tunc verò (*qui*) non alios innuet, sed eosdem, quasi dicas (*ipsi autem, οἱ δὲ, vel hi autem qui.*) Augustinus [c] habet (*hi autem.*) c supra.

Ludibriis & increpationibus.] Aliter (*ludibriis increpationis*) quod cum textu Græco congruit (*παιγνίοις ἐπιτιμήσεως.*) Est autem παίγνιον idem ferè quod ἐμπαιγμὸς, de quo paulo antè meminimus [d], nempe *lusus puerilis*, ac *ludicrum*, Vnde d vers.24. Plautus [e] confinxit nomen vt propriũ Pægnion; e in Persa.

Pægnion delicia (inquit) *pueri, salue.*

B Inde præterea poëmata, scriptáve alia vocata pægnia, & technopægnium Ausonij ludicrum opusculum, in quo, vt ipsemet ait, nec ludus laboranti, nec ars defuit ludenti.

Non sunt correcti.] Alij (*correpti.*) Græcè (*μὴ νουθετηθέντες, non sunt admoniti, non profecerunt admonitionibus.*)

Dignum Dei iudicium experti sunt.] Græcè (*πειράσουσιν, experientur.*) Fortassis Interpres legit (ἐπειράσαντο) qua etiam lectione Cantacuzenus vsus est. Augustinus autem habet (*experturi sunt:*) quamuis Louanienses apud illum restituerint lectionem nostram, quod aliàs sæpe faciunt; gratiorem, opinor, facturi rem studiosis, si hoc labore hac in parte abstinuissent, vt constaret varietas C editionum, cùm certum sit Augustinum, & qui eius ætate, ac ante illum vixerunt, vulgatam nostram non solere sequi. Hebræi futura ponunt pro præteritis, & hæc vicissim pro illis. Appellatur porrò dignum Dei iudicium, in quo manifestatur iustitiæ ipsius ratio, & declaratur in puniendo potentia. Id fit cùm sunt supplicia magis publica, & grauia vsque ad interitum: tum verò maximè quando suprema profertur sententia vel priuatim, vel generaliter ac palàm. Interim non videntur dignæ Deo pœnæ istius temporis, quia tergiuersatur, leniter agit, remittit ac differt, admiscet beneficia, &c. Ideo & iudicij dies, Domini dies dicitur.

D *Vers.* 27 In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant Deos, in ipsis cùm exterminarentur videntes illum quem olim negabant se nosse, verum Deum agnouerũt; propter quod & finis condemnationis eorum venit super illos.

IMpij Chananæi Dei dignum experti sunt iudicium, & leuioribus nolentes plagis admoneri, grauissimum pertulerunt suppliciũ. Nam cùm inter leuiora illa, & veluti ludicra priora tormenta, vehementer ingemiscerent, atque non obscu- E rè intelligerent, se idcirco plecti, quòd eos existimarent Deos, à quibus in ea calamitate iuuari nequibant, & fateri cogerentur verum Deum esse, qui sit illos plectebat, & quidem per illas ipsas res, quas pro Diis colebant; quémque antea se prorsus ignorare dictitabant; nihilominus à tam crasso illo errore idololatriæ, nec ad eum quidem modum edocti, resilire noluerũt. Quocirca æquũ omnino fuit, vt extrema tandẽ clade mactarentur.

In quibus enim patientes indignabantur.] Complutenses, ac Regij libri hoc pacto legunt (*in his enim*

quæ patiebantur, molestiè ferebant, in quibus impatientes indignabantur.) Alij, quibus Expositores vtuntur, pro (*impatientes*) habent (*patientes*) in reliquis autem conueniunt. Nostram hanc emendatam lectionem posuerat quoque Clarius, & approbauerant Iansenius ac Lucas Brugensis, vtpote cum Græca editione penitus conuenientem (ἐφ' οἷς γὰρ αὐτοὶ πάσχοντες ἠγανάκτουν.) Recurrendum autē Iansenius monet ad (*videntes*) itáque construendam sententiam: *videntes* (siue sentientes, & cognoscentes) *in his rebus, in quibus* (id est, per eas res, per quas) *patientes* (vexati, afflicti) *indignabantur* (molestè ferebant.) Tum addendo quæ sequuntur, *per hæc* (per eas res, id est, per animalia) *quos putabant Deos* (quos vt Deos colebant) *in ipsis* (per ipsa, inquam) *cùm exterminarentur* (se exterminari) *videntes* (inquam) *& sentientes illum quem olim negabant se nosse* (experiendo potentiam eius, & quàm fuimet Dij essent ridiculi) *verum Deū agnouerunt.* Eadem adhuc sic expeditiùs vertit (*nam cùm in his, in quibus adhuc impatientes indignabantur, in his scilicet, quos putabant esse Deos, quando per ea puniebantur, sensissent eum, quem olim negabant se nosse, tunc verum agnouerunt Deum.*) Putat Ægyptios innui, qui muscas, ranas, similésque bestiolas, quæ per plagas excitatæ sunt, colebant, & quorum Rex Pharao cùm dixisset initio [a]; *Quis est Dominus?* &c. *nescio Dominum*; ad extremum fateri compulsus est [b]: *Peccaui etiam nunc; Dominus iustus: ego & populus meus impij.*

a Exod. 5. 2.
b Exo. 9. 27.

De Chananæis quoque arbitror, non de Ægyptiis solis, de quibus etiam Bonauentura, Carthusianus, & alij, accipiendum hunc locum, in quos versu octauo immissæ scribuntur vespæ, quod est genus muscarum: colebat autem quidam illorum Beelzebub idolum muscarum, vt alias [a] dixi. Vtrosque comprehendit Cantacuzenus, recitans quoque verba Ægyptiorum [b]; *Fugiamus Israëlem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Non extat quidem Chananæorum huiusmodi expressa professio de vero Deo Hebræorum; tamen colligi potest ex his quæ dixerunt Rahab [c], & Achior [d], & ariolus Balaam [e].

a Eccle. 10. 1.
b Exod. 14. 25.
c Iosue 2. 9.
d Iudith 5. 20.
e Num. 21. 8. & seq. 24. 5. & seq.

Cùm exterminarentur.] Hostes Hebræorum; non autem idola Chananæorum, vt exposuit tamen Carthusianus.

Deum verum.] Vnus Deus verus solus; cæteri sunt הֲבָלִים *hebalim, vanitates*, אֱלִילִים *elilim, mendacia*, & nihil, & vera ac mera εἴδωλα, simulachra muta. *Hæc est vita æterna*, inquit Christus [f], *vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Lege quæ attuli ad caput 5. primæ Epistolæ Ioannis [g].

f Ioan. 17. 3.
g vers. 20.

Finis condemnationis eorum venit super illos.] Alij passim habent (*veniet*) exponitúrque de æterna damnatione. Sed est Græcè (ἐπῆλθε) atque aptiùs refertur ad præteritum Ægyptiorum & Chananæorum excidium.

SVMMARIVM.

INVEHITVR deinceps Auctor acriùs prolixiúsque in eos, qui Dei veram Religionem repulerunt, postquam priore capite depressit illos, qui res quasque vilissimas diuinitate donauerunt, nullum ab iis lucrum consecuti, nisi vt ab ipsismet punirentur. Docet quantam mereantur reprehensionem, qui cultum Deo debitum transtulerunt in res etiam alias nobiliores, cùm illos oportuisset multo magis earum opificem venerari & colere. Sed minimè ferendos vrget, qui opus artificis Deum dicant, cum eo colloquantur, de futuris interrogent, implorent opem ipsius.

CAPVT XIII.

1 VAni autem sunt omnes homines,
in quibus non subest scientia Dei:
& de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex:
2 Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarū, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum deos putauerunt.
3 Quorum si specie delectati, deos putauerunt; sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit.
4 Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis:
5 A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.
6 Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & volentes inuenire.
7 Etenim cùm in operibus illius conuersentur, inquirunt: & persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur.
8 Iterum autem nec his debet ignosci.
9 Si enim tantum potuerunt scire, vt possent æstimare seculum: quomodo huius Dominum non faciliùs inuenerunt?
10 Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorū est, qui appellauerunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionem, & similitudines animaliū, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ.

11 Aut si quis artifex faber de sylua lignum rectũ secuerit,& huius doctè eradat omnem corticem, & arte sua vsus, diligenter fabricet vas vtile in conuersationem vitæ;

12 Reliquiis autem eius operis ad præparationem escæ abutatur:

13 Et reliquum horum, quod ad nullos vsus facit, lignum curuum, & vorticibus plenum, sculpat diligenter per vacuitatem suam,& per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis,

14 Aut alicui ex animalibus illud comparet perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius,& omnem maculam,quæ in illo est, perliniens:

15 Et faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro,

16 Ne fortè cadat,prospiciẽs illi,sciens quoniã non potest adiuuare se:imago enim est,& opus est illi adiutorium.

17 Et de substantia sua,& de filiis suis, & de nuptiis votum faciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est:

18 Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur,& pro vita rogat mortuum, & in adiutorium inutilem inuocat:

19 Et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest:& de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum euentu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.

Vers. 1.] Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex.

APERTA satis facilisque sententia,nõ egens ecphrasi, sed nonnulla partium nonnullarum declaratione. Illustrari sententia quoque posset his quæ dicta sunt à nobis initio capitis primi Ecclesiastæ, cùm de vanitate disseruimus; præsertim verò hominis,qui quomodocumque modo, iure dicitur vniuersa vanitas [a]: igitur multo magis si vacuus sit cognitione veri Dei,quæ est ὑπόστασις omnium virtutum [b], fundamentum totius ædificij spiritualis; & cùm priuatur cognitione rei maximè intelligibilis ipse qui est essentialiter intellectiuus,naturæ suæ non assequitur finem.

a Psal.38.6.
b Heb.11.1.

Vanam gloriam vocamus & inanem ex huiusmodi rebus comparatam. Idcirco admonet nos Deus gloriæ. *Non glorietur* [c] *sapiens in sapientia sua; & non glorietur fortis in fortitudine sua; & non glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc solùm glorietur qui gloriatur, scire,& nosse me, quia ego sum Dominus,* &c. *Qui gloriatur,* inquit Apostolus [d], *in Domino glorietur.*

c Iere 9.23.24.
d 1.Cor.1.31.

A Quod vanum est, propè nihil est,& in nihil tendit ac perit. *Et quoniam non habuerunt sapientiam* (quæ consistit potissimùm in vera Dei notitia) *interierunt propter suam insipientiam*, ait Baruch [a]. *Propterea captiuus ductus est populus, quia non habuit scientiam* [b], sed ad idololatriam deflexit;similique de causa repulsi sunt Sacerdotes ab officio Sacerdotij [c]. Denique ipsimet sapientes huius seculi *euanuerunt in cogitationibus suis* [d] (vel carentes solida notitia Dei, vel se inaniter efferentes de scientia rerum aliarum:) *quia cùm cognouissent Deũ, & inuisibilia eius* (id est,inuisibilem naturã ipsius) *per ea quæ facta sunt* (hoc est,cùm cognoscere potuissent, aut reipsa eam cognitionem adepti fuissent) *non sicut Deũ glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis* [e]. Egimus de idolorum B vanitate nonnihil in Actibus Apostolorum [f]. Vanissimi sunt idololatræ: secundo loco,qui naturalem solam notitiam Dei habent:tertio,qui etiã reuelatam, sed factis negant [g];qua ex parte deterior eorum conditio est, quoniam maiorem sibi damnationem acquirunt [h], & plagis digni sunt multis [i].

a c.3.28.
b Esa.5.13. Oseæ 4.6.
c ibid.
d Rom.1.21.
e ibid.20.21.23.
f c.14.14.
g Tit.1.16.
h 1.Tim.5.12.
i Luc.12.48.

Vani.] Græcè (μάταιοι.) Quæ vox,vt notauimus in principio Ecclesiastæ, significare quoque potest *stultos: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* [k], *& obscuratum est insipiens cor eorum* [l], & idcirco maximè deplorandi.

k Rom.1.22.
l ibid.

Autem.] Græcè (μὲν γὰρ, *quidem, sanè, reuera,* C *siquidem.*) Aliqui codices Latini habent (*enim:*) quasi reddatur ratio cur Chananæi, vel etiam Ægyptij in ea peccata inciderint, de quibus antè dictum est.

Omnes homines.] Græcè additur (φύσει, *naturâ.*) Ipsi per se ac sponte abripiuntur in varios alios errores, quando Dei sunt scientia destituti: vel natura eorum vana efficitur, ac suo frustratur fine, cùm ignorat Deum, cuius cognitio finis illius est.

In quibus non subest scientia Dei.] Græcè (οἷς παρῆν Θεοῦ ἀγνωσία, *quibus aderat Dei ignorantia.*) Videtur verbo imperfecti temporis indicare Chananæos, vel Ægyptios. In verbo autem Latino (*subest*) non alia vis est quàm in (*adest*) sicut & ca- D pite priore [m]; licèt Latini Expositores velint denotãri fidem esse substãtiam, huc fundamentum, vt antea dicebamus.

m vers.18.

De his, quæ videntur bona.] Græcè (ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν, *ex his,* siue *per hæc quæ videntur bona.*) Soli,quod sciam,Complutenses, Regiique codices habent (*quæ non videntur bona.*) Fortassis respexerunt ad superuacua illa,viliáque animalia, à quibus præcedente capite dictum est ipsorũ cultores læsos esse; ita vt propterea cognitum sit, cognoscive debuerit à læsis,tales res non esse bonas;& idcirco ad veri Dei cognitionem cultúmque transeundum illis fuerit. At editionis communis melior & generalior sensus. Bona quæ vi- E dentur vocat non falsa, & in opinione tantùm posita, vel æstimata meliora quàm sint,vt explicat Carthusianus; sed visibilia, & sub sensus intellectúsque cognitionem cadentia.

Non potuerunt intelligere.] Non potuerunt,quia noluerunt; *excæcauit enim eos malitia eorum* [n]: noluerunt intelligere vt bene agerent [o]; *ita vt sint inexcusabiles* [p]: non curauerũt,nec studuerũt,quod assequi poterant. Sed an possent naturæ viribus, non definit quidem Auctor: tamen satis indicat in progressu,cùm argumentatur ex creaturarum

n Sap.2.21.
o Ps.35.4.
p Rom.1.20.

cognitione

cognitione Dei notitiam parari potuisse ac debuisse. Nos hac de re paulo pòst.

Enim qui est.] Græcè (τὸν ὄντα.) Plato [a] Deum nominat τὸ ὄν: alij ὁ ὤν: Dionysius τὸν ὄντως ὄν. Mutuati omnes à Mose creduntur, qui recitat Deum ipsum de seipso ita locutum [b]; *Ego sum qui sum: qui est, misit me ad vos*, ὁ ὤν: vnde tetragrammaton nomen יהוה *Iehouah* sumptum putatur. *Tu autem idem ipse es*, inquit Dauid [c]: *nónne tu qui solus es?* ait Iob [d], nempe mundus & purus, quasi dicat, actus purus. *Qui fecit omnia, ipse est*, inquit Ierem.[e]; & Ioannes [f]; *qui est, & qui erat, & qui venturus est*, id est, qui erit. Tritum illud εἶ, *es*, præfixum templi Apollinis Delphici foribus, quâ intrantes Deum salutare inuitabantur. Fertur etiam respondisse Thales Milesius quæstioni quid esset Deus, id quod semper est.

Solus à seipso Deus est, nec potest non esse, vel mutari; cætera de nihilo sunt, ab æterno non fuerunt, vt persistant in suo esse à Deo pendent, & si Deus velit, redibunt in nihilum, & mutationibus aliquibus necessariò subsunt. Quæ hac de re pluribus verbis disseruntur, siue Philosophicè, siue Theologicè, Anselmus [g] optimè prosecutus est ista sententia. [Tu solus Domine es quod es, & tu es qui es. Nam quod aliud est in toto, & aliud in partibus, & in quo aliquid est mutabile, non omnino est quod est. Et quod incepit à non esse, & potest cogitari non esse, & nisi per aliud subsistat, redit in non esse: & quod habet fuisse, quod iam non est, & futurum esse, quod nondum est, id nō est propriè & absolutè. Tu verò es quod es, quia quidquid aliquando, aut aliquo modo es, hoc totus & semper es. Et tu es, qui propriè, & simpliciter es; quia nec habes fuisse, aut futurum esse; sed tantùm præsens esse, nec potes cogitari aliquando non esse, &c. tu tibi omnino sufficiēs, nullo indigens, quo omnia indigent vt sint, & vt bene sint, &c.] Peccati malitia est quodammodo infra nihil, vt idcirco primus auctor eius diabolus per descriptionem dicatur is qui non est, & peccatores socij eius qui non est [h]. Vnde Christus, qui haberi se peccatorem passus est, humiliauit seipsum, & exinaniuit [i], subiiciens etiam se (qui est ipsum esse) ad non esse. Simili periphrasi Ioannes [k] de bestia loquitur; *fuit, erat, & non est:* Ezechiel [l] de superbo Rege Tyri, qui typus est diaboli; *nihili factus es, & non eris in perpetuum.* Orabat Esther [m]; *Ne tradas Domine sceptrum his, qui non sunt*, id est, idololatris; idolū namque nihil est [n], & naturâ Dij non sunt, quos illi colunt [o]; & vocantur Gentiles superstitiosi, non gens [p], non populus [q]: quam Augustinus [r] appellationē, sicut & non hominis, accommodat ad populum, & ad hominem iniustum. Idem facit Hilarius [f], atque Nyssenus [t]; sed hic de nomine loquitur Christiano. Postremò omne quod veritati contrarium est, non est, vt docet Hieronymus [u].

Neque operibus eius attendentes.] Omnis enim creatura, inquit Hieronymus [x], etsi non vocē, opere tamen laudat Deum, quia ex creaturis consequenter creator intelligitur; & in singulis operibus & effectibus magnificentia Dei demonstratur. *Væ qui opus Dei non respicitis*, ait Esaias [y], *& opera manuum eius non consideratis.* Scala est vniuersitas creaturarum; vertex cœlum, vbi proprio quodam modo Deus; gradus res singulæ, per quarum cognitionem ascenditur ad Deum. Alia eandem in rem exempla confert Pintus [z], & nos nonnulla alibi [a] attulimus. Lege Bellarmini nostri pium libellum de ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum.

a in Timæo.
b Exo.3.14.
c Psal.101.26. Heb.1.12.
d Iob.14.4.
e c.51.19.
f Apoca.1.8.
g in proslog. c.22.
h Iob.18.15.
i Philip.2.7.8.
k Apoc.17.8.
l c.28.19.
m Esth.14.11.
n 1 Cor.8.4.
o Gal.4.8. Ierem.5.7.
p Rom.9.25. c.10.19.
q Deut.32.21. Oseæ 2. 9. 1. Pet.2.10.
r 19. de ciui. 21.
f in illud Psal. 118. Manus tuæ fecerunt me, &c.
t epistol. ad Harmon. de profess. Christi.
u in c.4. Epi. ad Gal.
x in c.3. Danielis.
y c.5.12.
z in c.3. Dan.
a Act.14.16.

Quis esset artifex.] Quo pacto Deus rerum à se creatarum dicatur artifex, docui capite septimo [a].

a vers.21.

Vers. 2.] Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam rectores orbis terrarū Deos putauerunt.

Longum esset ire per infinitos errores de varia idololatria. Hinc verò, & ex sequentibus in isto capite, atque ex dictis in præcedente, colligitur triplex idololatriæ quasi genus: rerum inanimatarum, præcipuè quæ mundum integrant, vt cœli, astrorum, elementorum: animalium brutorum: dæmonum, & hominum.

Aut ignem.] Vocabatur is Vulcanus. Refert Olcot [b] ex historiis Scholasticis, Chaldæos hoc argumento alios ad ignem colendum induxisse, si ille ipsorum idola consumeret, nec ipse consumeretur ab idolis eorum: conditione accepta Ægyptios Canopæos Belum suum (à Menelao gubernatore factum simulachrum Ruffinus [c] scribit, narrans historiam) ad pugnam cum igne tradidisse, testa foraminosa in caput ei imposita; vnde liquefacta cera, qua obstruebantur foramina, copiosè decidens aqua ignem extinxerit. Eusebius [d] prodit, in forma hominis constitutum ei simulachrum, in cuius capite pileus esset cæruleus, cœlestis symbolum volutionis, vbi integer syncerúsque ignis inuenitur, cùm qui è cœlo in terram delapsus est, imbecillior sit, materiaque indigeat, & ideo claudicās fingatur. Plura de igne in Commentatio nostro historiæ Apostolicæ [e].

Aut spiritum.] Græcè (πνεῦμα.) Purum æthera, siue aërem puriorem ac superiorem, qui Iupiter nominatur, exponunt Latini; vel ventū. Hunc significat πνεῦμα, & ita quoque Cantacuzenus intelligit. De variis istis Diis Eusebius [f]: hunc verò spiritum, Iouem dictum Latinè, ait [g] in animalibus animalitatis causam, & quasi parentem aliquam rerum omniū putatum esse. Multa item Cicero libris de natura Deorum. Ventos autem pro Diis cultos testis Seneca [h].

Aut citatum aërem.] Græcè (ταχινὸν ἀέρα, celerem, mobiléinque) scilicet mediæ ac inferioris regionis, quæ vocatur Iuno: quamuis M. Tullius [i] Stoicos referat Iunonem, Græcè ἥραν, interiectum inter cœlum & mare aërem dixisse. Acutè Arnobius [k]. [Si Iuno aër est, quemadmodum vos ludere ac dictitare consuestis, Græci nominis posteritate repetita (vt ex ἀὴρ fiat ἥρα) nulla soror & coniunx Iouis reperietur.] Aëriam Iunonem cognominatam Macrobius [l] testatur, quòd ipsa aër putaretur, & aëris arbitra. Aliis videtur citatus aër ventus esse.

Aut gyrum stellarum.] Græcè (κύκλον ἀστρῶν.) De zodiaci stellis accipit Cantacuzenus, Lyranus, Hugo, Carthusianus, & Olcot [m], quæ in signa quædam tanquam animalia conformantur, siue Pythagoras primus huius quasi picturę fuerit auctor [n], siue Oenopides [o] Chius, siue Anaximander [p]. Est enim zodiacus, qui & signifer, & circulus obliquus, λοξὸς, inter circulos maiores alios sphæræ æquinoctialem, siue æquatorem, colurum vtrumque, meridianum, horizontem, maximus; ideóque meritò nomine gyri, aut circuli absolutè

b lect.154.
c 11. histor. c. 26.
d citat ex libris de præp. Euang. Lilius Gyral. de Diis Gentiū. syntag.15. extat & apud Suidam verb. Canopus.
e c.2.
f 3. de præp. c.2. & 3.
g c.2.
h 4. natur. qq. c.17.
i 2. de natura Deorum.
k 3. contra Gentes.
l 1. in somniū Scipionis. c. 17. lib. 1. Saturnal. c.16.
m lect.154.
n Plutarc. 2. de placitis Philosopho. c. 13.
o Plutarch. ibid.
p Plin.

ſumpti intellectus. Nomen accepit(zodiacus primi mobilis, qui & ζῳοφόρος) à ζωὴ, id eſt, *vita*, quòd ſecundùm motum planetarum ſub illo ſit omnis vita in rebus inferioribus, vt ait Ioannes de Sacrobоſco [a]: vel (agendo de zodiaco firmamenti) à ζώδιον, id eſt, *animal* (vnde quoque vocatur ζῳδιακὸς) quia cùm diuidatur, inquit, in duodecim partes æquales, quælibet pars appellatur ſignum, & nomen habet ſpeciale à nomine alicuius animalis, propter proprietatem aliquam conueniẽtem tam ipſi, quam animali: vel propter diſpoſitionem ſtellarum fixarum in illis partibus, ad modum huiuſmodi animalium. Melior cauſa talis denominationis fuit ob memoriam hominum quorumdam illuſtrium, aut hiſtoriæ, aut fabulæ, ſicut contigit conſtellationibus quadraginta octo, quæ ſunt in firmamento.

a in ſphæra.

Bonauentura, Vatablus, Oſorius, Sà gyrum iſtũ ſtellarum volunt eſſe orbem aſtrifetum, non præcisè ſolum zodiacum, quod ego etiam magis credo. De ſuperſtitioſo cultu ſtellarum ſub nomine militiæ cœli, recognoſce, ſi vacat, & placet, quæ attulimus inter exponendũ Stephani ſermonem, qui recitatur in Actibus Apoſtolorum [b]. Nominatim de adoratis duodecim ſignis cum Sole, Luna, cæteráque militia cœli, mentio eſt in hiſtoria Regum [c].

b c.7.42.
c 4. Reg. 23.5.

Aut nimiam aquam.] Græcè (βίαιον ὕδωρ, *violentam aquam.*) Tethym, vel Neptunum eius virum aquarum & maris Deos paſſim intelligunt. Violenta & nimia aqua eſt vel copioſa, vel fluctibus ac tempeſtate agitata. Encomia aquæ apud M. Antonium Marſilium Columnam in ſua hydragiologia oſtendunt haud longiſſimè abfuiſſe à ratione, qui velut numen illam coluerunt, & rerum cunctarum principium primum ſenſerũt, vt Thales: putántque Latini nomen *(aqua)* ſignificare ● qua omnia. Priuilegium aquarum eſt, quòd ſuper eas Deus initio ferebatur [d]. Adoratas ab Ægyptiis cùm alij, tum Athanaſius [e] refert: ab Alemanis Agathius [f]: à Perſis Arnobius [g], & Clemens Alexandrinus [h], aliíque apud Briſſonium [i] (qui teſtantur præterea de terra, igne, venris, Sole, Luna:) ab hæreticis Ebionæis Damaſcenus [k]: & à Sampſæis Epiphanius [l], qui pertinent ad Ebionæos, & Elceſæi quoque nominantur.

d Gen. 1. 2.
e orat. cont. idola, & libr. de incarnat.
f lib. 1. & 2. peregr. hiſt.
g 6. contra Gentes.
h in protrep.
i 2. de Regno Perſarum.
k lib. de hære.
l hæreſ. 53.

Aut Solem, & Lunam.] Græcè (φωστῆρας οὐρανοῦ, *luminaria cœli)* quæ vocantur magna in Geneſi [m]. Celeberrimus ac frequentiſſimus horum cultus, magíſque quodammodo excuſandus ob illorum præſtantiam, & commoda maxima: ita vt diſtinctè ne id facerent, fuerint à Deo Hebræi præmonendi [n]. Macrobius [o] multa Gentilium numina conatur ad Solem reuocare ex Orphei, Heſiodi, Homeri, Platonis teſtimonio: Plinius [p], ſi quis eſſet Deus, non alium credidit quàm Solem. Deplorant in ſuis declamationibus Patres veſaniam hominis tantam, creaturam colentis pro creatore, cùm cæteræ creaturæ ab ea nunquam recedant lege, quam ſuus illis auctor Deus præſcripſit [r]. Vnum ſat ſit audire Athanaſium [ſ]. [Mirum eſt, ait, quòd nihil ex rebus creatis errabat in Numine intelligendo præter ſolum hominem: non Sol, non Luna, non cœlum, non aſtra, non aqua, non æther (hæc hîc ferè numerata ſunt) immutant ſuum ordinem; ſed agnoſcentes ſuum opificem, & Principem, rationem verbúmque Dei, eo tenore permanent, quo conditæ ſunt. Soli autem homines auerſi ab illa bona ſtatione veritatis, iiſque, quæ non erant, effectis, Dei honorem, ac eius cognitionem dæmonibus, & hominibus in lapide effigiatis (adde res illas alias inanimas quas diximus) dedicauerunt.] Huc vſque ille. Sed ſine dubio præſtantes Philoſophi conſuetudine populari ac timore abducebantur in tot ac talibus colendis Diis, cùm eſſe vnicum non ignorarent; vt Seneca faſſus eſt apud Auguſtinum [a], & Auguſtinus [b] ipſe de Platone ſcripſit, de Cicerone Lactantius [c], de Socrate plures; & qui laminam igneam Solem affirmans occiſus eſt, ſanam fortaſſis de Deo habebat ſententiam.

m c. 1. 16.
n Deut. 4. 19. c. 17. 3.
o lib. 1. c. 22. & 23.
p lib. 2. c. 6. & 7.
r Pſ. 148. 6.
ſ lib. de incarnat.
a 6. de ciuit. Dei. c. 10.
b 10. de ciuit. c. 2.
c 2. de origine erroris. c. 3.

Rectores orbis terrarum Deos putauerunt.] Græcè (πρυτάνεις κόσμου θεοὺς ἐνόμισαν.) Apud Athenienſes πρυτάνεις erant præcipui magiſtratus, qui ciuilia & ſacra procurabant, de quibus in eorum Republica Sigonius. Bene autem habet, quòd quos putabant Gentiles Deos, rectores etiam, hoc eſt, prouidos curatores volebant.

Verſ. 3.] Quorum ſi ſpecie delectati, deos putauerunt; ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt: ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit.

Verſ. 4.] Aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis:

Verſ. 5.] A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.

APta, concludénſque ratiocinatio ab effectis ad cauſam. Nam ſi trahebat mortales rerum forma ac pulchritudo; multo pulchrior is qui dedit rebus, quæ non ſunt à ſeipſis, ſed ab illo conditæ, pulchritudinem: ſi vis & efficiẽtia, quæque inde vtilitas exiſtit, impellebat, hanc rerum effector iis indidit; tanto propterea potentior. Quocirca ſecundùm analogiam & habitudinem, quam res cunctæ habent ad auctorem ſuum, poteſt hic ſatis expeditè faciléque, & perſpicuè cognoſci. Hinc videmur primo loco inferre amorẽ pulchri & vtilis primam idololatriæ originem fuiſſe, non timorem, vt poſt Petronium, cuius citat verſum;

Primus in orbe Deos fecit timor.——

voluit Fulgentius [d]. Hæc, & his ſimilia, quæ idẽ affert ex Diophante Lacedæmonio, & Mutanore muſico, quadrant in illa quæ capite ſequenti traduntur item de idololatria. Deinde ſequitur, naturali ratione atque demonſtratione, quam vocant *quia*, ex effectis, & à poſteriori oſtendi poſſe Deum eſſe. Philoſophorum hac de re teſtimonia ſatis multa collegit Eugubinus [e] contra Protagoram, Diagoram Melium, Cyrenaicum Theodorum, & atheos alios: imò & contra negantes id poſſe demonſtrari, quod Petrus [f] de Alliaco docuit, & Olcot [g], & antiquiores alij, quorum B. Thomas [h] opinionem errorem vocat: & ex hæreticis Caluinus [i], ac Heſſuſius [k], qui doctrinam Romani catechiſmi damnat [l], quòd lumine naturali cognoſci poſſit Deum eſſe, & vnum eſſe.

d 1. mytholo.
e lib. 2. & 6. de perenni Philoſophia.
f in 1 q. 3. a. 2 lit. r.
g hoc lib lect. 154. 156.
h 1. con. Gent. c. 12.
i 1. Inſtit. c. 3. & 4.
k lib. d. de erroribus Pontificiorum.
l in 1. a. Symb. Credo in vnũ Deum.
m verſ. 20.

Quod autem id hoc ex loco, ſicut & ex capite primo [m] Epiſtolæ ad Romanos; *Inuiſibilia enim ipſius*, &c. *ita vt ſint inexcuſabiles*, efficiatur, omnes paſſim affirmant, & non tantùm probabili ad-

modum

modum coniectura concludi; vt nihilominus tra-
a 1.p.disp.20. c.3. didit Gabriel Vazquez [a], docens inexcusabiles
iudicari etiam illos qui non acquiescunt opinio-
ni ad rem adeò grauem spectanti, quando prudēs
ratio valdè probabilibus munita coniecturis eam
b Rom.1.20. proponit. Profectò Paulus [b] non modò negauit
c vers.16. Gentiles excusabiles, verùm etiam affirmauit [c],
quod notum est Dei (pertinens ad veram eius co-
gnitionem naturalem) *manifestum esse in illis* (ma-
nifestatum per euidentes rationes naturales, si
eas rimari vellent:) *inuisibilia enim ipsius* (hic est
modus, quo Deus manifestauit, quæ scilicet per
se, vel intuitiuè, ac per causam cognosci non pos-
sunt) *à creatura mundi* (iam inde à mundi creatio-
ne, ἀπὸ κτίσεως) *per ea quæ facta sunt intellecta conspi-*
d vers.20. *ciuntur* [d] (fiunt veluti visibilia per discursum in-
tellectus.) Hunc discursum significat Auctor ver-
su 5. aduerbio (*cognoscibiliter, ἀναλόγως, per analogiā,*
proportionem, collationem, & illationem.) Nec enim, vt
quidam putant, Deū esse, est omnino per se notū,
& ex terminis siue extremis propositionis, cùm
tam multi huius dissensum habuerint.

Differentia inter eundem Auctorem nostrum
& Paulum est, quòd Paulus asserat sapientes Deū
cognouisse, at non vt par erat glorificasse: ille ne-
get cognouisse. Posset verò illa cognitio intelli-
gi fuisse quidem vera de nonnullis quæ conue-
niebant Deo, non tamen exacta, quantum etiam
naturaliter comparari ab iis poterat. Legendus
e in exposit. propo. ex Ep. ad Rom. de hoc discrimine Augustinus [e], iuxta quod di-
scrimen vtrique de quibus loquuntur Apostolus
& Auctor, ignorauerunt Deum; sed magis de qui-
bus Auctor. De vtrisque præterea potest affirma-
ri cognouisse etiam perfectè, intelligendo de na-
turali cognitione, quia per eos stetit quominus
naturaliter cognouerint. Imò & ad eundem illū
modum nolle dicitur aliquando Deum notitia
quoque supernaturali, ac fidei, is qui sua culpa
f q. 140. ad orthodo. ignorat. Sic Iustinus [f] monet, confirmátque ver-
g Ioan.7.28. bis Christi [g]; *& me scitis, & vnde sim scitis*, id est,
scire potestis & debetis. Non cognoscit mundus
(hoc est, mundanus homo) Deum, per quem fa-
h Ioan.1.10. ctus est mundus [h], nimirum homo ipse omnisque
rerum vniuersitas; tamen potest cognoscere, tum
naturaliter, vt dixi, tum nisi naturali facultate
abutatur, vel resistat & sit rebellis diuino lumi-
i 24.13. ni, vt Iob [i] loquitur, etiam supernaturalem adipi-
sci cognitionem, quæ semper in aliquo gradu, si-
ue quantum ad aliqua obiecta, fuit ad salutem
k 6 in Cōcil. Trid c.17. & 30. necessarium medium; quidquid aliter Vega [k], &
Soto [l] docuerint, quamuis hic id postea retracta-
l 2.de natu & grat.c.11. m 4.d 1. q.2 ar.3. uerit [m]. Nam *fides, sine qua impossibile est placere*
n Heb.11.6. *Deo* [n], *est substantia rerum sperandarum, & non appa-*
o ibid. *rentium* [o], ac proinde supernaturalium.

p in c 1. Epi. ad Rom. disput.16. Tractans Pererius [p] Pauli locum, conferénsque
cum isto, asserit ex vtroque confici, aliqua
esse, quæ de Deo naturaliter necessaria demon-
stratione probari possint. Nec secus visum Tole-
to, Salmeroni, reliquis Epistolæ Paulinæ Inter-
pretibus, præter eos qui enarrant librum Sapien-
tiæ. Vsurpant ad idem probandum Augustinus
q hom. 4. in Genes. antea citatus, Chrysostomus [q], & Gregorius [r]
r 26.moral.c.8. hunc locum: ex Theologis Valentia [s], Bellarmi-
s 1.p.disp. 1. punct.2. nus [t]. Rationibus non agam, cùm quæ ab Aucto-
t 4. de grat. c.2. re hîc affertur, optima sit, & ab omnibus vulgò
recepta & explicata, tum Patribus, tum Theolo-
gis, tum Philosophis. Sapienter monuit Aristote-
u 1.Top.c.9. les [u], non oportere omne problema, nec omnem
positionem considerare: & qui dubitant vtrùm
oporteat Deos honorare, pœna indigere. Hanc

A sanè quoque merentur pœnā Manichæi, & quot-
quot negauerunt creaturam corporalem esse à
Deo bono & vero, sed ab alio principio malo,
principéque tenebrarum; vt frustra teratur tem-
pus in illis confutandis. Sed & Origenes [a] re- a 1. periarch.
prehendendus, cùm docet huiusmodi creaturam
nonnisi ex occasione & per accidens factā, nem-
pe tanquam ergastula ad puniendos diuersos spi-
ritus, qui multo antè peccauissent, ac in primis
hominum animas. Legantur Augustinus [b], Cy- b 11.de ciuit. c.23.
rillus [c], B. Thomas [d]. Ipsa profectò magnitudo c lib.2.in Ioā. c.9.
speciei, quæ hîc asseritur in creatura, significat d 1. p. q.65.a.6.
eam factam ex certa Dei intentione, vt suammet
in illa pulchritudinem exprimeret aliquo modo,
& adumbraret. Idem est de virtute eidem à Deo
B insita; vnde colligere iubemur multo maiorem
esse Dei potentiam, sicut & pulchritudinem.

Quorum si specie delectati.] Græcè (ὧν εἰ μὲν, *quo-*
rum si quidem.) Complutenses, ac Regij (*&*) ad-
dunt (*quorum & si,* &c.) Cyprianus [e] (*quorum si pro-* e de exhortat.martyr.c.
pter speciem hoc putauerunt, vel *æstimauerunt*, id est, *esse* 1.lib. 3. testimo.c.59.
Deos.) Mundum hac ipsa Latina dictum constat
voce, quemadmodum Græca κόσμον, ab ornamen-
to, elegantia, & pulchritudine. Testis inter alios
Plinius [f]. Quamquam & ipse [g], & alij nomen ac- f lib.2.c.4.
cipiunt vtrumque aliquando pro cœlo, cuius ma- g ibid.c.3.
gis insignis forma ex astris: dicunt præterea cum
adiectione *mundū cœli* [h], κόσμον οὐρανοῦ. [Opus mun- h Ennius apud Macrobiū lib. 6.c.2.
di, ait Lactantius [i], quo nihil potest esse nec dis-
C positius ad ordinem, nec aptius ad vtilitatem, i de ira Dei. c.10.
nec ornatius ad pulchritudinem, nec maius ad
molem.] Hoc sibi vult toties repetitum à Mose
in creationis narratione [k]; *vidit Deus quòd esset* k Genes.1.4.10.12.18.21.25.
bonum, siue *pulchrum*, טוב *tob*, & καλὸν, vt omnes
passim obseruant. Honestè delectatur sapiens in
factura Dei, & in operibus manuum eius exultat,
considerās quàm sint magnificata, & quòd nimis
profundæ cogitationes illius: *at vir insipiens non co-*
gnoscit (eo quo debet modo) *& stultus non intelli-*
git hæc [l], prior brutus ac stupidus, בַּעַר *babhar*, po- l. Ps.91.56.7.
sterior mente peruersus, כְּסִיל *chesil*. Philosophiæ
voluptates magnæ sunt, vt 1. Metaphys. Philoso-
phus tradit, & 10. Ethicorum.

Sciant quanto his dominator eorum speciosior est.]
D Græcè (πόσῳ τούτων ὁ δεσπότης ἐστὶ βελτίων, *quanto*
horum Dominus, vel *quanto his Dominus est melior.*)
Iansenius refert se apud Cyprianum legisse (*pre-*
tiosior) & id magis conuenire Græcæ dictioni,
quæ non ad virtutem moralem, sed ad pulchri-
tudinem referri debeat, eo modo quo Latinè di-
citur quis esse bona forma. Scire vult Auctor
idololatras, quòd scire possunt etiam naturaliter,
vt dixi. Nam præter allata testimonia scripsit
Plato [m], ex pulchritudine omnino rerum crea- m in sympos.
tarum pulchritudinem quandam admirādam di-
uinæ naturæ derepentè conspici; & Dionysius [n], n c.7.de diu. nominib.
Deum cognosci ex ordinatissima creaturarum
omnium dispositione.

E *Speciei enim generator hæc omnia constituit.*] Græcè
(ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης ἔκτισεν αὐτά, *speciei enim*
primus, vel *præcipuus generator creauit hæc.*] Cypria-
nus [o] ista non recitat. Forma quidem vocatur o suprà.
pulchra, & materia turpis: dicitur etiam quando-
que Filius Dei species; at non isto modo loqui-
tur nunc Auctor, vt Hugo vult. *Pulchritudo agri*
mecum est, ait Deus [p], ὡραιότης: & dè Deo incar- p Ps.49.11.
nato Dauid [q] (licèt de Deo ipso in se alij acci- q Ps.44.1.
piant) *speciosus forma præ filiis hominum:* &, *specie tua,*
& pulchritudine tua. &c.[r] & Salomon [s], *ecce tu pul-* r ibid.5.
cher es dilecte mi, & decorus. Non est puella quālibet s Cant. 1.15.

formosissima cum Deo comparata pulchra, sed deformis, vt Plato [a] docet; & apud illum Heraclitus hominem sapientissimum, si cum eodem conferatur Deo, simiam dicit esse. Præterea idem ille Philosophus [b] tradit, ipsum pulchrum per seipsum cum semetipso vniforme semper existere; cætera, quæ pulchra sunt, ipsius participatione talia esse. Dionysius [c] scribit, Deum esse pulchrum, & per omnia pulchrum, & supremè pulchrum, & semper eodem modo pulchrum, & vniuersi pulchri principalem pulchritudinem in seipso ante omnia habere. Appellat etiam *ἀγαθουργὸν, καὶ εἰδοποιὸν, καὶ καλλοποιὸν αἰτίαν τῶν ὅλων καλῶν, causam bonitatis effectricem, & speciei, & pulchritudinis omnium pulchrorum, καὶ πάγκαλον, καὶ ὑπέρκαλον, & omnipulchrum, & superpulchrum*: denique *ἀρχὴν πάντων ὡς ποιητικὸν αἴτιον, omnium principium velut efficientem causam.* Quem rursus ad modum Plato [d] Deum vocauit causam omnium pulchrorum.

a in Hippia maiore, siue de pulchro.
b in Sympos.
c c.4. de diui. nomin. p. 2.
d epist. 2. ad Diony. Regē.

Libenter in hoc Platonici exspatiantur argumento, vt Philo [e], & Plotinus [f]: Scholiastes quoque Nazianzeni Elias [g], sed hic ferè ex Dionysio citato; sicut & Ioannes Cyparissiotus [h], qui obseruat etymon *τοῦ καλοῦ* ex Maximo Dionysij expositore, vel quia *πάντα καλεῖ, ad se vocat omnia* (notionem affert Plato [i]:) vel quia sit *ὡς ἀεὶ ὤν, quasi semper existens*; quæ deriuatio durior videtur. Melior illa alia à *κηλῶ, mulceo, allicio.*

e de opific. mundi
f Ennead. 1. lib. 6. præsert. c. 9. Ennead. 6. lib. 7. c. 31.
g in orat. 6. de Spiritu sancto, & in apolog.
h decade 3. c. 1.
i in Cratylo.

——Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo (canit Boëtius [k]) *pulchrum pulcherrimus ipse*
Mundum mente gerens, similiq; in imagine formans.

k 3. de consolat. metro 9.

C

Augustinus [l] præclara inductione creaturas pulchras loquentes facit, vt ad auctoris pulchritudinem vlteriùs ascendamus. [Ista pulchra mutabilia quis, inquit, fecit, nisi incommutabilis pulcher? pulchritudo eorum, confessio eorum est.]

l serm. 143. de temp & 10. confess. c. 6.

Nos ergo, cum Ambrosio [m], quantum possumus, intendamus illò animum, & in illo simus, illud animo teneamus, quod est pulchrum, decorum, bonum, vt fiat illuminatione eius & fulgore speciosa anima nostra, & mens dilucida. Subiicit argumentum per comparationem ex oculis, qui recreantur & pascuntur agrorum viriditate, & specie nemoris, cùm aliqua caligine obducuntur, ita vt omnis inæqualitas ægrescentis obtutus repellatur, & quadam salubri specie pupillæ ipse, atq; orbes colorari videamur: multo enim magis fore vt mentis oculus, cùm illud summū intuebitur bonum, in eo versabitur, eo pascetur, splendescat atque eniteat. *Memor* enim *fui Dei*, ait quidam [n], *& delectatus sum.* Sed & desidiam nostram cum Augustino [o], ac potiore quidem quàm ille iure, demissè fateamur. [Serò te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua: serò te amaui. Et ecce intus eras, & ego foris; & alibi te quærebā, & in ista formosa quæ fecisti, deformis irruebam.] Liceat & Platonis [p], verùm piè magis quàm ille, illas ad Deum preces vsurpare: ô Deus da mihi, vt sim pulcher in his quæ sunt intrinsecus; extrinsecus autem quæcumque sint mihi amica iis quæ sunt intrinsecus.

m lib. 5. ep. 11.
n Ps. 76. 4.
o 10. confess. c. 27.
p in Phædro.

D

E

Si virtutem & opera eorum mirati sunt.] Græcè (*εἰ δὲ δυνάμει, καὶ ἐνεργείᾳ ἐκπλαγέντες, si potentia, seu facultate, & energia, seu efficientia, & efficacia perculsi sunt*) ob occultas nēpe virtutes & admirabiles, quæ rebus insitæ sunt; vel ob influentias, quas quidam cœlis astrisq; tribuūt. Cyprianus [q] legit (*virtutes.*)

Qui fecit.] Græcè (*ὁ κατασκευάσας, qui cōstituit, præparauit, digessit*) vt solet opifex vasa & instrumenta

q de exhortat. martyr. lib 3. testimon. c. 59.

A

cuique operi apta. Idem Cyprianus [a] habet (*constituit*) nec non Carthusianus & Olcot [b].

Intelligunt.] Alij (*intelligūt, aut intelligēt, aut intelligebant.*) Lectio nostra cōgruit Græcæ (*νοησάτωσαν.*)

Fortior.] Græcè (*δυνατώτερος, potentior, maiore agendi vi præditus.*) Nam iussu Dei, verbi gratiâ, stetit Sol, [c] & recessit [d]: ignis continuit calorē suum [*]: leones ferociam ac voracitatem [e].

A magnitudine enim speciei & creaturæ.] Græcè in emendata editione Septuaginta (*ἐκ γὰρ μεγέθους καλλονῆς κτισμάτων, à magnitudine enim speciei, siue pulchritudinis creaturarum*) in Complutensibus autem & Regiis Bibliis (*ἐκ γὰρ μεγέθους, καὶ καλλονῆς, καὶ κτισμάτων, à magnitudine enim, & pulchritudine, & creaturis.*) Aldina editio habet (*ἐκ γὰρ μεγέθους καλλονῆς, καὶ κτισμάτων, à magnitudine enim speciei, & creaturarum.*) Iansenius legendum putat, quo etiam pacto lego apud Cantacuzenum (*ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων, à magnitudine enim & specie creaturarum.*) Fauet Chrysostomus [f], apud quem Latinus eius Interpres ita vertit (*ex magnitudine & pulchritudine creaturarum:*) item Gregorius [g], qui citat hoc pacto (*per magnitudinem enim creaturæ & speciem.*) Vltima hæc lectio videtur magis perspicua; nec ab ea tamen dissidet Latina nostra, si magnitudo creaturæ sumatur pro vi operatiua, quæ comparatione speciei, hoc est, pulchritudinis, magis afficit ac denominat creaturam, quoniam est magis insita & interna; pulchritudo verò est solū externa & superficiaria, faciliúsque mutabilis. *Magnitudo* & *μέγεθος* non rarò sumuntur pro excellentia & præstantia, vt superiùs capite 6. [h] *nec verebitur magnitudinem cuiusquam μέγεθος*, quasi dicat molem perfectionis, atque potentiæ; vnde nomen illud eximium *Maiestatis.*

a supra.
b lect. 155.
c Iosue 10. 13.
d 4. Reg. 20. 10.
* Dan. 3. 50
e Dan. 14. 39.
f hom. 4. in Genes.
g 26. moral. c. 8.
h vers. 8.

B

C

Cognoscibiliter.] Græcè (*ἀναλόγως.*) Gregorius [i] (*intelligibiliter*) Chrysostomus [k] Latinus (*decenter*) Isidorus Clarius (*ex proportione*) versio Latina Sixtiana LXX. (*per proportionem*) & alia antiquior (*per analogiam*) Vatablus (*collatus in creator, &c.*) Græcum nomen *ἀνάλογος* quasi *ἀνὰ τὸν λόγον*, vt Plato [l] explicat, proportione compactum, vt Cicero [m] vertit, siue constitutum constánsque significat, cum apta quadam comparatione, quæ in alterius ex altero notitiam possit perducere; & facit vt id quod dubium est, ad aliquid simile referat, vt scribit Fabius [n]. Creator igitur ex creaturis *ἀναλόγως* videtur, quoniam effecta cum sua causa nexum habent: & siquidem non sint, vt philosophicè agamus, vniuoca, rectiùs dicentur *ἀνάλογα* conferre ad cognitionem illius. Tales res omnes à Deo conditæ, quas ille in sese continet velut æquiuoca causa virtute & eminenter, cùm eius natura sit infinitis partibus perfectior & superior.

i 26. moral. c. 8.
k supra.
l in Timæo.
m de vniuersitate.
n 7. institut. oratoria. c. 6.

D

E

Poterit videri.] Græcè (*θεωρεῖται.*) Ad animi contemplationem magis pertinet Græcum verbum, & indicat eminentem scientiam; quam hoc ex loco antea docuimus rectè ostendi posse naturaliter comparari.

Vers. 6.] Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasso errant, Deū quærentes, & volentes inuenire.

Vers. 7.] Etenim cùm in operibus illius conuersentur, inquirunt: & persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur.

Extenuat aliqua ratione priorum illorum idololatrarum peccatum, quòd Deum sibi proposuerint inquirendum, & in naturæ peruestigatione defixi, rerúmque naturalium capti pulchritudine ac vi, rebus illis ipsis diuinitatem attribuerint, quibus nihil intueri melius valebant; interim scilicet dum rebus abutentes animum altiùs non erigebant.

Adhuc.] Deest in textu Græco.

Minor est querela.] Græcè (*μέμψις ἐστὶν ὀλίγη, reprehensio parua.*) Minorem reprehensionem merentur, qui Solem, Lunam, astra, elementa tota, & similes res adorauerunt, quàm qui serpentes, muscas, & vilia eiusmodi animalia, vel mutas & insensibiles statuas. Nam licèt quoduis animalculũ perfectione naturæ superet cœlos & elementa, nihilominus ad communem vsum & efficientiam magis priora cõferunt, & magis habent constantem statum, & perpetuitatem, & incorruptionem; *incorruptio autem facit esse proximum Deo* [a]. Præterquàm quòd non omnino mali Philosophi saltem cœlos arbitrati sunt animatos; qui sicut in re falsi sunt, ita & decipi potuerunt, vt iis diuinum cultum deferrent.

a Sap.6.20.

Et hi enim fortasse errant Deum quærentes.] Hugo & Bonauentura notant (*fortasse*) non esse notam dubitationis, sed libertatis arbitrij: reipsa enim quæsiuisse, ac inuenire voluisse Deum, quamuis liberè. Carthusianus ait non indicari dubium esse quòd errauerint, sed quòd possit dubitari, an seriò quærere, ac inuenire Deum verum voluerint; & videri posse id ita fecisse, propterea quòd Deos putauerunt esse res quasdam nobiliores, quasi ex illo iudicio, quo æstimabant in genere Deum esse quid magnum. Olcot [b] existimat innui excusationis insufficientiam. Vatablus quoque iungit cum verbo (*errant.*) Pellicanus à Iansenio citatus accipit (*fortasse*) pro (*temerè.*) Iansenius autem sequitur, tacito licèt nomine, Carthusianum. Cantacuzenus monet etiam ne dictionem (*τάχα, fortasse*) ad verbum (*πλανῶνται, errant*) referamus; quoniam ipsi reuera, inquit, prorsus errant Deum fortasse quærentes, quem rebus creatis admirabiliorem & efficaciorem putant; atque inuenire volentes: sic enim obscuram quandam cognitionem assequuntur, ac Deum magnum quiddam esse arbitrantur.

b lect.156.

Sensum planum existimo (*fortasse errant Deum quærentes,* &c.) id est, hæc assignari nonnulla excusatio possit; vt ideo fortassis asseramus eos errasse, quòd quæsierint Deum, &c. Itaque nec reuocatur hic in dubium an errauerint, nec an Deum quæsierint; sed vt probabilis causa datur cur errauerint, & in eo errore minùs reprehendendi sint: quoniam dum se ad cognoscendas res applicuerunt, hoc habebant fortassis in animo, vt Deũ ipsũ auctorẽ rerũ inuenirent. Incertus est Auctor de causa, verisimilem tamen cõiecturam profert, quòd res per se bonas & valdè vtiles Deorum loco coluerint. Quamquam nec semper particulæ quæ dubitationem in se important, eam quoque in oratione significant, sed asseuerationem, vt apud Matthæum [c]; *feriè mansissent vsque in hanc diem*. Tyrus scilicet & Sidon ciuitates: & apud Ioannem Dominus ad Samaritanam [d]; *tu forsitan petisses ab eo*; etsi his locis simul indicatur libertas arbitrij, cum infallibili tamen præscientia Dei futurorũ contingentium possibilium liberorum. Alia exempla sunt in Euangelio eiusdem Ioannis [e]; *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi:*

c c.11.23.
d c.4.10.
e c.5.46.

A & [a], *si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Præterea Lucæ 20.* inquit Christus sub persona domini vineæ; *forsitan cum hunc viderint* (filiũ) *verebuntur.* Aliis ex libris afferri similia testimonia possunt, quorũ similis ratio. Legendi Hieronymus [b], Theophylactus [c], Iansenius [d], Cantapetrensis [e]. Interdum non alium habent vsum tales voces, quàm vt quis modestiùs loquatur, licèt de eo non ambigat, de quo loquitur.

a c.8.19.
* vers.13.
b in c.5. & 26. Ierem in c.2. Ezech. in c. 21. Matth.
c in c.20. Luc.
d concordiæ c.47. & 77.
e 5. hypotypos. c.5.

Cùm in operibus illius conuersentur.] Græcè (*ἐν ἔργοις αὐτοῦ ἀναστρεφόμενοι.*) Occupando se in cognitione, necnon in vsu ipsorum, vt explicat Bonauentura.

Persuasum habent.] Græcè (*πείθονται τῇ ὄψει, persuadentur aspectu, ac visione, credunt visui.*) Magna
B oculorum lenocinia, quibus & Eua capta est, eiusdémque opera Adam [f].

f Genes.3.

Vers. 8.] Iterum autem nec his debet ignosci.

Vers. 9.] Si enim tantum potuerunt scire, vt possent æstimare seculum: quomodo huius Dominum non faciliùs inuenerunt?

C Docet, quamuis minùs quadã ex parte reprehendẽdi videantur talium rerum nobiliũ ac vtilium cultores, absolutè non mereri excusationẽ: nam cùm tãtùm valuerint ingenio, vt obscuritate naturæ inuoluta perciperẽt, atque cœlestia corpora, potuisse faciliore breuioréque opera illorum auctorem & gubernatorem intelligentia consequi; cùm animaduerterẽt nec existere temerè, aut per se, nec posse conseruari absque principe ac primaria, & prima causa, sub cuius ditione arbitrióque cũcta sint, & à qua pendeãt. Est sanè quidem longè magis ardua de Deo secũdùm ipsius naturam & attributa exacta cognitio, quàm de rebus aliis: tamen ea notitia, qua Deum esse
D intelligitur, & satis est vt sine errore coli possit, obuia est, & cuiuis in promptu, præsertim existẽte adeò communi, atque à primis inde peruagata tẽporibus opinione & fama, quòd sit vnus Deus. In capite sexto [g] scripsit Auctor clarã esse, & quæ nunquam marcescat sapientiam, & facilè videri ab his qui diligunt eam, & inueniri ab his, qui quærunt illam; præocupare qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Atqui consistit potissimùm sapientia in eo, vt cognoscatur verus Deus, & verè colatur. [Maior est ad illa inuenienda (remota à sensibus) labor, ait Augustinus [h], quàm ad illum (Deum) à quo facta sunt, cùm sit incomparabili felicitate præstantius, illum ex quantulacũ-
E que particula pia mẽte sentire, quàm illa vniuersa comprehendere. Vnde rectè culpantur in libro Sapientiæ inquisitores huius seculi; *si enim tantum potuerunt*, &c.] Bonauentura intelligit faciliùs cognosci posse quis sit Deus verus, quàm iis quæ colebant idololatræ, diuinitatem conuenire. [Nemo est mortalium, inquit Damascenus [i], cui non hoc à Deo naturaliter insitum sit, vt Deum esse perspectum habeat.] Tertullianus ait [k]: [Reos habuit Deus sapientes, atque prudentes, ex ipsis operibus tot ac tantis intelligibilem Deum non requirentes, vel perperam in illum philosophantes, & ingenia hæreticis subministrantes.]

g vers.13.14.
h 5. de Gene. ad lit. c.16.
i lib.1. c.1.
k 4. contra Marcion. c.25.

Augustinus [a] nominatim Hermetem ac Platonẽ inexcusabiles hac in re facit; scribit [b] quoque Philosophos extitisse, qui creatorem exquisierint per creaturam, quia potest inueniri per illam: vidisse etiam quò veniendum esset, sed propter superbiam amisisse quod viderant, séque ad idola conuertisse.

Nec Philosophi verò soli prætendere queunt excusationem; sed neque vllus alius quamlibet rudis, dummodo rationis vsum habeat & libertatis. Imò meliores Theologi negant de supernaturali notitia Dei, quoniam quisquis audit naturalem rationem, & ex ipsius viuit præscripto, diuino lumine illustrabitur, quod necessarium ac sufficiens sit ad consequendam æternam salutẽ. Sic Gerson [c] docuit, Alensis [d], & alij permulti. Igitur aptè hic mundus totus dici speculum potest, in quo resplendeat Deus: liber, in quo veluti legantur quæ pertinent ad ipsum: musicum instrumentum, quo suauis edatur diuinæ notitiæ concẽtus: pictura, quæ sua prodat auctorem suum symmetria. Primo exemplo vsus est Paulus [e], & Trismegistus [f], diligentérque à B. Antonino [g] declaratur: secundo idem ille Philosophus, præterea Antonius [h], Basilius [i], Chrysostomus [k], & id explicat Bonauentura [l]: tertio Athanasius [m], Augustinus [n], Chrysostomus [o], indicatúrque capite vltimo huius libri [p], atque à profanis etiam auctoribus libenter vsurpatur: quarto idem Athanasius [q], & Augustinus [r]; cui similia sunt exempla statuæ, domus, &c. Ex Phydia statuario ducit similitudinem Athanasius, quem sua, inquit, referunt opera ex commensione, & proportione partium inter se, etiam absentem, extráque contuitum positum repræsentauisse. Dionysius verò ad Titum scribit, quòd ipsa mundi qui cernitur, fabrica, diuinarum rerum, quæ non videntur, est integumentum, τῶν ἀοράτων τῦ θεῦ προβέβληνται, quemadmodum dicit & Paulus (nempe cùm docet, inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt conspici [s]; & videre nos nunc per speculum, ac in ænigmate [t]) & vera ratio.

Tritum autem Theologis admodum *vestigij* nomen, quod creaturæ tribuunt, vnde quodammodo Dei cognitionem venando comparemus. Multa disputat hac de re vulgò creditus Clemẽs Romanus in recognitionibus [u] cum Niceta: sed opificium vrget mundi tanquam domus, quæ artificem suum prodat. Patres cæteri, maximè qui contra Gentiles agunt, effusè hoc argumentum persequuntur, ac simili vtuntur sermone quo Dauid [x], *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c. *Dies diei eructat*, &c. *Non sunt loquelæ*, &c. [Nam his qui non habẽt aures, hæreticis, ait Cyrillus [y] Ierosolymitanus, modò non seu tantùm non clamant (statæ vicissitudines diei ac noctis, & anni tempestatum) per hunc optimum rerum ordinem, & dicunt, nullum esse alium Deum, præter ipsum opificem, definitorem, & gubernatorem vniuersorum. Quocirca meritò cani potest; plena est omnis terra (imò mundus) gloria & maiestate Dei.]

Iterum.] Græcè (πάλιν.) Hæc vox denotat ἐπανόρθωσιν, & quasi denuò repetitum sermonem per correctionem.

Potuerunt.] Complutenses, & Regij codices, aliíque (*potuissent*) nonnulli (*possent*.) Editio emendata respondet Græco (ἴσχυσαν) & sic legit Aug. [z]

Scire.] Augustinus [a] (*valere.*) Græcum verbum (εἰδέναι) reddidit Interpres: nec satis conuenit (*potuerunt valere.*)

Æstimare.] Græcè (στοχάσασθαι, *coniectura capere*, vt exponit Vatablus, *cognitione assequi veluti collimando, quantum fas est rationi naturali.*) Conjecturales artes vocãt στοχαστικάς, & στάσιν στοχαστικὴν Rhetores statum coniecturalem. Fortassis indicatur hoc verbo non penitus exactam de rebus etiam naturalibus haberi scientiam. Carthusianus exponit hic de probabili cognitione.

Seculum.] Græcè (τὸν αἰῶνα.) *Mundum* significant hæc nomina, vt aliàs ostendimus [a].

Faciliùs.] Græcè (τάχιον, *citiùs.*)

Inuenerunt.] Non inuenitur Deus si quæratur quando, & vbi non oportet. De tempore præcipit Esaias [b], vt quæratur dum inueniri potest: Iob [c] negat inueniri in terra suauiter viuentium, quem sponsa vocat lectulum [d]: Oseas [e] greges & armẽta: Lucas [f] cognatos & notos. Debet etiam quæri Deus in toto corde, & tota tribulatione animæ [g]: denique, vt ait idem Esaias [h]; *si quæritis, quærite: conuertimini, venite.* Sic non solùm naturalis obtinebitur cognitio Dei, sed etiam supernaturalis cum gratia iustificante.

Vers. 10.] Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorũ est, qui appellauerunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionem, & similitudines animaliũ, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ.

CApite præcedente vituperata idololatria vilium animalium, & in hoc rerum, licèt inanimatarum, tamen magis vtilium, conuertit se nũc ad eorum reprehensionem, qui se ad manufacta simulachra veneranda contulerant. Tales nominat infelices, ac inter mortuos censendos, & quorũ penè desperata sit salus, quoniam dũ quæ ipsimet fecerunt, adorant; longiùs absunt quàm idololatræ cæteri ab eo, vt Deum verum ac viuum, & omnipotentem adorent, qui vitam sensúmque animalibus, quamuis vilibus, vim efficiendi & pulchritudinem dedit cœlis ac elementis. Exaggerat valdè Baruch [i] infelicem ac vesanum horum errorem idololatrarum ex collatione cum iis qui vtiles illas creaturas adorabant.

Ambigat hîc autem iure aliquis, tantáne Gentiles vesania fuerint & inscitia, vt externam materiam figuráinque adorarent in materia impressam artis opera; præsertim si de non planè rudibus & imperitis loquamur. Hermes Trismegistus apud Augustinum [k] asserebat, sicut Dominus, & Pater, siue Deus, erat effector Deorum cœlestiũ; ita hominem esse fictorem Deorum, qui in templis sunt humana proximitate contenti, & ex sua illos vultus similitudine figurasse, & spiritus inuisibiles inuitatos in simulachra descendere consueuisse, in quibus mira operarentur ac responderent. Non dubium quin prorepserit error postea vsque adorationem simulachrorum, ita vt in iis terminaretur ab iis qui minùs docti erant. Sæpe, at imprimis in Exodo [l], & Deuteronomio [m], ac Leuitico [n] cauit Deus omnem alienam istam adorationem, & simulachrorum effectionem in eum finem, vt adorarentur diuino scilicet cultu. Affirmat Dauid [o] omnes Deos Gentium esse dæmonia: Moses [p] item ac Paulus [q]; quia dæmoniorum operâ omnis idololatria ac superstiti prouenit (etiamsi non ipsamet fortassis ab

a 8. de ciuit. c. 9. & 23.
b tract. 2. in Ioan. ser. 55. de verb. Dom. & ser. 143. de tempore.
c de vita spirit. lect. 4.
d p. 2. q. de ignorãt. m. 8.
e 1. Cor. 13.
f in dialog.
g 1. p. tit. 3. c. 6. §. 4. & seq.
h apud Athanas. in vita.
i hom. 11. in hexam.
k in Ps. 148.
l in dieta salutis.
m orat. cont. idola.
n 10. confess. c. 6. & de Genes. imperf.
o supra.
p vers. 17.
q supra.
r de Genes. imperf. c. 5.
s Rom. 1. 19.
t 1. Cor. 13. 12.
u lib. 8.
x Ps. 18. 1. & seq.
y catech. 9.
z 5. Genes. ad lit. c. 16.
a ibid.

a Eccle. 1.
b c. 55. 6.
c c. 28. 13.
d Cant. 3. 1.
e c. 5. 6.
f c. 2. 44.
g Deut. 4. 29.
h c. 21. 12.
i c. 6. 59. 60. 61. 62. 63.
k 8 de ciui c. 23 & 24.
l c. 20. 4.
m c. 4. 15.
n c. 26. 1.
o Ps. 95. 5.
p Deut. 32 17.
q 1. Cor. 10. 20.

ommibus idololatris dæmonia colerentur) vt omnes docent qui contra Gentium superstitionem disserunt, potissimùm Lactantius [a], Eusebius [b], Nazianzenus [c].

Refert verò idem Augustinus [d] ex Varrone triplicem Theologiam Gentilium, hoc est, rationem, quæ de Diis explicatur, mythicam, physicã, politicã, fabularem, naturalem, ciuilē. Prima vtebantur maximè Poëtæ: secunda Philosophi: tertia populi. In prima cōtinentur indignissima & portentosissima de Deorū tū constitutione ac veluti generatione, tum moribus turpissimis, vt meritò Tertul. [e] Poëtas cognominauerit dedecoratores Deorum. Secunda modestiùs agit, qui sint Dij, quod genus, quale, ex quonam tempore, quæ causa, siue producens, siue componens. Tertiam sibi vendicabant in vrbibus ciues, maximè Sacerdotes, definientes qui coli debeant Dij publicè, quibus sacris & sacrificiis. Assignabat Varro primam theatro, secundam mundo, tertiam vrbi. Reuocat Augustinus [f] ad membra duo diuisionē, ad Deos naturales, & institutos ab hominibus; sed aliter Poëtas, aliter de posterioribus tradere Sacerdotes; vtrosque tamen gratos dæmonibus, quibus inimica est doctrina veritatis: quamuis Senecam quoque dicentem referat [g] seruandos tales ritus, tanquam legibus iussos, non tanquam Diis (quos nimirum aliquos veros putabat) gratos, & sic omnem illam ignobilem Deorum turbam, quam longo æuo longa superstitio congessit, adorandam, vt meminerit cultum eius magis ad morem, quàm ad rem pertinere.

Sed ex Varronis adhuc narrat [h] iudicio, mundum animatum, cœlos, elementa plena animarū, siue heroum, larium, geniorum. Quocirca nihil mirum, si tot in tam multis simulachris diuinos spiritus adorare se Gentiles crederent. Quamquã non intelligo quî persuadere sibi possent adeò multis in locis, ac intra diuersas admodum imagines eundem simul reipsa contineri, vt ibi gratiã, Iouem, Mercurium, &c. Latiùs hæc res patet, ac de illa memini nonnihil dixisse, cùm exponerem Actus Apostolorum [i]; & erunt adhuc deinceps isto capite, ac sequenti dicenda. Legendus Gulielmus Parisiensis [k], quodam loco fusè hac de re disserens. Varronianam porrò illam diuisionem referunt præterea Plutarchus [l] & Eusebius [m].

Infelices.] Græcè (ταλαίπωροι, ærumnosi, calamitosi, miseri, &c.) Latini exponunt de iactura felicitatis æternæ.

Inter mortuos spes illorum est.] Græcè (ἐν νεκροῖς αἱ ἐλπίδες αὐτῶν.) Æquiuocum id est, an quòd collocauerint spes suas in mortuis, videlicet idolis; an quòd mortuæ sint illorum spes, & sint planè desperati; an quòd iam sint in numero damnatorū, qui penitus abiecerunt spem salutis. Omnia vera; secundum melius, optimum tertium, & editioni Latinæ magis cōsentaneum. Quàm desperata est mortuorum vita, vt reuiuiscant naturaliter, & ante communem resurrectionem, de quibus Dauid [n], *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt*; tam est idololatrarum, dum tales sunt, aut iam mortui sunt, desperata salus. Vel istorum spes dicitur inter mortuos, quia vt mortui spem nō habent vitæ, ita nec illi beatitudinis. Vel per mortuos intelliguntur non sola corporali vita priuati, sed etiam æternæ dānationis morti addicti, qui certi sunt de hac ipsa sua dānatione. Quo pacto capite tertio [o] spes electorum immortalitate plena nominatur, etiã eorum qui beatitudinem sunt adepti, vt ibi notauimus. Per mortuos quandoque damnatos intelligimus, atque in mortali peccato versantes, licèt adhuc hic viuãt. Sic illud [a]; *sine mortuos sepelire mortuos suos*, explicãt Ambros. [b] Augustinus [c], Hieron. [d] Chrysostomus [e], Hilarius [f]. Paulus quidem ita loquitur de peccatoribus: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis*: &, *quæ* [h] *in deliciis* (vidua) *est viuens, mortua est*. Sunt etiam qui iudicãdos viuos & mortuos interpretētur de iustis & iniustis, de electis & reprobis, vt aliàs diximus [i]. Græci νεκροὺς nonnunquam sumunt pro cadaueribus.

Qui appellauerunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inuentionem.] Eodem ferè modo cecinit Dauid [k]; *Simulachra Gentium argētum & aurum, opera manuum hominum. Omnis* [l] *Spiritus non est in visceribus eorum*, nec omnino in ipsis [m], nēpe informans, sed assistens insistēnsve dæmonium, vt antè dixi. [Fuit aliquãdo sine simulachris idololatria, & absque idolo, priusquàm huius mōstri artifices ebullissent, inquit Tertullianus [n]: sed sola templa, & vacuæ ædes, & idololatria agebatur non in isto nomine, sed in isto opere.] Pergit ille: [At vbi artifices statuarum & imaginum, & omnis generis simulachrorum diabolus seculo intulit, rude illud negotium humanæ calamitatis, & nomen de idolis consecutum est & profectum.] Illud ipsum testatur idem [o] de superstitione sub Numa sine simulachris: quod præterea significat Plinius [p], Plutarchus [q], Augustinus [r], Dionysius Halicarnasseus [s], apud Augustinum [t] Varro, & quos Viues [u] citat Clemens Alexandrinus [x], & Eusebius. Subdit Tertullianus tria genera artificum, plastem, cælatorem, phrygionem, qui gypso effingeret, in lapide, ære, argento, &c. insculperet, filo formaret idolū. At nos aliàs [y] ostendimus iam inde minimùm ab ætate Iacob, quod quidem produnt sacræ literæ, vsum idolorum fuisse; atque capite sequenti adhuc antiquiorem fuisse demonstrabimus.

Admirabili Caluinus [z] impudentia est, cùm negat Hebræos in vitulo alteri quàm Deo vero cultum dare intendisse; imò & Paganos in idolis suis. Innumerabilibus conuincitur sanctæ Scripturæ testimoniis; hoc Pauli [a] de Paganis apertissimū; *coluerunt*, inquit, *& seruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori*. ἐσεβάσθησαν, καὶ ἐλάτρευσαν. Eò prorupit calumniator ille insanus & impius, vt nos, quia nōnullum imaginibus honorem habemus, idololatras dici debere confirmaret. Appellare Deos opera manuum suarum, vt loquitur Auctor noster hoc loco, aliáque facere circa illa, quæ paulo pòst subdit, & capite sequenti, vt incommunicabile nomen lapidibus & lignis [b] imponere, & quæ habentur toto capite sexto Baruch, opus manuum adorare, & quod fecerūt digiti, vt scribit Esaias [c]; hæc, inquam, & his similia perplura facere, vel dicere, non est eius qui cultum referat rectâ animi intētione ad Deum, sed qui de Deo prauam sententiam habeat, & commutet, quemadmodum tradit Ieremias [d], gloriam eius in idolum. Lege Gregorium [e] de Valentia, & Gabrielem [f] Vazquez.

Artis inuentionem.] Græcè (τέχνης ἐμμελέτημα, artis meditationem.) Per appositionem dicuntur hæc de auro & argento, quæ scilicet affabrè facta sūt. Iã retuli quid Tertullianus de hoc artificio scripserit. Olcot [g] vult indicari simulachra, quæ occulta quadam arte sponte ac à seipsis moueri videbantur, quorum Dædalus inuentor celebratur.

Negans

a 2. instit. c. 6.
b 4. de præparat. c. 6.
c orat. 3. Theolog.
d 6. de ciuit. Dei c. 5.
e apolog. c. 14.
f ibid. c. 6.
g ibid. c. 10.
h 7. de ciuit. Dei c. 6.
i c. 14. & 27.
k de legib. c. 25 & seq.
l 1. de placitis c. 6.
m 4 de præpar. Euang. in præfa.
n Ps 87. 6.
o vers. 4.

a Matt. 8. 22. Luc. 9. 60.
b in Lucam, & in Ps 48.
c qq. in Matt. q. 6 & ser. 7. de verb. Domin. 4. de Trin. c. 3. 20. de ciuit. c. 6.
d in Matt. c. 8.
e hom. 28. in Matth.
f in Matth.
g Ephes 5. 14.
h 1. Tim 5. 6.
i Act. 10. 42.
k Psal 113. 4. Ps. 134. 15.
l Abac. 2. 19.
m litteræ. in Baruch 6. 22.
n de idololatria c. 3.
o apolog. c. 25.
p lib 34. c. 4.
q in Numa.
r 3. de ciuit. c. 22. & lib. 4. c. 31.
s in antiq. Roma.
t 4. de ciuit. c. 31.
u ibid.
x 5 strom.
y Act. 16.
z 1. Instit. c. 11. § 8. & 9.
a Rom. 1. 25
b vers. 21.
c c. 2. 8.
d c. 2. 11.
e tract. de idololatria. & a. 2. c. q. ii. punct. 2.
f 3. de adoratio. lib 1 disp 6. c. 3. & 4.
g lect. 157.

a Actuum 17. 29.

Negans Paulus [a] auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominum Diuinum esse simile, allusit vtcumque ad præsentem locum.

Similitudines animalium.] Græcè (*ἀπεικάσματα ζώων, simulachra animalium;*) non cęterorum tantùm, etiam viliorum, vt noctuarum, canum, &c. sed hominum quoque, vt postea dicetur.

Lapidem inutilem.] Aurum & argentum, quorum proximè antè mentio facta est, vsum habent ad mercimonia, & ad alia: omnibus autem æquè commune est, vt iuuare non possint in iis, quæ poscuntur & sperantur à Deo. Cùm possit ergo & lapis aliquis pretiosus esse, ex quo construatur idolum, inutilem oportet intelligere illum qui sit vilior, vel ædificio, rebúsve aliis parum commodus.

Opus manus antiquæ.] Conueniunt Enarratores hoc dici, quoniam venerationem maiorem operis antiquitas conciliabat. Solent enim vetulæ, inquit Olcot [b], dicere quòd imagines sexagesimo anno à fabricatione sua sortiuntur virtutem: & aliqui simplices Christiani aliquas imagines antiquas crucifixi, ait Lyranus, quæ dicũtur factæ à Nicodemo, magis reuerentur. Testatur id quoque Gulielmus Parisiensis [c] de vetularum quarũdam Christianarum dicto errore circa imagines. Viget in plerisque opinio, quã stultam Ecclesiastes [d] vocat, priora tempora meliora fuisse, quàm nũc sint, nimirum etiam in artibus, & in antiquis esse sapiẽtiam [e] etiam fabrilem. Attamen in isto ipso capite non minùs paulo pòst, aliisque locis culta dicuntur simulachra recèns confecta. Illud quidem ex Indiis ad nos perscribitur in pretio haberi vetustiora simulachra, imò & scruta, verbi gratiâ, obducta rubigine ferrea, &c. Possumus quoque manus antiquæ opus interpretari, quod imitetur antiquum artificium, licèt à nouo sit artifice confectum.

Cæterùm de pura imaginis ex solis constante coloribus pictura hic non agitur, nec alio, quod sciam, loco diuinarum literarum, vel profanarũ, quam prosequerentur honore idololatræ. Idcirco pictis, quàm solidis ex materia imaginibus olim vtebantur fideles libentiùs & sæpiùs, quãuis nec illæ ipsis omnino defuerint, vt aliàs [f] obseruaui, exponens canonem Cõcilij Eliberitani [g], de quo, ac de cæteris eiusdem canonibus Ferdinandus [h] Mendoza ex instituto disserit. Illud quoque animaduerti, vsos Gẽtiles simulachris absque effigie in sude quapiam, aut informi ligno, præsertim dum ea constituerent pro domorum agrorúmve limitibus. Testis Lucanus [i];

——Simulachráque mœsta Deorum
Arte carent, cæsisq́; extant informia truncis.

Præterea certum est aliquandiu nullam Christianos penitus in templa sua imaginem induxisse, vt à Gentilium simulachris longissimè distare viderentur. Adrianum Lampridius [k] Christianis æquiorem, magísque beneuolum factũ, narrat vacua talibus rebus templa iis extrui mãdasse. Hæc ante Constantinum vocabantur Adriani templa. Minutius [l] autem Felix prodit eosdem Christianos hoc nomine irrisos fuisse, atque pro atheis habitos, quòd Deum suum nec ostendere possẽt, nec videre. Similes criminationes diluit Arnobius [m], Tertullianus [n], Lactantius [o], Iustinus [p], Eusebius [q], Augustinus [r], Athanasius [s]. Refert etiam Nicephorus [t] Christianis crimẽ obiectum atheismi, & ex Ethnicis Dio Cassius [u]. Fatentur etiam

b suprà.
c de legibus. c. 23.
d c. 7. 11.
e Iob. 12. 12.
f Act. 17. 29.
g can. 37.
h pro Concil. isto lib. 4. c. 5.
i lib. 3.
k in vita.
l in Octauio.
m l. 15. 6. & 7. contra Gent.
n apolog. c. 12.
o lib. 2. instit. c. 3.
p apolog. 2.
q 3. de præparat. c. 3.
r de fide, & Symbolo. c. 17. 4. de ciuit. c. 31. 6. de ciuit. c. 10. epi. 111. & 112.
s orat. cont. idola.
t 3. hist. c. 38.
u in Nerua.

A Damascenus [a] & B. Thomas [b] nullam Dei Christianis in vsu imaginem olim fuisse; in eãdemque sententiam multa habentur in VII. Synodo [c], ac tandem decernitur [d], pie imagines haberi & coli ex quauis materia cõmoda, vel ex coloribus paratas, Christi, Deiparæ, Angelorum, Sanctorum. Addit Concilium Tridentinum [e] diuinas personas, quando exhibetur ea species & forma, quam Deus aliquando suscipere, & in qua se ante hominum oculos ponere dignatus est; sed ita vt intelligant omnes Diuinitatem ipsam incorpoream, & oculis corporeis inuisibilem esse.

Cæterùm octauo Nouembris celebrat Ecclesia memoriam Claudij, Nicostrati, Symphoriani, Ca-
B storij, Simplicij, qui quòd noluissent, pro vt Diocletianus imperabat, Æsculapiũ fingere ex marmore, artis statuariæ peritissimi, quia idololatriã execrabantur, nec adorare falsos Deos vellent, cùm dicerent nolle se manuum suarum opera venerari, supplicio affecti sunt [f]. Imitẽtur istos imaginum opifices Christiani, non solùm ne falsorum Deorum idololatris imagines construant, sed ne obscœnas Christianis, quibus morum sanctitas contaminetur.

Vers. 11.] Aut si quis artifex faber de sylua lignum rectum secuerit, & huius doctè eradat omnem corticem, & arte sua
C vsus, diligenter fabricet vas vtile in conuersationem vitæ;

Vers. 12.] Reliquiis autem eius operis ad præparationem escæ abutatur.

DEscribit eleganter simulachrorum vanissimam superstitionem, vt ex eodẽ ligno, v.g. faber efficiat domesticum instrumentum, & de resegminibus partim excitet ignem ad coquendum cibum, partim (habetur id versu 13. & 14. & 15. & 16.) extruat imaginem vel hominis, vel animalis, quam bene perpolitam in templo aráque constituat, & firmiter ferro reuinciat, ne quam in partem labare possit. Eadem iisdem ferè verbis
D Esaias [g] exequitur, vt videri possit alter ab altero sententiam mutuatus. Loquitur Propheta simul de plaste, fabro ferrario, artifice lignario: Baruch [h] quoque nonnulla his habet affinia. Legendus omnino locus vterque.

Artifex faber.] Græcè (*ὑλοτόμος τέκτων, materiæ, aut syluæ, aut ligni cæsor artifex.*) Est enim ὕλη materia, & sylua, & illa peculiariter materia, ex qua vel struitur ædificium, vel accenditur ignis, nempe lignum: quo pacto & Latini materiam appellant arborem ædificio destinatam, sed non dolatam. Est absolutè ὑλοτόμος lignator, adiecto τέκτων, lignarius, qui vnica voce Græca dicitur ὑλουργός: &
E materiatũ etiam artificem Latinè dicimus. Apud Esaiam [i] vocat Interpres artificem lignarium, qui absolutè ibi dicitur τέκτων.

De sylua lignum secuerit.] Græcè in emendatis Bibliis legimus (*εὐκίνητον φυτὸν ἐκπρίσας, bene mobile lignum, aut plantam secuerit*) in Complutensibus, & Regiis (*εὔτηκτον, bene liquabile, aut putribile*) in Aldinis & aliis (*εὐκίνηται*) si artifex bene moueatur, aut moueat seipsũ in scindendo. Iansenius (*ἔντηκτον*) legit, quod ab ἐντήκω idẽ significaret ac εὔτηκτον: sed nõ est in vsu; & forsan mendosè apud Iansenium ponitur pro εὔτηκτον, alij εὔτυκτον, *factu facile, parabile, facilè obediẽs manui artificis:* nec enim è quercu & robore, exẽpli causâ, simulachrũ exculpi cõmodè

a lib. 4. c. 17.
b 3. p. q. 25. a. 3. ad 1.
c act. 4. 5. 6.
d act. 7.
e sess. 25. in princ.
f Ado in martyrol.
g c. 44. 9. & seq.
h c. 6. toto.
i c. 44. 13. & seq.

[a c.44.14. & seq.] valet; licèt Esaias [a] de quercu, & ilice, & cedro, & pino describat constructum, imò & de forti ac [b c.40.20.] imputribili [b], quod vnica voce Græca vocatur ἄσηπτον, & Hebræa מְסֻכָּן *mesuchan*; ex quibus prior significat *imputribile*, posterior *pretiosum*; vel proprio nomine lignum quoddam, quod cariem ac putredinem non sentit. *Rectum* vertit Interpres, quoniam quod est tale, formatur meliùs; quemadmodum à Theophrasto [c] nominantur εὐκλώδονα δένδρα, quæ fibras & venarum cursus elegantes habēt. [c in histor. plantarum.] Vatablus vertit hoc loco *eximiam arborem*. Si legeremus (εὔτηκτον) intelligeremus potiùs lignum cæduum & cædi facile, ac veluti lignabile securi, quàm putridum; quo tamen modo Iansenius exponit, volens materiæ vilitatem significari. Cantacuzenus idoneam, tractabilem, rectam, agilem arborem explicat.

Huius doctè eradat corticem.] Præcepta sunt sua cædendi & decorticandi tempestiuè, seu dedolandi; de quibus Plinius [d], cum Theophrasto in historia plantarum, Catone, Varrone, Columella, Palladio, aliísque auctoribus in re rustica. [d 16. histor. c. 39.] Plinius ait, quòd intellectus in cortice protinus peritis (est.)

Diligenter fabricet.] Græcè (τεχνησάμενος εὐπρεπῶς κατεσκεύασε, *arte vsus decorè*, vel *concinne præparauit*.)

Vas vtile.] Complutenses, ac Regij codices, & quibus vtuntur Enarratores (*vas inutile*.) Hanc lectionem secundam Lyranus correctam vocat. Explicat autem ipse, necnon Hugo, Olcot [e], & Carthusianus, *inutile* valere hîc valdè vtile, vt apud Virgilium [f] imprudentes, valdè prudentes; [e lect. 258.] [f 1. Georg.]

——*nunquam imprudentibus imber*
Obfuit.——

[g c.33.19.] & apud Esaiam [g], *populum imprudentem non videbis.* Meminit quoque Lyranus alterius lectionis, quæ duas distinguit voces (*in vtile*) id est, factum ad vtilitatem humanam. Carthusianus addit *inutile* nūc dici, quasi intus vtile, hoc est, ad vsus domesticos. Hugo explicat præterea de simulachro, quod ad nihil est vtile. Parum vtilia sunt hæc per se; afferuntur tamen à me, vt quàm sit vtilis vulgatæ editionis emendatio, intelligamus, quæ cōsentit cum Græca (χρήσιμον σκεῦος.) Non est adhuc sermo de simulachro, sed de vase, vel instrumento domestico. Nec probabile est voce notissima (*inutilis*) vti Interpretem voluisse in planè contraria, vel non passim obuia significatione; quidquid sit de imprudentibus pro valdè prudentibus, vt & de infractis pro valdè fractis, de indifficili pro valdè difficili, de ingraui pro valdè graui, increscere, inualescere, pro valdè crescere, & valere, atque aliis similibus. Etsi non me latet, quidquid Nicolaus Erythræus [h] dicat, Virgilium ab aliis intelligi de ignaris & inscientibus. [h in indice Virgil. verb. infracta.] Esaias quoque propriè debet exponi de carentibus prudentia, de insipientibus, de barbaris, &c.

In conuersatione vitæ.] Græcè (εἰς ὑπηρεσίαν ζωῆς, *in ministerium vitæ, in vsum vitæ humanæ, ad humanum conuictum*.) Non memini *conuersationem* alibi hanc habere notionem.

Reliquiis abutatur.] Græcè (τὰ ἀποβλήματα ἀναλώσας, *resciſſamenta*, vel *reiectamenta*, *& residua ligni, quæ vase confecto superfuerunt, expendens* εἰς ἑτοιμασίαν τροφῆς, *in præparationem escæ*, ἐνεπλήσθη, *repletus & satiatus est.*) Eodem ferè pacto Esaias [i]; *Et facta est hominibus in focum: sumpsit ex eis, & calefactus est & succendit, & coxit panes*, &c. [i c.44.15.16.] *Medium eius combussit igni, & de medio eius carnes comedit: coxit pulmentum, & saturatus est, & dixit; vah, calefactus sum, vidi focum.* In codicibus, quibus vtitur Hugo, Lyranus, Olcot, Bonauentura, est (*reliquias abutatur*) quod Hugo & Olcot referūt ad antiquam Grammaticam pro (*reliquiis*:) quemadmodū Cato [a] abuti caseū, Plautus [b] aurum, Terentius [c] operam dixit. [a de re rust.] [b in Bacch.] [c in Andriæ prologo.] Quamuis autē abuti sæpiùs deteriorem sumatur in partem, pro perperam & nimis licenter vti, vel contra id ad quod instituta res est; tamen accipitur interdū & in bonam, vt cùm Cicero [d] tempore, quod sibi lex concedebat, se abuti scripsit. [d Verr. 3.] Rectè verò priorem significationem notat Olcot non esse ad propositum: nam non est sermo de reiectamentis ex iam confecto idolo, vt putauit Hugo, sed vase.

Recipi potest Iurisconsultorum distinctio, de qua idem Olcot, vti de rebus vsurpari, quæ ipso vsu non absumuntur; abuti de illis, quæ post vsū non remanent. Ex hoc genere est lignum, ex quo ignis excitatur. Cùm Paulus [e] hortatur vt vtamur hoc mundo tanquam non vtamur, Græcè habetur, οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ ὡς μὴ καταχρώμενοι, *vtentes tanquam non abutentes*, id est, præter iustum vsum non vtentes. [e 1. Cor. 7. 31.] Hoc in gratiam editionis nostræ de verbo *abutendi*, cui Græcum hîc non exactè respondet, sed participium ἀναλώσας, *expendens, insumens*, &c. Non alius, opinor, in Scripturis reperiatur istius verbi vsus in hac significatione, nisi fortassis iterum in illis eiusdem Apostoli verbis [f]; *Quæ est ergo merces mea? vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea* (εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι τῇ ἐξουσίᾳ μου) *in Euangelio.* [f 1. Cor. 9. 18.] Nam vti honestè poterat stipendio pro labore prædicationis, sed noluit [g]. Syrochaldæū verbum שכך *scachach* significat *vti*. [g ibid. 14. 15.] Vatablus ibi notat positum (*abuti*) pro (*vti*:) itáque Græci, Sedulius, & Latini non pauci exponunt. Vel abusum vocat vsum, quem sibi iustis de causis ademerat; ita vt qui aliis permissus erat, sibi crederet esse noxium, vt obseruat Oecumenius. Budæus [h] exēplis aliis demonstrat καταχρῆσθαι non semper esse *immodicè vti*; verùm etiam idem quod καταναλίσκειν, & καταπολαύειν, *profūdere, absumere, largiter frui*: [h comment. ling. Græcæ pag. 385. & 386.] Paulum verò priore loco velle vt rebus vtamur quo modo fructuarij probi vti solent, non quo planè domini & perpetui possessores, qui absumere, & quauis ratione vti & exhaurire iure suo possunt. Si quis præterea contendat *abuti*, & καταχρῆσθαι sumi pro simplici vsu à Baruch [i] illis verbis; *hostias illorum vendunt Sacerdotes ipsorum, & abutuntur*, non admodum repugnabo. [i c.6.27.]

Ad præparationem escæ.] Græcè (εἰς ἑτοιμασίαν τροφῆς.) Communis est expositio quam priùs attuli, & simili Esaiæ [k] loco illustraui, de igne quem faber lignarius ex reiectamentis ligni, postquam vas elaborauit, excitat, vt eo cibum coquat. [k c.6.27.] Paulo aliter Cantacuzenus accipit de exilibus quibusdam arboris ramis sepositis ac diuenditis, vt inde alimenta comparet ad vescendum.

Vers. 13.] Et reliquum horum, quod ad nullos vsus facit, lignum curuum, & vorticibus plenum, sculpat diligenter per vacuitatem suam, & per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis.

IAm describit lignarium versantem in opificio simulachri, & adeò distinctè meminit de diligentia, otio, scientia, sculptione & figuratione, vt

ostendat,

ostendat, inquit Cantacuzenus, nihil aliud esse nisi figmentum animi, fœtúmque cogitationis, & ad arbitrium fabricantis confectum, & quod voluit artifex vt esset.

Reliquum horum, quod ad nullos vsus facit.] Vt nempe vas inde fiat, vel vt excitetur ignis. Magis hoc pertinet ad idoli vilitatem.

Lignum curuum.] Græcè (σκολιὸν, *tortuosum, inæquale, flexuosum, distortum, obliquum*, denique *ineptum.*)

Vorticibus plenum.] Græcè (ὄζοις συμπεφυκὸς, *ramis naturâ plenum*: vel *nodis agnatis refertum*: vel *ramis nodosum*: vel *cum nodis natum*: vel *naturâ nodosum.*) Est ὄζος arboris nodus, indéque ramus exoriens. Vocatur & nodus σπεῖρα, quam Latini quoque vocem suam fecerunt in eadem significatione; propriè autem denotat lineam flexuosam, & quæ orbes facit ac volumina sinuosa, vt in serpentibus, & funibus conuolutis, & in vndis circumagitatis. Plinius [a] de cædendis loquens arboribus publicum omnium vitium spiras vocat, vbi conuoluunt se venæ atque nodi. Hoc antè scripserat Theophrastus [b], appellans λύσιγγα δένδρα, siue ξύλα τὰ ὕλας ἔχοντα στροφάς. Ait etiam Plinius pessimas esse arbores, quę ramosæ, nimirum supra modum, & nodosæ: inueniri præterea in quibusdam, sicut in marmore, centra, id est, duritiam clauo similem, inimicam ferris, ac fortè accidere, vt lapis comprehendatur aut recipiatur in arborum corpora, ramósve. Hoc loco multi alij codices pro (*vorticibus*) habent (*verticibus.*) Eadem vtriusque significatio tum vorticis, tum verticis, pro vento contorto, rotato, in se voluto, circumacto, se per vertiginem concitante. Significatur quoque eadem voce contrita in se aqua, & quidquid aliud similiter vertitur, vt Quintilianus [c] docet; monens etiam [d] olim vortices, sicut & vorsus in vsu fuisse, primum Scipionem Africanum in *e* literam secundam vertisse. Testatur Olcot [e] Hieronymum legisse hîc (*vorticibus*) Rabanum, & modernos (*verticibus.*)

Sculpat diligenter per vacuitatem suam.] Græcè (λαβὼν ἔγλυψεν ἐν ἐπιμελείᾳ ἀργίας αὐτοῦ, *accipiens sculpsit in diligentia, cura, studio, sedulitate, industria otij sui*, aut *diligenter, sedulò, accuratè, per otium suum.*) Cantacuzenus legit ἐργασίας, *artificij*, & *opificij*, licèt in expositione videatur sequi communem lectionem, quæ habet ἀργίας. Exponit autem industriam istam velut per ludum & iocum adhiberi, cùm nempe vacuus est artifex aut ab aliis artis suæ magis necessariis operibus, aut à negotiis ciuilibus. Valet id autem, vt antè dixi, ad docendum pendere simulachrum ab hominis ingenio & arbitrio. *Artifices etiam ipsi*, ait Baruch [f], *qui ea faciunt, non sunt multi temporis. Numquid ergo possunt ea, quæ fabricata sunt ab ipsis, esse Dy?* Vacuitatem Bonauentura sumit pro inani ac inutili labore: Carthusianus pro vacuo cerebro, menteque: Lyranus pro excauato ligno: Hugo & Olcot pro otio, seu quando vacat artifex ab aliis, nec est in aliis occupatus. Sola hæc vltima expositio vera est, vt patet ex Græca voce τῆς ἀργίας. Sed & boni auctores Latini vacuū tempus appellant, quod à rebus agendis liberum est, negántque sibi vacuum esse, cùm significant otium deesse: vocant animum vacuum, pecuniam, &c. Si *vacuitatem temporis* cum addito Interpres dixisset, homonymiam vitauisset. Nec sat scio an vacuitas absolutè dici soleat, vt id significet. Auctor Ecclesiastici [g] scribit; *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis*,

A ἐν εὐκαιρίᾳ σχολῆς, *in opportunitate otij*. vbi parum aptè Lyranus & alij declarant de vacuitate ieiunij, & paupertatis.

Per scientiã suæ artis.] Cōplutenses, & Regij (*per scientiam suam.*) Græcè (ἐν ἐμπειρίᾳ συνέσεως, *in experientia intellectus, per experientiam, & peritiam ab experientiâ, cum intelligentia, & perspicacia & scientia*) quæ ξυνέσει τοῖς πράγμασι, ἢ συμπεφύκεν, vt Plato [a] loquitur. Accepit absque experientia priore Beseleel à Deo [b] sapientiam & intelligentiam (συνέσιν) & scientiam in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest, &c.

Assimilet illud imagini hominis.] Sic Esaias [c] quoque; *fecit imaginem viri quasi speciosum hominem. Quis formauit Deum, & sculptile conflauit ad nihil vtile* [d]? Tale illud Horatij [e];

B *Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,*
Cùm faber incertus scamnum faceréne, Priapum,
Maluit esse Deum. ———

Vers. 14.] Aut alicui ex animalibus illud comparet perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo est, perliniens.

Vilitas idoli ostenditur ex materiæ iam dicta vilitate, quæ propter vortices nodorum ornanda est, fucóque, pigmentis, & coloribus vestienda, & obducenda, ne qua deformitas appareat; & vt magis ad viuum rei figuratæ similitudo repræsentetur, siue sit homo, siue bestia.

C (line beside "stienda")

Alicui ex animalibus.] Græcè (ζώῳ τινὶ εὐτελεῖ, *animali alicui vili.*) Omne animal comparatū cum homine vile ac ignobile est: sunt aliqua tamen per se vilia, vt vespæ, muscæ, & similia, de quibus pridem egimus.

Perliniens rubrica.] Græcè (καταχρίσας μίλτῳ, *perungens minio.*) Milton, scribit Plinius [f], vocant Græci minium: quidam cinnabari. Vocat quoque ipse [g] rubricam; quo nomine vtitur præterea Vitruuius [h], memorans vbi proueniat; quod & prior facit auctor [i], necnon Strabo [k], Dioscorides [l], & alij; qui simul de milto medica, & extersoria, non solùm de fabrili; item de factitia, fossili, ex plantarum materia, ex sanguine siue sanie draconis & elephanti. Consule Vitruuij Scholiastem Gulielmum Philandrum, & Dioscoridis Andream Matthiolum. Ad rem facit quod idem prodit Plinius [m], minium inter pigmenta quondam apud Romanos non solùm maximæ auctoritatis fuisse, sed etiam sacræ; ac Iouis ipsius simulachri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantúmque corpora; additum quoque in vnguenta cœnæ triumphalis, & à Censoribus in primis Iouem miniandum locatum. Cùm porrò subdit in voluminum quoque scriptura minium vsurpatum, quod testantur adhuc Persius [n], Iuuenalis [o], Martialis [p], Ouidius [q], hinc manauit vt librorum rubeis notati titulis libri, rubricæ nominentur. Titulos Hieronymus [r] Magius appellari vult, quasi tutulos, quod erat Flaminicarum capitis ornamentum, auctore Festo [s], extructum in altitudinem, vitta purpurea innexa crinibus.

Quod minio Deos oblini solitos dixi, comprobatur Virgilij [t] testimonio;

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis, minióque rubentem.

a lib. 16. c. 39. b 5. hist. plant. c. 4. c lib 8. c. 3. d l. b. 1. c. 7. e lect. 158. f c. 6. 46. g c. 38. 25.

a in Cratylo. b Exo. 31. 3. 4. c c. 44. 13. d ibid. 10 e 1. ser. sat. 8. f lib. 33. c. 7. g ibid. h lib. 7. c. 7. i ibid & lib. 35 c 6. k lib 12. l lib 5. c. 69. m lib. 33. c. 7. n sat. 5. o sat. 14. p lib. 1. epig. 107. q 1. Trist. r lib. 1 miscell c. 14. s ibid 17. t eclo. 10.

De Baccho prætereà ſcribit Pauſanias [a]; de reliquis Deorũ ſimulachris Plutarchus [b]. Adi Scholiaſtas Virgilij Pontanũ, Cerdámque noſtros, itẽ Brodæum [c]. Rurſum verò Plinius [d] fictilem ſcribit Iouem fuiſſe, ideóque miniari ſolitum; & has tum effigies Deorum laudatiſſimas extitiſſe. Alluſiſſe eodem videtur [e] Varro per faciem minian-dratam, & vermiculatã: item Arnobius [f] per leones, qui eſſent inter Deos toruiſſima facie, mero oblita minio. Conſtat præterea triumphantes face miniata deductos, & in Capitolio Iouem in quadrigas miniatas impoſitum.

Bonauentura docet, rubricam penultima producta eſſe hoc loco regulam, vel filum coloris rubei, aut ipſammet tincturam: Hugo, ſi penultima corripiatur, eſſe inſtrumentum mulierum ad explanandas quas lauãt veſtes: Olcot [g] etiam inſtrumentum, ſed quo rubricabantur, ac veluti cruentabantur bellorum Dij Mars & Pallas, túncque penultimam nominis eſſe longam; & quia inſtrumentum illud aliud ad explanandas veſtes non linit, ſed lenit, ad rem præſentem non facere. Proculdubio ad rem præſentem facit ſolùm id quod initio dixi de minio & colore rubro: quem ſenſum iidem quoque auctores agnoſcunt; & Lyranus atque Carthuſianus eo vno contenti ſunt. Quod etiam Olcot negat Iouem iſto depictum colore, repugnat Plinio antea citato. Denique nõ lego apud idoneum auctorem rubricam, vel pro inſtrumento, vel penultima breui. Multo minùs debuit Hugo cum runcina comparare, in qua Eſaias [h] artificem lignarium ſcribit idolum formaſſe; etſi Rabbini [i] quidam Hebræam vocem שֶׂרֶד *ſered* velint ibi *rubricam*, vt pro inſtrumento accipitur, ſignificare, quo fabri deſignant quid incidere, quid intactum debeant relinquere.

Rubicundum faciens fuco colorem illius.] Fucus in genere color omnis adulterinus eſt, ita vt videatur his verbis idem dici quod prioribus, quamuis Cantacuzenus indicet albũ intelligi cum rubeo, qui à minio inducebatur, permixtum. At ἐρυθραίνειν *rubefacere* tantùm eſt. Verum; nihilominus ante ſupremum colorem illinunt priùs ac ſupponunt leuiora pictores medicamina; quæ per fucum poſſumus intelligere. Eſt præterea fucus, Græcè φῦκος, herba marina, quæ & alga marina, lactucæ ſimilis, quadamtenus rubens, vt ait Plinius [k] poſt Dioſcoridem [l] ac Theophraſtum [m]; quo in Creta veſtes tinguntur: nec alium propriè colorem quàm rubeum ſignificat, vt copiosè auctor [n] Theſauri Græci probat, afferens inter alia hoc ipſum libri noſtri teſtimonium. Nam quem Dioſcoridis appellat Latinus Interpres candidũ, Oribaſius οὖλον exponit, id eſt, criſpum, ſiue criſpis, vt ſcribit Plinius [o], foliis, non quòd albo colore inficiat. Si pro radicula, vt ille Græcarum vocum expoſitor aſſerit, & ex eo, ſed nomine tacito, mutuatus Vlyſſes [p] Aldourandus, accipiatur, hoc eſt, pro herba lanis lauandis, & repurgandis ab œſypo, ſiue à pinguedinis ſorde adhæreſcente [q] accommodatiſſima, de qua Plinius [r], dicens mirum, quàm conferat candori, mollitiæque, locum habebit Cantacuzeni ſentẽtia: ſed ita vt fuco rubicundus fieri dicatur color, quoniam deterguntur radiculæ ſucco ſordes, vt ille meliùs imbibatur & imprimatur.

Et omnem maculam quæ in illo eſt, perliniens.] Addunt aliqui codices Latini (*terra*:) ſed non eſt in libris correctis, inquit Lyranus. Hugo explicat de ſtrato pauimento, vt pulchrum templum idolo conſtruatur. Legit etiam Bonauentura, ſed non exponit; nec Hugonis declaratio videtur ad rem.

a in Achaicis.
b quæſt. Rom.
c lib. 3. c. 13.
d lib. 35. c. 12.
e in ſaty. Tanaquel.
f lib. 6.
g lect. 158.
h c. 44. 13.
i citat Foreterius ibid.
k lib. 26. c. 10. quẽ etiã lege lib. 13. c. 25. lib. 32. c. 6.
l lib. 4. c. 100. vel. 95.
m 4. hiſtor. plant c. 7.
n to. 4. verb. φῦκος. col. 226.
o lib. 26. c. 10.
p lib. 2. de inſectis c. 5.
q Plin. lib. 29. c. 2.
r lib. 19. c. 3.

Verſ. 15.] Et faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro.

Verſ. 16.] Ne fortè cadat, proſpiciens illi, ſciens quoniam non poteſt adiuuare ſe: imago enim eſt, & opus eſt illi adiutorium.

QVid non modò vilius, ſed inualidius idolo, quod opificis factum arte, fulcris eget & adiumentis, ne labatur & affligatur? Audi Eſaiã [a]; *Forte lignum & imputribile elegit: artifex ſapiens quærit quomodo ſtatuat ſimulachrũ, quod non moueatur. Numquid non ſcitis?* (quàm vrget Propheta idololatras ex collatione cum Deo!) *numquid non audiſtis? numquid non annunciatũ eſt vobis ab initio?* (vel cùm in Geneſi [b] narratum eſt mundum totum creatum à Deo; vel cùm in Exodo [c], Deuteronomio [d], Leuitico [e] idolorum veneratio prohibita, vanitas deſcripta) *numquid non intellexiſtis fundamenta terræ?* (quam Deus fundauit ſuper ſtabilitatem ſuam, ita vt non inclinetur in ſeculum ſeculi [f]: imò ſuper maria & flumina, quæ fluxæ naturæ ſunt [g], vt quidem Græci exponunt, & ſenſiſſe Thales videtur, ac Plato [h].) *Qui ſedet ſuper gyrum terræ* (non innixus, ſed per ſe) *& habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ*, &c. Ieremias quoque in epiſtola quam dictauit amanuenſi Baruch, & in qua captiuos in Babylone Hebræos ab idolorum cultu reuocat, eorumdem idolorum infirmitatem quanta maxima dici poteſt elegantia perſequens hoc affert inter cætera [i]; *Sunt ſicut trabes in domo* (quæ vt ſuſtineant, ſuſtinentur ipſæ:) *ſine* [k] *pedibus in humeris portantur, oſtendentes ignobilitatem ſuam* (ἀτιμίαν) *hominibus. Propterea* [l], *ſi ceciderint in terram, à ſemetipſis non conſurgunt: neque ſi quis eum ſtatuerit rectum, per ſemetipſum ſtabit.* Sed Ieremias ipſe in opere prophetiæ [m]; *clauis & malleis*, inquit, *compegit, vt non diſſoluatur*, &c. *portata tollentur, quia incedere non valent.*

Et faciat ei dignam habitationem.] Græcè (ἄξιον οἴκημα.) Templum, vel altare, ſiue aram, vel alium commodum locum Latini dicunt eſſe: Cantacuzenus ædiculam, in quam includatur idolum. Id malim, quoniam faber lignarius non conſtruit templum. Tales dicebam in Actibus Apoſtolorum [n] eſſe, quas Demetrius argentarius faciebat ædes argenteas, ναοὺς ἀργυροῦς, Dianæ. Conſtat etiam οἴκημα pro conclaui ſumi, cubiculo, tabernaculo, ſede, cellula, ædicula, ad eum modum quo & nomen οἰκίσκη. Sed & οἶκος peramplus vſus eſt. Forſitan hũc ipſũ habet in Baruch [o]; *conſtituitis illis in domo*, καθιδρυμένων αὐτῶν ἐν τοῖς οἴκοις (aliàs δεσμοὺς) vt ſignificant δεσμοὺς καὶ σφραγῖδας, *vincula & ſigilla.*

Quod attinet ad templa, incertũ quando primùm cœperit eorum vſus, vt & aræ ſiue altaris, aut ſtatuæ. Abraham orabat ſub dio [p], Iſaac in agro [q]: de Adam, Abel, Enos, Seth, & aliis antiquioribus veri Dei cultoribus neſcimus an in templis, hoc eſt, in locis ad cultum Dei deſtinatis, id fecerint. Inter Gẽtes primus, auctore Laërtio [r], Cretenſis Epimenides Diis ædificauit templa: vel, vt placet Vitruuio [ſ], Pythius ædem ante

a c. 40. 20. 21. 22.
b c. 1. & ſeq.
c c. 20.
d c. 4. & 5.
e c. 25.
f Pſ. 103. 5.
g Pſ. 23. 2.
h citat Genebrard. ibid.
i Baruch. 6. 58.
k verſ. 25.
l verſ. 26.
m c. 10. 4. 5.
n c. 19. 24.
o c. 6. 14.
p Gen. 21. 19. 28.
q inf. 24. 63.
r lib. 1.
ſ lib. 1. c. 2.

omnes

omnes Prienæ excitauit Mineruæ: vel, vt scribunt Herodotus [a] & Arnobius [b], Ægyptij, siue ex illis Phoroneus, aut Merops. Addit de tuguriolis, conclauibus, cellulis fabricatis in honorem Deorum; & meminêre Vitruuius [c] Liuiúsque [d]: sub nomine autem σηκῶ Diodorus [e] Siculus, Pollux, Hesychius, Euripides [f]. Sed Persæ nihil horũ recipiebant; quin & eorum Magis hortatoribus Xerxes Græciæ templa inflammauit, quòd, vt testatur Cicero [g], hic mundus omnis templum esset, nec parietibus includendi viderentur Dij, sed ipsis omnia patentia deberent esse ac libera: vnde & orationis causâ editissimos montes conscendebant, vt memorat Herodotus [h]. De Persis eadem narrant Laertius [i], Strabo [k], Diodorus [l] Siculus, Xenophon [m], Isocrates [n], Maximus Tyrius [o], iterum Cicero [p], & Hieronymus [q]. At quàm religiosè diuino cultui certa præscripta sint loca, testificatur Hebræorum tabernaculum, templúmque, non sine Dei tum præcepto, tum descripta ab eodem structuræ ratione excitata; aliæque multæ rationes persuadent, de quibus alibi [r] diximus, & eas afferunt qui dimicant cum hæreticis.

Non potest adiuuare se.] Non possunt Dij isti lignei, vel ex quauis alia materia, liberare se ab ærugine & tinea, puluere, fumo, latronibus, bello, igni, aqua, & aliis malis, non à noctuis, hirundinibus, auibus aliis, cattis, vt egregiè Baruch [s] docet. Idolum Philistiim Dagon corruit ante Arcam Domini pronum, & cùm restitutum esset, denuò repertum est iacere super faciem suam coram Arca capite abscisso, & duabus palmis manuum eius [t].

a lib. 1. b lib. 6. cont. Gentes. c lib. 4. d lib. 38. e lib. 1. f in Bacchidib. g 2. de legib. h lib. 1. i suprà. k lib. 15. l lib. 9. m lib. 8. Cyripæd. n in panegy. o serm. 38. p Verrin. 4. q in c. 17. Esaiæ. r Act. 1. & 8. & 17. & in hoc lib. c. 7. 8 9. s c. 6. 11. & seq. toto c. t 1. Reg. 5. 3. 4. 5.

Vers. 17. Et de substantia sua, & de filiis suis, & de nuptiis votum faciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est.

EXposita artis vilitate, ac infirmitate idoli, vrget acriter Auctor cultores eius, qui de rebus suis omnibus perinde consulant illud rogéntque, ac si percipere, & opitulari posset. Similis expostulatio & reprehensio apud Esaiam [u], Ieremiã [x], Baruch [y], Deum verum, viuentem, sempiternum, omnipotentem è regione opponentes. Apud vltimum hæc habentur; *Non* [z] *possunt hi Dij Regem constituere, neque auferre; similiter neque dare diuitias, neque malum retribuere. Si quis illis votum vouerit, & non reddiderit, neque hoc requirunt. Hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiori eripiunt. Hominem cæcum ad visum non restituunt; de necessitate hominem non liberabunt. Viduæ non miserebuntur, neque orphanis benefacient,* &c. *Sensum non habent: pluuiam hominibus non dabunt: iudicium non discernent, neque regiones liberabunt ab iniuria, quia nihil possunt, vel quicquam facere hominibus.* Curuatur, ait Esaias [a], *ante illud* (idolum) *& adorat* (artifex) *illud, & obsecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu. Nescierunt, neque intellexerunt: obliti enim sunt ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiũt, vt dicant,* &c. *Cor insipiens adorauit illud, & non liberabit animam suam, neque dicet: Fortè mendacium est in dextera mea.*

De substantia sua.] Græcè (περὶ κτημάτων, *de possessionibus.*) Substantia magis propriè in hac significatione diceretur ὕπαρξις, vt vidimus capite se-

u c. 40. & 44. x c. 10. y c. 6. z ibid. vers. 34. & seq. a c. 44. 17. 18.

A cundo [a] Actuum Apostolorum, vbi etiam κτήματα Interpres reddit *possessiones.*

Et de filiis suis, & de nuptiis.] Græcè inuersus ordo (καὶ γάμων αὐτοῦ, καὶ τέκνων.)

Votum faciens inquirit.] Vnico Græco participio hæc exprimuntur προσευξάμενος, quod propriè simplicem orationem denotat; simplex verò εὐξάμενος votum: licèt Nyssenus [b] προσευχὴν dici notet, quòd πρὸς τὴν εὐχὴν, *ad votum accedat*, hoc est, quia cum fiducia petit à Deo bona, qui priùs illi boni aliquid deuouit. Non arbitror necessariò hîc votum accipi pro promissione, sed pro desiderio simul cum oratione. Obseruant aliqui [c] propterea Græcis, & Latinis vel idem nomen, vel affinia nomina designare & promissionem, & precem; apud Hebræos esse duo prorsus diuersa נדר

B *neder* pro promissione quæ fit Deo, & תְּפִלָּה *thephillah* pro oratione; quoniam apud Græcos, & Latinos, cùm illa nomina sint inuenta, non erat vlla vera pietas, & ideo nihil homines Deo, Diísve vouebant, nisi ad id quod desiderabant impetrandum: Hebræi Deum piè colebant, & absoluta facere vota consueuerant, absque vlla ad preces seu petitiones relatione, sicut & nos facimus. Nescio quàm hoc sit certum & perpetuum. Valerius Maximus [d] ait, veteres, cùm aliquid exposcẽdum erat, voto, cùm commendandũ, precatione vsos. Lege Brissonij formulas [e]. In libro Baruch [f], vbi legimus; *si quis illis votum vouerit*, Græcus textus habet, ἐάν τις αὐτοῖς εὐχὴν εὐξάμενος. Interpres hoc

C loco dum addit *(inquirit)* indicat se per vota non intelligere promissiones, sed preces, vel precibus mixtas interrogationes, quibus poscatur qui rerum futuri successus, & vt res bene succedant. Vocat Oseas [g] interrogationes in ligno & baculo, & Ezechiel [h] in sagittis, quæ dicitur ῥαβδομαντεία, & βελομαντεία. Interpretes Prophetarum consulendi, maximè Cyrillus, Theophylactus, Hieronymus, & recentes Ribera & Pradus nostri, necnon Cœlius Rhodiginus [i].

Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est.] Qui nec audire, nec respondere possit; tametsi ederent in simulachris dæmones responsa, & alia in iis vitæ opera exercerent, vt comedere [k]. Verumtamen ipsa per se idola *os habent, & non lo-*

D *quentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo* [l]. [Hæc verba quo magis aperta sunt, inquit Augustinus [m], & populariter vera, eo magis incutiunt salubrem pudorem illis, qui talibus simulachris diuinum cum timore cultum exhibent, eáque viuentibus similia venerantes, adorantésque contuentur, eísque veluti præsentibus preces allegant, victimas immolant, vota persoluunt, sic afficiũtur omnino, vt ea sensu carentia putare non audeant.]

Porrò, vt ruborem maiorem idololatræ concipiant, meritò hactenus de lignea idoli materia,

E quæ vilior est, mentionem fecit Auctor, sicut & Ieremias [n], qui lapidem simul iungit. *Quo modo confunditur fur*, inquit, *quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israël, ipsi, & Reges eorum, Principes, & Sacerdotes, & Prophetæ eorum, dicentes ligno: Pater meus es tu; & lapidi: Tu me genuisti.* Sed aurum & argentum Dauid [o] illis obiecit, vt notat Augustinus [p], quia cùm eo quisque quod illi charius est erubuerit, multo faciliùs auertitur à veneratione viliorum: & distinctam enumerationem membrorum, sed absque vitali functione, fieri animad-

a vers. 45. b orat. 2. in orationem Domin. c Bellarmin. lib. 2. de Monach. c. 14. d lib. 1 c. 1. e lib. 1. n. 108. f c. 6. 34. g c. 4. 12. h c. 21. 21. i lib. 7. c. c. 15. k Dan. 14. 5. l Ps. 113. 5. 6. 7. Ps. 134. 16. 17. m ep. 49. q. n c. 2. 26. 27. o suprà. p in Ps. 113.

uertit,

uertit, vt (quod etiam Baruch [a] scripsit) intelligatur, artificem meliorem idolo esse, qui membra illa fabricauit, quem puderet quemlibet alium adorare; meliorem bestiam, quæ vitæ ac sensuum obit munia, & si non loquitur, certè clamat; & quàm pudendum sit adorare mutum, & carens vita sensúque simulachrum. [Deus aureus, & Deus ligneus, ait idem Augustinus [b], ad pretium dispares sunt: ad habere oculos, & non videre, pares sunt.] Simulachri, vel idoli Tertullianus [c] artificum genera tria numerat, plastem, cælatorem, phrygium, vt antè memini. Plastem primo ponit loco, quia vetustior plastica, ac figlina etiā scientia, quàm statuaria [d], & ars in marmore sculpendi, quàm illa eadem, & pictura [e]. Sed quia maioris pretij est statuaria, simulachra vt plurimùm recensentur per eam confecta, ad quam & lignaria reuocari potest.

a c. 6. 7. 18. 38. 40. 41. 45. 46. 67.
b serm. 19. de verb. Domini.
c de idololatria c. 3.
d Plin. lib. 34. c. 7.
e idem lib. 35. c. 12. lib. 36 c. 5. Athenago. in apolog. pro Christ. Epipha. in princip. Panarij.

Vers. 18.] Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adiutoriū inutilem inuocat.

Vers. 19.] Et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest: & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum euentu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.

NIhil omittit Auctor eorum quæ postulare mortales & optare solent in hac vita vnà cum vita, quæ ad vitam commodè transigendam spectent. Hæc sunt externa quæ dicuntur fortunæ bona, filij, coniunx, sanitas, res ac negotia cætera. Per antithesim verò docet quàm stolidi sint qui hæc ab idolis poscant, cùm iis omnino careant idola, & facultate destituātur eadem largiendi. Demonstratum id quoque suprà satis à nobis testimonio aliorum Prophetarum, quibus adde aliud Ieremiæ [f], ac Mosis [g]; & perbellam irrisionē Eliæ certantis cum Sacerdotibus Baal [h].

f c. 2. 28.
g Deuter. 32. 37. 38.
h 3 Reg 18. 26. 27.

Infirmum.] Bene Lyranus monet, cæterique, *infirmum* pro impotente poni, nō propriè pro ægro, cui sanitatis non sola negatio, sed priuatio inest. Latior quoque notio Græci nominis τὸ ἀσθενὲς.

Mortuum.] Similis catachresis, vt cùm capite 11. [i] dicti sunt serpentes muti, atque à Paulo [k] ipsamet simulachra muta, ἄφωνα, *sine voce*. Nec enim mortuum propriè dicitur, quod nunquam vixit. [Mortuum, scribit Augustinus [l], sicut manifestum est non viuere; ita manifestum est aliquando vixisse.] Inde argumentatur deterius esse idolum mortuo. Quapropter Deum illum, qui nec viuit, nec vixit, profectò & mortuus antecedit.

i vers. 16.
k 1. Cor. 12. 2.
l in Ps. 113.

Inutilem.] Græcè (ἀπειρότατον, *inexpertissimum.*) Videlicet, qui nec experiri quidem potuerit. Vatablus *extremè inopem* vertit. Est ἄπειρος, *inexpertus, imperitus, ignarus, rudis*, ἐκ ἔχων πεῖραν, *non habens experientiam*: vel à πεῖρας, quod est idem ac πέρας, *finis, infinitus, interminatus.* Forsitan legit Interpres ἀναπηρότατον, *maximè mutilum, mancum, vitiatum*: aut ἀπηρότατον, quod potest significare eum qui est absque pera & marsupio: aut ἀπυρότατον ab ἄπυρος, pro κενός, καὶ νεκρὸς, *vacuus, & mortuus.* Quamquam qui est ἄπειρος, *inexpertus, & imperitus*, ad adiuuandum videtur inutilis; vt nihil necesse sit aliter nos legere, quàm quo legunt modo codi-

A ces qui extant. Qui nullo vsu rerum, experientiave præditus est, qui nihil intelligit, sentit, aduertit, alienis affici nequit incommodis; vt è contrario potuit Christus nostris, tentatus per omnia. *In [a] eo, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis qui tentamur, auxiliari*, ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι. Quod ille de sua cecinit Didone [b];

a Hebr 2. 18.

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

& prior illo alius Græcè [c];

Ὦ φίλοι, ὐ γάρ τοί γε κακῶν ἀδαήμονες εἰμέν.

O amici, non enim ignari malorum sumus.

b Virgil. Aeneid 1.
c Homer.

Quibus affinia extant apud Sophoclem [d], Ciceronem [e], Hieronymum [f].

d in Antig. & in Oedip.
e pro Murena.
f ad Heliodorum.

B *Pro itinere.*] Græcè (περὶ ὁδοιπορίας.) Plura pro rebus plurimis Gentiles inuocabant numina, quare singulorum imbecillitatem demonstrabant. Vnum erat, cui nomen Salus; aliud quod Febris dicebatur [g]. De Salute, quam Græci nominabant ὑγίειαν, aliàs dixi, necnon de aliis nonnullis talibus simulachris. Enumerat in opere de ciuitate Dei Augustinus [h], ac refellit infinitam Deorum istam multitudinem, nominatim Iterducam, vel Interducam, & Domiducam. Quamuis ita Iunonem cognominatam velint, quòd ad sponsi ædes comitaretur sponsam, vel iter protegeret, non eorum duntaxat, sed etiam puerorum. Innocabant & fessi Fessoniam [i].

g Aug. 3. de ciuit. c. 25.
h 7. de ciuitat. c. 3.
i Lilius Gyrald. ex Martiano in hist. Deorū. syntag. 3. & August. sup.

C *De acquirendo.*] Græcè (περὶ πορισμοῦ, *de acquisitione, de quæstu, de lucro comparando.*) Præfuit Plutus diuitiis, seu Pluto [k] notissimus Deus, quem Latini Ditem, quasi diuitem vocant (πλοῦτος *diuitiæ* sunt) & pecuniæ Dea Pecunia, æri Æsculanus, argento Argentinus, vt meminit Augustinus [l], admirans cur non & auro Aurinus. Iuuenalis [m] negat Deæ Pecuniæ ac nummis erectum templum, vel aram;

k Aug. 4. de ciuit. c. 21.
l ibid.
m satyr. 1.

——— *Et si funesta pecunia templo*
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Iouem ipsum nomine pecuniæ nuncupatum restis idem Augustinus [n], & pecuniam vocatam, quòd eius sint omnia. Quò spectare illud posset [o]; *pecuniæ obediunt omnia*, de quo egimus exponentes Ecclesiasten. Legendi adhuc Menandri

n lib. 7. de ciuit. c. 12.
o Eccl e. 10. 19.

D senarioli Græci ab Stobæo [p] recitati, quibus non alios se Deos agnoscere canit, quàm vtiles, argentum & aurum:

p serm. 89.

Ἐγὼ δ' ὠφίλιμως χρησίμως εἶναι θεὺς,
Τὸ ἀργύριον ὑμῶν, καὶ τὸ χρυσίον,
Ἱδρυσάμενος ταῦτα δ' εἰς τὴν οἰκίαν,
Εὔξαι τί βούλει, πάντα σοι γενήσεται,
Ἀγρὸς, οἰκία, θεράποντες, ἀργυρώματα,
Φίλοι, δικασταὶ, μάρτυρες: μόνον δίδου;
Αὐτὺς γὰρ ἕξεις τὺς θεὺς ὑπηρέτας.

Ego vtiles vero Deos esse arbitror
Nostros, & argentum, & aurum maximè,
Illos quidem si dedices tua in domo,
Quidquid voles, roges, tibi omnia aderunt,
E *Ager, domus, seruique, & argyromata* (argentea vasa)
Testes, amici, Iudices: tantum dato,
Ipsos habebis vel ministrantes Deos.

Prodit quoque Arnobius [q] Lucrios Deos, qui lucris essent præpositi; qua ratione cognominati sunt Mercurius & Apollo κερδῷοι à lucro. Significat hoc loco πορισμὸς idem quod πόρος χρημάτων, & πόρος absque addito, viam, & rationem acquirendæ pecuniæ; item reditum ac prouentum: præterea lucrum, emolumentum; necnon ipsam actionem comparandi. Plato [r] Πόρον opum

q cont. Gentes. lib. 4.
r in Sympos.

facit Deum, filium Μήτιδος, id est, *Consilij*: Πενίαν, hoc est, *Paupertatem*, vult ex concubitu cum Poro, qui nectare consopitus iacebat, genuisse Ἔρωτα, id est, *Amorem*; qui proinde amor nec mendicus sit, nec diues, & in medio sapientiæ & inscitiæ collocetur. Hoc fabulamentum Platonis indicat vanitatem idololatriæ, saltem apud rudiores. Verè sapiens Salomon nec mendicitatem volebat, nec diuitias; sed victui tantùm necessaria petebat à vero Deo [a]. Pecuniæ aram, vel ædem Romæ fuisse Iuuenalis [b] videtur negare;

a Prou. 30. 8.
b Saty. 1.

——— Et si funesta pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Arnobius [c] tamen testatur velut maximum numen indicatum Gentium literis, quæ donaret annulos aureos (id est, equestrem dignitatem) loca in ludis, atque in spectaculis priora, honorum suggestus primos, amplitudinem Magistratus, & quod maximè pigri amant, securum per opulentias otium.

c lib. 4.

De operando.] Græcè (περὶ ἐργασίας, *de operatione*) sed quæ manibus exercetur & opificio; subditur namque in Græco, καὶ χειρῶν ἐπιτυχίας, *& manuum euentu*, siue *successu*. Inter Mercurios quinque celebratur vnus artium repertor [d]: Mineruæ præterea laus hæc defertur, eique Vulcanus cooperarius adiungitur [e]; quoniam ignis instrumentorum omnium τῶν τεχνῶν χειρουργικῶν, *artium manualium* quasi Deus est, vt Viues [f] docet Plutarchi, Eusebij, Theodoreti, Homeri testimoniis; è quibus vltimus de artifice quem laudat, ita scribit;

d Aug. 18. de ciuit. c. 8. Diodo. Sicu.
e Aug. 4. de ciuit. c. 10.
f ibid.

——— ὃν Ἥφαιστος δέδαεν, καὶ Παλλὰς Ἀθήνη.
——— *quem Vulcanus docuit, & Pallas.*

Denotat ἐργασία propriè facturam, elaborationem: sed etiam negotiationem, lucrum, acquisitionem. Est item ἐργᾶν operari & laborare, ac

A excolere terram, aliúdve opus externum facere. Significatur hîc aut opus artis, potissimùm mechanicæ, sicut intellexit Bonauentura: aut quodlibet ciuile præsertim lucrosum negotium. Tantus numinum numerus ad res singulas adeò multas admonet nos, quàm promptos esse nos oporteat, vt vnum verum Deum imploremus ad cunctas singulásque res nostras, *in quo viuimus, mouemur, sumus* [a], qui omnia operatur in nobis [b], in quo & nos, & sermones nostri [c], & tempora, sortésque [d], & omnia nostra.

a Act. 17. 28.
b Esa. 26. 12.
c Sap. 7. 16.
d Ps. 30. 16.

De omnium rerum euentu.] Græcè (περὶ χειρῶν ἐπιτυχίας, *de manuum euentu, & prospero successu, & adeptione*) vt antè dixi. Omnes ergo res accipit Interpres μετονυμικῶς de illis quæ per manus fiunt

B externo opere: quamuis *manus* quoque nomen ad alia opera transferatur, vt cùm Deus in manu Prophetarum loqui dicitur [e], hoc est, ministerio eorum. Vni homini manus propriè conueniunt, quidquid aliter senserit Plinius [f], propter sapientiam peritiámque, vt docent Aristoteles [g] citans Anaxagoram, & Galenus [h].

e Osee 12. 10.
f lib. 11. c. 43.
g in proble. sect. 30. in 4. & 4. de part. animal. c. 10.
h 13. de vsu partium. c. 2. lib. 17. c. 1.

Petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.] Græcè (τὸν ἀδρανέστατον ταῖς χερσὶν εὐδράνειαν αἰτεῖται, *ab eo, qui est impotentissimus*, vel *ignauissimus manibus, potentiam*, vel *nauitatem petit.*) Dicitur ἀδρανὴς qui non habet vim & facultatem faciendi, infirmus, imbecillus, impotens, & idcirco etiam inutilis. Hesychius [i] εὐδράνειαν, vel εὐδρανίαν exponit ἰσχύν, & post illum Varinus Phauorinus [k], hoc est, *vires*

i in Lexico.
k ibid.

C ac *robur*: & appellari præterea potest habilitas faciendi. Nullum aliud exemplum huius vocis ex alio auctore affertur quàm ex nostro. Sed cùm nec nostrum Hesychius afferat, quem suspicatur Suidas non fuisse Christianum, credi potest apud alios repetiri posse. Codices Complutenses, & Regij legunt in neutro genere εὐδράνειν, de quo nihil Lexicographi.

SVMMARIVM.

VERSATVR caput hoc in eadem idololatriæ reprehensione, nouo allato exemplo nauigantium, qui naue debilius ligneum idolum inuocant. Huius occasione exempli commendatur nauis inuentio auctore Deo, licèt is absque illa transmittere suos possit. Congeruntur maledicta in idolum: aperitur prima origo eius: ostenditur quæ mala ex idololatria procedant.

CAPVT XIV.

1 ITerum alius nauigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiēs, ligno portante se, fragilius lignum inuocat.

2 Illud enim cupiditas acquirendi excogitauit, & artifex sapiētia fabricauit sua.

3 Tua autem, Pater, prouidentia gubernat: quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam,

4 Ostendens quoniā potens es ex omnibus saluare, etiāsi sine arte aliquis adeat mare.

5 Sed vt non essent vacua sapiētiæ tuæ opera: propter hoc etiam & exiguo ligno

D credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt:

6 Sed & ab initio cùm perirent superbi Gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit seculo semen natiuitatis, quæ manu tua erat gubernata.

7 Benedictum est enim lignū, per quod fit iustitia.

8 Per manus autem quod fit idolum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud: quia ille quidem operatus est: illud autem cùm esset fragile, Deus cognominatus est.

9 Similiter autem odio sunt Deo impius

A pius & impietas eius.

10 Etenim quod factum est, cum illo qui fecit, tormenta patietur.

11 Propter hoc & in idolis nationum non erit respectus; quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.

12 Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum: & adinuentio illorum corruptio vitæ est.

13 Neque enim erant ab initio, neque
B erunt in perpetuum.

14 Superuacuitas enim hominum hæc aduenit in orbem terrarum: & ideo breuis illorum finis est inuentus.

15 Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem; & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia.

16 Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum
C imperio colebantur figmenta.

17 Et hos quos in palàm homines honorare non poterant, propter hoc quòd longè essent, è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt: vt illum qui aberat, tanquam præsentem colerent sua sollicitudine.

18 Prouexit autem ad horum culturã, & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia.

19 Ille enim volens placere illi, qui se
D assumpsit, elaborauit arte sua, vt similitudinem in melius figuraret.

20 Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nũc Deum æstimauerunt.

21 Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut Regibus deseruientes homines, incõmunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.

22 Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viuentes
E inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.

23 Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes,

24 Neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat:

25 Et omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & periurium, tumultus bonorum,

26 Dei immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ:

27 Infandorum enim idolorum cultura omnis mali causa, & initium & finis.

28 Aut enim dum lætantur, insaniunt: aut certè vaticinantur falsa, aut viuunt iniustè, aut peierant citò.

29 Dum enim confidunt in idolis, quæ sine anima sunt, malè iurantes noceri se non sperant.

30 Vtraque ergo illis euenient dignè, quoniam malè senserunt de Deo, attendentes idolis, & iurauerunt iniustè, in dolo contemnentes iustitiam.

31 Non enim iuratorũ virtus, sed peccantium pœna perambulat super iniustorum præuaricationem.

Vers. 1.] Iterum alius nauigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se, fragilius lignum inuocat.

Vers. 2.] Illud enim cupiditas acquirendi excogitauit, & artifex sapientia fabricauit sua.

NOVVM, vt dixi, exemplum idololatræ, qui nauigaturus opem implorat idoli lignei, quod est multo fragilius quàm nauis lignum: quæ etiam nauis extructa est quidem ad captandum lucrum; at non per extremam illam amentiam, quæ vna impulisse idololatram videtur ad extruendum & adorandum idolum.

Nauigare cogitans.] Græcè (πλοῦν στελλόμενος, *ad nauigandum paratus, adornans nauigationem, nauigationi se commissurus.*) Est nomen casus accusandi πλοῦν, à πλόος πλοῦς, nauigationem, cursúmque eius significans: verbum est πλέειν πλεῖν. Accipitur & στέλλεσθαι pro πορεύεσθαι, *proficisci, ire*, vel *nauigare, traiicere, traducere*, vel *instruere, aptare, apparare, adornare*, vel *se accingere*. Dixit eodem sensu Sophocles [a]. a in Aiace.

——— τόνδε πλοῦν ἐστειλάμην.

——— *hanc nauigationem suscepimus*, aut *apparauimus*.

Id rectè assecutus est Interpres.

Per feros fluctus iter facere incipiens.] Græcè (ἄγρια μέλλων διοδεύειν κύματα, *feros pertransiturus fluctus.*) Nimiùm quàm nota maris ferocia, in qua sedanda Deus potentiam in primis manifestat, vt Scripturæ testimoniis aliàs docui. Ad rem facit Psalmi locus [b]; *Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem* (ἐργασίαν, מְלָאכָה *melachah*, *rem nauariam*, vel *negotiationem & mercaturam*) *in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius* (vt fremitum, fluxum ac refluxum, mirabiles elationes [c]) *in profundo*. Est itẽ in libro Ecclesiastici [d]; *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius, & audientes auribus nostris admirabimur.* Iudas in Epistola [e] nominat fluctus feri maris. b Psal 106. 23-24. c Psal. 92.4. d c.41.26. e vers. 13.

Ligno portante se.] Græcè (τοῦ φέροντος αὐτὸν πλοίου, *ferente se nauigio.*) Non habeo quidem alium

idoneum

A idoneum auctorem, qui sic vsurpet *lignum*:tamen vulgare id idioma fert; atque satis ex adiunctis perspicitur illa hoc loco significatio, quemadmodum & deinceps [a], & supra cap. 10 [b].

a vers. 5. & 7. b vers. 4.

Fragilius lignum inuocat.] Græce (*σαθρότερον ξύλον ἐπιβοᾶται, putrius lignum inclamat.*) Habent emphasim Græca maiorem; & quia non modò fragilis, verùm etiam putris materia dicitur, & quia inuocatio cum clamore exprimitur. Videlicet in extruenda naue delectus haberi lignorum solet, vt tot obsistere aquæ, cœli, scopulorum iniuriis possit, & firmiùs compingitur, variáque ratione instruitur, vt seruiat commodæ nauigationi. At idolum conficit artifex, vt priore dicebatur capite [c], ex ligno quod superfuit post alios vsus, curuo, vorticibus pleno, pigmentis infecto, per ferrum confirmato. Denique solidiore nauis cõstat materia. Ipsam porrò materialem statuam quo pacto Gentiles adorarent, eodem capite docuimus: id autẽ negantes, sed in iis tantùm se Deos venerari causantes, refellunt qui contra ipsos disputant, tum Arnobius [d], & Lactantius, quasi relictis Dij sedibus propriis, inquit prior, non recusent, nec fugiant habitacula mire terrena, & iure dedicationis impulsi, simulachrorum coalescant iunctioni. Tum vrget, inuitine hoc faciãt, an proni & faciles, neque vllis necessitatibus irrogaris: an semper ibi mansitent, vel cùm libuerit, discedant, & cùm hoc secundum videatur verius, ergo aliquo tẽpore desinere signa Deos esse, ac in dubio stare, quando sacra debeant reddi, quãdo his conueniat atque oporteat abstinere. Argumentatur quoque in sigilliolis paruulis cõtrahere se Deos, in vastis porrigere se longiùs, & ad signorum formare, atque aptare vultus habitúsque. Præterea non vnum Deum in compluribus vno tempore inesse, multo minùs in partes diuisum, verbi gratiâ, decies mille. Multas huius generis rationes colligit; sed per otium legendas. Quod attinet ad inuocatos à nauigantibus Deos, res est vulgatissima, confirmata ex historia Ionæ [e]; qua etiam de re in Actibus Apostolicis meminimus [f], cùm de signo Castorum, seu de Castore & Polluce, qui erant nautarum Dij, præter alios, quorum Princeps Neptunus.

c vers. 13. 14. 15.
d lib. 6. cont. Gent.
e c. 1.
f c. vlti...

Illud enim cupiditas acquirendi excogitauit.] Græcè (*ὄρεξις πορισμῶν, cupiditas lucrorum, ac etiam quæritandi victus.*) Recitat ex Furio Poëta Gellius [g].

g lib. 18. c. 11.

Sicut fulica leuis voluat super æquora classis,
Spiritus Eurorum virides cùm purpurat vndas,
Quò magis in patriis possint opulescere campis.

Propertius [h] autem de Peti scribens naufragio;

h lib. 3.

Ergo sollicitæ tu causa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.

&;

Natura insidians pontum substrauit auari.

Epitheto proprio vocat Seneca [i] nauitam auidũ;

i in Med. act. 2. in cho.

———cùm tam totos
Auidus nimium nauita flatus
Optat.———

Quocirca non placet expositio Lyrani, Carthusiani, Olcot [k], Bonauenturę de idolo, vel quia vocet Apostolus [l] auaritiam idolorum seruitutem; vel quia, vt est quoque in Actibus Apostolorũ [m] de Demetrio, lucri causâ fabricarentur ab opificibus idola. Meliùs Hugo lignum nauis intellexit; necnon Iansenius & Vatablus: & fauent antitheta Græca, ἐκεῖνο μὲν γὰρ (quòd ad remotius pertinet nomen τῆ πλόυ) & τεχνίτης δὲ σοφία, quod de nauis construendæ peritia intelligi debet.

k lect. 160.
l Ephes. 5. 5.
m c. 19. 24.

Quis nauem primus excogitauerit, & qua de causa, quæri solet. Celebratur antiquissimus auctor Iason cum Argonautis, vt propterea nauis ipsa, vt Poëtæ fabulantur, in cœlum relata [a] sit. Diodorus [b] & Plinius [c] nauem longam scribunt ex Ægypto priùs adductam à Danao. Deferunt huius rei primatum alij vel Minoi, vel Neptuno, vel Mineruæ [d], vel Atlanti [e], vel Erythræ, vel Mysis, vel Troianis, vel Britannis, vel Tyris, vel Samothracibus, vel Phœnicibus, vel Cretensibus, vel aliis, de quibus idem Plinius [f], & ex professo Polydorus Virgilius [g]. Prometheus hoc arrogat sibi apud Æschylum [h];

a Manil. lib. 1. & quotquot de Argonautica scripserunt.
b lib. 5.
c lib. 7. c. 56.
d Tertull. de coro milit c. 8.
e Clem. Alexand. 1. Strom. c. 7.
f lib. 7. c. 56.
g 1. de inuẽt. rerum. c. 15.
h citat Muretus 1. var. lect. c. 11.

B

Θαλασσόπλαγκτα δ' οὔτις ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ
λινόπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα.
Marinagos autem nullus præ me
Ex lineis alis reperit nautarum currus.

Ante nauẽ ratib. vtebãtur, qui caudex dicebatur; vnde cognomen Claudius accepit, teste Seneca [i], is qui Romanis persuasit primus nauem cõscendere. Multo his antiquior Noëtica [k] arca; etsi etiã fieri potest, factúmque verisimile est, in flumina ac maria scaphas ac rates priùs deductas. Baptista Fulgosus [l] nauem repertam in Heluetiorum oppido Berna sub ima terra inter fodiẽdum ad brachia centum, cum anchora ferrea, velis ex tela, & ossibus quadraginta hominum putat eiectã iam inde à diluuio, & ob regurgitationem fluctuum

i de breuit. Vitæ. c. 13.
k Genes. 6.
l lib. 1. c. 6.

C tanta humo obrutam. Simon [m] Maiolus, qui eiusdem sententiæ citat astipulatorem Petrum [n] Hispalensem, dissentit, quia si hoc esset, non intelligisent Noë, qui eius viuebant ætate, dum arcam construebat. Refutatio minimè necessaria, quoniam arcæ magnitudinem, & diluuij prædictionem irridebant. Etsi verò Heluetieum nauigium recentius diluuio facilè credo; tamen alia esse ante illud potuerunt propter commercia, & ad insulas inhabitandas. Arcam potiùs vocat quàm nauẽ Scriptura, quia supernè, atque infernè clausa & lata erat, nec ventis, remisve, aut arte humana, sed Dei motione rectionéque agenda erat, vt obseruarunt Chrysostomus [o] & Augustinus [p].

m dierũ canicular. colloquio 23.
n p. 5. c. 17.
o hom. 21. in Genes.
p 15. de ciuit. c. 27.

D Certum est causam fabricandæ arcæ auaritiã in Noë non fuisse; nec de aliis, quibus prima tribuitur nauis inuẽtio, licèt falsò, satis probari potest. Auctor, sicut & quos citaui Poëtæ, tradit illam, quæ plurimos incitat ad suscipiendam nauigationem, scilicet cupiditatem spémque lucri. Omni supra modum temporali lucro spirituale animarum lucrum maius tam lõgam, adeóque difficilẽ, & periculosam nostri ordinis hominibus iam ab exordio in ignotas, remotásque prouincias nauigationem persuasit, & felici quidem successu.

Artifex sapientia fabricauit sua.] Græcè deest (*sua*) & est sapientiæ epithetum, vt dicatur artifex, *τεχνίτης σοφία*, sicut iam antè aliquoties; non autem significatur auferendi casu fabricasse artificem

E sapientiâ suâ. Hic tamen sensus commodus, & ab Interprete positus; sed non pro diabolica, vt volunt qui de idolo, non de nauigio explicant, de quibus suprà.

Vers. 3.] Tua autem, Pater, prouidentia gubernat: quoniam dedisti & in mari viã, & inter fluctus semitam firmissimam.

Vers. 4.] Ostendens quoniam potens es ex omnibus saluare, etiãsi sine arte aliquis adeat mare.

NE ipsa quidem ars naues construendi, vel nauigandi sufficit per se naturalis peritia, tantum abest, vt inanima prosint inuocata simulachra. Deus est, qui cuncta gubernat prouidentia,& peruium sine rate, sine arte præbet iter per mare,quando vult;vt olim voluit,fecitque transmissis medio mari rubro Hebræis [a]. De hoc actum capite decimo [b].

a Exod.14. b vers.18.19.

Tua autem Pater prouidentia gubernat.] Codices Regij,Complutenses,alij, habent (*ab initio cuncta gubernat.*)In nõnullis est (*gubernas.*) Græcè (ἡ δὲ σὴ πάτερ διακυβερνᾷ πρόνοια, *gubernat*, scilicet nauem, id est, gubernare solet, *prouidentia tua*) & dirigere nauis cursum. Nam præsens verbum hoc valet interdum,vt denotet quid quis factitet veluti ex vi & ordinario officio,quid profiteatur; verbi gratiâ, *Virum non cognosco* [c],id est,nec possum cognoscere, nec soleo, propter animi destinatam voluntatem. Est autem κυβερνᾶν nauticum vocabulum translatum ad alias regendi formas, vt alibi notauimus. Luculentus locus hic ad confirmandam Dei de rebus prouidentiam, & particularem curam,de qua hoc ipso libro suprà nonnihil egimus.

c Luc.1.34.

Nomen Patris non creationem duntaxat, sed gubernationem simul inuoluit Dei, qui scit quibus egeamus [d], eáque prouidet; *qui est super omnes Pater,per omnia,in omnibus*[e],curans domum suã, & omnes res, vt notant Chrysostomus & Theodoretus explicantes Apostolum [f]. Ad quem quoque modum Mosem & Aarõ Hebræi populi patres nominat Dauid [g], & Moses [h] Ioseph quasi patrem Pharaonis. Quia verò regimen optimum est monarchia, quando reperiri Princeps bonus, & sapiens potest,sequitur ex ista gubernatione & prouidentia Patris,vnum esse solum Deum; siue Pater pro persona,& notionaliter sumatur; tunc enim oportebit non differre à Filio & Spiritu sancto in essentia; siue accipiatur substantialiter, & pro essentia & natura.

d Mat.6.32. e Ephes.4.6. f ibid. g Ps.77.5. h Gen.45.8.

Semitam firmissimam.]Græcè(ἀσφαλῆ,*securam.*)

Potens es ex omnibus saluare, etiamsi sine arte aliquis adeat mare.] Hebræi exẽplo sunt,vt hic innuitur, & antè dictum est. Et verò multo pluribus abundamus in lege noua, non solùm Christi solidè in aquis inambulantis[i],& Petri magistrum pari miraculo prosequentis [k];sed etiam plurimorũ aliorũ,quæ ab historiis Ecclesiasticis peti possunt,qui scilicet vel sine omni instrumẽto traiecerint,fluidis nixi aquis,vel impositi naui sine remis, velis, gubernaculo;imò naui detritæ ac dehiscẽti. Celebre Mauri exemplum,qui dum Benedicto paret Abbati,pedibus aquas terit,& euadit [l]. In martyrologio [m] Romano, & à Gregorio,qui ait super aquam cucurrisse, scribitur post Petrum id inusitatum fuisse. At de Christina Virgine,& Martyre prodit Metaphrastes[n],quòd firmo,ac stabili pede stetit super dorsum maris, & per aquas tãquã per terram solidã ingrediẽs proficiscebatur ad littus.

i Matt.14.26. k ibid.29. l Greg.2. dialo.c.7. m 15. Ianuar. n 5.Octob.

Sine arte.] Hoc item pacto Græcè (ἄνευ τέχνης.) Sed Regij libri, Complutenses, & alij eam mendo(*sine rate.*)

Vers.5.] Sed vt non essent vacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam & exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratẽ liberati sunt.

VOluit Deus non solùm potentiam suam declarare, liberando sine naui periculosum aquarum iter conficientes;sed sapientiam quoque manifestare, rationem docendo ædificandæ ac regendæ nauis,vt se deposito metu homines mari committant.

A

Sed vt non essent vacua sapientia tua opera.] Græcè (θέλεις δὲ μὴ ἀργὰ εἶναι τὰ τῆς σοφίας σου ἔργα, *vis autem non otiosa esse* (elegans paronomasia in ἀργὰ, & ἔργα)*sapientiæ tua opera.*) Diuersam Lyranus & Carthusianus hic rationem euoluunt ab ea,quã dixi,& est Olcot [a],vt nimirum nauigationis designetur vtilitas in eo quòd per nauigationem homines deferunt ac referunt quæ domi vel abundant,vel deficiũt, sicque res à Deo conditæ non sunt vacuæ,hoc est,non frustrantur suo fine,dum seruiunt humanæ vitæ. Iansenius & Osorius intelligunt,ne frustra videantur maria,littora,insulæ,nisi quis ea peragret,adeátque.Hic demum nõ ineptus etiam sensus, per vsum artis nauigandi factum esse,ne Dei opera essent otiosa, & inertia homines torperent, sed potiùs laborarent occupati circa nauium fabricam, scientiam ipsam nauigandi, obseruationem syderum, quæ ad id plurimùm conducit.

a lect.160.

B

Exiguo ligno credunt homines animas suas.] Græcè (ἐλαχίστῳ ξύλῳ πιστεύουσιν ἄνθρωποι ψυχάς,*minimo ligno vitam permittunt*) scilicet propter vim sapientis artificij, quo in nauem compactum est lignum, & nauigandi tradita ratio. Alioqui simili prorsus dicendi forma, sed adiuncta simul querimonia, profani scriptores, præsertim Poëtæ, de vitæ in naui aperto discrimine meminerunt.

C

Æneam [b] *quid enim credam fallacibus Austris?*
&;
I [*] *nunc,& ventis animam committe dolato*
Confisus ligno,digitis à morte remotus
Quattuor,aut septem,si sit latissima teda.
&;
Illi [c] *robur & æs triplex*
Circa pectus erat,qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus.——

b Virg.5.Aeneid. * Iuuen.sat. 12. c Horat lib.1. carm.od.3.

Anacharsim Laërtius[d] eadem scribit vsum sentẽtia;μαθὼν τέτταρας δακτύλους εἶναι τὸ πάχος τῆς νεώς, τοσοῦτον ἔφη τοῦ θανάτου τοὺς πλέοντας ἀπέχειν, *discens quatuor digitos esse crassitudinem nauis,tantundem dixit à morte nauigantes abesse.* Adhuc alius Poëta [e];

d in vita Philosophi.

D

Audax nimiùm,qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrásque suas post terga videns
Animam lenibus credidit auris,
Dubióque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortísque vias
Nimium gracili limite ducto.

e Seneca in Med.act.2.in choro.

Ad hæc rursus quidam [f];
Non hercle verbis,Parmeno,dici potest
Tantum,quàm re ipsa nauigare incommodum est.

f Teren. in Hecyra.act.3. sce.4.

E

Id vno expressit quidam [g] verbo;
Nam propè tam lethum,quàm propè cernit aquam.

g Ouid.2. de Ponto.

Hinc ingens,nec indigna etiã viro forti,vt Aristoteles [h] docet,imò & Stoicus [i] Philosophus, trepidatio,quã nec suo Virgilius [h] Æneæ tribuere dubitauit,& Agamemnoni Seneca[l],cum votis precibúsque, & pœnitudine initæ nauigationis, deficiẽte nautas ipsos ratione. Quod meliùs mihi cecinisse sacer videtur Poëta; *Ascendunt* [m] *vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius:& omnis sapientia eorum deuorata est. Et clama-*

h 3 Ethic.c.6. & 3. Ethic. ad Eudem. c.1.& 3. i apud Gell. lib. 19.c.1. h Aeneid.1. vbi multa Pontanus noster. l in Agam. act.3. m Ps.106.26. 27.28.

A *uerunt ad Dominum cùm tribularentur,* &c. Denique trium, quorum Catonem pœnituit sapientissimũ, illud fertur vnum, si quopiam vectus nauigio esset, quò peruenire pedestri itinere licuisset: alia etiam credidisse arcana fœminæ: diem sibi absque fructu effluxisse. Quamquam hoc ipsum Antonius [a] Melissa tribuit Aristoteli. Tandem pronunciatum Comici est;

a p.1.serm.17.

Ἐν γῇ πένεσθαι κρεῖττον, ἢ πλουτοῦντα πλεῖν.
In terra egenum satius est te viuere,
Quàm nauigantem possidere plurima.

Mitto hîc allegorias ligni exigui, nauísque pro Christo, eiúsve Cruce, vel Ecclesia, vel Matre. Postremam Olcot [b] persequitur, in Maria conceptionem immaculatam piè recipiens, licèt ex familia Dominicana, quæ vna hoc tempore obsistit contrariæ communi sententiæ.

b lect.160.

B *Transeuntes mare.*] Græcè (*διελθόντες κλύδωνα, transeuntes tempestatem, procellam, mare procellosum.*)

Per ratem.] Græcè (*σχεδίᾳ.*) Significat Græca vox *nauem subitò ac tumultuariè factam*, quasi ἐκ τοῦ σχεδὸν καὶ ἐγγὺς κατὰ χρόνον, vt ait Eustathius, sumptam, id est, *ex propinquo tempore.* Et rates quoque tumultuariæ ac subitariæ operæ vocatur eodem nomine. Latinum nomen *ratis* vel nauis latus denotat; totam verò nauem per synecdochẽ: vel compagem trabium connexarũ, quæ nauis vsum, priusquàm reperta nauis esset, præbebat: vel nauem longam propter remos, qui cùm per aquã sublati duas facere dextra, sinistráque partes videntur, ratescunt. Cantacuzenus Græcæ dictionis propriam vim retinens, existimat innui naufragio facto, nauéque prorsus pereunte, aliam salutis expediendæ inuentam rationem multo imbecilliorem, quàm nauem.

C *Vers.6.*] Sed & ab initio cùm perirent superbi Gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit seculo semen natiuitatis, quæ manu tua erat gubernata.

D EXimium hoc, orbíq; in primis salutare nauis & nauigationis beneficium, quando deletis diluuio cæteris hominibus animalibúsque, inter vndas infinitas indiuidua pauca specierum arca seruauit, reparatura vniuersitatem hominum & animalium, dum regeret interim ipsemet arcam Deus. Iam capite decimo [c] de hoc actum.

c vers.4.

Sed & ab initio.] Græcè (*καὶ ἀρχῆς γὰρ, & ab initio enim*) id est, olim, iampridem, iamdudum. Sumunt id Latini de prima mundi ætate ab Adam vsque ad Noë. Attamen haud infrequens vsus dictæ phrasis in dicto sensu. Nõ memini ἀρχῆς sine præpositione, alióve addito vsurpari alibi, quàm hîc.

E *Cùm perirent superbi Gigantes.*] Græcè (*ἀπολλυμένων ὑπερηφάνων γιγάντων.*) Propter horum peccata, quæ alij sunt imitati, periit diluuio mũdus, vt indicatur in Genesi [d], vbi nominatim exprimuntur Gigantes, potentes à seculo, viri famosi, móxque subiicitur historia diluuij. Idipsum significat auctor Ecclesiastici [e], & Baruch [f], tradítque præterea Nazianzenus [g], Cassianus [h], & alij. Baruch [i] eosdẽ appellat nominatos, statura magna, sciẽtes bellum, & quos non elegit Dominus. Illos Augustinus [k] ante diluuium, & sub id tempus multos ostendit fuisse, numeróque maiore, quàm postea. Hebraicum nomen priùs [l] monui esse נְפִלִים *nephilim* in Genesi, id est, *cadentes*: aliàs verò qui Gi-

d c.6.4.
e c.16.8.
f c.3.26.
g orat.4.26.
h col.8.c.21.
i suprà.
k 15. de ciuit. c.23.
l c.10.4.

A gas Græcè ac Latinè dicitur, Hebraicè גִּבּוֹר *gibbor* [a] appellatur, hoc est, fortis; ita vt cadens sit, auctore Hieronymo*, qui suo robore alios à suo statu deturbat, iuxta illud [b]; *irruit in me quasi Gigas*; aut, vt R. Abenezra docet, ante quem alij præ timore cadant: aut qui à probitate maiorum decidit: aut qui pronus sit ad incũbẽdum libidinosè: aut qui cecidit in diluuio, quod indicatur verbis illis Iob [c]; *ecce Gigantes gemunt sub aquis.* Alio nomine vocantur Gigantes רְפָאִים *rephaim*, quasi dicas *sanos & robustos*, à רָפָא *rapha*, vel à רָפָה *raphah*, *remissos ac debiles*, quia solo aspectu eorum cuncti debilitabantur: aut ab insigni aliquo, cui proprium nomen Rapha [d], sicut & ab Enac Enacim [e]. Itẽ appellati sunt Emim [f], id est, terribiles. Sed & spurij cognomen, quod Goliæ [g] tribuitur, omni Gigãti videtur commune, quoniam omnes Gigantes ex impudico violentóque concubitu orti sunt, vt R. Salomon [h] docet, nempe cùm, vt ait Genebrardus [i], homines religione diuersi filias hominum, id est, Chami posteritatem deditam idololatriæ, acceperunt in vxores. Hæc ratio non competit Gigantibus extinctis in diluuio: nondum enim Cham posteritas extabat, nec id est propriè spurium esse, ex diuersæ religionis nasci parentibus. Posteritas Cain nominari potuit, non Cham.

a Ps. 18.6. & alibi.
* in trad. Hebr.
b Iob.16.15.
c ca.26.5.
d 1.Paral.20.4.6. 2 Reg. 21.16.
e Deut.1.28.
f Deut.2.10.
g 1.Reg 17.4.
h ibid.
i in chronic.

C Non placẽt mihi quoque qui nomine isto nolunt inusitata intelligi homines mole ac proceritate corporis, sed solùm superbos, impios, sæuos, voluptatibus affixos terræ (quasi γίγας sit γηγενής, *terra natus* [k], quo pacto spurius terræ vocatur filius) Philo [l], Iosephus [m], Chrysostomus [n], Damascenus [o], Cyrillus [p] Alexandrinus, & ex profanis Macrobius [q], & Strabo [r]. Nam passim pluribus probatur contraria sententia, cũ ea vastitate corporis [s] mores Gigãtibus inconditos fuisse, & agilitatẽ [t], robur [u], præfidentiam [x], trucem ac minacem vultũ [y], atq; quã hîc habemus, superbiam. In hac opinione præter alios Ambrosius [z] est, Augustinus [a], Cassianus [b], Theod. [c] glossæ [d], vt omittatur Berosus Annianus [e]. Fabulas quidem reiicimus, de quibus loqui Philonem, Cyrillum, Chrysostomum possemus intelligere, vt sua illa Gigã-

D tes celsitate, roboréque tanto insulas ex medio mari raperent, & in cœlũ proiicerent [f]; Diis bellũ inferrent, ac de cœlo deturbare vellent, atque ad se in Ægytum recipiendum compellerẽt. Quæ fabulandi ratio nata partim videtur ex historia de Babylonicæ turris ædificatoribus [g], vt obseruatur Iosephus [h], Eusebius [i], Alcimus Auitus [k]. At ingenti supra humanum cæterorum modum Gigantes magnitudine fuisse, nullo credo ambigi pacto posse.

k Philo de Gigantibus. Aug.15 de ciuit.c 23
l lib. de Gigan.
m 1. Antiqu c.5.
n in catena. Genes.
o ibid.
p 9 contra Iulian.
q lib.1 c 20.
r lib 17.
s Baruch 3 26.
t Ps.18 6.
u Ps 32.16.
x Eccli.16.
y Prou.9.18. Psal 14.9.
z de Noe & arca c 4.
a q.3.in Gen & 15 de ciui. c.23.
b col.8.c. 21
c q. 48. in Genes.
d in Gen.c.6. & alibi.
e in prin. historiæ.
f Cyril sup.
g Gen. 11.
h 1.Antiq c 5
i 9 de præpa c 4.
k lib. 4. carmin de orig mundi.

Cæterùm sic homines istos voco, vt superuacaneum ducam eos refellere, qui vel dæmonas asserũt (Prosper [l] innuit hos, aut idola) vel genitos

E è dæmonibus. Id Genesis exequũtur Interpretes, maximè Pererius [m], & Theologi disputantes de Angelis. Certè, vt de primis in Genesi nominatis cõcedatur, quod cõcedi minimè debet, nulli venit in mentem idẽ affirmare de aliis, qui eodem nomine memorantur aliis in locis Hebr. rephaim, nephilim, gibborim, enacim; Latinè verò & Græcè Gigantes. Absurdus est ac temerarius Franciscus Georgius [n], cùm, posita sua illa de dæmonib. corporeis, proprióq; ad generandũ semine prædictis opinione, ac propriã eorum prolem Gigantes fuisse, de iisq; Deũ intellexisse [o]; *inimicitias ponã inter semen tuũ, & semẽ illius*, nẽpe mulieris, negat post aduentum Christi, qui etiam dixit, *princeps huius*

l 2.p de prædic.c.9.
m lib.8. disp 2.3.4.
n tom.1 probl.in 54. 74. 75 tom 6. in 330.331.
o Gen 3.15.

mundi eiicietur foras [a], Gigantes fuisse, quòd impediat, ne dæmones coëundi facultate cum mulieribus vtantur.

Incubos ac succubos dæmonas multi concedunt, etsi forsan irritus potiùs videatur ad prolificandum conatus. Augustinus [b], & omnis testatur historia [c], post Christum extitisse non paucos Gigantes, & dæmones cum mulieribus peregisse concubitum. De tota Gigantum & appellatione, & re multa apud Pinedam [d], in quem demum incidi, leges, & apud eos quos citat, ex quibus accuratior Hieronymus [e] Magius, qui & ipse non paucos profert.

Porrò ex dictis epitheti ratio, quo hîc Gigantes ὑπερήφανοι cognominantur, id est, *superbi*, colligitur. Nam illi se vt molis, ita naturæ ipsius quantitate, ac dignitate supra reliquos efferebant, vt notant qui de ipsis agunt. Quin & propterea Theodoretus [f] hominibus assignasse corpora Deum haud maxima scribit, vt superbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet, cùm præditi corporibus exiguis non contra se modò, sed contra Deum creatorem attollantur.

Postremò Græci vocabuli γίγας deriuatio, quasi dicas γηγενὴς, *terrigena*, non solùm placuit Philoni [g], & ab Augustino [h] indicata est; sed etiã in libro Prouerbiorum [i] Septuaginta pro *Gigantibus* Latinè, & Hebraicè רפאים *rephaim*, verterunt γηγενεῖς: & qui rursum γίγαντες, ac Gigantes appellantur, & Hebraico dicto nomine, illos Paraphrastes Chaldæus vocat בני ארעא *bene arbha*, *filios terræ*. Hoc etiam satis innuerunt qui Terræ dixerunt filios, & ab irata Ope seu Terra editos in Deorum vltionem, à quibus Titanes occisi fuerant, Apollodorus [k], Ouidius [l], Apollonius [m]. Homerus [n] eam agnouit etymologiam, cũ dixit;

———γηγενέων ἀνδρῶν ἔργα γιγάντων.

———*virorum terrigenarum opera Gigantum.*

& Orpheus, licèt alterum velut parentem cum terra cœlum addat;

Οὓς καλέουσι γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν,
Οὕνεκα γῆς ἐγένοντο, καὶ αἵματος οὐρανίοιο.
Quos vocant Gigantes cognomen in beatis,
Eo quòd terra nati sunt, & sanguine cœli.

In c.23. Ecclesiastici [o], quod Interpres reddit, *& omne desiderium auerte à me*, legitur Græcè, καὶ γιγαντώδη ψυχὴν ἀπόστησον διαπαντὸς ἀπὸ δούλων σου, *& Gigantæam animam amoue semper à seruis tuis.* Denotat Gigantæa anima hominem profligatissimum, pessimorúmque desideriorum, quales in Genesis c.6. describuntur. Quò pertinet præterea per parœmiã γιγάντων ἀπόνοια, *Gigantum amentia* [p]. In Prouerbiis [q] cœtus Gigãtũ, in quo errans à via doctrinæ cõmoraturus dicitur, quos θεομάχους vocat ibi Symmachus, alludens forsitan ad fabulas de Gigantibus Encelado, Briareo, & similibus, & Chaldæus בני ארעא *bene arbha*, *filios terræ*, significat immanes illos homines impios, qui diluuio obruti sunt, & dæmones, ac damnatos alios in inferno. Tales quoque apud Iob [r] Gigantes gemẽtes sub aquis, etsi alij balenas interpretentur: tales eodẽ Prouerbiorũ [s] libro Gigantes, & in profundis inferni communicantes cum iis, illi qui meretricãtur: tales in Esaia [t] Gigantes non resurgẽtes, nẽpe ad vitã vitalem, iudiciúmve iustorum: tales quos auctor Eccli. [u] destructos cognominat; Baruch [x] nominatos, sed abiectos à Deo, quique perierint.

Spes orbis terrarum.] Hi qui supererant, & per quos spes erat propagandum mundum. Sic Ascanius magnæ spes altera Romæ [y], & spes senectæ, & domus in aliquibus inclinata recumbere [a] dicitur, quibus innituntur alij: quod nos iure meritissimo de Maria Deipara vsurpamus, videlicet secundùm Deum, Christúmque, qui simpliciter est spes [b] nostra & obiectiua, & auxiliatrix.

Ad ratem.] Ad arcam Noë, quæ veriùs rates, quàm nauis erat, etsi pro naue non rarò, à Poëtis maximè, rates accipitur, vt antè dictum est.

Remisit.] Græcè (ἀπέλιπεν, *reliquit.*)

Seculi.] Græcè (κόσμου, *mundi.*)

Semen natiuitatis.] Prolem, ex qua alia susciperetur proles.

Quæ manu tua erat gubernata.] Non remis, aut velis, aliáve humana industria, sicut priùs cum nonnullis Patribus admonuimus. Illustrat mirificè gubernationem istam Dei manu factam, quæ à Paulino narratur [c] historia in epist. de senis Valgij, qui & Victor, naufragio ad Macarium. Oblectabit & afficiet te lectio huius epistolæ.

Vers.7.] Benedictum est enim lignum, per quod fit iustitia.

GRæcè (εὐλόγηται γὰρ ξύλον δι' οὗ γίνεται δικαιοσύνη.) Vbi verbum est præteriti temporis, quod Interpres exposuit per (*benedictum*) non vt nomẽ, sed participium eiusdem temporis. Sed quia γίνεται est in præsenti tempore, dudúmque per arcæ lignum salus constitit, ideo putat Cantacuzenus, Auctoris mentem spectasse ad salutiferum Crucis lignum, cuius nobis fructus constat semper (adde & cæteris ab exordio mundi cõstitisse, ob fidem in crucifixum, & propter merita ipsius) & per quam libertas nostra iustitiæ nomine vindicata est, vt fusiùs explicant Bonauentura & Olcot, quando factus est Christus pro nobis maledictum, id est, oblatio pro maledicto nostro, quia *maledictus omnis qui pendet in ligno* [d]. Idem Germano [e] Constantinop. olitano videtur: idem auctori incerto [f]: idem Chrysostomo [g]. Approbo sensum istum, qui glossæ interlineari, & aliis Latinis quoque arridet Expositoribus; necnon extat apud Ambrosium [h], & Adonem Viennensem [i]; præsertim cùm etiam arca illa typus Crucis fuerit, vt placet Augustino [k], eidem Ambrosio [l], Isidoro [m], Clementi [n] Alexand. Cyrillo Ierosolymitano [o], Alexandro [p] monacho, Andreæ [q] Ierosolymitano, Cretensi Episcopo, Macario [r] Chrysocephalo, Theodoro [s] Studitæ. Sed mysticum esse non dubito, qui tamen cùm ab Spiritu sancto est (quod consensus Patrum indicat) auctoritatem & pondus habet. Augustinus [t] quidem magna id asseueratione ac citra dubitationem confirmat.

Porrò Germanus [u] Constantinopolitanus legit (εὐλογεῖται ξύλον, δι' οὗ γίνεται σωτηρία, *benedicite lignum, per quod fit salus*) & citat Salomonem. Sed sensum profectò expressit, non verba. Huc arbitror allusisse incertum auctorẽ oratione in adorationem Crucis apud Gretserum [x], cùm dicit; καὶ ἕτερος τῶν πρὸ φήτων λέγει, εὐλογηθείη τὸ ξύλον, δι' οὗ ἐγένετο σωτηρία ἐν μέσῳ τῆς γῆς, *& vnus ex Prophetis dicit, benedictum sit lignum, per quod facta est salus in medio terræ.* Sed Chryso. citans Salomonem [y], habet (εὐλογεῖτε ξύλον, δι' οὗ γίνεται δικαιοσύνη, *benedicite lignum, per quod fit iustitia.*) At verò Ambrosius [z] legit hunc locum ordine inuerso (*benedictum lignum, quod fit per iustitiam.*) Sed in editione Romana restituta est apud eum lectio nostra: nec

a Ioan. 12. 31.
b 15. de ciuit. c. 9 & 23.
c vt Niceph. 11. hist. c. 37. Plin. lib. 7. c. 16.
d in c. 26. Iob vers. 5. digress. de Gigantib.
e in miscel. c. 4.
f q. 48. in Gen.
g lib. de Gigant.
h 15. de ciuit. c. 23.
i c. 9. 18.
k lib. 1.
l 5. Fasto.
m apud Natalem Comit. lib. 6. mytho. c. 21. vbi fusè de tota re.
n in Batracho.
o vers. 5.
p Adagiog. Chil. 3. centu. 10. n. 99.
q c. 21. 16.
r c. 26. 5.
s c. 9. 18.
t c. 26. 14.
u c. 16. 8.
x c. 3. 19. 26.
y Virg. 12. Aeneid.

a ibid.
b Coloss. 1. 27. 1. Tim. 1. 1. Ps. 13. 6. Ps. 39. 5. Ps. 64. 6. Ps. 70. 5. Ps. 90. 9. Ps. 141. 6. Ps. 145. 5.
c ep. 1. ad Macarium, seu epist. 34.
d Deut. 21. 23. Gal. 3. 13.
e orat. de exaltat. Cru. apud Gretserũ. to. 2. de Cruce, & orat. de festo Crucis. dia Quadrag.
f orat. de adorat. Cru. ibid.
g orat. de festo Cru. med. Quadrag. ibi.
h in Psal. 118. octon. 8.
i in chron.
k 15. de ciui. Dei c. 26.
l lib. de arca & Noë c. 5. & in Psal. 47.
m in c. 24. Genes.
n 6 strom. c. 4.
o catech. 13.
p orat. de inuẽt. Cru. apud Gretserũ. to. 2. de Cruce.
q orat. 1. de exaltat. Cru. ibid.
r orat. de exaltat. Cru. ibid.
s orat. de festo Cru. media Quadra. ibid.
t supra.
u supra.
x tom. 2. de Cruce.
y supra.
z in Ps. 118. octon. 18.

nec alia vsus videtur, cùm probare velit iustitiæ ascribi veniam peccatorum, & ipsam misericordiam dici iustitiam; quem sensum non efficit, si legas (*benedictum lignum, quod fit per iustitiam.*) Quàquam vtcumque responderi posset, benedictum lignum, quod fit (nempe benedictum fieri) per iustitiam, id est, per misericordiam, quam in eo Christus exercuit, & per veniam, quam nobis impetrauit.

Verumtamen simplex ac literalis sensus est de arca Noë, quæ benedicta fuit à Deo, quoniā eius iussu fabricata, & eiusdem manu gubernata [a], & laudibus celebranda, ac forsitan celebrata. Iosephus [b] narrat arcæ reliquias ætate sua in regione Carron conseruatas & ostensas. Citat etiam vetustiorem Berosum Chaldæū, qui tradat extitisse in Armenia apud montem Cordæorum, & bitumen inde abrasum amuleti loco habitū: itē Hieronymum Ægyptium, Mnaseam, Nicolaum Damascenum; qui vltimus nominet in Armenia montem Barim. Epiphanius [c] idem quoque de sua testatur ætate; sed apud Cardienses (vt & de altari eiusdem Patriarchæ:) & præterea Theophilus [d] Alexand. de sua in mōtibus Arabicis. Imò de dolabra refert Nicephorus [e], qua Noë arcam construxerat, in honore habuisse Constantinum, atque condidisse sub columnæ basi, in qua statuam suam collocauerat, dextra manu gestantem aureū malum, cui veneranda Crux infixa erat, & vnà cum dolabra duodecim cophinos, & septem sportas, reliquiasque septem panum, quibus benedictione consecratis Christus multitudinem pauerat.

a Gen. 6.
b 1. Antiq. c. 3.
c hæres. 18.
d 1. Paschali.
e lib. 7. c. 49.

Itaque lignum arcæ benedictum est, ac benedictione dignum, per quod fit iustitia, id est, salus & conseruatio iustorum, pereuntibus diluuio iniustis: *te enim*, dixit Deus Noë [f], *vidi iustum coram me in generatione hac.* Sunt etiam, vt Iansenius notat, qui de ligno intelligant patibuli, in quo fit iustitia, dum rei in eo puniūtur. De B. Virgine alij explicant. Aliis placet indicari, sicut priore versu per spem orbis terræ, Noë, familiámque, ita per iustitiam, ligno isto benedicto factam, Melchisedech, qui significat Regem iustum, & è naufragio euadens Rex, ductor ac magister iustitiæ fuit. Sed ponit hæc opinio Melchisedech in arca fuisse; qua de re aliàs. Non incommodè quoque virgas ipsas, quibus pueri cæduntur disciplinæ gratiâ, benedictum appellant lignum, & cæsos imperant eas, actis cædenti gratiis, exosculari.

f Gen. 6.

Vers. 8.] Per manus autem quod fit idolum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud: quia ille quidem operatus est: illud autem cùm esset fragile, Deus cognominatus est.

APertus sensus ex antithesi cum priore ligno benedicto, vel cum arca Noë, vel cum Cruce. Nam lignum id, à quo perditi homines postquam ipsimet illud construxerint, nauigandi felicitatem, & aliarum rerum suarum prosperum cursum petunt, omni execratione dignum est, vtpote cui diuinitatis attributus sit titulus, quod suapte natura est fragile & corruptibile. Maledictio detestationis ac infamiæ conuenire materiali ligno potest, vt est occasio culpæ; sed per modum pœnæ diabolo, qui est in ligno, tanquam præsidens idolo. Sic ex opposito censendum, seruata proportione, de ligno illo alio, quod priore versu benedictum dicebatur. Denique, vt B. Thomas [a] docet, benedictio, vel maledictio propriè ad illam rem pertinet, cui potest aliquid bene, vel malè contingere, scilicet rationali creaturæ: irrationali in ordine ad creaturam rationalem, propter quam est. Legendus quoque Gregorius [b]; & quæ dixi in Actis Apostolorum [c].

a 2.2. q. 76. a. 1.
b 4. moral. c. 5.
c c. 21.

Per manus autem quod fit idolum, maledictum est & ipsum.] Græcè (τὸ δὲ χειροποίητον ἐπικατάρατον αὐτό, *manufactum autem maledictum ipsum.*) Ambrosius [d] (*maledictum autem lignum, quod fit per manum hominum.*) Vatablus infelix lignum vocat, sicut illud aliud felix. Sed est hic etiam figuratus & analogus dicendi modus; vt & quando Protarchus apud Aristotelem [e] fortunatos appellauit lapides, ex quibus sunt aræ, quòd honorentur; copulati autem cum his conculcentur.

d in Psal. 118. octon. 8.
e 2. Phys. tex. 59.

Et qui fecit illud.] Nam *maledictus homo, qui facit sculptile & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponétque illud in abscondito: & respondebit omnis populus, & dicet; Amen* [f]. Hæc in maledictionibus multis prima ponitur à Deo.

f Deut. 27. 15.

Illud autem cùm esset fragile.] Græcè (τὸ δὲ φθαρτὸν, *corruptibile.*) *Fragile* magis propriè reddidit Interpres capite sequenti [g] pro Græco nomine τῷ εὐθραύστῳ, quàm hîc, & huius capitis initio, vbi erat σαθρότερον.

g vers. 13.

Deus cognominatus est.] Græcè (Θεὸς ὠνομάσθη, *Deus nominatus est.*) Igitur idololatræ idolis suis Dei titulum deferebant, & pro Deo colebant, vt pridem monuimus contra Caluinum. Nos verò imagines pias nec veneramur vt Deos, nec Deos nominamus; sed veneratione prosequimur propter prototypa, & minore quàm ipsa, prout in illis terminantur.

Vers. 9.] Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas eius.

IMpietatem idoli, impium intelligit idoli confectorem & cultorem: sed generaliter simul omnem improbitatem, quemlibet improbum. Et videtur occurri quæstioni, ait Cantacuzenus, cur sint execranda simulachra, quæ nihil sentiunt: nā quemadmodum qui honesta agunt, quibus artibus ad hæc agenda excitantur, eæ quoque artes celebrantur, vt si Medicus medicina præclarè vtatur, vel fabrili artificio faber: ita cùm aliqui deterioribus rebus addicti sunt, ea quibus deprauati sunt, vnà cum ipsis vituperantur. Quo igitur pacto peccati & impietatis faciunt hæretici auctorem Deum, qui nihil odit eorum quæ fecit [h], nec aliquid odiens constituit, vt antè hic ipse Auctor noster pronunciauit? [Amat in impio naturam, & idcirco dum puniendo eam abigit, amorem suum declarat: amat hominem vt artifex fabricam, inquit, nescio quis Hieronymi nomine insignitus [i]; sed odit opera mala, quibus fabrica vrgetur in lapsum, & cogitur in labinam. Et quia mala opera odit, malorum operum non potest amare factorem; sicut Salomō sāctissimus protulit, &c.] Vide quo epitheto Salomonem cohonestet, quē saluum puto, tametsi non huius auctorem libri. Crebræ sunt aliæ sententiæ Scripturarū, quibus

h c. 11. 25.
i epist. 6. ad amicū ægrotum tom. 9.

hoc ipsum aduersùs impietatem, & iniquitatem odium Dei declaratur, contráque illos qui operantur ipsam, quæ sola ratio est cur illi odio habeantur. *Odisti* [a] *omnes qui operantur iniquitatem. Altissimus* [b] *odio habet peccatores. Perdidisti*[c] *omnes qui fornicantur abs te: non* [d] *Deus volens iniquitatem tu es. Exosos habui eos*, inquit Deus ipse [e], *propter malitiam adinuentionum eorum; de domo mea eiiciam eos: non addam vt diligam eos; omnes Principes eorum recedentes*; & proximè antè dixerat; *omnes nequitiæ eorum in Galgala.* Ibi enim non modò Saül in Regem vnctus est, quod Deo ingratissimum fuit[f]; sed etiam idololatria celebrata, vbi Religio maximè viguerat sub Iosue [g], cùm etiam iussus est calceamenta soluere de pedibus, quòd locus esset sanctus. Scilicet hoc ingenium diaboli, vt coli velit superstitiosiùs in Deo dicatis locis, ac diuinos in se honores transferre.

a Psal. 5. 7.
b Eccli. 12. 3.
c Psal. 72. 27.
d Psal. 5. 5.
e Osee 9. 15.
f 1 Reg. 11. & 12.
g Iosue 4. & 5.

Hinc præterea sequitur, nihil propriè Deum in renatis odisse, quibus ablata sũt mortalia peccata, vt rectè Tridentinum Concilium [h] definit. Etsi enim remaneat cócupiscentia, non vult Deus propter illam renatos damnare, sed potiùs paulatim eam consumere, vt renati perfectè sanentur ac liberentur. Peccata venialia, sine quibus viui non potest, non placent quidem Deo, & odio aliquo habentur ab ipso, sed non perfecto & integro, quod etiam redundet absolutè in personam. Imò & concupiscentiam concedi potest aliqua ratione odio haberi a Deo, non vt peccatum propriè dictum, sed vt morbũ & languorẽ; sicut Medicus non solam odit febrem, verùm etiam remanentem infirmitatem, seu debilitatem, quam pellere nititur. In renatis, inquit dictum Conciliũ [i], nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui verè cóseputi sunt cum Christo per baptisma in mortẽ [k], &c. Concupiscentia ad agonem cùm relicta sit, nocere non consentientibus non valet, & peccatum dicitur non verè & propriè, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Augustini hæc doctrina est sexcentis locis. Vnum lege in tractatu 41. super Ioannem. Quocirca errant grauissimè hæretici, tùm qui concupiscentiã peccatum propriè volunt esse, tum qui nulla etiã in iustis esse propriè opera nisi mala. Nullus enim propriè iustus habendus esset, nec amaret propriè quemquam Deus. Hæc tractantur vberiùs exactiúsque in disputationibus de peccato originali, & de iustificatione. Adeatur in primis noster Bellarminus [l].

h sess. 5.
i suprà.
k Rom. 6. 4.
l tom. vlt.

Similiter.] Græcè (ἐν ἴσῳ, *in æquali, ex æquo; æqualiter, pariter, ad eundem modum.*)

Odio sunt.] Græcè (μισητὰ, *odibilia, odiosa, exosa, res odio habitæ.*)

Impius.] Græcè (ὁ ἀσεβῶν, *impiè agens.*) Habitus malus materialiter sumptus, & ex actibus malis genitus, ac post iustificationem quoque remanens, & ad similes inclinans actus, non propriè odio habetur à Deo; sicut neque concupiscentia, de qua paulo antè loquebamur. Non etiam solos odit actus malos Deus; sed malitiam habitualem formalem hærentem, nec retractatam; & abolitam per pœnitentiam, gratiámque. Originalis verò culpa habitualis est duntaxat, non ex malo illius opere, in quo hæret, relicta, sed ex Adæ præuaricatione per parentum generationem contracta, quam proinde Deus odit, & iræ filium [m] cũ illa conceptum. Accipiũtur hoc loco impius ac impietas, ἀσεβῶν καὶ ἀσέβεια, in propria significatione, quoniam agitur de idololatria. Aliquando sumuntur latiùs pro quouis peccatore & peccato, sicut iniustus & iniustitia, iniquus & iniquitas. Hoc aliàs [a] notatum est.

m Ephes. 2. 3.
a Eccle 3. 17. & 1. Ioan. 3. 4.

Vers. 10.] Etenim quod factum est, cum illo qui fecit, tormenta patietur.

HOc difficilius, quo pacto tormenti capax sit idolum, & quodlibet opus inanimatũ, quod impius & improbus fecerit. Cantacuzenus exponit non de opere quod extat & superest, sed de operatione transeunte. [Ipsa videlicet cædes, inquit, cum homicida punietur, vel fornicatio cum mœcho; quia non simpliciter hominẽ leges plectunt, sed adulterium, cædémque persequentes, qui in ea scelera inciderint, eos supplicio vindicant.] Idem poterat dicere de idololatria cultúque superstitioso. Latini de idolo exponunt, sed vt quid cóflatum intelligitur ex simulachro muto, & ex diabolo, qui præsidet. [Hoc non potest, ait Lyranus, intelligi de idolo absolutè, cùm sensum non habeat, per quem possit tormentum sentire; propter quod intelligitur de dæmone, qui colebatur in idolo, & ibi responsa dabat.] Quãdoque ipsamet peccati simul cum sonte instrumenta, imò & quibus hic animaduersus est, ignominia, & quodam quasi tormento afficiuntur, & cum eius cadauere infodiuntur separato loco. Hoc vltimum ex Rabbinorum traditione [b] referunt, qui de Crucis Dominicæ inuentione scribunt, nominatim Baronius [c], necnon Marcus [d] Velserus, qui confirmat exemplo Agricolæ martyris reperti ab Ambrosio [d] cum clauis: Thomæ Apostoli cũ lanceæ cuspide qua transfossus est [e]: Virginum Britannicarum Coloniæ cum sagittis. Vaticinium hoc etiam videri potest fuisse confringendorum ac omni dedecore afficiendorum à Catholicis idolorum; quod factum nostræ passim docent historiæ, & qui apologias contra Gentiles ediderunt.

b in Thalmud.
c tom 3 anno 326 & tom 1. in append.
d lib 7. rerum Aug pag. 338.
e exhortat. ad Virgin.
f Maffæus lib. 8. histo. Ind.

Vers. 11.] Propter hoc & in idolis nationum non erit respectus: quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.

PRædictio, de qua prædixi, disperdenda esse idola, magis nunc exprimitur, eo quòd creaturis abusi sint idololatræ, suáq; culpa effecerint, vt illæ ipsis versę fuerint in abominandum vsum, ac in laqueum ad eorum cum ipsis interitum & perditionem; & ipsæ vicissim creaturæ per dictum abusum perniciosam hominibus occasionem dederint.

Non erit respectus.] Græcè non habetur negatio (ἐπισκοπὴ ἔσται, *visitatio erit*) id est, punitio. Sed quia *visitatio*, & *respectus*, ac *respectio* aliquando sumuntur in bonam partem, vt superioribus capitibus non semel [f]; ideo suspicantur aliqui ab Interprete præfixam particulam negantem. Et capite tamẽ vltimo [g] eandem Græcam vocem ἐπισκοπῆς Interpres *respectũ* vertit in deteriore notione. Editionis nostræ sensus est; idola suo tempore visitãda à Deo, vt deleantur è terra, non amplius respicienda, vel veneranda ab hominibus. Dæmonum peccatum irremissibile est: sed nõ hoc velle

g c 2. 20. c. 3. 6. 13. c. 4. 15.
h vers. 14.

Auctorem puto, vt existimauit Bonauentura, Lyranus, Carthusianus; visitari ac puniri dici possunt in ea communione idolorum. Ieremias [a] affinem illi pronunciauit & de idolis, & de fabricatoribus eorum sententiam; *Stultus factus est omnis homo a scientia, confusus est artifex omnis in sculptili; quoniam falsum est quod conflauit, & non est spiritus in eis. Vana sunt, & opus risu dignum; in tempore visitationis suæ* (ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν, פְּקֻדָּתָם. *pekuddatham) peribunt*; Chaldaicè, *in tempore quo visitauero super eos peccata eorum.*

Quoniam creatura Dei in odium facta sunt.] Græcè (ὅτι ἐν κτίσματι Θεοῦ εἰς βδέλυγμα ἐγενήθησαν, *quoniam in creatura Dei in abominationem facta sunt*, & idololatræ, & idola: vel *facta sunt*, idola.) Aurum, argentum, lapides, ligna, & id genus alia, quæ de numero sunt creaturarum, & ad vtilitatem primariæ creaturæ corporeæ, qui est homo, condita, deprauata sunt in abominationem suæ ipsorum naturæ, & interitum eorum qui se ipsis tradiderunt. Itaque iuxta editionem Græcam, in qua *creatura* nomé est datiui casus, creatura vel genericè comprehendit plures creaturas, auri, argenti, &c. vel κατ' ἐξοχὴν significat hominem. Idola creaturis cõmunicauerunt quodammodo qualitatem odiosam: vel hominem etiam ipsum idololatram odiosum reddiderunt, qui abominabilis factus est, sicut & ea quæ dilexit, & coluit [b].

Sed Interpres intellexit de creaturis aliis, quæ hominibus factæ sunt in odium, tentationé, muscipulam, quoniam ipsis attribuerũt diuinitatem, ac proinde ipsę illos reddiderunt Deo vero odiosos, & coniecerunt in laqueos inextricabiles. Lyranus per creaturas ait dæmonas accipi factos in odium Dei per eorum culpam. Hugo vel hos, vel idola, vel homines: primos, quia Deum oderunt; & odio habentur à Deo propter idololatriam, quam suggerunt hominibus: idola, quia faciunt, vt qui colunt ea, oderint Deum, & illos vicissim oderit Deus: homines, quia informantur à diabolo, qui inuidet Deo, vt in odium Dei colãt ipsum. Carthusianus ait ad literam, & iuxta textus connexionem de dæmonibus exponendum hunc locum, qui secundùm suam bonam naturam creaturæ sunt Dei; sed concomitanter, & per propriæ volũtatis peruersitatem facti sunt in odium, quia seipsos fecerunt Deo odibiles, & eos quos vincunt, & ad idololatriam trahunt, Deo faciunt odiosos. Olcot [c] vult homines idololatras hîc accipi; sed isto sensu, vt quoniam sunt odibiles Deo, idcirco, quod primis versus verbis dicitur, non sit in idolis nationum respectus, hoc est, dæmonibus, siquidem per abusum hominum & instigationem dæmonum creaturæ, quæ factæ ac ordinatæ fuerant ad honorem Dei, & profectum hominum, conuersæ sunt in odium Dei, vt Deus propter illas in odium habeatur, & homines decipiantur & perdantur. Conflari sensus ex omnibus vnus potest; at simplicior quem initio posui, ita vt creatura, vel creaturæ, vel in creatura, vel in creaturis censeantur idola, aut idololatræ fieri in odium, & abominationem, & execrationem propter ipsammet idololatriam, atque idcirco neutris parcatur.

In odium.] Græcè (εἰς βδέλυγμα, *in abominationem.*) Per epithetum cognominatur idolum hoc modo apud Ezechielem [d] sæpe, soléntq; Hebræi nominare תּוֹעֵבָה *thohhabah*. Accommodatur eadem appellatio ad idololatras, vt cùm Petrus [e] dixit centurioni Cornelio; *Vos scitis, quomodo abominatum sit* (ἀθέμιτον) *viro Iudæo, coniungi, aut accedere ad alienigenam.* Hic autem etiam creaturæ, ex quibus idola construuntur, fieri dicuntur in odiũ & abominationem Dei creatoris. Hac ratione Deus ipse testatur se odisse festiuitates [a], religiosas nimirum. Cantacuzenus videtur dicere factas res illas, ex quibus idola constant, in abominationem sibi ipsis & propriæ naturæ, quasi degenerauerint, aut degenerare coacta sint per abusum idololatriæ à suo fine, qui est auctori suo seruire. Vnde prouenit quoque, vt non solùm apud Deum, sed & apud homines pios sint in abominatione. Similis quodammodo est omnis creaturæ seruitus, de qua Paulus [b], quam nolens contrahit propter peccata nostra.

In tentationem animabus hominum.] Complutenses, Regij, aliique legunt (*animæ*) sed nil ad sensum interest. Græcè (εἰς σκάνδαλα ψυχαῖς.) Quid valeat *scandali* vocabulum, aliás dixi [c]. Indicatur hoc & sequenti nomine dæmonas tanquam venatores laqueos ac tendiculas ponere, quibus incautos improuidósque capiant, creaturarum dulcedine illiciendo. Quin etiam Deus vno ex aliis modo nonnullos excæcare ac indurare censetur, cùm operatur intra, extráque ipsos multa, & multis afficit beneficiis, ex quibus præscit occasionem capturos grauiùs peccandi, & contra quàm accidat *diligentibus Deum*, quibus *omnia*, etiam mala, *cooperantur in bonum* [d], fore vt bonis abutantur in malum. Docuit id non rarò Augustinus [e], & alij. Quod iustè facit Deus, iniquè machinatur diabolus. [Abscondit iste se, velut latro ac prædo sub creaturis, tanquã sub arboribus, inquit Basilius [f]: nec enim quis aliter illi consentiret, nemóque respiciens ad malum operatur; sed hoc aliqua circumuestitum bonitate semper proponitur.] Nemo intendens ad malum operatur, vt ait Dionysius [g]. [Ne Catilina quidem amauit facinora sua, inquit Augustinus [h], sed vtique aliud, cuius causâ illa faciebat.] Idémque ipse de seipso confitetur [i]. [Nemo tantum à naturali lege descivit, scribit Seneca [k]; & hominem exuit, vt animi causâ malus sit.] Denique bonum est, quod omnia appetunt, vt Philosophus [l] docet.

Explosa est è scholis sentẽtia Nominaliũ affirmans ferri voluntatem per se posse in malum; cui Scotus [m] sententiæ dubitans fauet. Vitam hominis, cùm tentationem Iob [n] appellat, possumus hoc pacto interpretari, quia in omni creatura, cuius nobis necessarius, vtilísve, aut delectabilis vsus est, tentator laqueum ponit, & vt esca abutitur ad nos perdendos. Quamuis etiam tentator deesset, ipsæ creaturæ nostras quodammodo vires explorant, de nobis experimentum sumunt; Deus exponit res minimè necessarias, vt probet quis in earum vsu animus noster sit, an cùm trásgredi possimus, nõ transgrediamur [o], vtrùm quidquid licet, quamuis non expediat, nec ædificet [p], sumamus & faciamus.

In muscipulam.] Græcè (εἰς παγίδα, *in laqueum depactum, in decipulam expansum, & extensum*) quæ humi defigitur, rectéque tendicula nominatur, à *tendo*, sicut παγὶς, à πήγνυμι. Sed *muscipulæ* nomen rem commodè exprimit, præsertim latentem in creaturis illicem delectationem.

Pedibus insipientium.] Nam delectat Deus sapientem in factura sua, exultátque hic in operibus manuum illius: at *vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc* [q], ἄφρων, καὶ ἀσύνετος, בַּעַר וּכְסִיל *babhar vchesil*, non modò brutus ac stupidus, sed

a c.10.14.15.
b Osee 9.10.
c lect.162.
d c.7.20.c.8. 10.c.20.4.7.
e Act.10.28.
a Esa.1.14.
b Rom.8.20.
c 1.Ioan.2.10.
d Rom.8.28.
e q.18. & 36. Exod. lib. 6. cõtra Iulian. c.1. serm. 88. de temp.
f hom., quod nõ simus af. fixi his rebus tempor.
g c.4. de diuin. nomib.
h 2 cõfess. c.6.
i ibid c.8.
k 4. de benef. c.17.
l 1. Eth. c.1.
m 4 d.1.q.4. & 2.d.41.q.1.
n c.7.1. iuxta LXX.
o Eccli.31.10.
p 1.Cor.6.12.
q Psal.91.5.7.

A

etiam mente peruersus. Verùm *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum* [a]; quales Antonij, cui ostensi laquei infiniti, quibus plenus erat mundus. Rectè quidam [b];

Quæ nimis apparent retia, vitat auis.

Immisit [c] impius *in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat: tenebitur planta illius laqueo: abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam. Peccantem* [d] *virum iniquum inuoluet laqueus. Pluet* [e] (Deus) *laqueos super peccatores: cadent* [f] *in retiaculo eius.*

Quod alij aliis homines improbi faciũt, hoc per accommodationem huc transferri potest. *Cogitauerunt* [g] *supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi.*

B

Eo autem casus molestior, quòd venit laqueus quem ignorat quis [h]; & ibi ruit, vbi se putat stare: quemadmodũ ægrè serpentes vitantur terræ colore præditi [i]; vel cerastes colorem arenarium habens, ab eo qui per arenosum desertum faciat iter. Rogandus assiduè Deus, vt educat, & custodiat nos à laqueo nobis absconditо, & à scandalis operantium iniquitatem [k]; vt laqueo contrito liberati, canamus alacriter; *Adiutorium nostrum in nomine Domini* [l]. Sint ad illum semper oculi; quoniam ipse euellet de laqueo pedes nostros [m], vel impediendo ne illo induamur, vel iam implicitos liberando. Inter idololatriæ symbola cum fouea, offendiculo, aut

C

lancea in latere, aut flagello, sude, siue clauo, aut stimulo, aut spina in oculis, numeratur laqueus [n], idem ferè cum muscipula; quæ simul tribuuntur libidini, & fornicationi, vt noster Pineda [o] rectè demonstrat. Eadem significatione dicitur de idolis ruina [p], & scandalum [q].

a Prou.1.17.
b Ouid.
c Iob.18.8.9.10.
d Prou.29.6.
e Psal.10.7.
f Psal.140.10.
g Psal.139.6.
h Psal.34.8.
i Plin.lib.8.c.23.
k Psal.40.5. Psal.140.9.
l Psal.123.7.8.
m Ps.24.15.
n Num.33.55. Iosue 23.13.
o 7.de reb. Salom.c.8.
p Deut.7.16. Iudic.2.3.
q Ps.105.36

Vers. 12.] Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum, & adinuentio illorum corruptio est vitæ.

SEquitur hinc ad vsque finem cap. cum idololatriæ reprehensione, originis eiusdem accurata expositio. Facinus illud grauissimum, quo

D

homines a Deo defecerunt in idololatria constitit; quod etiam inuentum exitialem hominum vitæ pestem aduexit omnium vitiorum.

Fornicationis.] Græcè (πορνείας.) Omnes passim *fornicationis* nomine idololatriã ipsam intelligunt. Hugo & Olcot [r] extendunt ad omne peccatum mortale, iuxta illud [f]; *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te, πορνεύοντα ἀπὸ σοῦ, fornicantem:* Chald. *qui aberrarunt à timore tuo.* Admitto *fornicationis* ampliorem notionem, de qua Isidorus [t]: sed arbitror hîc, vt & alibi sæpe [u], propriè vsurpari de alieno cultu; per quem fides maximè frangitur sponso; imò fides Theologica non amittitur nisi per in-

E

fidelitatem, seu contrarium fidei pertinacem errorem; peculiari autem ratione dicimur desponsari Deo in fide [x], vt Hieronymus [y] obseruat; & hoc modo solet vocari populus Hebræus virgo: & Paulus [z] ait se nos despondisse vni viro virginem castam exhibere Christo.

Diuitiarum spe (dicitur verò auaritia idolorum seruitus [a]) voluptatum, licentiorísque vitæ libidine, quasi amatoribus idololatra subiicit se, ac veluti corrumpendum tradit, receditque à vero sponso Deo. *Vadam post amatores meos*, ait ille [b], *qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & li-*

r lect.162.
f Psal.72.27.
t 2.de summo bono. c.39.& habetur 32.q.7.c.non solùm.
u Iere.3.2.9. Ezech 16.15.& seq Oseæ c.1.2.& c.1.2.4. & c.4.& 5.& Apoc.2.20. 1.& alibi sæpe.
x Oseæ 2.20.
y in c.3.Iere. & c.16.Ezec. & c.3.Na. hum.
z 2.Cor.11.2.
a Gal.5.20. Coloss.3.5.
b Oseæ 2.5.

A

num meum, &c. Item [a]; *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.* Volunt id etiam Deus designari per meretricem, quam iussit Oseam [b] ducere sibi in vxorem; primùm fornicariam, deinde quoque adulteram, vt Ribera [c] noster bene demonstrat. Præterea dicitur is qui cum idololatra init amicitiam, ita vt eius causâ idola colat, fornicari post illum, vt non solùm citatis illis verbis; *Vadam post amatores meos*, hoc est, interprete Hieronymo (etsi alij de idolis exponant) post Assyrios, Ægyptios, aliásque nationes, quarum idola Hebræi colebant: verùm etiam apud Ezechielem [d]; *Fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis; fornicata es in filiis Assyriorum: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis, vt in-*

B

trarent ad te vndique ad fornicandũ tecum. Item apud Ieremiam [e]; *Filij quoque Mempheos & Taphnes constuprauerunt te vsque ad verticem.* Ipsimet Gentiles, qui nunquam vero cultu Deum verum coluerũt, fornicari [f] dicuntur, quia debuerant, & potuerant illum colere.

Non tantùm verò pro Dijs immortalibus sacra meretricibus fiebant, ac exoletis quoque pueris, vt queritur, simúlque ridet Arnobius [g]; sed, quòd turpe dictu, Pygmalio Rex Cypri, vt est ab eodem proditum, simulachrum Veneris adamauit vt fœminam, solebátque subleuato in lectulũ copulari amplexibus, atque ore, résque aliis agere libidinis vacua imaginatione frustrabiles.

C

Narrat itidem simile exemplum de alio impurissimæ istius libidinis, quod recitat & Plinius [h].

Meretricem quandoque hospitam significare, vt cùm Rahab [i] Hebraicè dicitur זונה *Zonah*, Græcè à Paulo [k] πόρνη, a πέρνω, id est, *diuido*, & à Paraphraste [l] Chaldæo hospita, Pradus [m] existimat: tales quoque volens fuisse duas meretrices, de quibus iudicauit Salomon [n], quia meretrices vix suscipiunt filios: talem quam describit Ioannes in Apocalypsi [o], auro ac gemmis ornatam, cum qua Reges fornicati sint, ad quam cõuenerint ex omnibus Regnis mercatores, qui erant Principes terræ, apud quam diuites facti omnes, qui habebant naues in mari: solent enim potiùs meretrices adulterorum opes expilare, quàm compilare.

D

Inde vult ille auctor fornicarium vocari meretriciúmque cultum idolorum, id est, similem cauponariæ vincendi rationi, & quoniam popinæ similis est, atque cauponæ & ganeæ. [Nam fana subterranea sunt, inquit, & abdita, vinolentiæ ac libidini aptissima, plena victimarum carnibus, obsoniis, compotationibus, fœdáque libidine; quippe cùm idololatrarum *Deus sit venter, & gloria in confusione ipsorum* [p].] Accedit, quòd Hebræis initium idololatriæ fuisse scribitur [q], quòd *eos filiæ Moab vocauerunt ad sacrificia sua: & ipsi comederunt, & adorauerunt Deos earum.* E contrario virginem castam vocat Paulus [r] orthodoxum, & Ioannes [s], *qui cum mulieribus* (id est idolis) *non sunt coin-*

E

quinati, etiam cum vitæ periculo.

Fateor equidem in idololatria cauponariam licentiam spectari: verùm *meretricis* nomine, *fornicariæ, scorti*, vt de idololatria dicuntur, non dubito per se turpitudinis ac obscœnitatis, cum prodita coniugali fide, rationem importari. Exempla illa de Rahab, & duabus meretricibus, imò & de Babylonica meretrice, communiter accipiuntur propriè iuxta verum meretricium: ac de Rahab quidem assentior Andreæ Masio, communiorem sententiam secuto, potiùs quàm Prado, vel Ariæ, vel Lyrano, & Titelmanno, qui sectantur hac in re

Iudæos.

a c.7.4.
b Oseæ 1.2.
c ibid.n.37.& seq.
d c.16.26.& seq.
e c.2.16.
f Exod.34.14.16. Nahum 3.4.& alibi.
g lib.6.cont. Gent.
h lib.36.c.5.
i Iosue 2.1.
k Hebr.11.31.
l Iosue 2.
m Ezech.16.15.
n 3.Reg 3.16.
o c.17.4.c.18.3.
p Philip.3.19.
q Num.25.1.
r 2.Cor.11.2.
s Apoc.14.4.

Iudæos. Habeo consentientem Riberam [a], qui docet, & vere, πόρνην, qua item Rahab voce appellat Iacobus [b], illam vim propriè habere. Valde me mouet Interpres, dum *meretricem* vsurpat, quæ vox non alium habet vsum. Hieronymus [c] item, Ambrosius [d], Augustinus [e], & omnes passim asserunt, Rahab impudicam fœminam & peccatricem fuisse. Eadem opinio Maldonati [f], Barradij [g], Salmeronis [h], & Feuardentij [i], qui comprobat ex Thalmudicis.

Legi postea, recognoscens semel edita, consentientem circa verum meretricium Rahab, & illarum, de quibus iudicauit Salomon, Pinedam [k] nostrum. Idipsum iudicant in Commentario Iosue de nostris quoque Serarius & Magalianus, & magnis argumentis euincunt. Eadem Interpretum ferè omnium ibidem mens, & aliorum, quoties de eadem Rahab mentio incidit apud Matthæum [l], Paulum [m], Iacobum [n], vt apud Paulum Iustiniani nostri. Ita præterea docent de matre Iephte, ac nominatim citatus Serarius, enarrans librum Iudicum [o], vbi vocatur filius meretricis.

Porrò idololatriæ cum fornicatione analogiā & conuenientiā affert, quem dixi Pineda [p], quam ipsimet satis hîc ante ipsum attigimus: quia descritur per idololatriā veluti sponsus animæ Deus: quia cauponaria meretriciæ arti similis, fana verò subterraneæ quasi popinæ plerumque erant: quia בעל *bahhal* mariti nomen est, ac domini, atque *subiugare* ipsum verbum valet; ita vt qui se idolo deuouebat, quod eo nomine genericè vocabatur, censeretur tanquam meretrix & fornicaria illius respectu: quia constabat certis quibusdam ceremoniis nuptialibus idololatria: quia, quod maximè hoc loco innuitur, ad omnem obscœnitatem huiuscemodi ceremoniæ impellerent, traditis iusto Dei iudicio idololatris in passiones ignominiæ.

Exquisitio idolorum.] Græcè (ἐπίνοια εἰδώλων, *excogitatio idolorum.*) Lyranus fabricationem: Hugo exhibitionem cultus diuini: Carthusianus interpretatur excogitationem, procurationem, formationem. Est ἐπίνοια propriè *excogitatio*, idem ferè significans quod εὕρεσις, *adinuentio.*

Corruptio est vitæ.] Græcè (φθορά.) Et Paulus primo capite Epistolæ ad Romanos, & tam multi Patres de corruptissimis disserunt moribus idololatrarum, ipsisque illorum scriptis omnis generis adeò multa continentur, vt vel indicare superuacaneum videatur. In hos præterea quadrant eiusdem Apostoli verba [q], *desperantes* (sine spe ac fide) *tradiderunt semetipsos impudicitiæ, ad operationem omnis immunditiæ.* Corrumpit idololatria vitam animæ spiritualem & naturalem; meretúrque corruptionem ac interitum sempiternum, siue mortem secundam, æternáque supplicia, vermem immortalem, ignem inextinguibilem, vt explicat Cantacuzenus. At corruptio præcipuè significat ea vitia, quæ magis abhorrent ab humana natura, eámque deteriùs peruertunt, & quodam modo corrumpūt; qualia in primis quæ carnis proprio nomine peccata nominātur, per quæ dissoluitur præclara illa naturæ quasi compositio & lex, secundùm quam carni copulatus rationalis animus continere carnem debet, ac frenare. Idcirco immisit diluuium Deus, quia *corrupta erat terra coram Deo* [s], תשחת *thischacheth*, ἐφθάρη, & vidit terram esse corruptam, & quòd *omnis caro corruperat viam suam super terram* [t]. Hanc appellat Moses [u] multam malitiam, & cunctam cogitationem cordis intentam ad malum, & iniquitatem. [Ideo nulla venia digni erant, ait Ambrosius [a], veluti declarans rationem corruptionis, quòd cùm haberent mentem rationis capacem, virtutémque animæ infusam corpori, sine consideratione vlla in lapsum ruerunt, ex quo reuocare se nollent.] Eandem vim habet *corrumpendi* verbum, & *corrupti* participium; & *corruptionis* item nomen pro sepulchro ponitur non infrequenter [b], qui omnis spurcitię locus est, résque corruptas continet, vt notauimus in Actibus Apostolorum [c]. *Dixit* [d] *insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Sub* [e] *arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Vera* [f] *& iusta iudicia sunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua.*

Vers. 13.] Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum.

HInc ostenditur idololatriam hominum esse inuentum, non institutionem naturæ, vel eius auctoris Dei; quoniam id, quod hominem diuellit à Deo, & hominis corrumpit naturam, nec Deo congruit, nec est consentaneum naturæ.

Neque enim erant ab initio.] Hoc est, ante diluuium, ob recentem adhuc memoriam creationis.

Neque erunt in perpetuum.] Prædictionem Cantacuzenus interpretatur idolorum delendorum, & exterminādæ funditus idololatriæ. Larini rem iam impletam affirmant, saltem maiore ex parte; sed non vndequaque, cùm, vt ait Carthusianus, Gulielmum citans Parisiensem, vigeat adhuc alicubi cultus idolorum. Hoc docet ipse in libro de legibus [g], & nos nostra experti sumus ætate.

Vers. 14.] Superuacuitas enim hominum hæc aduenit in orbem terrarum: & ideo breuis illorum finis est inuentus.

EXponitur idololatriæ origo prima ambitio fuisse, ac inanis gloriæ cupiditas; cui tamen morbo, insaniæque celer è vita discessus occurrerit. Cantacuzenus addens de suo, aut in nescio quo legens codice, nomen θανάτου, id est, *mortis*; & recitans hoc modo locū istum (*hominum enim inanis gloriæ cupiditate ingressa est mors in orbem terrarum; & propterea breuis eorum finis est inuentus*) ait hanc esse veluti præparationem & ingressum in sequentem disputationem. Non aliunde nobis mors aduenit, quàm ab hominibus, qui initio sunt à Deo procreati, cùm inimici deliniti pollicitationibus quòd essent futuri Dij [h], & ab huiusmodi inanis gloriæ cupiditate distracti, morte damnati sunt. Sed proinde breuis eorum finis inuentus est, ne malum fieret immortale. Non video quid ad rem conferat hæc expositio, vel quo pacto hæreat cum præcedentibus & consequentibus, cùm primorum parentum peccatum non fuerit idololatria, propriè loquendo, quidquid contrà sentiat auctor quæstionum veteris, & noui Testamenti [i], vulgò habitus Augustinus, nec dum viuerent ipsi, cœperit idololatria, sicut antè diximus; & æquè peccatorum aliorum ab illo primo peccato processerit origo, & quodlibet mortale peccatum communi quadam ratione vocari possit idololatria. Quare non est cur hæc

nunc

a Hebr. 11. n. 81.
b c. 2. 25.
c ep. ad Pammach. quæ est proœ. Proph.
d 3. de virg.
e q. 1. in Iosue.
f Matth. 1. 5.
g lib. 3. harmon. c. 8.
h tom. 3. tract. 26.
i Iacob. 2.
k 6. de reb. Salom. c. 13. n. 5. & 6.
l c. 1. 5.
m Hebr. 11. 31.
n c. 2. 25.
o c. 11. 1.
p 7. de reb. Salom. c. 8. n. 5. & seq.
q Rom. 1. 26.
r Eph. 4. 17.
s Gen. 6. 11.
t ibid. 12.
u ibid. 5. 13.
a de arca & Noe c. 4.
b Psal. 15. 10. Psal. 29. 10. Iob 33. 24.
c c. 2. 27.
d Psal. 13. 1. Psal. 52. 2.
e Cant. 8. 5.
f Apoc. 19. 2.
g c. 7. & 23.
h Gen. 3. 5.
i q. 81.

A nunc futuræ disputationi isagoge præmittatur.

Is, quem dixi, sensus expressus est ab Osorio in paraphrasi, & satis indicatus à Clario, & Vatablo in suis versionibus; nec alius elici videtur posse ex textu Græco (κενοδοξίᾳ γὰρ ἀνθρώπων εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον.) Vbi primum nomen habet in emendatis libris iota subscriptum, & significat, quòd per vanam gloriam ingressa est in mundum fornicatio, hoc est, idololatria, de qua proximè præcessit mentio. Complutenses, Regij, & alij libri habent (κενοδοξία) absque iota subscripto, & in casu nominatiuo, quasi fornicatio illa per appositionem appelletur vana gloria, & ingressa dicatur in mundum per inuentionem & excogitationem hominum, vt priore continebatur versu, quos B homines ad tale inuentum vana gloria, superbia, ambitio impulerit. Ambrosius [a] existimat diabolum Euam inducere voluisse ad idololatriam, iniiciendo plurium Deorum opinionem, cùm dixit (*eritis sicut Dij* [b]:) & Iustinus [c] ait protoparentes de Paradiso eiectos, quòd Deos crederent, qui non essent, Deorúmque nomen posteris tradidisse. Simile quiddam est apud Clementem [d] Romanum, Theophilum [e] Antiochenum, Epiphánium [f]. At non est verisimile adeò crassum errorem initio propositum esse: & nomen Hebræum *Elohim*, tametsi numeri pluralis, ponitur pro vno & vero Deo: vel denotat plures personas, vt in il- C lis ipsius Dei verbis; *ecce* [g] *Adam quasi vnus ex nobis factus est*: & in Genesis exordio habetur eadem vox *Elohim* (*in principio creauit Deus.*) Nec magis loquuntur propriè, qui ad Luciferi, aliorúmque Angelorum peccatum reuocant idololatriam.

[a lib. de paradiso. c. 13.]
[b Gen. 3. 5.]
[c parę. ad Gentes.]
[d 2. recognit.]
[e 2. ad Autolyc.]
[f hæres. 37.]
[g Gen. 3. 22.]

Cœpit ergo, vt noster præ se fert Auctor, ab ambitione & gloriæ studio idololatria. Non aliud Lactantius [h] eius principium facit. Docet, cùm primùm maiore iam homines numero, magisque ciuiliter viuentes, Regem sibi constituissent, eum summis laudibus, ac nouis honoribus iactare cœpisse, vt etiam Deum appellarent, siue ob miraculum virtutis (quod verè putabant rudes adhuc D & simplices:) siue (vt fieri solet) in adulationem præsentis potentiæ: siue ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compositi. Subdit postea, quo pacto deinceps propagatus mortuorum apud posteros cultus fuerit; qua de re versu sequenti. Nunc idololatriam vniuersè consideramus, etiam sine statuis ac imaginibus, signis, & simulachris, de quibus ibi mentio est. Nam pridem cum Tertulliano vidimus vetustiorem idololatriam talibus rebus caruisse. Circa originem idololatriæ Castro noster in istius loci commentario, qui aliquot post meum annis prodiit, ordine recenset opiniones de voce illa subdoli serpentis, qua primi parentes decepti, de lapsi sint in idololatriam: de E tempore Enos, qui, quòd nata iam esset idololatria, cœpisse dicatur inuocare nomen Domini [i]: de ætate Enoch septimi ab Adam, in cuius libro reprehensio est idololatriæ [k]: de spatio à diluuio vsque ad Sarug proauum Abrahæ per 193. annos: de diebus Sarug vsque ad Abraham, per delineatas primùm coloratásque imagines; tum operâ Thare patris Abraham: etiam per statuas ex creta, mox ex lapide, ligno, metallis; quo ipso seculo Ninus Rex patrem Belum retulerit in Deum, qui vocabatur Saturnus, aut Iupiter à Gentilibus.

[h lib. 1. c. 15.]
[i Gene. 4. 26.]
[k apud Tertull. lib. de idololat. c. 4. & 15.]

Superuacuitas.] Græcè (κενοδοξία.) Lyranus explicat Latinam vocem defectum sapientiæ: Hugo otium, vel vanitatem: Bonauentura & Olcot [l]

[l lect. 162.]

A otium: Carthusianus vanitatem, & defectum veræ sapientiæ. In capite 11. [a] erant ἄυτελῆ, *superuacua*: & capite 12. [b] ἄτιμα, *vilis pretij*: & capite 15. [c] κίβδηλα, *adulterina*. & εὐτελεστέρα [d], *vilior*: & capite 16. [e] ἄχρηστον, *inutile*: & in Ecclesiastico [f] περισσὰ, *superflua*. In Psalmis pro aduerbio *superuacuè* est διακενῆς [g], & μάτην [h], *frustra, inaniter*. Itaque negari non potest paulo obscuriùs Interpretem vertisse, ita vt necessariò supplere aliquid debeamus. Nil autem melius, quàm quod Græca vox importat, vt nempe sit superuacuitas gloriæ, quæ vana quoque ac inanis nominari solet ab ipsomet Interprete [i].

[a vers. 16.]
[b vers. 14.]
[c vers. 9.]
[d vers. 10.]
[e vers. 29.]
[f c. 3. 24.]
[g Psal. 24. 3. Psal. 30. 7.]
[h Psal. 77.]
[i Gal. 5. 26. Philip. 2. 3.]

Hæc aduenit in orbem terrarum.] Complutenses B libri ac Regij (*nec adinuenit*, &c.) alij (*hæc adinuenit*) nonnulli (*hoc adinuenit in orbe*, &c.) Modicè variant sensum hæ lectiones, excepta prima, cui superuacuum indico velle commodum assignare. Interpres adiunxit pronomen demonstratiuum (*hæc*) ad expressionem idololatriæ, quæ de superuacuitate prouenit, hoc est, de superuacua, vana, inani gloria. Ambitio quidem, & honoris diuini appetitio immodica idololatriã inuexit in mundum: attamen inuidiam diaboli, & odium, quo Deum, hominésque prosequitur, Tertullianus primam illius causam extitisse meritò docet libro de idololatria.

Et ideo breuis illorum finis est inuentus.] Expositio C communior est de breui idolorum interitu, qui Philonis ætate, inquit Carthusianus, hoc est, dum adhuc viueret Petrus Apostolus, iam inceperat. Philonem illum non esse libri huius auctorem, in Præfatione ostendi [k]. Hugo præterea sumit de idololatrarum interitu. Diu sanè stetit idololatria; tamen breue ad æternitatem omne spatium: & non solùm apud Hebræos idololatriæ professio non erat, sed Religio Christiana prorsus eam respuit. Nec refert præteritum tempus; hoc enim ad prædictionis certitudinem Prophetæ solent vti, quorum intelligentiæ præsentia sunt quæ nondum euenerũt. Sed emphasis est in Græco ἐπενοήθη, *excogitatum est*. Etenim simul hæc quasi D ἐπίνοια opposita videtur illi, de qua in versu 12. vbi Latinè etiam dicta est inuentio: simul indicat quàm apta excogitauerit quodammodo Deus, ac destinauerit malis remedia. Sed alium mihi videor videre sensum; vt quoniam superuacua hominum ambitione intrauerunt idola in orbem terrarum, hócque ipsis inuentum ambitio vanáque gloria suggessit, hoc veluti stimulo concitatis, nec maturo vsis super re tanta consilio, breuis propterea illorum finis, hoc est, consummatio atque perfectio deliberata, decretáque fuerit. Ætiologia igitur respicit inuentionem idolorum suggestam à superbia, vt vel ideo citò superbi ea confecerint; vel citò idola perierint, quia merum E erat humanum inuentum. Tandem significatur, quòd vix enata idololatria obstiterit ei Deus per verum sui cultum, religionémque in familia potissimùm Abrahæ, ac deinceps in posteris; tum verò etiam per legem latam & datam Hebræis.

[k c. 2.]

Sixtiana Latina ex L x x. versio habet (*superuacua enim ambitione hominum intrauerunt in orbem terrarum: & ideo breuis illorum finis est deliberatus:*) Isidori Clarij (*inani enim hominum gloria intrauit* (fornicatio idololatriæ) *in orbem terrarum; & ideo breuis illorum finis est inuentus:*) Vatabli (*neque enim erant ab initio* (idola) *neque in æternum manebunt: quippe hominum ambitione in mundum introducta sunt; & ideo celer interitus est ipsis destinatus.*) Emmanuelẽ

Sà

Sà postea deprehendi tradere sensum, quem vltimo loco attuli. Vanam gloriam explicat superuacuitatem: breuem finem inuentum idolorum, quia breuiter sunt excogitata & facta, scilicet adiuuante ambitione.

Vers. 15.] Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem; & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia.

SI cui non placet, vt idolorum inuentio fuerit ex superbia & ambitione, honoréque beneficis exhibito, vt antè diximus cum Lactantio, erit hoc dicendum primum eorum principium, quod versu isto continetur. Quamquam non ita præcisè hoc omnino primum idololatriæ hic esse dicitur exordium, sed forsan magis tritum & celebre. Robertus Olcot [a], cùm alij [b] repetat idololatriæ originem à Syrophane Ægyptio, qui posuerit filij simulachrum: alij [c] de Nino Rege Assyriorum asserant, qui patris Beli mortui fecerit imaginem; in concordiam reuocat vtramque sententiam, vt diuersis in regionibus diuersos idololatria habuerit inuentores; Auctor autem de Ægyptiorum loquatur idololatria.

a lect. 163.
b vt Fulgentius 1 myth.
c vt Magist. histo. Schol. in Genes.

Multa de hac tota re Isidorus [d] præter cæteros, atque Gulielmus [e] Parisiensis. Hic mihi tamen falli videtur in eo, quòd Belum filio suo idolum dicit fecisse, vel Belo ipsi factum esse: hoc namque secundum constâter omnes tradunt, hoc est, Ninum patrem filio Belo defuncto idolum constituisse in Babylonia; quamuis aliis [f] placeat Belum eundem fuisse qui dictus est Arbelus & Nemrod, & Nini patrem. Epiphanius [g] à Thare, qui primus in Cappadocia filij sui Aram priùs defuncti imaginem fieri iusserit, originem deducit idololatriæ. Hoc ad rem præsentem facit; nō autem quis omnino primus auctor extiterit, sicut antè monui. Nam Hebræos testis est Isidorus [h] primum asserere idoli fictorem Ismaël; quin & idolo nomen Ismaël fuisse: Gentiles Cecropi, aut Prometheo id ascribere. Tertullianum quoque priùs retuli tradentem quòd ante diluuium idola coli cœperint. Fortassis meminit scriptor nostri libri de antiquiore idololatria, quàm fuerit Nini tempore, qui filio Belo erexit idolum publicè. Conueniunt autem omnes defunctorum memoriam dedisse simulachris occasionem primam; quod præter citatos prodit Egesippus [i], Eusebius [k], Cyrillus [l], Chrysostomus [m], Hieronymus [n], Ambrosius [o], Cyprianus [p], Augustinus [q]. Illud quoque certum, plurima idola variè flexis vocibus a Belo tanquam à primo denominata: & Theodoretus [r], aliique Enarratores, necnon Seruius [s], volunt *Bal*, aut *Baal* esse communne idoli nomen. Legendus Ribera [t].

d 8. etymolo. c. 11.
e de legib. c. 23.
f Perer. lib. 15. in Genes. disp. 3. & 4.
g in princ. Panarij.
h 8. etymol. c. 11.

Acerbo luctu.] Græcè (ἀώρῳ πένθει, *intempestiuo luctu*) ob immaturam scilicet filij mortem. Acerbus fructus, qui immaturus. In cap. 10. [u] incerto tempore fructus habentes arbores Græcè dicuntur ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά.

Dolens pater.] Græcè (τρυχόμενος, *attritus, emaciatus, absumptus, exhaustus, confectus,* &c.) Huc allusit Fulgentius in mythologia [x], cùm scribit, doloris angustiam, qua Syrophanes ob filij mortem pressus est, atque tristitiam fuisse in causa, cur simulachrum faceret, quod εἴδωλον vocatum est; quod nos, inquit, Latinè *species doloris* dicimus. Fauet Hebræa vox און *auen*, quæ *dolorem*, ac *idolum* significat. De immodico nostrorum mortuorum luctu Olcot hoc loco [a]; nos in Act. Apostolorum [b].

i apud Hieronym. lib. de viris illustr.
k in chron.
l 3 cont. Iulian.
m hom. 87. in Matth.
n in c. 1 Epist. ad Rom.
o ibid
p de idolorū vanit.
q 22. contra Faustum. c. 17.
r in c. 32. Ierem.
s in 1 Aeneid.
t in c. 2. Osee n. 60. & seq.
u vers. 7.
x c 1.

a supra.
b c 8. 2.

Citò sibi rapti filij fecit imaginem.] Vel (*citò*) refertur ad (*fecit*) qui breuis finis præcedente proximo versu à nonnullis intelligebatur: vel ad (*rapti filij*) nimirum præmaturam mortem, propter quam vocabatur paulo ante ἄωρον πένθος. Hoc secundum probabilius, atque ab Expositoribus & à Fulgentio magis approbatum. Fulgentius autem, licet non meminerit præsentis loci, simulachrum tradit in ædibus priuatis institutum ad aliquod tristitiæ solatium remediúmque.

Qui tunc quasi homo mortuus fuerat.] Non est Græcè (*quasi*) & non similitudinem, sed rei significat veritatem, vt alibi non rarò.

Tanquam Deum colere cœpit.] Et filium pater, & viuus mortuum: quæ duo idololatriæ vanitatem & absurditatem coarguunt. B. Virgo filium pro vero Deo colens, decepta non est. Olympias Alexandrum filium, ne se Iouis Ammonis mendaciter filium prædicaret, prudenter cohibuit & festiuè, petens ne seipsam criminaretur aduersùs Iunonem, cùm ipse illam literis suis pellicem Iouis esse confiteretur [c].

c Gell. lib. 13 c. 4.

Constituit inter seruos sacra & sacrificia.] Græcè (παρέδωκε τοῖς ὑποχειρίοις μυστήρια καὶ τελετάς, *tradidit subditis mysteria & sacrificia*) quo die filius mortuus, vel etiam quo natus est, inquit Cantacuzenus. Incensum, & oblationes, ac victimas Hugo: Bonauentura inter sacra laudes præter incensum: Carthusianus festa etiam, templa, altaria, varios culturæ ritus intelligit. Verisimile quod ait idem Fulgentius, vniuersam familiam in Domini adulationem aut coronas plectere, aut flores inferre, aut odoramenta simulachro succendere consueuisse. Quod sponte ac ad aucupandā Domini gratiam offerebatur, ille, vt fit, postea tanquam debitum exegit: ac, vt mox subiicitur, lex de hoc publicè lata est.

Confirmari porrò idem hoc potest Ciceronis sententia & exemplo, de quo Lactantius [d]. Is filiæ defunctæ diuinos detulit honores, suū illum, vt ille ait, luctum mitigando, & approbando alienis exemplis, atque auctoritate. Affirmat idem Lactantius [e], qui totos dies precarentur, & immolarent, vt sui liberi superstites essent, superstitiosos esse appellatos: sed meliùs id nomen dici vel de iis qui superstitem memoriam defunctorum colerent: vel qui parentibus suis superstites, colerent imagines eorum domi [f], tanquam Deos penates; cùm religiosi viderentur, qui antiquos & publicos, iuxta illud;

Vana [g] *superstitio, veterúmque ignara Deorum.*

Alij aliam superstitionis notionem dant, vt timoris superflui & deliri: vt anicularum diu superstitum, & per ætatem delirantium [h]: vt superflui item timoris superstantium, id est, cœlestium ac diuinarum, quæ super nos stant, rerum [i]: vt religionis cuiusuis superfluæ, & quasi superstatutæ [k]: vt quòd superstitiosi præ cultura Deorum cætera supersedeant, id est, negligant [l].

d lib. 1. instit c. 15.
e lib. 4. c. 28.
f Cicer. 2. de natu. Deor.
g Virg 8. Aeneid.
h Seruius ibid. & Donatus in And. Terentij.
i Lucret. lib.
k Isido. 8. etymol. c. 3.
l Nonius.

Vers. 16.] Deinde interueniente tempore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.

Quæ

QVæ domi primùm ac priuatim cœpit, foras deinde atque in publicum prodiit idololatria, fexque velut domestica & particularis, communis euasit & publica; quódque initio inanis obtinuit gloria & ambitio, postmodum tyrannica extorsit potentia.

Iniqua consuetudine.] Multi alij codices (*antiqua*) sed malè; est enim Græcè τὸ ἀσεβὲς ἔθος, *impia consuetudo.* Impiæ ac iniquæ consuetudini nulla fauet præscriptio, aut longitudo temporis.

Hic error.] Addita sunt ista ab Interprete. Græcè ipsamet consuetudo conualescens dicitur, vt lex seruata, κρατηθὲν τὸ ἀσεβὲς ἔθος ὡς νόμος ἐφυλάχθη.

Tyrannorum imperio.] Græcè (τυράννων ἐπιταγαῖς, *Tyrannorum imperiis, edictis, ordinationibus.*) Odiosum Tyrannorum nomen talia edentibus imperia tribuitur: licèt alioqui sit ἀδιάφορον, vt aliàs dixi [a]; nec in deteriore notione vsurparetur nisi de illis qui subditos iniquè vexabant, vel subigebant. Si libri huius recentior scriptor esset, proferri possent Regum ac Imperatorum exempla sacrilega, qui suis decreuerint, imò sibimetipsis honores diuinos. Nota Nabuchodonosor impia statua [b].

a c. 12. 14. Act. 19. 9.

b Dan. 3.

Colebantur figmenta.] Pro *figmentis* sunt γλυπτὰ, *sculpta*: sed mutuum sibi verba hæc vsum accommodant. Quamquam plastices ars in faciendis idolis prima, vt pridem diximus cum Tertulliano, fuit, proditúmque legimus à Plinio [c], Athenagora [d], Epiphanio [e]. Græcum verbũ ἐθρησκεύετο superstitionem inuoluit, teste Plutarcho [f], cùm de Samothraciæ, seu Thraciæ loquens deditissimis superstitioni mulieribus, ab illis, ait, δοκεῖ καὶ τὸ θρησκεύειν ὄνομα ταῖς κατακόρως καὶ περιέργοις ἱερουργίαις. Eadem aliorum opinio, etiam Nazianzeni [g]. Sed interdum θρῆσκον *religiosum* Interpres [h] reddit: pro superstitione autem potiùs accipitur ἐθελοθρησκεία, vti etiam fecit Interpres [i]; qui præterea θρησκείαν τῶν Ἀγγέλων vertit *religionem Angelorum* [k]; quæ sine dubio mala est, quemadmodum & fictè religiosus is, de quo Iacobus primo loco: licèt quam describit religionem mundam & veram, θρησκεία nominetur.

c lib. 34. c. 7. lib. 35. c. 12.
d apolog pro Christ.
e cont. hæres. sub princ.
f in Alexand.
g 3. cont. Iulianum.
h Iacob. 1. 26.
i Coloss. 2. 23.
k ibid. 18.

Vers. 17.] Et hos quos in palàm homines honorare non poterant, propter hoc quòd longè essent, è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt: vt illum qui aberat, tanquam præsentem colerent sua sollicitudine.

HÆc veluti secũda causa idololatriæ, & confingendarum imaginum, vt qui aberãt suismet exhiberentur præsentes imaginibus, atque in istis colerentur. Caius quidem Cæsar, vt Iosephus [l] prodit, suam per Imperium Romanũ imaginem misit, vt adoraretur. Sed non quid ij qui sic adorari vellent, fecerint, nunc scribitur, verùm quid illi qui adorare absentes volebãt. Core Corinthia, vt memorant citati Plinius [m] & Athenagoras [n], quæ prima plasticen fertur inuenisse, quã Coreplasticen idcirco vocant, cuiusdã viri amore cùm teneretur, illo abeunte peregrè, vmbram ex facie ipsius ad lucernam lineis conscripsit in pariete, iis autem pater eiusdem Dibutades Sicyonius impressa argilla typum fecit, cùmque

l 18 Antiq. c. 11. vel 15. & lib. 2. de bello. c. 9.
m lib. 35 c. 12.
n apolog. pro Christ.

A cæteris fictilibus induratum igni proposuit. Est præterea hîc quidem sermo de absentibus loco, non morte: at constat quoque, cùm, vt scribit Lactantius [a], ipsi Reges chari fuissent iis, quibus vitam composuerant, ac magnum sui desiderium mortui reliquissent, homines eorum simulachra finxisse, vt haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium, progressósque longiùs per amorem meriti, memoriam defunctorum colere cœpisse, vt & gratiam referre benemeritis viderentur, & successores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatem. Affert ad id M. Tullij testimonium.

a lib. 1. c. 15.

In palàm.] Græcè (ἐν ὄψει, *in conspectu, coràm, præsentes.*)

B *Propter hoc quòd longè essent.*] Remoto in loco, absentes, quamuis adhuc viui.

E longinquo figura eorum allata.] Græcè (τὴν πόρρωθεν ὄψιν ἀνατυπωσάμενοι, *è longè conspectum*, id est, *effigiem, figurantes*) nempe curantes exprimi similitudinem absentis ac longè dissitæ personæ.

Euidentem imaginem Regis, quem honorare volebant, fecerunt.] Græcè (ἐμφανῆ εἰκόνα τοῦ τιμωμένου βασιλέως ἐποίησαν, *manifestam, & ad viuum expressam imaginem honorati Regis*, quem iam scilicet honorabant absentem, & honorandum censebant, *fecerunt.*)

Vt illum qui aberat, tanquam præsentem colerent sua sollicitudine.] Græcè (ἵνα τὸν ἀπόντα ὡς παρόντα κολακεύωσι διὰ τῆς σπουδῆς, *vt absentem tanquam præsentem adularentur studiosè.*) Vnam Lactantium [b] dedisse causam idololatriæ retulimus adulationem præsentis potentiæ. Sollicitudo, studiúmque C declarabant, qui absentium superstitum imagines sibi comparabant, & qui fortassis obsequia imaginibus humiliora exhibebant, perinde ac si prototypos præsentes haberent. Mulierculas constat appellatas κολακίδας, quæ Reginis currum ascendentibus, vel de curru descendentibus loco scalæ dorsum subiiciebant; vnde etiam cognominabantur κλιμακίδες [c], quasi *scalariæ*. Sanxerunt Arcadius & Honorius [d], vt si quis Iudicum statuas extra Imperiale beneficium, id est, sine licentia Principis, accepisset, quadruplum fisco inferret, & existimationis suæ pœnam, id est, infamiam subiret: D & plecterentur quoque qui adulandi studio illud admitterent.

b supra.

c Athen. lib. 6. Plutar. opusc. de discern. adulato. ab amico.
d C. lib. 1. tit. 24. l. 1.

Vers. 18.] Prouexit autem ad horum culturam, & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia.

Vers. 19.] Ille enim volens placere illi, qui se assumpsit, elaborauit arte sua, vt similitudinem in melius figuraret.

E *Vers.* 20.] Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æstimauerunt.

TErtia, quæ idololatriæ incrementum dedit causa, reiicitur in pingendi peritiam artificiúmque, præsertim apud imperitos. Nam cùm pictor maximè cupiens placere illi, cuius exprimebat similitudinem, hanc niteretur ad summam pulchritudinem reuocare, factum est, vt commota multitudo operis elegantia atque venustate,

quem

quem probè sciebat humanis antea duntaxat honoribus affectum, sibi statueret vt numen cœleste, diuinis colendum. Vis est profectò picturæ permagna in vtramque partem, vt docere possum testimonio multiplici tum sacro, tum profano. Athanasius [a] porrò vrget præcipuè hunc ipsum locum, ac testis est, suo quoque tempore, non solùm prisco, vbi amisissent aliqui charissimos fratres, cognatos, vxores, vel hæ viros, ob ingentem luctum desideriúmque fictis depictísque figuris illos expressos inter numina dedicauisse: posteros deinde admiratos elegantiã artificiúmque operis, eosdem pro Diis habuisse. Legatur Rhodiginus [b] de statuariæ ac picturæ encomio. Hac faciunt quoque opifices, qui populum concitauerunt in Paulum, quòd eorum quæstum impediret [c].

a orat. cont. idola.
b lib.29.c.24.
c Actuum 19. 25.

Prouexit ad horum culturam & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia] Græcè (εἰς ἐπίτασιν δὲ θρησκείας καὶ τοὺς ἀγνοοῦντας ἡ τοῦ τεχνίτου προετρέψατο φιλοτιμία, *in extensionem autem cultus & ignorantes artificis adhortata est ambitio, seu honoris, nimirum ex arte, amor.*) Vertit Interpres φιλοτιμίαν *eximiam diligentiam*, quòd hanc suscipiat qui sibi honorem comparare valdè studet. Vatablus exponit affectatam diligentiam. Et significat interdum æmulam virtutem φιλοτιμία, liuidam æmulationem, contentionem acriorem eius qui obnixè nititur honorem ac laudem ex re quapiam consequi. Docet id Budæus [d]; necnon de simili voce τοῦ φιλοτιμήματος.

d commeat. linguæ Græc. pag.851.

Ille enim volens placere illi qui se assumpsit.] Græcè (ὁ μὲν γὰρ τάχα τῷ κρατοῦντι βουλόμενος ἀρέσαι.) Græcè τάχα significat *fortè*: verùm nónunquam abundat, nec propriũ dubitationis habet vsum. Pro, *illi qui se assumpsit*, est τῷ κρατοῦντι, quod imperantem seu dominantem denotat quidem: sed etiam eum qui quempiam quodammodo corripit, & capit seu suum facit; quod, loquendo de artificibus, fit per conductionem. Priore modo, quem sequũtur Vatablus, Iansenius, Osorius, sensus esset, artificem voluisse placere Principi: posteriore, illi cui suam operam locauerat. Meritò hic placuit sensus Interpreti, quoniam agebatur de illis, qui absentium Principum sibi procurabant imagines, vt liquet ex versu 17. Nec approbo, vt de Principe, licèt alio modo, interpretemur cum Olcot [e], Lyrano, Hugone, Carthus. qui conduxerit artificem, à quo ipsius optimè imago exprimeretur. Sed, vt Hugo, Bonauentura, & Sà indicant, intelligũtur ij qui quàm pulcherrimam sibi ab artifice procurant Principis imaginem. Igitur placere τῷ κρατοῦντι, est placere illi cuius operas alius conduxit ac veluti prehendit, & hac ratione dominus eius dici potest.

e lect.165.

Elaborauit arte sua.] Græcè (ἐξεβιάσατο τῇ τέχνῃ, *vi quadam per artem effecit, expressit, toto ac ferè supra vires conatu elaborauit*:) vulgò (*ha fatto vn sforzo, il a faict son effort.*)

In melius.] Græcè (ἐπὶ τὸ κάλλιον, *in pulchrius, quàm pulcherrimè, maximè ad viuum.*) Non est ad rem vt dicatur, meliorem ac pulchriorem facere voluisse imaginem, quàm is esset quem exprimebat; sed fortassis quàm vllus alius eiusdem artis opifex.

Multitudo hominum abducta.] Græcè (πλῆθος ἐφελκόμενον, *multitudo attracta, illecta.*) Alij (*adducta*) quod magis probat Iansenius. Sed adductus aliquò abducitur aliunde; & maior quædam vis obiecti indicatur verbo *abducendi*.

A *Per speciem operis.*] Græcè (διὰ τὸ εὔχαρι τῆς ἐργασίας, *per gratiam & venustatem.*) Nuper meminimus simulachri in Gnido, cuius inhonestus innennis turpi captus est amore. Is qui hoc refert Plinius [a], narrat quoque [b] ad vuas à Zeuxide pictas aues, puerúmque aduolasse: Parasium linteum tãta veritate repræsentasse, vt Zeuxis flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam [c]: denique præclara huius generis alia opera recenset, vt equũ, cui animati adhinnirent equi [d]. Scribit præterea Apellis præcipuam in arte venustatem fuisse, solitúmque dicere, collaudatis aliis, deesse illis tamen vnam illam Venerem, quam Græci Charita vocant: nocere item sæpe nimiam diligentiam. Hanc

a lib.36.c.5.
b lib.35.c.10.
c Idem ibid.
d lege etiam Valer. Max. lib.8. c.11. & Aelianum 2. var.histor.c.3.

B Auctor vocauit versu 18. φιλοτιμίαν, Interpres eximiam diligentiam.

Ante tempus.] Græcè (πρὸ ὀλίγου, scilicet χρόνου, *paulo antè, ante paruum tempus, nuper*, &c.) Non est autem sensus, qui paruo tempore honoratus fuerat vt homo; potuit namque multo.

Deum æstimauerunt.] Græcè (σέβασμα ἐλογίσαντο, *culturam, rem coli dignum, numen.*) Quæ Paulus [e] in concione ad Athenienses appellat τὰ σεβάσματα, Interpres reddit *simulachra*. De Antichristo etiam scribit [f], quòd *aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*, ἢ σέβασμα.

e Act. 17. 23.
f 2.Thess.2.4.

C *Vers.* 21.] Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut Regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.

EPilogus priorum hic est allatarum idololatriæ præcipuarum causarum, nempe excogitatam vt vel seruiret quis affectui doloris priuato, vel tyrannidi. Amor ac timor errandi occasionem præbuerunt. Lege glossam in Psalmum 79.[g]

g in id: incensa igni, & suffossa.

Et hæc fuit humanæ vitæ deceptio.] Græcè (καὶ τοῦτο ἐγένετο τῷ βίῳ εἰς ἔνεδρον, *& hoc fuit vita in insidias, siue insidiosum: fuit ad perniciem & euersionem vitæ, lubricum ac pestiferum: ad imperitos ficta specie Religionis decipiendos insidiosum: ad gignenda plura alia vitia in*
D *conuictu humano periculosum.*) Significat τὸ ἔνεδρον *insidias*, sicut & ἡ ἐνέδρα, & insidiari ἐνεδρεύειν, vt etiam vertere solet Interpres [h]. Suspicari licet hoc loco allusisse ad τὸ πάρεδρον, quæ dicitur virtus dæmoniaca, qualem Simon, & similes Magi habuerunt, vt ex Eusebio notat Rhodiginus [i]. Et quidam solent mali spiritus nominari paredrij, quasi dicas assessores, vel accessores, atque familiares. De eodẽ Simonis paredrio, seu paredro Clemẽs Romanus [k] meminit, vt & de Cynopis Procorus [l], de Thasij Arist. [m] de Socratis Maximus [n] Tyrius, de alterius cuiusdam Cæsarius [o],
E de aliorum alij. Fortassis ergo insinuare Auctor voluit deceptionem ortam ex insidiis dæmonum, qui se ipsi insinuabant, ac veluti mortalibus assidebant, & positas imagines inibant.

h Luc.11.54. Act.23.21.c. 25.3.
i lib.3.c.13.
k 2.recog.
l in Ioanne Apost.
m de admir. audit.
n serm.26. & 27.
o lib.5.c.36.

Affectui.] Græcè (συμφορᾷ, *calamitati, infortunio*) id est, affectui, qui ex calamitate ac infortunio amissi filij, vt versu 15. dictum est, vbi appellatur acerbus dolor, exortus est.

Regibus.] Græcè (τυραννίδι, *tyrannidi, siue dominio & potestati Regum*:) etiam si hi alioqui non iniustè dominarentur.

Seruientes.] Græcè (δουλώσαντες.) Minùs rectè Vatablus (*aut infortunio, aut tyrannide, siue oppressione in*

seruituem redacti.) Eandem interpretationem secutus est Osorius. Actiuum participium hîc est, non passiuum. Et licèt omnis perturbatio, vel amoris, vel timoris, &c. redigat animum quodammodo in seruitutem, tamen, vt prædixi, non agitur de propriè dicta tyrannide ac iniqua potentia Tyrannorum.

Incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.] Non igitur, vt dudum antè monui contra Caluinum, Deum verum in idolis venerabantur idololatræ, sed ipsamet idola Deos vocabant, atque pro Diis colebant. Omne nomen quo Deus propriè exprimitur, ipsi vni secundùm naturam cõmunicari potest; qui Deus nihilominus in personis eadem prorsus natura præditis vnus est. Sed Hebræi peculiare credunt nomen esse ἀκοινώνητον, quod τετραγράμματον etiam dicitur, *quatuor elementis constans*, יְהֹוָה *Iehouah*, ac cẽsetur ἄγραπτον, ἄῤῥητον, ἀνεκφώνητον, ἄφατον. Adoptione iusti vocãtur filij Dei [a]: imò & Dij; vel etiã participatione quadam diuinæ potestatis in alios, quales Principes Iudicésque, qualis Pharaonis respectu Moses. Dixit præterea fratri Esau Iacob [b]; *vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* Extat item præceptum; *Diis* [c] *non detrahes*: &c [d]; *dominus domus applicabitur ad Deos.* At verus de se prædicat Deus: *Ego* [e] *Dominus* (יהוה, κύριος ὁ Θεὸς) *hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam* (τὰς ἀρετάς μου) *sculptilib.* In huius expositione loci Leo Castro Iudæos refellit Patrum testimoniis, illo abutentes contra mysterium Trinitatis, quasi tribus personis communicari Dei nomen non possit. Illud idem sibi voluit Dauid ita canens; *Dominus* [f] *nomen illi* (בְּיָהּ *beiah, in Domino*, siue *in Deo.*) Lege illius loci commentarium nostrum. Rursus: *Quis* [g] *Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?* מִי אֱלוֹהַּ מִבַּלְעֲדֵי יְהֹוָה *mi eloah mibbalhhade Iehouah.*

a Exod 7. 1. Psal. 81. 1. 6. Ioan. 10. 34.
b Gen. 33. 19.
c Exo. 22. 28. d ibid. 8.
e Esa. 42. 8.
f Psal. 67. 5.
g Ps. 17. 32.

De nomine Dei, quo pacto essentialiter, vel nuncupatiuè accipiatur in Scripturis, qua ratione absolutè, vel cũ adiectione, præter eos, quos Castro citat, vide apud Gregorium [h]. Paulus [i] apertè distinguit. *Nullus est Deus*, inquit, *nisi vnus. Nam etsi sunt qui dicantur Dij siue in cælo, siue in terra (siquidẽ sunt Dij multi, & Domini multi:) nobis tamen vnus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Pauli optimus discipulus Dionysius [k], cùm Θεὸν appellari docuisset Deum, qui cuncta perspiciat, circum omnia veluti currat, omnia contineat, repleat, transcendat, monet sanctos viros, & Reges, & Dominos à Scripturis tali nomine appellari, eo quòd percipiant diuina quædam munera.

h hom. 8. in Ezech. i 1. Cor. 8. 5. 6.
k de diuin. nom. c. 12.

Vers. 22.] Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.

AD tam perniciosum de Deo errorem accedit quidam quasi vitiorum exercitus; qui tamen infelicibus idololatris pacatus tranquillúsque videtur status, & in tanto scelerum dissidio perinde vt in suauissima pace conquiescunt.

Et non suffecerat.] Græcè (εἶτα οὐκ ἤρκεσε, *deinde, postea, deinceps, iam verò*, &c. *non suffecit, non satis fuit.*)

A

In magno viuentes inscientiæ bello.] Eleganter inscientiæ, seu inscitiæ ac ignorantiæ bellum vocatur magnum, cùm scire naturaliter omnes desiderẽt, maximè, quod maximi refert, primam cunctorum causam Deum, & adeò multis obsepta sit scientia difficultatibus; tanta sit opinionum repugnantia, & *in multa sapientia multa indignatio, & qui addit scientiam, addat & laborem*, vt aliàs cum Ecclesiaste [a] vidimus; & in tantilla rerum comparanda notitia plerũque incerta, obscura, tantũ sudare oporteat; & pueri discendi molestiã vitent potiùs, vt alicubi scripsit Augustinus [b], quàm plagas, quibus discere compelluntur. Id ipsemet [c] de semetipso testatur: & Plato [d], docens quomodo

a c. 1. 18.
b 21. de ciuit. c. 14.
c 1. confess. c. 9. & 10.
d 7. de legib.

B

puer optimas disciplinas ab initio edocendus sit, & pædagogis tradendus, qui eius lasciuiam regant, atque doment, & multis quasi frenis constringant, castigéntque, affirmat esse πάντων θηρίων δυσμεταχειριστότατον, *omniũ ferarũ intractabilissimum*, Certat cum sensu ratio, rationi contradicere videtur experimentum: hoc fallax est, ars, scientiáque omnis longa [e]: infinitæ quauis de re dubitationes. Quapropter nõ immeritò disciplinis præsidem veteres Mineruam exhibuerunt armatam: sed multo meliùs in pacifica, licèt æquè pulcherrima, Sulamite nihil spõsus visuros dicit curiosè eam inspicientes, nisi choros castrorum [f]. Qui Iacob, est luctator, idem Israël vidẽs Deum, vt multi quidem hoc nomen interpretantur. *Illi*, vt ante

e Hippocr. aphorif.
f Cant. 7. 1.

C

vidimus [g], *dedit sapientia certamen forte, vt vinceret*; & parta victoria aduersùs Deum ipsum, cognominanit locum castra Dei [h], tametsi debilitatus remanserit [i]. Nam Deus magnus vincit scientiam nostram [k]: confortata est scientia de ipso, nec est qui possit ad eam [l]; & *Deo comparari non potest homo, etiam cũ perfecta fuerit scientia* [m]. Ægyptiæ palmæ, quæ symbolum est victoriæ, fructum gustanti similem esse debere diuinæ studiosum sapientiæ, Hugo Ætherianus [n] docet. Fructus ille, teste Theophrasto [o], Plinio [p], Solino [q], viridis, nec bene adhuc maturus gustandus est, ne inebriet, linguam retardet, gressum præpediat. Sic sobriè philosophandum de Deo, ne nimis gustans hoc mel opprimatur à gloria [r].

g c. 10. 12.
h Gen. 32. 2. 24. 25. & seq.
i ibid.
k Iob. 36. 26.
l Psal. 138. 6.
m Iob. 22. 2.
n lib. de Spiritu Sancto.
o 2. de plantis c. 8
p lib. 13. c. 4.
q c. 45.
r Pro. 25. 27.

D

Ex ignoratione rerum præsertim agendarum, tum verò summi finis, ad quem actiones omnes dirigi debent, plurima peccari necesse est in vita & humana societate; éxque opinionum discrepantia lites ac bella proficiscuntur: nec grauior inimicitiarum materia, quàm dissidium sententiarum: nulla molestior iniuria, quàm si minùs sciens, minúsve prudens iudiceris, dicarísque. Denique nulla fortior calidissimo aduersario ad expugnandos primos parentes visa machina, quàm si persuaderet non satis ab scientia instructos, lignum vetitum edendo, boni, malique scientiam comparare posse, & ad

E

hunc modum quàm proximè Deum ipsum imitari [f].

Inde acerba illa pugna rationis cum Deo, partis sentientis cum ratione, hominis totius cum diabolo, omníque creatura, quæ illicò armata est in vltionem creatoris [t]. Dirissima rebellio est in lumen diuinum, vt Iob [u] loquitur: hócque est Gigantæum in morem velle de solio suo Deum ipsum deturbare. Quod etsi quiuis suo facit modo peccator, potissimùm infidelis, idololatra, atheus.

In hac dimicatione militiáque nostra, in qua vita tota nostra consistit [x], scutũ fidei [y] debet esse,

f Gene. 3.
t Sap. 5. 18.
u c. 24. 13.
x Iob 7. 1. i uxta Lxx.
y Ephe. vlt. 16.

&

& gladius spiritus, *quod est verbum Dei* [a]: arma omnia oportet esse lucis [b]; ipsa veritate circumdandi sumus [c]: fortis armati exemplum sequendum, cuius contra tentatorem non alia tela, quàm de Scripturis [d]. *Pendent* ex Ecclesiæ turri, *quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei, omnisque armatura fortium* [e], ob diuinas literas; illique turri sponsæ collum simile est, ex quo prodit vox & sermo. Hebraicè pro *propugnaculis* habetur לתלפיות *lethalpijoth*, quam vocem LXX. retinuerunt, ἐν θαλπιώθ: & R. Salomon atque Abenezra exponunt *doctrinas*, vel *disciplinas*, *documenta* & *monimenta*: Vatablus, *ad dirigendum*: Pagninus, *ad docendum*. Concinit paraphrasis Chaldæa. Habet eadem sponsa oculos columbarum, quæ sunt super riuulos aquarũ, & iuxta fluenta plenissima [f]. Vt enim ea ratione intuentes columbæ vmbras accipitrum, sese immergunt aquis, euadúntque: ita qui sacras inspiciunt Scripturas, hostem deprehendunt, & illudunt; vt obseruauit Gregorius [g]. Est Ecclesia *aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol*, ac proinde *terribilis vt castrorum acies ordinata* [h]. Nihil principi tenebrarum, patríque mendacij horribilius luce veritatis: & *qui malè agit, odit lucem* [i]: atque fortitudo inimicarum Gentium refulgentibus clypeis charitate aureis dissipatur [k]. Idcirco primaria lux mundi [l] suos quoque mundi vocauit lucem [m]; & Paulus [n] omnes fideles filios lucis; nec lux illa substantialis audiri iussa est, nisi cùm *facies eius resplenduit sicut Sol* [o]. Non cessabit bellum donec appareat gloria [p], & in lumine videatur lumen [q], & cognoscatur solus verus Deus [r] cognitione clara.

Tot & tam magna mala.] Græcè (τὰ τοσαῦτα κακὰ, *tanta*, seu *tam magna mala*.)

Pacem appellant.] Hoc extremum malum, in malis mala non agnoscere, in bello pacem credere. Hæc pax peccatorum [s], qui *viam pacis* (veræ) *non cognouerunt, cùm sit contritio & infelicitas in viis eorum, nec timor Dei ante oculos eorum* [t]. In ista pace est amaritudo amarissima [u]. Cantacuzenus appellationem pacis interpretatur, quòd idololatræ Deos suos illos pacificos inscriberent, celebrarent vt amicitiæ præsides, vt penates ac gẽtilitios, ὁμογνίους καὶ φιλίους, quæ Iouis erant epitheta. Sed *quis restitit ei* (vero Deo) *& pacem habuit* [x]?

Vers. 23.] Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes.

HÆc tot & tam magna mala, hoc adeò dirũ in falsa pace bellum tantorum criminum, quæ hîc, & ad finem vsque capitis enumerantur.

Filios suos sacrificantes.] Græcè (τεκνοφόνους τελετὰς, *filiorum occisiua sacrificia*.) De hoc dictum satis capite duodecimo [y].

Obscura sacrificia.] Græcè (κρύφια μυστήρια, *occulta mysteria*, seu *clandestina, secreta*) in arcanis & secretis locis, in lucis, antris, speluncis, cauernis, vel de die, vel de nocte celebrata, vt licentiùs vacetur libidini, qualia Isidis, Cereris, Proserpinæ, Veneris, Priapi, & quæ Eleusina dicebãtur sacra, hísque similia. Cognosci hoc ipsum potest tum ex profanis auctoribus, tum ex sacris & Ecclesiasticis, nimirum in templis ipsis, ac inter celebrandum sacra execrandas libidines vsurpatas. Primi generis testis inter cæteros, præter Ouidium [z] scribentem de templis Veneris & Isidis, & Athenæum [a], Iuuenalis;

——*Sed nunc ad quas non Clodius* (id est, quiuis adulter) *aras?*

Rursus [b]:

Nuper enim vt repeto fanum Isidis, & Ganymedem
Pacis, & aduectæ secreta palatia Matris,
Et Cererem (nam quo non prostat fœmina templo?)

Ibidem:

——*Isiacæ meminit sacraria lanæ.*

Turpe in hoc genere iuuenis Mũdi factum, cuius occasione Tiberius Sacerdotes Isidis cum liberta Mundi, quæ sceleris conciliatrix fuerat, crucibus affixit, narrat Iosephus [c].

Sacri scriptores qui prodiderint nefanda ista sacrilegia, sunt, is qui Regum edidit historiam [d], faciens mentionem de ædiculis effœminatorum; Esaias [e], de cubili siue strato, & de adultero: Ezechiel [f], de fornicatione cum omni transeunte; Chald. (*vt coleret idola*:) Oseas [g], de sacrificantibus cum effœminatis, fornicando & adulterando: Amos [h], de accumbentibus (nempe ad epulandum, & concumbendum) super vestimentis pignoratis, iuxta omne altare: auctor historiæ Machabæorum [i], de templo Ierosolymitano pleno luxuria & comessationibus Gentium, & scortãtibus cum meretricibus. De scriptoribus Ecclesiasticis permultis duos produco, Tertullianum [k] & Arnobium [l]. Ille in templis adulteria composita memorat, tractata inter aras lenocinia, in ipsis plerumque æditnorum & Sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis & apicibus, & purpuris thure flagrãte libidinem expunctam. Arnobius, aut si mauis, Minutius, eadem pari ferè sermone scribit, aítque, quòd frequentiùs in ædituorum cellulis, quàm in ipsis lupanaribus flagrans libido defungebatur. Necnon apud Augustinum non pauca in opere de ciuitate Dei [m] huius generis legere possis, præsertim de Herculis æditno, cuius narratio persimilis est illi de Mundo apud citatum Iosephũ. Pudori consulens prætermitto hîc ascribere. Possem & ipse turpia quorundam hæreticorum, & maximè obscœna referre sacra [n], de quibus nonnihil dixi exponens Petrum [o]. Sic perambulat spiritus immundus non arida duntaxat & inaquosa Paganorum [p], sed fidelium quoque aqua baptismali humefacta loca.

Insania plenas vigilias habentes.] Græcè (ἐμμανεῖς ἐξ ἄλλων θεσμῶν κώμους ἄγοντες, *insanas ex aliis legibus seu ritibus comessationes agentes*, vel *agitantes, ducentésque*.) Bacchanalia, iisque similia sacra indicãtur, ad quæ Iudæos Antiochus, sicut ad alia priùs cõmemorata, compellebat [q]. Inter plura cognomina eorum, congruunt proposito νυκτέλια & λαμπτήρια: item ὠμοφάγια, φαγήσια, & φαγησιπόσια: denique ὄργια, hoc est, *nocturna, lucernaria, carniuora, comestiua* (voces ad exprimendum fingimus) & *comestipotia*, atque *furiosa*, in quibus efficiebantur interdum sacrificãtes arreptitij. Consulatur Gyraldus de Diis Gentium, ac tã multi etiam Patres, maximè, præter citatos, Clemens [r] Alexandrinus, Eusebius [s], Iulius Firmicus [t]. De sanis ac sanctis Christianorum veteribus vigiliis, atque conuiuiis, quas agapas appellabant, alio egi loco [u], dixíque cur, quod hîc quoque monet Olcot, sublatus sit vigiliarũ vsus. Sunt illa reuera omnia Gentilium μυστήρια iuxta Clementis etymologiam, aut coniugationem siue paronomasiam, ἀπὸ τοῦ μύσους, quia abominanda, vel quasi μυθήρια (legunt alij μυθήρια, quod emendat Canterus [x]) id est, *fabulæ venantes*.

Margin notes (left): a ibid. 17. b Rom. 13. 12. c Psal. 90. 5. d Matth. 4. & seqq. e Cant. 4. 4. f Cant. 5. 12. g in c. 5. Cantico. h Cant. 6. 9. i Ioan. 3. 20. k 1. Machab. 6. 39. l Ioan. 8. 12. m Matt. 5. 14. n Rom. 13. 12. o Matt. 17. 2. p Ps. 16. 15. q Ps. 35. 10. r Ioan. 17. 3. s Psal. 72. 3. t Ps. 13. 3. u Esa. 38. 16. x Iob. 9. 4. y vers. 5. z 1. de arte.

Margin notes (right): a lib. 13. c. 9. b saty. 9. c 18. Antiq. c. 4. d lib. 4. c. 23. 7. e c. 57. 7. 8. f c. 16. 15. 16. g c. 4. 14. h c. 2. 8. i lib. 2. 6. 4. k apolog. c. 15. l 8. contra Gentes, vel Minutius in Octauio. m lib. 6. c. 7. n lege hæreseologos, & maximè Prateoli catalog. o 1. Epi. 4. 4. p Mat. 12. 43. q 2. Machab. 6. 7. r in protrop. s lib. 11. de præparat. t de error. profan. relig. u in Act. Apost. c. 2. 42. 46. x lib. 8. c. 10. noua. lect.

Nec dissonat tertia à *μύειν, abscondere, & celare*, non propter sanctitatem, atque sacrosanctam auctoritatem, vt nostra; sed quia ob dedecus probi úmque minimè aperiri & detegi debeant. *Quæ in occulto fiunt ab ipsis* (hominibus profanis) ait Apostolus [a], *τὰ κρυφῇ γινόμενα ὑπ' αὐτῶν, turpe est & dicere.*

a Ephe.5.12.

Vers. 24.] Neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat.

HÆc de Diis ipsis Cantacuzenus accipit. [Nā Dij viam non custodiunt mundam, seu vitas, *βίους*, propter impetus, inquit, quos tradunt fabulæ, filiorum in parentes, fratrúmque inter se, propter vincula absurda, & reliquas insidias. Nō nuptias, propter impudicitiam, quæ Diis affingitur, ac turpes amores, & illegitimas cum suismet filiabus, matribus, sororibus commistiones, atque mutuos immanes complexus. Alius alium occidit per inuidiam insidiásve, vt Adonem Mars commotus zelotypia propter Venerem. Aut adulterās contristat vexátque, vt is qui clàm Vulcani coniugem vitiauit, & ei adulterino cubili fecit iniuriam.] Peruulgata sunt ista, & partim celebrata, partim irrisa variorum scriptis auctorū. At Græcus Paraphrastes cohærentia loqui non videtur, cùm non de Deorum criminibus, sed de colentium Deos flagitiis præcedentes sententias exposuerit. Latini in suscepta persistunt interpretatione, quanta ex idololatria vitiorum manarint monstra, quorum adhuc alia reliquo capite continentur. Nec omnium tamen eadem de his expositio, vt mox indicabo.

Neque vitam.] Græcè (*βίους.*) Vitæ honestatem Latini intelligunt, & corporis munditiam, castitatémque. *Tradidit illos Deus in immunditiam* [b].

b Rom.1.24.

Neque nuptias mundas.] Cùm debeat esse *connubium honorabile in omnibus, & thorus immaculatus* [c]; *τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus*; priores, quia cùm vti matrimonio licuerit, fornicari maluerūt.

c Heb.13.4.

Per inuidiam occidit.] Græcè (*λοχῶν ἀναιρεῖ*:) vt illius potiri posset vxore, vel ea fæmina quam alius quoque concupiscebat. Hoc innuisse Interpretem puto *inuidiæ* nomine, nempe insidias propter inuidiam zelotypiæ. Scatent historiæ ac fabulæ cædium, atque bellorum myriadibus ob adamatas immodicè fæminas.

Sed dux malorum fæmina (inquit ille [d]) *& scelerum artifex*
Obsedit animos, cuius incesta stupris
Fumant tot vrbes, bella tot gentes gerunt,
Euersa ab imo Regna tot populos premunt.

d Seneca.

Subdit de Medea exemplum. Quis ignorat verò decennale bellum, atque propter Helenam Ilium euersū? Antonij & Octauiani arma propter Cleopatram? Duris [e] auctor est, propter Thenno raptā à quodam Phocensi annis totidē cū Phocēsibus Thebanos lento bello collisos, ac tandem Phocensiū vrbem excisam. Ctesias narrat, belli quod Ægyptiis Cābyses intulit, causam fuisse Nicetim Apriæ filiam. Eodem spatio exarsit bellum, vt ex Callisthene refert Athenæus [f], Chrysæum, cùm Cyrrhæi rapuissent Megisthonem, nec nisi euersa Cyrrha finitum est. Plura in Eroticis Parthenius: & Tiraquellus [g] in legem nonam connubialem, qui capitalia septem crimina in fæminarum genere demonstrat. Ex sacris historia nota Benjamiticæ cladis [a], & Sichimiticæ [b].

e lib.2.
f lib.13.c.4.
g n.25.& seq.
a Iudic.19. & 20.
b Gen.34.

Adulterans contristat.] Græcè (*ὀδυνᾷ*.) Adeò acerba censetur hæc iniuria, tam grauis & iustus dolor, vt impune patiantur leges ciuiles adulterum interfici ab eo qui tali sit affectus iniuria [c], imò & vxorē [d]. Ipsosmet legatos animaduerti propter adulteriū potuisse, quorū alioqui dignitas inuiolabilis, testis Procopius [e]. Zelotypiæ pharmacum adeò lethiferum ad adulteram detegendam præscripsit Deus [f], vt simul viri ab adulteratum nece abstinerent, simul abstinerēt vxores ab adulterio. Plutarchus [g] apud Thurienses in Græcia prodit permissum, vt liberè Comœdi tum curiosos taxare possent, tum adulteros; quoniam videatur adulteriū esse curiositas alienæ voluptatis, inquisitióque ac perscrutatio rerum quę sic asseruātur, vt plerosque lateāt: ipsa verò curiositas paralysis ac tabes, renudatióque sit rerum nō efferend. ū. Non afferam seueritatem legum omnium contra adulteros. Lacedæmones quanti crimen id æstimauerint, de illo ne legem quidem ferentes docuerunt, quòd, vt Getadatas respondit, nullus apud ipsos adulter esset, & si esset, quod factu incredibile putabat, pendere taurum cogeretur tantæ magnitudinis, vt capite trans Taygetum porrecto, ex Eurota biberet [h].

c ff. ad l. Iul. de adult. l. 23. Xenophon in Hierone. Tiraq. l. 11. connu. refert plura testim.
d Gell. lib. 10. c. 23. & Tiraq. sup. n. 24. & seq.
e lib. 1. de bell. Gothorum.
f Num. 5.
g opusc. de curios. vitanda.
h *Idem* Plutar. in apoph. Lacon. n. 40.

Loquitur porrò de viro Auctor, cuius vxorem adulter violauerit, quoniam maior viri, quam vxoris censeri solet iniuria, ita vt qui de duellis præcepta scribunt, vt infamia notatum illum reiici dicant posse [i]; licèt multis de causis maius iudicetur nunc vxoris, quàm mariti peccatum, nunc istius, quàm illius, de quibus Tiraquellus [k], & post eum alióisque Iulius Mazarinus [l] noster, & Ferdinandus Mendoza [m]. Communi quoque hominum iudicio qui vulnus lethale accipit, cuiúsve parentes, liberi, vxor ipsa interficitur, minùs se credit lædi [n], faciliusque & honestiùs cum aduersario renouare amicitiam potest, quàm, ob rei videlicet vilitatem ac dedecus, cum adultero. Et quidem inter conditiones ad redintegrandam pacem, illa exigitur ab homicida, vt factum cōfiteatur, & insidias, vel iniquum aliunt modum, vt agnoscat se non iustè prouocatū, sique id animo antè prospicere licuisset, abstēturum manus fuisse; cæsum verò fortiter restitisse, defuisse ipsi facultatem ictum repellendi; atque huius generis rationibus aliis denuò sanciri fœdus solet. At vbi constat de adulterio, irreconciliabilis discordia est. Quin etiam pudet illum, qui accepit adulterij iniuriam, eam persequi in iudicio, ne perpetuum extet in tabulis de illa monumentum. Sed & tristis ac mœstus publicum fugit, hominúmque societatem deuitat. Nec tamen non etiam vxoribus molestissima est maritorum eodem in genere iniuria, vt pluribus confirmat exemplis citatus antè Tiraquellus [o]. *Dolor cordis & luctus mulier zelotypa* [p].

i Annibal. Romaus.
k l. 1 connub. n. 46. & 85 & 19. n. 90.
l in 1. fal. Miserere, discursu 8.
m pro Cōnc. Illiber. lib. 3. c. 62.
n Hierony. in c. 7. Amos, & alij apud Tiraq. supra l. 13. n. 27.
o l. 13. connu. n. 28.
p Eccli. 26. 8.

Vers. 25.] Et omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & periurium, tumultus bonorum.

CRiminum est multorum coaceruatio hic, deincépsque, quorum in idololatriam causa reiicitur. Sigillatim agendum de singulis: nec

docendum

docendum tamen propriè quo pacto vel in idololatris extiterint, vel connexionem cum idololatria habuerint. Res explorata satis.

Et omnia cōmixta sunt, sanguis, homicidium.] Græcè (πάντα δ' ἐπίμιξ ἔχει αἷμα, καὶ φόνος.) Verti potuit (*omnia autem mixtè, permixtim, promiscue habet sanguis, & cædes*:) ita vt ἔχει singulare non iungatur cum πάντα neutrius generis nomine plurali, iuxta Græcā phrasim. Vatablus sic exposuit (*omnia demum occupat sine discrimine sanguis, & cædes*.) Melior interpretatio nostra, vt significetur, quod innuit Cantacuzenus, omnia simul esse apud idololatras mala permista, & ex huiusmodi pernicioso errore cultúque nasci. Significare quoque eodem sensu possunt Græca verba (*omnia autem permixtum sequuntur*:) hoc enim etiam valet ἔχει.

Sanguis porrò, & homicidium seu cædes, φόνος, hominum, vel synonyma sunt, vel primum vocabulum denotat missionem sanguinis, & vulnerationem citra mortem. Alioqui solitariè positus sanguis nō rarò homicidium significat, & quidem atrox, necnō enormia turpiora flagitia, vt aliàs [a] notauimus. Exemplo nunc sit illud ex Psalmo [b]; *libera me de sanguinibus*, per quos & peccata adulterij, homicidiique intelliguntur cum aliis, & fomes omnium, qui viget potissimùm in sanguine. Lege Gregorium [c], & Mazarinum [d]. Si legas cum nonnullis (πάντας ἔχει) sensus erit, quòd omnes idololatræ viriis istis implicati contaminatíque sunt. Sed hanc ego lectionem, cuius Castro nostet meminit, nullibi reperi.

[a Act.15. b Psl.50.16. c 9. moral.c. 19. homil.11. in Ezech. & in Ps 6 pœnit. d in Psal 50. desecr.81.]

Corruptio.] Græcè (φθορά.) Vatablus (*corruptelam*) reddit, quæ nempe in iudiciis locum habet. Cæteri de virginum defloratione interpretātur: Carthusianus etiam de corrupta fidelitate: Bonauentura de vitio interno concupiscētiæ. Versu 12. quid esset φθορὰ ζωῆς, *corruptio vitæ*, declarauimus. Probo magis primam sententiam, quæ placet Osorio. Nam distinctè infidelitas statim ponitur: corruptela cum fictione, qui est δόλος siue fraus, cúmque priùs ac posteriùs recensitis peccatis aptiùs conuenit.

Turbatio.] Græcè (τάραχος, *tumultus*.) Disseminationem discordiarum, atque seditionem intelligunt: Bonauentura perturbationem partis irascibilis. Primum melius. Idem valet simplicior vox *turba*, etsi Latiniùs numero multitudinis *turba*: sed & Græca τύρβη, vnde τυρβάζω, *turbas excito, tumultuor*.

Tumultus bonorum.] Græcè (θόρυβος ἀγαθῶν, *bonarum rerum perturbatio, & confusio*, vel *bonorum hominum vexatio, & in bonos tumultus excitatus*.) Enarratores, non tantùm Complutenses, Regiíque codices seiungunt hoc modo (*tumultus*) nempe in rixis, & in sequentem versum reiiciendo (*bonorum Dei immemoratio*) nimirum ingratitudo circa beneficia Dei.

Vers. 26.] Dei immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ.

Reliqua sunt idololatriæ quasi effecta noxia, quibus Deus ipse læditur, alij, iidem illi qui tanto sese scelere commaculauerunt.

Dei immemoratio.] Græcè (χάριτος ἀμνηστία, vel, vt alij synonyma legunt voce, ἀμνησία, *grauæ immemoratio*) vel acceptæ, vel reddendæ. Vatablus explicat beneficiorum obliuionem. Idem qui immemor seu obliuiosus accepti beneficij, etiam est ingratus; gratiam non habet, aut refert, qui alteri acceptam non fert, qui non recognoscit vnde acceperit. Et quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum* [a], idcirco pro (*gratiæ*) posuit Interpres Dei immemorationem.

[a Iacob.1.17.]

Lucæ Brugensis cessant coniecturæ, compendio quodam literarum cùm esset *Dī*, vel *Dñi*, *Dei*, aut *Domini*, legisse, & scripsisse impernos pro *doni*. Nannium meritò reprehendit, qui reddit (*tumultibus gratiæ, bonorúmque Dei obliuione*.) *Deus caritas est*, auctore Ioanne [b], Græcè, ἀγάπη, vt aliàs explicauimus: & si quidem aspiratè *charitas* scriberetur, atque deriuaretur à χάρις, posset vtcumque dici, vocari Deum nomine gratiæ, siue χάριτος. At non hinc deductam caritatis vocem, meliusque sine aspiratione scribi antea docui. Reipsa tamen appellari Deus potest gratia; sicut & Spiritum sanctum per attributionem denominamus donum. Sic quidem capite 18. [c] χάρις, ac *donum* in Latina emendata editione de Deo dicitur, cùm codices alij disertè ibi Deum exprimant pro (*donum*.) Celebres χάριτες, Gratiæque tres, vel duæ, vel quatuor apud auctores profanos, quas dextra gestare pingitur Apollo, arcum & sagittas sinistra [d]. Scripsit qui notatur in margine Gyraldus aduersus ingratos, eodémq; de argumēto Seneca libris de beneficiis, & alij permulti. Exempla quoque illorum, qui beneficiorum memores fuerint, gratiámque retulerint, Ælianus [e] enumerat, præter alios. At de gratitudine, ingratitudinéque aduersùs Deum nunc sermo. Immemorationem vocat Auctor, tanquam deterrimum ingratitudinis gradum. [Nam ingratus est, ait Seneca, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus, qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus est.] Hac animaduersione perculi peccatorem monet Augustinus [f], vt moriens obliuiscatur sui, qui dū viueret oblitus est Dei. Deos ipsos maiorem in modum, nō patriam duntaxat, parentes, amicos, negligi Persæ putabant ab ingratis, ideóque seuerissimè puniebāt, quem referre gratiam sciebant posse, si nō referret [g]. De Macedonibus id solis affirmat Seneca [h], quem putant aliqui pro Medis Macedonas supposuisse; qui Medi Persis erant finitimi, ac pro iis etiam vsurpati. Quamquam & de Philippo Macedone narrat idem Seneca [i], hospitis ingrati frontem stigmate inussisse.

[b 1 Ep.4.19. c vers.2. d lege Natalem Comitē 4 mythol.c. 15 & Lilium Gyral.de Diis syntag. 11. & lib. aduersùs ingratos; & lib. quomodo quis ingrati nomē effugere possit. e 4. variæ histo.c.5. f serm.10 de Sanct. g Xenophon 1. Cyri pæd. Ammia. lib. 23. Themist orat 3. Ioan. Trerzes hist. vers. chilia 3. c 98. h 3. de benef. c.6. i lib.4. c. 37.]

Profani homines, quia non gratias egerunt Deo, insipientes facti sunt, & in adeò grauia prolabi scelera permissi sunt [k], vt obseruat Augustinus [l], dicens, Deum quod dederat gratis, id est, liberaliter, abstulisse ingratis. Propterea Dauid [m] exigit ab anima sua, vt benedicat Domino, & nolit obliuisci omnes retributiones eius. [Nil ita displicet Deo in filiis gratiæ vt ingratitudo,] inquit Bernardus [n]. Pudeat ingratos esse, cùm, quod antè notauimus, diuinitatis Ægyptij, aliique titulum vilissimis ac turpissimis quoque rebus vel eo nomine deferrent, vt scripsit Diodorus Siculus, Plinius, Tertullianus [o], quia beneficiis ab eis affecti gratiam referre vellent. Tradit Diodorus ex ea re celebrari Ægyptios, vt præter alias nationes erga benemeritos de se gratos, & existimantes magnum vitæ subsidium esse gratiæ retributionem. Salsè autem Tertullianus [p]: [Et hinc, an, concedetis, opinor, illum Deum Deificum (qui Deū faciat propter acceptum beneficium) iustitia præcellere,

[k Rom 1 21. & seq. l tract. 14. in Ioan. m Ps.102.2. n serm. de septem panib. o citat istos Gyrald.a. de ingratitudine. lege. Tertull. apolog. c 11 & 1. contra Marcio c. 11. Plin lib. 2. c. 7. Diodor. lib. 1 c.4. p apol. c 11.]

qui nec temerè, nec indignè, nec prodigè tantum præmium dispensarit.]

Itaque χάριτος ἀμνηςία cùm hîc nata dicitur coniunctáque cum idololatria, de vero & supernaturali gratiæ dono, quem Interpres vocauit Deum, intelligendũ est. Videri posset Cyprianus huc respexisse, cùm disserens de idolorum vanitate, scribénsque Deum verum à Iudæis esse cultum, ait quòd illis primùm erat apud Deum gratia; etsi dicere voluit, Deo, quem colebant gratos & amicos fuisse. Redibit eadẽ de re sermo c.16.[a]

a vers. vlt.

Animarum inquinatio.] Vitium gulæ & luxuriæ interpretantur, quæ fœda sunt & obscœna: sed Bonauentura internam libidinẽ, cùm quis mœchatur in corde suo[b].

b Mat.5.28.

Natiuitatis immutatio.] Græcè (γενέσεως ἐναλλαγή.) *Natiuitas* pro generatione, actúque generandi sumitur, sed præpostero, siue inter distinctos sexus, siue intra eundem, siue cum specie diuersis animalibus. Sic passim quidẽ ferè omnes. Aliqui *natiuitatem* pro fœtu accipiunt ac prole, quæ supponatur, quando quis alienas vxores aggrediens, reddit incertam prolem. Ad hunc modum Vatablus & Osorius.

Nuptiarum inconstantia.] Quidam non sine mẽdo legunt (*instantia*) alij (*inordinatio.*) Quæ lectio non variat sensum, & Græco vocabulo congruit (γάμων ἀταξία.) Confusio, inordinatio, inconstantia nuptiarum vel consistebat in communibus vxoribus, quod vsurpabant pauci: vel in facilè dimittendo ac sine causa vxores, & nouas ducendo: vel in iure connubij peruertendo, quod multis contingit modis. De vinculo naturali, diuinóque matrimonij, maximè postquam institutum est Sacramentum, latè patet disputatio, quã aliis permitto. Vnum admoneo, ne cùm facultatem vxori concessam à Gothis[c], vt viro dimisso qui cogeret ad se prostituendum, aut in Pœnitentiali Romano antiquo[d] (nec ante tamen Bedæ tempora, sed multo etiam post) legis, aliter accipias, quàm de impunitate in foro externo; non quòd probauerint hoc diuortium. Quamquam hæc Ecclesiæ contrariis moribus abrogata sunt.

c lib. 4. legũ Vvisigothorũ tit. 6. l. 3. sub finem.
d apud Antonium Augustinum in can. pœniten. tit. 3. c. 20.

Inordinatio mœchiæ, & impudicitiæ.] Græcè nihil respondet voci *inordinatio*; & duo nomina sunt in casu recto μοιχεία, καὶ ἀσέλγεια, *mœchia, & impudicitia*, siue *adulterium, & lasciuia*, seu omne impudicitiæ genus. Vellent Iansenius & Lucas Brugensis de textu eiici (*inordinatio*) quod facit etiam Vatablus, Osorius, Clarius. Sed retineri debet auctoritate Pontificia, & exemplo Enarratorum: tum præterea, quia nisi suppleatur, friget sententia grauia & enormia proferens flagitia. Videtur Enarratoribus inordinatio mœchiæ includere cum adulterio incestum: inordinatio impudicitiæ cum fornicatione turpem quamlibet contrectationem.

Vers. 27.] Infandorum enim idolorum cultura omnis mali causa est, & initium & finis.

APtum dictis adhuc epiphonema, quo tot & tam magnorum malorum causam esse idololatriam doceatur, vel confirmetur potiùs.

Infandorum.] Græcè (ἀνωνύμων, *innominatorum.*) Huc referri illud potest[e]; *vt non loquatur os meum opera hominum*. si per ista opera intelligamus idolorum sacrificia, idoláque ipsa, quæ cognominantur opera manuum hominum[f].

e Psal.16.4.
f Psal.113.4. secund. Hebr.

Omnis mali causa est, & initium & finis.] Causa & initium, ἀρχὴ καὶ αἰτία, videntur synonyma; & si spectetur finis, vt inter causas primum tenet locum, quatenus mouet ad agendum, & propter illũ sunt omnia, posset quoq; simpliciter intelligi per causam & initiũ. Superbia omnis peccati dicitur initiũ[a], quoniã ex hac, vt antè vidimus, processit idololatria saltem publica, quando Tyranni etiam absentes colebantur in suis imaginibus. Cupiditatem quoque vocat Apostolus[b] radicem omnium malorum, non solùm quia pretiosiores imagines erant in maiore veneratione: sed etiam quia iidem Tyranni non nudos affectabant honores, verùm cum illis lucra; ita vt ab eodem Paulo[c] appellata sit auaritia idolorum seruitus. Hugo, Rabanum secutus, hac ratione differit.

a Eccles.10.15.
b 1.Tim.6.10.
c Ephes.5.5.

Bonauentura idololatriam pro infidelitate sumens, ei principem locum assignat inter peccata partis rationalis: auaritiæ, si de illis agatur quæ sunt in concupiscibili: superbiam statuit primam ex iis quæ pertinent ad irascibilem. Carthusianus causam ait esse omnis mali idololatriam, quoniam oriri possunt ac solent ex ea: initium veluti dignitate, hoc est, grauitate: finem, quasi extremum, & in quod cætera vitia quodammodo desinant, & per alia homines in id tandem delabi atque corruere soleant. Placet hic postremus dicendi modus maximè. Abutitur Bonauẽtura parte concupiscibili, & irascibili, vt in ipsamet rationali parte aliquo pacto reperiuntur. Igitur ait Auctor idololatriam & gignere quodammodo vitia quæque, & quorumcumque velut extremum ac maximum esse.

Vers. 28.] Aut enim dum lætantur, insaniunt: aut certè vaticinantur falsa, aut viuunt iniustè, aut peierant citò.

AD cumulum adiiciuntur alia crimina vesanæ lætitiæ, vaticinationis mendacis, violati iuris ac iusti, leuis atque liberi periurij.

Insaniunt.] Dum furore ac malo dæmone corripiuntur, & bacchantur velut energumeni & arreptitij, quales Corybantes, & similes, vt Lyranus exponit, & Carthusianus: vel dum se in sacrificiis fœdãt per libidinem more bestiarũ, vt Oleast: vel, vt Hugo, dum nõ tãtùm libidine in iisdem sacrificiis ludisve, sed homicidio quoque se polluunt, scilicet præ ira insana & furiosa: vel, vt Bonauentura, dum effusè ac sine modo rident, atque exhilarantur. Istis competit quæ de stulto ac insano Propheta, viróque spirituali, id est, qui se Spiritu diuino afflatum iactat, prædicit Oseas[d]; *propter multitudinem iniquitatis, & multitudinem amentiæ*, ita vt laqueus ruinæ fieret super omnes vias populi, & insania esset in domo Dei eius. Iudæos ad aras Deorum, cùm sese dederunt superstitioni, ebriisse, vt captarent somnia, eáque venderent, colligit Isidorus Clarius ex verbis Amos[e]; *& super vestimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare.* Quidquid sit de loco illo, quem præter Expositores fusè tractat Martinus[f] Roa noster, Iuuenalis[g] testis est id à Iudæis factitatum;

d c.9.7.8.
e c.2.8.
f 1 Singular. 9. & 10.
g sat.6.

Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem
Interpres legum Solymarum, & magna Sacerdos
Arboris, ac summi fida internuncia cœli.
Implet & illa manum, sed parciùs ære minuto,
Qualiacumque voles Iudæi somnia vendunt.

Sed

Sed Auctor non tam de Iudæis Gentilium superstitionem sectantibus loquitur, quàm de ipsismet superstitiosis Gentilibus, apud quos mira vanitas, falsitásque diuinationum, quos asserit insaniuisse, & vaticinatos falsa. Similia de Chaldæis Apuleius [a] memorat, omnia ad cósulentis votum confinxisse, ac pro mercedis qualitate futura prænunciasse. De pseudoprophetis Iudæorum, & illorum bacchico furore multa sunt in verorum Prophetarum scriptis: Deúsque ipse legitur dedisse spiritum mendacij in ore eorum [b], scilicet dum seductorem spiritum permisit loqui in iis qui sponte ac liberè admissuri erant instinctum eius, & mendaces prædictiones locuturi.

a 2. apolog.
b 3. Reg. 21. 23.

Viuunt iniustè.] Insaniendo semetipsos lædunt: vaticinando falsa Deum propriè offendunt, sibi quod ipsius est vsurpantes: viuendo iniustè proximis nocent, quos falsis promissis decipiunt, fraudant, diripiunt, Deorum quoque nomen temerè interponendo, ac leniter citóque iurando & peierando; vt hîc, & magis versu sequenti exprimitur.

Vers. 29.] Dum enim confidunt in idolis, quæ sine anima sunt, malè iurantes noceri se non sperant.

IDcirco tam citò faciléque iurát & peierát idololatræ per idola, quòd cùm intelligant esse inanimata, nullú ab iis damnú pro violato iuraméto reformidant. Dum ingruit necessitas, iurát: sed rebus cómutatis, de iuramento non laborát. [Licèt veros credant Deos, non tamé iis omnipotétiam inesse; vel puniendi voluntatem,] inquit Bonauentura. Meminit cum risu & execratione Plinius [c]. gentes quasdam per fœtidos cibos, vt per allia, & similia iurauisse. Christus [d] & Iacobus [e] indicant vsurpasse aliquos iuramentum per cœlum, terram, Ierosolymam, caput proprium. Plures alias formulas iurandi per Deos etiam inanimatos colligit Alexander [f] ab Alexandro cum Tiraquello, qui auctores citat. Legendæ & Brissonij formulæ [g], & Petrus Gregorius [h].

c lib. 2. c. 7. & lib. 19. c. 6.
d Matth. 5. 34.
e c. 5. 12.
f lib. 5 c. 10.
g lib. 8.
h lib. 5 syntagma. c. 8.

Quamquam dubitatum, an aliqui sapientiores Philosophi tales inter iurandum res adhiberent in contumeliam falsorum Deorú, & ne per Deos iurarent. De Socrate iurante per canem, hircum, quercum, platanum, &c. dubitant, vel etiam affirmant Iosephus [i], Tertullianus [k], Lactantius [l], apud Philostratum [m] Apollonius, propter istam causam ad illum modum iurauisse. Is quem laudaui Alexander fœminas tradit per Deas, viros per Deos olim deierasse: Gellius [n] illas nunquam per Herculem, neque istos per Castorem. Tamen Varro per Pollucem tradit viros affirmasse: & Socratem Apuleius [o] introducit iurantem per Herculem; Plato [p] per Iunoné. Idem verò Apuleius [q] Ennium citat, vt probet summi Deorum iuramentum esse honorem proprium, ita scribentem [r];

i 2. contra Apionem.
k apolog. c. 14.
l lib. 3. c 19.
m lib. 6. c. 9.
n lib 11. c. 6.
o 4 Metamorphos.
p in Gorgia.
q de Deo Socratis.
r apud Cic. 3. Offic.

O fides alma apta pennis, & iusiurandum Iouis.

quasi iusiurandum per etymologiam sit Iouis iurandum: quo etiam pacto Lipsius [f] legi vult apud Apuleium, & confirmat alio versu Næuij;

Ius sacratum Iouis iurandum sagmine.

Lege Hieronymum Columnam Ennij Scholiastem, & Lipsium [t].

f lib. 1. electorum. c. 18.
t ibid.

Hoc sibi forsan voluit Pythagoricum iuramentum per quaternarium; quoniam omnium

A fere linguis, non solùm Hebræorum, literis constat quatuor nomen Dei. Forma erat;

Iuro ego per sanctum pura tibi mente quaternum
Æternæ fontem naturæ, animique parentem.

Sanè quidem iurandi religio solùm per se respicit Deum, vt etiam docent Scripturæ [a]. Vocat M. Tullius [b] iusiurandum affirmationem religiosam: Aristoteles [c] cum diuina veneratione dictionem. Quocirca Plato [d] iubebat, vt qui iurantem in Deos, temerè scilicet, atque falsò, inter vendendum audirent, dummodo minores annis triginta non essent, in ipsum irruerent, fustibúsque & pugnis nefandum sacrilegium vlciscerentur; qui autem secus facerent, rei legis haberentur atque infames. Simile quid Christianis Chrysostomus quodam in loco præcipit. Docet præterea idem

a Exo. 23. 13. Deut. 6. 13. c. 10. 20.
b in Offic. lib. 3.
c in Rhet. ad Alexand.
d lib. 11. de legib.

B Plato [e], qui Deos maximè vel spernant, vel esse negent, curámve rerum humanarum gerere, nullo negotio iurare; ita vt non iuramento, quod olim fiebat, lites priuatim finiantur, sed iudicio Magistratus, ne plus quàm dimidia iurantiú pars peieret. Plura Theologi, & in proprio tractatu de cauendo iuramentorum abusu Dominicus Soto. Lege Zachariam [f], auctorem [g] Ecclesiastici, Exodi caput 20. [h] His præsertim locis iuramenti continetur execratio & acerba reprehensio; súntque omnes cum cura legendi & considerandi. Idem porrò iudicium de iuramento vsurpari solito in verba magistri [i], vt Socratis, Hippocratis, Platonis, Aristotelis.

e lib. 12 de legib.
f c. 5. 2 & seq
g c. 23. 9 & seq. c. 27. 15.
h vers. 7.
i Hora. lib. 1. epist.

C *Quæ sine anima sunt.*] Aliqui codices, & Expositores habent *(quæ sine intellectu, & sine anima sunt.)* Græcè duntaxat est (ἀψύχοις, *sine anima.*)

Noceri se.] Græcè (ἀδικηθῆναι, *iniuria afficiendos se, malum accepturos.*) Græcum verbum significat propriè *nocumentum iniustè pati, & lædi, iniuriam accipere.* Sed quia sermo est de Diis, quos qui peierant, non timent ne ab iis damnum ferant, videtur per catachresim positum illud verbum pro perpessione damni, quod peierantibus iustè inferretur à Diis, si id ipsi possent inferre, & inferrent.

Non sperant.] Græcè (οὐ προσδέχονται, *non expectant.*) Et hîc alia catachresis, seu acyrologia, vt *sperare* & *expectare* pro timere accipiatur, vt apud

D Poëtam [k];

k Virg. Aen. 4.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

& apud Matthæum [l] ac Lucam [m]; *veniet Dominus in die qua* (seruus malus) *non sperat*, ἐν ἡμέρᾳ ᾗ οὐ προσδοκᾷ.

l c. 24. 50.
m c. 12. 46.

Vers. 30.] Vtraque ergo illis euenient dignè, quoniam malè senserunt de Deo, attendentes idolis, & iurauerunt iniustè, in dolo contemnentes iustitiam.

POenas tamen, inquit, soluent vero Deo impij isti duabus de causis; tum quia neglecto

E illo coluerunt idola; tum quia iurisiurandi religionem iniustè perfregerunt ac fraudulenter.

Illis euenient dignè.] Græcè (αὐτοὺς μετελεύσεται τὰ δίκαια.) Iansenius τὰ δίκαια pro δικαίως, *iustè* sumit, μετελεύσονται pro *punient*, citans Varinum, qui μετέρχεσθαι ait idem esse quod τιμωρεῖσθαι, καὶ κολάζειν: citat verò Varinus Aphtonium. Affert auctor Thesauri Græci Antiphontem præterea, Synesium, Thucydidem. Videri potest Interpres legisse αὐτοῖς, & non αὐτοὺς. Obscurior autem est oratio (*vtraque illis euenient*) & sensus est, ob vtraq;

peccata euenient illis mala, quæ non expectant.

In dolo.] Vitiosè legunt aliqui (*in idolo:*) est enim Græcè (ἐν δόλῳ.) Vnde quoque nonnulli perperam deducunt *idolum*, quasi videlicet à dolo, cùm Græcè idolum sit εἴδωλον.

Contemnentes iustitiam.] Et promissi, si promissorium iuramentum fuit alteri homini factum: & religionis, propter rei sacræ violationem, nempe iuramenti, quod fit Deo, & sacramentum dici solet. Pro *iustitia* vox Græca est ὁσιότης, quæ propriè *sanctitatem* significat, quamuis nonnunquam iustitiæ quoque virtutem. Vatablus in sua versione *sanctitatem* posuit; Osorius in paraphrasi *religionem*. Atqui profana religio non est vera religio, nec sacrum sanctúmve censetur per idola iuramentum; sed laudādi soli, qui iurant in Deo vero [a], in veritate, iudicio, & iustitia [b], qui comites, conditionésve sunt boni iuramenti. Nihilominus error idololatriæ, quo quis quos colit, putat Deos veros, facit vt peierando sacrilegus habeatur & iniustus, vt scribit Augustinus [c]. Sed fas est tale iuramentum vel admittere, vel etiam exigere, cùm iusta subest causa, vt idem Augustinus [d] docet, & exemplum confirmat Iacob, qui id à Laban petiit [e]. Caueantur Iudæi, qui quamlibet nobis iurent, promissi soluere se iuramentum putant posse, imo [f] & inter se, certa concepta forma. Illos meritò Tertullianus [g] Catholicos reprehendit, qui vsurpent *me Hercule, me Dius fidius*. Et leguntur tamen hodiéque in nonnullorum scriptis tales asseuerandi formulæ, qui laudem eruditionis etiam ex superstitione sibi conquirere non verentur. Nam nemo dubitat, si quis illicitum iusiurandum detulerit, scilicet improbatæ publicè religionis, pro eo haberi atque si iuratum non esset [h]; quam ego legem interpretor valere in foro publico, si is iuret cui possit imperari ne ita iuret, qualis Catholicus & Christianus omnis: quod innuit quoque Accursius [i].

a Psal.62.12. Esa.65.16.
b Ierem.4.2.
c epist.154. & habetur 22.q. 8.c.mouet.
d eadē epist.
e Gen.31.
f 3 p. Thalmud. tract. 3. c.4 & testis Hieronymus à S.Fide lib. 2.contra Iudæos c.3.tom. 4.bibliot. Patrum.
g lib. de idolo c.20.
h ff. de iureiuran. l. non erit ratum. § sed si quis.
i ibid.

Vers. 31.] Non enim iuratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat semper iniustorum præuaricationem.

EVenient omnino non expectata mala sacrilegis periuris & iniquis. Non euadent, quia Deorum per quos iurant, & quos peierant, potentia nulla est, vires nullæ, vt seipsi vindicent. Persequitur periuros iniustos, qui fefellerunt ac fraudauerunt alios, & sua comitatur ad puniendum semper pœna: nec minorem luent quàm qui sacrosanctum & ineffabile Dei veri nomen obiicientes violant & aspernantur. Omnis natio lexque periuria seuerissimè castigat, vt plurimis licet vel testimoniis, vel exemplis sacrisque profanisque confirmare. *Maledictio morabitur in domo iurantis in nomine meo mendaciter*, ait cōminans apud Zachariam [k] Deus, *& commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius*. Affinem sententiam Ethnicus auctor habet Hesiodus [l] multis locis, & alij, quos recitat Petrus [m] Gregorius, allato præterea mirabili ac penè incredibili exemplo ex libro de admirandis auditionibus, qui dicitur ab Aristotele conscriptus. Veriorem narrat Turonensis [n] de Pancratij Romano templo historiam, ad cuius aram, in qua Martyris venerabile corpus erat, admotus peierans illicò vexabatur à dæmone. Nulli non probè cognitus Antonij sacer ignis, quo periuri toties ambusti sunt, & in huius æde Sancti extant Romæ expressa signa.

k c.5.4.
l in ergis lib. 1.vers.266 & seq lib 2 vers. 18 & seq. in theogo. vers. 795 & seq.
m lib.50 syntag.c.6.
n de glor. Mart.c.39.

Iuratorum virtus.] Græcè (ἡ τῶν ὀμνυομένων δύναμις.) Mediæ vocis participium potest significare vel *iurantes*, quo pacto libri Complutenses, & Regij habēt, aliique, quibus Enarratores vsi sunt: vel eos qui, vt ita dicam, sunt iurati, per quos nimirum iuratur: vel rursus qui dicuntur iurati, quia iurant, vt iuratus testis, &c. Nomen δύναμις non moralem denotat virtutem, sed *facultatem, potentiam, vires, robur*. Quapropter aberrant iidem Latini Expositores à sensu, cùm declarant iuramentum non esse appetendum tanquam per se bonum, sed in necessitate tantùm eo vtendum ad veritatis firmamentum & fidelitatis inter homines. Sed nec Osorium probo, dum accipit τοὺς ὀμνυομένους, illos qui dederunt iusiurandum, seu exegerunt, quos in diuino iudicio potentia nequeat crimine liberare. Sensum, quem dedi, Cantacuzenus tradit, recipitque Iansenius, ac Vatablus, qui vertit ita (*non enim eorum, per quos iuratum est, potentia*, &c.)

Sed peccantium pœna perambulat semper iniustorum præuaricationem.] Vatablus (*sed vltrix peccatorum iustitia praue factorum pœnas ab iniustis semper expetit:*) Iansenius (*sed iudicium peccantium vindicabit semper transgressionem iniustorum:*) Osorius (*sed sceleris pœna eos qui tam scelestum facinus susceperunt insequentur.*) Græcè (ἀλλ' ἡ τῶν ἁμαρτανόντων δίκη ἐπεξέρχεται ἀεὶ τὴν τῶν ἀδίκων παράβασιν.) Significat δίκη *iudicium, vltionem, pœnam iustam*: ἐπεξέρχεται idem valere Iansenius notat quod priore versu μετελεύσεται, nempe *vlcisci & punire*. Budæus [a] ait significare *inuadere, infestare, percursare populabundè, atque cum exercitu, vlcisci, in ius rapere, iudicium dictare*.

a comment. ling.Græc. pag.95.& 160.

Interpres verbo *perambulandi* militarem veluti circumcursationem, & obsidionem denotare voluit, vt pœnam vitare peccator nequeat, is maximè qui peierat, & periuriis alios iniquè fallit, &, quod impij de piissimo quondam dixerunt Paulo [b]; *vltio non sinat eum viuere*: & quod Caino Deus dixit [c]; *si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit* (id est, iuxta Hebræum רֹבֵץ robets, peccati pœna iacebit & accubabit, vt canis qui ad ostium cubat, inquit Oleaster, cupiens ingredi) *& sub te erit appetitus eius*. Hebraicè, *ad te erit appetitus eius*, id est, pœna ac punitio cupit ac desiderat te tenere. Potest hic locus duobus illustrari testimoniis Poëtarum profanorum de periuris canentium. Prior est Hesiodus [d];

b Act.28.4.
c Gen.4.7.
d in ergis lib. 2.vers.18.& seq.

Πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι, ἐπεὶ χαλεπαί τε καὶ αἰναί.
Ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν Ἐρινύας ἀμφιπολεύειν
Ὅρκον τινυμένας, τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.

Quintas autem (cuiusque mensis dies) vitato, quia difficiles & graues.
In quinta enim aiunt furias obambulare
Iuramentum vindicantes, quod contentio genuit damnum periuris.

Posterior est Tibullus;

Ah miser, etsi quis primò periuria celat:
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Quocirca nec nunc Latinorum collimant expositiones, vt Lyrani, Carthusiani, Hugonis, Olcot [e], quòd peccantium pœna perambulet semper, quia crescat & augeatur: vt iterum Hugonis & Olcot, ex pœna peccati natam iurandi necessitatē, nempe, quoniam homines sunt increduli: vt Bonauenturæ, ipsum periurium esse pœnam, eo modo

e lect.167.

quo

quo peccatum est alterius peccati pœna, & propter vnum sinitur quis in aliud labi. Menandri præceptum Euangelico præcepto simile erat, de non iurando penitus, nisi videlicet cogeret necessitas;

Ὅρκον δὲ φεῦγε, κἂν δικαίως ὀμνύῃς.

Iusiurandum fuge, etsi iuste iuraris.

Veteres etiam Deorum nomina omittebant, peierandi metu, sola contenti iurisiurandi hac formula, οὐ μὰ τὸν, vel νὴ τὸν, καὶ μὰ τὸν ὅρκον.

Perambulat.] Non recta lectio (*perambulabat*)

A Græcè (ἐπεξέρχεται.)

Semper,] Errorem continent libri, in quibus est (*super*) vt liquet ex aduerbio Græco ἀεὶ.

Iniustorum.] Græcè (τῶν ἀδίκων.) Errant ergo pariter qui legunt separatim (*in iustorum*) quo modo iidem illi Latini, qui explicāt, peccantium pœnam perambulare, & crescere in prævaricationem & transgressionem mandatorum Dei, quæ sunt iusta, cùm ab ipso nihil procedere possit nisi iustum. Velim intelligas quanti referat idiomata ipsa cognoscere quibus editæ primùm sacræ sunt literæ.

SVMMARIVM.

REPETIT, ac denuò dirigit Auctor ad Deum orationem suam, gratias agens, quòd se à tam fœdo liberauerit errore idololatriæ, quam adhuc irridet, simúlque idolorum artifices cultores.

CAPVT XV.

1 TV autem Deus noster, suauis &
verus es, patiens, & in misericor-
dia disponens omnia.
2 Etenim si peccauerimus, tui sumus,
scientes magnitudinem tuam: & si non
peccauerimus, scimus quoniam apud te
sumus computati.
3 Nosse enim te, consummata iustitia
est: & scire iustitiam, & virtutem tuam, ra-
dix est immortalitatis.
4 Non enim in errorem induxit nos
hominum malæ artis excogitatio, nec vm-
bra picturæ labor sine fructu, effigies scul-
pta per varios colores.
5 Cuius aspectus insensato dat concu-
piscentiam, & diligit mortuæ imaginis effi-
giem sine anima.
6 Malorum amatores digni sunt qui
spem habeant in talibus, & qui faciunt il-
los, & qui diligunt, & qui colunt.
7 Sed & figulus mollem terram pre-
mens, laboriosè fingit ad vsus nostros vnū-
quodque vas, & de eodem luto fingit quæ
munda sunt in vsum vasa, & similiter quæ
his sunt contraria; horum autem vasorum
quis sit vsus, iudex est figulus.
8 Et cum labore vano Deum fingit de
eodem luto, ille qui paulo antè de terra
factus fuerat, & post pusillum reducit se
vnde acceptus est, repetitus animæ debi-
tum quam habebat.
9 Sed cura est illi, non quia laboratu-
rus est, nec quoniam breuis illi vita est, sed
concertatur aurificibus & argentariis: sed
& ærarios imitatur, & gloriā præfert, quo-
niam res superuacuas fingit.
10 Cinis est enim cor eius, & terra
B superuacua spes illius, & luto vilior vita
eius:
11 Quoniam ignorauit qui se finxit, &
qui inspirauit illi animam quæ operatur, &
qui insufflauit ei spiritum vitalem.
12 Sed & æstimauerunt lusum esse vi-
tam nostram, & conuersationem vitę com-
positam ad lucrum, & oportere vndecum-
que etiam ex malo acquirere.
13 Hic enim scit se super omnes delin-
quere, qui ex terræ materia fragilia vasa, &
sculptilia fingit.
C 14 Omnes enim insipientes, & infeli-
ces supra modum animæ superbi, sunt ini-
mici populi tui, & imperantes illi:
15 Quoniam omnia idola nationum
Deos æstimauerunt, quibus neque oculo-
rum vsus est ad videndum, neque nares ad
percipiendum spiritum, neque aures ad au-
diendum, neque digiti manuū ad tractan-
dum, sed & pedes eorum pigri ad ambu-
landum.
16 Homo enim fecit illos: & qui spiri-
D tum mutuatus est, is finxit illos. Nemo
enim sibi similem homo poterit Deum
fingere.
17 Cùm enim sit mortalis, mortuum
fingit manibus iniquis. Melior enim est
ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit,
cùm esset mortalis, illi autem nunquam.
18 Sed & animalia miserrima colunt:
insensata enim comparata his, illis sunt de-
teriora.
19 Sed nec aspectu aliquis ex his ani-
malibus bona potest conspicere. Effuge-
runt autem Dei laudem, & benedictio-
nem eius.

Vers. 1.] Tu autem Deus noster, suauis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia.

ANTITHESIM Cātacuzenus & alij arbitrantur falsorum Deorum, de quibus hactenus ac deinceps adhuc sermo: illorum enim cultum figmentum esse, nec illos quicquam præstare posse: Deum verum cuncta cùm condiderit de nihilo, summa quadam benignitate conseruare & regere; ac proinde omni veneratione esse dignum. Glossam ordinariam non adeò probo, hæc accipientem de illis qui iusto iudicio damnati, serò pœnitentes agnoscunt, quod antea credere noluerunt.

Deus noster.] Non creatione duntaxat, sicut cæterorum hominum etiam idololatrarum, rerúmque cunctarum; sed cultu quoque & religione syncera.

Suauis.] Græcè (*χρηστὸς, benignus, commodus, vtilis, beneficus:*) non velut idola, per quæ iurabant ac peierabant idololatræ, & quorum priore extremo capite dictum est virtutem, hoc est, vim ac potentiam esse nullam, nec nocere posse.

Verus.] Græcè (ἀληθής.) Tum in essentia, quæ non est ficta, quemadmodum idolorum: tum in dictis, promissis, & minis, quæ non sunt pseudola, mendacia, dubia, fallacia, sicut dæmonum per idola respondentium.

Patiens.] Græcè (*μακρόθυμος.*) Non idcirco non confestim puniens, quia non possis, aut quia bruta & inania verborum iactes fulmina.

In misericordia disponens omnia.] Græcè (*ἐν ἐλέει διοικῶν τὰ πάντα.*) De hoc aliquoties diximus præcedentibus capitibus, docentes ea te prouocari nos ad pœnitentiam.

Vers. 2.] Etenim si peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: & si non peccauerimus, scimus quoniam apud te sumus computati.

HAnc primi membri facit sententiam Cantacuzenus, vt qui Deum colunt, si peccent interdum, non ex contemptione id faciant, vt ij qui simulachra inanimata colentes, iusiurandum in illa conceptum temerè violant; sed obrepentibus ex quadā incuria peccatis, persuasissimi potentiam Dei esse infinitam, quam nullus valeat effugere. Secundum membrum iuxta editionem Græcam, quæ particula caret conditionem denotante, & futurum habet indicatiui modi verbum (*οὐχ ἁμαρτησόμεθα, non peccabimus*) sic exponit; quando animo reputabimus immensam benignitatem Dei, & nos ipsi charos esse, atque ipsummet præstabilem esse super malitia [a], nolle mortem peccatoris [b], pœnitentiam agere super malitias, id est, mala & pœnas hominum [c], non ita facilè peccabimus, vel ab scopo proposito non longiùs aberrabimus. Augustinus [d] monēs, perniciosa quosdam securitate sententiam istam intellexisse, cùm bonum quidem & magnum Deum habeamus, qui velit, atque possit pœnitentium peccata sanare, non, qui minimè audeat permanentes in malignitate disperdere, citat hoc modo (*& si peccauerimus, tui sumus, scientes potentiam tuam: non peccauimus* (aliàs *peccabimus*) *scientes, quoniam tui sumus deputati.*) Tum subdit. [Quis enim dignè cogitans habitationem apud Deum, in qua omnes prædestinatione sunt deputati, qui secundùm propositum vocati sunt, non enitatur ita viuere, vt tali habitationi congruat?]

a Ioel. 2. 13.
b Ezech. 18. 23. 32. c 33. 11.
c Iere. 18. 8.
d de fide, & operib. c. 22.

In primæ partis expositione cum Cantacuzeno Latini alij conueniunt; nimirum, licèt peccemus etiam grauiter, Dei tamen nos esse, atque illum fide saltem informi, & cultu ac ritu vero colere, nec de ipsius dubitare potētia, quæ nos perdere queat: vel etiam delendo peccata nostra (addit hoc Osorius) in pristinum statum restituere. De secunda sic statuunt, si non peccauerimus, nisi venialiter, quod vitari non potest, nobis esse perspectum, nos apud Deum esse numero ac merito cum electis, quia peccatum veniale non tollit gratiam. Osorius secutus lectionem Græcam futuri verbi *ἁμαρτησόμεθα*, ait posterioribus verbis denotari nos non peccaturos, si nunquam eam cogitationem dimiserimus, nos Dei esse, & ad veram lucem adiunctos esse (quod sequenti continetur versu) eiusque cingi protectione. Qua in re non discrepat ab Augustino, aliisque, nisi quòd non propriè de solis intelligit electis. Varalus Græca legit (*καὶ γὰρ ἐὰν ἁμάρτωμεν σοί, ἐσμεν εἰδότες σου τὸ κράτος. οὐχ ἁμαρτησόμεθα δὲ, εἰδότες ὅτι σοὶ λελογίσμεθα, etenim si peccauerimus in te* (vel *tibi*) *potentiam tuam nouimus: non peccabimus autem, vt qui nos tibi curæ esse sciamus:* vel *sin minus* (cùm nempe peccabimus) *scimus nos tuos censeri.*)

Equidem retenta, vt par est, versione nostra, hunc ducerem commodiorem sensum, pendentem ex primo versu, & priore extremo capite, nec valdè ab aliorum Enarratorum mente dissidentem. Idola cultoribus suis nec malè, si peccent, facere, nec bene, si non peccent, possunt: tu autem, qui verus es Deus, simul potēs, simul bonus, nos, si peccauerimus, per potentiam, ratione cuius tui sumus, & sub illa constituti, potes punire: si verò non peccauerimus, vales afficere beneficiis, nósque in eorum numero habere & computare, aduersùs quos benigniorem illam tuam curam prouidentiamque ostēdis. Quapropter nolim locum de prædestinatis duntaxat intelligi; sed de iustis, dum retinēt iustitiam. Quamuis illud sit verum, eos, qui nunquam peccant mortaliter, & originali carent peccato, pertinere ad ordinem prædestinatorum. Videtur autem per se Auctor loqui de populi Hebræi electione prę populis aliis, de qua potissimùm in suo cantico [a] Moses. Constabit magis proba ista loci huius intelligentia ex enucleatione verborum, quæ subiicitur. a Deut. 32. 8.

Si peccauerimus, tui sumus.] Græci textus dispungunt ita, vt virgula sit post *ἁμάρτωμεν, peccauerimus*, tum iungantur, *σοί. ἐσμεν εἰδότες σου τὸ κράτος.* vbi *σοὶ* est pronomen possessiuum à *σός*. Pronomen autem *σοὶ* à *σύ*, quod est simplex, Vatablus existimans, vertit, vt antè monuimus (*si peccauerimus in te.*) Significabit autem (*tui sumus*) sub tua potestate, quam (pro vt mox additur) scimus, & profitemur. Aliter dicitur quis Dei, ac vicissim Deus alicuius esse, propter mutuam concordiam & amorem, ac Dei peculiarem fauorem, vel ob alterius erga Deum deuotionem, dedicationem, consecrationem. *Iste dicet*, ait Esai. [b], *Domini ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob; & hic scribet manu sua, Domino.* Eodem sensu alloquebatur Dauid [c] Deum; *Tuus sum ego* (*σός εἰμι ἐγώ*, לך אני *lecha ani*) *saluum me fac; quoniam iustificationes tuas exquisiui.* Sunt plurima his alia similia testimonia, quibus & quis Dei se, & Deus alium suum affirmat; b c. 44. 5. c Psal. 118. 94.

mat; aut aliqui, licèt eundem colant Deum, alicuius tamen peculiariter Deum dicunt esse, vt Mosis, Iosue, &c. Verùm proposito id congruit solùm quod dixi, quoniam de peccantibus est sermo, nimirum, vt constanter omnes declarant, de iis qui mortaliter peccant.

Magnitudinem tuam.] Græcè (σοῦ τὸ κράτος, *potentiam tuam*) vt etiam reddit Augustinus [a]. Hanc potentiam Emmanuel Sà & Osorius interpretãtur de remittendis peccatis. Est sanè hoc eximium diuinæ potentiæ opus, vt aliàs docui. At cæteris assentior explicantibus de punitione peccatorum. [Vtique potentiam, inquit Augustinus, cui se subtrahere nequeat, aut occultare peccator.] Et verò alibi quoque, cùm de hac incidit mentio, vtque persuadeantur mortales vindicari posse peccata ipsorum, exaggeratur eadem potentia Dei. De aliis nil modò dicam, vt cùm fortis appellatur Deus Iudex idem qui patiens [b], & cùm ipsemet vrgendo dicit [c]; *Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminum mari?* Ille ad rem Psalmi facit locus, in quo exigitur votorum (eadem verò de iuramentis ratio, de quibus priore capite) redditio; *Vouete* [d], *& reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera: terribili, & ei qui aufert* (יִבְצֹר *ybtsor, vindemiabit*) *spiritum (vitam) Principum: terribili apud Reges terræ.*

Si non peccauerimus.] Græcè (οὐχ ἁμαρτησόμεθα, *non peccabimus*) absque nota conditionali (*si.*) Legit eodem modo Augustinus [e], vt dixi, licèt Louanienses pro futuro restituerint præteritum (*peccauimus*) sanè cõtra mentem Doctoris, vt eum legenti constabit, & contra fidem Græci textus. Ab hoc autem textu non abhorret interpretatio Latina, cuius auctor aut legit codicem in quo esset, εἰ, *si*, & pro ἁμαρτησόμεθα, ἁμαρτήσωμεθα cum ω pro ο: aut intellexit illud (*non peccabimus*) ac si diceretur (*quòd si non peccabimus*, &c.)

Apud te sumus computati.] Augustinus [f] (*tui sumus deputati*) Græcè (σοὶ λελογίσμεθα.) Pronomen videtur possessiuũ σοὶ, sicut in priore membro; nec repugnat vt simplex sit: quo vtroque modo Vatablus accipit. Vel tibi deputati sumus & curæ tuæ: vel tui, hoc est, apud te in pretio, tibi chari, in tuorum, quos peculiariter amas, numero: denique tui reputati, æstimati, tuis veluti rationibus imputati, tibi addicti, toti tui, &c. Hæc omnia valet τὸ λογίζεσθαι. Lege, si te delectat, variã arithmeticam computandi rationem ad mores applicatam ab Olcot [g], variósque computantium modos versibus his comprehensos:

Addere, subtrahere, duplere, dimidiare,
Sextáque diuidere, quinta verò multiplicare;
Radicem trahere pars septima dicitur esse.

Addit, inquit, nobis peccantibus tempus pœnitentiæ, vt conteramur, quemadmodum quondam Ezechiæ [h]: subtrahit quandoque malos, & impeditores quietis nostræ, vt proficiamus, quod in Prouerbiis [i] dicitur de susurrone, Paulúsque [k] admonet, vt subtrahat se quisque ab omni fratre ambulante inordinatè: duplicantur spiritualia, & nunc quantum ad virtutes tum naturales, tum supernaturales, quod est vestiri duplicibus [l], & in futuro propter duplicem stolã animi, & corporis, quę est possessio dupliciũ [m]: dimidiat pœnas, citra condignum puniendo, quasi dimidiam partem fructus ligni, quod est portionis suæ, relinquat [n]: diuidit per diuisiones gratiarum [o], quas diuersis communicat: radices attrahit, quando peruersas cogitationes denudat, & eradicat [a].] Subdit varios modos computatorum, nimirum dæmonum, hominum arrogantum, Dei, Angelorum bonorum. Sunt hæc omnia magis acuta quàm solida.

a de fide, & operib. c. 22.
b Psal. 7. 12.
c Ierem. 5. 21. 22.
d Psal. 75. 12.
e supra.
f suprà.
g lect. 168. vel 169.
h 4. Reg. 20. 6. Esa. 38. 5.
i Prou. 26. 20.
k 2. Thess. 3. 6.
l Prou. 31. 21.
m Esa. 61. 7.
n 1. Machab. 10. 30.
o 1. Cor. 12. 4.
a Prou. 15. 5.

Vers. 3.] Nosse enim te, consummata iustitia est: & scire iustitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.

CONfessio ista professióque fidei nostræ de tuis illis attributis misericordiæ, potentiæ, prouidentiæ, videlicet cum fidem comitante nostro erga te amore, & cùm vicissim amamur à te tanquam peculiari nexu tui, nostra est perfecta iustitia: *corde namque creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem* [b], & ex tam salubri velut radice fructus existit immortalis felicitatis. Hoc & quæ sequuntur de beneficio vitatæ falsæ religionis, ostendunt non agi priore versu de solis prædestinatis, sed de quibuslibet orthodoxis, qui simul factis & vita Deum piè colant, seu de populo Hebræo, apud quem erat vera ac recta de Deo fides, & syncera Religio. Dixi notitiam ac scientiam Dei, & potentiæ, aliorúmque attributorum eius esse consummatam iustitiam, & radicem felicitatis, eo modo quo de fide affirmari solet: & Christus [c] vitam æternam asseruit, vt quis cognoscat solum verum Deum, & quem hic misit Iesum Christum. A fide salutis inchoatio est; vbi charitate fuerit informata, perfectionem & consummationem obtinebit sanctitatis, cui respondeat merces beatitudinis, si prodeat in opus, cùm potest.

Nosse te, consummata iustitia est.] Non placent mihi Hugo & Olcot, notitiam clarè videntium Deum hîc accipientes; vt nec citata Christi verba existimo sensu literali aliter intelligẽda quàm de fide. Minùs quod ait Hugo, Deum Patrem intelligi hoc loco, qui nondum cognitus fuerit, sicut est cognita secunda persona per Incarnationem; tertia in specie colũbæ [d], atque linguarum [e]. Neque huc proculdubio respexit Auctor; neque minùs visus dici Pater potest, siue cognitus per alia symbola multa, tum in vetere, tum in nouo Testamento. Denique consummata iustitia nõ hîc significat beatitudinem: non minùs etiã Christus vitam dixit æternam ipsummet à Deo Patre missum cognoscere, quàm eundem illum Patrem. Vrgetur potissimùm fides contra errores idololatrarum, apud quos propterea non poterat esse absoluta & verè perfecta iustitia. Quod suo item modo verum erat de Iudæis adhuc versantibus in ignoratione Christi. Affinem Ieremias [f], sed Dei verbis refert sententiam; *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.* Nam qui probè nouit Deum, facilem & expeditam habet ad Deum colendum viam, & ad alias consequendas virtutes, quibus id ritè ac perfectè fiat; ita vt quodam modo illæ tanquam in radice contineantur in fide. Hæc, auctore B. Thoma [g], si tamen B. Thomas est, censeri candelabrum potest, quod Zacharias [h] vidit, ex quo septem hastilia cum lucernis totidem procedebant. Testimonio illo Ieremiæ vtuntur Nazianzenus [i] & Augustinus [k], vt persuadeant gloriandum, & confidendum in Deo, & in eiusdem practica notitia.

Iustitiam, & virtutem.] Græcè vnicum nomen

b Roma. 10. 10.
c Ioan. 17. 3.
d Matth. 3. 16. Marc. 1. 10. Luc. 3. 22. Ioan. 1. 32.
e Act. 2. 3.
f c. 9. 23.
g in c. 1. Apocalyp.
h c. 4.
i ora. 16 de paupe. amore.
k de bono perseu. c. 14.

A

est (*τὸ κράτος*, *virtutem*) id est, potentiam. Forsan Interpres indicare voluit, ad capessendam iustitiam vtramque requiri cognitionem, tum potentiæ Dei, tum iustitiæ, vt huius illa sit velut instrumentum, quo cuiuis tribuatur pro meritis.

Radix immortalitatis.] Et de charitate *radicis* vsurpauit Paulus [a] vocem, necnon *fundamenti*, cùm in ea nos radicatos & fundatos dixit. Soliditatem ac vitam charitas fidei communicat; licèt fides ipsa per se substantia sit (ὑπόστασις [b]) & fundamentum ac firmamentum [c]; & radicis humorem vitalem talem habeat, sine quo non posset verè dici, vt verè tamen dicitur, iustum ex fide viuere [d]. A charitate fides consequitur maiorem constantiam, quia qui amat, plerumque firmiùs

a Ephe.3.17.
b Heb.11.1.
c Coloss.2.5.
d Rom.1.17. Abac.2.4. Galat.3.11. Heb.10.38.

B

credit: vitam illam, quæ sita est in coniunctione cum Deo per affectum, & influxu gratiæ iustificantis, fidémque informantis, ac veluti viuificantis, & ad opera excitantis, sine quibus mortuam Iacobus vocat [e]. [Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet species, inquit Augustinus [f]; & tamen quidquid est in arbore pulchritudinis, vel decoris, totum ex illa procedit: sic ex fidei humilitate quidquid meriti, quidquid beatitudinis anima susceptura est, ex fidei fundamento procedit. Vnde signanter dicitur quòd fides est radix immortalitatis.]

e c.2.20.26.
f in Ioan vel citat. Olcot. lect.168.

C

Immortalitatis.] Anima immortalis est; erit & post resurrectionem corpus immortale. Tamen *immortalitatis* vocabulo etiam felicitas intelligitur, sine qua mors potiùs immortalis censetur, vel semper moriens vita, animam corpúsque habentium immortale, quæ & mors secunda nominatur, quàm vita simpliciter & absolutè. Lege caput tertium [g].

g vers.4.

*Vers.*4.] Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec vmbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores.

D

GRatias habet Deo, quòd nō fuerit ipse quoque in eorum numero, qui falsa numina venerantur, ac fictis decipiuntur imaginibus. Monent Lyranus & Carthusianus loqui huius libri auctorem Philonem de suo tēpore; ante id enim idololatriæ populum deditum fuisse. Persuadet hæc ratio non de illo Philone, qui vixit ætate Apostolorum, licèt tunc nollent Iudæi Caij statuam in templum recipere, vt antè meminimus. Nam potuit alius hoc antiquior esse, quo viuente non colerent idola Hebræi. Vel quia Hebrçorum lex [h] vetabat idola, tametsi magna illorum pars coluerit subinde idola, etiam cùm scriberetur hic liber; idcirco meritò scriptor gratias agit Deo, qui populum illum vera cognitione sui imbuerit, & syncera ipsum colendi religione. Salomon si libri huius est auctor, debet eodē pacto responderi, de seipso loqui, vt & de populo, iuxta legem, quoniam ipse coluit idola: vel scripsisse librum priusquàm idola coleret. Sed in Pręfatione docui probabilius videri à Salomone non editum.

h Exod.20.3. Deut.4.15.

E

Mala artis excogitatio.] Græcè (*κακότεχνος ἐπίνοια.*) Multo melior Interpretis versio quàm aliorum, vt Vatabli (*insidiosum inuentum*) & Iansenij (*maligna admentio:*) exprimitur enim ab Interprete ars ipsa excogitatrix, effectríxque idolorū; mala verò dicitur, quia inducit ad malum: sicut etiam ars hominum, quia Deus, sine quo tamen

A

nihil fit, huiusmodi artem in eum finem perniciosum non communicauit.

Umbra picturæ.] Græcè (*σκιογράφων*) est in emendatis libris, & apud Cantacuzenum, id est (*adumbrantium*) túncque iungendum id sequentibus nomen erit, *πόνος ἄκαρπος*, *labor sine fructu*, aut *infructuosus*. Complutenses, Regij, ac multi alij libri habent (*σκιὰ γραφῶν*, *umbra*, vel *adumbratio picturarum*) quæ per appositionem vocatur labor sine fructu. Non dicitur vmbra picturæ hoc loco, quòd species imaginis citò transeat, vt Hugo & Olcot [a] volunt: nec ob apparentiam solam, vt Carthusianus, quòd nihil sit nisi in superficie; sed propter vmbras, eminentias, interualla. Præterea,

a lect.169.

B

quoniā vmbra, quam proiicit corpus velut imaginem, dedit occasionem externas imagines exprimendi, vt antè notauimus de Core Corinthia. [Non esset pictura, inquit Fabius [b], nisi quæ lineas modo extremas vmbræ, quam corpora in Sole fecissent, circumscriberet.]

b lib.10. instit.

Effigies sculpta per varios colores.] Græcè (*εἶδος σπιλωθὲν χρώμασι διηλλαγμένοις*, *species maculata coloribus variis*, seu *distinctis*, *permutatis*, *hinc inde collocatis ac distributis.*) Figuratè tabella infici dicitur (à fuco, vt Diomedi placet) & maculari coloribus: sed & marmora variegata coloribus maculas habere. [Delectant nos, ait Seneca [c], ingentiū maculæ columnarum:] & Plinius [d] maculas vsurpat

c epi.116.
d lib.33.c.15.

C

discolores. Notare forsitan Auctor voluit Græco illo participio impurum artificem cupiditate sordium, id est, auaritiæ studio, sordes colorū aspersisse statuis. Interprès maluit *sculpendi* verbo vti, quia de idolis loquebatur, quæ non planæ in tabulis, sed ex materia cōfectæ imagines sunt, quas facit statuarius, aliúsve faber, licèt superinductis interdū coloribus. Porrò *σπίλος* significat quoque *in facie næuos*, & *varos*, & *cicatriculas*: adhæc *saxum*, *rupem*, *saxosam eminentiam*, *locum salebrosum*, *insulam extantem in mari*, *scopulum*. Sculptor autem demendo ac resecando, partes idoli extātes & eminentes facit. Nec legi tamen qui verbum *σπιλόω* in hac notione acceperit. Pro *effigie* est *εἶδος*, vnde *εἴδωλον* per diminutionem & contemptum.

D

Vers. 5.] Cuius aspectus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.

MAgna dementia, tantopere affici coloribus, & mortuæ rei figura, quam nō natura contulit, sed artificis manus, vt propter externam illam pulchritudinem adducatur quis ad idolum venerandum colendúmque.

E

Insensato.] Græcè (*ἄφροσιν*, *insensatis*, *amentibus*, *stultis*, *imprudentibus*.)

Dat concupiscentiam.] Græcè (*εἰς ὄνειδος ἔρχεται*, *in opprobrium venit*.) Meminit Vatablus huius lectionis, qua Sixtiani nunc codices Grçci vtuntur, licèt Complutenses, Regij, multíque alij habeant *ὄρεξιν*, itáque legerit Cantacuzenus: quæ etiam lectio aptiùs congruit sequentibus, & ei est consentanea interpretatio Latina. Concupiscentiam omnes Latini, præter Bonauenturam, necnon Paraphrastes ille Græcus, referunt ad effrenem cupiditatem colendi idolum, quæ cupiditas ab idoli fit excitata pulchritudine. Bonauentura vniuersè interpretatur malum quodcumque, ad quod ex occasione incitat idololatria. Quidam [e]

e Pineda in c.40 Iob. vers.16.n.4.

intelliguut de turpi libidine, quam suis dæmon cultoribus habitans in idolo suggereret: eáque etiam de causa nomine fornicationis idololatriã designari:dicique apud Iob[a] in isto sensu dormire sub vmbra, id est, sub idolo: atque generale nomẽ Baal de idolo, seu dæmone vsurpari, quasi dicas maritum, scilicet non solùm ob fornicationem figuratã, sed realem ac verã. Prima expositio melior; quãuis priore capite docuerim, ipsasmet idolorum statuas à nonnullis obscœnè turpitérque adamatas, testes proferens Arnobium, Plinium.

Diligit.] Græcè (*ποθεῖ, desiderat, concupiscit.*) Suadet hoc verbum rectiùs antè lectum ὄρεξιν, quàm ὄρεξιϛ.

Effigiem sine anima.] Græcè (*εἴδος ἄπνουν, sine spiritu, & respiratione.*) Non respirant propriè pisces, vt multi putant [b], etsi secus de multis Aristoteles [c], Plato [d], Galenus [e], Plinius [f], & recentiores [g]: hos tamen Syri, vt & Dercetũ, pro Diis habuerũt; nec à Derceto Dagonem celebrem Palæstinorũ Deũ nõnulli distinguunt: est enim דג *dag piscis.* Cõsule Gyraldũ [h]. Sed Interpres animam, vt spiritus etiã dicitur, sumpsit: & certũ est, idolis respirationem impossibilẽ esse ex omni genere suo, id est, vt idola sunt: cùm piscibus nõ repugnet respirare, quia sũt animalia, sed talia, vt aliqui fortassis respirẽt.

a Iob. 40. 16.

b Aristot. de sensu & sensili. Basil. ho. 7. hexam. Ambros. lib. 5. hexam c. 4. Procop. Gen. c. 8.
c 6. de histo. animal c. 13.
d in Timæo.
e de vtilita. respirat. qui liber est spurius.
f lib. 9. c. 7.
g vt Vielmius Genes. 1. lect. 22.
h de Diis Gẽtiũ syntag. 1.

Vers. 6.] Malorum amatores digni sunt qui spem habeant in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.

MErita dignáque pœna, vt suam in idolis spem locent, inanem scilicet, infrugiferam, perniciosam, quotquot vel faciunt ipsa, vel eorum flagrant amore, vel conseruanda colendáque censent.

Malorum amatores digni sunt qui spem habeant in talibus.] Græcè (*κακῶν ἐρασταὶ ἄξιοί τε τοιούτων ἐλπίδων, malorum amatores & digni talibus spebus*; aut *rerũ, opificúmq; talium rebus.*) Aliqui libri omittũnt verbum substantiuum (*sunt*) alij legunt (*digni morte*) quidam (*habent*) nonnulli (*in tabulis.*) Lucas Brugẽsis detracto (*sunt*) approbat lectionem nostram, meritóque reprehendens glossematicos, qui retinuerunt (*morte*) pro vt etiam codices Complurenses, ac Regij, sic locum explicat. Malitiæ omnis vberrimum fontem amant & ij qui faciũt idola, & ij qui fieri, colíque desiderant, & ij qui colunt. Vel, idolorũ amatores digni sunt (ita vt particula τε abundet) qui in idolis inanibus inanes spes collocent, & ij qui idola faciunt, &c. Paulò aliter Iansenius, resecans quoque duas voces, *sunt, morte,* (*& qui faciunt illos, & qui diligunt* vel Græcè *desiderant*) *& qui colunt, amatores malorum* (nempe sunt) *& digni tali spe.*) Vatablus eodem sensu (*malorum amatores sunt, taléisque spes habere digni talium opifices, amatores, cultores.*) Ab his non abhorret Interpres; sed perspicuè potiùs & magis euoluit, quæ implicant alij.

Qui diligunt.] Græcè (*οἱ ποθοῦντες, desiderantes.*) Nonnulli codices (*ποιοῦντες*) sed cum mendo: est enim hoc synonymum cum præcedente *ἀγαπῶντες*.

Vers. 7.] Sed & figulus mollem terram premens, laboriosè fingit ad vsus nostros vnumquodque vas, & de eodem luto fingit quæ munda sunt in vsum vasa, & similiter quæ his sunt contraria; horum autem vasorum quis sit vsus, iudex est figulus.

IDolorum varij opifices, non statuarij soli, verùm etiam, imò & antiquiores figuli, vt iam nõ semel dixi. Sed elucet in opificio figlino vanitas idoli maximè, propter vilitatem materiæ, & operandi modum, & quia ex luto faciliùs vasa comparantur ad abiectos & sordidos quosque vsus, tum promptiùs tenuiores idola sibi mercari possunt. Satis pro instituto multa videor priore capite de hac disseruisse vanitate idolorum cũ Prophetis Esaia, & Baruch, cúmque nonnullis Patribus. Ex istis Arnobius[a] premit valdè Gentiles isto eodem argumento, quod ita colligit, postquam euicit, nullum tam stolidè cœcum esse qui æs, aurum, gypsum, ebur, atgillam, hæc per se sumpta, hisve similia corpora, Deorum in numerum referat. [Quænã est ergo ratio, vt si omnia hæc corpora intacta, atque infecta permanserint, careant vi numinis, atque auctoritate cœlesti; ea, formas si accipiant hominum, si auriculas, nasos, buccas, labra, oculos, cilia, continuò Dij fiant, & in ordinem cœlitum referantur & censum? Nouitatis aliquid fictio corporibus his addit, vt abiectione ipsa cogamini aliquid eis credere diuinitatis maiestatisque collatum? &c.] Plura ille ibi.

a lib. 6. cont. Gent.

Figulus mollem terrã premens laboriosè fingit.] Græcè (*κεραμεὺς ἁπαλὴν γῆν θλίβων ἐπίμοχθον πλάσσει.*) Figuli labor ac industria describitur egregiè ab auctore Ecclesiastici [b]. *Sic figulus sedens ad opus suũ, conuertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum, & in numero est omnis operatio eius. In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curuabit virtutem suam* (vim eius, nempe luti) *Cor suum dabit vt consummet linitionem, & vigilia sua mundabit fornacem.* Porrò mollis terra hoc loco, vt obseruat Cantacuzenus, lubricitatem & raritatem materiæ demonstrat, quæ idcirco vt subigatur maiorem requirit laborem. Testes Hebræi, quos Pharao in opere luti occupabat, ita vt ascenderet ab eo opere clamor ad Deum, & respiceret illos Dominus, & cognosceret eos [c], id est, grauitatem laboris. Sed & cùm narratur primus homo de luto, siue de limo formatus à Deo [d], voluit Ambrosius [e], vt attenderemus quanto Deus labore, si ita loqui fas est, quanta hominem cura formauerit. Id ipsi pridem admonuimus [f]. Et congruit ac fauet verbum *πλάσσειν*, quòd indicat propriè cœnosam materiam, vt non hîc modò Cantacuzenus notat, sed etiam Basilius [g], & eius frater Nyssenus [h]. Eadem ratio de יצר *iatsar.* Argumentabatur nescio quis vili genere ortus Ægypti Rex, cùm à suis propterea despiceretur, honorem habendum dignitati, sicut ex abiecto confectum vase idolum sine cunctatione omnes adorabant.

b c. 38. 32. 33. 34.

c Exo. 2. 23.

d Gen. 2. 7.
e 6. hexam. c. 9.

f c. 10. 1.

g homil. 11. hexam.
h or. 2. 2.

Vers. 8.] Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto, ille qui paulo antè de terra factus fuerat, & post pusillum reducit se vnde acceptus est, repetitus animæ debitum quam habebat.

NIhil magis ridiculum, quàm quòd ille ipse qui de luto formatus est homo, & in id mox resoluetur, vt naturæ debitum soluat, ex eadem

tamen Deum ſuum formet fingatque materia. Acutè iudicium notat Hugo diuinum, vt qui de terra factus animam, hoc eſt, rationem ſequi noluit, quæ Deum dictabat colendum, & propter quam ſimilis erat ipſi, viliorem ſui partem, nempe terrenum corpus auſcultando, luteum quoque adoraret proprio corpori ſimilem Deum.

Cum labore vano Deum fingit.] Græcè (*κακόμοχθος θεὸν μάταιον πλάσσει, malè laborans Deum vanum fingit.*) Vatablus (*peſſimè locans operam Deum vanum figurat:*) Ianſenius (*iniquus operarius*, &c.) Oſorius (*operarius laborioſus, & impius.*) Interpres videtur *μάταιον* aduerbialiter ſumpſiſſe, cùm dixit (*vano labore*) & per laborem voluit *κακόμοχθον* exponere, id eſt, *laborem difficilem*, ſeu *laborantem cum difficultate*, contentus tamen nomine *laboris*, qui ſi verus labor eſt, eſt quoque difficilis. Sicut autem Latinè labor improbus[a] eſt idem qui durus & moleſtus, ita & *μόχθος κακός*: quemadmodum præterea vocatur diei malitia[b] eiuſdem labor & ærumna, *κακία*, id eſt, *κάκωσις*, quam afflictionem & vexationem Tertullianus[c] vocat. Hoc item ipſo quòd fingi Deum dixit, ſatis intelligi putauit eſſe vanum. Ianſenius & Oſorius vim fecerunt in propria notione τοῦ κακοῦ pro malo, iniquo, impio, &c. Sed & malè dicitur laborare, qui ſine fructu, & lucro. Quò reſpexit etiam Interpres appellans vanum laborem, ſimul includēs κακὸν & μάταιον. In vetere Lexico κακόμοχθος exponitur *in vanum laborans*, ſed abſque exemplo. Vanus eſt labor in fingendis idolis, quia nullum vſum habent, vtilitatem nullam, ſicut habent vaſa.

a Virgil. 1. Georg.
b Mat. 6. 34.
c 2. contra Marcio.

Ille qui paulo antè de terra factus fuerat.] Ex materia elementorum, quorum habet in illa prædominium terra, ſicut & in aliis animalibus. Proximè de terra ſolum Adæ corpus formatum eſt. Sed propter primum parentem nominamur omnes terreni & choici, vt alias dixi[d]. Vnde *Adam* quoque nomen eſt appellatiuum; & homo dicitur ab humo. Pro *factus*, Græcè eſt *γεννηθεὶς*, *genitus*, quod non ita propriè dicetur de Adam, qui per veram generationem productus non eſt, ſed à Deo immediatè fictus atque formatus; vnde & eum B. Lucas[e] filium Dei nominat.

d c. 10.
e c. 3. 38.

Reducit ſe vnde acceptus eſt.] Græcè (*πορεύσεται ἐξ ἧς ἐλήφθη, abibit ex qua ſumptus eſt*) nēpe in terrā. In aliquibus libris (*ſe educit*, vel *eduxit ſe*, vel *reduxit ſe*) quemadmodum in capite quarto[f], *cùm ſe eduxerit, ἀπελθῶσιν.* Patimur potiùs quàm agimus, reducimur magis quàm reducimus ipſi nos, quando in terram reſoluimur, tendimúſve in hanc reſolutionem. Sed ex vſu loquendi phraſis iſta ſignificationis actiuæ paſſiuam habet: & præterea compugnantia calidi, & humidi dum viuimus nobis tribuitur tanquam agentibus. Communis eſt omnibus lex: ideo non eſt cur Hugo & Bonauentura peccatis aliis tribuant quàm communi, hoc eſt, originali; niſi vel nouum intelligant titulū demeriti, vel celeriorem ſæuioremque mortē.

f verſ. 2.

Repetitus animæ debitum quam habebat.] Græcè (*τὸ τῆς ψυχῆς ἀπαιτηθεὶς χρέος, animæ repetitus debitum.*) Explicationis gratiâ Interpres addidit cætera. Lex illa, quā dixi, & iuſtus eius lator à nobis repetit Deus debitū, quod incurrimus ob originale peccatum; reddendi tum animam, quæ ſeparata perſeuerat, & ſic redit ad Deum, qui dedit illam[g], ſubſiſtens, immortalis, ſpiritualis, ſicut ille, nec alium habēs ſuæ conditorem entitatis, quàm illū: tum vitam, quæ data eſt iſta conditione, vt poſito dicto peccato, deſineret aliquando cum animę ſeparatione à corpore. Repetit quoque terra ipſa velut debitū, vt ſibi reſtituatur corpus, quod ex ea formatum eſt, & ex ipſa conſtat, & ſuapte natura in eam tendit, niſi vel originali iuſtitia, vel alio dono muniatur. Homo eſt qui debet, quod debetur anima eſt, tum pro ſubſtantia ipſa eius, tū pro vita. Poteſt nihilominus etiam dici debitum animæ, ita vt anima intelligatur debere, quoniā illa eſt quæ propriè peccauit, peccatóve infecta eſt; & ideo contraxit debitum, ne liceat ei ſemper eſſe in corpore, & vt hoc moriatur. Stultus eſt qui nō reputat repeti animam poſſe hac ipſa die, vel nocte. Dixit autem illi Deus, inquit Chriſtus apud Lucam[a], *ἄφρον ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ. Repetendi* verbum indicat moriendum etiam inuito ac reluctanti: quamuis à libenti repeti debitū poſſe creditoris iuſſu ac voluntate, qui vetat ſolui debitum hoc priuſquàm exigat ipſe: ipſi quoque in morte rationem veluti adminiſtratæ rei alienæ reddendam de vita, & quæ in ea geſta ſunt: & in Euangelio Lucæ verbum eſt præſentis temporis propter ingruentem ſemper mortem: numeri pluralis, quia tanquam Dei miniſtri exigunt vitæ debitum conſtitutio ipſa corporis, externæ iniuriæ cœli, & elementorum, vitæ neceſſitates, morbi, & alia; geſtorum autem in corpore Angeli boni, malique pro Deo rationem repoſcunt.

g Eccle. 12. 7. vbi lege cōment. noſtrū.
a Luc. 12. 20.

Ambroſius[b] in eodem verbo *repetendi*, ſeu *repoſcendi* (vtitur *expoſcendi* verbo Tertullianus[c]; Cyprianus[d] *expoſtulandi*) obſeruat animæ immortalitatem. [Numquid dixit, inquit, moriatur in te anima tua? Non; ſed repoſcatur à te. Quę data eſt, repoſcitur; vel repetunt à te. Repetitur enim anima, nō interimitur. Quod repetitur, manet: quod interimitur, non manet.] Perfrequens eſt profanis quoque auctoribus ea formula, dediſſe naturam vſuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die: non eſſe quod conqueramur, ſi repetat cùm vult; ea enim conditione nos accepiſſe[e]: tanquam à Magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic à Deo euocatos nos atque emiſſos exire debere[f]. Denique naturæ debitum vocant mortem, naturæ legem, tributum, officiúmque mortalium[g]. Edocti ſumus per fidem, peccati mortem ſtipendium eſſe[h], & per peccatum intraſſe in orbem, atque in homines pertranſiſſe[i]; & idcirco peccata dici debita[k], quia propter illa debemus mori, etiamſi non aliunde eſſemus obnoxij propter originale.

b de bono mortis c. 10.
c 4. contra Marci. c. 28.
d de oratio. Dominica, & lib. de oper. & eleemoſy.
e Cic. Tuſc. 1.
f ibid. & de Senect. & in ſomn. Scipionis.
g Senec. 6. natu. qq. e vi.
h Rom. 6. 23.
i Rom. 5. 12.
k Mat. 6. 12.

Verſ. 9.] Sed cura eſt illi, non quia laboraturus eſt, nec quoniam breuis illi vita eſt, ſed concertatur aurificibus & argentariis: ſed & ærarios imitatur, & gloriam præfert, quoniam res ſuperuacuas fingit.

PErgit in inuectiua ſeu reprehēſione figuli, qui non curet, cogitétve quantos ferat in re vili ac nihili labores, quámque breuem, vilem, laborioſam ducat vitam, modicum faciens quæſtum; ſed pertinaci ſtudio contendat ambitioſè cum aurificibus & argentariis exæquari, quorū opera & propter materiam pretioſa ſunt, & diutiſſimè durant: illi verò perſæpe propter artis vtilitatem atque præſtantiam ditēſcunt; ſicut & ærarij. Laudata ſcimus admodum figlina quædam opera, & in fragiliore materia celebratam artem;

comme n

A commendata quoq; Samia vasa (in Samo plasticen primùm repertam tradunt [a]) de quibus Plinius[b], déq; mirandis aliis ac summoperè æstimatis ex ista materia operibus;& ex aliis auctoribus auctor Theatri vitæ humanæ [c]. Sed hæc ipsa propter tenuitatem multo frangebantur faciliùs.

a refert Plinius lib. 35. c. 12.
b ibid.
c volum. 21. lib. 4.

Scis [d] *tu, vt confringi vas citò Samium solet.*

d Plaut. in Bachid.

Testis Cotys Thracum Rex, qui, quòd solebat diriùs in famulorum delicta sæuire, allata dono confregit vasa fictilia cælaturis & sculpturis elaborata, ne in illos qui ea fregissent, asperiùs animaduerteret [e]. Idcirco inuehitur magis Auctor noster in figulum, quòd versetur in viliore materia & fragiliore, qua re nihil magis abhorrens videatur à Diuinitate, & in valdè parabili, quo B fieret vt plures confecta ex ipsa sibi compararent idola: postremò, quoniam ipsa fingendi ratio quędam quasi tacita exprobratio erat veteris beneficij, formati ex luto à Deo [f] humani corporis, & admonitio fragilis conditionis.

e Plutarc. in apopth.
f Genes. 2.

Sed cura est illi, non quia laboraturus est]Non eum angit φροντὶς, *cura*, ὅτι μέλλει κάμνειν, *quòd futurus est laborare.* Id intelligi multis modis potest: vel de labore artis: vel de labore ac molestia, quā capiet ob periculū ne opera frangantur, multóque magis si fracta fuerint: vel de labore paupertatis, quæ cum huiusmodi artis exercitio coniuncta est: vel de labore morbi: vel de labore afflictionis, cùm repetetur animæ debitum, & ratio exigetur anteactorum: vel de labore ipsiusmet mortis: vel de labore C post mortem in æterna dānatione. Iansenius duos vltimos eligit sensus: Cātacuzenus primos duos: cæteri Latini tertium: sed ita vt intelligamus, nō quòd figulus non habeat curam de dicto labore, quem sua secum ars affert, sed quòd nō solùm id curet, & quòd sit vita breuis, &c. Existimo argui figulum, quòd incuriosum se gerat in re magni momenti, & vni studeat in primis gloriæ, nec labori parcens, nec vitæ; quæ gloria inanis est, & ex re penitus inani atque inutili collecta. Conficit seipsum labore, mactat & interimit (quod vtrūque significari potest verbo κάμνειν, vnde καμόντες, *ægri*, vel *mortui*) vitæque sibi cursum præcidit. La-D tini quoque laborare vsurpant in ægritudinibus; vt omittam Ecclesiasticam *laborantium* vocem, pro iis qui mortuorum corpora curabant [g].

g Epiphan. in compend. doctrinæ. Ignat. epist. 11.

Nec quoniā breuis illi vita est.] Græcè (οὐδ' ὅτι βραχυτελῆ βίον ἔχει, *neque quòd breuis finis vitam habet.*) Posset quoque significare parui pretij vitam. Sed illud melius; & cui βραχὺ τέλος, id est, *finis*, iuxta vnam notionem, est etiam βραχὺ τέλος, *breuis impensa, vectigal, dignitas*, iuxta eiusdem vocis alias acceptiones.

Concertatur.] Græcè (ἀντερείδεται, *contrà litigat, cōtendit, pugnat, certat*) vulgò (*contrasta, fa à competenza, compete.*) Est igitur deponentialiter, vt ita loquar (*concertatur*) pro (*concertat*) non ita bene imperso-E naliter, id est, concertatur ab eo. Certamen in eo est, vt & quæstum reportare maiorem speret, quia vilitas ad emendum inuitat omnes etiam tenues; & laudem, quia ostentari videtur ars magis in materia fragili & subtili. Celebris parœmia Hesiodi [h].

h in Ergis.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει. ———

Et figulus figulo inuidet. ———

Laudabilem tamen existimat æmulationem, & vtilem mortalibus inter artifices, quando ad industriam & honestas inde artes ipsi expergesiūt, etiamsi lucro incitentur, & alterum alter æmuletur εἰς ἄφενον σπεύδοντα: nam ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσιν. Vnde non facilè permittuntur monopolia. Innuitur præterea, concertationem illorum fuisse cum aurificibus, argentariis, fabris ærariis, vt eos vel superare, vel saltem æquare in sua possent arte, quamuis in materia superarentur.

Gloriam præfert.] Græcè (δόξαν ἡγεῖται, *æstimat, reputat, præfert suam aliorū gloria laudiq; præ se quodammodo, & ante se fert, profitetur, ostentat, iactat, prædicat.*)

Quoniam res superuacuas fingit.] Græcè (κίβδηλα, *imposturas, res adulterinas, & falsatas*) vt in nummis accidit. Romæ Posis plastes vuas pinxit & pisces, ita vt aspectu discerni nō possent à veris, vt Varro, quem citat Plinius [a], prodidit, dicens effigies Deûm hac factas arte, atq; miniatas fuisse lauda-B tissimas. Non ergo res superuacuæ significāt hoc loco quæ sint nullius pretij, aut nullum habeant vsum, nec enim esset apta ratio cur figulus gloriā præferre diceretur, ac pluris æstimare se quàm fabros aurifices, argentarios, ęrarios. Nisi laus in eo sit, quòd, vt dicebamus, & Latini notant Expositores, magis venales essent figlinæ statuæ propter vilitatem pretij, simúlque propter artificij elegātiam & excellentiam. Pro *superuacuis* cap. 12. [b] Græcè legitur ἄτιμα, *vilia*, & cap. 11.* εὐτελῆ, *vilis pretij.*

a lib. 35. c. 12.
b vers. 24.
* vers. 16.

Vers. 10.] Cinis est enim cor eius, & terra superuacua spes illius, & luto vilior vita C eius.

NEc mirum si talibus ex rebus gloriam figulus venetur: & magna dignus reprehēsione, quòd id faciat, luteus totus cùm sit & cinereus, non tractans manibus, corde non cogitans, vel sperans nisi lutum, nisi cinerem, & in hæc ipsa tādem corpore ipso resoluendus. Amor amantem trāsformat, & si res amara sit deformis, deformat. Abominabilis quisque fit sicut ea quæ diligit [c]. Damnatus est ad gradiendum super pectus serpens, & comedendam terram cunctis diebus vitę suæ [d]. Id mysticè putant nonnulli de diabolo tantùm accipi debere, qui super eos homines gradia-D tur, qui ita terra sunt, vt non desiderēt, aut respiciant cœlum, & quærat eos ac deuoret odio insatiabili. Loquitur hoc modo Rupertus [e], & ante ipsum Augustinus [f], Gregorius [g], Beda [h], Hugo [i] S. Victoris, & alij. Quid ergo miramur, si quodam quasi vindictæ studio diabolus idem in terra, terreóq; idolo adorari cū primis voluerit? Videri hinc præterea potest facere, quod ad secūdum caput [k] olim dicebamus, cinerem esse cor, propter natiuum calorem, qui depascendo humidum efficit veluti concrematronem, & post compugnantiam fractis vtriusque viribus cineris instar ac terræ corpus resìdet.

c Oseæ 9. 10.
d Gen 3. 14.
e lib. 2. de victo verb Dei. c. 15. lib. 3. de Trin. c. 18.
f 2. de Gene. cōt. Manich. c. 17. & 18. lib. 11. Genes. ad litt. c. 16.
g 3. p. Past. c. 20. lib. 21. moral. c. 2.
h in c. 3. Gen.
i ibid.
k vers. 2. & 3.

E *Cinis est enim.*] Addita est particula rationalis: quamuis non tam vt ratio reddatur prædictorū, quàm asserendi causá, cùm incipiat hinc inuectiua in fictorem, siue figulum idolorum. Est autem cinis atque σποδὸς propriè puluis sordidus, existens ex igne, mixtósque habens carbunculos.

Terra superuacua spes illius est.] Græcè (γῆς εὐτελεστέρα ἡ ἐλπὶς αὐτῶν, *terra vilior spes illorum.*) Demittit enim & abiicit se ad res viles, atque ex ipsis pendet, ac veluti finem statuit in ipsis, quæ inter caussas maximè nobilis. Idem exprimunt adhuc sequentia magis, *luto vilior vita eius*, πηλοῦ ἀτιμότερος ὁ βίος αὐτοῦ. Vbi duo sunt illa nomina Græca, pro quibus paulo antè monuimus Interpretem

usum nomine *superuacui*. Videtur mihi superuacua quorundam notatio, terra dici superuacuã spem, id est, vacuam super terra, hoc est, viliorem terra. Tropologicè cinis, qui vento spargitur, superbiã vitæ designat: terra, in qua sunt quæ concupiscũtur externa bona, concupiscentiam oculorum: lutum, quod inficit & maculat, concupiscentiam carnis [a]. Idolorum seruitus auaritia est [b]: Deus quoque nonnullis venter est [c]: superbia de throno deturbat Deum verum. Iob [d] seipsum comparat luto, fauillæ, cineri.

a Ioan. 2. 16. b Gal. 5. 20. Coloss. 3. 5. c Philipp. 3. 16. d c. 30. 19.

Luto vilior vita eius.] Præter id quod modò dicebam, obserua, in rebus externis, quæ pluris æstimari solent, ac in pretio haberi, aurum, & vestes, quando contemnuntur, cum luto comparari propter copiam & vilitatẽ. *Sternet sibi aurum*, ait Iob [e] de Leuiathã, *quasi lutum*: & de impio [f]; *si sicut lutum præparauerit vestimenta.* Alius maximè despiciens inimicos, vt lutum platearum ab se delendos profitetur [g], nec renuit, si reddiderit retribuentibus sibi mala, vt conculcetur ab inimico vita sua [h]: & de hero suo affirmat maximè indignans seruus [i];

e c. 41. 21. f c. 27. 16. g Ps. 17. 43. h Ps. 7. 5. 6. i Plaut. in Pænulo.

Neque periurior, neque peior alter est vsquam gentium
Quam herus meus est, neque tam luteus, neque tam cœno collitus.

Vers. 11.] Quoniam ignorauit qui se finxit, & qui inspirauit illi animam quæ operatur, & qui insufflauit ei spiritum vitalem.

HÆc tanti causa erroris, vt luteum fabricans & adorans idolum tam humiliter vilitérque sese abiecerit, quia non attendit factorẽ ac fictorem suũ Deum, qui cũ corpore quod effinxit de limo, simul inspirauit atque insufflauit efficacem animam, vitæ & operationis vitalis principium.

Qui inspirauit illi animam quæ operatur.] Græcè (τὸν ἐμπνεύσαντα αὐτῷ ψυχὴν ἐνεργοῦσαν.) Intelligit Cantacuzenus animam sensitiuam, & in qua tũ moueri, tum augeri, tum locũ cum loco mutare nobis naturaliter inest: per sequentia verba (ἐμφυσήσαντα πνεῦμα ζωτικὸν) rationalem animã, quæ & vitalis simul est & immortalis. Videtur plures in eodem homine animas agnoscere. Sed in verbis istis nihil est quod indicet discrimẽ duplicis animæ; non inspirare & insufflare; nõ anima & spiritus: & quod in Genesi scribitur [k], ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς, καὶ ἐγένετο ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν, *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*, de vna anima debet intelligi, quæ spirandi, ac proinde vegetandi vim, & sentiendi, atque intelligendi habebat, quem Paraphrastes Chaldæus vocat רוח ממללא *ruach memallela*, *spiritum loquentem*: & Hebræum nomen, quod loco ponitur secundo נפש *nephes*, *halitum, flatum, spirationem* significat; quemadmodũ à respiratione dici animam quasi ἄνεμον, ψυχὴν à ψύχω, quod est *refrigero*, existimant. Vitæ opera elucent maximè in animali, ita vt absolutè denominetur ab anima, sicut & Græcè ζῶον à vita, & ab eadem Hebraicè חיה *chaiah*, & plantæ præ animalibus non videantur anima informari, vt Basilius [l] docet, necnon Augustinus [m].

k c. 2. 7.

l hom. 7. hexam. m de Genesi imperf. c. 15.

Fuit nonnullorũ opinio, Deum in mũdi exordio brutis animas de nihilo creatas indidisse, deinceps in propagatione traduci per multiplicationem, vt plures ex accensa vna face sine detrimento accenduntur. Sed hæc, eique similes aliæ, quas omitto, sententiæ rationi repugnant, & plurimũ detrahut de animæ rationalis dignitate, quæ hoc vnu sibi vẽdicat propter immaterialitatẽ & immortalitatẽ, vt à solo Deo procreari potuerit, atque nunc etiamsolus eandẽ per creationem producere possit. Quæuis alia anima est forma materialis, & de materiæ potẽtia educitur, vt inter alios demonstrat Bonauen. [a] citans August. [b] & plures illas de hac re opiniones examinãns. Si autẽ in homine præter rationalẽ alia materialis anima est, non magis diceretur Deus eam inspirasse, vel insufflasse, quàm brutis, quod dè his tamen minimè dicitur; & modò cùm nascimur, produceretur per generationem. Illa insufflatio & inspiratio Dei indicat animam rationalem extrinsecus aduenire corpori, atque ex nihilo creari, & propter nobilitatem suam prodire quodammodo ex ore Dei, quod de diuina Sapientia scribitur [c].

a 2. d. 15. a. 1. q. 1. b ad Oros. c Eccli. 24. 5.

Alibi probauimus non vna rationali anima plures in homine reperiri, sed illam vegetantis & sentientis obire munia, hominique omnem earũ perfectionẽ tribuere, & vnum per se animal viuẽs, sentiens, rationale cõstituere. Caietanus confirmat, quòd spiraculũ vitæ [d], quo nomine anima rationalis intelligitur, Hebraicè dicatur חיים *chaiim* numero multitudinis, id est, *vitarum*. Sed idoneus est, qui nõ minùs de brutis vsurpatur, quã de homine. Vrget modus loquẽdi Christi [e]; *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*: & quòd oportuisset Christo moriente interire animã vegetatiuam & sentientem, & in resurrectione denuò produci & assumi: vel per miraculum extra corpus conseruari, quæ gratis ac temere quis concedat. Heruæus [f], & quidam alij oppositam sententiam censent erroneam. Certè minùs tutam, nec Philosophiæ consentaneam iudico. Lege Conimbricenses [g].

d Gen. 2. 7. e Matt. 10. 28. f tractat. de vnitate form. q. 16. g in lib. 1. de genera. q. 21.

Animam quæ operatur.] Græcè (ψυχὴν ἐνεργοῦσαν.) Est ἐνεργεῖν, inter alias eius verbi notiones, *actu esse*. Id conuenit formæ substantiali, quæ dicitur actus, & vocari potest ἐνέργεια, quoniam est principium actionis. Aliter appellatur ab Aristotele [h], aliisq; Philosophis ἐντελέχεια: quo nomine significatur actus & perfectio (quasi dicas *perfectihabiã*) atque, vt Cicero [i] loquitur, cõtinuata quædam, & perennis motio, maximè adaptãs hoc animæ nostræ; quod de omni anima in definitione posuit Aristoteles, primus, vt multi [k] putant, eius vocis auctor; & cõuenit quoque accidẽtali formæ, siue qualitati consideratæ in actu primo. Lege Budæum [l], Politianum [m], Scaligerum [n], Vilomercatum [o], Rhodiginum [p], Sextum Empyricum [q]. Plutarchus [r] ait, apud Aristotelem ἐντελέχειαν esse ἀντὶ τῆς ἐνεργείας. Nos de his vocibus plura commentario in 1. de anima.

h 2. de anima. text. 6. i Tuscul. k Græci in 2. de anima. te. 1. Porphyr. & Dexippus in lib. Categ. l 1. de asse. m in miscellan. c. 1 n exerc. 307. o discept. de anima rationali. p lib. 2. c. 28. q aduersus Mathemat. c. 17. r de placitis Philosop. c. 2.

Porrò notandũ est, in nõnullis codicibus, quibus quoque Lyranus est vsus, Hugo, Olcot, Bonauentura, Carthusianus, legi hunc locum sic (*qui inspirauit illi animam, & amat quæ operatur*) quasi parenthesis sit, qua miretur Auctor diligi tamẽ idola à figulo, quæ fecit ipse factus à Deo; vel qua significetur amor, quo Deus hominem fecit. His non egemus, cùm resecanda sint (*& amat.*)

Spiritum vitalem.] Distinguunt Lyranus & Hugo animam, de qua priùs, & spiritum, vt illa sit anima, vt corpus administrat, spiritus, vt supernis vacat: illa respiciat vitã naturalem, quãdo *primus Adam factus est in animam viuentẽ*, hic superna-

turalem,

turalem, quando *secundus in spiritum viuificantem* [a]. Bonauentura spiritum è contrario sumit corporeum, & pro materiali respiratione. Videtur distinxisse Paulus cùm scripsit [b]; *vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur*, τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχή. Ibi Theodoretus, Theophylactus, & Scholia Græca per *spiritum* intelligunt Spiritum sanctum, vel gratiam, quæ est ab ipso. Nyssenus [c] citatus à Theophylacto, cùm homo sit admixtus ex omni animarum specie (id est, gradu, & forma metaphysica, non quòd plures physicas habeat, vt antea vidimus) ea quæ plantis inest, sensibili, & intellectiua, dicit Paulum expressisse per spiritum illam quæ est intellectiua, per animam, quæ sensitiua, per corpus, quam habent plantæ. Augustinus [d] spiritum vult esse mentem distinctam ab aliis animæ partibus, & nonnulli alij vim intelligendi vocatum spiritum, animam voluntatis affectũ.

a 1. Cor. 15. 45.
b 1. Thess. 5. 23.
c de creat. hominis. c. 8.
d 4. de orig. animæ. c. 16. & 23.

Arbitror, quod vniuersè idem monet, eandem hoc loco significationem esse animæ & spiritus: sicut in cantico Mariæ [e]; *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus.* [Vnus & idem spiritus, inquit August. [f] & ad seipsũ spiritus dicitur, & ad corpus anima; & anima in quantum est vita corporis, & spiritus in quantum est substantia spiritualis.] Non nego interdum illa duo distinctam vim habere, vt præter allatos locos, in Epistola ad Hebræos [g]; *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus*, id est, partis inferioris, & superioris, à qua spirituales denominantur. Sed aio spiritum sæpe idem prorsus esse quod animam, vt ad Corinthios [h]; *mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu.* Nec dubium quin emittere, & tradere spiritum, & reddere animam, expirare, & exanimari, valeant idem tum in brutis, tum in hominibus. Fauent participia hîc duo ἐμπνεύσαντα, & ἐμφυσήσαντα, *inspirantem*, & *insufflantem*, quæ de flatu & spiritu æquè dicuntur.

e Lucæ 1. 46. 47.
f in idẽ canticum.
g c. 4. 12.
h 1. Ep. 7. 34.

Vers. 12.] Sed & æstimauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitę compositam ad lucrum, & oportere vndecumque etiam ex malo acquirere.

CONditorem corporis & animæ Deum figuli fabricandis idolis intenti videntur sic ignorauisse, vt simul propriæ dignitatis obliuiscerentur, ipsósque se ac vitam suam ludum existimarent, ac mercatum lucri causâ institutum, neque quid ius fásve sit, quid lex sanciat Dei, curarent; sed illud vnum duntaxat, vnde pecuniam facerent siue iure, siue iniuria, & quibuslibet inhonestis sordidísque modis.

Æstimauerunt lusum esse vitam nostram.] Græcè (παίγνιον) vt videlicet occupetur circa idola & icunculas, quibus pueri delectari solent, & cum ipsis colludere, & ludere imaginibus, ædificare casas [i]. Lyranus & Olcot lusum sumunt pro delectatione carnali, & luxu, quam vocem quidam libri habent vice *lusus*: Hugo pro cõtemptu virorum bonorum, quorum vita ridenda sit: Carthusianus pro præsentibus externis bonis, quæ vana sunt ac ludicra comparatione futurorum & æternorum: Bonauentura primos duos dicendi modos amplectitur, & secundum confirmat verbis illis Exodi [a]; *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Eodẽ facere potest lusus Ismaël cum Isaac [b], qui, vt pridem notauimus, vel importabat lasciuiam, vel confictionem & adorationem idolorum. Lusus Bacchi socius fuisse fertur [c], vnde nomen Lusitania sumpserit. Ipsemet puer Græcè παῖς à παίζω dictus creditur, quod est *ludo*, & παιδιὰ *ludus*, atque quod hîc habemus τὸ παίγνιον, quam vocem Latinam faciens Plautus dixit [d];

i Horat. lib. 2. ser. saty. 3.
a c. 32. 6.
b Gen. 21. 9. 10. Gal. 4. 30.
c Plin. lib. 3. c. 1.
d in Persa.

Pægnion, deliciæ pueri, salue.

Terentius [e] verò cum ludo comparans vitam nostram, seriò sanè & sapienter loquitur:

Ita vita est hominum, quasi cùm ludas tesseris,
Si illud quod est maximè opus iactu non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte vt corrigas necesse est.

e in Adelphis.

Idipsum à Platone priùs dictum Plutarchus [f] refert de alea, in qua optimus quisque iactus aleatori maximè expetendus est: sed vtcumque tamen ceciderit, adhibenda cura est, vt eo quod casus tulerit, quã rectissimè vtatur. Vitæ toti nomẽ mimi scenæque Epictetus [g] dixit, quem illustrat Simplicius: item Seneca [h], Thales, & Bion apud Laërtium. Augusti quoque morituri quæsitum fuit, ecquid hunc mimum vitæ satis commodè egisse videretur? Tandem sic ille cecinit [i];

f de animi tranquill.
g in Enchirid. c. 17.
h epist. 80.
i in Anthol.

Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος, καὶ παίγνιον, ἢ μάθε παίζειν,
Τὴν σπουδὴν μεταθεὶς, ἢ φέρε τὰς ὀδύνας.
Scena est hæc vita, & mimus, vel ludere disce,
Seria postponens, vel cruciare miser.

Eadem ratione fabulam vitam vocant iidem Epictetus [k] atque Seneca [l].

k supra.
l epist. 77.

Ludibrio digni qui felicitatem collocant in ludo, contra quos Aristoteles [m]. [Non ita generati à natura sumus, vt ad ludum & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatem potiùs, inquit Cicero [n], & ad quædam studia grauiora, atque maiora.] Tum præscribit ludo & ioco vti quando, & quatenus liceat. Sed nos ad seria festinamus. Non sapit, cui ludus habetur pro re seria, ait Clemens Alexandrinus [o]. Non sedendum nobis in concilio ludentium [p], neque miscendi sumus cum ludentibus [q], qui, vt ait Hieronymus [r], futura non cogitant.

m lib. 10. Ethico. c. 6.
n 1. Officiorũ.
o 3 pædag. c. 11.
p Iere. 15. 17.
q Tob. 3. 17.
r in Ierem.

Conuersationem vitæ compositam ad lucrum.] Græcè (τὸν βίον πανηγυρισμὸν ἐπικερδῆ, *vitam*, seu *viuendi modum, conuersationem lucrosam*, seu *nundinas compositas ad lucrum*, vel *cursum ætatis nundinationem quæstuosam.*) Est πανήγυρις cœtus conuentúsque publicus, publica celebritas, vt cùm festo die, aut ludorum solennium, aut mercatus, multitudo vnum in locum conuenit, quæ nundinæ nominantur, de quibus Macrobius [f]. Cicero [t] appellat nundinarum πανήγυριν. Refert [u] verò Pythagoram respondisse similem sibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate, vbi quidam emendi, aut vendendi quæstu & lucro ducerentur, alij alia quærerent.

f lib. c. 16
t lib 1. ep. ad Attic epist 9.
u Tuscul. 5.

Et oportere vndecumque etiam ex malo acquirere.] Græcè (δεῖν γὰρ φασὶν, &c. *oportere namque dicũt.*) Non omne vituperabile lucrũ docet Plato [x], & omne τὸ φιλοκερδὲς, *lucri cupiditatẽ*: sed cùm quis ex rebus nihili lucrum captat; denique ex omni re, & vnde boni viri quærere non auderent. Figulus noster, qui studens lucro, ac volens πορίζειν, *quæstum facere*, forsitan parum de religione sollicitus erat, vsurparet Plautinum [y] illud;

x in Hipparcho.
y in Pseudo.

Si lucri quid detur, potius rem diuinam deseram.

Dixit etiam alias bonum esse odorem lucri ex re qualibet.

Disquirere solēr Iudices in causis CVI BONO, certi quòd ad scelus nemo sine spe conetur atque emolumento accedere [a]. Nam, vt ait ille [b],

——cui prodest scelus,
Is fecit.——

Eadem de re Gorgias [c], Apuleius [d], Saluianus [e]. Apuleius post exempla quibus demonstrat, claudit sermonem hac sententia. [Ita facti reus apud bonum Iudicem scrupulo quæstionis liberatur, si nulla fuit ei ratio (ob lucrum quæstúmque) peccandi.] Hoc pacto affirmare possis quemlibet peccatorem venundari vt faciat malum [f] propter commodum, vtilitatem, lucrum, quod expectat: sed quia hoc quale quale sit, nullum est ad pretium virtutis, & diuinæ gratiæ, gratis venūdari [g].

a Cic. pro Roscio Amer. Quint. decla. 87.
b Seneca in Med. act. 1.
c in defensione Palamedis.
d apolog. 1.
e lib. ad Ecclesiam.
f 3. Reg. 21. 20. 25. 1. Macha. 16.
g Esa. 52. 3.

Vers. 13.] Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa, & sculptilia fingit.

NOn potest infelix figulus ignorationis causam prætexere, cùm probè nouerit se cæteros artifices improbitate superare; quoniam simul ex terrena materia machinatur fragilia vasa, & falsorū Deorum effigies. Abripitur ergo immodica illa lucri appetitione, illúdque pluris æstimat, quàm pietatē & religionem: nec vilitas valet satis materiæ, fragilitas idoli, memoria humanum corpus ad eum ferè modū à Deo formatum, vt à proposito ipsum retrahant; quæ rationes haud ita locum habent in aurificibus, argentariis, ærariis, qui & ipsi similia opera fabricant, sed in materia solidiore, atque vtiliore, quæ, licèt vasa, idoláve confringantur, alium habere vsum potest, ita vt minùs à ratione alienum videatur diuinitatem huiusmodi rebus tribuere, quàm fictilibus. Scit igitur ista figulus, vel scire debet potéstque. Auaritia illum aut excæcat, aut peruicacem reddit, vt meritò dicatur idolorum seruitus [h], siue loco Dei habita, siue idola conflanda & adoranda præcipitans. Tritum ex Diogeniano adagium; *Figuli opes, fictiles diuitiæ*, *κεράμειος πλοῦτος*, de rebus incertis, fragilibus, breui perituris; quemadmodum figuli vasa quovis casu facilè comminuuntur.

h Gal. 5. 20. Ephes. 5. 5.

Vers. 14.] Omnes enim insipientes, & infelices supra modū animæ superbi, sunt inimici populi tui, & imperantes illi.

ILli præ cæteris amentissimi ac infelicissimi, qui sunt odio populum tuum immani prosecuti, atque durissima illum tyrannide oppresserunt. Ægyptios potissimùm intelligit, de quorum vilissima idololatria mox mentionem subiicit.

Omnes enim.] Græcè (*πάντες δὲ, omnes autem.*) Mutuum particulæ istæ habent vsum: & hîc quidem non adeò aptè sumitur *enim* causaliter; quia post reprehensos fabricatores idolorum aurifices, argentarios, ærarios, lignarios, figulos, conuertit Auctor orationem in hostes omnes populi Dei, qui Deos putauerunt esse cuncta idola Gentium. Non refertur (*omnes*) ad (*animæ*) quia *πάντες* est generis masculini.

Insipientes.] Græcè (*ἀφρονέστατοι, insipientissimi.*)

Supra modum animæ.] Græcè (*ὑπὲρ ψυχὰς νηπίων,*

A *super animas infantium*) id est, magis insipientes ac infelices quàm animæ infantiū, vel quàm animæ stultorum. Complutenses, Regiíque codices, & alij habēt (*anima suæ.*) In Aldinis & Sixtianis Græcis libris legitur numero singulari (*ὑπὲρ ψυχὴν νηπίου.*) Cāracuzenus videtur legisse (*πάντων δὲ ἀφρονέστατοι, καὶ τάλανες ὑπὲρ ψυχὰς νηπίων, omnium autem insipientissimi, seu stultissimi, & infelices supra infantium animas*) & plusquàm infantes recèns nati, qui etsi anima quoque rationali præditi sint, propter teneritudinem & infantiam ratione vti non possunt. Vatablus & Osorius nomen *νηπίων* de stultis interpretati sunt: & hos significat; sed à primaria notione pro infantibus.

Superbi.] Desideratur Græcè hoc nomen. Obscura quoque videtur sententia tota (*omnes enim*
B *insipientes & infelices supra modum anima superbi.*) Lyranus, Carthusianus, & Bonauentura sic declarant, & bene, vt dicantur hi qui sunt inimici populi Dei, & imperātes illi, esse superbi supra modum animæ, id est, plusquàm valeant præsumentes, iuxta illud [a]; *superbia eius* (id est, Moab) *& arrogantia eius, & indignatio eius plusquàm fortitudo eius.* a Esa. 16. 6. Ierem. 48. 29.
Igitur Interpres (*ὑπὲρ ψυχὴν νηπίων*, vertit, *supra modum anima superbi*) intelligens de anima, quæ est *ἐν τοῖς νηπίοις, in infantibus*, quasi nuda rasáque tabula, nihil dum habens vnde gloriari possit.

Quocirca minùs aptè (*supra modum anima*) addendo etiam (*sua*) explicat Hugo in detrimentum & damnationem animæ suæ: Olcot [b], vltra mensuram propriæ bonitatis; nisi bonitatem sumat b lect. 192.
C pro facultate, habilitate, viribus. Posset alius (*insipientes & infelices*) nectere cum (*supra modum*) vt cēseantur supra modum tales: (*anima*) autem cum (*superbi*) vt dicantur superbi animæ, sicut in cantico B. Virginis [c]; *superbi mente cordis sui.* At præterquàm quòd ordo requirebat, vt (*superbi animæ*) dicerentur, non (*anima superbi*) & vt (*superbi anima*) non autem (*anima*) nostra explicatio meliùs cohæret cum textu Græco, & commodum continet sensum. c Luc. 1. 52.

Imperantes illi.] Græcè (*καταδυναστεύσαντες αὐτὸν, potentia opprimentes illum*) populum Dei. In Complutensibus, ac Regiis libris error est in pronomine *αὐτὴν*, nec habet quò referri possit, cùm
D præcedat *λαοῦ* generis masculini, & antea *ψυχὰς* fœminini, sed numeri pluralis: & licèt emendata Biblia legant *ψυχὴν*, & sensus esse posset, insipientes illos ac infelices, & superbos oppressisse animam propriam tam fœdis erroribus vitiísque; tamē quia nullus Enarratorum talē agnouit sensum, nec à nobis admittendus est. Aldina editio, & quæ illam sequi solet Basileensis, concordat cum Sixtiana. In Latinis quoque libris mendum est, in quibus legitur (*improperantes*) qua lectione vtuntur omnes Enarratores, excepto Carthusiano. Quadrant huc optimè verba Esther [d] ex eiusdem ad Deum oratione. *Et nunc non eis sufficit* (ini- d c. 14. 7. 8. 9. 10.
E micis nostris, quorum coluimus Deos) *quòd durissima nos opprimunt seruitute, sed robur manuum suarum idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promissa, &c. vt aperiant ora Gentium, & laudent idolorum fortitudinem*, &c. Id Gorionides narrans sic Esther facit loquentem: [Ecce ipsi non dicunt te (ô Deus) nos in suas manus tradidisse, sed idolis acceptum hoc ipsum ferunt, eáque adorant, dicentes; Vos in manus nostras Iudæos dedistis.]

Vers. 15.]

Verſ. 15.] Quoniam omnia idola nationum Deos æſtimauerunt, quibus neque oculorum vſus eſt ad videndum, neque nares ad percipiendum ſpiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum.

NOn egent iſta declaratione, præſertim poſitis iis quæ capite priore dicta ſunt, vbi teſtimonia Scripturarũ allata ſunt alia, maximè ex Pſalmis [a], Eſaia [b], Baruch [c]. Præſenti autem loco Cyprianus [d] vtitur aduersùs idola, copioſè citans illum.

a Pſ.113.& 134. b c.44. c c.6. d de exhort. Martyrum. c.5.& 5 ad Quirin.c.59.

Omnia idola nationum Deos æſtimauerunt.] Ægyptios Cantacuzenus intelligit, cùm nationes ſingulæ quædam ſimulachra duntaxat colerent. Fuerunt ſanè ſuperſtitioſiſſimi, quod antea quoque dixi, vt ſi minùs omnes omnium receperint Gentium Deos omnino, tam multos, vt cenſeri potuerint omnes recepiſſe: quod poſtea de Romanis affirmauit Leo [e]. Quod apud Ieremiam cum querimonia dicit Deus [f]; *Si mutauit gens Deos ſuos, & certè ipſi non ſunt Dij: populus verò meus mutauit gloriam ſuam in idolum*; non ſignificat Deos nouos non eſſe admiſſos, ſed non reiectos veteres ac priùs cultos: ſicut Hebræi relicto Dei veri cultu, ad idola tranſtulerant ſe.

e ſerm.1.de Petro & Paulo. f c.2.11.

Oculorum vſus.] Græcè (ὀμμάτων χρῆσις.) Corruptè multi legunt (*viſus*) ſed ſine detrimento ſententiæ.

Neque digiti manuum ad tractandum.] Apud citatum Cyprianum (*neque digiti in manibus ad tractandum*, ſiue *contrectandum.*)

Pedes eorum pigri ad ambulandum.] Imò prorſus inepti ac inhabiles. Græca vox ἀργοὶ *otioſos* ſignificat, & *nihil operantes.* Vſus eſt Interpres figura μείωσις, cùm minus aliquid dicendo plus intelligitur.

Verſ. 16.] Homo enim fecit illos: & qui ſpiritum mutuatus eſt, is finxit illos. Nemo enim ſibi ſimilem homo poterit Deum fingere.

PErſpicua ratio quare nequiuerit idolis homo ſenſuum facultatem, vſúmque communicare; quia hæc ipſa ille ab alio accepit, videlicet per generandi vim parẽtibus à Deo communicatam: quæ vis deinde non poteſt verſari in materia inepta, qualis ea, ex qua conficiuntur idola per artem. Sic intelligendum Auctoris argumentum, cùm non ideo non poſſit quis alteri tribuere vt ſentiat, ſentiréque valeat, quoniam hanc ipſam illi alius dederit potentiam: dedit enim Deus & parentes proli, vt ſimilem ſibi generare poſſit, materiam aptè præparando, & animæ quam creat Deus, vnionem cum materia attingendo.

Fecit illos.] Græcè (αὐτούς.) Ad Deos & Θεοὺς, qui priore poſiti ſunt verſu, refertur hoc pronomen. Alioquin verſu ſexto eiuſdem generis pronomine Latino Dij quoque intelliguntur; quamuis ipſi non fuerint expreſſi, quoniam colebantur in idolis Dij, ipſáque idola pro Diis habebantur.

Qui ſpiritum mutuatus eſt.] Græcè (τὸ πνεῦμα δεδανεισμένος, *qui ſpiritum mutuò accepit*) nempe redditurus, cùm qui mutuum dedit, repoſcet; quemadmodum verſu octauo dicebatur, *repetitus animæ*

A *debitum quam habebat.* Animam depoſiti ac mutui nomine accipimus; eadem reddenda etiam cum fœnore Deo (a quo tamen fœnore propriè abhorrent depoſitum mutuúmque) cooperando diuinis muneribus, negotiando ſuper pecunia [a], mna [b], talento [c], vt creſcant merita, & ex iis ipſiuſmet gratiæ fiat acceſſio, atque vtilitatis, aut illi qui gratiam priorem accepit, aliáve munera, aut aliis quibus ipſe miniſtrat, non Deo, qui non eget [d]. Vult enim Deus quod ſuum eſt cum vſura recipere & exigere [e].

a Luc.19.23. b ibid. c Matth.25.27. d Pſal.16.2. e Matth ſup. Luc.ſup.

Pollet ad idem propoſitum accommodatè ſumi depoſitum, de quo Paulus [f], quamuis paſſim ſoleat intelligi de gratia, & meritis, vel doctrina Euangelica, tum ab Expoſitoribus, tum ab Ambroſio [g]. Origenes [h] interpretatur depoſitum eſſe corpus & animam, omniáque dona naturalia, non ſolùm gratiam, ſeu Spiritum ſanctum, & Chriſtum. Verbum Græcum δανείζειν ſæpiùs valet *mutuò dare ad vſuram*, rarò ſimpliciter *mutuare citra vſuram.* Communior notio conuenit propoſito, propter eam quam dixi cauſam: ſed nomine vſuræ non ars fœneratitia propriè ſumenda eſt; verùm ſolers ac diligens rei augendę cura, ſiue prouentus & fructus inde perceptus. Celebris Ioannis Apoſtoli repetitio illa depoſiti ab Epiſcopo Aſiano, qua rationem repoſcebat adoleſcentis, cuius ei curam commiſerat [i].

f 1.Tim.6.20 2.Ep.1.12.14 g de Tobia. c.20. h hom.4.in Leuit. i Euſeb.3. hiſto.c.17.

Nemo enim ſibi ſimilem poterit Deum fingere.] Fingere quidem propriè loquendo, ac fictili opere, quod πλάσαι dicitur, nemo poterit. Attamẽ originem idololatriæ docuimus antea inde fuiſſe, quòd pater filium defunctum amore proſequens immodico, imaginem illi poſuerit, qui ſit pro Deo tandem habitus cultúſque. Sed imago conficta ipſa profectò non erat ſimilis patri vitæ ſimilitudine, verùm ſolis lineamentis, atque figura, ſi hac in re filius illi ſimilis erat, dum viueret. Præterea, licèt Mercurius Triſmegiſtus, vt etiam retulimus cum Auguſtino, aſſereret hominibus poteſtatem eſſe Deos conſtituendi; non ſentiebat tamen ille, idola poſſe ab hominibus animari, ſed euocari duntaxat dæmonas, qui aſſiderent idolis tanquam πάρεδροι.

D Porrò in textu Græco editionis Complutenſis, & Regiæ mendum eſt (οὐδεὶς γὰρ αὐτῶν ὅμοιον ἄνθρωπος ἰσχύει πλάσαι θεόν.) Sic autem legi debet cum Aldina, & Sixtiana (οὐδεὶς γὰρ αὐτῷ ὅμοιον ἄνθρωπος ἰσχύει πλάσαι θεόν.) Prior verbatim hoc modo redderetur (*nemo enim ipſorum ſimilem homo virtute fingere Deum*) vbi ſenſus truncus eſt. Tropologicè Hugo & Olcot [k] quæ hactenus dicta ſunt, explicant de malis Prælatis & Principibus, oſtendentes quo pacto poſſint idola cenſeri. Cui vacat, & libet, legat.

k lect.171.

Haberi docet Olcot vt Deos, quia nimios honores exigunt: videri quòd non ſunt, & ſenſuum vſu carere motúſque: viſu ſcientiæ: odoratu, quo currant poſt ſponſum in odorem eius: auditu verbi Dei, & de ſubditorum neceſſitatibus: guſtu rerum ſpiritualium: tactu, quo reuerenter tractent ſacra, & curent vulnera peccatorum. Præterea quòd malè inſtituuntur, ſeu promouentur, quod eſt fieri ab hominibus per ſanguinis affectionem: communi hominum, ſeu humani ſpiritus conſpiratione, quod eſt mutuari ſpiritum illum, qui finxit illos, accipiendo ſpiritum pro voce: munerum pactione, ac ſimonia, quod eſt à mortali mortuum fingi manibus iniquis, quia vtrinque peccatur mortaliter, & à promouente, & à promoto.

Verſ. 17.] Cùm enim ſit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim eſt ipſe his quos colit, quia ipſe quidem vixit, cùm eſſet mortalis, illi autem nunquam.

MElior ac perfectior iudicatur opifex opificio ſuo, quia licèt mortuus ſit, vixit tamen; vitam autem rei à ſe factæ tribuere non potuit. Et hoc ipſum pridem annotauimus cum Auguſtino. Probabile pro animæ noſtræ immortalitate hinc erui argumétum poſſet. Nam vixiſſe tantùm, ſi eius quod vixit non ſupereſt anima, perfectius non eſt, quàm affabrè factum opus quod adhuc exiſtit. Ergo perfectior eſt opifex qui ſic vixit, vt eius etiamnum anima perduret.

Melior enim eſt ipſe his quos colit.] Græcè (κρείττων γάρ ἐστιν σεβασμάτων αὐτοῦ, *culturis ſuis.*) De nomine τῶν σεβασμάτων antea diximus. Nihilominus propter impietaté, aliáq; vitia meritò appellatus eſt priùs idololatra, etiá viuens, vitáque eius luto vilior: aut certè ſpectando vitam animalem, corpúſque corruptibile, quod faciliùs & citiùs interit, & pluribus eſt obnoxium miſeriis quàm idola; licèt in aliis multis ac ſimpliciter non modò homo, verùm etiam quoduis animalculum, & planta multo præſtantior ſit.

Verſ. 18.] Sed & animalia miſerrima colunt: inſenſata enim comparata his, illis ſunt deteriora.

HInc rurſus exaggeratur fatua ſuperſtitio, præſertim Ægyptiorum, quòd hi colerent viliſſima animalia, non ſolùm idola mortua, ſed quæ propter ſenſuum hebetudinem longiſſimo interuallo diſtarent ac infra homines eſſent, qui ſcilicet præditi ſunt intellectu. Sed quoniá Græca paulo aliter ſe habent, ſenſus quoque nonnihil diuerſus elicitur, de quo mox dicam.

Animalia miſerrima colunt.] Omiſſo ſatis communi errore Latinorum librorum, in quibus eſt (*miſerrimi*) & ab Expoſitoribus de idololatris declaratur, Græcè animalia vocantur odioſiſſima, ζῷα ἔχθιστα, vel infeſtiſſima. Cæterùm meliùs Interpres vertit, propter rationem quæ ſubditur, quòd ſint inſenſata, nec aſpectu digna: hinc enim ſequitur potiùs execranda & abominanda eſſe, quàm timenda, tanquam inimica & noxia. Atqui miſerrima dici poſſunt, quæ nulla ratione nos ad ſui amorem trahunt, nec veri Dei, pro vt ipſamet coluntur; & hac ratione odioſiſſima, licèt poſitiuo non ſint odio proſequenda. Quòd ſi & hoc velimus, tanto dicentur aptiùs miſerrima, cùm longiùs videantur abeſſe à ſuo naturali fine, qui eſt homo, cui ſunt inuiſa. Sumus enim quodammodo & nos finis omniú, inquit Philoſophus [a].

[a] 2. Phyſ. tex. 24.

Inſenſata enim comparata his, illis ſunt deteriora.] Græcè (ἄνοια γὰρ συγκρινόμενα τῶν ἄλλων ἐστὶ χείρονα.) Vatablus (*vt quæ aliis comparata, deteriora ſint propter hanc dementiam*) quaſi velit, animalia quæ coluntur pro Diis, hoc ipſo quòd ita coluntur, & iis adeò indebitus, & naturæ, ac auctori eius Deo vero debitus, habetur honor, euadere quodammodo deteriora quàm ſint res inſenſatæ, ſeu idola mortua. Nam in idolis illis repræſentabatur ſæpiùs hominum defunctorum ſimilitudo quos obſeruabant & colebant, atque non raró dæmones præſentiam in ipſis ſuam exhibebant, & nonnulla opera. At animalia ἄνοια, quæ penitus carent mente, ipſa per ſe adorabantur, cùm in iis nihil aliud appareret ſupra naturam & operationes illorum, quod mereretur venerationem. Et quidem inter animalia illa quæ colebantur ab Ægyptiis, muſca erat, vermis, aliáque de putri materia procreata, naturæ potiùs quædam συμπτώματα, id eſt, *peccata*, vt Cantacuzenus obſeruat, quàm per ſe inſtituta opera, quæ proinde nec Deus initio creauerit cum aliis, neque vt cætera, pulchra ſeu bona nominauerit, neque ſua illis benedictione impertita creſcere ac multiplicari præceperit.

Aliter interpretatio Vatabli ſumi poteſt iuxta expoſitionem Cantacuzeni, quam & Oſorius ſequitur, ac Emmanuel Sà, vt facta comparatione cunctorum inſenſatorum, id eſt, mente ac ratione minimè præditorum animalium, illa longiùs ab omni mente, vel ratione eiúſve vmbra & ſimilitudine viderentur abeſſe, quæ Ægyptij adorabant, vt quam diximus, muſca, vermis, & ſimilia valdè imperfecta, aut etiam deteriora, quia nocent, vt ſerpentes & crocodili. Hic valdè probabilis ſenſus eſt, ita vt ſola ſit comparatio inter ea quæ vocantur abſolutè animalia, & non cum hominibus. Bonauentura per inſenſata intelligit ſtatuas ſeu idola, quæ cum animalibus comparata, quibus aliqui cultum exhibebant, ſint deteriora. Sic erit quodammodo contraria expoſitio illi quam primo loco innuere dixi Vatablum, facta item collatione animalium cum ſtatuis. Attamen de hominibus vetuſtiores alij Latini exponunt cum gloſſis: & cùm recipi omnes poſſint ſenſus, libentiùs me ad plures auctores adiungo.

Alios refert Caſtro noſter, qui putent ſcribi debere ἀνοίᾳ in datiuo, vt ſit ſenſus; hæc animalia infeſtiſſima, quæ colunt Ægyptij amentia hac, ſeu propter amentiam iſtam, qua capti Ægyptij cultum eis exhibent, comparata cum cæteris animalibus, eis ſunt deteriora, quòd illa Deo placeant, cùm vſibus humanis deſeruiant, ad quos ſunt creata; hæc verò execranda, cùm vſui ſibi indebito vſurpatæ diuinitatis accommodata ſint. Videtur ea ſententia Vatabli priùs citati. Sed nullum reperi qui legat illo modo.

Verſ. 19.] Sed nec aſpectu aliquis ex his animalibus bona poteſt conſpicere. Effugerunt autem Dei laudem, & benedictionem eius.

MIſerrima ſunt atque viliſſima quę colebantur animalia, quia & ad aſpectum fœda, miniméque deſiderabilia, nedum colenda, nec eam benedictionem adepta, quam Deus communiter impertiuit cæteris animalibus [a], vt ait Cantacuzenus, quippe cùm non initio creata ſint, ſed ex materia putri extiterint. Idem hoc vltimum indicat Vatablus, dicens Deo probatore & fautore caruiſſe. Sed Vatablus primum membrum videtur ſic accipere, vt animalia quæ colebant idololatræ, nec ab aliis animalibus haberentur pulchra, vel amabilia, ſed potiùs vitanda & fugienda; videlicet (id addo ego) tanto minùs ab hominibus iudicari pulchra debuiſſe. Oſorius, Sà, & Ianſenius, qui in primo concordant membro, ſecundum de ſerpentibus propriè dici volunt, quos in aſtuto illo Euæ deceptore maledixerit

[a] Geneſ. 1.

xerit Deus [a]. Lyranus & Carthusianus aiunt homines ipsos idololatras significari, qui & nihil in talibus quæ colebant animalibus pulchri bonive deprehendere meritò poterant, quo persuaderentur ad ea colendum: & quia nihilominus laude atque veneratione illa prosecuti sunt, quam verò debebant Deo, huius benedictionis & gratiæ donum perdiderunt.

a Genes. 3. 1. Tim. 2. 14.

Hugo, Bonauentura, Olcot [b], & rursum Carthusianus primam sententiæ partem interpretantur de rebus quas idololatræ colunt, quæ carent res bonas conspiciendi facultate. Verùm Hugo & Olcot nomen *animalium* asserũt sumi pro imaginibus eorum, quæ nec exteriori, nec interiori sensu quicquam percipiunt: Bonauentura & Carthusianus pro animalibus ipsis, quæ nequeunt perspicere vera & honesta bona, cùm ratione destituantur. In secundæ partis sensu, quem ex Lyrano atque Carthusiano retulimus, conueniunt Latini cæteri vetustiores. Mihi ad Græcum textum attendenti, & ad emẽdatam Latinam editionem, melior videtur prima explicatio, & secundæ pars prior, paucis mutatis, pro vt ex textus Græci, quam subiicimus, enucleatione clarum faciam.

b Sap. 2. 174.

Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere.] Græcè (οὐδ᾽ ὅσον ἐπιποθῆσαι ὡς ἐν ζώων ὄψει καλὰ τυγχάνει, *neque quantum, vel quatenus desiderentur, tanquam in animalium aspectu bona sunt.*) Vatablus (*quæque ne animalibus quidem tam videantur pulchra, vt desiderio eorum tangantur.*) Iansenius (*neque eatenus vt desiderentur, vtique in conspectu animalium bona sunt.*) Quasi dicat; si quis animalia simul colligat, non censebit illa esse bona, quæ colebant idololatræ, comparando cum aliis animalibus. Sic præterea vertere possumus, verbum τυγχάνει exponendo *contingit*, & ὄψει, *aspectu*, seu *visione*, non autem *conspectu*, seu *præsentia*, & ὡς, *vt*, *sicut*, &c. & καλά, *pulchra* (*nec autem contingit*, seu *licet eatenus*, vel *in tantum, & adeò desiderare*, seu *concupiscere* (animalia) *vt pulchra in animalium aspectu*) id est, quæ dum cætera aspiciuntur, ad se magis sua trahunt pulchritudine. Interpres egregiè expressit sensum istum, intellexitque de idololatris, qui in animalibus à se cultis bonitatem scilicet pulchritudinis (est enim καλὸν propriè pulchrũ) aliámve (significat namque etiam idem quod ἀγαθὸν) non videbant. Latinos illos, qui exposuerunt de animalibus, fefellit falsa lectio habens (*aliquod*) pro (*aliquis*:) quamuis tunc quoque posset suppleri *quis*, & *continere*, hoc modo (*sed nec aspectu aliquod ex his animalibus bona* (continere) *potest* (quis) *conspicere*.) Ita videntur fecisse Lyranus & Carthusianus; verùm non absque violentia.

Effugerunt autem Dei laudẽ, & benedictionem eius.] Græcè (ἐκπέφευγε δὲ καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ ἔπαινον, καὶ τὴν εὐλογίαν αὐτοῦ.) Non potest meliùs clariúsve reddi hæc sententia. Sed etiam sine dubio non potest intelligi de hominibus, cùm ἐκπέφευγε sit verbum singularis numeri, quod proinde ad neutrum nomen numeri pluralis referri debet, nempe ad ζῷα ex versu præcedente. Itaque animalia quæ adorabant Ægyptij, effugerunt laudem, & benedictionem Dei. Ante dixi, nonnullos animalia putrefactione procreata intelligere, ac nominatim serpentes; de quibus animalibus, quia Deus non creauit illa initio, nõ pronunciauit sicut de aliis, quòd bona essent [a]; quæ fuit laus quædam, quia laudauit ea: non etiam benedixit vt crescerent ac multiplicarentur; quin imò maledixit serpenti, totique generi eorum [b]. Si *effugere* idem velimus esse quod *effugare*, sicut in primo cap. [*] *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*; faciè admodum explicaremus laudem ac benedictionẽ, quæ verò debetur Deo, ademptam esse à turpibus & vilibus illis animalibus, quæ colebant idololatræ. Non legi qui sic exponeret: spero tamen, si approbatores inuenies expositio, singularitatis nota caruerit, præ cæteris receptum iri. Nam prætermissa quam Latini de hominibus dant expositione, propter allatam rationem, nescio cur cæteri qui de animalibus, restringant sententiam ad ea quæ sunt ex putri materia, vel ad serpentes. Non adeò etiam propriè effugere dicuntur laudem & benedictionem quæ non laudantur, non benedicuntur, aut præterea maledicuntur, vt serpenti [c] contigit; nisi dicas effugere, quia cogantur ab idololatris negare quodammodo Deo laudem & benedictionem, quam res omnes creatæ reddunt auctori suo: qui censeri nouus potest sensus, nec sanè spernendus, & à me quoque excogitatus.

a Genes. 1. 25.

b Genes. 3.

* vers. 5.

c Genes. 3.

Deinde animalia quæ generantur ex putri materia, illa saltem quæ non ex tabe & corruptione mortuorum animaliũ, vel humani corporis, probabile ducit Augustinus [d], B. Thomas [e], Basilius [f], Ambrosius [g], Tertullianus [h], Alensis [i], Magister sententiarum [k], Magister historiæ Scholasticæ [l], Eucherius [m], Hugo [n] Cardinalis, Carthusianus [o], glossa ordinaria [p], & alij, in mundi primordio producta esse: & id saltem vix est qui neget de illis quæ possunt ex concubitu generari, non ex sola putri materia, ita vt Deus illa formauerit (& idem dicendum foret de iis quæ solent per putrefactionem solùm nasci, si & ista fecisset Deus) non ex putri, quam nullam tunc esse decuit, sed ex alia aliqua materia. Disputat diligentiùs hac de re Ascanius Martinengus [q]. Præterea, quamuis non legatur Deus nominatim benedixisse reptilibus terræ; nec legitur bestiis terræ & iumentis: quæ tamẽ omnia eo celebrauit elogio, vt pronunciaret esse bona [r]; benedictionem verò nec dedit Deus herbis & plantis: & eadem quæ data est aliis de istis quoque intelligi potest. Nam ideo non dedisse quia postea maledicturus erat serpentem, dicunt quidem etiam Hebræi; sed ipse minùs probo: cur enim propter vnum serpentem denegata esset tot aliis generibus animalium? Quare acquiescit magis animus *effugisse* poni ab Interprete pro *effugare*: animalia verò quæ coluerunt idololatræ, laudem Deo debitam, & benedictionem effugauisse, ac sibi quodammodo vsurpauisse, quando eis delata est ab illis qui *mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis* (non tantùm) *corruptibilis hominis* (sed) *& volucrum, & quadrupedum, & serpentium* [s].

d 3. de Genesi ad lit. c. 14.
e 1 p q. 72.
f hom. 7. & 9. hexam.
g 3. hexam. c. 1. & 2.
h 1. contra Marcio.
i p. 2. q. 14. memb. 1.
k 2. d. 15.
l in Genes. c. 1.
m lib. 1. in Gen. c. 7.
n in Gen. c. 1.
o ibid. art. 14.
p ibid.
q in gloss. magna super c. 1. Genes pag. 1183. & seq.
r Gen. 1. 25.
s Rom. 1. 23.

SVMMARIVM.

MENTIO est de Ægyptiorum præsertim idololatrarum supplicio seueriore; sed Hebræorum leniore, quibus & illicò remedium datum aduersùs serpentum morsus, & esca de cælo missa tùm volucrum, tum manna.

CAPVT XVI.

1 PRopter hæc, & per his similia passi sunt dignè tormenta,& per multitudinem bestiarum exterminati sunt. A

2 Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum,quibus dedisti concupiscentiam delectaměti sui,nouum saporem; escam parans eis ortygometram;

3 Vt illi quidem concupiscentes escam propter ea, quæ illis ostensa & missa sunt, etiam à necessaria concupiscentia auerterentur. Hi autem in breui inopes facti,nouam gustauerunt escam.

4 Oportebat enim illis sine excusatione quidem superuenire interitum exercentibus tyrannidem, his autem tantùm ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur. B

5 Etenim cùm illis superuenit sæua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminabantur.

6 Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in breui turbati sunt,signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.

7 Qui enim cõuersus est,non per hoc quod videbat, sanabatur; sed per te omnium saluatorem:

8 In hoc autem ostendisti inimicis nostris,quia tu es, qui liberas ab omni malo.

9 Illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus,& non est inuenta sanitas animæ illorum: quia digni erant ab huiuscemodi exterminari.

10 Filios autem tuos nec draconũ venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adueniens sanabat illos.

11 In memoria enim sermonum tuorum examinabãtur, & velociter saluabantur,ne in altam incidentes obliuionem,nõ possent tuo vti adiutorio.

12 Etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine, sermo,qui sanat omnia.

13 Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis,& reducis:

14 Homo autem occidit quidem per malitiam, & cùm exierit spiritus, non reuertetur,nec reuocabit animam quæ recepta est:

15 Sed tuam manum effugere impossibile est.

16 Negantes enim te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt:nouis aquis,& grandinibus,& pluuiis persecutionem passi,& per ignem consumpti.

17 Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex est enim orbis iustorum.

18 Quodam enim tempore mansuetabatur ignis,ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia:sed vt ipsi videntes scirent,quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem.

19 Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique, vt iniquæ terræ nationem exterminaret.

20 Pro quibus Angelorum esca nutriuisti populum tuum,& paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem,& omnis saporis suauitatem.

21 Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque volũtati,ad quod quisque volebat, conuertebatur. C

22 Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant: vt scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluuia coruscans.

23 Hic autem iterum vt nutrirentur iusti etiam suæ virtutis oblitus est.

24 Creatura enim tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos:& lenior fit ad benefaciendũ pro his qui in te confidunt. D

25 Propter hoc & tunc in omnia transfigurata,omnium nutrici gratiæ tuę deseruiebat, ad voluntatem eorum,qui à te desiderabant,

26 Vt scirent filij tui,quos dilexisti Domine, quoniam non natiuitatis fructus pascant homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conseruat.

27 Quod enim àb igne nõ poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum, tabescebat:

28 Vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionẽ

tuam,

tuam, & ad ortum lucis te adorare.

29 Ingrati enim spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua superuacua.

Vers. 1.] Propter hæc, & per his similia passi sunt dignè tormenta, & per multitudinem bestiarum exterminati sunt.

DIGNVM fuerũt Ægyptij maximè supplicium per illa ipsa vilia quæ colebãt animalia, vt muscas, & similia. Dictum de hoc satis in c. 11. [a] & 12. [b] vbi Au- (a vers. 16. 17. b vers. 25.) ctor docuit ab huiusmodi animalibus animaduersos Ægyptios, vt scirent per quæ peccat quis, per hæc & torqueri, atque tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dari.

Propter hæc.] Græcè (*διὰ τοῦτο, propter hoc:*) propter hoc peccatum idololatriæ: propter hæc animalia vilia superstitiosè culta, & ademptam Deo vero laudem, atque benedictionem, vt extremo priore capite dicebatur.

Et.] Addidit Interpres istam particulam, quæ significat hoc loco (*etiam.*)

Per.] Et hæc in Sixtiana editione dictio restituta est, quam alij emendati codices priùs habebant; sed ea Complutenses, Regij, & alij multi, illi quoque quibus Enarratores vsi sunt, carebãt.

His similia passi sunt dignè tormenta.] Ad (*tormenta*) pertinent duæ voces (*his similia*) non autem ad prima duo verba (*propter hæc.*) Vnde sensus est, idololatras dignè passos tormenta similia his, siue peccatis quæ commiserunt, siue animalibus quæ coluerunt. Sic est Græcè (*διὰ τοῦτο δι' ὁμοίων ἐκολάσθησαν ἀξίως, propter hoc per similia puniti sunt dignè.*) Aldina editio habet hoc modo (*διὰ τοῦτο δ' ὁμοίως, propter hoc autem similiter.*)

Bestiarum.] Græcè (*κνωδάλων.*) Lege caput 11. [c] (c vers. 16.)

Vers. 2.] Pro quibus tormentis bene disposuisti populũ tuum, quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui nouum saporem, escam parans eis ortygometram.

DEscribitur peculiare Ægyptiorũ supplicium ex comparatione cum beneficio quod Hebræis collatum est. Nam (quod continetur etiam sequentibus versibus) edendi fastidium passi sunt Ægyptij, quando escæ quibus abundabant, à ranis infectæ sunt, vt est in Exodo [d], & apud Iosephum [e]; imò & aquæ ipsæ sanie ranarum vitiatæ [f]. At Hebræi ad breue tempus in deserto esuriem tolerantes, recreati sunt volucribus, quas exciuit ipsis Deus ad gustatum suaues, integra ac sana præditis appetendi facultate. Narrationem continet liber Exodi [g], & Numerorum [h], & septuagesimus septimus Psalmus [i], & centesimus quartus [k], & centesimus quintus [l], & rursus caput 19. huius libri [m]. Rem hîc explicabimus inter exponendum singulas partes huius loci.

(d c. 8. 3. e 2. Antiq c. 13. f Ioseph. ibid. g c. 16. 13. h c. 11. 31. & seq i vers. 26. & seq k vers. 40. l vers. 14. 15. m vers. 11. & 12.)

Bene disposuisti.] Græcè (*εὐεργέτησας, beneficio affecisti.*) Lege de verbo isto Græco capite tertio annotata [n]. (n vers. 5.)

Quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui nouum saporem.] Græcè (*εἰς ἐπιθυμίαν ὀρέξεως ξένην γεῦσιν τροφὴν ἡτοίμασας ὀρτυγομήτραν* (omnia simul Græca posuit, ne pendeat sensus) *quibus in concupiscentiam appetitus, nouum, siue peregrinum gustum, vel saporem, escam preparasti ortygometram.*) Vatablus (*cùm auida ipsim appetentia cibum noui saporis parasti coturnicem, siue ortygometram.*) Itaque sensus est, dedisti ac præparasti cibum auidè appetentibus pro cibo noui & adhuc ab ipsis antea non degustati saporis ortygometram siue coturnicem.

Dedisti concupiscentiam.] Interpretis verbum est (*dedisti*) non Græci textus, in quo est solùm *ἡτοίμασας*. Dedit autem Deus non propriè concupiscentiam, sed cibum concupiscentibus. *Ipsi concupierunt concupiscentiam in deserto* [a]; *tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterẽt escas animabus suis* [b]. Deus autem *dedit petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum* [c]; *petierunt, & venit coturnix* [d]; *desiderium eorum attulit eis, nõ sunt fraudati à desiderio suo* [e]. Hoc desiderium & istam concupiscentiam declarauit populus, quando in deserto Sin murmurantes contra Mosem & Aaron dixerunt; *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate* [f]: atque eò processit illorum furor, vt arreptis saxis, vt scribit Iosephus [g], Imperatorem suum lapidare tentauerint. Tunc Deus initio quidem pollicitus legitur tantùm panes de cœlo [h], quod deinde vocatum est manna: sed Moyses promisit quòd daret illis Dominus vespere carnes edere, & manè panes in saturitate, eo quòd audiuisset murmurationes ipsorum [i]: ac tandem Deum sibi denuò dicentem retulit, audiuisse se murmurationes ipsorum, & præcipientem vt diceret illis; *Vespere comedetis carnes, & manè saturabimini panibus, scietisque quòd ego sum Dominus Deus vester* [k].

(a Psal 105. 14. b Ps 77. 18. c Psal. 105. 24. 15. d Psal. 104. 40. e Psal. 77. 29. 30. f Exo. 16. 2. 3. g 3 Antiq. c. 1. h Exo. 16. 4. i ibid. 8. k ibid. 12.)

Ex quo videtur colligi, cùm solos primùm panes Deus promisisset, & carnes Hebræi, panibus non contenti, murmure importuno flagitarent, has quoque Mosem à Deo impetrauisse: qui Deus cùm iratus eas concessisset, tantam ex iis qui gustauerant, & adhuc escas in ore habebant (mense nimirum vertente) occisionem fecit, vt vocaretur locus ille sepulchra concupiscentiæ [l], *quia ibi sepelierunt populum qui desiderauerat.* Inter hos eminebant pingues & electi, hoc est, primarij & magnates [m]. Quin etiam apertè legimus in libro Numerorum [n] tædio mannæ affectum, tanquam leuioris cibi, populum flagrasse desiderio carniũ, & cum lacrymis acerbo murmure mixtis, dixisse per familias, & singulos per ostia tentorij sui; *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* iratum furorem Domini valdè: Mosi ipsi intolerandam rem visam esse, ita vt grauiter quereretur apud illum: Dominum respondisse carnes daturum, quas comederent non vno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem, sed vsque ad mensem dierum, donec exirent per nares, & verterentur in nauseam, eo quòd repulissent Dominum, & fleuissent coram eo, dicentes; *quare egressi sumus ex Ægypto?* rursùs Mosem mirantem qui fieri posset, vt sexcenta millia peditum carnibus integro mense satiarentur, confirmatum à Deo, ne ambigeret de promisso. Denique ibidem [o] innuitur, pœnam ignis fuisse, quam de illis Dominus repetiit; & præter dictum nomen, loco aliud inditum, vt diceretur etiam incensio, tum ad exprimendam iram incensam, tum populi flagrantem illam concupiscentiam; maximè autem ac per se propter priorem causam. Itaque, vt obseruat

(l Nu. 11. 33. 34. Psal. 77. 30. 31. m Ps 77. 31. n c. 11. 4 & seq o vers. 1. 3.)

Augustinus,

Augustinus [a], Israëlitæ malo suo impetrauerunt, quod culpabili concupiscentia petierunt: concupierunt enim carnibus vesci, quibus pluebatur manna de cœlo. Inde tropologicè colligit, vt quando nos delectant mala, & non delectant bona, rogemus potiùs Deum, vt delectent bona, quàm vt concedantur mala. Cæterùm non assentior Lyrano scribenti in caput 19. huius libri, & Abulensi in vndecimum Numerorum [b], paucos de Israëlitis plaga illa periisse, plures Ægyptios qui ascenderant cum illis. Aduersatur id allatis Scripturæ testimoniis.

Delectamenti sui.] Græcè (*ὀρέξεως, appetitionis:*) cùm sentirent concupiscentiam appetitionis cibi, talem iis cibum dedisti, qualis palato gratus erat, quasi dicas concupiscentiam concupitam, qualis vocatur in Psalmo [c].

Nouum saporem.] Quia non amplius manna sapiebat illis; & licèt, quod postea videbimus, contineret manna omnem saporem, tamen, quoniam exilis & tenuis ad tactũ erat esca, nauseam pepererat. Quare per nouum saporem non intelligitur manna, vt voluit Hugo. Nouus sapor non solùm est quem nondum sis expertus, verùm etiã pretiosus, & iucundus, veluti canticum nouum [d], vinum nouum [e], mandatum nouum [f], & similia; vt alibi notaui.

Ortygometram.] Græcè (*ὀρτυγομήτραν.*) Iterum duntaxat vocem Græcam Interpres retinuit capite 19. huius libri [g]: aliis citatis antea locis pro eodem Græco nomine, & pro Hebræo שְׂלָו *selau, coturnicem* posuit; sed aliquando in numero plurali est Hebræum & Latinũ vocabulum [h], Græcum semper in singulari; quod parum refert, cùm singularis multitudinis quoque cumulum designet; &, vt iam dicemus, habeatur coturnicum dux: vbi verò dux, illîc exercitus. Tertullianus [i] *ortygometra* quoque voce vtitur. Vlysses [k] Aldoutãdus magis approbat eos qui שְׂלָו *coturnicem* simpliciter significare scribunt, non qui *ortygometram*, quas etiam distinguit. Sèd Interpreti Latino credendum, qui quam L x x. *ὀρτυγομήτραν* reddunt tot locis ex Hebræo, *coturnicem* vertit. Isidorus [l] coturnicem sic vocatam Latinè à sono vocis [m], *ὄρτυγα* docet appellari, quòd primùm visa sit in insula Ortygia: ortygometram dici, quæ gregem ducat. Alludit fortassis ad alteram cõpositi partem verbi, quæ est *μητὴρ, mater,* vel *μήτρα, matrix.* Plinius [n] coturnicũm ducem appellat retento Græco vocabulo: Aristoteles [o] *μήτραν.* Propterea Hesychius [p] ait esse *ὄρτυγα ὑπερμεγέθη, coturnicem pragrandem*: & ab illo ducatu Phauorinus, credo, deduxit, necnon Etymologus, etymologiam ἀπὸ τὸ ὄρω, quod est *διεγείρω, excito*; quæ non minùs conuenit simplici, quàm nomini composito. Perottus [q], & hoc loco Iansenius deriuant ab *ὄρτυξ* & *μέτρον*, quòd veluti metrum ac mensura, & moderatrix sit coturnicum. Sed obstat metri ratio, quę exigit, vt *ortygometra* penultima sit longa; cùm Græcè scribatur per *η*: breuis autem sit penultima τοῦ *μέτρου* per *ε*. Vocant Itali (*il re delle quaglie*) Galli (*le Roy, ou la mere des cailles*) & aliæ nationes simili periphrasi vtuntur. Albertus [r] confundit cum coturnice, sed malè scribens cum aspiratione orthygometram; tradit sic nominatã, eo quòd rectè ducat acies. Alberto assentior eandem esse cum coturnice, saltem quod attinet ad sacras literas, in quibus toties, vt dixi, pro ortygometra coturnicem Interpres vsurpauit; quidquid sit an exactè distingui debeant, quod Aldourandus [s]

[a] ...tract. 73. in ...oan.
[b] ...q. 10.
[c] ... Psal. 105. ...14.
[d] Psal. 95. 1. Psal. 97. 1. Psal. 149. 1.
[e] Matth. 26. 29.
[f] Ioan. 13. 34.
[g] vers. 12.
[h] Num. 11. 31.
[i] ...4. contra Marcio. c. 26.
[k] ...l. 13. ornithol. ...c. 23.
[l] ...12. etymolo... c. 7.
[m] Festus lib. ...
[n] lib. 10. c. 23.
[o] lib. 8. de histo. animal. c. 12.
[p] in Lexico.
[q] in Martial. pag. 588.
[r] lib. 23. de animalib.
[s] supra.

A contendit cum aliis, sed negat esse perdicem rusticam; tametsi cum perdice magnam naturæ cognationem habeat, Aristotele [a] teste.

De ortygometra siue coturnice, quo pacto miserit illam Deus ad Hebræos, sic legimus in Numeris [b]. *Ventus autem egrediens a Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra itinere, quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabántque in aëre duobus cubitis altitudine super terram.* (Plinius [c], cùm ad nos peruenit, terrestrem potiùs quàm sublimem coturnicẽ nominat.) *Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum, qui parum, decem choros, & siccauerunt eas per gyrum castrorum.* In Psalmo 77. [d] *Transtulit Austrum de cœlo, & induxit in vir-*
B *tute sua Africum: & pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata: & ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.* In capite 19. [e] libri huius Sapientiæ. *Nouissimè autem viderunt nouam creaturam auium, cùm adducti concupiscentia postulauerunt escas epulationis. In allocutione enim desiderij, ascendit illis de mari ortygometra.* Iosephus [f] refert magnam vim coturnicum, quod genus auium præ cæteris Arabicus, inquit, sinus alit, superato interiacente mari, longo volatu fessarum, qui alioqui non est sublimis, in Hebræos delãtam; istos verò diuinitus oblatos cibos certatim comprehendisse. Subdit verò narrationem de manna, quasi post coturnices datum sit, quod
C historiæ sacræ videtur aduersari, sicut antè indicaui [g]. Idem de Philone iudicium, cuius hæc sunt de coturnicibus post historiam de manna. [Imò ne delicatioribus quidẽ cibis diu caruerunt, quales habentur in regionibus habitatis & felicibus, Deo proferente suas opes in solitudine: vespertinis enim horis coturnicum nubes aduolabat à mari tota castra inumbrans, terræ tam propinqua, vt facilè præberet aucupium. Has capiendo, coquendóque, vt cuique libebat, fruebantur carnibus optimis, ne desideraretur obsonia.]

Ex his porrò quæ modò retulimus liquet, ortygometram nõ esse solam ducem, seu matricem coturnicum, vel grãdiorem coturnicem, quoniam incredibilis multitudo ad Hebræos adducta est;
D duces autem matricésque coturnices nec adeò multæ, nec sine suis veluti militibus alumnísve procedere solent. Deinde non videtur probabile, quod asserit Rupertus [h], aliud genus auis esse coturnicem & ortygometram. Multo item minùs credi potest, si assereret, vt eum asserit Ystella asserere, ab insula vna Ortygia (quæ & Delus vocatur) delatas coturnices. Hoc Rupertus non dicit. Præterea constat aues vento eiectas vltra mare aduenisse. In Psalmo 77. *Transtulit* (*ἀπῆρε,* יַסַּע *iassahh, abstulit, proficisci flaréque fecit, & imulit,* non quòd disiecerit ac depulerit, inquit Genebrardus) *Austrum de cœlo* (קָדִים בַּשָּׁמָיִם *kadim basschamaim, Eurum orientalem ventum in cœlo.* id est, per
E cœlum & aërem: *νότον ἐξ οὐρανοῦ*, Austrum habita ratione loci, in quo est Iudæa, non autem deserti Arabiæ, in quo tunc erat populus) *& induxit in virtute sua Africum* (תֵּימָן *theman, λίβα,* nempe ex plaga deserto occidua) alij [i] exponunt; depulso Austro orientali, nimirum Euro, qui vergit magis ad Orientem, quàm ad Occidentem, adduxit per suam potentiam Africum ventum Euro aliquatenus contrarium, & à latere meridionali inclinatum ad Occidẽtem, qui, quas fortè abigebat ille alius tunc sæuior aues impetu & vehementia, maiore vi copiosè cõueheret. Prodit Plinius [k]

[a] 9. histo. animal. c. 8.
[b] c. 11. 31. 32.
[c] lib. 10. c. 23.
[d] vers. 26. 27. 28.
[e] vers. 11. 12.
[f] lib. 3. Antiq. c. 1.
[g] 1. de vita Mosis.
[h] lib. 5. in Exod. c. 5.
[i] vt idem Genebr. & Iansen.
[k] lib. 10. c. 23.

Austro coturnices nō volare, vtpote humido & grauiore vento: anta tamen vehi velle, propter pondus corporum, viréſque paruas, ita vt volantiū cōqueſtio audiatur labore expreſſa; & Aquilone maximè volare. Addit quoq; ſæpe velis nauigiorū inſidere, & hoc ſemper noctu, mergeréque interdum nauigia. Idem eſt in Solino [a] (qui reliqua etiam tranſcripſit ex Plinio) & in Oppiano [b]. Quod attinet ad ventos, licèt Africus Aquiloni proximus impetu ſit, de quo Poeta [c];

a c.18. b de venat. c 1. Aeneid.

Vna Eurusq; Notúſque ruunt, crebérque procellis Africus.———

tamen ſitu proximus eſt Austro, ſpirans nempe inter Austrum & Zephyrum ex parte occidua ſolſtitij hyberni: & ideo iuxta primam Pſalmi expoſitionem quo tempore migrare ſolent coturnices trans mare, hoc eſt, vere, excitauit Deus vētū duplicem Auſtri & Africi, vt citiùs peruenirēt eiiciendo, qui tunc flabat, Aquilonē; qui, vt Aldrouandus [d] demonſtrat, reditui commodus eſt, non aduentui ad nos ex mari, commentum quoque illud refellens, dum mare tranant ala vna volatum promouere, altera natare præ laſſitudine.

d 14. ornitho. c.23.

Abulenſis [e] ait iuxta ſecundam explicationem Pſalmi, vt *transferre* ſit expellere, veniſſe coturnices aliquo modo ex parte aquilonari, quoniam Deus abſtulit Auſtrum, ne impediret aduentum illarum flando contra partem vnde veniebant; ac proinde ventum quem Deus excitauit, ſpiraſſe ex parte aquilonari: quamuis autē appelletur Africus, qui propriè collateralis eſt Auſtro, dicitúrque etiam Libycus, tamen nomina ventorum variè imponi. Si nominum hic abuſus admittitur, facilis conciliatio cum aſſerentibus Aquilone volare coturnices, non Auſtro. Sed quid opus iſtis, cùm res tota, ventique nominatim excitatio, qui vexit coturnices, potentiæ Dei tribuatur in Pſalmo? Ianſenius in expoſitione Pſalmi refellens qui Africum ſumunt impropriè pro vento ſeptentrionali Borea, qui Auſtro contrarius eſt, notat Hebræam dictionem ſignificare *ventum orientalem*, & ab Hieronymo poni Eurum, qui eſt medius inter orientalem & meridionalem: in Pſalmo autem Auſtrum ſumi pro eo qui vergit ad Auſtrum, & eſt ſatis Africo contrarius: Hieronymum quoque Ezechielis 27. eandem vocem Hebræam, quæ eſt in Pſalmo, vertere *Auſtrum*.

e Num.11.q.76.

Ergo & hoc ex narratione diuina elici videtur poſſe, & ex Ioſepho, feſſas coturnices decidiſſe, non autem operoſo aucupio captas eſſe. *Ceciderūt*, ait Pſalmus, *in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum*; & in Numeris [f], *demiſit in caſtra*, &c. Attamen nonnihil adhuc volaſſe concedi poſſet, faciliſque negotio, & leni aucupio, de quo Philo [g], feſſas iam, à tanta multitudine populi comprehenſas, quamuis quo volant minùs, hoc magis currere dicantur, ita vt curſelium coturnicem quidam nominent. Fortaſſis Hebræi retia quoque tetenderunt.

f c.11. g 1. de vita Moſis.

Nam genus hoc auium (ait Mantuanus) *dum ſi ſuper aquora magnis*
Vere refert turmis volitans, in retia feſſum
Viſa cadit, capitúrque manu peregrina volucris.

Tandem quòd ſiccatas memorat Numerorum liber coturnices, vt ſcilicet durarent, fortaſſis adhibito etiā id ſale factum eſt, vt feciſſe Cleomenē teſtatur Athenæus [h], de paruis loquens coturnicibus, quas vocat χέρσια. Quare nō capiebāt, coquebántque quotidie coturnices Hebræi, ſicut præ ſe ferunt recitata priùs Philonis verba. Nec

h lib.9.

A Abulenſis [a] placet opinio (cā verò quoque ſequitur Genebrardus [b]) bis diuerſo tēpore miſſas coturnices, ſemel, vt narratur in Exodo [c], iterum, vt in Numeris [d]. Magis paradoxum videtur & falsū, quod negat [e] ab vno Angelo potuiſſe coturnices plures ferri. Rectè cōfutat affirmātes [*] veniſſe ex inſula Ortygia, quæ eſt in Græcia, tū quia nimis aberat, tū quia vento, qui Corus nominatur, vehendæ fuiſſent, nec Auſter, qui ablatus à Deo dicitur, auferri debuiſſet. Placet præterea quod ait, etiam iuſtos eſca illa perfruitos, licèt eius dandæ occaſio nata ſit ex murmuratione improborum. Eiusdem lege pluribus aliis quæſtionibus multa curiosè hac tota de re diſſerentem.

a Exod. 16. poſt q. 6. & Num.11.q.77. & 80. b in Pſal.77. n.24. c c.16. d c.11. e Num.11.q.76. * q.76.

B Citatus autem Athenæus [f] plura quoque de iiſdem auibus tradit ex Ariſtotele, Alexandro Myndio, Phanodemo, Eudoxo Cnidio, Eupoli, Antiphane, Pratina, Didymo, Cratete, vel Cratino, vel Pherecrate; præterea ex Clearcho, Hipparcho, Ariſtophane. Narrat verò apud eumdem Clearchus hoc aucupium coturnicum, vt tempore coitus ſpeculum eis obiiciatur, & ante id laqueus, tunc enim accurrere, ac implicari.

f lib.9 c.11.

Verſ. 3.] Vt illi quidem concupiſcentes eſcā propter ea, quæ illis oſtenſa & miſſa ſunt, etiam à neceſſaria concupiſcentia auerterentur. Hi autem in breui inopes facti, nouam guſtauerunt eſcam.

C ÆGypti fame propemodum enecti, propter beſtiarum multitudinem, quales ranæ, parabiles etiā & quotidianas dapes faſtidiosè reiiciebāt, ac præ nauſea illis frui impunè non poterant. At Hebræi, ne diuturna vexarentur inedia, cibis è longinquo importatis ſaturati sūt. Hic apertus ſenſus traditus à Cantacuzeno, Lyrano, Carthuſiano, Iāſenio, Sà. Is autē quem Hugo, Bonauētura, Olcotg aſſignant de Hebræis, nō eſt ita commodus, aut etiam verus, illos Deum propter manna conceſſum & coturnices voluiſſe auertere à neceſſaria, hoc eſt, innata, & velut in naturam

g lect.175.

D verſa concupiſcentia eſcarum quibus in Ægypto vesci ſolebant. Quàm ſit parum probabilis expoſitio, cognoſces enucleatis ſigillatim verbis.

Vt illi quidem.] Pronomen hoc, & Græcū (ἐκεῖνοι) indicat reſpectū ad remotiores, non ad proximè nominatum populum Hebræum. Etſi non ignoro haud perpetuum eſſe iſtum pronominum vſum.

Propter ea, quæ illis oſtenſa & miſſa ſunt, etiam à neceſſaria concupiſcentia auerterentur.] Græcè (διὰ τὴν δειχθεῖσαν τῶν ἐπαπεσταλμένων, καὶ τὴν ἀναγκαίαν ὄρεξιν ἀποστρέφονται, *propter oſtenſam* nempe τροφὴν, *eſcā*, id eſt, animalcula illa fœda) *immiſſorum* (animaculorum illorum, quæ videri poterant illis ab irato

E Deo data velut eſcæ, immiſſa, quemadmodum ſalubres ad guſtum coturnices miſit Hebræis) *etiam neceſſariam concupiſcentiam*, ſeu *appetitionem auerterent*, vel *ab ea auerterentur, ne vellent auderéntve cibos quoque neceſſarios guſtare.*) Quòd ſi ſequamur editionem Sixtianam, quæ habet (διὰ τὴν εἰδεχθειαν, *propter odioſam deformitatem*) quo modo legit quoq; Cātacuzenus, quamuis huius vocis Lexicographi nō meminerint, ſed adiectiuæ εἰδεχθὴς pro deformi & turpi vultu ſpeciéve prædito; longè adhuc magis cōſtabit ſermonē eſſe de dictis illis turpib. & execrandis, ac viſu quoque horrendis beſtiolis,

quibus ipſæmet Ægyptiorum fœdabantur eſcæ.

A neceſſaria concupiſcentia auerterentur.] Neceſſarium videtur hoc mihi argumentum pro ſententia noſtra. Nã nimis violenta expoſitio, vt neceſſaria concupiſcentia ſumatur de conſueta Hebræis, cùm viuerent in Ægypto, ciborum ibi parabilium appetentia. Intelligitur Ægyptiorum concupiſcentia circa neceſſarios cibos.

Hi autẽ.] Græcè (οὗτοι δὲ.) Poſterius iſtud pronomẽ priori oppoſitũ (*illi* ἐκεῖνοι) perſuadet quod dicebamus, illos referri ad Ægyptios, hos ad Hebræos. Certè vtrumque non refertur ad eoſdem, ſiue Hebræos, ſiue Ægyptios. Atqui hoc membrum ſine dubio conuenit Hebræis.

In breui.] Græcè (ἐν ὀλίγῳ, ſcilicet χρόνῳ, *tempore.*)

Nouam eſcam.] Priore verſu *nouum ſaporem* reddidit Interpres, vbi Græcè, ſicut hîc, eſt ξένη γεῦσις: capite autem 19.[a] γένεσις νέα ὀρνέων, *noua creatura (generatio) auium.*

a verſ. 11.

Guſtauerunt.] Græcè (μετάσχωσι (ſupple *vt*) *vt noui guſtus, vel eſcæ participes eſſent.*) Cur coturnices potiùs miſſæ ſint, quærit Abulẽſis[b]. Cauſa eſt, quoniam harum auium, quæ præpingues ſunt & optimi ſaporis, copia ſolet eſſe magna, quatérque parere traduntur, ac mares multi vnam fœminam quærere: & cùm infinitus propè earum numerus tum quando abeunt, tum quando redeunt, diuerſis capiatur modis, abire tamen ſemper ac redire magno numero cernuntur: & teſtãtur aucupes eum qui coturnici Maio menſe incubanti mortem inferat, ſpẽ centum & amplius coturnicũ perdere; vnã enim ſexdecim ſimul oua edere, aut minimũ decẽ. Blondus auctor eſt, Neptunij plerumque intra menſem diebus ſingulis centum millia coturnicum capi ſolita. Nec obſtat quòd elleboro & veratro libenter veſcantur, vt ſcripſit auctor[c] operis de plantis, Lucretius[d], Plinius[e], Solinus[f], Galenus[g], Alexander[h] Aphrodiſæus, Ambroſius[i], Baſilius[k]: nam calore ſuo illa bene digerunt, & ſalubriter iis ſaginantur.

b Num. 11. q. 79. & 80.

Quocirca Plinio[l], Galeno[m], Didymo[n], Iſidoro[o] (adde Albertũ[p] Magnum & Olcot[q]) remouẽtibus ea de cauſa, quódve comitialem patiantur morbũ, contradicit Aldouandus[r], confitens tamen, quod res eſt, ſi ſine modo ſumantur, morbos procreare, nec magis tamẽ quàm ſi alia eſcarum genera, ex quibus conſtat ali cicuta ſturnos, quod & Galenus concedit, aliíque, & animalia præter coturnices nonnulla eundem pati morbum, vt oues, capras, alaudas, capos gallinaceos, vt ſileantur canes, feles, equi, &c.

c vbi etiam Scaliger. d lib. 4. e lib. 10. c. 23. & 72. f c. 18. g ad Piſonẽ. h proœ. problematum. i 3. hexam. c. 9. k homil. 8. hexam. l ſuprà. m ſuprà, & 6 Epidem. c. 5. n in Geoponicis. o lib. 12. etymolog. c. 7. p lib. 23. de animalib. q lect. 175. r ſuprà.

Quæri præterea poteſt; ſi manna continebat omnem ſaporem, etiam carnium, quid cauſæ fuerit cur carnes Hebræi concupierint, Deúſque illas conceſſerit. De hoc agemus poſtea hoc ipſo capite[f]. In vltimo[t] autem refellemus aſſerentes coturnices has diuerſi generis ab iis quæ extant fuiſſe; & ſicut manna ſaporem omnem pro ſumentis arbitrio reddidiſſe.

f verſ. 20. t verſ. 22. & 23.

Verſ. 4.] Oportebat enim illis ſine excuſatione quidem ſuperuenire interitum exercentibus tyrannidem, his autem tantùm oſtendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur.

RAtio eſt cur breui tempore ſiuerit Hebræos Deus famẽ tolerare, illam tã opiparè recreãdo, Ægyptios adeò dirè vexauerit: quoniam Ægyptij tyrannicè tractauerant Hebræos; Hebræis autem ſatis erat breuior fames, vt hoſtium ſupplicij grauitatem meliùs æſtimarent, & diuinum erga ſe beneficium animo gratiore cognoſcerent, perciperent, retinerent. Atque eadem iſta collatio pronominibus deſignata (*illis, his*) confirmat quod dicebamus, verſum ſuperiorem priùs de Ægyptiis, non de Hebræis loqui.

Sine excuſatione ſuperuenire interitum.] Græcè (ἀπαραίτητον ἔνδειαν ἐπελθεῖν.) Vatablus (*ineuitabilem penuriam*) Iãſenius (*indigentiam.*) Sicut enim, ait iſte, παραιτεῖν ſignificat & *deuitare*, & *excuſare*: ita ἀπαραίτητος *inexcuſabilem*, & *ineuitabilem*. Addit poſteriorem tantùm ſignificationem huic loco conuenire. *Excuſatio* ſignificat hoc loco recuſationẽ, & cauſationem, ſiue cauſam quæ defuit cur vitaretur interitus. Poſtremò idem valet quod remedium, effugium, mitigatio pœnæ. Vulgò quoque dicimus (*queſto non ſi puo ſcuſare*) id eſt, non poteſt vitari. Diceret Gellius[a] indeprecabilem pœnam; docens enim deprecor eſſe non tantùm valdè precor, ſed etiam depello, propulſo, defenſo, recuſo, vnde illud;

a lib. 6. c. 16.

Sæpe[b] precor mortem, mortem quoque deprecor idem. confirmat exemplo Græci verbi παραιτοῦμαι. Philo[c] ἀπαραίτητον τιμωρίαν vocat, alij χαλεπὸν, vel κίνδυνον. Eſt etiam ἀπαραίτητος *ſeuerus, crudelis*, &c. quod epithetum propoſito etiam conuenit. *Interitum* autem vertit Interpres τὴν ἔνδειαν, quia penuria cibi, faméſq; niſi ſuccuratur, interitũ affert.

b Ouid. 2. de Ponto. c 1. de vita Moſis.

Exterminabantur.] Græcè (ἐβασανίζοντο, *cruciabantur.*) Fuit idem verbum verſu primo. Significat βάσανος lapidẽ indicẽ qui Lydius, aut Heraclius dicitur, & coticula, quo probatur aurum. Inde pro probatione ducta notio, exploratione, inquiſitione, examine, quæſtione, peculiariter per tormentum, ideóque & pro tormento ipſo, màximè in plurali numero: denique βασανίζειν eſt *probare, examinare, torquere*, non in iudicio tantùm, ſed etiam extra; quo pacto Interpres apud Matthæum[d] παραλυτικὸν δεινῶς βασανιζόμενον vertit, *qui malè torquetur*, & apud eundem[e], & Lucam[f] βασάνοις, *tormenta*. Egregie cõgruit plagis Ægyptiacis nomẽ & verbum Græcum, quia Deus per illas plagas elicere volebat veritatem, vt ipſum verum cõfiterentur Deũ. Sed quia eliciebatur ab inuitis, erãt illis tormẽta exterminium, cùm in iudicio diuino ſecus quàm in humano peccatum agnoſcẽtibus & cõfitentibus nõ exterminium, ſupremúmve ſupplicium, ſed venia detur. Poteſt etiam exterminium ſignificare mortem corporis, qua Ægyptij multi ſunt extincti. Proderat Hebræis cognoſcere ſeueritatẽ animaduerſionis diuinæ in hoſtes ſuos, tum vt ſe diligi à Deo intelligerent, tum vt iſto exemplo ſaperent, ſibíque cauerent. *Mulctato* enim ſiue *flagellato peſtilente*, ſiue *deriſore ſtultus*, ſiue *paruulus ſapientior erit*[g].

d c. 8. 6. e c. 4. 24. f 16. 23. g Prouer. 19. 25. c. 21. 11.

Verſ. 5.] Etenim cùm illis ſuperuenit ſæua beſtiarum ira, morſibus peruerſorum colubrorum exterminabantur.

Verſ. 6.] Sed non in perpetuum ira tua permanſit, ſed ad correptionẽ in breui turbati ſunt, ſignum habentes ſalutis ad commemorationem mandati legis tuæ.

Verſ. 7.] Qui enim cõuerſus eſt, non per hoc quod videbat, ſanabatur; ſed per te omnium ſaluatorem.

Confirmat exemplo alio discrimen punitorum à Deo Ægyptiorum & Hebræorum: quoniam licèt Hebræi morsus passi sint serpentū, tamen non vsque ad mortem omnium; sed iussit Deus erigi æneum serpentem, cuius aspectu qui conuertebantur, curabantur: sed ita, vt curandi vis non ænei serpentis esset, verùm Dei ipsius, qui volebat illo temporaneo, leuioréque supplicio reuocari populum ad officium, & ad ipsorum salutem disciplinam sanciri, & legis seruandæ monimentum constitui. Hic solus legitimus sensus, nō autem is quem refert, licèt non approbet Hugo, de Ægyptiis, qui serpentum quoque morsibus puniti sint. Nam nec id de illis vspiam legitur: nec quæ hîc de signo, per quod morsi sanati sunt, hoc est, de serpente æneo, aliis congruunt quàm Hebræis.

Morsibus peruersorum colubrorum exterminabātur.] Græcè (δήγμασι σκολιῶν διεφθείροντο ὄφεων, *morsibus*, aut *ictibus noxiorum corrumpebantur*, vel *interimebantur serpentium.*) Liber Numerorum [a] narrat propter murmur populi de itinere & labore contra Deum & Moysem, Dominum misisse in illum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerint ad Moysem, peccatum cōfitentes contra Dominum & ipsum, petentésque vt oratione impetraret serpentes tolli. Vsa est Iudith [b] hoc eodem exemplo cōtra impatientes, ac obmurmuratores in Deum Hebræos, necnō Paulus [c]. Serpentes ignitos, qui Hebraicè dicuntur שׂרפים *seraphim*, vocant LXX. θανατοῦντας, *mortificantes, mortiferos, mortem afferentes*: & Interpres quos hîc appellat colubros, ibi nominat serpentes, cùm sit eadem vtrobique vox ὄφεις, quam in numero singulari ὄφις vult Athanasius [d] dici quasi ὁ φὰς, id est, *loquens*, videlicet quòd olim Euæ locutus est [e]. Est quem Latino, Græcóque dicunt nomine prester, πρηστὴρ, alio nomine καῦσος, & διψὰς, teste Dioscoride [f], & alia Latina voce situla, serpens vel draco alatus igniti coloris, non homines modò, sed & fruges afflatu inflammans adurénsque.

Oráque [g] distendens auidus spumantia prester.

Hebraicè, vt dixi, vocatur שׂרף *saraph*, quod est *incendere*; vnde & sūmus Angelorū ordo Seraphim denominatur. R. Moses, & R. Salomon [h] dicunt percussos tunc Hebræos & infestatos non solum serpentium, verùm etiam omnium iumentorum morsibus, quæ secum deferebant. At gratis id dicitur, æneúsque erectus serpens de solis indicat serpentibus: nec rem talem Scriptura tacuisset; frustráque Abulensis confingit ab eodem æneo serpente sanatos aliorum animalium morsus; vel hos parum noxios cura non eguisse. Minatur Deus in cantico Mosis [i]; *deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram, atque serpentium.*

Quod ergo pertinet ad serpentes, qui hîc appellantur σκολιοὶ. *tortuosi, intorti, obliqui, inflexi*, Moses libro Numerorum cognominat ignitos, vel quia erant colore igneo: vel scintillas mittebant ardentes: vel morsos calefaciebant ita, vt inflammari tumore rubeo relicto, ac inextinguibilis sitis ardore viderentur: vel tanta illa sua subtilitate & motus celeritate instar habebant scintillarum volitantium, & in homines insiliebant. *Ignis* vocabulo, qui cuncta prorsus abolet, extremam solet pœnam Scriptura designare. Idcirco LXX. θανατοῦντας verterunt, vt paulo antè dixi, id est, *lethiferos*. Videtur Deum colore ænei serpentis,

a c.11.4.5.6.7.
b c.8.25.
c 1.Cor.10.9.
d tract. de definit.
e Genes.
f lib.7.c.14.
g Luca.lib.9.
h hæc Abulensis citat Num 21.q.7. nec improbat q 8.
i Deut.32.24.

A quē fieri præcepit, natiuum illorum animalium referre colorē voluisse. Tales Africam ferre mulos narrat Solinus [a], à quibus Catonis icti milites veneno moreretur inflammati. Et verò credi potest, præter illos quos desertum Arabiæ tulit, vbi Scriptura [b] tradit fuisse serpentum flatu adurentem, & scorpionem, ac dipsadem, Deum nō paucos denuò generasse, vel certè aliunde, vt ex Africa, quæ istis abundat, adduxisse. Hæc omnia probabilia ducit Abulensis [c]. Ego verò Angeli opera allatos iudico, quem Paulus [d] antea productus ὀλοθρευτὴν vocat, id est, *exterminatorem*, sicut & in Apocalypsi [e] dicitur ἀπολλύων. Nec inuerisimile, quemadmodum olim diabolus [f] asciuit figuram serpentinam, vt Euam falleret; sic B eandem nunc induisse, vt cruciaret.

Aptum sanè contra detrahentes murmurantésque supplicium. Nam *si mordeat serpens in silentio*, inquit Auctor Ecclesiastis [g], *nihilo eo minus habet qui occultè detrahit.* Ibi consule annotationes nostras. [Decebat præterea, inquit Abulensis [h], vt quos ceperat fastidium manna, in quo erat omne delectamentum saporis, punirentur per serpentes, quibus quæcumque comedunt videntur terra.] Iusta vindicta, ait Ambrosius [i], vt aduersarij venena sentirent, qui nō venerabantur auctorem. Propter hoc peccatum serpentes sæuire sūt permissi, quorum erat in Arabiæ deserto magna vis, C vt Solinus [k] prodit (dicens incolas quoque anguibus vesci, propterea nominatos ὀφιοφάγους) & Deuteronomij [l] liber antea citatus. In eodem autem libro etiam est, Deum in solitudine illa magna, atque terribili ductorem populi fuisse, nempe quandiu non murmurauit, ne damno afficeretur à bestiis illis venenatis.

Ad correptionem.] Græcè (εἰς νουθεσίαν, *in hortationem & monitionem*) non quidem eorum qui morsibus interibant, sed aliorum, qui vel nondum interierant, licèt icti, vel ne icti quidem fuerant. Relege Gellium [m] pridem productum à me de tribus causis puniendorum peccatorum: quarum prima sit νουθεσία, vel κόλασις, vel παραίνεσις, cùm pœna, inquit, adhibetur castigandi, atque D emendandi gratiâ, vt is qui fortuitò deliquit, attentior fiat, correctiórque. Fateor tamen hîc inesse diuerso respectu alias duas, & τιμωρίας propter dignitatem auctoritatémque læsam Dei ac Moysis, & παραδείγματος, siue exempli, vt cæteri à simili peccato deterrerentur.

Signum habentes salutis.] Græcè (σύμβολον ἔχοντες σωτηρίας.) Serpentem æneum intelligit, qui signū ac symbolum fuit nō corporalis modò salutis, & medicinæ, verùm etiam spiritualis à peccati veneno, quod serpens impresserat [n] Euæ, illa Adamo, hic posteris. Christum ipsum habemus istius interpretem symboli de seipso incarnato, & crucifigendo [o]. Sed analogiam rationémque mysterij E Patres explicant, omnésque Ioannis, Numerorū, præsentísque loci Enarratores, simul annotantes, Deum post omnem imaginem prohibitam [p], iussisse tamen serpentis imaginem à Mose confici, maximè verò Tertullianus [q]. Oranti Mosi respondit Dominus [r]; *Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eū, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem aneum, & posuit eum pro signo: quem cùm percussi aspicerent, sanabātur.* Conueniunt omnes, ligno impositū serpētem designasse mysteriū Crucis, vt antea dixi, & hoc esse signū leuatū in Sion [s], leuatum in nationibus procul [t]. Per serpentē intelligunt peccatū, & peccati auctorem diabolum,

a c.30.
b Deut.8.15.
c Numer.21.q.7.
d 1.Cor.10.9.
e c.9.11.
f Genes.3.
g c.10.11.
h Numer.21.q.5.
i 3.de Spiritu sancto.c.9.
k c.36.
l c.8.15.
m lib.6.c.14.
n Genes.3.
o Ioan.3.14.15.
p Exod.20.& alibi
q cōt Iudæ.c.10.cont Marcio.c.22. & lib.3.c.18. de idololat c.5.
r Num.21.8.9.
s Ierem 4 6.
t Esa 5.26.

mortémque ex peccato consecutam confixam opera crucifixi Christi, qui pro nobis peccatum factus est[a], id est, pro peccato victima fuit, peccator habitus, cum iniquis reputatus[b], atque maledictus[c], cùm tamen talis non esset, sicut nec æneus serpens verus erat serpens. Auctores Gretserus[d] noster affert Tertullianum[e], Ambrosium[f], Augustinum[g], Prosperum[h], Seuerianum[i], Theophanem[k], Maximum[l], Nazianzenum[m], Nicetã[n], qui vltimus exponit Nazianzenum affirmasse nõ typum, sed antitypum Christi esse serpentem æneum, quatenus accipitur pro diabolo (Andreas Ierosolymitanus, quem citabo, loquitur vt Nazianzenus, aitque æris rubigine indicari peccatum:) nam alioqui typus fuit, pro vt salutem intuentibus afferebat. Præter istos adde Iustinum[o] (ait hoc sibi Platonem voluisse, cùm in Timæo scripsit, quòd decussauit Filium Dei Deus, ἐχίασεν (exprimendo nempe figuram χ) in deserto: Mosem formam Crucis ex ære fecisse, ac fixisse in tabernaculo, & populo dixisse; si figuram hanc respexeritis, & credideritis, eius vi salui eritis) Chrysostomum[p], Cyrillum[q] Alexandrinum, Epiphanium[r], Ephrem[s], Hieronymum[t], Macarium[u] Ægyptium, Andream Ierosolymitanum[x], Germanum Constantinopolitanum, sed iuniorem[y], Macarium Chrysocephalum[z], Bernardum[a], Damascenum[b], Cæsarium Arelatensem[c].

Cur porrò ex ære voluerit Deus conflari serpentem (serpens enim rectè serpentium ictibus medetur etiam secundùm Medicorum carnalium disciplinam, inquit Augustinus[d], ac proinde homo homini, licèt non simplex, sed simul Deus) plures assignantur causæ. Prima est antea indicata, quòd æris color colorem exhibeat ignitorum serpentium; vnde quod Latinè legimus; *fac tibi serpentem æneum*, & Græcè χαλκοῦν, Hebraicè est שָׂרָף *saraph, igneum*: & χαλκοῦν μυῖαν Pollux[e] vocat *muscã aheneam* à colore æris; de qua, & de ludo puerili muscæ cœcæ Petrus Victorius[f]. Placet ratio ista Oleastro[g]. Indicabat igneus color ille Saluatoris incensum in Cruce amorem, quemadmodum ardens in nos dæmonum odium igniti serpentes. Secundam affert Abulensis[h], quia materia erat ductilis, & nõ magni sumptus, qui ad adeò ingentẽ serpẽtẽ, qui per omnia castra videri posset, erat necessarius. Scribit Plinius[i] fieri solita omnis generis vasa ex ære. Tertia est Augustini[k], propter durationem, & mysticè, vt perseueraret in nobis memoria passionis & Crucis Christi: vulgò quippe (inquit) ænea dicuntur, quorum memoria manet. Quartam idem[l] tradit, sed tantùm mysticam, propter vocis claritatem, siue soni & tinnitus; quia Crucis doctrinæ sonus exiuit in omnẽ terram[m]. Quinta placet R. Dauid[n] Kimhi, peritos alleganti medicinæ, quoniam si quis ictus à serpente aspiciat æs, illicò moritur; Deum voluisse re noxia sanitatem afferre, vt tanto maius miraculum appareret, ad eum modum quo massa ficuum Ezechiam curauit[o], & ligno amaro aquarum amaritiem sustulit[p]. Ridet Maldonatus[q] rationem istam, ac primam potiùs approbat. Theophanes[r] Ceramcus agnoscit ἀντιπάθειαν ἀπόῤῥητον in æneo serpente ad retundendam veneni vim in aspiciente: sed non asserit, vt Rabbinus ille, naturalem fuisse. Id si assereret, opposita priori ratio foret.

Addit cum aliis mysticas alias duas causas idẽ Maldonatus, vt Christi corpus melius significaretur, quod de Spiritu sancto conceptum est[s], quemadmodum serpens ille non naturali generatus lege, sed igne conflatus fuerat: vel quod solidum esset futurum contra peccatum (adiice & contrà tormenta) ita vt non fragile, peccatisque obnoxium sicut nostrum, & ad flagella parũ patiens; quo pacto Iob[a] negabat carnem suam æneã esse. Affine est quod scribit Bernardus[b], æneum serpentem fuisse Christũ incarnatũ, charitatis & passionis igne conflatum, sanguine rubricatum, in resurrectione ad modum æris duratum. Legendus quoque Salmeron[c], & Toletus[d]. Octaua, vel nona causa Andreæ[e] Ierosolymitani adhuc mystica est, vt τῷ ἰῷ τοῦ χαλκοῦ, *rubigine æris* denoretur virus peccati, ἰὸς τῆς κακίας. Est namque lethifera vis in ære, de qua Medici[f].

B *Ad commemorationem mandati legis tuæ.*] Vt eo signo redderentur memores mandati legis, nec de diuinis amplius præceptis obtrectarent, quæ per seipsum, vel per ministros suos daret Deus. Dicũtur Hebræi postea hoc quasi vexillum in itinere circũtulisse contra eadem pericula serpentum; etsi credibile non est, vim salutarem permanentem habuisse, vt bene demonstrat Abulensis[g]. Sed & ei tantum honorem habuerunt adolentes incensum, vt Ezechias confringere decreuerit, illiúsque nomen per cõtemptum appellare Nohestan[h]. Tã diu conseruatus est, quia Dei iussu à Mose factus præsens morsibus serpentum remedium cùm attulisset, monimentũ tanti beneficij, legislatoris, ac legis esse poterat, sicut in vrnam coniectũ mãna, tabulæ legis, virga Aarõ[i]. Et persuadebant verò sibi fortassis nõnulli saltem Hebræi, vt iam dicebam, posse se idem remedium deinceps ab eodẽ serpente consequi, quasi vis ei ad hoc insita esset, imò quasi diuinitate quadam præditus esset, posséque alia etiam beneficia conferre. De his legatur Abulensis[k]. Æneũ serpentem, quem in basilica Mediolanensi Ambrosiana ipse vidi collocatũ è regione prototypi crucifixi, Arnulpho eius vrbis Archiepiscopo Ioannes Cõstantinopolitanus Imperator dono dedit de thesauro suo detractũ, in quo studiosè illũ asseruabat, quòd ex eo crederetur conflatus ære, ex quo Moses olim suum in deserto conflauerat. Proditum est id in annalibus Mediolanensium, & à Carolo[l] Sigonio.

D *Qui enim cõuersus est.*] Græcè (ὁ δὲ ἐπιστραφεὶς.) Vel de resipiscentia & pœnitẽtia potest intelligi, vel de cõuersione coniectúque oculorum ad serpentem æneum. Posterior sensus, quem dat Cãtacuzenus, Vatablus, Osorius, Sà, magis consentaneus sequentibus verbis est, quàm qui traditur ab aliis prior. Etsi nõ dubito pœnituisse illos qui serpentem respectabant, vt sanitatem adipiscerentur.

Non per hoc quod videbat sanabatur, sed per te omnium Saluatorem.] Non inerat vis æneo serpenti, nec naturalis, cùm potiùs putent aliqui noxium aspectũ æris, vt antè retuli; nec supernaturalis inhærens, vt pluribus probat Abulensis[m], qui narrat[n] B. Thomam Aquinatem caput metallicum, quod Alber. fabricauerat, & ad omnia respõdebat, confregisse; sed eo præsente Deus ipse morsos à serpentibus curabat. Saluatoris & σωτῆρος epithetum Deo conuenit, sed peculiari quadam ratione Christo, cuius erat serpens ille typus, & propter cuius merita concessa tunc est percussis sanitas, simúlque fortassis, si verè conuersi fuerunt, remissio peccatorum; licèt nulli, vel admodum pauci figuræ mysterium tunc intelligerent, Christíve opem implorarent. Nostrum est oculos nunquam remouere à contemplatione Sal-

uatoris

a 2. Cor. 5. 21. b Esa. 53. 12. Mar. 15. 28. c Gala. 3. 13. Deut. 21. 23. d 1. de Cruce. c. 45. e cont. Iud. c. 10. & cõt. Marcio. c. 22. lib. 3. e 18. 2. carm. c. 4. de ido-lol. c. 5. f 3. de Spirit. sancto c. 9. & apolog. Dauid. c. 3. serm. 51. de Cruce, vel 55. g in Epist. ad Gal. c. 3. de peccat. mer. c. 32. serm. 14. de verb. Apost. serm. 101. de tempore. 1. de mirab. Script. c. 33. tract. 12. in Ioan. 12. cõtra Faust. c. 20. h de præd. p. 2. c. 11. i apud Damascen. 1. de imaginib. k hom. in Dominica ante exalt. Crucis. l apud Theophan. supra. m orat. 2. de Pascha. n in oratio. Nazian. o in Trypho. & apolog. 2. p ora. de hac re, & ora. de ador. Crucis. in media ieiunij hebdo. q de incarnat. c. 14. r hære. Ophitarum. s in orat. serm. de pœnitent. t procem. lib. de ... u homil. 11. x orat. 1. & 2. de exaltat. Crucis y orat. de exaltat. Crucis, & orat. de Cruc. med. Quadragesimæ. z orat. de exaltat. Cruc. a tract. de pass. Dom. c. 45. b 4. de fide. c. 12. c hom. 4. d serm. 101 de temp. e lib. 9. f lib. 15. varia. lect. c. 16. g in c. 21. Numer. h ibid. post q. 8. i lib. 34. c. 2. & 3. k ser. 101. de temp. & in c. 3. Ep. ad Gala. l serm. 101. de tempore. m Psal. 18. 5. Rom. 10. 18. n in Lradicũ. o 4. Reg. 20. 7. Esa. 38. 21. p Exod. 15. 25. q in c. 3. Ioan. r ora. in Dom. ante exaltat. Cruc. apud Gretser. tom. 2. de Cruce. s Matth. 1. 20. Luc. 1. 35.

a c. 6. 12. b tractat. de pass. Dom. c. 45. c to. 8. tract. 6. d in Ioan. c. 3. e orat. 2. de exalt. Cruc. f Falopius tract. de metallis & fossilib. c. 14. & seq. qui alios citat. g Num. 21. q. 9. & seq. 4. Reg. 18 q. 13. h 4. Reg. 18. 4. i Heb. 9. 4. k 4. Reg. 18. q. 11. & seq. l libr. 7. de Regno Italiæ, anno 971. m 4. Reg. 18. q. 13. & Num. 21. q. 9. & multis seqq. n Num. 21. q. 16.

uatoris propter nos crucifixi; maximè verò cùm lethifero peccati veneno sumus infecti, imò mortui: restituet namque vitam, & denuò crucifiget peccata nostra secum, mortis suæ fructum communicando, delendo quod aduersùs nos est chirographum decreti contrarium nobis, auferendo de medio, affigendo illud Cruci [a].

a Coloss. 2.14.

Tropologiam, allegoriámque istam fusè prosequuntur tam multi priùs producti Patres, hi potissimum qui per æneum serpétem peccati virus intelligi voluerunt, aut diabolum: istum enim illúdque Christus cum sententia quoque mortis & damnationis in Cruce fixit; cum potestate, vt si rursus contingeret nos Christum peccando crucifigere, ab eodem crucifixo medicinam petamus. [Medela, si volumus, etiá modò, inquit Cæsarius Arelatensis [b], nobis contra morsum serpentis, viso serpente confertur: quod tunc euidenter completur, quando peccatum ipsius peccati cognitione curatur, & crimen criminis confessione aboletur. Ac sic homo, quando dicit cum Propheta [c]; *quoniam iniquitates meas cognosco, & delictum meum contra me (coram me) est semper*, quando bene respicit peccatum suum, sanat morsum serpentis per serpentis aspectum.] Hucusque ex Cæsario. His non dissentanea sunt in Prospero [d], qui morsus serpentinos accipit de peccatis, quibus mare rubrũ egressi, hoc est, baptizati, percutiuntur, & curantur, si ad exaltatum in ligno Crucis Iesum Dominum respiciant; sicq; illuditur serpens diabolus, de quo Psal. [e] *Draco quem finxisti ad illudendum ei.*

b homil. 4. de Paschate.
c Psal. 50.5.
d p. 2. de prędic. & promiss. c. 33.
e Psal. 103.26.

Cæterùm nõ Hebræi dũtaxat, de quibus nuper egi, æneum serpentem diuinis colebant honoribus, verùm etiam hæretici Ophitæ, serpentinum gerentes cognomen. Nam serpentem magnificabant in tantum (Tertullianicè loquar [f]) vt illum etiam ipsi Christo præferrent, cùm dicerent scientiæ boni & mali originem dedisse [g]: huius autem Mosem animaduertendo potentiam & maiestatem, æreum posuisse serpentem; & quicunque ipsum aspexissent, sanitatem consecutos: quin & Christum in Euangelio suo imitatum serpentis ipsius sacram potestatem, dicendo [h]; *& sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Refelluntur ab aliis omnibus hæreseologis, ex quibus Epiphanius [i] refert quoque abusos æneí serpentis exemplo: Irenæus [k], quòd in Genesi [l] scribatur omnium animalium callidissimus, quasi Sophia ipsa, id est, Sapientia, serpens facta sit. Quò recidit humanus animus, vt à quo in fraudem pertractus est, serpentem veneretur vt numen? Notum ex Danielis [m] historia, quo esset in honore apud Chaldæos draco: celebris serpentis Æsculapij missa Epidaurum Romanorum Principũ legatione nobili aduectio [n]: fertur Pherecides Syrus dixisse dæmonum è cœlo deturbatorum à Ioue principem cognominatum Ophionæum [o]; diuino Augustinus [p] fieri notat consilio, vt serpens moneatur carminibus potiùs, quàm aliud vllum animal, vt hæc non parua testificatio sit naturam humanam primitus serpentis seductam esse colloquio. In colloquio Simon Maiolus ex iis octauo quæ diebus scripsit canicularibus, multa scitu curiosa, & iucunda de serpentibus disputat, quibus quæ carptim attigimus illustrari & amplificari possunt.

f Tertull. de præscrip. c. 47.
g Gen. 3.5.
h Ioan. 3.14.
i hæres. 37.
k lib. 1. c. 36.
l c. 3. 1.
m c. vlt.
n Val. Max. lib. 1. c. 8.
o refert Vitues in 14. de ciui Dei. c. 11.
p 11. Gen. ad lit. c. 28.

Vna restat quæstio perbreuis; quare mordentes Deus non deleuerit ac extinxerit serpentes, contentus medicinam morsis læsisque ab illis fecisse, quemadmodum interfecta sunt varia illa

A beltiarum genera, quas contra Pharaonem Dei potestate Moses excitauerat. Non negat quidem Scriptura deletos esse: at si deleti fuissent, æquè, opinor, meminisset vt de animalibus aliis. Sic è contrario cùm deleta narrat animalia illa, nihil tradit, si quam ab iis Ægyptij noxam accepissent, eáne diuino munere sublata sit. Et verò lógè probabilius est non sublatam. Ægyptios par fuit liberatos à noxiis animalibus, nocumentum accepturum aliquandiu ferre: Hebræis à vulneribus liberatis, serpentum minime necessarius interitus fuit.

Ratio quoque mystica non defuit. Significari debuit nos, tametsi mortem ex antiqua illa trãsB gressione ortam penitus effugerimus, cum malitiæ auctore, & ea quæ carni aduersus spiritum semper incumbit concupiscentia [a], quam serpentes innuũt, perpetuum bellum, quoad vita durat, gerere debere. Respondet his ipsis verbis Macarius [b] Chrysocephalus Thessalonicensis Episcopus. Eandem quæstionem Germanus Constantinopolitanus [c] proponit; cur, sicut virga Aaron serpentes Magorũ deuorauit [d], non etiam vt olim in serpentem commutata, illos in eremo serpentes absumpsit. Ibi aliis præterea propositis dubitationibus exclamat esse multiplicem, firmam, indissolubilem earum catenam, vsurpátque; *ô altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei* [e]! Ad hanc verò quid respondeat non satis dispicio; imò niC hil mihi videtur respondere.

a Gal. 5.17.
b orat. de exaltat. Cru. cis apud Gretserum tom. 2 de Cruce.
c orat. 3 de Cru. in med. Quadrag. apud eundem Gretserum
d Exod. 7.12.
e Rom. 11.33.

Verf. 8.] In hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo.

Hic, ac sequenti oratione per aliquot sequentes versus magis declaratur allatum iam discrimen in puniendis Dei cultoribus, & superstitiosis idololatris.

Ostendisti]Græcè (ἔπεισας, *persuasisti.*) Validè persuadent pœnæ beneficiáque, nec efficacior ad D populares in Dei cultũ inducendos ratio. Quamquam ea fuerunt Ægyptij & Chananæi peruicacia, vt ne talibus quidem tantisque argumentis cedere atque persuaderi valuerint & voluerint.

Inimicis nostris.] Vel Ægyptiis in Ægypto remanentibus, qui postea hæc rescierunt: vel iis qui aliquando Hebræis infensi, ad eos adimmxerant sese, ascenderántque cum ipsis de Ægypto, & harum rerum inspectores erant, ac magna ex parte murmurationis contra Deum & Mosem auctores. Non pauci libri habent (*inimicis tuis.*)

Qui liberas ab omni malo.] Etiam à peccato. Sed E de malo pœnæ per se nunc sermo est. *Dominus custodit ab omni malo, & custodit animam* [f], id est, vitam corporis. Tritum profanis epithetum, quo cohonestabãt Deos suos, vt ἀλεξικάκους cognominarent, & ἀποτροπαίους, & ἀπεπομπαίους, & λυσίους, & φυξίους, & σωτῆρας, *depulsores malorum*, & *auersores, defensoresque calamitatum*; quos Latini depellentes ac depulsores vocant, necnon auersores, & auerruncatores: quemadmodum qui mala inferrent dicebantur ἀλιτήριοι, ἀλιτηριώδεις, προστροπαίοι, παλαμναῖοι. Sed κατ' ἐξοχὴν Ioué appellabãt ἀλεξήτηρα, itẽ σωτῆρα, ἐλευθέριον, ἀλεξικάκιον, *seruatorẽ* siue *conseruatorem*, & *liberatorem*, *sanatorem*. Lege Budæum [g], & Gyraldum [h], & Comitem [i]. Vtrũque vero Deo

f Psal. 120.7.
g com. ling. Græcæ.
h de Diis. syntag. 1 & 2.
i 1. mythol. c. 1.

diuinæ tribuunt literæ, vt creet pacem bonúmque,& faciat mala [a]; mortificet ac viuificet [b],&c. Ab illo docuit nos Christus omnia bona petere, & vt liberet nos à malo [c].

a Esa.45.7. b 1.Reg.2.6. c Matth.6.9. & seq.

Vers. 9.] Illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus,& non est inuēta sanitas animæ illorum : quia digni erant ab huiuscemodi exterminari.

IN capite 11.nonnihil actum est hac de re; & quod attinet ad muscas, remisimus lectorē ad Commentarium nostrum in Ecclesiasten [d],& ad alios auctores,tum ad Interpretes Exodi, vbi capite 8.[e] sermo est de muscis. Locustarum mentio fit capite 10.[f] multitudine tanta, quanta néc antea fuerit,nec postea futura sit. Neutrobique nominatim dicuntur ipsimet Ægyptij morsus muscarum,vel locustarū passi. Sed Auctori credendum nostro;non,vt citato dicebam loco, approbandus qui negat Caietanus [g] veras muscas fuisse, quia si veræ fuissent, hominibus nocuissent. Idem quod Auctor, asserunt quoque Philo [h] ac Iosephus [i], animalia hæc præcipuè maximéque hominib.nocuisse.i.fructib.corū. Sed & Ps.[k] contradicere videtur Caiet. *Misit in eos cœnomyam*(alij *cynomyam*)*& comedit eos,* nisi per (*eos*) intelligas res eorū satis vulgari sermone, quo etiam alio Psalmo dicitur [l]; *quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt.* Importuna musca infert se in domos, nec parcit hominibus; & in Exodo [m] narratur grauissima venisse in domos Pharaonis & seruorum eius, proculdubio non vnis rebus externis nocens, sed etiam personis. De locustis narratur pariter in Exodo [n] quòd impleuerint maximo numero domos Pharaonis,seruorum eius,& omniū Ægyptiorum. Vocat Deus [o] fortitudinem suam magnam hoc genus animalium,non respectu supernarum virtutum, & fortitudinum cœlestium, vt notat Rupertus [p]; sed infirmorum comparatione hominum in sua infirmitate superbientiū, qui ceruicem suam erigunt contra Deum, quam pulici subiiciunt. Vocauit & Pharao plagam hāc non alio nomine quàm mortis,dicens [q]; *rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam.* Adiungitur locustæ bruchus in Psalmo 104.[r] sine numero; species nempe vna locustarum,quæ nomine generali appellantur in prædicto loco Hebraice אַרְבֶּה *arbeh*, vbi R. Dauid Kimhi obseruat plures in plaga illa octaua locustarum species sæuiisse.

d c.10.1. e vers.21. & seq. f vers.12. & seq. g in Exo.c.8. h 1.de vita Mosis. i 2.Antiq. k Ps.77.45. l Psal.78.7. m c.8.24. n c.10.6. o Ioel.2.25. p lib.1. in Exodum.c.38. q Exo.10.17. r vers.34.

Possent verò etiā in hoc loco nostro per morsus,qui occiderint, intelligi soli cruciatus vehementes, quemadmodum vulgò loqui solemus, cùm ita discruciamur, scilicet occidi nos; ita vt asili quidem, caninæve muscæ homines acriter inuaderent;locustæ sata,& arborum fructus euertendo affligerent. In Apocalypsi [s] præcipitur locustis *ne lædant fœnum terræ,neque omne viride, neque omnem arborem,nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.*

s c.9.4.

Mira Plinius [t] narrat de natura,sæuitia,dānísque locustarum:de mystica verò in diuinis literis earū significatione præ aliis Gregorius [u], & qui exponūt Iob [x],& Apocalypsim [y],& Bellarminus [z], qui adaptat hæreticis. Disseruimus & nos de locusta dū Ecclesiasten declararemus [a]. Quod huc potest pertinere est, Plinio [b] teste, gregatim lon-

t lib.11 c.29. u 31. moral.c.20. x c 39. y c.9. z orat. ante tomum vlt. a c.12.5. b suprà.

A ginqua ab iis maria transiri, continuata plurium dierum fame: Deorum quoque iræ pestem eam intelligi:fores ipsas tectorū erodere:sæpe ad Sibyllina populum remedia confugere:ter in anno ex lege debellādas in Cyrenaica regione Africæ: necare & in Syria militari imperio cogi incolas: in Lemno insula certam mensuram præfinitam, quam singuli enecatarum ad Magistratum referant:ciuitatem à locustis in Africa pulsam. Traditur Meliunti populos Herculi sacrificasse, quòd bruchos fugasset, & festū vulgò ab aliis celebratum vocabatur βρέχων ἑορτὰ [a]. Sed hoc argumentum exactè pertractat in opere de insectis Vlysses [b] Aldourandus: illas autem locustas, quibus B vescebatur Ioannes [c],optimè probat nō fructus, vel herbas,verùm animalia fuisse, quorum esum Hebræis Moses nominatim permisit [d]. Legendum præterea Simonis Maioli canicularium dierum colloquium quintum.

a Cœl. Rhodi.lib.4.c.15. b lib.4.c.1. c Matth.3.4. d Leuit.11.22.

Vers. 10.] Filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes:misericordia enim tua adueniens sanabat illos.

VRget magna sermonis elegantia idē discri- C men,quod in puniendo adhibuit Deus tum impios idololatras, tum pios cultores suos,quos & dulcissimo vocabulo filios appellat Dei. Hi diuina misericordia ab ictibus quos infixerant draconum dentes liberati sunt, si non omnes; quia quidam,id est,non pauci,mori permissi sunt [e],certè plurimi;quod plurimæ parti non contigit idololatrarum,quos attigerunt plagæ.

e Num.21.6.

Filios tuos.]Non sola creatione,quo modo diuitem in inferno positū vocat filium Abraham*,& ipsemet Abrahā Deus; nec etiam adoptione per gratiā:puniebantur namque peccatores; sed professione veræ Religionis,& inchoatione quoque iustitiæ per pœnitentiam. Lege caput 9.[f]

* Luc.16.25. f vers.7.

Draconum venenatorum dentes.] Draco ex Græco nomine δράκων sæpe vt serpenti synonymum ac- D cipitur,cùm sit tamen in hoc genere sæuior, grādior,annosior,elephāti aduersarius,teste Plinio [g], & aquilæ, vt prodit Nicander [h], & ab acutie vidédi,quod est δρακεῖν,& δέρκειν,sic appellatus,atq; quia vigil ac insomnis est ad res pretiosas custodiendum adhibitus. Tradunt porrò Nicander [i] idem,idémque Plinius [k],Ælianus [l] cum Gyllio,& & alij,esse aspidibus venenum in dentibus duobus longissimis in superiore parte dextera, læuáque,tenui fistula perforatis,per quos infundatur, & dentes indutos esse mēbranis tenuissimis,quas comprimant cùm quem mordicus inuadunt;tum E denuò ad pristinum redeant locum & vniantur. Audi Nicandrum.

Quatuor huic intra maxillæ concaua dentes
Radices fixère suas,quas iuncta quibusdam
Pelliculis tunica obducit,triste vnde venenum
Effundit,si fortè suo se approximet hosti.

Hoc de draconibus negat Isidorus [m],docétq; vim non in dentibus habere, sed in cauda,& verbere potiùs,quàm ictu nocere; innoxios autem esse à venenis. Scribit item Plinius [n] non habere venena. Hic tamen ipse pluries remedia præscribit cōtra morsus illorum,vt Scholiastes quidem Dalecampius notat. Sed Plinium de marini draconis morsibus disertè scribere lego ter, quatérve [o],

g lib 8.c.11. h in theriacis. i ibid. k lib.11.c.37. l lib.9.de animal.c.28. m lib.12.etymolog.c.4. n lib.29.c.4. o lib.26.c.6. lib.27.c.5. lib.32.c.5.

semp

semel duntaxat morsus draconis absque addito nominare [a], vt suspicari liceat de marino intelligere.

a lib.14.c.19.

Ad hanc sententiam respexerunt, vt existimo, qui præsentem locum hunc nostrum ita legerũt, distinguendo draconum morsus à morsibus venenatorum *(nec draconum, nec venenatorum vicerunt dentes.)* Sed correcta lectio est iuxta fidem Græci textus (*οὔτε ἰοβόλων δρακόντων ἐνίκησαν ὀδόντες*) & æneus serpens cõtra venenatos ictus erectus est. Credendum potiùs auctori sacro; & Ælianus [b] prætereà de dracone memorat, cùm homini, aut feræ cuipiam insidias facturus est, mortiferas radices edere, videlicet vt mortiferè mordeat ac venenosè. Si cui hinc non satisfit, nominibus dicat interdum variis rem eandem designari, vt aspidis, draconis, serpẽtis, & aliis pluribus, &, quod Albertus [c] docet, nomen *(draco)* esse nomẽ generis, sub se cõtinens species multas. In Exodo [d] pro eadem voce Hebræa תנין *thannin*, & Græca *δράκων*, Interpres vertit nunc *colubrum*, nunc *draconem*. Olcot [e] contendit draconem venenatum esse, verùm in cauda, auctore Solino [f], aut alibi quoque, cùm dicatur vel flatu ipso inficere. Solinum transcripsit Isidorus citatus. Solini autem Scholiastes Ioannes Camers affert ex Philostrato [g], Homero [h], Pliniòque dracones aliquos ranis similes, terga subnigra habentes, quosdam rubentes & coloris ignei, oculis præditos, quorum pupillæ sint lapides tanquam ignis fulgentes, & vis ad morbos pellendos maxima, talémque qui in Gygis erat annulo, fuisse. Refellit quoque Albertum [i] scribentem, quæ Plinius prodat & Solinus de draconibus, ex auditu potiùs referre, quàm ex vero, & philosophico experimento. Cùm autem Philostratus tradat dracones illos igneos montem, qui ad mare rubrum pertinet, incolere, eorúmque sibilos horrendos audiri, existimare possumus ex eo genere fuisse de quibus Auctor loquitur. Mira quædam narrantem de draconibus Pererium [k] ex varia historia, si placet, lege.

b lib.9 de animal.c.16.
c lib.25.de animal.
d c 7.9.10.11.12.
e lect 178.
f c.41.
g 3.de vita Apollonij c.8.
h 2.Iliad.
i supra.
k lib 1.in Gen.in opere quinti diei.

Misericordia enim tua adueniens sanabat illos.] Græcè (*τὸ ἔλεός γάρ σου ἀντιπαρῆλθε, καὶ ἰάσατο αὐτούς, misericordia enim tua ex aduerso aduenit, & sanauit illos:*) misericordia enim tua intercessit, & seruauit illos, è regione, ex opposito, ex aduerso veniens occurrit, opposuítque sese, ac subsidio fuit, vt curaret illos, contrà prodiuit, & aduersùs vulnera illata à draconibus venit, vt pestiferam vim repelleret. Rectè Dauid [l]; *Si dicebam,* inquit, *motus est pes meus, misericordia tua Domine, adiuuabat me. Ipse enim vulnerat, & medetur* [m].

l Psal.93.18.
m Iob.5.18.

Vers. 11. In memoria enim sermonũ tuorum examinabantur, & velociter saluabantur, ne in altam incidentes obliuionem, non possent tuo vti adiutorio.

HÆc inde vtilitas prouenit, vt diuinorũ diutiùs memoriam præceptorum conseruarent: siquidem bestiarum ictibus vexati, ac dolore victi, ad Deúmque conuersi quem offenderant, continuò sanabantur, & intelligebant vnde sibi salus, vnde pernicies existeret; alioqui verendum fuerat ne tradentes obliuioni perpetuæ Deum, ac benignitatem ipsius, spem quoque salutis abiicientes ad æternum truderentur supplicium. Et cauit Deus celeriter sanando, ne afflictionis vehementia in eius obliuionem profundam, atque in desperationem irremediabilem delaberentur. Vna de multis ratio quare tum peccatores, tum iustos etiam quandoque pœnis vel calamitatibus afficiat Deus, nempe vt immemores ac obliuiosos munerum diuinorum, aut ad pœnitentiam segniores veluti vellicata memoriæ aure ad seipsum reuocet. *Cùm occideret eos*, ait ille [a], *quærebant eum, & reuertebãtur, & diluculo veniebant ad eum: & rememorati sunt quia Deus adiutor est eorũ, & Deus excelsus redemptor eorum est. Obliti* [b] *sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto*, &c.

a Psal.77.34.35.
b Psal.105.21.

In memoria.] Græcè (*εἰς ὑπόμνησιν, in memoriam)* id est, vt memores essent. In quibusdam libris, & apud Olcot [c] est *(in memoriam.)* Quocirca praua lectio est codicum, in quibus habetur *(immemoria)* quæ obliuionem significat: licèt eam lectionem non respuant Enarratores Hugo, Carthusianus, Olcot; sed explicent illam fuisse causam cur ita cruciarentur à serpentibus Hebræi, scilicet quia tradidissent præterita beneficia obliuioni: vel cur inter istos quidam penitus inde interierint, qui nempe prorsus impœnitentes perseuerauerunt.

c lect.178.

Sermonum tuorum.] Græcè (*λογίων σου.*) Quis ergo ferat lectionem illam (*seruorum tuorum?*) Nec displicuit tamẽ Hugoni exponenti de Abraham, Isaac, Iacob. Sermones sunt præcepta, minæ, promissa.

Examinabantur.] Meliùs hoc modo, quàm (*exanimabantur*) vel (*exterminabantur.*) Vltima lectio passim retinetur à glossematicis. Potuit Græcum *ἐνεκεντρίζοντο* verti *extimulabantur*, vel *inserebantur*: hoc, vt quasi auulsam à se memoriam sibi adiungerent, & in præcepta diuina quodammodo insererentur: illud, vt quasi sopita stimulis excitaretur memoria. Est *ἐγκεντρίζειν*, vt Eustathius docet, vel *ἐγκεντεῖν, ἐμβάλλειν φυτῷ τινὶ κλαδίσκον ἀλλοίου φυτοῦ, immittere in plantam ramum alienæ plantæ*, quod Latinè dicimus inserere. Vtitur sic isto verbo, quamuis figuratè, Paulus in Epistola ad Romanos [d], vbi Interpres ponit verbum *inserendi*. Alia quoque satis trita significatio præsertim simplicis verbi *κεντρίζω* pro eo quod est *pungere, stimulare, aculeum infigere*. Tale illud Nazianzeni [e]; *ἀλλὰ σέ γε τοῦτο ἐγκεντριζέτω πρὸς τὸ φιλάνθρωπον, sed hoc te stimulet ad humanitatem*. Proposito aptior secunda notio (priorem licèt Cantacuzenus amplectatur) quæ satis aptè verbo *examinandi* expressa est. Extimulatio namque, sicut & examen, non ad perditionem & exterminium, sed ad salutem & remedium fit.

d c.11,17.19.23.24.
e oratio de amore pauperum.

Saluabantur.] Græcè (*διεσώζοντο.*) Alij (*sanabantur.*) Sanare & saluare, salutem & sanitatem confundit Interpres non rarò, vt sæpè monuimus.

Ne in altam incidentes obliuionem.] Vitiosè legitur in aliquibus libris (*alteram*, aut *aliam*) & (*incedentes.*) Græcè (*εἰς βαθεῖαν ἐμπεσόντες λήθην.*) Præter allatum initio sensum, ne, si quos per serpentes percutiebat Deus, obliuiscerẽtur prorsus Dei, si Dei carerent auxilio; hic alius esse posset sensus, ne, si semel morsibus extinguerentur serpentum, Deus ipse, qui viuentium esse memor solet, iam interfectorũ obliuisceretur, suáque deinceps benignitate destitueret; & qui Dei sermonũ, hoc est, præceptorum, promissionum, minarum non habebant memoriam, inciderent in obliuionem illius, id est, perirent. Mortui dicuntur esse in Dei obliuione, vtpote quòd eos non excitet, sed diu differat suscitationem ipsorum. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris*, ait Dauid [f], *quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.*

f Psal.87.6.

Non possent tuo vti adiutorio.] Græcè (ἵνα μὴ ἀπερίσπαστοι γένωνται τῆς σῆς εὐεργεσίας, *ne immobiles fierent à tuo beneficio.*) Vatablus (*beneficio tuo retrahi non possent.*) Hoc est, iuxta primum priorum verborum sensum, ne si prolaberentur in obliuionem tui, non possent nec præteritis, nec etiam futuris aliis beneficiis ad bonam frugem reuocari, nihil iis prodessent & præterita, & futura beneficia. Ex eorumdem præcedentium sensu posteriore verborum, istorum hic elicitur, ne obliti Dei, & vicissim ab eodem traditi obliuioni, atque ad interitum redacti, deinceps eius experiri nequirent auxilium. Suspicatur Iansenius Interpretem legisse ἀνυπεράσπιστοι, quod significat *indefensos, intectos, veluti clypeo non protectos.* Cantacuzenus innuit sensum tertium; ne immemores non possent cogitare de tuis muneribus, & ab eorum quodammodo cogitatione distraherentur, nec ab eis traherentur, siue ad eorum cogitationem & meditationem: est enim περισπᾶν *circumtrahere.* Sic igitur non posse vti adiutorio Dei, erit non posse de illo cogitare, illúdve æstimare. Alta obliuio Dei in profundum peccatorum inducit, quò qui peruenit, contemnit [a], ac sibi Dei adiutorium præcludit, ita vt, quia gratiæ auxilium repellit liberè, cùm id sufficiens sit, non possit vti illo adiutorio Dei siue auxilio.

a Prou. 18. 3.

Possit hic item sensus effici; citò saluando, siue sanando, nec diutiùs differendo beneficium istud, sed adhibitis multis, ac diuturnis medicamentis, salutarem illum effectum Deum in iis operatum, ne à serpentibus percussi, fierent legis obliuiosi, atque sic difficilè retraherentur ab ea obliuione; vtpote non Deo, sed ipsis medicamentis ascribentes valetudinem.

Vers. 12.] Etenim neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.

EXterna & naturalia remedia contra lethiferos bestiarum ictus remouet, vt vni Deo sanitas immediatè ascribatur, licèt proponi voluerit signum ænei serpentis, per quod priùs [b] negauit, vel ob eius aspectum solum, ac per se læsos a serpentibus esse sanatos.

b vers. 7.

Neque herba.] Græcè (οὔτε βοτάνη.) Historici naturales ac Medici de viribus herbarum plurima disserunt aduersùs venena & morsus venenatorum, tum verò etiam serpentium atque draconum; idque siue quod βοτανικὸν vocant, potádum præbeatur, siue aliter, de quo postea. Celebris herba præter alias dracunculi, siue dracontij, dracontex, draconisque, aut etiam serpentinæ, & colubrinæ. Huius radice qui manus perfricuerit, à serpentibus percuti negatur, & contrita folia vulneribus recentibus imposita lenimentum afferre dicuntur: illius semine fugari serpentes, idémque percussis ab illis prodesse in potu traditur; denique contra omnium morsus esse remedium. Lege Ioannem Ruellium [c], Castorem [d] Durátum, Andream [e] Matthiolum, Plinium [f], Ioannem [g] Mesue, Andream [h] Cesalpinum, & alios.

c lib. 2. de natur stirp. c. 96. d in herbario [It]alico. e in Discori[d]em lib. 2. c. [1]60 & seq. f lib 24 c. 16. [g li]b 25 c. 2 [lib]. de simp[l]. heib c. 14. [h] de plant. [li]b 5. c. 15. & [se]q. [i] Galen 7. de [co]mpos. me[d]icam perge[n]cra. c. 1. [k] lib 5. c. 17.

Neque malagma.] Græca vox μάλαγμα à verbo μαλάσσω, aut μαλάττω, *mollio,* significat id quod ad molliendum adhibetur, & medice loquendo, partes corporis præter naturam induratas [i]. Non est idem, vt vulgò tamen putatur, cum emplastro, si Celsum [k] audimus, docentem μάλαγμα ex floribus maximè, eorúmque etiam surculis parari, ἔμπλαστρον καὶ τροχίσκον, id est, *pastillum,* magis ex quibusdam metallicis fieri; sed emplastrum liquati aliquid accipere, in pastillo tantùm arida medicamenta aliquo humore iungi: vulneribus emplastrum imponi: malagma super integram cutem iniici: pastillum illini, aut alicui molliori cerato misceri. Galenus [a] quoque reprehendit Asclepiadem & Andromachum, qui omnia pharmaca, quæ foris imponuntur, siue emolliant, siue astringant, condensent, indurent, malagmata appellabant. Concedit nihilominus promiscuum vsum dictionum *emplastri,* & *malagmatis* [b]. Hoc loco facilè concesserim sumi *malagma* in latiore significatione.

a lib. 8 de cõpos. pharmac. secundum locos. c. 5.
b libr. 7. de compos. med. per gener. c. 5.

Sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.] Sanat omnia sermo, verbum, iussio Domini quæ indigent sanitate, & ægritudinem contrahunt, cuiusmodi propriè dumtaxat animalia, vel viuentia, & per translationem quæ ad corruptionẽ tendunt, aut à naturæ perfectione deficiunt. Conferri cum hac sententia potest illa quam de Deuteron. [c] Christus [d] promptam vsurpauit; *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei,* id est, in omni re, quam Deus voluerit ad vitam sustentandam adhiberi: aut in omni & solo verbo volũtatis suæ: aut in alio quouis cibo, præter panem, vel aliam escã vsitatã. Multo similior nostro locus Psal. [e] *Misit Verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum,* ἐκ τῶν διαφθορῶν αὐτῶν, ne scilicet interirent. Vbi, sicut & hîc, sensus mysticus est de secũda Trinitatis persona, quam prima miserit; sicut & is qui videtur ab Origene [f], præter loci vtriusque Interpretes, innui de differentiis peccatorum, quorum aliqua efficaciore remedio egeant. Hugo carpit ægrotos, qui Medicum priùs implorent quàm Christum. Olcot [g] docet quo pacto sermo, seu verbum diuinum vel scriptum, vel prædicatum medeatur morbis animi. Verbum de secunda persona meliùs quàm sermonem dici aliàs docui [h], quia simplicem vim significat verbum, sermo complexam orationem. Aptiùs intelligeretur sermonem Christo conuenire, vt est persona composita, hoc est, vt subsistit in duabus naturis: verbum de persona ipsa secunda secundùm se. De hac tamen etiam sermo dicitur, quia eminenter habet quæ possunt sermone longo enunciari. In Epistola ad Hebræos [i] de Christo sermo dicitur, vt explicant Ambrosius [k], Cyrillus [l], & alij. Lege Ribetæ cõmentarium [m].

c c. 8. 3.
d Matth. 4. 4.
e Psal. 106. 20.
f hom. 13. in Ierem.
g lect. 178.
h Actuum 1.
i c. 4. 12.
k 4. de fide. c. 3.
l 2. in Ioan c. 37.
m in Epi. ad Hebr.

Vers. 13.] Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis:

OPtima ratio ad probandum efficaciam sermonis verbíque Dei in sanandis vulneribus & morbis, quoniam necis ac vitæ potestatem habet, ipséque est qui hominem in vitæ discrimen labi sinit, & inde quando libet, liberat. Non certior illo de hoc testis [n]. *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego sanabo.* Samuelis mater eadem verba repetens in cantico, ait [o]; *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.* Tobias [p] quoque, propterea præfatus magnum esse Dominum in æternum; *quoniam,* inquit, *tu flagellas, & saluas: deducis ad inferos, & reducis.* Infirmi

n Deute. 32. 39.
o 1. Reg. 2. 6.
p c. 13. 2.

Gentilium Dij, quos absque numero singulos singulis leuiculis rebus procurandis præficiebant, vt pridem notauimus, multóque magis quosdam vitæ, nonnullos morti, vt Parcas, Febrem, Mortem, &c. Rectè verus Deus; *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me; ego occidam*, &c. Bene monet Cantacuzenus, ambo hæc simul esse in Dei potestate, mortem vitámque, quia mortem etiam homines inferre possunt. Id paulo pòst subditur. Multo esset magis verum, si cum eodem Paraphraste intelligeremus, quòd non sinat nos perpetuò Deus in morte iacere, sed corpora sit omnia quandoque suscitaturus; vitam verò beatis restituturus longè præstantiorem.

Vita.] Corporalis & naturalis, vt eam det, seruet, reddat. Mysticè quoque potest spiritualis intelligi gratiæ, gloriæque, in qua continetur vita gloriosi corporis.

Mortis.] Etiam æternæ, vt eam inferat, vel ab ea liberet, vel eam differat. Mortem animæ, quæ consistit in peccato, permittit solùm; aliam, quæ damnationis vocatur & secunda [a], pro potestate merentibus infert, vel ex benignitate gratiæ facit, vt à peccato resurgentes, illam non incurramus. Sed hæc mysticè dicuntur. *Non fecit mortem*, ne corporalem quidem, *Deus*, eo quem dudum antè diximus [b] modo, quia morti solus homo peccando causam dedit; sed merenti Deus iustè irrogauit [c]; quod cæteris pœnis, necnon pœnalitatibus commune est.

a Apoc.2.11.
b c.1.13.
c Gen.2.17.

Deducis ad portas mortis, & reducis.] Græcè (*κατάγεις εἰς πύλας ᾅδου, ϗ ἀνάγεις.*) Eadem omnino phrasis in allato Annæ cantico Græcè & Latinè, vbi Hebraicè legitur מוֹרִיד שְׁאוֹל וַיָּעַל *morid scheol vaiahhal*; Chaldaicè autem (omittam verba breuitatis causâ) *descendere facit ad infernum, etiã futurus ad educere faciendum ad vitas seculi.* De Græco vocabulo *ᾅδης*, & Hebræo שְׁאוֹל *scheol*, aliàs [d] disputaui. Sensum arbitror hunc esse, quòd ad articulum ipsum mortis, lethalésque morbos peruenire sinat Deus, post quã mortem corpus quidem sepulchro traditur, anima verò ante Christi ascensionem in cœlum, in inferum limbi locum descendebat: & de tali rursum discrimine liberet, vt Ezechiæ [e] cõtigit, aliísque. Moritur quis priùs quàm inferatur sepulchro, vel limbo, vel alij loco. Idcirco non ita propriè portæ mortis sunt hæc; sed per quæ peruenitur ad mortem pericula, morbíque, quibus qui interit dicitur portas ingredi mortis, ita vt extremus spiritus quem moribundus trahit, sint ipsæ portæ, exspiratio mors. Est sua sepulchro porta, necnon inferno, qua ratione Christus clauem habere dicitur mortis & inferni [f]; & deduci ad has portas dici possit quí moritur, vt antè dixi. Vel quia in portis causæ iudicabantur, ad portas mortis peruenit, cuius præterita, quam mox finiturus est vita, iudicari debet.

d Act.2.
e Esai.38.4. Reg.20.1. Paral.32.
f Apoc.c.1.18. vbi Viegas com.1.sect. 18. & 19.

Illustrat præsentem dicendi formulam Dauid, præter quem, & Auctorem nostrum, atque Iob [g], non legi qui ea vtatur. *Qui exaltas me*, inquit Dauid [h], *de portis mortis*, id est, de periculis morti proximis; quod Latini dicunt de faucibus mortis. Item, *appropinquauerunt vsque ad portas mortis* [i], & Iob; *Numquid* [k] *apertæ tibi sunt portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* Geminas belli diras portas memorat Virgilius [l], & alij, per quas veluti exibat bellum. Portæ mortis erunt quæ dixi discrimina, per quæ ipsa quodammodo exit vita, morti aditu patefacto. Quid si ea formula monet nos,

g c.38.17.
h Ps.9.14.
i Psal.106. 18.
k c.38.17.
l 1. & 7. Aeneid.

A nisi qui gerit clauem mortis Deus [a], viam aperiat, pottámque reseret, nobis ex hac vita exeundum non esse, nec fugiendum, vel remorandum, sed egrediendum vocatis? Fur est & latro qui non exit per hoc ostium ab illo patefactum ostiario [b]. Portæ dicuntur numero multitudinis, quia moriendi, & de vita egrediendi viæ innumerabiles. Incertus præterea post mortem exitus variúsque, & vbi huc tanquam in portum appuleris, quam sis in illo alio ceu continente initurus vitæ nouæ rationem, felicémne, an miseram.

a Apoc.1.18.
b Ioan.10.3.

Portæ porrò inferi apud [c] Matthæum denotant potestatem principum inferi, hoc est, dæmonum, vel hominum sub talibus principibus veluti merentium. Claues inferni, & mortis in Apocalypsi [d] indicant horum portas, & exponuntur de B potestate Christi homines liberandi à peccato, & consequenter à dæmone, atque ab inferno; ad puniendos hostes Ecclesiæ morte, ac damnatione; ad excitandos ab inferis mortuos; ad viuificandum, & occidendum; ad cohibendum diabolum, eiúsque ministros, ne tẽtatio sit maior, quàm fideles possint sustinere. Fit præterea mentio, vt indicaui, portarum inferi in cantico Ezechiæ [e]. *Vadam ad portas inferi*, ait ipse, appropinquans ad portas mortis [f], & cui solùm superest sepulchrum [g], & cuius *vita appropinquans erat in inferno deorsum* [h]. Lege Commentarium Apocalypsis nostri Alçazar.

c c.16.18.
d c.1.18.
e Esa.38.10.
f Ps.106.18.
g Iob.17.1.
h Eccli.51.8.

C

Vers. 14.] Homo autem occidit quidem per malitiam, & cùm exierit spiritus, non reuertetur, nec reuocabit animam quæ recepta est.

HOc est quod antea notabamus, & quod per occupationis modum dici nunc videtur, nempe, quamuis in potestate sit hominis, vt hominem alium, séve ipsum interficiat, maleuolentiæ & peccati quodam furore concitatus, non posse animam morte eiectam, & in proprio iam loco constitutam reuocare, ac mortuo vitam restituere: vel animæ rationali à corpore separatæ interitum afferre.

D *Homo autem occidit quidem per malitiam.*] Alij multi codices addunt *(animam suam)* & communis vetustiorum Latinorum expositio est, lædi à seipso peccatorem, & suammet peccãdo animam occidere, morte nimirum spirituali, & merito mortis corporalis; Deum, qui vitæ & mortis habet potestatem, non inferre animæ hanc mortem; propterea scriptum esse in Psal. [i] *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Cantacuzenus & Vatablus explicant de eo qui alium occidat: Iansenius præterea de illo qui seipsum. Verus, at non proposito conueniens de animæ spirituali occisione sensus, vel qua quis propriam, vel qua alienam E occidat animam suomet aut peccato, aut prauo exemplo, consilio, præcepto, &c. Nam quæ præcesserunt, & quæ sequuntur, disertè sunt de corporali morte ac vita. Sed monet bene Cantacuzenus, quia rarum est, vt alium quis iustè ac honesti zelo occidat, vt Phinees fornicatorem [k], Dauid Goliam [l], Elias [m] tam multos pseudoprophetas, Samuel Agag [n], Mathathias idolorum sacrificatores [o], alij alios, pauci præ maxima multitudine id ex contentione atque iracundia facientium, generaliter hîc pronunciatum quòd

i Psal.10.5.
k Nume.25.
l 1.Reg.17.
m 3.Reg.18.
n 1.Reg.15.
o 1.Machab. 2.24.25.

homo

homo occidit per malitiam. Cauetur homicidiu diuina lege [a]; sed iniquum, & priuata factum auctoritate, non penitus quodlibet. Hac de re Victoria [b], alij, & nos [c] alias. De malitiæ damnis Olcot [d]. Vocat rectę rationis subuersiuam, humanæ conuersationis turbatiuam, in proprium auctorem reflexiuam: malitiosam mulierem iure comparari ab auctore [e] Ecclesiastici, ac etiã præferri colubro, leoni, draconi. De eadem recitat versus illos;

Fœmina corpus, opes, animam, vim, lumina, vocem
Polluit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat.

Attribuit etiã eidem malitiæ cum Bernardo currum quatuor constantem rotis, sæuitię, impatientiæ, audaciæ, impudentiæ, & duobus tractũ equis, terrenæ potentiæ, & seculi pompæ, & duplici rectum auriga, timoris, & liuoris.

Cùm exierit spiritus, non reuertetur.] Iansenius mallet Græca sic reddi (ἐξελθὸν δὲ πνεῦμα οὐκ ἀναστρέψει, sumendo verbum transitiuè, *egressum autem spiritum non faciet redire*) nempe homo, qui principio versus positus est. Sic omnino etiam intellexit Cantacuzenus, volens per spiritum significari eum qui appellatur vitalis spiritus, siue animam sensitiuam, quam videtur à rationali, de qua posterius membrum sumit, in quo nominatur anima, Græcè ψυχὴ, distinguere; sicut & superiùs quodam alio loco, vbi hoc refutauimus, vnicam statuentes in nobis animam esse. Non displicet illud aliud: nec verbi Græci transitiuæ significationis exempla alia desunt. At Interpres, quem sequi debemus, aptè reddidit, referẽs ad ipsummet spiritum, siue animam rationalem, quæ de corpore per homicidam expulsa, reuerti ad id non potest, nimirum eiusdem homicidæ operâ. Faciliùs namque quiduis destruitur & corrũpitur, quàm producitur, aut restauratur. Porrò in Aldina, necnon in Sixtiana Pontificia editione verbum est præsentis temporis ἀναστρέφει, *reuertitur*, vel *reuerti facit*. Dum interpretarer similem in Ecclesiastis libro sententiam [f], vbi vocatur sepulchrum domus æternitatis, docui nihil ex ea, & similibus effici contra animæ immortalitatem: solùm probari, non posse illam per se, aut naturæ vi redire in corpus; & huius corporis meritò domum æternam nominari sepulchrum [g], quia nequit inde corpus ipsum resilire naturaliter; præterquàm quòd perdiu ibi manet, vsque ad tempus generalis anastasis; & longæua duratio vocatur æternitas interdum. Nec ita verò solùm profani loquuntur auctores, appellando domum æternam siue perpetuam, vel æternã quietem, vel æternam sedem perpetuámve, vel æternam possessionem; verùm etiam sacri, qui similes non exhorrent dicendi formulas. Legantur de nostris Paulinus [h], & Sidonius [i] Apollinaris: Eucherius [k] verò ad hũc ipsum modum Ecclesiasten exponit. Perpetuam sepulturam nominat Vlpianus [l]. Trita vetus inscriptio; HANC ÆTERNAM SEDEM SIBI POSVIT: & epitaphium illud Petronij Antigenidis;

Hæc domus æterna est: hic sum situs: hic ero semper.

Nec reuocabit animam.] In margine glossæ est (*reuelabit.*) Hugo legit (*reuolabit.*) Vtrumque est mendum. Regij codices, & Complutenses præsentis ponunt temporis verbum ἀναλύει. Interpres legit in futuro, sicut & præcedens ἀναστρέψει. Cantacuzenus ἀναλύει interpretans *resoluit*, significari vult eum qui quempiam occiderit, illius animam separatam, & sua iam in sede receptam non posse

A resoluere seu dissoluere, perdere, destruere. Quomodo monuit Christus [a] non timendos qui occidunt corpus, animam occidere non possint. Vatablus quoque *dissoluendi* verbo vtitur. Peritus Interpres non ignorauit ἀναλύειν etiam significare *retexere, reuocare, reuerti*. Consulatur Budæus [b], & Lexicographi. Sed & apud Lucam [c], quod Latinè legimus, *quando reuertatur à nuptiis*, Græcè sic est, πότε ἀναλύσῃ ἐκ τῶν γάμων. Si reuocabit animam velles aliquid supplendo, nempe in nihilum, explicare, vt sit sensus, non reuocabit in nihilum, prima & primaria verbi Græci vis retineretur.

At simplex commodus sensus, non esse in potestate occidentis, occisi animã reuocare in corpus eius. Hoc nemo non sibi persuadet; imò re-
B surrectionis articulus etiam per omnipotentiam Dei futuræ difficillimè præ cæteris articulis potuit Gentilibus persuaderi, vt sæpe obseruauimus in historia Apostolica.

Animam quæ recepta est.] Græcè (ψυχὴν παραληφθεῖσαν, *assumptam*) non quidem vt voluit Vatablus, sublimem abeuntem, sed ex hac vita recedentem, & apto sibi in loco constitutam, nempe pro meritis, vel apud Deum, vel apud diabolum, aut in medio quodam receptaculo. Iam receptacula sunt infernus, purgatorium, limbus puerorum & cum solo originali peccato decedentium, cœlum empyreum. Antequam Christus aperiret cœlum, pro cœlo erat limbus iustorum, qui & si-
C nus Abrahæ [d]. Innuit autem παραληφθεῖσα & *assumpta* veluti localem motum, & deductionem animæ ad locum destinatũ, quæ creditur ab Angelis fieri aut bonis, aut malis; quamuis alioquin moueri anima separata secundùm locum ipsa per se possit. Exemplo est Lazarus mendicus, quem Angeli mortuũ portauerunt in sinum Abrahæ [e]: nec dum enim sublimis ac in altum portari potuit, clauso adhuc cœlo. A bonis quoque Angelis portari animas damnatorum sentire Hieronymus [f] videtur, & Ambrosius [g]. At magis receptũ & probabile id malos præstare, bonos bonis hac in re obsequi, nõ veluti onus humeris imponendo, sed deducendo, ad eum ipsum modum quo commendatos sibi à Deo homines custodiunt in
D omnibus viis eorum, & in manibus portant [h]; imò & quo Christus ipse in cœlum assumptus dicitur [i], vt aliàs exposuimus [k]; vt præteream tot alia in historiis prodita exempla de animabus defunctorum. Minùs placet Lyranus, animã quæ recepta est, esse animam iusti sub diuinæ misericordiæ protectione, & opponi animæ peccatoris, quæ sit sub manu iustitiæ, de qua manu putat esse sequentem versum.

Vers. 15.] Sed tuam manum effugere impossibile est.

E IDcirco vitæ & mortis habere potestatem, deducere ad portas mortis, & reducere cognosceris atque probaris, quia, quod nequit homicida, potes animam & in nihilum redigere, si placuerit, & reuocare ad pristinum corpus: præterea in homicidam vales ad arbitrium animaduertere, qui quos viuificare nequit, interimit, vel interimere contendit. Hoc postremum est Cantacuzeni, quod sequenti Ægyptiorum exemplo ait confirmari: illud reliquorum. Non eget probatione sententia, tam certa est, tótque aliis similibus corroborata. *Manum* autem pro potentia sumi,

a Genes 9. Exod 20. & ibi.
b relect. de homicidio.
c 2.2. q 64.
d lect. 179.
e c.25.22.23.
f c.12.5.
g Ps.48.12.
h epist.36.
i lib.2.ep.8.
k q.vlt. ex ... od lib.
l ff de sepul. ... iola l.3 §. ... on perpe... ue.

a Matth.10.28.
b comm. lin. Græcæ.
c c.12.36.
d Luc.16.22.
e Luc.16.22.
f in c.7. Danielis.
g epi.22. veteris edit.
h Ps 90.11.
i Marc. vlt. 19
k Act.1.9.

ex alibi dictis compertum est. Nota Nasonis carmina;

Quò fugis Encelades? sub Ioue semper erit.

&,

An nescis longas Regibus esse manus?

Vers. 16.] Negantes enim te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt: nouis aquis, & grandinibus, & pluuiis persecutionem passi, & per ignem consumpti.

PRæcedentis sententiæ probatio est ab Ægyptiorũ præsertim exemplo, cõmemoratis plagis nõnullis, quibus eos vexauit Deus. Reliquum in hoc occupatur caput, sed inserta de beneficiis in Hebræos collatis mentione.

Negantes te nosse impij.] Horum Rex Pharao respondit missis à Domino Moysi & Aaron [a]; *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Sed post plagam, quæ proximè sequentibus verbis descripta est, fateri coactus est [b]; *Peccaui etiam nunc: ego & populus meus impij.*

a Exod. 5. 7.
b Exo. 9. 27.

Per fortitudinem brachij tui.] In capite 11.[c] *Virtuti brachij tui quis resistet?* Ibi diximus de hac phrasi.

c vers. 22.

Flagellati sunt.] Græcè (ἱμαστιγώθησαν.) Flagello qui verberat, manu tenet, & exerto percutit brachio. Deus non est ab vlla re auulsus & separatus; etiamsi rebus vtatur ad puniendum, ipsis immediatus inest, ac in ipsis operatur immediatè. Vsus est antea[d] eodẽ verbo Auctor, & crebrò alij, siue de reprobis, siue de iustis & electis. Sed quia flagellationis pœna per se nõ est extrema & mortifera, sed παιδεύσεως ἕνεκα, denotat vitæ præsentis supplicium, quod & finem habet, & quo afficiuntur superstites, quorum nondum penitus desperata salus. A circumeundo vocant Hebræi flagellum שוט *schot* (vnde suum Hispani mutuantur *asote*, aut *açote*) quod Esaias [e] addito epitheto cognominat שוטף *schoteph*, *inundans*, siue *circumdans & pertransiens*, necnon *cingens percussi latera*. Quas Latinus Interpres Marci [f], vel Marcus ipse, si Latinè scripsit, plagas nominat, Græcè dicuntur μάστιγες. *Multos*, inquit, *sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent quotquot habebant plagas.*

d c. 12. 22.
e c. 29. 15.
f c. 3. 10.

Nouis aquis.] Græcè (ξένοις ὑετοῖς, *peregrinis pluuiis.*) Raro enim in Ægypto decidebant pluuiæ, aliáque meteorologica quorum hîc mentio, vt produnt Iosephus [g], Philo [h], Plinius [i], Scriptura ipsa in Deuteronomio [k]. Et verò adeò prodigiosa fuerunt, vt aliis quoque qui alias regiones incolebant, admirabilia videri potuerint. Solet autem etiam ξένον dici & peregrinum (vt & vulgò *cosa strana*, *chose estrange*) id quod non solùm est nouum, sed in suo genere valdè eximium atque mirabile; vt aliàs notauimus. Nec ad rem videtur, nec satis certum, quod ait Carthusianus, fluuios Ægypriorum computruisse, & extra suas ripas exeuntes damna intulisse. Computruerunt quidem fluuij, & aquæ cæteræ piscibus extinctis, & per conuersionem in sanguinem [l]. At de pluuiis hîc sermo est; nec ripas leguntur egressi fluuij. Quæ postea pluuiæ vocantur ab Interprete, Græcè sunt ὄμβροι. Differunt ὑετοὶ & ὄμβροι, vt Aristoteles, aut quis alius auctor libri de mundo docet. Si nubis compressio, vt Budæus vertit, remissa fuerit, molles stirias dispergit; sin vehemẽs, pleniores: hócque appellamus pluuiam; imbris contorta stillicidia, cùm maiuscula ipsa, tum verò iugi tenore casitantia. Deducunt ὄμβρον aliqui ab ὁμοῦ ῥεῖν, *simul fluere*, hoc est, impetu. A Græco deflexum *imbris* nomen agmen propriè significat cœlestium aquarum & pluuiarum; cùm tamen interdum sumatur pro quouis humore aqueo, vt notat Nonius, & exemplis ostendi potest Lucretij [a], Virgilij [b], aliorum.

g 2. Antiq.
h 1. de vita Mosis.
i lib. 2. c. 50.
k c. 11. 10. 11.
l Exo. 7. 20. 21.
a lib. 1.
b 4. Georg. & 1. Aeneid.

Et grandinibus, & pluuiis persecutionem passi.] Græcè (καὶ χαλάζαις, καὶ ὄμβροις διωκόμενοι ἀπαραιτήτως.) De voce τῶν ὄμβρων modò dixi: vltimum aduerbium Interpres non expressit; significat *inexcusabiliter*, siue *ineuitabiliter*, vt versu quarto notatum est. Plagam hanc liber Exodi [c] fusè describit, & maiore cum apparatu, minis, exaggeratione, quàm reliquas: sed meminit distinctè de grandine, non autem nominat pluuias imbrésque ab ea diuersos. Grandinem narrat fuisse tantę magnitudinis, quanta antea nunquam apparuisset in vniuersa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est: percussisse autem cuncta quæ erant in agris, ab homine vsque ad iumentum, cunctámque herbam agri, & lignum regionis: tantùm in terra Gessen, vbi erant filij Israël, non cecidisse. Hoc forsan sibi vult hoc loco τὸ ἀπαραιτήτως relatum ad Ægyptios. Quando decidit cum grãdine pluuia, grandinis duritiem diluit, & non adeò lædit grando.

c c. 9. 18. & seq.

Alia igitur pluuiæ imbrísque seorsim plaga videri potest, quæ vt minoris momenti in Exodo prætetita fuerit. Aut certè quo modo mirum accidit, quod postea dicetur, vt permixta grando ignibus & fulminibus non liquesceret & mollesceret; veluti nec è contrario ardorem ignis frigus grandinis extinguebat, vel mitigabat, ad eundem modum de pluuia censeri posset. Negat Pererius [d] casum pluuiæ. Sed locus hic noster aduersatur. Quin etiam, licèt concedam per catachresim dici pluere lapides, lanam, &c. tamen duplex nomen ὑετοῦ καὶ ὄμβρων, & Latinum *pluuiarum* hoc loco cùm nihil obsit, videntur sumẽda propriè. Sed & in Exodo [e] pro, *grando non erit*, Græcè est ὑετὸς: & additur [f] quòd post hanc plagam *nec vltrà stillauit pluuia super terram*, מטר *matar*, ὑετὸς, quę nomina cum sua proprietate includunt quoque grandinem, &c. Postremò legimus in Psalmo 104.[g] *Posuit pluuias eorum grandinem*, vbi Genebrardus obseruat appellari quidem plagam grandinis; sed mixtos ignes habuisse, tonitrua, pluuias, aliósque meteoros spiritus. Eandem opinionem sequitur Oleot [h]. Quis duritiem grandini perseuerare in pluuiis ambigat posse, cùm salem Agrigentium tradat Augustinus [i] igne liquari, aqua indurari, & crepitare? Id ante illum scripsit Plinius [k], Solinus [l], & Isidorus [m].

d in c. 9. Exod. disp. 4.
e c. 9. 29.
f vers. 33.
g vers. 32.
h lect. 180.
i 21. de ciui. c. 5.
k lib. 31. c. 7.
l c. 10.
m 16. etymol. c. 2.

De diritate grandinis egimus capite quinto [n], & in Psalmum 67.[o] Philo [p] recensens plagam septimam adiungit imbres grandinibus, procellas, turbines, collisiones nubium, continua fulgura, tonitrua specie prodigiosa: refert insolitis tempestatibus arbusta segetésque vastatas: periisse animalia non pauca partim frigore, partim grandine lapidum in morem, partim fulmine: si quæ verò superessent ex animalibus, ambusta circumtulisse vulnera ad terrorem videntium. Præter grandinem in Psalmo 77.[q] nominatur pruina; *& occidit*, inquit Dauid, *in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina; & tradidit grandini iumenta eorum.* Pro *pruina* Hebraicè est חנמל *chanamal*,

n vers. 23.
o vers. 15.
p 1. de vita Mosis.
q vers. 47. 48.

Græcè

Græcè πάχνη. Hebraicam vocem Hebræi aliqui declarãt significare glaciem fortem ac vehementiorem: alij lapidem magnum: quidam grandinem quæ habeat ignem interceptum, iuxta illud [a], *grando & carbones ignis*, & vno nomine fulmen: nonnulli locustam [b]: Hieronymus interpretatur frigus: Genebrardus putat esse speciem grandinis grandioris & vehementis, seu lapidem glaciosum. Auctor libri de mundo, creditus Aristoteles, definit πάχνην esse δρόσον πεπηγυῖαν, *rorem concretum*: Plinius [c] pruinã ex rore gelido gigni scribit. De moris nominatim Psalmus meminit, Hebraicè שקמות *scikemoth*, Græcè συκαμίνους, quæ Latinè quoque vocantur Græco alio nomine sycomori; quoniam ficulneis syluestribus Ægyptus abundat; ita vt nominentur à Theophrasto [d] mori Ægyptiæ.

a Psal.17.13.14.
b lege de his expositi in thesauro lin. sanctæ.
c lib.2.c.60.
d de plantis.

Persecutionem passi.] Iam dixi omissam interpretationem aduerbij ἀπαραιτήτως, *inexcusabiliter*, vel *inenitabiliter*. Denotatur grauitas plagæ, adeò, vt etiam notaui, in Exodo exaggeratæ. Vbi cùm præterea iusserit Deus præmoneri Ægyptios, vt iumenta congregarent, & omnia quæ habebant in agro, ne grandine perirent [e]; id indicare videtur τὸ ἀπαραιτήτως, excusatione carnisse qui pereunt; siquidem, vt ibidem [f] narratur, *qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos: qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit seruos, & iumenta in agris.*

e c.9.19.
f vers.20.21.

Cæterùm persecutionem passi, διωκόμενοι, vel διωχθέντες, vt habetur cap.11. [g] & hîc versu 18. exprimitur Græco verbo ἐλαύνεσθαι, propriè dici solent hi, qui quidpiam ab aliis maleuolis iniustè patiuntur. Sic semper in Testamento [h] nouo: vetus autem non nisi his libri nostri locis habet eam formulam. Quæ formula tamen hîc iustè, ac meritò patientibus conuenit. Eadem ferè vis in vtroque Testamento verbi *persequendi*, vt iniquam indicet persecutionem.

g vers.21.
h Matth.5.10. c.13.21. Marci 10.30. Actuũ 8.1.c.13.50. Roma 8.35.&. Cor.4.12.2. Epist.4.9.c. 12.10. Gala.5. 11.c.6.12.1. Thess.1.4.2. Tim.3.11.12.

Et per ignem consumpti.] Alij (*consummati.*) Græcè (καταναλισκόμενοι.) *Grando & ignis mixta pariter ferebantur*, vt sæpiùs recitatus Exodi refert liber [i]; ac Philo [k], quem etiam suprà attulimus, idem prodit: in producto 77. Psalmo [l] est; & (tradidit) *possessionem eorum igni*, מקניהם לרשפים *miknehem lareschaphim*, *armenta & pecora eorum*; vel præterea segetes, vt linum & hordeum [m], *fulguribus ignitis, tempestatibus incensis sagittis, carbonibus accensis & prunis*. Hieronymus & quidam Rabbini reddũt *aues*: at non ita, vt mihi quidem videtur, aptè ad Psalmi locum; præsertim cùm pro *possessione* vertant *iumenta*. In Psal. 104. [n] dicitur; *posuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.*

i c.9.24.
k 1 de vita Mosis.
l vers.48.
m Exod.9.31.
n vers 32.

Vers. 17.] Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex est enim orbis iustorum.

Vers. 18.] Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerẽtur quæ ad impios missa erant animalia: sed vt ipsi videntes scirent, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem.

PLagæ grandinis admirabilem vim considerat, in qua præter naturæ ordinem frigida calidis permixta, conglaciatæ aquæ flammis cõspirabant & coniurabant aduersùs hostes Hebræorum & Dei, Dei ipsius nutu ac voluntate. His affinia narrantur infra cap.19. [a] Porrò haud ignota sunt naturæ quędam quasi miracula aquarum ignibus fomenta præbentium; & celebrantur ignes artificiati (Græcos vocant & marinos, de quibus Simon Maiolus [b]) qui exardescunt in aquis: inest quoque nonnullis aquis, vt thermalibus & maripis, indita materia nutriendo igni apta: supra omnem naturæ facultatem puris aquis excitatos altósque ignes ab Elia [c], & Nehemia [d] testantur sacræ literæ, & historiis Ecclesiasticis proditur; quo in genere Marcelli Apamæensis factum eximium Theodoretus [e] narrat, Tripartita [f], Nicephorus [g]. Miratur meritò Augustinus [h] calcem, cùm extinguitur tunc accendi, inde frigidam feruescere, vnde feruentia cuncta frigescunt, adhibito oleo, quod magis fomes est ignis, nihil tale fieri. Eo minùs mirum illo exemplo, aliísque Doctor idem probat videri debere, si damnatorum corpora flammis inferni perpetuò crucianda sint. Huc liceat transferre Tragœdi [i] sententiam;

a vers.19.& 20.
b in canicularib. diebus colloq.22.
c 3.Reg.18. 34.& seq.
d 2.Machab. 1.20 & seq.
e 5.histo.c. 21.
f lib.9.c.34.
g lib.12.c.27.
h 21. de ciuit. c.4.

Et hoc in ista clade mirandum accidit,
Alit vnda flammas: quòque prohibetur magis,
Magis ardet ignis, ipsa præsidia occupat.

i Seneca in Med.act.5.

De pharmaco Medeæ loquitur ex sulphure ac asphalto humectiore, quod Dion [k] vocat φάρμακον ἀσφαλτῶδες. Hoc Luculli milites obsidẽtis Tigranocerta per machinas effuso diuexati plurimùm sunt, cùm ab humectis restingui non posset. Lege Rhodiginum [l], & Comitem [m]; sed Pliniũ [n] præsertim, vbi de maltha & naphtha. In Puteolano monte sulphureo ignis manans est (si tamen ignis, & non ignita potiùs aqua) qui re nulla pingui, ne sulphure quidem accenditur; sed neque aqua restinguitur, vt nec etiam incenditur [o]. Verùm plura exempla proferri possent aquarum quę nutriunt ignes ex variis auctoribus, maximè ex Plinio [p].

k de Pomp.
l lib.15.c.13.
m 6. mythol. c.7.
n lib.2.c.104. & 105.
o Simon Maiolus in canicularib. dieb. colloq.22.
p lib.2.c. 106.& 107.

Quod enim mirabile erat.] Græcè (τὸ γὰρ παραδοξότατον, *res enim mirabilissima, maximè mira, res inopinatissima, vincẽs omnem opinionem.*) Indicatur vis quædam excedens naturam, si nõ obiectiuè, vt scholæ loquuntur, certè secundùm modum.

Vindex enim orbis est iustorum.] Græcè (ὑπέρμαχος γὰρ ὁ κόσμος ἐστὶ δικαίων.) Mundum elementarem intelligit, quoniam dissidentia per se qualitatibus elementa coierunt in societatẽ quodammodo, vt ad vindicandas iustorum iniurias collatis veluti pugnarent, sic Deo iubente, armis; qui creaturam suam armat, vt pridem vidimus [q], ad vltionem inimicorum. Vel vindex est iustorum præceptorum Dei, quæ violant impij. Est ὑπέρμαχος pro quopiã pugnans, propugnator, defensor, denique *vindex*. Hoc munere fungitur Deus ipse per creaturas suas ergà illos qui nõ ipsi se vindicant, non se defendunt, ἐκ ἐκδικοῦσι, sed reiiciunt in illum vindictam. *Mihi vindictam*, ait Deus [r], nimirum date, permittite, relinquite: quare *qui vindicari vult* (non à Domino, aut iuxta legem eius) *inueniet vindictam* (pœnas Domino soluet) *& peccata illius seruans seruabit* [s] (obseruabit & reseruabit apud se, vt puniat.)

q c.5.18.
r Deut.32.35. Rom.12.19. Heb.10.30.
s Eccli.28.1.

Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia.] Lyranus de serpentibus interpretatur ignitis, qui, vt iam diu antè vidimus, Hebræis non nocebant respicientibus in æneum serpentem [t], vnde quoque remedium erat his qui ignitos illorũ exceperant morsus. Olcot [u], Hugo, Bonauentura de igne quo

t Num.21.
u lect.181.

reperta

reperta in agris innicura combusta sunt; quæ autem domi erant, intacta relicta. Rursus Olcot de pueris intra fornacem Babylonis illæsis, qui dicantur animalia propter simplicitatem, vel captiuitatem. Placet magis Carthusianus, & Iansenius, vt de Ægyptiis intelligatur hic locus. Nam collatio fit, vt antecedentia docent & consequentia, inter vtrosq; populos, & Ægyptios appellat Auctor impios, Hebræos iustos Deique filios. Itaque sensus est, ranas, muscas, aliáque animalia in vltionem Ægyptiis immissa, non potuisse igne cōsumi; nec ignem in illa quicquam valuisse, quandiu Deus voluit. [Id autem, inquit Iansenius, etsi scriptum non legatur in Exodo, tamen verisimile est per manus hunc Auctorem accepisse, sicut quod sequitur de manna habente omnis saporis suauitatem.] Profectò non ita mirum nihil ab igne dāni accepisse animalia quæ retinebantur domi. Sed nec intra vlla septa erant, quæ hic dicuntur ad impios animalia missa, hoc est, contra impios, ἐπ' ἀσεβεῖς ἀπεσταλμένα ζῶα: quamuis impiorum Ægyptiorum, qui sua domum receperant, læsa non sint animalia ab igne qui cum grandine & pluuia foris grassabatur.

Denique non vocantur Hebræi impij, neque contra ipsos missa leguntur alia præter serpentes animalia: qui etiam serpentes igniti quidē appellantur, non quòd per medios illæsi transirent ignes, sed ob allatam priùs causam, vel de colore, vel de calore, vel de vulnerum inflictorum quodam quasi incendio. Adde halitum crassiorē adeò feruētem, & saliuā, quæ si fortè decidat in aquas, sic in eis crepet, vt iniectum in easdem candens ferrum, lignúmve accensum. Ad hunc quidem modum philosophatur Albertus [a] de meteorologica impressione quæ draconis habet nomen, docens ex animali dracone non exspirari micantem ac liquidum ignem. Lege caput vltimum [b]. Nec verò displicet aliorum expositio, cùm accēderent vbiuis ignem Ægyptij, vt illius obiectu, oppositúque liberarent sese à ranis, aliísve bestiis, has ab ipso nihil detrimenti passas, vt Dei voluntati obsequerentur in Ægyptiis puniendis.

Sed vt ipsi videntes scirent, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem.] Vt Ægyptij hoc cognoscerent, siue alij de hostibus Hebræorū, non Hebræi ipsi: qui & hoc quidem percipiebant iudicium Dei; at non illi, sed alij persecutionem istá patiebantur, seu, vt Græca magis exprimunt, exagitabantur (ὅτι κρίσει Θεοῦ ἐλαύνονται.) Sic patebat, inquit Cantacuzenus, ignis miraculū cernentibus, animalia Dei iudicio impelli & agitari (scilicet τὸ ἐλαύνονται de animalibus accipit, vel de grādine, pluuia, igne, quasi dicas, *impelluntur, agitantur, trahuntur*) non præstigiis ac scientia rerum apparentium. Salamandram serpentini generis animal Aristoteles [c], Plinius [d], Augustinus [e], & alij viuere tradunt in ignibus: iidémque Aristoteles [f], Plinius [g], Cicero [h], Solinus [i], Ælianus [k], Seneca [l], Philo [m] in insulæ Cypri fornacibus, vbi chalcites lapis ingestus complutibus diebus crematur, bestiolas nasci pennatas magnis muscis paulo grandiores (pyraustas, aut pyrales, aut pyrogonos, aut carystias vocant) quæ in igne victitent. Seneca [n] generatim affirmat animalia igne generari. De eadem Salamandra Nicander [o];

——— ην σαλαμάνδρην
Κλείουσι, τὴν οὐδὲ πυρὸς λωβήσατο λιγνύς.
——— quæ verò Salamandra vocatur
Nomine, damnosus quam non violauerit ignis.

a lib. 25. de animalib.
b vers. 20.
c 5. de histo. animal. c. 19.
d lib. 10. c. 67.
e 21. de ciui. c 4. & indicat lib 12. c. 4.
f sup. & libr. 21 c. 2.
g lib. 11. c. 35. & seq.
h 2. de natu. Deorum.
i c. 17.
k 2 de animal c 31.
l 4. natural qq. c. 4.
m lib de Gigantibus
n 5. natural. qq. c. 6.
o in alexipharm.

Item [*] eodem sensu;

Ἥ τε καὶ ἀσβέστοιο διὲκ πυρὸς οἶμον ἔχουσα,
Ἔσσυται ἄχρωτος, καὶ ἀνώδυνος ———

Serenus itidem;

Seu Salamandra potens, nullísque obnoxia flammis.

Alij contradicunt, ac ni frigidissimi quidem eius temperamentū esse; verùm occulta quadam vi, vel densitate cutis, vel quo semper madet lentore, propter quē cognominetur λιπάργυρος a Nicandro, hoc est, λιπώδης, καὶ ὑγρὸς, ignibus resistere, quāuis tandem ab his vri possit eodem lentore consumpto. Has rationes affert Ioannes Gorræus explicans alexipharmaca Nicādri, & confirmans Galeni, atque Dioscoridis testimonio, qui Salamādræ vim tribuunt exedendi, calefaciendi, exulcerandi, non minùs quàm cantharidibus. Galenus quidē meminit σαλαμάνδρας καυθείσης, & κεκαυμένης [a] σποδὸν in medicina requirit; ac licet fateatur esse frigidæ constitutionis [b], scribit tamen [c] ad certū vsque terminum ab igni nihil pati; vri tamē si longiore spatio illi admoueatur. Dioscorides [d] asserit frustra creditū Salamandram ignibus non vri. Eādem sectatur opinionem Scholiastes Dioscoridis Matthiolus, necnon Plinij Dalecampius: præterea Simon Maiolus [e], Albertus Magnus [f], Scaliger [g] & alij. Marsilius [h] verò Cagnanus, vetus ac bonus familiæ studiosorum nostrorū Romanorū Medicus, in igne gigni atque viuere animalia nonnulla confirmat, licet non ab igne, nec ex igne, hunc ad modum Aristotelem interpretans quinto illo libro de historia animalium, & secundo de generatione eorundem, cum in priore asserit, in igne quædam animalia generari atque viuere: in posteriore scribit quòd πῦρ οὐδὲν γεννᾷ ζῷον, οὐδὲ φαίνεται συνιστάμενα πυρουμένοις, *ignis nullum generat animal, nec videtur constare, constitui, consistere ex ignescentibus*, nempe vt vel ignis sit effector, vel materia; quāuis locus esse possit vbi producatur.

Approbo istam velut conciliationem sententiarum. Sed, vt vt res habeat, diuinam hoc loco agnoscere virtutem debemus, cùm παραδοξότατον quid esse dicat Auctor, & quòd perinde ac ignis seu flamma, φλὸξ, cum delectu & ratione ageret, nēpe propter directionem Dei, ποτὲ μὲν ἡμεροῦτο, *aliquādo mãsuetabatur, mitescebat, mitigabatur*. Huius generis alia diuina miracula peti possunt ex sacris, Ecclesiasticísque historiis de hominibus qui sine noxa in flammis versati sunt. Inde Petrus Cardinalis Albanus Ignei cognomē inuenit, cum sensim in rogo sæpius inambulasset ne vestimento quidē læso; sicque Simoniacam hæresim conuicisset [i]. Nam, quidquid nonnulli [k] videantur affirmare halecem ex aqua, ex aëre chamæleonē, talpam ex terra viuere, non minùs falsum puto, quā in igne Salamandram gigni ac viuere. Atque in genere aio, ex elementis composita rebus ali elementorum permixtione conflatis. Postquam hæc elucubraui, legi Lælij Bisciolæ [l] nostri de isto eodem argumento eruditam disputationem; & nos in paucis tum rebus, tum auctorum locis discordare. Legendus præterea Cassiodorus [m] de Salamandra, necnon de chamæleonte [n]; ac de vtroque Ioannes Brodæus [o], & Mercurialis [p]. Tritum illud Ouidij [q].

Nataque de flamma corpora nulla vides.

Quod legitur apud Macarium [r] Ægyptiū ex nescio quo auctore profano, fabulosum est, in montibus igneis animantes ouibus assimiles viuere ac nutriri; inde extractas interire. Incidi verò etiam postea, locupletans editionem secundam,

* in theriacis.
a libr. 11 de simpl. medic. facult.
b 3. de temperam c 13. de simpl medica. facul c. 6.
c 3 de temperam. c 4.
d lib. 2 c. 56
e dierum canicularium colloq 8.
f libr 25. de animal
g exercitat. 183
h lib. 1 variarum obseruat. 13.
i in vita S. Ioan. Gualb [illegible] tom 4. & Vrspergensem anno 1068 Baron. tom 11. anno 1063
k S Tho. lib. de virtutib. & & vitiis: auctor operis de exemplis & similitud. lib. 1. c. 46.
l 3. hor subsecin. c. 1.
m lib. 3. variar. ep II 47.
n lib. 5 epist. 14.
o 3. miscell. c. 3. lib. 6. c. 21.
p 3. variar. lect. c 14
q 1 Fasto.
r hom 14.

in Scholiastē Augustiniani operis de ciuitate Dei Leonardum Coquæum [a] veterem amicum, atque Theologicis, & politioribus literis bene instructum. Citat præterea docentem Aristotelē [b], nullum animal viuere posse in igne: item B.Thomam [c]. Vulgatem autem illam opinionem sectatur quoque Petrus [d] Damiani, addens vermiculos, qui nascantur in feruentissimis aquis, viuántque, ac præterea tropologiam assignās de humilitate patientiæ, quæ reprimat flammiuomum hominem à feruore vindictæ. Diaboli tamē symbolum facit Berchorius [e], vel Antichristi, vel cuiusuis peccatoris; vel Admi, atque cuiuslibet hominis in calamitate, ac pœnitentia degentis; vel hominis magis perfecti, qui veluti nutriatur igne charitatis, & tribulationis. Ioannes à S.Geminiano similem ei ostendit inuidum. Pierius [f] demum de physiologia istius bestiæ non pauca disserens, tradit hieroglyphicè per eam denotari hominem vndique ignibus cladium obiectum, impetitúmque minimè lædi. Citat Nazianzenum pro constantia ponentem, scribentémque se cum Basilio Athenis in igne perfidiæ Deum verum colendo, incolumes versatos; quin etiā eū professione sua constantiáque suppressisse. Adiicit reprehensionē eorum qui tali simulachro amatores exprimerent. Magis probat innui damnosum hominem, omnes quibuscum versetur aliqua pernicie, aut iniuria labefactantem. Sed posita sic ratiocinatur sententia, quam falsam putat, in igne gigni, & ali Salamandram. Nec omittenda Rhodiginis lectio de eodem animali. Apud Nazianzenum [h] extant hi versus.

Οὐδὲ πυρὸς μαλεροῖο διατρέχει, ὥς γαίης
Σκαίρουσα χθαμαλοῖσι ποσὶν τῦ ἴδη σαλαμάνδρην.
Paruula flammigeros currit Salamandra per ignes,
Ac velut in gelida figit vestigia terra.

Vers. 19.] Et quodā tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique, vt iniquæ terræ nationem exterminaret.

HÆc altera sententiæ pars, qua idem ignis qui liber ac semotus ab impedimentis moderabatur quodammodo & temperabat natiuam vrendi vim, istam in medijs aquis solito validiùs exercebat, nil aliud est nisi repetitio eorum quæ dicta iam sunt versu 17. quando nimirū admixtus in Ægyptios cum grandine pluuijsque diuinitus immittebatur ignis. [Repetitio est, inquit Lyranus, ad maiorem expressionem eius quod dictum est suprà; quod enim mirabile erat, &c.] Reliqui conueniūt, præter Olcot [i], qui exardescentem in aqua ignē sumit pro eo qui in locis humidis Sodomæ & Gomorrhæ, vbi humido non obstante ignis omnia consumpsit [k]. Innuit & hoc Bonauentura, dicens quòd Dominus puniuit Sodomitas per ignem sine mansuetudine, quia nulli boni erant inter eos: in Ægypto cum mansuetudine, quia ibi Hebræi agebant, qui erant boni.

In aqua.] Græcè (*μετὰ ξὺν ὕδατος, inter aquam*) dum scilicet *grando & ignis* (necnon pluuia, vt dictum est) *mixta pariter ferebantur* [l]: non autem in aqua, id est, in locis Sodomæ & Gomorrhæ, vt exponebat Olcot.

Supra virtutem ignis exardescebat.] Nempe ignis aut flamma supra consuetā & naturalē virtutem suam (ita vt *ignis* sit in casu obliquo) exardescebat, vel, vt alij legunt, exardebat, vel ardebat.

Vndique.] Deest in editione Græca, & abest à nonnullis libris Latinis; iuuat potiùs tamen ad sensum, quàm officit.

Vt iniquæ terræ nationem exterminaret.] Alij (*iniquā*) nonnulli (*iniquas nationes*) quidam (*exterminares.*) Græcè (*ἵνα ἀδίκου γῆς γεννήματα διαφθείρῃ, vt iniquæ terræ genimina, aut germina corrumperet, aut prouentus, aut progeniem.*) Homines ac iumenta simul cū arboribus herbísque possūt intelligi, quibus ab illa plaga damnum illatū est. Vidētur Iansenio tamen magis plantæ hîc significari, propter id quod illicò subditur de manna, quod quasi vice perditorū terræ Ægypti fructuū dederit postea Hebræis Deus. Nihilominus Interpres per *nationis* vocem voluit homines innuere, vel etiā bestias; nec enim ita de aliis rebus vsurpatur, sicut Græcū nomen *γεννήματα* vsurpari potest. Hoc pacto quoque Enarratores intellexerunt, & damnum germinum, geniminum, prouentuū, frugum, plantarum redūdat in animalia hominésque, quorū seruitutí productam herbam Dauid cecinit [a]; qui etiam homines ante diluuium de plantis duntaxat cibū carpebant, ita vt vna creatum sit pabulū pro ipsis & cęteris animalibus, vt obseruāt Basilius [b], Ambrosius [c], Theodoretus [d], Procopius [e]. Ad Iansenij coniecturam mox dicam, quam, vt & sententiam ipsam, Castro nostro placuisse postea deprehēdi.

Vers. 20.] Pro quibus Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.

Vers. 21.] Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque volūtati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.

HOc est aliud eximiū valdè, maximéque celebratum beneficiū, quo cœlestis mannæ cibus Hebræis in deserto largissimè suppeditatus est: de quo exigit hic locus vt pro instituta breuitate disseramus, & quæ alibi Scripturæ de codē tradunt, huc transferamus; hoc autem posito, Auctorem in eius commemoratione probare quod susceperat, quantum interfuerit inter hostium populi plagas & beneficia quibus populus affectus est: tum verò quod attinet ad iacturam frugum fructuúmque, pro quibus populo misit admirabilem escam istam.

Primo loco sciendum, occasionem dandi cibū hunc fuisse murmur populi [f]; vt ideirco beneficij crescat magnitudo, ac iure propter illud appelletur misericors & miserator Dominus [g], quòd sic dederit escā timētib. se, qui videlicet post murmur timuerūt, & tāto beneficio ad timendū prouocati sunt. Confer hoc cū tam aperto illo Incarnationis promisso, quod edidit Regi impio Achaz Deus, postquam Deo molestus fuerat; *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet* [h], &c. Deinde, plura nomina eiusdem rei designant dignitatem ipsius. Vocatur panis cœli, panis & esca Angelorum, cibus absolutè, & cibarium, ἄρτος, τροφή, לֶחֶם, בָּרוּת, מָן [i]. Ex Hebræis nominibus magis proprium est מָן *man*, de quo paulo pòst agemus: alia conueniunt cuiuis cibo, & quandam veluti pugnam important. Est enim לָחַם *lacham, pugnare*, בָּרָה *baraph*

prædari;

---

a in lib. 21. c. 4.
b 3. de gener. & corrup. tex. 31. & 4. Meteo. & 1. de gener. animal. c. 3.
c 3. d. 44. q. 3. a. 1. quæstiuncula 3. ad 3.
d lib. 2. epist. 17. vel 18. & in 18 siue 19.
e reductor. moral. lib. 10. c. 9.
f lib. 16. c. 20. & seqq.
g lib. 10. c. 10.
h carm. 3. ad Virgines.
i lect. 181.
k Gen. 18 & 19.
l Exo. 9. 24.

a Ps. 103. 14.
b homil. 5. hexam.
c 3. hexame. 7.
d q. 55 in Gen
e in c. 1. Gen.
f Exod. 16. 21. & seq.
g Ps. 110. 4.
h Esa. 7. 13. & seq.
i locis citandis.

prædari; cibus enim inciditur, ac veluti discerpitur & dilaceratur: vnde illud ex Psalmo citato; *escam dedit timentibus se*, vbi est טֶרֶף *tereph*, quidam exponunt de hoste quem Deus prædam dederit. Propria dictio מָן *man* imposita est à populo ipso priùs admirato nouitatem cibi, ac dicente מָן הוּא *man hu, quid hoc?* Chaldæi more suo addentes א in fine appellant מַנָּא *manna*, quod imitantur Latini, vocantes manna: Græci nunc μὰν [a], nunc μάννα [b]. In Psalmo sexagesimo [c] iterum extat מָן *man*, pro *quis, misericordiam & veritatem eius quis requiret?* Iansenius eo loco asserit vsurpatam eam dictionem iuxta significationem Chaldaicam, qua מָן *man* idem valet quod *quis* & *quid*: Genebrardus Poëtas sacros captare Syriaca. Sed in Psalmum septuagesimumseptimum ait מָן *man* ad vitandam cacophoniam dici, pro מַה *mah*. Fortassis illam vitauit populus ob sequens הוּא *hu*; sicut Græci solent ν adiicere desinentibus nominibus verbísque in ε & ι, quando sequitur vocabulū à vocali inchoatum. Igitur meritò refelluntur Hebræi, quíque plus æquo student Hebræis, dum aliam nominis *manna* deriuant etymologiā, vel à מִנָּא *mina* Chaldæo, *præparauit*, vel à מָנָה *manah* Hebræo, *numerauit*, quasi dicas paratum ac mensuratum, destinatum, partitum, & singulare donum: vel quasi cibum; quo Abulensis [d] vltimo modo exponere quosdam refert: vel, vt Oleaster, numerosum siue copiosum. Nec refert si in Exodo & in Psalmo 77. sit מָן *man* cum ָ camets; id enim est propter accentum, qui mutat puncta breuia in longa; & in Psalmo sexagesimo est cum ַ pathach, vbi, vt dixi, significat *quis*. Denique *filij Israël dixerunt* (nō ait Scriptura, *appellauerunt*) *ad inuicem*, מָן הוּא *man hu? quod significat* (addit hoc Interpres) *quid est hoc? ignorabant enim quid esset*, מַה־הוּא *mah hu*. Vbi profectò vltimis verbis purè Hebræis redditur nominis מָן *man* ratio, seu quid sibi voluerint per מָן הוּא *man hu*, cùm מָן *man* nō esset Hebræum, sed Chaldæum. Nec mirum debet videri, si populus peregrinis aliquibus vocibus vteretur, præsertim Chaldæis, vnde oriundus erat. Interpretes LXX. pro מָן הוּא *man hu* in Exodo verterunt, τί ἐστι τοῦτο; non aliam profectò notionem esse credentes dictionis מָן *man*. Accedat huc auctoritas aliorum Hebræorum, Philonis [e], Iosephi [f] (hic ait *man* Hebræa lingua esse percontatiuam vocem) R. Salomon, vt refert Abenezra, atque fere veterū aliorum Rabbinorum; postremò Hieronymi Hebraicæ linguæ peritissimi, vt omittam Patrum Græcorum ac Latinorum consensum; quos hallucinatos hac in re dici absque temeritate non potest. Legendus præ cæteris Theodoretus, qui ait quòd ἐπέθεσαν προσηγορίαν, τί τοῦτο; quoniam τοῦτο ἑρμηνεύει τὸ μάννα: & ἐγένετο ἡ ἐρώτησις ὄνομα, *imposuerunt appellationem, quid hoc? id enim manna interpretatur; & facta est ipsa interrogatio nomen.*

Iam verò natura manna dignitásque, in quo Deus fecisse scribitur [g] memoriam mirabilium suorum, consistit in multis. *Apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram* [h]: *erat quasi semen coriandri, & coloris bdellij* [i]: decidebat noctu cum rore [k], & colligebatur ex eo manè quantum sufficeret ad vescendum, ad mensuram gomor per singula capita, ita vt nec qui plus collegisset, haberet amplius, nec qui minùs, reperiret minùs [l]: si quis ex eo reliquisset aliquid vsq; in sequēs manè, scatebat vermibus, & computrescebat [m]: sed die sexta duplo plus colligebatur [n], neque reseruatum in diem Sabbati sequentem computrescebat [a]: die septimo, quia vacandum erat, non inueniebatur [b]: gustus eius erat quasi similæ cum melle, panísque oleati [c]: frangebatur mola, siue terebatur in mortario, & coquebatur in olla, & fiebant ex eo tortulæ [d]: ex eodem in vas missus est iussu Dei gomor vnus, ídque repositum in tabernaculo coram Domino, vt posteri nossent quo pane maiores eorum aliti fuissent in deserto [e]: *comederunt illud filij Israël quadraginta annis, vsquequò tangerent fines terræ Chanaan* [f]: panis cœli & Angelorum vocatur [g], panis de cœlo, & esca Angelorum [h]: cùm incaluisset Sol, liquefiebat, & tabescebat, quamuis ab igne non posset exterminari [i]: *omne delectamentum in se habebat, & omnis saporis suauitatem, & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur* [k]. Hæc ex sacris literis.

Iosephus [l] non multum dissidet. Ait quòd dum Moses precabūdus palmas attolleret, ros de cœlo delapsus est, qui cùm manibus eius hærens cōcreuisset, ille suspicatus hanc quoque alimoniam à Deo demitti, degustauit, lætúsque re comperta, turbam ignaram & putantem hyberna tempestate ningere, monuit opinione falli, nec vulgarem rorem de cœlo descēdere, sed alimoniam, quæ ope alia destitutos, periculo famis eximeret: ac mox prægustatum obtulit, vt experti crederent: illi verò ad eius exemplum nouo cibo læti fruebantur, qui suauitate ad mellis dulcedinem accedebat; aspectu verò ad aromatis similitudinem, quod bdellium dicitur, magnitudine coriādri semini similis; eúmque pro se quisque certatim colligebant: sed mox edicto admoniti sunt, vt ex æquo assaronis mensuram quotidie colligerent; non enim defore hoc cibi genus: quod eo factum est, ne infirmioribus deesset, dum robustiores per auaritiam plus satis colligunt: quòd si quis contempto edicto vltra præscriptum modū collegisset, plus defatigatus nihilo plus habebat quàm cæteri: quidquid enim vltra assaronem sequenti die supererat, inutile reddebatur, amaritudine ac vermibus corruptum: adeò diuinus & incredibilis erat hic cibus, cuius hæc natura erat, vt qui hunc haberet, alium non desideraret. Sūt hæc Iosephi omnia, qui nominis *manna* subdit etymon, quod antè dixi, à percontatione; ac per annos quadraginta perdurasse beneficium in deserto: præterea suis quoque temporibus eam regionem vbi manna primùm decidit, eo complui solitam. Philo [m] idem perstringit paucis. At rorem nominat, in millij speciem minutum, candidissimúmque fuisse scribit: moli ac teri solitum, quo elixo, quasi placentis vescerentur suauissimè absque pistoris opera: natalem mundi diem, quo hoc vniuersum absolutum est, inde certò populum deprehendisse, quia quod depluebat pridie Sabbati, duplum proueniebat, durabátque in biduum. Hinc seligenda potiora quæ excutiantur.

De nomine iam dictum. Circumstantia loci, temporísque non admodum refert, nec habet difficultatem. Notauit Origenes [n], Augustinus [o], & Ambrosius [p], diem quo primùm pluit manna, Dominicum fuisse; quo ipso die tradit Synodus Cæsariensis apud Bedam [q] Hebræos mare rubrum siccis pedibus trāsiuisse: & sexta Synodus [r], idémq; Augustinus [s] panibus quinque & duobus piscibus quinque hominum millia à Christo satiata [t]. Nec officit quod ex Philone retuli de cognito natali mundi die: Sabbatū enim intelligit,

a Exod. 16. 31. & ibi sæpius. b Ps. 77. 23. c vers. 8.
d in c. 16. Exod. post q. 6.
e lib. de profug. & 1. de vita Mosis. f 3. Antiq. c. 1.
g Ps. 110. 4.
h Exo. 16. 14. i Num. 11. 7. k ibid. 9.
l Exod. 16. 16. 17. 18. 2. Cor. 8. 15. m Exo. 16. 20. n ibid. 22.
a ibid. 24. b ibid. 25. 26. 27. 28. 29. c ibid. 31. Num. 11. 8. d Num. 11. 8.
e Exod. 16. 32. 33. 34. Heb. 9. 4. f Exo. 16. 35. Iosue 5. 12. g Ps. 77. 24. 25. h hoc loco, & Ioan. 6. 31. i Exod. 16. 21. & hoc loco 27. k hoc item loco 20. 21.
l 3. Antiq. c. 1.
m 1. de vita Mosis.
n hom. 7. in Exod. o serm. 131. de temp. p in 1. Cor. 10. q epist. de celeb. Pasch. r can. 8. s supra. t Ioan. 6. 10.

a Genef.2. quo confummata creatio eft [a], non hebdomadæ diē primū. Illud quoque fatis facile, cur appelletur panis efcáve Angelorum, quia illorum minifterio facta, & adeò delicata, vt non alia Angeli vefcerentur, fi qua iis vefcendum foret; quo fenfu dicitur lingua Angelorum [b], id eft, excellentiffima: menfura Angeli [c], id eft, maxima: & veteres Poëtæ Deorum nectar ambrofiámque confinxerunt; & vulgò Regios cibos vocamus qui funt delicati ac Regum menfis digni. Placet illa quoque Cantacuzeni ratio, quæ iis etiam præfentis loci verbis (*fine labore*) indicatur, quoniam vt Angeli cogitationibus excelsífque circa Deum contemplationibus fine labore pafcuntur, ita Hebræi abfque vllo vfitato labore paratis epulis è cœlo delabentibus vefcebantur. Scribit Paulus Burgenfis [d] R. Mofem Gerundenfem docuiffe Angelorum panem vocari, non quia illi materialem comedant, vt alij Rabbini dixerunt, fed quia lumen diuinum quo reficiuntur, eft incorporatum in manna. Falfum id quidem, fed fauens Euchariftiæ. Plura de hoc ex Rabbinis Viegas [e].

b 1. Cor.13.1. c Apoc.21.17. d in c.16. Exo. e Apocal. 2 comment. 3. fect.4.

De cœlo dicitur, quoniam ex aëre fuperiore decidebat, & ex eodem formabatur, licèt non folo, & puro. De forma, colore, quantitate nil eft quod addā. Sulpitius * filiquas paruas nominat. Abulenf. [f] refellit Lyranum & Hebræos afferentes decidiffe rorem duplicem, inter quos manna tectum iaceret: fed fuperiore rore in vapores elato, appareret fuper inferiore, qui fordes terræ prohibebat. Affert argumenta multa; inter quæ optimum illud, quoniā colligebatur manna fummo manè ante Solis ortum, ne Sole oriente liquefceret: non ergo ros fuperior euanuerat, cùm id colligendum erat; & inter colligendum collectus quoque fuiffet ros inferior, fuper quē erat, ipfúmque idem ros prauo fuo fapore infeciffet. Vult igitur Abulenfis ante omnia ventum effe immiffum, quo terræ purgaretur fuperficies à fordibus: tum pruinam defcendiffe fiue conglaciatum rorem, ac fuper hunc manna; quod manna cùm extaret è terra magno quodam cumulo, non erat opus vt colligeretur, quatenus erat fuperficiei terræ coniunctum cum rore conglaciato fiue pruina. Genebrardus [g] non refpuit Hebræorum fententiam, fed eam transfert ad Euchariftiam, cuius manna typus, vbi corpus Chrifti fpeciebus panis ceu theca conditur; apparet, quando ros humanæ rationis ad exorientem diuinum Solem & lumen fidei difparet. Abulenfi libentiùs affentior, dempto vento, cuius neceffitatem nec Scripturæ teftimonium, nec ratio perfuadet.

* libr.2. hift. facræ. f in c.16. Exod.q.6. g in Pfal. 67. verf.9.

Eadem gomor menfura cunctis affignata eft, quamuis non cuncti paris quantitatis egerent cibo, etiam non ægroti (*& non erat*, ait Dauid [h], *in tribubus eorum infirmus*) & quotidie colligi manna deberet, præterquàm Sabbato; vel quia fic temperauit Deus nutriendi vim, vt quantitas eadem fumi à quouis poffet, & cuiuis fufficeret, non officeret; vel quia fi quid fuperfuiffet, euanefcebat in auras. Caufam primam reddit Abulenfis [i]; vt & quòd quantumlibet quis deferret, redactum ad menfuram, non excedebat gomor: vel fi minùs, perueniebat ad gomor. Caietanus docet, Deum fciniffe fupputando quamlibet familiam fimul, fufficere fummam tot gomor quot erant capita, penfato eo qui erat minoris alimenti cum eo qui maiore vtebatur alimento. Rabbini quidem affirmant appellatum panem אבירים *auirim*, id eft, *fortium* (qui Angeli dicuntur ab Inter-

h Pf.104.37. i Exod.16.q. 7.& 10.

A pretib.) quòd fortes redderet; vel per trāfpofitionem אברים *euar.m*, id eft, *membrorum*, quia tam facilis effet concoctionis, vt non oneraret ftomachum, non caput fumis, non crearet excremēta [a]; fed in membris digereretur, verteretúrque in ipforum fubftantiam. Videtur ergo præfcriptam gomor mēfuram proportione quadā vim in fingulis totam fumentibus æqualem habuiffe. Innuit fortaffis id quoque voluit Moyfes coriandro, cui fimile manna dicit, quia, vt Philo [b] teftatur, atq; Procopius [c], minutiffimè cōcifi partes fingulæ nō fecus germinant quàm integrum coriandrum: & Philo fimilitudinem ad Dei aptat verbū fermonémque, qui vel integer, inquit, iuuare poteft, vel

a Geneb. refert in Pfal. 77.& Abulf. Num.21.q.6. b 2. allegor. legis. c in c.16. Exo.

B quacumque fui particula. Eandem videntur fequi fententiam qui hoc inter alia Euchariftiæ fymbola in manna notant, quòd tantillum facri panis æquè prodeft. Sic Rupertus [d], Cæfarius Arelatenfis [e], Guitmundus [f], qui citat Eufebium Emiffenum.

d lib.3. in Exod.c.17. e hom.7. de Pafch.tom.2. bibl.Patrum. f lib.1.de verit. Euchariftiæ.

Quod ad guftum pertinet faporémque, an guftu fapor quiuis perciperetur à quolibet vt vellet, etiam ab improbo, difficilior quæftio; an improbus oleati duntaxat panis [g], aut fimilæ cum melle [h] fentiret faporem qui manna infitus erat. Negat perceptum alium faporem præter iftū ab improbis Abulenfis [i], quoniā hi conquefti fūt cū naufea manna cibum effe leuiffimū [k], carnéfque

g Num.11. h Exod.16. i Exo.9 q.5 c. 16.q.13 Num. 21.q.6. Num. 11.q.16. k Num. 21. l Num.11.

C popofcerunt [l]. Ait præterea illum ipfum infitum faporem per fe alioqui fuauem, iifdem improbis vifum effe malum ac iniucundum; ita vt nec viderentur fibi guftare panem oleatū, aut fimilam cum melle: quibus rebus idem auctor vult indicari plures alios varios fapores, de quibus hoc noftro libro agitur. Eadem de improbis opinio Lyrani in præfentem locum, & in cap.11. Numerorum, & in cap.16. Exod. item Carthufiani in Exodum, Adriani Fini in flagello Iudæorum [m], Simonis Maioli [n], Ioannis Roffenfis [o], Blafij Viegæ in Apocalypfim. Hic affert Cæfarium Arelatenfem [p], & Gregorium [q] Magnum. At in Cæfario potiùs contrarium lego, certè nullam ad iuftos folos facit limitationē: Gregorius in ore fpiritualium varium pro ipforū voluntate faporem

m lib.8. in ļ. Iudæor. oppofit.de facri. c.17. n in dieb.canic.colloq 1. o lib. 1. de Sacram Euchariftiæ.c.11. p hom.7. de Pafcha. q6.moral.c.9.

D fuiffe fcribit. Auguftinus difertè prorfus id fenfit: quod enim epiftola 118. [r] dixerat, quòd in primo populo vnicuique manna fecundùm propriam voluntatem in ore fapiebat, retractans [s] ait id fidelibus prouenifle, nō illis aduersùs Deū murmurantibus, qui profectò alias efcas non defiderarent, fi hoc eis faperet manna quod vellent. Fauet nomen hoc loco filiorum Dei, & quia tanto beneficio funt indigni impij, ficut Euchariftiæ, cuius manna figura erat, ideóque vocata efca fpiritualis ab Apoftolo [t], fpiritualem guftum foli iufti percipiunt. Idem videtur Conimbricenfi-

r c.3. s 2. detract.c 20. t 1. Cor.10.3.

E bus [u] noftris, vbi referunt ex Celfo, & Columella [x] rorem Syriacum appellatum; quibus adde Palladium [y].

u tract 7.Meteor.c.vlt. x lib.9. c. 13. lib.11.c.41. y lib.4.tit.15.

Contrarium fatis præ fe ferunt omnes citatorum Scripturæ librorū Enarratores, cum neminē excipiūt à perceptione iftius doni, vt nominatim Hugo S. Victoris in Exodum [z]; Olcot [a] apertiùs hîc hoc docet; præterea Hieronymus [b] ex Iudæorum fententia, quam minimè reiicit. Nazianzenus [c] mihi quidem videtur confentire. Nam docet, ficut elementa, pluuiæ, fructus, &c. funt communia beneficia externa, fic in fide contingere, vbi item communia lex, vates, fœdera, oracula, gratia, pueriles inftitutio, perfectio,

z c.16. a lect.182. b in Pf.147. c orat. de cōpof. differend. rationes.

Chrifti

Christi cruciatus, noua creatura, Apostoli, Euangelia, distributio Spiritus, fides, spes, dilectio tum erga Deum, tum erga homines; & hæc ipsa non certa quadam mensura, quemadmodum mannæ donum olim ingratæ, stolidæque Israëliticorum nationi cótigit, sed quantum quisque vult. Chrysostomus[a] nominat cibum quotidie nouum, & saporem sui pro desiderio vescentium subministrãtem. Ratio suadet, quia beneficia cætera Dei externa in deserto æquè cũctis cómunia erant; nec, v.g. coturnices minùs gustasse credendi illi qui non murmurauerunt, etiamsi adhuc haberent manna, quàm murmuratores; quod Abulensis[b] nõ negat, sed concedit: erant quoque omnes probi, improbi alliciendi hac esca ad non concupiscendas escas Ægypti; & cùm illa concessa fuerit post, ac propter murmur, non videtur tolli debuisse varius eiusdem sapor ob aliud quod renouatum est deinde murmur.

a tract. quòd nemo læditur nisi à seipso.

b Num. 11. q. 84.

Nausea fastidiúmque nõ ex nimia natiua dulcedine nascebatur, alioquin id etiam probi passi aliquando essent, cùm nihil de peculiari alio aliquo sapore cogitantes manna sumerent, quod idem, sed malè, admittit Abulensis[c]: nec ex tædio vnius eiusdémque per quadraginta annos cibi; verùm quia color, odor, forma, tenuitas, & similes aliæ qualitates eædem semper perseuerabant, quarum qualitatum iucunda quædam diuersitas allicit magis gustatum. Licèt autem non alias iusti hasce qualitates experirẽtur, corrigebant sese, si qua subiret appetitio distincti cibi, certi ac etiã experri saporem, qui proprium est gustus obiectum, communicari quem vellent, & vim nutriẽdi, quæ quæritur in primis in cibo, contineri eximiam in manna; & idcircò hilares & gratulabundi illud sumebant, nullo modo, sicut ingrati, & effrenis cupiditatis homines, qui bonam partem constabant ex Ægyptiis egressis de patria cum Hebræis, murmurabant. Nec verò murmur illud impiorum de manna accidit, vt velle Abulensis[d] videtur, post quadraginta annos, sed paucis annis post initam peregrinationem: siquidem coturnices post, & ob murmur de manna missæ sunt. Respondent, vt dixi, de murmuris causa Hugo, Olcot[e], Bonauentura, & confirmant ex Hieronymo, cùm scribit; [aues coram diuitibus in suis vaporibus decoquuntur, vt visu & odore reficiantur:] item ex Prouerbiis[f]; *Ne intuearis vinum, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius.* Hæc satisfaciunt contrariis argumentis; neque respódere typi singula singulis oportet quæ sunt in prototypo, vt quia nullum improbus ex Eucharistia spiritalem capit gustum, non etiam ex mãna peccator perciperet iucundum quem vellet saporem. Id videntur murmuratores ipsi voluisse, cùm dicerent[g]; *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq́, ac cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man.* Item[h]; *anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.*

c ibid.

d supra.

e lect. 183.

f c. 23. 31.

g Num. 11. 4. 5. 6.

h Num. 21. 5.

Non obest hoc loco filiorum nomen: erat enim id toti populo commune, sicut & vt sanctus, iustúsve diceretur, vt sæpiùs antea vidimus. Imò verò Turrianus[i] obseruat aliquando fuisse sumenti manna mutatum in saporem porri, cepe, allij, pro quibus in deserto suspirabãt, & mortifera solent interdum esse comedenti. Si quiuis peccator eo carebat beneficio, non ipse solùm, sed cæteri deprehendissent peccatum ipsius etiã internum: si solus murmurator, præter hoc incómodum, sequeretur quoque non iustorum duntaxat priuilegium id fuisse, quod contrariæ contendunt auctores opinionis, sed plurimorum aliorum peccatorum, qui præter murmuratores in tanta multitudine degebant: & qui murmurare desinerent, ac murmurauisse dolerent, quamuis amissam gratiam non recuperassent, illicò suauibus variis frui saporibus potuisse.

i de Eucharist. c. 2.

Quæri potest, aliísne in deserto cibis Hebræi præter mãna sint vsi. Asserit Pererius[a], quia præcepit Moses[b] auctoritate diuina, vt pridie Sabbati coquenda coquerent. Consentit Abulensis[c], quia pecora multa habebant, vel, quia raro admodum ex iis comedebant, venando aut aucupando aliquid interdum capiebant. Non diffiteor; at ibi Moses agit de manna, iubet præterea vt quidquid reliquum esset, reponerent vsque in manè: & coquebatur quoque manna[d]. Legimus item in Deuteronomio[e] iniunctum populo, vt transeuntes per terminos filiorum Esau in Seir cibos ab eis emerent pecunia. Quo testimonio adducitur Andreas Masius[f] in hanc eandem opinionẽ, & quia fastidiosum erat genus illud hominum, atque ad æstimanda Dei dona parum attentum iustúmque, ita vt alio vescerentur pane quem sibi parare possent, quamuis eò nõ egerent: & quia priusquàm ingrederẽtur Hebræi promissam terram, imperauit idem Deus, vt pararent cibaria[g], hac etiam in re indulgens eorum intemperantiæ, licèt nondum desiisset manna; sed postquam cœperunt comedere de frugibus dictæ terræ[h]. Refellit idem auctor Thalmudicos affirmantes cessasse pluuiam manna cum morte Mosis, inde autem conseruatum in vasis pro cibo, tandem defecisse gustatis frugibus Chanaan.

a Exod. 11. disp. 7. n. 32.
b Exo. 16. 23.
c ibid. post q. 32.
d Num. 11. 8.
e c. 2. 6.
f in c. 5. Iosue. vers. 12.
g Iosue 1. 11.
h ibid. c. 5. 12.

Nõ hîc immorabor in allegoria vel Eucharistiæ, vel verbi diuini, vel Christi. Legatur hîc Bonauentura, syluæ[i] collector allegoriarum, & quos Blasius[k] Viegas citat, & Adrianus Finus[l]. Hi accuratiùs id præstant, & Gulielmus[m] Parisiensis, & Thomas[n] Bozius. Nec agam de pharmacopæorum Medicorúmque manna, de quo multa Andreas Cesalpinus[o], & Leuinus Lemnius[p], & Mathiolus[q] ex vetustis auctoribus (hi Arabes sunt) qui nomen hoc ipsum manna vsurpauerunt. Quod Galenus[r] refert in monte Libano sæpiùs decidere drosomeli, seu aëromeli, hoc est, mel roscidum, & aërium, qui sunt halitus aquæ terræque, Solis calore exactè attenuati & cocti, frigore secutæ noctis in vnum coacti densatique; facit vt putem Iosephum[s] de hoc intellexisse, cùm, vt antè retuli, scripsit ætate sua pluisse manna in ea ipsa regione, in qua Hebræis: est enim Libanus in Arabia.

i verb. mãna.
k in Apoc. c. 2. comm. 3. sect. 4.
l lib. 8 Flagelli Iudæo. oppos. 3. Iud. c. 17.
m de Sacram. Eucha c. 7.
n 13. de notis Eccle. c. vlt.
o 2. de plantis c. 13.
p lib de herb. ac plant. ex Biblius c. 3.
q in lib. 1. Dioſco c. 70. 71 72. 73.
r 3. de alimẽt. facult. c. 39. de melle.
s lib. 3. Antiq. c. 1.

Prodigiosas memorant multi pluuias lapidum, laterũ, chalybum, ferrorum, lactis, piscium, carnium, sanguinis, frumenti, hordei, leguminum, lanæ, cineris, ranarum, sagittarum, arborum[t], &c. propter ventorum vim, qui res huiusmodi trahunt in nubes, ac detrahunt inde in terram.

t Simon Maiolus citat in dib. canicu. larib. colloq. 1. & 10.

Pluuiam istam manna voluntariam nominare debemus, segregatam à Deo hæreditati suæ[u], ac planè miraculosam, quæ quotidie facta per annos quadraginta modo illo admirabili fuerit, quem vidimus. Non contendo corpúsne ipsum eius quod naturaliter nunc decidit manna, sit eiusdem naturæ cum corpore & substantia illius. Rationem ob quam Eugubinus[x] negat,

u Ps. 67. 10.
x Num. 11.

non arbitror idoneam, quòd modò nostrum neque contunditur, neque cum vsum præstare potest, vt ex eo placentæ fiant, neque hoc exigit, vt coquatur; sed absque alia diligentia edi solet. Nam & illud sic edi poterat incoctum, & non contusum, & nostrum si solidius sit, vt concedit idem auctor, nihilo quàm illud minus, vsus præstare similes posset.

Cantacuzenus putat einsdem rationis fuisse cum nostrate, necnõ citati priùs Conimbricenses nostri, & Ystella[a], qui meminit de opinione aliorum (est autem Francisci [b] Vallesij, qui in ipsa re consentit) initio purgasse cacochymiam Hebræorum ex esu cucumerum, peponum, porrorũ, ceparum, alliorum in Ægypto contractam, postea idoneum ac ordinarium iis cibum factum per consuetudinem, non secus ac venenum quandoque redditur cõsuetudine cibus vtilis & iucũdus. Obseruat Cantacuzenus nouas ad puniendũ hostes Hebræorum creaturas Deum condidisse; per nobis familiares res eximia Hebræis beneficia contulisse. Certum est, ac ex dictis satis constat, multa mirificè in manna cõtigisse, supráque naturæ cursum & vires. Isidorus Pelusiota[c] scribit annis 40. Hebræos nutritos manna; quod, etsi secundùm humanam rationem ad robur corporibus afferẽdum parum idoneum erat, efficiebat vt præstarẽt ἐπὶ τῆς ἴσης ἀλκῆς τε καὶ ῥώμης, ἴσως δὲ καὶ μείζονος δυνάμεως, *in æquali fortitudine ac robore, & fortassis cum maiore etiam vi*: quoniam non ἡ τροφὴ, *alimonia ipsa*, sed ὁ θεῖος ὅρος διεκράτει καὶ τὰς ψυχὰς, καὶ τὰ σώματα, *diuinum decretum & animas, & corpora conseruabat*; iuxta illud [d], *non in solo pane*, &c. quod & Christus [e] opposuit tentatori, atque hac ratione vires illius προσέβαλλετο, καὶ κατίσεισε, *concussit, ac perfregit*.

a Exod. 16.
de sacra philos. c. 57.
c lib. 1. epist. 341.
d Deut. 8. 3.
e Matth. 4. 4.

Pro quibus.] Græcè (ἀνθ' ὧν, *quorum vice ac loco*) nempe pluuiæ igneæ, grandineæ, &c. contra Hebræorum inimicos missæ.

Nutriuisti.] Græcè (ἐψώμισας.) Tanquam buccea siue bolo, ac turunda præmansa, aut macerata, cõcisa, intincta, in os inserta, pauit, velut ægri pasci solent, vel infantes, vel aniculæ. Vbi legimus apud Apostolum [f]; *si distribuero in cibos pauperum*, &c. est, ἐὰν ψωμίσω: & in historia Regum [g]; *Veniat, oro, Thamar soror mea* (dicebat deperiens illam Amnon morbùmque simulans) *vt det mihi cibum*, ψωμισάτω με. Petebat verò κολλυρίδας, *sorbitiunculas*[h]. Tractabatur à Deo populus vt puer, vt infirmus, vt auicula, quæ prouocatur ad volandum [i].

f 1. Cor. 13. 3.
g 2. Reg. 13. 5.
h ibid. 6.
i Deut. 32. 11.

Angelorum esca.] Causas exposui denominationis illius: & vt ad Eucharistiam adaptatur, citatũ Viegam consulas & Olcor hoc loco, qui exponit quo pacto Sacerdos sit Angelus.

Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore.] Cur panis de cœlo, dictum priùs: paratus erat, & ἀκοπιάτως, *sine labore* præstitus, quia non agricolæ opera, & sudore vultus: & quamuis moli, conteri, coqui posset, poterat gustari antequam sic elaboraretur, vt aduersùs Eugubinum antè dixi. Apud Claudium de Sainctes [k] error est, ipsiúsne an typographi nescio (*sine sapore*.)

k de Eucharist. repet. 7. c. 3.

Omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.] Sapor similæ cum melle, aut panis oleati non satis hos adeò varios denotant sapores, vt velle Abulensem meminimus. Græcè (πρὸς πᾶσαν ἡδονὴν ἰσχύοντα, καὶ πρὸς πᾶσαν ἁρμόνιον γεῦσιν, *ad omnem voluptatem valentem, & ad omnem congruũ gustum*) vel (*omni voluptate pollentem, omnique accommodatum gustui*.) Antoninus [l] refert ex Ioanne de

l 3. p. tit. 14. c. 5. § 2.

A

Geminiano, septem saporum differentias, enumeratas ab Aristotele [a], in Eucharistia reperiri. Nã dulcis est Eucharistia, propter donum sapientiæ, facitque vt diuina suauiter degustentur: acuto sapore prædita est, ob donum intellectus, qui facit penetrare vsque ad intima rei: amaru habet, propter scientiam, quæ huius mundi amaritudines facit dolere: per pinguem pietas designatur, qua sicut oleo impinguatur caput [b]: per salsũ, consilij donum, in quo est sal discretionis: in stiptico, qui constat ex calido ac terrestri, attenditur fortitudo robotans hominem: in austero siue acetoso, & pontico, timor Domini, qui pungit recordatione peccati, & expectatione iudicij.

a lib. de sensu, & de sensi.
b Ps. 22. 5.

Substantia enim tua.] Græcè (ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασίς σου.) Errant qui legunt (*substantiam*) quo etiã pacto Fulgentius [c] legit. Est autem hîc substantia non benignitas, vel diuitiæ bonitatis Dei, vel potestas sustentãdi, vt passim Latini declarant, & Pineda[d]; sed panis ac manna, vt etiam Hugoni placuit, Cãtacuzeno, & recentioribus Iansenio, Vatablo, & Sà, licèt vtatur corrupta lectione. Osorius exponit ὑπόστασιν constantiam benignitatis, quia ὑπόστασις est *basis* atque *fundamentum*: panis autem cõfirmat [e]; & ἐπιούσιος nominatur [f] is quoque quem quotidie sumimus materialis, quia, omissis aliis expositionibus, pertinet ad substantiam nostram, vt Ambrosius [g] explicat, tametsi loquens de Eucharistia, necnon Basilius [h], Theophylactus[i], Euthymius[k], & Iansenius [l]. Optatus [m] legens (*substantiam*) explicat de Filio Dei, qui est substantia Patris, ac quem figura & imagine, inquit, panis cœlestis populo Israël cœlitus apparet profluxisse. De Filio præterea citatus exponit Fulgentius, & Victor [n] Vticensis.

B

c responsiõ. tra Arian. ad 4. obiect.
d in Iob c. 22. vers. 3. in digress.
e Ps. 103. 15.
f Matth. 6. Luc. 11.
g 5. de Sacram. c. 4.
h reg. breu. 252. ex breuiorib.
i in Matt. c. 6.
k ibid.
l in concord. Euang. c. 41.
m citatur à glossa ordin. vlt. edition.
n de Cathol. fide.

C

Dulcedinem tuam.] Error est etiam addere coniunctionem (&.) Substantia manna erat, quæ ostendebat dulcedinem Dei, γλυκύτητα, qui vocatur dulcis[o], habens multitudinem dulcedinis[p], parans in dulcedine pauperi[q]: quæ Græcè etiam dicitur χρηστός, Hebraicè טוב *tob*.

o Ps. 24. 8. 1. Pet. 2. 3.
p Ps. 30. 20.
q Ps. 67. 11.

Ostendebat.] Alij ex simili errore priori (*ostendebas*.) Græcè (ἐνεφάνιζε.)

Et deseruiens vniuscuiusque voluntati.] Græcè (τῇ δὲ τοῦ προσφερομένου ἐπιθυμίᾳ ὑπηρετοῦσα. *subseruiens desiderio eius qui offerebatur*) vt exponit Iansenius: vel, vt Vatablus (*appetitui assumẽtis cuiusq. subseruiẽs*.) Malim vt τοῦ προσφερομένου habeat hîc significationem vel nominis pro cibo & pabulo; vel participij pro cibum sumente, ac esitante, &c. Sic erit sensus; subseruiens desiderio, voluntati, concupiscentiæ, appetitui aut cibi, aut comedentis, siue comedere volentis. Affert Budæus [r] exempla notionis dictarum vocum. Satis Interpres hæc expressit per voluntatem cuiusque; nec enim de alia intelligit voluntate, quàm edendi, nec de alio, quàm de edere volente. Obedit Deus voluntati hominis[s], & facit volũtatem timentiũ se [t], is cui seruiunt omnia [u]; & facit homo tamẽ seruire Deũ in peccatis suis [x], detrectans illi obedire! Ipsemet Dei Filius formam serui accepit [y], *veniique non ministrari, sed ministrare* [z]. Ipsa substantia hoc loco deseruiens intelligitur, scilicet manna, quod obediebat Deo, accommodanti se ad cuiusque voluntatem, prout subinde communicabat Deus varium saporem, qui sanè in illa vna substantia non simul videtur inhæsisse. An improbi, non solùm probi varium saporem perciperent, disputatum priùs. Nullus verbis istis excluditur.

D

r com. ling. Græc. p. 413

E

s Iosue 10. 14.
t Ps. 144. 19.
u Ps. 118. 91.
x Esa. 43. 24.
y Philip. 2. 7.
z Mat. 20. 28.

Ad

Ad quod quisque volebat,conuertebatur.] Substantia nimirum, id est, manna. Colligitur hinc & ex proximè præcedēti oratione libertas arbitrij. Præterea sequitur quòd varius adeò sapor pro varia cuiusque voluntate nō modò non inerat in manna naturaliter, sed nec omnino inhærebat; verùm tum communicabatur à Deo, vt paulo antè dixi, cùm quis appeteret. Intelligi potest hoc ex dono miraculorum, vel prophetiæ, quæ non sunt qualitates permanentes. Lege Abulensem [a]. Sunt qui conuersionem philosophicè sumāt pro vera substantiali mutatione, ita vt, exempli causâ, cùm quis piscem appeteret, verteretur manna in piscis veram substantiam, saluis accidentibus manna; quo pacto nos fides docet in Eucharistia fieri, vbi per transsubstantiationem transit substantia panis vinique in corpus & sanguinem Christi, remanentibus illorum accidentibus, quas species vocant. Ex Expositoribus nullum legi qui hoc apertè asserat, vel differat. De multiplici duntaxat saporis accessione loquuntur. Nonnulli alij dictā opinionem sequuntur ex iis qui conferunt Eucharistiam cum manna. Gregorius [b] de Valentia ait in varias ciborum substantias, vt quisque optabat, conuersum. Citat Augustinum [c]: sed ibi nihil hac de re definit, etsi aliquo modo innuat, de Eucharistia tamen nec verbum faciens. Claudius de Sainctes [d] eundem Augustini notat in margine locum, & ait manna substantiam in varias ciborum naturas esse transsubstantiatam, sicque quod hîc dicitur intelligi debere; quoniam substantiam, inquit, Scriptura dixit, non qualitatem, aut proprietatem. Probat etiam ex aliis verbis sequentibus [e], quibus scribitur creaturam tunc in omnia transfiguratam nutrici gratiæ Dei deseruisse, ad voluntatem eorum qui ab ipso desiderabant. Ponitur in eadem sententia Nicolaus Sanderus [f], eámque tenet Thomas Bozius [g], & Nicolaus [h] Villagagnon, qui probat accidentia panis & vini cum substantia corporis & sanguinis Christi esse, quo modo cum accidentibus roris & pruinæ sine manna erat substantia panis. Videri posset Chrysostomus [i] pridem adductus fauere, appellans nouum quotidie cibum.

a Exod.16.q.23.
b tom.4.disp.6.q.3.punct.2.§.4.
c 3.de Trin.c.2.
d de Eucharist.repet.7.c.3.
e vers.25.
f apud Sainctes & Valētiam suprà.
g 21. de notis Eccle.c.vlt.
h lib.3.cont. Calui.c.52.
i tract.quòd nemo læditur nisi à semetipso.

Ego verò propendeo magis in oppositam sententiam; tum quia sine causa tot substantiales mutationes admitti non debent, quādo sufficiunt accidentales: tum quia *conuertendi*, multóque magis *transfigurandi* verba de accidentali mutatione rectè intelliguntur; maximè si cum Græcis comparentur verbis quæ hîc sunt, μετεκιρνᾶτο, & μεταλλευομένη, quorum primum significat *transtemperabatur*, vel *se transtemperabat*: secundum, *sicut metallum nouum quasi colorem ac formam externam*, hoc est, per metaphoram, nouum saporem, *induebat*: tum quia nec Augustinus, vt nec Chrysostomus, fauet satis, nec alius magnæ notæ auctor: tum quia sicut qui aliam sectantur sententiam id faciunt, vt hoc exemplo transsubstantiationem Eucharistiæ meliùs demonstrent, ita nos retinendo eandem substantiam manna cum varietate accidentium, quod Cantacuzenus cæterique vt certum ponunt Enarratores, rectiùs exponimus quo pacto possint accidentia panis ac vini remanere & nutrire sine illorum substantia.

Argumentatur hâc ratione contra Sacramentarios Ioannes [k] Hesselius; & vrget quòd Moses agens de manna, dixit [l] ideo datum, vt sciremus, quòd non per solum panem homo hanc mortalem vitam transigat, sed per omne id quod Deus ad eam peragendam ordinat, clarè, inquit, hinc ostendens manna non fuisse propriè dictum panem. Conficit Petrus [a] Scarga noster idem argumentum, docétque manna proprietates accidentales ciborum continuisse absque illorū propriis substantiis, saporem carnis sine carne, & auium, & quarumcumque rerum sine ipsarū rerum substantiis. Denique cæteri Expositores, vt dixi, de solis saporibus loquuntur, non item de pluribus formis substantialibus. Nominatim Sà notat ad verbum *conuertebatur*, *sapore*, & ad participium *transfigurata, in varios sapores*. Olcot [b] ait transfigurationem illam fuisse secundùm apparentiam & iudicium comedentium.

k de Euchar. ad argum.
l Deut.8.4. Matth.4.4.
a cont. Zuinglianos art. 8.
b lect.184.

Qui dudum post me prodiit Castro noster, in eadem sententia est, vt in ista recognitione cognoui. Ad hunc verò modum etiam ratiocinatur; sicut ex conuersione panis in corpus Christi, pane non manente, nihilominus qui disparuit, sapit panis, non caro, quę subest panis accidentibus; ita si conuersio illa manna fuisset vera, ipsum manna dispariturū fuisse, ac eius loco affuturam fuisse, v. g. perdicem, leporem, piscem, &c. sub speciebus manna. Quo pacto non variaretur sapor ipsius manna pro gustantium appetitu. Denique nō erat necessaria transsubstantiatio ad varij perceptionem saporis: verùm sola variatio eiusdem ad appetentis arbitrium à Deo facta; vt ipsi quoque antea diximus. Corollarij loco admoneri lector potest de nummo æreo, quem à Samuele cusum Villalpandus [c] noster suspicatur, in cuius altera parte vrna esset cum inscriptione נִגְלֵאתָלְצוּם *naglathaletsum, redemptus es, siue redemptus ac vindicatus & ereptus à ieiunio*, videlicet per manna de cœlo missum, & per vrnam illam designatum; quia in vrna iussu Dei asseruabatur.

c tom.3.in Ezech.in apparatu vrbis ac templi.lib.2. disp.4.c.27.

Vers. 22.] Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant: vt scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluuia coruscans.

Vers. 23.] Hic autem iterum vt nutrirentur iusti, etiam suæ virtutis oblitus est.

Vers. 24.] Creatura enim tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.

HOc inter alia mirabilia in panis illius admirabili vsu contingebat, vt cùm eius natura parum differret à natura niuis & glaciei, tamen sustineret vim ignis, ac retineret suam formam, vel aquis calidis elixus, vel sartagine frictus, vel alio quouis modo ignis ardore tostus; contrà verò idem ignis multa cum grandine decidens & imbre, consumeret hostium fruges, & emicans in tempestatibus procellísque hostes ipsos læderet; hinc seipsum veluti remittens ad alimoniam populi Dei, hinc naturalem facultatem conseruans, aut etiam intendens, vt in hostes illius animaduerteret; & in vtroque Deo ipsi obtemperans qui fauet confidentibus in se, punit iniustos. Hac de re dictum satis antea [d], videlicet de mixtim descendentibus contra Ægyptios igne, grandine, pluuia.

d vers.16.& seq.

Nix & glacies.] Niuem non legimus decidisse contra Ægyptios, credi tamen potest vnà cum grandine: vel, vt Iansenius putat, passímque cæteri, nomine niuis grãdo intelligitur, necnon per glaciem. Non etiam Exodi liber pluuias expressserat, de quibus suprà isto capite [a], sed grandinem solam. Nil ergo vetat vt hic quoque niuem propriè accipiamus; licèt diuersam requirant grando nixque materiæ ad sui productioné temperiem. Glacies, vt à grandine distinguitur, non descendit, sed humi generatur, vel alibi. Dici tamẽ grando potest glacies, quia est aqua conglaciata. Imò Græcum nomen κρύσαλλος, quod hic est, pro grandine vsurpatur in Psalmo [b], in quo Latinus Interpres Latinum fecit; *mittit crystallum suam sicut buccellas*: quamuis & simul ibi possit vera glacies accipi. Sed rursus in alio Psalmo [c] *crystalli* vice *glacies* ponitur, vbi Græcè habetur κρύσαλλος, & distinguitur à niue & grãdine, quę grando vocatur χάλαζα. Dicitur κρύσαλλος ἀπὸ τοῦ κρύους, id est, *à frigore*, & σέλλεσθαι, id est, *contrahi*, & *constringi*; ac idcirco ad gemmam illam candidam pellucidámque translata appellatio est, vt indicat Plinius [d], quam omnes ferè linguæ eodem nomine nuncupant; nec alibi repetitur, inquit ille, quàm vbi maximè hybernæ niues rigent, gelúque vehementius concrescit. Dissentiunt, fat scio, alij qui de lapidibus atque fossilibus disserunt, contendentes è lapidescente perspicuo succo gigni, quem sub terris, vel inter gelidas rupium venas frigiditas maior glaciat duratque; aut sine niue, quam requirit Plinius, ex aqua pura concrescere vi caloris cœlestis. Sed hoc modò non ago. Legendus Agricola [d]. In verbis Iob [e]; *De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cœlo quis genuit?* B. Thomas [f] intelligit per glaciem grãdinem, vel niuem: per gelu pruinam. Lucretius [g] glaciem vocat duramen aquarum, & moram quæ fluuios passim refrenat euntes.

Et pluuia coruscans.] Supplenda præpositio *in* (*ignis ardens in grandine, & in pluuia coruscans.*) Sic legit Carthusianus. Græcè (καὶ ἐν τοῖς ὑετοῖς διαστράπτων.)

Hic autem.] Rectè (*hic*) & non vt antè plurimi codices (*hoc.*) Nam refertur ad *ignis*, qui Græcè neutrius generis est πῦρ, & pronomen etiam neutrum τοῦτο. Qui (*hoc*) legunt, explicant, hoc autem iterum fuit mirabile; vel, hoc autem factum est, vt, &c. Bonauentura monet posse esse aut ablatiuum casum, aut nominatiuum. Nihil opus istis iam restituta genuina lectione. Quòd si adhuc illo modo legeremus, aptiùs responderemus (*hoc*) poni pro hæc res, id est, ignis; vel perinde neutrũ seruari, quo pacto cap. 1. [h] *hoc quod continet omnia*, nimirum τὸ πνεῦμα, neutrius generis nomen, pro (*hic*) nempe Spiritus.

Iterum.] Græcè (πάλιν.) Valet hoc loco idem quod (*præterea*) vt alibi etiam aliquando.

Vt nutrirentur iusti.] Græcè (ἵνα τραφῶσι) alij (στραφῶσι, *verterentur*) vt notat Brugensis; qui præterea totius huius loci varias lectiones excutit, cùm de præcedentibus pronominibus (*hic*, & *hoc*) tum de nomine (*ignis*) quod nomen quidam codices adhibent.

Etiã suæ virtutis oblitus est.] Græcè (καὶ τῆς ἰδίας ἐπιλέλησται δυνάμεως) vel, vt est in Sixtianis Bibliis (ἐπιλαθέσθαι) in infinitiuo. Prosopopœia est, vt res inanima dicatur obliuisci: è contrario in cap. 19. [i] tribuitur aquæ obliuio. Simili propè ratione nõnulli locum Psalmi [k] interpretantur; *obliuioni detur dextera mea*, id est, actiuam sumendo significationem, obliuiscatur ipsa se, seu obliuioni detur à me ars pulsandi, quæ per dexteram meam, vt per instrumentum, circa musica exercetur instrumenta. Simili tropo dixit Christus [a], *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.*

Creatura enim tibi factori deseruiẽs.] Philosophi ac Theologi in omni re creata, seu in omni eo quod nõ est Deus, ideóque, licèt nõ immediatè, mediatè saltem creatum est, obedientialem potentiã agnoscunt tum passiuam ad recipiẽdum, tum actiuam ad agendum, quæ per se ac secundùm naturam nec agere, nec recipere possent; & est ipsamet entitas naturalis actu existens, vt subest voluntati efficaci Dei tanquam instrumentum eius in omnibus quæ non inuoluunt contradictionem. Lege Franciscum Suarez [b].

Exardescit in tormentum.] Alij (*excandescit*) quasi, vtrouis modo legamus, habeatur ratio ignis, qui, vt dictum est, in aqua supra virtutem exardescebat. Sed ibi est verbum φλέγει, hìc autem ἐπιτείνεται, quod significat *intenditur*. Qualitates alioqui capaces intensionis ac remissionis certos habent præfixos à natura gradus, quos nequeunt prætergredi, & in igne, verbi causâ, spectato secundùm naturalem statum suum, calor ea est intensione, qua nequit naturaliter maior esse. At hæ Deo præscribi leges non debent. Ergo ignis exardescens, excandescens, intensior in ipsis aquis, talis erat, quia factori suo deseruiebat. Quamuis agendi vehementia, & celeritas absque noua accessione graduum potest oriri ex quibusdam aliis conditionibus, vt ex densitate, &c. & ex remotione impedimenti.

Lenior fit.] Græcè (ἀνίεται, *remittitur*) antea ἡμεροῦτο. Respondet ex antithesi τὸ ἀνίεται præcedenti τῷ ἐπιτείνεται. Nonnulli legunt (*leuior.*) De remissione, lenitate, mãsuefactione philosophãdum eadẽ ferè ratione, sicut de intẽsione, vt vel subtraheret Deus aliquos gradus caloris, vel suspenderet partẽ efficientiæ, vel adhiberet aliquod actioni obstaculũ. Remissio, lenitas, mansuetudo per obliuionem declarata est [c]: intensio, exarsio, excandescentia per operationem supra virtutem [d]. Sermo est de Hebræis cum Ægyptiis, non de tribus pueris Hebræorum comparatis cum Babyloniis, quod pridem admonui.

Vers. 25. Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat, ad voluntatem eorum, qui à te desiderabant,

Vers. 26.] Vt scirent filij tui, quos dilexisti Domine, quoniam non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conseruat.

Repetitur eadem sententia verbis aliis de substantia manna, quæ benignitati obtemperans Dei, seruiebat voluntati varios desiderantium sapores, in quos illa sese transfigurabat: vnde planum fiebat his qui singularem illum experiebantur amorem diuinum, non solis terræ frugibus fructibúsve sustentari humanam vitam, sed quacumque re vellet Deus atque præciperet.

Propter hoc.] Alij (*propterea.*) Græcè (διὰ τοῦτο.)

In omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruie

[a] vers. 16.
[b] Ps. 147. 17.
[c] Ps. 148. 8.
[d] lib. 37. c. 2.
[e] 6. de fossil.
[f] c. 38. 29.
[g] ibid.
[h] lib. 6.
[i] vers. 7.
[k] vers. 19.
Ps. 136. 5.
[a] Matth. 6. 3.
[b] 3. p. tom. 1. disp. 31. sect. 5. & 6.
[c] vers. 23. c. 19. 19.
[d] vers. 17. 19. c. 19. 19.

deseruiebat.] Alij (*omnia*, &c. *deseruiebant*) Græcè (εἰς πάντα μεταλλευομένη, &c. ὑπηρέτει, *creatura nimirum transfigurata*, &c. *deseruit.*) Augustinus [a] legit ita (*propter hoc & tunc in omnia se transfigurans, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat.*) Quid sibi velit μεταλλευομένη, dixi versu 21. & quo pacto non indicet, vt neque *transfigurata*, mutationem substantialem: in 24. qua ratione omnis creatura deseruire dicatur Deo per potentiam, quam vocant obedientialem. Creatura transfigurata manna est, atque etiam ignis & aqua; illud ob varios sapores; ista propter variè commutatam in agendo vim suam, sicut ante dictum est.

a 3. de Trin. c.1.

Omnium nutrici gratiæ tuæ.] Græcè (τῇ παντοτρόφῳ σου δωρεᾷ, *omnia nutrienti tuo dono.*) *Gratiæ* vocabulū accepit Interpres in ampliore notione pro quouis beneficio. Hoc modo concedit Augustinus [b] non improbanda ratione dici gratiam Dei qua creati sumus; quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est. Non facit hæc ad rem acceptio, quando disputatur aduersùs Pelagianos de gratia; sed tunc gratię nomine omnino gratuita sunt intelligenda dona, quia hæretici illi non negabant priore significatione acceptā gratiam; quin potiùs ita sine gratia nihil nos aiebāt agere posse, quòd ipsum appellarent liberum arbitrium, & similia naturalia dona, gratiam, vt idem Augustinus [c] testatur. Gratia propriè beneficium est naturæ superadditum, ad rei naturam constituendam, vel conseruandam non necessarium, non fluens ex natura, non ei vllo modo debitum; & magis adhuc propriè quando confertur indignis hominibus ex merito Christi. Benigna prouidentia Dei nutrix est omniū rerum, quia quas creat, conseruat & ad maturitatem perducit. Indigniùs fert Deus contemni se ab homine quē benigniùs vt nutrix ac mater fouet ac educat. Hinc illæ querimoniæ; *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me* [d]. *Obliti estis Deum, qui nutriuit vos, & contristastis nutricem vestram Ierusalem* [e]. *Filius honorat patrem*, &c. *Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus* [f]? *Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quòd curarem eos* [g].

b Epist. 95.

c lib. de gratia Christi. c.3. & seq.

d Esa.1.2.
e Baruch 4. 8.
f Malach.1. 6.
g Oseæ 11.3.

Ad voluntatem eorum qui à te desiderabant.] Viguit adhuc error in plurimis libris (*qui à te desiderati sunt*) id est, quos desiderasti, & amasti. Græca (πρὸς τὴν τῶν δεομένων θέλησιν) possunt efficere alium sensum (*ad voluntatem egentium:*) nam δέεσθαι *egere* significat, & *orare.*) Vtrumque amplectitur Vatablus, & Brugensis: secundum Iansenius, Clarius, & is qui de Græco Latinè vertit ad verbum. Augustinus [h] legit (*ad voluntatem horum qui te desiderabant.*) Interpres de suo addidit (*à te*) & in aliquibus codicibus est (*ad te.*) Græcè, vt modò vidimus, abest pronomen; sed rectè additum est. Cæterùm desiderium, & oratio non videtur populi fuisse, qui potiùs murmurasse narratur; & illius auditæ murmurationes à Deo [i]. Attamē ipsæmet murmurationes vtcumque dici possunt orationes, ac desideria. Fortassis præter pias Mosis & Aaron preces, aliquot ex eodem populo intercesserunt.

h 3. de Trin. c.1.

i Exo 16.2.

Filij tui.] Monui iam non semel sic appellatum populum totum, non solos iustos. *Primogenitus meus Israël*, ait Deus [k]. *Ex Ægypto vocaui filium meum* [l]. *Filios enutriui* [m]. *Ego dixi; Dij estis, & filij Excelsi omnes* [n]. Docent Augustinus [o] & Theophylactus [p] vsurpare Patrem Deum proprium esse noui Testamenti, *in quo clamamus, Abba Pater* [q]: in

k Exo.4.22.
l Oseæ 11.1.
m Esai.1.2.
n Ps.81.6. Ioan 10.34.
o 2. de serm. Dom. in mõte.c.4.
p in Epist. ad Rom.c.8.
q Rom.8.15. Galat 4.6.

A veteri Testamento haud ita fuisse in vsu; & id vt fieret præceptū non esse. Obiicere possemus præter citata testimonia, & alia nonnulla, testimoniū Ieremiæ [a]; *Ergo saltem à modo voca me, Pater meus:* vbi non minùs præcipi videtur vt vocent Patrem Deum, quàm in oratione Dominica [b], quæ inchoatur illis verbis; *Pater noster.*

a c.3.4.

b Matth 6.9. Luc.11.2.

Non natiuitatis fructus pascunt homines.] Græcè (οὐχ αἱ γενέσεις τῶν καρπῶν τρέφουσιν ἄνθρωπον, *non natiuitates*, vel *generationes fructuum pascunt hominem.*)

Sed sermo tuus.] Græcè (τὸ ῥῆμά σου, *verbum tuū.*) Aliàs dixi de secunda persona Trinitatis nō æque bene vsurpari, nec nisi rarò (si tamen vel semel) sermonem & ῥῆμα, sed verbum & λόγον. In Epistola ad Hebræos [c] ῥῆμα δυνάμεως, *verbum virtutis*, est imperium ac iussio, non ipsum Verbum, quod est secunda persona, de qua ibi est sermo; quasi dicas

B Verbum seipso verbo portare omnia, vt exponit B. Thomas; sed Verbum, quod est secunda persona, potenti sua iussione. Porrò similis sententia, de qua priùs quoque meminimus, & quam de hoc eodem loquens manna Moses protulit [d], est illa. *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui; vt ostenderet tibi, quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.*

c c.1.3.

d Deut.8.3. Matth.4.4.

In te crediderint.] Græcè (τοὺς σοὶ πιστεύοντας.) Non est semper exactè verum, credere in Deum, esse affectu simul tendere in Deum, sed idem quod credere Deo: & *credere* nonnunquam significat fi-

C dere. Hæc aliàs notauimus non semel.

Vers. 27.] Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum, tabescebat.

Eluxit maximè Dei benignitas in eo quòd quam escam vehemens ignis ardor dissoluere non poterat, cùm ad ignem adhiberetur coquenda [e], quouis radio Solis calefacta diffluebat. Recedit ab hac expositione communi Cantacuzenus, dum interpretatur incorruptam grādinem inter ignes, qui corrumpebant cætera, quando contra Ægyptios immittebātur: eandémque dum

e Num.11.8.

D Deus quodammodo resipisceret, ac induciarum tempus daret, exiguo Solis radio liquefactam. In Exodo [f] narratur quòd *colligebāt manna singuli manè, quantum sufficere poterat ad vescendum, cúmque incaluisset Sol, liquefiebat:* Chaldæus Paraphrastes; *& quod manebat ex eo*, inquit, *super faciem agri, cùm incaluisset Sol, liquefiebat.* Et arbitrantur aliqui, cùm iam collegerant iuxta mensuram, & in tabernaculis congregauerant, non sustinuisse hoc damnum. Nonnullam rationē suffragari Caietanus [g] docet cur liquesceret ad Solem manna, non ad ignem, vt, quemadmodum ouum quandiu est in loco generationis suæ, tenellum habet corticem, qui statim genito pullo ex ouo exsiccatur, & fit

f c.16.21.

g ibid.

E durus; ita grana illa manna in loco in quo formata erant, obnoxia essent liquefactioni, segregata durescerent adeò, vt non essent amplius liquescentis naturæ; sed sicut ignem sustinebant, sustinere etiam Solem possent, si Soli rursus exponerentur. Abulensis [h] asserit vtrumque supra naturam fuisse, vt liquesceret ad Solem, & duraretur ad ignem manna; & de manna quoque id intelligit iam collecto, si mensuram excessisset, ne maneret ad alterum diem. At de hoc Scriptura [i] tradit computruisse, ac inde vermes extitisse.

h Exod 16. post q 11. & q.8.

i ibid.20.

Nec

Nec videtur à natura aliquid, vel supra eam, quòd materia rorida & pruinosa colliquesceret ad Solem; licèt induratio ad ignem habeat quiddam supernaturalis: neque enim statim vt erat manna collectum, vel coquebatur, vel tanta cura conseruabatur (quo pacto nunc niues etiam æstate conseruantur) vt radiis attingi solaribus nequiret, aut loci calore, in quo fortè continebatur, dissolui: obduruisse autem tam citò, vt naturaliter flammis resistere posset, creditu difficile est. Non video autem quàm secum Abulensis bene cohæreat, cùm [a] propterea vult manna collectum extra castra, ne si decidisset intra castra, Sole liquefieret incalescente, ac luteo cuncta humore compleret. Certè manè colligendum fuit manna [b] priusquàm Sol exoriretur, ne resolueretur in aquam; quod naturaliter accideret, quáuis Ioanni Osorio [c] secus videatur. Hoc est quod sequitur.

a Exod.16. post q.5.

b ibid.21.

c tom.5.ser. in feria 2. post Dominicam 2. Quadrag.& tom 2. concione 2. in festo corp. Christi.

Vers. 28.] Vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.

Vers. 29.] Ingrati enim spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua superuacua.

OPortebat sub auroram ante Solis exortum colligi manna, ne calore Solis tepefactum dilaberetur, & larga illa Dei benedictio percipi non valeret. Qua in re documentum edebatur, in rebus diuinis minimè cunctandum, vel indormiscendum, sed euigilandum ac surgendum alacriter priusquàm Sol oriatur, vt Deo gratiæ habeantur, vt laudetur, vt honoretur, vt exoretur. Qui contrà faxit, speret in Deo tamen, perinde vt manna Sole deficiebat incalescente (quod contingit quoque glaciei) defluxurum, eíque omnis diuinæ gratiæ fructum interiturum, ac in nihil abiturum.

Oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam.] Græcè (δεῖ φθάνειν τὸν ἥλιον ἐπ' εὐχαριστίαν σου, *oportet præuenire Solem ad bonam gratiam tuam*, scilicet recipiendam, vel *ad gratiarum actionem*) pro manna nimirum quod manè duntaxat colligi poterat. Vtrumque significat εὐχαριστία: quemadmodum & benedictio sumi potest aut qua benedicitur laudatúrque à nobis Deus, aut qua ipse benedicit beneficióque afficit nos. Brugensis amplectitur vtrumque sensum. Cantacuzenus, Vatablus, Iansenius, Clarius, Osorius eligunt secundum sensum; cæteri primum. Ego prioribus assentior, simúlque aio allusisse Auctorem ad vulgatem opinionem de tempore matutino precibus ac sacrificiis opportuno, & matutinas salutationes Diis esse gratissimas: ita vt tunc prima illis hora nunciari diceretur. Illustrat rem hanc Pineda [d] noster Senecæ [e], Apuleij [f], Arnobij [g], Lipsij [h], Iosephi [i] Scaligeri testimonio, simul agens de causis cur nos ad Orientem adoremus, quod Iudæis nefas erat, vt colligitur ex Ezechiele [k], docéntq; Anastasius [l] Nicænus, & B. Thomas [m], & hoc loco Carthusianus: sed id ad Occidentem faciebant Iudæi; de qua re plures profert auctores, & nos nonnihil alibi diximus [n]. Hoc loco Bonauentura septem affert rationes; loci dignitatem, vt illuminari velle significemus: quia Deus iustitiæ Sol:

d Iob.31.vers. 26.n.9. e epist 96. f lib.11. g lib 7. h 2.electorum.c.18. i in lib.1.Ti... k c.8.16. l q 18 in Scripturam. m 1.2. q 3.2.3. n Act. 1. & in Psal.67.

quoniam paradisus in orientali parte situs erat: vt Iudæorum ritum contrarium sequamur: quia Christus ascendit versùs Orientem; inde redibit ad iudicium. Octaua posset addi, quòd Christus facie ad Occidentem conuersa crucifixus creditur; de qua re Gretserus [a] noster. Egimus quoque aliàs [b] de opportunitate nocturni atque matutini ad orandum temporis; quod argumentum attingit Barradius [c] item noster.

a lib.1.de Cruc. c.16. b Act.2.

c tom.1.lib.9. harmon.Euang.c.14.

Maximè facit ad præsentem locũ quod Chrysostomus inter explicandum verba Psal.5. *Manè exaudies vocem meam*, dicit: [Vides vehemens studium & contritum animũ. A principio diei hoc, inquit, ago. Audiãt qui post innumerabilia opera tandem veniunt ad orationem. At non ipsa, sed ab initio diei dabat Deo primitias. Oportet enim, inquit, ad gratias tibi agendas Solem præuenire, & ante ortum lucis te interpellare. Tu autem in Imperatore quidem minimè patiaris eum qui est inferior, ante te adorare: nunc autem Sole oriente ipse dormis, & cedis primo loco creaturæ, nec omnem creaturam præuenis, quæ propter te facta est, nec ei agis gratias, sed cùm surgis, manus & faciem lauas, animam autem immundam negligis, &c.] Simile quid antea dixerat Athanasius citatus in scholiis ad editionem L x x. Sixtianam in Psalmum eundem 5. Μέγα ἀγωνίας καύχημα, τὸ ἐκ τῆς κοίτης αὐτῆς παρίστασθαι τῷ Θεῷ, καὶ φθάνειν ἐν εὐχαριστίᾳ τὸν ἥλιον, *magnum certaminis decus, è lecto ipso, Deo sistere seipsum, & præuenire in gratiarum actione Solem.* Compluribus Scripturæ locis confirmari morale documentum hoc potest. Iustus is dicitur qui *cor suum tradit ad vigilãdum diluculo ad Dominum, qui fecit illum* [d]: pollicetur diuina Sapientia qui manè vigilauerit ad illam, inuenturum eam [e]: Iacob in aurora extorsit benedictionem Dei [f].

d Eccli.39.6. e Prou.8.17. f Gen.32.26.

Alias vel tropologias, vel allegorias omitto. Dauid cecinit, quòd sua manè oratio præueniebat Deum [g]: quòd præueniebat in maturitate [h], ἐν ἀωρίᾳ: quòd præuenerunt oculi eius ad Deum diluculo [i]: quòd de luce vigilabat ad ipsum [k]. Sed Cantacuzeni literalem sensum reiicio, cùm cernerent Hebræi tanto igni grandinem non absumi qua percutiebãtur Ægyptij, verùm perexiguo Solis radio colliquefieri, ante omnem Solem, eiúsque exortum ad gratiarum actionem conuertisse se Hebræos, & ante quemcumque alterius lucis ortum Deo supplicauisse. De manna sermo est, eo quem diximus modo, non de grandinis plaga.

g Ps.87.14. h Ps.118.147. i ibid. vers. 148. k Ps.62.2.

Ad benedictionem tuam.] Græcè (ἐπ' εὐχαριστίαν σου.) Nomen Græcum hoc loco, vt & in primaria magísque vsitata significatione, denotat gratam beneficij recordationem, grati pro beneficiis animi significationem; gratiarum actionem; & εὐχαριστεῖν est *gratum se præbere, ostendere se beneficij memorem; gratias agere.* In Euangeliis quoties Christus gratias egisse narratur, siue panes multiplicando, siue de pane corpus suum, siue de vino sanguinem conficiendo, Græcè est verbum εὐχαριστεῖν. Paulus quoque crebrò vtitur eadem ratione isto verbo, & τῇ εὐχαριστίᾳ in eadem notione, & εὐχαρίστους gratos nominat [l]. Vsus Ecclesiasticus obtinuit vt pro Sacramento sumatur *Eucharistiæ* vocabulum, quatenus bonam gratiam importat, & omnis gratiæ fontem Christũ hominem Deúmque, & simul ei summæ pro ineffabili gratia ista gratiæ debentur à nobis; quæ etiam redduntur Deo quando Sacramentũ conficitur, sacrificiúmque, sicut & Christus ipse illud instituturus, antea

l Coloss.3.15.

gratias

a Matth.26. Marc.14. Luc.22. 1 Cor.11.

A gratias egit Deo [a]. Non solet Interpres pro voce *εὐχαριστίας benedictionem* reddere, sed loco vocis *εὐλογίας*. Quod subiicitur de spe vana ingrati, suadet benedictionem accipi pro gratiarum actione.

Solem.] Non placet Lyranus, intelligens per Solem feruorem eius, qualis est meridie; dici tamen exiguum radium Solis facta comparatione cum feruore ignis. Nec debuit propterea denegare libro huic auctoritatem canonicam, quòd in Exodo [b] scribatur māna collectū mane, priusquàm Sol incalesceret. Præuenitur Sol antequàm prorsus oriatur, non autem priusquàm ferueat.

b c.16.21.

Ad ortum lucis te adorare.] Græcè (*πρὸς ἀνατολὴν φωτὸς ἐντυγχάνειν.*) De verbo *ἐντυγχάνειν* prius dixi [c] significare *occurrere alicui, interpellare, orare, legati munere fungi, tractādo causas publicas*, &c. *Adorandi* verbo cōprehendi possunt hęc omnia. Melior porrò

c c.8.21.

B lectio nostra quàm quæ habet (*ad orientē lucis:*) vt magis significetur nō ad Orientem Deū adorandum esse, id quod Iudæis idololatriæ indicium erat, vt monui, licèt nunc factitemus; sed vt primùm lux oritur, diluculo, primo crepusculo, maturè adiri Deum debere, salutari, adorari, orari: quod est opportunum ad hæc tempus, non præscriptus ista factitantis situs. Nam & (*πρὸς*) vt notat Iansenius, designat aliquando tempus, quemadmodum Latina quoque particula (*ad.*) Quamquam qui legeret (*ad orientem lucis*) intelligere deberet ad orientem Solis lucem, iuxta traditum sensum. Vitiosa item lectio quæ adiicit *ibi* (*te ibi adorare*) quasi designet locū seu positionem eius

C orientalem. Profectò manna non ad Orientem solùm iacebat, sed per castrorum circuitum: nec quia colligendum erat ante ortum Solis, vt est in Exodo [a], significabatur versa facie ad Orientem orandum esse.

a c.16.21.

Ingrati enim spes.] Græcè (*ἀχαρίστου γὰρ ἐλπίς.*) Ergo *εὐχαριστία*, quæ præcessit, *gratiarum* significat *actionem*, sicut *εὐχάριστος gratum*.

Tanquam hybernalis glacies tabescet.] Spes quæ nascitur ex ingrati animi vitio vana est, nec diu valdè solida, licet ad tempus perduret; quo modo glacies hyeme aliquandiu perseuerat, sed verno tempore dissoluitur. Metaphora ex manna petitur, quod incalescente Sole, cùm instar haberet glaciei, liquescebat. Inde ingratitudo, quòd frigeat ad accepta beneficia memoria, & incalescat nouorum accipiendorū cupiditate voluntas, vt Seneca [b] docet. Ipse igitur habendi recens feruor ac in-

b 1. de beneficiis.

B censa spes, quia prętcritorum dissipat memoriam beneficiorum, facit vt frustra quærat quis, vel expectet ab illo noua, cui pro aliis gratias nec agit, nec habet, sed etiam quod acceperit, oblitus est. Contra vitium ingratitudinis Olcot [c], nósque alias. Describit ille moraliter *χάριτας*, seu Gratias tres, pro vt in imagine ac symbolo repræsentantur. Citat celebrem sententiam Augustini [d] de duabus illis solemnibus vocibus, *Deo gratias*; atque Trismegisti, optimum, ac aptissimum sacrificium esse gratiarum actiones. Vetus parœmia; *Ingratum qui dixeris, omne nefas dixeris.* Tantum atrocitatis, probríque id vitium habet, vt solo ingratitudinis vocabulo cōtineri vitia omnia censean-

c lect.185.

d epist.77. & in Psal.132.

C tur. In ingratitudinis vitio nihil mali non inesse ait Cicero [e], professus ingrati animi se crimen horrere [f].

e ad Atticum lib 8 epist.4.
f lib.9.epi.2.

SVMMARIVM.

REPETITO *velut alio sermone reditur ad Ægyptios diuinis valdè muneribus abusos: quos inter alias plagas tenebris percusserit Deus densissimis, cum incredibili pauore, Hebræis interim ac reliquis per orbem hominibus luce clara fruentibus.*

CAPVT XVII.

1 MAgna sunt enim iudicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatæ animæ errauerunt.

2 Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.

3 Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt, pauentes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati.

4 Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes pauorem illis præstabant.

D 5 Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.

6 Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus, & timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur:

7 Et magicæ artis appositi erāt derisus, & sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia.

E 8 Illi enim qui promittebāt timores & perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.

9 Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat: transitu animalium & serpētium sibilatione commoti, tremebundi peribant,

& aërem,

& aërem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre.

10 Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium cõdemnationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.

11 Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum.

12 Et dum ab intus minor est expectatio, maiorem computat inscientiam eius causæ, de qua tormentum præstat.

13 Illi autem qui impotentem verè noctem, & ab infimis, & ab altissimis inferis superuenientem, eundem somnum dormientes,

14 Aliquando mõstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim illis & insperatus timor superuenerat.

15 Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus.

16 Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem.

17 Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Siue spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos auium sonus suauis, aut vis aquæ decurrentis nimium,

18 Aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus inuisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore.

19 Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur.

20 Solis autẽ illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.

Vers. 1.] Magna sunt enim iudicia tua, Domine, & inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatæ animæ errauerunt.

EPIPHONEMA est in ingratos, qui extremo priore capite reprehensi sunt, & quibus affecti sint suppliciis docetur Ægyptiorum exemplo. Non æstimant opera iudiciáque diuina ingrati, sed ex his quæ præ magnitudine satis animo apprehendi nõ valent, apta sunt autem ad excitandam sui admirationem, & ad commonendum commouendúmque, captant occasionem errandi, quasi gerantur casu omnia, tum in pœnis, tum in suppliciis. Non fallitur iudicio Deus, latissimè id exercet,
lect.186. flecti nequit, nec deprehendi. De his Oleot [a]. Infallibilitatem probat, quia *diuinatio est in labiis Re-*
A *gis, & non errat in iudicio os eius* [a]: iurisdictionis ge- a Prou.16. 10.
neralitatem, quia *Pater omne iudicium dedit Filio* [b], b Ioan 5 22.
& iudicabit in valle Iosaphat omnes gentes [c], c Ioel.3.2.
omnésque manifestabuntur ante tribunal eius [d]: d 2. Cor.5.10.
iustitiæ inflexibilitatem, quia non tangitur timore, cupiditate, odio, amore: potentiæ incompre-
hensibilitatem, quia Paulus * vocat incõprehen- * Roma.11.
sibilia iudicia Dei. 33.

Domine.] Addit Interpres hoc nomen, quod in codice Græco nullo reperitur.

Inenarrabilia verba tua.] Græcè (δυσδιήγητοι, nempe κρίσεις, *iudicia.*) Addidit Interpres (*verba tua:*) neque tamen, vt ait Iansenius, ad sensum sunt impertinentia. Verba verò aut opera intelle-
xit, quæ dicuntur etiam magna [e], aut sermones e Psal.110.2.
B atque doctrinam, quæ narratu ac explicatu perdifficilis est: aut iudicia sunt arcana Dei consilia; verba, opera ipsa. Sunt iudicia Dei abyssus mul-
ta [f]; incomprehensibilia iudicia, & inuestiga- f Psal 35.7.
biles viæ, siue opera eius [g]; magna & mirabilia g Rom.11.33.
opera, iusta & vera iudicia [h]. Tamen *opera Dei* h Apoc 15 3.
reuelare & confiteri honorificum est [i], & narrare mira- i Tob.12.7.
bilia eius [k], quamuis enarrari, hoc est, perfectè k Psal 9.2.
narrari, ac penitus inuestigari non possint, neque Psal 74 3.
cognosci. Quo pacto namque finitus Deum caperet infinitum noster intellectus, vel angusto vasculo immensum contineri pelagus posset? vt Augustino traditur ostensum à puero, qui cochleari videbatur velle mare exhaurire, cum is
C fortè propter littus illius obambularet, de Trini-
tatis mysterio secum disquirens [l]. Nec ipse pro- l Volater.2.
pterea vim statuo in *narrandi* simplici verbo, & Geogra
in *enarrandi* composito, vt hîc quidam. Hilarius
explicans versiculum Psalmi 118. [m] *In labiis meis* m in lit ב
pronunciaui omnia iudicia oris tui, ait non aduersari Prophetam sibi vocanti eadem iudicia abyssum
multam [n], vel Paulo [o], inscrutabilia; vel Auctori n Ps.35.7.
nostro, quem Prophetam nominat, magna, & in- o Roma.11. 33.
enarrabilia, quoniam iudicia oris sunt quæ verbis exprimi voluit Deus, & ideo prædicari, vt doceantur. De plaga tenebrarũ scripturus Auctor, priorem præmittit sententiam, quia plura contigerunt in illa in Exodo prætermissa, hîc autem adiecta.

D *Propter hoc indisciplinatæ animæ errauerunt.*] Error ex ignoratione cum sciendi desiderio immodico, scilicet quando effectorum ignoratis causis temerè quis iudicat, maximè de his quæ pertinent ad prouidentiam circa supplicia pœnásque, disciplinam diuinam excutiunt, qua dum homines puniuntur, erudiuntur, & ad virtutem prouocantur. Id ἀπαιδεύτων indicat nomen, sicut & τῆς παιδείας, de qua aliàs.

E *Vers.* 2.] Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt.

AGgreditur plagam tenebrarum qua percussi sunt Ægyptij, qui Hebræos opprimebant, & Dei præcepta, prouidentiámque contemnebant.
Vocantur hæ tenebræ in Exodo [p] tam densæ, vt p c.10.21.22. 23.
palpari possent, atque horribiles, durantes tribus diebus in vniuersa terra Ægypti, quo tempore nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat, cùm tamen vbicumque habitabant

filij

filij Israel, lux esset. Repetitur hoc vltimum initio sequentis capitis. Sed & sequentibus præsentis capitis versibus adiungitur pauor ex sonis & visis, quæ sigillatim explicabimus.

Dum enim persuasum habent.] Græcè (ὑπειληφότες γὰρ, *cùm enim putassent, quia putauerunt.*) Causa redditur quare sint immissæ tenebræ, sicut & prioribus capitibus cæt aliæ plagæ.

Dominari.] Græcè (καταδυναστεύειν, *dominari tyrannicè, opprimere*, &c.) Sic in Actibus Apostolicis [a] oppressi à diabolo dicuntur καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου.

Nationi sanctæ.] Hebræorum populus & *nationis* sine *gentis* nomine dicebatur, Græcè τὸ ἔθνος, quod alioquin eorum est propriè qui à veris istis Dei cultoribus distincti, solent appellari nationes, Gentes, ac Gentiles, & Ethnici, & Pagani, & Græci. Propter dictum quoque verum Dei cultum nominatur sanctus, tametsi peccatoribus non careret. Vtrumque iam aliquoties notauimus. Videtur legisse Lucifer [b] ἔθνος ἁγίων, non ἅγιον: recitat enim (*nationi sanctorum.*)

Vinculis tenebrarum, & longa noctis compediti.] Græcè (δέσμιοι σκότους, καὶ μακρᾶς πεδῆται νυκτὸς, *vincti, vel potius vincti tenebrarum, & longæ compediti noctis.*) Idem Lucifer [c] (*vincti tenebrarum catenis, & longa nocte compediti.*) Vincula ista cōpedésque denotant eam densitatem quæ palpari posset, vt retulimus ex Exodo. Non prouenerunt hæ tenebræ ob Solis defectū, quod tamen Philo [d] scripsit, solito maiorem; siquidem eclipsis hæc non prohibet astrorum aliorum lumina, & non se intra vnā regionē continet, & naturaliter nec ad horas durat multas, nedū ad dies tres: sed ob eā, quam idē prætera causam assignat, quia continuæ ac densæ nubes cœlum subtexebant, & nimia constipatione radios intercludebant. Hac Paulus Burgensis ratione contentus est, atque Pererius in Exodū, reiecta sententia Lyrani, Abulensis, Caietani; quibus adde ibidem Carthusianum, Lipomanum, & Ystellam, & Olcot [e] hoc loco, & ab aliis citatum Damascenum, & Matthiæ Thoringi replicam pro Lyrano, subtractum à Deo ipso lumen Solis, omniúmque syderum, præter additos crassos vapores: glossæ interlinearis, agnoscentis priuatinam illam solam causam: Iansenij in præsentis capitis penè extrema notatione, factas non in aëre tenebras, verùm in oculis Ægyptiorum in morem cæcitatis vel aorasiæ qua Sodomitæ percussi sunt [f], & milites Regis Syriæ [g]. Idem videtur mihi.

Horror ac palpatio tenebrarum (quæ palpatio cùm cōmodè possit, citra hyperbolem debet intelligi, quidquid interlinearis glossa contradicat, & alij) rem positiuam designāt, vt vapores tractarentur, nō modò vt more cæcorum parietes palpando incederent Ægyptij, quódque in terra ipsa Ægypti fuisse dicantur. Caliginem vaporum sufficere per se cōstat; & cùm de subtractione luminis Auctor, minora persecutus, taceat, dicátque [h] nec ignis vllam vim potuisse lumen præbere, nec syderum limpidas flammas illuminare noctem illam horrendam, profectò satis indicat non immediatè ademptum astris lumen, sed prohibitum duntaxat à crassiore caligine. Lxx. in Exodo [i] scribunt, quòd ἐγένετο σκότος, γνόφος, καὶ θύελλα, *tenebra, caligo, turbo.* Citat pro eadem hac opinione Hugo Cardinalis in expositione Exodi Andream nescio quem, nec respuit; & Carthusianus profert aliquos Rabbinos.

At placere non potest Hebræorum commentum, de quo Lyranus [a], qui ex Hebræis nolebant recedere ex Ægypto, tridui spatio quo tenebræ durarunt extinctos & sepultos esse, ita vt Ægyptij non viderint, ne si vidissent, parem dicerent Hebræorum cum sua conditionem, & subinet Dns ascriberēt illorum mortem. De Ægyptiorum nōnullis creditu facilius mortuos esse, quod prodit Magister historiæ Scholasticæ [b]. Sed incertum tamen nisi quòd Iosephus [c] scribit, cùm omnis luminis essent expertes, & prospectu in vniuersum priuati, alios alio casu absumptos. Crassus & corū error est, quem Olcot [d] memorat, aërem arte densari adeò posse, vt euadat homini impermeabilis. Si qua id arte fiat, non nisi malefica, quæ aducbat vapores, & cœlum nubibus obducat. Has præstigiis dæmonum tenebras inducere quoties ac vbi volunt Tartaros Marcus Venetus [e] narrat, & Haitonus [f]. Non arti, sed naturæ Cicero [g] similes tenebras attribuit; cùm eruptione Æthnæorum igniū finitimæ regiones adeò obscuratæ sunt, vt per biduum nemo hominem homo agnosceret; die autem tertia Sole lucescente tunc reuixisse sibi viderentur.

Vinculis tenebrarum.] Infrà vocantur hi qui erant in illis tenebris, custoditi in carcere, sine ferro reclusi [h]; dicitúrque catena tenebrarum [i]. Hoc sibi volunt Exodi verba [k], quòd *nemo mouit se de loco suo, in quo erat.* Sensus autem est perinde vt sonant verba, seu præ metu iniecto, de quo mox, seu quia quò tenderent, ignorabant; seu quòd omnem putarent vniuersi misceri ordinem, perueritique, ita vt quonis irent, grauiora sibi mala timerent euētura. Opinionem istam Lyranus, Thoringus, Abulensis, Pererius sequuntur. Propè accedit Philo [l]; solùm addit, si qua necessitate compulsi mouerent se, more cæcorum palpādo ingressos. Longiùs abest glossa, quæ solùm negat extra domicilia mouisse se: aut Caietanus & Ystella non sine beneficio quidem luminum cœlestium, etsi possent ignium artificialium adminiculo. Burgensis in re consentit nobiscum; sed rationem eius non probamus, aëris densitate crassitiéque cū aspectu impeditum progressiuum motū; nam respiratio multo magis impedita esset, ac proinde cuncti periissent. Prodit præterea Philo, nec loqui, nec audire, nec cibis frui licuisse, sed per silentium fame cruciatos nulli vacāses sensui, præsenti malo prægrauante, donec Moses exorasset Deum, lúxque tenebris, nocti dies serenissima successisset. Quidquid sit de cibis, quorum abstinentia triduana non necessariò interficit, paulo pòst spectra horribilia, sonitúsque terribiles ad illorum peruenisse oculos aurésque videbimus. Ne quis autem putet immotis obstare Ægyptiis, quòd Pharao Mosem & Aaron aduocauit, occurrendum, aduocatos finitis tenebris, vt non hanc quæ desierat, sed alias, quas verebatur plagas, remouerent; siquidem non rogauit, vt pro tenebrarum depulsione supplicarent, quemadmodum fecerat in aliis plagis. Id etiam non obscurè præ se fert Iosephus [m].

Cæterùm eleganter tenebris *vinculorum* nomē attributum est, eo modo quo infernus dicitur terra tenebrosa, & tenebrarum, opertáque mortis caligine, & vmbra mortis [n]: & ibi sub caligine vincula æterna esse [o]: atque in tartaro rudentes [p], σειραῖς ζόφου, *catenæ caliginis.* Causa trāslationis quam innui, quia nō secus quàm qui tenetur vinculis, is qui versatur in tenebris mouere se non potest,

a Act. 10. 38.
b 1. pro Athanasio.
c ibid.
d 1. de vita Mosis.
e lect. 186.
f Gen. 19. 11.
g 4. Reg. 6. 18.
h vers. 5.
i c. 10. 22.

a in Exod. c. 10.
b in Exo. c. 11.
c 2. Antiq. c. 5.
d lect. 186.
e in peregrinat. Asiat.
f in hist. Saracenorum.
g 2. de natur. Deorum.
h vers. 15.
i vers. 17.
k c. 10. 23.
l 1. de vita Mosis.
m 2. Antiq. c. 5.
n Iob. 10. 21. 22.
o Epist. Iud. vers. 6.
p 2. Pet. 2. 4.

præterea, quoniam solet carcer obscurus esse ac tenebricosus. Id ipsum alibi notare memini. Legendus verò Cassiodorus [a], qui carcerem eleganter describens, inter alia nomen caligantum tenebrarum ei attribuit. Itaque tenebras non intelligo literaliter flagitia, vt Osorius facit, sed moraliter duntaxat.

a lib. 11. varia. epist. vlt.

Longæ noctis.] Per tres dies noctésque, cùm quæ maxima est, inquit Cantacuzenus, quindecim cōstet horis, nempe in Græcia, vel in Ægypto. Nam minùs ac magis longas noctes habent diuersæ regiones. Hyperborei super Aquiloné Riphæósque montes sub ipso syderum cardine positi ab æquinoctio verno ad autumnale vsque semestri spatio diem, inde perpetuam habent noctem. Testes Plinius [b], Mela [c], Solinus [d], Iulius [e] Cæsar, Isidorus [f], & de aliis alij, quos Simō Maiolus [g] producit, maximè Saxo [h] Grammaticus, & Olaus [i] Magnus, præter Indicos historiographos. Si Philoni [k] credimus, tenebræ cœptæ sunt proximè post noctem, vt scilicet cùm debebat dilucescere, nox continuata sit. Nam ait Ægyptios non esse ausos è cubili surgere. Imò LXX. Interpretes quod recitauimus ex Exod. [l] neminem mouisse se de loco in quo erat, sic reddunt; οὐκ ἐξανέστη οὐδεὶς ἐκ τῆς κοίτης αὐτοῦ τρεῖς ἡμέρας, *non surrexit vllus ex cubili suo tribus diebus.*

b lib. 2. c. 7 & 75. lib. 4. c. 12. & 16 lib. 6. c. 34.
c lib. 3. c. 2. & 3.
d c. 20 & 24.
e 1. bell. Gall.
f lib. 14. orig. c. 6.
g in dib. canicul. colloq. 1. & 14. & 17.
h in historia Septentrionali.
i in historia item sua Septentrionali.
k supra.
l c. 10 23.
m vers. 16.

Inclusi sub tectis.] Græcè (κατακλεισθέντες ὀρόφοις.) Hi nempe qui sub illis erant: nam postea [m] traditur occupatos quoq; tenebris aliquos in agro. Est ὄροφος contignatio, tectū, camera. Antea retuli Septuaginta ac Philonem de cubilibus & lectis interpretantes. Coniectura sumi potest ex ingenti pauore, qui postmodum describitur: videtur nāque sibi qui metuit in lecto tutiùs agere. Fauet hîc præterea verbum *iacuerunt*, ἔκειντο, & participium *clausi*, κατακλεισθέντες: locus enim lecti maximè clauditur, & dici potest conclaue.

Fugitiui perpetuæ prouidentiæ.] Græcè (φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας, *exules à perpetua prouidentia.*) Simili phrasi cap. decimo [n] Iacob vocatus est φυγὰς ὀργῆς ἀδελφοῦ, *profugus iræ fratris.* Aptè sane per antithesim qui sub tectis inclusi iacuisse dicti sunt, ac vinculis tenebrarum longæque noctis compediti, modò dicuntur fugitiui perpetuæ prouidētiæ, quam scilicet non euaserunt, à qua constricti sunt, quæ spernebatur, ac ne credebatur quidem ab ipsis. Quia verò Dei ordinatione perseuerat dies [o], & *Solem suum Deus oriri facit* etiam *super malos* [p], satis aptè possumus Ægyptios fugitiuos cum Iansenio dicere perpetuæ prouidētiæ, nimirum huius, quæ perpetuò in omnes se solet extendere, ac singulis diebus. Signum benignitatis diuinæ Iosue [q] & Ezechias [r] experti sunt Solis producta luce ac protracta: tenebræ nunc in Ægyptios, & in cunctos in morte Christi missæ [f], vehementer indignatum iratúmque Deum declarauerunt. Nihilominus prior sensus magis congruit sequentibus versibus.

n vers. 10.
o Psal. 118 91.
p Matt 5. 45.
q Iosue c. 10. 13. 14.
r Esa. 38. 8.
f Matt 27. 45.

Iacuerunt.] Græcè (ἔκειντο.) Praua editione vsi sunt, qui legerunt (*placuerunt*) aut (*latuerunt*) & idcirco frustra laborauerunt in varia expositione, vt Hugo, Bonauentura, Olcot. Lyrani & Carthusiani expositio est quam dixi. Cantacuzenus fugitiuos prouidentiæ perpetuæ ait esse qui contemnant præcepta Dei, sempiternam habentis rerum omnium prouidentiam.

Vers. 3.] Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt, pauentes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati.

Decuit supplicio mulctari tenebrarum illos, qui multa in tenebris crimina suscepissent, quasi ea ratione possent latere, atque tali sese integumento remouere ab hominum, Deique ipsius cognitione; sine metu etiam, liberè, ac impunè agere. Quocirca de gradu mentis deiecti sunt in teterrima illa caligine, correpti immani formidine, horrendis visis attoniti, vt nec eis respirare liceret. Inter verò flagitia obscura Cantacuzenus enumerat occulta dignáque tenebris, in profundis tenebris peracta dæmoniis sacrificia. Hæc in capite 14. [a] vocata sunt κρύφια μυστήρια, *obscura sacrificia*; hic autem ἐπικρύφαια ἁμαρτήματα, aut iuxta correctos codices, κρυφαίοις, vt ἐπὶ sit præpositio, ἐπὶ κρυφαίοις ἁμαρτήμασι. Vix est impudens peccatum; paucique peccatores non quærunt latebras; *omnis qui malè agit, odit lucem* (saltem eorum qui sunt filij lucis, id est, veritatis, & honesti) *& non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius* [b]: *quæ in occulto fiunt ab eis, turpe est & dicere* [c]. *Væ qui profundi estis corde, vt a Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt; quis videt nos, & quis nouit nos* [d]? Similes insanorum hominum voces in Ecclesiastici libro [e]; quales etiam delirorum senum qui Susannam deperibant [f], & fœminæ turpissimæ, quæ ad flagitium prouocabat Ephrem [g], & Thaidis quam Paphnutius [h] conuertit. Oculatior ac sapientior sic secum ratiocinatur; *Et* [i] *dixi: forsitan tenebræ conculcabunt me* (quod enim calcatur, ab oculis abstrahitur) Hebraicè ישופני *ieschupeni, obscurabunt me* (ne videat Deus) *& nox* (sed, atqui nox) *illuminatio mea* (illuminatio mei, ostensio mei, quia clarum ac perspicuum me facit Deo) *in deliciis meis* (quando noctu vaco libidini ac voluptati.) *Quia tenebræ non obscurabuntur à te* (non erunt obscuræ tibi) *& nox sicut dies illuminabitur* (tam tibi luminosa nox, quàm dies ipse:) *sicut tenebræ eius* (noctis) *ita & lumen eius* (dies, vt perinde sit nox diésque, nec de die videas magis, quàm de nocte.) Lege præterea citatum Ecclesiastici locum, & recitati modò Psalmi Commentarium nostrum.

a vers. 23.
b Ioan 3. 20.
c Ephes. 5. 12.
d Esa 29. 15.
e cap. 23. 26.
f Dan. 13. 9. 20.
g in vita manuscripta citata apud Vossium. to. 1. operū Ephrē.
h in vita.
i Psal. 138. 11. 12.

Et dum putant se latere.] Græcè (λανθάνειν γὰρ νομίζοντες, *latere enim putantes, quia putabant se latere*:) vt causa denotetur alia, quare tenebras Ægyptij sint passi, prout explicauimus.

In obscuris peccatis.] Dixi meliorem lectionem esse (ἐπὶ κρυφαίοις) quàm (ἐπικρυφαίοις:) nec enim ita fert phrasis vel Græca, vel Latina, vt dicatur quis latere peccatis obscuris, sed in peccatis obscuris.

Tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt.] Græcè (ἀφεγγεῖ λήθης παρακαλύμματι ἐσκορπίσθησαν.) Vel mens ac intelligentia eorum dispersa & dissipata est, vt nescirent quid capere consilij possent: vel reiecti sunt à Dei memoria denegantis ipsis lumen; sicut priùs dicebantur fugitiui prouidentiæ, siue à prouidentia: vel sic propter tenebras inuicem disiuncti & dissociati, vt distare longissimè viderētur, nec inuicem opitulari valerent: vel in tanta vexatione meminisse nō poterant Dei: vel tot experti plagas propter teterrimā obliuioné, qua obliuiscebātur Dei, *tenebris obscuratū habentes cor* [k], *& velamentum malitiæ* (cæcā) *libertatem* [l], qua Rex Ægyptiorū iussus Hebræos dimittere cū fastu responderat [m]; *Quis est Dominus, vt audiam*

k Ephes. 4. 18.
l 1. Pet. 2. 16.
m Exod 5. 2.

diam vocem eius,& dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam.

Primus ac secundus sensus, qui sunt Iansenij, præferendi sunt: quartum dat Cantacu. tertium & quintum vetustiores Latini, quos non respuimus. Si lectulo detentos occupauerunt tenebræ, sed & si vbicumque occupauerint, suo illos loco affixerunt, non satis intelligo quo pacto dispersisse dicatur ac dissociasse magis quàm antè, sicut auctores volút tertiæ scététiæ. Illud potiùs dicat cui placet sententia, quod Olcot [a] indicat, & Lyranus, tenebras impediméto fuisse, ne qui in agris, domibus, plateis erant, coire simul possent ac inuicem consolari. Quod Sà dispersionem fugã huc illúcque ad fugiendam morté interpretatur, minimè cohæret cũ historia Exodi, quæ de suo loco negat monisse se tenebris obuelatos Ægyptios.

a lect.187.

Pauentes horrendè.] Idcirco non poterant se loco mouere: terribilia namque spectra, de quibus paulo pòst, tantum terrorem incutiebant, vt se confestim crederent morituros, si vel tantillum se commouerent, & grauiora subituros pericula; nec præ animi turbatione memoriæ occurreret vbi cibus, vbi amici, vbi quæuis alia ex necessariis res, vt Abulensis [b] annotauit.

b Exod.10. post q.7.

Cum admiratione nimia perturbati.] Græcè (καὶ ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι, *spectris, visis, phantasmatibus, speciebus, vmbris conturbati.*) Interpres effectum loco causæ substituit: hæc enim consternant ac stupefaciunt; quoniam de ista causa deinceps magis distincta mentio fit.

*Vers.*4.] Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes pauorem illis præstabant.

Conuenientem pœnam luerunt hac etiam in re Ægyptij, vt qui simulachris, spectrísque operam dederant, hoc est, idololatriæ, sexcentis hisce visis horribilibus assiduò terrerentur, minimè in suis illis abditis tuti recessibus, non in obscurissima caliginosissimáque nocte, quia tunc se deformes quoque ipsis & horrificæ formæ obiiciebant, ac ingenti trepidatione complebant: dirè vexebat eos scelerum conscientia, recordatio maleficiorum, tristissimæ curæ. Itaque nec loci securitate potiebantur ob externos inconditos sonos, & visa terrifica; nec, quod sequentes continent versus, ignes excitati proderant; nec ars magica iuuabat.

Spelunca.] Μυχὸς est propriè *latebra, latibulum, penetrale, intimus locus, intima pars, recessus, sinus.* Nuper dixi non recessisse de cubili suo Ægyptios, vt quidem Septuaginta & Philo scribebant. Tam longæ tenebræ effecerunt, vt quouis essent loco, is vocari spelunca posset & antrum, quod solet cognominari cæcum, obscurum, &c. Eadem de causa priùs docui appellatum carcerem, vincula, compedes tenebrarum. Lyranus notat speluncam designare tenebras, eo quòd in speluncis profundis densæ tenebræ sint. Non ergo debemus intelligere speluncam, ad quam fugientes Ægyptij grandinem, pluuiam, ignem, sese recepissent, vt asserit Bonauentura: de tenebrarum enim plaga adhuc agitur, nec quò se contulissent ad vitandas tenebras, vt alij Enarratores innuunt; quoniam simul ac exortæ tenebræ sunt, fixi hæserunt in locis suis Ægyptij.

Quoniam sonitus descendens perturbabat illos.] Græcè (ἦχοι δὲ καταράσσοντες αὐτοὺς περιήχουν, *sonitus autem perturbantes eos circumstrepebant*: vel *cum impetu descendentes* (quasi dicas apertis fractísque cataractis) *ipsis obstrepebant*, seu *strepebant circa eos*: vel *pauore percellentes, eos circumstrepebant*) Significat κομπέω *crepito, edo strepitum acuendo & collidendo dentes, crepito dentibus*: & in compositione, *circumcrepito etiam cum iactantia*, siue *iactabundè*. Quod ergo antea meminimus Philonem negare quicquam tunc auditum, de voce humana videtur intelligédum, sicut & sermonis affirmat vsum abfuisse. Fragor erat excitatus in aëre, quale tonitru. Fortassis Auctor de industria non φωνὰς veras voces animalis, sed ἦχοι dixit. Obseruat Hugo turbari etiam bonos interdum, sed non perturbari, hoc est, perfectè turbari. Atqui damnati ipsi turbantur timore horribili [a], ταραχθέντες. Denique non est perpetuum, sed nec admodum frequens hoc discrimen: & quæ in virum etiam bonum cadunt passiones, Græcè πάθη, vocantur aliter perturbationes.

a Sap.5.2.

Personæ tristes apparentes pauorem illis præstabant.] Græcè (φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις ἐνεφανίζετο, *visiones tristibus mœstæ vultibus apparebant*, aut *laruæ truci aspectu tristes offerebantur*.) Cantacuzenus duo nomina ἀμειδήτοις προσώποις non ad spectra, visiones, laruas, quæ talibus vultibus dicantur esse (illis enim sufficere putat epithetum κατηφῆ) sed refert ad eos, quibus illa terriculamenta obiiciebantur, vt essent ipsi ἀμειδήτοις προσώποις, *demissis vultibus*, & iam caligine ac tenebris, illóque strepitu perturbatis, nec illos auderent attollere, ac defigere in obtutum eorum. Est ἀμείδητος à μειδᾶν, vel μειδιᾶν, vel μειδιᾷν, *ridere, non ridens*, & idcirco *tetricus, tristis, vultuosus*: interdum in actiua significatione *tristificus, terrificus*; sicut & apud Latinos *tristis* eum aliquando habet vsum. At κατηφὴς qui vultu demisso est significat, qui fronté & supercilia remisit, aut præ pudore, aut præ mœrore, qui pudibundus, vel subtristis est, quasi βάλλων κάτω τὰ φάη, *proiiciens deorsum luminaque lumina, oculósve.* Vterque recipi sensus potest; ac secundus quidem indicaret tristia tristibus apparuisse. Primus Interpreti placuit, licèt secũdum quoque innuerit, exponendo quòd personæ tristes pauorem præstabant; videlicet quo pauore correpti quibus illæ apparebãt, tristes reddebãtur.

Non improbabile, vmbram mortis, quæ sæpe repetitur in Scriptura, denotare visa, spectráque horrenda, quas & vmbras vocant mortuorum, & sine adiectione, atque absolutè vmbras. *Personas* dixit Interpres cum bonis Latini sermonis auctoribus, non philosophicè, pro hypostasi, subsistentia, supposito naturæ rationalis; sed pro facie conficta & larua. Deducit à personando *personam* C. Bassus apud Gellium [b], quoniam indumentum illud oris clarescere & resonare vocem facit; vt eam ob causam in eo vocabulo litera (o) producatur, quæ alioqui breuis est. Græci nominis eædem notiones: sed prima pro parte quæ est περὶ τοὺς ὦπας, *circa oculos*, próque vultu ac facie tota: deinde pro iis quæ dicunt Rhetores attributa circumstantiásque personæ; vnde προσωποληψία, *personarum acceptio*: tandem aliis omissis pro larua, quæ & προσωπεῖον: vnde Rhetorum figura προσωποποιΐα, *prosopopœia*.

b lib.5.c.1.

Quæri posset de laruis & lemurib. déq; necyo-

mania vniuersa. Copiosè simul & doctè pertractatum hoc argumentum præter cæteros à nostris Petro Tyræo in opere de apparitionibus & dæmoniacis, de locis infestis & territicationibus nocturnis, & Martino Delrio in disquisitionibus magicis. Breui res tanta definienda. Primum, interdum defunctorum animæ iussu ac virtute Dei, quod per se forsan, nisi prohiberentur, possent, subeundo corpora, viuentibus apparent. Testificatur hoc vel euocatio manium apud Gentiles adeò solemnis, quamuis superstitiosa, præter tot ex ipsismet Philosophorum, aliorúmque auctorum testimonia sub aliis adhuc nominibus larium, geniorum, laruarum, lemurum, vmbraru: præter quoduis aliud genus testimoniorum sacrum, profanum, humanum, diuinum, & præter rationem ipsam. Deinde affirmandum, non posse pro arbitrio dæmonas euocare animas. Nam *iustorum in manu Dei sunt* [a], soli obedientes Deo: improbæ, necnon quæ purgantur, iniussu Dei egredi non possunt; imò ne dæmones quidem.

a Sap. 3. 1.

Postremò exploratissimum est, eosdem dæmonas ab eodem permissos Deo miros & insolitos nonnunquam sonos edere, figuras formasque repræsentare longè diuersa ratione ab ea quam vel natura, vel morbus, vel ars (quibus & sua quædã sunt spectra) possit efficere. In Psalmo nonagesimo [b] per timorem nocturnum Paraphrastes Chaldæus exponit dæmonum noctu ambulantium timorem: per sagittam volantem in die, sagittam angeli mortis emissam interdiu: per negotiũ perambulans in tenebris, mortem in tenebris ambulantem: per incursum & dæmonium meridianum, dæmones meridie grassantes. Alij aliter [c] distinctè quoque multa horum spectrorum genera, & modos recensentes.

b vers. 5. 6.

c lege Delrium libr. 2. disquisi. magicarũ. q. 27. sect. 1.

Quocirca in tenebris illis Ægyptios vexabant ingenti terrore dæmones deformibus vtẽtes formis, vocibus horrificis: anne verò etiam aduocarentur ad id à dæmonibus animæ ex eadem gẽte illorum qui præsertim prioribus plagis perierãt, iudicandum relinquo. Sic auctior sanè pauor extitisset. Inter eos spiritus humanos damnatorũ qui apparent aliquando, & molestias pariunt, tradunt qui hæc obseruauerunt, esse illorum maximè qui fuerant impij in parentes, immisericordes, pauperum oppressores, miserè seducti, crudeliter necati. Ex secundo tertióque genere, si qui venerũt, fuerunt. Omnibus commune apparentibus spiritibus noctis frequentiùs vti silentio, quod in vtrámque partem cõmodius est, seu mali, seu boni sint spiritus, seu nocere, seu prodesse velint. Apertas nihilominus ac diurnas aliquas legimus apparitiones tum iucundas, tum infestas. Harum quæ solo percipitur auditu leuissima: quæ visu, grauior: quæ tactu, molestissima.

Non in somnis duntaxat apparebãt Ægyptiis phasmata, siue phantasmata, vt velle Lyranus videtur: nec tantùm secundùm imaginationem, vt Carthusianus, Olcot [d], Bonauentura, qui dæmonas hominésque mortuos obiectos dicit eorum imaginationi; sed in vigilia quoque, & ad oculos ipsos externos: quod sensit noster Pererius [e], & Abulensis [f], qui propterea tenebras horribiles vocatas vult [g], & horribiles visiones [h]. Nec obstat ratio Bonauenturæ de tantis tenebris; aut quòd Iosephus [i] in vniuersum omni asserat prospectu priuatos fuisse. quia versu sexto scribitur ignem apparuisse subitaneum timore plenum; & subitanea ignis illius ac spectrorum visio perinde celeri potest ac si nulla fuisset, cùm omnis alia defuerit quæ recreare posset; cuiusmodi est visio amicorum. In quo item sensu vera est Exodi [a] historia, quòd *nemo vidit fratrem suum*, ne scilicet inde vllam caperent partem voluptatis. Monet Augustinus [b] ibi fratrem omnem hominem dici: Macarius [c] Ægyptius docet quòd neque patrem filius, neque frater fratrem, neque amicus germanum amicum, velantibus eos tenebris, videbat. Constabit id magis ex sequentibus.

d lect. 187.

e in Exod c. 7 n. 66.

f Exod. 10. & Deut. 14.

g Exo. 10. 22.

h Deu. 4. 34.

i 2. Antiq. c. 5.

a c. 10. 23.

b q. locut. in Exod.

c hom. 27.

Vers. 5.] Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.

NEc à cœlis immissum, nec excitatum in terra lumen vel cereis, vel facibus, vel sulphure, vel ligno bitumine, vel naphta, vel pice, vel adipe, prælucere poterat Ægyptiis, vt hæc distinctè percẽsendo Cantacuzenus notat; & in genere cæteri, Caiet. dempto, consentiunt: aut quia crassi vapores nõ erant lumine penetrabiles, vt ait Brugẽsis: aut quia aëris turbatio procellaq; mox extinguebat excitatum, vt Philo [d] & LXX. qui δύναμιν expresserunt, atque Abulensis: aut quia, vt hic addit, suspendebat actum secũdum Deus, *qui* est illuminare. Caietanus negat Exodi locum isto rigore intelligẽdum, vt triduo nullus alterum videret, sicut & quòd nullus exiret domo, nullus comederet, nullus biberet (hæc duo affirmat Philo [e], & Abulensis [f]) sed formaliter, nempe beneficio lucis cœlestis, cum quo tamen stet, quòd beneficio lucernarum domi se continentes, comederent, biberent; hæc ad hunc, inquam, modum docentur à Caietano, quia sacram libro nostro derogat auctoritatem, vt diximus in Præfatione. Minùs ferendi qui pro sacro & canonico illum recipientes, adhærent nihilominus dictæ sententiæ, atque ad hyperbolem confugiunt, vt Ludouicus Ystella fretus auctoritate R. Abenezra.

d 1. de vita Mosis.

e 1. de vita Mosis.

f Exod. 10.

Nos, quod antè docuimus, præsentem locum simpliciter præcisèque intelligendum existimamus, nisi quatenus terrificus interdũ subitò fulminis ignis, de quo sequenti versu, percellebat Ægyptios. Nam tenebrarum plaga, quæ fuit grauissima acerbissimáque, si verum sentiret Caietanus, admodum leuis ac toleratu perfacilis fuisset. Non est profectò magna molestia luminibus artificialibus tenebras dispellere, quod singulis noctibus hybernis maximè factitamus. Iuliano quidem Ægyptio anachoretæ communicauit Deus in tenebris nocturnis sine materiali syderum igniúmve lumine lumen, quo per septuaginta clarè legit annos, vt proditum est in Prato spirituali [g]; & inerat Tiberio Imperatori, teste Plinio [h] & Zonara [i], vis in oculis à natura, vt expergefactus noctu paulisper haud alio modo, quàm luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris sese obducẽtibus: & de nõnullis Aquilonaribus Olaus [k] refert acie visiua tanta præditos, vt noctu omnia videãt atque internoscant: & Albanos glauca pupilla nocte clariùs quàm die cernere scribunt idem Plinius [l], Solinus [m], Gellius [n], Isidorus [o]. At hæc mira sunt & insolita, nec hostibus Dei à Deo tributa, quos per hostes etiam suos dæmonas vexabat; qui tamen ipsi terrificas, quas induunt formas, præbere spectandas possunt

g c. 51.

h lib. 11. c. 37.

i in Tiberio.

k lib. 2. hist. Sept. c. 14.

l lib. 7 c. 2.

m c. 19.

n lib. 9. c. 4.

o lib. 14. Etymolog c. 5.

nonnullis,

nonnullis, alios simul prohibendo ne videant: quod ope diuina concessum alteri monacho Cyriaco narrat Prati citatus auctor [a]. Permirum sanè accidit, vt obrutis teterrima caligine Ægyptiis, vbicumque habitarent filij Israël lux esset [b], non in Gessen solùm, sed alibi per omnem prouinciam. Sed temperat Deus omnia, iísque vtitur pro arbitrio, & vel arcebat vapores, vel efficiebat, vt eos lumen penetraret.

a c.51.
b Exo. 10.23.

Hugo mystice hæc interpretatur de tenebris inferni, & diuino lumine, cuius ille incapax est: Origenes [c] de cæcitate obstinatæ mentis: Augustinus [d] de obscurata vxoris alienæ concupiscētia: alij de inutili ac frustra laborante peccatore, cuius typus nihil per totam noctem piscator capiēs [e]: quidam de quolibet, qui rebeller contra lumen diuinum [f], ita vt nec beneficiorum prolit ignis, non ignis inferni, non sydera concionum, non inspirationum lucernæ.

c ibid.
d ibid.
e Luc.5.5.
f Iob.24.13.

Ignis nulla vis poterat illis lucere.] Græcè (*πυρὸς οὐδεμία βία κατίσχυσεν φωτίζειν, nulla violentia, nulla violenta facultas, nulla vehementior virtus efficaciórve praualebat ad lucendum.*)

Nec syderum limpida flammæ.] Græcè (*οὔτε ἄστρων ἔκλαμπροι φλόγες, illustres, nitidæ, fulgentes, candidæ, seu candentes flammæ, radiíque.*)

Illuminare poterant.] Græcè (*καταυγάζειν ὑπέμενον, illustrare sustinebant*, vel *audebant*, vel *expectabant*) quasi frustra rem illam aggrederentur, Deo prohibente.

Illam noctem.] Tridui, quod erat perpetua continuatáque nox.

Horrendam.] Græcè (*στυγνὴν, odiosam, inuisam, terribilem aspectu, grauem, molestam*) tum propter spectra quæ dispicere distinctè nequibant.

Vers.6.] Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus, & timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur.

VT visa spectráque terrerent, videri aliquo modo debuerunt, & idcirco nonnullus fulguris in morem ignis interlucere, qui non sufficeret ad alias res distinguendas cum voluptate; valeret autem ad perstringendos oculos, quibus luridæ simul illæ facies obuersabantur, quas qui conspicabantur, his adhuc suspicabantur metuebántque sibi deteriores superuenturas.

Apparebat autem illis subitaneus ignis.] Græcè (*διεφαίνετο δ' αὐτοῖς μόνον αὐτομάτη πυρὰ, apparebat autem solùm illis spontanea pyra, vltronea, casualis, fortuita, inopinata, improuisa, obiter, carptim, raptim, per transennam, in transcursu, quasi proprio impulsu, non accersita, nullius iussione*) Ægyptiis præter opinionem atque casu rogus ille concitatus accidebat, sed non sine consilio, & peculiari Dei voluntate missúque, qui fulgura multiplicando, & sagittas has emittendo conturbabat [g]. Id exprimūt sequētia.

g Ps.17.15.

Timore plenus.] Quem efficiebat: nam improuisa feriunt magis tela. Fulgurum fulminúmque, tonitruorum, coruscationum maximos terrores, atque damna Physiologi tradunt & historici, déque nonnullis hoc teli genere peremptis. Quamquam non quotquot ita perierunt, vindicis iram Dei sensisse credendi sunt; nam Simonem Stylitem fulgur sustulit [h]. Hic, de quo nūc sermo, ignis fulmen fuit, fulgúrve fortassis, per metaphorā

h in Prato spirituali c. 57.

A vocatus πυρὰ, quæ propriè rogus est, ac lignorum strues igne subiectu. Alioquin puros de cælo missos ignes quandoque constat ex sacra [a] & Ecclesiastica [b] historia.

a Num.16. Iob 1. 3 Reg. 18. 4 Reg. 1.
b Niceph. lib. 13. c. 6. lib. 17. c. 3. Turon. in hist. Fran. c. 29.

Et timore perculsi illius quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur.] Græcè (*ἐκδειματούμενοι δὲ τῆς μὴ θεωρουμένης ἐκείνης ὄψεως ἡγοῦντο χείρω τὰ βλεπόμενα, perterrefacti autem, illa non conspecta apparitione, cùm illa non conspiceretur apparitio, cùm non perfectè cernerent, quæ subinde per ignem repentinum sublucebant, putabant peiora aliqua esse quæ clarè viderentur*, seu *si manifestè se illis offerrent; quod ipsum ne fieret, verebantur.*) Hugo meminit alterius editionis, in qua negatio deest in primo mēbro, est autem in secundo (*& timore percussi illius quæ videbatur faciei*) id est, inquit, personarum illarum tristiū, quæ apparebant eis, æstimabāt grauiora esse quæ non videbant, & sibi ingruere metuebant. Genitiui Græci vel ablatiuorū absolutorum vice sunt, vt exposuimus: vel pro iisdem ablatiuis casibus accepti cum sequenti comparatiuo necti debent, ita vt ibi (*timore perculsi*) comma sit; tunc verò hic extet sensus, illa quæ non videbatur facie, siue visione, æstimabant deteriora esse quæ videbantur. Hoc vltimo modo Vatablus intellexit (*attoniti verò, quæ cernebantur illa non apparente facie peiora indicabant*) quasi nihil grauius & peius ipsis posset contingere. Sed primus communior & facilior sensus, à quo non discrepat Vatabli versio, vt nempe visa & spectra subobscurè conspecta excitarent maiorem timorem, ne quid ipsis deterius contingeret, ne tectè clámque laruæ illos adorirentur, ne ille ipse subitaneus ignis ex iis emicaret, aut quid simile timide secum ratiocinabantur. Hugo etiam & Carthusianus exponūt timorem fuisse de rebus, quas non videbant oculorum externo sensu, sed imaginationis interno solo, vt ideo dicatur facies quæ non videbatur, & propter imaginationem res eædem deteriores æstimatæ quàm reuera essent. Iosephus [e] scribit alios alio casu absumptos, etiam timuisse ne fortè penitus ea caligine absorberentur. Cantacuzenus declarat eos ignem abesse maluisse, qui res terribiles ostendebat, ac nihil videre, quàm adesse cum tanto terrore. Maximè probo sensum istum, etiam magis quàm primum, nempe vt propter horrorem laruarum, quæ sine igne illo visæ non essent, ignis horrori fuerit, & eius magis absentia expetita, quàm præsentia, & deterior habitus ipse, quàm tenebræ. Has Orosius [d] imaginibus tenebras diras appellat, ac ex eodem mutuatus Freculfus [e].

e 2. Antiq. c. 5.
d 1. hist. c. 10.
e 2. chron.

Vers.7.] Et magicæ artis appositi erant derisus, & sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia.

QVasi nouo sumpto principio vetusti Latini digredi Auctorem docent in Magos, qui etsi nōnulla iis similia ediderint signa quæ Moses, defecerint in tertio [f], eáque de causa ludibrio habiti; quod ipsum cessit in Ægyptiorum pœnam. Cantacuzenus videtur cōiungere ista prioribus, vt dicto flagello exagitati, nempe tenebrarum, à suo tamen errore perniciosο non desisterent, sed magicæ ludibria artis opponerent, valdè se in illis iactantes, & Mosi per hæc resistere conantes. Sed tandem flagellum illud satis indicat

f Exod. 8. 18. 19.

auctorem de plagis aliis intelligere, quoniã dicit cùm Magi portenta huiusmodi moliri niterétur, frustratos esse, ac tenebrarum plaga repressos. Id bene cum Latinis concordat, cúmque ordine plagæ tenebrarum, quæ inter alias fuit nona: & cum eo quod narratum & declaratum à nobis est, quãdiu durarunt tenebræ neminem mouisse se de loco suo [a], & accersitos Mosem & Aaró postquam illæ cessauerút, nulla facta mentione Magos quid simile facere tẽtauisse. Signũ porrò plagáve tertia, in qua defecerunt Magi, fuit sciniphũ: de qua illi quoque affirmare cõpulsi sunt [b]; *digitus Dei est hic.* Cur nequiuerint Magi sciniphes educere, nugantur Hebræi[c], quia non possunt dæmones animal grano hordei minus producere. Nec audiendus Rupertus [d], productos à Magis non veros, & quos deprehensum sit tales esse, quoniam non pungebant, nec infestabant. Non item Caietani [e] ratio idonea, quòd incantationes Magorum non essent appropriatæ ad eiusmodi producendum effectum.

a Exod. 10. 23. & seq.
b Exod 8. 19.
c apud Lyranum, & Abulensem in Exod.
d ibid. lib. 2. c. 23.
e in Exod. c. 8.

Mystica est [f] Augustini de Spiritu sancto, in cuius Gentiles defecerint cognitione, cùm secũdæ, primæque notionem personæ nonnullã habuerint, ac literis prodiderint: præterquàm quòd de Trinitatis mysterio, déque persona tertia aliquid extat adumbratum in scriptis eorum, præsertim Platonicorum, qui Patris, Verbi, mentis meminerunt, vt non pauci testantur Patres, & demonstrat Eugubinus [g]. Causa melior, soláque vera, quam cum cæteris dedit Caietanus, repressam hac in re dæmonũ à Deo prohibitámq; potentiã, qui permissi fuerant res maiores facere. Sic verò cõstitit, nõ dæmonas, sed timendũ Deum, qui non etiam siuit diutiùs pios cultores suos angi, atque tentari, quòd paria Magi potuisse viderentur ac dux eorum Moses. Accedit ad ista id quod Auctor hoc docet loco, magicam artem risui atque ludibrio expositam fuisse, & ex prioribus operibus, quæ non diffidebant ab his quæ patrabat Moses, comparatam gloriam concidisse, atque ab inuitis extortam confessionem (Philo [h] Ægyptiorum omnium, non Magorum duntaxat ait fuisse ibi veri Dei (principem dæmonum intellexisse Magos vnus contra omnes Lyranus putat) digitum fuisse, atque plagam illam ceu ipsius digiti diuini potentia factam; quam potentiam in artificiatis æstimare solemus maiorem, quando ars circa minorem versatur materiam. De his omnibus plura Pererius [i].

f ibid q 25.
g 2. de peren. Philoso. c. 1. vsque ad finem libri.
h 1. de vita Mosis.
i in c. 8. Exo. disp. 3. & 4.

Et magicæ artis appositi erant derisus.] Græcè (μαγικῆς δὲ κατέκειτο ἐμπαίγματα τέχνης, *magicæ autem erant apposita ludibria, seu illusiones artis*, aut *iacebant.*) Sensus potest esse, vel Magos suas præstigias adhibuisse, quas reipsa cognitum sit esse tales: vel Deum ipsum irrisisse, atque illusisse Magis, quando per timorem illis incussum ostendit, eos nihil eorum posse quæ promiserant: vel iacuisse artis magicæ deridiculas machinas technásque, nec vlträ valuisse. Vltimus Iansenio sic placet, vt non videre se dicat quomodo τὸ κατέκειτο significet *appositi sunt.* At Græcum verbum significans non tantùm *iacere*, aut *decumbere*, vt solent ægroti, sed etiam *recumbere*, ac *discumbere*, & præterea *repositum esse, reconditum, additum*, rectè vertit Interpres. Meliores ergo expositiones primæ duæ, quarũ priori fauet Cantacuzenus, cùm ait vexatos plagis Magos à suo errore pernicioso non destitisse, sed magicæ ludibria artis opposuisse, atque in hæc incubuisse. Interpretatio Latina

A Sixtiana ex Græca editione LXX. & Clarius reddunt (*iacebant.*)

Et sapientiæ gloria correptio cum calumnia.] Complutensia, Regia, aliáque Biblia sic habent (*& sapientiæ gloria, correptio cũ calumnia.*) Restitutus error ex Græca editione (καὶ τῆς ἐπὶ φρονήσει ἀλαζονείας ἔλεγχος ἐφύβριστος.) Sed hæc ipsa non eodem omnes modo reddunt. Versio Latina in Complutensibus, & Regiis Bibliis (*& in prudentia iactantia correptio contumeliosa*) in Sixtianis (*& iactantiæ de sapientia erat correptio cum contumelia.*) Iansenius pro (*de sapientia*) ponit (*de prudentia:*) Clarius (*& arrogantiæ iactantia correptio cum contumelia.*) Vatablus sic sententiam totam interpretatur; interim ludi-
B bria artis magicæ iacebant vnà cũ calumnia per iactantiam sapientiæ contumeliosa. Oritur interpretationis diuersitas ex nomine φρόνησις, quod significat vel *prudentiam, sapientiámve, atque in agendo peritiam:* vel *elationem animi, arrogantiámque*, sicut & φρονεῖν aliquando accipitur pro *efferre se.* Primam notionem sequuntur omnes, etiam Cantacuzenus auctor Græcus; secundam Clarius. Cum pluribus opinandum; præsertim cùm ἀλαζονεία satis contineat sola significationem *arrogantiæ:* & φρονεῖν sine adiectione positum ratò admodum idem valet quod μέγα φρονεῖν, *gloriari, & insolescere.* Vnicum profert ac timidè quidem Thesauri Græci auctor exemplum ex Plutarcho [a]; de no-
C mine φρόνησις nullum.

a opusc. de institut. puero.

Correptio.] Græcè (ἔλεγχος, *ratio conuincens, reprehensio arguta, argumentum concludens.*)

Cum contumelia.] Græcè (ἐφύβριστος:) quòd non libenter cederent rationi, sed superbè adhuc reluctarentur: *vbi enim fuerit superbia, ibi erit & contumelia; vbi autem est humilitas, ibi & sapientia* [b]; contumelia, inquam, non solùm quam superbus inferat, sed etiam quam ab aliis accipiat, & patiatur. Correptio autem hæc Magis accidit & cõtumeliosa exprobratio, tum à Deo factis ipsis, quando quæ præstabat Moses, non poterant ipsi: tũ forsitan quoque verbis, cùm & Pharao, & cæteri hanc imbecillitatem exprobrarent ipsis: tum ab ipsismet, quia, vt deinceps dicitur, pauorem, quo corripiebantur dissimulare non poterant homi-
D nes de se magnificè alioqui loquentes, & multa prolixè pollicentes.

b Prou. 11. 2.

Vers. 8.] Illi enim qui promittebant timores & perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.

PLagas illatas à Mose, quas Pharao cæterique perhorrescebát Ægyptij, vana causabátur Ma-
E gi esse terriculaméta, pollicebátúrque se propulsaturos facili negotio: tamẽ ridiculos sese ostẽdebant, dũ ipsimet diffluerent ingenti trepidatione. Philo [c] refert, vbi Aaron virga in colubrum versa præ metu stuporéque diffugeret spectatorũ circulus Ægyptiorum, Magos dixisse; quid vos terret? nec nos sumus rudes talium artium, & nos talia patrare possumus. Iosephus [d] narrat Pharaonẽ præstigias exprobrasse Moysi; habere se quoq; Sacerdotes, qui eadem ostenta repræsentare nossent, non minùs peritos huiusmodi artiũ: nec esse cur se ille iactare deberet, quasi solus diuina præ cæteris virtute polleret, atque ita apud rudem multitudinem quasi supra mortalem con-

c 1. de vita Mosis.
d 2. Antiq. c. 5 vel 13.

ditionem positus se venditaret. Subdit Mosem respondisse, tametsi nec ignoraret, nec contemneret artes Ægyptiorum, affirmare quæ operaretur tanto præstantiora, quanto interuallo res diuinæ humanas post se relinquunt, non præstigias veritatis specie parũ cautis imponentes, sed ipsissimam Dei virtutem.

Magorum horum duces Iannes & Mambres fuerunt, Paulo [a] teste, qui id vel diuinitus cognouit, vel traditione [b], vel libri alicuius apocryphi lectione [c], cuius inscriptio illorum nomina contineret, & nominatim damnatur à Gelasio [d]. Fratres vocant Ambrosius [e] & Macarius [f]. Ex Macario mira commemorat de illorũ sepulchro, quod ille vidit, Palladius [g]. Ambrosius ait, crescente Mosis virtute humiles factos cum dolore vulnerum (*nec enim poterant*, vt est in Exodo [h], *stare coram Moyse propter vlcera quæ in illis erant*) fateri coactos Deum in Moyse operari. Confessionis tamen istius, vt antè vidimus, mentionẽ facit Exodi liber in plaga sciniphum [i]. De iisdem duobus Magis Plinius [k] scribit, Iotapem pro Mambre vsurpans (apud Paulum Græcè est Ἰαμβρῆς, *Iambres*) & citatus ab Eusebio [l] Numenius. Iannis nomen Magus quoque gessit Theophili Imperatoris præceptor, vt est apud Cedrenum, licet Curopalates Ioannem vocet Patriarcham Iconomachum. Legẽdus præcipuè Pauli Enarrator Espencæus, quem recentiores transcripserunt. Labrem, & Lambrem quidam vsurpant pro Mambre, non modò Iambrem. De iisdem Nazianzenus [m] quoque meminit, vocans nominibus Ἰαννῆ καὶ Ἰαμβρῆ: præterea Origenes [n], & Augustinus [o]. Recitatur inter apocryphos à Papa Gelasio [p] liber eorumdem nomina præferens. Lege Sixtum [q] Senensem.

Cum derisu pleni timore languebant.] Græcè (*καταγέλαστον εὐλάβειαν ἐνόσουν, ridiculo timore laborabãt:*) quia *ibi trepidabant timore vbi non erat timor* [r], ac velut pueri terriculamentis angebantur, plus mali animo apprehendẽtes quàm reuera esset. Cantacuzenus videtur εὐσέβειαν legisse, aut pro hac εὐλάβειαν, vt aliquando fit, sumpsisse. Nam explanat Magos ridicula religione laborasse, eùm nihil sani de Deo cogitarent; sed religionis specie recusarent obsistere Mosi, ne viderentur imbecillitatis causâ refugere. Quæ attulimus ex Iosepho & Philone nõ consentiunt; sed nec quæ hîc scribuntur de insolenti ac arrogãti promisso eorum. Nihil quoque de Deo bene sensisse non finit vt sentiam, quamuis eàm de iisdem Lyranus habeat sententiam; quòd tam seriò, vt etiam priùs retuli, licet serò, fassi sunt digitum & potentiam Dei.

Digreditur Olcot [f], vt doceat magicis deditos artibus rideri à dæmonibus ipsis, ab Angelis sanctis, & à Deo. Sed nimis facilè fabulæ credidit de Syluestro II. cuius extat vetus perhonorificum in basilica Lateranensi epitaphium Clementis VIII. iussu restitutum, qui etiam fabulam in basilica sanctę Crucis in Ierusalem ad parietem descriptam deleri præcepit. Commento dedit occasionem peritia disciplinarum mathematicarum; & quia prauis aliquando moribus fuerat, & ad honores Ecclesiasticos ambitiosè atque violentè peruenerat, pulso legitimo Rhemensi Episcopo Arnulpho, & à Ioanne XV. exauctoratus ea de causa fuerat: postea Rauennæ sedem demum Romanam tenuit: qua de re sic ferunt cecinisse;

Scandit ab R. Gerbertus (vetus id nomen) *in R. post Papa viget R.*

vel:

Transit à Re. Gerbertus ad Ra: post Ro. Papa regens. Lege Baronium [a], & Papirium Massonem [b]. Euulgauit ex istius bibliotheca Ioannes Masso frater eiusdem Pontificis epistolas anno 1611. Quibus adiicitur decretum electionis eiusdem ab Ottone factum Imperatore III. quod esse planè commentitium demonstrat Baronius [c], & in apologia pro eodem [d] Gretserus noster.

Vers. 9.] Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant: & aërem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre.

Gloriabantur & prædicabant, vt Philonem testem citauimus, Magi non modò nihil se prodigiis terreri quæ patraret Moses, verùm etiã se res eiusmodi agere, iisque maiores valere: & tamen quando in tenebris illis discurrere belluæ videbantur, & serpentum sibili exaudiri, tanto metu exanimabantur, vt se negarent vllo modo nec ad breue tempus vel aspectum ipsum aëris ferre posse, teterrima caligine circumfusi, spectris visisque terribilibus referti, sibilorum, aliorúmque sonorum inconditorum strepitu perstrepentis. Si hoc verbis & vociferatione negabant Magi æque vt Ægyptij alij, sermonis vsus iis à Philone [e] denegatus, vt longè antè diximus, quemadmodum & visus, aliorúmque sensuum, intelligi debebit, pro vt liber, expeditus, vtilis, iucundus erat; vt quam sensus cumque operationem exercerent, sicut damnatis post resurrectionem continget, ad pœnam tormentúmque duntaxat conferret. Compertum est tum historia, tum experimẽto, subitis formidandis visis homines grauiter vel affici, vel interire. Narrat aliquot exempla Alexander ab Alexandro [f], & complures qui de præstigiis, maleficisque disserunt artibus. Discipuli ipsi Christi viso in aquis ambulante Christo [g], & suscitato [h], *conterriti, existimabant se phantasma, & spiritum videre.*

Nihil illos ex monstris perturbabat.] Græcè (*μηδὲν αὐτοὺς ταραχῶδες ἐφόβει, nihil eos turbulentum terrebat.*) Quidam codices Græci habent τερατῶδες, *monstrosum*; qua Interpres lectione vsus videtur, candémque Vatablus quoque sequitur, & Clarius. Assueti Magi monstris, iis non terrentur; quemadmodum Balaam ariolus dæmonas videre ac audire solitus brutorum specie, loquentem asinam nec timuit, nec miratus est [i], simul acriore animum ira occupante, atque impediente ne attenderet, vt indicat Augustinus [k]. Rectè autem Abulensis [l] Hebræorum refutat fabulam, finito sermone illicò mortuam asinam, ne brutum illud ad ignominiam humani generis superesset, quæ hominẽ rationibus conuicerat. Possunt multæ tales aliæ prodigiosæ proferri locutiones animalium, quæ nihilominus postea perstiterunt in vita. Is certè, qui decepit Euam, non dicitur continuò extinctus [m].

Transitu animalium.] Græcè (*κνωδάλων παρόδοις.*) Scilicet quæ subinde percurrebant, obitérque transibant ante Magos, vt & ante alios in tenebris versantes. De voce κνώδαλον relege prioribus notata capitibus.

Serpentium sibilatione.] Græcè (*ἑρπετῶν συριγμοῖς, sibilis.*)

Margin notes: a 2.Tim.3.8. b & Chrys. Theo. Theophyl ibid. c sic Origen. tract. 35. in Matth. d d. 15. c. 3. Rom. e 2.Tim.3. f apud Pallad. in Macario. g ibid. h c. 9. 11. i c. 8. 19. k lib. 30. c. 1. l lib. 9. de præparat. Euang. c. 4. m orat. 1. seu in apolog. n hom. 16. & 35. in Matth. o epist. 119. c. 16 & lib. 83. qq. in 79. p d. 15. c. Sancta Romana. q lib. 2. r Psal. 13. 5. f lect. 189. — a tom. 10. anno 992. & 999 & tom. 11. anno 1001 b lib. de Pontificibus. c tom. 12. anno 1191. d c. 21. — e l. de vita Mosis. f lib. 2. c. 9. lib. 4. c. 19. g Matth. 14. 26. h Luc. 24. 37. i Num. 22. k q. 50. in Numeros. l ibid q. 11. m Gen. 3.

Section letters: A B C D E

A *Commoti.*] Significantius est participium Græcum (ἐκσοβούμενοι, *exagitati, animo consternati, corporéque concussi.*)

Tremebundi peribant.] Græcè (διώλλυντο ἔντρομοι.) Vatablus (*perussem.*) Et aliquos tamen Ægyptios tunc periisse in tenebris narrauit Philo.

Et aerem, quem nulla ratione quis effugere posset.) Græcè (καὶ τὸν μηδαμόθεν φευκτὸν ἀέρα, *etiam nulla ex parte fugibilem,* seu *vitabilem aerem*) vtpote sine cuius inspiratione viui non potest.

Negantes se videre.] In tenebris nullo modo; quando subitaneus incidebat ignis, vaporum solam densitatem videbant. Ad rem præsentem transferri potest Stoicus ille Philosophus, qui pro instituto sectæ omnes ab omnibus mortales

B remouere solitus perturbationes, ipse tamen, cùm quo vehebatur nauigium horribili cœlo & mari periculosissimè iactaretur, vi timoris expalluit. Testis qui aderat Gellius [a], quem citat Augustinus [b]. Magis non inter sapientes censendi qui terribilibus ac formidabilibus rebus mouentur quidem, paulatímque vel pauescunt metu, vel tristitia contrahuntur, tanquam his passionibus præuenientibus mentis & rationis officium, sed non cedunt accommodántve mentis assensum, sicut stulti, vt ex Epicteti doctrina tradit idem Gellius [c].

[a] lib. 19. c. 1. [b] 9 de ciuit. c. 4. [c] supra.

C *Vers.* 10.] Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.

Vers. 11.] Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum.

Vers. 12.] Et dum ab intus minor est expectatio, maiorem computat inscientiam eius causæ, de qua tormentum præstat.

D Sententiæ sunt hæ; quibus timoris in impiis causæ describuntur. Sed ante illas aliæ plures editiones habent aliam, quæ ab Enarratoribus quoque declaratur: meritò autem nunc expuncta est, quia Græcè non legitur. Est autem huiusmodi (*frequenter enim præoccupant pessima, redarguente conscientia.*) Refert Iansenius in tribus manuscriptis defuisse; suspicatúrque aut versioné aliam fuisse decimi versus, aut eius explicationem, quæ postea irrepserit in textum. Quia verò ex emendatis Bibliis eiecta est dicta sententia, versiculorum quoque ordo permutatus est; qui enim erat decimus illam continens, excidit, & qui sequebatur, eum numerum obtinuit.

E Nihil improbitate, quæ propriæ conscientiæ testimonio redarguitur, turbulentius horribiliusque. Animum ipsa exagitat, & angoribus, molestissimisque suspicionibus perterret ac assiduè dilacerat, & nihil nisi acerbum, & luctuosum cogitare sinit. Omnis verò metus non aliunde quàm à quadam veluti proditione, quòd nimirum qui rationis seipsum abdicat imperio, nec ei subdi sustinet, nudat continuò seipsum omni præsidio ac ope, quam ratio vel per se inuenit, vel aliunde requisit, vel à Deo implorat & impetrat. Itaque cùm spe ferè omni destituitur, & admodum exigua & imbecillis residua est, colligit argumentando improbus multo grauiora esse quæ nondum

est expertus, ac ne irruant perhorrescit, quàm illa quæ iam tolerati causam supplicij tormentíque attulerunt. Multa Plutarchus [a] de sera numinis disputans vindicta in hanc rem affert de vana improborum spe, de continuo dolore, de memoria tristi, de diffidentia status præsentis, de futuri suspicione sinistra, de molestia somniorum; de spectrorum diurnorum pauore, & quòd oracula, de cœlo obseruationes, & quidquid aliud diuinitus obiici videtur tempestatibus, percellat malè sibi conscios terroribus.

[a] in opuscul. de sera numinis vindicta.

Cùm sit enim timida nequitia.] Sicut *charitas perfecta foras mittit timorem* [b]; ita charitatis antitheton peccatum annexum habet illum: & quemadmodum alacritatem & confidentiã singularem bene mens sibi conscia gerit; sic nihil timidius & imbellius improbo ac nequam animo, qui latebras quærit, odit lucem, timet deprehẽdi, formidat vindicari. [Reges Tyrannique legibus licèt atque iudiciis non teneantur, naturę tamen, inquit M. Tullius [c], lege, & conscientiæ iudicio vexantur & torquentur.] Addit idem Orator [d] impiorũ furias, flammas, faces, fraudem ipsorum esse, facinus, scelus, audaciam, errorem, malas cogitationes, amentias animi. [Tuta, inquit Seneca [e], scelera esse possunt, secura nõ possunt: ipsas nequitia tenebras timet: proprium est nocentium trepidare.] Affert Epicuri testimonium dicentis mala facinora cõscientia flagellari, & plurimum illi tormentorum esse, eo quòd perpetua illa sollicitudo vrget ac verberat, quòd sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Vide quid scribat Macrobius [f] de vulture iecur Tityi dilaniante, ad malæ designãdum tormenta conscientiæ: quid item Iuuenalis [g] de assiduis eiusdem molestiis vellicationibus flagellísque. Græci vocant δειλὸν tum timidum ignaúmque, tum debilem, infirmum, miserum, tum malum ac improbum. Et simili ratione κακὸς non modò malus est, sed timidus quoque: perinde vt è contrario ἀγαθὸς & bonus, & strenuus. Nam solent ignaui pro hominibus nequã haberi. Item πονηρία atque πονηρὸς dicuntur à πόνος, qui *laborem* significat, vt alias notauimus. Rectè igitur Auctor Græcè scribens dixit, δειλὸν πονηρία, *timida res est nequitia*, vtrobique cum timore & labore malitiam includens. Addit ἰδίως, *propriè*, idque iungit cum δειλὸν, quasi propriè sit timida nequitia, vel priuatim, intus, intra improbi conscientiã. Id quidem iuxta emendationem Sixtianam.

[b] 1. Ioan. 4. 18. [c] 1. & 2. de finib. & orat. pro Rosc. Amerino [d] in Pison & pro Roscio. [e] epist. 97. [f] 1. de somn. Scip. c. 10. [g] saty. 13.

Haud dissimilis verò illa ex Prouerbiis [h] sententia, *fugit impius, nemine persequente.* Exemplo Cain fuit [i], hícque censeri potest nunquam moriens vermis [k]. Magnam pœnam, impiorum conscientiam vocat Anselmus [l]: Isidorus [m] negat hac vllam esse pœnam grauiorem. Congeruntur eadem de re permulta inprimis in nouissima Polyanthæa Iosephi Langij ex omni testimoniorum genere. Illud proposito valdè commodum ex Menandro;

Ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.
Qui aliquid sibi conscius est, etiamsi fuerit audacissimus,
Conscientia tamen facit ipsum timidissimum.

Prætereà illa sententia Græca; κακὰ μείζω πάσχει διὰ τοῦ συνειδότος ὁ ἄδικος βασανιζόμενος, ἢ ὁ τὸ σῶμα, καὶ ταῖς πληγαῖς μαστιγούμενος: *vir iniquus, & afflictus conscientia, plus mali patitur, quàm ille qui in corpore castigatur, & flagris caditur.* Legendi [n] Stobæus & Antonius [o] Melissa.

[h] c. 28. 1. [i] Gene. 4. 6. 7. [k] Esa. 66. 24. [l] in Epist. ad Cor. [m] 2. soliloq. [n] ser. 24. [o] p. 1. ser. 24.

Dat

Dat testimonium condemnationis.] Græcè (μαρτυρεῖ καταδικαζομένη, *dat testimonium condemnata.*) Complutenses, Regij, & alij Græci codices habét (ἰδίῳ μάρτυρι καταδικαζομένη, *proprio testimonio condemnata:*) sed Latina eorumdem editio (*data est in omnium condemnationem*) quam editionem vetustiores Enarratores sequuntur. At Gregorius [a] legit eo quo nos pacto, nisi quòd pro (*condemnationis*) ponit (*condemnationi.*) Alijs in libris est (*dat testimonium condemnata*) vel (*dat testimonium in condemnationem.*) Testis Iansenius variæ lectionis, præferés Latinam (*dat testimonium condemnata*) & Græcam quam secundo loco recitaui; voléñsque aliam esse corruptam, quam fatetur tamen esse quoque Aldinam. Lucas Brugensis meminit prætereà de legentibus (*data est in omnium condemnatione*) aut (*data testimonium condemnationi est.*) sed anteponit nostram. Glossa interlin. Hugo, Carthusianus meminerunt lectionis (*dat testimonium condemnata:*) Bonauentura (*data est in omnium condemnationem,*) sed hic emendatam sequitur; Hugo quam vltimò nunc loco retuli: Carthusianus iam quoque relatam ante vltimam; quæ, profectò Græcis maximè congruit. Olcot vtitur quidem illa (*data est in omnium condemnationem*) at refert etiam illam (*dat testimonium condemnationi.*) Sententia nihil discrepat quauis denum legamus ratione. Sed optio non amplius relicta nobis, vbi Pontificia interuenit auctoritas, sic, vel sic legere.

Igitur timida nequitia dat testimonium condemnationis, quia peruersa conscientia testem suæ nequitiæ intus timorem habet, inquit Gregorius [b]: & quamuis praua videatur foris audacter agere, de his tamen apud semetipsum peruersus cogitur trepidare, atque cùm illicita perpetrat, pauet quod facit: & apertus damnationis testis est ipse timor iniquitatis: quia & timetur quod agitur, & tamen malum non vincitur quod timetur. Scit idem ille malû esse quod agit, quod videri ab aliis veretur; & dum de facto suo conscientiam pulsans timor redarguit, ipsa sibi testimonium perhibet damnabile esse quod agit. Ad hunc modum in summam redactos Gregorius, qui etiam affert Epistolę Ioannis [c] primæ locum; *si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus apud Deum*: de quo loco egimus in Commétario; & Psal. *abyssus* [d] *abyssum inuocat*, &c. id est, de iudicio propriæ condemnationis peccator ad æterni Iudicis sententiam properat. Hoc sibi vult Ieremias [e] dicens; *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* Paulus quoque [f] dum scribit testimonium reddere nobis conscientiam, & inter se cogitationes accusare, aut etiam defendere *in die cum iudicabit, Deus occulta hominum.* Facit ipsamet iniquitatis æqua hac in parte conditio, vt mox afferat ac veluti proferat patrata pœnæ debitæ sententiam.

—— Prima [g] *est hæc vltio, quòd se*
Iudice nemo nocens absoluitur. ——

Item;

Scelus [h] *aliquis tutum, nullus securum tulit.*

Vtrumque verum, & malam conscientiam futuræ pœnę sibi ipsi pronunciare sententiá, & quando infertur pœna, approbare vt meritam iustámque. Sed primum magis facit ad rem præsentem, quia sermo est de timore, qui versatur circa futura.

Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.] Monui aliam versionem (*frequenter enim præoccupant pessima, redarguente conscientia*) in textum irrepisse in quibusdam libris, & simul, sed priore loco, cum his verbis collocatam; licet nec illa eodem modo legatur, sed (*præoccupant*, aut *præoccupabant*, aut *præoccupabantur*) & (*redarguente*, vel *redarguebant.*) Parum refert siue (*turbata*) siue (*conturbata*) siue (*perturbata*) legas. Hoc tenendum, quia relictum in emendata editione. Græca sic habent, è quibus pendet sensus (ἀεὶ δὲ προσείληφε τὰ χαλεπὰ συνεχομένη τῇ συνειδήσει.) Alij συνεχομένη, cum ita subscripto alij συναλγοῦσα. Secunda Græca lectio ita redderetur (*semper autem* (malitia) *veluti anticipata opinione atque præsagitione sumit*, siue *suspicatur grauia & molestia quæ ipsius conscientiæ continentur & cohærent.*) Tertia hoc pacto (*semper autem*

B (malitia) *suspicatur mala, ipsa vtpote malitia coacta, constricta, compressa, & quasi suffocata à conscientia.*) Prima, quæ recipitur à nobis, Latinè sic ad verbum potest exprimi (*semper autem præaccepit aut, &* *præsumpsit opinione* (nimirum malitia) *seu præsagiit res difficiles, ac molestas contenta intra conscientiam*: vel *contenta & coniuncta & cohærens*, &c. vt Vatablus vertit, *latens in conscientia*: vel, vt Iansenius, *coarctata, & compressa per conscientiam*) quæ interpretatio placet Clario.

Hic postremus interpretandi modus aptiùs congruit cum Interprete. In capite septimo [a] Interpres *præsumere* dixit, quod Græcè scribebatur ὑπονοοῦντες. Iurisconsultis præsumere significat ex verisimilibus argumentis & coniecturis existi-

C mare: & apud eosdem titulus extat de probatione, & præsumptione. Qui Latinius loquuntur dicunt præsumere animo, præsumptâ opinionem; & Rhetores [b] præsumptionis figuram, aliterque anticipationis, & præoccupationis vocant, quam Græci πρόληψιν. Ergo Interpres hoc loco *præsumere* vsurpauit, vt idem valet quod animo ante sumere, præcognoscere, præcogitare, præuidere, præsagire, prææstimare, vt exponens loquitur Lyranus; suspicari ac præsupponere, vt Carthusianus, affutura ac propinqua esse dura ferociáque tormenta; præconcipere, vt Olcot [c]; sibi futura pœnalia & crudelia. Exemplum primum est in Cain, qui dicebat; *omnis* [d] *qui inuenerit me, occi-*

D *det me*: nisi priorem dés locum Adamo & Euæ, qui se, audita voce deambulantis Dei, hoc est, vehementi ac terribili sono, absconderunt in medio ligni paradisi [e]. Omitto enim exempla profanæ furiis agitatorum, qualis Orestes fuit. Legendus Ambrosius [f] describens trepidationem Cain, indéque digrediens ad alios flagitiosos. [Euidens, ait, generalísque ratio, quia omni improbo mala adsunt, & affutura sunt. Quæ adsunt, tristitiam operantur, quæ futura, formidinem.]

Alterum quod in hac sententia explicationem requirit, est participium συνεχομένη, pro quo Interpres dixit *perturbata*, & est, vt satis indicaui, referendum ad πονηρίαν, id est, *nequitiam*, de qua in versus decimi priore parte, non ad con-

E scientiam, ita vt (*conscientia*) sit hoc loco non nominatiui, sed ablatiui casus τῇ συνειδήσει, quasi dicas; nequitia ideo timida est, ac testimonium dat condemnationis, quia semper præsumit atque præsagit sæua & grauia, cum sit perturbata per conscientiam ipsam, siue constricta, colligata, compressa, coarctata, correpta, capta, retenta veluti vinculis, obligata, oppressa. Multo melior ac longè frequentior τῷ συνέχω acceptio ista, quam plurimis aliis testimoniis probare possum, vbi noster Interpres id reddidit per

compri

a 12. moral. c. 21. vel 20. & 17. moral. c. 6. vel 18.
b supra.
c c. 3. 21.
d Psal. 41. 8.
e c. 2. 19.
f Rom 2. 15. 16.
g Iuuen. satyr 13.
h Seneca.
a vers. 15.
b Quintil. li. 9 c. 2.
c lect. 190.
d Gen 4. 14.
e Gen. 3. 8.
f lib. 2. de Cain & Abel c. 9.

a Lucæ 8.45. b Act 7.57. c 2.Cor.5.14. d Lucæ 19.41. e Lucæ 12.50. Philip 1.23. f Act 18.5. g Lucæ 22.63. h lect.190.

comprimere [a], *continere* [b], *vrgere* [c], *coangustare* [d], *coarctare* [e], *instare* [f], *tenere* [g]. Non placet expoſitio gloſſæ, quam recitat recipítque Bonauentura, præſumptuosè extolli ad inferendum ſæua aliis perturbatam, ſeu iratam conſcientiam. De multiplici conſcientia diſſerit Olcot [h], & nos alibi in 1.2. Diſtinguit ille conſcientiam malam in dilatatam, quam vulgò dicimus largam: infirmatam, ſeu infirmam, quæ vocatur ſcrupuloſa: perturbatam, qualis deſperantium: cauteriatam, eorum qui de magnis non vorant, parua ponderant. Scripſit Ricardus Hallus opus de quinquepartita conſcientia, recta, erronea, dubia, opinabili, ſcrupuloſa.

Nihil enim eſt timor, niſi proditio cogitationis auxiliorum.] Alij ante correctionem libri ſic habebant (*nihil enim eſt timor, niſi præſumptionis adiutorium proditio cogitationis auxiliorum.*) Græcè legitur (*οὐδὲν γάρ ἐστι φόβος, εἰ μὴ προδοσία τῶν ἀπὸ λογισμοῦ βοηθημάτων, nihil enim eſt timor, niſi proditio auxiliorum, quæ à cogitatione: vel auxiliorum à ratione, ſiue ratiocinatione proficiſcentium defectio: vel abiectio conſiliorum, mediorúmque, ne cogitationem de ipſis ſuſcipiat, quæ cogitatio poſſet ſuppeditare.*) Hoc efficit vehemens timor, vt inopes reddat homines conſilij, vt imminuat ſpem, vt abſtrahat animum à meditatione rerum vtilium.

i Teren. in Eunucho.

Primus, inquit ille [i], *metu adimit conſilium.* Vires non minùs mentis metu langueſcũt, quàm corporis, de quibus alius [*]:

* Ouid. epiſt. 13.

—— *Vires ſubtrahit ipſe timor.*

Sumpſit Lyranus proditionem pro manifeſtatione atque declaratione, volens denotari quòd facicus in facie pallorem timor prodit cogitationem auxilij, quia demonſtrat, quòd timens auxilium deſiderat, & cogitat de illo. Cæteri antiquiores Explanatores Latini cõcordant: etſi priorem quoque ſenſum Hugo indicet, docens quòd timens abiecta ſpe non cogitat de auxilio Dei, de quo ſi cogitaret, diceret; *In Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo* [k]: &; *in Domino ſperans non infirmabor* [l]. Latinè *prodere* ſignificat etiam proiicere, excludere, deſerere, propellere, dimittere: licèt *proditionis* haud adeò frequens notio iſti reſpondens, ſicut & *proditoris*, vt pro eo quod eſt fidem frangere. Idem iudicium de Græcis *προδιδόναι* & *προδοσία*. Quare dicere poſſumus proditionem auxiliorum tribui timori; quoniam timidi proni ad fidem frangendum, & diffidunt iis in quibus antea ſpem collocauerant. Iſidorus Clarius ſenſum dicit, quòd id agit timor, vt prodat & arguat ea quæ quis ſibi in auxilium defenſionémque cogitationum ſuarum acceperat, & oſtendat rationes, quas interdum nobis, fallentes noſmet, fingimus tectas, demũ inanes eſſe ac falſas, vnde mox ſequitur expectatio vltionis.

k Pſal.55.12. l Pſal.25.1.

Et dum ab intus minor eſt expectatio.] Vel auxiliorum, vel futuri mali. Prior explicatio communior: poſterior placet magis eidem Clario & Ianſenio, vt dicatur minor, quia inferior, eo quòd victa ſit, nec vllas cogitatio ſuggerat euaſionis rationes. Cantacuzenus exponit expectationem, qua improbus quæ cogitarat, effecturum ſe ſperabat, minorem & inferiorem effectam, atque rebus ipſis conuictam. Quidam codices habent (*& dum intus*, vel *intro* [m]) alij [n] (*ab intro*) nonnulli (*ab vtroque*) aliqui (*expectatio eius.*) Græcè (*ἔνδοθεν δὲ ἧσσα ἥττων ἡ προσδοκία.*)

m Hugo. n Olcot lect. 190.

Maiorem computat inſcientiam eius cauſæ, de qua tormentum præſtat.] Variat hîc quoque lectio. Nam non modò in nonnullis codicibus eſt (*putat:*) ſed

A etiam pro (*inſcientiam*) vel (*conſcientiam*) vel (*potentiam*) vt in Cõplutenſibus, ac Regiis, & in commentario Carthuſiani, & Hugonis; vel (*pœnam*) qua vtitur Olcot lectione; vel (*ſcientiam*) vt refert idem Olcot, & ita legit Bonauentura; vel (*audaciam*) vt meminit Hugo. Item pro (*cauſæ*) legitur (*cauſa*) in Complutenſibus, & Regiis. Editio correcta eſt ad fidem Græci textus (*πλείονα λογίζεται τὴν ἄγνοιαν τῆς παρεχούσης τὴν βάσανον αἰτίας.*) Cantacuzenus non aliter legit, ſed ἄγνοιαν. Quocirca noua & conficta Vatabli lectio atque interpretatio, vt ſit ἀγνείαν, id eſt, *implacabilitatem* (*cùm intus reſidens exigua ſpes, magis reputat cauſæ cruciatum, mouentis implacabilitatem*) ab ἀγνὸς, hoc eſt, donis incorruptus, qui à iuſto dimoueri nulla ratione po-
B teſt, adeóque implacabilis eſt. Meliores, quas ipſe minoris æſtimat expoſitiones, retinendo ἄγνοιαν, *inſcientiam*, ſiue *ignorantiam*, vt vel ſit ignorantia cauſæ, vel ſcelus cauſæ, id eſt, ſcelus quod cauſa eſt, quoniam quandoque ignorantia pro peccato ſumitur. At optima quam attulimus, malè ſibi conſcium animum, dum ſe videt auxilio deſtitutum, ea quæ in ſe ventura ſunt mala, longè maiora, quàm priùs exiſtimauerat, ominari, valdéque formidare, ne quæ ipſi tormenti cauſa eſt, & vnde ipſe ſibi animus timórque veluti tormentum exhibet, aut propria malitia, vt demeritoria, aut diuina vindicta, vt efficiens, non contenta iam irrogato tormento, grauius adhuc infligat. Vel ſen-
C ſus etiam eſt quem tradit Clarius, vbi in interiore cogitatione minus expectatur aliquod malum, fieri tunc ſignificationem ignorantiæ eius cauſæ quæ tormẽtum præbet, id eſt, magis prodi ignorãtiam vndenam proueniat id malum, quod expertus ſit aliquis, & continuò abiit, ac ne redeat timetur; qualia ſunt ſpectra, quæ ſubinde veniunt, abeunt, redeunt.

Poſſet quoque ſignificari, ignorantiam cauſæ quæ pœnam affert, valdè augere calamitatem. Quare comparatiuum *πλείονα*, *maiorem*, ſiſtere debet in *ἄγνοιαν*, *inſcientiam*, ita vt non ſignificetur hanc inſcientiam eſſe maiorem cauſa, de qua tormentum præſtat, ſed verſari circa cauſam, &c. prout etiam Interpres reddit (*cauſæ.*) Tamen ex-
D plicat Cantacuzenus maiorem putatam inſcientiam, quàm culpam, quæ Ægyptios talia peccare conuincebat.

Cauſa, de qua tormentũ præſtat.] Cauſa quæ ſit, dixi: de hac tormentum præſtare intelligitur, vel quia præſtò ſit, ingruat, immineat, adueniat, ſit in foribus: vel quia præbet ac veluti producit malitia pœnam vt fructum, vt ſtipendium, &c. Hugo primam affert verbi notionem, & præterea tertiam, vt præſtare ſit præſtans ac validum eſſe. Græcum *παρεχούσης* propriè ſignificat *præbentis*, & *exhibentis*: *præſtandi* autem prima ſignificatio non eſt in vſu. Non otioſè in his immoramur, vt Interpretis ac editionis emendatæ auctoritatem tueamur.

E

Verſ. 13.] Illi autem qui impotentem verè noctem, & ab infimis, & ab altiſſimis inferis ſuperuenientem, eundem ſomnum dormientes,

Verſ. 14.] Aliquando monſtrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: ſubitaneus enim illis & inſperatus timor ſuperuenerat

Hinc

HInc ad vsque finem capitis denuò tenebrarum exaggeratur plaga. Primum quidem malum describitur perturbari somnii, & interrupti terrificis visis, atque mentis quodam defectu præ improuiso subitóque timore.

Impotentem verè noctem.] Græcè (*οἱ δὲ τὴν ἀδύνατον ὄντως νύκτα.*) Multiplex corruptela in aliis (*qui potentem verè noctem: qui in potenti illa nocte: qui in potentem venêre noctem: qui impotentem in verè noctem: qui impotentes venêre nocte: qui horrendam verè noctem.*) Tertia vtuntur Enarratores antiqui Lyranus, Bonauētura, Olcot [a], Carthusianus: quartæ meminit idem Olcot [b]. Referūtur (*impotentem noctem*) ad (*dormientes.*) Vocatur nox impotens triduanarum tenebrarum, tum quia intolerabilis & immoderata, eo modo quo Principatus quorundam dicitur impotentissimus: tum quia reddebat Ægyptios impotentes: tum quia vitari non poterat, nec illustrari: tum quia ex impotentis Plutonis recessibus, vbi meræ tenebræ, proficiscebatur. Posteriores duo sensus traduntur à Cantacuzeno. Vltimus indicatur sequentibus verbis.

Et ab infimis, & ab altissimis inferis superuenientem.] Græcè (*καὶ ἐξ ἀδυνάτου ᾅδου μυχῶν ἐπελθοῦσαν, & ex impotentis inferni* (qui & Pluto dicitur, quoniam locus eius est) *speluncis superuenientem.*) Non expressit Interpres epithetum inferorum, vt impotentes dicantur, cōtentus nocti apposuisse, quam inde dixit excitatam. Infima verò & altissima posuit vt synonyma: dicunt namque Latini altissima quæ sunt profundissima. Quapropter non est quòd laborēt Enarratores, vt noctem ac tenebras Ægyptiorum superuenisse interpretentur ab infimis ob elatos vapores de humo & aquis: ab altissimis, quia sint prohibita syderum lumina, aut à peccatis desperationis & præsumptionis.

Impotentia noctis tenebrarúmque mirificè exaggeratur, cùm ortæ scribuntur ex ipsismet inferni tenebris, vbi nulla lux, nulla operis, videlicet vtilis, facultas est. Ibi quidem ignis, sed sine luce calidus: quemadmodum Basilius [c] intelligit à Deo interceisam flammam ignis, vt sit *ἀλαμπὲς πῦρ κολάσεως* pro damnatis: pro beatis *ἄκαυστον φῶς ἀναπαύσεως*. Idē indicat Osorius [d], Damascenus [e], Chrysostomus [f], Cyrillus Alexand. [g] Theodoretus [h], Athanasius [i], Ambrosius [k], Prosper [l], Gregorius [m], Innocentius [n] III. Hebræi [o]. Videtur præterea vtrumque colligi ex verbis Iob [p]; *deuorabit eum ignis, qui non succenditur*: quo loco Pinedam lege.

De tenebris inferni sub nomine tenebrarum exteriorum crebra mentio in Euangeliis [q], quam Iudas [r] appellat caliginem, Iob [s] terram tenebrosam, opertam mortis caligine, miseriæ, tenebrarum. Verisimile tamen est nonnihil subinde luminis emicaturum, sicut antea de tenebris etiam Ægyptiacis dicebamus, vt damnati suarum aspectu pœnarum torqueantur magis. Id innuunt Gregorius [t], Isidorus [u], Innocentius [x] III. Porrò cùm tenebras Auctor ab infimis & altissimis inferis superuenientes scribit, assignat veluti proprium ipsis locum, sicut lucis proprius videtur cœlum. Vnde ille agens de inferno [y];

Vmbrarum hic locus est, inquit, *somni noctisque sopore.*

& alius [z] atram describens tempestatem, ait;

Quòd tunc per totum concrescunt aëra nubes
Vndique, vt tenebras omnes Acheronta reamur
Liquisse, & magnas cœli complesse cauernas.

Vbi tenebras ex inferis ascendentes facit, imò &

a lect. 191.
b ibid.
c homil. in Psal. 28. & hom. 3. de futuro iudicio, & in c. 20. Isa.
d lib. 7. c. 27.
e lib. 4. c. 28.
f epist 5.
g orat. de exitu animæ.
h in Psal. 28 & 96.
i q 112.
k 4 hexem. c. 3
l 1 de vita contemplat. c. 2.
m 9. moral. c. 46.
n 3. de con temptu mundi c. 6
o in iciod Scirim
p c. 20: 26
q Matth 8. 12. c 22 13. c. 25. 30
r in Epist. vers 6.
s c. 10. 21. 22.
t 9 moral c. 19.
u 4 de sum. bono c 31.
x 3 de contemp. mundi. c 4.
y Virg Aeneid 6.
z Lucret. lib. 6.

A eos deserentes. Sed & Aristoteles [a] veterum Meteorologorum recitat opinionem, Solem non ferri sub terra, sed circa terram, & locum hunc: obscurari autē & facere noctem, propterea quòd alta sit ad Vrsam terra. Hinc trito sermone dicta præcipitari de altis montibus mox; cadere maiores inde vmbræ [b].

Idem illud epithetum impotentis noctis interpretantur aliqui, quia reuera non esset nox, sed caligo densissima, offusa mentibus impiorum, vt in luce clarissima perstrictos habentes oculos, meras tenebras esse arbitrarentur. Sed quia densissimas, palpabilésque tenebras nominat Scriptura, ac proinde veras, Iansenius impotentem noctem explicat intolerabilem. Castro noster mauult metonymicè hic dictam ab effectu, quasi B debilem, & informem, eo quòd redderet Ægyptios impotentes ad quoduis opus humanum, quemadmodum antea dixi. Addit prætera, quòd sit idem esse impotentem, ac nimis potentem, & immoderatam, sicut à Quintiliano tyrannus impotens cognominatur, à Cicerone [c] Antonius homo impotens, id est, immoderatus, impos, seu sui, ac affectuum suorum minimè compos. Eodem pacto impotentissimum dominatum dicunt, & impotentes miserias, & similia.

Eundem somnum dormientes.] Erant nimirum dormientes, vel dormiebant, vt quidam [d] legūt, eundem somnum, & impotentem verè noctem, id est, per illam noctem dormiebāt eodem som- C no, scilicet impotente, ita vt non possent se continere quin dormirent, ad hoc tenebris ipsis inuitantibus, & nocte (quam cognominari soporam vidimus) nec illud tamen ipsum possent pacatè, propter causam quæ subditur. Denique somnum dormiebant eundem, quamuis vigilarent, quia veluti dormientes perpetuò versabantur in tenebris, vacantes ab omni operatione. Quid Cantacuzenus velit ignoro per somnum, quo non essent Ægyptij aliquando soluendi, nisi loquatur allegoricè de somno damnationis æternæ; quem tamen incertum est an illi omnes dormierint, siue vtrùm damnati sint. Erat certè quisquis eo tempore capiebatur ab ipsis somnus, inferorum maniū somno persimilis propter horrorem spe- D ctrorum aliáque mala, quorum hîc mentio sequitur. Somnum eundem explicat Bonauētura communem, vt non alius alio dormiret meliùs. Si nemo dormiebat, assentior; at aliquibus, omnibúsve aliquid dormientibus, credibilius est pro varia corporis affectione non eodem singulos modo somnum cepisse; licèt somnum impediēs, vel turbans externa causa eadem foret.

Aliquando monstrorū exagitabantur timore.] Græcè (*τὰ μὲν τέρασιν ἠλαύνοντο φαντασμάτων*, *partim monstris exagitabantur phantasmatum.*) De re dictum antea satis [e]. Impediebat vel abrumpebat somnū terribilis visio. Iansenius per *τὰ μὲν*, *partim quidem*, & in membro sequenti *τὰ δὲ*, *partim autem*, E vult significari passos Ægyptios vtrumque simul quod duobus cōtinetur membris. Non repugnat sanè illa simul esse: tamen rectè vertit Interpres, quoniam denotant quoque Græcæ voces vices quasdam [f]: & hæ forsitan cum temporis fuerunt interstitio.

Aliquando animæ deficiebant traductione.] Græcè (*τὰ δὲ τῆς ψυχῆς παρελύοντο προδοσίᾳ*, *aliquando autē animæ dissoluebantur defectione*) vel per proditionem ipsius animę, vel per derelictionem, quatenus aut ipsa seipsam prodebat & deserebat, abiiciens co-

b 1. Meteoro. sum. 2. c. 1.
b Virg. eclo. 1.
c Philip. 5.
d apud Brugensem.
e vers. 4.
f Bud. com. ling. Græc. pag. 1061.

gitationem spémque euadendi, vt innuit Cantacuzenus,& vulnerabat trahebátque;aut deliquiū patiebatur præ ingenti pauore.Putant vetusti Expositores Latini semonem esse de animatum separatione,déque morte. Verumtamen *anima* nomen obliqui casus est, numeríque singularis: & quamuis triduo tenebrarum aliquos Ægyptiorū mortuos admittatur,indicétque Philo [a],vt antea diximus; paralysis per animæ defectionem,aptiùs explicatur solùm fuisse deliquium, & quæ vocatur etiam exanimatio iis quos dixi modis: vel adhuc per insaniā,vt Hugoni placet:vel, vt Carthusiano, per virium debilitationem:vel, vt Bonauenturæ, quasi mors ipsa immineret. *Tradidit spiritum* Christus [b] moriendo; sed Græcè dicitur παρέδωκε πνεῦμα, non autem πρόδωκε.

De voce προδοσίας relege prænotata [c]. Paulo pòst [d] eundem ad vsum affertur τὸ παραλύειν, vt significetur dissolutio ex metu. Attendens ad Latinum *traductionis* vocabulum Olcot [e],traductionem intellexit etiam, præter alios aliorū dicendi modos,de morte,& in infernum descensu, & insania, successiuam mutationem de vna in aliam imaginationem, vt accidit existentibus in tenebris. Emmanuel Sà traductionem interpretatur punitionem. Quod initio attuli, melius.

Insperatus timor.] Græcè (ἀπροσδόκητος φόβος, *inexpectatus, improuisus.*) Non speratur propriè timor,sicut nec dolor:sed hæc *sperandi* catachresis vsurpata est cap.14. [f] & *insperata* cap.5. [g] *insperatè* cap.11. [h] *insperati* cap.18.[i]

a 1.de vita Mosis.
b Ioan.19.30.
c vers.11.
d vers.18.
e lect.191.
f vers.19.
g vers.2.
h vers.8.
i vers.17.

Vers. 15.] Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus.

DE carcere,necnon de vacatione operum,& vinculis,quæ describuntur sequentibus versibus duobus, nihil amplius habeo dicere, præter id quod initio capitis tractatum est.

Deinde si.] Græcè (εἶθ' οὕτως, *deinde sic.*) Sed breuiùs & clariùs Interpres exposuit.

Si quisquam ex illis decidisset.] Græcè (ὃς δήποτ' οὖν ἦν ἐκεῖ καταπίπτων, *quicumque tandem erat ibi decidens, quicumque sic deciderat*) nempe in eas angustias timorésque. Non denotatur casus in terram foueámve, vt voluit Lyranus, & cæteri vetusti Explanatores, atque Orosius, scilicet præ metu labendo, vt ait Sà. Generaliter agitur de omnibus,qui quolibet essent in loco sitúve,reddebantur immobiles, fixíque consistebant,sicut pridem declarauimus,ob tenebras palpabiles,& horribiles visiones.

Custodiebatur in carcere sine ferro reclusus.] Græcè (ἐφρουρεῖτο εἰς τὴν ἀσίδηρον εἱρκτὴν κατακλεισθεὶς, *custodiebatur in inferratum carcerem inclusus.*)

Vers. 16.] Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem.

HÆc operosorum hominum exempla,& qui sese maximè commouent, velut argumento ex comparatione maiorum minorúmque confirmant generalem propositionem; non verò propriè hi soli sunt intelligendi decidisse ac lapsi in terram, vel foueam.

Si enim.] Græcè (εἴτε γὰρ, *siue enim.*)

Rusticus.] Græcè (γεωργὸς, *agricola, terram colens,operansque,ruri habitans,ruri laborans.*) Laudant agriculturam multi, præsertim Aristoteles [a], docens esse maximè secundùm naturam, iustam, vtilem, & sicut educatio omnibus est à matre, ita hominibus à terra. *Non oderis*, ait Sapiens, *laboriosa opera,& rusticationem creatam ab Altissimo* [b]. Rectè; nam posuit Deus Adam in paradiso [c], vt operaretur illum, sed non laboriosè, sicut cùm postea denuò vsurpata est à Noë agricultura [d]; verùm ad voluptatē deliciásque, vt Augustinus [e] monet: qui præterea [f] meritò refellit errorem Gentilium agriculturę inuentionem referentium ad tempora post Saturni Regnum, quasi ætate huius aurea nulla fuerit agricultura. Dignatur Christus Patrem nomine agricolæ [g], & nos Dei Paulus vocat agriculturam [h]; de cuius laudibus alio egi loco [i].

De Saturno primo inuentore meminit Macrobius [k], cùm deferant hoc alij Libero Dionysio, quidam Cereri. Poëtæ quidem negāt vllam fuisse culturam agri ante Saturni Regnum; sed tunc quando Regno pulsus, eam Ianum,& Italos docuit. Vnde ille [l] de aurea ætate;

——— ipsáque tellus

Omnia liberiùs, nullo poscente, ferebat.

Item:

Ante [m] *Iouem nulli subigebant arua coloni.*

Præterea alius [n]:

——— natos sine semine flores,

Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Eadem canuntur a Tibullo [o], Lucretio [p], Hesiodo [q], Martiali [r], auctore Octauiæ, Orpheo. Leguntur etiam quæ scribuntur à Natali Comite [s]. Lactantius [t] autem affirmat posse se diuinis literis docere,vinum, atque fruges ante progeniem cœli,atque Saturni (cœli namque vocabulo Saturnus dicebatur) fuisse in vsu hominum.

Pastor.] Huius laudes artis alibi attigi [u]. Pastor omnis pecoris custos & altor est. Ægyptios tradit Scriptura [x] omnes pastores omnium esse detestatos,quod nō satis explicat Rupertus [y] per solum contemptum ex arrogantia & superbia; etsi Strabo [z] etiam infimo loco habitos pastores dicat, primo Sacerdotes,secūdo milites,tertio agricolas:simul tamen etiam prodit [a] hoc hominum genus in Ægypto non infrequens fuisse; quod præsens quoque locus indicat. Odio igitur prosequebantur qui oues, arietes, capras, boues ad pastum proprium pascerent,vt scilicet pascerentur iis ac vescerentur ipsi, quæ illi animalia venerabantur diuino cultu & honore; & quibus vtebantur duntaxat vel honoris & oblectamenti causâ,vt nos canibus,equis,&c. vel ad colendam terram:vel ad lanam vestium: vel ad lac caseúmque. Pharao quidem certè legitur dedisse Abrahę oues, boues, asinos [b].

Agri laborum operarius.] Græcè (τῶν κατ' ἐρημίαν ἐργάτης μόχθων, *eorum qui in deserto operarius laborum.*) Cantacuzenus vel interpretatur fossores metallorum, vel mercatores iter facientes, vel quosuis quiduis colligentes in agro ex iis quæ ad vitam conducunt. Vatablus præterea generaliter comprehendit omnes operas ad leuandam inopiam propriam locatas; & hoc sibi velle vult κατ' ἐρημίαν. Significat ἔρημος locum non solùm solitarium desertúmque,sed etiam incultum. Hęc tamē ex illa significatio proficiscitur;locus namque incultus absque habitatoribus ac incolis est.

a 1.Oeconom. c.2.
b Eccli.7.16.
c Gen.2.15.
d infrà 9.
e 8.Gen. ad lit c 8.
f 7.de ciuit. c.19.
g Ioan.15 1.
h 1.Cor.3 9.
i Eccle.5 8.
k lib.1.c.8.
l Virg.1. Georg.
m Idem ibidem.
n Ouid.1. Metam.
o lib.1.eleg.3.
p lib 5.
q lib 1.
r lib 12.epig. 64.
s 2.mythol. c.2.
t lib.1 c 18.
u Act.7.30.
x Gen.46. 34.
y 9. in Genes. c.39.
z lib.17.
a Gen.47.6.
b Gen.12 16.

Alia

Alia præterea notio pro eo qui destituitur auxilio: vnde ἐρημία ipsa destitutio, necnon penuria, quæque Latinè vocatur etiam solitudo. Non officit alter alteri sensus. Sed qui ab Interprete delectus est, nos delectare debet magis. Harum operarum operariorúmve in Ægypto numerus propè infinitus præter Hebræos, quos illi hac vna in re occupabant. Nec verò displicet per operarium laborum in deserto cæsores lignorum nominatim intelligere.

Ineffugibilem sustinebat necessitatem.] Græcè (*δυσάλυκτον ἀνάγκην, ineuitabilem necessitatem.*) Idem esset si dixisset Interpres *ineffugabilem*, quo pacto legit Hugo. Effugari nequit quod non potest effugi. Ferrea necessitas cognominatur, quæ & paulo pòst catena; dira quoque, dura, sæua, rigida, insuperabilis, violenta.

B

Parcarum quæ sunt inexorabiles fingunt matrem necessitatem, vt Plato [a] meminit, & Pausanias [b] refert in Acrocorintho *ἀνάγκης καὶ βίας, necessitatis & violentiæ* sacellum fuisse, quod ingredi nefas esset. A Fato non distinguebant Democritus, Parmenides, Epicurus, teste Plutarcho [c], ac Stobæo [d]: Trismegistus [e] indiuiduè copulabat; sed fatum rerum omnium parere, à necessitate earundem exitum pendere. Necessitatis ineuitabilitatem Laberius descripsit:

a 10. de Rep.
b in Corinthiacis.
c 1. de placitis Philosoph.
d lib. 1. Phys. serm. 8.
e in Asclepio.

Necessitas, cuius cursus transuersi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt.

Thales apud Laërtium appellat *ἰσχυρότατον, fortissimam*, quia *κρατεῖ πάντων, dominatur & coërcet omnia:* Æschylus [f] *ἀδήριτον σθένος* eius; Euripides *δεινήν, grauem*, ita vt *δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύει πλέον, graui necessitati nihil præualeat.* Deniq; Simonidis sententia;

f in Prometheo vincto.

C

Ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται.
Necessitati ne Dij quidem repugnant.

At non ab alio impositæ, sed quam sibi ipsemet imponit vnus ac verus Deus, & quam rei exigit natura ab ipso instituta, se necessitati accómodat.

Vers. 17.] Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Siue spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos auium sonus suauis, aut vis aquæ decurrentis nimium;

D

Vers. 18.] Aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus inuisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore.

HÆc est ineffugibilis antè dicta necessitas, qua tenebantur constricti, cum adeò vehementi pauore, vt quiuis, & quacumque ratione strepitus excitatus, eos terreret.

E

Catena.] Græcè (*ἁλύσει.*) De hac non aliud quid occurrit notandum, nisi elegans quædam paronomasia in prioris versus adiectiuo *δυσάλυκτος*, & in præsentis substantiuo *ἅλυσις*: quamuis illud ab *ἀλύσκω, euito, effugio, declino* deriuetur, hoc à *λύω, soluo*: sed scribendum spiritu aspero, vt videtur Eustathio [g], vt differat ab *ἄλυσις* cum tenui, pro *anxietate animi, & mœrore.*

g Iliad. ꞷ pag. 574. lin. 26.

Spiritus sibilans.] Græcè (*πνεῦμα συρίζον.*) Flatum possumus intelligere non tantùm venti, sed auræ lenis, & aëris quamlibet agitationem stridorémve, aut etiam cuiusuis animalis respirationem.

A

Auium sonus suauis.] Vernum tempus erat cùm ex Ægypto sunt dimissi Hebræi. Eo maximè tempore concentum aues edunt, inter quas luscinia, densante se frondium germine, diebus ac noctibus quindecim garrulum, vt scribit Plinius [a], & Aristoteles [b], promit sine intermissu cantum. De quo cantu plura admirabili Plinius elegantia. Legendus itē Vlysses Aldourandus [c], & quem citat Bellonius [d]. Non immeritò homines luscinia musicā creditur docuisse. Apuleius [e] hirundini maximè matutinū attribuit cantum, meridianum cicadæ, noctuæ serum, vespertinum vlulæ, nocturnū buboni, antelucanum gallo. Sidonius [f] Apollinaris addit ranas crepusculo incumbente blacterare, cygnos & anseres connubia nocte clangere intempesta, oscines coruos voce triplicata puniceā

a lib. 10. c. 29.
b 9. de histo. anim. c. 49.
c lib. 18. ornitholog. c. 2.
d lib. 7. de hist. auiū c. 1.
e 2. Florido.
f lib. 2. epist. epi. 2.

B

surgentis auroræ faciem consalutare. Lege Scholiastem Sauatonem. Tamen suauiter modulantiū matutinos vocat Virgilius [g] volucrum cantus, atque Propertius. At de luscinia cum aliis collata canoris volucribus ita nescio quis cecinit;

g 8. Aeneid.

Insuper est auium spatiis garrire diurnis:
Tu cantare simul nocte dieq; potes.

Mœstis ac trepidis nil iucundum & volupe: *musica constitutis in luctu importuna narratio est* [h]: suspecta & terribilia perterritis omnia.

h Eccli. 22. 6.

Vis aquæ decurrentis nimiùm.] Græcè (*ῥυθμὸς ὕδατος πορευομένου βίᾳ, rythmus & concentus aquæ euntis vi, currentis impetu & violentè.*) Quidam legunt, vt Hugo meminit (*in vnum:*) & passim accipiunt omnes de strepitu vehementiore aquarum, qualis est in

C

torrētibus, siue de murmure per vim fluentium prono ac præcipiti motu, & veluti ad numerum perstrepētium. *Sonitum* vertit Vatablus. Aquā nimiùm decurrētem dixit Interpres; nec enim sonitus edi violentè, atque ad numerū potest, nisi copiosè fluat aqua. Vt sonitum murmúrque vehemētius denotaret Ezechiel vocē dixit fuisse quasi vocē aquarum multarum [i], & sonum alarū quasi sonum aquarum multarum, & quasi sonū sublimis Dei [k]. Vtitur eadem phrasi Ioannes in Apocalypsi [l], seu comparatione vocis cum aquarū multarum sono; quod multis exponitur modis, quos recentissimus eiusdem libri Enarrator Alçazar noster affert. Notū ac tritum satis artificium, quo

i c. 43. 2.
k c. 1. 24.
l c. 1. 15. c. 14. 2. c. 19. 1. 6.

D

per tubos ac fistulas variè dispositas, & aquā deductam partim obstruētes, partim protrudentes musicus editur sonus nihilo minor, vel insuauior eo quem quæ vulgò vocata musica organa edunt. Testes celebres illi Estensium horti Tyburtini, vbi modulatè personat hydraulum, cuius inuentor primus, teste Plinio [m], Ctesibius. Describit egregiè Claudianus [n].

m lib. 7. c. 37.
n ad Manliū.

Et qui magna leui detrudens murmura tactu
Innumeras voces segetis moderatur ahenæ,
Intonat (vel *insonat*) *erranti digito, penitusq; trabali*
Vecte laborantes (vel *rectè adlabantes*) *in carmina concitat vndas.*

E

Tertullianus [o] meminit de organo hydraulico Archimedis, quam eius appellat munificentiā, & eleganter quoque depingit. Legēdus Vitruuius [p], qui graphicè id ex Herone Alexādrino describit. Citat verò Sidonij Scholiastes Sauaro præter hūc, & alios à me nominatos, Suetoniū [q], Ammianum [r], Capellam [s], Athenæū [t], Codicē [u] Iustinianæū, Seruiū [x], Isidorū [y]. His adde Causauboni, cacodoxi licèt auctoris, notas in Athenæū; & in Suetonium Beroaldi. Isidorus autem obseruat Musas appellatas nymphas quasi lymphas, quoniam aquæ motus musicen efficit.

o lib. de anima. c. 14.
p lib. 10. c. 13.
q in Nerone c. 41.
r lib. 14.
s lib. 2. & 9.
t lib. 4. c. 23.
u l. 4. de excusat. munerum.
x in 7. Aenei.
y 8. etymol. c. vlt.

Sonus validus præcipitatarum petrarū.] Hoc modo meliùs, quàm, vt alij non pauci codices (*præcipitantium.*) Lenibus Auctor grauiores admiscet sonos. Ad prius genus videntur pertinere priora exempla; ad posterius hoc & sequentia. Sic quidem etiam Cantacuzenus intellexit. Grauis horridúsque profectò molium sonitus est quæ præcipites de summis montibus aut rupibus distringuntur, colliduntur, cum impetu deferuntur. Κτύπος ἀπηνὴς est *fragor immanis, asper, sæuus iniucundus.*

Ludentium animalium cursus inuisus.] Græcè (σκιρτώντων ζώων δρόμος ἀθεώρητος, *lasciuientium & saltantium animalium cursus visum effugiens*) non solùm quia percipi nequibat in tenebris, timebántque ne ab iis obtererentur; sed quoniam nec de die quidē ab oculatissimis propter celeritatem, qualis verborum cursus à M. Tullio [a] describitur, & sic euolans oratio, vt eius vim atque incitationē aspexisset, vestigia ingressúmque vix vidisset.

Mugientium valida bestiarum vox.] Græcè (ὠρυομένων ἀπηνεστάτων θηρίων φωνή, *rugientium sæuissimarum bestiarum vox.*) *Vlulantium* reddit Iansenius, dicens ὠρυομένων (voluit, credo, dicere ὠρύεσθαι) esse luporum proprium, mugire boum. Vatablus & Clarius *rugientium* vertunt. Cantacuzenus exemplum dat in lupis & canibus. De lupis canibúsque propriè dicitur ὠρύειν: at extenditur interdū quoque ad leones, quibus conuenit βρυχᾶσθαι, & sic vsurpauit Interpres in Epistola Petri prima [b], διάβολος ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ, *diabolus tanquam leo rugiens circuit.* Sed & apud Latinos *mugire* transfertur ad quemlibet sonitum: Plinius [c] enim etiam nemorum mugitum dixit: Virgilius [d] ac Lucretius [e] tubæ: alij de tonitruis, aëris, terrestribúsque affectionibus vsurpant, vt de soli seu terræ concussu Seneca [f], & idē Virgilius [g] (dicunt & Græci [h] μυκᾶσθαι τὴν γῆν) qui etiā de cortina [i], & de hominibus ipsis [k]: quidam prętereà de mari, vnde cognominatus Neptunus μυκτὰς καὶ ταύριος: de ceruis adhuc Seneca [l]: item de traiectis veru fibris [*].

Hæc volui, minimè alioqui necessaria, dixisse pro Interprete, qui tam bene *mugiendi* hoc loco verbum posuit, quàm vel *rugiendi*, vel *vlulandi* alij; quæ verba omnia metaphoricum non infrequentem habent vsum: sed *mugiendi* fortassis frequentiorem. Certum est leones feráque bestias nōnullas sola tremefacere voce atque exanimare.

Resonans de altissimis echo.] Græcè (ἀντανακλωμένη ἐκ κοιλότητος ὀρέων ἠχώ, *repercussa*, vel *contrareplicata ex cauitate montium echo.*) Ignaris quid echo sit metus inde suboriri potest. Est soni reflexio, quando is in læue concauúmque corpus incurrens, ceu pila repulsus, resilit, siue aërem, qui vehat illum reuehátque, contendas eūdem esse; seu, quod magis credo, sonum aut reali productione, aut intentionali multiplicari, & cùm peruenit, & cùm reuenit. Legatur Aristoteles [m], & Toletus [n]. Elegāti describit Ausonius echo epigrammate [o], & Ouidius in Metamorphosi [p]. Euodus [q] acutè appellat ἠχὼ μιμολόγον, φωνῆς τρύγα, ῥήματος οὐρὰν, *echo imitatricem sermonis, vocis fæcem, verbi caudam.*

Cæterùm Interpres bene sententiam expressit, dum resonantē dixit echo: fit enim resonus sonus ob repercussum illū & quasi complicationē, quā dixi. Vocauit quoque altissima pro montibus; non tam quòd intellexerit ad producendam echo requiri altissimos montes, quàm cauitates, & profunditates; ita vt sumpsisse videatur *altissima* pro profundissimis. Fabulam de echo recitat Na-

A talis Comes [a] & Gyraldus [b]. Auræ, seu aëris, & linguæ filiam facit Ausonius; Euripides [c] πέτρας ὀρείας. Imaginem Poetæ [d] solent nominare, numirum vocis, & soni, quem repræsentat, refert, reddit, reiectando, resultando, resonando, reboando, redeundo, responsando, remugiendo, ingeminando, &c. vt iidem, & alij auctores loquuntur.

Deficientes faciebant illos præ timore.] Græcè (παρέλυον αὐτοὺς ἐκφοβοῦντα, *dissoluebant illos deterrentia.*) Septem istis sonorum modis mysticè designata capitalia peccata septem notat Hugo hoc ordine, superbiam, acediam, luxuriam, iram, inuidiam, gulam, auaritiam. Sed Bonauentura veluti catenam texit eorum quæ ad peccatum concurrunt,
B quod catenæ nomine ab Isaia [e] vocari dicit, diaboli suggestionem occultam, cogitationis delectationem, consensum in perpetrationem peccati, exteriorem operationem eius, prauam consuetudinem, apertam gloriationem de perpetrato peccato, delectabilem peccati recordationem. Illustrat egregiis aliis Scripturarum testimoniis. Indicasse sit satis. Auctores adeat quem ista delectant.

Vers. 19.] Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur.

C *Vers.* 20.] Solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.

AD extremum differentia statuitur inter impios Ægyptios, & cæteros extra Ægyptum degentes, quòd Ægyptiis propter tenebras vexatis, ac impeditis ne quicquam interim operis facere possent, cæteri claro cœli lumine potirētur, & ad operandum expediti essent alacrésque. Illæ autem tenebræ simul præfigurabant tenebras, quas iidem Ægyptij post hanc vitam subituri
D erant æternas. Quocirca ipsimet tenebris sibi lōge grauiores erant; quippe intus & in animo causam gerentes facinorum suorum conscientiam, quibus hæ tenebræ, ac tetriores illæ aliæ debebantur, & continuò, vel sola cognitione atque recordatione illorum discruciabantur, cum imminentis exitij dira formidine.

Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine.] Extra Ægyptum, & in Ægypto, vbi habitabant Hebræi etiam permixti Ægyptiis; quibus tamen Ægyptiis nō licebat ea frui luce qua fruebantur Hebræi. Verùm quia noctis quoque vicissitudo nihilominus vbique erat, & nubilū fortassis alicubi seu de nocte, seu de die cœlum, limpi-
E dum lumen quo illuminabatur omnis orbis terrarū, debet intelligi vel de cœlesti, sicubi resplendebat, vel de excitato per flammas & ignes; quod nec Ægyptiis licuisse antea docuimus. Putat Iansenius his verbis innui omnem etiam Ægyptum verè illuminatam fuisse, sed sic, vt Ægyptij lumē non perciperent. Nos item priùs reiecimus tenebras illas extitisse ex vaporum densitate, ita vt ideirco palpabiles iure dici possent, non quòd prohiberet duntaxat Deus ne syderum igniumve lux ad Ægyptios perueniret. Fateor tamen aliquando dici orbem ac mundum totum non tantùm de habitabili, sed & de habitabilis

magna

[a] 1. de orat.
[b] c. 5. 8.
[c] lib 18. 35.
[d] 8. Aeneid.
[e] lib. 4.
[f] in Thyest. act. 3. & in Oedip. actu 2. in chor. & in Troadib.
[g] 4. Aeneid. & 6.
[h] Arist. 3. Meteor c 8.
[i] 3 Aeneid.
[k] eclog. 6. & 12. Aeneid.
[l] in Hippoly. act 1. in choro.
[*] in Thyest. act. 3.
[m] sect. 11. problem in 43 & 51 & 2. de anima. tex 80.
[n] 2. de anima. q 23.
[o] epig 11. vide et 3 ep 35.
[p] lib 3.
[q] lib. 4. epig. Græc.

[a] 9. mytholo. c 16.
[b] histo. deorū syntag. 15.
[c] in Hecuba.
[d] Virg 4. Georg Lucre. lib. 4. Hora lib. 1. ode 12. & 20 Valer. 3. Argonau. Silius lib. 14.
[e] c. 5. 18.

magna aliqua parte, siue de hominum copiosa multitudine; vt cùm descriptus dicitur sub Christi natiuitatem vniuersus orbis [a], aut abiisse post Christū mundus totus [b], &c. Et sic aliqui, licèt malè, volunt tenebras super vniuersam terram [c] Christo in Cruce passo, intelligi de sola Iudæa.

a Lucæ 2.1. b Ioan.12.19. c Mat 27.45.

Non impeditis operibus continebatur.] *Venit nox, quando nemo potest operari* [d]: ortus est Sol, &c. *exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperum* [e]. Hæc inter alias vtilitas noctis, vt laborum molestiam interrumpat. Hinc arbitrantur aliqui manè בֹּקֶר *boker* Hebræis dici à בִּקֵּר *bikker*, hoc est, *quærere & discernere*: noctem עֶרֶב *hhereb* à עָרַב *hharab*, quod *ligare* significat. In eleganti Tragicus [f] renascentis diei descriptione hoc etiam ponit, quòd

d Ioan.9.4. e Psal.103.23. f Seneca in Hercule furen.act.1.

Labor exoritur durus, & omnes
Agitat curas, aperitque domos
Pastor, &c.

Continebatur.] Græcè (συνείχετο.) *Contineri* hîc significat occupari, distineri, veluti alligari operibus. Vatablus reddit (*frequens erat.*) Budæus [g] quidem συνέχειν exponit esse interdum *coire* seu *conuenire*; at non cum eiusmodi constructione.

g comment. ling.Græc.

Superposita erat grauis nox.] Græcè (ἐπετέτατο, *superextensa*, vel *superexpansa ceu vmbraculum, velúmve.*) Apta metaphora, quoniam

Nox [h] *atra rerum contegit*
Terræ colores omnium.

Sed quasi reducto ac retracto velo,

Rebúsque [i] *iam color redit*
Vultu nitentis syderis.

h hym. ad matuti. feria 5. i hym. ad laudes feria 4.

Non tamen ita, vt sine lumine nulli reuera sint colores, vt quidam parum philosophicè sunt arbitrati; sed quia cerni nisi illuminati nō possunt.

Imago tenebrarū, quæ superuentura illis erat.] Græcè (εἰκὼν τοῦ μέλλοντος αὐτοὺς διαδέχεσθαι σκότους, *imago quæ illis erant superuentura, tenebrarum.*) Videtur Interpres intellexisse, quòd nox ipsa quæ sit imago tenebrarum, & erat superposita, adhuc superuentura esset quasi non in morem mobilis vmbraculi, sed vt perpetuò mansura. Vel quòd eademmet nox superposita, id est, imminens, & alio nomine imago tenebrarum, hoc est, expressæ tenebræ, superuentura erat, hoc est, mox comprehensura & oppressura illos. Intelligetur hoc meliùs ex his quæ paulo pòst dicemus de vmbra mortis. Alioquin iuxta communem quoque sensum, quòd nox ac tenebræ in Ægyptios per triduum immissæ præsignificauerint Tartari tenebras æternas, necnon vt Græcus textus apertè indicat, verti debuit (*imago tenebrarum, quæ superuenturæ illis erant.*) Nam σκότος quidem numero vnius, at plurali solo numero *tenebras* vsurpamus. Ita quidē Vatablus interpretatus est, atq; Latina Sixtiana versio ex Græca.

A

Triplices tenebras Auctor denotat, materiales, mentis, damnationis. Ex secundis primę natæ sut, vt ex culpa pœna: tertiæ quoque, sed pœnæ continent æternitatem, atque priuationem tum luminis materialis, tum diuini, cuius aspectu beatitudo percipitur. Sæpe admodū sacræ literæ peccata tenebris similia faciunt. Causas affert nonnullas Oleot [a], quia tenebræ errorem efficiant, terrorem, languorem, torporē. Latiùs hæc res patet. Sed in mysticis hærere non vacat. Id nō omittendum, tenebrarum tartarearum censeri peccati tenebras imaginem posse, ad eum ferè modū quo & mortis quædam aliquādo nominatur vmbra [b], Hebræa voce צֵל *tsel* cum צֶלֶם *tselem*, quæ *imaginem* ac *similitudinem* significet. Homo creatus ad imaginem & similitudinem Dei [c], Hebraicè dicitur בְּצֶלֶם *betselem*, quod aliqui explicant, *in vmbra & in imagine pertransiens* [d] *eodē pacto*. Certè vmbra quædam corporis expressa similitudo ac delineatio est, quamuis subobscura. Iuxta hūc modum Ægyptiaca illa nox triduana posset appellari tenebrarum imago, non aliarum, sed ipsissimarum quæ tunc erant, perfecta quædam expressio, ita vt synonymè res eadem & grauis nox vocetur, & imago tenebrarum; grauis, inquam, nox, quia serena nox persæpe Lunæ lumine aliorúmque syderum inclarescit, aut certè, si nubila sit, flammarum & ignium excitatorum splendore.

a lect.194. b Iob.3.5. c. 10.21 Luc.1.79. Mat.4.16. Esa.9.2. Psal.22.4. Ps.106.10.14. c Gen.1.26. d Ps.38.7.

B

C

Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.] Non aliter è Græco verti potuit (ἑαυτοῖς δὲ (*autem*) ἦσαν βαρύτεροι σκότους:) non verò *tenebra*, vt legit Lyranus, Hugo, Carthusianus, Bonauentura, qui meminit etiam nostræ lectionis. Sensus ex dictis constat, fuisse grauiores Ægyptios sibi quàm tenebras materiales, quia peccati conscientia cruciat acerbiùs, & peccatum gratiæ lumine, atque gloriæ priuat. Est sibi ipsi grauis peccator [e]. Se cùm nequeat ferre grauatis super se sicut onere graui suis iniquitatibus [f], niti debet vt iactet in Deum curam [g], Hebraicè onus, יְהָבְךָ *iehabecha*, vt quibusdam placet; Chaldaicè סוֹבָרָךְ *sobarach*, siue cogitatum, μέριμναν, *sollicitudinem* [h]. Refert Cantacuzenus grauem illā molestiam tenebris ipsis maiorem ad animi abiectionem & ignauiam, quæ tenebras reddebat grauiores & molestiores.

e Iob 7.20. f Psal.37.5. g Ps 54.23. h 1.Pet 5.7.

D

Quæstionis porrò, quā agitat in vtrãque partem Castro noster, nec planè definit, ex dictis peti solutio potest; num tenebræ aërem reuera occupauerint, an aëre illuminato, tenerentur Ægyptiorum oculi, ne ipsum & alias res viderent. Primum longè probabilius; tametsi sua sit & secundo probabilitas, in toto sermonis præcedentis decursu, discursúque satis indicata.

SVMMARIVM.

PERSISTIT adhuc Auctor in enumeratione ac declaratione beneficiorum quibus affecit Hebræos Deus; maximè verò quòd inter tenebras quas patiebantur Ægyptij, de quibus antea dictum est, clara luce fruerentur: præterea, quòd in itinere præducem consecuti sint ignis columnam: deinde, quòd occiderit Angelus Ægyptiorum omnia primogenita: postremò, quod cùm ignis magnam populi multitudinem depasceretur propter seditionem Core, placari se Deus passus fuerit incensum offerente Aaron Sacerdote, atque pro populo deprecante.

CAPVT XVIII.

A 1 Sanctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem audiebãt, sed figuram non videbant. Et quia non & ipsi eadem passi erant, magnificabant te:

2 Et qui antè læsi erant, quia non lædebantur, gratias agebant: & vt esset differentia, donum petebant.

3 Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & solem sine læsura boni hospitij præstitisti.

4 Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen seculo dari.

B 5 Cùm cogitarent iustorum occidere infantes: & vno exposito filio, & liberato, in traductionem illorum multitudinem filiorum abstulisti, & pariter illos perdidisti in aqua valida.

6 Illa enim nox antè cognita est à patribus nostris, vt verè scientes quibus iuramentis crediderunt, animæquiores essent.

7 Suscepta est autem à populo tuo sanitas quidem iustorum, iniustorum autem exterminatio.

C 8 Sicut enim læsisti aduersarios: sic & nos prouocans magnificasti.

9 Absconsè enim sacrificabãt iusti pueri bonorum, & iustitiæ legem in concordia disposuerunt: similiter & bona & mala recepturos iustos, patrum iam decantantes laudes.

10 Resonabat autem inconueniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

D 11 Simili autem pœna seruus cum domino afflictus est, & popularis homo regi similia passus.

12 Similiter ergo omnes vno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum viui sufficiebãt: quoniam vno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est.

13 De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc verò primùm cùm fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei esse.

E 14 Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet,

15 Omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit,

16 Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cœlum attingebat stans in terra.

17 Tunc continuò visus somniorum malorum turbauerunt illos, & timores superuenerunt insperati,

18 Et alius alibi proiectus semiuiuus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis.

19 Visiones enim, quæ illos turbauerunt, hæc præmonebant, ne inscij, quare mala patiebantur, perirent.

20 Tetigit autem tunc & iustos tentatio mortis, & commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua.

21 Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.

22 Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se vexabat, subiecit, iuramenta parentum, & testamentum commemorans.

23 Cum enim iã aceruatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, & amputauit impetum, & diuisit illam quæ ad viuos ducebat viam.

24 In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.

25 His autem cessit qui exterminabat, & hæc extimuit; erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

Vers. 1.] Sanctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non & ipsi eadem passi erant, magnificabant te.

NEXVM habent hæc cum extremo priore capite, vt cùm Ægyptij hostes Hebræorum tenebrarum paterentur molestias, ac tenebris ipsis sibimet grauiores ipsi forent, nec illorum vultus intueri, sed solas voces audire possent; Hebræi ingenti voluptate perfusi, quæ de limpidæ lucis copia, qua illustrabantur, promanabat, Deum celebrarent ac beatum prædicarent.

Sanctis.] Monui cur ita populus Hebræus cognominaretur, tametsi conflaretur etiam ex improbis. Vna causa, quòd veritatis lumine splendescerent, nec in idololatriæ obscuritate tenebrísque versarentur; cum quo tamen lumine aliorum tenebræ peccatorum consistere possunt.

Maxima erat lux.] Qualis esse consueuit non

impedita tenebris, nube, caligine, &c. quod præcedente capite [a] vocabatur limpidum lumen, λαμπρὸν φῶς. In Exodo [b] simpliciter dicitur lucem fuisse vbicumque habitabant filij Israël. Solito clariùs sydera luxisse, aut lychnos accensos, nil opus est affirmare; & rectè Carthusianus negat. Tamen ait maximam dici lucem more Scripturarum, quæ vsurpant obscurari luminaria cœli, dum homines quibus lucent, incidũt in magna aduersa: clariùs relucere, quando prosperantur. Illustrari vno id exemplo potest ex libro Esther [c], vbi cùm in libertatem Iudæi asserti essent, scribitur, quòd *noua lux ipsis oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.* Symbola quoque lætitiæ apud omnes gentes sunt ignes excitati: & conspectius est proprium bonum, alieno, præsertim aduersariorum, oppositum malo.

a vers.19.
b c.10.ver.23.
c c.8.16.

Horum quidem vocem audiebant.] Suas nempe res agentium, vt ait Cantacuzenus. Bonauentura & Carthusianus addunt vocem laudationis, quam putãt significari verbo *magnificabant*, Hebræorum fuisse; qua de re paulo pòst. Iansenius confutat lectionem quorundam codicum (*horum quidem vocem inimici audiebant.*) Meminit glossa interlinearis, & est apud Olcot [d]. Arbitror glossema in textum transiuisse.

d lect.195.

Sed figurã non videbant.] In tenebris percipiuntur soni faciliùs, quoniam ferè tũc sedatoria omnia: lux etiam cerni posset résque aliæ ab eo qui ageret in tenebris, nisi mediũ tot foret obstructũ impedimentis, vt excipere species ex illuminato corpore proiectas nequiret, vel óculorum vis ad videndum impedita esset. Vtrumque tunc Ægyptiis euenisse Bonauentura sentit: Olcot primum; cui assentior magis, quia non video cur Ægyptios cœcitate percussos asseramus, vt prior affirmat auctor; & satis visionem tenebræ solæ densæ palpabilésque impediunt, quemadmodum & solidi obiectus corporis cuiuslibet.

Et quia non & ipsi eadem passi erant, magnificabant te.] Sic expressum videtur ex editione Græca Cõplutensi, Regia, & aliis (ὅτι μὲν οὐ κἀκεῖνοι ἐπεπόνθεισαν, ἐμακάριζον.) Sed in Sixtiana, & Aldina est (ὅτι μὲν οὖν, *quoniam quidem igitur.*) Videtur Cantacuzenus priorem secutus lectionẽ, & de Ægyptiis interpretari, qui quòd non eadem passi essent, hoc est, nõ eodẽ vt Hebræi modo affecti, & luce perfruiti, magnificarent ac beatos prædicarent Hebræos. Idem de Ægyptiis, sed alia ratione, sensus retineri potest, si eadem pati, non vt iam dictũ est (quamuis talem dicendi formulam fatear Græcis non inusitatã) sumamus; sed vt significat propriè pati ac tolerare. Nam sic etiam Ægyptij beatos intelligerent Hebræos prædicauisse, quòd illos cognoscerent immunes à tenebrarum plaga fuisse. Placet hoc Osorio.

Tertius sensus est, Hebræos ipsos pro beneficio hoc suo magnificasse ac laudasse Deum. Hic plurium est, omnium verò antiquiorum Latinorũ, necnon Iansenij. Interpres addidit pronomen secũdæ personæ (*te*) in fine; quod in oratione Auctoris ad Deum directa iam inde à cap. nono, nõ alium indicat quàm Deum ipsum, quem non Ægyptij plaga vexati, sed Hebræi tam benignè tractati magnificasse & beatificasse videantur.

Quartò, retinendo, vt par est, pronomẽ (*te*) exponetur adhuc rectè, quòd vbi Hebræos Ægyptij non inuolui deprehenderunt iisdem tenebris, vel inuiti laudibus extulerunt Dei iustitiam, quæ in præsentia in ipsos tam durè animaduerteret, Hebræos adeò benignè tractaret, mutatis nimirum vicibus; vtpote cùm nuper Hebræos illi grauiter vexauissent, interim ipsi in summa felicitate viuẽtes. Hanc expositionem vltimam post penultimam maximè probo.

Eadem.] Alij (*per eadem.*) Redundat (*per*) sed idem sensus.

Magnificabant te.] Græcè (ἐμακάριζον, *beatificabãt.*) Videlicet vel Hebræi Deum, vel Ægyptij, sicut antè notauimus, simul monentes de adiecto pronomine (*te.*) Qua ratione magnificari à creatura creator censeatur, aliàs [a] docui. Magnus est Deus per se; nos quãdo ipsius pro nostra paruitate magnitudinem declaramus, illum magnificare dicimur. Græci periti scriptores μεγαλύνειν, Latini *magnificare* vsurpant pro efferre ac extollere siue verbis, siue factis, siue opinione, sed verbis potissimùm. Quandoque *magnificare* etiam est superbire, vt Psalmo 9.[b] *vt non apponat vltrà magnificare se homo super terram:* itẽ loqui superbè; vt Psalmo 11.[c] *linguam nostram magnificabimus.* Modos quinque distinguit Albertus, quibus magnificari Deus possit, laude, opere, sanctitate vitæ, aliorum ad Deum cõuersione, miraculis. Omnes in cantico B. Virginis quod à *magnificandi* verbo inchoauit, esse demõstrat. Beatum vocat Paulus [d] Deũ, & Christũ [e], & salutat Ecclesia Beatam Trinitatem: at non memini vspiam legere beatificari à nobis. Non minùs quidẽ id vsurpari posset; nihilominus nescio quo magis pacto abhorret ab vsu communi, quoniam beatitudo Dei magis expresse summum importat bonum, quòd cæteris communicari, nihil autem ab alio recipere valeat.

a Act.5.13. c.10.46. & alibi.
b vers.vlt.
c vers.5.
d 1.Tim.1.11.
e ibid.c.6.15.

Vers.2.] Et qui antè læsi erant, quia non lædebantur, gratias agebant; & vt esset differentia, donum petebant.

Dupliciter hæc quoque possunt intelligi, vel de Ægyptiis, vel de Hebræis. Ægyptij quãdo tenebris occupati, nec se tueri valentes, non lædebantur ab Hebræis, quos læserant, gratias illis agebant, vtque è suis finibus excederent, enixè precabantur, veriti diriora mala, nisi eos dimitterent. Sic Osorius & Cantacuzenus. Addit Vatablus inimicitiarũ quoque veniam rogauisse, scilicet quòd se inimicè contra ipsos gessissent. Cæteri declarant Hebræos, qui priore membro dicebantur Deum beatificauisse, quia non experirẽtur tenebras, quas Ægyptij, gratias eidem egisse, quoniam isti qui priùs læserant, lædere penitus nequibant, vtpote in proprio loco defixi, ac ne se quidem valentes mouere, quin potiùs trepidãtes ad leuissimum quemlibet sonum, multóque magis, ne acceptas iniurias Hebræi, quod nullo negotio poterant, vlciscerentur: simul præterea ab eodem Deo hoc munus petiuisse, vt tale semper discrimen constitueret inter ipsos & Ægyptios, similésque aduersarios alios. Sic istis assentior, vt iuxta interpretationem Latinam, quam sequi debemus, non aliter sequi possim. Sed sequens enucleatio fidem faciet maiorem. Confirmari hoc etiam posset ex Dei verbis, quibus prædicens plagam interfectionis primogenitorum ait [f]; *vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus Ægyptios ab Israël.*

f Exod.11.7.

Et qui antè læsi erant, quia non lædebantur.] Græcè (ὅτι δὲ οὐ βλάπτουσι προηδικημένοι, *quoniam autem*

A *non laedunt antea laesi,seu iniuria affecti.*) Quæ fauent primæ explanationi, quòd Hebræi læsi ab Ægyptiis, Ægyptios non læserint. Nisi dicas vocis passiuæ participium προενδικημένοι actiuam significationem habere. Tunc enim sic exponeremus (*quia autem non laedunt, qui prius laeserunt*) videlicet Ægyptij Hebræos. At illud nequit dici:multo minùs τὸ βλάπτουσι passiuè sumi; sicut Interpres *laesi erant*, ac *laedebantur* in significatione passiua vsurpauit. Non possum satis nostram cum Græca editione componere: quod facilè fieret,si pro (*laedebantur*) legeremus(*laedebant.*) Sed nefas leuissimè tantæ auctoritatis editionem lædere, aut Græcæ, quod Brugensis facit,postponere.

Gratias agebant.] Habent Sixtiani codices Græci (εὐχαριστοῦσιν) sed alij (ηὐχαρίστουν) quibus congruit editio Latina. Qui locū intelligunt de Ægyptiis, B addūt (*ipsis*) vt Vatablus, hoc est, Hebræis illi gratias agebant:qui de Hebræis (*tibi*) nēpe Deo. Cùm sit propriè de plaga tenebrarum sermo, gratiæ quas Hebræi dicuntur egisse, ad liberationem ab illa videntur spectare. Non exprimit Exodus [a] communes populi gratias,nisi post demersos Ægyptios. At non dubito, quin sigillatim,& communiter etiam egerint illas pro cunctis plagis, quib. puniti sunt aduersarij,ipsis intactis relictis.

Mitto digressionem de gratiis agendis Deo. Illam Olcot [b] facit:nos aliquid aliàs hoc ipso libro. Hunc propriè spectat gratias agere, non de cōcessis duntaxat positiuis,vt vocant,muneribus, verùm etiam de damnis, & peccatis quæ vitauimus,de occasionibus & periculis quæ effugimus. C Corpore mancus meum beneficium est: hæreticus,idololatra,homicida,mœchus,&c.meum beneficium est, si hæc ego non sum: diues etiam, Prælatus,Rex,sapiens,&c. meum beneficium est, quoniam his ego rebus ad peccandum fortassis abuterer. Pia veraque Augustini [c] sentētia.[Quidquid mali ipso custodiente nō committitis (Virgines alloquitur) tanquam remissum ab illo deputate:ne modicum vobis existimantes dimissū, modicum diligatis:& tundentes pectora publicanos ruina iactantiæ contemnatis [d].]Rursus [e] cōueniens Deum ipsum; [Scio Domine,ait, quòd nullum peccatum est, quod vnquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si creator desit,à quo factus est homo. Sed quòd nō fa- D cerem,tu fecisti; quòd abstinerem, tu iussisti, & quòd tibi crederem,gratiam tu infudisti.]Hoc est gratias agere,quia non lædimur. Ostendit Olcot actionem gratiarum esse operationem beatorū, perceptorū augmentationē, diuinitatis protestationem,nostræ necessitatis demonstrationē. Assignat pro materia beneficiū creationis, redēptionis, expectationis,quòd peccatores ad pœnitētiā Deus expectet,conseruationis,præmiationis. Denique requirit ab agente gratias magnitudinem, vt maiores agat,quia recepit beneficia maiora;vt assiduè,vt vniuersaliter,hoc est,pro vniuersis,tam E aduersis quàm prosperis;vt hilariter.

Et vt esset differentia,donum petebant.] Variabant lectiones (*vt esset differentiae donum, petebant*) vel (*vt esset differentia, te Deum petebant*) sic legit Lyranus,Hugo,Carthusianus, Bonauentura, Olcot [f], seu (*te Dominum donum.*) Græca sic habent (καὶ τοῦ διενεχθῆναι χάριν ἐδέοντο) quæ Complutēses in interlineari versione interpretātur(*& differēdi gratiā orabāt*) χάριν aduerbialiter,quod sæpe fit,pro ἕνεκα accipientes. Antea posui Vatabli interpretationē, & inimicitiarum veniam rogabant:Cantacuzeni & Osorij explanationem,vt poscerēt ab Hebræis Ægyptij vt differrentur, hoc est, vt ab ipsis recederent. Non differamus nos ab emendato Interprete:sed χάριν sumamus vt nomen,τοῦ διενεχθῆναι (supplendo ἕνεκα, quemadmodum crebrò suppleri solet) *vt esset differentia*;quod ad verbum diceretur(*& differri,donum petebant.*)Scio Latinè dici *differimus*,pro *dissidemus*;quò spectat Vatablus,ita vt petere donū differentiæ (qua voce Itali Galliq́ue vtuntur pro dissidio)sit petere veniam dissidij & inimicitiarum. Est etiam *differre* idem quod distare,& in diuersas partes ferre & importare. Sic petere donum vt esset differentia, fuisset petere vt recederent; quod continet expositio Cantacuzeni & Osorij. Eædem sunt verbi Græci διαφέρειν & διενεχθῆναι,de quib. Budæus [a],notiones. Quòd si alia non obstarent, nihil impediret *differentiae* vox, quin possemus recipere sensum traditum à Cantacuzeno,& alium à Vatablo.

Melior itaque sensus est de Ægyptiis,qui vocem audiēntes Hebræorū,nec tamen videntes eos, prædicabant beatos,quòd similia non paterētur; & gratias iisdem agebāt, quòd ipsi sese cùm possent, non vindicarent; & præteritarum inimicitiarum veniam flagitabant, & rogabant vt illicò abirent, veriti peiora,si diutiùs retinerentur, vel consisterent in Ægypto. Colligitur hoc præsertim vltimum ex historia Exodi [b].

Donum.]Græcè(χάριν.)De hac voce Græca egimus iampridem [c],& de dono, quod pro illa ponit Interpres, atque de Deo ipso, qua ratione dicatur donum.

*Vers.*3.] Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & Solem sine læsura boni hospitij præstitisti.

PRæmium hoc fuisse scribitur siue benignitatis Hebræorum,se,cùm possent,non vlciscentium de Ægyptiis quos oppresserāt tenebræ;siue potiùs gratitudinis aduersùs Deū:solet enim gratus animus benefactorem ad noua conferenda beneficia prouocare. In c.10.de beneficio columnæ ignis nubisq́ue egimus;restat sola quarundam vocum declaratio.

Propter quod.] Græcè(ἀνθ' ὧν,*pro quibus*)nēpe aut altero ex modò dictis,aut vice locoq́ue tenebrarū Ægyptiarum. Nam ignis colūna nocturnas tenebras dispellebat:Ægyptij de die tenebras passi erāt. Similem, sed clariore priùs [d] Interpres sermone rationē reddidit post narrātum exeidium rerum ad escas necessariarū; *pro quibus Angelorum esca nutriuisti populum tuum*,ἀνθ' ὧν,&c. Possent hæc etiam exponi,quoniam vrgēdo petebāt Ægyptij, plagis acerbissimis constricti, vt abirent Hebræi, propterea tu,ô Deus,istos eduxisti de Ægypto,ac tāquā dux præiuisti per colūnam ignis,nubisq́ue.

Ignis ardentē columnam.]Græcè(πυριφλεγῆ στῦλον.) Ardor nō denotat hoc loco caloris copiā,sed lucis cum eo calore,qui nocturnū frigus,cùm opus esset,tēperaret, Angelo scilicet ipso colūnam illā tēperante,vt citato cap.decimo docuimus. Aliud est lucere, aliud ardere:& Ioannē Christus [e] esse affirmauit simul ardentē,simul lucernā lucentem. Sed quoniā ignis nostras dū ardet,lucet,per trāslationem quidquid lucet ardere quoque dicitur, vt sydera ipsa;vt quem dicūt ignem fatuum;quique fortassis fuit quo describit Virgilius Iuli [f] &

Margin notes (left): a c.15. — b lect.195. — c de sancta Virg.c.52. — d Luc.18. — e Soliloq.c.15. — f lect.195.

Margin notes (right): a comment. ling. Græc. pag.409. & 410. — b c.10.7.c.12. 13. — c c.3.9.14.c.8. 31. — d c.16.20. — e Ioan.5.35. — f Aeneid.2.

a Aeneid. 7. b lib. 1. c in 4. Consulatu Honorij. d in martyrolog. 23. Septemb. e ibid. f ibid. g ibid. h de prædi. dimid. temp. c. 6. i 13. de ciuit. c. 31. k in dieb. canicul. colloq. 23. l 4. Aeneid.

Laniniæ [a] comprehensam comam,& Seruij Tulli Liuius [b], & Claudianus [c] eiusdem Iuli seu Ascanij:& de Sosio diacono narrant Beda [d], Ado [e], Vsuardus [f], Martyrologium [g] Romanum, Prosper [h]. Scio etiam ignis ardorem ac feruorem alicubi reperiri sine combustione, vt in Æthna, de quo Augustinus [i], & alij; atque alia profert Simon Marolus [k] exempla. Denique Poëta [l] Tyrio ardentem murice lænam dixit, quòd fulgorem & splendorem emitteret.

m lect. 196.

Ducem habuerũt ignotæ viæ.] Dux qui viam nosset, Angelus erat, vt eodem illo capite decimo notauimus. Lege copiosam tropologiam de Prælato sub ardentis columnæ symbolo, quam affert Olcot [m]. Docet ad instar istius columnæ debere Prælatum esse ardentem zelo & industria; non tepidum per ignauiam, fumigantem per inanem gloriam; extinctum per infamiam: denique oportere similem esse Eliæ, qui erat quasi ignis, *& verbum illius quasi facula ardebat* [n]: sed cauendũ illi, ne collaterales consiliariósve sulphureos adhibeat, incensos malitia, infamia fœtentes; verùm deuotos, ac famæ honestæ, qui sint *quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne* [o]. Deinde in Prælato requirit statum vigoris & supportationis, quemadmodum Ieremiæ dictum est, *dedi te in columnam ferream* [p]; ne ruat concussu columnæ huius, perinde ac domus, cuius concussit Samson [q] columnas, Respublica. Eodem refert columnas æreas,& latericias septem, quibus filius Noë Cham liberales artes inscripsisse fertur, aduersùs ignis & aquæ iniurias; itémque septem illas, quas excidit sibi Sapientia [r]: quia oportet Prælatum scientia prudentiáque præditum esse. Adde columnas templi Booz,& Iachin, quibus firmitas & constantia designatur; atque columnam, quam faciet Deus in templo suo, eum qui vicerit; ita vt non egrediatur amplius foras, & scribatur super eum nomen Dei,& nomen nouum Christi [f]. Tertiò, ex verbo *(habuerunt)* colligit amorem & communicationẽ, vt subditos habeat, & ab iisdem habeatur vicissim. Postremò, vult in Prælato, qui per nomen ducis hoc loco innuitur, esse motum præcessionis & informationis, vt quemadmodum de Iesu, siue de Iosue scribitur [t], dum implet verbum, fiat dux in Israël, id est, in Ecclesia; & de Abimelech, ac Gedeon, qui quæ facerent ipsi priores, fieri ab aliis imperabant [u].

n Eccli. 48. 1. o c. 50. 9. p Iere. 1. 18. q Iudic. 16. 30. r Prou. 9. 1. f Apoc. 3. 12. t 1. Macha. 2. 55. u Iudic. 7. 17. c. 9. 48.

Et Solem sine læsura boni hospitij præstitisti.] Græcè (ἥλιον δὲ ἀβλαβῆ φιλοτίμου ξενιτείας παρέσχες, *Solem autem innocuum pretiosi*, vel *honorifici, & magnifici hospitij*, seu *peregrinationis gratiâ præbuisti.*) Nubis columnam significat, quæ a peregrinantibus, aut certo quoque loco consistentibus, velut hospitij tectum, arcebat æstum. Sed quia solent à Sole nubes excitari, tribuitur Soli ipsi hoc nubis beneficium; quam tamen constat ab Angelo formatã, vel adductam, deductámque ac rectam fuisse. Frequentiùs ξενιτεία *peregrinationem,& absentiam à patria* significat, vt & ξενιτεύειν, *peregrè degere.* Sed peregrini est hospitari, & ad hospitium diuertere. Idcirco, etsi alia desint huius vocis in hac acceptione exempla, licuit Interpreti pro *peregrinatione* ponere *hospitium.* Cognominata verò est φιλότιμος ξενιτεία, *honorifica, magnifica, pretiosa*, quia diuino & Angelico quodam apparatu procurata, nec sine Angeli perpetuò ducatu & præsentia. Hæc porrò verba confirmant, quod capite decimo [x] docuimus, præter nubis columnam opus fuisse nube obumbrante aduersùs Solis æstum.

x vers. 17.

A Id postea vidi à Castro nostro approbatum, & iisdem quibus vsi sumus, argumentis probatum.

Vers. 4.] Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen seculo dari.

INterponitur comparatio per antithesim cum Ægyptiis. Hi digni tenebris suis fuerunt, qui carcer quidam erat; quoniam populum Deo percharum constrinxerũt misera seruitute, per quem diuinum veræ Religionis lumen léxque prouenire debebat, quæ salutem Ægypto, ac toti mundo posset conferre. Quare ob extinctum, quoad quidem ipsis licuit, duplex lumen, externum, id Hebræis eripiendo; internum, respuendo veritatis diuinæ cognitionem, tenebras meritò passi sunt tum materiales, tum spirituales.

Pati carcerem tenebrarum.] Græcè (φυλακισθῆναι ἐν σκότει, *custodiri in tenebris.*) Præcedente capite hæ tenebræ vocabantur ἀσίδηρος εἱρκτή, qua esset Ægyptius κατακλεισθεὶς, *carcer sine ferro, quo esset reclusus.* Significat & φυλακὴ *custodiam*; quod nomen Latinum *carceri* synonymum est.

Qui inclusos custodiebant filios tuos.] Non tunc solùm quando petebant exitum de Ægypto ad sacrificandum, vt voluit Lyranus, Hugo, Olcot [a], Bonauentura: verùm etiam toto tempore captiuitatis, vt Carthusianus & Cantacuzenus.

a lect. 196.

Per quos incipiebat incorruptum legis lumen seculo dari.] Græcè (δι' ὧν ἤμελλε τὸ ἄφθαρτον νόμου φῶς τῷ αἰῶνι δίδοσθαι.) *Incipiebat dari* vertit Interpres pro eo, *quod futurum erat dari*, vel *debebat dari.* Nondum inceperat lex Hebræis dari, quando seruitute premebantur Ægyptiaca, quæ durauit diu. Quinquagesimo ab egressu die data est lex [b], & in ipso egressu præscriptus est agni Paschalis ritus [c]. Incipiebat dari lex, quia vexatio ipsa captiuitatis, & Ægyptiorum plagæ disponebant Hebræos ad egrediendum,& ad accipiendam paulo pòst legem. Est inter alia μέλλειν, *parare, destinare, in animo habere*, &c. Exẽpla dictæ formulæ, vt actus inchoatio ponatur pro ipso actu, alia non desunt; *ne* [d] *vagari incipiam post greges sodalium tuorum*, id est, ne vager: *incipiam* [e] *te euomere ex ore meo*, hoc est, euomam: *incipietis* [f] *foris stare*, id est, stabitis. Nec abhorrent ab eodem loquendi modo profani scriptores; apud quos præterea vacat interdum id verbum; quandoque de magno & audaci facinore dicitur.

b Exod. 19. 20. c Exod. 12. d Cant. 1. 6. e Apoc. 3. 16. f Luce 13. 25.

Incorruptum legis lumen dicitur, vel quia lex iusta & integra, atque, vt Dauid loquitur [g], *immaculata, & conuertens animas*; vel quia lex vetus & scripta, etiam vt ceremonialis, in re quam adumbrabat perseuerat, hoc est, in lege Euãgelica, quæ est illius plenitudo. Sic enim Dominus dixit [h]; *non veni soluere legem, sed adimplere.* Lumen etiam vocatur, quia docet quid sentiendum, quid agendum. Nam *præceptum Domini lucidum illuminat oculos* [i], & *verbum Dei lucerna est pedibus, luménque semitis* [k]. Datur toti seculo mundóque,&, vt Lucifer [l] legit, vitæ, scilicet humanæ, lex quidẽ vetus, quia recipiebat proselytos,& maximè communi Græco idiomate iussu Ptolemæi conuersa est; &, vt dixi, ratione legis nouæ, quam adumbrabat, omnibus necessaria simpliciter futura erat. Solet lex vetus appellari æterna, pactúmve eius ac testa-

g Psal. 18. 8. h Matth. 5. 17. i Psal. 18. 9. k Psal. 118. 105. l pro Athanasio.

mentum æternum, non modò ratione rei significatæ, sed & quia duratio longior æterna nominatur. Aliter nouum, quia licet finem sit habiturum cum mundo, non aliud ei succedet, sicut ipsum veteri successit; & per se gratiæ, charitatis, gloriç munera continet, quæ sunt æterna, nec obnoxia per se corruptioni.

Vers. 5.] Cùm cogitarent iustorum occidere infantes, & vno exposito filio, & liberato, in traductionem illorum multitudinem filiorum abstulisti, & pariter illos perdidisti in aqua valida.

HInc ad vigesimum vsque versum de cæsis Ægyptiorum primogenitis agitur: isto autem versu causa redditur pręceptum Hebræorum obstetricibus impositum, vt illorum occiderent infantes, & edictum, vt quidquid natum esset masculini sexus, in flumen proiiceretur, quãdo Moses abiectus in profluentem, sed inclusus fiscella, diuino consilio liberatus est. Talis ergo ac tam iniqui pœnam præcepti edictíque luerunt postea Ægyptij. Habentur hæc in Exodo [a], & narrantur à Iosepho [b], & Philone [c].

a c.1.15. & seq. & c.11.4. & seq. & c.12. 23. & seq. b 2. Antiq. c.12. c de antiq. Bibl.

Cùm cogitarent iustorum occidere infantes.] Tum per obstetrices, tum per submersionem, vt dictum est, quamuis de submersione præcipua & per se sola mentio videtur hîc esse. De obstetricibus notari tantùm debet, non Hebræas, vt Hebræi volunt, & indicat Augustinus [d], fuisse, sed Ægyptias, apertè colligi ex Exodi historia [e]: nec solùm duas, quæ solos occiderent nobiliorum filios, vt ait Caietanus [f], verùm plures, quibus duç, si non præessent, certè præstarent sic, & quia sæpiùs his vterentur Hebræi, vt Tyranni cæteris deferre imperia possent.

d contra mendacium. c.15.16.17. e c.1.19. f ibid.

Vno exposito filio, & liberato.] De Mose intelligit, qui quo pacto fuerit expositus, liberatúsque declarauimus in Actibus Apostolicis [g], ex Exodi pariter historia.

g c.7.21.

In traductionem, illorum multitudinem filiorum abstulisti.] Græcè (εἰς ἔλεγχον τὸ αὐτῶν ἀφεῖλε πλῆθος τέκνων.) Obscura sententia. Nam εἰς ἔλεγχον (quod iam sæpiùs monui significare, *in redargutionem ac reprehensionem qua conuincuntur aliqui*) vel refertur ad filium liberatum, id est, ad Mosen, qui liberatus atque seruatus sit, vt castigaret Ægyptios qui submerserant filios Hebræorum, cùm iam Hebræos gubernante Mose filij eorumdem Ægyptiorum primogeniti occisi sunt; & paulo pòst promiscua multitudo maxima submersa: vel ad multitudinem filiorum, nempe Ægyptiorum, qui sublati sunt, & alij deinde submersi. Vtrouis modo parum discrepat sensus; nec satis dispicias quem potiùs tradant Cantacuzenus, Vatablus, Osorius: at Iansenius mauult priorem. Vetustiores Enarratores Latini traductionem sumendo, vt aliàs, pro extrà ductione, vel deductione, haud satis aptè declarant de populi eductione ex Ægypto, ita vt (*in traductionem illorum*) sit, in, aut propter eductionem Hebræorum. Nec melior interpretatio quam addũt Carthusianus & Bonauentura (*in traductionem illorum*) id est, in extirpationem Ægyptiorum, siue punitionem. Digni sunt excusatione, ob Græcæ linguæ imperitiam.

Illorum multitudinem filiorũ abstulisti.] Ægyptiorum omnium hominum primogenita, & præterea iumentorum, ne Pharaonis quidem excepto primogenito filio [a], quando post immolatum agnum Paschalem, & illius sanguine postibus Hebræorum ac superliminaribus, seséque illis intra domos continentibus, ne suspicari possent Ægyptij Hebræorum insidias, percussit Dominus vnius noctis medio dicta primogenita Ægyptiorum [b], scilicet per Angelum, qui percussor appellatur [c], ὀλοθρεύων, המשחית *hammaschith*: Bonũ porrò arbitror fuisse (tametsi contradicant Hugo Cardinalis, Lyranus, Abulensis, & dubitet Hieronymus [d]) sicut absque dubio qui puniuerunt Sodomitas [e], fuerunt boni: & fauet magnopere Augustinus [f]; nos verò tota de re copiosiùs alibi disseruimus. Suadet amplitudo Ægypti, & eadem noctis hora media, vt eiusmodi percussores Angelos plures affirmemus, non vnicum. Vnicus occidit aliquando Hebræorum septuaginta millia, sed triduo [g]: vnicus Assyriorum octoginta quinque supra centum millia; at per noctem, & in eodem exercitu locóque [h]. Non impedit numeri singularis nomen *percussoris* in Exodo [i], quoniam in Psalmo 77. [k] exprimuntur plures Angeli, & numerus pro numero haud infrequẽter ponitur. Consentit Caietanus [l], atque Pererius [m], & plures, & bonos Angelos fuisse: quòd plures, Abulensis [n].

a Exod. 11.5. b c.12.29. c ibid.23. d in c.24 Esaiæ. e Gen.19. f in Ps. 77. in id; immissiones per Angelos malos. g 2. Reg.24. h 4 Reg.19. i c.12.23. k vers.49. l in c.12. Exod. m in c.12. Exod. disp.1. n ibid q 5.

Porrò de primogenitis intelligi forsan possit, quibus parentes, vel alter parentum superstes esset, & calamitatem hanc sentire posset. Sed sine exceptione Scriptura omnia primogenita exprimit. Rex, si primogenitus & ipse erat, eíque parens vterque deerat, reseruatus est ad submersionem, ac vt interim præsentis cladis spectator magis distorqueretur, quę domum omnem attigit [o]: vel quia tunc fortè nulla carebat primogenito, vt placet Augustino [p], Lyrano [q], Carthusiano [r]; nec improbat Hugo [f] S. Victoris: vel, vt hic idem ait, omnem in qua erat primogenitus, quæ est quoque Abenezræ [r] sententia, percussit plaga. Extendit Abulensis [u] ad omnes qui fuissent primogeniti ex parentibus suis, seu parentes viuerent, seu non viuerent, seu mares, seu etiam fœminæ, seu primogeniti essent respectu vtriusque parentis, seu vnius duntaxat. Caietanus [x] præterea comprehendi vult non eos modò qui primi nati essent, sed etiam qui primis mortuis in iuribus primogenituræ succederent: Carthusianus [y] etiam vnigenitos, ita vt primogenitus non distinguatur ab vnigenito, sed à secundogenito, ad eum modũ quo B. Virgo peperit primogenitũ [z], qui fuit idem vnigenitus. Addit item, si qua in domo vnicus vir esset, habitum pro primogenito, non quòd haberet parentes viuentes, sed quia in domo sua nullus eo senior, seu ante ipsum natus existeret. Mihi videtur solos primogenitos mares occisos, illos, inquam, tantùm qui primi nati essent, nec alios ante se vllos habuissent ex vtroque parente fratres. Quocirca si paterfamilias in eadem domo primogenitus esset, & filium haberet primogenitum, vel ex variis vxoribus plures, ac si etiam superessent aui primogeniti, omnes interficiebantur; sed non fœminini sexus. Eadem ratio de iumentis, quod etiam vocatur pecus in Psalmo 134. [a] hoc est, de animalibus quæ erant in potestate atque possessione Ægyptiorum; quo in numero volucres non sunt, pisces, feræ: excipi quoque debent quæ vno partu plures edunt fœtus nullo ordine.

o Exod.12.30. p q.44. in Exod. q in c.12. Exod r ibid. f ibid. t ibid. u ibid. x ibid. y ibid. z Luc.2.7. a vers.8.

Cur de fœminis negem contra Abulensem, quẽ sequitur Pererius, & hoc loco Cãtacuzenus,

& contra

& contra Caietanum, quem sequitur Genebrardus [a], Hebræique quos citat, de alijs qui primi nati non sunt, quamuis primis in iure primogenitorum successerint, ratio est; quia Psalmo 77. [b] ac 104. [c] primogenita occisa vocantur primitiæ omnis laboris Ægyptiorum, scilicet, vt exponit Genebrardus ipse, quoniam partu laboriosiore eduntur, ob vuluam antea non apertam: vel, vertendo cum alijs *(virilitatis ac roboris)* quia in primogenitis ostenditur patrum robur & virilitas. Non ergo alij quàm qui omnino primi nati erãt, occisi sunt. Indicauit hoc ipsum Iacob cur primogeniti dicantur primitiæ laborum, quãdo de primogenito Ruben dixit [d]; *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei:* nec enim primus congressus sine dolore peragitur, & pœnitentia, vt asserit Plinius [e], & eo quoque modo verba illa explicat Abulensis [f]. Deinde fauet præceptum impositum de offerendis Deo primogenitis masculis solis; *Cùmque introduxerit te Dominus,* inquit Moses [g], *in terram Chananæi, sicut iurauit tibi, & patribus tuis, & dederit tibi eam, separabis omne quod aperit vuluam Domino, & quod primiuum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino,* &c. Tum præcepti ratio subiungitur [h]; *Cùmque interrogauerit te filius tuus cras dicens: quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo seruitutis. Nam cùm induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito hominis, vsque ad primogenitum iumentorum: idcirco immolo Domino omne quod aperit vuluam masculini sexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo.* Igitur solos interfecerat Deus, qui primi vuluam aperuerant: & vt omnia quadrent magis, non alios quàm masculos. Conficitur idem argumentum ex substitutis Leuitis loco primogenitorum totius populi [i], & eandem reddit Deus de hoc causam: *ex die,* inquit [k], *quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificaui eos mihi.* Abulensis [l] respondet solos masculos primogenitos iussos offerri, quia sunt perfectiores, non quia soli Ægyptiorum sint occisi masculi. Id gratis dicitur. Quin etiam nonam rationem elicio ex eodem auctore, & ex veritate. Concedit ipse [m] tandem solos masculos occisos, quia cõueniens erat pœna ista interfectis masculis Hebræorum per submersionem: infert quoque, si occisæ fuissent Ægyptiorum fæminæ primogenitæ, Deum exacturum fuisse primogenita fæminini sexus. Atqui *non erat domus in Ægypto, in qua non iaceret mortuus* [n]: igitur *primogenitorum* vocabulum latissimè patere debet. Satis est, vt cladem istam dicamus vbique ferè contigisse. Quòd si optio detur, malim affirmare, diuina prouidentia tunc accidisse, vt nulla primogenito masculo careret domus, quàm ad fæmininos extendere: aut etiam fæminino, quàm *primogeniti* notionem accommodare ad alios qui non propriè primi nati essent. Itaque solos plaga decima sustulit masculos primogenitos Ægyptios. Vocat Iosephus pestis plagam [o]. Forsitan pestis voce generalius vtitur: nam vix sine miraculo pestis propriè dictæ contagium sese intra solos primogenitos continuisset. Quamquam Græcè Iosephus φθορὰν appellauit καὶ νόσον, *interitum, & morbum,* quæ sunt nomina magis communia.

Et pariter illos perdidisti in aqua valida.] Submersionem intelligit in mari rubro; quæ respondet quoque iniustæ masculorum Hebræorum submersioni. De submersis Ægyptiis actum capite decimo [a].

a in Psal. 77. b vers. 51. c vers. 36. d Gen. 49. 3. e lib. 10 c. 63. f in c. 49 Genes. g Exod 13. 11. 12. h vers. 14 15. i Num. 3. 41. 42. 43. 44. 45. c. 8 16. k Num 8. 17. l in c. 13. Exod. q. 5. m Num. 3. q. 38. n Exod. 12. 30. o Lib. 2. Antiq. c. 5. vel 13. a vers. 19.

Vers. 6.] Illa enim nox antè cognita est à patribus nostris, vt verè scientes quibus iuramentis crediderunt, animæquiores essent.

NOctis qua sunt Ægyptiorum interfecta primogenita facta prænunciatio Patribus est, non quidem forsitan præcisè quod attinet ad noctem ipsam, sed quantũ ad rem quæ nocte illa gesta est, quãdo simul iuramento confirmauit Deus promissum suum. Genesis cap. 12. [b] promisit Deus Abram seminis propagationem, & terram Chanaan, & cap. 15. [c] fore, vt gentem cui seruiuisset populus, ipse indicaret; ille autem egrederetur cum magna substantia. Ibidem pepigisse fœdus [d] Deus dicitur cum Abram, necnon cap. 17. [e] & 22. [f] præterea cap. 26. [g] cum Isaac, cap. 28. [h] cum Iacob. Sed & Mosi præcepit, vt nomine suo diceret Pharaoni [i]; *Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi, Dimitte filium meum, vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.*

Illa enim nox.] Caret editio Græca particula *(enim)* ætiologica seu rationali. Emphasim autem habet pronomen (*illa*, ἐκείνη.)

Vt verè scientes.] Græcè (ἵνα ἀσφαλῶς εἰδότες, *securè, certò, indubitatè.*)

Quibus iuramentis crediderunt, animæquiores essent.] Quomodo, cùrque iuret Deus, aliàs docuimus [k]. Lege præ cæteris Philonem [l]. Causa hîc vna redditur, vt certiores reddat, & quando iuramenta sunt de rebus bonis, propter ipsam certitudinem lætiores. Lætitiam denotat τὸ ἐπευθυμήσωσι: licèt Latini Expositores animi in expectando dilata promissa patientiam per *(animæquiores)* interpretentur. Eadem Latina vox alibi [m] est, vbi Græca εὔθυμοι, vel verbum θαρσεῖν, quæ lætos, hilares, consolatione recreatos, bono, & fidenti animo homines significat. Quando promittuntur multa, sed tempore diuerso adimplenda, & præsertim si promissio confirmetur iuramento, qui vnum aut alterum adimpletum videt, ἀσφαλῶς, *securè,* ac certò cætera sperat pariter adimplenda. Sic in proposito contigit de obtinendæ spe terræ promissæ, cùm iam præcessisset Ægyptiorum primogenitorum interfectio.

Vers. 7.] Suscepta est autem à populo tuo sanitas quidem iustorum, iniustorum autem exterminatio.

COncepit populus spem ex illis iureiurando firmatis diuinis promissis, fore vt consequeretur quidem ipse salutem, aduersarij verò interitum. Vel re ipsa postea deprehenderũt veritatem promissorum, licèt aliquando addubitauissent. *Sanitatem* pro salute non infrequenter vidimus vsurpatam; quæ salus σωτηρία appellatur: exterminatio autem idem est quod interitus & perditio, ἀπώλεια. Glossa interlinearis exponit de suscepta lege Mosis: alterius glossæ meminit Bonauentura, de lege Phase, quæ nocte illa data est atque seruata. De hac videtur mentio esse versu nono, quod deinde perpendemus. Communior & melior sensus primus.

b vers. 3. & 7. c vers. 14. d Gen. 15. 18. e vers. 2. 3. 4. 6. 7. f vers. 16. 17. 18 g vers. 3. 4. h vers. 13. 14. 15. i Exod. 4. 22. 23. k Eccle. 8. 2. Act. 2. 30. l lib de sacrificio Abel, & lib 2. allegoriarum. m Act 17. 16. Mar. 10. 49. Baruch 4. 5. 21. 27. 30.

Suscepta

A *Suscepta est autem à populo suo sanitas, &c.*] *Suscipiendi* verbo, & προσδέχεσθαι, innuitur gaudium, cum quo populus vidit, ac excepit eadem nocte cum iustorum, Deique cultorum salute & incolumitate, interitum iniustorum, atque idololatrarum Ægyptiorum. Solet Deus, cùm liberat populum suum, simul vlcisci ab hostibus illatas iniurias: nec tantùm de sua iusti liberatione lætantur, sed etiam cùm videtint vindictam [a]. Admissionem cum approbatione importat verbum Græcum προσδέχεσθαι.

a Ps.57.11.

Vers. 8.] Sicut enim læsisti aduersarios, sic & nos prouocans magnificasti.

B LÆsio aduersariorũ, exterminatio est, magnificatio, salus populi; de quibus versu præcedenti. Ipsa, inquam, læsio & punitio ad vindicandam iniuriam contra honorem Dei, quæ propriè vocatur τιμωρία, vt aliàs ex Gellio [b] retulimus: vnde verbum ἐτιμωρήσω, quod hoc loco est, fuit in causa, cur populus, cuius iniuriæ redundabant in Deum ipsum, à Deo eadem opera magnificatus & glorificatus censeatur, & Deus eum inuitans ac prouocãs, necnon conuocans (προσκαλεσάμενος valet hæc omnia) insigni gloria illustrauerit (id significat ἐδόξασας.)

b lib.6.c.14.

C *Vers.* 9.] Absconsè enim sacrificabant iusti pueri bonorũ, & iustitiæ legem in concordia disposuerunt: similiter & bona & mala recepturos iustos, patrum iam decantantes laudes.

PRouocationem, quam antè dixit, ad laudandum Deum, reipsa effectum habuisse in populo docet, quando aduersarij Ægyptij plagis plectebantur, præsertim vltima, qua eorum primogenita sunt interfecta. Tunc enim clàm, & D necdum sacrificandi libera potestate facta per egressum de Ægypto, sacrificabant, inquit, sancti bonorum filij, & summa consensione statuebant legem se iustam sanctámque recepturos esse & obseruaturos, quæ erat vel de ipsomet sacrificio agni Paschalis: vel de quauis alia re, quæ deinceps præciperetur: vel vt cõcorditer eorumdem simul bonorum ac periculorum futuros essent participes. Ad id verò semetipsos adhortabantur & animabant, commemoratis & concelebratis patrum suorum laudibus; preces vnà & gratiarũ actiones adhibendo cum sacrificio.

Absconsè enim sacrificabant.] Agni Paschalis sacrificium omnes intelligunt, quod in Ægypto celebratum est sub vesperam, & intra domos, nullis E admissis Ægyptiis, qui fuissent impedimento ne celebraretur. De sacrificio isto exacta narratio continetur in Exodo [c]. Ibi est, primo mense (quem, vt & omnem alium inchoabant Hebræi à nouilunio, & dictus est Chaldaico vocabulo Nisan, à nobis Martius, & vnde annus inchoandus erat quantum ad religiosos ritus ac festiuitates; cùm in reliquo vitæ vsu rerúmque ciuilium principium anni ducerent à Tisri, quem vocamus Septembrem) & primi mensis decima die tolli debuisse agnum, ac seruari vsque ad quartam decimam, & tunc immolari ad vesperam, & edi assum, cum azymis panibus, & lactucis agrestibus: edentium verò, & quidem festinanter, eo quòd esset Phase, id est, transitus Domini, renes accingi, & in eorum pedibus calceamenta esse, baculos in manibus: eadem nocte percussa primogenita Ægyptiorum, &c.

c c.12.

Ex causis quas assignãt Hebræi, cur quatriduo antè adducendus fuerit agnus (quem ritum pro prima tantùm vice obtinuisse quidam [a] putant) vna est, vt tot diebus ante sacrificium illud primum, & ante egressum de Ægypto, habentes præ oculis palámque huiusmodi animal, quod Ægyptij colebant vt numen, nec occidi patiebantur ad esum, aut sacrificium [b], diuinæ fiducia protectionis discerent Ægyptios non formidare. Vt causa ista cohæreat cum eo quod hîc scribitur absconsè sacrificauisse Hebræos, dicendum secretò etiam & clàm intulisse victimas in domos suas; aut rationem quare id facerent, aliam aliquam prætexuisse; aut diuinâ prouidentiâ id Ægyptios latuisse. De sacrificio ipso toto de nostris duo satis accuratè Ribera [c], Pererius [d].

a vt Pererius in Exod c.12. disput 1 n.7.

b Exod.8.26.

Iusti.] Græcè (ὅσιοι, *sancti*) veri cultores Dei.

Pueri bonorum.] Græcè (παῖδες.) Filij Patriarcharum.

c 5 de templo.c 1 & seq. d in Exod.c.12.

Iustitiæ legem in concordia disposuerunt.] Græcè (τὸν θειότητος νόμον ἐν ὁμονοίᾳ διέθεντο, *diuinitatis legem, legem diuinam.*) Iansenius & Vatablus legem istam credunt esse, vt, quod sequitur, pari omnes consensu mala æquè & bona simul perci perent: Osorius, vt vitæ officia dirigerent ad sanctitatis legem sempiternam. Hactenus isti non exprimũt legem positiuam. Glossa ordinaria, Bonauentura, Hugo, Olcot [e] declarant de lege Phase: Lyranus de tota lege, quam postea dedit Deus in monte Sina, populo respondente [f]; *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* Carthusianus amplectitur duos postremos dicẽdi modos: Cantacuzenus, populum inter sacrificandum nocte illa recepisse ac pronunciasse futurũ, vt in posterum quam Deus cumque proponeret legem, ei obtemperarent. Hæc omnia priùs complexus sum tanquam verosimilia, & simul à populo tunc vsurpata. Quòd si optio fieri debeat, non dubito de lege positiua Auctorem intelligere, in qua certum cum Deo pactum interuenit. Vnde lex vetus ac noua postea Testamenti nomen, Græcè τῆς διαθήκης, accepit, quod est à verbo hîc posito διέθεντο.

e lect.198.

f Exod.24.7.

Similiter bona & mala recepturos iustos.] Hæc quoque θειότητος, *diuinitatis* lex, atque iustitiæ, vt non bona duntaxat, verùm etiam boni iustique mala recipiant in præsenti vita, & vt ad vtraque sese promptè alacritérque comparent. Iob sic præclarè sensit ac pronunciauit [g]; *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* Liber autem ille, si vera scripsit Origenes [h], scriptus est, vel, vt alij volunt, translatus in Hebræam linguã à Mose, vt leniret populi peregrinationem in deserto. Sed hac de re Pineda [i], necnon de sententia Iob [k], nósque ad Ecclesiastæ cap.7.[l] Meretur concordiæ lex absolutum nomen legis, quasi ligamentum atque vinculum perfectionis. Quemadmodum charitatis dilectionísque mutuæ præceptum, siue mandatum Christus censuit & nouum appellandum, & suum [m].

g Iob 2.10.

h in Iob.

i ibid.in præfat.c.3. k c.2.10. l vers.15.

m Ioan.13.34.

Patrum iam decantantes laudes.] Græcè (πατέρων ἤδη προαναμέλποντες αἴνους, *patribus iam præcinentibus laudes*) id est, dum primi præcinebant patres, seu primarij ac seniores, filij prosequebantur. At si legamus cum Regiis, Complutensibus, aliísque

codicibus προαναμέλποντες, sensus erit; cùm sacrificarent agnum, primo loco sanctos patres suos concelebrabant. Sic Cantacuzenus secutus posteriorem lectionem. Alij explicant quòd eas canebant laudes, hymnósve, quos didicerant à patribus. Libri Latini aliqui habent *(patri omnium)* id est, Deo, vt exponit Lyranus, & Olcot: vel *(patri iam)* eodem sensu, vt Carthusianus: vel *(patrias)* id est, à patribus institutas laudes, vt Bonauētura, & Hugo, necnon adhuc Olcot. Iansenius secutus editionē Grçcam inemendatā, in qua est nominatiui casus participiū προαναμέλποντες, *pracinentes*, & τὰς ἁγίας referens ad αἴνους, colligit hunc aliū sensum, vt Hebræi fuerint προαναμέλποντες, *pracinentes*, τὰς ἁγίας αἴνους, *sanctas laudes*, quia eas inchoauerint ante flebilem Ægyptiorum vocem, de qua paulo pòst, πατέρων, *patrum*, vel quibus laudibus patres suos laudabant, qui liberationis huius de Ægypto promissionem acceperant, se animantes eorum exemplo ad cōcorditer egrediendum; vel quibus laudabant Deum, pro vt à patribus didicerant. Quod vltimum bifariā adhuc accipi potest, aut vt inter sacrificandum præscriptas pridem preces ac laudes à suis maioribus adhibuerint: aut quòd tunc patres eorum, Moses potissimùm & Aaron, quasdam instituerint; sicut Moses mersis Ægyptiis extemporaneum illud carmen edidit [a]; *Cantemus Domino*, &c. & præiuit. a Exod.15.1.& seq.

Vers. 10.] Resonabat autem inconueniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

Laudationi opposita ploratio, vocibus harmonicis inconditæ voces Ægyptiorum, propter tantam cædem omnium primogenitorum suorum. *Surrexitque Pharao nocte*, vt est in Exodo [b], b c.12.30.
& omnes serui eius (id est, nondum exorto die, post interfecta primogenita sub noctis initiū, vt paulo pòst hic dicetur [c]) *cunctáque Ægyptus, & ortus* c vers.14.
est clamor magnus (κραυγή, more crocitantium, צְעָקָה *tsehhakah*, clamor ex animi dolore & querimonia) *neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus.* Flebilior hæc plaga fuit quàm præcedentes, imò & quàm submersio Ægyptiorum in mari rubro, quia nulla nunc exempta domus, & iactura magis charorū fuit, in quibus profectò non pauci fuerunt vnigeniti; quorum amissio dolorem atque planctum inducit amarissimum [d]. Lege Abulensem [e]. d Zach.12.10. e Exod.12.q.6.

Resonabat.] Græcè (ἀντήχει, *ex altera vicissim parte sonabat, ac veluti ex altero choro*) ac per vocis reciprocationem, quam echo nominatam antea vidimus.

Inconueniens vox.] Græcè (ἀσύμφωνος βοὴ, *inconsonus, inconcinnus, inconditus clamor, vociferatio, & quasi boatus.*)

Flebilis audiebatur planctus.] Græcè (οἰκτρὰ διεφέρετο φωνὴ, *miserabilis perferebatur vox, iactabatur in partes.*)

Ploratorum infantium.] Græcè (θρηνουμένων παίδων.) Verti potuisset *plorantium*; est enim vocis mediæ participium. Vatablus vertit (*comploratióque puerorum miserabilis exoriebatur.*) Sed intelligi debet planctus de deploratis primogenitis, non ipsorum primogenitorū. Nam subita morte tollebantur de medio, nec iis plorandi tempus erat. Infantes Interpres dixit, non quia tales essent

A omnes primogeniti; sed quoniam plurimi, & hi tenerius ac effusiùs plorari solent. Generale est παίδων nomen pro quibuslibet filiis. Comparari possunt inuicem lamentationes Hebræorū, quando ipsorum proiecti sunt mares in flumen [a], & a Exod.1.
quæ nunc accidit interfectis Ægyptiorum primogenitis; & quæ longè pòst, quando Herodis iussu à bimatu & infrà occisi sunt omnes pueri, *qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, auditáque vox in Rama, ploratus & vlulatus multus* [b]. b Matth.2.16.& seq. Ierem.31.15.
Fieri potest, vt infantes puerique non primogeniti primogenitorum ob interitum assiduè plangerent. Sic quidem etiam Carthusianus intellexit. Sed non id videtur Auctor velle. Tantùm Scriptura [c] tradit, clamorem hunc in vniuersa c Exod.11.6.
B terra Ægypti fuisse, qualis nec antè fuerit, nec postea futurus sit.

Vers. 11.] Simili autem pœna seruus cum domino afflictus est, & popularis homo Regi similia passus.

In Exodo sic est [d]: *Factum est in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere* (alibi [e], *ancillæ, quæ est ad molam*) *& omne primogenitum iumentorum.* Narrat eadem simili sermone Philo [f], d c.12.29. e c.11.5. f 1.de vita Mosis.
C necísque principium sumptum à maximo natu Regis filio, & desiisse in vilissimæ ancillæ pistrinariæ filium. Ipsi Regi diu antè minitatus erat Deus interfectionem primogeniti [g]. Sed quæri g Exod.4.23.
potest, Rex ipse cùm primogenitus quoque videatur fuisse, quare non sit occisus: deinde filius eo superstite quo pacto sederet in Regni solio. Rex quidem Pharao fortassis non erat primogenitus, sed primogenito absque liberis defuncto successerat: vel non est electus per successionem: vel reseruatus est tum ad huius spectaculum cædis, tum vt submergeretur in mari rubro. Lege Abulensem [h]. Filius viuente regnabat patre simul h Exod 12.q.51.
cum ipso, sicut apud Iudæos cum David Salomon [i], & alij apud alias gētes cum suis patribus. i 3.Reg 1.
D Quamquam quòd Salomon, qui primogenitus non erat, patri successerit in Regno, priuilegium diuinum fuisse credendum est, præter legem [k], k Deut 21.15.& seq.
qua cauebatur ne filius dilectæ fieret primogenitus, hoc est, iura primogenituræ obtineret. Quod verò attinet ad filium Pharaonis, Chaldæa paraphrasis [l] non explicat sedisse in solio eius, sed l Exod.11.5. c.12.29.
sessurum fuisse. Sic sedens diceretur cui ius est, vt proximè post patris excessum sedeat. Nec Abulensi [m] displicet hic dicendi modus; atque Lyrano [n]: Hugo [o] Cardinalis autem & Carthusianus [p] m Exod 12. post quæst.5. n ibid. o ibid. p ibid.
solum illum sequuntur. Caietanus [q] notat æquiuocum esse, an, quod in Exodo scribitur; *à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat*, accipi de- q ibid.
E beat de ipsomet Pharaone, ita vt (*eius*) idem sit quod (*suo*) an de filio ipsius, retinendo propriam vim pronominis (*eius*.) Tunc ait, si placeat posterior opinio, primogenitum dici sedisse in spe futuræ successionis. Sed priorem, ad quam propendet, confirmat, quoniam è regione ponitur primogenitus ancillæ, siue captiuæ, quæ erat in carcere & ad molam; quæ est, inquit, descriptio officij nō filij, sed matris. Ad eundem ergo modum sedens in solio Pharao pater intelligendus est; & eius sessio hæc ad maiorem emphasim expressa:

túncque

túncque fortaſſis reipſa ſedebat in ſolio, quando primogenitus illius cum aliorum primogenitis eſt occiſus. Verumtamen facilius eſt quod primo reſpondimus loco. Nec ratio Carthuſiani efficax, quòd vbique Pharao regnaſſe ſcribatur vſque ad ſuam ſubmerſionem; potuit enim in Regno ſocium aſciſcere filium, vt antè diximus.

Verſ. 12.] Similiter ergo omnes vno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad ſepeliendum viui ſufficiebant: quoniam vno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata eſt.

SVnt quædā duntaxat enucleandæ in ſententia partes, cùm ipſa ſit ſatis aperta & perſpicua.

Similiter.] Græcè (ὁμοθυμαδὸν, *vno animo.*) Videtur indicare quod Philo [a] ſcribit. [Prima luce, cùm quiſque ſuos chariſſimos inopinata nece ſublatos videret, cum quibus ſuperiore die ſuauiter vſque ad veſperam conuixerat, vt in publico luctu grauiſſimo, cōploratione compleuerunt omnia. Cùm enim nemo eſſet exors eius calamitatis, vnus erat clamor omnium, vnúſque luctus obtinebat regionem vniuerſam, quacumque patebat. Qui tantiſper dum intra priuatos parietes ſe continebat, ſingulis aliena mala ignorantibus, priuatus etiam tum videbatur. Vbi verò alij didicerunt ex aliis, geminabatur comploratio, in tantum grauante dolore publico, vt nullus conſolator exiſteret: quis enim ſolaretur alterum, indigens ipſe cōſolatione?] Hactenus Philo. *Similiter* ergo denotat parem ac eandem lamentandi cunctis cauſam fuiſſe; quæ cauſa magis exprimitur ſequentibus verbis.

Vno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles.] Græcè (ἐν ἑνὶ ὀνόματι θανάτου νεκροὺς εἶχον ἀναριθμήτους, *in vno nomine,* &c.) Idem violentæ genus mortis omnes paſſim exponunt, quaſi quod eodem nomine vocetur. Cantacuzenus reſpectum habitum agnoſcit ad primogenitorum parentes, qui mutuò colloquentes & lamentantes, eandem nominatim exprimerent mortis ſuorum formam, dicerentque: Primus mihi filiorum, vel filiarum (ſentit enim, vt dixi, per primogenitos intelligi quoque filias) interiit. Mortuorum innumerabilitas ſuadet extendi latiùs *primogeniti* vocabulum quàm ad ſolos maſculos, & primò natos. At hoc antea diſcuſſimus: & in adeò vaſta prouincia primogenitorum, etiam propriè dictorum, ac pro ſolis maſculis meritò cenſeri innumerabilis multitudo poteſt, vt nec ad ſepeliēdum, quod hîc mox ſubiicitur, viui ſufficerent, ſcilicet tot in locis & familiis, & viuentibus tanta clade conſternatis.

Nec enim ad ſepeliendum viui ſufficiebant.] Non eos quiſquam impediebat præter funerum multitudinem, quibus efferendis ac ſepeliendis non erant ἱκανοὶ, *ſufficientes*: præſertim cùm vterentur magna paratura pompáque in ſepeliendo Ægyptij, vt cognoſci poteſt ex Herodoto [b], Diodoro [c] Siculo, aliíſque, & colligi ex Geneſi [d], vbi Pererius [e]; ac nos ipſi nonnulla diſſeruimus in hiſtoria Apoſtolorum [f].

Vno momento.] Græcè (πρὸς μίαν ῥοπὴν.) Orioſum puto quærere, an exactè temporis momento contigerit ea primogenitorū interfectio per Angelum: non enim adeò mathematicè loquuntur

A Scripturæ. Quin tamen ſic fieri potuerit, non video cur ambigat Abulenſis [a]; imò quare contendat Angelū in operando egere tempore, licèt breui ac imperceptibili; ſoli Deo conceſſum in inſtanti operari, quia talis operandi modus requirat virtutem infinitam. Petenda contra Abulenſem argumenta eſſent ex Phyſica, vt & cùm aſſerit puncta & mutata eſſe continuatiua nihil eſſe, ſed tantùm terminatiua; & in tempore nulla eſſe terminatiua niſi per conceptū intellectus noſtri. Hoc non adeò refert: ſed velle nullam niſi Dei actionem abſolui poſſe ſine tempore, abhorret à communi ſententia. Quid factum ſit neſcio: hoc ſcio, quod momēto fieri dicitur iuxta tritum ſermonem, poſſe intelligi diuiſibili nonnulla, ſed

B breuiore temporis mora. Cùm autem nuper probabilius duxerimus à pluribus Angelis cæſa primogenita, minùs longo tempore opus fuit; maximè cùm non ante mediam noctem cædes cœperit [b], quæ noctis medietas in æquinoctio ſenis conſtat horis: & poſt cædem dicatur adhuc de nocte Pharao ſurrexiſſe, & omnes ſerui eius, cunctáque Ægyptus, & clamorem magnum edidiſſe.

Præclarior natio illorum.] Græcè (ἡ ἐντιμοτέρα γένεσις, *honorabilior, pretioſior, charior, præſtantior proles*) qualis primogenitorum: & in quorum nempe curandis funeribus plus quiddam operæ impenſæque ponendum erat, quàm cæterorum. Nihil hîc de ſubmerſis in mari rubro, de quibus tamen Hu-

C go & Carthuſianus.

Verſ. 13.] De omnibus enim non credentes propter veneficia, tunc verò primùm cùm fuit exterminium primogenitorū, ſpoponderunt populum Dei eſſe.

VEl ſerò tandem Ægyptij hanc duriſſimam experti plagam, quam vt ferè reliquas imitari nequibant, & præſtigiis, vt ipſi quidem credebant, præſtigias opponere, fateri compulſi ſunt verum Deum quem colerent Hebræi, & hos illi perchatos eſſe, priores autem plagas ſola diuina

D vi perfectas.

De omnibus enim non credentes.] Græcè (πάντα γὰρ ἀπιστοῦντες, *omnia enim non credentes.*) *De omnibus*, non *omnia* ſuſpicor Interpretem maluiſſe, quia Magi, quibus credebant Ægyptij, cùm non valuiſſent incantationibus educere ſciniphes, coacti ſunt exclamare; *Digitus Dei eſt hic* [c]. Sed & ex plebeiis Ægyptiis nonnulli leguntur Deum timuiſſe [d].

Propter veneficia.] Perſeuerauit hactenus apertus error, ſed facile contractus ob mutuum tranſitum vſúmque literarum *u* & *b* (*propter beneficia*) quam lectionem conati ſunt etiam Enarratores exponere. Non recipio excuſationem Brugenſis, quaſi (διὰ τὰς φαρμακείας) Interpres reddiderit

E (*propter beneficia*) quòd & medicamentum ſeu medelam φαρμακεία denotet. Omnino Interpretem *veneficia* reddidiſſe credendum; quod & ille magis probat, necnon Vatablus, Ianſenius, Oſorius, Clarius. Non labores ergo quibus de beneficiis ſermo ſit, an Ægyptiorum, cùm Moſes plagas retraxit, vt Lyrano placet, Rabano apud Hugonem, Bonauenturæ, Carthuſiano, Olcot [e]: vel, vt malūt Hugo & Olcot, Hebræorum, qui ante cædem primogenitorum Ægyptiorum non adhuc ſatis perfectè crediderant Deo, tametſi beneficia plura accepiſſent. Significant φαρμακεῖαι *veneficia*, &

omnes

a 1. de vita Moſis.
b lib. 2. & 16.
c lib. 2. c. 5.
d c. 50. 3.
e ibid. diſp. 1.
f c. 8 & 9.

a Exod. 21. q. 4.
b infr. in iſto c. verſ. 14. & Exod. 12. 29.
c Exod. 8. 18. 19.
d c. 9. 20.
e lect. 199.

omnes præſtigias, quemadmodum & præſtigiator dicitur φαρμακὸς, aut φαρμακευτὴς, vt pridem antea docuimus in hoc libro. Eundem ſenſum tradit Græcus Paraphraſtes Cantacuzenus.

Tunc verò primùm cùm fuit exterminium primogenitorum.] Græcè (ἐπὶ τῷ τῶν πρωτοτόκων ὀλέθρῳ, *in primogenitorum interitu.*) Expreſſit magis Interpres tunc primùm maximè conuictos Ægyptios. Quid ſi nectantur illa, διὰ τὰς φαρμακείας, cum iſtis, ἐπὶ τῷ, &c. vt innuatur, Magos aut præſtigias ne experiri tunc quidem voluiſſe, aut experiendo nihil penitus valuiſſe?

Spoponderunt populũ Dei eſſe.] Ægyptij Hebræos. Qui retinent *ſe (populũ Dei ſe eſſe)* vel *ſe* pro *illos* ſumẽdo, declarant Ægyptios de Hebræis illud ſpopondiſſe: vel propriè accipiendo, Ægyptios ſpopondiſſe ſeipſos eſſe populum Dei, & colere velle verum & Hebræorum Deum. Verus ſenſus, Ægptios perculſos interitu primogenitorum cõfeſſos eſſe, & cum graui aſſeueratione, vt in ſponſionibus fit, confirmauiſſe, Hebræos, quos adeò terribiliter à Numine vindicari ſentiebant, Numini ac vero Deos gratos eſſe, atque ſynceram Religionem colere. Textus Græcus maiorem quandã importat Ægyptiorum de Hebræis opinionem, & confeſſionem verbis expreſſam (ὡμολόγησαν Θεοῦ υἱὸν λαὸν εἶναι, *confeſſi ſunt Dei filium populum eſſe*) nempe populum Hebræum eſſe filium Dei. Hæc ipſa verba ſunt quæ nomine Dei Moſes initio dixerat Pharaoni [a]; *Filius meus primogenitus Iſraël: dixi tibi; dimitte filium meum, vt ſeruiat mihi; & noluiſti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Huc accedunt ſupplices & adorantium Moſem preces Ægyptiorum, ipſiúſque forſan Pharaonis ſemetipſum ad illum conferentis [b], cùm enixè flagitarent, vt Hebræi egrederentur de Ægypto [c]: hoc enim ipſo facto ſatis præ ſe tulerunt quanti facerent Hebræos, quantíque à Deo fieri agnoſcerent.

Illud autem ſummopere demonſtrat quanta cum aſſeueratione, atque interpoſita, vt *ſpondendi* verbo Interpres indicat, ſponſione & promiſſo confirmarent ſe nec in poſterum diſceſſum impedituros, quem potiùs percuperent maturrimè ſuſcipi, & Deum ipſorũ ſumma veneratione proſecuturos; quod non modò tot documentis teſtatiſſimam feciſſet ipſis puniendis potẽtiam ſuam; ſed etiam diruendis eorundem idolis & Diis. Hanc dirutionem & comminutionem eadem factã nocte qua primogenita ſunt interempta, colligit Caietanus [d] ex iis verbis quæ coniungũtur cum comminatione cædis primogenitorum; *&* [e] *in cunctis Diis* (Chaldaicè טעוַת *tahhenath, idolis*) *Ægypti faciam iudicia, ego Dominus.* Lipomanus [f] citat Hieronymum ad Fabiolam [g], referentẽ Hebræorum opinionem, quòd nocte, qua egreſſus eſt populus, omnia in Ægypto templa deſtructa ſunt ſiue motu terræ, ſiue ictu fulminum. Approbat Lipomanus, & confirmat interpretatione Lxx. καὶ ἐν πᾶσι τοῖς θεοῖς τῶν Αἰγυπτίων ποιήσω τὴν ἐκδίκησιν, *& in omnibus Diis Ægyptiorum faciam vltionẽ.* Comparat Abulenſis [h] cum deiecto & obtruncato Dagon [i], & ex Hebraica traditione refert poſt Lyranum lapidea quidem idola in puluerem redacta, lignea putrefacta, vel in cinerem conuerſa; metallica verò reſoluta & liquefacta. Gloſſa ordinaria meminit quoque traditionis eiuſdẽ, quòd fuerint idola omnia cõfracta & templa, vel motu terræ, vel fluminis Nili inundatione. Conſentit Vatablus [k], & Clarius [l], & Sà [m]. Annumerat

a Exod. 4. 22. 23.
b Abulenſ. Exod. 11. poſt q. 6. & c. 12. poſt q. 51.
c Exo. 11. 8. c. 12. 30. 31.
d in c. 12. Exo.
e Exod. 12. 12.
f in catena.
g epiſt. 127. manſione 1.
h Exod. 12. poſt q. 16.
i 1. Reg. 5.
k ibid.
l ibid.
m ibid.

A etiam Pererius [a] hoc inter effecta tria plagæ decimæ primogenitorum occiſionis & Ytiella [b].

Recitat hic præterea ex libris Cabalæ rem notatu dignam, qua frangi poſſit Iudæorum peruicacia. [In eadem die (decimaquinta menſis Niſan, nempe Martij lunatione decimaquinta) redimendus eſt Iſraël in diebus Meſſiæ, quemadmodum redempti ſunt eadem die, de qua ſcribitur; *in diebus egreſſionis tuæ oſtendam mirabilia.*] Atqui conſtat tali die verum Meſſiam noſtrum Dei Filium Ieſum morte in Cruce obita genus humanum redemiſſe, & principem mundi cum omni idololatria deuiciſſe. Cæterum huius plagæ allegoriam collegit idem Pererius [c], & plura colligi
B adhuc poſſent.

Obſeruat Olcot [d] dici poſſe moraliter, quòd iaceat de qualibet gẽte, ſiue familia & domo aliquis mortuus mortali peccato, ac fortaſſis etiam plures, & quidem ex nobiliore prole; quoniam ferè qui nobiliores, iidem tali peccato mortui. Præterea, quòd talium, ſicut olim Ægyptiorum, de quibus hîc agitur, ficta pœnitentia eſt, qui tẽpore aduerſitatis clamant ad Deum pœnæ timore potiùs, quàm amore iuſtitiæ; cùm autem liberati ſunt, redeunt ad ingenium. Citat vulgares verſus, & non elegantes, propoſito tamen congruentes de lupo.

Heu cùm languebat monachus lupus eſſe volebat:
C *Sed dum conualuit, manſit vt antè fuit.*

Item:

Dum fero languorem, fero religionis amorem:
Expers languoris, non ſum memor huius amoris.

Spoponderunt.] Græcè (ὡμολόγησαν.) Significat hoc verbum *conſentire, confiteri, profiteri*: prætereà *roganti promittere atque ſpõdere, paciſci, comprobare veluti auctoritate publica*, quod Galli dicunt (*emologuer*, pro *homologuer*) vt obſeruauit Budæus [f]. Itaque cùm publicè ac ſolemniter poſt iſtam plagam Pharao Moſi & Aaroni egrediendi poteſtatem ac ſacrificandi Domino fecerit, pro vt volebant, & ſibi ab iis benedici petierit, & vrſerint Hebræi velocem populi egreſſum, verentes ne omnes morerẽtur [f], ſatis ſanè authenticè ſuam priorem profeſſi ſunt iniquitatem, populi innocentiam, Dei quem hîc
D colebat maieſtatem & omnipotentiam, atque ſe veluti decidẽdæ litis tam diu antè agitatæ in Regis curia auctores præſtiterunt, & auctoritatem rei actæ habuerunt. Sponſionem quoque facere Iuriſconſulti dicunt, & ſtipulationem inire, quando quid omnino ratum volunt.

Verſ. 14.] Cùm enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet,

Verſ. 15.] Omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus, durus debel-
E lator in mediam exterminij terram proſiliuit,

Verſ. 16.] Gladius acutus inſimulatum imperium tuum portans, & ſtans repleuit omnia morte, & vſque ad cœlum attingebat ſtans in terra.

IMmoratur in magis particulari deſcriptione circumſtantiarum cædis primogenitorum Ægyptiorum. Tempus media nox fuit, cùm ſe omnes quieti dediſſent: tunc de cœlo ceu de ſolio maieſtatis ſuæ Deus imperans vibratum

a in Exo. c. 11. diſp. 1.
b in c. 12.
c Exod. 11. diſp. 4.
d lect. 199. vel 200.
f in forẽſib. pag. 9. & 123.
f Exod. 12. 31. 32. 33.

gladium emisit, qui certò & sine cunctatione compleret omnia cæde quæ decreuerat ipse: ita vt cœlum quoque attingere videretur, quatenus commissum sibi officium exequebatur.

Cùm enim quietum silentium contineret omnia.) Græcè (ἡσύχου γὰρ σιγῆς περιεχούσης τὰ πάντα), *quieto enim, vel tacito silentio cōtinente omnia.*) Hinc Ecclesia mutuata est antiphonam Dominicæ infra octauam Natiuitatis in primis vesperis ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*, & pro introitu Missæ in vigilia Epiphaniæ. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu mediū iter perageret, omnipotens sermo tuus, Domine, à regalibus sedibus venit.* De noctis ad quiescēdum vtilitate nuper egi. Cōstat præcipua quædam mysteria & res mirabiles peractas hoc tempore, tum in nouo, tum in vetere Testamēto, traditúrque resurrectio eodem futura, & iudicium. Græci noctē εὐφρόνην appellauerunt, quòd conferat ἡ ἡσυχία, καὶ τὸ ἀπερίσπαστον πρὸς εὕρεσιν τῶν ζητουμένων, καὶ σκέψιν, vt scribit Plutarchus[a], citans etiam Platonem. Inde parœmia; ἐν νυκτὶ βουλή, *in nocte*, siue *noctu consilium*; &; *nox dabit consilium.*

a de garrulit. & 7. sympos. proble. 9.

Quietum silentium.] Alij (*medium*) forrassis ex dicta antiphona. Noctis partes Isidorus[b] distinguit septem, vesperum, crepusculum, conticinium, intempestum, gallicinium, maturinum, diluculum. Conticinium ait esse quando omnia silent, quia conticescere silere est. At Macrobius[c] & Censorinus[d] post mediam noctem & gallicinium collocant conticinium, cùm galli conticescunt, & homines quiescunt proximè ante diluculum. Sed quæ de galli cantu adeò raro & certo circumferuntur, parum esse certa docet experientia, & pluribus ostendit Vlysses Aldourandus[e]. Silentium ergo quietum non magis propter gallos dicitur quàm propter animalia cætera, maximè cùm videatur hæc descriptio mediæ noctis, de qua mox.

b 5. etymolog. c. 31.
c lib. 1. c. 3.
d de die natali. c. 10.
e lib. 14. ornithol. c. 1. tit. de voce & cātu.

Contineret.] Alij (*continererent.*) Græcum περιεχούσης est numeri singularis.

Et nox in suo cursu medium iter haberet.] Græcè (καὶ νυκτὸς ἐν ἰδίῳ τάχει μεσαζούσης, *& nocte in propria velocitate dimidiata*, vel *dimidiante.*) Iam suprà monui hoc non adeò exactè sumendum medium: etsi nō propter argumentum Abulensis, qui falsum sumit, non posse puncto temporis perfici actionem ab alio quàm à Deo. Idem[f] existimat contra Lyranum, noctem qua sunt occisa primogenita, fuisse quæ proximè secuta est diem, in quo Moses Pharaoni prædixerat verbis Dei[g]; *Media nocte egrediar in Ægyptū, & morietur omne primogenitū, &c.* non autem post dies minimùm quatuordecim. [Nam, inquit, cùm quis eo modo simpliciter loquitur, intelligit de proximè secutura nocte: nec Moses homonymia vsus videtur cum solertibus & captiosis hominibus, qui etiam si tam diu res dilata esset, Mosem mendacij coarguissent.] Quæ verò contrà Lyranus affert, soluit recurrendo ad figuram anticipationis, aut recapitulationis.

f Exod. 11. post q. 5.
g Exo. 11. 4. 5.

Cum Lyrano sentit Carthusianus, Caietanus, Ystella, & alij. Et quidem difficile creditu est, intellexisse Ægyptios, & significare Mosem voluisse certam noctem; quoniam quando id voluit Moses, expressit, vt in plaga muscæ, de qua dixit; *cras*[h] *erit signum istud*: & de plaga pestis animalium scribit[i]; *Constituitque Dominus tempus, dicens: Cras faciet Dominus verbum istud in terra.* Eodem pacto de grandine & locusta[k]. Vt esset præterea magis molesta plaga ista, voluisse videtur Deus improuisā esse. Alioqui quid opus erat de nocte potiùs fieri, quàm de die? Et cùm eadē nocte immolandus agnus esset, siue vespera eiusdē, & postea discedendum Hebræis, non est credibile præmonitos Ægyptios de illa ipsa nocte; tunc enim tumultuati essent Ægyptij, nec liberè vacare sacrificio Hebræi potuissent. His ego de causis Lyrani, & plurium sententiæ libentiùs acquiesco. Quapropter media nox fuit prædicta, sed non præcisè quæ illa futura esset.

h Exo. 8 c. 23.
i Exod. 9. 5.
k Exod 10. 4.

Omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus.] Addit editio Complutensis, Regia, & aliorū codicum (*Domine exiliens*) sed in Græco textu desunt; ac forsitan sumpta sunt ex dicta Ecclesiæ antiphona. Sermonem, qui λόγος hìc dicitur, pro iussione diuina sumūt omnes passim ad literam, atque Idacius[a] de omnipotentia Patris, nempe præcipientis: sed per accommodationis, aut mysticū quoque sensum de incarnatione, vel natiuitate Verbi non pauci accipiunt, & Ecclesia ipsa in ea quam suprà recitaui antiphona. Licèt enim secunda Trinitatis persona Latinè potiùs Verbum dicatur, quàm sermo; sermonem tamen etiam dici & à Patribus interdum, & semel saltem sensu literali in Epistola ad Hebræos[b], docui alibi.

a cont. Varimadum.
b c. 4. ver. 12.

Porrò sic præter loci præsentis Expositores intellexerunt Anselmus[c], qui ait media nocte natum Christum: Cerealis[d], qui probat hinc & omnipotentem & Regem esse: Petrus[e] Blesensis, qui ex professo persequitur totam sententiam de Christi natiuitate, & quietum mediumve silentium exponit conticinium, quod est post galli cātum, de quo priùs dixi. Confirmant Tertullianus[f] & Augustinus[g] natiuitatis Christi horam eandem ex Psalmo 109.[h] vbi dicitur; *ex vtero ante luciferum genui te.* Sed aptiùs videntur transferri verba istius loci nostri ad incarnationem; quia per eam (licèt nondum visibiliter & coram oculis hominum) meliùs dicitur persona Trinitatis secunda à regalibus sedibus venisse, & de cœlo descendisse, quàm per natiuitatem.

c in elucidario.
d cont. Maximes
e serm. 6. in natiu. Dom.
f 5. cont Marcio. c. 9.
g in Ps. 109.
h vers. 3.

Allegoriam istam tractant accuratè Hugo hoc loco & Bonauentura, & integro sermone citatus Blesensis. Hos consule. Habuit absque dubio rationem Ecclesia omnino externæ & visibilis ante oculos hominum aduentus & apparitionis Christi, quæ primùm contigit in natiuitate, quam etiā Græci τὰ ἐπιφάνια nominant, non autem in incarnatione, quando dicta verba decantanda proposuit. Eadem tamen Ecclesia in antiphona vigiliæ Natiuitatis illud canit. *Cùm ortus fuerit Sol de cœlo, videbitis Regem Regum procedentem à Patre, tanquam sponsum de thalamo suo.* Inde argumentari quis posset, horam natiuitatis diurnam orto iam Sole fuisse; nisi sensum dicas esse de hora qua celebratur tertia Missa solenniter; per quam Missam repræsentari dicitur natiuitas Christi æterna & diuina.

De cœlo.] Græcè (ἀπ' οὐρανῶν, *à cœlis.*) Hinc, & ex regalibus sedibus, vnde venisse omnipotens sermo dicitur, id est, diuina iussio facta interfectori primogenitorum Angelo, & quia paulo etiā pòst habetur, quòd gladius attingebat vsque ad cœlū, inferunt Angelum illum bonum fuisse Hugo, Carthusianus, Olcot. Eandem ipse sententiam, de qua suprà dixi, defendo, licèt non his persuasus argumentis. Quæ cùm non adeò vim magnam habeant, non debuit Lyranus, ne recederet ab opinione contraria, negare librum istum canonicum esse.

Quid sit gladium attigisse vsque ad cœlū, paulò pòst exponetur: sermo autē pro diuino præcepto

&

& de cœlo,& de regalibus ſedibus venit, quamnis hi quibus præcipitur, ſint Angeli mali. Alia ſuppetunt argumenta;tum Stephani teſtimoniũ[a] docentis Moſem ad populum liberandum eſſe miſſum *cum manu Angeli, qui apparuerat illi in rubo.* Nec eſt cur diuerſus inducatur Angelus plagarum patrator,ab eo qui fuit populi deductor.

[a Act.7.35.]

Durus debellator.] Græcè (ἀπότομος πολεμιστὴς.) De nomine ἀπότομος dictum pridem.In cantico[b] Moſis apellatur Deus κύριος συντρίβων πολέμους, *Dominus conterens bella*, id eſt, bellatores, aduerſarios,πολεμίους:Chad.*Dominus victor bellorum.* Sed & de eo loco nonnihil ſuprà diximus.

[b Exod.15.3.]

In mediam exterminij terram proſiliuit.] Græcè (εἰς μέσον τῆς ὀλεθρίας ἥλλατο γῆς, *in mediũ perniciosæ,perdua,exitialis,perditioni addictæ, exterminio dignæ,deſiliit terræ.*)Medium non excludit extrema; ſed quoniã in medio hoſtium copiæ maiores validioréſque, in medios hoſtes inſilire dicitur qui magno impetu inuadit ac impetit fortiſſimos quoſque,idque vel vtrinque perrumpendo per primos & vltimos, vel ſaltem viam ſibi faciendo per alterum extremum partémve. Cœpit Angelus à primogenito Pharaonis, & aliorum Principum, qui medium in Ægypto tum loci, tum dignitatis occupabant. *Proſiliendi* verbo denotatur celeritas inuadentis,quidam quaſi furor,vis ac robur. Hæc licèt in Angelo vno magna ſint, mihi tamen antea videri probabilius docui,plures fuiſſe qui tot tam multis in locis eodem breuiſſimo tempore primogenita occiderent.

Gladius acutus inſimulatum imperium tuũ portans.] Græca indicant ſic vertendum fuiſſe, referendo ad ſuperiora(*omnipotens ſermo tuus,&c.gladium acutum*) & per appoſitionem (*inſimulatum imperium tuum portans*) id eſt, ipſemet ſermo portans gladium acutum, qui gladius nihil aliud erat niſi imperium tuum, vel res imperata per ſermonem tuum. Nam ξίφος ὀξὺ ſunt neutrius generis, φέρων maſculini. Vatablus ita reddit(*omnipotens ſermo tuus bellator durus, acutum gladium minimè fictum mandatum tuum gerens.*) Interlinearis quoque Complutenſis verſio ſic habet(*omnipotens tuus ſermo à cœlis,de thronis regalibus durus bellator in medium pernicioſæ proſiliuit terræ,gladium acutum non ſimulatum imperium tuum ferens.*)Sed noſter Interpres perſpicuitatis causâ de omnipotente ſermone tanquam epitheta extulit quòd ſit gladius acutus; vbi ſententiæ vis eadem perſeuerat.

Gladius acutus.] Omne pœnæ genus gladij nomine, aliíſque ſynonymis, vt enſis, cultri, & ſimilibus telis,vt romphææ,macheræ,&c.deſignatur,quaſi gladius dicatur à clade, vt Varro[c] voluit; quoniam omnis dolor corporis in genere conſiſtere dicitur in diuiſione continui.Vnde pro *pœnis* apud Iob[d] ſunt חֲלִיפוֹת *chaliphoth*,quaſi dicas *ſciſſiones*,& ab eadẽ radice culter appellatur מַחֲלָף *machalaph.* In Paralipomenis[e] gladius hoſtium pro bello ponitur, gladius Domini pro Angelo interficiente per peſtilentiam. Ibidem[f] prætereà pro fame ſimul & peſtilentia ſumitur, vocatúrq; gladius iudicij. Denique *vltor iniquitatum gladius eſt*[g]; & Magiſtratus *non ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt,vindex in iram* (per varium ſupplicij genus)*ei qui malum agit*[h]. Deus ipſe quamlibet vindictam,quam repetat de improbis,nominat gladium vltorem[i], & ſe arrepturum minatur manu iudicium, vt reddat vltionem hoſtibus,acuendo vt fulgur gladium[k].Eſt gladius inſigne poteſtatis,&poteſtas,iúſve gladij in iure ciuili idem quod meri ac mixti imperij. Dat Baruch[a] Iudicis in manum gladium, necnon Idolo. Vocat Lucanus[b] ferri ius, loquens de Dictatoria dignitate. Herodianus[c] inter ſupremi honoris decora ſignáque Plautiani Syri,enſis geſtationem numerat.Sed & gladium ſeu acinacẽ Scythas coluiſſe pro Deo,teſtes Ammianus[d],Arnobius[e],Clemens[f] Alexandrinus, Lucianus[g], vt mortem regionũ, inquit Ammianus, quas circũeunt, quaſi dicas verbis ſuprà poſitis hoc loco, vt durum bellatorem in mediam exterminij terram proſilientem. Auguſtum quidem prodit Dio Caſſius[h] geſtandi gladij poteſtatem ſolis feciſſe Proconſulibus, Legatíſve,quos ad hoſtibus infeſtas mitteret prouincias: reliquis negaſſe, quò licentia necandi multis adimeretur.

[c lib. 4. de ling.Latin.] [d c.10.17.] [e lib.1.21.12.] [f lib.2.20.9.] [g Iob.19.29.] [h Rom.13.4.] [i Leuit.26.25.] [k Deut.32.25.]

[a c.6.14.] [b lib.5.] [c lib.3.] [d lib.31.] [e lib.6.] [f in parenesi.] [g in Iove tragœd.] [h lib.53.]

Iure igitur & aptè admodum Auctor hoc loco nominat omnipotẽtem ſermonem gladiũ debellatorem, quia nec geſtandus, nec eximendus niſi Principis auctoritate atque præcepto, ſine quo Petrus cùm illum eduxiſſet ac vulnerauiſſet, à Chriſto reprehenſus & coërcitus eſt[i]. Neſcio an ad hunc ipſum locum noſtrum reſpexerint Philippus presbyter & Beda,quando declarãrẽt citata priùs verba Iob[k], *vltor iniquitatum gladius eſt*; docent quòd gladius lingua eſt Regis, & nõ carnalis,vt Salomon dicit; lingua ſcilicet,quia pendet à lingua,ſermonẽ præcepti promente,quemadmodum quis gladio vtatur.Id ſibi quoque fortaſſe vult gladius procedens de ore[l]. Mutuati ſumus ex allatis nonnulla à Petro[m] Gregorio, & à Pineda[n] noſtro.

[i Matt.26.52.] [k c.19.29.] [l Apoc.19.15.] [m ſyntag lib 47.c. 4.] [n in c.19.Iob. verſ.29.]

Inſimulatum imperium tuum portans.] Græcè (τὴν ἀνυπόκριτον ἐπιταγήν, *non ſimulatum,non fictum, non hypocriticum imperium tuum*) quod ſeriò, citò, ſine mora, abſque tergiuerſatione, vel diſſimulatione Angeli acceperunt,& executi ſunt,non aliud præ ſe ferentes,aliud facientes, vt noſtrûm nonnullis euenit,qui ſe profitentur obſequioſos, ſed re factíſque diſcrepant; vel ſi quid præcipiant, id vel non perinde vt videntur velle, factũ volũt:vel ſi velint, non eis obtemperatur, ita vt perſonatum quodammodo ſit aut præceptum, aut obedientia præcepti. Angeli Dei potentes ſunt virtute,vt faciant verbum illius,vt audiant vocem ſermonum eius,id eſt,obediant iuſſionibus illius, vt faciant voluntatem eius[o] ſpiritus ſunt (ocyores ventis) & ignis vrens[p](propter efficaciam.) Deterior filius,qui ſe iturum in vineam cùm recepiſſet,non iuit, quàm qui poſtquàm negaſſet patri, tamen iuit[q]:at vterique paternum imperium ſimularũ & hypocriticũ quodammodo fuit. Verus obediens veneranter imperium admittit,& ſedulò præſtat. Cap.5.[r] iudicium certum eſt pro ἀνυπόκριτον.

[o Pſ.102.20.21.] [p Pſ.103.4] [q Matth.21.28.& ſeq.] [r verſ.19.]

Et ſtans.]Græcè(καὶ στάς.) Generis maſculini participium pertinet ad λόγον,id eſt *ſermonem*, non ad ξίφος,quod eſt neutrius generis,id eſt.*gladiũ*;quod nomen Interpres in recto vſurpauit(*gladius*) licèt eodem caſu *gladium* quoque dicere potuiſſet[ſ].

[ſ Lucilius apud Varronẽ.]

Hærebat gladium mucrone in pectore totum.

Relege prædicta ad illa verba (*gladius acutus*) in principio. Bonauentura irreuocabilem & immobilem decretoriam Dei iuſſionem *ſtantis* participio deſignari notat,ſicut auctoritatẽ, cùm appellatur inſimulatum imperium. Intelliguntur hæc de imperio beneplaciti & volũtate efficaci,atque concomitante, non tantùm de antecedente & ſigni,vt Scholaſtici Theologi loquuntur.

Gladium pro Dei verbo Paulus[t] accipit, & poſt illum paſſim alij Catholici ſcriptores.

[t Epheſ.6.17. Hebr.4.12.]

A *Pro gladio vibrat* (inquit Alcimus [a]) *bis acutum dextera verbum.*

[Bonum vulnus gladius hic infligit & infigit, ait Ambr.[b] vulnerat, nó vlcerat.] Eo errores interfici ſcribit Auguſtinus [c], non homines ; & Apollinarius [d] ſecari ſectas. De gladio autem pro inſigni Imperij collegit nonnulla in ſuo Romano Imperatore [e] Bulengerus ex Dione [f], Herodiano [g], Philoſtrato [h], Statio [i], iure ciuili [k]. Statius per Auſonios enſes præfecturam intellexit.

Nec vulgare genus faſces, ſummamq; curulem
Frater, & Auſonios enſes, mandatáque fidus
Signa tulit. ———

De gladij vſu ac inuentione nihil attinet hîc dicere, vt neque de ferro, an ære veteres vſi ſint (B) priùs quã ferro. Legatur noſter Biſciola [l]. Cõſtat ex Geneſi [m] Tubalcain malleatorem fuiſſe, & fabrum in cuncta opera ſimul æris, & ferri: & à Ioſepho [n] appellatur artis ferrariæ præceptor primus, χαλκεῖαν, ait, πρῶτος ἐπενόησε, *ærariam primus eſt commentus*, ſub ærariâ comprehensâ etiam ferrariâ, vt ſolet vnum pro altero metallum ſumi. Fruſtra cæteri accerſunt è diuerſis aliis hanc inuentionẽ, quos refert idem Biſciola : nec fidẽ Caſſiodorus [o] meretur, non priùs armata fuiſſe certamina, ſed pugnis ſe quamlibet feruidam laceſſiuiſſe intentionem, vnde nomen pugna acceperit: poſtea Belum ferreum gladium primum produxiſſe, à quo & bellum placuerit nominari.

Repleuit omnia morte.] Omnes domos Ægyptiorum, in quibus cæſa ſunt primogenita [p]. (C)

Et vſque ad cœlum attingebat.] Impleuit imperiũ diuinũ ea quæ voluit Deus in cœlo; & ſicut fuit voluntas in cœlo, ita factũ eſt [q]. Sed Græcè latet emphaſis (καὶ οὐρανοῦ μὲν ἥπτετο, *& cœlum quidem attingebat*) tum quod ſequitur in editione noſtra (*ſtans in terra*, βεβήκει δὲ ἐπὶ γῆς, *venerat autẽ*, ſiue *deſcẽderat in terra:*) & arbitror eſſe ſenſum; vix ea dicta dedit Deus in cœlo, vix increpuit ſonus in cœlo iuſſionis diuinæ, ſimul voluit ipſe, vt primùm dixit, illicò quod imperauit factum eſt. Quod vulgò dicimus, dictum factum, dictum puta; & Scripturæ de aliis diuinis operibus [r]; *dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt.* Hoc volunt, puto, qui verbis his ineuitabilem ſignificari ſententiam volũt: (D) nam diuina decreta perinde ac ſi fiant in cœlo, & veluti in Senatu Trinitatis, animo fingimus: Trinitas autem Deúſque non mutatur vt homines ſolent [ſ]. *Triumphator in Iſrael*, ait Samuel [t], *non parcet, & pœnitudine non flectetur : neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam.* Significare prætere a hæc eadem verba poſſunt, nullum de primogenitis euadere potuiſſe, mortémque, vt proximè antè dictũ erat, omnia repleuiſſe; quoniam altè ac humiliter habitantes, ſummi imíque plaga iſta percuſſi ſunt; cœlum quoque, id eſt, aër, peſtilenti qualitate infectum eſt, qua necarentur Ægyptiorum primogenita. (E) Quamquam, vt antè dixi, nó fuit illa propriè peſtis; alioqui non ſolis nocuiſſet primogenitis. Si hoc, quod modò dico, Carthuſianus voluit, meæ libenter adſtipulatorem opinionis accipio. Ait Angelum executorem attigiſſe vſque ad cœlũ aëreum, & quouſq; ſe ſua actio extendebat. Quod Sà ſignificari docet cœleſti rẽ virtute actá eſſe, non reſpuo. Quaſi dicas, iuſſio diuina in terra quidem ſortiebatur effectum, ſed vim habebat quodammodo ex attactu cœleſti, hoc eſt, quia à Deo, qui peculiariter in cœlo dicitur habitare, proficiſcebatur.

Stans in terra.] Græcè (βεβήκει δὲ ἐπὶ γῆς, *deſcenderat autem in terra*) pro vt etiam paulo ante declarauimus. In terra habitabãt primogenita; ibi clades deſæuiit. Nõ eſt cur in *ſtandi* participio vis fiat cum Bonauentura, quaſi non opponatur tranſitui Angeli per Ægyptiorũ domos, ſed receſſui de Ægypto, extra quam prouinciam nõ ſint interfecta primogenita. Nec ſatis literalis eiuſdem Doctoris ſenſus, ſtantem fuiſſe in terra Angelum dũ ibi mandatum Dei exequebatur, ſimúlque attigiſſe vſque ad cœlum, quia in cœlo cõtemplabatur; ita vt intra Deũ currere dicatur quiuis Angelus quocumque mittatur. Efficacia diuinæ volũtatis denotatur, cuius miniſtri ſunt Angeli. *Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti* [a]. (B) Eſt ἐνεργής, id eſt, potens ad puniendũm, & nocendum. Videtur mihi Vatablus innuere, Angelum diuini præcepti executorem viſum ſaltem ab aliquibus nunc in cœlo, hoc eſt, in aëre, atque inde deſcendere, nunc in ſolo ac terra propè eſſe. Haud probabilior quàm Bonauen. modò relata ſẽtẽtia.

Verſ. 17.] Tunc continuò viſus ſomniorum malorum turbauerunt illos, & timores ſuperuenerunt inſperati,

Verſ. 18.] Et alius alibi proiectus ſemiuiuus, propter quam moriebatur, cauſam demonſtrabat mortis. (C)

Verſ. 19.] Viſiones enim, quæ illos turbauerunt, hæc præmonebant, ne inſcij, quare mala patiebantur, perirent.

NOtatu dignam, nec in Exodo, vel alibi expreſſam circũſtantiam in primogenitorum Ægyptiorum interfectione mortéque continent verſus iſti, nẽpe terrifica ſomnia & horrenda in ſomniis viſa, quibus infelices exagitati ſunt mox morituri; atque ſemiuiuos aut ſemineces potiùs & moribũdos pro iam mortuis eiectos. Sic fiebat, vt ſuimet interitus cauſã diuinam & ipſi probè intelligerent, & aliis qui ſupererant declararent, (D) videlicet quòd peruicaces aduersùs diuinum præceptum de dimittendis Hebræis extitiſſent, & tam dirè Hebræos eoſdem vexauiſſent cùm aliis multis modis, tum ipſorum infantes maſculos aquis ſuffocando. Sed hæc enucleanda.

Tunc continuò.] Græcè (τότε παραχρῆμα, *tunc ſubitò, ſtatim, repentè*) vt primũ iuſſit Deus, ac noctis illius fatalis hora decreta. Lyranus explicat, antè immediatè, ſcilicet quàm interirent primogenita: Carthuſianus, tũc, tam in occiſione primogenitorũ, quàm paulo antè: Olcot [b], ſtatim, & ſine impedimẽto in illa nocte, qua primogenita cædẽda fuerunt: Bonauẽtura, ipſa hora occiſionis. Omnia vera: (E) ſed falſum quod Hugo interpretatur poſt mortem primogenitorum. Nam poſt hanc mortem nõ acciderunt Ægyptiis quæ hîc narrantur viſiones & timores, nec ſemiuiuorum proiectio. Imò vbi primùm ſuperſtites deprehenderunt interitum primogenitorum, eadem ipſa nocte impetu ac tumultu facto conuenerunt ad Pharaonem, & hic accerſiuit Moſem & Aaronem ad colloquium, in locum quò ipſe ſe contulerat. Colligitur id ex Exodo [c] apertè, & ex Philone [d].

Viſus ſomniorum malorum turbauerunt illos.] Græcè (φαντασίαι μὲν ὀνείρων δεινῶν ἐξετάραξαν αὐτοὺς, *viſa, & phantaſia, & ſpectra ſomniorum dirè,*

graniter,

a lib.6.c.16.
b 3.de Virgin.
c 2 cont.literas Petiliani.
d lib.4.ep.11.
e lib.3.c.10.
f de Traiano.
g lib.3.
h lib.4.c.14.
i 3.Sylua.
k nouell. Iuſtin de vicar. Pont. & l.illicitas.ff de officio Præſidis.
l tom.1. hor. ſubſeci.c.11.
m c.4.22.
n 1.Antiq c.4.
o lib.1. variar. epiſt.30.
p Exod.12.29.
q 1. Machab. 3.60.
r Pſ.148 5.
ſ Malach 3.6.
t 1.Reg.15.29.
a Heb.4.12.
b lect.201.
c c.12.30.31.
d 1.de vita Moſis.

grauiter,molestè, vel *dirorum,grauium, molestorum, δεινῶν,turbauerunt Ægyptios)* non primogenitos duntaxat fortasse,verum & alios, præsertim ad quos primogenitorum iactura spectabat : ita vt viderentur sibi videre qui dormiebant truces personas,quæ mortem primogenitis adferrēt;postea excitati tristem euentum somniis respondentem conspicerent.Philo [a] scribit primogenita repentè interiisse ad vnum.Et credibile tamen est nō omnes primogenitos tunc dormiuisse,aut post somnum percussos esse, atque somniorum reminisci priusquàm percuterentur,potuisse. Igitur ex aliis quoque non primogenitis qui dormiebant,somnia illa molesta sustinebant. Auctor & immissor somniorum idem videtur qui & primogenitorum interfector,de quo suprà disseruimus; & de omni somniorum ratione alibi [b] : Olcot [c] autem hoc loco.

Et timores superuenerunt insperati.] Græcè (*φόβοι δ᾽ ἐπέστησαν ἀδόκητοι, timores autem instabāt inopinati & inexpectati:*)hoc enim significare *insperati* sæpe notatum est. Possunt autem iidem timores intelligi accidisse in somnis, vt aliis contingit,& de se refatur Iob [d] : vel certè illis qui fortè tunc vigilabant, vnde coniicere potuissent de veritate prædictionis Mosis,primogenita interitura.Legimus in historiis præcurrisse horribilia spectra insignes quasdam clades. Congruit proposito quam Paulus Diaconus [e] sub Agathone Papa contigisse narrat anno 680.in Italia,pestilentia; quando, inquit ille, visibiliter multis apparuit, quòd bonus & malus Angelus noctu per ciuitatem (Romanam)pergerent,& ex iussu boni Angeli malus Angelus, qui videbatur venabulū in manu ferre, quoties de venabulo ostiū cuiuscumque domus percussisset,tot de eadem domo die sequenti homines interirent. Extat huius rei monimentum in basilica Petri ad vincula,vbi excitata Sebastiani Martyris imagine,quæ hodiéque visitur musiuo opere, lues illicò cessauit:ex quo tempore pestilentiæ propulsator Sanctus ille passim habitus.

Et alius alibi proiectus semiuiuus.] Græcè (*ἡμίθνητος,semimortuus.*) In eadem domo potuerunt esse plures primogeniti eo modo quē suprà diximus, etiam ex eadem familia:vel hic intelligitur locus de iis qui erant in diuersis domibus.Alius autem alibi proiectus dicitur semiuiuus, semíve mortuus, aut quòd vis inflicti mali non illicò & in momento interficeret,sicque illo tacti præ dolore ac deliquio seipsos humi iactarent:aut quia,vt fit grassante pestilentia, vix appareret mortis in aliquo signum, cùm statim efferretur pro mortuo, qui nondum penitus mortuus esset,ne contagio inficeret:& Philo [f] tradit defuisse sufficientem sepelientium numerum.

Mysticè semiuiuus est qui scit creditque, sed non operatur bene, similis semiuiuo quem curauit Samaritanus [g] : aut legatis Dauid media rasis barba,& vestibus ex parte scissis [h]:aut viduæ delicianti,quæ, vt ait Apostolus [i], *viuens mortua est*: aut illi ex Apocalypsi [k],qui nomen habebat quòd viueret,& mortuus erat.

Propter quā moriebantur causam demonstrabat mortis.] Ipsa illa proiectio & iactatio satis declarabat quodnā genus esset mortis, nempe diuinitus immissæ,non ex causa naturali. Aliæ quoque circūstantiæ illud idem persuadebant,vt quòd tā multi paulo antè valentes ac vegeti,eadem hora, eodem mortis genere sublati essent, atque præmonentia maléque ominantia proximè somnia præ-

A cessissent cum terriculamentis ingentibus.Sed & verbis gestibúsve,ac quacumque ratione poterāt, vt indicat Bonauentura,significabāt mori se propter duritiam cordis præteritam in Deū Mosis,in Mosem,& in populū,cui præerat Moses. Nominatim verò ipsimet primogeniti semiuiui, semíve mortui patribus declarabāt,& aliis, idcirco se interfici quòd Hebræorū primogenitos occidissent; primogenitum autem Dei filium populum eius,vt ipse de illo loquebatur,ipsomet iubente, dimittere noluissent.*Filius meus primogenitus Israel,* ait Dominus. *Dixi tibi;dimitte filium meum,vt seruiat mihi,& noluisti dimittere eum:ecce ego interficiam filium tuum primogenitum* [a].

B *Mortis.*]Hoc verbum addidit de suo Interpres causâ perspicuitatis.

Visiones enim.]Græcè(*οἱ γὰρ ὄνειροι,somnia enim.*)

Quæ illos turbauerunt.] Fortassis,vt prædixi, non tantùm primogenitos,sed etiam alios.

Ne inscij quare mala patiebātur,perirent.]Mala patiebantur hi quorū primogeniti erant in suorum perditione iacturáque:ex primogenitis illi quoq; qui ratione præditi erant. Vtrique igitur si sōnia illa dira passi sunt,iis præmonebantur nō fortuitò tantam cædem euenisse.Quamquā illud(*ne perirent*)indicat potiùs primogenitos, si *perire*, mori interpretemur:si autē de damnatione æterna, ad

C vtrosque spectare posset,vt nēpe primogeniti rationis participes tēpus haberent sese colligēdi,ac pœnitendi ante mortē iam iam affuturam;cæteri in posterū de sua pernicacia contra Deum, & de peccatis aliis agerent pœnitentiā, & euitarent, si vellent,sempiternas pœnas, & similes tot præcedentibus temporales plagas.Fuerāt Ægyptij præmoniti de plaga hac: sed quia, vt ante dixi cum Abulense & aliis,præcesserant plures dies,denuò Deus pro sua benignitate monere voluit.

Hinc elici potest, neminē destitui gratia sufficiēti ante mortē,vt cōuerti possit,quātislibet ob noxius peccatis teneatur:qua de re iā c.11.nōnihil disputauimus.Diuitias habet Deus bonitatis(*χρηστότητος*,qua sponte,non requisitis prioribus meritis,vt definit Basilius [b],benefacit,& peccata cō-

D donat)& patiētiæ (*ἀνοχῆς*,qua nō punit statim,sed veniā offert)& longanimitatis [c] (*μακροθυμίας*,qua diu & multū peccantes expectat ad pœnitentiā, quantuscūque tandem sit cumulus peccatorum.) Quocirca non vsquequaque, vel prorsus exactè quadrat mystica Ruperti [d] ratio de media nocte, vt sciat quisquis exēplo Ægyptiorū thesaurizabit sibi iram Dei,quòd nihilo minùs exēplo illorum improuisam accipiet vindictā.Est quidē aduentus mortis impio improuisus,ac vt fur,necnō iudicij generalis dies [e]:tamen non ita mors occupat incautum, vt non qua sibi cauere possit vel ad momentum saltem,gratiam Deus subministret.

E

*Vers.*20.] Tetigit autem tunc & iustos tentatio mortis, & commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua.

OCcasionem sumit Auctor ex primogenitorū plaga propter tantam Ægyptiorum peruicaciam,interponendi narrationē de occisis pariter simili de causa Hebręis in deserto,nēpe quia rebellauerant contra ducem suū Mosem:quando tamen Aaronis fratris deprecantis opera continuit iram Deus, ne adeò multos interficeret.

a supra.
b Act 2.17. c lect.203.
d c.4.13.14.c.7.14.
e lib.6.c.2.de gestis Longobard.
f 1.de vita Mosis.
g Luc.10.30.
h 2.Reg.10.
i 1.Tim.5.6.
k c.3.1.

a Exod.4.22.
b regu.214.ex breuiorib.
c Rom.2.4.
d 2.in Exod. c.17.
e Luc.12.39.1.Thess.5.2.4.Matt.24.43.2.Pet.3.10 Apoc.3.3.c.16.15.

[21.16.] Historia hæc libro Numerorum continetur [a]. Sic verò docetur, quod antea in præsenti libro nostro factum non semel vidimus, quo discrimine Deus populum suum punuerit, & aduersarios ipsorum; & simul occurritur obiectioni, vt Lyranus notat, quo pacto beneficiis censeatur affectus populus, quem constat seuerè à Deo punitum.

Tunc.] Post cædem primogenitorum. Græcè quidam leguut (*ποτὲ, aliquando.*) Videtur Interpres legisse (*τότε*:) neutrum legunt codices Sixtiani & Aldini.

Iustos.] Hebræos; hoc enim epitheto distinguuntur ab Ægyptiis, de quibus actum proximè.

Tetigit iustos tentatio mortis.] Contigit morte periclitari, inquit Vatablus. Lyranus & alij cũ glossa ordinaria explicãt tentationem punitam morte, nempe murmurationem populi contra Moysem & Aaron, quòd cùm Core, Dathan, Abiron & Hon, aliique ducenti quinquaginta diuinitùs de medio fuissent sublati, indignè tulisset, & postea eo nomine vsque ad quatuordecim millia hominum & septingẽtos igni consumpti essent, & adhuc plures periissent, nisi sese Aaron deprecatorẽ cum thymiamate interposuisset. Core summum Sacerdotiũ, cũ esset de tribu Leui, videbatur ambiuisse: Dathan, Abiron, & Hon, quia erant de tribu Ruben, ius primogenituræ & dignitatis ciuilis primatum, ac tacitè saltem etiam Pontificiam dignitatem, quæ in lege naturæ cum primogenitura coniũcta erat. Vnde Moses iussit istos thuribula sumere, vt hac ratione declararetur, quid Deus circa hoc vellet. Lege Abulensem præcipuè; nec enim aliud debeo tractare, quàm quod requirit præsentis intelligentia loci.

Commotio in eremo facta est multitudinis.] Græcè (*θραῦσις ἐν ἐρήμῳ ἐγένετο πλήθους, fractio in deserto facta est multitudinis.*) Vatablus (*& multitudo in deserto cladem accepit.*) Eadem vox *θραῦσις* ponitur à LXX. in Psalmo 105. [b] [b vers. 30.] cũ est sermo de Phinees, *& cessauit quassatio*; Hebraicè, הַמַּגֵּפָה *hammagephah, plaga, percussio, cædes*, qua perierãt de populo viginti quatuor hominum millia, & principes Israël fuerant suspensi [c] [c Num. 25. 8.]: Chaldaicè מוֹתָאנָא *mothaana, mors.* Rursus eodem Psalmo quando agitur de Mose, *confractio* ponitur, Græcè *θραῦσις*, Hebraicè פֶּרֶץ *ph. rets.* Item in libro Numerorum, vbi narratur illa ipsa intercessio Aaron, de qua hîc mentio subiicitur, quod Interpres reddit, *plaga cessauit*, Hebraicè, Chaldaicè, Græcè dictis illis nominibus exprimitur. Interpres hoc loco causam posuit pro effectu, commotionem seditiosam pro supplicio quo punita est. Vel commotio multitudinis est quæ commota & disperdita est à Deo, qui commotus erat ira contra ipsam. Commotionem seditionis intelligit Lyranus à Core, Dathan, Abiron, meliùs alij à populo, postquàm isti deleti sunt, concitatam. Summam interfectæ multitudinis præter eos qui perierant in seditione Core, recenset liber Numerorum [d] [d c. 16. 49.] quatuordecim millia hominum & septingentos.

Sed non diu permansit ira tua.] Additum est (*tua.*) Non continet Deus in ira misericordias suas [e] [e Ps 76. 10.]: cùm iratus fuerit, misericordiæ recordatur [f] [f Abac. 3. 2.]: non irascitur in finem & in perpetuum [g] [g Psal. 78. 5. Ps. 103. 9.]: non accendit omnem iram, sed abundat vt auertat eam [h] [h Ps. 77. 38.]: mitigat omnẽ iram suam, & auertit se ab ira indignationis suæ [i] [i Psal. 84. 4.]: *ira in indignatione eius, sed vita in voluntate eius* [k] [k Psal. 29. 6.]. Hoc aliquoties obseruatum est, quando puniuit Deus populum suum; verbi gratiâ, ex adoratoribus vituli viginti tria milla occisa sunt [a] [a Exod. 32. 28.]: ex iis qui initiati erant Beelphegor viginti quatuor millia [b] [b Num. 25. 9.]: ex murmuratorib. vt modò dixi, quatuordecim millia septingenti: iterum ex iisdem plurimi perierunt morsibus serpentiũ [c] [c Num. 21. 6.]: item ad sepulchra concupiscentiæ [d] [d Num. 11. 33. 34.]: noluit quoque ex iis qui sunt egressi de Ægypto intrare in terram promissam nisi duos [e] [e Num. 14. 30.]. Tamen seueritatem semper temperauit misericordia: quod ostendi præterea posset in variis eiusdem populi captiuitatibus; tum in hac quam hodiéque patiuntur, vt & reliquiæ tandem saluæ fiant [f] [f Rom. 9. 27.].

Vers. 21.] Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.

MOdum exponit quo sedata est ira Dei, cùm, vt est etiam in libro Numerorum [g] [g c. 16. 43. & seq.], iacẽti ad tabernaculum fœderis Aaroni frater Moses & ipse iacens, vnáque deprecans pro murmuratore populo, quem consumebat ignis, imperauit vt citò pergeret ad populum ipsum cum thuribulo, rogaturus pro ipso: quod vbi fecisset Aaron currens ad mediam multitudinem, quæ iam vastabatur incendio, & offerens thymiama, stansque inter mortuos & viuentes, & precans, cessauit plaga. Sed res tanta pensiculatiùs per partes examinanda.

Properans.] Sic imperauerat Moses edoctus à Deo proculdubio dum humi vacaret orationi cũ fratre. Alij [h] [h Aldina, & Basileensis editio.] legunt non *σπεύσας*, sed *πέρσας à πέρθω, diruens, euertens, expugnans, irrumpens in confertam multitudinem*, nempe impetu ac properando. Post Core, Dathã, Abiron, Hon, aliosq; ducentos quinquaginta seditiosos partim igni cõsumptos, partim absorptos terra, & seditiosorum thuribula in laminas producta, & altari affixa in monumentũ, populus totus acerbiùs obmurmurauit, ita vt fugiendum fuerit Mosi & Aaroni ad tabernaculũ fœderis. Id illis ingressis, operuit nubes, & apparuit gloria Domini: cùm Dominus se deleturum minaretur multitudinem, perstãs humi Moses in oratione imperauit Aaroni, vt citò faceret quod antea narraui: & is cucurrit iam grassante incendio, quo perierunt, vt etiam retuli, quatuordecim millia septingenti. Apud Iosephum [i] [i 4. Antiq. 2. & 3.] commemorantur eadem fusiùs. Sed suspectus mihi est, cùm & Dathã ac Abiron absorptis humo scribit, neminem eos ne propinquorum quidem & cognatorum esse miseratum, sed populum totũ lætis acclamationibus Dei sententiam cõprobauisse: & nihil meminit de murmure populi post alios ducentos quinquaginta consumptos igni, de quibus tamen non tacet, & quatuordecim milliũ septingentorum interitum prætermittit. Hoc vltimum Philo [k] [k 3. de vita Mosis.] quoque inuoluit silentio, etsi stylũ comprimere magis quàm Iosephus solet.

Illud obiter noto, asserere seditiosos, quos postremò nominaui, vnà sic cõflagrauisse, vt ne minimum membrum relictum sit quod sepulchro posset inferri. Abulensis [l] [l Num. 16. q. 24.] de hoc quærit, & in vtramque partem disputat. Constat Nadab & Abiu igni sublatos sine iactura non solùm corporum, sed etiam vestium [m] [m Leuitic. 10. 4. 5.]: iussit enim Deus sic vt erant vestiti tolli ac humari. E contrario, si credimus Abulensi [n] [n supra & 4 Reg. 19. q. 19.], milites Sennacherib

combusti

combusti sunt, redactique in cineres, sed vestes & arma intacta. Id tamen non habetur in Scriptura [a]; verùm indicatur potiùs oppositum, quoniam dicitur cadauera esse reperta:& Iosephus [b] appellat morbum, hoc est, pestiferam aliquam qualitatem diuinitus immissam.

a 4.Reg 19. Esa.37
b 10.Antiq.

Homo sine querela.] Græcè (ἀνὴρ ἄμεμπτ☉, *homo irreprehensibilis.*) Aaron cùm aliis in rebus bonus, tum quod attinet ad Pontificiam dignitatem, liber ab ambitione, de qua seditiosi illi eū accusabant, necnon fratrem Mosem, & quòd hic indulgens amori fraterno hanc ipsi dignitatem contulisset. Nam iusserat Deus ipse, vt Moses, quem ducem populi elegerat [c], & tot signis illustrauerat, consecraret fratrem in summum Sacerdotem [d]. Certè, nisi de diuino constet præcepto, inuidiæ seditionisque suppeditare segetem potest, si quis primos honores deferat suis; cùm quāuis non ignorarent isti Dei super consecratione Aaron voluntatem, sese tamen quin turbas cierent continere nequiuerint. Et verò etiam decem Apostoli de duobus fratribus affinibus Christi sunt indignati, quòd ambiuissent primas sedes: Christus autem & duos illos reprehendit [e], & claues Ecclesiæ neutri eorum tradidit, sed Petro [f].

c Exod.3.10. & seq.
d Exo 28.1.& seq c.29.1.& seq.Leuit 8 5. & seq.2 Paral.26.18. Heb.5.4. Eccli.45.20.
e Matth 20. 20.& seq.
f Matth.16. 19.Ioan 21. 15.& seq.

Deprecari pro populis.] Græcè (προεμάχησε, *propugnauit.*) Sed quia sequitur modus istius pugnæ oratio, vertit eo modo Interpres. Aliqui tamen etiam libri Latini habent *(propugnauit.)*

Proferens seruitutis suæ scutum.] Græcè (τὸ τῆς ἰδίας λειτουργίας ὅπλον, *proprij ministerij arma.*) Addunt editiones dictæ λαβὼν, *accipiens.* Pro *armis* reddit Interpres *scutum*; quia pugna hæc defensiua erat. Significat λειτουργία generaliter omne ministerium publicum apud auctores quoque profanos; & Paulus [g] Epaphroditum nominat λειτουργὸν necessitatis suæ. Nam λήιτ☉ est *publicum*, ἔργον, *opus*: inde λειτουργὸς & λειτουργὸς, *minister publicus, publicum obiens munus, faciens opus publicum.* Cum addito λειτουργὸς Θεοῦ, *minister Dei*; quo nomine idem Apostolus [h] vocat Angelos:& per peculiarem Ecclesiasticum vsum, is qui publico Ecclesiæ munere fungitur, præsertim sacrificando; quæ dicitur etiam liturgia, quod & Galli vocant *(le seruice diuin.)* Plura dixi ad caput 13.[i] Actuum Apostolicorum, vbi dicitur, *ministrantibus illis Domino*, λειτουργούντων, quod & Erasmus non dubitat interpretari, *sacrificantibus.* Aaron ergo pro Sacerdotali officio publicus precator accedebat, & quodammodo sacrificator, offerendo incensum, de quo mox, & indutus vestem Sacerdotalem, de qua etiam paulo pòst.

g Philip.2. 25.
h Heb.1 7.14.
i vers.2.

Orationē.] Græcè (προσευχῆν, *orationē*) cum scuto. Enarratores coniungunt tanquam proprium attributum eius. At Græci, præsertim emendati libri, incensum simul comprehendunt. Hæc duo, & similia pia opera dici scutum possunt contra irruentes calamitates, & talibus armis instructus ascendit ex aduerso pro aliis, ac opponit etiam se vt murum [k], & sepem [l]. Id fecit aliquoties Moses [m], Deo veluti petente vt se Moses dimitteret ac irasci sineret [n]: item Iosue [o], Abraham [p], Ieremias [q], quem vetuit Deus orare pro populo; sicut & Samuel pro Saüle [r]. Querebatur autē Esaias [s] deesse qui inuocaret nomen Dei, & consurgeret, & teneret eum: quod præ cæteris facere debent Sacerdotes [t]. Quod in Psalmo [u] dicitur Mosem stetisse in confractione in conspectu Dei, vt auerteret iram eius, ne disperderet populum, Chaldaicè est, surrexisse, & sese roborasse orando. Hoc

k Ezech.13. 5.
l Ezech 22. 30
m Exod 32. 11.& seq. Deute.9 18.& seq.& vers. 25. Num.11.1. c.14.11 & seq.Psal.105. 23.
n Exod 32.10.
o Iosue 7.6 & seq.
p Gen 18.23. & seq.
q Ierem.7.16. c.14.11.
r 1.Reg.16.1. c 6 4 7.
s [illegible]
t Ioel.2.17. Hebr 5.1 & seq.
u Psal.105.23.

A sibi vult scutum hic, & verbum Græcum προεμάχησε, quod & verbis magis explicatur sequentibus. Scuti porrò clypeiue similitudinem adaptāt Scripturæ sæpenumerò iis rebus & virtutibus, quæ in quadam, vt ita dicam, defensione consistunt potiùs quàm in offensione. Talis fides [a], & verbum Dei [b] (etsi capite 30. Prouerbiorum non de verbo siue sermone, sed de Deo ipso asseritur clypeum esse) atque veritas [c]: talis patientia, labor, passio, non nostra cuiusque duntaxat, sed præsertim [d] Christi: talis æquitas [e] vel sanctitas, ὁσιότης: talis eleemosyna [f].

a Ephe.6.16
b Prou.30.
c Psa.90.5.
d Thre.3.65.
e Sap.5 20.
f Eccli.29.1

Et per incensum deprecationem allegans.] Mendosè legunt quidam *(alligans.)* Κομίσας est *ferens*, vel *adducens*, & *mittens*. Pro *deprecatione* habetur ἐξιλασμὸν, *placatio, expiatio*, actio instituta ad expiandum, B propitiandum, placandum; scilicet facta per deprecationem siue orationem; quæ duo nomina synonymως nunc vsurpantur, non distinctos denotant respectus adipiscendorum bonorū, auertendorum malorum, remissionis peccati, amotionis flagelli, vt piè Hugo ac Bonauentura notant; & posterior in incenso respectum reconciliandi Iudicem offensum. Omnia vera, vt & quod obseruat Carthusianus circa vocabulum *(allegans)* allegata tunc merita Patriarcharum, & promissiones diuinas ipsis factas, sicut & Moses allegauerat orans pro adoratoribus vituli [g]. At non satis aptè congruunt verbis textus; & de promissionibus ac iuramentis expressa fit mentio paulo C pòst [h]. Quo pacto autē similis oratio fit nuncio legatóve, Gulielmus Parisiensis piè demonstrat [i].

g Exod.32.
h vers.seq.
i de Rhetorica diuina. c.38.

Per incensum.] Græcè (θυμιάματ☉ ἐξιλασμὸν) absque præpositione (*per.*) Significat θυμίαμα, Latinitate etiam donatum vocabulum *thymiama*, quemlibet suffitum, & vaporationem siue suffimentum; quod minùs Latinè vocamus incēsum, nempe ex bonis odoribus & aromatibus. Vulgò attribuitur *incensi* vox thuri; cuius vsum tamen Arnobius [k] in sacris vetustum negat. Sed *thus* nihilominus deriuant aliqui à θύω, & hinc θυσίαν, quòd mortalium primi ex combustis arboribus thymiasin, & euaporationem ac suffitum impenderent, quemadmodum hymnos Orpheus Diis cecinit cum thymiamate atque suffitu. Imò & D thure primùm sacrificari cœptum volunt; Libanúmque puerum sacrificiis deditum, inuidia interemptum, Deorum miseratione in cognominem plantam, quæ λίβαν☉ Græcè dicitur, muratum. Ægyptiis nefas fuisse pecudibus, aut sanguine, sed precibus & thure placare Deos, auctor Macrobius [l], & in genere de primis sacrificatoribus Porphyrius [m]; atque victimis abstentum diu scribit Cato [n], Clemens Alexandrinus [o], Cyrillus [p], Paulus Orosius [q]. Eandem hac de re refert sententiā Pythagoræ Philostratus [r], & Apollonij [s], cùm diceret quoque Apollonius censeri Deos thuriferam terram in parte mundi purissima constituisse, vt vel illinc homines sacrificio- E rum materiam caperent, nec ferrum templis inferrent, aut aras sanguine macularēt. De his quoque Lylius Gyraldus [t]. Non equidem laborem nunc in astruenda thuris antiquitate. Legi quoque possunt Tiraquellus [u] & Brissonius [x] de omni ratione thuris offerendi, & de acerra; & Roa [y] noster. Quæ disputat Arnobius, æquè vim habēt contra omnia externa sacrificia ritúsque. Deus autem non his ita colitur religiosè à nobis, vt corporeum putemus esse, quo nomine refelluntur idololatræ ab Arnobio.

k lib.7.
l lib.1. Satu nal c 7.
m lib.de sacrificiis.
n de liberis educand.
o 7.strom.
p 9 contra Iulianum.
q lib.7.c.13.
r lib.1 vitæ Apollon.c.1
s ibid.& lib 8.c.1.
t de Diis Gētium. syntag.17.
u in Alexan ab Alexand. lib.3.c.7.
x in formu lib.1 pag.2 & seq.
y de die natali.c.6.

A Videtur autem cum Arnobio, antéque ipsum sensisse Apuleius. Præterea scribit Plinius [a] Iliacis temporibus ignota thura, nec thure supplicari solitum. Indicat etiam raritatem thuris, quòd Alexander Magnus à Leonida reprehensus, quia nimis copiosè thus adoleret, victa Saba onustam thure nauem Leonidæ misit, scribens vt parcus tunc Diis esse desineret [b]. Legendus Heron, siue Constantinus in Geoponico; & Cerda noster in Æneidem Virgilianam [c], vbi allatis hic nonnullis auctoribus, adiicit Herodotum, Homerum, Plautum, Virgilium, Cyrillum Alexandrinum. Nonnihil etiam eadem de re disserit ex nostris Alçazar in Apocalypsis commentario [d]; vbi simul B reddit rationem cur olim thus tanti haberetur, nunc non item: quoniam aut nostrum non est legitimum; aut quia quod ad nos vehitur fugiens vetustate, magnā vis, atque pretij partē deperdidit; aut quoniam in saporibus & odoribus magna vis est consuetudinis, & assiduitatis; aut quia alia præstantiora, suauioráque aromata inuenta sunt, vt quæ appellantur, inquit, Hispanicè nimirum, *ambar, algalia, almisde.*

Quod attinet ad Hebræos, notum altare seu thymiamatis [e], seu incensi [f], quod erat in secunda parte templi, quæ & domus exterior appellabatur. In eo thus, aliáque suauissimi aromata odoris incendebantur manè, & vespere à Sacer- C dote: nec differebat à thuribulo, vt placet Riberæ [g] cum aliis quos citat; licèt Viegas [h] contradicat. Iosephus [i] numerat odores tredecim, vt quidem vertit Latinus Interpres; nam Græcè sunt θυμιάματα: & suspicor per cratem tredecim foraminibus immissa thymiamata significare. Moses [k] stactis meminit duntaxat, onychis, galbani, thuris, quibus ex rebus ponderis æqualis composito thymiamate non licebat ad vsus profanos vti. Satis frequens orationis comparatio cum incenso, & aliorum odoratorum corporum suffitu. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo,* ait Dauid [l]; & in Apocalypsi [m] phialæ aureę plenæ odoramentorum, necnon incensa multa [n], D sunt orationes Sanctorum; quæ orationes conficiuntur ex variis virtutum affectibus, quas charitas incendit, & cordis compunctio, atque carnis mortificatio veluti extundit. [Fumus ex aromatibus, inquit Gregorius [o], myrrhæ, & vniuersi pulueris pigmentarij [p], cópunctio est orationis concepta ex virtutibus amoris, instar virgulę (quoniā præ sublimitate vix comprehenditur) alta petit, nec ad ima reflectitur, atque efficit ne corruptionis vitia dominentur, redolēs autem amoris hostia incendatur.] His prior Ambrosius [q] habet similia, complectens ad hoc propositum citata testimonia omnia; necnon Hilarius [r]. Sed analogiam orationis cum fumo thuris, & puluere pig- E mentarij tractat egregiè Gulielmus Parisiensis [s], & confirmat cuiusdam exemplo piæ fæminę, quæ cùm dabat se in orationem, cella eius diuino replebatur odore. Quin & crebrò accidisse, vt vnius Angeli præsentia domus tota fragraret aromatis. Remouet quoque oratio graueolentiam non modò ab orante, sed & ab iis pro quibus oratur, ne quodam modo Deum afficiant, sed recreent potiùs, & euadant ipsi oblatio suauissimi odoris, odoretúrque (vt olim Noë sacrificium, sicut est in Genesi [t]) odorem suauitatis Deus. Profani Deos, Deásque inducunt suam exhibere mortalibus præsentiam per exquisitum odorem, vt ille [u], imitatus Homerum [x];

a lib.13.c.1.
b Plin.lib 12. 14.
c lib 5 vers. 41.n.6.
d in c.5. vers. ...not.3.
e sic vocatur Exod.c.30.
f Leuit.c.16. Luc.1.
g ...2.de tem... o c.8 & in ...p.ad Heb. 9
h Apocal 8.
i ...om.1. sect.6. ...5.de bell.c. vel Græcè ...b.1.c 4.
k Exod.30. ...& seq.
l Ps.140.2.
m c 5.8.
n c.8 3.4.
o hom.22.in Ezechiel.
p Cant.3.6.
q lib de ...ac.c 5 & ...sto.62.ad ...en
r in Ps 140.
s de Rhetor. ...uin.c.41.
t ...S.21.
u Virgil.1. Æneid.
x Odyss.4.

Dixit, & auertens rosea ceruice refulsit,
Ambrosiaq; comæ diuinum vertice odorem
Spirauere. ———

Huc postremò possunt reuocari quæ disseruntur eruditè de thuribulo & thymiamaterio, déque vsu thuris & incensi in Ecclesia à Ioanne Stephano Duranto [a]. Illud vnum decerpo, quod mificè locum præsentem illustrat. In vetere ordine Romano hæc erat benedictio thuribuli. [Domine Deus, qui dum filios Israël in deserto murmurantes, ob rebellem suam audaciam durum vastaret incendium, Aaron Sacerdotem tunc orantem, arrepto de igne altaris thuribulo tibi incensum B ponentem exaudire, cósque de incendio liberare dignatus es, benedic, quæsumus, hoc thuribulū, & præsta, vt quoties thus in eo adolebitur, votū populi tui tibi boni odoris efficias, sitque fuga dæmonum, repulsio phantasmatum, & immundarum abscessio cogitationum. Per Dominum, &c.] At in ordine Romano qui sub Greg. XIV. prodiit, duplex oratio continetur parum dissimilis, sententia simili: præterea benedictio incensi vel thymiamatis, quæ relata est quoque in Pontificale Romanum.

Restitit iræ.] Græcè (ἀντέστη θυμῷ.) Iræ diuinæ restitit contendendo ac repugnādo: quamuis absolutæ voluntati Dei nemo queat resistere [b], vt aliàs docuimus.

C *Finem imposuit necessitati.*] Græcè (τῇ συμφορᾷ, *calamitati:*) quæ quia vitari non poterat à populo, necessitas absolutè dicitur. In cap. 17. [c] cum addito vocabatur ineffugibilis necessitas, δυσάλυκτος ἀνάγκη. In cap. 19. [d] ponitur ἀνάγκη & necessitas absolutè in hac eadem significatione. Sunt alibi alia exempla, vt & de Græca voce τῆς ἀνάγκης: & hoc ipsum fert vulgarium linguarū tritus sermo. De necessitatibus suis erui petit Dauid [e], & saluari de his animam suam [f]; ac alibi sæpiùs vsurpat eandem dicendi formam [g]: & interdum χρεία est pro qua redditur *necessitas* [h].

Ostendens quoniam tuus est famulus.] Quia placauit te precibus suis, inquit Lyranus: quia for- D titer opposuit se incendio pro populo tanquam bonus pastor [l], inquit Hugo, & Bonauētura: quia orauit adeò enixè, cúmque tanto discrimine pro iis qui oderant & murmurabant contra ipsum, inquit Carthusianus: quia functus τῇ λειτουργίᾳ, & ministerio sacro, vtpote summus Sacerdos, quemadmodum antea diximus. Possunt hæ rationes amplificari. De vltima illud est, quod scribit auctor Ecclesiastici [k], agens de Aaron. *Ipsum elegit ab omni viuente* (Deus nempe per Mosem) *offerre sacrificium Deo, incensum & bonum odorem* (θυμίαμα καὶ εὐωδίαν) *in memoriam placare* (ἐξιλάσκεσθαι) *pro populo suo.* Exaudiri à Deo pro aliis magnum in- E dicium beneuolentiæ cum illo: orare pro persequentibus proprium est filiorum Dei [l]; nec vlla re propiùs accedit quis ad Deum, quàm talibus benefaciendo.

a lib.1 de ri. tib. Eccl. Catho.c.9.
b Rom.9.19.
c vers.17.
d vers.4.
e Ps.24.17.
f Psal.30.8.
g Psal.106.6. 13.19.
h Rom.12.13.
l Ioan.10.11.
k c.45.20.
l Matth.5. 44.

Vers. 22.] Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se vexabat, subiecit, iuramenta parentum, & testamentum commemorans.

MAgis explicat rationē qua remouit Aaron cladem tantam, & restinxit incendium ab

exterminatore Angelo concitatum,quo iam plerique peritant. Ratio ac modus fuit non robur externum corporis,non vis armorum, ſed efficax precatio,in qua diuinæ olim factæ Patribus promiſſiones, pacta,iuramēta Deo ipſi obiecta ſunt, ne non exoluere datam fidem videretur.

Vicit autem turbas.] Græcè (τὸν ὄχλον.) Sed Complutenſes, Regij, aliique codices habent (τὸν ὀλοθρεύοντα.) Ianſenius, qui ne meminit quidem lectionis Græcæ,quam editio Sixtiana,Aldina, Baſileenſis habet, atque aliæ, & qua Cantacuzenus vtitur, ὀλοθρεύοντα conatur ab Interprete redditū per *turbas* explicare pro turbationibus quæ erant in populo ob plagam deuaſtantem, aut pro ipſa plaga turbante populum. Hoc ſecundum exterī ferè docent Enarratores Latini. Addit Carthuſianus improbitatem tribuum Iſraël:Bonauentura populum turbatum, in quem Aaron penetrauerit, cúmque diuiſerit. Iuuaret vltimum iſtum ſenſum prioris verſus primum verbū iuxta vnam lectionem πέρσας,vt ibi notatum eſt.Cantacuzenus accipit ὄχλον pro multitudine ipſa, & temerario eius impetu,quem fregerit & compeſcuerit Aaron graui ſermone,& reprehēſione.Mihi,cùm agatur de oratione Aaron cum incenſo ad placandum Deū,vt antecedentia,& cōſequentia demonſtrant, aptior ſenſus videtur,vt placato Deo victæ cenſeantur turbæ, hoc eſt,reliqua multitudo tumultuans & propter murmur, & propter plagam ignis, quæ iam partem deleuerat [a]: vel certè turbæ pro turbationibus plagáque ſumantur,vt Latini volebant.Ea enim etiam eſt propria notio *turbarum*, & Græci nominis ὄχλου, vt ſit idē quod ταραχὴ, ἀγανάκτησις, &c. quamuis prima ſit pro populi multitudine. Fortaſſis eò quoque reſpexerunt qui legerunt (*τὸν ὀλοθρεύοντα, exterminatorem.*) Vicit enim Aaron iſtum,& exterminium, ſeu plagam ignis. Quamuis & tunc ad populum concionem habuiſſe credi poſſit.

Armatura potentia.] Alij (*armatura potentiæ.*) Græcè (*ὅπλων ἐνεργείᾳ, armorum efficacia & vi.*) Orationes arma ſunt,vt modò dicam.

Sed verbo illum qui ſe vexabat, ſubiecit.] Græcè (*ἀλλὰ λόγῳ τὸν κολάζοντα ὑπέταξεν, ſed verbo torquentem ſubiecit,& velut in ordinem redegit.*) Videtur Auctor indicare aliquo verbo Aaron coërcuiſſe Angelum exterminatorem & punitorem,vel ignem ab hoc immiſſum. Cantacuzenus explicat, quòd λόγῳ, *verbo*, τὸν κολάζοντα, nempe λόγον, *verbum puniens*, id eſt,quod punire conſueuit, & per quod qui caſtigantur in officio continentur, dum reprehenſiones obſeruant, non diſciplinam repellunt,ſubiecit,ſeu ſubiunxit,ſubdidit,addidit. Ego ſimpliciter cum reliquis verbum orationis intelligo & precum quę dirigerentur ad Deum,& per quas vexator Angelus,ignîſve compreſſus eſt.Etſi nihil vetat quominus ardens ſpiritu Aaron conuerterit ſermonem ad ignem,& Angelum ipſum, ac ſumma fide fretus, Dei nomine ceſſare imperauerit. Ex quo tamen non fit, Angelum illum malum fuiſſe.Hæc potentia & efficacia orationis eſt precúmque, quas meritò licet arma nominare:hoc veluti robur & nerui corporis.Iacob vicit Angelum quocum colluctabatur flendo, & rogando eum [b]:idem partem cuiuſdam poſſeſſionis tulit de manu Amorrhæi in gladio,& arcu ſuo [c], Chaldaicè בִּצְלוֹתִי וּבְבָעוּתִי *buſelothi vbbahbuthi*, *in oratione mea,& deprecatione mea:*) quæ interpretatio placet R. Abenezræ,& Abulenſi, nec Pererio diſplicet ac Yſtellæ.Moſes expanſione manuum ad

a Num.16.
b Oſeæ 12.4.
c Gen.48.22.

A orationem ſtrauit Amalecitas [a]: Paulus in panoplia ſpirituali recēſet cum armis aliis multis orationem & obſecrationem in ſpiritu [b]: Ephrem [c] vocat arcum orationem:Ambroſius [d] ſua & Sacerdotis arma & munimenta aduersùs arma (externa) militis ſcribit eſſe lacrymas cum precibus: Paulus petens orari pro ſe; *Obſecro vos*, inquit [e], *fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum*, συναγωνίσασθαι; *vt vnà certetis mecum,vt me certantem certando iuuetis*;quaſi, vt notat Origenes [f], innueret agonem ſe, certaménque orationis habere.

Obſeruat idem auctor [g] exemplo Moſis antea allato nobis orantibus eleuandas manus aduer-
B sùs Amalec,id eſt,aduersùs principes, & poteſtates,& rectores tenebrarum harum,ſine intermiſſione precando [h]. Huc item accommodat quod trepidans Balac dixit de Hebræis, iuxta editionem LXX. [i] *Nunc ablinget Synagoga hæc omnes qui in circuitu noſtro, ſicut ablingeret vitulus virentia de campo*:ita vt ablingere denotet orationem lingua formatam. [Per quod,ait ille,vt à maioribus accepimus,indicatur populum Dei non tam manu & armis, quàm voce & lingua pugnare, id eſt, orationem ad Deum fundendo.] Hi ſunt in Sulamite (pacifica Eccleſia) chori caſtrorum [k], vt monet Theodoretus, quia de hoſtibus victorias orando reportat:quòd ſi caſtra quoque materialia inſtruat,non prodit ſine precibus ad pugnam,
C & in triumpho laudat Deum,ſimul inuocans, vt deinceps ab inimicis ſalua fiat [l]. *Exaltationes Dei in gutture iuſtorum, vt gladij ſunt ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam* [m],&c.

Illum qui ſe vexabat.] Græcè (*τὸν κολάζοντα, qui caſtigabat*)vel ignem,vel Angelum,vel vtrumque, ſeu iſtum per illum. Quòd autem (*ſe*) additum eſt,aut refertur ad populum, éſtque pro (*illos*) aut etiam ad Aaron, qui per ſympathiam vexabatur & ipſe,iuxta illud [n]; *Quis infirmatur,& ego non infirmor? quis ſcandalizatur,& ego non vror?*

Subiecit.] Græcè (ὑπέταξε.) Poteſt ſignificare tum additum verbo verbum, ſermonémque ſermoni concionando,& verbis caſtigando; tum in ordinem redegiſſe,atque compreſſiſſe plagam &
D Angelum qui inferebat illam. De vtroque priùs monui,ac poſteriorem ſenſum magis probaui.

Iuramenta parentum & teſtamentum commemorās.] Deo nimirum in oratione;vt pridem quoque antè diximus. Vno verbo Abacuc [o] iuramenta nominat, quæ Deus tribubus locutus eſt,& ſuſcitaturus ac impleturus erat;& Michæas [p] veritatem Iacob,& miſericordiam Abraham,quæ iurauerat patribus à diebus antiquis.De Abraham ſæpe in Geneſi [q]; & meminit pater Ioannis [r]: Dauid [s] refert id quod ſibi factum eſt. Pro *parentibus* ſunt πατέρες, *patres*:pro *teſtamento* διαθῆκαι numero plurali. Lege cap. 12. [t]

a Exod.17.11.
b Epheſ.6.18.
c tom.2.ſerm. de panopl. ſpirituali.
d de baſilicis non traden. & habetur 23. q 8. c. non pila.&c. conuenior. §. quid ergo.
e Rom.15.30.
f lib.10. in Epiſt. ad Rom.
g hom.11.in Exodum.
h 1.Theſſ.5.17.
i Num.22.4.
k Cant.7.1.
l Pſal.17.4.
m Pſal.149.7.
n 2.Cor.11.29.
o c.3.9.
p c.vlti.20.
q cap. 22 præſertim
r Luc 1.73.
s Pſal.88.6. Pſal.131.2.
t verſ.22.

E

Verſ. 23.] Cum enim iam aceruatim cecidiſſent ſuper alterutrum mortui, interſtitit, & amputauit impetum, & diuiſit illam quæ ad viuos ducebat viam.

CONſtrata aceruis erat cadauerum terra, & adhuc multis iamiam moriendum ſupererat Angeli vltoris manu flammîſque,cùm pius Pontifex Aaron obuiā prodiit & viæ obſtitit,cúmque

interclusit, qua plagæ furor tendebat in viuos, ac ne progrederetur vlteriùs summa & inuicta virtute inhibuit. Narrat Numerorum [a] liber Aaron cucurrisse ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulisse thymiamata, & stantem inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatum esse, & plagam cessauisse: reuersum autem Aaron ad Mosem ad ostium tabernaculi fœderis (vbi persistebat orans) postquam quieuit interitus. Ex his vltimis verbis refellit Abulensis [b] R. Salomonem docentem ab Aaron manu comprehensum Angelum exterminatorem cùm cessare nollet, deductum ad Mosem, atque hoc orante iussisse Deum vt cessaret. Idipsum apertissimè constat ex aliis verbis eiusdem libri Numerorum recitatis, & ex iis quæ hîc sunt, quibus Aaron ipse scribitur orãdo plagam compressisse.

a c. 16. 47. 48. 50.
b Num. 16. q. 31.

Cùm iam aceruatim cecidissent super alterutrum mortui.] Populus Israël, ait Origenes [c], in castris per ordinem tribuum & familiarum dispositus erat: virtus verò à Deo missa non passim, sed ex prima parte cœpit, & per ordinem procedebat. Ignis comburebat, inquit Abulensis [d], quos Deus comburi volebat, nec quisquã euadere poterat; comburebat tamen continuè, & sic erat vna pars populi tota combusta, alia nullo modo: & Aaron stabat inter partes istas, vt ignis non transiret ad viuẽtes. Egregius hîc typus Christi ab eodẽ Origene [e] & Isidoro [f] declaratur, qui suimet corporis obiectu gehennæ à nobis incendium remouit *inter mortuos liber* [g]. De Ambrosio postea. Ex Origene transcripsit Augustinus [h]; [qui cùm Angelum dicunt expauisse tunc futurum hoc mysterium, innuunt malum fuisse: nisi expauisse dicas quia miratus est.] Cyrillus [i] Alexandrinus allegoriam istam accuratè persequitur, ostendens qua ratione mediator fuerit Dei & hominũ [k] Christus, vetus soluendo dissidium & pristinum interstitium, colligando summa infimis per incarnationem. An inter mortuos & viuos Aaron sic liber fuerit, vt à flammis attactus flammarum noxam omnino non senserit: vel accessum ipsum flammarum inhibuerit, incompertum est mihi. Secundum probabilius duco.

c ibid. hom. 9.
d ibid.
e suprà.
f in Num. c 14.
g Psal. 87. 5.
h serm 98. de tempore.
i 1. de Trinit.
k Gal. 3. 20.

Interstitit.] Græcè (μέταξὺ σὰς, *interstans, in medio stans, medius stans*) suum, vt antè retuli ex Isidoro, corpus obiiciens. Sic ante ipsum locutus erat Ambrosius [l], dicens quòd Aaron in Christi constitutus sorte, contrariæ sortis exclusit ærumnam, cùm inter duas partes populi constitutus mortem à defunctis serpere in sortem viuorũ sui corporis non permisit obiectu; & hoc modo dormiuisse inter medios cleros [m]. Idem scribens Felici Comensi Episcopo [n], ac de Christo disputans ex comparatione cum Aaron; [Vbi Christus, inquit, ibi omnia, ibi doctrina eius, ibi peccatorum remissio, ibi gratia, ibi separatio mortuorum ac viuentium. Et Aaron quidem semel stetit in medio eorum, obiiciens se, ne mors transiret ad viuentium agmina à funeribus mortuorum. Hic autem quasi Verbũ semper stat in singulis, quem nos non videmus intra nos, separans rationabiles virtutes à cadaueribus passionum lethalium, & pestilentium cogitationum. Hic stat quasi qui in hunc mundum venerit, vt aculeum mortis hebetaret, deuoratorium eius obstrueret, viuentibus æternitatem gratiæ daret, defunctis resurrectionem cõcederet, &c.] Hieronymus [o] verbis vtens Ezechielis, ait Aaron aduersùs ignem Israëlis populum deuorãtem occurrisse, & stetisse medium,

l de Tobia. c. 20.
m Psal. 67. 14.
n epist 60. edit. Rom.
o in c. 13. Ezech.

A & opposuisse murum pro salute populi.

Amputauit impetum.] Græcè (ἀνέκοψε τὴν ὀργὴν, *iram præcidit.*) Basilius [a] ὀργὴν finit appetitum vindictæ. Aptari huc potest quod de Noë scribitur [b]; *inuentus est perfectus & iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Ait Cantacuzenus, quoscumque offendit Aaron in decursu, ex mortuorum cœtu ereptos liberauisse: at qui erant in altera parte, etiamsi viui adhuc inter eos essent nonnulli, intempestiua plaga percussos esse. Plures, quod priùs dixi, Aaron putant eam se ad partem contulisse, vbi erant qui ordine cœperant igne interfici.

a in c. 5. Esa. & regul. 55. ex breui.
b Eccli. 44. 17.

Diuisit illam quæ ad viuos ducebat viam.] Impediuit suo aduentu transitum ignis ad adhuc B superstites: intercidit oratione sua flammã ignis [c] (etsi sensus Psalmi est, Deum per sectiones dispersisse coruscationes, &c.) extinxit impetum ignis [d], δύναμιν πυρὸς. Pertinet ad tropologiam sumere, vt Hugo facit, viam quæ ducebat ad viuos incendium, pro peccato quod Aaron diuiserit oratione sua.

c Psal. 28. 7.
d Heb 11. 34.

Vers. 24.] In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, & magnifi-
C centia tua in diademate capitis illius sculpta erat.

QVia prodiuit Aaron cum incenso, quod solebat adoleri duntaxat in templo à Pontificias induto vestes, idcirco de hoc ornamento nunc mentio fit: quod præter mysteria alia designabat Deum totius mundi conditorem & conseruatorem esse; Hebræorum autem gerere singularem curam atque patrocinium. Iosephus [e] diligenter describit omnem vestem Sacerdotalem, & Philo [f] allata physiologica, vt ita dicam, allegoria, necnon Hieronymus [g] propria de hoc argumento epistola ad Fabiolam, sectatus magis tropologiam: refert autem scripsisse eadem de re
D Tertullianum; cuius tamen librum videre nequiuerit: Beda [h] quoque disputat ex professo. Nonnihil de mysteriis illis physicis tractat Clemens [i] Alexand. & de allegoria Christi Arnoldus Bonæuallensis [k], & Beda [l]: & de mutua morali comparatione cum vestimentis Sacerdotis Euangelici per tropologiã Hugo S. Victoris [m]. Arias [n] Montanus tractatum fecit, cui titulus, *Aaron siue sanctorum vestimentorum & ornatus descriptio.* Petenda maximè totius huius rei cognitio ex Exodo, & ibidem consulendi Expositores. Nos ea dicemus quorum textus occasionem suggerit.

e 3. Antiq. c. 8. vel 11.
f 3. de vita Mosis, & 2. de monarchia.
g epist. 128.
h 3. de tabernac. 1. & seq. & in Exod.
i 5. strom. c. 5.
k tract. de septem verb. Dom.
l quæst. in Exod. c. 56.
m erudit. Theolog p. 2. lib. 5 c. 6.
n in apparatu Bibl.

In veste poderis.] Græcè (ἐπὶ ποδήρους ἐνδύματος.) Græcam vocem retinuit Interpres, & aliis duo-
E bus locis [o], & eadem Græca voce Iosephus vtitur. Talarem nominare possumus ἀπὸ τῶν ποδῶν: erat enim linea, ad crura, vel etiam talos demissa, corpori adhærens strictis manicis; & sic supplendum est adiectiuo ποδήρης nomen substantiuum χιτὼν: sicut & πώγων, *barba ad talos vsque promissa dependens*, &c. Sacerdotibus omnibus Hebræis communis erat tunica linea stricta, manicata, longa, ex bysso, corpus tegens totum excepto capite & collo. Arias confert cum talari Romanorum stola: &, quod Hebræi quoque ac ex nostris alij dicunt, docet, Aaroni ex eadem confectam quidem

o Eccli. 45. 9. Apoc. 1. 13.

fuisse

fuisse materia, sed ita textam, vt oculorum figuras continuis, contiguisque ordinibus referret, eo modo quo apud Romanos vestes scutulatę; atque id importare Hebræa vocabula כְּתֹנֶת תַּשְׁבֵּץ *chethoneh thaschbets*, quasi dicas *tunicam ocellatam*, vt docent Lipomanus, Vatablus, Pagninus, Arias, & alij: quod aliqui quoque vocant opus phrygionicum, vel tessellatum, vel polymitum.

Altera tunica omnino propria Pontificis dicebatur Hebraicè מְעִיל *mehhil*, Latinè pallium, vt quidem Pagnino placet, & eodem illo alio Græco nomine ποδήρης, & talaris, licèt non adeò demissa & longa, vt prior; nisi pro vt comprehendebat tintinnabula, & malogranata: Philo enim absolute tradit à pectore vsque ad pedes demissam fuisse. Aliter appellabant à materia hyacinthinam, eiusdémque materiæ manicas habebat assutas (quod tamen Iosephus negat:) præterea tunicam superiorem; quod item supparum vocare possis, quia super aliam vestem inducebatur. Vnde etiam, scilicet quòd inducta esset super aliá, putant aliqui dictam quoque superhumerale; quod tamen alij nomen de ephod vltimo super cætera imposito vestimento melius intelligunt, & alio nomine scapulare dicitur, Græcè epomis. Ex limbo seu laciniis, & fimbriis inferioribus tunicæ secundæ, cui poderis appellatio communicatur, primæ magis propria, pendebant per circuitum tintinnabula aurea, & mala punica siue malogranata ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto; sed tali ordine, vt malum vnum esset inter duo quælibet tintinnabula, & deinceps inter duo mala vnum tintinnabulum, seu vicissim vnum post aliud pari numero, qui, vt placet Hieronymo [a], in vtrisque septuaginta duorum erat: vel (quod minùs credo) vt Clementi [b] Alexandrino, trecentorum sexaginta sex. Prosper [c] numerat solùm quinquaginta. Liber Ecclesiastici [d] plurima tradit fuisse. Addit Philo [e] flores: at nil de istis Scriptura. Fortassis intellexit ipsosmet punicorum flores malorum, vt indicat quoque Aretas [f]; vel in limbo immediatè ante tintinnabula, & malogranata contextionem florum, &c. Legi omnino posteaquam ista notaueram, tractatum de hoc toto argumento, quem fecit Barradius noster in harmonia Euangelica [g].

Totus erat orbis terrarum.] Græcè (ὅλος κόσμος, *totus mundus*) ne putes solùm denotari sublunarem, in quo prædominatur terra. Etsi verò κόσμος *ornatum* quoque significet, abhorret tamen Vatabli versio à communi expositione, & ab Interprete, quòd *omnigenum ornatum* reddidit. Qui mystologiam physicam tradunt, non in hac vna veste, sed in reliquis simul septem scrutantur mundi partes omnes, quemadmodum & in tabernaculo. Sed forsitan Auctor *poderis* nomine, quod, vt monui, duabus maioribus tunicis conuenit, reliqua vestimenta comprehendit. Id quidem respondent Hugo, Carthusianus, Olcot [h], & Bonauentura. Byssus terrá designat: hyacinthinus color aërem & cœlum: purpura mare, quia conchylij fucatur colore: color puniceus ignem: mala punica, & tintinnabula, fulgura tonitruáque, siue terram etiam & aquam, & elementorum consonantiam: aurum quo illa sunt intexta, vitalem calorem, & diuini sensus prouidentiam vniuersa penetrãtem. Hoc ferè modo ex Hebræis mutuans Hieronymus [i]; necnon Hebræus historicus Iosephus [k]. Philo [l] nonnihil discrepat. Vult per tunicá hyacinthinam intelligi tria elementa: per hyacinthi-

a epist. 128.
b 5. strom. c. 5.
c p. 2. de promiss. c. 5.
d c. 45. 10.
e 3. de vita Mosis.
f in historia de LXX. Interpretib.
g tom. 1. lib. 5. c. 41. & seqq.
h lect. 104.
i supra.
k lib. 3. Antiq. c. 8. vel 11.
l supra.

A num colorem aërem: per flores, quos ipse, vt dixi addit, terram in qua florent & germinant omnia: per mala punica aquam; ideo enim ῥοαὶ vocari à fluendo: per tintinnabula dictorum elementorum concentum & congruentiam. Clemens [a] Alexandrinus docet, vestem Pontificis talarem sensilis mundi signum esse. Verùm circa vestem illam sola exponit tintinnabula trecenta sexaginta sex denotare tempus annuum, atque per allegoriam annum Domini acceptum, qui prædicet ac resonet maximum aduentum Seruatoris. Applicat etiam allegoricè talarem vestem incarnationi Christi; quod præterea facit Athanasius [b], & huius, vt videtur, transcribens verba Cyrillus Alexandrinus [c].

De allegoria totius ornatus Sacerdotalis Ar-
B noldus [d] Abbas Bonæuallis, Beda [e], & Isidorus [f]. De loci autem præsentis expositione, iuxta sensum quem Auctor intendit, Sixtus [g] quoque Senensis tractat, monétque, quod prior dixerat Philo [h], propterea Pontificem totius mundi portasse in vestibus imaginem, vt sciret se mundi totius esse mediatorem apud Deum, & orare debere nó pro necessariis tantùm & amicis, sed pro toto humano genere, pro omnibus naturæ partibus, cœlo, atque elementis: aut gratias agere, supplicationésve offerre omnium conditori: præterea vita, doctrina, virtutibus in seipso exprimere vniuersi ordinem, ornatum, concentum; vt sit μικρόκοσμος, maioris ita mundi repræsentans in mori-
C bus imaginem, sicut gestat in vestibus. Adiice malogranatis denotari Regna diuersa (siquidem constant illa poma granis multis, & quæ etiam folliculis distinguuntur, súntque sub eadem corona) vni Deo, quem Pontifex repræsentat, esse subiecta. Quod symbolú Regium magis expressum est, quàm Iunonis coronatæ impositum manui punicum malum; de qua eius imagine Pausanias [i]. Cyrillus [k] Alexandrinus vrbes ac prouincias in malogranatis considerat; in tintinnabulis Doctores ac magistros Ecclesiasticos.

Parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta.] Græcè (πατέρων δόξαι ἐπὶ τετράστιχου λίθων γλυφῆς, *patrum gloria*, siue *decora in quatuor ordinum lapidum sculptura.*) In rationali iudicij erant
D quatuor ordines lapidum: in primo versu sardius, topazius, smaragdus: in secundo carbúculus, sapphirus, iaspis: in tertio ligurius, achates, amethystus: in quarto chrysolithus, onychinus, berillus; omnes inclusi auro, & habentes nomina filiorum Israël, seu duodecim tribuum. Hoc in Exodo traditur, & exponitur à citatis auctoribus. Non conuenit an Leui nomen & Ioseph inscripta essent: an autem loco Ioseph, Ephraim & Manasse filij Leui, non item; quæ etiam tribus aliis duodecim non annumerabatur. Priore modo sub Ioseph censerentur comprehensę tribus Ephraim & Manasse. Est hic dicendi modus probabilior, magisque faciens ad dignitatem tribuum Leui & Io-
E seph: tribus autem Leui, etsi cùm sermo est de hæreditate terræ promissionis bellóve, minimè connumeretur aliis; in aliis tamen rebus quarum potest esse particeps, intra numerum continetur, vt constat ex Deuteronomio [l].

De lapidibus ipsis Physiologi, maximè Plinius, necnó Epiphanius, & Enarratores Apocalypsis [m], in qua iidem recensentur modica facta mutatione; vel aliorum librorum sacrorum, in quibus incidit hinc inde mentio de ipsis: & Franciscus Rueus in opere de gemmis, & Barradius [n] antea citatus.

a supra.
b serm. 3. cont. Arianos.
c 9. thesauri. c. 2. & 1. de Trinit.
d tract. de septem verb. Dom non longè à fine. tom. 1. bibliothe. Patrum.
e quæst. in Exodum c. 36.
f in Exod. c. vlt.
g lib. 2. bibloth. verb. Pontificalis, &c.
h lib. de monarchia.
i lib. 2.
k lib. 11 de adora. in spiritu.
l c. 27. 12.
m c. 21. 19. 20.
n tom. 2. harmo lib 5. c. 45.

A citatus. Referebant gemmæ istæ omnes discolores signiferum circulum siue zodiacum in quo collocantur signa duodecim, & in quatuor partes è ternis signis constãtes diuiditur, atque ita tempestates anni conficit, ver, æstatem, autumnum, hyemem.

Porrò parentum siue Patriarcharum magnalia dicebantur in illis lapidibus, quia inde constabat quanti Deus faceret illos, & populum propter ipsos, & quàm graue iudicium haberet de Iudæis. Idcirco vocatum rationale iudicij quidam volũt; quia monimentum ac memoriale erat, vt quos Pontifex in humeris portabat insculptos duobus onychinis (non benè vocat Sixtus [a] smaragdos, & Beda [b]) eosdem gereret ante pectus, vbi quòd

a 2. biblioth.
b in Exod. q. vlt.
c 11. de adorat. in spirit.

B ratio vigere dicatur, Cyrillus [c] propterea rationale appellatum scribit, & piè oculis haberet: nec enim iis quibus quis præest, quósque portat, potest consulere, nisi probè cognoscat. Alij rationale iudicij exponunt, quia Pontifex non consulebat Deũ super iudiciis Israël, nisi portaret illud, nec aliter accipiebat oraculum diuinum, quod cõsistebat in Vrim & Thummim. i. in reuelatione ac veritate, nisi veluti respiciens ad populi vtilitatem, qui erat insculptus in clarissimis ac perfectissimis lapidibus, vt & ipsi lapides ac rationale, imò & Sacerdos hoc gestans, possent à duplici effectu, corporali & spirituali, nomine ipso Vrim ac Thummim absolutè denominari.

C Colligit post Oleastrum, Carthusianum, Lyranum, Magistrum [d] historiæ Scholasticæ, Caietanum & alios Ystella plures dicendi modos; Barradius [e] quoque omnes examinat. Hic mihi proposito congruens, ac in se probabilis videtur. Eximia prorsus res hæc erat, meritóque magnalia hoc loco, seu gloriæ & decora dicuntur parentum, totiúsque populi Hebræi, non quia rem aliã aliquam magnã significaret, vt Olcot [f] explicat; & hac de causa Gentiles obstupuisse Iosephus [g] testatur, & λογίον voce appellauisse (nominis rationem Theodoretus [h] reddit, quòd cor partem rationalem tegeret, alij alias:) solitum item Deũ per duodecim illos lapides declarare futuram vi-

d in Exod c. 64.
e tom. 2. harmo. lib. 3 c. 46.
f lect. 204.
g 3. Antiq c. 5. vel 8.
h q. 62. in Exod.

D ctoriam, cùm insolitus ex iis fulgor emicaret. Hoc credo potiùs, quàm quod ait Epiphanius [i], & meminit Augustinus [k] (fabulam vocans) & innuit Anastasius Nicenus [l], Vrim ac Thummim fuisse adamantinum lapidem, qui cùm Pontifex ingrederetur Sancta Sanctorũ, si populus peccato pollutus esset, nigresceret: si Deus eum punire decreuisset, sanguinei coloris efficeretur: si non peccasset, albesceret vt nix; atque tempore Zachariæ patris Ioannis insigniter splenduisse. Fictitium magis quod tradunt Arias & alij, fuisse lucidissimos lapides duos denuò productos à Deo, & Mosi datos: cuius autem essent materiæ non

i de lapidib.
k q. 117. in Exod.
l q. 28. in Script.

E satis cognitum fuisse; sicut & de duabus tabulis legis. Arias profectò in pictura ornati Pontificis nullum assignat locum distinctis illis duobus lapidibus. Philo [m] prodit quòd geminus textus variat id rationale, dicitúrque Vrim ac Thummim. Vnde videtur à duodecim lapidibus rationalis seiungere. Sed quod prædixi, verosimilius.

Testis idem Iosephus [n] desiisse reddi oraculũ huiusmodi ducentis annis antequã cõmentaretur historiam suam: Rabbini Dauid Camius [o], Salomon Iarius [p], Elias [q] quo tempore Aggæus prophetabat. Traditur etiam Iaddus Pontifex, aliter Iaduas aut Hananeel, is quem ornatu Pontificio prodeuntem Alexander Magnus adorauit per-

m 2. de monarch.
n 3. Antiq. c. 9.
o Exod. 28.
p ibid.
q in Massora.

A culsus tanta maiestate, abstinuítque ab obsidione vrbis Ierosolymitanæ [a], cùm ab eo rogaretur vt Vrim ac Thummim consuleret super euentu belli Persici, respondisse in hæc verba; A die quo domus ista deportata est in Babyloniam, abscondita fuerunt ab ea Vrim & Thummim. Putat Pradus [b] in lapidibus non literas nominum, sed stemmata siue insignia fuisse insculpta: nam in Exodo [c] quod legimus; *habebúntque nomina filiorum Israël: duodecim nominibus celabuntur*, Hebraicè haberi (*sculpturæ annulli singulis iuxta nomen suum erunt, imò duodecim tribubus*) Chald. (*sculpti sculptura distincta, sicut sculptura annuli*) in editione L x x. (*opus lapidariæ artis sculptura sigilli:*) vbi verò habemus;

a Idem Iosephus lib. 11. c. 8. Gorionidn in hist. c. 5. Galterus 3. Alexandreidos, quem citat Abulensis Exod. 28 q. 17. Zonaras tom. 1.
b in Ezech. comm. 2 de visione Ezech. pag. 2. sect. 10
c c. 28. 21.

B *sculpes eos nominibus filiorum Israël*, legi in textu Hebræo (שמת על *bhal schemoth, secundum*, vel *contra nomina*, vel *pro nominibus*.) Tamen non video quid obstet quominus sculptura de literis nominum intelligatur; & si solæ notæ hieroglyphicæ erant, non oportebat nominatim exprimere vocem nominum. Imitati videntur hanc nominum inscriptionem Catholici olim, in sacrificio diuino recitantes scripta nomina tum viuorum, tum mortuorũ in dypticis, de quibus Nicephorus [d], quas etiam sacras tabulas Dionysius [e] appellat, déque iisdem Ioannes [f] Stephanus Durantus eruditè disputat, & hinc inde in annalibus Baronius.

d 13. histo. c. 10
e hier. Eccli. c. 4.
f 1 de rit. Eccles c. 41. n 8. & seqq

C *Magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.*] Græcè (*μεγαλειότης σου ἐπὶ διαδήματος κεφαλῆς αὐτοῦ, magnitudo maiestásque tua in diademate capitis illius.*) Deest (*sculpta erat*) sed rectè suppletur ex antecedentibus. Diadema quid sit, dixi capite quinto [g]. Hunc locum passim intelligunt de lamina aurea (qui & petalus vocatur) quæ in morem semicirculi præfixa mitræ, siue diademati, siue cidari, siue tiaræ, siue galero, siue pileo, siue infulæ, cingebat frontem ab aure ad aurem, & cui insculptum erat Dei nomen tetragrammaton; de quo aliàs etiam egi, & Deum dicitur significare non per ordinem ad creaturas, sed vt in se est. Hoc totum ornamentum, vt citati priùs auctores obseruant, qui de omni Pontificio disserunt or-

g vers. 7.

D namento, cœlum subindicat empyreum Deique sedem, ex qua is omnia sapientissimè moderatur: & Pontificis potestatem ac honorem non modò priuatis hominibus eminentiorem esse, verùm etiam cunctis mundi Regibus & Imperatoribus.

Existimant Arias [h], Abulensis [i], & Caietanus [k] in lamina ipsa insculptum fuisse קֹדֶשׁ לַיהוָה *sanctum Domino*, id est, sanctitas decet Dominum, cui que summa reuerentia debetur, vt innuit Theodoretus [l] (quale illud, *procul este profani; sanctè colendus Deus:*) vel Deus sanctissimus est. Magister historiæ Scholasticæ fauet: sed perperam *aioth* ponit pro *hakkedos*; vt & eum secutus Hugo Cardinalis, & Carthusianus. At longè communior

h In apparatu lib. qui dicitur Aaron.
i Exod. 28.
k ibid.
l q. 62. in Exod.

E opinio est de solo quadrilitero nomine יהוה *Iehouah*: & Augustinus [m], [quomodo, inquit, formetur in lamina sanctitas Domini, nõ video, nisi aliquibus literis, quas quidem quatuor esse dicũt Hebræas.] Idem confirmant Beda [n] & Rupertus [o]: nec Iosephus [p], Philo [q], Hieronymus [r], aliúsve alicuius notæ auctor meminit nisi de illo nomine. Hinc porrò fit improbabilem sentẽtiam esse R. Salomonis [s], illa duo Vrim & Thummim nihil aliud fuisse nisi scripturam nominis tetragrammaton, quæ posita esset vbi coniungebatur superhumerale, & per id nomen Pontificem lumen verbis suis adhibuisse, ac diuinitus visum loqui. Constans opinio est, nomen tetragrammaton

m q. 120 in Exod.
n 2 de tabernac. c. 7.
o in Exod. c. 28
p 3. Antiq. c. 8 6. de bell. c. 6.
q 4 de vita Mosis.
r epist. 128.
s in Exod. c. 28.

laminæ duntaxat inscriptum fuisse.

Posset ex his sumi occasio ad mysteria pertractanda vestium Sacerdotalium, quibus vtimur in lege Euangelica, de quibus rituum scriptores, & præ cæteris Ioannes Stephanus Durantus [a]; nec non de certo vestimenti genere, quo Deo dicati homines, quos Ecclesiasticos nominamus, vtūtur siue clerici sint, siue religiosi, ad ipsum vsque sūmum Pontificem peruueniendo. Potiore sanè iure quàm Iosephus [b] mirari possumus, quomodo homines alienæ Religionis odio nos prosequantur: si enim Sacerdotum & clericorum nostrorum ornatum, & cætera quæ ad cultum sacrum pertinēt cōtemplentur, comperient diuinitatem legis nostræ, & falsò nobis impietatis calumniam impingi: quia in his omnibus resplendent mirificè pietatis atque sanctitatis radij quidam, Deúsque ipse vniuersitatis auctor & humani generis reparator. Extant in historiis terribilia exempla aliqua eorum qui sacras vestes ad vsus profanos adhibuerunt [c]. Ea quæ nominatur camisia, & alba, & tunica, necnon Græcè ποδήρης & συχάριον, respondet poderi, de quo nuper actum est, pro byssina tunica: diademati verò mitra; & aliæ cum aliis vestes sacræ comparari facilè possunt.

a 2. de ritib. Eccle c. 9.

b 1. Antiq. c. 8. vel 11.

c vt ex Theodoret. lib. 5. Tripar. c. 37. Beda 1. hist. Angl. c. 29. Hunc citat Durātus suprà, sed locū non reperi: Petro Clu. lib. 1. miraculo. c. 28. Vict. Vticen. de persecut. Vvandal. Tilman. Brendebac. lib 5. collat. sacra.

Vers. 25.] His autem cessit qui exterminabat, & hæc extimuit; erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

MAgna vis religiosæ personæ, sacri habitus, piæ orationis; ita vt horrore quodam diuino completus fuerit etiā Angelus exterminator, ac veluti cedere compulsus, & retrahere iam eiaculatum, grassantem, atque vastantem ignem. Quanquam quod attinet ad eruditionem, exemplúmque satis pœnarum de aliis sumptum fuerat, vt reliqui illorum edocti malo resipiscerent.

Qui exterminabat.] Ignem Lyranus accipit: Hugo & Olcot Angelum malum: Cantacuzenus & Bonauentura indefinitè Angelum: Carthusianus vel hūc, vel ignem. Nihil obstat vt bonum Angelū afferamus; quod nec omnino hîc negat Olcot. Nam & apud Danielem boni sibi resistunt inuicem [d], & bono restitit Iacob [e], & Deo ipsi Moses [f], aliíque, vt antea docuimus. Participiū Græcum masculinum ὁ ὀλοθρεύων indicat personam, nō rem inanimatam; & ignis, qui suppleri posset, Græcè est neutrius generis τὸ πῦρ. Timor potuit esse reuerentiæ, aut quòd timentis personam exhibere visus sit Angelus, aut effectu sic se gerere, vt qui reuera timent. Non aptius ad rem exemplum eo quod nuper de Alexandro Magno retulimus. Iaddus Pontifex admonitus in somnis à Deo, solemni cultu cum Sacerdotibus reliquis, & populo in albis vestibus prodiit Alexādro foras, aduentanti ad exscindenda Ierosolyma. Alexāder vt vidit è longinquo candidatum populū, & Sacerdotes ante agmen in amictu byssino, Pontificémque in stola hyacinthina auro distincta, tiarā in capite gestantem, cum præfixa aurea lamina insculpta Dei nomine, solus ad eum accedēs, nomen illud adorauit, & salutauit Pontificem. Cùm Syriæ Reges, & alij vix crederent Regem mentis compotem, & pro familiaritate Parmenio rogaret, cur qui adoraretur ab omnibus, ipse Pontificem adoraret, negauit se hūc adorauisse, sed Deo, cuius Pontifex esset, honorem habuisse. Addidit

d c. 10.
e Gen. 32.
f Exod. 32.

A illum ipsum Pontificem & antea hoc ipso habitu vidisse, cùm adhuc esset in Dio Macedoniæ, qui deliberantem quo modo Asiam posset subigere, hortatus sit, vt forti animo esset; nam suo ductu potiturum Persarum Imperio. Hæc in summam collecta ex Iosepho [a], qui his quoque plura de honorifica & munifica aduersùs Iudæos, & eorum Religionem Alexandri beneuolentia commemorat.

a 11. Antiq. c. vlt.

Ferè geminum in Attila Tyranno factum, cùm Leonis Pontificis paruit petitioni, ne Romam ad quam ardenti furore rapiebatur, perderet. Attilas interrogatus à suis cur tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret, respondit, Leone loquente
B astantem alium vidisse habitu Sacerdotali decorum, quid diuinum præ se ferentem, minantémque mortem, nisi Leonis iussa capesseret. Sic est in Romani Breuiarij lectionibus in festo S. Leonis [b]. Adiiciunt alij duos viros apparuisse à dextris & à sinistris, & Attilam trepidationis suæ dedisse signa pallore vultus, aliàs trucis & inexorabilis: robusti audacísque animi deiectione: concisè ac interruptè prolatis verbis, quibus etiam protestabatur non esse mortalium facultatis Diuinitati resistere, vel in superos bellum inferre: nihil præterea sibi reliquum fuisse, quàm vt quod minaci vultu numen exigeret, ipse homo quàm citò persolueret. Recitat ista Baronius [c].

b 11. April.

c tom. 6. Annal. anno 452. pag. 178.

Hæc extimuit.] Quomodo Angelus extimuerit,
C dixi. Aliqui legunt (ἐφοβήθησαν, *extimuerunt*) & referretur tunc ad cæteros Hebræos.

Erat enim sola tentatio iræ sufficiens.] Græcè (ἡ πεῖρα τῆς ὀργῆς, *experientia iræ*, siue *indignationis*.) Satis erat eos expertos iram Dei, quæ consumpserat igni alios, vt corrigerentur qui supererant. Poterant alieno malo sapere, alieno periculo cauti esse. Tētatio propriè sumpta vocatur Græcè πειρασμός: sed πεῖρα significat *experientiam*. Ira pro effectu iræ accipitur. Cur alij, non isti non minùs rei quàm illi, puniti sint, nostrum non est quærere. Diuino iudicio ac beneplacito quidquid fit, iustè fit: neç apud ipsum personarum acceptio locum habet. In prouincia, vel ciuitate quando crimen est om-
D nium, aut ferè omnium, vix expedit vt Princeps puniat omnes, quia commodè vix potest. Si partem verò tunc puniat, vel decimatione vtendum, aliòve sortis genere, vt contigit aliquando in integris exercitibus, & impiè decretum est in sācta Thebæorū Martyrum legione: vel si parti ignoscatur alia iam punita, ne vlterà procedat animaduersio, reprehendi id non potest. Deniq; in parcēdo nō cernitur propriè acceptio personarum, quia fit ex liberali condonatione summi Principis.

Lyranus opposita ratione declarat hunc locū, tentationem seditionis commotæ fuisse causam sufficientem vindictæ Dei contra totum popu-
E lum, nisi Pontifex placasset eum: Hugo plagam immissam sufficientem fuisse ad perdēdum illos. Carthusianus vtrumque dicendi modum sequitur. Rursus Hugo & Bonauentura, necnon Cantacuzenus, & alij tradunt eum quem primo loco attuli, qui optimus est. Eodem pertinet quod ait Olcot [d], timorem quem habuit populus Dei, quando videbat tantam multitudinem subitò conflagrauisse, fuisse sufficientem ad deletionem sceleris ipsius.

d lect. 204.

* * *

SVMMARIVM.

INSISTIT in eadem comparatione populi Hebræi cum aduersariis eorum, & repetit quemadmodum Hebræos Ægyptij persequentes, aquis rubri maris submersi fuerint: illis contrà carnes concupitæ concessæ: rursus ex aliis cæcitate percussi hi, qui inhospitales extiterant: postremò docet, Deo elementa seruire tum ad afflictionem improborum, tum ad obsequium bonorum.

CAPVT XIX.

A

1 IMpiis autem vsque in nouissimum fine misericordia ira superuenit. Præsciebat enim & futura illorum:

2 Quoniam cùm ipsi permisissent vt se educerent, & cum magna sollicitudine præmisissent illos, consequebantur illos pœnitentia acti.

3 Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumẽta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem insciĕtiæ: & quos rogantes proiecerant, hos tãquam fugitiuos persequebãtur.

4 Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas: & horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, vt quæ deerant tormentis, repleret punitio:

5 Et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autẽ nouam mortẽ inuenirent.

6 Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deseruiens tuis præceptis, vt pueri tui custodirentur illæsi.

7 Nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ antè erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimẽto, & cãpus germinãs de profundo nimio:

8 Per quem omnis natio transiuit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra.

9 Tanquam enim equi depauerunt escam, & tanquam agni exultauerunt, magnificantes te Domine, qui liberasti illos.

10 Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant, quẽadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, & pro piscibus eructauit fluuius multitudinem ranarum.

11 Nouissimè autem viderunt nouam creaturam auium, cùm adducti concupiscentia postulauerunt escas epulationis.

12 In allocutione enim desiderij, ascẽdit illis de mari ortygometra: & vexationes peccatoribus superuenerunt, non sine illis, quæ antè facta erant, argumentis per vim fulminum: iustè enim patiebantur secundùm suas nequitias.

13 Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt: alij quidem ignotos non recipiebant aduenas, alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant.

14 Et non solùm hæc, sed & alius quidam respectus illorum erat: quoniam inuiti recipiebant extraneos.

15 Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem vsi erant iustitiis, sæuissimis afflixerunt doloribus.

16 Percussi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus iusti, cùm subitaneis cooperti essent tenebris, vnusquisque transitum ostij sui quærebat.

B

17 In se enim elementa dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiũt: vnde æstimari ex ipso visu certò potest.

18 Agrestia enim in aquatica conuertebantur: & quæcumque erant natantia, in terram transibant.

19 Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliuiscebatur.

C

20 Flammæ è contrario, corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium; nec dissoluebant illam, quæ facilè dissoluebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum Domine, & honorasti, & non despexisti, in omni tempore, & in omni loco assistens eis.

Vers. 1.] Impiis autem vsque in nouissimum fine misericordia ira superuenit. Præsciebat enim & futura illorum.

D

PENDET ex extremo priore capite sententia, vbi dictum est, nonnullorum ex Hebræis periculo & cæde consultum reliquis. Hîc verò dicitur, impiis ad internecionem absque vlla clementia acrẽ seueritatem institisse: nam Deũ prospexisse, ac præ nouisse, quo pacto permansuri essent in animi peruicacia, atque impœnitentia. Fauet hic locus aliquoties à nobis assertæ sententiæ de scientia media quam habet Deus futurorum possibilium liberorum conditionalium.

Vsque in nouissimum.] Græcè (μέχρι τέλους, *vsque in finem*) vsque ad exitium, & interitum, & internecionem, vsque ad nouissimum seu vltimum,

ita

ita vt cunctos inuolueret clades. Intelligit quoque Carthusianus de æterna damnatione. Incertum an omnes eam incurrerint.

Sine misericordia ira superuenit.] Græcè (ἀνελεήμων θυμὸς ἐπέστη, *immisericors ac sæua ira institit*) quæ scilicet nulli parceret, sicut maximæ parti Hebræorũ pepercit. Iram sine misericordia & ineuitabilem exponit Lyranus sine remedio: quia nullum opus Dei sine misericordia est; sed *miserationes eius super omnia opera eius* [a]. Tunc abesse misericordia censetur, & Deus in furore punire, quãdo magis enitescit iustitiæ rigor. Id verò accidere solet præsertim cùm vindicantur crudeles sæuæque iniuriæ. Nam *iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam* [b] : nõ sine misericordia quidem mitigante, quæ punit etiam citra cõdignum, sed absque liberante, saluante, glorificante. De conditionibus iræ diuinæ disserit Olcot [c], vt nequeat declinari maiore alterius potentia, vel debilitari tẽporis mora; vt in plures ob vnius peccatum excitetur; vt non mitigetur sine humilitate. Affert inter alia exempla vnum ex Anglicanis historiis suis de muscis insolitis, quæ segetes depastæ erãt, in quarum alis inscriptum legeretur, IRA DEI.

a Ps.144.9.
b Iacob.2.13.
c lect.204.

Vers. 2.] Quoniam cùm ipsi permisissent vt se educerent, & cum magna sollicitudine præmisissent illos, consequebantur illos pœnitentia acti.

PRæuiderat Deus futurum, vt Ægyptij eos ipsos quibus permiserant abire, imò ad abeundum cohortati fuerant, mutato repentè consilio persequerentur.

Quoniam cùm ipsi permisissent.] Græcè (ὅτι αὐτοὶ ἐπιτρέψαντες, vel, vt alij legunt, ἐπιστρέψαντες, ἀπιέναι, aliàs ἀπεῖναι, *quoniam cùm ipsi* (videlicet Ægyptij) *permisissent* (Hebræis) *abire*, vel *abesse*.) Vatablus (*quod eosdem quos liberassent ad abeundum:*) Clarius (*quòd cùm ipsi conuersi essent vt abirent.*) Alij codices de quibus Brugensis meminit (*quoniam cùm ipsi reuersi essent*, &c.) vel (*quoniam cùm ipsi reuersi essent, & permisissent*, &c.) Meritò autem præfert lectionem nostram, & docet etiam sic verti potuisse, siue Græcè legamus ἐπιστρέψαντες, siue ἐπιτρέψαντες. Addit reddi præterea potuisse (*cùm ipsi conuersi essent*) quo modo reddidit & Clarius.

Vt se educerent.] Cùm Ægyptij permisissent vt se Hebræi educerent, siue subducerent, & abirent. Græcè (ἀπιέναι, aliàs ἀπεῖναι, vt dixi.) Idem Brugensis recitat alias lectiones (*vt se ducerent*) vel (*vt seducerent*) & reiicit omnino vltimam, licèt Hugonis & Olcot. Clarij versio habet (*vt abirent*) Vatabli (*cùm liberassent ad abeundum.*) Similis loquendi formula fuit in capite 4. [d] *desiderant eam* (castam generationem) *cum se eduxerit*, ποθοῦσιν ἀπελθοῦσαν.

d vers.3.

Cum magna sollicitudine præmisissent illos.] Græcè (μετὰ σπουδῆς προπέμψαντες αὐτούς, *cũ studio, & studiose deduxissent illos.*) De verbo προπέμπειν dixi Commentario in Actus Apostol. significare honorariam deductionem veluti cum pompa. Neque verò simpliciter Hebræos Ægyptij præmiserunt, hoc est, ante se miserunt, quasi paulo pòst insequi eos intenderẽt. Magna cautione potiùs deducebant, honoris quodam prætextu ac specie, atque magnopere curabant accepta primogenitorum plaga, vt quamprimùm è suis finibus egrederentur. Vbi Pharao egrediendi pote-

A statem fecisset, imò imperasset illis verbis [a]; *Surgite, & egredimini à populo meo*, &c. *cogebant, & vrgebant Ægyptij populum* (Hebræum) *de terra exire velociter, dicentes; omnes moriemur: & dedit Dominus gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam. Sed & vulgus promiscuum innumerabile* (Ægyptiorum) *ascendit cum eis, boues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis.*

a Exod.12.31. & seq.

In hac narratione non extat deductionis, vel comitatus mentio, quoniam vulgus promiscuum ascendit vt abiret, absque redeundi voluntate, nec à vulgo facta deductio, honorifica censeretur. Iosephus [b] memorat Pharaonis mandatum vt

B abirent: donis honoratos Hebræos ab Ægyptiis, tum quò celeriùs discederent, tum propter vicinitatis consuetudinem: dum exirent Hebræi, Ægyptios fleuisse, atque pœnituisse ob præteritam malam tractationem. Philo [c] prodit vehementem Ægyptiorum adhortationem, vt properè tota regione discederent, vel vnam diem horámve differre longum existimantium, periculosúmque; & hac ratione expulsos pro trusósque.

b 2. Antiq c. 5. vel 13.
c 1. de vita Mosis.

Porrò gratia illa, quam ex Exodo retuli Dominum dedisse populo suo coram Ægyptiis, vt commodarent eis, indicare quoque potest ab eodem Domino corda Ægyptiorum inflexa ad tenerum quendam amorem Hebræorum, nõ solùm

C vt eis bene & vellẽt & facerent, sed etiam vt honore afficerent, & honoris causâ comitarentur extrà, ad aliquod spatium. Putant Augustinus [d], Caietanus [e], & Pererius [f] dona collata, & vltrò oblata ante plagam primogenitorum. Hoc si est, vt sanè probabile est, vix deductionem poterimus intelligere honorificam fuisse; sed qua vrgentes discessum, non dimiserint eos, donec extra omnem prouinciam deduxerint, vt sic de eorum discessu certi penitus essent, omníque metu liberi. Carthusianus explicat, cùm minassent ante se, ad exeundum.

d q.45 in Exod.
e in Exod. c. 12.
f ibid. disput. 15.

Consequebantur illos pœnitentia acti.] Iuxta phrasim totam Græcam dicendum fuisset (*præsciebat enim* (Deus) *& futura illorum, quòd cùm ipsi permisissent*, &c. *consequerentur*, vel *consecuturi essent*, vel *conse-*

D *quentur*, siue *persequentur*, διώξουσι.) Vnde *consequebantur* non est simpliciter sequi simul, aut pòst, &c. sed persequi & insequi; quoniam id valet διώκειν. Neque refertur illud verbum ad pœnitentiam, quæ postea secuta sit, vt indicat editio qua vtuntur veteres Expositores, necnon Complutensis, Regia, & aliorum (*consequebantur illos*, nimirum Ægyptios, *pœnitentia actus*) aut in numero singulari (*consequebatur:*) sed significatur quòd cùm pœnituisset Ægyptios, quòd Hebræos abire permisissent, imò compulissent, & quidem onustos tanta supellectili, quam commodatò dede-

E rant, nec in ea perturbatione & mœrore ob cædem primogenitorum repetierant, mutato statim consilio, fugientes retrò secuti sint. Hoc sibi vult διώξουσι μεταμεληθέντες, *persequentur iam acti pœnitentia, iam pœnitentia ducti, iam pœnitentes.*

Cæterùm pœnitere, pœnitentia duci vel agi, pœnitentia ipsa, propriè de malis dicuntur quæ à nobis decreta, dicta, facta displicent. Aliquãdo tamen vsurpantur de mutatione prioris consilij, siue decreti, aut facti; etiamsi fiat in deterius mutatio: vel quãuis nulla ratio mali præcesserit reuera, sed tantùm secundùm opinionem nostram. Ad hunc ferè sensum dicuntur ἀμεταμέλητα dona

* Rom.11.29.

& vocatio Dei*, quia nō retractat, aut repetit bona quæ semel largitus est: & è contrario interdū dicitur Deum pœnitere de quibusdam rebus quas fecit [a]; quoniam illis abusi sunt homines, & eas tollere vult Deus: aliàs non pœnitere [b], nec pœnitentia flecti [c], quando firmus manet in sententia. Vnde, quia non cadit in Deum mutatio, quādo res ipsæ mutantur, & effectus iuxta præscientiam, prouidentiam, ac voluntatem Dei, vel non mutantur, pronunciatur Deus mutari, vel nō mutari; & in rebus accidente mutatione, quæ priùs ob certas circumstantias bene fiebant, & erant bonæ, postea fiunt quoque bene, & sunt bonæ, secundùm rationes quas nouit ille qui bene omnia facit. Denique more humano, sicut aliæ passiones, ita tribuitur Deo pœnitētia, crasso & paruitati nostræ accommodato modo, vt loquitur Chrysostomus [d]. Legendi quoque Iustinus [e], Ambrosius [f], Augustinus [g], præter Genesis Expositores [h]. Hoc loco Ægyptiis conuenit pœnitentia, vt significat nouū consilium cum refutatione præcedentis, atque cū dolore quòd habuissent illud, licèt bonum fuisset, nēpe de dimittēdis Hebræis.

a Gen.6.6.7. 1. Reg. 15. 11. 35. Iere.26.3. 13.19.
b Ps. 109. 45. Ierem. 4. 28. c.20.16.
c 1.Reg.15.29.
d hom.22. in Genes.
e q.36 ad orthodoxos.
f de arca & Noe c 4.
g 15. de ciuit. c.25.
h c.6.

A

Vers. 3.] Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem insciētiæ, & quos rogantes proiecerant, hos tanquam fugitiuos persequebantur.

Docent hæc dictam illam pœnitentiam Ægyptiorum, mutationémve cōsilij quòd Hebræos abire permisissent, valdè repentinā ac subitam fuisse, simúlque imprudentem atque stultam. Nam adhuc inter funera, & in iis procurandis occupati, non animo reputabant charorum ipsis vnde iactura mórsque prouenisset; sed tātæ cladis auctores cùm retentabantur, minimè dubitarunt tamen insequi, ac vi & armis reuocare.

Colligitur totius contextio historiæ ex Exodo [i], Iosepho [k], Philone [l]. Cùm Hebræi cōfectis tribus mansionibus in Ramesses, Socoth, Ethā, ex hac vltima versùs Ægyptū reuersi essent via obliqua ad Phihairoth, quæ fuit quarta, & cum è regione istius loci inter Magdalum & mare contra Beelsephon (super huius nominis etymologia cōfictam fabulam canis ænei, qui sub terra locatus, quando illàc transiret Hebræus, clamaret Hebrēū fugere, legere licet apud Abulensem [m]) castra posuisset prope mare; Pharao sciens parum tuto in loco illos esse, & aberrare in deserto putans, consilium cepit eos persequendi & includendi. Phihairoth enim, teste Hieronymo [n], vallis erat habens ex vna parte montem impermeabilem, ex alia Magdalum ciuitatem in confinio Ægypti, satis munitam, de qua in historia Regum [o]; & ante se Hebræi habebant mare sine nauigiis. Quocirca certum videbatur non euasuros, si à tergo ipsos Ægyptij persequerentur [p].

i c.14.
k 2. Antiq. c. vlt.
l 1. & 3. de vita Mosis.
m Exod. 14. q 2.
n de locis Hebraicis.
o lib.4.25.
p Exo.14.2.& seq.

Igitur pauci admodum dies abierant, ac fortassis non plures quatuor, quando summa cum celeritate, & quanto maximo potuit apparatu Pharao expeditionem istam suscepit. Iosephus [q] scribit Ægyptios mox pœnituisse, Regē præ cæteris, qui facilitatem quoque suam in dimittēdis iis deputabat præstigiis Mosis, vt & reliqua eiusdem opera prodigiosa. Facta fuerat potestas non

q 2 Antiq. c. vlt.

penitus ac in totum discedendi, sed trium dierū itinere, vt sacrificarent [a]: at per exploratores didicit Pharao fugisse [b], quod ex errore per desertū, & quia rectà iter non intenderent, deprehenderunt. Rupertus [c] ait, Pharaonem fugam interpretatum non de Hebræis, nisi fortassis quia vasa, & vestem Ægyptiorum secum abstulerant, sed de mancipiis illorum, qui dominos suos fugiebant. At dubitari non debet intellexisse maximè de Hebræis. Id auctores citati tradunt, Scripturáque sacra; & adeò copiosus exercitus, quem contra fugientes Pharao collegit, planè indicat.

a Exo. 12. 31.
b Exod. 14.5.
c in Exo. c.31.

Adhuc enim inter manus habentes luctum.] Græcè (ἔτι γὰρ ἐν χερσὶν ἔχοντες τὰ πένθη, *adhuc enim in manibus habētes luctus*.) Phrasis satis trita, habere adhuc aliquid in manibus, præ manibus, inter manus, pro eo quod est versari in re adhuc recente. Luctus verò siue in numero singulari, siue in plurali, curam totam funeris denotat, vt & planctus, quēadmodum ostendimus cùm ageremus de Stephano [d]; licèt de hoc Græcè dicatur κοπετὸς, nomine minùs generali quàm πένθος: quod propriè tamen est mœror ex morte propinquorum, vel amicorum. Plura citato loco de ritu ipso, ac nonnihil de eo quo vtebantur Ægyptij.

B

d Act 8.2.

Et deplorantes ad monumenta mortuorum.] Non enim cremabāt corpora, sed condita condebant, siue vnguentis delibuta, vt ibidem diximus, colligitúrque ex Genesi [e], vbi quoque dies septuaginta luctui assignantur: qua de re legi ibidem potest noster Pererius post Herodotum [f] & Diodorū [g] Siculum. Hi duo æquè produnt defuncto aliquo domestico & necessario, præsertim alicuius momenti, Ægyptiorū omnem muliebris sexus familiam caput sibi & vultum oblinere solitam luto: deinde relicto domi cadauere, per vrbem vagātes se plāgere, succinctas, nudatísque mammillis: altera ex parte viros expectoratos se verberare, lugentésque, ciuitatem, quoad mortuus sepeliatur, circumire, interim neque lauari, neque vinum, aut cibum, nisi vilem sumere, neque vestibus vti splendidis.

C

e c.50.2.3.
f lib.2.
g lib.2.

Si monumēta sepulchráque, Græcè τάφους, propriè accipimus, & verum est ante cōdituram vnctionémve Ægyptios cadauera suorum, vt Comestor [h] scripsit, sic seruasse nouem diebus, per singulos dies plangendo, eáque fouendo calida aqua, quò explorarēt vtrùm anima penitus egressa corpore, an tantùm in eo sopita esset; præterea cùm insumerent ad condiendum dies quadraginta, & alios triginta ad saliendum, ac demū in ligneam imaginem includerent, quod citati referunt historici; rectè illud, quod proximè præcessit, intelligetur, adhuc inter manus habuisse luctum siue luctus, hoc est, cadauera ipsa, cùm de persequendis Hebræis tractauerunt Ægyptij, nūcio de ipsorū fuga, vti dicebam, accepto ferè post quatuor dies. Collectus est summa celeritate copiosus, de quo egimus capite decimo [i], in Hebræos exercitus, nec solitum procurandis funeribus spatium datum. Equidem arbitrarer τάφους, sicut & apud alios auctores aliquando, hîc sumi pro exequiis, funere, ritu toto sepulturæ, non præcisè pro tumulo, loculo, conditorio, sepulchro. Nam postquam sepulturæ tradidissent mortuos suos, non legimus Ægyptios ad monumenta plorauisse. Itaque deplorare ad monumenta mortuorum, erit hoc loco intelligendum de planctu, qui durabat donec illuc mortuos inferrent.

D

E

h hist. Schol. in Gen.c.114.
i vers. 18.

Sed

Sed hæc in re variatum etiam apud eandem gentem Ægyptiorum: nec eximiam illam curam cunctis defunctis exhibebãt. Vnde fieri potest, vt plurimis, qui tantum facere sumptum non poterant, contigerit iam illatos breui tempore in sepulchrum deflere mortuos. Indicauit id Philo [a], scribens defuisse in tanta strage primogenitorũ, qui sepeliendi munus obiret. Quare nec licuit, nec verò libuit in communi tanta comploratione indulgere accuratæ ceremoniæ defunctorum. Hoc vltimum responsum expeditum, ac magis verosimile. Cantacuzenus mortuos interpretatur sepulchris inclusos. Nec idcirco non bene dixit Auctor adhuc habuisse luctus inter manus, quãuis luctus intelligas de cadaueribus; vixdũ namque condiderant: & multo meliùs id percipitur, si luctus plorationem significat, quæ perseuerabat post recens sepultos mortuos. Illud certum, præscriptum maximum septuaginta dierum spatium, ac longè quoque minus ad insequendũ Hebræos expectatum fuisse. Verùm de ratione funerali egi citato priùs loco, postcáque in Leuitici Commentario. Legendi autem Ioannes Kircmannus & Iacobus Guthetus.

a 1. de vita Mosis.

Aliam sibi assumpserunt cogitationem insc ientiæ.] Græcè (ἕτερον ἐπεσπάσαντο λογισμὸν ἀνοίας, *alteram attraxerunt, ac veluti euulserunt, insaniæ cogitationem.*) Videlicet neque præsenti ac præterita tam multiplici edocti calamitate, neque sibi de grauiore alia aliqua timentes. Vim magnam continet Græcum illud verbum, quasi vi, ac fanatico nescio quo furore acti, tale & tam insanum consilium susceperint, atque à Deo ipso indurati fuerint; *& indurabo cor eius* (Pharaonis) inquit ille [b], *ac persequetur vos.*

b Exod. 4. 4.

Quos rogantes proiecerant.] Rogare & proiicere illo modo cohærent inter se, quo voluptate trahi dicimur [c]. Hac de re versu secundo dixi. Narratur Pharao abire permissos rogasse, vt sibi benedicerent [d], hoc est, vt vertit Chaldæus, & exponit Lyranus, vt orarent pro ipso, ne scilicet moreretur, quemadmodum primogenitis acciderat, non autem vt laudarent ipsum: quod velle Rupertum [e] Ystella non rectè dicit. Glossæ interlinearis interpretatio est, quam indicat etiam Caietanus.

c Virg. eclog. 2.
d Exod. 12. 32.
e lib. 2. in Exod. c. 18.

Hos tanquam fugitiuos persequebantur.] Non solos Ægyptios qui se Hebræis adiunxerant, vt nuper aduersùs eundem Rupertum admonui, sed in primis Hebræos, quibus quam Pharao discedendi fecerat potestatem, iniquè interpretabatur extortam, quoniã spoliauerãt rebus multis Ægyptios, nec, vti se facere significauerant, recto abibant itinere, vt post triduum sacrificarent [f], nec amplius redituri videbantur. Non intelligebat Moses tridui nomine tres menses, vt nugantur Hebræi; etsi verum sit tertio post egressum mense sacrificauisse in Horeb [g].

f Exod. 3. 18. c. 5. 3.
g Exod. 19.

Voluit Deus triduanam solam profectionẽ in desertum peti à Pharaone, quam sciebat nõ concessurum; vt magis inclemẽtia, obstinatáque malitia eius appareret, iusta verò in illũ animaduersio Dei. Hoc pacto post Augustinum [h] Lyranus [i], & Abulensis [k]. Anastasius [l] autem Nicenus citãs Basiliũ [m], docet celasse Mosem & artificiosè abscondisse id quod futurũ sciebat, dixisse quod verũ erat. Lapsis ergo tribus diebus, & eo pluribus, cùm nihil aut de sacrificio, aut de redeundi volũtate afferretur ad Regẽ, fugitiuos censuit seruos, quos domi sub seruili conditione hactenus retinuerat. Quis inter seruos propriè dici debeat fugitiuus, quidque differat ab errone, & quæ sit horũ pœna, decernitur iure ciuili [a]. Iuxta hoc ius nõ erant Hebræi tales, nõ solum quia reuera nequaquam seruilis conditionis, verùm etiã, quia licèt fuissent, Ægyptij sæuius eos tractabant, ac immoderatè iis vtebantur. Hoc vniuersè pronũciat Vlpianus [b], definiens qui sint, vel non sint fugitiui. Nota fugitiuorum in Sicilia sub C. Mario trucidatio: de quo tam multi [c]; & habet nescio quid affinitatis cum præsenti historia, saltem prætextũ Syriæ colendæ Deæ auctore Syro Euno. Colligit alia exempla seruilium bellorum bonus Augustini, & discipulus, & Scholiastes Leonardus [d] Coquæus vetus amicus noster.

h q. 11. in Exo.
i Exod. 3.
k ibid.
l q. 71. in Scrip.
m in electicis.

a L. 17. quis sit fugitiuus. de ædilitio edicto. lib. 21. tit. 1. & lib. 11. tit. 4. de fugit. & lib. 50. tit. 16 de verbo. signif. l. 225.
b ibid. primo.
c Florus gesto. Roman. epito. lib. 3. c. 19. & in abbreu. 53. 1'lutarc. in Crass. Eutrop. lib. 4. c. 3. Val. Max. lib. 2. c. 2. lib. 6 c. 10 Euseb. in chronic. Oros. lib. 5 c. 8. Aug. 3. de ciui c. 26
d in Aug lib 3. de ciu. c. 26.

Vers. 4.] Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas, & horum quæ acciderant commemorationem amittebant, vt quæ deerant tormentis, repleret punitio.

PRædixerat Deus, vt antè retuli, fore vt induraret cor Pharaonis ad persequendos egressos Hebræos, ipse autem glorificaretur in Pharaone, & in omni exercitu eius, sciréntq; Ægyptij, quia ipse esset Dominus, nimirum eos demergendo in mari rubro, quod & paulo pòst repetitur. Pertinax quoque & obstinata malitia Ægyptiorum nondum satis prioribus, licèt grauibus, plagis castigata, & earum quodãmodo immemor, vel parui faciens, illos ad adhuc grauiorem propellebat.

Ducebat enim illos ad hunc finem.] Græcè (εἷλκε αὐτοὺς ἐπὶ τοῦτο τὸ πέρας, *trahebat illos ad hunc finem, siue ad hunc exitum.*)

Digna necessitas.] Græcè (ἀξία ἀνάγκη.) Digna necessitas subeundæ pœnæ iuxta ineuitabile decretũ Dei, & grauitatem peccati Ægyptiorũ, quamuis ab iisdem liberè patrati, sicut & pœnam Deus pro sua libera voluntate tum decreuit, tũ intulit. Non adeò placet expositio Bonauenturæ & Carthusiani, quòd ad hunc finẽ, id est, ad persecutionem Hebræorũ finalẽ, ducebat Ægyptios digna necessitas, hoc est, derelictio Dei, sic eos excæcari permittentis. Bene monent idem Bonauentura & Cantacuzenus non Deũ in eam necessitatẽ Ægyptios prouexisse, cùm libertatem humanæ voluntati dederit suo arbitratu viuendi; sed quia ministeriis destituti Hebræorũ, quibus ad delicias abutebantur, in lucro se id posituros arbitrabantur, si eos in seruitutem iterũ aliqua ratione redigerent: Deus etiam, cùm id præuidisset, adducebat eos, seu ire sinebat quò volebant. [Non fuit necessitas coactionis, ait Bonauentura, sed immutabilitatis, quia poterãt pœnitere, ac pœnam vitare, sed nolebant: & necessitas illa erat consequens voluntatem eorum, non antecedens.] Posset quoque necessitas, vt suprà dixi, significare calamitatẽ, quæ digna, hoc est, merita & peccatis congrua fuerit. Transferri huc illa Prophetæ ad Amasiam sententia minax potest [e]; *Scio quòd cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo.*

e 2. Paral 25. 16.

Horum quæ acciderant commemorationem amittebant.] Græcè (τῶν συμβεβηκότων ἀμνηστίαν ἐνέβαλεν, *eorum quæ acciderant obliuionem iniecit*) hoc est, præcedentium plagarum, ac recentissimæ quidem, quæque adhuc in manibus erat, primogenitorum interfectionis. *Commemorationem* Interpres maluit, quàm *memoriam*, quoniam non periérat

memoria rerum adeò terribilium & recentium, sed non exibat cæcata mens in vsum memoriæ practicum. Obiectæ animo efficaciores rei species, alias quodammodo obtuunt, vel obscurant, vt memoriæ & cogitationi non succurrant. Celebris Atheniensium ἀμνηστίας lex, id est, obliuionis præteritarum iniuriarum; de qua Valerius[a], Vopiscus[b], Cicero[c], Plutarchus[d], eadémque ferè est atque ἀμνησικακία: licèt in sedandis discordiis contendat Muretus[e] vsurparum non ἀμνηστεῖν, sed μὴ μνησικακεῖν. Verùm hoc loco, sicut & alibi, significat ἀμνηστία obliuionem simplicem.

a lib.4.c.6. b in Aurel. c Philip.1. d in Politic. e 2.variæ lect. c.15.

Vt quæ deerant tormentis, repleret punitio.]. Græcè (ἵνα τὴν λείπουσαν τοῖς βασάνοις προσαναπληρώσωσι κόλασιν, *vt deficientem tormentis replerent punitionem.*) Isidorus Clarius (*vt quæ deerant tormentis, implerent punitionem.*) Vatablus (*vt reliquas cruciatuum pœnas persoluerent.*) Improbos Iudæos dicebat Christus[f] implere mensuram patrum suorum: Deus[g] nondum completas iniquitates Amorrhæorum: Paulus[h] se adimplere quæ deerant passionum Christi in carne sua pro corpore eius, quod est Ecclesia: Ioannes[i] cuiusdam non esse plena opera: rursum Paulus[k] quosdam implere peccata sua semper. Certa mensura est meritorum & demeritorum, pœnarum ac præmiorum, ad quam quisque peruenit vel iustus, vel iniustus, vel reprobus, vel prædestinatus. Sed merita præmiáque sūt ex gratia, & electione Dei, non sine libertate merentis: demerita per se ex libertate demerentis; pœnæ propter demerita eiusdem decernuntur à iustitia Dei vindicantis. Videmur quidam fatali quadam necessitate ruere in interitum suum, conditioni ipsorum naturali, & ingenio veluti congruentem. De Semei affirmari aptè potest præsens sententia tota, quem Salomon egressum ciuitate contra inhibitionem, interfici præcepit[l]. Quò spectat Plutarchi disputatio de sera numinis vindicta.

f Matt.23.32. g Gen.15.16. h Coloss.1.24. i Apoc.3.2. k 1.ad Thess.2.16. l 3 Reg.2.39. & seqq.

Vers. 5.] Et populus quidem tuus mirabiliter transiret: illi autem nouam mortem inuenirent.

CVm noua morte ac punitione priora implerent tormenta Ægyptiorum coniunctum fuit Hebræorum beneficium: quoniam submersis illis, hi mirabiliter per mare rubrum transierunt ac euaserunt. De hoc transitu & submersione actum satis capite decimo[m], vixque aliquid nobis annotandum superest.

m vers.17.

Mirabiliter transiret.] Græcè (παράδοξον ὁδοιπορίαν περάσῃ, *paradoxum, inopinatum, mirabile iter transiret.*) Alij codices, quos & Vatablus secutus est, habent πειράσῃ, *tentaret*: at nihil discrepante sensu. Nostram lectionem sequitur Cantacuzenus. Sic autem in capite decimo[n] dictum est; *deduxit illos in viā mirabile.* ὡδήγησεν αὐτοὺς ἐν ὁδῷ θαυμαστῇ.

n vers.17.

Illi autem nouam mortem inuenirent.] Græcè (ξένον θάνατον.) Non significat propriè ξένος *nouum* cum respectu veteris, sed *peregrinum*, ac ferè idem quod παράδοξος, *paradoxum, inopinatum, insolitum, inuisum*, &c. Quocirca frustra laborant qui attendunt vel ad priora mortis genera per præcedentes plagas; quibus qui supererant Ægyptij mortui profectò non sunt: vel quòd initio aquæ rubri maris pepercerint Ægyptiis, donec omnes alueum ingressi sunt, & à redeuntibus suffocati; nam nec sic diceretur propriè noua mors, maximè cùm diluuio perijssent longè ante tam multi. Nouus in aquis pereundi modus fuit, nec prius vnquam visus; vel iuxta proprietatē nominis peregrinus, id est, planè mirabilis; vt solent res deforis aductæ, non amplius visæ sua illa peregrinitate admirationem excitare. Vulgò quoque dicimus (*vna cosa strana, ne mai piu vista, ò vdita, vn caso strano, vn huomo strano,*) & ferè intelligentes de rebus malis. Sic vidimus capite 16.[a] nouas appellatas aquas, & grādines, & pluuias, ξένοις ὑετοῖς, &c. Præterea nouum dicitur visendum, nec autem visum. Vnde mortis illud genus, cùm terra essent absorbendi seditiosi, vocat Interpres rem nouam[b], quæ dicitur Græcè φάσμα, *visio*. Confirmari possit erudita præsens interpretatio Interpretis, nouæ mortis pro magna, nimia, mirabili, prodigiosa, Poëtæ[c] testimonio;

a vers.16. b Num.16.30. c Virg.8.Aeneid.

——— *noua Neptunia cæde rubescunt.*

Nam non erat reuera noua cædes, cùm alia præcessissent bella ciuilia, & cædes aliæ in illis armis, sed magnæ, & nimia, vt obseruat Seruius. Eodem pacto nouū dixit pauorem[d] pro magno, ingenti, insolito: noua carmina[e]; pro magnis & mirandis. [Nam cum nouitas faciat admirationem, vt idem Scholiastes, inde quæ admirabilia sunt, retrouersum noua dicuntur.]

d Virg. Aen. 2. e eclo.3.

Gulielmus Fornerius in notis ad Cassiodorū confirmat hanc noui notionem alijs testimonijs, vt ipsiusmet Cassiodori scribentis nouum esse sub amore Principis custodire modestiam, id est, arduū magnúmque: præterea Galeni, qui τὸ καινῶς apud Hippocratem exposuit γενναίως, ἰσχυρῶς, σφοδρῶς, *generosè, vehementer, valdè.* Adde apud Ciceronem[f] nouum crimen; apud Horatium[g] noua monstra: rursus apud Virgilium[h] nouum prodigium; quod Ventidius apud Gellium[i] vocat portentum inusitatum, recens.

f 1.pro Ligario. g lib.1.ode 2. h 3 Aeneid. i lib.15.c.4.

Vers. 6.] Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deseruiens tuis præceptis, vt pueri tui custodirentur illæsi.

SImilis fuit capite decimosexto[k] sententia; *creatura enim sibi factori deseruiens exardescit*, &c. Quasi omnis ad auctoris nutum creatura nouam induat formam; vt deinceps docetur exemplis columnæ nubis, siccatique maris, &c.

k vers.24.

Omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur.] Græcè (ὅλη ἡ κτίσις ἐν ἰδίῳ γένει πάλιν ἄνωθεν διετυποῦτο, *omnis creatura in proprio genere rursus ab initio refigurabatur.*) Vatablus totam sententiam reddit sic (*siquidem res omnes creatæ commissæ sibi curæ subseruientes in suo genere, aliam de integro figuram, vt illæsi filij tui conseruarentur, induere.*) Sensus est, vniuersam propemodum creaturam in suo quamque genere & natura permanentem ita in Hebræorum gratiam esse transmutatam, vt rursus videri posset à Deo reformata, à quo in principio formata factáque fuerat.

Ad suum genus ab initio refigurabatur.] Iam dixi Græcè esse (*in proprio genere rursus ab initio reformabatur.*) Itaque non significatur creaturā ad generationis suæ originem, vel ad suum generatorem cōuersam siue reuersam, atque per obedientiæ potentiam ad illum se reflectendo, & ei obediendo, transformatā esse: quāuis hæc vera sint, & ab Expositoribus Latinis tradantur. Sed simplicior sensus est quem attulimus, vnamquamque rem

in suo genere sese ad creatoris voluntatem accommodasse, ac veluti nouam formam ab ipso recepisse. Vnaquæque vero res, omnísque creatura non simpliciter intelligitur, sed elementorum, & earum rerum quas adhibuit Deus ad Hebræorum beneficiũ, & supplicium Ægyptiorum.

Bonauentura in eo refigurationem spectauit, quòd iterum similitudinem recuperauerint creaturæ, & veluti conditionem, ne nocerent hominibus in innocentiæ statu, verbi gratiâ, aquæ submergendo, spinæ pungendo, ignis comburendo. Esto, hic admittatur sensus, non existimandum defuisse vim illam etiam in dicto statu rebus naturalibus; sed homines partim cauendo per propriam prudentiam, partim singulari tectos diuina prouidentia, nullam à rebus alioqui per se noxiis noxam accepturos. Qua de re alibi quoque diximus, vt & de obedientiali potentia tam passiua ad recipiendum, quam actiua ad agendum, quæ sunt supra vires naturales.

Præceptis tuis.] Græcè (*ἰδίαις ἐντολαῖς, propriis præceptis.*) Addunt alij *σου, tuis.*

Vers. 7.] Nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ antè erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.

De nubis obumbrantis diuino munere sub nomine velamenti dici, vel etiam columnæ, diximus capite decimo [a], necnon de columna ignis. Nunc mentio de nube fieri videtur propter aliud beneficium, quo submersi sunt Ægyptij, vt his densiores tenebras illa offunderet. Sed clarius id traditur in Exodo [b], cum ita scribitur; *Iámque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis* (quæ [illegible] erat eadem, vt eo diximus priore loco) *interfecit exercitum eorum*: & paulo ante [c]; *Tolléns que se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum, & castra Israel: erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem; ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.* Sic libro illo. Vnde fit, vt eadem met nubes antea solita Hebræorum castra præcedere, subsecuta nunc sit, quia nocte mouenda fuerunt ad mare transiendum sicco vestigio; vt sic interposita inter illa castra, & castra Ægyptiorum, versúsque illa solito reddens obscuriorem ipsis noctem, impediret ne cùm cernere nequirent Hebræos, eos insequerentur.

a verſ.17.
b c.14.24.
c verſ.19.20.

Cantacuzenus exponit quòd ἡ νεφέλη, quæ hoc loco dicitur τὴν παρεμβολὴν σκιάζουσα, modò quidem præibat, cùm retrò nullos haberent Hebræi qui premerent, vel vrgerent: modò verò, cùm id euenisset, & illos ponè sequerentur Ægyptij, eandem Deus ad extremum Hebræorũ agmen transferebat, vt caliginem ac tenebras hostibus offunderet. Bonauentura, Olcot, Lyranus, Carthusianus idem sentiunt: Hugo & Osorius de sola obumbratione diurna aduersùs æstum.

Terra apparuit arida.] Græcè (*ξηρᾶς ἀνάδυσις γῆς ἐθεωρήθη, aridæ ortus*, vel *emersio terræ apparuit*, siue *conspecta est.*) Refellitur hinc eorum sententia, de qua egimus capite decimo [d], qui dixerunt calcasse aquas ipsas, & super ipsis Hebræos ambulasse.

d verſ.18.

Poeticè magis loqui Tertullianus [a] intelligendus est quam vere, cum id in carmine dicere videtur;

a 2.contra Marcio.c.3.

Calcauit fluctus, hostes demersit in vndis.

Campus germinans.] Græcè (*χλοηφόρον πεδίον, herbifer campus.*) Dicto capite decimo docuimus sub mari herbas, plantas, syluas esse. Sic possumus præsentem locum propriè interpretari, non tantùm, quòd qui extitit campus, ferre posset herbas. Id tamen Expositores, etiam Iansenius & Sà, figuratè dictum volunt, nempe quòd via illa in mari fuerit Hebræis loco campi germinãtis, quoniam cum summa alacritate & lætitia per illam transibant. Nostram sententiam præ se fert Osorius, ac Vatablus. Plinij [b] quoque de mari rubro testimonium protulimus, & Pineda [c] nobis assentitur. Quòd si Iob librum ipse suum composuit Mose antiquior, & non Moses, vt idem auctor [d] contendit cum multis, volens etiam Iob fuisse quintum ab Abraham, haud potuit intellexisse Iob de hac Ægyptiorum in rubro mari submersione, quando scripsit [e]: *In fortitudine illius repentè maria congregata sunt* (priùs nempe disgregata, vt iter Hebræis patesceret) *& prudentia eius percussit superbum* (scilicet Pharaonem, & Ægyptios.) Nisi dicas locutum prophetice.

b lib.13.c.25.
c in Iob.c.26. verſ.3.n.12.
d præfat.in Iob.c.3 & c.1.verſ.1.n.41 & ſeqq.
e c.26.12.

De profundo nimio.] Græcè (*ἐκ κλύδωνος βιαίου, de tempestate violenta.*) Citato eodem capite decimo disseruimus de aquarum profunditate, necnon in historia Apostolica [f]. Instituit eadem hac de re disputationem noster idem Pineda in opere de rebus Salomonis [g]. Docet mare rubrum magis quàm cætera, vt scripsit quoque Mela [h], procellosum, asperum, profundum esse, propter iuncos, marmósque frutices, & alias arbores magna ibi copia prouenientes, & ob latera cauernosa, ac prærupta, prominentia vada, rapidum aquarum cursum, impetúmque, fluctuum frequentes conuulsiones, littora aspera, ex quibus vortices existant, atque vertigines periculosissimæ.

f c.27.28.
g lib.4.c.12. & 13.
h lib.3.c.7.

Testis præterea Hieronymus [i] quod mare illud latentibus saxis vadísque durissimis plenum sit omne; & in nauigando speculator doctus in summa mali arboris sedeat, & inde regendæ, & circumflectendæ nauis dictata præbeat. Monet etiam Pineda, cùm quantum fieri potest miracula multiplicari non debeant, & in his ipsis edendis parcior Deus esse soleat, si transitus contigit ea parte maris, qua syluæ erant, & modò dicta impedimenta, Deum illas difficultates resecuisse, atque sic, vt est in Psalmo [k], deduxisse in abyssis, sicut in deserto; ita vt transirent in pace, & semita (propter commodam soli mollitiem) in pedibus non appareret [l]. Adhæc sentit non fuisse de nouo exaltatam viam, vel exæquatum iter ad littoris altitudinem, sed Hebræos in ipsum fundum ingressos, ac sicco pede id calcasse. Cæterùm non est audiendus R. Samuel in epistola de Iudæorum statu ad R. Isaac [m], cùm de Christi ascensione agens, ait mirari nos non debere, quòd aër iste leuis, & subtilis possit portare corpora tam grossa, & ponderosa; quia nos scimus, quòd aqua, quæ est in raritate similis aëri, quando placuit potentiæ omnipotenti, portauit corpora filiorum Israël in eorum exitu de Ægypto. Sapiens hoc loco affirmat terram apparuisse aridam, & alibi [n] apertè dicitur versum mare in siccum, & desertum. Permanasse tantæ rei famam ad alias gentes, nõ modò Rahab [o] testata est, & Achior [p], sed etiam Artapanus apud Eusebium [q].

i epiſt.4.
k Pſ.105.9.
l Eſa 41.3.
m c.13.
n Exod.14.21 Ioſue 2.10. Iudith 5.12. 14. Pſ.105.9. Abac 3.15. Eſa.63.11 & ſeqq
o Ioſue 2.10.
p Iudith 5.17.
q 9. de præp. c.vlt.

Vers. 8.] Per quem omnis natio transiuit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra.

MIrabilia & monstra.] Græcè (θαυμαστὰ τέρατα.) Deest coniungens particula. Præter ea quæ toties dicto capite de mirifico illo Dei opere attulimus, facere huc potest quod Abacuc in cantico scribit [a]; *Maledixisti sceptris eius* (id est, Principibus) *capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me. Exultatio eorum, sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.* Nimirum vbi compertum est, vt antè dixi, Hebræos coarctatos esse in terra, & conclusos in deserto, Pharao fastu incredibili suos expediuit contra illos, haud aliter quàm Turnus allocutus [b]:

a c.3.14. b Aeneid 9.

——— Ergo maria inuia Teucris,
Nec spes vlla fugæ, rerum pars altera adempta est.
Terra autem in manibus nostris: tot millia gentes
Arma ferunt Italæ; nil me fatalia terrent,
Siqua Phryges præ se iactant responsa Deorum.

Pergit postea diuinus Poëta [c]; *Viam fecisti in mari equis tuis* (cùm ascendisset super eos & quadrigas suas [d], id est, aduocasset nubes & validissimum ventorum impetum) *in luto aquarum multarum* (arefaciens & exsiccans lutosum maris fundum.) Sed & eodem accipiunt quidam sensu illa alia eiusdem; *Percussisti caput de domo impij* (interimens Pharaonem, vel certè primogenitum eius priùs cum reliquis primogenitis) *denudasti fundamentum eius vsque ad collum* (demergens Regem vsque ad primores.) Lege Commentarium eruditum Antonij Gueuaræ.

c Abac.3.15. d ibid.8. e vers.13.

Vers. 9.] Tanquam enim equi depauerunt escam, & tanquam agni exultauerunt, magnificantes te Domine, qui liberasti illos.

ALacritatem, & celeritatem tantæ multitudinis, spatio temporis tam breui per adeò magni loci spatium pertranseuntis indicat hæc similitudo. De re ipsa dictum priùs, déque cantico, quo Hebræi euadentes celebrauerunt Deum.

Tanquam enim equi depauerunt escam.] Græcè (ὡς ἵπποι ἐνεμήθησαν.) Iansenius existimat hoc & sequenti exemplo denotari populum à Deo in deserto enutritum optimè, instar equorum & agnorum, qui in pinguissimis & amœnissimis pascuis pascuntur. Sà nominatim intelligit de manna. Lyranus & Carthusianus depastionem istam sumunt pro armis, cæterísque spoliis Ægyptiorum submersorum, quæ receperunt Hebræi. Cæteri eo modo quem dixi, pro ingenti lætitia: etsi prioribus nonnihil quoque fauet Bonauentura, qui præterea vult alludi ad recitata verba Abacuc; *Viam fecisti in mari equis tuis.* Omnes verò in his obseruant hinnitum, quem equi bene præsertim pasti edere solent; imò Vatablus ambigit num hîc potiùs legi debuerit ἐχρεμέτισαν, *hinnierunt*, scilicet præ lætitia. Cantacuzenus vtitur verbo eodem Græco, quo & nos, ἐνεμήθησαν. Haud porrò minor ad Esaiam [f] allusio, cuius hæc ipsa de re sunt hæc omnia. *Vbi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui?* (cum Mose & Aaron: nil mirum ergo si de equis & agnis petitur comparatio.) *Vbi est qui posuit in medio eius spiritum sancti sui?* (ventum vrentem, qui mare exsiccauit, non Angelum duntaxat ductorem, vel afflatum diuinum, quo præditi pastores regebant.) *Qui eduxit ad dexteram Moysim brachio maiestatis suæ* (honoris causâ collocans veluti ad dexteram, & roborans illum potentia sua ad patranda mirabilia) *qui scidit aquas ante eos, vt faceret sibi nomen sempiternum. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem: quasi animal in campo descendens; Spiritus Domini ductor eius fuit: sic adduxisti populũ tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ.* Videri potest respexisse Auctor ad campum germinantem, de quo dixerat; vt quemadmodum in eo equi, aliáque iumenta lasciuiunt & saliunt herbam carpendo, sic mille lætitiis incesserint Hebræi, & infinito gaudio tripudiauerint choros agendo, & cantando post submersos Ægyptios, & opimam reportatam prædam. Ineptum est quod Olcot [a] exponit *depauerunt*, id est, audacter & sine pauore se habuerunt.

f c.63.v.11.12.13.14. a lect.108.

Tanquam agni exultauerunt.] Græcè (ὡς ἀμνοὶ διεσκίρτησαν.) Similis comparatio extat in Psalmo 113. [b] exultantium montium sicut arietes, & collium sicut agni ouium: qua prosopopœia significari quidam volunt maris exsiccationẽ, ob quam vicini montes vel mirantes prodigium, vel populo gratulantes veluti tripudiauerint. Id Rabbini reuera non figuratè sumendum docent, ita vt mons Sinai, v. g. se verterit, & curuauerit instar tinæ, vt refert R. Isaac; nec dissentit Genebrardus [c]. Par alia ex vitulo ad aliud propositum similitudo; *comminuet eas* (inquit Dauid [d]) *tanquam vitulum Libani*: aut, vt vertit Hieronymus, *disperget*: nimirum cedri disiectæ vi turbinis, ventíque à Deo immissi videbantur saltibus agitare sese, ac in partes huc illúcque dissilire. Denique Iob [e] adhibet eandem loquendi formulam; *Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus.*

b vers.4.6. c in Psal. 113. d Psal.28.6. e c.21.11.

Magnificantes.] Græcè (αἰνοῦντες, *laudantes.*) Lege canticum Mosis [f].

f Exod.15.

Vers. 10.] Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, & pro piscibus eructauit fluuius multitudinem ranarum.

LÆtitiam Hebræorum inter tot beneficia non parum augebat, quòd meminissent quantas in eorumdem gratiam Ægyptiis plagas, cùm adhuc degerent in Ægypto, irrogauisset. De muscarum plaga actum capite 16. [g] vbi vocantur μυῖαι, quæ hîc numero singulari σκνίψ, quam vocem pro culice & sciniphe quoque vsurpant: & dicitur præterea κνίψ, de quibus nominibus, non solùm de re, consulendus Vlysses [h] Aldourandus. Vatablus reddit hoc loco *pediculos*: Osorius *culices*. Muscas verò animalibus opponit, non quòd etiam ipsæ, vel ranæ, & pisces non sint animalia, vt penè adhuc puer memini narrari cũ risu de nescio quo tractatore, qui diceret; hactenus de piscibus, nunc de animalibus: sed quoniam muscæ quidẽ ac ranæ, aliáque alia animalia quæ ex putri materia existunt, cùm initio creata non sint à Deo, vt hîc notat Cantacuzenus, & vilia sint admodum atque inutilia, videntur eo nomine indigna: pisces verò magis remoti ab oculis

g vers.9. h 3. de insectis c.5. de culicibus.

nostris,

nostris, ac delitescentes in aquis. Cæteri quoque Enarratores idem innuunt; maximè autē vt animalium nomine intelligantur vtilia, & quæ non sponte, sed per propagationem generentur. Id sibi forsan vult γένεσις ζώων, & natio generationem significat. Sà declarat pro natione, id est, loco nascentium. Sumunt Græci aliquando ζῶα pro bestiis, hominem separando ab illis: sed non memini inter ζῶα quibusdam brutis nomen hoc attributum, vt ab aliis generis eiusdem distinguuntur.

Pro piscibus eructauit fluuius multitudinem ranarū.] Græcè (ἀντὶ δὲ ἐνύδρων ἐξηρεύξατο ὁ ποταμὸς πλῆθος βατράχων, *pro aquatilibus autem*, &c.) Sunt ἔνυδρα quæcumque animalia quæ naturaliter aqua gignere solet, quæ dicimus aquatica, vel aquatilia: ranæ autem, etsi in aquis agunt, non generantur naturali satu animalium, sed ex putri quapiam vilique materia humidiore sponte proferuntur; ac pluuia etiam tenuis delapsa ranarum sæpe multitudinem repentè producit, vt primùm dispositam attingit terram. Sic quidem Cantacuzenus. At certum etiam est pisces aliquos nasci sponte, sine coitu, & ex terra arenosa, limóve, quæ generali nomine possunt appellari ἀφύα: etsi ἀφύαι, Latinè *apua*, speciem certam designant illo quoque modo generatam. Plura Bellonus, Rondeletius, Gesnerus in tractatibus de aquatilibus, & post alios accuratissimè Vlysses Aldouandus [a]: & ἐνυδρὶς, qui Latino vocabulo *lutris*, est serpens aquatilis, seu in aquis viuens; suntque quos appellant hydros masculos, fœminas hydras. Sed ad rem non faciunt.

a lib. 2. de piscib. c. 28. & seqq.

Quod attinet ad ranas, earum describitur in Exodo [b] plaga, qua percussi sunt Ægyptij. Ibi [c] pariter est ebulliisse fluuium ranas, Nilum scilicet in primis; sed alios quoque minores, necnon riuos, & paludes, aliásque aquas [d]: cùm autem precibus Mosis interiissent [e], congregatas in immensos aggeres, terrámque computruisse. Credi potest ex omni genere ranas excitatas, non purè aquaticas tantùm, & in solis natas aquis, verùm etiam quas rubetas appellant [f], & in aquis quoque degunt, non in sola terra, & calamitas [g]. Mirum id accidit, vt hoc aquatiliū genus in diuersi elementi coloniam, vt Philo [h] loquitur, id est, in terram, natura mutante rerum vicissitudines, immigraret. Sed & in aquis ipsis earumdem vis erat magna, nec nisi sanie ipsarū vitiata hauriri aqua poterat, vt scribit Iosephus [i], immorientibus illarum plerisque, atque putrescentibus. Addunt Hebræi subiisse corpora & viscera ipsa hominum, per os dormientium, & per alios meatus. Refutat id Abulensis [k], quoniam sic essent mortui Ægyptij: R. autem Abenezra reiicit dicentes crocodilos è Nilo exiisse, & homines rapuisse. R. Iacob ex vetere traditione refert ranas non in intimis penetralibus Ægyptiorum natas per putredinem, sed in ea per penetrationem videlicet dimensionum intrasse. Lege Genebrardum [l]. Consimilia ranarū prodigia alia legi possunt in Athenæo [m], Plinio [n], Orosio [o].

b c. 8. 1. & seq.
c ibid. 3.
d vers. 6.
e vers. 13.
f Plin lib. 8. c. 31. & lib. 32. c. 5.
g lib. 32. c. 7. & 10.
h 1. de vita Mosis.
i 2. Antiq. c. 13.
k Exod. 8. q. 3.
l in Ps. 104. 39.
m lib. 8. c. 2.
n lib. 8. c. 29.
o lib. 3. c vlt.

Vers. 11.] Nouissimè autem viderunt nouam creaturam auium, cùm adducti concupiscentia postulauerūt escas epulationis.

Vers. 12.] In allocutione enim desiderij, ascendit illis de mari ortygometra, &

A vexationes peccatoribus superuenerūt, non sine illis, quæ antè facta erant, argumentis per vim fulminum: iustè enim patiebantur secundùm suas nequitias.

DE ortygometra siue coturnice ad Hebræos à Deo missa disputatum capite 16. [a] simul de vexatione fulminum cum pluuiis, grandinibus [b], &c.

a vers. 3. & seq.
b ibid vers. 16. 17. 18.

Nouissimè.] Græcè (ἐν ὑστέρῳ, *in posteriore tempore, postea, deinde, deinceps.*) De vsu istius ac similium vocum egimus in capite 2. historiæ Apostolicæ [c].

c vers. 17.

Nouam creaturam.] Græcè (γένεσιν νέαν.) Sic in capite illo 16.[d] nouus vocatur sapor ortygome-
B træ in escam paratæ, nouáque esca: sed alio epitheto ξένην γεῦσιν. [Noua erat creatura, inquit Bonauentura, quia priùs inuisa; vel non in deserto; vel non in tanta multitudine:] addidi citato loco, quoniam saporis erat iucūdi, licèt eum aliqui fortassis aliquando essent priùs experti. [Nouam creaturam auium, ait auctor de mirabilibus Scripturæ [e], vtique ostensam, non nuper creatam.] Quapropter non ego æquè vt Cantacuzenus verosimile iudico, quæ iam nobis coturnix dicitur, non illam esse, quæ tunc admirabiliter pro cibo populi deposcentis comparata est, sed aliud fuisse quoddam genus illud, atque omnino diuersum. Neque assentior inde primùm or-
C tum habuisse, atque adhuc conseruatam esse auis eam speciem. Multo minùs, vt manna omnium ciborum supplebat vicem, ita etiā harum auium carnes pro cupiditate adhibentis variarum epularum loco fuisse. Non alium legi horum adstipulatorem; sed omnes mihi constanter videntur diuersorum ex vna re perceptorum saporum priuilegium vni manna tribuere. Nouam autem auis formam nomine coturnicem, vel ortygometram à nostrate diuersam inducere, nouum quoque ac inutile censetur.

d vers. 2. 3.
e lib. 1. c. 27. apud August. tom. 3.

Escas epulationis.] Græcè (ἐδέσματα τρυφῆς, *escas deliciarum, cibos delicatos.*) Interpres nomen solum τρυφῆς vertit nonnunquam *epulationem* [f]; & *epulari* loco verbi εὐφραίνεσθαι [g], quod lætitiam & hi-
D laritatem importat; vel pro ἑορτάζειν, quod est *festum celebrare* [h]. Hebræa verò sunt חָגַג *chagag*, & שָׂמַח *samach*. Forsitan legerat hoc loco Interpres τροφῆς pro τρυφῆς. Vulgaribus linguis epulum solenne vocatur *festinum*, quasi festiuum, aut paruum festum. Isidorus [i] epulas deriuat ab opulentia rerum, déque lautis intelligit, & non in quotidianum vsum paratis, dum tamen à priuatis parentur; nam si à Regibus, dapes vocandas. Cibum docet esse omne id quo vescimur, & ore capimus, sicut escam, quam os capit. Victus & alimentum generaliùs patent, & complectuntur quidquid esui, potui, cultui, vitæque necessitatibus seruit; vt etiam tradunt Iurisconsulti [k]. Notum epulo-
E num apud Romanos nomen, qui Diis epulas instruebant, & dicuntur eodem quoque nomine quilibet conuiuæ. Iam trito sermone is, de quo apud Lucam [l] Christus, intemperans ac immitis diues, epulo cognominatur, ὁ εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς, *epulatus quotidie splendidè.*

f Eccli 37. 32.
g Eccli. 39. 16. Ps. 67. 4. Deut. 12. 12. Luc. 12. 19. & alibi.
h Ps. 41. 5.
i 20. etymol. c. 1. 2.
k ff. de verbo. signif. l. verbo victus & ff. de alimen vel cib lega. Legatis. & l. diaria & l vlt.
l c. 16. 19.

In allocutione enim desiderij.] Græcè (εἰς παραμυθίαν, *ad consolationem.*) Lege caput tertium [m] & octauum [o] de allocutione pro consolatione.

m vers. 18.
n vers. 9.

Ortygometra.] De vocabulo isto dixi cap. 16.[o]

o vers. 2.

Vexationes.] Græcè (τιμωρίαι, *supplicia*) & qui-

dem

dem propriè ad vindicandam τιμὴν, id est, *honorem* alterius, teste Gellio [a], nempe quod ad rem facit, Dei. Sed nos id aliàs notauimus.

a lib.6.c.14.

Non sine illis, quæ antè facta erant, argumentis.] Græcè (οὐκ ἄνευ τῶν γεγονότων, aliàs προγεγονότων τεκμηρίων.) Priores intelligit plagas Ægytias, antequam prorsus interirent in mari rubro, de quo, paulo antè actum est, Ægyptij. Nam hos, & non, vt Hugo sensit, Hebræos Auctor designat istis verbis.

Per vim fulminum.] Græcè (βίᾳ τῶν κεραυνῶν.) Omnes Latini Expositores antiqui, & Complutenses, Regij, aliique codices legunt cum errore manifesto (*fluminum*) & illi declarant de conuersis aquis in sanguinem, de ranis, de submersione. Quare iam non licet priorem illam lectionem recipere [b]. Per fulmina, seu fulgura possemus non solum accipere, vt paulo antè significaui, illa quæ simul deciderunt cum plaga grandinis, & capite 16.[c] denotantur ignis nomine; sed etiam quæ Deus in Ægyptios eiaculatus est iam ingressos mare rubrum, vt pridem quoque retulimus [d] ex Iosepho, & hoc loco sentit Iansenius. Planior tamen primus sensus, vt scilicet è regione beneficij coturnicum ad satiandos Hebræos, mentio fiat, quemadmodum dicto capite 16. de igne fulminum, quo vnà cum grandine fruges Ægyptiorum attritæ fuerint ac deletæ. Posset adhuc effici noua quædam sententia, vt in genere dicantur Ægyptiis peccatoribus vexationes superuenisse tum submersionis præcipuè, tum aliæ (*& vexationes peccatoribus superuenerunt:*) verùm non absque præcedente aliorum peccatorum exemplo, qui pariter vexati fuerint (*non sine illis, quæ antè facta fuerant, argumentis*, id est, signis & indiciis vexationum, τεκμηρίοις τιμωρίων, οὐκ ἄνευ τῶν προγεγονότων τεκμηρίων:) quales peccatores præcesserant Sodomitæ, quorum per ignem, sulphur, & fulgura ac fulmina deflagratio exeidiúmq; percelebre erat [e], nec Ægyptiis ignotum, & tanti supplicij inter alias causa inhospitalitas; quam inhospitalitatem Ægyptij tali aliorum non edocti malo, nihilominus exercuerunt in Hebræos. Vnus hoc explanat ex antiquis modo Cantacuzenus, & post eum, etsi, opinor, non vidit eius scripta, Iansenius: nec negare possunt alij, cùm de Sodomitis quæ sequuntur hic deinceps intelligi necessariò debeant, vt quod de cæcitate dicitur [f], & quædam alia. Pineda [g] omnia intelligit de Ægyptiis, & in huius loci commentario Castro. Hic verò præterea probat Artapani [h], Philonis [i], Iosephi [k] testimoniis, antequam obruerentur aquis Ægyptij, multos eorum interfecisse Deum eiaculatis è nube fulminibus.

b vt facit Pineda Iob.33. vers.16.n.10.
c vers.16.17.18.19.
d c.10.19.
e Gen.19.
f vers.16.
g Iob.31.vers.32.n.3.
h apud Euse. 9.de præpa. euãg.
i 1 de vita Mosis.
k 2.Antiq. c.7.

Vers. 13.] Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt: alij quidem ignotos non recipiebant aduenas: alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant.

COmparatio hîc ac deinceps instituitur inter Ægyptios & Sodomitas in crimine inhospitalitatis: vt Ægyptij deteriores censendi sint, quòd malè tractauerint de se tam bene meritos: Sodomitæ inhumani fuerint aduersùs incognitos. De Sodomitarum inhospitali inhumanitate capite decimo [l] tractatũ est: de meritis Hebræorum propter Ioseph in Ægyptios, eodem loco [m]: de iure ac virtute hospitalitatis Commentario in Actus Apostolorum [a]; de qua etiam virtute Oleot [b] hoc loco affert nonnulla, nempe conditionem hilaritatis, ne adsit murmuratio, ne desint necessaria, ne lucri causâ exerceatur. Item præcipit, vt exceptus hospitio sit contentus, gratus excipienti, beneuolus, non nimis frequens. Postremò tradit emolumenta, lumen diuinum, copiam facultatum, pœnarum condonationem, Angelorum susceptionem. Testimoniis & exemplis omnia illustrat, quibus addi facilè possunt alia similia.

l vers.6.
m vers.14.
a c.10.
b lect.209.

Detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt.] Græcè (χαλεπωτέραν μισοξενίαν ἐπετήδευσαν, *grauius ac molestius, minúsque ferendum hospitum, hospitiive & hospitalitatis odium exercuerunt.*) Fauet expositioni de collatis inter se Sodomitis Ægyptiísque nomen comparatiuũ: nec sola tamen hæc ratio concluderet, cùm comparatiuis vtamur interdum sine certa ad certos alios comparatione.

Alij quidem ignotos non recipiebant aduenas.] Græcè (οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἀγνοοῦντας οὐκ ἐδέχοντο παρόντας.) Vatablus (*nam alij eos qui errabant apud se*, vel *ignotos, non recipiebant:*) Osorius (*nam vel homines tamen immanitatis ignaros minimè recipiebant.*) De Sodomitis est sermo, qui missos Angelos ad Lot, vt eum vrbe exire iuberent, inquit Cantacuzenus [c], quòd illam Deus delere statuisset, nõ agnoscentes quinam essent, præsentes cùm cernerent, non exceperunt. Innuit Ezechiel [d] hanc eandẽ inter alias iniquitatem Sodomitarum. Participium ἀγνοοῦντας actiuæ significationis indicat illos qui nullã notitiam vsúmve habebant cum Sodomitis, à Sodomitis despectos, ac proinde etiam incognitos apud illos fuisse, nec exceptos hospitio. Celebris admodum Busiridis Pharaonis immanis, sæuissimáque inhospitalitas, qui hospitem Thasium immolauit ad auertendam sterilitatem Ægypti [e]: & de aliis præterea ab eodem immolatis hospitibus, necnon ab Ægyptiis aliis, proditum est literis [f]. Eodem referri potest quod narrat liber Genesis [g] de Pharaone, abstulisse Saram Abramo; Philo namque illam appellat Regis libidinem inhospitalem.

c Gen.19.
d c.16.49.
e Hyginus in fabul. Ouid. 3. Fast. & alij.
f Euseb in chron. Arnob. lib. 8. cont Gent. seu Minutius in Octau. Aug.18 de ciuit.c.12. Strabo lib.12. Diodo. Sicu. lib.3.c.4. Plutar. in parallel.c.38.
g c.12 15.
h lib. de Abraham.

Alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant.] Hi sunt Ægyptij, de quibus proximè dixi. Peiores Sodomitis erant, quòd εὐεργέτας ξένους, *beneficos ac benefactores hospites* Hebræos in seruitutem redegerunt. Nam multis Ioseph modis profuit Ægypto; somnia Regis interpretando; pyramides restaurando; boum iuga propemodum infinita ad colendam terrã fertilitatis tempore comparando; copiosos vberésque fructus ex ea cultura colligendo; prouinciam vniuersam cùm vigeret inopia conseruando; finitimarum gentium opes ad Ægyptios transferendo, atque ipsis seruos & ancillas innumerabiles volentes vltrò, nõ vlla belli vi, sed vna fame compulsos aggregando; familiam suam totam gnaram, strenuam, fœcundam Ægyptiis, vtilem tum in re ciuili seu temporali; tum in Dei vera Religione, in Ægyptum euocando. Copiosa de his narratio in Genesi [h], necnon Psalmo 104. de redactis verò in seruitutem Hebræis in Exodo [i]. Eadem nos in Apostolicis Actibus [k] inter exponendam Stephani concionem tractauimus; & de seruitute mentio facta est huius libri capite decimo [l]. Ibidem [m] ostendimus hanc præ cæteris causam iustam extitisse, cùr Ægyptios Hebræi dum egrederentur spoliauerint supellectili tam opima.

i c.41. & seq.
i c.1.
k c.7.17.38.
m vers 15.
n vers.17.

*Vers.*14.]

Verſ. 14.] Et non ſolùm hæc; ſed & alius quidam reſpectus illorũ erat: quoniam inuiti recipiebant extraneos.

Verſ. 15.] Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eiſdem vſi erant iuſtitiis, ſæuiſſimis afflixerunt doloribus.

ALind puto cum Cantacuzeno diſcrimen contineri Sodomitarũ ac Ægyptiorum inhoſpitalium, quò cognoſcatur deteſtabilior horum quàm illorum, vt priùs eſt dictum, inhoſpitalitas. Nam Sodomitæ non libenter excipiebant hoſpites: at Ægyptij, quos primùm libenter ac feſtiuè admiſerunt, & diu inter ſe iure ac legibus iiſdem viuere paſſi ſunt, perfidè poſtea & crudeliter vexauerunt.

Turpiùs eiicitur quàm non admittitur hoſpes.

Si quis de iiſdem hæc omnia cõtendat Ægyptiis accipienda, vt etiam Ianſenius vult, qui tamen ſuprà receperat eſſe ſermonem de Sodomitis & Ægyptiis, dicat Ægyptios ægrè alioqui ſolitos hoſpitio quemquam excipere, cùm tamen lætitiam in excipienda familia Iacob declaraſſent; deinde mutata voluntate poſteros illius peſſimè tractauiſſe. Apud alios Enarratores diſcrepat nõnihil ſenſus, vt in enucleandis partibus ſententiæ videbimus.

Et non ſolùm hæc.] Græcè (καὶ οὐ μόνον, *& non ſolùm:*) Lyranus (*non ſolùm hæc mala:*) Carthuſianus (*hoc malum:*) Hugo & Bonauentura (*hæc fecerunt:*) Olcot (*hoc fecerunt:*) Vatablus (*non ſolùm hos*) nempe malè tractauerunt: Ianſenius (*non ſolùm prædicto modo obſeruari poteſt inhoſpitalitatis Ægyptiorum ſæuities.*) Cantacuzenus legens ἀλλά τις, nempe (καὶ οὐ μόνον ἀλλά τις ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτῶν, *& quidem Sodomitarum non erit alius vllus reſpectus.*)

Sed & alius quidam reſpectus illorum erat.] Græcè (ἀλλ' ἥ τις, &c.) Complutenſes ac Regij (ἀλλ' ἥ τις:) alij (ἀλλὰ καὶ ἥ τις) vel (ἀλλ' ἥ τις.) Latina quoque lectio variat (*ſed & alius quidem*) aut (*alius quis*) aut (*alius quidem quis*) aut (*alius qui*) aut (*alius quiſque*) aut (*alius adhuc.*) Item in nonnullis libris pro *erat* eſt *erit*, ſicut & Græcè ἔσται. Senſum traditum à Cantacuzeno de Sodomitis iam indicaui. Vult Auctorem dicere, non alio quẽ nomine dignos illos cenſere ſupplicio poſſe (ita vt ἐπισκοπὴ ſupplicium ſit) niſi quia malè hoſpites acceperunt, & hoſpitij iura violarunt. Reliqui ferè de Ægyptiis interpretando, volunt ſignificari præter ea quæ de iſtorum dixerit Auctor inhoſpitalitate, velle ſignificare, aliud quid eſſe, quod afferat alium reſpectum, ſeu inſpectionem, ἐπισκοπὴν, aliud inſpici & conſiderari dignũ de malitia eorũ, vt ait Ianſenius: vel, vt Sà, aliam rationem agendi cõtra bonum hoſpitalitatis: vel ad aliud iniquum reſpexiſſe & conſideraſſe, aliámque peruerſam intentionem habuiſſe; vt Hugo, Bonauentura, Olcot, Lyranus, Carthuſianus.

Petrus Nannius & Oſorius videntur ſequi expoſitionem Cantacuzeni, quem, opinor, tamen non legerunt, nec de Sodomitis, vt ille, propriè, ac diſtinctè loquuntur. Nam explicant, ſi vlla vnquam in ſcelera inquiſitio fiet, eam aduerſùs hos ipſos inhoſpitales futuram eſſe: peccatum illud ſeueriſſimè vindicandum eſſe, eo quòd omne genus hoſpitum odio proſequantur. Vatablus poſtquam vertit (*nec ſolùm hos, ſed etiam ſi qua eſſet ipſorum viſitatio*) & ex proximè ſequentibus addens

A (*quoniam alienigenas inimicè accipiebant*) tradit explanationem ſuam: Non ſolùm qui accuſantur, vt inhoſpitales hoc loco, eam inhumanitatem exercuerunt erga ignotos, & erga de ſe bene meritos; verùm etiam contra illos ipſos ſuoſmet conciues, qui tales inuiſerent, eorúmve curam ſuſciperent (eſt enim ἐπισκοπὴ viſitatio) ſæuiebant, quoniam inimicè alienigenas omnes excipiebant.

Adhuc alius eſſe poſſet ſenſus, vt non contenti homines illi inhoſpitales non excepiſſe aduenas, & in ſeruitutem redegiſſe, aliam præterea ἐπισκοπὴν haberent, id eſt, *punitionem*, qua ſæui eſſent atque crudeles aduerſùs illos. Nonnihil videtur Pineda [a] fauere proferens hunc locum, ſed de a Iob.31.verſ.32.n.5.
B Ægyptiis. Eligo allatam expoſitionem à Cantacuzeno de Sodomitis, cæteras, quatenus redigi ad hanc poſſunt; poſſunt verò non incommodè, vltima excepta, ſi temporis futuri ſignificationẽ in Græca editione reuocemus ad ſignificationem præteriti, quæ eſt in noſtra. Addo & hoc, vt ſignificetur mitiùs agi potuiſſe cum Sodomitis, minoréque quàm Ægyptios pœna dignos fuiſſe; quoniam eorum non erat adeò barbara & ſæua inhoſpitalitas. In hac acceptione *reſpectus*, ac *reſpectionis*, & ἐπισκοπῆς nomen aliquoties in hoc libro [b] vidimus vſurpatum, nempe pro leniore, ac blandiore veluti coniectu oculorum; aut certè pro diiudicatione. b c.1.20.c.3. 6.11.c.4.15. c.14.11.

Inuiti recipiebant extraneos.] Græcè (ἀπεχθῶς,
C *odioſè, inimicè*) quod proinde eſt illibenter ac inuitè, tetrico vultu: inimicis enim beneuoli non ſumus, nec bene ex animo facimus. Color & cõdimentum dantis & miſerentis hilaritas [c]. c Rom.12.8.2. Cor.9.7.Eccli.35.11.

Qui autem cum lætitia receperunt hos.] Græcè (μετὰ ἑορτασμάτων, *cum feſtiuitatibus.*) Vatablus (*gaudiorum celebritate:*) Oſorius (*hilari fronte inter ſolennia ſacra diebus feſtis:*) Ianſenius (*feſtiuis & ſolennibus gaudiis.*) Non intelligendi ſunt Hebræi receptores hoſpitum, vt Lyrano tamen placet, atque Carthuſiano, ſed ipſimet hoſpitio excepti ab Ægyptiis, & ab his quidem ſine diſcrimine, non à quibuſdã duntaxat, vt Olcot [d] ſentit. Nam ſenſus eſt, Hebræos initio bene ab Ægyptiis exceptos, poſtea malè tractatos ab iiſdem. Illud verò contigit, quando d lect.203.
D familia Ioſeph venit in Ægyptum [e]. Nec probabile eſt Hebræos frequentaſſe profana Ægyptiorum ſacra, vt indicat Oſorius, licèt epulis publicis, aut ludis intereſſe ipſis permitteretur. Vulgò dicimus excipi aliquem cum feſto, id eſt, hilarè, & cum lætitiæ ſignificatione. Sunt τὰ ἑορτάσματα res ad feſti celebritatem inſtructæ: τὰ ἑορτάσματα (quæ neſcio an alibi reperiantur quàm hîc) feſtiuæ ipſæ actiones. Interpres *epulandi* verbo reddidit τὸ ἑορτάζειν [f]. Huc verò etiam ſpectant quæ paulo antè dixi de vulgari vocabulo *feſtini* pro conuiuio. e Gen.46.& 47. f 1.Cor.5.8.

Qui eiſdem vſi erant iuſtitiis.] Græcè (τοὺς ἤδη τῶν αὐτῶν μετεσχηκότας δικαίων, *qui iam ipſorum participa-*
E *uerunt iuſtorum, qui iam in eiuſdem iuris, legum, inſtitutorum conſortium, participationémve admiſſi erant, & in eandem Rempublicam tranſierant.*) Hoc ipſum ſibi vult editio alia, quæ habet (*inſtitutis*) & eſt in codicibus Regiis, Complutenſibus, & aliis, atque in commentariis Latinorum. Sed non rectè Lyranus, Carthuſianus, Bonauentura, & Olcot exponunt de Ægyptiis, qui eſſent vſi eiſdem inſtitutis contra bonum hoſpitalitatis. Agitur de Hebræis receptis in ſocietatem atque communionem Ægyptiacæ Reipublicæ, & adminiſtra-

tionis

tionis etiam cuiusdam, praefecturę pecoris Regij, pro vt Ioseph voluerat, ne dispergerentur per prouinciam, & à patre auellerentur; & ne qua aemulatio cum Aegyptiis interueniret, si circa eadem cum illis studia versarentur: nam ei genti non erat licitum greges aut pascua curare. Attributa quoque ipsis est optimo terrae loco Ramesses siue Heliopolis in Gessen [a]. Eandem illam aliam Hugo sententiam videtur sequi, legens (*qui eisdem vsi erant iniustitiis*, aut *eadem iniustitia.*) Nobiscum sentit Cantacuzenus, Iansenius, Sà. Est in neutro genere, & substantiuè τὸ δίκαιον, *ius*, & τὰ δίκαια, *iura*, & haec aut illud ἔχειν, est habere ius & iura, officium & officia, conditionem & conditiones easdem.

a Gen 47.6. 11. & Ioseph. 2. Antiq c. 4. vel 7.

Nec improbabile est innui Hebraeos in Aegypto iisdem vsos ritibus ceremoniisve, ac iuribus religiosis, in quibus vinculum coniunctionis maximum solet esse, quamuis applicādo ad veri Dei cultum: vt quia difficilè dedisci, ac deponi poterat huiusmodi sacrorum obseruatio, Deus mungi voluerit à Mose, ac omnino verae Religioni addici; vt non pauci Patres notauerunt.

Saeuissimis afflixerunt doloribus.] Graecè (δεινοῖς ἐκάκωσαν πόνοις, *grauibus vexauerint laboribus.*) Non quia Hebraei viuentes in Aegypto externos exciperent hospitio, vt innuunt tamen vetustiores illi Latini: vel non hac praesertim de causa; sed cùm vererentur Aegyptij, ne multitudine viribúsque superiores euaderent, vt est in Exodo [b], & in cap. 7. [c] Actuum Apostolicorum, vbi nos hac de re diximus. Lege Peterium [d]. Certè nec Philo [e], nec Iosephus [f] meminerunt de causa illa hospitum exceptorum.

b c. 1. 7. & seq. c vers. 17. & seq. d in Exod. c. 1. disp. 1. 4. 5. 6. 7. e 1. de vita Mosis. f 2. Antiq. c. 4. vel 7. & 1. cont. Apionem.

Vers. 16.] Percussi sunt autem caecitate: sicut illi in foribus iusti, cùm subitaneis operti essent tenebris, vnusquisque trāsitum ostij sui quaerebat.

Magis inhospitales Aegyptij quàm Sodomitae pari plexi sunt caecitatis poena: Aegyptij per plagam tenebrarum [g], quae iampridem supra declarata est [h]: Sodomitae [i] per aorasiam, vt hoc item loco nominatur, siue acrisiam, & auidentiā, non per externas tenebras. De hac aorasia dixi quoque in expositione historiae Sauli à Christo vocati [k], & attuli praeterea simile exemplum percussorum ab Elisaeo [l].

g Exod. 10. h c. 17 1. & seq. i Gen. 19. 11. k Act. 9. 8. l 4 Reg. 6. 18.

Caecitate.] Graecè (καὶ ἀορασίᾳ) etiam Aegyptij. Lege de hac aorasia, quam & excogitato nouo nomine vocat auidentiam, Augustinum [m], cùm differit de Christi suscitati claritate ab oculis discipulorū abscondita. [Cùm aliquid, inquit, quasi definiendo aorasiam, non videtur, quamuis adsit, à quibus alia, quae pariter adsunt, videntur, sicut illam claritatem dicimus adfuisse non visam, à quibus alia videbantur, ἀορασία Graecè dicitur, quod nostri Interpretes Latinè dicere non valentes, in libro Geneseos [n] caecitatē interpretati sunt. Hanc enim passi sunt Sodomitae, quādo quaerebant ostium iusti viri, nec poterant inuenire. Quę si caecitas fuisset, quā fit, vt nihil possit videri, nō ostium, quo ingrederentur, sed duces itineris, à quibus inde abducerentur inquirerent.] Sic ille. Nec Aegyptiorum in tenebris vera caecitas fuit, sed est, videndi impotentia intrinseca, sed negatio vtendi potentia in densis illis tenebris, in quibus nihil planè poterant videre.

m 22 de ciuit. c. 19. & in Genes. q. 41. n c. 19. 11.

A *Sicut illi.*] Sodomitae. Igitur iam inde à versu 13. comparationem fieri Sodomitarum & Aegyptiorum in crimine inhospitalitatis, bene notatum est.

In foribus iusti.] Nimirum Lot. *Et ecce miserunt*, inquit Genesis [a], *manum viri* (Angeli) *& introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium, & eos qui foris erant, percusserunt caecitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Itaque aorasia Sodomitarum fuit, vt fores Lot inuenire non possent, non autem vt non possent alias: quaerebant enim, nec inueniebant fores Lot; & idcirco has non cernebāt, sed alias & fores, & res. Aegyptiis peius accidit, vt sese loco proprio, in quo erant, mouere nequirent, nihilque aliud videre

a c. 19. 10. 11.

B quandiu tenebrae perdurabant, sicut antea docuimus. Quapropter meritò Riberam [b] Peterius [c] & Ystella [d] refellunt existimātem sequentia verba, *vnusquisque transitum ostij sui quaerebat*; de Sodomitis intelligenda, hósque ostia domorū suarum reperire non potuisse, non tantùm domus Lot. Nam de solo ostio Lot locum Genesis passim Expositores accipiunt, necnon Ambrosius [e], Augustinus [f], Gregorius [g], Chrysostomus [h]: nec Ribera diffitetur suam expositionem nouam esse; licèt, quia nixam putat praesenti loco, Spiritus sancti appellet, atque vetustissimam. Fauet hîc Osorius.

b Sophon. 1. n. 81. c in Genes. c. 19. disp. 1. n. 19. d ibid. e lib. 1. de Abraham. c. 6. f 22. de ciuit. c. 19. g 6. moral. c. 16. h hom. 43. in Genes.

C De Aegyptiis autem dicta verba esse demonstrant tum quae proximè praecedunt, *cùm subitaneis cooperti essent tenebris*; nec enim tenebras passi leguntur Sodomitae: tum quae paulo antè; *Percussi sunt autem* (καὶ, *etiam*) *caecitate* (nempe Aegyptij) *sicut illi in foribus iusti* (Sodomitae in foribus Lot.) Lyranus quidem (*transitum ostij sui*) de ostio Lot intelligit hoc loco, & tenebras de Sodomitis, vt etiam Hugo, Bonauentura, Carthusianus: sed caeteris id videtur quod dixi, etiam Carthusiano in altera expositionum quas tradit, & contextus ac ratio ipsa persuadet. Verbum Hebręum Graecúmque in Genesi [i] denotant Sodomitas in ostio Lot quaerendo plurimum fatigatos esse, וַיִּלְאוּ *vaileu*, *& lassati sunt*, καὶ παρελύθησαν, *dissoluti sunt*, scilicet viribus; &, vt vertit Augustinus [k], *defecerunt.*

i Gen. 19. 11. k suprà.

D Quamuis aliqui legant παρελλύθησαν, *pertransierunt.* Id Chrysostomus [l] exponit de luxatione membrorum, & dissolutione, ac veluti paralysi, & de virium, vigoris, ac roboris corporis quantum ad motus, quadam defectione.

l suprà.

Cùm subitaneis cooperti essent tenebris.] Graecè (ὅτε ἀχανεῖ πεδηθέντες σκότει, Complutenses, Regij, & alij libri, ὅτι, *quoniam, quando vastis*, aut *immensis tenebris circumdati, septi, vallati.*) Significat ἀχανὴς à verbo χαίνειν, id quod non hiat: sed & cum incremento significationis id quod est λίαν χάσκον, quod immani hiatu diductum & apertū est, verbi gratiā, πεδίον, aut πέλαγος, *campus*, aut *pelagus vastum, immensum, profundum.* Tenebrae Aegyptiacae

E densissimę ac palpabiles erant [m]. In prima notione, quae idem valet ac non apertum, *subitaneas* Interpres *tenebras* reddidit, quia crassitie quadam sua simul semélque velut in instanti conuoluerunt, oppresserunt, & compresserunt, non sensim atque pedetentim, vt res magis rarae tenuésve faciunt.

m Exod. 10.

Vnusquisque transitum ostij sui quaerebat.] Graecè (θυρῶν, *portarum.*) Iam priùs ostendimus de Aegyptiis hoc intelligendum, non de Sodomitis; illósque solùm quod nec videbant, nec inuenire poterant Lot ostium quaesiuisse.

Vers. 17.]

Vers. 17.] In se enim elementa dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt: vnde æstimari ex ipso visu certò potest.

ELeganti similitudine demonstratur, omnia parere diuinæ omnipotenti ac sapientissimæ voluntati. Nam ita vti rebus Deum, & ad eum quem velit vsum aptare atque traducere, vt musicum pulsandi peritus instrumentum saluis integrísque fidibus tractat, nunc istum, nunc illum extundens sonum certo & artificioso concentu. Id autem ait constare posse, & oculis quodammodo cerni in iis operibus Dei, de quibus mentionem subiicit.

In se enim elementa dum conuertuntur.] Græcè (δι' ἑαυτῶν γὰρ τὰ στοιχεῖα μεθαρμοζόμενα, *per sese ipsa enim, vel inter seipsa elementa aptè transponuntur, ac veluti harmonicè, vel conglutinata inuicem & disposita, aliòquin tamen transmutantur.*)

Sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt.] Græcè (ὥσπερ ἐν ψαλτηρίῳ φθόγγοι τοῦ ῥυθμοῦ τὸ ὄνομα διαλλάσσουσι πάντοτε μένοντα ἤχῳ.) Nēpe id accidit elementis aptè inter se conuersis, seu dum conuertūtur & transmutātur, vt se habeāt sicut in psalterio soni, qui rythmi seu concentus & modulationis nomē permutant, sēper tamen sonum aliquē obtinēt, semper aliquem veluti expectant, semper in aliquo sunt. In capite 13.[a] meminimus inter exempla, quibus ostenditur Deum conditorem esse mundi, & prouidentiam gerere de singulis rebus, musicum instrumentum assignari, quod pulsetur à Deo summa facilitate ac veluti voluptate, ita vt ludens in orbe terrarum dici possit[b]; & nos ex hac ipsa suauissima ceu harmonia mirificè, si attendimus, recreemur.

a vers. 9.
b Prou. 8. 30.

Organo.] Græcè (ψαλτηρίῳ.) Organi quoque nomen Græcum est, quodlibet instrumentum operis generaliter significans, quasi ἔργανον: sed ad omne musici genus accommodatum, vel ὄργανον, vel ἐμπνευστὸν, vel κρουόμενον, vel ἐπιψαλλόμενον, vel τρίχορδον, vel ἔγχορδον, vel ὑδραυλικὸν, vel πρόσῳδον siue προσῳδὸν, vel αὐλῳδὸν, vel κιθαρῳδόν, vel λυρῳδόν: deinde, iuxta vulgi præsertim sermonem, ad certum cui folles adhibentur, & cuius nominis rationem Isidorus[c] refert ad vulgarem consuetudinem Græcorum. Augustinus[d] dicit esse non solùm quod grande est, & follibus inflatur, verùm quidquid aptatur ad cātilenam, & corporeum est. Eadē ferè repetit Amalarius[e], notátque in Psalmo 150.[f] cùm dicitur; *laudate* (Deum) *in chordis & organo*, organum non esse id quod solemus isto nunc vocabulo appellare.

c 3. etymol. c. 20.
d in Psal. 56.
e 3. de Eccl. offic. c. 3.
f vers. 4.

Varia opinio de primo instrumenti musici auctore, vt videre est apud Polydorum Virgilium[g]. Quidquid profani scriptores tradāt, Iubal diuinæ literæ[h] ex primis hominibus vnum, patrem vocāt cithara canentium. Obseruauit id etiam Iosephus[i], operam dedisse scribens musicæ, psalterio, citharæ; & præterea testis est[k], Dauidem docuisse diuersa organa facere; quæ Virgilius[l] sentit planè diuersa ab his quæ modò nominamus organa, vtpote cùm illa plectro pulsarētur (at Iosephus de nablis refert, quæ continerēt sonos duodecim, & digitis carperentur:) negat verò etiam idem Polydorus de horum inuentore constare. Nonnullos legi tribuentes inuentionem Gerberto, qui fuit Pontifex Syluester huius nominis secundus: alios Georgio Veneto Sacerdoti: quosdam antiquioribus[a].

g 1. de inuent. rerum. c. 14. & 15.
h Gen. 4. 21.
i 1. Antiq. c. 3. vel 4.
k lib. 7. c. 10. vel 12.
l suprà, & lib. 3. c. vlt.

a lege Genebrardi chronologiam.
b proœm. in Psalmos.

De psalterio eadem difficultas, & quid propriè sit. Hieron.[b] ait Latine organum dici, Hebraice nablū, etsi Latini quoque ea voce vtantur, & nablij, & Græci νάβλα. Harpā, olim magadin siue magadiū, quidam contendūt esse viginti & vna intētam chordis, & τρίγωνον, *triangularem*, siue *triquetram*. Aliorum aliæ sententiæ. Hoc loco æque cōmune *psalterij* nomē, vt *organi*. Nam & cum addito legimus psalterium decachordū, seu decē chordarum: anti velis esse descriptionē psalterij, quòd constet tot chordis citharæ simile, in modū quadrati clypei, & pulsetur sursum, cithara deorsum, vt docet idē Hieronymus[c], Augustinus[d], & alij. Quanquam vt diuersa ponūtur aliquādo[e] secundùm editionem Hebræam & Chaldæam. Sed nec dubium diuersorū instrumentorum nomina musicorum confundi nonnūquam, vt lyræ, citharæ, chelis, tetrachordi, barbyti, phormingis, &c. Imò Isidorus[f] citharæ numerat species psalterium ipsum, lyram, barbytum, phænicem (fortassis phormingem) pectidem, scindapsum. Egimus & hac de re nonnihil Præfatione in Psalmos.

c suprà.
d in Psal.
e Ps. 91. 4.
f 3. etymol. c. 20.

De organis, quibus nūc vtimur in Ecclesia, tractat Ioannes[g] Stephanus Durantus, meritò Nauarrum[h] confutās negantem superstite B. Thoma Aquinate horū adhuc vsum fuisse. Refert autem Iulianum Gregorio Magno vetustiorē, commentario in Iob[i] mētionem de illis facientem: Glycā[k] & Manassem[l] deferentes Theophilo Imperatori primā inuentionem: Pontificale Damasi, cū Martino Polono, Platina, Ioannetto & aliis, trāferentes ad Vitallianum Papam anno circiter 660. Aymoinum[m] (cui Gaguinū adiunge) scribētem organa more Græcorū primùm composita in Francia sub Ludouico Pio, sumptúque ipsius, Gregorij cuiusdam opera (aliàs Georgij) anno 820. Marianū Scotum (id habet etiam idē Gaguinus) dono mīssa à Constantino Copronymo organa ad Pipinū. De hoc eodem organorum & instrumentorum musicorū vsu sacro & Ecclesiastico plura Antonius[n] Demochares & Bellarminus[o]. Quo pacto luxus vitādus horum in conuiuiis: & quo pacto ad mores varia illorum aptetur ratio, docet Clemens Alexādrinus[p]: de vario eorundem genere Rhodiginus[q], & Alexander ab Alexandro cum Tiraquello[*]: de hydraulicis Vitruuius[r].

g lib. 1. de ritib. Eccl. c. 13.
h lib. de ora. & hor. cano. c. 16
i in c. 31.
k in Theoph.
l ibid.
m 4. de gestis Franco. c. 113.
n lib. de Missa celeb. c. 33.
o libr. 1. de bonis operib. c. 16. & 17.
p 2. pædag. c. 4.
q lib. 9. c. 6.
* lib. 5. c. 24.
r lib. 10. c. 13.

Qualitatis sonus immutatur.] Græcè (φθόγγοι τοῦ ῥυθμοῦ τὸ ὄνομα διαλλάττουσι, *soni rythmi*, id est, qui edunt rythmum, harmoniam, concentum, *soni harmonici*, & per hypallagen, *qualitas soni mutat nomen*.)

Et omnia suum sonum custodiunt.] Græcè (πάντοτε μένοντα ἤχῳ.) Videri potest Interpres legisse (πάντα, *& omnia*.) Putat Iansenius illud ἤχῳ esse datiuum, & supplendum iota subscriptū ἤχῳ, & præpositionem ἐν, vel ἐπὶ, vt sit sensus (*semper manentia in sono*.) Idem videtur mihi: nisi legamus ἠχὼ cum accentu in vltima; & accusatiui casus potest esse: & quamuis magis soleat sonum reciprocum vocémve repercussam significare, significat etiam tamen simplicem vocem, sonúmque.

Vnde æstimari ex ipso visu certò potest.] Græcè (ὅπερ ἐστὶν εἰκάσαι ἐκ τῆς τῶν γεγονότων ὄψεως ἀκριβῶς, *quod est æstimare ex factorum visu diligenter*, aut *exactè*:) scilicet ex ipsa rerum experientia quæ gestæ sunt, certa capi coniectura cognitióque potest. Itaque (*certò*) aduerbium est, non nomen, & solita nota aduerbij debet insigniri (*certò*.)

Nec legendum (*ex ipso certo visu*, vel *visu.*) Visus, vt placet Bonauenturæ, significat, si aspiciatur, id est, consideretur metaphora organi, & veritas rei factæ in populo Dei. Tota porrò sententia similis ei videtur quæ versu sexto continetur, & quæ ibi diximus, huc transferri possunt; tum illud de obedientiali potentia creaturæ, qua vti Deus vt vult, potest; nihil proinde faciendo contra naturam eius, quamuis præter, aut supra.

Vers. 18.] Agrestia enim in aquatica conuertebantur: & quæcumque erant natantia, in terram transibant.

QVàm aptè & quanto veluti concentu creaturæ, quasi ab optimo citharœdo Deo pulsatæ, dum ad vsus eas diuersos adhibuit ab iis ad quos naturaliter fuerant institutæ, suauem ac iucundum edant sonum, inductione ostendit ex animalibus & elementis. Hæc eadem priùs exempla, & eodem ferè modo posita & exposita sunt capite 16.[a]

a vers. 17. & seq.

Agrestia.] Græcè (*χερσαῖα, terrea*, siue *terrestria:*) nec tamen tantùm in agris, vt ait Lyranus, habitantia. Homines intelligit, equos, & similia animalia, quæ ad cõtinentem spectant, & aridam incultámque terrã, & sunt in mari rubro submersa. Voluit Interpres per agrestia animalia intelligere nõ fera, vel ferocia, sed omnino extra aquas viuentia ruri, nõ in hortis, & hoc pacto maximè opposita iis quę degũt in aquis, vel in irriguis locis, qualis non est χέρσος, id quod dixi significans, aut incultum, atque rudem agrum. Idem iudicium de Hebræis gregibúsque eorum, quibus patuit iter per siccatum mare rubrum.

In aquatica conuertebantur.] Græcè (*μετεβάλλετο, transibant*) in ἐνύδρων proprium locum, scilicet in alueũ rubri maris, in quem aquis nudatũ ingressi sunt Ægyptij cum equis aliísque animalibus, & illicò submersi; Hebræi autem cum suis gregibus liberè transiuerunt. Quod Lyranus monet de cõuersione non secundùm substantiam; sed secũdùm ambulationem per fundum maris, quæ est habitatio piscium, verum est, ac rectè confirmatur ex verbis sequẽtibus (*& quæcũque erant natantia, in terrã transibant, μετέβαινεν*) motu nimirum locali. Non hinc tamen quisquam alias conuersiones omnes naturâ differentium rerum colligat improprias esse, vel accidentales, vt virgæ Aaronis in colubrum[b], petrarum in aquas[c], harum in sanguinem[d], vel vinum[e]; denique panis ac vini in corpus & sanguinem Christi[f]. Propriè, quæ dicuntur, accipiuntur, cùm ita possunt accipi, & ita passim intelliguntur à Patribus, & in Ecclesia. Caue Sacramentarios.

b Exod. 7. c Psal. 113. 8. d Exod. 7. e Ioan. 2. f Matth. 26.

Et quæcumque erant natantia, in terram transibant.] Græcè (*καὶ νηκτὰ μετέβαινεν ἐπὶ γῆς, & natatui apta*, siue *natatilia.*) Pisces non transibant viui, sed eijciebãtur mortui, quando vel aquæ sunt conuersæ in sanguinem[g]; vel siccabantur: ranæ autem viuæ penetrabant ipsa quoque cubilia Ægyptiorum, vt antè dictum est. Addidit Interpres (*quæcumque*) respiciens fortassis ad pisces mortuos eiectos, & ad ranas omnia loca subeuntes.

g Psal. 77. 44. Psal. 104. 29. Exo. 7. 20. 21.

Vers. 19.] Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliuiscebatur.

Vers. 20.] Flammæ è contrario, corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium; nec dissoluebant illam, quæ facilè dissoluebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum Domine, & honorasti, & non despexisti, in omni tempore, & in omni loco assistens eis.

ALia duo exempla elementi aquæ & ignis, vt aqua non extingueretur igni, hic in aqua inualesceret, nec animalibus noceret quæ versabantur in medio eius, nec mãna dissolueret, satis iam declarata sunt in capite 16.[a] Claudit verò Auctor orationem velut epiphonemate, quo eximiam extollit Dei beneficentiam aduersùs populum Hebræum, quem nullo nõ loco, vel tempore texerit singulari prouidentia, & maximis honoribus prosecutus sit, gloria & splendore adornauerit; scilicet quòd præ cæteris populis enixam sapientię operam nauauerit. Vt omnes tãdem intelligãt, quãti referat sapientia, quàm multis studiosos sui ditet bonis & ornet; quod vnum sapientię studium Auctor mortalibus persuadere maiorem in modum sibi hoc in libro proposuit, & hoc in primis populi sapientis exemplum inculcandum & commendandum existimauit. Summa porrò sapiẽtiæ fuit adhærere Domino Deo, & eius pręcepta atque iustitias obseruare & implere opere, ita vt audientes populi cæteri dicere possent; *En populus sapiens & intelligens*; ac proinde *gens magna, & inclyta*[b]; Hebraicè (רַק *rak tantùm*, siue *certè*, aut *solus populus sapiens*, &c.)

a vers. 17. & seq.

b Deut. 4. 4. & seq.

Supra suam virtutem.] Addunt Complutenses, & Regij, aliíque codices ἐπιλελησμένον, nẽpe πῦρ (*ignis in aqua valebat*, ἴσχυεν, τῆς ἰδίας δυνάμεως ἐπιλελησμένον, *propria virtutis oblitus*) non quòd non calefaceret & inflammaret; sed quia plus solito, quasi non recordaretur quas vires haberet à natura, quæ in aqua frangi possent. *Valere supra virtutem* diceretur ἰσχύει τῇ ἰδίᾳ δυνάμει meliùs, quàm τῆς ἰδίας δυνάμεως.

Aqua extinguentis natura obliuiscebatur.] Hoc potiùs est nõ valere virtute, & aquæ naturalem virtutem impeditã ne prodiret in actum, vel ab alia re superatam, vt ab igne. Quemadmodum ignis quãdo pueros in fornace non lædebat[c], nõ propriè dicebatur valere virtute, sed potiùs virtutis exercitio vsúque carere. Hugonis expositio haud ita conueniens, aquã in transitu maris rubri oblitam naturæ suæ, quia non demersit Hebræos[d]. Communis aliorum ac eiusdem quoque sensus est, quem c. item 16. attulimus, cum imbre & grãdine cadentia fulmina humorem non restinxisse. Verbum σβεννύναι, quod ibi est, & adiectiuum nomen σβεστῆς, quod hoc loco, dicuntur propriè de extinctione ignis per aquam, aliúmve liquorem, non de metaphorica extinctione per mortem. Licèt autem figuratè dicatur *obliuiscendi* verbum de aqua; nulla tamen subest causa cur extinctio non propriè sumatur.

c Dan. 3.

d Exod. 14.

Flamma è contrario, corruptibilium animalium non vexauerunt carnes.] Græcè (*οὐκ ἐμάραναν, non marcescere fecerunt, tabe non affecerunt:*) vt solent fulmina quando tangunt aliquid. Explicat Cantacuzenus de animalibus quæ simul tunc immittebantur in Ægyptios, & inter illos erãt ἐμπεριπατοῦντα,

inambulantia,& lædebant illos,non lædebantur ab ignibus fulminum. Cæteri de serpentibus ignitis intelligunt, quorum corpora non fuerint consumpta per flammas ignis in eis contentas (sic Olcot:) vel qui non lædebant Hebræos, cùm æneū inspicerēt,(sic idem,& Lyranus, & Hugo,& Carthusianus, addens & iuuenta Hebræorum.) Bonauen. interpretatur columnam ignis, cum qua populus ambulans, non lædebatur ab ea:Osorius cùm vltrò citróque volitarent in terra flāmæ,exitiumque multis hominibus inferrent, brutorum tamen animantium,quæ passim gradiebātur, carnes non adussisse; vt nimirum constaret quæri supplicium de hominibus. In capite 16.primum probaui sensum,quem & denuò recipio,& Iansenij ibidem allata auctoritate confirmo, qui huc etiam illa transfert verba dicti capitis; *quodam enim tempore mansuetabatur ignis,ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia* (id est,ad Ægyptios) *sed vt ipsi videntes scirent, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem.*

Nec dissoluebam illam, &c.] Græcè (οὐδὲ τηκτὸν εὔτηκτον κρυσταλλοειδὲς γένος ἀμβροσίας τροφῆς, *neque liquefactilium*(πῦρ,*liquefactilium ignis*, nempe.ἐμάραινε, *marcescere fecit*)*glacialis generis liquefactibile genus ambrosiarum escam*)id est, manna. Vatablus existimat legendū pro εὔτηκτον, ἔτηκεν: Iansenius pro τηκτὸν. Cantacuzenus videtur legisse,οὐδὲ ἔτηκεν. Sixtiana Græca Biblia nihil mutant: & verò commodus est quem reddidi Græcis verbis sensus, quem tamen multo clariùs Interpres expressit. De re ipsa diximus eodem illo capite decimosexto [a], secuti communem expositionem, quæ hîc quoque traditur de manna,vt igne consumi non posset. Lōgè aliter hoc loco Cantacuzenus. Ait sensum esse,quòd glacies seu grando, nixque cùm deciderent contra Ægyptios, tametsi nihil his faciliùs dissolui possit, secreto & eiecto calore, ignibus permixtæ conseruabantur,nec minuebantur, sed ferebantur ad maiorem perniciē integræ in illos.

a verf.27.

Quod autem sequitur, γένος ἀμβροσίας τροφῆς, velut per appositionem dici putat τῶν φλογῶν, *de flammis*, & igni:ignem verò sic appellari, nēpe ambrosiam escam figuratè, quoniam non exeditur ipse,sed alias res omnes absumit. Noua prorsus ac insolens expositio; nec apparet cur ignis dici possit esca,cùm potiùs vesci videatur ipse ac esca indigere, saltem qui apud nos est,soleátque cognominari edax [b], & vorax [c],& ab Esaia [d] deuorans.

b 3.Aeneid. c Claud. d c.33.14.

Bonam escam.] Manna est,vt dixi, comparatum cum glacie, atque in textu Græco appellatū κρυσταλλοειδὲς γένος ἀμβροσίας τροφῆς,*crystallinum* (id est, glaciale)*genus ambrosianæ escæ*. Nescio an exhorruerit Interpres vocabulum *ambrosiæ*, quod de Deorum cibo confinxit Gentilitas: & ambrosiis Domitianum, qui Deus haberi volebat, vescentem dapibus facit cum suis Martialis [e];

Vescitur omnis eques tecum,populusq;,patresq;,
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.

e lib. 8. epig. 50.

Cicero [f] quoque præstantissimos viros ambrosia scripsit alendos.Non satis cōstat ambrosia potúsne esset an esca,& vtrum ex his nectar. Anaxandrides nectar cibum nominauit; necnō Alemā & Archestratus:Sappho ambrosiæ craterem dixit,vt meminit Rhodiginus [g],& auctor Thesauri Græci post Athenæum,quem nō citat.Plures asserunt cibum ambrosiam,nectar potum.De nectaris potu Homerus sæpè: ambrosiæ verò Ibycus cibum nouies dulcedine mel superare ait [h]: & Baccho

f 2.de orat.
g lib. 7.c.13. vide Athen. lib 2.& 6.
h auctor 2. dag. Nectar spirat. vide Athen.suprà.

A dicata sacra dicebantur ambrosia. Plātæ præterea nomen est ambrosia,quæ suo in cibos vsu longæuos reddit homines:de qua cum Dioscoride,& Plinio Matthiolus [a].

a lib.3 c.113.

Nectar deriuant à νὴ,& κτείνω,quòd nō eorum qui moriuntur,sed immortalium Deorum sit potus:vel quòd νέους reddat,id est,*iuuenes,ac ætatis floridæ*:ambrosiam ab α priuatiuo & βροτὸς, inserto μ, euphoniæ causâ,quia mortales eam nō comedāt, vel si comederent,fierent immortales. Inde adiectiuum ἀμβρόσιος, *immortalis*,& *diuinus*; vel etiam per denominationem ab ἀμβροσία nonnunc substātiuo,*dulcis*. Imò Hesychius [b] indicat in ἀμβροσία subaudiendum τροφὴ: exponit enim esse ac si dicas θείαν, & θαυμαστὴν τροφὴν, quod Homerus [c] appellat ἀμβρόσιον εἶδαρ. Quemuis delicatum & suauem cibum cognominant ab ambrosia,potum

B à nectare;vt ab hoc vinum dulce Virgilius [d];

b in Lexico.
c Iliad. r.
d eclog.5.

Vina nouum fundam calathis Aruisia nectar.

Item quodlibet vinum Propertius [e];

Corrupitq; bonas nectare primus aquas.

Rursus Virgilius mel [f];

—liquido distendunt nectare cellas.

e lib. 2. eleg. 31.
f 1.Aeneid.

Sed & ad vngendum adhibitam ambrosiam testes Homerus [g],Virgilius [h],Apollonius [i]. Pindarus apud Athenæum [k] appellat ἀμβρόσιον ὕδωρ,*ambrosiam aquam* fontis Tilphossæ.Prouerbij quoque nectar vicem habere pro re quauis dulci & suaui, etiam pro re odorata, ostendit Cerda [l] noster

C aliquot exemplis.Disserit vtraq;de re ordinis etiā nostri scriptor eruditus Bisciola [m],existimās post allatas variorum sententias, vtrumque fuisse rem fusilem,humidam,liquidam;sed ambrosiam crassiusculam. Profert præterea parœmialis ex vtroque,nectare præsertim,locutionis exempla, quæ meminimus.

g Iliad.16. & Odyss.4.
h 4.Georg.
i lib.4.
k lib.3.
l in Virg. eclog.4 vers. 15. n.45.
m lib.5 hora. subsec.iug.c. 10.

Vt alia multa Gētiles ex literis diuinis in suas fabulas transtulerunt, de quibus Iustinus [n];ita fictum illud nectar ambrosiámque vel ex ligno vitæ,vel ex manna. His multo cōueniunt veriùs ac meliùs,sed maximè cœlesti pani Eucharistiæ,quas illi dictis attribuunt rebus conditiones, aut quas herbæ nepenthe, quasi luctum adimeret, qui est

D πένθος [o], aut moly, quam Homerus [p] & Plinius [q] celebrant, vt quæ reuocet ad iuuentutem. Lege Eugubinum [r]. *Si quis*,ait Christus,*manducauerit ex hoc pane,viuet in æternum* [s] (cùm qui manducauerūt manna,mortui sint [t]; nec solum vitæ lignum satis fuisset ad mortem prohibēdam, vt melior habet opinio:) & nisi quis manducauerit carnem filij hominis, & biberit eius sanguinem, non habebit vitam in se [u].

n apol.2.
o auctor Thesaur.Græci ex Plinio lib.21. c 21.& lib.25. c.2 & Homer. Odyss.4.
p Odyss.10.
q lib.25.c.4.
r in Cosmo. in c.2.Gen.
s Ioan.6.52.
t ibid.59.
u ibid.54.

Multò verior hæc propositio,quàm cuius meminit Aristoteles [x] Hesiodi,& cæterorum Theologorum asserentium esse mortalia quæcumque nō gustarunt nectar & ambrosiam. Negat ipse,ac

E iure quidem, esse sempiterna quæ egent cibo: at nos cibum illum fatemur summæ gratiæ esse,dicíque propterea Eucharistiā;& pignus illius beati cibi,quem qui edunt,adhuc esuriunt,& potus, quem qui bibunt,adhuc sitiunt [y]. Vbi suspicatur B.Thomas nominibus illis hos Theologos naturales intellexisse summam bonitatem primi principij, cùm omnis dulcedo amoris ad bonitatem aliquam,ac proinde ad summam bonitatem referatur:atq; hoc pacto significasse res eas,quæ propiùs participant,& quasi degustant perfectionem diuinæ bonitatis, esse immortales quantum ad esse numerale: quæ autem remotiùs (quasi eam solùm odorentur) non esse immortales, nisi

x 3.Metaph. tex.15.
y Eccli.24. 29.

SVMMARIVM.

INSISTIT in eadem comparatione populi Hebræi cum aduerſariis eorum, & repetit quemadmodum Hebræos Ægyptij perſequentes, aquis rubri maris ſubmerſi fuerint: illis contrà carnes concupitæ conceſſæ: rurſus ex aliis cæcitate percuſſi hi, qui inhoſpitales extiterant: poſtremò docet, Deo elementa ſeruire tum ad afflictionem improborum, tum ad obſequium bonorum.

CAPVT XIX.

1 IMpiis autem vſque in nouiſſimum ſine miſericordia ira ſuperuenit. Præſciebat enim & futura illorum:

2 Quoniam cùm ipſi permiſiſſent vt ſe educerent, & cum magna ſollicitudine præmiſiſſent illos, conſequebantur illos pœnitentia acti.

3 Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumēta mortuorum, aliam ſibi aſſumpſerunt cogitationem inſcientiæ: & quos rogantes proiecerant, hos tāquam fugitiuos perſequebātur.

4 Ducebat enim illos ad hunc finem digna neceſſitas: & horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, vt quæ deerant tormentis, repleret punitio:

5 Et populus quidem tuus mirabiliter tranſiret, illi autē nouam mortē inuenirent.

6 Omnis enim creatura ad ſuum genus ab initio refigurabatur, deſeruiens tuis præceptis, vt pueri tui cuſtodirentur illæſi.

7 Nam nubes caſtra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ antè erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via ſine impedimēto, & cāpus germinās de profundo nimio:

8 Per quem omnis natio tranſiuit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monſtra.

9 Tanquam enim equi depauerunt eſcam, & tanquam agni exultauerunt, magnificantes te Domine, qui liberaſti illos.

10 Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant, quēadmodum pro natione animalium eduxit terra muſcas, & pro piſcibus eructauit fluuius multitudinem ranarum.

11 Nouiſſimè autem viderunt nouam creaturam auium, cùm adducti concupiſcentia poſtulauerunt eſcas epulationis.

12 In allocutione enim deſiderij, aſcēdit illis de mari ortygometra: & vexationes peccatoribus ſuperuenerunt, non ſine illis, quæ antè facta erant, argumentis per vim fulminum: iuſtè enim patiebantur ſecundùm ſuas nequitias.

13 Etenim deteſtabiliorem inhoſpitalitatem inſtituerunt: alij quidem ignotos non recipiebant aduenas, alij autem bonos hoſpites in ſeruitutem redigebant.

14 Et non ſolùm hæc, ſed & alius quidam reſpectus illorum erat: quoniam inuiti recipiebant extraneos.

15 Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eiſdem vſi erant iuſtitiis, ſæuiſſimis afflixerunt doloribus.

16 Percuſſi ſunt autem cæcitate: ſicut illi in foribus iuſti, cùm ſubitaneis cooperti eſſent tenebris, vnuſquiſque tranſitum oſtij ſui quærebat.

17 In ſe enim elementa dum conuertuntur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiūt: vnde æſtimari ex ipſo viſu certò poteſt.

18 Agreſtia enim in aquatica conuertebantur: & quæcumque erant natantia, in terram tranſibant.

19 Ignis in aqua valebat ſupra ſuam virtutem, & aqua extinguentis naturę obliuiſcebatur.

20 Flammæ è contrario, corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium; nec diſſoluebant illam, quæ facilè diſſoluebatur ſicut glacies, bonam eſcam. In omnibus enim magnificaſti populum tuum Domine, & honoraſti, & non deſpexiſti, in omni tempore, & in omni loco aſſiſtens eis.

Verſ. 1.] Impiis autem vſque in nouiſſimum ſine miſericordia ira ſuperuenit. Præſciebat enim & futura illorum.

PENDET ex extremo priore capite ſententia, vbi dictum eſt, nonnullorum ex Hebræis periculo & cæde conſultum reliquis. Hîc verò dicitur, impiis ad internecionem abſque vlla clementia acrē ſeueritatem inſtitiſſe: nam Deū proſpexiſſe, ac præuoniſſe, quo pacto permanſuri eſſent in animi peruicacia, atque impœnitentia. Fauet hic locus aliquoties à nobis aſſertæ ſententiæ de ſcientia media quam habet Deus futurorum poſſibilium liberorum conditionalium.

Vſque in nouiſſimum.] Græcè (*μέχρι τέλους, vſque in finem*) vſque ad exitium, & interitum, & internecionem, vſque ad nouiſſimum ſeu vltimum,

ita vt cunctos inuolueret clades. Intelligit quoque Carthusianus de æterna damnatione. Incertum an omnes eam incurrerint.

Sine misericordia ira superuenit.] Græcè (ἀνελεήμων θυμὸς ἐπέστη, *immisericors ac sæua ira institit*) quæ scilicet nulli parceret, sicut maximæ parti Hebræorũ pepercit. Iram sine misericordia & incuitabilem exponit Lyranus sine remedio: quia nullum opus Dei sine misericordia est; sed *miserationes eius super omnia opera eius* [a]. Tunc abesse misericordia censetur, & Deus in furore punire, quãdo magis enitescit iustitiæ rigor. Id verò accidere solet præsertim cùm vindicantur crudeles sæuæque iniuriæ. Nam *iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam* [b]: non sine misericordia quidem mitigante, quæ punit etiam citra cõdignum, sed absque liberante, saluante, glorificante. De conditionibus iræ diuinæ disserit Olcot [c], vt nequeat declinari maiore alterius potentia, vel debilitari tẽporis mora; vt in plures ob vnius peccatum excitetur; vt non mitigetur sine humilitate. Affert inter alia exempla vnum ex Anglicanis historiis suis de muscis insolitis, quæ segetes depastæ erãt, in quarum alis inscriptum legeretur, IRA DEI.

a Psal.144.9.
b Iacob.2.13.
c lect.205.

Vers. 2.] Quoniam cùm ipsi permisissent vt se educerent, & cum magna sollicitudine præmisissent illos, consequebantur illos pœnitentia acti.

PRæuiderat Deus futurum, vt Ægyptij eos ipsos quibus permiserant abire, imò ad abeundum cohortati fuerant, mutato repentè consilio persequerentur.

Quoniam cùm ipsi permisissent.] Græcè (ὅτι αὐτοὶ ἐπιτρέψαντες, vel, vt alij legunt, ἐπιτρέψαντες, ἀπιέναι, aliàs ἀπεῖναι, *quoniam cùm ipsi* (videlicet Ægyptij) *permisissent* (Hebræis) *abire*, vel *abesse*.) Vatablus (*quòd eosdem quos liberassent ad abeundum*:) Clarius (*quòd cùm ipsi conuersi essent vt abirent.*) Alij codices de quibus Brugensis meminit (*quoniam cùm ipsi reuersi essent*, &c.) vel (*quoniam cùm ipsi reuersi essent, & permisissent*, &c.) Meritò autem præfert lectionem nostram, & docet etiam sic verti potuisse, siue Græcè legamus ἐπιστρέψαντες, siue ἐπιτρέψαντες. Addit reddi prætcrea potuisse (*cùm ipsi conuersi essent*) quo modo reddidit & Clarius.

Vt se educerent.] Cùm Ægyptij permisissent vt se Hebræi educerent, siue subducerent, & abirent. Græcè (ἀπιέναι, aliàs ἀπεῖναι, vt dixi.) Idem Brugensis recitat alias lectiones (*vt se ducerent*) vel (*vt seducerent*) & reiicit omnino vltimam, licèt Hugonis & Olcot. Clarij versio habet (*vt abirent*) Vatabli (*cùm liberassent ad abeundum.*) Similis loquendi formula fuit in capite 4. [d] *desiderant eam* (castam generationem) *cùm se eduxerit*, ποθοῦσιν ἀπελθοῦσαν.

d vers.2.

Cum magna sollicitudine præmisissent illos.] Græcè (μετὰ σπουδῆς προπέμψαντες αὐτοὺς, *cũ studio, & studiose deduxissent illos.*) De verbo προπέμπειν dixi Commentario in Actus Apostol. significare honorariam deductionem veluti cum pompa. Neque verò simpliciter Hebræos Ægyptij præmiserunt, hoc est, ante se miserunt, quasi paulo pòst insequi eos intenderẽt. Magna cautione potiùs deducebant, honoris quodam prætextu ac specie, atque magnopere curabant accepta primogenitorum plaga, vt quamprimùm è suis finibus egrederentur. Vbi Pharao egrediendi potestatem fecisset, imò imperasset illis verbis [a]; *Surgite, & egredimini à populo meo*, &c. *cogebant, & vrgebant Ægyptij populum* (Hebræum) *de terra exire velociter, dicentes; omnes moriemur: & dedit Dominus gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis vasa argentea, & aurea, vestémque plurimam. Sed & vulgus promiscuum innumerabile* (Ægyptiorum) *ascendit cum eis, boues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis.*

a Exod.12.31. & seq.

In hac narratione non extat deductionis, vel comitatus mentio, quoniam vulgus promiscuum ascendit vt abiret, absque redeundi voluntate, nec à vulgo facta deductio, honorifica censeretur. Iosephus [b] memorat Pharaonis mandatum vt abirent: donis honoratos Hebræos ab Ægyptiis, tum quò celeriùs discederent, tum propter vicinitatis consuetudinem: dum exirent Hebræi, Ægyptios fleuisse, atque pœnituisse ob præteritam malam tractationem. Philo [c] prodit vehementem Ægyptiorum adhortationem, vt properè tota regione discederent, vel vnam diem horámve differre longum existimantium, periculosúmque; & hac ratione expulsos pro trusósque.

b 2. Antiq c. 5. vel 13.
c 1. de vita Mosis.

Porrò gratia illa, quam ex Exodo retuli Dominum dedisse populo suo coram Ægyptiis, vt commodarent eis, indicare quoque potest ab eodem Domino corda Ægyptiorum inflexa ad tenerum quendam amorem Hebræorum, nõ solùm vt eis bene & vellẽt & facerent, sed etiam vt honore afficerent, & honoris causâ comitarentur extrà, ad aliquod spatium. Putant Augustinus [d], Caietanus [e], & Pererius [f] dona collata, & vltrò oblata ante plagam primogenitorum. Hoc si est, vt sanè probabile est, vix deductionem poterimus intelligere honorificam fuisse; sed qua vrgentes discessum, non dimiserint eos, donec extra omnem prouinciam deduxerint, vt sic de eorum discessu certi penitus essent, omnique metu liberi. Carthusianus explicat, cùm minassent ante se, ad exeundum.

d q.45. in Exod.
e in Exod. c. 12.
f ibid. disput. 15.

Consequebantur illos pœnitentia acti.] Iuxta phrasim totam Græcam dicendum fuisset (*præsciebat enim* (Deus) *& futura illorum, quòd cùm ipsi permisissent*, &c. *consequerentur*, vel *consecuturi essent*, vel *consequentur*, siue *persequentur*, διώξουσι.) Vnde *consequebantur* non est simpliciter sequi simul, aut pòst, &c. sed persequi & insequi; quoniam id valet διώκειν. Neque refertur illud verbum ad pœnitentiam, quæ postea secuta sit, vt indicat editio qua vtuntur veteres Expositores, necnon Complutensis, Regia, & aliorum (*consequebantur illos*, nimirum Ægyptios, *pœnitentia acti*) aut in numero singulari (*consequebatur*:) sed significatur quòd cùm pœnituisset Ægyptios, quòd Hebræos abire permisissent, imò compulissent, & quidem onustos tanta supellectili, quam commodatò dederant, nec in ea perturbatione & mœrore ob cædem primogenitorum repetierant, mutato statim consilio, fugientes retrò secuti sint. Hoc sibi vult διώξουσι μεταμεληθέντες, *persequentur iam acti pœnitentia, iam pœnitentia ducti, iam pœnitentes.*

Cæterùm pœnitere, pœnitentia duci vel agi, pœnitentia ipsa, propriè de malis dicuntur quæ à nobis decreta, dicta, facta displicent. Aliquãdo tamen vsurpantur de mutatione prioris consilij, siue decreti, aut facti; etiamsi fiat in deterius mutatio: vel quãuis nulla ratio mali præcesserit reuera, sed tantùm secundùm opinionem nostram. Ad hunc ferè sensum dicuntur ἀμεταμέλητα dona

a Rom.11.29. & vocatio Dei[a], quia nõ retractat, aut repetit bona quæ semel largitus est: & è contrario interdũ dicitur Deum pœnitere de quibusdam rebus quas fecit[a]; quoniam illis abusi sunt homines, & eas tollere vult Deus: aliàs non pœnitere[b], nec pœnitentia flecti[c], quando firmus manet in sententia. Vnde, quia non cadit in Deum mutatio, quãdo res ipsæ mutantur, & effectus iuxta præscientiam, prouidentiam, ac voluntatem Dei, vel non mutantur, pronunciatur Deus mutari, vel nõ mutari; & in rebus accidente mutatione, quæ priùs ob certas circumstantias bene fiebant, & erant bonæ, postea fiunt quoque bene, & sunt bonæ, secundùm rationes quas nouit ille qui bene omnia facit. Denique more humano, sicut aliæ passiones, ita tribuitur Deo pœnitẽtia, crasso & paruitati nostræ accommodato modo, vt loquitur Chrysostomus[d]. Legendi quoque Iustinus[e], Ambrosius[f], Augustinus[g], præter Genesis Expositores[h]. Hoc loco Ægyptiis conuenit pœnitentia, vt significat nouũ consilium cum refutatione præcedentis, atque cũ dolore quòd habuissent illud, licèt bonum fuisset, népe de dimittẽdis Hebræis.

a Gen.6.6.7. 1. Reg.15.11. 35. Iere.26.3. 13.19. b Psal.109.4. Ierem. 4. 28. c.20.16. c 1.Reg.15.29. d hom 22. in Genes. e q 36 ad orthodoxos. f de arca & Noe c 4. g 15.de ciuit. c.25. h c.6.

Vers. 3.] Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem insciẽtiæ, & quos rogantes proiecerant, hos tanquam fugitiuos persequebantur.

Docent hæc dictam illam pœnitentiam Ægyptiorum, mutationémve cõsilij quòd Hebræos abire permisissent, valdè repentinã ac subitam fuisse, simúlque imprudentem atque stultam. Nam adhuc inter funera, & in iis procurandis occupati, non animo reputabant charorum ipsis vnde iactura mórsque prouenisset; sed tãtæ cladis auctores cùm retentabantur, minimè dubitarunt tamen insequi, ac vi & armis reuocare.

Colligitur totius contextio historiæ ex Exodo[i], Iosepho[k], Philone[l]. Cùm Hebræi cõfectis tribus mansionibus in Ramesses, Socoth, Ethã, ex hac vltima versùs Ægyptũ reuersi essent via obliqua ad Phihairoth, quæ fuit quarta, & cum è regione istius loci inter Magdalum & mare contra Beelsephon (super huius nominis etymologia cõfictam fabulam canis ænei, qui sub terra locatus, quando illàc transiret Hebræus, clamaret Hebrçũ fugere, legere licet apud Abulensem[m]) castra posuisset prope mare; Pharao sciens parum tuto in loco illos esse, & aberrare in deserto putans, consilium cepit eos persequendi & includendi. Phihairoth enim, teste Hieronymo[n], vallis erat habens ex vna parte montem impermeabilem, ex alia Magdalum ciuitatem in confinio Ægypti, satis munitam, de qua in historia Regum[o]; & ante se Hebræi habebant mare sine nauigiis. Quocirca certum videbatur non euasuros, si à tergo ipsos Ægyptij persequerentur[p].

i c.14. k 2. Antiq.c. vlt. l 1.& 3.de vita Mosis. m Exod. 14. q 2. n de locis Hebraicis. o lib.4.25. p Exo.14.2.& seq.

Igitur pauci admodum dies abierant, ac fortassis non plures quatuor, quando summa cum celeritate, & quanto maximo potuit apparatu Pharao expeditionem istam suscepit. Iosephus[q] scribit Ægyptios mox pœnituisse, Regé præ cæteris, qui facilitatem quoque suam in dimittẽdis iis deputabat præstigiis Mosis, vt & reliqua eiusdem opera prodigiosa. Facta fuerat potestas non penitus ac in totum discedendi, sed trium dierũ itinere, vt sacrificarent[a]: at per exploratores didicit Pharao fugisse[b], quod ex errore per desertũ, & quia rectà iter non intenderent, deprehenderunt. Rupertus[c] ait, Pharaonem fugam interpretatum non de Hebræis, nisi fortassis quia vasa, & vestem Ægyptiorum secum abstulerant, sed de mancipiis illorum, qui dominos suos fugiebant. At dubitari non debet intellexisse maximè de Hebræis. Id auctores citati tradunt, Scripturáque sacra; & adeò copiosus exercitus, quem contra fugientes Pharao collegit, planè indicat.

q 2.Antiq. c. vlt. a Exo. 12.31. b Exod.14.5. c in Exo.c.31.

Adhuc enim inter manus habentes luctum.] Græcè (ἔτι γὰρ ἐν χερσὶν ἔχοντες τὰ πένθη, *adhuc enim in manibus habẽtes luctus.*) Phrasis satis trita, habere adhuc aliquid in manibus, præ manibus, inter manus, pro eo quod est versari in re adhuc recente. Luctus verò siue in numero singulari, siue in plurali, curam totam funeris denotat, vt & planctus, quẽadmodum ostendimus cùm ageremus de Stephano[d]; licèt de hoc Græcè dicatur κοπετὸς, nomine minùs generali quàm πένθος: quod propriè tamen est mœror ex morte propinquorum, vel amicorum. Plura citato loco de ritu ipso, ac nonnihil de eo quo vtebantur Ægyptij. d Act 8.2.

Et deplorantes ad monumenta mortuorum.] Non enim cremabãt corpora, sed condita condebant, siue vnguentis delibuta, vt ibidem diximus, colligitúrque ex Genesi[e], vbi quoque dies septuaginta luctui assignantur: qua de relegi ibidem potest noster Pererius post Herodotum[f] & Diodorũ[g] Siculum. Hi duo æquè produnt defuncto aliquo domestico & necessario, præsertim alicuius momenti, Ægyptiorũ omnem muliebris sexus familiam caput sibi & vultum oblinere solitam luto: deinde relicto domi cadauere, per vrbem vagãtes se plãgere, succinctas, nudatísque mammillis: altera ex parte viros expectoratos se verberare, lugentésque, ciuitatem, quoad mortuus sepeliatur, circumire, interim neque lauari, neque vinum, aut cibum, nisi vilem sumere, neque vestibus vti splendidis.

e c.50.2.3. f lib.2. g lib.2.

Si monuméta sepulchráque, Græcè τάφους, propriè accipimus, & verum est ante códitura vnctionémve Ægyptios cadauera suorum, vt Comestor[h] scripsit, sic seruasse nouem diebus, per singulos dies plangendo, cáque fouendo calida aqua, quò explorarẽt verùm anima penitus egressa corpore, an tantùm in eo sopita esset; præterea eùm insumerent ad condiendum dies quadraginta, & alios triginta ad saliendum, ac demũ in ligneam imaginem includerent, quod citati referunt historici; rectè illud, quod proximè præcessit, intelligetur, adhuc inter manus habuisse luctum siue luctus, hoc est, cadauera ipsa, cùm de persequendis Hebræis tractauerunt Ægyptij, nũcio de ipsorũ fuga, vti dicebam, accepto ferè post quatuor dies. Collectus est summa celeritate copiosus, de quo egimus capite decimo[i], in Hebræos exercitus, nec solitum procurandis funeribus spatium datum. Equidem arbitrarer τάφους, sicut & apud alios auctores aliquando, hîc sumi pro exequiis, funere, ritu toto sepulturæ, non prçcisè pro tumulo, loculo, conditorio, sepulchro. Nam postquam sepulturæ tradidissent mortuos suos, non legimus Ægyptios ad monumenta plorauisse. Itaque deplorare ad monumenta mortuorum, erit hoc loco intelligendum de planctu, qui durabat donec illuc mortuos inferrent.

h hist. Schol. in Gen.c.114. i vers. 18.

Sed hæc in re variatum etiam apud eandem gentem Ægyptiorum: nec eximiam illam curam cunctis defunctis exhibebāt. Vnde fieri potest, vt plurimis, qui tantum facere sumptum non poterant, contigerit iam illatos breui tempore in sepulchrum deflere mortuos. Indicauit id Philo [a], scribens defuisse in tanta strage primogenitorū, qui sepeliendi munus obiret. Quare nec licuit, nec verò libuit in communi tanta comploratione indulgere accuratæ ceremoniæ defunctorum. Hoc vltimum responsum expeditum, ac magis verosimile. Cantacuzenus mortuos interpretatur sepulchris inclusos. Nec idcirco non bene dixit Auctor adhuc habuisse luctus inter manus, quāuis luctus intelligas de cadaueribus; vixdū namque condiderant: & multo meliùs id percipitur, si luctus plorationem significat, quæ perseuerabat post recens sepultos mortuos. Illud certum, præscriptum maximum septuaginta dierum spatium, ac longè quoque minus ad insequendū Hebræos expectatum fuisse. Verùm de ratione funerali egi citato priùs loco, postéaque in Leuitici Commentario. Legendi autem Ioannes Kircmannus & Iacobus Guthetus.

a 1. de vita Mosis.

Aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ.] Græcè (ἕτερον ἐπεσπάσαντο λογισμὸν ἀνοίας, *alteram attraxerunt, ac veluti euulserunt, insaniæ cogitationem.*) Videlicet neque præsenti ac præterita tam multiplici edocti calamitate, neque sibi de grauiore alia aliqua timentes. Vim magnam continet Græcum illud verbum, quasi vi, ac fanatico nescio quo furore acti, tale & tam insanum consilium susceperint, atque à Deo ipso indurati fuerint; *& indurabo cor eius* (Pharaonis) inquit ille [b], *ac persequetur vos.*

b Exod. 4. 4.

C

Quos rogantes proiecerant.] Rogare & proiicere illo modo cohærent inter se, quo voluptate trahi dicimur[c]. Hac de re versu secundo dixi. Narratur Pharao abire permissos rogasse, vt sibi benedicerent [d], hoc est, vt vertit Chaldæus, & exponit Lyranus, vt orarent pro ipso, ne scilicet moreretur, quemadmodum primogenitis acciderat, non autem vt laudarent ipsum: quod velle Rupertum [e] Ystella non rectè dicit. Glossæ interlinearis interpretatio est, quam indicat etiam Caietanus.

c Virg. eclog. 2.

d Exod. 12. 32.

e lib. 2. in Exod. c. 18.

D

Hos tanquam fugitiuos persequebantur.] Non solos Ægyptios qui se Hebræis adiunxerant, vt nuper aduersùs eundem Rupertum admonui, sed in primis Hebræos, quibus quam Pharao discedendi fecerat potestatem, iniquè interpretabatur extortam, quoniā spoliauerāt rebus multis Ægyptios, nec, vti se facere significauerant, recto abibant itinere, vt post tridnum sacrificarent [f], nec amplius redituri videbantur. Non intelligebat Moses tridui nomine tres menses, vt nugantur Hebræi; etsi verum sit tertio post egressum mense sacrificauisse in Horeb [g].

f Exod. 3. 18. c. 5. 3.

g Exod. 19.

E

Voluit Deus triduanam solam profectionē in desertum peti à Pharaone, quam sciebat nō concessurum; vt magis inclemētia, obstinatáque malitia eius appareret, iusta verò in illū animaduersio Dei. Hoc pacto post Augustinum [h] Lyranus [i], & Abulensis [k]. Anastasius [l] autem Nicenus citās Basiliū [m], docet celasse Mosem & artificiosè abscondisse id quod futurū sciebat, dixisse quod verū erat. Lapsis ergo tribus diebus, & eo pluribus, cùm nihil aut de sacrificio, aut de redeundi volūtate afferretur ad Regē, fugitiuos censuit seruos, quos domi sub seruili conditione hactenus retinuerat. Quis inter seruos propriè dici debeat fugitiuus, quidque differat ab errone, & quæ sit horu pœna, decernitur iure ciuili [a]. Iuxta hoc ius nō erant Hebræi tales, nō solum quia reuera nequaquam seruilis conditionis; verùm etiā, quia licèt fuissent, Ægyptij sæuiùs eos tractabant, ac immoderatè iis vtebantur. Hoc vniuersè pronūciat Viuianus [b], definiens qui sint, vel non sint fugitiui. Nota fugitiuorum in Sicilia sub C. Mario trucidatio: de quo tam multi [c]; & habet nescio quid affinitatis cum præsenti historia, saltem prætextū Syriæ colendæ Deæ auctore Syro Enno. Colligit alia exempla seruilium bellorum bonus Augustini, & discipulus, & Scholiastes Leonardus [d] Coquæus vetus amicus noster.

h q. 13. in Exo.
i Exod. 3.
k ibid.
l q. 71. in Scrip.
m in efectieis.

a L. 17. quis sit fugitiuus. ff. de ædilitio edicto. lib. 21. tit. 1. & lib. tit. 4. de fugit. & lib. tit. 16 de verbo. signif. 225.
b ibid. primo.
c Florus gesto. Rom. in epito. lib. 3. c. 19 & in abbreu. 53. Plutarc. in Crass. Eutrop. lib. 4. c. 5. Val. Max. lib. 2. c. 2. lib. 6 c. 10 Euseb. in chronic. Oros. lib. 5 c. 8. Aug. 3. de ciui. c. 16
d in Aug. lib. 3. de ciu. c. 26.

B

Vers. 4.] Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas, & horum quæ acciderant commemorationem amittebant, vt quæ deerant tormentis, repleret punitio.

PRædixerat Deus, vt antè retuli, fore vt induraret cor Pharaonis ad persequendos egressos Hebræos, ipse autem glorificaretur in Pharaone, & in omni exercitu eius, scirēntq; Ægyptij, quia ipse esset Dominus, nimirum eos demergendo in mari rubro, quod & paulo pòst repetitur. Pertinax quoque & obstinata malitia Ægyptiorum nondum satis prioribus, licèt grauibus, plagis castigata, & earum quodāmodo immemor, vel parui faciens, illos ad adhuc grauiorem propellebat.

Ducebat enim illos ad hunc finem.] Græcè (εἷλκε αὐτοὺς ἐπὶ τοῦτο τὸ πέρας, *trahebat illos ad hunc finem, siue ad hunc exitum.*)

Digna necessitas.] Græcè (ἀξία ἀνάγκη.) Digna necessitas subeundæ pœnæ iuxta ineuitabile decretū Dei, & grauitatem peccati Ægyptiorū, quamuis ab iisdem liberè patrati, sicut & pœnam Deus pro sua libera voluntate tum decreuit, tū intulit. Non adeò placet expositio Bonauenturæ & Carthusiani, quòd ad hunc finē, id est, ad persecutionem Hebræorū finalē, ducebat Ægyptios digna necessitas, hoc est, derelictio Dei, sic eos excæcari permittentis. Bene monent idem Bonauentura & Cantacuzenus non Deū in eam necessitatē Ægyptios prouexisse, cùm libertatem humanæ voluntati dederit suo arbitratu viuendi; sed quia ministeriis destituti Hebræorū, quibus ad delicias abutebantur, in lucro se id posituros arbitrabantur, si eos in seruitutem iterū aliqua ratione redigerent: Deus etiam, cùm id præuidisset, adducebat eos, seu ire sinebat quò volebant. [Non fuit necessitas coactionis, ait Bonauentura, sed immutabilitatis, quia poterāt pœnitere, ac pœnam vitare, sed nolebant: & necessitas illa erat consequens voluntatem eorum, non antecedens.] Posset quoque necessitas, vt suprà dixi, significare calamitatē, quæ digna, hoc est, merita & peccatis congrua fuerit. Transferri huc illa Prophetæ ad Amasiam sententia minax potest [e]; *Scio quòd cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo.*

e 2. Paral. 25. 16.

Horum quæ acciderant commemorationem amittebant.] Græcè (τῶν συμβεβηκότων ἀμνηστίαν ἐνέβαλεν, *eorum quæ acciderant obliuionem iniecit*) hoc est, præcedentium plagarum, ac recentissimæ quidem, quæque adhuc in manibus erat, primogenitorum interfectionis. *Commemorationem* Interpres maluit, quàm *memoriam*, quoniam non peribat

memoria rerum adeò terribilium & recentium, sed non exibat cœcata mens in vsum memoriæ prædictum. Obiectæ animo efficaciores rei species, alias quodammodo obruunt, vel obscurant, vt memoriæ & cogitationi non succurrant. Celebris Atheniensium ἀμνηστίας lex, id est, obliuionis præteritarum iniuriarum; de qua Valerius [a], Vopiscus [b], Cicero [c], Plutarchus [d], eadémque ferè est atque ἀμνησικακία: licet in sedandis discordiis contendat Muretus [e] vsurpatum non ἀμνηστίαν, sed μὴ μνησικακεῖν. Verùm hoc loco, sicut & alibi, significat ἀμνηστία obliuionem simplicem.

a lib. 4. c. 1. b in Aurel. c Philip. 1. d in Politic. e 2 variar. lect. c. 15.

Vt quæ deerant tormentis, repleret punitio.] Græcè (ἵνα τὴν λείπουσαν τοῖς βασάνοις προσαναπληρώσωσι κόλασιν, *vt deficientem tormentis replerent punitionem.*) Iudicetus Clarius (*vt quæ deerant tormentis, impleret punitionem.*) Vatablus (*vt reliquas cruciatuum pœnas persoluerent.*) Improbos Iudæos dicebat Christus [f] implere mensuram patrum suorum: Deus [g] nondum completas iniquitates Amorrhæorum: Paulus [h] se adimplere quæ deerant passionum Christi in carne sua pro corpore eius, quod est Ecclesia: Ioannes [i] cuiusdam non esse plena opera: ac rursum Paulus [k] quosdam implere peccata sua semper. Certa mensura est meritorum & demeritorum, pœnarum ac præmiorum, ad quam quisque peruenit vel iustus, vel iniustus, vel reprobus, vel prædestinatus. Sed merita præmiáque sunt ex gratia, & electione Dei, non sine libertate merentis: demerita per se ex libertate demerentis; pœnæ propter demerita eiusdem decernuntur à iustitia Dei vindicantis. Videmus quidam fatali quadam necessitate ruere in interitum suum, conditioni ipsorum naturali, & ingenio volotis congruentem. De Semei affirmari aptè potest præsens sententia tota, quem Salomon egressum ciuitate contra inhibitionem, interfici præcepit [l]. Quò spectat Plutarchi disputatio de sera numinis vindicta.

f Matth. 23. 32. g Genes. 15. 16. h Colossens. 24. i Apoc. 3. 2. k 1. ad Thess. 2. 16. l 3 Reg. 2. 19. & seqq.

Vers. 5.] Et populus quidem tuus mirabiliter transiret: illi autem nouam mortem inuenirent.

CVm noua morte ac punitione, priora implente tormenta Ægyptiorum coniunctum fuit Hebræorum beneficium: quoniam submersis illis, hi mirabiliter per mare rubrum transierunt ac euaserunt. De hoc transitu & submersione actum satis capite decimo [m], vixque aliquid nobis annotandum superest.

m vers. 17.

Mirabiliter transiret.] Græcè (παράδοξον ὁδοιπορίαν πεπάσῃ, *paradoxum, inopinatum, mirabile iter transiret.*) Alij codices, quos & Vatablus secutus est, habent πειράσῃ, *tentaret*: at nihil discrepante sensu. Nostram lectionem sequitur Cantacuzenus. Sic autem in capite decimo [n] dictum est; *deduxit illos in via mirabili*: ὡδήγησεν αὐτοὺς ἐν ὁδῷ θαυμαστῇ.

n vers. 17.

Illi autem nouam mortem inuenirent.] Græcè (ξένον θάνατον.) Non significat propriè ξένος *nouum* cum respectu veteris, sed *peregrinum*, ac ferè idem quod παράδοξος, *paradoxum, inopinatum, insolitum, inusitum*, &c. Quocirca frustra laborant qui attendunt vel ad priora mortis genera per præcedentes plagas, quibus qui supererant Ægyptij mortui profectò non sunt: vel quòd initio aquæ rubri maris pepercerint Ægyptiis, donec omnes alueum ingressi sunt, & à redeuntibus suffocari; nam nec sic dicetur propriè noua mors, maximè cùm diluuio perijssent longe ante tam multi. Nonus in aquis pereundi modus fuit, nec prius vnquam visus; vel iuxta proprietatem nominis peregrinus, id est, planè mirabilis; vt solent res desforis aductæ, non amplius visæ sua illa peregrinitate admirationem excitare. Vulgo quoque dicimus (*vna cosa strana, ne mai piu vista, o vdita, vn caso strano, vn huomo strano*; &c. ferè intelligentes de rebus malis. Sic vidimus capite 16. [a] nouas appellatas aquas, & grandines, & pluuias, ξένοις ὑετοῖς, &c. Præterea nouum dicitur videndum, nec antea visum. Vnde mortis illud genus, cùm terra essent absorbendi seditiosi, vocat Interpres rem nouam [b], quæ dicitur Græcè φάσμα, *visio*. Confirmari possit erudita præsens interpretatio: Interpretis, nouæ mortis pro magna, nimia, mirabili, prodigiosa, Poëtæ [c] testimonio ..

a vers. 16. b Num. 16. 30. c Virg. 8. Aeneid.

——— *noua Neptunia cæde rubescunt.*

Nam non erat reuera noua cædes, cùm alia præcessissent bella ciuilia, & cædes in illis aruis, sed magna, & nimia, vt obseruat Seruius. Eodem pacto nouũ dixit pauorem [d] pro magno, ingenti, insolito: noua carmina [e] pro magnis & mirandis. [Nam cum nouitas faciat admirationem, ait idem Scholiastes, inde quæ admirabilia sunt, retrouersum noua dicuntur.]

d Virg. Aen. 2. e eclo. 3.

Gulielmus Fornerius in notis ad Cassiodorũ confirmat hanc nom nonnulli aliis testimoniis, vt ipsiusmet Cassiodori scribentis nouum esse sub aspectu Principis custodire modestiam, id est, arduũ magnúmque: præterea Galeni, qui τὸ καινικῶς apud Hippocratem exposuit γεννικῶς, ἰσχυρῶς, σφοδρῶς, *generosè, vehementer, valdè*. Adde apud Ciceronem [f] nouum crimen: apud Horatium [g] noua monstra: rursus apud Virgilium [h] nouum prodigium; quod Ventidius apud Gellium [i] vocat portentum inusitatum, recens.

f 1. pro Ligario. g lib. 1. ode 2. h 3 Aeneid. i lib. 15. c. 4.

Vers. 6.] Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deseruiens tuis præceptis, vt pueri tui custodirentur illæsi.

SImilis fuit capite decimosexto [k] sententia; *creatura enim tibi factori deseruiens exardescit*, &c. Quasi omnis ad auctoris nutum creatura nouam induat formam; vt deinceps docetur exemplis columnæ nubis, siccatíque maris, &c.

k vers. 24.

Omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur.] Græcè (ὅλη ἡ κτίσις ἐν ἰδίῳ γένει πάλιν ἄνωθεν διετυποῦτο, *omnis creatura in proprio genere rursus ab initio refigurabatur.*) Vatablus totam sententiam reddit hic: *siquidem res omnes creatæ commissa sibi cura subseruientes in suo genere, aliam de integro figuram, vt illæsi filij tui conseruarentur, induêre.*) Sensus est, vniuersam propemodum creaturam in suo quamque genere & natura permanentem ita in Hebræorum gratiam esse transmutatam, vt rursus videri posset à Deo reformata, à quo in principio formata factáque fuerat.

Ad suum genus ab initio refigurabatur.] Iam dixi Græcè esse (*in proprio genere rursus ab initio reformabatur.*) Itaque non significatur creaturã ad generationis suæ originem, vel ad suum generatorem cõuersam siue reuersam, atque per obedientiã potentiam ad illum se reflectendo, & ei obediendo, transformatã esse: quãuis hæc vera sint, & ab Expositoribus Latinis tradantur. Sed simplicior sensus est quem attulimus, vnamquamque rem

in

in ſuo genere ſeſe ad creatoris voluntatem accommodaſſe, ac veluti nouam formam ab ipſo recepiſſe. Vnaquæque verò res, omniſque creatura non ſimpliciter intelligitur, ſed elementorum,& earum rerum quas adhibuit Deus ad Hebræorum beneficiū, & ſupplicium Ægyptiorum.

Bonauentura in eo refigurationem ſpectauit, quòd iterum ſimilitudinem recuperauerint creaturæ, & veluti conditionem, ne nocerent hominibus in innocentiæ ſtatu, verbi gratiâ, aquæ ſubmergendo, ſpinæ pungendo, ignis comburendo. Eſto hic admittatur ſenſus, non exiſtimandum defuiſſe vim illam etiam in dicto ſtatu rebus naturalibus; ſed homines partim cauendo per propriam prudentiam, partim ſingulari tectos diuina prouidentia, nullam à rebus, alioqui per ſe noxiis, noxam accepturos. Qua de re alibi quoque diximus, vt & de obedientiali potentia tam paſſiua ad recipiendum, quam actiua ad agendum, quæ ſunt ſupra vires naturales.

Præceptis tuis.] Græcè (*ἰδίαις ἐντολαῖς, propriis præceptis.*) Addunt alij *tuis, tuæ.*

Verſ. 7.] Nam nubes caſtra eorum obumbrabat;& ex aqua, quæ antè erat, terra arida apparuit,& in mari rubro via ſine impedimento,& campus germinans de profundo nimio.

DE nubis obumbrantis diuino munere ſub nomine velamenti diei, vel etiam columnæ, diximus capite decimo [a], necnon de columna ignis. Nunc mentio de nube fieri videtur propter aliud beneficium, quo ſubmerſi ſunt Ægyptij, vt his denſiores tenebras illa offunderet. Sed clariùs id traditur in Exodo [b], cùm ita ſcribitur; *Iámque aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis* (quæ ſcilicet erat eadem, vt eo diximus priore loco) *interfecit exercitum eorum*: & paulo ante [c]; *Tollénſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël, abiit poſt eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſraël: & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem; ita vt ad ſe inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.* Sic libro illo. Vnde fit, vt eadem met nubes antea ſolita Hebræorum caſtra præcedere, ſubſecuta nunc ſit, quia nocte mouenda fuerunt ad mare tranſeundum ſicco veſtigio; vt ſic interpoſita inter illa caſtra, & caſtra Ægyptiorum, verſáque illa ſolito reddens obſcuriorem ipſis noctem, impediret ne cùm cernere nequirent Hebræos, eos inſequerentur.

Cantacuzenus exponit quòd ἡ νεφέλη, quæ hoc loco dicitur τὴν παρεμβολὴν σκιάζουσα, modò quidem præibat, cùm retrò nullos haberent Hebræi qui premerent, vel vrgerent: modò verò, cùm id eueniſſet, & illos ponè ſequerentur Ægyptij, eandem Deus ad extremum Hebræorū agmen transferebat, vt caliginem ac tenebras hoſtibus offunderet. Bonauentura, Oleot, Lyranus, Carthuſianus idem ſentiunt: Hugo & Oſorius de ſola obumbratione diurna aduersùs æſtum.

Terra apparuit arida.] Græcè (*ξηρᾶς ἀνάδυσις γῆς ἐθεωρήθη, aridæ ortus*, vel *emerſio terræ apparuit*, ſiue *conſpecta eſt.*) Refellitur hinc eorum ſententia, de qua egimus capite decimo [d], qui dixerunt calcaſſe aquas ipſas, & ſuper ipſis Hebræos ambulaſſe.

a verſ.17.
b c.14.24.
c verſ.19.20.
d verſ.18.

A Poëticè magis loqui Tertullianus [a] intelligendus eſt quam verè, cùm id in carmine dicere videtur; — a 2. contra Marcio. c.3.

Calcauit fluctus, hoſtes demerſit in vndis.

Campus germinans.] Græcè (*χλοηφόρον πεδίον, herbifer campus.*) Dicto capite decimo docuimus ſub mari herbas, plantas, ſyluas eſſe. Sic poſſumus præſentem locum propriè interpretari, non tantùm quod qui extitit campus, ferre poſſet herbas. Id tamen Expoſitores, etiam Ianſenius & Sà, figuratè dictum volunt, nempe quòd via illa in mari fuerit Hebræis loco campi germinantis, quoniam cùm ſumma alacritate & lætitia per illam tranſibant. Noſtram ſententiam præ ſe fert Oſorius, ac Vatablus. Plinij [b] quoque de mari rubro
B teſtimonium protulimus, & Pineda [c] nobis aſſentitur. Quòd ſi Iob librum ipſe ſuum compoſuit Moſe antiquior, & non Moſes, vt idem auctor [d] contendit cum multis, volens etiam Iob fuiſſe quintum ab Abraham, haud potuit intellexiſſe Iob de hac Ægyptiorum in rubro mari ſubmerſione, quando ſcripſit [e]: *In fortitudine illius repentè maria congregata ſunt* (priùs nempè diſgregata, vt iter Hebræis pateſceret) *& prudentia eius percuſſit ſuperbum* (ſcilicet Pharaonem, & Ægyptios.) Niſi dicas locutum prophetiçè.

b lib.13.c.25.
c in Iob.c.26. verſ.5.n.11.
d præfat. in Iob c.5 & c.1. verſ.1.n.41 & ſeqq.
e 26.12.

De profundo nimio.] Græcè (*ἐκ κλύδωνος βιαίου, de tempeſtate violenta.*) Citato eodem capite decimo diſſeruimus de aquarum profunditate, necnon in hiſtoria Apoſtolica [f]. Inſtituit eadem hac
C de re diſputationem noſter idem Pineda in opere de rebus Salomonis [g]. Docet mare rubrum magis quàm cætera, vt ſcripſit quoque Mela [h], procelloſum, aſperum, profundum eſſe, propter iuncos, ramóſque frutices, & alias arbores magna ibi copia prouenientes, & ob latera cauernoſa, ac prærupta, prominentia vada, rapidum aquarum curſum, impetúmque, fluctuum frequentes conuulſiones, littora aſpera, ex quibus vortices exiſtant, atque vertigines periculoſiſſimæ.

f c.27.28.
g lib.4.c.12. & 13.
h lib.3.c.7.

Teſtis præterea Hieronymus [i] quòd mare illud latentibus ſaxis vadíſque duriſſimis plenum ſit omne; & in nauigando ſpeculator doctus in ſumma mali arboris ſedeat, & inde regendæ, & circumflectendæ nauis dictata præbeat. Monet
D etiam Pineda, cùm quantum fieri poteſt miracula multiplicari non debeant, & in his ipſis edendis parcior Deus eſſe ſoleat, ſi tranſitus contigit ea parte maris, qua ſyluæ erant, & modò dicta impedimenta, Deum illas difficultates reſecuiſſe, atque ſic, vt eſt in Pſalmo [k], deduxiſſe in abyſſis, ſicut in deſerto; ita vt tranſirent in pace, & ſemita (propter commodam ſoli mollitiem) in pedibus non appareret [l]. Adhæc ſentit non fuiſſe de nouo exaltatam viam, vel exæquatum iter ad littoris altitudinem, ſed Hebræos in ipſum fundum ingreſſos, ac ſicco pede id calcaſſe. Cæterùm non eſt audiendus R. Samuel in epiſtola de Iudæorum ſtatu ad R. Iſaac [m], cùm de Chriſti aſ-
E cenſione agens, ait mirari nos non debere, quòd aër iſte leuis, & ſubtilis poſſit portare corpora tam groſſa, & ponderoſa; quia nos ſcimus, quòd aqua, quæ eſt in raritate ſimilis aëri, quando placuit potentiæ omnipotenti, portauit corpora filiorum Iſraël in eorum exitu de Ægypto. Sapiens hoc loco affirmat terram apparuiſſe aridam, & alibi [n] apertè dicitur verſum mare in ſiccum, & deſertum. Permanaſſe tantæ rei famam ad alias gentes, nō modò Rahab [o] teſtata eſt, & Achior [p], ſed etiam Artapanus apud Euſebium [q].

i epiſt.4.
k Pſ.105.9.
l Eſa 41.3.
m c.13.
n Exod 14.21 Ioſue 2.10. Iudith 5.12. 14. Pſ.105.9. Abac 3.15. Eſa.63.11 & ſeqq.
o Ioſue 2.10.
p Iudith 5.17.
q 9. de præp. c.vlt.

Verſ. 8.] Per quem omnis natio tranſiuit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monſtra.

MIrabilia & monſtra.] Græcè (θαυμαστὰ τέρατα.) Deeſt coniungens particula. Præter ea quæ toties dicto capite de mirifico illo Dei opere attulimus, facere huc poteſt quod Abacuc in cantico ſcribit [a]; *Maledixiſti ſceptris eius* (id eſt, Principibus) *capiti bellatorum eius,venientibus vt turbo ad diſpergendum me. Exultatio eorum, ſicut eius qui deuorat pauperem in abſcondito.* Nimirum vbi compertum eſt, vt antè dixi, Hebræos coarctatos eſſe in terra, & concluſos in deſerto, Pharao faſtu incredibili ſuos expediuit contra illos, haud aliter quàm Turnus allocutus [b]:

[a] c.3.14. [b] Aeneid 9.

——— Ergo maria inuia Teucris,
Nec ſpes vlla fugæ, rerum pars altera adempta eſt.
Terra autem in manibus noſtris: tot millia gentes
Arma ferunt Italæ; nil me fatalia terrent,
Siqua Phryges præ ſe iactant reſponſa Deorum.

Pergit poſtea diuinus Poëta [c]; *Viam feciſti in mari equis tuis* (cùm aſcendiſſet ſuper eos & quadrigas ſuas [d], id eſt, aduocaſſet nubes & validiſſimum ventorum impetum) *in luto aquarum multarum* (arefaciens & exſiccans lutoſum maris fundum.) Sed & eodem accipiunt quidam ſenſu illa alia eiuſdem; *Percuſſiſti caput de domo impij* (interimens Pharaonem, vel certè primogenitum eius priùs cum reliquis primogenitis) *denudaſti fundamentum eius vſque ad collum* (demergens Regem vſque ad primores.) Lege Commentarium eruditum Antonij Gueuaræ.

[c] Abac.3.15. [d] ibid.8. [e] verſ.13.

Verſ. 9.] Tanquam enim equi depauerunt eſcam, & tanquam agni exultauerunt, magnificantes te Domine, qui liberaſti illos.

ALacritatem, & celeritatem tantæ multitudinis, ſpatio temporis tam breui per adeò magni loci ſpatium pertranſeuntis indicat hæc ſimilitudo. De re ipſa dictum priùs, déque cantico, quo Hebræi euadentes celebrauerunt Deum.

Tanquam enim equi depauerunt eſcam.] Græcè (ὡς ἵπποι ἐνεμήθησαν.) Ianſenius exiſtimat hoc & ſequenti exemplo denotari populum à Deo in deſerto enutritum optimè, inſtar equorum & agnorum, qui in pinguiſſimis & amœniſſimis paſcuis paſcuntur. Sà nominatim intelligit de manna. Lyranus & Carthuſianus depaſtionem iſtam ſumunt pro armis, cæteriſque ſpoliis Ægyptiorum ſubmerſorum, quæ receperunt Hebræi. Cæteri eo modo quem dixi, pro ingenti lætitia: etſi prioribus nonnihil quoque fauet Bonauentura, qui prætereà vult alludi ad recitata verba Abacuc; *Viam feciſti in mari equis tuis.* Omnes verò in his obſeruant hinnitum, quem equi bene præſertim paſti edere ſolent; imò Vatablus ambigit num hîc potiùs legi debuerit ἐχρεμέτισαν, *hinnierunt*, ſcilicet præ lætitia. Cantacuzenus vtitur verbo eodem Græco, quo & nos, ἐνεμήθησαν. Haud porrò minor ad Eſaiam [f] alluſio, cuius hæc ipſa de re ſunt hæc omnia. *Vbi eſt qui eduxit eos de mari cum paſtoribus gregis ſui?* (cum Moſe & Aaron: nil mirum ergo ſi de equis & agnis petitur comparatio.) *Vbi eſt qui poſuit in medio eius ſpiritum ſancti ſui?* (ventum vrentem, qui mare exſiccauit,

[f] c.63.v.11.12.14.

A non Angelum duntaxat ductorem, vel afflatum diuinum, quo prædìti paſtores regebant.) *Qui eduxit ad dexteram Moyſem brachio maieſtatis ſuæ* (honoris causâ collocans veluti ad dexteram, & roborans illum potentia ſua ad patranda mirabilia) *qui ſcidit aquas ante eos, vt faceret ſibi nomen ſempiternum. Qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem: quaſi animal in campo deſcendens; Spiritus Domini ductor eius fuit: ſic adduxiſti populũ tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ.* Videri poteſt reſpexiſſe Auctor ad campum germinantem, de quo dixerat; vt quemadmodum in eo equi, aliáque iumenta laſciuiunt & ſaliunt herbam carpendo, ſic mille lætitiis inceſſerint Hebræi, & infinito gaudio tripudiauerint choros agendo, & cantando B poſt ſubmerſos Ægyptios, & opimam reportatam prædam. Ineptum eſt quod Olcot [a] exponit *depauerunt*, id eſt, audacter & ſine pauore ſe habuerunt.

[a] lect.108.

Tanquam agni exultauerunt.] Græcè (ὡς ἀμνοὶ διεσκίρτησαν.) Similis comparatio extat in Pſalmo 113. [b] exultantium montium ſicut arietes, & collium ſicut agni ouium: qua proſopopœia ſignificari quidam volunt maris exſiccationẽ, ob quam vicini montes vel mirantes prodigium, vel populo gratulantes veluti tripudiauerint. Id Rabbini reuera non figuratè ſumendum docent, ita vt mons Sinai, v. g. ſe verterit, & curuauerit inſtar C tinæ, vt refert R. Iſaac; nec diſſentit Genebrardus [c]. Par alia ex vitulo ad aliud propoſitum ſimilitudo; *comminuet eas* (inquit Dauid [d]) *tanquam vitulum Libani:* aut, vt vertit Hieronymus, *diſperget:* nimirum cedri diſiectæ vi turbinis, ventique à Deo immiſſi videbantur ſaltibus agitare ſeſe, ac in partes huc illúcque diſſilire. Denique Iob [e] adhibet eandem loquendi formulam; *Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus.*

[b] verſ.4.6. [c] in Pſal. 113. [d] Pſal.28.6. [e] c.21.11.

Magnificantes.] Græcè (αἰνοῦντες, *laudantes.*) Lege canticum Moſis [f].

[f] Exod.15.

D *Verſ.* 10.] Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muſcas, & pro piſcibus eructauit fluuius multitudinem ranarum.

LÆtitiam Hebræorum inter tot beneficia non parum augebat, quòd meminiſſent quantas in eorumdem gratiam Ægyptiis plagas, cùm adhuc degerent in Ægypto, irrogauiſſet. De muſcarum plaga actum capite 16. [g] vbi vocantur μυῖαι, quæ hîc numero ſingulari σκνὶψ, quam vocem pro culice & ſciniphe quoque vſurpant: & dicitur prætereà κνὶψ, de quibus nominibus, E non ſolùm de re, conſulendus Vlyſſes [h] Aldourandus. Vatablus reddit hoc loco *pediculos:* Oſorius *culices.* Muſcas verò animalibus opponit, non quòd etiam ipſæ, vel ranæ, & piſces non ſint animalia, vt penè adhuc puer memini narrari cũ riſu de neſcio quo tractatore, qui diceret; hactenus de piſcibus, nunc de animalibus: ſed quoniam muſcæ quidẽ ac ranæ, aliáque alia animalia quæ ex putri materia exiſtunt, cùm initio creata non ſint à Deo, vt hîc notat Cantacuzenus, & vilia ſint admodum atque inutilia, videntur eo nomine indigna: piſces verò magis remoti ab oculis

[g] verſ.9. [h] 3.de inſectis c.5. de culicibus.

noſtris,

nostris, ac delitescentes in aquis. Cæteri quoque Enarratores idem innuunt; maximè autē vt animalium nomine intelligantur vtilia, & quæ non sponte, sed per propagationem generentur. Id sibi forsan vult γένεσις ζώων, & *natio* generationem significat. Sà declarat pro natione, id est, loco nascentium. Sumunt Græci aliquando ζῶα pro bestiis, hominem separando ab illis: sed non memini inter ζῶα quibusdam brutis nomen hoc attributum, vt ab aliis generis eiusdem distinguuntur.

Pro piscibus eructauit fluuius multitudinem ranarū.] Græcè (ἀντὶ δὲ ἰχθύων ἐξηρεύξατο ὁ ποταμὸς πλῆθος βατράχων, *pro aquatilibus autem*, &c.) Sunt ἔνυδρα quæcumque animalia quæ naturaliter aqua gignere solet, quæ dicimus aquatica, vel aquatilia: ranæ autem, etsi in aquis agunt, non generantur naturali satu animalium, sed ex putri quapiam vilique materia humidiore sponte proferuntur; ac pluuia etiam tenuis delapsa ranarum sæpe multitudinem repentè producit, vt primùm dispositam attingit terram. Sic quidem Cantacuzenus. At certum etiam est pisces aliquos nasci sponte, sine coitu, & ex terra arenosa, limóve, quæ generali nomine possunt appellari ἀφύαι: etsi ἀφύαι, Latinè *apua*, speciem certam designant illo quoque modo generatam. Plura Bellonus, Rondeletius, Gesnerus in tractatibus de aquatilibus, & post alios accuratissimè Vlysses Aldourandus [a]: & ἔνυδρις, qui Latino vocabulo *lutris*, est serpens aquatilis, seu in aquis viuens; suntque quos appellant hydros masculos, fœminas hydras. Sed ad rem non faciunt.

a lib. 3. de piscib. c. 28. & seqq.

Quod attinet ad ranas, earum describitur in Exodo [b] plaga, qua percussi sunt Ægyptij. Ibi [c] pariter est ebulliisse fluuium ranas, Nilum scilicet in primis; sed alios quoque minores, necnon riuos, & paludes, aliásque aquas [d]: cùm autem precibus Mosis interiissent [e], congregatas in immensos aggeres, terrámque computruisse. Credi potest ex omni genere ranas excitatas, non purè aquaticas tantùm, & in solis natas aquis, verùm etiam quas rubetas appellant [f], & in aquis quoque degunt, non in sola terra, & calamitas [g]. Mirum id accidit, vt hoc aquatiliū genus in diuersi elementi coloniam, vt Philo [h] loquitur, id est, in terram, natura mutante rerum vicissitudines, immigraret. Sed & in aquis ipsis earumdem vis erat magna, nec nisi sanie ipsarū vitiata hauriri aqua poterat, vt scribit Iosephus [i], immorientibus illarum plerisque, atque putrescentibus. Addunt Hebræi subiisse corpora & viscera ipsa hominum, per os dormientium, & per alios meatus. Refutat id Abulensis [k], quoniam sic essent mortui Ægyptij: R. autem Abenezra reiicit dicentes crocodilos è Nilo exiisse, & homines rapuisse. R. Iacob ex vetere traditione refert ranas non in intimis penetralibus Ægyptiorum natas per putredinem, sed in ea per penetrationem videlicet dimensionum intrasse. Lege Genebrardum [l]. Consimilia ranarū prodigia alia legi possunt in Athenæo [m], Plinio [n], Orosio [o].

b c. 8. 1 & seq.
c ibid. 3.
d vers. 6.
e vers. 13.
f Plin lib. 8. c. 31. & lib. 32. c. 5.
g lib. 32. c. 7. & 10.
h 1. de vita Mosis.
i 2. Antiq. c. 13.
K Exod. 8. q. 2.
l in Ps. 104. 39.
m lib. 8. c. 2.
n lib. 8. c. 29.
o lib. 3. c vlt.

Vers. 11.] Nouissimè autem viderunt nouam creaturam auium, cùm adducti concupiscentia postulauerūt escas epulationis.

Vers. 12.] In allocutione enim desiderij, ascendit illis de mari ortygometra, & vexationes peccatoribus superuenerūt, non sine illis, quæ antè facta erant, argumentis per vim fulminum: iustè enim patiebantur secundùm suas nequitias.

DE ortygometra siue coturnice ad Hebræos à Deo missa disputatum capite 16. [a] simul de vexatione fulminum cum pluuiis, grandinibus [b], &c.

a vers. 2. & seq.
b ibid vers. 16. 17. 18.

Nouissimè.] Græcè (ἐν ὑστέρῳ, *in posteriore tempore, postea, deinde, deinceps.*) De vsu istius ac similium vocum egimus in capite 2. historiæ Apostolicæ [c].

c vers. 17.

Nouam creaturam.] Græcè (γένεσιν νέαν.) Sic in capite illo 16.[d] nouus vocatur sapor ortygometræ in escam paratæ, nouáque esca: sed alio epitheto ξένη γεῦσις. [Noua erat creatura, inquit Bonauentura, quia priùs inuisa; vel non in deserto; vel non in tanta multitudine:] addidi citato loco, quoniam saporis erat iucūdi, licèt cùm aliqui fortassis aliquando essent priùs experti. [Nouam creaturam auium, ait auctor de mirabilibus Scripturæ [e], vtique ostensam, non nuper creatam.] Quapropter non ego æquè vt Cantacuzenus verosimile iudico, quæ iam nobis coturnix dicitur, non illam esse, quæ tunc admirabiliter pro cibo populi deposcentis comparata est, sed aliud fuisse quoddam genus illud, atque omnino diuersum. Neque assentior inde primùm ortum habuisse, atque adhuc conseruatam esse auis eam speciem. Multo minùs, vt manna omnium ciborum supplebat vicem, ita etiā harum auium carnes pro cupiditate adhibentis variarum epularum loco fuisse. Non alium legi horum adstipulatorem; sed omnes mihi constanter videntur diuersorum ex vna re perceptorum saporum priuilegium vni manna tribuere. Nouam autem auis formam nomine coturnicem, vel ortygometram à nostrate diuersam inducere, nouum quoque ac inutile censetur.

d vers. 2. 3.
e lib. 1. c. 27. apud Augu. tom. 3.

Escas epulationis.] Græcè (ἐδέσματα τρυφῆς, *escas deliciarum, cibos delicatos.*) Interpres nomen solum τρυφῆς vertit nonnunquam *epulationem* [f]; & *epulari* loco verbi εὐφραίνεσθαι [g], quod lætitiam & hilaritatem importat; vel pro ἑορτάζειν, quod est *festum celebrare* [h]. Hebræa verò sunt חָגַג *chagag*, & שָׂמַח *samach*. Forsitan legerat hoc loco Interpres τροφῆς pro τρυφῆς. Vulgaribus linguis epulum solenne vocant *festinum*, quasi festiuum, aut paruum festum. Isidorus [i] epulas deriuat ab opulentia rerum, déque lautis intelligit, & non in quotidianum vsum paratis, dum tamen à priuatis parentur; nam si à Regibus, dapes vocandas. Cibum docet esse omne id quo vescimur, & ore capimus, sicut escam, quam os capit. Victus & alimentum generaliùs patent, & complectuntur quidquid esui, potui, cultui, vitæque necessitatibus seruit; vt etiam tradunt Iurisconsulti [k]. Notum epulonum apud Romanos nomen, qui Diis epulas instruebant, & dicuntur eodem quoque nomine quilibet conuiuæ. Iam trito sermone is, de quo apud Lucam [l] Christus, intemperans ac immitis diues, epulo cognominatur, ὁ εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς, *epulatus quotidie splendidè.*

f Eccli 37. 32.
g Eccli. 39. 36. Psal. 67. 4. Deut. 12. 12. Luc. 15. 19. & alibi.
h Ps. 41. 5.
i 20. etymol. c. 1.
K ff. de verbo. signif. l. verbo victus & ff. de alimen vel cib lega. l. legatis & l. diaria & l. vlt.
l c. 16. 19.

In allocutione enim desiderij.] Græcè (εἰς παραμυθίαν, *ad consolationem.*) Lege caput tertium [m] & octauum [n] de allocutione pro consolatione.

m vers. 18.
n vers. 9.

Ortygometra.] De vocabulo isto dixi cap. 16. [o]

o vers. 2.

Vexationes.] Græcè (τιμωρίαι, *supplicia*) & qui-

dem

dem propriè ad vindicandam τιμὴν, id est, *honorem* alterius, teste Gellio [a], nempe quod ad rem facit, Dei. Sed nos id aliàs notauimus.

Non sine illis, quæ antè facta erant, argumentis.] Græcè (οὐκ ἄνευ τῶν γεγονότων, aliàs προγεγονότων τεκμηρίων.) Priores intelligit plagas Ægytias, antequam prorsus interirent in mari rubro, de quo, paulo antè actum est, Ægyptij. Nam hos, & non, vt Hugo sensit, Hebræos Auctor designat istis verbis.

Per vim fulminum.] Græcè (βίᾳ τῶν κεραυνῶν.) Omnes Latini Expositores antiqui, & Complutenses, Regij, aliique codices legunt cum errore manifesto (*fluminum*) & illi declarant de conuersis aquis in sanguinem, de ranis, de submersione. Quare iam non licet priorem illam lectionem recipere [b]. Per fulmina, seu fulgura possemus non solum accipere, vt paulo antè significaui, illa quæ simul deciderunt cum plaga grandinis, & capite 16.[c] denotantur ignis nomine; sed etiam quæ Deus in Ægyptios eiaculatus est iam ingressos mare rubrum, vt pridem quoque retulimus [d] ex Iosepho, & hoc loco sentit Iansenius. Planior tamen primus sensus, vt scilicet è regione beneficij coturnicum ad satiandos Hebræos, mentio fiat, quemadmodum dicto capite 16. de igne fulminum, quo vnà cum grandine fruges Ægyptiorum attritæ fuerint ac deletæ. Posset adhuc effici noua quædam sententia, vt in genere dicantur Ægyptiis peccatoribus vexationes superuenisse tum submersionis præcipuè, tum aliæ (*& vexationes peccatoribus superuenerunt:*) verùm non absque præcedente aliorum peccatorum exemplo, qui pariter vexati fuerint (*non sine illis, quæ antè facta fuerant, argumentis*, id est, signis & indiciis vexationum, τεκμηρίοις τιμωριῶν, οὐκ ἄνευ τῶν προγεγονότων τεκμηρίων:) quales peccatores præcesserant Sodomitæ; quorum per ignem, sulphur, & fulgura ac fulmina deflagratio excidiúmq; percelebre erat [e], nec Ægyptiis ignotum, & tanti supplicij inter alias causa inhospitalitas; quam inhospitalitatem Ægyptij tali aliorum non edocti malo, nihilominus exercuerunt in Hebræos. Vnus hoc explanat ex antiquis modo Cãtacuzenus, & post eum, etsi, opinor, non vidit eius scripta, Iansenius: nec negare possunt alij, cùm de Sodomitis quæ sequuntur hic deinceps intelligi necessariò debeant, vt quod de cœcitate dicitur [f], & quædam alia. Pineda [g] omnia intelligit de Ægyptiis, & in huius loci commentario Castro. Hic verò præterea probat Artapani [h], Philonis [i], Iosephi [k] testimoniis, antequam obruerentur aquis Ægyptij, multos eorum interfecisse Deum eiaculatis è nube fulminibus.

a lib.6.c.14.
b vt facit Pineda Iob.33. vers.16.n.10.
c vers.16.17. 18.19.
d c.10.19.
e Gen.19.
f vers.16.
g Iob.33.vers. 32.n.3.
h apud Euse. 9. de præpa. euãg.
i 2 de vita Mosis.
k 2. Antiq. c.7.

Vers. 13.] Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt: alij quidem ignotos non recipiebant aduenas: alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant.

COmparatio hîc ac deinceps instituitur inter Ægyptios & Sodomitas in crimine inhospitalitatis: vt Ægyptij deteriores censendi sint, quòd malè tractauerint de se tam bene meritos: Sodomitæ inhumani fuerint aduersùs incognitos. De Sodomitarum inhospitali inhumanitate capite decimo [l] tractatũ est: de meritis Hebræorum propter Ioseph in Ægyptios, eodem loco [m]: de iure ac virtute hospitalitatis Commentario in Actus Apostolorum [a]; de qua etiam virtute Oleot [b] hoc loco affert nonnulla, nempe conditionem hilaritatis, ne adsit murmuratio, ne desint necessaria, ne lucri causâ exerceatur. Item præcipit, vt exceptus hospitio sit contentus, gratus excipienti, beneuolus, non nimis frequens. Postremò tradit emolumenta, lumen diuinum, copiam facultatum, pœnarum condonationem, Angelorum susceptionem. Testimoniis & exemplis omnia illustrat, quibus addi facilè possunt alia similia.

l vers.6.
m vers.14.

Detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt.] Græcè (χαλεπωτέραν μισοξενίαν ἐπετήδευσαν, *grauius ac molestius, minúsque ferendum hospitum, hospitiúue & hospitalitatis odium exercuerunt.*) Fauet expositioni de collatis inter se Sodomitis Ægyptiísque nomen comparatiuũ: nec sola tamen hæc ratio concluderet, cùm comparatiuis vtamur interdum sine certa ad certos alios comparatione.

Alij quidem ignotos non recipiebant aduenas.] Græcè (οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἀγνοοῦντας οὐκ ἐδέχοντο παρόντας.) Vatablus (*nam alij eos qui errabant apud se*, vel *ignotos, non recipiebant:*) Osorius (*nam vel homines tantæ immanitatis ignaros minimè recipiebant.*) De Sodomitis est sermo, qui missos Angelos ad Lot, vt eum vrbe exire iuberent, inquit Cantacuzenus [c], quòd illam Deus delere statuisset, nõ agnoscentes quinam essent, præsentes cùm cernerent, non exceperunt. Innuit Ezechiel [d] hanc eandẽ inter alias iniquitatem Sodomitarum. Participium ἀγνοοῦντας actiuæ significationis indicat illos qui nullã notitiam vsúmve habebant cum Sodomitis, à Sodomitis despectos, ac proinde etiam incognitos apud illos fuisse, nec exceptos hospitio. Celebris admodum Busiridis Pharaonis immanis, sæuissimáque inhospitalitas, qui hospitem Thasium immolauit ad auertendam sterilitatem Ægypti [e]: & de aliis præterea ab eodem immolatis hospitibus, necnon ab Ægyptiis aliis, proditum est literis [f]. Eodem referri potest quod narrat liber Genesis [g] de Pharaone, abstulisse Saram Abramo; Philo namque illam appellat Regis libidinem inhospitalem.

Alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant.] Hi sunt Ægyptij, de quibus proximè dixi. Peiores Sodomitis erant, quòd εὐεργέτας ξένους, *beneficos ac benefactores hospites* Hebræos in seruitutem redegerunt. Nam multis Ioseph modis profuit Ægypto; somnia Regis interpretando; pyramides restaurando; boum iuga propemodum infinita ad colendam terrã fertilitatis tempore comparando; copiosos vberésque fructus ex ea cultura colligendo; prouinciam vniuersam cùm vigeret inopia conseruando; finitimarum gentium opes ad Ægyptios transferendo, atque ipsis seruos & ancillas innumerabiles volentes vltrò, nõ vlla belli vi, sed vna fame compulsos aggregando; familiam suam totam gnaram, strenuam, fœcundam Ægyptiis, vtilem tum in re ciuili seu temporali; tum in Dei vera Religione, in Ægyptum euocando. Copiosa de his narratio in Genesi [h], necnon Psalmo 104. de redactis verò in seruitutem Hebræis in Exodo [i]. Eadem nos in Apostolicis Actibus [k] inter exponendam Stephani concionem tractauimus; & de seruitute mentio facta est huius libri capite decimo [l]. Ibidem [m] ostendimus hanc præ cæteris causam iustam extitisse, cur Ægyptios Hebræi dum egrederentur spoliauerint supellectili tam opima.

a c.10.
b Isd.109.
c Gen.19.
d c.16.49.
e Hyginus in fabul. Ouid. 1 Fast. & alij.
f Euseb. in chron. Arnob. lib. 8. cont. Gent. seu Minutius in Octau. Aug. 18. de ciuit. c.12. Strabo lib. 17. Diodo. Sicu. lib.1.c.4. Plutar. in parall. c.38.
g c.12. 15.
h lib. de Abraham.
i c.41. & seq.
k c.1.
l c.7.17.18.
m vers.15.
n vers.17.

Vers. 14.]

Verſ. 14.] Et non ſolùm hæc; ſed & alius quidam reſpectus illorū erat: quoniam inuiti recipiebant extraneos.

Verſ. 15.] Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eiſdem vſi erant iuſtitiis, ſæuiſſimis afflixerunt doloribus.

ALiud puto cum Cantacuzeno diſcrimen contineri Sodomitarū ac Ægyptiorum inhoſpitalium, quò cognoſcatur deteſtabilior horum quàm illorum, vt priùs eſt dictum, inhoſpitalitas. Nam Sodomitæ non libenter excipiebant hoſpites: at Ægyptij, quos primùm libenter ac feſtiuè admiſerunt, & diu inter ſe iure ac legibus iiſdem viuere paſſi ſunt, perfidè poſtea & crudeliter vexauerunt.

Turpiùs eiicitur quàm non admittitur hoſpes.

Si quis de iiſdem hæc omnia cōtendat Ægyptiis accipienda, vt etiam Ianſenius vult, qui tamen ſuprà receperat eſſe ſermonem de Sodomitis & Ægyptiis, dicat Ægyptios ægrè alioqui ſolitos hoſpitio quemquam excipere, cùm tamen lætitiam in excipienda familia Iacob declaraſſent; deinde mutata voluntate poſteros illius peſſimè tractauiſſe. Apud alios Enarratores diſcrepat nōnihil ſenſus, vt in enucleandis partibus ſententiæ videbimus.

Et non ſolùm hæc.] Græcè (*καὶ οὐ μόνον, & non ſolùm:*) Lyranus (*non ſolùm hæc mala:*) Carthuſianus (*hoc malum:*) Hugo & Bonauentura (*hæc fecerunt:*) Olcot (*hoc fecerunt:*) Vatablus (*non ſolùm hos*) nempe malè tractauerunt: Ianſenius (*non ſolùm prædicto modo obſeruari poteſt inhoſpitalitatis Ægyptiorum ſæuities.*) Cantacuzenus legens ἀλλά τις, nempe (*καὶ οὐ μόνον ἀλλά τις ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτῶν, & quidem Sodomitarum non erit alius vllus reſpectus.*)

Sed & alius quidam reſpectus illorum erat.] Græcè (*ἀλλ' ἤ τις, &c.*) Complutenſes ac Regij (*ἀλλ' ἤ τις:*) alij (*ἀλλὰ καὶ ἤ τις*) vel (*ἀλλ' ἤ τις.*) Latina quoque lectio variat (*ſed & alius quidem*) aut (*alius quis*) aut (*alius quidem quis*) aut (*alius qui*) aut (*alius quiſque*) aut (*alius adhuc.*) Item in nonnullis libris pro *erat* eſt *erit*, ſicut & Græcè ἔσται. Senſum traditum à Cantacuzeno de Sodomitis iam indicaui. Vult Auctorem dicere, non alio quē nomine dignos illos cenſere ſupplicio poſſe (ita vt ἐπισκοπὴ ſupplicium ſit) niſi quia malè hoſpites acceperunt, & hoſpitij iura violarunt. Reliqui ferè de Ægyptiis interpretando, volunt ſignificari præter ea quæ de iſtorum dixerit Auctor inhoſpitalitate, velle ſignificare, aliud quid eſſe, quod afferat alium reſpectum, ſeu inſpectionem, ἐπισκοπὴν, aliud inſpici & conſiderari dignū de malitia eorū, vt ait Ianſenius: vel, vt Sà, aliam rationem agendi cōtra bonum hoſpitalitatis: vel ad aliud malum reſpexiſſe & conſideraſſe, aliámque peruerſam intentionem habuiſſe; vt Hugo, Bonauentura, Olcot, Lyranus, Carthuſianus.

Petrus Nannius & Oſorius videntur ſequi expoſitionem Cantacuzeni, quem, opinor, tamen non legerunt, nec de Sodomitis, vt ille, propriè, ac diſtinctè loquuntur. Nam explicant, ſi vlla vnquam in ſcelera inquiſitio fiet, eam aduersùs hos ipſos inhoſpitales futuram eſſe: peccatum illud ſeueriſſimè vindicandum eſſe, eo quòd omne genus hoſpitum odio proſequantur. Vatablus poſtquam vertit (*nec ſolùm hos, ſed etiam ſi qua eſſet ipſorum viſitatio*) & ex proximè ſequentibus addens

A (*quoniam alienigenas inimicè accipiebant*) tradit explanationem iſtam: Non ſolùm qui accuſantur, vt inhoſpitales hoc loco, eam inhumanitatem exercuerunt erga ignotos, & erga de ſe bene meritos; verùm etiam contra illos ipſos ſuoſmet conciues, qui tales inuiſerent, eorúmve curam ſuſciperent (eſt enim ἐπισκοπὴ viſitatio) ſæuiebant, quoniam inimicè alienigenas omnes excipiebant.

Adhuc alius eſſe poſſet ſenſus, vt non contenti homines illi inhoſpitales non excepiſſe aduenas, & in ſeruitutem redegiſſe, aliam præterea ἐπισκοπὴν haberent, id eſt, *punitionem*, qua ſæui eſſent atque crudeles aduersùs illos. Nonnihil videtur Pineda [a] fauere proferens hunc locum, ſed de B Ægyptiis. Eligo allatam expoſitionem à Cantacuzeno de Sodomitis, cæteras, quatenus redigi ad hanc poſſunt; poſſunt verò non incommodè, vltima excepta, ſi temporis futuri ſignificationē in Græca editione reuocemus ad ſignificationem præteriti, quæ eſt in noſtra. Addo & hoc, vt ſignificetur mitiùs agi potuiſſe cum Sodomitis, minoréque quàm Ægyptios pœna dignos fuiſſe; quoniam eorum non erat adeò barbara & ſæua inhoſpitalitas. In hac acceptione *reſpectus*, ac *reſpectionis*, & ἐπισκοπῆς nomen aliquoties in hoc libro [b] vidimus vſurpatum, nempe pro leniore, ac blandiore veluti coniectu oculorum; aut certè pro diiudicatione.

a Iob.31.verſ. 32.n.1.

b c.1.10.c.3. 6.13.c.4.15. c.14.11.

Inuiti recipiebant extraneos.] Græcè (*ἀπεχθῶς, C odioſè, inimicè*) quod proinde eſt illibenter ac inuitè, tetrico vultu: inimicis enim beneuoli non ſumus, nec bene ex animo facimus. Color & cōdimentum dantis & miſerentis hilaritas [c].

c Rom.12.8.2. Cor.9.7.Eccli.35.11.

Qui autem cum lætitia receperunt hos.] Græcè (*μετὰ ἑορτασμάτων, cum feſtiuitatibus.*) Vatablus (*gaudiorum celebritate:*) Oſorius (*hilari fronte inter ſolemnia ſacra diebus feſtis:*) Ianſenius (*feſtiuis & ſolennibus gaudiis.*) Non intelligendi ſunt Hebræi receptores hoſpitum, vt Lyrano tamen placet, atque Carthuſiano, ſed ipſimet hoſpitio excepti ab Ægyptiis, & ab his quidem ſine diſcrimine, non à quibuſdā duntaxat, vt Olcot [d] ſentit. Nam ſenſus eſt, Hebræos initio bene ab Ægyptiis exceptos, poſteā malè tractatos ab iiſdem. Illud verò contigit, quando D familia Ioſeph venit in Ægyptum [e]. Nec probabile eſt Hebræos frequentaſſe profana Ægyptiorum ſacra, vt indicat Oſorius, licèt epulis publicis, aut ludis intereſſe ipſis permitteretur. Vulgò dicimus excipi aliquem cum feſto, id eſt, hilarè, & cum lætitiæ ſignificatione. Sunt τὰ ἑορτάσματα, res ad feſti celebritatem inſtructæ: τὰ ἑορτάσματα (quæ neſcio an alibi reperiantur quàm hîc) feſtiuæ ipſæ actiones. Interpres *epulandi* verbo reddidit τὸ ἑορτάζειν [f]. Huc verò etiam ſpectant quæ paulo antè dixi de vulgari vocabulo *feſtini* pro conuiuio.

d lect.109.

e Gen.46.& 47.

f 1.Cor.5.8.

Qui eiſdem vſi erant iuſtitiis.] Græcè (*τοὺς ἤδη τῶν αὐτῶν μετεσχηκότας δικαίων, qui iam ipſorum participa-* E *uerunt iuſtorum, qui iam in eiuſdem iuris, legum, inſtitutorum conſortium, participationémve admiſſi erant, & in eandem Rempublicam tranſierant.*) Hoc ipſum ſibi vult editio alia, quæ habet (*inſtitutis*) & eſt in codicibus Regiis, Complutenſibus, & aliis, atque in commentariis Latinorum. Sed non rectè Lyranus, Carthuſianus, Bonauentura, & Olcot exponunt de Ægyptiis, qui eſſent vſi eiſdem inſtitutis contra bonum hoſpitalitatis. Agitur de Hebræis receptis in ſocietatem atque communionem Ægyptiacæ Reipublicæ, & adminiſtra-

tionis

A trionis etiam cuiusdam, praefecturę pecoris Regij, pro vt Ioseph voluerat, ne dispergerentur per prouinciam, & à patre auellerentur; & ne qua aemulatio cum Ægyptiis interueniret, si circa eadem cum illis studia versarentur: nam ei genti non erat licitum greges aut pascua curare. Attributa quoque ipsis est optimo terrae loco Ramesses siue Heliopolis in Gessen [a]. Eandem illam aliam Hugo sententiam videtur sequi, legens (*qui eisdem vsi erant iniustitiis*, aut *eadem iniustitia.*) Nobiscum sentit Cantacuzenus, Iansenius, Sà. Est in neutro genere, & substantiuè τὸ δίκαιον, *ius*, & τὰ δίκαια, *iura*, & haec aut illud ἔχειν, est habere ius & iura, officium & officia, conditionem & conditiones easdem.

a Gen 47.6. 11. & Ioseph. 2. Antiq c. 4. vel 7.

B Nec improbabile est innui Hebraeos in Ægypto iisdem vsos ritibus ceremoniisve, ac iuribus religiosis, in quibus vinculum coniunctionis maximum solet esse, quamuis applicado ad veri Dei cultum: vt quia difficilè dedisci, ac deponi poterat huiusmodi factorum obseruatio, Deus iniungi voluerit à Mose, ac omnino verae Religioni addici; vt non pauci Patres notauerunt.

Saeuissimis afflixerunt doloribus.] Graecè (δεινοῖς ἐκάκωσαν πόνοις, *grauibus vexauerint laboribus.*) Non quia Hebraei viuentes in Ægypto externos exciperent hospitio, vt innuunt tamen vetustiores illi Latini: vel non hac praesertim de causa; sed cùm vererentur Ægyptij, ne multitudine viribúsque superiores euaderent, vt est in Exodo [b], & in cap. 7. [c] Actuum Apostolicorum, vbi nos hac de re diximus. Lege Pererium [d]. Certè nec Philo [e], nec Iosephus [f] meminerunt de causa illa hospitum exceptorum.

b c. 1. 7. & seq.
c vers. 17. & seq.
d in Exod c. 1. disp. 3. 4. 5. 6. 7.
e 1. de vita Mosis.
f 2. Antiq. c. 4. vel 7. & 2. cont. Apionem.

Vers. 16.] Percussi sunt autem caecitate: sicut illi in foribus iusti, cùm subitaneis operti essent tenebris, vnusquisque trãsitum ostij sui quaerebat.

MAgis inhospitales Ægyptij quàm Sodomitae pari plexi sunt caecitatis poena: Ægyptij per plagam tenebrarum [g], quae iampridem suprà declarata est [h]: Sodomitae [i] per aorasiam, vt hoc item loco nominatur, siue acrisiam, & auidentiā, non per externas tenebras. De hac aorasia dixi quoque in expositione historiae Sauli à Christo vocati [k], & attuli praeterea simile exemplum percussorum ab Elisaeo [l].

g Exod. 10.
h c. 17. 2. & seq.
i Gen. 19. 11.
k Act. 9. 8.
l 4. Reg. 6. 18.

Caecitate.] Graecè (καὶ ἀορασίᾳ) etiam Ægyptij. Lege de hac aorasia, quam & excogitato nouo nomine vocat auidentiam, Augustinum [m], cùm differit de Christi suscitati claritate ab oculis discipulorũ abscondita. [Cùm aliquid, inquit, quasi definiendo aorasiam, non videtur, quamuis adsit, à quibus alia, quae pariter adsunt, videntur, sicut illam claritatem dicimus adfuisse non visam, à quibus alia videbantur, ἀορασία Graecè dicitur, quod nostri Interpretes Latinè dicere non valentes, in libro Geneseos [n] caecitate interpretati sunt. Hanc enim passi sunt Sodomitae, quando quaerebant ostium iusti viri, nec poterant inuenire. Quę si caecitas fuisset, quã fit, vt nihil possit videri, nõ ostium, quo ingrederentur, sed duces itineris, à quibus inde abducerentur inquirerent.] Sic ille. Nec Ægyptiorum in tenebris vera caecitas fuit, id est, videndi impotentia intrinseca, sed negatio videndi potentia in densis illis tenebris, in quibus nihil planè poterant videre.

m 22 de ciuit. c. 19. & in Gen. q. 41.
n c. 19. 11.

Sicut illi.] Sodomitae. Igitur iam inde à versu 15. comparationem fieri Sodomitarum & Ægyptiorum in crimine inhospitalitatis, bene notatum est.

In foribus iusti.] Nimirum Lot. *Et ecce miserunt*, inquit Genesis [a], *manum viri* (Angeli) *& introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium, & eos qui foris erant, percusserunt caecitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Itaque aorasia Sodomitarum fuit, vt fores Lot inuenire non possent, non autem vt non possent alias: quaerebant enim, nec inueniebant fores Lot; & idcirco has non cernebãt, sed alias & fores, & res. Ægyptiis peius accidit, vt sese loco proprio, in quo erant, mouere nequirent, nihilque aliud videre quandiu tenebrae perdurabant, sicut antea docuimus. Quapropter meritò Riberam [b] Pererius [c] & Ystella [d] refellunt existimãtem sequentia verba, *vnusquisque transitum ostij sui quaerebat*, de Sodomitis intelligenda, hósque ostia domorũ suarum reperire non potuisse, non tantùm domus Lot. Nam de solo ostio Lot locum Genesis passim Expositores accipiunt, necnon Ambrosius [e], Augustinus [f], Gregorius [g], Chrysostomus [h]: nec Ribera diffitetur suam expositionem nouam esse; licèt, quia nixam putat praesenti loco, Spiritus sancti appellet, atque vetustissimam. Fauet hîc Osorius.

a c. 19. 10. 11.
b Sophon. 1. n. 81.
c in Genes. c. 19. disp. 2. n. 19.
d ibid.
e lib. 1. de Abraham. c. 6.
f 22. de ciuit. c. 19.
g 6. moral. c. 16.
h hom. 43. in Genes.

C De Ægyptiis autem dicta verba esse demonstrant tum quae proximè praecedunt, *cùm subitaneis cooperti essent tenebris*; nec enim tenebras passi leguntur Sodomitae: tum quae paulo antè; *Percussi sunt autem* (καὶ, *etiam*) *caecitate* (nempe Ægyptij) *sicut illi in foribus iusti* (Sodomitae in foribus Lot.) Lyranus quidem (*transitum ostij sui*) de ostio Lot intelligit hoc loco, & tenebras de Sodomitis, vt etiam Hugo, Bonauentura, Carthusianus: sed caeteris id videtur quod dixi, etiam Carthusiano in altera expositionum quas tradit, & contextus ac ratio ipsa persuadet. Verbum Hebręum Graecúmque in Genesi [i] denotant Sodomitas in ostio Lot quaerendo plurimum fatigatos esse, ילאו *vaijleu*, *& lassati sunt*, καὶ παρελύθησαν, *dissoluti sunt*, scilicet viribus; &, vt vertit Augustinus [k], *defecerunt*.

i Gen. 19. 11.
k suprà.

D Quamuis aliqui legant παρηλλάγησαν, *pertransierunt*. Id Chrysostomus [l] exponit de luxatione membrorum, & dissolutione, ac veluti paralysi, & de virium, vigoris, ac roboris corporis quantum ad motus, quadam defectione.

l suprà.

Cùm subitaneis cooperti essent tenebris.] Graecè (ὅτε ἀχανεῖ συνεκλείοντο σκότει, Complutenses, Regij, & alij libri, ὅτι, *quoniam, quando vastis*, aut *immensis tenebris circumdati, septi, vallati.*) Significat ἀχανὴς à verbo χαίνειν, id quod non hiat: sed & cum incremento significationis id quod est λίαν χάσκον, quod immani hiatu diductum & apertũ est, verbi gratiã, πεδίον, aut πέλαγος, *campus*, aut *pelagus vastum, immensum, profundum.* Tenebrae Ægyptiacae

E densissimę ac palpabiles erant [m]. In prima notione, quae idem valet ac non apertum, *subitaneas* Interpres *tenebras* reddidit, quia crassitie quadam sua simul semélque velut in instanti conuoluerunt, oppresserunt, & compresserunt, non sensim atque pedetentim, vt res magis rarae tenuésve faciunt.

m Exod. 10.

Vnusquisque transitum ostij sui quaerebat.] Graecè (θυρῶν, *portarum.*) Iam priùs ostendimus de Ægyptiis hoc intelligendum, non de Sodomitis; illósque solùm quod nec videbant, nec inuenire poterant Lot ostium quaesiuisse.

Vers. 17.] In se enim elementa dum conuertuntur, ficut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt: vnde æstimari ex ipso visu certò potest.

ELeganti similitudine demonstratur, omnia parere diuinæ omnipotenti ac sapientissimæ voluntati. Nam ita vti rebus Deum, & ad eum quem velit vsum aptare atque traducere, vt musicum pulsandi peritus instrumentum saluis integrisque fidibus tractat, nunc istum, nunc illum extundens sonum certo & artificioso concentu. Id autem ait constare posse, & oculis quodammodo cerni in iis operibus Dei, de quibus mentionem subiicit.

In se enim elementa dum conuertuntur.] Græcè (δι' ἑαυτῶν γὰρ τὰ στοιχεῖα μεθαρμοζόμενα, *per sese ipsa enim*, vel *inter seipsa elementa aptè transponuntur, ac veluti harmonicè*, vel *conglutinata inuicem & disposita, alioquin tamen transmutantur.*)

Sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt.] Græcè (ὥσπερ ἐν ψαλτηρίῳ φθόγγοι τοῦ ῥυθμοῦ τὸ ὄνομα διαλλάσσουσι πάντοτε μένοντα ἤχῳ.) Nẽpe id accidit elementis aptè inter se conuersis, seu dum conuertũtur & transmutãtur, vt se habeãt sicut in psalterio soni, qui rythmi seu concentus & modulationis nomẽ permutant, sẽper tamen sonum aliquẽ obtinẽt, semper aliquem veluti expectant, semper in aliquo sunt. In capite 13.[a] meminimus inter exempla, quibus ostenditur Deum conditorem esse mundi, & prouidentiam gerere de singulis rebus, musicum instrumentum assignari, quod pulsetur à Deo summa facilitate ac veluti voluptate, ita vt ludens in orbe terrarum dici possit [b]; & nos ex hac ipsa suauissima ceu harmonia mirificè, si attendimus, recreemur.

Organo.] Græcè (ψαλτηρίῳ.) Organi quoque nomen Græcum est, quodlibet instrumentum operis generaliter significans, quasi ἔργανον: sed ad omne musici genus accommodatum, vel ἔντατον, vel ἐμπνευστὸν, vel κρουόμενον, vel ἐπιψαλλόμενον, vel πρόχορδον, vel ἔγχορδον, vel ὑδραυλικὸν, vel τρίχορδον siue τετράχορδον, vel αὐλίδιον, vel κιθαρῴδιον, vel λυρῴδιον: deinde, iuxta vulgi præsertim sermonem, ad certum cui folles adhibentur, & cuius nominis rationem Isidorus [c] refert ad vulgarem consuetudinem Græcorum. Augustinus [d] dicit esse non solùm quod grande est, & follibus inflatur, verùm quidquid aptatur ad cãtilenam, & corporeum est. Eadẽ ferè repetit Amalarius [e], notátque in Psalmo 150.[f] cùm dicitur; *laudate (Deum) in chordis & organo*, organum non esse id quod solemus isto nunc vocabulo appellare.

Varia opinio de primo instrumenti musici auctore, vt videre est apud Polydorum Virgilium [g]. Quidquid profani scriptores tradãt, Iubal diuinæ literæ [h] ex primis hominibus vnum, patrem vocãt cithara canentium. Obseruauit id etiam Iosephus [i], operam dedisse scribens musicæ, psalterio, citharæ; & præterea testis est [k], Dauidem docuisse diuersa organa facere; quæ Virgilius [l] sentit planè diuersa ab his quæ modò nominamus organa, vtpote cùm illa plectro pulsarẽtur (at Iosephus de nablis refert, quæ continerẽt sonos duodecim, & digitis carperentur:) negat verò etiam idem Polydorus de horum inuentore constare. Nonnullos legi tribuentes inuentionem Gerberto, qui fuit Pontifex Syluester huius nominis secundus: alios Georgio Veneto Sacerdoti: quosdam antiquioribus [a].

De psalterio eadem difficultas, & quid propriè sit. Hieron. [b] ait Latine organum dici, Hebraice nabiũ, etsi Latini quoque ea voce vtantur, & nablij, & Græci νάβλα. Hai pã, olim magadin siue magadiũ, quidam contendũt esse viginti & vna intẽtam chordis, & τρίγωνον, *triangularem*, siue *triquetram*. Aliorum aliæ sententiæ. Hoc loco æque cõmune *psalterij* nomẽ, vt *organi*. Nam & cum addito legimus psalterium decachordũ, seu decẽ chordarum: nisi velis esse descriptionẽ psalterij, quód constet tot chordis citharæ simile, in modũ quadrati clypei, & pulsetur sursum, cithara deorsum, vt docet idẽ Hieronymus [c], Augustinus [d], & alij. Quamquam vt diuersa ponũtur aliquãdo [e] secundùm editionem Hebræam & Chaldæam. Sed nec dubium diuersorũ instrumentorum nomina musicorum confundi nonnũquam, vt lyræ, citharæ, chelis, tetrachordi, barbyti, phormingis, &c. Imò Isidorus [f] citharæ numerat species psalterium ipsum, lyram, barbytum, phænicem (fortassis phormingem) pectidem, scindapsum. Egimus & hac de re nonnihil Præfatione in Psalmos.

De organis, quibus nũc vtimur in Ecclesia, tractat Ioannes [g] Stephanus Durantus, meritò Nauarrum [h] confutãs negantem superstite B. Thoma Aquinate horũ adhuc vsum fuisse. Refert autem Iulianum Gregorio Magno vetustiorẽ, commentario in Iob [i] mẽtionem de illis facientem: Glycã [k] & Manassem [l] deferentes Theophilo Imperatori primã inuentionem: Pontificale Damasi, cũ Martino Polono, Platina, Ioannetto & aliis, trãferentes ad Vitallianum Papam anno circiter 660. Aymoinum [m] (cui Gaguinũ adiunge) scribẽtem organa more Græcorũ primùm composita in Francia sub Ludouico Pio, sumptúque ipsius, Gregorij cuiusdam opera (aliàs Georgij) anno 820. Marianũ Scotum (id habet etiam idẽ Gaguinus) dono missa à Constantino Copronymo organa ad Pipinũ. De hoc eodem organorum & instrumentorum musicorũ vsu sacro & Ecclesiastico plura Antonius [n] Demochares & Bellarminus [o]. Quo pacto luxus vitãdus horum in conuiuiis: & quo pacto ad mores varia illorum aptetur ratio, docet Clemens Alexãdrinus [p]: de vario eorundem genere Rhodiginus [q], & Alexander ab Alexandro cum Tiraquello [*]: de hydraulicis Vitruuius [r].

Qualitatis sonus immutatur.] Græcè (φθόγγοι τοῦ ῥυθμοῦ τὸ ὄνομα διαλλάσσουσι, *soni rythmi*, id est, qui edunt rythmum, harmoniam, concentum, *soni harmonici*, & per hypallagen, *qualitas soni mutat nomen.*)

Et omnia suum sonum custodiunt.] Græcè (πάντοτε μένοντα ἤχῳ.) Videri potest Interpres legisse (πάντα, *& omnia*.) Putat Iansenius illud ἤχῳ esse datiuum, & supplendum iota subscriptũ ἤχῳ, & præpositionem ἐν, vel ἐπὶ, vt sit sensus (*semper manentia in sono.*) Idem videtur mihi: nisi legamus ἠχῶ cum accentu in vltima; & accusatiui casus potest esse: & quamuis magis soleat sonum reciprocum vocémve repercussam significare, significat etiam tamen simplicem vocem, sonúmque.

Vnde æstimari ex ipso visu certò potest.] Græcè (ὅπερ ἐστὶν εἰκάσαι ἐκ τῆς τῶν γεγονότων ὄψεως ἀκριβῶς, *quod est æstimare ex factorum visu diligenter*, aut *exactè*:) scilicet ex ipsa rerum experientia quæ gestæ sunt, certa capi coniectura cognitióque potest. Itaque (*certò*) aduerbium est, non nomen, & solita nota aduerbij debet insigniri (*certò.*)

Marginal notes (left): a vers. 9. — b Prou. 8. 30. — c 3. etymol. c. 20. — d in Psal. 56. — e 3. de Eccl. offic. c. 3. — f vers. 4. — g 1. de inuent. rerum c. 14. & 15. — h Gen. 4. 21. — i 1. Antiq. c. 3. vel 4 — k lib. 7. c. 10. vel 12. — l suprà, & lib. 3. c. vlt.

Marginal notes (right): a lege Genebrardi chronologiam. — b proœm. in Psalmos. — c suprà. — d in Psal. — e Ps. 91. 4. — f 3. etymol c. 20. — g lib. 1. de ritib. Eccl. c. 13. — h lib. de ora. & hor. cano. c. 16 — i in c. 38. — k in Theoph. — l ibid. — m 4 de gestis Franco. c. 113. — n lib. de Missa celeb. c. 13. — o lib. 1. de bonis operib. c. 16. & 17. — p 2. pædag. c. 4. — q lib. 9. c 6. — * lib 5 c. 24. — r lib. 10. c. 13.

Nec legendum (*ex ipso certo visu*, vel *visu*.) Visus, vt placet Bonauenturæ, significat, si aspiciatur, id est, consideretur metaphora organi, & veritas rei factæ in populo Dei. Tota porrò sententia similis ei videtur quæ versu sexto continetur, & quæ ibi diximus, huc transferri possunt; tum illud de obedientiali potentia creaturæ, qua vti Deus vt vult, potest; nihil proinde faciendo contra naturam eius, quamuis præter, aut supra.

Vers. 18.] Agrestia enim in aquatica conuertebantur: & quæcumque erant natantia, in terram transibant.

QVàm aptè & quanto veluti concentu creaturæ, quasi ab optimo citharœdo Deo pulsatæ, dum ad vsus eas diuersos adhibuit ab iis ad quos naturaliter fuerant institutæ, suauem ac iucundum edant sonum, inductione ostendit ex animalibus & elementis. Hæc eadem priùs exempla, & eodem ferè modo posita & exposita sunt capite 16. [a]

Agrestia.] Græcè (*χερσαῖα, terrea*, siue *terrestria:*) nec tamen tantùm in agris, vt ait Lyranus, habitantia. Homines intelligit, equos, & similia animalia, quæ ad cōtinentem spectant, & aridam incultámque terrā, & sunt in mari rubro submersa. Voluit Interpres per agrestia animalia intelligere nō fera, vel ferocia, sed omnino extra aquas viuentia ruri, nō in hortis; & hoc pacto maximè opposita iis quę degūt in aquis, vel in irriguis locis, qualis non est χέρσος, id quod dixi significans, aut incultum, atque rudem agrum. Idem iudicium de Hebræis gregibúsque eorum, quibus patuit iter per siccatum mare rubrum.

In aquatica conuertebantur.] Græcè (*μετεβάλλετο, transibant*) in ἐνύδρον proprium locum, scilicet in alueū rubri maris, in quem aquis nudatū ingressi sunt Ægyptij cum equis aliísque animalibus, & illicò submersi; Hebræi autem cum suis gregibus liberè transiuerunt. Quod Lyranus monet de cōuersione non secundùm substantiam; sed secūdùm ambulationem per fundum maris, quæ est habitatio piscium, verum est, ac rectè confirmatur ex verbis sequētibus (*& quæcūque erant natantia, in terrā transibant, μετέβαινεν*) motu nimirum locali. Non hinc tamen quisquam alias conuersiones omnes naturâ differentium rerum colligat impropriias esse, vel accidentales, vt virgæ Aaronis in colubrum [b], petrarum in aquas [c], harum in sanguinem [d], vel vinum [e]; denique panis ac vini in corpus & sanguinem Christi [f]. Propriè, quæ dicuntur, accipiuntur, cùm ita possunt accipi, & ita passim intelliguntur à Patribus, & in Ecclesia. Caue Sacramentarios.

Et quæcumque erant natantia, in terram transibant.] Græcè (*καὶ νηκτὰ μετέβαινεν ἐπὶ γῆς, & natatui apta*, siue *natatilia*.) Pisces non transibant viui, sed eiiciebātur mortui, quando vel aquæ sunt conuersæ in sanguinem [g]; vel siccabantur: ranæ autem viuæ penetrabant ipsa quoque cubilia Ægyptiorum, vt antè dictum est. Addidit Interpres (*quæcumque*) respiciens fortassis ad pisces mortuos eiectos, & ad ranas omnia loca subeuntes.

Vers. 19.] Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliuiscebatur.

Vers. 20.] Flammæ è contrario, corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium; nec dissoluebant illam, quæ facilè dissoluebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum Domine, & honorasti, & non despexisti, in omni tempore, & in omni loco assistens eis.

ALia duo exempla elementi aquæ & ignis, vt aqua non extingueretur igni, hic in aqua inualesceret, nec animalibus noceret quæ versabantur in medio eius, nec māna dissolueret, satis iam declarata sunt in capite 16. [a] Claudit verò Auctor orationem velut epiphonemate, quo eximiam extollit Dei beneficentiam aduersùs populum Hebræum, quem nullo nō loco, vel tempore texerit singulari prouidentia, & maximis honoribus prosecutus sit, gloria & splendore adornauerit; scilicet quòd præ cæteris populis enixam sapientię operam nauauerit. Vt omnes tādem intelligāt, quāti referat sapientia, quàm multis studiosos sui ditet bonis & ornet; quod vnum sapientię studium Auctor mortalibus persuadere maiorem in modum sibi hoc in libro proposuit, & hoc in primis populi sapientis exemplum inculcandum & commendandum existimauit. Summa porrò sapiētiæ fuit adhærere Domino Deo, & eius pręcepta atque iustitias obseruare & implere opere, ita vt audientes populi cæteri dicere possent; *En populus sapiens & intelligens*; ac proinde *gens magna, & inclyta* [b]; Hebraicè (רַק *rak, tantùm*, siue *certè*, aut *solus populus sapiens*, &c.)

Supra suam virtutem.] Addunt Complutenses, & Regij, aliíque codices ἐπιλελησμένον, nēpe πῦρ (*ignis in aqua valebat*, ἴσχυεν, τῆς ἰδίας δυνάμεως ἐπιλελησμένον, *propria virtutis oblitus*) non quòd non calefaceret & inflammaret; sed quia plus solito, quasi non recordaretur quas vires haberet à natura, quæ in aqua frangi possent. *Valere supra virtutem* diceretur ἰσχύειν τῇ ἰδίᾳ δυνάμει meliùs, quàm τῆς ἰδίας δυνάμεως.

Aqua extinguentis natura obliuiscebatur.] Hoc potiùs est nō valere virtute, & aquæ naturalem virtutem impeditā ne prodiret in actum, vel ab alia re superatam, vt ab igne. Quemadmodum ignis quādo pueros in fornace non lædebat [c], nō propriè dicebatur valere virtute, sed potiùs virtutis exercitio vsúque carere. Hugonis expositio haud ita conueniens, aquā in transitu maris rubri oblitam naturæ suæ, quia non demersit Hebræos [d]. Communis aliorum ac eiusdem quoque sensus est, quem c. item 16. attulimus, cum imbre & grādine cadentia fulmina humorem non restinxisse. Verbum σβεννύναι, quod ibi est, & adiectiuum nomen σβεστῆς, quod hoc loco, dicuntur propriè de extinctione ignis per aquam, aliúmve liquorem, non de metaphorica extinctione per mortem. Licèt autem figuratè dicatur *obliuiscendi* verbum de aqua; nulla tamen subest causa cur extinctio non propriè sumatur.

Flamma è contrario, corruptibilium animalium non vexauerunt carnes.] Græcè (οὐκ ἐμάραναν, *non marcescere fecerunt, tabe non affecerunt:*) vt solent fulmina quando tangunt aliquid. Explicat Cantacuzenus de animalibus quæ simul tunc immittebantur in Ægyptios, & inter illos erāt ἐμπεριπατοῦντα,

inambulan

a vers. 17. & seq. (col. 1)
b Exod. 7. c Ps. 77. 8. d Exod. 7. e Ioan. 2. f Matth. 26.
g Ps. 77. 44. Ps. 104. 29. Exo. 7. 20. 21.
a vers. 17. & seq. (col. 2)
b Deut. 4. & seq.
c Dan. 3.
d Exod. 14.

inambulantia,& lædebant illos;non lædebantur ab ignibus fulminum. Cæteri de ferpentibus ignitis intelligunt, quorum corpora non fuerint consumpta per flammas ignis in eis contentas (sic Olcot:)vel qui non lædebant Hebræos,cùm æneũ inspicerẽt(sic idem,& Lyranus, & Hugo,& Carthusianus, addens & iumenta Hebræorum.) Bonauen. interpretatur columnam ignis, cum qua populus ambulans, non lædebatur ab ea;Osorius cùm vltrò citróque volitarent in terra flãmæ,exitiumque multis hominibus inferrent, brutorum tamen animantium,quæ passim gradiebãtur, carnes non adussisse; vt nimirum constaret quæri supplicium de hominibus. In capite 16.primum probaui sensum,quem & denuò recipio,& Iansenij ibidem allata auctoritate confirmo, qui huc etiam illa transfert verba dicti capitis; *quodam enim tempore mansuetabatur ignis,ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia* (id est,ad Ægyptios) *sed vt ipsi videntes scirent, quoniam Dei indicio patiuntur persecutionem.*

Nec dissoluebant illam, &c.] Græcè (οὐδὲ τηκτὸν εὔτηκτον κρυσταλλοειδὲς γένος ἀμβροσίας τροφῆς, *neque liquefactiuum*(πῦρ,*liquefactiuum ignis*, nempe.ἐμάραινε, *marcescere fecit*)*glacialis generis liquefactibile genus ambrosianam escam*)id est, manna. Vatablus existimat legendũ pro εὔτηκτον, ἄτηκτον:Iansenius pro τηκτὸν, οὐδὲ ἄτηκτον. Sixtiana Græca Biblia nihil mutant: & verò commodus est quem reddidi Græcis verbis sensus, quem tamen multo clariùs Interpres expressit. De re ipsa diximus eodem illo capite decimosexto [a], secuti communem expositionem, quæ hîc quoque traditur de manna,vt igne consumi non posset. Lõgè aliter hoc loco Cantacuzenus. Ait sensum esse,quòd glacies seu grando, nixque cùm deciderent contra Ægyptios, tametsi nihil his faciliùs dissolui possit, secreto & eiecto calore, ignibus permixtæ conseruabantur,nec minuebantur, sed ferebantur ad maiorem perniciẽ integræ in illos.

Quod autem sequitur, γένος ἀμβροσίας τροφῆς, velut per appositionem dici putat περὶ τῶν φλογῶν, *de flammis*, & igni:ignem verò sic appellari, nẽpe ambrosiam escam figurare, quoniam non exeditur ipse,sed alias res omnes absumit. Noua prorsus ac insolens expositio; nec apparet cur ignis dici possit esca,cùm potiùs vesci videatur ipse ac esca indigere, saltem qui apud nos est,soleátque cognominari edax [b], & vorax [c],& ab Esaia [d] deuorans.

Bonam escam.] Manna est,vt dixi, comparatum cum glacie, atque in textu Græco appellatũ κρυσταλλοειδὲς γένος ἀμβροσίας τροφῆς,*crystallinum* (id est, glaciale)*genus ambrosianæ escæ*.Nescio an exhorruerit Interpres vocabulum *ambrosiæ*, quod de Deorum cibo confinxit Gentilitas: & ambrosiis Domitianum, qui Deus haberi volebat, vescentem dapibus facit eum suis Martialis [e];

Vescitur omnis eques tecum,populusq́;,patresq́;,
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.

Cicero [f] quoque præstantissimos viros ambrosia scripsit alendos.Non satis cõstat ambrosia potúsne esset an esca,& vtrum ex his nectar. Anaxandrides nectar cibum nominauit; necnõ Alcmã & Archestratus:Sappho ambrosiæ cratetem dixit,vt meminit Rhodiginus [g],& auctor Thesauri Græci post Athenæum,quem nõ citat.Plures asserunt cibum ambrosiam,nectar potum.De nectaris potu Homerus sæpe: ambrosiæ verò Ibycus cibum nouies dulcedine mel superare ait [h]: & Baccho

a vers.27.
b 2.Aeneid.
c Claud.
d c.33.14.
e lib. 8. epig. 50.
f 2.de orat.
g lib. 7. c.13. vide Athen. lib 2.& 6.
h auctor 2. dag. Nectar spirat. vide Athen.supra.

dicata sacra dicebantur ambrosia. Plãtæ præterea nomen est ambrosia,quæ suo in cibos vsu longæuos reddit homines:de qua cum Dioscoride,& Plinio Matthiolus [a].

Nectar deriuant à νὴ,& κτείνω,quòd nõ eorum qui moriuntur,sed immortalium Deorum sit potus:vel quòd νέους reddat,id est,*iuuenes,ac ætatis florida*:ambrosiam ab α priuatiuo & βροτὸς, inserto μ, euphoniæ causâ,quia mortales eam nõ comedãt, vel si comederent,fierent immortales. Inde adiectiuum ἀμβρόσιος, *immortalis*,& *diuinus*; vel etiam per denominationem ab ἀμβροσία nomine substãtiuo,*dulcis*. Imò Hesychius [b] indicat in ἀμβροσία subaudiendum τροφή: exponit enim esse ac si dicas θείαν, & θαυμαστὴν τροφὴν, quod Homerus [c] appellat ἀμβρόσιον ὕδωρ. Quemuis delicatum & suauem cibum cognominant ab ambrosia,potum à nectare;vt ab hoc vinum dulce Virgilius [d];

Vina nouum fundam calathis Aruisia nectar.

Item quodlibet vinum Propertius [e];

Corrupiq́; bonus nectare primus aquas.

Rursus Virgilius mel [f];

—liquido distendunt nectare cellas.

Sed & ad vngendum adhibitam ambrosiam testes Homerus [g],Virgilius [h],Apollonius [i]. Pindarus apud Athenæum [k] appellat ἀμβρόσιον ὕδωρ,*ambrosiam aquam* fontis Tilphossæ.Prouerbij quoque nectar vicem habere pro re quauis dulci & suaui, etiam pro re odorata, ostendit Cerda [l] noster aliquot exemplis.Disserit vtraq; de re ordinis etiã nostri scriptor eruditus Bisciola [m],existimãs post allatas variorum sententias, vtrumque fuisse rem fusilem,humidam,liquidam;sed ambrosiam crassiusculam. Profert præterea parœmialis ex vtroque,nectare præsertim,locutionis exempla, quæ meminimus.

Vt alia multa Gẽtiles ex literis diuinis in suas fabulas transtulerunt, de quibus Iustinus [n];ita fictum illud nectar ambrosiámque vel ex ligno vitæ,vel ex manna. His multo cõueniunt veriùs ac meliùs,sed maximè cœlesti pani Eucharistiæ,quas illi dictis attribuunt rebus conditiones, aut quas herbæ nepenthe, quasi luctum adimeret, qui est πένθος [o], aut moly, quam Homerus [p] & Plinius [q] celebrant, vt quæ reuocet ad iuuentutem. Lege Eugubinum [r]. *Si quis*,ait Christus,*manducauerit ex hoc pane,viuet in æternum* [s] (cùm qui manducauerũt manna,mortui sint [t]; nec solum vitæ lignum satis fuisset ad mortem prohibẽdam, vt melior habet opinio:) & nisi quis manducauerit carnem filij hominis, & biberit eius sanguinem, non habebit vitam in se [u].

Multò verior hæc propositio,quàm cuius meminit Aristoteles [x] Hesiodi,& cæterorum Theologorum asserentium esse mortalia quæcumque nõ gustarunt nectar & ambrosiam. Negat ipse,ac iure quidem, esse sempiterna quæ egent cibo: at nos cibum illum fatemur summæ gratiæ esse,dicímque propterea Eucharistiã;& pignus illius beati cibi,quem qui edunt,adhuc esuriunt,& potus, quem qui bibunt,adhuc sitiunt [y]. Vbi suspicatur B.Thomas nominibus illis hos Theologos naturales intellexisse summam bonitatem primi principij, cùm omnis dulcedo amoris ad bonitatem aliquam,ac proinde ad summam bonitatem referatur:atq; hoc pacto significasse res eas,quæ propiùs participant,& quasi degustant perfectionem diuinæ bonitatis, esse immortales, quantum ad esse numerale: quæ autem remotiùs (quasi eam solùm odorentur) non esse immortales, nisi

a lib.3 c.112.
b in Lexico.
c Iliad. 1.
d eclog.5.
e lib. 2. eleg. 31.
f 1.Aeneid.
g Iliad.16. & Odyss.4.
h 4.Georg.
i lib. 4.
k lib. 3.
l in Virg. eclog.5 vers 13. n.15.
m lib.5 hora. subseciua.c. 20.
n apol.2.
o auctor The saur.Græci ex Plinio lib.21. c.21.& lib.25. c.2.& Homer. Odyss.4.
p Odyss.10.
q lib.25.c.4.
r in Cosmo. in c.2.Gen.
s Ioan.6.52.
t ibid.59.
u ibid.54.
x 3.Metaph. tex.15.
y Eccli.24. 29.

quantum ad esse specificum.

De Tantali supplicio causam reddit Pindarus[a] ab aliis longè diuersam (vt quòd filium Diis epulandum exhibuisset [b]: quòd loquacior fuisset, garrulus, linguáque vsus garrula, & proterua [c]:) cum quo tamen etiam consentiuut Didymus & Tzetzes, ac eosdem citans Ioannes [d] Spondanus, nempe quia in Deorum admissus conuiuia, nectar & ambrosiam iis aliquando surripuisset, & coætaneis impertiuisset. Pindari [e] versus sunt isti.

a ode 1.
b Idem 1. Olymp.
c Eurip. in Orest. Ouid. lib. 1. eleg. Gallus in epig. lib. 4. Anthol. c. 7. Martial. lib. 10. epig. 5.
d in Home. Odyss. 11.
e sup. strophe 3.

Ἔχει δ' ἀπάλαμον βίον
Τῦτον, ἐμπεδόμοχθον
Μετὰ τριῶν, ὅτι κλέψας
Ἀλίκεσσι συμπόταις
Νέκταρ, ἀμβροσίαν τε
Δῶκεν.——
Habet autem omni auxilio carentem vitam
Hanc, & vehementer ærumnosum
Cum tribus quartum
Laborem: Deorum quòd furatus
Coætaneis compotatoribus
Nectar, ambrosiámque
Dedit.——

At Christus non modò ad cœlestes illas dapes Eucharisticas admittit, sed inuitat omnes, vrgétque, ac mortem ipsam detrectanti comminatur.

In omnibus enim magnificasti populum tuum Domine, &c.] Præter id quod antea retuli ex Deuteronomij capite quarto [f], prouocat ibidem Moses populum verbis istis [g]; *Interroga de diebus antiquis qui fuerunt ante te, ex die quo creauit Deus hominem super terram, à summo cœlo vsque ad summum eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, & vixisti: si fecit Deus vt ingrederetur, & tolleret sibi gentem de medio nationum per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, & robustam manum, extentúmque brachium, & horribiles visiones, iuxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis,* &c.

f vers. 4. & seq.
g vers. 32. & seq.

In omnibus magnificasti.] Græcè (*κατὰ πάντα, secundùm omnia*) siue beneficiis afficeres populū, siue coërceres aduersarios eorum. Lyranus magnificare ad hoc vltimum refert; honorare, ad liberationem de Ægypto; non despicere, ad exauditionem precum. Notat Bonauentura magnificationem gratiæ iustificantis, quia *quos iustificauit Deus, hos & magnificauit*, siue *glorificauit*[h]: gratiæ miraculorum, à qua Moses denominatus est magnus [i], & Elias amplificatus [k]: dignitatis temporalis, vnde Salomon magnus [l]: beatitudinis æternæ, magnæque gloriæ in salutari Dei[m]. Paulo aliter Olcot[n],

h Rom. 8. 30.
i Exod. 11. 3.
k Eccli. 48. 4.
l 3. Reg. 10. 7.
m Ps. 20. 6.
n lect. vlt.

A & de illis qui seipsos vitiosè magnificant. Nos autem etiam alibi docuimus, qua ratione Deus nos, nos illū, & inter nos magnificemus ipsi nos.

Honorasti.] Græcè (*ἐδόξασας*) videlicet apud alios: quomodo etiam magnificauit; nec enim propriè magnificari, vel honorari à creatore creatura in se potest, absque dicto respectu ad alios: & quando quis magnus coram Domino dicitur [a], sensus est, quia iudicio diuino, sed eo quem dixi modo, magnus declaratur, & fit. Glorificantes se glorificat Deus [b]: sunt ei vt honorabiles filij[c], & nimis honorificati amici [d] iudicio bene sentientium; denique *honorabile nomen eorum coram Deo* [e].

a Luc. 1. 15.
b 1. Reg. 2. 30.
c Iere. 31. 20.
d Ps. 138. 17.
e Ps. 71. 14.

B *Non despexisti.*] Etiam cùm peccarent: nam peccantes castigare, non est despicere, sed curare. Hoc luculento admodum sermone Machabæorum historiæ testatur auctor *, ex quo illud ad rem præcipuè; *Propter quod nunquam quidem à nobis misericordiam suam amouet: corripiens verò, in aduersis populum suum non derelinquit.*

* 2. Machab. 6. 12. & seq.

In omni tempore, & in omni loco assistens eis.] Tres primæ dictiones non sunt iungendæ verbo (*despexisti*) vt fecit Hugo, volens denotari non despexisse in omni tempore, quamuis videri posset in aliquo despexisse. Assistentia prouidentiam singularem importat, quam Deus erga nullam aliam nationē exhibuit, vt Moses dixit[f]; *Nec est alia natio tā grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut* C *Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Id Chaldæa paraphrasis explicat de oratione in tempore tribulationis. Sed latiùs patet sententia, vt ad respōsa quæ ordinariè reddebat Deus certa ac vera, non autem falsi Dij, & ad eximia beneficia alia. Decet nos vel Christianos, vel Religiosos multo magis præclaris muneribus affectos ornatósque benedicere Dominum ex animo in omni tempore [g], & in omni loco dominationis eius [h]: diuinæ sapientiæ studio enixo vacare, vt si non alios, quod paucorum est, certè nos ipsos iudicemus diligenter, ac regamus. Quæ dedit Auctor præcepta iudicantibus terram [i], & Regibus, ac Iudicibus terræ [k], singulis quoque priuatim conueniunt, quibus regenda turba perturbationum, & negotiorum; & nobilior hic D amplior que dominatus in animum proprium, quàm expugnatoris vrbium [l]. Egent omnes ista sapientia; dabit eam postulatus absque hæsitatione Deus, *qui dat omnibus affluenter* [m], nósque ipsos ad postulandum, quærendum, pulsandum inuitat, vrgétque [n]; imò pulsat [o], vt Spiritum suum bonum communicet [p], ac nobiscum cœnans [q], bona nos esca sapientiæ recreet atque sustentet.

f Deut. 4. 7.
g Ps. 33. 1.
h Ps. 102. 22.
i c. 1. 1.
k c. 6. 2. 12.
l Prou. 16. 32.
m Iacobi 1. 5. 6.
n Luc. 11. 9.
o Apoc. 3. 20.
p Luc. 11. 13.
q Apoc. 3. 20.

ADIECTA

ADIECTA ALIA

COMMENTARIO IN LIB. SAPIENTIÆ,

QVIBVS RESPONDETVR CVIDAM

posteriori Enarratori, qui nomine tacito corrasit nostra; & expresso, momordit quæ minùs probauit, professus, me vt non impedimento, sic nec subsidio ipsi fuisse: sed casu in eadem vtrumque incidisse; cùm tamen quod casu fit, non tam crebrò contingat.

A PAG. 3. l.14. col.1. *Pharaone.*] Posterior me libri huius prolixior Enarrator [a], qué post absolutum alium meum Commentarium in Leuitici librum, in manus sumpsi, sciri posse argumẽtatur, quis auctor fuerit, quia Trinitatis, Incarnationis, & aliorum notitia mysteriorum habetur; nec excedit sphæram, seu capacitatem intellectus nostri, nec in tali obiecto vllius conditionis apparet implicatio; denique à multis definitè traditus est certus auctor. Quasi verò tales res naturaliter sciantur; & non potiùs, quia saluti necessariæ sunt, vel conducunt, per diuinam reuelationem. Quam reuelationem in re huiusmodi, qualis quæ modò quæritur, nemo prudens requirat, cùm tanti non referat, vt idem tamen ille parum vrgente ratione persuadere conatur. Neque verum est, negasse me quicumque scripsit hunc librum, stylo vsum Græcam eloquentiam redolente. Hoc ipsum affirmaui cum Hieronymo, & sic etiam initio editum à suo auctore, non Hebræo idiomate, cuius oppositum nullo idoneo argumento probat [b]. Quidni enim editus Græcè à peritis Hebræis legi ea lingua potuerit, cùm ab iis lectum Lactantius [c] indicet? Quamquam illud ex Hieronymi sententia retuli, dixique non esse inuerisimile, periisse archetypum Hebræum, Hebræorum malitia; quòd nimis apertè vaticinia de Christo contineat. Quæ mea verba quid opus fuit contra me ipsum recitare? Sed nec temeritatis me, vel Pinedam [d] nostrum tam seuerè arguere debuit, negantes à Salomone hunc librum scriptum; cùm admodum graues Doctores, quos protulimus, in ea sint sententia, & qui contrarium præ se ferunt (quibus adde Fulgentium [e]) quos non dissimulauimus, & forsitan illi ipsi auctori indicauimus, non ex Iacobo Rytero hæretico sumpsimus, quem ne legi quidem, tam commodè à nobis quo pacto sic loqui potuerint, sit declaratum. Augustinus [f], quo Doctore, & Patriarcha meritò gloriatur bonus Epanorthotes, liberè affirmat librum istum æquè ac Ecclesiasticum non esse Salomonis, non dubitare doctiores. In retractationibus [a] autem hoc non retractat, vt ille tamen contendit; sed quod in libris de doctrina Christiana [b] dixisset constantissimè, perhibitum scriptos ambos à Iesu filio Sirach; nec enim ita constare, vt ibi dixerat, & omnino probabilius comperisse, non esse illum eius libri auctorem. De Salomone eo loco nec ait, nec negat. Adieci hac posteriore editione Isidorum [c] Pelusiotam, & Ioannem [d] Saresberiensem, quos in priore legere non licuit, negantes disertè hunc à Salomone compositum librum. De Hieronymo ambigi non potest, vt antea meminimus, quamuis aliquando [e] citans hunc librum, addat; [Sapientia, quæ titulo Salomonis inscribitur, nempe iuxta inscriptionem Græcam, & multorum loquendi modum:] qui ipse modus debet intelligi sicut exposuimus. Quòd prætulerim Christophorsonum, Eusebij translatorem è Græco, non vt mendacio patrocinarer causæ meæ feci, sed Græci textus auctoritate suffultus, quem recitaui, & à trium linguarum in suo conuentu Professore consuli potuit, & decuit.

Ibid. l.63. col.2. *respondit.*] Meretur hæc ratio adeò grauium auctorum, quos laudaui, vt peculiari quodam iure vendicet sibi liber hic titulum Sapientiæ, magis quàm alij, in quibus aliqua tantùm sapientiæ scintilla resplendet, vt Cõfutator meus obiicit. Qui si correctos codices Græcos legisset, non reprehendisset scribi à me σοφία Σαλωμὼν, indeclinabiliter more Hebræorum; licèt alij minùs emendati habeant cum inflexione Σαλωμῶντος. Neque video cur eidem displiceant Seneca & Lactantius, ex sophiæ vocabuli mutatione in philosophiam colligentes, quam veteres sophi profitebantur sophiam, haud adeò veram fuisse: sed malit mutationis causam reiicere in reuerentiam, & animi demissionem; quòd solum Deum agnoscerent sapientem simpliciter, ac absolutè. Excogitari idem possit circa nomina diuinorum aliorum attributorum, quæ nobis quoque communicantur, verbi gratiâ, vt nemo dicatur ἀληθὴς, sed φιλαληθὴς, non *verus*, sed *veritatis amator*, &c.

a in Isag. q.1.
b q.3. & 10.
c lib.4. c.16.
d de rebus Salom. lib.3. c.29. n.4.
e contra sermonem fastidiosi.
f 7. de ciuit. c.20.

a lib.2. c.4.
b lib.2. c.8.
c lib.4 epist. 40.
d epist. 172.
e lib.15. in Esa. c.56.

Pag.4. l.41.col.2. *literales.*] Post nos prodière nostri Christophori à Castro breuiores commẽtarij,& alterius,quem prius indicaui, ex alio ordine, fusiores, quorum tomus prior octo prima capita duntaxat amplectitur: posterior laudem videri posset ex aliena refutatione velle cõparare,me subinde cũ collegis Pineda,Roa(quos duos queritur suis quasi furtim lucubrationibus vsos) & aliis vita etiam functis carpens,vnum laudans magistrũ suum Pradum:atque hîc quidem, quod attinet ad argumentum libri,reprehendens [a] nos ἀνακολουθίας. Sed aliud alij sequuntur; qui melius consequantur, docere ratio debet, non simplex affirmatio, vel inficiatio. Ego verò par pari non referam, vt studiosè dicta illius refellam; sed refellenti absque recriminatione respondebo, & satisfaciam.

a q.5.& 11.& 12.

Pag.7.l.61. col.2. *quærite Deum.*] Negat recentior commẽtator *simplicitatem* pro copia & largitate sumi posse, sed fictam, vocat à me acceptionem. Chrysostomus [b] ita interpretatur pro liberalitate, & Oecumenius pro abundantia, quam vocant δαψίλειαν, cùm Apostolus [c] diuitias simplicitatis,πλοῦτον ἁπλότητος appellat. Tribuere igitur in simplicitate [d] μεταδιδοὺς ἐν ἁπλότητι,potest idem valere,quod liberaliter, δαψιλῶς, vt placet etiam Theodoreto.Sic eadem res est tribuere,seu dare,& illo modo tribuere,siue dare, vt Antagonista argumentatur, quia potest quis in tribuendo dandóve parcus esse. Toletus [e] noster iuxta istam expositionem (præter quam alias esse scio, & recipio)ait metaphoram esse; quoniam qui liberaliter dat, manu extensa dicitur dare:qui verò auarus est,manũ habet clausam; quod autem extensum est, simplex est. Adde in liberali non esse perplexas illas cogitationes,& cupiditates acquirendi,& retinẽdi; multo minùs dolos & fraudes, non item personarum acceptionem, aut anxiam & molestam earum perscrutationem, & similia, quæ alij in suis afferunt expositionibus, quas idem Toletus, & Iustinianus [f] quoque noster attingunt.

b in 2.Cor.8.
c 2.Cor.8.2.
d Rom.12.8.
e ibid annot. 15.
f ibid.

Pag.9.l.57.col.2. *Lege Cassianum.*] Vindicare se Ambrosium à calumnia mea profitetur Aduersarius. At ego Ambrosium non sum calumniatus. Tantùm dixi etymon vocabuli *Chanaan* pro perturbatione verum nõ esse; tametsi in negotiatione,siue mercatura,quam propriè significat, inesse perturbatio plerumque soleat; quo tamen ille argumento contra me vtitur. Deinde non sunt ad rem testimonia quæ profert, & exempla, non ex כָּנַע *chanahh*,sed ex עָנָה *hhanah*,vt ipsemet fatetur.

Pag.13.l.20.col.2.*ignorantia.*]Literali porrò sensu de tertia persona Trinitatis, id est, de Spiritu S. locum hunc omnino accipi debere non probat Augustinianus, vt se aduersùs me probare in marginali notatione profitetur. Profectò scholastici in probando diuinitatem Spiritus sancti non prætermitterent præsentem locum, si tantum in eo momenti deprehendissent; quod faciunt tamen de recentioribus magni certè nominis Vazquez & Suarez. Vim habet inde tractum argumentum, quatenus ita intelligitur à nonnullis Patribus, quos citaui. Nec est quòd in vna theoriarum suarum vereatur notam temeritatis, si fateatur literaliter hîc de tertia persona Trinitatis non agi. Accommodatitium verò sensum affirmaui non de ipsa persona, sed de aduentu eius in Pentecoste.

Pag.15. l.4.col.2. *loqueris.*] Murmurationem, ac detractionem potissimùm Auctor in Deum intelligit:nec tamen quæ contra proximum est, tam remota est à proposito, vt quòd eius hîc etiam à me mentio facta sit, notari debuerim, cùm de primario illo sensu disertè monuerim. Sed, quod ex Hieronymo, siue alio retuli,etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, vix cauent, ne aliena reprehendant.

Pag.24. l.44. col.2. *spiritu.*] Cùm tot modis locus hic exponatur à me, cur illum vnum respuit recentior commentator, qui de sermone est prodeunte ex cõmoto corde in morem scintillæ? Non restringo ad eiusmodi solum sermonem, vt ille imponit. Quale illud præterea, quòd me cum Osorio asserit negare intelligi hoc loco vitam quæ sermone declaretur.

Pag.31. l.24. col.1. *supersit.*] Quid sibi velit Concertator, scribens ex his quæ affert constare posse,quid habeat veritatis id quod adduco ex Psalmo 15. [a] equidem non intelligo. Legat, si libet, eius Psalmi commentarium, & intelliget congruentem esse rationi, & auctoritati eius loci expositionem, quam hîc solùm innuimus.

a vers.5.

Pag.33. l.15. col.1. *Iansenius.*] Quod non est negare de Christo ad literam intelligi hunc locum posse,vt mihi affingitur, sed quod aio disertè, ad quemlibet iustum extendi posse. Deinceps ipsemet adeò multa de solo Christo explico.

Pag.42. l.30. col.2. *diuino.*] Non mereor censuram cùm id aio, quod ante me hoc loco Glossa, & Bonauentura, Andreas quoque Cæsariensis, & alij dixerunt, sententiam omnibus iustis conuenire; quamuis maximè conueniat Martyribus.

Pag.44. l.18. col.1. *editionem.*] Non me intellexit, qui iter à nobis exposuisse me dicit primos parentes includendo. Clarè excludere,qui attentiùs leget,deprehendet.

Ibid. l.55. col.1.*conuiuium.*] Possem importunum appellare obiurgatorem, qui, quæ obiter dicuntur à me de bono pacis, qua fruuntur in hac etiam ipsa vita iusti, non dubitat & importuna, & nota nominare. Non regeram eandem querimoniam in ipsum, qui tam liberè passim, & longè digreditur,ac exspatiatur. Ex dulcedine, commodóque pacis præsentis vitæ licet argumentari de pace futuræ; istíque eadem quadrant aptè, quæ illi, ac multo adhuc magis. Qui paci studet, eámque persequitur, non tanta contradicendi libidine tenetur etiam in leuissimis.

Pag.80. l.44. col.2. *obtineri.*] Quid autem obest tropologiæ nostræ, imò & sensui literali, quòd impij de sua superbia agant, diuitiarúmque iactantia? Non potuerunt, quæ de se ipsis illo modo dicunt, in vniuersum velle intelligi.

Pag.85. l.9. col.1. *sunt.*] Laborat hîc valdè Doctor Hispalensis recentior contra illam expositionem, quæ iustorum cogitationem apud Dominum interpretatur, vt is de ipsis cogitet, siue vt cogitetur ab eo de illis: & magnopere contendit meliorem aliam esse, vt cogitent de Deo iusti. Altercandum non fuit, cùm vtramque & ipse mecum recipiat. Certè, quod proximè antè dicitur de mercede iustorum, illam esse apud Altissimum, sensu planiore, & meliore intelligitur, quòd ea penes Deum sit,

qui seipsum Abræ mercedem magnam nimis esse affirmauit [a]. Quamuis & explicari possit, quòd iusti mercedem suam apud Deum, & in illo constituerunt.

a Gen.15.1.

Pag.85. l.1. col.1. *Olcot.*] Mauult Hispalensis Professor cognominatum brachium sanctũ, quia nefas id tangi, cùm de potentia iustorum agitur. Ratio eadem valet, cur dexteram cognominare sanctam oportuerit. Si dexteræ idem epithetum concedi potest propter istam causam, cur non & propter meam?

Pag.88. l.5. col.2. *hasta.*] Non metuo exterminatorem, qui censet exterminandam explicationem meã de fulguribus, seu iaculis meteorologicis, vt exterminentur, id est, velut extra terminos, & longè iaciãtur, vt impios vbinis quamlibet remotos feriant, & exterminẽt. Nihil habet quod contrà obiiciat: nec verò quid melius, aut ab eo sensu alienum affert. De allusione autem ad arcum cœlestem, seu Iridis, quam nego, non satis assequor quid velit, aut quo pacto impugnet. In ventum ipsemet iacit sagittas, aërémque verberat.

Pag.91. l.56. col.1. *electionem.*] Non agnosco quid nucleus Hispalensis differat ab eo, quem corticem meum, & aliorũ non sine sarcasmo appellat. Idem denique ille aliis pluribus verbis dicit, quod nos, præferendam sapientiam; eáque præditum, viribus, ac iis qui illas habeant.

Pag.93. l.63. col.2. *erit.*] Non consuluit Corrector τὸ ἐπιστήσεται, quod valet *instabit, ingruet, imminebit*, & additum aduerbio *ταχέως, citò*, celeritatem magis exprimit: non autem significat apparitionem per modum coruscationis, aut fulminis repentini; licèt comparatio ista proposito congruat.

Pag.94. l.59. col.2. *Non enim.*] Agnosco potuisse omitti in textu prioris editionis, quem recitaui *(qui est omnium dominator)* quia correcti codices omiserũt. Sed alij non pauci habent, vt Regij; & contigit aliquando exscribi textum ex Regiis Bibliis, aut aliis, non ex correctis, vt fieri oportuit.

Pag.96. l.62. col.2. *indicabit.*] Si quis perpendat quæ meus hîc differit Epanorthotes, cognoscet frustra laborare in assignando discrimine istius & alterius sententiæ: sed repeti verbis aliis priorem sententiam; quod in quantùmuis pressa oratione vtiliter, & aptè fieri potest.

Pag.98. l.51. col.1. *propellerent.*] Non leuiter per occasionem de vocabulo *disciplina* docui sumi pro materiali flagello: vidétque omnis, qui vult videre, studio contradicendi videri captare omnem occasionem, qui hac in re tam falsè contradicit, & quidem non mihi vni tantùm, sed admodum eruditis aliis auctoribus, idem obseruantibus; quos scutica egere asserens, ipse scutica seipsum lorea religiosiùs comprimeret, qua præcingitur; & leniorem dolorem incuteret.

Pag.100. l.58. col.2. *vigilantibus.*] Magna securitate, ne dicam nimia cura, vel etiam incuria, & iniuria, interpretationes nostras arguit trium linguarum apud Vandalosiberos Professor; tempúsque terendo, nihil affert persæpe discrepans, si bene dispiciatur; aut nõ tanti certè momenti, vt operæ pretium fuerit, apologias pro cõmentariis obtrudere. Id si liberet, & si per modestiam religiosam liceret, experiretur ille veriùs, & solidiùs in seipsum retorqueri posse. Sed parco tempori, vt & nomini peperci.

A Pag.101. l.29. col.2. *occurrent.*] Etsi porrò hîc addidi *(suis)* non perinde accipi volui, ac si Gregorius illud tanquam ex textu recitasset, quod antea negaui; sed quia idem Pater vias interpretatur de sapientia ipsa. Quam interpretationem satis indico non probari mihi, vt Antagnostes, idémque Antagonista, si benigniùs nostra lectitaret, posset aduertere, quãuis ad studiosos sapientiæ magis propenderim, alios secutus idem sentientes.

Pag.104. l.40. col.1. *Pineda.*] Hunc tunc morem gestandi securim pro sceptro fuisse affirmare me fingit Reprehensor. Solùm retuli eo aliquos vsos: de tempore nihil dixi. Si assererem, nisi probare possem, non facerem; ille qui inficiationis suæ rationem non reddit, cur affirmationis ab

B aliis exigit?

Pag.ead. l.58. col.2. *lumen.*] Vereri posset quis, ne suis tam sedulus Corrector luminibus offici existimare, ac præ se ferre videatur, dum quæ de lumine non in Regibus tantùm, & Principibus ciuilibus, sed & in Prælatis, ac Doctoribus Ecclesiasticis afferuntur à me, deteriùs accipit, & obruere tenebris conatur octuplici illa luminis acceptione, quam siue sit ad rem, siue secus, illi non inuidemus.

Pag.105. l.50. col.2. *aliquoties.*] Excidit, fateor, nobis in textu primæ editionis non ponere iuxta emendatos codices (*à vobis*) cum particula (*à:*) opinionem verò nostram non video, qua ratio-

C ne refellat; cuius rei permitto lectori æquo iudicium. Abstineo stringere calamum contentus defensioni necessaria strictim indicare.

Pag.111. l.11. col.1. *persæpe.*] Hoc non impedit, quin caro sumatur hîc pro informi, quæ sensim deinde distinctè formetur. Nihil intactum vult Censor.

Pag.112. l.38. col.2. *petas.*] Censor hoc loco meus multa contra me, & Pinedam differit de generatione humana, nec satis verè, nec admodum honestè. Falsi nihil deprehendit; sed quæ premi silentio maluimus, effert liberiùs.

Pag.123. l.63. col.2. *possit.*] Scientiam porrò non hîc presse sumi, non gratis assero, vt gratis affirmat Hispalensis; quia certum est, non om-

D nem cognitionem, quam se ait habuisse Auctor, induens personam Salomonis, pressè, ac propriè scientificam fuisse: nec sufficere scientiæ, vt sit vera, sed alias conditiones requiri.

Pag.125. l.63. col.2. *possint.*] Concedo in commentario meo prioris editionis θυρίων malè scribi per υ, pro θηρίων per η: sed error hic est typographi, vt & alij non pauci, qui in hac noua editione vt corrigantur, autographum ipsum meum mittendum censui. Talibus erroribus Aduersarij scatet commentarius, quos ipsi auctori minimè tribuendos non dubito. Quæ verò de cicurandis bestiis addo, Cantacuzenum secutus, quare, obsecro, intempestiua sunt? Nihil huic homini in-

E tempestiuum, nisi quod arridet; nec opportunum ei non est, quo demum cúmque modo genuinum infigat.

Pag.128. l.20. col.2. *reperio.*] Nam quòd obiicit Censor, vnicam liberatam cani de manibus canis [a], vel à leonibus [b]: & quòd se Dauid vnicum vocet [c], qui tamen vnigenitus non erat; cùm tamen vbique sit nomen μονογενὴς, confirmat potiùs quod volumus. Illo enim dicendi modo voluerunt L x x. exprimi Dauidi charissimam fuisse animam vitámque suam, & se veluti desti-

a Psal.21.21.
b Psal.34.17.
c Psal.24.16.

tui fraterno, id est, alieno charissimorum auxilio. Quòd si loci illi de Christo exponantur cum nó paucis, propriè vnigenitus fuit Patri secundùm diuinitatem, matri secundùm humanitatem. Lege Commentarium nostrum in Psalmos. Si Spiritum sanctum vnigenitum appellari placeat, quia ductus, imò ipsa deductio, & amor, & per amorem Patris, & Filij procedens, non prohibeo. Sed semper verum erit quod asserui, habitudinem innui ad generationem vnius solius per nomen *μονογενής*.

Pag. 131. l. 70. col. 1. *dicere.*] Optima ex his expositio, pro eo qui à nemine, aut à nulla re impediri potest. Cuius notionis τῦ *ἀκωλύτῳ* exempla obuia; non ita sanè in actiua significatione, pro eo qui impediat; omittique potuit, licèt trãslatio Latina vulgata in codicibus Regiis, Complutensibus, & aliis habeat (*qui nihil vetat bene facere.*)

Pag. 132. l. 19. col. 1. *φιλάνθρωπον.*] Apud Ambrosium (*benignus.*) Quod in editione prima ab eo omissum, lapsu memoriæ scripseram. Reprehendendus autem, qui hoc in me reprehendit; quoniam poni asserit ab Ambrosio *munificum* pro humano. Redargui quoque furti potest, qui hic vt & alibi, non rarò mea transcribit.

Pag. 139. l. 37. col. 1. *Est enim.*] Lege in prima editione (*Est enim hæc speciosior*) & non (*pretiosior.*) In autographo meo planè sic est, ipséque commentarius requirit (*speciosior.*) Id si attendisset Censor, aut dissimulasset, aut excusasset: quod ego in quàm plurimis mendis eius facio.

Pag. 142. l. 61. col. 1. *commodè.*] Hæc ex Budæo, non ex Vatablo, aut ex meo ipsius capite, vt Aristarchus meus affirmat.

A Ibid. l. 22. col. 2. *teneatur.*] Hic etiam scrutatur ille quod vellicet, cùm dicam duntaxat *πέρας* potiùs pro extremo vsurpari, quàm τέλος, & hoc magis pro causa finali, non illud: quidquid sit an synonymè quandoque sumantur; & quamuis in Dionysij testimonio, quod citaui, τέλος animaduerterim esse.

Pag. 145. l. 22. col. 2. *decimumoctauum.*] Occursum autem illum virginum non dixi factum ipsi soli sponso; sed quia hic veniebat, vt sponsam acciperet. Tunc occurrebant virgines vtrique, vt habetur in parabola; licèt solum nominauerim sponsum, quia de ipso hîc agitur. Exemplum introducta Liæ ad Iacob facit ad rem, vt doceatur assumi solitam sponsam à sponso.

Pag. 145. l. 22. col. 1. *patere.*] Nobilis scriptoris,
B generosique animi est abstinere ab importuna aliorum reprehensione. Non potest hic se continere. Quid verò habet contra distinctionem *nobilis*, & *generosi*, quam in medio reliqui, nec approbans, nec improbans? Sed tædet, ac pudet me tam minutæ diligentiæ.

Pag. 148. l. 34. col. 2. *conditionalibus.*] Quod *εἰκάζειν* quandoque significet *scire*, non est docendum aliis exemplis, quàm quibus Latini ipsius verbi huius acceptio tam latè patere cernitur; & *æstimare* vsurpari pro scire.

C Pag. 153. l. 52. col. 1. *circumcisi.*] Populos, & nationes distingui nulla suadet ratio; quantumlibet Antagonistæ distinguendum videatur.

Hæc de pluribus potiora refellere placuit: ex quorum leuitate quid iudicari de reliquis debeat possítve, lector prudens æstimabit. In Religioso, quíque ordini nostro quantum debeat non ignorat, nec ignorant alij, maior tum modestia, tum gratitudo desiderabatur.

INDEX

INDEX RERVM ET SENTENTIARVM, NECNON VERBORVM HEBRÆORVM, GRÆCORVM, & Latinorum, quæ in hoc opere explicantur.

Hebræa nomina ſubiecimus his vocabulis, quibus à noſtro Interprete redduntur Græca quamplurima.

A

ex vul

D

L

R

T

V

FINIS INDICIS.